

Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.

+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.

+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.

+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

5ª B
N. 4-8

EX BIBLIOTH.
FF. MM. REFORM.
S. MARIÆ CEMELII
NICÆÆ.

Digitized by Google

31475

Digitized by Google

Digitized by Google

31475

MAGNVM BVLLARIVM ROMANVM,

A PIO QVARTO VSQVE AD INNOCENTIVM IX.

OPVS ABSOLVTISSIMVM LAERTII CHERVBINI
præstantissimi Iurisconsulti Romani ; Et à D. Angelo Cherubino Monacho
Cassinensi nunc denuò Illustratum & Recensitum.

EDITIO NOVISSIMA.

Quatuor tomis distributa : Vitis & Iconibus aneis omnium Pontificum decorata: In qua non solùm Constitutiones omnes S. D. N. VRBANI VIII. *quotquot reperiri potuerunt , ordine temporis inserta Appendicesque duæ suis locis restitutæ ; verùm &* S. D. N. INNOCENTII X. *constitutiones vsque ad hanc diem emanatæ, sunt superadditæ, suis Rubricis & Scholijs conuenientibus summarijsque marginalibus exornatæ, ac tandem vberioribus quàm antea Indicibus locupletatæ.*

TOMVS SECVNDVS.



LVGDVNI,

Sumptib. Philippi Borde, Laur. Arnaud, & Cl. Rigaud.

M. D C. L V.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Conventus S. Mariæ de Cimeliis Nicæ. Scap 2a. N.o 19
Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

INDEX
SEX ROMANORVM PONTIFICVM, QVORVM CONSTITVTIONES

Iuxta Temporum ſeriem continentur in hoc Secundo Tomo.

PIvs IV. Mediolanenſis	habet conſt. 106.	pag. 1
Pius V. Italus	conſt. 151.	156
Gregorius XIII. Italus	conſt. 102.	361
Sixtus V. Italus	conſt. 107.	490
Gregorius XIV. Mediolanenſis	conſt. 19.	699
Innocentius IX. Bononienſis	conſt. 2.	726

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII
Regis Christianissimi.

LVDOVICI XIV. Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate sancitum est, ne quis in regno suo, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos nouem, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione conetur librum, qui Inscribitur, *Magnum Bullarium Romanum nouiter editum multis constitutionibus adauctum, & Iconibus aneis omnium Pontificum exornatum*, præter PHILIPPVM BORDE, LAVRENT. ARNAVD, & CLAVDIVM RIGAVD, Bibliopolas Lugdunenses, aut illos quibus ipsimet concesserint. Prohibitum insuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus suis subditis, eundem librum extra regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare; sine consensu dictorum BORDE, ARNAVD, & RIGAVD. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis die quinta Decembris, millesimo sexcentesimo quingentesimo quarto.

De mandato Regis

Signatum,

BERAVD.

Hæc prima Editio Lugdunensis desiit excudi die quarta Decembris 1654.

Digitized by Google

PIVS QVARTVS
PONT. CCXXVIII.
ANNO CHRISTI MDLX.



Pius Quartus Mediolanenſis, de familia Medicea, Io. Angelus antea vocatus, Patre Bernardino, Cardinalis Tituli S. Priſcæ, creatus Rom. 7. kalend. Ianu. 1560. coronatus in Feſto Epiphaniæ Domini ſequentis anni, ſedit annos quinque, menſes duos, dies 15. creauit Cardinales 46. Obiit anno Dom. 1565. quinto Idus Decemb. Corpus eius in Baſilica S. Petri ſepultum fuit; Vacauit ſedes dies 26.

I. Iuriſdictio Gubernatoris Almæ Vrbis, procedendi contrà Mercatores cambia ſicca & illicita contrahentes.

Contra eoſdem procedit hodie in omnibus articulis huius bullæ A. Camera, vt habetur in Pauli V. conſt. 28. Eximiæ.

De Gubernatore Vrbis vide addita ad Leonem X. Conſtit. 8. *Etſi.* lib. 1.

Edita An. D. 1560.

PIVS PAPA QVARTVS
Motu proprio, &c.

Cauſa huius conſtitut.

VM ſicut accepimus, non ſine maxima animi noſtri diſplicentia, etiam poſt publicationem cuiuſdam proclamatis, ſiue banni de expreſſo mandato noſtro facti, & commiſſione venerabilis fratris N. Hieronymi Epiſcopi Martoratenſis, tunc Almæ Vrbis noſtræ Gubernatoris, in locis conſuetis publicati, auaritiam omnium malorum peſſimum genus inter dilectos filios Almæ Vrbis noſtræ prædictæ Mercatores adeo ſerpuiſſe, atque in dies ſerpere, vt iam illorum vnicuiq; breui & modico tempore proximi iacturâ diteſcere in pecuniis Curialibus eiuſdem Vrbis, & præcipue Ciſalpinis ad cambium & recambium (vt vulgo dicunt) mutuandis facillimus pateat aditus; Ita vt Dei timore poſtpoſito, animarumq; ſuarum ſalutis, ac Chriſtianæ charitatis & Euangelicæ eruditionis, qua bona nobis à Deo collata indigẽtibus nihil lucri inde ſperãtes charitatiue mutuare monemur, penitus immemores; non ſolum ad pretium eiſdem Mercatoribus, à ſummis Pontificibus noſtris prædeceſſoribus retroactis temporibus toleratum, ſuas pecunias ad cambium, & recambium huiuſmodi Curialibus prædictis dederint, verumetiam in præſentiarum illas ad longe maiorem, & nimis exceſſiuam, penituſq; vſurariam, ac Chriſtianam profitentibus religionem ſacris Canonibus interdictam atque damnatam ſummam dare conantur: vnde euenit vt plurimi dictę Vrbis Curiales hic neceſſitate coacti, eaſdem pecunias ſub tam graui fœnore accipientes, & pro illorũ amicis Mercatoribus prędictis fideiubentes, ac ſe in ampliori forma Cameræ Apoſtolicæ obligantes, tum ob varia itinerum pericula, tum etiam aëris diuerſis in locis intemperiem, pecunias, vt prędmittitur, acceptas, eiſdem Mercatoribus tempore conuento reddere nequeuntes, maxima cum illorum iactura ad eorumdem Mercatorum importunitatem pluries, vt aiunt, recambiare coacti, & nonnulli etiam carceribus inhumaniter cum illorum ingenti tum corporis & bonorũ, tum etiam honoris & famę detrimẽto diuturno tẽpore detenti fuerint.

Facultas Gubernatoris, coërcendi Mercatores Vrbis exercentes, cambia illicita, & infligendi pœnas hic expreſſas, & contentas in conſtitutionibus Marchiæ contra ſuratios.

§. 1. Nos igitur cupientes pro noſtri Paſtoralis officij debito, præmiſſis, quantum cum DEO poſſumus, via celeri remedium aliquod adhibere, eorumdemq; Mercatorum inſatiabilis vſuræ prauitati, eorumq; animarum ſaluti, & mercantilis exercitij fidelitati, Curialiumque prędictorum tam enormibus læſionibus atque incommoditatibus paterno affectu opportune conſulere, Motu ſimili, &c. Dilecto filio

Digitized by Google

dictæ Vrbis nostræ moderno Gubernatori, vt ad Cameræ Apostolicæ Commissarij generalis, necnõ partis læsæ querelam seu instantiam, omnibus, & singulis Mercatoribus Rom. Cur. seq. in posterum à die datæ præsẽtium sub maioris excommunicationis latæ sententiæ, ac duorum millium ducatorum auri in auro eidem Cameræ irremissibiliter applicandorum ipso facto incurrendis pœnis, à dictæ Vrbis Curialibus quibuscumq; ratione quarumcumq; obligationum etiã in ampliori forma Cameræ tam principali, quam accessorio, & fideiussorio respectiuè nominibus factarum, & deinceps quomodolibet fiendarũ, pro pecuniis ad cambium, & recambium huiusmodi sic vsurarie, & malo modo acceptis, & accipiendis, ac in partibus non solutis, aut non soluendis, vltra summam conuenientem quæ Mercatoribus realibus, qui vera cambia realia, & non sic faciunt, de iure, & stylo mercãtili verè deberetur, hic in Curia petere, exigere, aut eosdem Curiales via iuris obligationum etiam in forma dictæ Cameræ celebratarum, & celebrandarum vigore seu prætextu cogere, seu cogi aut excommunicari, &c. vel aliàs quomodolibet in eorum personis, & bonis molestari, seu inquietari facere audeant vel præsumant, districtius sub pœna, quæ in Cõstitutionibus Marchiæ cõtra vsurarios statuitur, & aliis suo arbitrio moderandis pœnis inhibeat. Necnon quascumque obligationes etiam in præfata forma Cameræ occasione quarumcumque partitarum pecuniarum ad cambium, & recambium huiusmodi à prædictis Mercatoribus cum eisdem Curialibus quomodolibet factas, & quas Mercatores ipsi à prædictis Curialibus tamquam principalibus seu fideiussoribus hic in Vrbe post dictum bannum dumtaxat repetierunt, & exegerunt, & recuperarunt, ac pro non solutis exigere, & recuperare intendunt, cum cambia huiusmodi sicca vel non realia à sacris Canonibus prohibita sint, vsurarias, prauas, iniquas, detestabiles, interdictas, & damnatas, ac quascumque obligationes etiam in forma præfata Cam. Apost. post dictum bannum dumtaxat desuper illarum occasione factas, nullas, & inualidas existere auctoritate nostra decernat, & declaret, totamque summam principalem per eosdem Mercatores exactam, & recuperatam, iuxta formam dictorum bannimentorum, ex nunc ipso facto eidem Cameræ Apost. parti vero læsæ id quod vltra prædictam summam principalem in cambiis, & recambiis, &c. à dictis Mercatoribus irremissibiliter exigendam, recuperandam, & restituendam applicet, & eosdem Mercatores iuxta Constitutiones prædictas Marchiæ condemnet.

Et contra eosdẽ summariè, & cas. procedendi.

§. 2. Cum potestate eosdem Mercatores, & eorum quemlibet, omnesque alios, & singulos sua cõmuniter vel diuisim quomodolibet interesse putantes, in dicta Curia, & extra eam citandi, ac quibus, & quotiens inhibendum erit, etiam sub excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, etiam pecuniariis, eiusdem Gubernatoris arbitrio moderandis, & applicandis inhibendi, inobedientesque, & rebelles quoscumque sententias cẽsuras, & pœnas huiusmodi incidisse, & incurrisse declarandi, aggrauandi, reaggrauandi, & interdicendi, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit brachij secularis auxilio. Necnon super præmissis omnibus summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij seu tela iudiciaria, singulis diebus & horis, præterquam in honorem Dei feriatis procedendi, dictósque Mercatores, & eorum quemlibet ad exhibendum quoscumq; libros etiam rationum, via iuris, & sub eisdem censuris, & pœnis compellendi, cæteraque alia faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, & exequendi quæ in præmissis omnibus, & circa ea omnia necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna committimus, & mandamus.

Clausula derogatoria.

§. 3. Præmissis ac quibusuis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis, consuetudinibus, capitulationibus, & pactis, necnon obligationibus etiam in dicta forma Cameræ etiam iuramento, &c. vallatis, ac palatij Curiæ ac Mercatorum, & huiusmodi stylo, necnon partitis, libris, & rationibus ac computis desuper quomodolibet factis, & quibusuis licentiis forsan dictis Mercatoribus per quoscumq; etiam nostros maiores Officiales etiã Vrbis Gubernatores concessas, quas contra expressam mentem nostram factas esse declaramus, cæterisque in contrarium quomodolibet facientibus non obstantibus quibuscumque, Mercatorum, & Curialium huiusmodi nomina, cognomina, & qualit. & pecuniarum, & creditorum quantit. aliorumque hic forsan de necessitate exprimi necessariorum tenores, continentias, formas, & compendia pro plene, & sufficienter expressis habentes.

Sola sign. sufficit.

§. 4. Præsentisque nostri Motus proprij solam signaturã, absque illius registratura sufficere, & vbique fidem facere tam in iudicio, quàm extra, attento quod in Vrbe.

Clausula præseruatiua.

§. 5. At iuxta illius formam, & tenorem per quoscumque Iudices, &c. sublata, &c. iudicari, &c. debere. Nec de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ defectu vllo vnquam tempore notari aut impugnari posse, illiusq; copiæ per vnum ex nostris Cursoribus cum originali auscultatæ, & Mercatoribus aliisq; personis, & Iudicibus præsentatæ, vim validæ, & efficacis inhibitionis habeant, ac si originale hoc præsentatum foret, quacumque regula siue constitutione in contrarium forsan edita nequaquam obstante. Placet Motu proprio I.

Papa subscrip.

Iurisdictio Cardinalis Protectoris, & Iudicis causarum Archihospitalis pauperum infirmorum Incurabilium de Vrbe. II.

Huius Archihospitalis institutionem, & priuilegia, attende supr. in const. 15. Leo X. fol. Saluatoris; *vbi notaui.*

PIVS PAPA QVARTVS. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1560.

Exordium.

AD charitatis, & misericordiæ opera Christi pauperibus in Archihospitali Incurabilium S. Iacobi in Augusta de Vrbe, quæ maxima, & continua sunt; sine detrimento, vel intermissione exercenda, æquum est prouidere; vt illud ac pro ea famulantes, à noxis quantum potest liberentur.

Causa istius constitut.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, Archihospitale ipsum, ob lites, & quæstiones, quibus ad diuersa Vrbis tribunalia, occasione locationum, cẽsuum, donationum, hæreditatum, legatorum, & diuersarum aliarum rerum eiusdem, tam tangendo, quàm defendẽdo, iugiter implicitum existit, quamplurima damna, & incommoda patiatur, & impensæ litis, valores rei de qua ex tẽpore agendi sæpenumero exuperẽt.

Aduocatio causarum coram quocumque Iudice vertentium Archihospitalis S. Iacobi Incurabilium de Vrbe, & eius officiales quomodolibet concernentium, & earum committitur Cardinali pro tempore Protectori qui summariè cognoscat cum facultate.

§. 2. Nos Archihospitale ipsum in quo piissima charitatis, & misericordiæ opera, pauperibus Christi continuo impendi spectantur, ab huiusmodi dispendiis quantum possumus subleuare volentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas causas, interdictum Archihospitale, siue dilectos filios Custodes, Officiales, ac Ministros Societatis eiusdẽ Archihospitalis, & quascumq; alias etiam singulares personas, Vniuersitates, Societates, & loca coram Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, Regente, Præsidente, & Clericis Cameræ Apostolicæ, necnon Vicario, Gubernatore, Senatore Vrbis, illiusque Primo, & Secundo Collateralibus, ac Appellationum causarum Curiæ Capitolij eiusdem Vrbis Capitaneo, & aliis quibuscumque Iudicibus ordinariis, & delegatis, & causarum Palatij Apostolici Auditoribus, ac eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, nunc & pro tempore pendentes, super quibuscumque locationibus, venditionibus, donationibus, legatis, fideicommissis, testamentis, exequutionibus, reuocationibus, bonis, rebus, iuribus, & actionibus, Archihospitale, & Societatẽ, Officiales, litis consortes, & alios prædictos, tam coniunctim, quàm diuisim, ac tam actiuè, quàm passiuè, concernentibus, & ad Archihospitale, & Societatem quomodolibet spectantibus, in quacumque instantia, inter illos, nec non alia æquè, vel magis pia loca, Vniuersitates, & Collegia quomodocumque priuilegiata, seu viduas, pupillos, & alias personas etiam exemptas cuiuscumque qualitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis, & naturæ existant, etiã præmissis expressis maiores, quarum omnium statum, & merita, ac iudicium, & collitigantium nomina, & cognomina, & qualitates, cæteraque etiam de necessitate exprimenda, præsentibus haberi volumus pro expressis, in statu, & terminis, in quibus reperiuntur, dummodo instructæ non sint, harum serie ad nos aduocamus, & dilectum filium nostrum Bartholomæum, tt. S. Crucis in Hierusalem, Presbyterum Cardinalem della Cueua nuncupatum, modernum, & pro tempore existentem Protectorem, eiusdem Archihospitalis Iudicem ordinarium, & perpetuum, ad prædictas,

Digitized by Google

prædictas, necnon quaſcumque alias ſimiles, vel diſſimiles cauſam, & cauſas, ciuiles, criminales, & mixtas, ad Archihoſpitale, & Societatem huiuſmodi pertinentes, tam per eos, quàm contra eos, & inter eos, ac perſonas, Vniuerſitates, collegia, ſeu loca etiam priuilegiata, & exempta, tam actiuè, quàm paſſiuè, pro tempore mouendas, iuxta ordinariam iuriſdictionem, ſeu facultatē, tam Gubernatori, quàm Regenti Cameræ Apoſtolicæ, ſeu Vicario præfatis, & eorum cuilibet attributas, ac prout rerum qualitas exegerit, ſeu poſtulauerit, cum omnibus, & ſingulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, & ſola facti veritate inſpecta, & abſque aliquorum terminorum ſubſtantialium obſeruatione, aut alicuius Regiſtri confectione, per ſe, vel alium, ſeu alios, audiendas, & fine debito terminandas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium per prædicta conſtituimus, & deputamus.

In Curia, & extra citandi, & inhibendi.

§. 3. Et ad hunc effectum illi, etiam per alium, ſeu alios quoſcumq; tam in Romana Curia, quàm extra eam, etiam per edictum publicum, conſtito ſibi prius, etiam ſummariè de non tuto acceſſu, citandi, & monendi, eiſdemq; & prædictis, & quibuſcumque aliis eiuſdem VrbisCuriarum Iudicibus, & perſonis, tam eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, quibus, & quoties opus fuerit, etiam ſub ſententiis, cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis, ac etiam pecuniariis, quibus ſibi, ſiue ab eó pro tempore deputando Auditori videbitur inhiberi, & in euentum non paritionis, contra inobedientes, ac rebelles, ad declarationem incurſus cenſurarum, & pœnarum huiuſmodi, illarumque aggrauationem, & aliàs iuxta ſtilum, & morem dictarum Curiarum in ſimilibus ſeruari ſolita, ac aliàs prout ſibi videbitur proceden. ſententiamque ſiue ſententias debitæ executioni demandandi ſiue demandari faciendi; contradictores quoſlibet, & rebelles, per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias, aliaque iuris, & facti opportuna remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendi, auxiliumque brachij ſæcularis, ad hoc ſi opus fuerit inuocandi, omniaque, & ſingula alia in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi, & exequendi plenam, & liberam licentiam, ſeu facultatem concedimus.

Annullatio proceſſus aliorum Iudicum.

§. 4. Decernentes Archihoſpitale, Societatem, ac eius Officiales, & perſonas huiuſmodi, ex nunc deinceps occaſione præmiſſorum, alibi quam coram Bartholomæo Cardinali, & pro tempore Protectore prædicto conueniri, aut ad alios conueniendum, conſtringi non poſſe. Ac proceſſus, ſententias, & decreta, per alium, ſeu alios, tam ordinarios, quàm delegatos in cauſis prædictis, quomodolibet pro tempore formatos, lata, & facta, cum inde ſequutis quibuſcumque, nulla, irrita, & inania, nulliúſque roboris, vel momenti fore.

Clauſula præſeruatiua.

§. 5. Præſentes quoque literas ſub quibuſuis reuocationibus, ſuſpenſionibus, & exemptionibus, ſimilium vel diſſimilium gratiarum, etiam per nos, aut ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, & Sedem prædictam, vel eius Legatos, & per regulas Cancellariæ Apoſtolicæ, pro tempore factas, etiam in fauorem Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis penitus, & omnino exceptas eſſe, & cenſeri, nec eiſdem præſentibus, per quaſcumque literas, & etiam quaſuis regulas, generales, & ſpeciales, & derogatoriarum derogatorias, efficaciores, & inſolitas, ac etiam irritantia decreta, ſub quacumque verborum expreſſione in ſe continentes, derogari poſſe, & ſi illis vllo vmquam tempore ex aliqua, etiam quantumuis neceſſaria, & vrgenti cauſa derogari contingat, niſi tenor illarum de verbo ad verbum nihil omiſſo inſertus, & huiuſmodi derogatio conſiſtorialiter facta, & per trinas, & diſtinctas literas, eundem tenorem continentes, tribus ſimilibus diſtinctis vicibus, Adminiſtratoribus, ſiue Cuſtodibus, Gubernatoribus, Rectoribus, & Oeconomis Archihoſpitalis, & Societatis huiuſmodi legitimè intimata, & innouata fuerit, eorumque ad id expreſſus accedat aſſenſus, derogationem huiuſmodi nemini ſuffragari.

Decretum irritans.

§. 6. Sicque per quoſcumque Iudices quauis auctoritate fungentes, etiam prædictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate fungente, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clauſula derogatoria.

§. 7. Non obſtantibus præmiſſis, & felicis record. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium, ad iudicium non trahatur, aliiſq; conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon Fabricæ prædictæ, & Hoſpitalium, Eccleſiarum, Monaſteriorū, & aliorum quorumcumque locorum, & Ordinum, etiam exemptorum, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, & indultis, conſeruatoriis, exemptionibus, & literis Apoſtolicis eiſdem, ac dilectis filiis Populo Romano, necnon Iudicibus, Curiis, & Tribunalibus, eorumq; perſonis, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & dictam Sedem, etiam ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac aliàs ſub quibuſcumq; tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis, necnon reformationibus, etiam nouiter facientibus, ac paribus motu, & ſcientia approbatis, etiam diſponentibus, quarum cauſæ huiuſmodi ad forum, ſeu Curiam Capitolij reaſſumi debeant, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, aliàs de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autē per regulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habētes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harū ſerie, ſpecialiter, & expreſsè, ac eiſdem motu, & ſcientia, & poteſtatis plenitudine derogamus, ac ſufficienter derogatum eſſe decernimus, contrariis quibuſcumq; aut ſi prædictis vel quibuſuis aliis, coniunctim vel diuiſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, vel excommunicari, aut extra, vel vltra certa loca, Curias, & Tribunalia, ad iudicium trahi non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem, ac quibuſlibet aliis priuilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, aut totaliter non inſerta, iuriſdictionis ipſius Protectoris explicatio impediri valet quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis.

Fides tranſumptorum.

§. 8. Et quia difficile foret præſentes literas ad ſingula loca, quibus illis pro tempore opus fuerit, deferre, volumus, & prædicta auctoritate decernimus, quod illorū tranſumptis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Protectoris, vel Societatis huiuſmodi, ſeu perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, vel Curiæ etiam ſæcularis munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 22. menſis Ianuarij 1560. Pontificatus noſtri Anno 1. *D. P. Ann 1. die 22. Ian.*

Moderatio conſtitutionis Pauli IV. editæ contra Religioſos apoſtatas, aut malè tranſlatos, vel extra clauſtra vagantes. III.

De Regularibus apoſtatis, & eiectis edidit Sanctiſſ. D.N. Vrbanus VIII. Conſtit. 26. Sacra. infr. tom. 4.

PIVS EPISCOPVS. *Edita An. D. 1560.*

Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SEdis Apoſtolicæ ſolertia dum ad ſalutare quorundam remedium extructa, in eorum detrimentum vergere conſpicit, ne quod illis profuturum maturitate ſumma prodiiſſe comperitur, noxium incauto miniſterio efficiatur, celeris prouiſionis opem afferre conſueuit, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire.

Paulus IV. edidit conſtitutionē de qua hic.

§. 1. Dudum ſiquidem poſtquam fel. rec. Paulus Papa IV. prædeceſſor noſter, &c

Omittitur relatio bullæ Pauli IV. Quoniam eam habemus ſup. fol. Poſtquam *num. 14.*

§. 2. Cum autem, ſicut accepimus, licet ſingulæ literæ prædictæ

Digitized by Google

In executionē alīs dicta cōst. Pauli IV multa lites orta fuerūt, ex cauſis hic expreſſis.

prædictæ à zelo religionis eiuſdē prædeceſſoris emanarint, nihilominus cum poſt illarum publicationem per Ordinarios locorum ad earum executionem procedi cœptū foret, maximi in omnibus Regnis & Prouinciis rumores, lites, & contentiones, ac grauia ſcandala multipliciter exorta fuerint, cum propter maximum ipſorum Apoſtatarum, & trāſlatorum numerum, tum etiam ex quo multi prætenderent vel prætendebatur damnari in dictis literis omnes fere vniformiter, nulla inter cauſam & cauſam, ac lepram & leprā differentia & diſtinctione habita damnabantur, cum tamē plerique eorum præuiis diſpenſationibus, & indultis, ac licentiis ab eorum Superioribus, & à Sede Apoſtolica ex iuſtis & rationabilibus cauſis conceſſis muniti forent, & nihilominus quāplures ex eis zelo conſcientiæ aut pœnitentia ducti, literis prædictis parere, & ad Monaſteria à quibus egreſſi fuerant redire ſeſe paratos exhiberent, ſed ab eorum Superioribus nullatenus reciperentur, ſicq; ob earumdem literarum rigorem magnis confuſionibus inuoluti ac miſeriis & calamitatibus oppreſſi, omnibus remediis deſtituti, ac perpetuis cenſuris innodati, ciboque ſpirituali & tēporali priuati remanerent, ita quod vel fame perire, aut in extremam deſperationem adduci cogerentur, alijq; Chriſti fideles ob magnam dictorum Apoſtatarum multitudinem vix eorum conuerſationem effugere, & exinde excommunicationis incurſum euadere poſſent, & propterea veriſimile ſit, quod ſi bonitati diuinæ eiuſdem prædeceſſoris vitam paulò vlterius prorogare placuiſſet, ipſemet literas ſuas huiuſmodi zelo charitatis, vt par erat, ad iuſtam moderationis formam & æquitatem reduxiſſet.

Ideo hic Pont. abſoluit omnes Apoſtatas, & tranſlatos in ſæculo vagātes, à cenſuris, & pœnis incurſis ob non paritionem dicta conſtit. Pauli IV.

§. 3. Nos igitur pro Paſtoralis officij noſtri debito omnibus ius & iuſtitiam, vt decet, miniſtrare, neminiq; iniuriam inferre, aut quemquam ſuis iuribus, ac legitimis defenſionibus priuare, aut alias indebite moleſtare volentes, ſed ſingulorum Chriſti fidelium animarū ſaluti ante omnia proſpicere cupientes, ſingularum literarum prædeceſſoris huiuſmodi tenorem, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro expreſſis habentes, habita ſuper his cum nonnullis venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus ſuper hoc negotio ſpecialiter deputatis deliberatione matura; Motu ſimili, ac ex certa ſcientia noſtris, & de ſimili poteſtatis plenitudine omnes & ſingulos Apoſtatas ſeu tranſlatos in dictis literis cōprehenſos & adhuc in ſæculo vagantes, cuiuſcūq; Ordinis fuerint, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpēſionis, & interdicti, ac aliis ſententiis, cenſuris, & pœnis, quas ob non paritionē literarum prædictarum, ſeu alias quomodolibet incurrerunt, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe abſoluimus & liberamus.

Et ſuper irregularitate per eoſdem contracta diſpenſat.

§. 4. Necnon ſuper irregularitate per eos contra tenorē dictarum literarum Miſſas celebrando, ſeu alias ſe diuinis immiſcendo forſan contracta, dūmodo in cōtemptum clauiū id non egerint, miſericorditer in Domino diſpēſamus, ac abſolutos & liberatos, ac diſpenſatos fore cenſemus.

Et dicta Pauli IV. conſt. ad formam iuris, & ſacrarum conſtitutionum reducit.

§. 5. Singulaſque literas prædictas, an in eis contenta & inde ſequuta quæcumque, ad formam iuris & ſacrarum conſtitutionum reducimus, & reducta fore; Sicque ab infraſcriptis & quibuſuis aliis iudicibus, ac prædictis Auditoribus & Cardinalibus, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & interpretari debere, ac quidquid ſecus à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Aduocat etiā ad ſe omnes cauſas, contra eoſdē corā quibuſcumque Iudicibus introductas cauſque ſummariè & iuxta diſpoſitionē Iuris, & ſacrarum conſtitutionum cognoſcendas cōmittit Vicario Vrbis, & reſpectiue Ordinariis locorum & Superioribus Monaſteriorū & cæ.

§. 6. Et nihilominus omnes & ſingulas lites & cauſas hactenus coram quibuſuis Ordinariis, vel delegatis Iudicibus etiam in Romana Curia introductas, & in quacunque inſtantia contra dictos Apoſtatas vel tranſlatos, vel alias inter quaſuis perſonas præmiſſorum occaſione pendentes, etiam ſi inſtructæ ſint, ad nos aduocamus, ac cauſas tam ad nos aduocatas in ſtatu & terminis quibus reperiuntur reaſſumēdas, necnon quā & quas quæcumq; perſonæ eccleſiaſticæ & regulares ac etiam ſæculares, necnon Conuentus, Collegia, & Vniuerſitates dicta occaſione ſeu in præmiſſis communiter, vel diuiſim intereſſe putantes, contra dictos Apoſtatas vel tranſlatos, aut alios quoſcumque actiue vel paſſiue ciuiliter, vel criminaliter, ac realiter & perſonaliter vel mixtim habēt & mouēt, aut habere vel mouere volent & intendent, cum omnibus & ſingulis incidentibus, depēden. emergen. annexis & connexis totoq; negotio principali, quoad profeſſos videlicet in Alma Vrbe & eius diſtrictu, & alios in ea præſentes dilecto filio noſtro Iacobo tt. S. Mariæ in Coſmedin Presbytero Cardinali Sabello nuncupato, noſtro in dictis Vrbe, & diſtrictu Vicario generali, ſeu eius locum tenēti, extra Curiam vero Ordinario loci, ac Superiori Monaſterij in quibus prīma & originaria profeſſio per quemlibet ex Apoſtatis & tranſlatis prædictis emiſſa aſſeritur, necnon obtinenti primam dignitatem in Eccleſia Cathedrali, ſeu Metropolit. vel alij Superiori loci huiuſmodi, ſeu antiquiori Canonico pro tempore reſidēti per eos coniunctim, viſis in primis & diligenter inſpectis & examinatis diſpenſationibus, facultatibus, licentiis, & indultis per eoſdem Apoſtatas & tranſlatos quomodolibet obtentis, ac proceſſibus deſuper habitis, & cauſis in eis allegatis mature diſcuſſis, ac prout iuſtum & æquum fuerit, verificatis & probatis, sūmarie ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura iudicij, ac ſola veritate inſpecta, appellatione poſtpoſita audien. cognoſcen. & iuxta iuris & ſacrarum conſtitutionum diſpoſitionē fine debito terminan. committimus & mandamus.

Facultates eiſdem Iudicibus concedit vt sūmarie procedant, &c.

§. 7. Ac eiſdem Iudicibus omnes & ſingulos prædicta occaſione citandos etiam per edictum publicum, conſtito etiam ſummarie & extraiudicialiter de non tuto acceſſu citandi, necnon illis & aliis quibus, vbi quando, & quoties opus fuerit, etiā ſub ſententiis, cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis ac etiam pecuniariis eorū arbitrio imponendis, moderandis, & applicandis etiā per edictum ſimile inhibendi. Necnon quoſcumq; Apoſtatas & tranſlatos huiuſmodi, qui ſine canonica diſpenſatione aut licentia in ſæculo vagari reperti fuerint, ad Monaſteria à quibus exiuerunt, aut alia regularia, vel alia honeſta loca, prout melius pro ipſorum animarum ſalute eis viſum fuerit, ſuper quo ipſorū Iudicū conſcientiā oneramus, reuerti ſeu intrare faciēdi & cōpellendi, ac quęcumq; alia, quæ per eos in præmiſſis ſtatuta & ordinata fuerint, debitæ executioni demādandi, ac quaſcūque executiones per quoſuis Iudices ordinarios, vel delegatos in vim literarum prædeceſſoris huiuſmodi alias cōtra iuris formam factas cauſa cognita retractandis & annullandis, & in priſtinum ſtatum reducendis, contradictores quoſlibet & rebelles per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita compeſcendi, necnon cenſuras & pœnas prædictas incurriſſe declarandi, atque illas legitimis deſuper habendis ſeruatis proceſsibus, etiam iteratis vicibus aggrauandi, interdictum eccleſiaſticum prout iuris fuerit apponendi, & auxilium brachij ſæcularis, ſi opus fuerit, inuocandi, ceteraq; in præmiſsis & circa ea neceſſaria ſeu quomodolibet opportuna faciendi, & exequendi, plenam, & liberam concedimus facultatem.

Clauſula derogatoria.

§. 8. Non obſtantibus præmiſsis literis prædeceſſoris, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon priuilegiis indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumq; tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis quotieſcumque, & per quoſcumque, ac quibuslibet, & ex quibuſuis cauſis, necnon intuitu, conſideratione, contemplatione, & ad inſtantiam quorumuis, aut etiam motu, ſciētia, ac plenitudine ſimilibus, etiam quod nonnulli ex dictis Ordinibus profeſſores ſe de cauſis eis per Sedem ipſam delegatis, niſi ſub certis modo & forma ibidem contentis intromittere minime teneantur, conceſsis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro expreſsis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad præmiſſa dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Apoſtatæ, & tranſlati abſoluti pœnitentiā à Confeſſoribus iniungendam facere debeant.

§. 9. Volumus autem quod ſinguli Apoſtatæ & tranſlati huiuſmodi, vt præfertur abſoluti, pœnitentiam per eorum confeſſorem ſibi pro exceſsibus prædictis iniungendam facere omnino teneantur. Quodque antequam ſententiæ ſeu declaratoriæ per ſupradictos Iudices à nobis deputatos ferēdæ paruerint, à celebratione Miſſarum & quocumque altaris miniſterio omnino abſtineant.

Apoſtatæ, & tranſlati diſſēſiones & indulta Iudicibus præſentare & cauſam expedire debent infra ſex menſes, alias in cēſuras antea incurſas reincidant.

§. 10. Volumus autem quod infra ſex menſes à die publicationis præſentium ipſi Apoſtatæ ſeu translati licentias eorum, ac diſpenſationes, & indulta ſupradictis Iudicibus præſentent, & ſententiam declaratoriam deſuper ab eiſdem promulgari, ac cauſam realiter & cum effectu totaliter expediri faciant, quo termino elapſo, & cauſa, vt præfertur, non expedita, dicti Apoſtatæ & translati in eaſdem cenſuras & pœnas, in quibus ante publicationem præſentium erant, reincidiſſe eo ipſo cenſeantur, niſi per ipſos

Iudices

Digitized by Google

Iudices steterit, aut alio legitimo impedimento per ipsos Iudices arbitrãdo, dicti Apostatę & translati detẽti fuerint.

Exemplorum fides.

§.11. Ceterum quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca in quibus eis vtendum erit deferri, volumus similiter, & prædicta Apostolica auctoritate statuimus atque decernimus, illarum transumptis siue impressis siue manuscriptis, dicti Vicarij sigillo, & illius seu publici Notarij subscriptione munitis, eamdem prorsus fidem vbique locorum in iudicio & extra adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D.P. An. 1 die 3. April. Publicatio.

Dat. Rom. apud S. Petrum, Ann. Incarnat. Domin. 1560. tertio nonas Aprilis, Pontificatus nostri Anno primo.

Anno à Natiuitate Domini 1560. *Indict.* 3. *die vero* 6. *mensis Apr. Pont. Sanctiss. in Christo Patris & D.N.D. Pij papæ IV. Anno I. retroscripta litera Apostolica affixa & publicata fuerunt ad valuas Basilicarum Ecclesiarum S. Ioannis Lateranen. & principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancell. Apostol. dimissis inibi copiis illarum affixis per nos Bernardinum Andreutium, & Triphonem Victorellum Cursores.*

Ioan. Andreas Panizza Magister Cursorum

IV.

Contra detinentes iocalia & alia quæcumque bona ad sedem Apostolicam spectantia, ac scientes & non reuelantes.

De materia posui concord. supra in Pauli Quarti constit. 11. Incumbentia. *fol.* *Et signanter contra non restituentes scripturas, vide inf. Sixt. V. constit.* 56. Non sine. *vbi notabo.*

Edita An. D. 1560.

Proœmium.

PIVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

PAstoralis officij auctoritas nos admonet, & ordo rationis exposcit, vt circa ea potissimum versemur, per quæ res, & bona Rom. Ecclesiæ, præsertim vsui & ornatui Romani Pontificis pro tẽpore existentis, & Sacri Palatij Apostolici deputata ab impiorum insultibus, & rapinis præseruentur, & ab eis ausu sacrilego, aut alias quomodolibet abinde asportata & distracta, nostrę operationis ministerio, cũ animarum salute eorum, qui cæca cupiditate ducti in non paruam Sanctæ Matris Ecclesiæ iniuriam, & ipsorum animarum perniciem, Dei timore postposito, ea surripere, seu sibi appropriare, aut istinc diuertere ausi fuerint, eidẽ Romano Pontifici pro tempore existenti restituantur, & taliter in præmissis prouideatur quod ceteris cedat in exẽplum.

Causa istius constitu.

§.1. Cum itaque, sicut non sine graui animi nostri molestia accepimus, tam tempore infirmitatis diuersorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, ex qua, sicut Domino placuit, ab humanis decesserunt, quam exinde diuersarum Sedium vacantium, quamplura etiã pretiosa iocalia, ornamenta, & alias res & bona vsui præfato, vt præfertur, deputata, & alias ad eumdem Rom. Pontificem pro tempore existentem, & Cameram Apostolicam spectantia & pertinentia, tàm ex dicto Palatio, quàm aliis quibusuis locis ablata & distracta fuerint, & à diuersis eorum proteruia inualescente detineantur, in nostrum & eiusdem Pontificis pro tempore existentis non solum detrimentum, sed etiam Sedis Apostolicæ ignominiam, & ipsius auctoritatis diminutionem, necnon illa detinentium animarum perniciem atque periculum non modicum.

Confirmatio pœnarum impositarum cõtra occupatores bonorum Camerę Apost.

§.2. Nos huiusmodi inconuenientibus & animarum periculis quantum in nobis est obuiare, & aliàs in præmissis, prout par est, prouidere volentes; Motu proprio, & ex certa scientia, omnes & singulas censuras & pœnas ecclesiasticas per quoscumq; Romanos Pontifices prædecessores nostros contra talium perpetratores, ac aliàs bonorũ Apostolicorũ vsurpatores, raptores, receptores, & possessores, ac detinentes & non restituentes, ac scientes, & non reuelantes, sub quibusuis verborũ formis promulgatas, quorum, & literarũ Apostolicarũ desuper confectarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus haberi volumus pro expressis, auctoritate Apostolica tenore præsentiũ approbamus & innouamus, ac ad infrascriptos extẽdimus & ampliamus.

Præceptum restituendi omnia bona dicta Camerę.

§.3. Et nihilominus motu & scientia similibus, omnes & singulas, tàm sæculares, quàm ecclesiasticas, ac etiam militiarum & Ordinũ quorumcumq; religiosas etiam quacumque Episcopali, Archiepiscopali, & Patriarchali seu superiori Ecclesiastica, etiã Cardinalatus honore, ac etiam Comitali, Marchionali, aut Ducali dignitate fungẽtes, ac alias mundanas personas, nullas penitus excipientes, cum dignitas, qualiscumq; sit, in peccatis nemini excusationem præbere debeat, quę iocalia, ornamenta, aurum, argentum, monetatũ & non monetatũ, gemmas, margaritas, lapides pretiosos quocumq; nomine nũcupatos, pecunias, vestes, pannos, & tàm manuscriptos, quàm quoluis alios libros, scripturas, necnon equos, mulos, mulas, imagines aureas, argẽteasque, ac æneas, & marmoreas, ac supellectilia, & alias quascumq; res & bona mobilia & immobilia, spiritualia & profana cuiuscumq; generis, qualitatis, & quantitatis, seu pretij existentia, pro vsu & commoditate Romani Pontificis pro tempore existẽtis, & ornamento Palatij huiusmodi deputata, ac ad eumdem Romanum Pontificem pro tẽpore existentem spectantia & pertinentia, tempore infirmitatis cuiusuis Romani Põtificis prędecessoris nostri, ex qua postmodum decessit, ac etiam dictæ Sedis propterea vacantis, necnon per annum ante obitum & vacationem huiusmodi ex dicto Palatio, & alias vndecumq; & quocumq; asportarunt, subtraxerunt & occultarunt, seu prætenso titulo donationis vel remissionis, quietantiæ, vel alio quouis prætextu detinent, seu sciunt ea per alios possideri, vsurpari & detineri, aut occupata fuisse, & ad eorum manus peruenisse requirimus & monemus, eisq; districtè præcipiendo mandamus, quatenus infra sex dierum spatium, quorum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies pro tertio & peremptorio termino eis & eorũ cuilibet pro canonica monitione assignamus, omnia & singula iocalia ornamẽta, aurum, argẽtum, gemmas, margaritas, lapides pretiosos, pecunias, vestes, pãnos, libros, equos, mulos, mulas, imagines, supellectilia, & alias res, & bona huiusmodi dilecto filio Frãciseo Odescalco dictæ Cameræ Præsidenti cum effectu restituant & consignent, & si donationem vel remissionem, aut quietantiam desuper sibi factam prætendant, illam seu illas videndas, vt decet, & examinandas exhibeant & producant, ac illorum raptores, vsurpatores, seu detentores vel occupatores scientes reuelent.

Pœna non restituentium, scientiúmque & non reuelantium.

§.4. Alioquin lapsis diebus huiusmodi, omnes & singuli præfati Episcopali vel Archiepiscopali, aut Patriarchali, ac etiam Cardinalatus honore seu dignitate prædicti, interdicti ingressus ecclesię pœnam, alij verò excommunicationis & maledictionis æternæ sententiam, quam alias in eos in his scriptis ferimus, & à quibus nisi à nobis, & eodem Romano Pontifice pro tempore existente, ac satisfactione prę-uia, præterquam in mortis articulo constituti, relaxationis & absolutionis beneficium obtinere non possint, eo ipso incurrant, & si Pontificali aut Cardinalatus honore seu dignitate prædicti sub interdicto huiusmodi per octo dies præfatos, sex immediatè sequentes permanere, alij verò inferiores ab eis eamdem excommunicationis sententiã animo, quod absit, indurato sustinere non formidauerint, ex tunc elapsis dictis octo diebus, Pontificali & etiam Cardinalatus honore seu dignitate prædicti à regimine Ecclesiarum eis commissarum, eo ipso suspensi, ac tàm ipsi, si alia beneficia ecclesiastica obtineant, quàm inferiores ab eis, omnibus & singulis monasteriis, prioratibus, dignitatibus, administrationibus, canonicatibus & præbendis, ceterisq; beneficiis ecclesiasticis cum cura & sine cura, sæcularibus ac Ordinum quorumcumque regularibus, quæ in titulum vel commendam seu administrationem, aut alias quomodolibet etiam ex quibusuis concessionibus seu dispensationibus Apostolicis obtinent, ac etiam Officiis Romanæ Curiæ per eos obtentis, Sæculares vero Feudis, Vicariatibus, Dominiis, & aliis iuribus, ac priuilegiis quibuscumque eis per Romanam Ecclesiam aut Sedem præfatam seu alios quoscumque etiam quacumque alia auctoritate etiam Imperiali, vel Regali eis concessis, etiã eo ipso priuati existant; & ad similia beneficia, feuda, priuilegia, vicariatus, dominia, & iura obtinenda, necnon ad quoscumque actus legitimos exercendos inhabiles, ac etiam intestabiles similiter eo ipso fiant; possintque beneficia, officia, ac vicariatus & feuda, aliaque iura huiusmodi tamquã vacantia absq; alia declaratione desuper facienda à nobis & Sede præfata, ac aliis ad quos pertinet illa concedere & dare, liberè impetrari. Sciturі quod si ipsi, aut eorum aliqui suæ salutis immemores in prę missis morosi fuerint, seu prę missa adimplere non curauerint, aut contempserint, hoc eis pro graui cri-

Digitized by Google

mine & delicto imputabitur,& Iuſtitia mediãte contra eos ad grauiores & tales pœnas abſq; vllo reſpectu procedetur, quod illorũ coërcitio eis perpetuo cedat ad noxam, & aliis in exemplum, abſque ſpe alicuius veniæ inde conſequendæ: ſi vero ſe humiles,& ad ſatisfaciendum,aut confitendum promptos exhibuerint,cum omni manſuetudine, & reſpectu excipientur,& ex eorum ſpontanea reſtitutione, ſeu confeſſione eis ſalutaris miſericordiæ, & gratiæ amplexus exuberanti Sedis præfatæ in ſingulos pœnam pietate prouenient. Ac ſingulas donationes eis deſuper factas, prout iuſtitia ſuadebit, & ordo dictauerit rationis, admittemus. Ac vt præfertur,ſcientes,& reuelantes,vltra cœleſte præmium,à nobis condignam mercedem,& retributionem recipient,cum eorum omnium grata ſatisfactione.

Derogatio contrariorum.

§.5. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus,priuilegiis quoque,indultis,& literis Apoſtolicis præfatis,necnon donationibus,conceſſionibus,& aliis diſpoſitionibus de bonis,rebus,& aliis præmiſſis,etiam Cardinalibus,& aliis prædictis,etiam per dictos prædeceſſores,aut eorum aliquos ex quacumq; cauſa factis,& quibuſuis aliis, ſub quibuſcumq; tenoribus,& formis,ac cũ quibuſuis etiã derogatoriarum derogatoriis,aliiſque efficacioribus,& inſolitis clauſulis,irritantibuſque & aliis decretis,etiam motu,& ſcientia paribus conceſſis, confirmatis,& innouatis, quibus, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes,illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter,& expreſsè derogamus,& quoad hoc eis nolumus aliquatenus ſuffragari, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Iuſſio publicandi hãc bullam.

§.6. Volumus autem quod cum primum præſentes literæ, quarum tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis ſicuti ipſis originalibus literis fidem plenam adhiberi debere decernimus, in valuis Baſilicæ principis Apoſtolorum de Vrbe,& Eccleſiæ Lateranen.ac acie Campi Floræ etiam de Vrbe per vnum ex Curſoribus noſtris affixæ fuerint,perinde ſingulos quos concernunt quoad præmiſſa omnia arctent, ac ſi eædem præſentes literæ eis ſingulariter,& perſonaliter inſinuatæ, & intimatæ fuiſſent.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D.P. An. 1. die 3. Aprił.

Dat.Romæ apud S.Petrum,Anno Incarnationis Dominicæ 1560. 3.Non. Aprilis,Pontificatus noſtri Anno 1.

V. Exemptio Monialium, & Sororum cuiuſcumque Ordinis Regularium, à decimis,ſubſidiis, aliiſque oneribus.

Aliam exemptionem pro Monialibus Ordinum Mendicantium habemus infr. in conſt.11. Pij V. Dum ad vberes. *Et ſignanter ab onere hoſpitandi militesattende conſt.148.eiuſdem Pij*, Cum ſicut.

Edita An. D. 1560.

PIVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

DE ſtatu Eccleſiarum,& Monaſteriorum quorumlibet curæ noſtræ diuina diſpoſitione commiſſorum paterna diligentia cogitantes, ad ea per quæ illorum,ac perſonarum præſertim fœminei ſexus in illis ſub regulari caſtimonia Altiſſimo famulantium ſtatui, & opportunæ ſubuentioni valeat ſalubriter prouideri, ipſæque perſonæ ſemotis perturbationibus vniuerſis,in pacis,& quietis amœnitate diuinis officiis liberius vacare valeant, libenter attendimus,ac in iis noſtri Paſtoralis officij partes fauorabiliter impartimur.

Exemptio à ſolutione decimarum, & ſubſidiorũ ac aliorũ onerũ. Hoc idẽ ſpecialiter Monialibus Mendicantibus cõceſſit Pius V. cit. in rubr.

§.1. Hinc eſt, quod nos,Motu proprio,non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam,ſed de noſtra mera liberalitate omnes,& ſingulas Abbatiſſas,Prioriſſas, Miniſtras,Moniales,& Sorores quorumcumque Monaſteriorum,Domorum,& regularium locorum Monialium, & Sororum quorumuis Ciſtercien.Præmonſtraten. S.Claræ, necnon S.Benedicti,& S.Auguſt.ac Tertij Ordinis S.Franciſci,& aliorum quorumuis Ordinum, etiam ſub cura,& regimine, ac ſecundum regularia inſtituta Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum, & Eremitarum eiuſdem S.Auguſtini,degentiũ in Lombardia,& quibuſcumq; aliis Italiæ partibus conſiſtentium,ipſaque Monaſteria,& Domos,& loca(deductis quatuordecim ducatis auri de Camera pro victu cuiuſlibet Monialis ſeu Sororis) alios redditus non habentia,eorumq; poſſeſſiones,& alia quæcumque bona mobilia,& immobilia, à quarumcumque decimarum,& ſubſidiorum,ac aliorum onerum quomodolibet nuncupatorum, per Nos,& Sedem Apoſtolicam ſeu eius Legatos,& Nuncios, aut quoſcumque alios quauis auctoritate fungentes,etiam pro expeditione contra Turcas,vel fidei tuitione, ac Fabrica Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, aut quauis alia vrgentiſſima cauſa pro tempore impoſitorum ſolutione, ex certa noſtra ſcientia,auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium in perpetuum prorſus eximimus, & liberamus.

Prohibitio Cõmiſſarijs, & aliis exactoribus.

§.2. Et nihilominus omnibus,& ſingulis Collectoribus, Subcollectoribus,ac Commiſſariis,necnon quibuſcumque aliis,ad decimarum,& ſubſidiorum huiuſmodi exactionem deputatis, & pro tempore deputandis, in virtute ſanctæ obedientiæ,& ſub noſtræ indignationis,ac excommunicationis latæ ſententiæ pœna diſtrictius inhibemus, ne Abbatiſſas,Prioriſſas,Miniſtras,Moniales,& Sorores,Domos, & Monaſteria,& loca prædicta,etiam vigore quarumcumque literarum à nobis,vel Sede prædicta pro tempore emanatarum,etiamſi in eiſdem contineatur, quod ad quæuis exempta,& non exempta,Domos,Monaſteria,& loca ſe extendant,vel alterius cuiuſcumque tenoris exiſtant, ipſius Sedis ſibi conceſſæ facultatis, niſi de præſentibus earumque toto tenore, ac de dictis Ordinibus,& nomine eorum quibus dictorum Ordinum cura,gubernatio, & protectio pro tempore commiſſa fuerint,plenam,& expreſſam,ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes,fecerint mentionem, ad ſoluendum decimas ſeu ſubſidia,aut onera huiuſmodi quouis modo cogere,aut compellere, ſeu alias præmiſſorum occaſione eas moleſtare, ſeu inquietare præſumant.

Executorum iſtius conſtitut. deputatio, & facultates.

§.3. Quocirca dilectis filiis cameræ Apoſtolicæ Locumtenenti,ac Almæ Vrbis noſtræ Vicario in ſpiritualibus generali,necnon vniuerſis, & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis,& Epiſcopis, & etiam dilectis filiis eorum in ſpiritualibus Vicariis generalibus,cæteriſque Eccleſiarum Prælatis per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium,ſeu alios eiſdem Abbatiſſis,Prioriſſis,Miniſtris, Monialibus,& Sororibus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque inuiolabiliter obſeruari faciant.Non permittentes eas, ac Domos,Monaſteria, & loca huiuſmodi per Collectores,aut Subcollectores, & Cõmiſſarios præfatos, ſeu quoſcumque alios contra earumdem præſentium tenorem quomodolibet moleſtari, contradictores quoſlibet,& rebelles per cẽſuras,& pœnas ecclеſiaſticas,ac alia opportuna iuris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, cẽſuras,& pœnas ipſas,etiã iteratis vicibus aggrauãdo,inuocato etiã ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Clauſula derogatoria.

§.4. Non obſtantibus præmiſſis,ac fel. rec.Bonifacij PP. VIII.prædeceſſoris noſtri de vna,& in Concilio generali, de duabus dietis edita, dummodo non vltra tres dietas vigore præſentium ad iudicium non trahatur, & aliis conſtitutionibus,priuilegiis quoque,indultis, & literis Apoſtolicis,etiam in forma Breuis,aut aliis quibuſcumque per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam nos & Sedem prædictam,cum quibuſuis irritatiuis,annullatiuis,reuocatiuis,exceptiuis,reſtitutiuis,declaratiuis,aut derogatoriarum derogatoriis,aliiſque efficacioribus,& inſolitis clauſulis, etiam pluries, ac alias quomodolibet conceſſis,confirmatis,& innouatis. Quibus omnibus,etiam ſi talia forent, quod pro eorum derogatione,de illis,eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica,& indiuidua, ac de verbo ad verbum,non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes,illis aliàs in ſuo robore permanſuris,hac vice dumtaxat ſpecialiter,& expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Trãſumptis fides danda.

§.5. Volumus autem quod earumdem præſentium tranſumptis ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, & manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis

Digitized by Google

scriptis eadem prorsus fides in iudicio,& extra adhibeatur, quę originalibus adhiberetur,si forēt exhibitę vel ostensæ.

Nulli ergo,&c. Si quis,&c.

D.P.An.1.die 5.April. Dat.Romæ apud S.Petrum,Anno Incarnationis Dominicę 1560.nonis Aprilis,Pontificatus nostri Anno primo.

VI. Approbatio Confraternitatis sub Inuocatione SS. TRINITATIS nupeṫ in Vrbe institutæ, ad hospitandum Peregrinos ad Vrbem deuotionis causa accedentes, ac reficiendum pauperes Conualescentes ex aliis hospitalibus dimissos;Et tam illos, quàm iitos salubriter in mandatis Domini eruditendos.

*Ista Confraternitas in Archiconfraternitatem cum facultate alias Confraternitates aggregandi, suasque gratias communicandi,ab istomet Pontifice erecta fuit, & pluribus Indulgentiis à Gregorio XIII.& aliis Summis Pontificibus decorata: Sed eorum bullas prætermisi, quoniam circa modum aggregandi nouam formam tradidit Clem.VIII.in constit.*115.Quęcumque.*lib.*3.*Et circa Indulgentias nouam itidem dispositionem edixit Paulus V. adhuc non editam, licet firmatam die 2.Octobris* 1606. *vbi aliquid habetur etiam de instituto huius Archiconfraternitatis, circa prædicationem quæ in eius Oratorio Iudæis qualibet hebdomada fieri consueuit.*

Causas autem eiusdem Archiconfraternitatis cognoscit S.R.E.Cardin.eius Protector,ex const. 123.Pij V. *Cum sunt.* hic infra.

Edita An.D. 1560.

PIVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Extrdium. ILlius qui pro dominici saluatione gregis, in ara crucis, in pretium immolari non abnuit, quique inter alia sibi beneplacita, opera charitatis exerceri præcepit, vices licet immeriti gerentes in terris, curis angimur assiduis,& continua meditatione pulsamur,circa quæcumque pia opera,ex Christi fidelium deuotione ordinata, vt firma perpetuò subsistant, omni studio intendere, & vt ad præmissa Christi fidelium vota facilius concurrant, fideles ipsos quibusdam spiritualibus& allectiuis muneribus libenter prosequimur, ac eorum pia suffragia donis cælestibus confouemus, vt exinde reddantur diuinæ gratiæ aptiores, & charitatis deuotio in dies peramplius augeatur in eis.

Confraternitas Trinitatis nuper in Vrbe instituta fuit, ad subsidiū pauperum Peregrinorum, & Conualescentium. §.1. Cum itaque sicut pro parte dilectorum filiorum modernorum Cōfratrum Confraternitatis Sanctissimæ TRINITATIS in Alma Vrbe,de consensu bonæ memorię Philippi Archinthi Episcopi Salutiarum, in dicta Vrbe & illius districtu Sedis Apostolicæ dum viueret Vicarij generalis,alias in pauperum Peregrinorum,& Conualescentium personarum subsidium institutæ & erectæ,nobis nuper exhibita petitio continebat, ipsi relictis peccatorum sordibus, ad diuinorum præceptorum quantum humana patitur fragilitas obseruationem reducti,irámque diuinam pœnitentia & orationibus præcipue placari considerantes, vltima cuiuslibet mensis Dominica in vnum congregati,peccata sua confessi,sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum deuote recipiant, factáque deinde processione, orationem in deputato Oratorio inchoantes,& inter cetera,pro reipublicæ Christianæ conseruatione & augmento, ac inter Principes Christianos vniuersali pace, ac pro tēpore Romani Pontificis & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, illiusque Prælatorum prospero statu,deuote orantes, orationem ipsam partitis inter se horis triduo reddant continuam,& in ipsius Confraternitatis Hospitali,quod multis annis in domo conductitia tenuerunt, & nunc in propria ad id Dei liberalitate & benignitate per eos empta tenent, quoscumque Peregrinos ex quibusuis Mundi partibus ad vrbem & Hospitale huiusmodi deuotionis causa confluentes recipiant,& tribus ac quandoque pluribus diebus hospitentur & nutriant;ac alias charitatiue tractent.Pauperes quoque Conualescentes,qui dum ab infirmitate liberi quidem,sed debiles ex aliis Hospitalibus exeuntes, quo se recipiant & reficiant non habent,in eodem suo Hospitali similiter recipiant,ac eos non solum corporaliter donec robustiores euadant, pie alant;verumetiam rudes & ignaros interim dum ibidem morantur in mandatis Domini erudiant, cunctaque hæc opera ex bonis sibi à Deo collatis, aliorúmq; Christi fidelium eleemosynis,cum ipsa Confraternitas proprios redditus vltra quindecim ducatos non habeat,hactenus exercuerint & exerceant,exercereq; perpetuo intendant,pro parte eorumdem Confratrum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus vt ipsi & alij Christi fideles sui interioris hominis reformationi intendere, & in piis & charitatiuis operibus præfatis, sine quibus cæleste regnum acquiri non potest, perseuerare studeant,& ceteri ad ingrediendum dictam Confraternitatem alliciantur eo libentius & promptius, quo spiritualibus donis se refici, animarumque suarum salutem facilius adipisci cognouerint,eorum animarum saluti pauperumque ac dictæ Confraternitatis successui consulere, ac ipsius Confraternitatis erectionem huiusmodi, illiusque statuta,& ordinationes approbare & confirmare, ac aliàs in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Et modo à Pontifice cum suis ordinationibus confirmatur. §.2. Nos igitur qui diuini cultus augmentum,& animarum salutem, & Hospitalium quorumlibet salubrem directionem,& in eis degentium pauperum subuentionem nostris potissimum temporibus vbique vigere, & augeri sinceris desideramus affectibus,quique dictorum Confratrum tam salubria vota & pia opera, plurimum in Domino collaudamus,ipsos & eorum singulos, à quibusuis excommunicationis,suspensionis & interdicti,aliisque ecclesiasticis sententiis,censuris & pœnis,à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt,ad effectum præsentium dumtaxat consequendū, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ipsius Confraternitatis erectionem,& institutionem, necnon ordinationes & statuta pro salubri eiusdem Confraternitatis directione, nunc & pro tempore edita, sacris canonibus non contraria,ac inde pro tempore secuta quæcumque, licita tamen & honesta, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium approbamus,& confirmamus,ac rata & grata habemus, illisque perpetuæ firmitatis robur adiicimus.

Indulgentiaq; conceditur visitantibus eius Hospitale, & Eccl. in festos Trinitatis, & sācti Benedicti & eleemosynas largientibus. Scias omnes indulgentias pro quibus porrigē. da sūt manus adiutrices, reuocatas esse à Pio V. in constitut. 30. §.3.Et insuper vniuersis,& singulis Confratribus Confraternitatis huiusmodi,nunc,& pro tempore existentibus aliisque Christi fidelibus vtriusque sexus, etiam de dicta Confraternitate non existentibus, qui Hospitale præfatū, seu illius pro tempore Ecclesiam vel Capellam, in eiusdem Sanctissimæ Trinitatis,& Sancti Benedicti,cuiuslibet anni festiuitatibus deuote visitauerint annuatim, & ibidem ter Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicā deuote recitauerint, & de bonis sibi à Deo collatis pró eorumdem Conualescentium & peregrinorum manutentione,eorum arbitrio aliquam eleemosynam porrexerint, plenariam omnium peccatorum remissionem & indulgentiam misericorditer in Domino auctoritate & tenore prædictis,ex certa scientia,ac de Apost.potest. plenitudine concedimus,& elargimur.

Orantibus etiā tēpore orationis indicendæ à Confraternitate. §.4. Illis vero qui vltima cuiuslibet mensis Dominica, vel illam immediate sequenti,Lunæ siue Martis, aut aliis diebus, Orationi per dictos Confratres pro tempore fiendæ & continuandæ interuenerint, & illam per vnam horam, vel si vires ad id non supperant, breuiori tempore continuauerint pro reipublicæ Christianæ conseruatione & augmento,ac Principum Christianorum mutua & vniuersali pace, necnon nostro & pro tempore existentis Romani Pontificis,ac Rom.Ecclesiæ huiusmodi, & illius Pastorum, felici & prospero statu, pias ad Christum Iesum preces effundendo, quoties id fecerint.

Confratribus quoque. §.5. Necnon qui de gremio dictæ Confraternitatis esse pro tempore desiderauerint, in ipsa eorum in Confratres receptione & descriptione, dummodo omnes & singuli Christi fideles præfatis tēporibus & diebus ipsis,pœnitentes & confessi sint,& sacratissimum D.N.Iesu Christi corpus receperint,centū annos,& totidem quadragenas de iniūctis eis pœnitētiis etiā misericorditer in Dño relaxamus.

Tuvide quo ad indulgentias id quod notaui in rubric.

Facultas eligendi confessorem. §.6.Præterea eisdem ac omnibus, & singulis aliis præfatis,& eorum cuilibet, vt facilius & commodius ad præmissa se disponere possint,Quod temporibus &diebus præfatis,pręterquā tempore Paschatis Resurrectionis eiusdem

Digitized by Google

D. N. Ieſu Chriſti, quemcumque ſæcularem, vel cuiuſ-
Hoc imitauit Clem. VIII. in conſtit. 115. uis etiam Mendicantium Ordinis regularem preſbyte-
rum, in ſuum poſſint eligere Confeſſorem, qui eos & eo-
rum quemlibet ab omnibus & ſingulis eorum peccatis,
criminibus, exceſſibus & delictis quantumcumque graui-
bus & enormibus, etiam Sedi præfatæ reſeruatis (nullis
prorſus præterquam in Bulla in die Cœnæ Domini. legi
ſolita contētis exceptis) abſoluere, & pro commiſſis pœni-
tentiam ſalutarem iniungere poſſit & valeat, licentiam &
facultatem impartimur.

Eleemoſynam præſtantibus indulgentia datur. Tu vide mox citatam reuocationē Pij V.

§. 7. Et demum aliis quibuſuis perſonis vtriuſque ſexus
Chriſti fidelibus vbilibet conſtitutis, quę eidem Hoſpitali,
pro eius ac Conualeſcentium & Peregrinorum præfato-
rum manutentione & ſuſtentatione aliquam eleemoſy-
nam eorum arbitrio quomodolibet porrexerint, vel vnde-
cumque tranſmiſerint, etiam quoties id fecerint, trecentos
annos & totidem quadragenas de iniunctis eis pœniten-
tiis ſimiliter in Domino relaxamus.

Clauſula huius conſtitutionis præſeruatiua.

§. 8. Præſentibus, quas ſub quibuſuis ſimilium vel diſſi-
milium indulgentiarum, gratiarum & facultatum reuoca-
tionibus, ſuſpenſionibus, limitationibus aut derogationi-
bus, etiam intuitu fabricæ Principis Apoſtolorum de dicta
Vrbe, aut Cruciatæ ſanctæ, & ex quibuſuis, quantumcum-
que vrgentiſſimis cauſis, per nos & Sedem prædictam aut
alios quoſcumque, etiam Motu proprio, & alias quomo-
dolibet pro tempore factis, nullatenus comprehenſas, ſed
ſemper ab illis exceptas, & quotiens illæ emanabunt, to-
tiens in priſtinum ſtatum reſtitutas eſſe & cenſeri debere
decernimus, perpetuis futuris temporibus duraturis.

Fides danda tranſumptis.

§. 9. Volumus autem quod præſentiū tranſumptis manu
Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo pro tempore exiſtētis
Protectoris dictæ Confraternitatis munitis, plenaria fides
in iudicio & extra illud vbiq; locorū adhibeatur, provt ori-
ginalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtēſæ.

Sanctio pœnalis.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pagi-
nam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis,
adiectionis, conceſſionis, elargitionis, relaxationum, im-
partitionis, decreti & voluntatis infringere, vel ei auſu te-
merario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſe-
rit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri,
& Pauli Apoſt. eius, ſe nouerit incurſurum.

D. P. An. 1. die 29 April.

Dat. Romæ apud S. Petrū, Anno Incarnationis Dominicæ 1560. Tertio Kal. Maij, Pontificatus noſtri Anno primo.

VII.

Facultas Prælatorum Congregationis Monacorum B. MARIÆ Montis Oliueti, Ordinis S. Benedicti, circa abſolutionem & diſpenſationem Monacorum, ab irregularitate, quibuſcumque caſibus, quatuor exceptis, incurſa.

Ad hoc vide moderationem Clem. VIII. infr. in eius conſt. 115. Quæcumq; *Cetera vero quæ iſtam Congregationem concernunt, indicaui ſup. Clem. VI. conſtit. 1.* Solicitudinis. *fol. lib. 1.*

Edita An. D. 1560.

PIVS PAPA QVARTVS

Dilectis filijs Generali & aliis Abbatibus & Viſitatoribus Congregationis Montis Oliueti, Ordinis S. Benedicti.

Exordium.

VOtis veſtris, per quæ veſtrarum & Monacorum veſtrorum animarum ſalus prouenire dignoſcitur, inducimur, vt illis, quantum cum DEO poſſumus, beneuolum fauorem impartiamur.

Facultas abſoluendi & diſpenſandi, de qua in rubr.

§. 1. Hinc eſt, quod Nos volentes vos, qui, vt aſſeritis, ex
Alios caſus pure reſeruatos fuiſſe à Clem. VIII. vt inf. in eius bulla 115 Quæcumque. iuſtis & rationabilibus cauſis, ad inſtar Sancti Auguſtini,
& Minorum S. Franciſci, ſeu aliorum Ordinum & Con-
gregationum, quoſcumque Monacos à quacumque irregu-
laritate, (præterquam ratione homicidij voluntarij, biga-
miæ, & mutilationis membrorum) abſoluere, & cum illis,
vt illa non obſtante, ad omnes etiam ſacros & presbytera-
tus ordines promoueri poſſint, diſpenſare deſideratis, ſpe-
cialibus fauoribus & gratiis proſequi volentes, veſtris in
hac parte ſupplicationibus inclinati, Vobis & cuilibet ve-
ſtrum, vt in foro conſcientiæ tantum, omnes & ſingulos
Congregationis veſtræ Monacos, etiam ante legitimā ætā-
tem, ad aliquem ex ſacris ordinibus promotos, à quacumq;
irregularitate per eos quomodolibet pro tempore, (præter-
quam ratione homicidij voluntarij, bigamiæ, aut mutila-
tionis membrorum) contracta, abſoluere, & cum eis, vt illa
non obſtante, ad omnes etiam ſacros & presbyteratus or-
dines, alias tamen rite promoueri, & poſtquam in illis pro-
moti fuerint, etiam in altaris miniſterio miniſtrare, ac miſ-
ſas & alia diuina officia celebrare, ac quaſcumque adminiſ-
trationes & officia ipſius veſtræ Congregationis recipere
& retinere, illaq; gerere & exercere libere & licite valeāt,
diſpenſare, eoſq; in priſtinum, & eum in quo ante præmiſſa
quomodolibet erant aut exiſtere poterant, ſtatum reſtitue-
re, reponere, & plenarie reintegrare libere & licite valea-
tis. Quodq; Confeſſor, quem quilibet veſtrum pro tempore
duxerit eligendum, vos & veſtrū quemlibet ſi forſan quod
abſit, aliquam irregularitatem quomodolibet pro tempore
incurreretis, abſoluere, & in ſtatum priſtinum reſtituere,
ac vt adminiſtrationes & officia prædicta, vt præfertur, re-
cipere & retinere, etiam licite & libere valeat, auctoritate
Apoſtolica tenore præſentium concedimus & indulgemus.

Derog. quorumcunque in contrarium.

§. 2. Non obſtantibus præmiſſis, & Apoſtolicis, ac Pro-
uincialibus & Synodalibus conſtitutionibus & ordinatio-
nibus, ac veſtri Ordinis & Congregationis, etiam iuramē-
to, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia ro-
boratis, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, in-
dultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet
conceſſis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innouatis.
Quibus omnibus & ſingulis, etiam ſi de illis, eorumq; totis
tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de
verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem
importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda fo-
ret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſere-
rentur, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſsis ha-
bentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dum-
taxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque con-
trariis quibuſcumque.

D. P. An. 1. die 24. Maij.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris,
die 24. Maij milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, Ponti-
fic. noſtri Anno 1.

VIII.

Spolia perſonarum eccleſiaſticarum, de eorum bonis, etiam ad fauorem locorum piorum, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia diſponentium, ſpectant ad Reuer. Cameram Apoſtolicam.

Hoc idem ſtatuit Paul. III. vt ſupra in eius conſt. 29. Romani. fol. lib. 1.

Hæc tamen licentia non ſuffragatur Curatis extra reſiden-
tiam decedentibus, vt infra in conſtit. 91. *In ſuprema* Sed curiales habent priuilegium circa ſpolia, vt infra in Pauli V. conſt. 18. *In eminenti*, vbi plene notabo.

Edita An. D. 1560.

PIVS PAPA QVARTVS

Dilecto filio Franciſco Odeſcalco Cam. noſtro Apoſt. Præſidenti, ac ſpoliorum quorumcumque in vniuerſa Italia Collectori noſtro generali. Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Exordium.

GRaue nobis & moleſtum accidere ſolet, cum de per-
ſonarum eccleſiaſticarum actionibus, quæ integrita-
tis exemplo ceteris præſtare debent, ea nobis deferuntur,
quæ & eorum famæ ſinceritatem denigrare, & Cameræ no-
ſtræ Apoſtoliçæ incommodum ac detrimentum afferre vi-
dentur, vnde nos vt malitioſorum prauis intentionibus
occurrere valeamus, debita poſtmodum remedia in mediū
afferre, & pernicioſis fraudibus, prout ex vniuerſalis noſtræ
Curiæ ſolicitudine tenemur, obuiare cogimur.

Cauſa conſtitutionis.

§. 1. Cum itaque (ſicut ex proborum, & fide dignorum
hominum relatione nuper accepimus) quamplures prælati,
presbyteri, & aliæ eccleſiaſticæ perſonæ diuerſarum pro-
uinciarum, locorum, & dominiorum, & præſertim Regni
Neapolis, nulla à nobis ſeu Sede Apoſtolica facultate te-
ſtandi ſuffulti vel muniti, ſed temeritate propria, & forſan
ad ſuorum importunam ſuggeſtionem impulſi, in eorum
vltimis voluntatibus teſtamenta ſua condendo, ac donatio-
nes ſeu legata, aut codicillos faciendo, de bonis ſuis diuer-
ſimode, licet id facere nullo modo poſſint, neque debeant,
diſponere audeant, ipſaque bona ſub diuerſis confictis pre-
textibus, & coloribus, hoſpitalibus ac piis locis, & forſan
cum promiſsionibus clandeſtinis, quod eorum conſangui-
neis vel affinibus, aut aliis perſonis ab eiſdem teſtatoribus
nominatis poſt illorum obitum ab ipſis hoſpitalibus, & lo-
cis, de certa ſeu quota portione bonorum huiuſmodi ſub-
ueniatur,

Digitized by Google

ueniatur,testari, relinquere, legare,codicillari non erubescant, in dictæ cameræ graue damnum, & præiudicium maximum;dictæ Cameræ indemnitati opportunè consulere,& inconuenientibus huiusmodi pro officij nostri debito congruum remedium adhibere volentes;

Prohibitio disponendi in vltimis voluntatibus de rebus ecclesiasticis, absque licentia Sedis Apost.

§. 2. Motu proprio & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra,non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, auctoritate Apostolica, tenore præsentium decernimus, & declaramus,omnia,& singula testamenta, donationes, in illis vel mortis causa factas,codicillos,legata, & quæcumque alia in vltimis voluntatibus per quoscunq;ecclesiarum prælatos;etiã si Patriarchali,Archiepiscopali,vel Episcopali præfulgeãt dignitate, ac quorumuis monasteriorum cuiuscunque Ordinis,Abbates,seu Cõmendatarios, ac presbyteros,& alias quaslibet ecclesiasticas personas prædictas,& quascunque alias,quæ ex bonis, & redditib. ecclesiasticis,& beneficiorum fructus percipiunt, absque nostra seu eiusdem Sedis speciali licentia & facultate quomodolibet quæ in futurũ ab illis quocunque prætextu, aut quæsito colore, etiam in fauorem hospitalium & aliorum piorum locorum huiusmodi de dictis redditibus fieri, condi, & testari,seu relinqui, aut quouis vltimæ voluntatis titulo disponi contigerit,nulla,irrita,inania,inualida, ac nullius prorsus roboris vel momenti fore & esse,ac nemini,neque etiam hospitalibus,& piis locis præfatis,cum ad Cameram ipsam solum fraudandum prout ex multis fraudibus desuper commissis & repertis nobis constitit, præmissa fieri clare appareat, vllatenus deinceps suffragari neque subsistere, aut testamentis suis huiusmodi quemquam iuuare, aut tueri, nec effectum aliquem vlla ratione habere vel sortiri.

Iussio illa vsi spolia exigendi per Cameram.

§.3. Quinimmo te,de cuius probitate & fide specialem in Domino fiduciam obtinemus,bona quæcunque posthac in dictis testamentis relicta,tamquam spolia ad nos & eãdem Cameram spectantia & deuoluta, per te vel subcollectores tuos deputatos iam, vel deputandos libere exigere & recuperare,illorumque possessionem absque vitio spolij apprehendere,ingredi ac retinere posse,& debere.

Annullatio dispositionum de cetero faciendarum de dictis bonis.

§. 4. Necnon pro tollendis omnino fraudibus prædictis quæcunq;testamenta,donationes,codicillos,legata,& alias quascunq;vltimas voluntates,vt præfertur,in posterum faciendas,& facienda, atque in eis contenta, & inde secuta quæcunque etiam quoad subsecutas dictorum bonorum possessiones, & illorum apprehensiones huiusmodi, motu scientia,& deliberatione prædictis,ex nunc, prout ex tunc reuocamus,irritamus,cassamus,& annullamus, ac viribus prorsus euacuamus,pro reuocatisque, irritis, cassatis, annullatis,& penitus viribus omnibus euacuatis vbicunque, tam in iudicio,quam extra,ab omnibus haberi debere volumus,decernimus,atque mandamus.

Decretum irritans.

§.5. Sicque per quoscumq; etiam S.R.E. Camerarium, & alios Cardinales, ac Clericos, & præsidentes eiusdem Cameræ,ceterosque iudices,& commissarios, ac alios tam ecclesiasticos,quam seculares,quauis dignitate, & auctoritate,etiam marchionali, ducali, & regali fulgentes, in quibusuis causis,& instantiis,sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi,& interpretandi,ac decidendi facultate, & auctoritate iudicari,interpretari,atque decidi debere,irritum quoque,& inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§.6. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus,& ordinationibus Apostolicis,necnon prouinciarum, locorũ, dominiorum Regni Neapolis,& quorumcumque aliorum Regnorum,ac hospitalium, & præsertim paupeꝝm incurabilium, & aliorum piorum locorum cuiusuis ciuitatis, etiam Neapolis, iuramento,confirmatione Apostolica,vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; priuilegiis quoque, & indultis, ac literis Apostolicis, illis & quibuscumque aliis personis, & locis etiam actu hospitalitatem exercentibus,sub quibuscumque tenoribus & formis,ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis,aliisq;efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam Motu proprio, & ex certa scientia per Romanos Pontifices prædecessores nostros,ac Sedem Apostolicam, aut alias etiam per nos quomodolibet concessis,confirmatis,& innouatis,etiam si in illis expresse caueatur,quod testamenta clericorum,presbyterorũ, vel etiam prælatorum facultatem testandi à dicta Sede minime habentium,in fauorem hospitaliũ, aut aliorum piorum locorum huiusmodi quomodolibet facta valeant,plenamque roboris firmitatem obtineant, & executioni demandari debeant. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis,specifica, expressa, & indiuidua,ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes,mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret,tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis, & totaliter insertis habentes,illis alias in suo robore permansuris,hac vice duntaxat harum serie specialiter & expresse derogamus,illaq;aduersus præmissa nullatenus suffragari posse vel debere decernimus, ceteriscque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris,die 26. Maij millesimo quingentesimo, sexagesimo, Pontificatus nostri Anno primo. *D.P. An.1.die 26.Maij.*

IX.

Confirmatio quamplurium gratiarum & immunitatum, exemptionúmque & priuilegiorum Fratrum Militum Conuentus, & Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, eiusque Magni Magistri,Priorum,& aliarum personarũ,à Pontif.prædecessoribus concessorum, cum eorundem extensione, & aliorum concessione.

*Hæc priuilegia à successoribus Pont. fere in omnibus confirmata, & in nonnullis extensa, & respectiue modificata fuerunt, vthic in apostillis indicaui. Cetera autem de hoc Ordine & Militia notaui sup.in const.*2.Anast.IV.*fol.*60. Christianæ.

PIVS EPISCOPVS, *Edita An. D. 1560.*

Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CIrcumspecta Romani Pontificis prouidentia prædecessorum suorũ gestis, quæ suadentibus honestis causis pro personarum Ecclesiasticarum præsertim regularium pro fidei catholicæ aduersus Christi Crucis inimicos, defensione & conseruatione iugiter laborantium,commodo & vtilitate prouide emanauerunt,vt eo firmius perdurent, quo sæpius fuerint Apostolicæ Sedis præsidio roborata, libenter suæ approbationis robur adiicit,ea de nouo concedit,aliasque desuper disponit, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Mart.V.cognitionem causarum subditorũ Hospitalis dedit M. Magistro, & Conuentui.

§. 1. Dudum siquidem postquam fel. rec. Martinus *V.* ex certa scientia per suas statuerat, & ordinauerat, quod quælibet querelæ,quæstiones,lites, causæ & controuersiæ quas ex tunc inter fratres & subditos hospitalis S.Ioannis Hierosolymitani tunc præsentes & futuros, ex quibusuis occasionibus oriri, & moueri contingeret quouis modo, cum omnibus suis incidentibus, emergentibus,annexis & connexis, ac omni cuiusuis appellationis (præterquam in defectus,aut denegatæ iustitiæ, vel illati perperam contra stabilimenta, & cõsuetudines dicti hospitalis grauaminis, casibus) remoto obstaculo per pro tempore existentem Magistrum,& dilectos filios,Conuentum dicti Hospitalis,seu illos ex illis fratribus, quibus ipsi Magister & Conuentus eas committerent,etiam vsque ad tertiam definitiuam sententiam inclusiue audirentur, necnon iuxta laudabiles cõsuetudines & stabilimenta Hospitalis huiusmodi,& prout alias iuris foret debito fine diciderentur,omnesque,& singuli Priores, præceptores, baiuliui, castellani, & fratres Hospitalis prædicti, postquam de mandato seu auctoritate Magistri & Conuentus præfatorum in quibusuis ex prædictis contra eos intentandis causis, ad comparendum coram ipsis & commissariis per eos,vt præfertur,pro tempore deputatis,in locis quantumcumque ab eodem Hospitali remotis citati forent,coram eisdem Magistro,Conuentu, & Commissariis prout contingeret, legitime comparere deberent,& tenerentur, iuri, & iustitiæ secundum stabilimẽta,approbationes, vsus & laudabiles cõsuetudines præfati Hospitalis parituri. Quodque illi ex prioribus,præceptoribus,castellano,empostа,baiuliuis, fratribus & subditis præfatis, qui contra eorum aliquem super quibusuis querelis,rebus,vel negotiis,præterquam in casibus præfatis, coram alio quam præfatis Magistro & Conuentu, ac

per

Digitized by Google

per eos pro tempore datis Commiſſariis in cauſam traheret,& ad alium quàm eoſdem, appellationes quaſcumque interponerent, cauſas huiuſmodi prorſus perderent,& excommunicationis ſententiam incurrerent,neque ſuper qua contenderent priuati exiſterent eo ipſo.

Sixt.IV. quaſcumque prouiſiones beneficiorum ad ſolum M.Magiſtrum ſpectare voluit.

§.2. Et Sixtus IV.inter alia,omnes & ſingulas collationes , prouiſiones , vniones,annexiones , & incorporationes,ac quaſcumque alias conceſſiones & diſpoſitiones,de præceptoriis,cameris,magiſtralibus nuncupatis,ſeu illarũ fructibus, redditibus & prouentibus , quibuſuis perſonis, cuiuſcumque ſtatus,ordinis,vel cõditionis exiſterent,quauis conſideratione & ſub quacumque verborum forma , ac cum quibuſuis clauſulis derogatoriis,etiam Motu proprio, & ex ſimili ſcientia , ac cum expreſſa derogatione iurium Magiſtri dicti Hoſpitalis , ſeu annuæ reſponſionis illi faciendæ eatenus auctoritate Apoſtolica factas,nullas & inualidas,nulliúſq;roboris vel momenti fuiſſe & eſſe , etiam per ſuas declarauerat, & quatenus viribus ſubſiſtere dicerentur,reuocauerat,caſſauerat & irritauerat,ac illas & quas in futurum,etiam cum expreſſa derogatione literarum Sixti prædeceſſoris huiuſmodi fieri contingeret, pro infectis haberi voluerat. Ac monuerat & requiſiuerat omnes,& ſingulos earumdem camerarum magiſtralium detentores ſeu poſſeſſores qui tunc erant,aut pro tempore eſſent,prætextu conceſſionum prouiſionum , & diſpoſitionum quarumlibet , quæ ab alio quam pro tempore exiſtente Magiſtro dicti Hoſpitalis eatenus emanauerant,& in futurum emanarent,etiam à dicta Sede,vt infra certum tunc expreſſum terminum camerarum per eos pro tempore detentarum,ſeu poſſeſſarum huiuſmodi poſſeſſionem vacuam , liberam & expeditam Magiſtro dicti Hoſpitalis , aut illius legitimo procuratori traderent & aſſignarent,alioquin ex tunc prout ex ea die,in omnes , & ſingulos qui non parerent , ſeu vt non parerent,ſuaderent, aut alias auxilium, conſilium vel fauorem præſtarent, excommunicationis ſententiam promulgauerat,à qua niſi in mortis articulo conſtituti,ab alio quam Romano Pontifice nequirent abſolutionis beneficium obtinere , & præter ſententiam excommunicationis huiuſmodi,ſi dicti Hoſpitalis fratres forent,& excommunicationis ſententiam huiuſmodi per menſem animo ſuſtinerent indurato,prioratibus,caſtellaniis,baiuliuiis,præceptoriis, & officiis præfati Hoſpitalis per eos tunc obtentis,eo ipſo priuati & inhabiles,ad illa & alia in poſterum obtinenda eſſent, poſſetque per Magiſtrum & Conuentũ præfatos de illis ſic vacan. per priuationem huiuſmodi libere diſponi,liceret quoque Magiſtro pro tempore exiſtẽti Hoſpitalis huiuſmodi dicto termino decurſo, per ſe vel procuratores ſuos poſſeſſionem camerarum earumdem propria auctoritate libere apprehendere , ac illarum fructus, redditus,& prouentus percipere , ac in ſuos & eius magiſtratus vſus,& vtilitatem conuertere , & retinere cuiuſuis licentia ſuper eo minime requiſita.

Innocen. VIII. Ordinẽ S. Sepulchri & Militiã S. Lazari ſupprimit , & hunc Ordinẽ Hieroſolymitano vnuit.

Tu ſcias Piũ hanc vnionem S. Lazari reuocaſſe, vt in ſua conſtit. 95. inter aſſiduas.

§.3. Et Innocentius VIII.ex certis cauſis tunc expreſſis inter alia , Sancti Sepulchri Dominici Hieroſolymitani Ordinis Sancti Auguſtini , & Militiæ Sancti Lazari in Bethleem & Nazareth , etiam Hieroſolymitani Ordines, eorumque prioratus & præceptorias , necnon domum de Montemorillon,dicti Ordinis Sancti Auguſtini Pictauen. diœceſis nuncupatam, & alia ab eis dependentia membra cum ſuis pertinentiis, ac eorumdem Ordinum & Militiæ, archiprioratum , prioratus & magiſtratus generales, ac in eorumdem Ordinum prioratibus, præceptoriis , domibus, & membris,illorumque quibus denominabantur nomina, dependentias & pertinentias de fratrum ſuorum conſilio per quaſdam ſuppreſſerat,& extinxerat,illaq;omnia & ſingula per vniuerſum Orbem exiſtentia Hoſpitali præfato pro illius membris,ac domum prædictam expreſſe pro mẽbro prioratus Aquitaniæ dicti Hoſpitalis de ſimili conſilio perpetuo vniuerat,incorporauerat , conceſſerat & aſſignauerat,ac voluerat,quod tam qui in titulum, quam qui in commendam illam tunc obtinerent,ad aliorum Fratrum dicti Hoſpitalis inſtar iuxta tunc Magiſtri, & Conuentus præfatorum,aut ab eis auctoritatem habentium prouidam moderationem pro temporum qualitate de eorumdem mẽbrorum quæ ſic obtinerent prouentibus,communi theſauro dicti Hoſpitalis ſuffragia & onera exhiberent annuatim,ac Magiſtri , & conuentus prædictorum mandatis obtemperarent , nec quouis modo , clam vel palàm illi qui prioratus,beneficia & loca Ordinum ſuppreſſorum huiuſmodi tenerent,eis cederent,vel renunciarent,aut de eis donationem facerent abſque expreſſo conſenſu , licentia & auctoritate Magiſtri, & Conuentus præfatorum , & ſi ſecus facerent, irritum & inane, nulliuſque roboris eſſe decreuerat , & nihilominus pœnam priuationis beneficiorum, & excommunicationis latæ ſententiæ eo ipſo incurrere cenſerentur.

Nullãq;exemptionẽ ab obedientia M.Magiſtri, & conuẽtus,minúsq; à ſolutione iurium cõmunis erarij excuſare voluit.

§.4. Et de ſimili conſilio,omnes & ſingulas exemptiones priorum,baiuliuorum,caſtellaniæ, empoſtæ,præceptoriarum,& fratrum eiuſdem Hoſpitalis,tam à ſuperioritate, iuriſdictione , obedientia & correctione tunc Magiſtri & Conuentus prædictorum , ac aliorum prælatorum ipſius Hoſpitalis etiam cum eorum receptione in protectionem dictæ Sedis,ita vt illi ſolummodo eſſent ſubiecti , & Magiſtro ac Conuentui,& Prælatis præfatis,parere,& ad Hoſpitale prædictum accedere non tenerentur, quam ab one- re ſolutionis,eorumq;communi theſauro prædicto , & illius receptoribus annis ſingulis ratione prioratuum, baiuliuarum,caſtellaniæ,empoſtæ,præceptoriarum, & aliorum membrorum eiuſdem hoſpitalis quæ obtinerent , ſoluere tenerentur ; necnon quaſcumque ſpeciales reſeruationes, & conferendi mandata de prioratibus, baiuliuiis, caſtellania , præceptoriis & membris prædictis quomodolibet, & quacũque ratione vel cauſa, etiam impenſorum per eos fidei,& Hoſpitali, aut Sedi præfatis obſequiorum , aut alia inexcogitabili conſideratione ab Innocentio prædeceſſore & Sede præfatis,etiam cum Motus proprij & certæ ſcientiæ,aliisque fauorabilibus & inſolitis clauſulis conceſſas, etiam ſi in eis contineretur expreſſe, quod per quaſcumq; reuocationes & derogationes , ac literas & conceſſiones non cenſerentur reuocatæ , immo illis non obſtantibus in ſuis remanerent robore & efficacia,perinde,ac ſi reuocatæ non eſſent , niſi dum & quoties ſub certis tunc expreſſis modo & forma , ac verborum conceptione reuocarentur, per alias ſuas ex certa ſciẽtia reuocauerat,caſſauerat, & annullauerat,ac voluerat pro infectis haberi , & illis quibus conceſſæ erant minime ſuffragari,liceretq;Magiſtro omnẽ eius ſuperioritatem in eos ſic exemptos exercere , ac receptoribus prædictis eos ad ſoluendum eis,& dicto theſauro, quæ pro tempore deberent, perinde ac ſi exemptiones ipſæ numquam conceſſæ fuiſſent, de ſimili conſilio decreuerat.

Hoc latius eſt diffinitum in Sixt. V. conſt. 43. Æquum.

Beneficia etiã huius Ordinis nec affecta, nec ſub reſeruationibus cõprehẽdi, & ad ſolum M. Magiſtri, & Conuentum eorum collationes ſpectare voluit.

§.5. Ac in perpetuum valitura conſtitutione,de eorumdem fratrum conſilio ſtatuerat & ordinauerat,quod ex tũc de cetero perpetuis futuris temporibus prioratus , baiuliuæ,caſtellaniæ , empoſtæ, præceptoriæ , & membra quæcumque dicti Hoſpitalis , quæ pro tempore qualitercumq; vacarent,tam in Romana Curia,quàm extra eam ſub quibuſuis generalibus , vel ſpecialibus reſeruationibus Apoſtolicis , factis , & quas fieri contingeret de beneficiis eccleſiaſticis , etiam apud Sedem præfatam pro tempore vacantibus , vtpote ad hoſpitalitatem & fidei tuitionem ordinata nullatenus includerentur, nec reſeruata vel affecta exiſterent,ſed hoſpitalium pauperum quæ ſub reſeruationibus ipſis non includebantur , quoad id, ſortirentur naturam,deberetq;de illis per pro tempore exiſtentem Magiſtrum,& conuentum præfatos dũtaxat,& non alium iuxta ſtabilimenta prædicta Fratribus dicti hoſpitalis prouideri, & quas fieri contigerit per ipſum Innocentium prædeceſſorem , aut ſucceſſores ſuos Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes,ac dictam Sedem,vel eius auctoritate , aut alia quacumque,de illis reſeruationes , prouiſiones, collationes,commendas,vniones, & quaſcumque alias ſimiles, vel diſſimiles diſpoſitiones & exemptiones priorum , baiuliuorum, præceptorum,& fratrum , à Magiſtri & Conuentus prædictorum obedientia & ſuperioritate,aut debitis per eos præfato theſauro reſponſionibus annuis,& aliis iuribus quacumque ratione vel cauſa,etiam motu & ſcientia ſimilibus,ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine cum derogatione poſteriorum literarum Innocentij prædeceſſoris huiuſmodi , nullius penitus eſſent roboris vel momenti, & haberentur prorſus pro infectis, nec cenſeretur ſtatuto Innocentij prædeceſſoris huiuſmodi vmquam derogatum per quaſcumque clauſulas etiam derogatoriarum derogatorias , fortiores & efficaciores , niſi dum , & quotiens ipſarum poſteriorum literarum,de verbo ad verbum, vere & non per clauſulas id importantes inſerto tenore,de ſimili Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio derogari

Digitized by Google

derogari contingeret,nec etiam tunc niſi ad id Magiſtri,& Conuentus prædictorum expreſſus accederet aſſenſus, & non aliter, nec alio modo,cenſereturque ſemper in huiuſmodi,quæ ſic fierent de conſilio prædicto derogationibus, appoſita clauſula, quod effectum ſortirentur de conſenſu Magiſtri,& Conuentus prædictorũ,& non aliter, nec alio modo, decernens collationes,prouiſiones,cõmendas,vniones,diſpoſitiones,& reſeruationes quaſlibet,quas per alios quam Magiſtrum,& Cõuentum prædictos de eiſdem prioratibus,baiuliuis, præceptoriis, caſtellania, & membris, etiam apud Sedem ipſam pro tempore, per ceſſum vel deceſſum, ſeu quamuis aliam dimiſſionem vacantibus fieri contingeret, & ſi per ipſum Innocentium prædeceſſorem, & pro tempore exiſten. Roman. Pontificem fierent, illis quibus ſic fierent,nullum ius,nullumve coloratum titulum tribuere poſſidendi, & eos quoad omnes effectus etiam conſtitutionis ſuæ de triennali poſſeſſore non moleſtando pro meris detentoribus ſine titulo haberi, & reputari, ac irritum,& inane quicquid ſecus ſuper iis à quoquam quauis auctoritate ſcienter,vel ignorãter contingeret attẽtari.

Iulius I I. expectatiuas, & alias gratias prætitas abſque cõſenſu M. Magiſtri, & Conuentus irritauit.

§.6. Necnon Iulius I I. omnes,& ſingulas expectatiuas, reſeruationes,antianitates, mandata de prouidendo, conceſſiones, coadiutorias ſine conſenſu, & omnes alias gratias,& literas,ſuper prioratibus,baiuliuis,præceptoriis,caſtellania, empoſtæ, ac quibuſuis aliis beneficiis dicti Hoſpitalis quomodocumque, & qualitercumque abſque Magiſtri,& Conuentus prædictorũ conſenſu quibuſuis perſonis cuiuſcumque dignitatis,gradus, ordinis, vel conditionis forent,etiam Cardinalatus honore fulgentibus,ex quibuſuis cauſis etiam oneroſis eatenus conceſſas,& conceſſa, etiam quaſuis clauſulas illarum ab huiuſmodi reuocationibus præſeruatiuas in ſe continentes, & continentia, ſimilibus Scientia, & Poteſtatis plenitudine pro reuocatis, caſſatis,& annullatis perpetuo valituræ conſtitutionis edicto per quaſdam decreuerat. Et ordinauerat quod prioratus,caſtellania, empoſtæ, & baiuliuæ,præceptoriæ,rectoriæ,adminiſtrationes,officia,domus,& loca Hoſpitalis huiuſmodi,ſeu eorum aliquod,vel aliqua,ſub quibuſcumque dictæ Sedis, vel Legatorum eius literis, ſub quacumque forma,vel expreſſione verborum, etiam Motu, & ſcientia ſimilibus,ac cum quibuſuis vrgentiſſimis,efficaciſſimis, & derogatoriis clauſulis,irritantibúſque decretis, in genere, vel in ſpecie quouis modo in antea concedendis cadere,ſeu comprehendi nullatenus deberent, nec illarum vigore per quempiam acceptari, aut alicui de eis prouideri poſſet, ſed illorum commiſſiones, & omnimoda diſpoſitio ad Magiſtrum,Conuentum,Priores, & caſtellaniam, empoſtæ huiuſmodi iuxta conſuetudines, vſus & naturas dicti Hoſpitalis,& illi conceſſa priuilegia, & indulta liberè pertinerent,quodque fratres dicti Hoſpitalis inobedientes,& male ſoluentes iuxta formam ſtabilimentorum Hoſpitalis huiuſmodi priuationis pœnam incurrerent.

Coadiutorias, & alias gratias non factas fratribus huius Ordinis reuocauit.

§.7. Et per alias,omnes,& ſingulas ſpeciales reſeruationes,coadiutorum deputationes,regreſſus,acceſſus, conceſſiones,gratias,& facultates in aliorum quam fratrum dicti Hoſpitalis fauorem,commodum,& vtilitatem cuiuſcumq; dignitatis,ſtatus,gradus,ordinis, nobilitatis, præeminentiæ vel conditionis forent, etiam ſi Cardinalatus honore fulgerẽt,quauis etiam Imperatorum,Regum,Reginarum, Ducum, vel aliorum Principum conſideratione vel intuitu,aut ex quauis quantumcumque grandi, inexcogitabili, & vrgentiſſima cauſa,& reſpectu per Sedem præfatam eatenus conceſſas, & factas, quæ ad finem commendæ perpetuæ,vel temporalis tendere dignoſcerentur,reuocauerat, caſſauerat,& annullauerat, illaque caſſa, irrita,& inania, nulliuſque roboris,vel momenti eſſe,nec illarum etiam regreſſuum, ſeu acceſſuum huiuſmodi, aut aliarum facultatum ſeu commendarum,etiam ex tunc prout ex diebus vacationis earumdem, & è conuerſo pro tempore factarum prætextu,aliqua ex præceptoriis,ſeu aliis beneficiis Hoſpitalis huiuſmodi acceptari, vel aſſequi,aut ius in re, vel ad rem cuiquam acquiri potuiſſe ſeu poſſe decreuerat.

Cauſarum, & litium totalem iuriſdictionem M. Magiſt. & Conuentus tribuit.

§.8. Et per alias,Motu ſimili literas Martini prædeceſſoris huiuſmodi approbans,ac innouans, omnes,& ſingulas lites,cauſas,querelas,& controuerſias inter fratres præfatos,coram quibuſcumque cauſarum Palatij Apoſtolici Auditoribus, ac eorum. Locatenen. necnon iudicibus, etiam Cardinalibus,dicta auctoritate Apoſtolica,vel aliter deputatis, tam in dicta Curia, quàm in quibuſcumque mundi partibus pendentes,ad ſe aduocans,illas,& quas antea inter fratres eoſdem,& quoſcumque alios ſuper prioratibus, baiuliuis,caſtellania,empoſtæ,præceptoriis, aut beneficiis Hoſpitalis huiuſmodi moueri contingeret,per Magiſtrum, & Conuentum præfatos, ſeu eorum commiſſarios, iuxta eiuſdem Hoſpitalis ſtabilimenta,& approbatas conſuetudines,decidendas remiſerat,ac Auditoribus, Locatenentibus, & iudicibus præfatis ne in cauſis huiuſmodi ad vlteriora procederent, ſeu de illis, vel aliis quibuſcumque in futurum quoquomodo ſe intromitterent, inhibuerat, ac quicquid per eos contra inhibitionem huiuſmodi, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari, irritum & inane decreuerat.

Indulgẽtie Ecclesiarũ Oratinis innouauit.

§.9. Ac indulgentias per quoſcumque Rom. Pontifices viſitantibus domos,& loca ipſius Hoſpitalis conceſſas innouauerat.

Exemptiorum à decimis, & aliis oneribus quibuſcumque hactenus conceſſis approbauit.

§.10. Necnon Motu,& ſcientia ſimilibus, omnia & ſingula priuilegia,immunitates, indulgentias, & exemptiones ſæcularium exactionum, ac prærogatiuas, & alias quaſcumque gratias, conceſſiones, facultates, libertates, & indulta terram mareque concernentia, dicto Hoſpitali, & illius Religionis prioratibus,baiuliuiis,caſtellaniæ,empoſtæ, præceptoriis, adminiſtrationibus,officiis, capellis, oratoriis,& membris, ac Magiſtro pro tempore exiſtenti, & Conuentui præfatis,necnon prioratus,baiuliuas,caſtellaniam,empoſtæ,præceptorias,eccleſias, oratoria,adminiſtrationes,& membra præfata obtinentibus, per piæ memoriæ Clementem V. Bonifacium V I I I. Calliſtum III. ac præfatos Sixtum,& Innocentium,necnon quoſcumque alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros tunc ſuos, in genere, vel in ſpecie conceſſa, necnon libertates, & exemptiones ſæcularium exactionum per eos, à Regibus, & Principibus,ac aliis Chriſti fidelibus obtentas, ac decimas,primitias,cenſus,fructus, redditus, prouentus,agros, poſſeſſiones, dominia,prædia,iura, iuriſdictiones,aliaque mobilia,& immobilia,ſiue in terra,vel in mari exiſtentia, & ad Hoſpitale,prioratus, baiuliuas,caſtellaniã,empoſtæ, præceptorias,& membra huiuſmodi, in genere,vel in ſpecie ſpectantia,per reliquas ſuas literas de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine approbauerat, laudauerat,ratificauerat, & confirmauerat, ſupplens omnes, & ſingulos defectus ſi qui forſan interuenerant in eiſdem,ac omnia & ſingula ea ab vniuerſis Chriſti fidelibus,tam clericalis ordinis, quàm temporalis poteſtatis ſæcularibus, & etiam aliis regularibus perſonis, ſub pœnis, & cenſuris in eiſdem contentis inuiolabiliter obſeruari voluerat.

Hoc plenius cõceſſit Pius V. in conſt. 77. Et ſi cuncta vbi notabo.

Publicationem indulgẽtiarum conceſſit.

§.11. Necnon omnibus,& ſingulis Patriarchis,Archiepiſcopis,Epiſcopis,& locorum Ordinariis, eorumque officialibus atque vicariis,in virtute ſanctæ obedientiæ,& ſub eiſdem pœnis ſimiliter iniunxerat, vt quaſcumque indulgentias, & peccatorum remiſſiones, per eorum diœc. & loca publica nunciari permitterent.

Ad hoc vide formam traditam à Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. vlt.

Leo X. omnes conceſſ. Mart. V. Alex. V I. Pij I I. & I I. I I. cõprobauit.

§.12. Ac Leo X.quondam Fabritij de Carreto Magiſtro dicti Hoſpitalis, & præfatorum Conuentus, aſſerentium ſe à tunc immemorabili tempore citra in poſſeſſione, vel quaſi deputandi in ſingulis prioratibus vnum vicarium cum facultate præceptorias,baiuliuas,& alias domos Hoſpitalis huiuſmodi conferendi,antianitates,tam ſpeciales, quàm generales,dandi & concedendi, ac penſiones ſeu reſponſiones,& onera,ſuper domibus, præceptoriis, & aliis beneficiis dicti Hoſpitalis imponi ſolita à quibuſcumque clericis, etiam ſæcularibus illa in commendam obtinentibus,eorumque colonis,& inquilinis etiam laicis,eo modo quo à fratribus dicti Hoſpitalis exigebantur,exigendi, & cum inhabilibus ratione ætatis, & defectus natalium diſpenſandi exiſtere,ſupplicationibus inclinatus, ſingulas, non tamen Innocentij prædeceſſoris huiuſmodi,ac omnes & ſingulas alias,tam ipſius Martini, & recolendæ memoriæ Alexandri V I. Pij I I. & ipſius Iulij, quàm aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum ſimiliter prædeceſſorum noſtrorum tunc ſuorum eiſdem Hoſpitali, & Magiſtro pro tempore exiſtenti, ac Conuentui, & fratribus conceſſa,& in illis contenta quæcumque,etiam quoad aduocationem omnium cauſarum etiam ſuper prioratibus, præceptoriis, & aliis beneficiis Hoſpitalis huiuſmodi etiã in eadem Curia pendentium, quas ad ſe tunc aduocauit (exceptis tunc,& pro tempore per appellationem à definitiua

Digitized by Google

tiua ſententia iuxta formam ſtabilimentorum prædictorum introductis,& pendentibus)per quaſdam ſub plumbo approbauerat,innouauerat,& confirmauerat, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere,& inuiolabiliter obſeruari debere decreuerat,eique omnia de nouo conceſſerat.

Facultatémq; M. Magi. & Conuentui dedit, Vicarios in Prioratibus deputandi, cum facultatibus hic enunciatis. Tu quoad facultatē diſpenſandi, vide cōſtit. 115. Clementis VIII. Quæcumque.

§.13. Ac Fabritio, & pro tempore exiſtenti Magiſtro, & Conuentui huiuſmodi,vt in ſingulis prioratibus ipſius Hoſpitalis vnum vicarium cum facultate conferendi præceptorias,baiuliuas, & alias domos Hoſpitalis huiuſmodi deputare,antianitates,tam ſpeciales,quàm generales dare, & concedere,ac penſiones ſeu reſponſiones,& onera ſuper domibus,præceptoriis,& aliis beneficiis Hoſpitalis huiuſmodi imponi ſolita à quibuſcumque, etiam clericis ſæcularibus illa in commendam obtinentibus,eorumque colonis,& inquilinis etiam laicis,eo modo,quo à Fatribus dicti Hoſpitalis exigebātur,exigere,& cum inhabilibus ratione ætatis,& defectus nataliū quo ad prioratus,præceptorias,& alia beneficia dicti Hoſpitalis dūtaxat diſpenſare poſſent.

Literiſque M. Mag. & Conuētui credi inſſit, quoad profeſſionis emiſſionem, &c.

14. Ac quod verbis in ipſorum Magiſtri, & Conuentus literis circa profeſſionis emiſſionem, habitus ſuſceptionem,debitorum, & obſequiorum in partibus orientalibus præſtationem plena fides adhiberetur, facultatem conceſſerat. Et nihilominus quod ipſe Fabritius,& pro tempore exiſtens Magiſter,& Conuentus, præmiſſa omnia,& ſingula,prout eatenus conſueuerant, ſine contradictione alicuius facere poſſent.

Eiuſque litera antianitatis,& prouiſiones, eo ipſo approbata cenſeantur.

§.15. Quodque quæcumque literæ antianitatis,ſeu prouiſiones à Magiſtro pro tempore exiſtente, & Conuentu præfatis eatenus conceſſæ, & in poſterum concedendæ eo ipſo confirmatæ,& approbatæ cenſerentur.

Beneficiaq; vacantia, vt hic non deuoluantur ad Papam.

§.16. Et quod prouiſiones beneficiorum quorumcumque dicti Hoſpitalis, quæ per ceſſationem ſolutionis præfato Hoſpitali, vel inobedientiam dumtaxat vacaſſent, numquam ad ſuperiorem ipſum Leonem prædeceſſorem, & Sedem præfatam deuolui cenſerentur, quoad hoc vt dictus Magiſter pro tempore exiſtens impediretur quo minus illa quandocumque liberè conferre poſſet.

Alienationes non fiant.

§.17. Quodque omnes,& ſingulæ donationes, & alienationes bonorum immobilium dicti Hoſpitalis, ſeu eius locorum in poſterum faciendæ dumtaxat, ipſo iure nullæ, nulliuſque roboris, vel momenti exiſterent.

Clauſula, Et cum derogatione, non operetur vltra expreſſa.

§.18. Et quod clauſula cum derogatione priuilegiorum dicto Hoſpitali conceſſorum latiſſimè extendenda,& additione illorum pro expreſſis,tam in quibuſuis cōmiſſionibus iuſtitiam concernentibus,quàm in quibuſuis gratioſis ſupplicationibus, tunc & pro tempore ſignatis non operaretur, nec eius vigore in cauſis ſeu literis Apoſtolicis ſuper ipſis ſupplicationibus conficiendis priuilegia ipſa vltra quam in ſupplicationibus narrata eſſent, narrari poſſent, neque illis ſi prætextu dictarum clauſularum narrarentur derogatum cenſeretur,ſtatuerat,& ordinauerat.Decernens ſic per quoſcumque Iudices, etiam cauſarum Palatij huiuſmodi Auditores,ſublata eis quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate,iudicari debere,irritum quoque,& inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter,vel ignoranter contingeret attentari.

Expectatiuaſque reſeruationes,&c. conceſſas, & concedendas ipſe ibi Leo X. reuocauit.

§.19. Et per reliquas in forma breuis literas Motu ſimili quaſcumque gratias expectatiuas, ſpeciales,& generales reſeruationes,etiam in mēte ſua,& in nullius,ſeu quarumuis perſonarum fauorem,ac vniones,annexiones,& incorporationes,ſuppreſſiones, extinctiones, & applicationes,ac vniendi,annectendi,incorporandi, & commendandi facultates,& mandata, necnon coadiutorum deputationes,etiam de conſenſu,& alias conceſſiones, & diſpoſitiones,de quibuſuis prioratibus,baiuliuiis,caſtellania,empoſtæ,præceptoriis,cameris magiſtralibus, & aliis beneficiis dicti Hoſpitalis vacaturis, necnon ſpecialium reſeruationum,vnionum,annexionum,incorporationum,ſuppreſſionum,extinctionum,facultatum, mandatorum, coadiutoriarum, regreſſuum,& acceſſuum, ac aliarum diſpoſitionum huiuſmodi executiones, ampliationes, reualidationes,reintegrationes, repoſitiones, reſtitutiones, & ſuper illis, & eorum efficacia, & quod illorum reuocationibus, modificationibus,ſuſpenſionibus,reſtitutionibus,& ad ius commune reductionibus per Leonem prædeceſſorem, & Sedē præfatos factis non includerētur declarationes, & intentionis mentis ſuæ atteſtationes, quæ quorumuis etiam Imperatoris,Regum,Reginarum,Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium,Prælatorum, Ducum, Principum, Marchionum,Vniuerſitatum,ſtudiorum,iurium ceſſorum, vel oblatorum,etiam pro ſedandis litibus, aut ſeruitiorum,& obſequiorum Leoni prædeceſſori, & Sedi præfatis etiam pro fide catholica impenſorum, & damnorum eis etiam per infideles illatorum, ſeu quauis alia quantumcumque grandi conſideratione pro quibuſuis perſonis, cuiuſcumq; ſtatus,gradus,ordinis,& conditionis exiſtentibus, & quacumque eccleſiaſtica,etiam Cardinalatus, & mundana dignitate fulgentibus, etiam cum Motus proprij, & certæ ſcientiæ,ac plenitudine poteſtatis, & quibuſuis præſeruatoriis ac aliis etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, & inſolitis clauſulis à Leone prædeceſſore, & Sede prædictis,ac eius Legatis etiam de latere,& Nunciis,etiam cum eorumdem Legatorum poteſtate, quauis auctoritate eatenus quomodolibet emanauerant, quoad ea iri quibus nondum verè fuerant effectum ſortita,expreſsè reuocauerat,& voluerat illas,& quas emanare contingeret in futurum, ſimiles & diſſimiles ſpeciales reſeruationes, vniones annexiones, incorporationes, ſuppreſſiones,extinctiones, applicationes,nominationes, nominandique,reſeruandi, & conferendi facultates,mandata,coadiutorum deputationes,regreſſus,& acceſſus huiuſmodi,& ſuper illis prouiſiones,ampliationes,reintegrationes,reſtitutiones, repoſitiones,& declarationes,etiam cum expreſſa poſteriorum literarum huiuſmodi derogatione, etiam ſi in eiſdē quæ emanauerant,& in futurum emanarent,ſpecialibus reſeruationibus,vnionibus, annexionibus, incorporationibus,ſuppreſſionibus, extinctionibus, nominationibus, facultatibus,mādatis,coadiutoriis,regreſſibus, acceſſibus,& eorum extenſionibus,ampliationibus, reualidationibus, reintegrationibus,repoſitionibus,reſtitutionibus, & declarationibus, ac ſi ſuper illis confectis literis contineretur expreſsè,quod in aliquibus ſpecialibus,ſeu generalibus reuocationibus,ſuſpenſionibus,modificationibus,& reſtrictionibus,quæ pro tempore fierent, nullatenus includerentur, niſi de perſonarum quas tunc concernebant,& in futurum concernerent, ac quarum conſideratione emanauerant,& in poſterum emanarent,nominibus, cognominibus,dignitatibus,& officiis,ac cauſis propter quas eis conceſſæ erant, ſeu concederentur,expreſſa mentio fieret, idque ipſis perſonis intimaretur per diuerſas literas ſub diuerſis datis, cum certi temporis interuallo inter datas huiuſmodi, & perſonarum earumdem in reuocationibus huiuſmodi expreſſus accederet aſſenſus, intelligerenturque gratiæ ipſæ toties reualidatæ,& in priſtinum ſtatum repoſitæ, quoties eas reuocari,reſtringi,& modificari contingeret,ac pro infectis,& non conceſſis haberi, & viribus omnino carere, etiamſi per eas quæ emanarent ſpeciales reſeruationes, & alias gratias viribus vacuatas huiuſmodi eiſdem poſterioribus literis cum earum Dat. inſertione ſpecifice quomodolibet derogari videretur,& ne ſimiles reſeruationes, ac gratiæ & priorum reualidationes,quas ab ipſo Leone prædeceſſore, etiam cum poſteriorum literarum huiuſmodi expreſſa derogatione,ac ſupradictis,aliiſque efficacioribus, fortioribus,& inſolitis clauſulis in poſterum emanare contingeret,contra præmiſſorum tenorem ſortirētur effectum, ſed quotiens emanarent toties reuocarentur,eaſque poſteriores literas,ac omnia, & ſingula in eis contenta, ad id vt omnes, & ſingulas ſpeciales reſeruationes, vniones, coadiutorias, regreſſus & acceſſus, ac alias gratias prædictas ſemper includerent, de qualibet die Pontificatus ſui repetierat,& innouauerat,decernēs repetitionem,& innouationem huiuſmodi eis, quorum intereſt de ſingulis diebus dicti Pontificatus prout magis expediret,in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi eiſdem diebus ab ipſo Leone prædeceſſore actu emanaſſent, ſuffragari, & ſic iudicari debere, ac quicquid ſecus attentari contingeret, irritum, & inane decreuerat.

Clemens VIII. omnia ſupradicta Priuilegia & gratias confirmauit, & familiares, & famulos illis vti poſſe decreuit.

§.20. Et cum nefandiſſimus Chriſtiani nominis hoſtis Turcarum tyrannus validiſſima claſſe maritima, maximoque exercitu terreſtri paratis, inſulam Rhodi totius Chriſtianitatis ſpecimen acerrimis, & multiplicatis conatibus inuaſiſſet,ac crudeli,& inaudita obſidione affeciſſet,& tandem inſulam,& ciuitatem Rhodi huiuſmodi vi, & armis expugnaſſet,ac literæ,libri,& munimenta,ſeu documenta antiqua priuilegiorum,& indultorum eis à dicta Sede conceſſorum periiſſent,& deperdita fuiſſent,ſimilis memoriæ

Clemens

Digitized by Google

Clemens Papa VII. pariter prædeceſſor noſter, Motu,& ſcientia,ac poteſtatis plenitudine ſimilibus,omnia & ſingula priuilegia,iuriſdictiones,facultates,immunitates,cõceſſiones,indulgẽtias,libertates,prærogatiuas,gratias,exẽptiones,fauores,& indulta dicto Hoſpitali, ac illius baiuliuis,prioratibus,præceptoriis, domibus, hoſpitalibus, eccleſiis,capellis,locis &mẽbris,necnon Magiſtro,baiuliuis, prioribus,præceptoribus,militibus, fratribus, & perſonis, ac eorũ vaſſallis ſubditis & ſeruitoribus pro tempore exiſtentibus eatenus per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros,tunc ſuos, ſucceſſiuis temporibus,& demum per Leonem prædeceſſorem, & Sedem præfatos ſub quibuſcumque tenoribus,& formis,ac cum quibuſuis clauſulis,& decretis quomodolibet conceſſa, approbata & innouata,per quaſdam approbauerat,confirmauerat,& innouauerat,ac valida & efficacia exiſtere, necnon perpetua roboris firmitate ſubſiſtere, & inuiolabiliter obſeruari, ac Magiſtro, baiuliuis, prioribus, præceptoribus, militibus, fratribus,perſonis,vaſſallis,ſubditis,& ſeruitoribus præfatis ſuffragari debere decreuerat,ac omnia & ſingula,prout per Leonem & alios prædeceſſores,ac Sedem præfatos cõceſſa fuerunt,ita vt Magiſter,baiuliui,priores,præceptores, milites,fratres,perſonæ,vaſſalli,ſubditi, & ſeruitores illis libere perpetuo vti poſſent de nouo.

Iuriſdictionẽq; etiam meri, & mixti imperij in perſonas,& bona Ord. M. Mag. & Conuentui cõceſſit.

§.21. Necnon tunc,& pro tempore exiſtenti Magiſtro, & Conuentui Hoſpitalis huiuſmodi iuxta illius ſtabilimenta,& laudabiles conſuetudines, ac mores in baiuliuas, prioratus,caſtellaniam,empoſtæ, domos, hoſpitalia,membra,loca,& bona quæcumque, necnon quoſcumque baiuliuos,priores,caſtellanum,empoſtæ,præceptores,fratres,& perſonas Hoſpitalis & Religionis huiuſmodi, ac illorum vaſſallos,ſubditos, & ſeruitores vbicumq; tàm citra,quàm vltra montes,tunc & pro tẽpore conſtitutos,& cõmorãtes, qui omnes eidem Magiſtro, & ſubdelegatis ab eo firmiter; tàm perſonaliter, quàm realiter omni exceptione ceſſante, & quocumque à Clemente prædeceſſore, vel Sede prædictis, obtento vel obtinendo indulto non obſtan. parere & obedire tenerentur,plenariam & omnimodam,etiam meri & mixti imperij iuriſdictionem,& ſuperioritatem.

Tu de hac iuriſdictione,vide etiã hic inf. huius Pij IV. Pont. extenſionem.

Faculatem inobedientes priuandi, &c. dedit.

§.22. Ipſique Magiſtro contra rebelles,& ſuis mandatis non obedientes, etiam vigore literarum Apoſtolicarum, etiam in forma breuis ab ipſo Clemente, & ſucceſſoribus ſuis emanatarum, ſeruatis quatuor terminis ad docendum ſe paruiſſe, & ſatisfeciſſe in loco Conuentus Hoſpitalis huiuſmodi poſt legitime executam primam citationem,ad mulctam ſiue pœnam perſonaliter,iuxta mores & ſtabilimenta prædicta,ſeu etiam priuationem habitus, aut beneficiorum,domorum & prædiorum per eos obtentorum procedendi,vel etiam,ſi magis expedire videretur, beneficia, domos & prædia ipſa ad manus ſuas,ſeu receptorum dicti Hoſpitalis reducendi, & donec ipſi inobedientes contumaciam purgarent,vel debita onera perſoluerent; ſiue ſæculares,aut alterius ordinis regulares beneficia dicti Hoſpitalis poſſidentes,forent pro ſuo arbitrio retinendi,illorumque fructus, redditus & prouentus, arrendandi & percipiendi, necnon cameras magiſtrales prædictas ad ſe recipiendi, ſiue illas ſolitis penſionibus pro ſuæ voluntatis libito imponendis & moderandis,onerandi, & alias de illis tamquam de præceptoriis & prædiis menſæ magiſtrali vnitis,& incorporatis diſponendi.

Procuratoriq; in Rom. Curia cum faculiate beneficia etiam reſeruata, &c. præterquam in manibus Papæ reſignata conferendi, &c.

§. 23. Ac in Romana Curia procuratorem generalem, cum generali vel ſpeciali,& limitata poteſtate,& facultate conſtituendi,ſeu deputandi.Et in eadem Curia per ſe ſeu dictum procuratorem ad id poteſtatem à Magiſtro & Conuentu præfatis habentem,quæcumque eiuſdem Hoſpitalis beneficia, cuiuſcumque qualitatis exiſtentia apud Sedem prædictam quomodolibet (præterquam per reſignationem in manibus ſuis,& ſucceſſorum ſuorum Roman. Pontificum)pro tempore vacantia, iuxta ipſius Hoſpitalis ſtabilimenta libere conferendi.Et tàm Magiſtro,quàm Conuentui præfatis, etiam de illis, de quibus eatenus diſpoſitum fuerat de nouo, ac aliis beneficiis huiuſmodi, etiam tamquam priuatis prædiis in titulum perpetui beneficij eccleſiaſtici,ſeu etiam ad nutum, aut amouibiliter, vni vel diuerſis perſonis aſſignari ſolitis, etiam dictæ Sedi reſeruatis,ſeu alias affectis,aut ad Sedem ipſam deuolutis, libere prouidendi,& illa vniendi,diſmembrandi, & alias de illis diſponendi, necnon antianitates, tàm generales, quàm ſpeciales ſuper eiſdem beneficiis fratr ouæ eiuſdem Hoſpitalis concedendi, ac reſignationes dictorum beneficiorum recipiendi & admittendi, illaque reſignantibus titulum, ſeu denominationem,ac omnes eorum fructus,ſeu illorum partem,aut ſuper illis quaſcumque penſiones annuas,quæ etiam tranſirent ad ſucceſſores in eis, etiam ſub cenſuris & pœnis eccleſiaſticis etiam priuationis in talibus apponi ſolitis,ad vitam vel ad tempus reſeruandi,concedendi conſtituendi & aſſignandi,& quod altero decedente,ſuperſtes in illius poſſeſſione ſuccederet,indulgendi, ſeu regreſſum ad illum concedendi.

Indulgentiar publicandi, & quaſtuandi M. Mag. & Conuentus licentiã dedit. Tu in hoc artẽde Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. vlt.

§.24.Ipſiſque Magiſtro & Conuentui,priuilegia,exemptiones & indulgentias eis, & dicto Hoſpitali conceſſa vbique locorum,etiam abſque alicuius Ordinarij licentia, ſub ſigillo tamen Prioris illius prouinciæ,vel eorum Conſeruatoris in ea degentis, publicandi & quæſtuandi, ſeu eleemoſynas & Confraternitatum obuentiones quærendi, & recipiendi.

Mortuóſque in Eccleſiis Ordinis ſepeliendi, &c. Tu vide Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 13.

§. 25. Necnon cœmeteria in eorum parochialibus eccleſiis habendi, ac quorumcumque Chriſti fidelium cadauera,etiam ſi excommunicati,vel interdicti forent, dummodo interdicto cauſam non dediſſent, ſaluo iure rectori parochiano debito, abſque aliquo onere & ſolutione Epiſcopo facienda,recipiendi & ſepeliendi.

Legata recipiendi.

§.26. Legata & donata,tàm inter viuos,quàm qualibet vltima voluntate exigendi & percipiendi.

Sacros Ordines à quocumque Epiſcopo conſequendi. Tu ſerua Conc. Trident. ſeſſ. 7. cap. 11.

§.27. Necnon baiuliuis,prioribus, præceptoribus,militibus,fratribus & perſonis præfatis quæcumque eccleſiaſtica ſacramenta, ac omnes etiam ſacros ordines à quocũq; mallent catholico Antiſtite gratiam, & communionem dictæ Sedis habente nihil oblato, vel ſoluto recipiendi.

Arma geſtãdi.

§.28. Et tàm ipſis,quàm eorum familiaribus arma quæcumque,& vbicumque locorum pro ſui defenſione,& hoſtium dictæ Sedis offenſione geſtandi.

Confeſſiones audiẽdi,& ſacramenta miniſtrandi. Tu attenda bulla 115. Clemens. VIII. Interdicti tempore celebran. Tu vide Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 12.

§. 29. Necnon capellanis eiuſdem Hoſpitalis,baiuliuorum,priorum,præceptorum,militum, fratrum, perſonarũ, vaſſallorum,ſubditorum & familiarium prædictorum confeſſiones audiendi,& pœnitentiam ſalutarẽ eis iniungẽdi, ac Euchariſtiæ & alia ſacramenta eccleſiaſtica miniſtrãdi.

§.30.Necnon tẽpore interdicti(dũmodo illi cauſam non dediſsẽt(excommunicatis & interdictis excluſis, clauſis ianuis,& ſubmiſſa voce,miſſas & alia diuina officia celebrãdi.

Nouas præceptorias ab Ordinariorum ſuperioritate exemptas erigendi.

§.31. Necnon quibuſuis Chriſti fidelibus in quibuſuis ciuitatibus,locis,& diœc.præceptorias, domos & hoſpitalia ſub dependentia & ſubiectione dicti Hoſpitalis per illius fratres obtinenda,quæ eiſdem priuilegiis, immunitatibus indulgentiis,conceſſionibus & indultis, quibus aliæ dicti Hoſpitalis præceptoriæ,domus & hoſpitalia, vtebãtur,potiebantur,& gaudebant,vterentur,potirẽtur & gauderent,aſſignata illis congrua dote, Ordinariorũ locorum, & quorumuis aliorum licentia minime requiſita, & nulla præterea in illis, Ordinariis ipſis iuriſdictione,aut oneris imponendi facultate reſeruata, conſtrui,& erigi faciendi, plenam,& liberam facultatem & auctoritatem cõceſſerat.

Donationes & alios damnoſos contractus reuocandi.

§. 32. Quaſcumque donationes, conceſſiones, locationes,inueſtituras & alias alienationes cenſuum,redditũm, iurium, iuriſdictionum, & bonorum quorumcumque ad baiuliuas,prioratus, caſtellaniam, empoſtæ,præceptorias, domos,hoſpitalia,beneficia,& loca Hoſpitalis huiuſmodi pertinentium,in illorum læſionem,iacturam,vel detrimẽtum, etiam per perſonas dictæ religionis, etiam cum renunciationibus,pactis,iuramentis & pœnis deſuper impoſitis & adiectis,ac inſtrumentis, & literis deſuper confectis, & confirmationibus forſan inde ſecutis,etiam de licentia dictæ Sedis, abſque tamen conſenſu ſeu expreſſa licentia Magiſtri & Conuentus prædictorum, quacumque præſcriptione, ſeu longiſſima pacifica poſſeſſione, & detentione non obſtantibus.

Regreſſus quoſcumque idem Clem. VII. reuocauit.

§.33.Necnon quoſcumque acceſſus,ingreſſus,& regreſſus ac coadiutorias ad baiuliuas, prioratus, caſtellaniam, empoſtæ,præceptorias,domos, hoſpitalia & alia beneficia hoſpitalis huiuſmodi, præterquam ex cauſa oneroſa,& de conſenſu dictorum Magiſtri & Conuentus etiam per Clementem,& prædeceſſores ſuos præfatos conceſſos caſſauerat,reuocauerat,annullauerat,& irritauerat, nulliuſq; roboris vel momenti fore,& pro infectis haberi decreuerat.

Aduerſus contractus læſiuos in integrum reſtituit.

§.34. Accenſus,redditus, iura, iuriſdictiones, & bona alienata huiuſmodi,ac etiam per quoſcumque etiam ſæcu-

Digitized by Google

lares occupata,vſurpata,& detenta, ad ius & proprietatem dicti Hoſpitalis,ſeu illius baiuliuarum,prioratuum,caſtellaniæ,empoſtę,præceptoriarum,domorum,hoſpitalium,& beneficiorũ prædictorũ reduxerat,illaq;in integrum aduerſus conceſſiones, donationes, & alias quaſlibet alienationes prædictas, necnon inueſtituras illarum prætextu quomodolibet quauis auctoritate factas & cõceſſas,in integrũ, ac in priſtinum, & eum ſtatum in quo antea erant, reſtituerat,repoſuerat,& plenarie reintegrauerat,illarũq; detẽtores cuiuſcumq;dignitatis,ſtatus,gradus,ordinis,& conditionis exiſtentes ad illorum relaxationem per cenſuras eccleſiaſticas,& alia iuris remedia cogi,& compelli poſſe voluerat,& ſimiles alienationes de cetero ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & priuationis beneficiorum per eos obtentorum pœnis per contrafacientes eo ipſo abſque aliqua declaratione incurrendis fieri prohibuerat,& ſi fierẽt, illas viribus omnino carere decreuerat.

Lites omnes etiam in Rom. Curia vrrentes. M. Magiſtro commiſit. Tu hoc vide etiam hic inf.

§.35.Necnon omnes & ſingulas lites,etiam in dicta Curia,& Rotæ Auditorio ſuper quibuſuis dicti Hoſpitalis beneficiis inter quaſcumque perſonas motas,& in quibuſuis inſtantiis pendentes , in quibus concluſum non fuerat,ad ſe aduocauerat,& illas eiſdem Magiſtro & Conuentui per eos iuxta formam ſtabilimentorum,& laudabilium cõſuetudinum prædictorum , & ſi eis videretur , tàm in eadem Curia,quàm extra eam,in ſtatu debito reaſſumendas,& decidendas cõmiſerat,eiſq; quorum intereſt etiã per edictum publicũ locis publicis affigendum(conſtito tamen ſummarie de non tuto acceſſu ad eas)citandi,ac quibus,& quotiẽs opus foret inhibendi,etiam ſub cenſuris & pœnis eccleſiaſticis,etiam contra condemnatos,etiam in Curia prædicta, tàm realiter,quàm perſonaliter exequi mandauerat.

Exemptionem à ſuperioritate Ordinariorum conc. ſſit. Hoc intelligeinx. bull. Pij V. n.136. Expoſc. & Greg. XIII. n.63. Circumſpecta.

§.36.Et inſuper Hoſpitale,ac illius baiuliuas,prioratus, caſtellaniam,empoſtæ,domos,cameras,hoſpitalia , & loca quæcumque,necnon magiſtrum,baiuliuos, empoſtæ,priores,præceptores,milites , & perſonas,ac eorum ſubditos, vaſſallos,colonos, & ſeruitores , tunc & pro tempore exiſtentes , etiam presbyteros curam animarum exercentes, quamdiu illa exercerent,& in illorum obſequiis forent,ac illorum res,animalia prædia, domos, molendina, & bona quæcumque quæ obtinebant & poſſidebant,ac in futurum canonice obtinerent,& poſſiderent,ſub beati Petri,& dictę Sedis,atq; ſua protectione ſuſceperat, ac omni iuriſdictione,correctione,onere,ſtatutis,bannis, dominio, ſuperioritate,& poteſtate quorumcumque Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Prælatorum , necnon quorumcumque temporalium dominorum quauis poteſtate, etiam Imperiali, Regali & Ducali fulgentium,ac vniuerſitatum & illarum regentium,etiam,præterquam dicti Hoſpitalis,Ordinariorum tàm ſpiritualium , quàm temporalium vbicumque , tàm citra , quàm vltra montes,& mare conſtitutorum, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus,ordinis & conditionis exiſtentium , illorumque Vicariorum & Officialium, Locatenentium , & Iudicum,tunc & pro tempore exiſtentium quorumlibet.

Exemptio. ẽq; à ſolutione quorumcumq; eorum dedit. Hanc approbauit Pius V. in conſtit.77. vbi notabo.

§.37. Necnon à ſolutione & exactione paſſagij, arreragij,gabellæ,datij,tractæ, collectæ, procurationis, iocundi aduentus,iurium etiam ſynodalium,cenſuum & decimarũ, etiam noualium,etiam hortorum,pratorum, piſcationum, & molendinorum,ad quæ cuilibet acceſſus nullatenus, directe,vel indirecte prohiberi poſſet , & terrarum quas per ſe ipſos,vel alios eorum nominibus etiam colonos , arrendatarios & emphyteutas excolebant , & de quibus fructus percipiebant , & cuiuſuis alterius oneris perſonalis , ſeu mixti,ab Ordinariis vbicũq; & ex quacumq; cauſa impoſiti,vel imponendi pro tempore liberauerat & exemerat,ac ſibi & dictæ Sedi immediate ſubiecerat,illoſq;& illa,etiam ſi in quibuſcumque ſtatutis,literis,conſtitutionibus,& regulis,etiam per Clementem prædeceſſorem,& Sedem prædictos pro tẽpore editis,nominatim ſpecialiter & expreſſe grauarentur,ſeu onerarentur, ſemper liberos, immunes & exemptos,ac exceptos , & ipſi Clementi prædeceſſori immediate ſubiectos eſſe decreuerat. Ita quod Archiepiſcopi,Epiſcopi,Prælati,Ordinarij, Vicarij,Officiales,Locatenentes,& Iudices præfati,etiam ratione delicti vel contractus, ſeu rei de qua ageretur , vbicumque committeretur delictum,iniretur contractus,aut res ipſa conſiſteret , nullam in eos,vel ea,iuriſdictionem, correctionem, viſitationem,ſuperioritatem,dominium, partitionem,exactionem, ſeu poteſtates exercere,aut excõmunicationis,aliaſvè ſententias,cenſuras & pœnas promulgare, aut etiam ratione perſonarũ vel rerum,animalium , ac bonorum ſuorum ad aliquam ſolutionem pontium,fontium,furnorum,murorũ, ſeu etiam aliarũ eccleſiarum quàm dictæ religionis,etiã ſi forſan eatenus per abuſum,ſeu alterius priuilegiũ, aut negligentiam, etiam per longiſſimum tempus taliter obſeruatum non fuiſſet.Quæ omnia etiam præſcriptiones,nullo pacto ſaltem in poſterum quo minus huiuſmodi exceptionibus vti poſſent,obſtare voluit,& decreuit eos coarctare, aut alij quicumque cuiuſcumque eccleſiaſticæ vel mundanæ dignitatis, aut præeminentiæ , ſtatus vel conditionis exiſterent,etiam locis & terris S.R.E. etiã immediate ſubiectis,& ad inſtantiam cuiuſcumque Principis, ſeu Communitatis,ſub excommunicationis latæ ſentẽtiæ,& à quadrupli vltra damna & expenſas reſtitutionis pœnis per cõtrafacientes eo ipſo incurrendis,eos in iudicio & extra,ſuper præmiſſis,& eorum vſu,ſeu poſſeſſione,vel quaſi, directe vel indirecte,quouis quæſito colore,vel ingenio,moleſtare,impedire, vexare , aut alias quomodolibet impetere præſumerent,deberent,ſeu etiam valerent.

Inſpatronatus ex fundatione, & dotatione ad tertiã partem ereari, & tunc facultas redimendi Ordini conceſſa.

§.38. Et inſuper ſtatuerat & ordinauerat, quod ius patronatus , & præſentandi perſonas idoneas ad baiuliuas, prioratus,præceptorias,hoſpitalia , membra,alia beneficia & loca Hoſpitalis huiuſmodi,niſi ratione fundationis,aut dotationis ſaltem ad tertiam partem illorum fructuũ , quo caſu liceat Magiſtro & Cõuentui præfatis,ſi dicta eorũ beneficia & loca Hoſpitalis huiuſmodi à dicto iurepatronatus liberare vellent,aut dotantibus bona reſtituere,ſeu illorum pretiũ perſoluere,ac ex tunc baiuliuas,prioratus,præceptorias, hoſpitalia,membra,& beneficia huiuſmodi conferre.

Penſiones alijquã fructibus Ordinis eiusdem per Sedẽ Apoſt. abſque cõſenſu M. Magiſtri aſſignari prohibus.

§.39. Quodq;ſuper eorum fructibus,redditibus & prouentibus aliquæ penſiones annuæ quibuſuis perſonis ſæcularibus,ſeu alterius Ordinis , quam dicti Hoſpitalis regularibus ſine expreſſo conſenſu Magiſti & Conuentus prædictorum,etiam per ſedem prædictam reſeruari,conſtitui & aſſignari nullatenus poſſent,& ſi reſeruarentur,concederentur,conſtituerentur & aſſignarentur,reſeruationes, conſtitutiones, aſſignationes & conceſſiones huiuſmodi nemini ſuffragarentur,nec propterea aliquas cenſuras,vel pœnas incurrere poſſent.

Beneficia, & penſiones habẽtes inf. ſex miſes profeſſionẽ regularẽ huius Ord. facere, & habitum ſuſcipere debere inſſit.

§.40. Quodque omnes & ſinguli eorum baiuliuarum, prioratuum , præceptoriarum , domorum & beneficiorum in vim dictarum collationum poſſeſſores ſæculares,aut alterius Ordinis regulares , ſeu penſiones ſuper illorum fructibus,redditibus & prouentibus huiuſmodi eatenus etiam per Sedem eamdem reſeruatas percipientes , illas & illa infra ſex menſes à die intimationis dictarum literarum in manibus Magiſtri & Conuentus prædictorum , iuxta formam ſtabilimentorum dictæ religionis dimittere,& trãſferre,ſeu illarum caſſationi conſentire tenerẽtur, alioquin beneficia & penſiones huiuſmodi niſi illa poſſidentes , & illas percipientes infra dictum tempus habitum ſuſciperent,& profeſſionem regularem ipſius Religionis emitterent , lapſis menſibus ipſis vacarent , ac caſſæ & extinctæ eſſent,& eſſe cenſerentur eo ipſo.

Hoc idem Greg. XIII. latius definiit in conſtit.60.

Quicumq; patres in Conſeruatores electi , tenentur eos tutari, prout ſi Conſeruatores deputati fuiſſent.

§.41. Ac quod quæcumque perſonæ in dignitate eccleſiaſtica,& vbilibet conſtitutæ, per eoſdem baiuliuos,priores,præceptores & fratres, ac eorum ſingulos pro tempore eligendæ,ſub excõmunicationis latæ ſententiæ pœna ipſos aduerſus inferentes eis iniurias,ſeu grauamina vel damna, in perſonis,rebus & bonis,manutenere,conſeruare,& quãcumque iuriſdictionem exercere,necnon ſententias, cenſuras & pœnas eccleſiaſticas contra rebelles,ac inobedientes cum effectu promulgare,necnon omnibus faoultatibus & conceſſionibus quibuſuis Conſeruatoribus eis per quaſcumque literas Apoſtolicas eatenus deputatis quomodolibet conceſſis,vti,potiri & gaudere deberent,in omnibus & per omnia , perinde ac ſi per eaſdem literas Conſeruatores & Iudices deputati fuiſſent.

Capellanus Ordinis tantum eius parochialibus deſſruire, & per Ordinarios gratis ad hoc recipi præcipit.

§.42.Et quod presbyteri,qui in dicta Religione profeſſionem non emiſiſſent,niſi de expreſſa licẽtia vel conſenſu Magiſtri,ſeu priorum,præceptorum , vel fratrum,quos id tãgeret,ad deſeruiendum parochialib⁹& aliis eccleſiis,aut capellis ipſius Religionis nullatenus admitterentur , ſed in quibuſcumq;parochialibus & aliis eccleſiis,ac capellis Hoſpitalis huiuſmodi , capellani eiuſdem Religionis per locorum Ordinarios ſub eadem excommunicationis latæ

ſententiæ

Digitized by Google

sententiæ pœna si contrafacerent eo effectu incurrenda,ad requisitionem,seu præsentationem dictorum baiuliuorum, priorum, præceptorum & fratrum absque aliqua exactione,& oneris impositione recipi & admitti deberent.

Habitum suscipientes,& nō alios, priuilegiis Ordinis gaudere vetuit.

§.43. Quodque illi dumtaxat fratres priuilegiis prædictis gauderent,qui à præfato Magistro,seu de eius licentia habitum suscepissent,& professionem emisissent,seu de habitu suscipiendo,& professione huiusmodi emittenda infra certum tempus arctati fuissent, nullusque baiuliuorum, priorum, præceptorum & fratrum prædictorum absque mandato,seu licentia præfati Magistri,aut saltem sui prioris, seu procuratoris ipsius Hospitalis in dicta Curia existentis, priuilegiis præfatis in eadem Curia vti valeret,nec illa absque huiusmodi licentia vagantibus suffragarentur.

Manus violentas in confugientes ad Eccl. Ordinis inijci prohibuit.

§.44. Ac manus violentas in eos,qui ad ecclesias,seu domos eiusdem Religionis pro sua salute confugerent, per quempiam iniici, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna prohibuerat.

Literis suis nōnisi, vt hic derogari posse idē Clemens VIII. vetuit.

§. 45. Decernens literis prædictis,& in eis contentis quibuscumque,etiam per quascumque literas Apostolicas, etiam quasvis clausulas generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias,efficaciores & insolitas, acetiã irritantia decreta sub quacumque verborum expressione in se continentes, nullatenus derogari posse, nec derogatum censeri,nisi tenor illarum de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertus,ac huiusmodi derogationis consistorialiter factæ,& per trinas distinctas literas eumdem tenorem continentes,tribus similibus distinctis vicibus,Magistro & Conuentui præfatis legitime intimatæ, & insinuatæ forent,ac ipsorum Magistri & Conuentûs ad id expressus accederet assensus, & aliter factas derogationes nemini suffragari, ac Magistrum & Conuentum præfatos ad parendum literis derogatoriis huiusmodi, & decretis,super illis processibus, ac illorum executoribus, & subexecutoribus, eorumque mandatis,& monitionibus minime teneri,& literarum huiusmodi executionem omnino impedire, nec ratione resistentiæ huiusmodi censuris ecclesiasticis, per eosdem executores & subexecutores latis innodari posse.

Decretum irritans apposuit.

§.46.Et sic in præmissis omnibus,& singulis per quoscũque iudices & commissarios,quauis auctoritate fungentes, tàm in dicta Curia, quàm extra eam pro tempore deputatos,sublata eis & eorũ cuilibet quauis aliter circa præmissa iudicandi,& interpretandi facultate & auctoritate iudicari,& definiri debere,ac irritum & inane,si secus super prẽmissis omnibus, vel eorum aliquo à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari.

Alexandri V. Greg. IX. Bonif.VIII. Clement.V. Innocent. IV. & Calliſt.III.exemptionem à decimis & ſect. cõfirmauit, & ampliauit.

§.47. Necnon literas etiam piæ memoriæ Alexandri V. Gregorij IX.Bonifacij VIII.Clementis etiam V. Innocentij IV. & Callisti III. Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum,tunc suorum,eidem Hospitali, etiã super decimis ex eorum terris, possessionibus & animalibus non soluendis concessas,per alias suas literas approbauerat, ac quoad terras & possessiones ad quantumcumque longum tempus, non tamen in perpetuum feudum, seu emphyteusim concessas obseruari debere decreuerat.

Hoc mox infra hic Pius IV. extendit.

Litium omniũ personarũ Ordinis M. Mag. & Conuentui cognitionẽ dedit,duobus exceptis casibus.

§.48. Et per alias motu simili,omnes & singulas causas, tàm inter priores,baiuliuos, castellanum empostæ, præceptores,fratres,&milites Hospitalis huiusmodi,quam etiam pro communi thesauro prædicto agente,tàm ratione prioratuum,baiuliuarum,præceptoriarum & domorum Hospitalis huiusmodi, quàm etiam bonorum, & pecuniarum etiam dicti thesauri, seu delictorum, etiam si exaduerso aliqui clerici sæculares,vel regulares, aut laici existerent, & actiue,seu passiue in dictis causis quomodolibet in quacumque instantia interuenissent, & cum opportuna derogatione stabilimentorum,vsuum,morum,consuetudinum, & priuilegiorum dicti Hospitalis,etiam ab eodem Clemẽte prædecessore concessorum, etiam prætextu iuratæ perhorrescentiæ (dummodo non ex causa denegatæ iustitiæ, aut perperam obseruatorum stabilimentorum processissent)cõmissas,& in futurum etiam cum similibus derogationibus pariter committendas, ad se in terminis in quibus reperirentur, etiam executiuis aduocauerat, illasque in eisdem terminis per Magistrum, ac Conuentum præfatos in eorum consilio ordinario, siue in generali Capitulo vt moris erat, & eorum stabilimenta ac consuetudines exigebant, ipsaque priuilegia expostulabant, cum omnibus & singulis illarum incidentibus, dependen. emergen. annexis & connexis, tàm coniunctim, quàm diuisim, etiam sine aliqua regiſtrorum in huiusmodi causis factorum exhibitione & productione, cognoscendas seu reassumendas,& fine debito terminandas, prout tunc Magistro dicti Hospitalis videretur expedire,cõmiserat & mandauerat.Inhibens ex tunc iudicibus,& partibus extra Conuentũ & suos iudices contra formã stabilimentorum prædictorũ litigãtibus,ne ex tunc de cetero in dictis causis quomodolibet procedere presumerent,decreto irritãti desuper adiecto.

Expectatiuas quoque & omnes gratias præuentiuas aliis quã personis Hospitalis super illius beneficiis concessas,etiam per Sedẽ Apostolicam reuocauit, & illis non obstãtibus M. Magistrum & Conuentum de illis disponere posse declarauit.

§.49. Et per reliquas suas in forma breuis literas,omnes & singulas speciales & generales,etiam mentales reseruationes,expectatiuas,mandata de prouidendo, concessiones, coadiutorias,vniones,etiam perpetuas, necnon alias præuentiuas gratias, & literas Apostolicas super prioratibus, & Castellania empostæ,baiuliuatibus,præceptoriis,rectoriis,domibus,locis,& membris,ac aliis beneficiis dicti Hospitalis quouis modo nuncuparentur, etiam in Castellæ & Legionis, ac Valentiæ regnis, ac principatu Cataloniæ, quomodocumque & qualitercumque, etiam cum quibusvis fortissimis & insolitis, etiam derogatoriarum derogatoriis,clausulis,irritantibusq; & aliis decretis,ac inhibitionibus quibusvis,etiam non dicti Hospitalis personis cuiuscumque dignitatis,status,gradus,ordinis,conditionis,præeminentiæ forent,etiam Cardinalatus honore fulgentibus & functuris, etiam ex quibusuis iustissimis & vrgentissimis causis,quã per Clementem predecessorẽ,& Sedẽ præfatos,tàm in genere,quàm in specie cõcessas & concessa, & quasuis etiã præuentiuas & restitutorias,ac præseruatiuas clausulas in se continentes,& continentia, eorumque omniũ vim & effectũ reuocauerat,cassauerat, & annullauerat,nulliusq;roboris vel momenti fore & esse, ac nemini suffragari posse neque debere,nec per eas cuiquã in prioratibus, castellania empostæ, baiuliuatibus, præceptoriis, dignitatibus,domibus,locis,& membris,ac aliis beneficiis Hospitalis huiusmodi, vel ad illa ius acquiri potuisse vel posse,neque coloratum titulum possidendi,sed illis non obstantibus Magistrum & Conuentum præfatos,coniunctim vel diuisim iuxta consuetudines & stabilimenta huiusmodi Hospitalis de Castellania, empostæ,baiuliuatibus,præceptoriis,domibus,locis & membris,ac aliis beneficiis Hospitalis huiusmodi libere disponere potuisse & posse,& sic iudicari debere, ac quicquid secus super his attentari contingeret, irritum & inane decreuerat.

Paulus III cõcessiones Pont. prædeceſſ. præsertim quoad perceptionẽ antiquarum decimarum confirmauit.

§.50. Similis memoriæ Paulo Papæ III. similiter prædecessori nostro pro parte tunc Magistri,ac priorum, baiuliuorum,præceptorum,militum & fratrum dicti Hospitalis exposito,quod antea eisdem Magistro,prioribus,præceptoribus & fratribus,à dicta Sede concessum fuerat, vt in parochiis & locis in quibus veteres decimas percipiebant, noualium decimas pro ea parte qua veteres percipiebant, similiter perciperent(licet de concessione huiusmodi,cum eorum munimenta in prædicta expugnatione periissent,vt præfertur, docere non possent) præfatus Paulus prædecessor,Magistri,priorum,baiuliuorum,præceptorum,militum & fratrum prædictorum in ea parte supplicationibus inclinatus,concessionem,facultatem,cassationem,reuocationẽ, annullationem,irritationem,reductionem, restitutionem, repositionem,reintegrationem, commissionem,mãdatum, liberationem,exemptionem,derogationem,statutũ,& alia per Clementem VII. concessa & gesta, necnon suppressionem, extinctionem,applicationem, approbationem, concessionem, assignationem, absolutionem & translationem per Innocentium VIII.ac facultatem, seu indultum percipiendi decimas noualium pro ea parte,qua veteres decimas percipiebant,necnon omnia & singula, tàm per præfatos Alexandrum,Gregorium,Bonifacium,Clementem V. Innocentium IV. Calliſtum, Leonem, & Clementem VII. quàm etiã similis memoriæ Ioannem XXII. Martinum V. Alexandrum V.Pium II.Paulum etiam II.Alexandrum VI. & quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores suos,ac Sedem præfatam eidem Hospitali,& illius prioratibus,baiuliuis,præceptoriis,domibus,hospitalibus, ecclesiis,capellis,& aliis locis,ac membris,necnon pro tempore existentibus Magistro,prioribus,baiuliuis, præceptoribus, militibus,fratribus & personis,ac eorum vassallis,& seruitoribus eatenus sub quibuscumque tenoribus & formis,ac cum quibusuis clausulis & decretis quomodolibet cõcessa, approbata & innouata,ac cum inhibitionibus & decretis, necnon

Digitized by Google

necnon omnibus & ſingulis aliis in eis contentis clauſulis ſingulas prædeceſſorum prædictorum deſuper, tàm ſub plũbo, quàm in forma breuis literas confectas ex certa ſcientia, per ſuas ſub plumbo confectas literas approbauit, confirmauit, & innouauit, ac valida & efficacia exiſtere, & perpetua raboris firmitate ſubſiſtere, ſuoſque effectus ſortiri.

Exemptionem à ſolutione decimarum ſeruari iuſſit.

§. 51. Ac etiam quoad poſſeſſiones, terras & bona quæ per quantumcumque longum tempus (quod nonaginta nouem annos, ſeu trium vitam intelligi ſeu cenſeri debere decreuit, & declarauit) non tamen in perpetuum feudum,

De hac vide latiorẽ cõſt. 77. Iij V. Et ſi cũcia. vbi notabo.

ſeu emphyteuſim eatenus conceſſa fuerant, & in futurum concederentur, inuiolabiliter, ita quod ipſi priores, præceptores & fratres, necnon coloni, arrendatarij & firmarij, pro poſſeſſionibus, terris & bonis etiã ad nonaginta nouem annos, ſeu trium vitã, non tamen in perpetuũ feudum ſeu emphyteuſim, vt præfertur, pro tempore conceſſis, necnon ſuis & aliis in illis pro tẽpore natis, aut naſcituris animalibus, à ſolutione quorumcumq; datiorũ, ſeu decimarũ, vel aliorum onerum, iuxta tenorem literarũ Clementis VII. prædeceſſoris huiuſmodi immunes & exẽpti perpetuo exiſterent per quoſcumque quauis dignitate, & præeminẽtia præfulgerent, etiam ſub ſententiis, cenſuris & pœnis in eis contentis perpetuo obſeruari. Necnõ Magiſtro, prioribus, baiuliuis, præceptoribus, militibus, fratribus, perſonis, vaſſallis, ſubditis & ſeruitoribus præfatis ſuffragari debere decreuit, omneſq; & ſingulos iuris & facti defectus, ſi qui forſan interuenerãt in eiſdẽ, ſuppleuit, ac præmiſſa omnia & ſingula prout per ſingulos prædeceſſores & Sedem præfatos, decreta, conceſſa, prohibita, ſtatuta, ordinata, innouata & geſta fuerant, in omnibus & per omnia perpetuo conceſſit, decreuit, prohibuit, ſtatuit, ordinauit & fecit.

Parochialibus, & aliis Eccleſiis Ordinis, capellanos eiuſdẽ deputari cõceſſit quibuſcũq; non obſtan.

§. 52. Illaque etiam ad hoc vt Magiſter & ſinguli priores, baiuliui, præceptores, milites & fratres Hoſpitalis huiuſmodi pro eorum libito voluntatis parochiales, ac etiam ſine cura eccleſias, vel earum vicarias, ſeu capellanias perpetuas, aut capellas, vel altaria, ſeu alia beneficia ſimplicia ad eorum collationem, prouiſionem, præſentationem, electionem, ſeu quamuis aliam diſpoſitionem, ratione prioratuum, baiuliuarum, præceptoriarum, etiam camerarum magiſtralium nuncupatarum, hoſpitalium, domorũ, & aliorum beneficiorum dicti Hoſpitalis per eos pro tempore obtentorum de iure, ſtatuto, conſuetudine, fundatione, aut priuilegio, vel alias quomodolibet ſpectantia & pertinentia, & ab ipſis baiuliuiis, præceptoriis, domibus, hoſpitalibus & aliis beneficiis dependentia, ſeu illis annexa, quæ dudum fratribus ſaltem capellanis eiuſdem Hoſpitalis, & ab eiſdem Magiſtro, prioribus, baiuliuis, ac præceptoribus & aliis prædictis conferebantur, à longo tamen & forſan longiſſimo tempore citra, de cuius initio memoria hominum forſan non exiſtebat, per ipſos Magiſtrum, priores, baiuliuos, præceptores, milites & fratres, per abuſum aut ex defectu fratrum capellanorum, vel aliarum perſonarum eiuſdem Hoſpitalis ad id idonearum, clericis ſeu preſbyteris ſæcularibus collata, aut conferri, & per ipſos preſbyteros, vel clericos ſæculares obtineri ſolita, etiam fratribus Hoſpitalis huiuſmodi præſertim capellanis nuncupatis, qui vt aſſerebatur à presbyteris, ſeu clericis, niſi quoad geſtationem crucis, vel habitus dicti Hoſpitalis ad pectus non differebant, immo priuilegiis clericorum ſæcularium iuxta forſan eorum priuilegia, & conſuetudines gaudere ſolebant, ſi ad id alias idonei, & habiles reperirentur, conferre, ac alias de illis prouidere & diſponere, ipſique fratres quibus beneficia huiuſmodi conferri contingeret, illa ſi ſibi alias canonice conferrentur, aut ipſi eligerentur, præſentarentur, vel alias aſſumerentur ad illas, & inſtituerentur in eis, recipere, & in titulum etiam quoad viuerent, retinere reſpectiue, libere, & licite valerent, extendit & ampliauit, eiſq; conceſſit & pariter indulſit, ac cũ eis ſuper hoc legitime diſpenſauit. Necnõ Magiſtrum, priores, baiuliuos, præceptores, milites, fratres, perſonas, vaſſallos, ſubditos, & ſeruitores prædictos illis omnibus, iuxta illorum cõtinentium, & tenorem perpetuo vti, potiri, frui & gaudere, libere & licite poſſe decreuit, prout in ſingulis literis prædeceſſorum huiuſmodi plenius continetur.

Hoc latius cõprobauit Gregor. XIII. conſtitu. 60. Quo magis.

Pius autem IV. Pontifex iſte, ex cauſis hic expreſſis, priuilegia, & gra-

§. 53. Nos igitur cupientes, vt Religio Hoſpitalis huiuſmodi, cuius fratres nullis parcẽdo periculis, contra piratas, turcas, & alios Chriſti nominis hoſtes, dimicare, ac pro ſalute Chriſtiana honeſtã morte oppetere nõ ceſſant, & qua qua verſum claſſis Chriſtianorum in infideles dirigitur, vocati ſe illi adiungunt, primoſque congreſſus fortiter ſuſtinent, ſicuti nouiſſime in expugnatione terræ Aphricæ priſcam virtutem oſtendentes, omnium primi illius muros conſcenderunt; ſalubriter dirigatur & amplietur, Dilectos filios Ioannem de Valeta modernum Magiſtrum, ac priores baiuliuos, præceptores, milites, fratres & perſonas Hoſpitalis huiuſmodi, ac eorum ſingulos à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, Motu proprio non ad Ioannis de Valeta Magiſtri, aut baiuliuorum, priorum, præceptorum, militum, fratrum, vel perſonarum prædictarum, ſeu aliorum pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſtatuta, ordinationes, declarationes, reuocationes, caſſationes, irritationes, voluntates, monitiones, requiſitiones, promulgationes, ſuppreſſiones, extinctiones, vniones, incorporationes, conceſſiones, etiam facultatum aſſignationes, decreta, annullationes, aduocationes, remiſſiones, inhibitiones, iiunctionem, moderationem, repetitionem, renouationem, approbationes, confirmationes, ſuppletiones, reſtitutionem, repoſitionem, cõmiſſionem, mandatum, ſuſceptionem, liberationem, exemptionem, ſubiectionem, prohibitionem, extenſionem, ampliationem, indultum, & diſpenſationem Martini, Sixti, Innocentij, Iulij, Leonis, Clementis, & Pauli prædeceſſorum huiuſmodi, necnon omnia & ſingula priuilegia, iuriſdictiones, facultates, immunitates, conceſſiones, indulgentias, libertates, prerogatiuas, exemptiones, gratias, fauores, & indulta, Hoſpitali, baiuliuiis, prioratibus, caſtellaniæ, præceptoriis, domibus, conuentibus, ſeu Monaſteriis, eccleſiis capellis, locis & membris, necnon pro tempore exiſtẽtibus Magiſtro, baiuliuis, prioribus, caſtellano, præceptoribus, militibus, fratribus, & perſonis, ac eorũ vaſſallis, ſubditis & ſeruitoribus, per prædictos, & alios quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Sedem prædictam ſub quibuſcumq; tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis hactenus quomodolibet conceſſa, approbata, & innouata, necnon cum omnibus & ſingulis, in eis contentis clauſulis ſingulas eorumdem prædeceſſorum, tàm ſub plumbo, quàm in forma breuis literas, prout per anteceſſores noſtros Leonem X. Clementem VII. & Paulum III. conceſſa, confirmata, & approbata fuerunt, & conſtitutionem eorum nuncupatam in nouiſſime celebrata curia Regum Aragonum, vt accepimus, editam, qua inter alia caueri dicitur expreſſe, quod pro euitandis litibus & diſcordiis, quæ ſæpius in præceptoriis dicti Hoſpitalis ſuſcitari ſolent, in præceptoriis, & beneficiis Hoſpitalis huiuſmodi ad manus iudicum ad id competentiũ apprehenſis, in tenuta & poſſeſſoriis, ac aliis articulis & proceſſibus, qui coram iudicibus ſæcularibus tractari poſſunt, illi obtinere debeant, qui per Magiſtrum & Conuentum Hoſpitalis huiuſmodi prouiſi, eorum bullas, & executoriales regias habuerint & reportauerint, iuxta literarum ipſius Ioannis prædeceſſoris continentiam & tenorem.

tias per Martinũ V. & alias prædeceſſores Hoſpitali, & Militia S. Ioãnis Hieroſolymitani, eiuſq; perſonis, & rebus, conceſſas, iuxta Leo. X. Clement. VIII. & Pauli III. conceſſiones, & iuxta conſtitutionẽ nuper in Curia Regum Aragonũ editam cõfirmat.

Statuta, & Ordinationes capituli generalis anni 1558. approbat.

§. 54. Et inſuper omnia & ſingula ſtabilimenta, ordinationes, & decreta in Capitulo generali nouiſſime celebrato edita, præſertim de feſtis Apoſtolorum duplici officio celebrandis; Et reſponſione, ac nouis impoſitionibus iuxta formam ſtabilimentorum, & priuilegiorum eorumdem factis, ſuper prioratibus, ac aliis beneficiis & locis dicti Hoſpitalis, ad ſubleuandum illius onera. Et de illegitimis in fratres milites eiuſdem Hoſpitalis neutiquam cooptandis, niſi ex Comitum, aut ſuperiorum genere, nec etiam illis niſi à patre, auo, & proauo paterno per ſeriem illuſtribus prognatis. Necnon diuiſiones animalium quæ in præceptoriis decedentium præceptorũ reperiuntur, pro vna præceptoriis ipſis, & pro alia medietatibus, vel etiam aliquando in totum ærario publico in certos caſus applicandis. Ac pœna in non ſoluentes reſponſiones, & impoſitiones ærario. Necnon commutatione ſolutionis iurium ratione mortuariorum, & vacantium. Et dilatione diuiſionis bonorum, ſpoliorum, mortuo Magiſtro præfato. Et annumeratione certarum Præceptoriarum, quæ Magiſtratui ſunt perpetuo

vnitæ.

Digitized by Google

vnitæ. Ac forma licentiarum exercendi Militiam sæcularem per fratres cum pœnis in contrafacientes. Et prouisione aduersus malos administratores bonorum. Necnon acceptatione administrationis communis ærarij per Magistrum præfatum factam ad requisitionem sexdecim Capitularium, & reliqua, quorũ omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis, & insertis haberi volumus, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, confirmamus & innouamus.

Et ad Hospitale Ordinis nũc in insula Melitẽ. consistens extendit.

§. 55. Ac ad Hospitale prædictum ad præsens in Melitẽ. & non in Rhodi insula cõsistens, illiusque Magistrum, baiuliuos, priores, præceptores, fratres, & personas, ac alia infrascripta extendimus & ampliamus, eaque omnia valida & efficacia existere, & perpetuã roboris firmitatem obtinere, suosque effectus sortiri, ac ab omnibus quauis dignitate & præeminentia fulgeant, etiam sub sententiis, censuris & pœnis in eis contentis perpetuo inuiolabiliter obseruari decernimus.

Causarũ omnium cognitionem M. Mag. & Conuentui concedit.

§. 56. Necnon causas sub literis Martini & Clementis prædecessorum huiusmodi comprehensas, ac omnes & singulas lites & querelas, siue in dicta Curia, tàm in Auditorio nostro, quàm per commissiones, siue extra eam super quibusuis dicti Hospitalis beneficiis, ac bonis & pecuniis thesauri, & fratrum quorumcumque, seu super eorumdem delictis, etiamsi ex aduerso aliqui clerici sæculares vel regulares, aut laici existerent, & actiue, seu passiue iuxta alias formas stabilimentorum & priuilegiorum prædictorum in dictis causis quomodolibet, & in quacumque instantia interueniissent hactenus motas, in quibus tamen non concluſum sit, & in futurum quouis prætextu mouendas in quibusuis instantiis pendentes, quarum status, & merita etiam præsentibus haberi volumus pro expressis, ad nos aduocamus, ac illas eisdem Magistro & Conuentui per eos iuxta formam dictorum stabilimentorum, & laudabilium consuetudinum prædictorum in statu debito reassumendas, & decidendas committimus, eosque quorum interierit citandi, & quotiens opus fuerit inhibendi, etiam sub censuris & pœnis ecclesiasticis, tàm in curia prædicta, quàm extra eam, facultatem concedimus. Necnon illorum sententias, & rem iudicatam per Priorem Ecclesiæ dicti Conuentus, etiam sub censuris & pœnis ecclesiasticis contra condẽnatos etiam in curia prædicta, tàm realiter, quàm personaliter exequi mandamus, ita quod alibi quam in dicto Hospitali, aut extra illud ex Magistri & Conuentus commissione, iuxta stabilimenta, & vsus huiusmodi cognosci & terminari nequeant.

Appellari à Iudicibus Hospitalis ad M. Mag. & Conuentum; & ab illis ad Capit. generale permittit, & non aliter.

§. 57. Nec à sententiis per Iudices dicti Hospitalis pro tempore latis, ad alium quàm Magistrum & Conuentum prædictos, seu iudices ab eis deputatos in quauis instantia, neque à sententiis per ipsum Magistrum & Conuentũ latis, aliò quàm ad ipsum generale Capitulum, siue per ipsius Hospitalis fratres, siue per ipsos subditos & vassallos quomodo appellari possit, immo vsque ad tertiam sententiam in eodem Conuentu procedere teneantur.

Sententias, & mandata M. Magistri nullo prætextu impediri posse decernit.

§. 58. Et similiter, quod omnes sententiæ per eosdem Magistrum & Conuentum latæ, omnes item cõmissiones, citationes, collationes, bullæ, & omnia denique eorumdem rescripta ad omnes suæ iurisdictioni subditos, ac reliquos etiam quorum interierit causas, lites, seu querelas coram ipsis pertractari directa exequi, & à nullis locorum, & terrarum dominis, etiam Ducali, aut Regali dignitate fulgẽtibus aliqua ratione expectandi consensus, seu alio quouis quæsito colore in eorumdem executione impediri possint, seruato tamen in eis exequendis Dat. Ordine, ita quod eorum vltima primis anteferri nequeant.

Facultatẽmq; contra omnes clericos sæculares, & regulares, seu laicos, Ordinis debitores procedẽdi concedit.

§. 59. Ac quod contra Clericos sæculares, seu laicos, prioratus, baiuliuas, præceptorias, domos, & alia beneficia Hospitalis huiusmodi occupantes, seu illi, aut eius communi thesauro, seu fratribus occasione responsionum annuarum, vacantium, mortuariorum, annatarum, passaggiorum, arreragiorum, seu alias quomodolibet debentes, siue agant, siue conueniantur, etiam in quauis instan. ad causam veniant, Magister & Conuentus præfati, modo, & forma quibus contra ipsius Hospitales fratres procedi consueuit, libere procedere, & eos prioratibus, baiuliuis, præceptoriis, domibus, & aliis beneficiis huiusmodi iuxta aliàs formam priuilegiorum prædictorum priuare valeant, concedimus & indulgemus.

Conseruatores Ordinis, tam fratres, quam eorum seruitores tueri debere iubet.

§. 60. Necnon personas in dignitate ecclesiastica vbilibet constitutas, & quoscumque locorum Ordinarios, ac eorum Vicarios, & Officiales, necnon Canonicos Metropolitan. & Cathedralium, aliarumque ecclesiarum prælatos, & rectores per eosdem baiuliuos, priores, præceptores & fratres, ac eorum singulos pro tempore eligendos in Cõseruatores, qui quamdiu exercuerint dictum officium, à nemine quo minus illud exerceant sub aliquo prætextu impediri, vel molestari possint, deputamus. Ita quod ipsi sic electi, sub pœna excõmunicationis latæ sententiæ per eosdẽ priores, baiuliuos, præceptores & fratres, ac eorum singulos aduersus inferentes eis, aut eorum seruitoribus, & familiaribus iniurias, seu grauamina vel damna, in personis rebus, & bonis, seu exigentes ab eis vectigalia, datia, pedagia, gabellas, collectas, aut alia onera, defendere, & præseruare, ac omnem eorum iurisdictionem exercere. Necnon sententias, censuras & pœnas ecclesiasticas, cõtra rebelles, & inobedientes cum effectu promulgare: ac omnibus facultatibus Conseruatoribus dicti Hospitalis, & illius personarum, per quascumque literas Apostolicas quomodolibet concessis, vti, ac priuilegia prioribus, baiuliuis, præceptoribus, & fratribus præfatis pro tempore concessa eis obseruare facere debeant, & teneantur.

Pœna omnia exigi mandat. Hoc latius dispositum vide in const. 43. Sixt. V. Æquũ.

§. 61. Ac iura mortuariorum, & vacantium, necnon arreragiorum, passagiorum, & aliorum quorumcumque, ita vt quæuis personæ cuiuscumque ecclesiasticæ dignitatis existentes beneficia Hospitalis huiusmodi pro tempore obtinentes, illa soluere omnino teneantur, & adstricti sint, ac ad id etiam sub sententiis, censuris & pœnis ecclesiasticis, ac alias iuxta eorumdem priuilegia priuationis & apprehensionis etiam beneficiorum ad manus suas remediis cogi possint, solui mandamus.

Ordinari à quocumq; Antistite, & extra tẽpora concedit.

§. 62. Necnon exemptionem, & liberationem prædictas, ita quod Magistri baiuliuorum, priorum, præceptorum, & dicti Hospitalis fratres, capellani, à quocumque catholico Antistite, sub Romanæ Sedis obedientia constituto sacros ordines, etiam extra tempora à iure statuta, tribus diebus festiuis suscipere, & in quibusuis tàm sæcularium, quàm regularium ecclesiis absque alicuius licentia, etiam altari portatili celebrare possent.

Hoc moderatur Conc. Trident. sess. 7. cap. 11.

§. 63. Nec omnino aliquis ex prædicti Hospitalis fratribus, donatis, seruitoribus, vassallis & colonis in prioratibus, baiuliuatibus, commendis, domibus, membris, aut aliis quibusuis beneficiis, prædiis, siue grangiis quomodocumque à dicto Hospitali dependentibus, in quibuscumq; locis sub quorumcumque Patriarcharum, Episcoporum, Vniuersitatum, Hospitaliũ, Rectorum ecclesiarum limitibus, & iurisdictione constitutis, decimas, aut canonicam portionem, seu charitatiuum subsidium, aut quartas nũcupatas, seu alias quascumque collectas, vel contributiones, tàm ex antiquis eorum culturis, quàm ex recenter cultis noualibus, alicui quouis modo soluere teneantur: à quibus omnibus exactionibus, atque etiam tàm nouo subsidio dilecto filio nostro Philippo Hispaniarum Regi in suis Regnis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros concesso, quàm canonica portione, seu quarta nuncupata in Franciæ Regnis nuper imposita, necnon à quibuscumque aliis facultatibus Regibus huiusmodi, & aliis Principibus concessis, vel concedendis in futurum, omnia dicti Hospitalis loca, vt præfertur, necnon ecclesiarum quomodocumque à dicto Hospitali dependentium fabricas libera & liberas, exempta & exemptas, sicut per prædecessores nostros Romanos Pontifices fuisse, ita modo esse declaramus & volumus.

Exemptionem à decimis subsidiis, & cat. elargitur.

Hanc firmauit Pius V. vt in eius const. 77. Et si iuncta.

Priuilegium extrahẽdi bladа, pecun. &c. absq; datio tributi.

§. 64. Addentes quod præfati Magister & Conuentus, priores, baiuliuij, præceptores aut quicumque alij ex dicti Hospitalis fratribus per quoscumque locorum, aut terrarum dominos, tàm spirituales, quàm temporales, etiam si regali dignitate præfulgeant, etiam in terris S.R.E. (sicut alias per suas olim Paul. III. prædecessor noster concesserat) ab extractione frumenti, ordei, vini, olei, leguminum, & quorumuis fructuum, atque etiam pecuniarum ex prioratibus, baiuliuatibus, commendis, membris, domibus, grangiis, aliisve prædicti Hospitalis locis prouenientium nullo vmquam modo impediri possint, quo minus præfata omnia pro sua possessorum voluntate in quæcumque fidelium loca ab omni pedagio, datio, seu tracta quæ dicitur, libera & exempta valeant asportare; Et bona etiam patrimonia-

Vide moderationẽ Pauli V. in constit. 10. Inter.

Digitized by Google

lia, Magiſtri baiuliuorum, priorum, præceptorum, & fratrum, ac aliarum perſonarum huiuſmodi, tàm acquiſita, quàm in poſterum acquirenda, aut illis quouis modo etiam ex conceſſione Apoſtolica, vel Magiſtrali, pertinentia; ex die emiſſæ per eoſdem Magiſtrum, baiuliuos, priores, præceptores, fratres, & perſonas, profeſſionis, vt præfertur, ab omnibus decimis, & aliis oneribus libera, immunia, & exempta exiſtant.

Priores, & præceptores infra limites ſua iuriſdictionis veros ordinarios declarat.

§. 65. Et ipſi Magiſter, ac Conuentus, necnon prior eccleſiæ, alijque priores, & præceptores intra limites ſuarum iuriſdictionum, & adminiſtrationum veri Ordinarij iuxta formam ſtabilimentorum, & priuilegiorum prædictorum exiſtant, & eſſe cenſeantur. Ac beneficia eccleſiaſtica ad præſentationem, ſeu collationem baiuliuorum, priorum, præceptorum, & Hoſpitalis huiuſmodi ſuffragari debere decernimus. Ita quod preſbyteri ſæculares illa ad præſens in commendam, ſeu alias quomodolibet obtinentes, commendæ huiuſmodi cedere, aut illa alias dimittere nequeãt, niſi de conſenſu eorum ad quos præſentatio, ſeu collatio ſpectat, & in fauorem dicti Hoſpitalis, ſeu perſonarũ quæ habitum per fratres capellanos eiuſdem Hoſpitalis deferri ſolitũ ſuſcipiant, & profeſſionem per eos emitti ſolitam emittant: nec illa deinceps ipſi, niſi infra ſex menſes à die intimationis habitũ ipſius religionis ſuſceperint, & regularem profeſſionẽ infra alios ſex menſes emiſerint, poſſidere poſſint, & ſi ſecus fiat, aut ceſſionem, ſeu reſignationem huiuſmodi, ac de dicti Ordinis beneficiis etiam in manibus noſtris in futurum fieri cõtingat, huiuſmodi ceſſiones, reſignationes, & prouiſiones nullius ſint roboris, vel momenti, niſi in illis expreſſe dicatur, & de conſenſu Magni Mag. & de illis iuxta formam priuileg. d. relig. prouideatur.

Ad hoc vide d. conſtit. 77. Pij V.

Indulgentias Ordini conceſſas approbat.

§. 66. Ac quaſcumque indulgentias, & peccatorum remiſſiones hactenus eis per prædeceſſores noſtros cõceſſas, & præſertim Sixti IV. de plenaria indulgentia, ſemel in vita, & in mortis articulo, pro eis, eorumque ſeruitoribus, & miniſtris pugnantibus, ac Honorij III. de alia plenaria pro his, qui eis manus porrexerint adiutrices, ac Clemẽtis VII. & ſuorũ prædeceſſorum de quadraginta annis, & totidem quarantenis, ac ſeptima parte iniunctæ pœnitentiæ pro viſitantibus eorũ eccleſias, & oratoria vbicumq; exiſtẽtia, & manus porrigentibus adiutrices in ſingulis ſecũdis, quartis, & ſextis feriis Quadrag. & capitis ieiuniorum, ac feſti Sancti vocabuli dictarũ Eccleſiarum. Necnon Clemẽtis V. quoad facultatem ſuper votis (Terræ ſanctæ, & caſtitatis dumtaxat exceptis) ac ſuper vſuris, rapinis, & male ablatis, vel acquiſitis, quorum domini certi non reperiuntur, & indiſtincte relictis in vltimis voluntatibus pro ſuſtentatione pauperum, ac ſuper Diuinis Officiis, & Horis Canonicis omiſſis, componendi, & abſoluendi. Ac Vrbani etiam prædeceſſoris quoad confratrias dicti Ord. pro colligendis eleemoſynis ſemel in anno admittẽdas, & aliis cõfratribus non poſtponendas confirmamus, & approbamus.

Quoad porrigentes manus adiutrices, vide reuocationẽ Pij V. in conſt. 30.

Beneficia Ordinis non in tit. perpetui beneficij, ſed ad nutum concedi ipſius.

§. 67. Et inſuper cum prioratus, baiuliuiæ, præceptoriæ, domus, & alia beneficia Hoſpitalis huiuſmodi, eorumque bona omnia præfato Hoſpitali inſeruiant, & quodammodo vnita ſint, & pro tempore exiſtentes Magiſter & Conuentus Hoſpitalis huiuſmodi plenam in ea iuriſdictionem habeant, prioratus, baiuliuias, præceptorias, domos, conuẽtus, monaſteria, & alia beneficia huiuſmodi de cetero ex perſonis illa obtinentibus vacare non poſſe, ſed cedentibus, vel decedentibus illorum pro tempore poſſeſſoribus, ea vni, ſeu pluribus, non in titulum perpetui beneficij eccleſiaſtici, ſed tamquam manualia ad nutum, ſeu amouibiliter iuxta formam ſtabilimentorum, & priuilegiorum prædictorum concedi, & aſſignari debere.

Rem iudicatã M. Magiſtro, & Conuentui nõ citatis non præiudicare decernit.

§. 68. Et per quamcumque rem iudicatam Mag. & Cõuentui præfatis, niſi ipſi ſpecialiter ad cauſã vocati fuerint, ſuper iuriſdictione prædicta, & ſua ciuili eorũ poſſeſſione præiudicari, aut præiudicatum cenſeri non poſſe, ſed eos ſemper, re iudicata huiuſmodi non obſtan. ſuper poſſeſſorio huiuſmodi agere, & de ſpolio dare poſſe.

Perſonas religionis in cauſis ipſius, teſtes alijs deficientibus recipi mãdat.

§. 69. Ipſoſque Magiſtrum, Priores, Baiuliuos, Præceptores, Milites, Fratres, perſonas, vaſſallos, ſubditos, & ſeruitores in ipſius Hoſpitalis, & Religioſorum cauſis in omni iudicio, & contra quoſcumque vbi aliæ probationes non exiſtunt, etiam iuxta formam ſtabilimentorum, & priuilegiorum prædictorum in teſtes adhiberi.

§. 70. Necnon Magiſtrum, & Conuentum, quoſcumque, & ſingulos Priores, Baiuliuos, Caſtellanum Empoſtæ, ſuorum Prioratuum, Baiuliuarum, & Caſtellaniæ Fratres, ſeu Religioſos delinquentes, vel inobedientes cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, & præeminentiæ exiſtentes, etiam ſi quauis etiam Apoſtolica exemptione fungentur, in quocumque loco quantumuis priuilegiato, & quauis etiam Imperatoris, Regum, ſeu aliorum Principum, etiam eccleſiaſticorum Curia, per ſe, aut ſuos officiales, & miniſtros capere, & incarcerare, ac captos à ſe, vel eorum nomine liberare, & ad Hoſpitale prædictum per Magiſtrũ, & Conuentum prædictos iuxta eorum conſtitutiones, & ſtabilimenta puniendos ſub debita cuſtodia tranſmittere, & tranſmitti facere libere, & licite poſſe. Ac tam eccleſiaſticos, quàm ſæculares officiales, & locorum poteſtates, ad eiſdem Magiſtro & Conuentui, Prioribus, Baiuliuis, & Caſtellano in præmiſſis aſſiſtendum, ac auxilium, conſilium, fauorem, & iuuamen præſtandum ſub excommunicationis, & aliis ſententiis, cenſuris & pœnis eccleſiaſticis teneri, & obligatos fore.

M. Magiſtrum, Priores, &c. quoſcumque Fratres delinquentes vbique capere poſſe concedit.

Ad hoc vide etiã bullã 37. Clem. VIII. Æqua.

§. 71. Necnon præſentium, & quorumcumque priuilegiorum Apoſtolicorum eis hactenus conceſſorum, & in poſterum concedendorum tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, aut curiæ eccleſiaſticæ munitis plenam, & eam, quæ præſentibus adhiberetur, fidem in iudicio & extra, adhiberi debere decernimus.

Huius bullæ, & priuilegiorũ tranſumptis credi iubet.

§. 72. Ac volumus, quod tàm præſentium, quàm aliarum quarumcumque literarum Apoſtolicarum, ſeu earum tranſumpti, ac mandatorũ Magiſtri, & Conuentus prædictorum publicatio & affixio, in ſingulis Prioratibus, Baiuliuatibus, præceptoriis, membris, & beneficiis dicti Ordinis factæ, perinde arctent, ac ſi contra contentos ſub eiſdem perſonaliter factæ eſſent, facta in primis diligentia de illis perſonaliter reperiendis in dictis locis.

Eius, & mandatorum M. Mag. & Conuẽtus publicationem omnes arctare decernit.

§. 73. Et nihilominus ſtatuimus, ac dictis Magiſtro & Conuentui perpetuò concedimus, quod ſi quiſquam Priorum, Baiuliuorum, Præceptorum, Militum, & Fratrum dicti Hoſpitalis Crucem, vel habitum extra dictum Conuentum à Romano Pontifice, vel de eius licentia receptum geſtans, intra annum poſtquam illam ſuſceperit, aut ſibi de Prioratu, & Baiuliua, Præceptoria, officio, vel beneficio Hoſpitali huiuſmodi prouiſum, vel alias in eius fauorem diſpoſitum fuerit. Ac quicumq; alius dicti Ordinis beneficium, vel penſionẽ obtinens, aut fructus percipiens, quãdocumque pro ſeruitiis Religionis, aut alias euocatus, ſeu in ſolutione iurium communis ærarij morioſus fuerit, coram dictis Magiſtro, & Conuentu perſonaliter non comparuerit, & obedientiam, aliaq; iura debita eiſdem Magiſtro, & Conuentui non præſtiterit, eo elapſo habitu, dignitate, adminiſtratione, & beneficio, ac quocumque honore, & officio iuxta alias formas ſtabilimentorum, & priuilegiorum prædictorum, eo ipſo careat, priuatuſq; cenſeatur, ſeu ſi videbitur priuari poſſit. Nec vlla huius ſtatuti derogatio, aut exemptio realis vel perſonalis, ſeu alia gratia præſeruatiua, etiã motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, quomodolibet pro tẽpore facta, ſeu conceſſa contra præmiſſa valeant, nec Magiſter, & Conuentus præfati illis parere teneantur, ſed illis nõ obſtãtibus de Prioratu, Baiuliuia, Præceptoria, dignitate, officio, vel beneficio, ſic, aut per priuationẽ huiuſmodi vacãte, iuxta ſtabiliméta, & alia præmiſſa libere diſponere, aut illa alias per eum, vel eos ad quem, ſeu quos Antianitatis, vel alio iure pertinet, acceptari poſſint.

Habitum extra Conuentũ ſuſcipientes, aut beneficia, &c. poſſidentes, infra annum nõ comparentes in Conuentu priuari poſſe concedit.

§. 74. Decernentes præſentibus, & in eis contentis omnibus, non niſi eiſdẽ modo, & forma quibus in literis Leonis, Clementis, & Pauli prædeceſſorũ prædictorum conceſſum eſt, nullatenus derogari poſſe, nec derogatum cenſeri.

Prædictis ceteris tamen modo derogari poſſe declarat.

§. 75. Et ſic in præmiſſis, omnibus, & ſingulis per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, tàm in dicta Curia, quàm extra eam pro tempore deputatos (ſublata eis, & eorum cuilibet quauis alias circa præmiſſa iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) iudicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper præmiſſis, omnibus, & ſingulis à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ ſublata, &c. apponit.

§. 76. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopo Toletanenſi, & Epiſcopo Pariſienſi, ac pro tempore exiſtenti Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Regenti, ſeu generali Auditori, per Apoſtolica ſcripta moru

Executores deputat.

ſimili

Digitized by Google

simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Magistri, Priorum, Baiuliuorum, Præceptorum, Militum, & Fratrum prædictorum, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi firmiter obseruari, ac singulos quos ipsæ præsentes literæ concernunt, illis pacifice gaudere. Non permittentes eos desuper contra præsentium tenorem quomodolibet molestari. Contradictores & rebelles quoslibet per censuras, & pœnas ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias eorum arbitrio moderandas, ac alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac quoscumque quorum interierit, etiã per edictum publicum locis publicis affigendum, constito summarie de non tuto accessu, citando, ac quibus, & quotiens inhibendum fuerit, etiam simili edicto, ac sub eisdem pœnis & censuris; inhibendo, ipsasque censuras & pœnas ecclesiasticas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 77. Non obstantibus præmissis, ac dicti Bonifacij prædecessoris, qua cauetur nequis extra suam Ciuitatem, vel Diœcesim nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ Diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne Iudices à Sede præfata deputati extra Ciuitatem, vel Diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alij, vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali edita, ac quibusuis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Hospitalis etiã iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac quibusuis priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis, etiam Ordinariis præfatis, & quibusuis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, locis, & personis cuiuscumq; dignitatis, status, vel conditionis existentibus sub quibuscũque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso inserti forent præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dũtaxat specialiter, & expresse derogamus, cõtrariis quibuscumq; aut si aliquibus eorum, vel diuisim ab eadẽ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excõmunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbũ de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo, &c.

D. P. An. 1. die 2. Iulij.

Dat. Romæ apud S. Petrũ, Anno Incarnationis Dñicæ 1560. Kalendis Iulij, Pontificatus nostri Anno primo.

X. De residentia Episcopali, residentiumque priuilegiis, & non residentium pœnis.

Hoc idem postea decreuit etiam Concil. Trid. in sess. 6. cap. 1. & sess. 23. cap. 1. & sess. 24. c. 12. Et ampliorem dispositionem fecit contra omnes Curatos hic idem Pont. infra in const. 91. In suprema, *quibus alias quoque pœnas imposuit; ibi videas.*

Edita An. D. 1560.

PIVS EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Causa istius Constitutionis.

DE salute gregis Dominici nobis ex Alto commissi, attentius cogitantes, ad ea libenter intẽdimus, per quæ grex ipse continua suorum cum eo residentia Pastorũ præseruetur à noxiis, & in deuium prolabens, ad rectitudinis tramitem reducatur, vt Pastores ipsi, residentiã ipsam, prout tenentur, commodius facere, ac circa ipsius gregis curam libentius, ac feruentius inuigilare, & illum ab errorũ præcipitiis præseruare, ac in fide orthodoxa, & deuotione nostra continere valeant, opem, & operã efficaces impendimus, prout rerum, & temporum qualitate pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Episcopi absentes redeant ad eorum Ecclesias.

§. 1. Hinc est, quod nos Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, vniuersos, & singulos venerabiles fratres nostros Episcopos, Archiepisc. Primates, & Patriarchas, ab Ecclesiis, & Diœcesibus suis absentes in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interdicti ingressus Ecclesiæ pœna, eo ipso, absque alia declaratione incurrenda, districte præcipiendo monemus, vt omnibus postpositis quantocitius, in Romana Curia videlicet moram trahentes, intra vnum; extra eam vero in Italia intra duos; extra vero Italiam existentes intra quatuor menses à die publicationis præsentium in locis infrascriptis faciendam cõputandos, se itineri cõmittere, & legitimis itineribus ad Ecclesias, seu Diœceses suas proficisci, & sese personaliter cõferre, ac ibidem vt tenentur residere, & Pastorale officiũ exercere debeant.

Inobedientes, & non residentes pœnas hic expressas incurrant.

§. 2. Si quis autem à Patriarchali, Primatiali, Metropolitana seu Cathedrali Ecclesia sibi quocumque titulo, nomine, seu iure commissa, quacumque illi dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeant, legitimo impedimento, seu iustis & rationabilibus causis cessantibus, sex mẽsibus continuis extra suam Diœcesim morando abfuerit, quartæ partis fructuum vnius anni, Fabricæ Ecclesiæ, & pauperibus loci per Superiorem ecclesiasticum applicandorum pœnam ipso iure incurrat. Quod si per alios sex menses in huiusmodi absentia perseuerauerit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam, eo ipso amittat, crescente vero contumacia, ac seueriori sacrorum Canonum censuræ subiiciatur, Metropolitan. Suffraganeos, Episcopos absentes, Metropolitan. vero absentem, Suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ ipso iure incurrenda, infra tres menses, per literas, vel nuncium Rom. Pontifici denunciare teneatur, qui in ipsos absentes, prout cuiuscumque maior, aut minor contumacia exegerit, suæ supremæ Sedis auctoritate animaduertere, & ecclesiis ipsis de Pastoribus vtilioribus prouidere poterit, sicut in Domino nouerit salubriter expedire.

Quas pœnas imposuit Conc. Trid. sess. 6. c. 3. de Reform.

Obedientes, & residentes potiuntur priuilegijs infrascriptis vt videlicet, citari non possint ad comparendum in Rom. Cur. nisi de commissione Papæ.

§. 3. Eosdem autem Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos mandatis nostris parentes, & apud suas ecclesias, seu in earum Diœcesibus personaliter residentes specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, vt liberius, & commodius eorum officio fungi valeant, eis, & eorum cuilibet, vt quando resederint, etiam prætextu quorumcumque delictorum, & excessuum atrociorum, etiam hæresis, & læsæ Maiestatis criminum per eos quomodolibet commissorum, ad comparendum personaliter in Romana Curia per quoscumque Iudices ordinarios, vel delegatos, etiam S.R.E. Card. nisi vigore specialis commissionis manu nostra, vel Rom. Pontificis pro tempore existentis signatæ, trahi, aut citari non possint nec debeant, atque aliter factas citationes, & censuras in eis appositas, ac inde secuta quæcumque, nulla, & irrita, ac nullius roboris, & momenti fore, ac eos minime afficere, aut arctare statuimus, & ordinamus.

Exemptiq; sint à solutione decimarum, &c.

§. 4. Necnon eos, & eorum quemlibet ab omnibus, & singulis decimis, subsidiis, & aliis oneribus ordinariis, & extraordinariis quomodolibet nuncupatis, per nos & successores nostros Romanos Pont. pro tempore existentes, ac Sedem Apostolicam, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac etiam consistorialiter etiam ad instantiam Regum, & Principum, quomodolibet, & ex quauis etiam quãtumuis vrgentissima, iustissima, ac pia, & necessaria causa, etiam pro defensione fidei Catholicæ, ratione dictarum Ecclesiarum nunc, & pro tempore impositis, illorumque solutione, auctoritate Apostolica, tenore præsentium ex simili scientia penitus, & omnino eximimus, & liberamus, nec ad id à dilectis filiis modernis, & pro tempore existentibus S.R.E. Camerario, necnon Cam. Apost. Thesaurario, Præsidentibus, & Clericis, ac decimarum, subsidiorum, & aliorum onerũ huiusmodi Collectoribus, & Subcollectoribus, seu Exactoribus, & Commissariis ad id pro tempore deputatis, etiam vigore quorumcumque priuilegiorum, indultorum, & literarum, etiam præsentibus derogantium, ac illarum totum tenorem de verbo ad verbum exprimentiũ, eis quomodolibet concessorum, & concedendorum, cogi seu compelli, & ob non solutionem huiusmodi aliquas sententias, censuras & pœnas incurrere posse decernimus. Illiusque & quibusuis aliis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub nostræ indignationis, necnon excommunicationis, aut suspensionis, ac priuationis suorum officiorum, & beneficiorum, quæ obtinent, & pro tempore obtinebunt, eo ipso incurrendis pœnis, ne eosdem Episcopos, Archiepisc. Primates, & Patriarchas sic in dictis Ecclesiis, vel earum Diœcesibus residentes, quamdiu in illis resederint, vt præfertur, ad solutionem decimarũ, subsidiorũ, & onerum præfatorum

Digitized by Google

fatorum cogere, ac propter illorum non solutionem excommunicationis aut alias sententias, censuras,& pœnas promulgare quoquomodo audeant, seu præsumant districtius inhibemus.

Iurisdictionem quoque habent contra clericos seculares, & etiã regulares extra claustra degentes quomodolibet exemptos.

§.5. Et insuper eisdem Episcopis,Archiepiscopis, Primatibus, & Patriarchis sic vt præmittitur residentibus,vltra priuilegia, & indulta eis per quoscumque Rom. Pont. prædecessores nostros,ac Sedem Apostolicam,& Generalia Cõcilia,& Cancellariæ Apostolicæ Regulas concessa, quæ in suo robore permanere volumus, tanquam à dicta Sede delegati in quibuscumque ciuilibus, criminalibus,vel mistis causis contra quoscumque clericos sæculares particulares,ac etiam extra eorum Monasteria,seu regularia loca degentes regulares quomodolibet exemptos auctoritate nostra procedere,& causas ipsas cognoscere, finéque debito terminare,ac quicquid terminauerint exequi,& obseruari facere,ipsosque exemptos pro tempore delinquentes,iuxta eorum excessus,& delicta punire,corrigere, & omnem iurisdictionem in eos exercere, omniaque alia & singula in præmissis,& circa ea quomodolibet necessaria,& opportuna quæ nosmet facere,exercere,& exequi possemus,in omnibus,& per omnia facere,exercere,& exequi libere,& licite valeant,plenam, & liberam licentiam, ac facultatem auctoritate & tenore prædictis cõcedimus, & indulgemus.

A decretis ante definitiuam, & vbi agitur de correctione morũ appellatio non admittitur.

§.6. Decernentes ab eorum ordinationibus, interlocutionibus,& decretis ante definitiuam sententiam, vel vim definitiuæ habentem,& vbi agetur de morum correctione, nullatenus etiam ad nos, & Sedem Apostolicam appellari posse, & nihilominus per appellationes quascumque contra præsentium tenorem quomodolibet interpositas minime causas deuolui, aut etiam per quascuis inhibitiones etiam eum quibuscuis censuris,& pœnis,eis à quibuscuis Iudicibus ordinarlis, vel delegatis forsan faciendas,illarum vlteriorem cognitionem, & expeditionem, & vbi de morum correctione agetur, etiam legitimam executionem minime impediri, aut censuris,& pœnis huiusmodi ligari, aut irretiri censere.

Decretum irritans.

§.7. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Metropolitan.aut alios Iudices,& Commissarios, etiam Palatij Apost. Auditores,& S.R.E. Card.sublata eis aliter iudicandi,& interpretandi, aut definiendi potestate iudicari,definiri,aut interpretari debere, necnon irritum, & inane quicquid secus à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum istius const.deputatio,& facultates.

§.8. Mandantes venerabilibus fratribus nostris Feltren. & Pisaurien.ac Amerin. Episcopis per Apostolica scripta, Motu simili,quatenus ipsi,vel duo,aut vnus eorum,per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi & quando opus fuerit, & quotiens pro parte eorumdem Episcoporum,Archiepiscoporum,Primatum,& Patriarcharum, seu alicuius eorum desuper requisiti fuerint,solemniter publicantes,eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes,faciant eadem auctoritate nostra illos,& eorum singulos omnibus, & singulis præmissis pacifice frui,& gaudere, non permittẽtes eos desuper per eosdem Camerarium, Thesaurarium, Præsidentes,& Clericos,necnon Collectores,& Subcollectores, & Exactores, & Commissarios præfatos, seu quoscumque alios quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per similes censuras,& pœnas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando,inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogatoria.

§.9. Non obstantibus fel.rec. Bonifacij Papæ VIII.prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, & aliis constitutionibus,& ordinationibus Apostolicis, ac quibuscuis Cameræ præfatæ statutis,decretis, & declarationibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis,necnon priuilegiis,indultis,exemptionibus, etiam Mari magno, aut aliàs nuncupatis,Conseruatorum deputationibus, & eorum ac aliis inhibitionibus, quibus dicti Episcopi,Archiepiscopi, & Patriarchæ deferre minime tenentur,sed illis reiectis ac non obstantibus,in dictis causis,vt præfertur,procedere,& illas iure debito terminare possint,ac literis Apostolicis eisdemCameræ Camerario, Thesaurario, Præsiden. & Clericis,ac Collectoribus, & Subcollectoribus, & Commissariis, ac exemptis,necnon Regibus,& Principibus præfatis, ac dilectis filiis Archipresbytero,& Capitulo Ecclesiæ nostræ Lateranen.necnon Hospitali nostro S.Spiritus in Saxia de Vrbe,& quibuscuis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis,ac cum quibuscuis clausulis,& decretis,etiam Motu,& scientia similibus concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis,eorumque totis tenoribus specialis,specifica,indiuidua,& expressa,ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes,illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter,& expresse derogamus, & quæ aduersus præmissa nemini suffragari posse volumus, contrariis quibuscumque. Aut si Patriarchis,Primatibus, Archiepiscopis,& Episcopis,vel quibuscuis aliis communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum,quod interdici,suspendi,vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§.10. Et quia difficile foret præsentes literas ad singula, in quibus fides forsan facienda foret,loca deferri,volumus, & eadem auctoritate decernimus,quod earum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ ecclesiasticæ vel personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis,eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & alibi vbi opus fuerit,quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Forma, & effectus publicationis.

§.11. Quodque publicatio præsentium cum dimissione copiæ in valuis Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ eosdem præfatos,& eorum singulos etiam à dicta Curia absentes, sic vt præfertur,monitos,arctet,& afficiat, perinde ac si præsentes literæ eis, ac eorum cuilibet personaliter intimatæ forent. Nulli ergo, &c.

D. P. Ann.1. die 4.Septemb.

Dat.Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1560. Pridie Nonas Septembris, Pontificatus nostri Anno primo.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1560. Indict. 3. die vero 13. mensis Sept. Pont.Sanctiss. in Christo patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. Anno I. retroscripta litera affixæ,lectæ,& publicatæ fuerunt Romæ in locis retroscriptis,dimissis ibidem copys affixis iuxta illarum formam, & tenorem per nos Iacobum Carra,& Bernardinũ Andreutium præfati S.D.N. Papæ Cursores.

XI.

Reductio ad terminos iuris communis, bullæ Pauli IV. edita super alienationibus,& locationibus bonorum ecclesiasticorum, quoad causas pendentes, & futuras; *Et licentia reuidendi iam decisas.*

Hanc bullam Pauli IV. habes supr.fol. Iniunctum, *num.3. ibi videas quæ dixi in rubrica.*

PIVS PAPA QVARTVS.

Motu proprio, &c.

Edita An.D. 1560.

Exordium.

PRouida Romani Pontificis circumspectione, ea quæ certis suadentibus causis emanarunt, ex aliis non minus attendendis rationibus, ad rationis trãmitem reducit, prout rerum qualitate digesta salubriter cõspicit expedire.

Paul.IV.edidit constit. de qua hic.

§.1. Dudum siquidem fel.rec.Paulus PP.IV.prædecessor noster ex certis,tunc expressis, & nobis notis causis Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, &c.

Omittitur residuum narratiua,quia ipsam bullã habes in loco cit.in rubr.

Lites autem, & quæstiones multæ ortæ sũt, & quamplurimi de rigorosa executione d. const.Paul.IV. conquerebãtur.

§.2. Cum autem sicut accepimus occasione dictarum literarum,& Motus proprij huiusmodi, diuersæ lites, quæstiones,& controuersiæ ortæ,ac diuersa grauamina, læsiones,perturbationes,& incommoda diuersis personis generata,& illata,ac literæ & Motus proprij huiusmodi rigorosæ executioni demandata fuerint, in earumdem personarum animarum molestiam non modicam, plurimorum ad nos querelæ delatæ fuerint, & in dies deferantur,conquerentium potissimum de rigore,vel potius iniustitia literarum,

Digitized by Google

rum,& Motus proprij prædictorum,præsertim facta interpretatione prout à nonnullis dicitur esse facta, quod contra illos non possit opponi legitima præscriptio temporis, neque compensatio, vel etiam pro melioramentis competens retentio,& pro fructibus bona fide perceptis, & consumptis excusatio, neque fori declinatio,minusque appellatio, aliave iuris communis remedia, & quod alienationes factæ à Rom.Pont.solemnitatibus alias à iure requisitis,& etiam ad commodum, & fauorem, & ex necessitate S.R.E. non valeant.

Ideo hic Pont. illam const. reducit ad terminos iuris cõmunis quoad causas pendentes & futuras.

§.3. Nos arbitrantes indemnitati Ecclesiarum per anteriores Canones esse abunde prouisum,ac quietem & tranquillitatem singulorum Christi fidelium nostris potissimũ temporibus, sinceris exoptantes affectibus,ad tollen. omnem querelarum prædictarum occasionem, literarum, & Motus proprij prædictorum veriores, necnon processuum desuper formatorum,&sententiarũ latarum tenores,ac si de verbo ad verbũ insererentur.Necnon quarumcumq; litium desuper forsan motarum,& penden.status,ac merita ac nomina & cognomina iudicum, & collitigan. præsentibus pro expressis habentes,volentes consideratione etiam dilectorum filiorum Pop. Rom. vbi propter literas, & Motum proprium prædict.nouitates nullæ factæ esse dicuntur,literas & Motum proprium huiusmodi quoad penden. & futuras causas,ac si vmquam emanassent ad ius commune,& terminos,& viam iuris communis,& ex certa nostra scientia,& de Apost.potest.plenitudine omnino reducimus, reuocamusque,cassamus,& annull.ac viribus vacuamus.

Quo vero ad decisas, absoluit condemnatos à censuris, & causas mãdat remitteri secundum iuris communis dispositionem.

4. Quo vero ad eas causas in quibus vigore litterarum, & Motus proprij prædictorum, ad sententiæ prolationem est processum, illos contra quos est sententiatum, si sint propterea censuris Ecclesiasticis irretiti, à censuris huiusmodi absoluimus,concedimúsque & volumus,quod etiam si ab eisdem sententiis non appellauerint, aut interpositæ per eos appellationes desertæ remanserint,ac etiam ad earumdem sententiarum executionem processum fuerit, possint nihilominus, firma remanente executione iam facta, pro eorum, & cuiusque eorum libito voluntatis super sententiarum executionumque huiusmodi, & quorumcumq; inde secutorum iniustitia, & nullitate coram suis competen. ordinariis, siue specialiter delegatis Iudicibus agere, & experiri in causis, quæ ipsis secundum iuris communis dispositionem, posthabitis Bulla, & Motu proprio prædictis,procedi,& sententiari, & definiri debeat, ita vt si huiusmodi sententias cum inde secutis à dictis ordinariis, vel Iudicibus specialiter delegatis per viam nullitatis, vel iniustitiæ reuocari contigerit etiam quod vnica sententia sit in fauorem priorum possessorum executioni demandetur,firma manente appellatione,quoad caput deuolutiuum.

Decretum irritans.

§.5. Et ita per quoscumque Iudices quauis auctoritate fungen. etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales,sublata &c. Irritum quoque, &c. Iudicari, & definiri.

Forma,& effectus publicationis.

§.6. Præsentiumque (quas vim legis in perpetuum habere volumus)solam signaturam sufficere,& postquam per Cursores in locis consuetis more solito publicatæ fuerint, statim omnes afficere,& earum transumptis vnius ex dilecti filij nostri in Alma Vrbe Vicarij Iudicibus manu subscriptis, eiusdemque Vicarij sigillo obsignatis,non minus quam ipsis originalibus credi, & fidem adhiberi decernimus, & declaramus.

Clausula derogatoria.

§.7. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis renunciationibus, & de non contrauenien. obligationibus desuper factis,etiam iuramento,quod quoad hoc relaxamus,vallatis priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus,& formis, ac cum quibusuis decretis, etiam Motu proprio,& sciẽtia similibus quomodolibet concessis,&c. Quibus omnibus, & singulis in literis latiss. extenden.etiã si de illis,&c.tenores,&c. hac vice dũtaxat specialiter,& expresse derogamus,cæterisque contrariis quibuscumque,cum clausulis opportunis & consuetis.

Fiat Motu proprio.I.

Papa subscrip. D. P. Ann.1. die 11. Sept. Publicatio.

Dat.Rom. apud S.Marcum, 3. Idus Septembr.Anno I.

Anno à Natiuitate Domini 1560.Indict.3.die vero 24.mensis Septembr. Pont.Sanctiss.in Christo patris,& D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. Anno I. retroscripte littere affixæ, & publicatæ fuerunt in acie Campi Florę, ac Basilicæ Principis Apostolorum,& Cancell. Apost.valuis, seu portis tamquam locis ad similia facien.consuetis iuxta ipsarum literarum tenorem,per nos Iacobum Carra,& Nicolaum de Matthæis Cursor.

Ioannes Magnus Mag. Cursor.

Forma contrahendi in statu Ecclesiastico Societates, Officij nuncupatas. XII.

*Aliam ediderat dispositionem Paulus IV. vt supra in eius Const.*8. Inter cæteras, *fol. prout aliam quoque ediderat Leo X. die 12.Ianuarij 1514 sed Leonis bullam veluti in totum antiquatam volens pratermisi.*

PIVS PAPA QVARTVS.

Motu proprio, &c.

Edita An. D. 1560.

Paulus IV. tradidit formam contrahẽdi societates Officiorum nuncupatas, vt in eius const. Inter cætera supr. fol.

CVm sicut accepimus felic. rec. Paulus Papa IV. prædecessor noster certis tunc expressis causis motus,quod nullus tam in Curia, quàm in tota ditione Ecclesiastica Officialis cuiuscumque status, gradus, ordinis,dignitatis, conditionis,& præeminentiæ existeret,tunc,& pro tempore aliquam societatem super aliquo, seu aliquibus ex officiis ad tunc suam, seu Sedis aut Cameræ Apostolicæ, seu Camerarij,Vicecamerarij,Pœnitentiarij Maioris,& causarum Palatij Apostolici Auditoris,dispositionẽ quomodolibet pertinentibus, quæ vendi consueuerunt per eum obtinen. pro tempore cum aliqua alia persona,seu personis, Communi,Collegio,seu Vniuersitate, nisi præcedente Signatura ab eo,seu Rom.Pont. pro tempore existen.obten. in qua pacta, & conuentiones partium exprimi deberent, pro cuius expeditione, & certa aduocatione medium pro centenario quolibet scutorum, seu ducatorum cogeretur soluere,inire præsumeret,& societates aliter quàm sic inire non valerent,& earum prætextu agi non posse, & forsan alia, tunc expressa sua constitutione Motu proprio sub Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimoquinto, Nonis Octobris, Pontificatus sui Anno I. statuerit,& ordinauerit prout in ea latius continetur & habetur.

Hic Pont. ex causis hic relatis eã reuocat.

Aduerte quod non intelligitur reuocata in vers. Nos cupientes, vt patet etiam ex lectura huius bullæ.

§.1. Nos considerantes sicut fideli relatione percepimus, quod ex huiusmodi constitutione multæ, & diuersæ tam nostræ Almæ Vrbis, quàm ditionis ecclesiasticæ, & extra eam personæ,quæ aurum,pecunias in societatibus Officiorum huiusmodi contrectare solitæ erant, ea prohibitione vti re noua territæ earum societates, quæ in notabili numero, & ingenti pecuniarum summa existebant statim diffidixerunt,& reuocarunt,ad exactionemque pecuniarum sic in societatibus datarum agere, & Officiales eorumque fideiussores cogere cœperunt,& enixe institerunt, quo factum est vt Officiales ipsi,& eorum fideiussores,tum etiam ob mala tempora quæ interuenerunt promptam non haberent, quam restituerent, pecuniam; nec ab aliis propter huiusmodi Constitutionis difficultatem pecunias in societatem reperirent,eorum officia,seu bona alia viliori etiam pretio vendere,& alienare,vel pecunias alias sub grauioribus etiam illicitis vsuris capere, vel potius quod pluribus contigit decoquere, & ab Vrbe aufugere,& sic creditores defraudare omnino cogerentur, ob quod grauia damna,& incommoda tam Vrbi, quàm ipsis particularibus Officialibus,& personis illata fuerint,quæ etiam hodie sustinent. Cupientes quantum cum Deo possumus his malis obuiare pro tempore futuro, ac Officiales ipsos, & alios interesse putantes ab huiusmodi grauibus, & damnatis vsuris condebitis exactionibus liberare;Supplicationibus dilectorum filiorum nostrorum Populi Romani, & Conseruatorum Almæ Vrbis nostræ super hoc nobis porrectis inclinati, eisque instantibus,& cum eis more pij patris benigne agere volentes,Motu simili ex certa nostra scientia,ac de Apostolicæ potestatis plenitudine dictam Constitutionem per dictum Paulum Quartum, vt præmittitur, factam, cum omnibus in ea appositis clausulis, cuius tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis haberi volumus, cassamus, irritamus, & annullamus, ac pro cassatis, irritis,& annullatis haberi volumus,illamque viribus tempore futuro penitus euacuamus.

Nouamque dispositionem inducit.

§.2. Volentes,& auctoritate nostra decernentes, quod de cetero ipsis Officialibus super tamen eorum Officiis societates quascumque cum pactis tamen licitis,& honestis prout

Digitized by Google

prout & quemadmodum ante constitutionẽ præfatam solitum erat,etiam nulla à nobis,seu Rom.Pont.pro tempore existent.desuper expedita Supplicatione,seu Signatura, non tamen vltra valorem Officiorum super quibus illas fieri contingeret,ita quod ad requisitionem secum societates contrahentium,teneantur in ipso cõtractu specialiter exprimere alias societates super eodem Officio contractas si quæ sint,& si eas falso negauerint,vel expresserint in toto, vel in parte,pœnam priuationis officiorum,ipsorum super quibus societates huiusmodi contractæ fuerint,sine tamen præiudicio creditorum,quatenus aliunde illis satisfieri non possit,ipso iure incurrant. Et nihilominus tàm ipsi, quàm fideiussores desuper præstiti ad satisfactionem societatum, & debitorum desuper contractorum teneantur,& obligati existant,facere,& inire,ac pecunias recipere,& contractus desuper celebrare,qui alias tamen legitime initi,validi & efficaces existant,& executioni demandari debeant,libere, & licite possint & valeant, licentiam & facultatem concedimus per præsentes.

Contrariis derogat.

§.3. Dicta Constitutione ceterisq; in contrarium quomodolibet facientibus non obstantibus quibuscumq; præmissorum omnium & aliorum hic forsan necessario exprimendorum tenores pro plene, & sufficienter expressis habentes.

Papa subscrip.

Placet Motu proprio. I.

XIII. De solemnitatibus obseruandis in venditionibus, & locationibus bonorum & iurium Cameræ Apostolicæ.

De alienationibus autem, & infeudationibus Terrarum, &c. Sedis Apostolicæ, vide prohibitionem Pij V. inf. in eius Const. 35. Admonet ***vbi notabo.***

Edita An. D. 1560.

PIVS PAPA QVARTVS.
Motu proprio, &c.

Exordium.

CVm in alienationibus rerum ad Ecclesias, & Fiscum pertinentium nonnulla sint à iure specialius disposita,ne Ecclesiæ,& Fiscus per malignitatem hominũ grauius lædantur, eaque maxime in rebus ad Romanam Ecclesiam,quæ ceterarum est caput, & eius Cameram Apostolicam pertinentibus obseruari conueniat,quorum omissionem plerumque damnosam fuisse, experientia rerum magistra docente, compertum est.

Quæ solemnitates obseruentur, in alienationibus,& locationibus bonorum Camer.

§. 1. Ideirco nos præfatæ Romanæ Ecclesiæ eiusq; Cameræ Apostolicæ indemnitati,ex nostri officij debito consulere volentes, Motu simili, & ex certa scientia, hac in perpetuum valitura constitutione statuimus,& ordinamus, vt de cetero in omnibus venditionibus, locationibus, & alienationibus Thesaurariarum,dũhanarum,gabellarum, aliorumq; iurium,bonorum,& reddituum quorumcumq; tàm in Alma Vrbe nostra,quàm in aliis Prouinciis,Ciuitatibus,& locis nostræ,& S.R.E.ditioni subiectis,ad prædictam Cameram quomodolibet pertinentium per eamdem Cameram,seu ab ea deputatos, & deputãdos ad quantumcumque,longum,seu breue tempus faciendis,debitæ,& de iure requisitę solemnitates,tàm quoad publica edicta,cum expressione locorum,& dierum,in quibus hæc fieri debebunt emittẽda,& licitationes,& subhastationes cum temporis,à iure seu Iudicis arbitrio statuti præfixione,necnon plus offerentibus deliberationes,quàm quoad cetera circa rerum Fisci alienationes deposita, obseruari debeant.

Aliterque facta nulla sint.

§.2. Et aliter factæ venditiones, locationes,seu alienationes rerum huiusmodi non valeant,nulliusque roboris, & momenti existant,sed per eamdem Cameram reuocari, ipsæq; res sic alienatæ cum fructibus inde perceptis repeti,& aliis vendi,seu locari possint & debeant, sicque per quoscumque Iudices etiam Palatij Apostolici Auditores, & S.R.E.Cardinales iudicari, & declarari debere, sublata eis aliter iudicandi,& declarandi facultate, irritumque & inane quicquid secus à quauis auctoritate scienter, vel ignoranter cõtigerit attentari,decernimus.

Fraudulentæ pactiones damnantur.

§.3.Et ne in huiusmodi subhastationibus faciendis fraus aliqua fieri valeat, omnibus,& quibuscumq; res præfatas emere,vel conducere volentibus,ne cum aliis quibuscumque pacta,seu conuentiones,vt illi minora pretia offerant, & licitentur,seu aliquam super præmissis societatem, seu conuenticulam occultam in præiudicium prædictæ Cameræ ineant,sub nullitatis, & inualiditatis omnium per eos in præmissis mediante fraude huiusmodi gerendorum, ac excommunicationis maioris,& decemmillium ducatorum auri eidem Cameræ applicandorum pœnis districtius inhibemus.

Executorum huius bullæ deputatio.

§.4. Mandantes dilectis filiis Guidoni Ascanio Sanctæ Mariæ in via lata Diac.Cardinali,nostro & S.R.E.Camerario,ac prædictæ Cameræ Præsidentibus,Clericis,vt præsentes, quarum solam signaturam nostram,etiam absque datæ appositione, regula Cancellariæ nostræ forsan contraria non obstante, sufficere volumus in libris Cameræ registrari,ac in eisdem literis contenta omnia, & singula inuiolabiliter obseruent, & à quibuscumque aliis obseruari mandent,& faciant cum effectu.

Clausula derogatoria.

§.5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Camerario,& Clericis,& Cam. Apost. quomodolibet concessis, approbatis,& innouatis, quibus omnibus, illorum tenores,&c.quoad præmissa specialiter, & expresse derogamus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Papa subscrip.

Placet,& ita Motu proprio statuimus,& mandamus. I. Dat. Romæ apud S.Marc. 16.Kalend.Octob.Ann.primo. *Registrata lib.35.fol.253.die 15.Nouemb.1560.admissæ, & registratæ ex decreto Cam.collatæ,& concordatæ.*

D.P.Ann.1. die 16.Sept. Admissio in Cam. Apost.

Hieronymus de Tarano.

XIV. Iudices causarum Beneficialium, vel criminalium, priuationem Beneficiorum concernentium, eorumque affines, & familiares, beneficia illa impetrare non possint.

Edita An. D. 1560.

PIVS PAPA QVARTVS,
Motu proprio, &c.

Causa constit.

CVpientes vnicuique iustitiam,prout par est,æqua lance ministrari,& omnem delinquendi occasionem ab ipsius iustitiæ ministris,præsertim Iudicibus in beneficialibus, ac etiam criminalibus priuationem beneficiorum ecclesiasticorum concernentibus causis tàm à Sede Apostolica,ac eius Legatis,& Vicelegatis,quàm alias quomodolibet,& à quibuscumque pro tempore deputatis,seu ad quos illarum cognitio,tàm de iure, quàm de consuetudine, etiam ratione eorum quæ obtinent officiorum, & alias quomodolibet pertinet,& pertinebit,seu quibus causæ ipsæ tàm Apostolica, quàm alia auctoritate commissæ sunt, & pro tempore committentur,penitus remoueri,ac eorum fraudibus obuiare,& animarum saluti quantum cum Deo possumus salubriter consulere.

Iudices causarum Beneficialium, eorumq; affines, & familiares beneficia illa impetrare non possint.

§.1. Ex certa nostra scientia,ac de Apostolicæ potestatis plenitudine decernimus,& declaramus quoscumque Iudices etiam S.R.E.Card.necnon causarum Palatij Apost.Auditt.seu Locaten. & vtriusque vel alterius Signat. Refer. & quosuis alios etiam Archiepiscopali, Patriarchali, aut alia maiori dignitate etiam Legationis munere fungentes, ad audiendum,cognoscendum,& decidendũ causas super quibusvis ecclesiis monasteriis,prioratibus, & aliis beneficiis ecclesiasticis,tàm in Romana Curia, quàm extra eam quomodolibet hactenus motas, etiam priuationem earumdem concernentes,& in futurum mouendas,tam alia Sede eiusque Legatis,seu Vicelegatis prædictis, ac tàm Apostolica, quàm ordinaria,aut alia auctoritate,& à quibusuis in dicta Curia, & extra eam, vel alias vbilibet pro tempore deputatos,seu ad quos similium causarum decisio,seu qualiscumque cognitio etiam quomodolibet,vt præfertur, spectat & spectabit in futurum,aut quibus illas quouismodo audiendas,cognoscendas,& decidendas,& vt præfertur,alias committi contigerit,necnon eorumdem Cardinalium, Auditorum, Locatenentium, Referendariorum, & aliorum, vt præfertur,qualificatorum Iudicum huiusmodi nepotes,cõsanguineos,affines,procuratores,sollicitatores,ac domesticos,vel familiares,cuiuscumque status,gradus, ordinis, & conditionis fuerint, & etiam ex quorum sententiis priuationes ecclesiarum,monasteriorum,prioratuum, & beneficiorum huiusmodi,aut alias emanauerint, ac emanabunt, eorum per priuationem eamdem, aut alias quomodolibet occurrenda vacatione, nullo vmquam tempore à nobis,seu Sede,aut aliis Legatis prædictis, vel quibusuis illorum ordinariis collatoribus impetrare, aut ab aliis impetrari, seu sibi cõferri, & de illis prouideri facere quoquomodo posse,

seu

Digitized by Google

ſeu debere,ſed illos penitus ad illa impoſterum obtinenda inhabiles fore & eſſe,ac quaſcumque impetrationes ſic ab eis,etiam vt præfertur,qualificatis, necnon collationes,& prouiſiones,ac quaſuis alias diſpoſitiones,aut alias conceſſiones de eccleſiis, monaſteriis, prioratibus, & beneficiis huiuſmodi etiam per nos, aut prædeceſſores noſtros etiam motu & poteſtatis plenitudine ſimilibus hactenus quomodolibet factas, &.in poſterum faciendas, nullas,irritas, & inanes,nulliuſq; roboris & momenti exiſtere, nullumque per illas eis ius quæſitum fuiſſe fore aut eſſe, ſeu dici vel cenſeri, ac de annali,& triennali poſſeſſore,aut alias Cancellariæ Apoſt.regulas,ſeu alias conſtitutiones eis aduerſus præmiſſa nullatenus ſuffragari poſſe, ſed illos eis ſic impetratis omnino priuatos, & ab eis amouendos eſſe, prout nos harum ſerie priuamus,& amouemus, ac priuatos & amotos eſſe denunciamus.

Decretum irritans. §.2. Et ita per eoſdem Cardinales, Auditores, Locatenentes, ac alios quoſcumque Iudices quauis auctoritate fungentes,ſublata,&c. iudicari, &c. debere, irritum quoque,&c.decernimus & declaramus.

Clauſula derogatoria. §.3. Non obſtantibus ſi opus ſit de non tollendo iure quæſito,& aliis quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis,ſtatutis,&c.etiam iuramento &c. roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis in genere,vel in ſpecie etiam iuramento,& cet. ac Motu ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſis quibuſuis, omnibus in literis latiſſime exten.etiamſi de eis,&c.tenores,&c.hac vice ſpecialiter, & expreſſe derogamus,ceteriſque contrariis quibuſcumque, cum clauſulis opportunis & conſuetis. Fiat Motu proprio. I.

Papa ſubſcrip.

Repetitio clauſularum. §.4. Cum decreto, declaratione,derogatione,& aliis de ac pro omnibus ſupradictis,quæ hic pro ſufficienter,& ad partes,repetitis habeantur latiſſime exten.perpetuo in forma gratioſa, & ſi videbitur literæ deſuper ad perpetuam rei memoriam cum præmiſſorum omnium,& ſingulorum etiam nomen,& cognomen etiam beneficiorum ſic impetratorum,eorum qualitatem etiam maioritatis, & principalitatis,& illa impetrantium,in ſe continentium,etiam ſi Cardinales vel alias,vt præfertur, qualificati fuerint, ac tempus detentionis maiori,& veriori expreſſione latiſſime exten.per breue noſtrum expediri,& in dicta Cancellaria, & alias vbilibet publicari poſſint,& ſi videbitur cum opportuno decreto, quod illarum tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis,& ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ,ſeu Curiæ eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ originalibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, latiſſime extendi poſſint,ſeu ſi videbitur præſentis Motus proprij etiam abſque illius regiſtratura & data,ſola ſignatura ſufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio & extra, quacumque regula,ſeu conſtitutione Apoſtolica contraria non obſtante. Fiat. I.

Sola ſignatura ſufficit.

D.P. An.1. die 18. Octob. Dat.Romæ apud S.Petrum 5.Idus Octob.Anno primo.

XV. Approbatio & declaratio iuriſdictionis,& indultorum, Archipresbyteri, & Iudicis cauſarum Canonicorum,& Capituli B.M. Maioris de Vrbe.

Has iuriſdictiones vide ſup. in Conſtit. 19. Pauli III. fol: Cum ſicut.

Edita An. D. 1560.

PIVS PAPA QVARTVS, Motu proprio, &c.

Motus proprij ſunt Pauli III. indicati in rubric.

CVm ſicut accepimus, dilectus filius noſter Carolus tit. Sanctæ Praxedis S.R.E. presbyter Card. Borthomæus nuncupatus,Baſilicæ S.Mariæ Maioris de Vrbe Archipreſbyter, & dilecti filij eiuſdem Baſilicæ Canonici, Capitulum,ac Beneficiati, & Clerici, & ſingulæ perſonæ præinſertos Motus proprios omniaq; Baſilicæ huiuſmodi priuilegia pro illorum ſubſiſtentia firmiori,noſtri & Sedis Apoſtolicæ patrocinio,& munimine roborari deſiderent.

Confirmatio iuriſdictionis, & indultorum cum declaratione quoad cauſas criminal. §.1. Nos Carolo Cardinali Archipreſbytero, & Capitulo, Canonicis,Beneficiatis,& Clericis, & perſonis Baſilicæ prædictæ ob ſingularem eorum erga nos, & Sedem Apoſtolicam deuotionē benigne annuere, ac eos ſpecialis gratiæ fauore proſequi volentes.Ac omnes,& ſingulas cauſas ciuiles,& beneficiales,meras,& mixtas,eccleſiaſticas,ſeu ſpirituales, & profanas, necnon etiam criminales (citra tamen pœnam ſanguinis, & corporis afflictiuam) tàm inter Canonicos,& Capitulū,ac Beneficiatos,& Clericos,aliaſque prædictæ Baſilicæ,& alias quaſcumque perſonas, cuiuſcumque ſtatus, gradus, dignitatis,& præeminentiæ exiſtentes,de & ſuper cenſibus,canonibus, penſionibus,reſponſionibus,& aliis quibuſcumque rebus,& bonis ad dictam Baſilicā ſpectan.& pertin.vel ius, aut intereſſe prædictæ Baſilicæ,quomodocumque,& qualitercumque concernen.directe,vel indirecte,quàm etiam inter ipſoſmet Canonicos,&Beneficiatos,Clericos,Capellanos,& Sacriſtanos, & alias eiuſdem Baſilicæ perſonas, & alios prædictos,& alias quaſcumque perſonas,loca, Collegia,& Vniuerſitates,ac Communitates ſuper quibuſcumque bonis,& pecuniarum ſummis, rebuſque aliis quocumq; nomine nuncupatis, & quomodocumque qualificatis ad dictos Canonicos,Beneficiatos,& Clericos,ac quemlibet eorum quomodolibet ſpectan.in genere,vel in ſpecie,coram quibuſcumque Romanæ Curiæ, ſeu aliis quibuſuis Iudicibus,& Locatenen.& Auditoribus,& S.R.E.Card. quomodolibet,& in quacumque inſtantia penden.in ſtatu,& terminis in quibus reperiuntur,ab eiſdem Iudicibus,& ex tenore præſentium auctoritate Apoſtolica motu ſimili, & ex certa ſcientia noſtra,ad nos aduocantes,præinſertos Motus proprios,omniaque alia,& ſingula priuilegia,facultates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, antedationes, iuriſdictiones,auctoritates prædictæ Baſilicę,necnon eiuſdem Baſilicæ ſtylum,mores, conſuetudines,ſtatuta, indulta,& gratias,aliaſque præfatæ Eccleſiæ, ac Carolo Card. Archipreſb. necnon Capitulo,& Canonicis, Beneficiatis, & Clericis prædictis,etiam ſuper collatione quorumcumque beneficiorum eccleſiaſticorum per prædictos,& quoſcumque alios Rom.Pont.prædeceſſores noſtros,in genere, vel in ſpecie & alias quomodolibet conceſſa, facta, edita, obſeruata,& vſu exiſten.ac deſuper ſignat.ac confectas literas,Motus proprios,ſupplicationes,inſtrumenta,& alias ſcripturas,& in eis contenta,ac illorum vigore ſubſecuta, geſta & emanata quæcumque,auctoritate,motu,& ſcientia ſimilibus tenore præſentium confirmamus, approbamus,& innouamus,ac illis perpetuæ,& inuiolabilis firmitatis robur adiicimus,omneſq; & ſingulos tam iuris,quàm facti, & ſolemnitatum defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem ſupplemus,ac ſingula præmiſſa,& in præinſertis,aliiſq; motibus propriis,ſupplication. literis, inſtrumentis, & ſcripturis Baſilicæ Archipreſbytero,Capitulo, & Canonicis prædictis, vt præfertur conceſſa, & inde ſecuta quæcumque,valida & efficacia fore, & eſſe,ac perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obſeruari debere,& ita per prædictos, & quoſcumque alios Iudices, &c. omneſque cauſarum Palatij noſtri Apoſtolici Auditores, & S.R.E.Cardinales ſublata, &c. iudicari debere,irritumque &c. decernimus.

Nona eorundem conceſſio. §.2. Et nihilominus pro potiori cautela, eadem omnia, & ſingula eiſdem auctoritate,motu, & ſcientia,& tenore, modo & forma,quibus conceſſa ſunt,de nouo concedimus, ac omnes & ſingulos prædictos, vt præfertur,& alias quomodolibet penden. & ad nos aduocatas,& alias quaſcumq; cauſas,lites,& quęſtiones,moleſtias,& differentias,vt præfertur,& alias quomodolibet ſpecificat.& qualificatas,modo & forma præmiſſis,ac inter Canonicos,Capitulum, Beneficiatos,Clericos, Capellanos, & Sacriſtas Baſilicæ prædictæ,aliaſq; perſonas,motas & mouēdas, actiue & paſſiue eidem Carolo Card. & pro tempore exiſten. Archipreſbytero Baſilicæ prædictæ,illius Vicecancellario deputato, & deputan.etiam ſummarie, ſimpliciter,& de plano,ſine ſtrepitu figura Iudicij, & etiam ſi videbitur quando opus fuerit manu Regia, alias iuxta præinſertorum motuum propriorum tenorem,cum omnibus earum inciden.audien.cognoſcen.deciden. fineq; debito terminan.committimus, & mandamus.Cum poteſtate citan.& inhiben.&c. in eiſdem cauſis,& qualibet earum,ſecundum dictorum motuum propriorū tenorem proceden.citationeſque per Curſorem, ſeu Mandatarium ad id per Reuerendiſſ. D.Archipresbyterum deputan.in cauſis quibuſcumque vigore huiuſmodi Motus proprij fieri facien. aliaq; facien. in præmiſſis, & circa ea neceſſaria,ſeu quomodolibet opportuna.

Derogatio contrariorum. §.3. Præmiſſis,ac conſtitution.& ordination.Apoſt. ſtatutiſque, priuilegiis etiam nouiſſime in fauorem Populi Rom.conceſſis,& conceden.ac cum clauſulis derogatoriarum

Digitized by Google

rum derogatoriis, ſtylo Palatij,& Rom. Curiæ, ceteriſque conceſſionibus in preinſertis,& quibuſcumque aliis Motibus propriis conceſſ.non obſtan.contrariis quibuſcumque, ſtatum pro ſufficienter expreſſis haben. cum clauſulis opportunis. Fiat Motu proprio. I.

Papæ ſubſtr.

Limitatio d. conſtitut. quoad inſultus.

§.4. Et cum abſolutione à cenſuris, ad effectum, &c. & de confirmatione,approbatione, innouatione, adiectione, ſuppletione,decreto,noua conceſſione,commiſſione,mandato,derogatione,aliiſq; præmiſſis,ac ſupra,quæ hic pro ſigillatim repetitis haberi perpetuo in forma gratioſa latiſſime extenden. & ſi videbitur cum opportuna executorum deputatione qui aſſiſtant &c. & ſub cenſur.&c.Cum facultate aggrauan.inuocato brachij ſæcularis auxilio latiſſime exten.Et quod præmiſſorum omnium & ſingulorum & cognomina Iudicum collitigan.ſtat. merit.inuocation. denominat.annex.qualit. nuncupat. aliorumque neceſſariorum maior,& verior,ſpec.& expr. fieri poſſ. in literis expedien. & de Confirmatione priuilegiorum tantum quatenus ſint in vſu, & decretis Conc.Tridentini non repugnent.

XVI.

Confirmatio Confraternitatis S. Rocchi à morbo Epidimiæ liberatoris in Vrbe hactenus inſtitutæ, & ab Alex.VI. & Leon. X. nonnullis priuilegiis decoratæ, cum aliarum Indulgentiarum & gratiarum conceſſione. Et Iudicis ad ſuarum cauſarum cognitionem deputatione.

His Indulgentias moderatus eſt, & alias conceſsit Paul V. in eius conſtit. adhuc non edita, quamuis firmata die 3. Octob. 1606. Et normam aggregandi alias Confraternitates tradidit Clem.VIII.in conſtit. 115. Quæcumque.

Edita An. D. 1560.

PIVS PAPA QVARTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

REgimini vniuerſalis Eccleſiæ,meritis licet imparibus, ſuperna diſpoſitione præfecti, ad ſingulas Orbis Eccleſias,& Hoſpitalia,ac alia pia loca,præſertim Almæ Vrbis noſtræ, in quibus pias Chriſti fidelium Societates, diuerſa pietatis & charitatis opera ſincera deuotione exercẽtes,ad omnipotentis Dei,ac Sanctorum eius gloriam & honorem inſtitutas,cum odore bonæ famæ,& illorum ac aliorum Chriſtifideliũ ſalute vigere cernimus, vt noſtris præcipue temporibus votiuis in ſpiritualibus & temporalibus proficiant incremẽtis,Paſtoralis officij noſtri partes libenter conuertimus,& iis,quæ in illorum fauorem & commodum,ac proſperum & felicem ſucceſſum à diuerſis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris conceſſa ſunt, vt firma perpetuo & illibata perſiſtant, cum à nobis petitur, Apoſtolicis muniminis firmitatem adiicimus, illaque extendimus, & ampliamus, ac de nouo concedimus, & alias deſuper prouidemus,prout perſonarum Societatum earumdem pia vota depoſcunt, & nos in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Alex.VI. confirmauit Confraternitatem S. Rocchi,cuius intercessione multi in Vrbe præseruabãtur à peste & liberabantur.

§.1. Sane alias fe.rec. Alexandro Papæ VI. prædeceſſori noſtro,pro parte dilectorum filiorum Confratrum Confraternitatis S. Rocchi Confeſſoris de dicta Vrbe expoſito, quod nonnulli Chriſtifideles in eadem Vrbe commorantes pie conſiderantes, quod quamplures Chriſtiani nominis profeſſores interceſſione eiuſdem S. Rocchi à morbo epidimiæ non ſolum præſeruabantur, ſed etiam dicto morbo infecti liberabantur,quodque in dicta Vrbe nulla Eccleſia ſub inuocatione S.Rocchi huiuſmodi conſtructa exiſtebat, quãdam Confraternitatem inter ſe ſub inuocatione eiuſdem S.Rocchi fecerant, & ordinauerant, & vt haberent locum, in quo pro diuinis celebrandis, & iis quæ ad directionem & gubernationem dictæ Confraternitatis pertinebant,& pertinerent in futurum, conuenire poſſent, & quamdam petiam terræ montis Auguſtæ de dicta Vrbe prope viam publicam qua itur ad Eccleſiam S. Mariæ de Populo, etiam de ipſa Vrbe, conſiſtentem, ſub annua reſponſione decem ducatorum,certis modo & forma tunc expreſſis conduxerunt, & quod ipſi Confratres intendebant inibi vnam Eccleſiam ſub dicta inuocatione conſtrui, & ædificari,ac in ea Miſſas,& alia diuina officia per Capellanum,ſeu Capellanos alios idoneos celebrari facere, & illam ornamentis eccleſiaſticis munire, & fulcire, præfatus prædeceſſor,vt Chriſti fideles illam viſitare,&diuina officia audire,ac vt interceſſione eiuſdem S. Rocchi apud Altiſſimum huiuſmodi morbo epidimiæ conſeruari & liberari poſſent,eorumdem Confratrum ſupplicationibus inclinatus,Confraternitatem præfatam per quaſdam literas Apoſtolica auctoritate approbauit,& confirmauit.

Statuta condẽdi,& officiales deputandi facultatẽ dedit.

§.2. Ac eiſdem Confratribus tunc & pro tempore exiſtentibus ſtatuta rationabilia & honeſta,ac ſacris canonibus non contraria, pro directione & conſeruatione dictæ Confraternitatis, ac Officiales pro gubernatione eiuſdem faciendi & condendi.

Eccleſiamque S.Rocchi Rom. ædificandi & conſecrandi atque conſecrari faciendi.

§.3. Ac in loco dictæ petiæ terræ, vnam Eccleſiam ſub inuocatione S.Rocchi huiuſmodi ſine alicuius præiudicio conſtrui & ædificari,& per quemcumq; Catholicum Antiſtitem conſecrari, & in ea poſtquam conſtructa & conſecrata foret, ſeu etiam antequam conſecraretur ſuper altare portatili per Capellanum ſeu Capellanos Miſſas,& alia diuina officia celebrari faciendi.

Pias oblationes recipiendi.

§.4. Ac de eleemoſynis & aliis piis oblationibus quæ in dicta Eccleſia erogarentur, ac bonis mobilibus & immobilibus quibuſcumque,quæ dictę Confraternitati quomodolibet relinquentur, in conſtructionem dictæ Eccleſiæ,& illius manutentionem,necnon dictæ Confraternitatis vtilitatem, ac alia pia opera charitatis, & alios pios vſus, prout per dictos Confratres ſtatutum, & ordinatum fuiſſet, diſponendi; ita vt ipſi Confratres ſuper illis per quoſvis, tam religioſos quàm ſæculares,tamquam eis debitis,vel eos pertinentibus,etiam prætextu quorumcumq; priuilegiorum eis conceſſorum moleſtari nequirent,ſed illorum diſpoſitio libera ad dictam Confraternitatem pertineret. Et ipſi Confratres,ac eorum Eccleſia nulli perſonæ religioſæ vel ſæculari,aut alteri Societàti ſubeſſent, & à quorumcumque aliorum Superiorum quoad præmiſſa exempti exiſterent.

Mortuos in dicta Eccleſia ſepeliendi.

§.5. Ac quibuſuis Chriſtifidelibus apud dictam Eccleſiam ſepulturam eligẽdi cuiuſuis licentia ſuper & alias minime requiſita,licentiam,& facultatem conceſſit.

Confeſſorẽ pro Confratribus eligendi &c.

§.6. Necnon ducentis ex eiſdem Confratribus,& eorum cuilibet vt ad dictum numerum dumtaxat, & non vltra tunc præſentibus & futuris, vt aliquem idoneum preſbyterum ſæcularem,vel cuiuſvis Ordinis regularem in ſuum poſſent eligere confeſſorem, qui vita ſibi comite,in caſibus Sedi Apoſt.reſeruatis,poſt finitũ annum Iubilæi tunc proxime venturi,(præterquam offenſæ eccleſiaſticæ libertatis, criminum hæreſis & rebellionis, aut conſpirationis in perſonam vel ſtatum Rom. Pont.ſeu Sedem præfatam, falſitatis literarum Apoſtolicarum,ſupplicationum,& cõmiſſionum,inuaſionis,& deprædationis, aut deuaſtationis terrarum, & maris, Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubiectorum, offenſæ perſonalis in Epiſcopum, vel alium Prælatum,prohibitionis deuolutionis cauſarum ad Rom. Curiam,delationis armorum,& aliorum prohibitorum ad partes infidelium)ſemel dumtaxat in vita,aliis vero quotiens opportunum foret, cõfeſſionibus ſuis diligenter auditis, pro commiſſis eis debitam abſolutionem impenderet,& iniungeret pœnitentiam ſalutarem. Necnon vota quæcumque(vltramarino,liminum Apoſtolorum Petri & Pauli,ac S.Iacobi in Compoſtella,necnon Caſtitatis, & Religionis votis dumtaxat exceptis)in alia pietatis opera commutare valeret. Quodque confeſſor,quem quilibet ipſorum Confratrum duceret eligendum, omnium peccatorum ſuorum,de quibus corde contriti & ore confeſſi forent poſt dictum annũ Iubilæi,etiam ſemel in vita, & in mortis articulo plenam remiſſionem eis & eorum cuilibet,in ſinceritate fidei,& vnitate dictæ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia & deuotione ſua, ac ſucceſſorum ſuorum Rom. Pont. canonice intrantium perſiſten. ſibi dicta auctoritate Apoſtolica concedere poſſet,Indulſit.

Tu vide moderationem Clem. VIII. cit. in rubr.

Indulgentiam viſitantibus d. Eccleſiã elargitus eſt.

Hæc indulgentia eſt plenaria,vt mox infra dicetur.

Et quoad porrigentes manus adiutrices. Reuocatio,vide in conſt. 30.

§.7. Præterea vt dicta Eccleſia facilius conſtrui & ædificari,& poſtquam conſtructa & ædificata foret, manuteneri,ac ornamentis eccleſiaſticis decorari at fulciri poſſet, ac congruis frequentaretur honoribus, & Chriſtifideles eo libentius ad illam confluerent, ac pro conſtructione prædictis manus porrigerent adiutrices, omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis,qui dictam conſtruendam Eccleſiam,poſtquã conſtrui incæpta foret in eiuſdem S.Rocchi,& S.Martini feſtiuitatibus à primis veſperis vſque ad occaſum ſolis feſtiuitatum

Digitized by Google

festiuitatum earumdem deuote visitarent, & inibi pro præmissis manus porrigerent adiutrices, decem annos & totidem quadragenas pro qualiber dictarum festiuitatum pro iniunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxauit.

Leo X predicta confirmasse.

§.8. Et deinde pro parte dictorum Confratrũ piæ mem. Leoni Papæ X. etiam prædecessori nostro, etiam exposito quod dicta Ecclesia ad Dei laudem iam constructa & ædificata erat. Ipsiq; Confratres in eiusdem Ecclesiæ fabrica, necnõ quatuor Capellanorũ, quorũ cuilibet in dicta Ecclesia Missas & alia diuina officia celebranti, vigintiquinque ducatos annuatim persoluebant, ac pro Sacrista, necnon Custodis sustentatione, ac exequis defunctorum, necnon cera, oleo, caliciibus, & aliis ornamentis ecclesiasticis, ac pensione annua dictæ petiæ terræ, necnon gubernatione & manutentione Hospitalis & infirmorum, ac Ministrorum eiusdem, sustentationeque & doribus puellarum annis singulis sexcentos vel circa exponebant, ac fructus, redditus, & prouentus eiusdem Ecclesiæ, vix ad solutionem pensionis dictæ petiæ annuatim sufficiebant, ac numerus Confratrum in dicta Confraternitate in dies perabundabat. Idem Leo prædecessor eorum supplicationibus similiter inclinatus literas Alexandri prædecessoris, & per illas eisdem Confratribus concessa priuilegia, indulta, & gratias huiusmodi per alias suas literas approbauit, & confirmauit.

Facultatẽ ministrandi Sacramenta Cofratrib. infirmis etiam in illorũ domib per Capellanos eiusdem concessit.

§. 9. Necnon pro potiori cautela illa omnia & singula eisdem Confratribus de nouo concessit, ac posteriores suas literas quo ad id vt ipsius Confraternitatis Capellani pro tempore existentes, illius Confratribus etiam infirmis Eucharistiæ Sacramentum quotiens oporteret ministrare, illudque ad eorumdem Confratrum infirmorum domos de dicta Ecclesia cum ea qua decebat reuerentia, prout aliæ Societates & Confraternitates eiusdem Vrbis consueuerant, deferre libere & licite valerent, Rectorum Parochialium Ecclesiarum intra quorum parochias Confratres & domus huiusmodi consistebant, & cuiusuis alterius licentia super hoc minime requisita, iure tamen eorumdem Rectorum Parochianorum in omnibus semper saluo.

Confessorẽq; eligendi pro omnib. Cõfratribus. Tu vide quod sup. proxime dixi.

§. 10. Quodque vt non solum ducenti vt præfertur, sed omnes & singuli ipsius Confraternitatis Confratres pro tempore existentes, in dicta Vrbe tamen degentes Confessorem eligere possent.

Indulgentiam plenariã visitantib. d. Ecclesiam concessit.

§. 11. Illique ac omnes & singuli vtriusque sexus Christifideles vere pœnitentes, & confessi, qui dictam Ecclesiam in singulis S. Rocchi, & S. Martini festiuitatibus prædictis, & per octauas earum visitarent, & manus porrigerent adiutrices, pro singulis festiuitatibus & diebus huiusmodi, quibus id facerent, plenariam indulgentiam, & peccatorum suorum remissionem consequerentur, auctoritate Apostolica præfata extendit, & ampliauit.

Priuilegiũ fert. A.C. Societatis & Confratrib. subiecit.

§. 12. Et insuper eisdem Confratribus tunc, & pro tempore existentem Curiæ causarum Cam. Apost. generalem Auditorem in Iudicem ordinarium, ita quòd tunc, & pro tempore existen. Confratres præfati coram alio quam dicto Auditore etiam ratione delicti aut contractus, seu quasi vel rei de qua ageretur, vbicumque committeretur, dilectum iniretur, contractus aut res ipsa consisteret, nullo etiam quæsito modo aut colore conueniri, aut eorum, necnon Ecclesiæ Confraternitatis, & Hospitalis prædictorum negotia, controuersiæ & causæ pertractari, cognosci aut definiri possint, eadem auctoritate Apostolica deputauit, statuit, & ordinauit, prout tam in Alexandri quam Leonis prædecessorum literis desuper confectis prædictis plenius continetur.

Hic modo Põt. dictas con.es siones confirmat.

§. 13. Cum autem sicut Confratres Confraternitatis S. Rocchi huiusmodi nobis nuper exponi fecerũt, Ecclesia ipsa ad Dei laudem ex piis tã dictorum Confratrum, quàm aliorum Christi fidelium eleemosynis constructa & ædificata fuerit, & in ea diuina officia celebrentur ac diuersa charitatis opera exerceantur, ipsaque Ecclesia per eosdem Confratres laudabiliter regatur & gubernetur, ipsique cupiant eorum Confraternitatem ac omnia priuilegia, indulgentias, exemptiones, & indulta eis concessa præfata pro illorum subsistentia firmiori, & vt ipsi in huiusmodi piis operibus exercendis de bono in melius perseuerare valeant, etiam per nos approbari, & confirmari, ac ampliari; Nos considerantes copiosam Sedis præfatæ benignitatem salutis operibus semper intentam ad illa præcipue attendere, per quæ singuli Christifideles ad huiusmodi salutis & alia opera pia exercenda facilius inuitentur, & in eorum pia deuotione conseruentur, ac diligentius eisdem diuinis officiis intenti existant, eorumque loca Deo propitio suscipiant incrementa, eorumdem Confratrum supplicationibus in hac parte inclinati, Confraternitatem S. Rocchi de Vrbe huiusmodi, ac illius priuilegia, indulgentias etiam plenarias, exemptiones & indulta, eorumque confirmationem, approbationem, ac desuper confectas Alexandri, & Leonis prædecessorum literas huiusmodi, ac prout illa concernunt omnia, & singula eis contenta, & inde secuta quæcumque Apostolica auctoritate prædicta tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes & singulos tam iuris quàm facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem supplemus.

Gratias indulgentias & indulta, aliorum locorum Piorum Vrbis hic enunciatorũ concedit.

§. 14. Necnon Ecclesiæ, Confraternitati illiusque Confratribus præfatis, & aliis eiusdem Ecclesiæ, & illius bonorum Administratoribus, Gubernatoribus, Rectoribus, Oeconomis, Capellanis, Familiaribus, Ministris, ac aliis personis de eadem Confraternitate nunc & pro tempore existentibus, seu aliquam curam de Confraternitate, Cõfratribus & Ecclesia præfatis, & illius manutentionem habentibus, necnon personis inibi pro tempore decedentibus, seu de bonis suis pro manutentione Confraternitatis & Ecclesiæ huiusmodi, eiusque Fabricæ bonorum gubernatione & augmento aliquid relinquentib. Quod omnibus & singulis priuilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis etiam plenariis, & peccatorum remissionibus, ac aliis gratiis, spiritualibus & temporalibus Imagini S. Saluatoris ad Sancta Sanctorum, & Charitatis, ac Archihospitalis S. Iacobi, & Hospitalis S. Spiritus in Saxia, ac Corporis Christi, & Sacramenti, ac Campi Sancti & Archihospitalis Orphanorum ac aliis Confratribus Confraternitatum de dicta Vrbe, necnon eisdem Imagini, & Archihospitali S. Iacobi, & Hospitali Sancti Spiritus, & Archihospitali Orphanorum, ac Campo Sancto. Necnon Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de eadem Vrbe illiusque deputatis, eorumque necnon eiusdem B. Mariæ de Populo, & Consolationis, ac S. Ioannis Baptistæ Florentinorum, aliisque eiusdem Almæ Vrbis Ecclesiis, ac illa & illas visitantibus, vel eis benefacientibus, eorumque Administratoribus, Guardianis, Rectoribus, Capellanis, Familiaribus, Oeconomis, Gubernatoribus, & aliis personis similem curam in eis sumentibus, ac pauperibus & infirmis eorum, etiã per nos, ac prædictos seu quoscũque alios Rom. Pont. prædecessores & successores nostros, ac Sedẽ eamdem concessis & concedendis, & quibus illi, & ille & illa vtuntur, potiuntur, & gaudẽt, ac vti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, Confraternitas S. Rocchi illiusque Confratres, Ecclesia, Hospitale, Domus, & Administratores, Rectores, Capellani, Seruitores, Familiares, Ministri, Oeconomi, ac Gubernatores, huiusmodi aliæque personæ similem curam inibi sumentes, ac illa visitantes vel eis benefacientes, ex nunc in perpetuum vtantur, potiantur & gaudeant, ac vti, potiri & gaudere libere & licite valeant in omnibus & per omnia, perinde ac si eisdem Confraternitati S. Rocchi, Confratribus Ecclesiæ Hospitalis Gubernatoribus & aliis personis, ac illa visitantibus & benefacientibus, ac aliis præfatis pro tẽpore specialiter & expresse concessa fuissent, ac in futurum concederentur. Necnon quibusuis presbyteris tam religiosis quàm sæcularibus, qui in ipsa Ecclesia S. Rocchi quocumque anni tempore celebrauerint, & animabus Christi fidelium qui in charitate Dei decesserint, ac pro quibus iidem presbyteri ibi celebrauerent aut celebrari fecerint ac orauerint, easdem indulgentias & peccatorum remissiones quæ celebrantibus pro defunctis in Capella Scala Cæli nuncupata Monasterij Trium Fontiũ extra muros eiusdẽ Vrbis, aut in Capella in præsepe Domini, sita in Ecclesia eiusdem B. Mariæ Maioris de dicta Vrbe, & animab. pro quibus inibi celebratur, & oratur, auctoritate & tenore prædictis concedimus & indulgemus,

Tu scias indulgentias ad instar. reuocatas esse quinimmò omnes Confratribus concessas, vsque ad S. D. N. Paulũ V. qui nouã circa indulgẽtias dispositionem fecit vt notaui in rubr.

Digitized by Google

gemus. Ipsasque indulgentias, gratias, priuilegia, indulta, exemptiones, immunitates, libertates, & alias concessiones ac remissiones, ad illos, illas, & illa extendimus & prorogamus ac ampliamus.

Publicādi indulgentias licentiam impartitur.

§. 15. Et quod Administratores, Rectores, Capellani, Seruitores Familiares, Ministri, Oeconomi, & Gubernatores Ecclesiæ, & Confraternitatis S. Rocchi huiusmodi, indulgentias, priuilegia, indulta exemptiones, immunitates, libertates & alias concessiones ac remissiones ac dies & festa in quibus & causas propter quas illas consequi debeant ad eorum beneplacitum publicari facere, necnon eleemosynas Ecclesiæ S. Rocchi ac Hospitali, & illius domui præfatis ac aliis sub inuocatione eiusdem S. Rocchi erigendis elargiendas recipere, & ad illas recipiendas & quærendas ac indulgentias huiusmodi publicandas per dictam Vrbem seu alibi quæstores seu quascumque alias personas, Vicarij pro tempore existentis dictæ Vrbis ac diœcesani aut cuiusuis alterius licentia desuper minime requisita, deputare & mittere, ac alias Confraternitates sub dicta inuocatione, vbiuis locorum erigere & instituere, ac quibusuis Ecclesiis, Hospitalibus & aliis piis locis, necnon Confratribus sic erectis omnia & singula priuilegia, indulgentias, facultates & indulta, eisdem Confratribus Hospitali & aliis præfatis concessa illis communicare & ad eorum instar concedere & in eos transferre.

Tu vide bullā Clem VIII. cit. in rubr.

Statuta etiam condendi.

§. 16. Necnon quæcumque statuta & ordinationes licita & honesta, tam circa regimen & tranquillitatem Ecclesiæ Hospitalis & domus S. Rocchi huiusmodi, diuinorumque celebrationem, quàm numerum Confratrum, & Ministrorum, Rectorum, Capellanorum, Oeconomorum, Gubernatorum, & familiarium prædictorum, illorumque personas & ornamenta ac bona mobilia & immobilia illorum, eorumque Administratorum & alia præmissa concernentia condere, alterare, mutare, ac de nouo edere, & per eos hactenus forsan facta reformare & mutare seu de nouo edere ac quascumque pœnas in contrauenientes apponere valeant eisdem auctoritate & tenore licentiam & facultatem concedimus & indulgemus,

Priuilegium foridè quæ supra ad omnes personas & ministros extendit.

§. 17. Necnon quod non solum Confratres, sed etiam illius & Ecclesiæ huiusmodi Administratores, Gubernatores, Rectores, Oeconomi, Seruitores, Familiares, Ministri, Capellani, Rectores seu Officiales, non solùm à Vicarij Vrbis huiusmodi, sed etiam aliorum quorumcumque iurisdictione, correctione, visitatione, & potestate penitus & omnino exempti, & solum iuxta præfati Leonis prædecessoris dispositionem Cardinali S.R.E. Cameræ Apost. Regenti aut ipsius Cameræ Auditori pro tempore existenti subiecti existant, eiusque correctioni & punitioni subiaceant, & quod coram aliis respondere minime teneantur, nec ad id cogi, seu compelli neque propterea aliquas sententias, censuras, & pœn. incurrere, sed illis impune, & obsistere resistere valeant.

A. C. facultates vide const. 20. S. D. N. Pauli V.

Bona etiam feudalia, & ecclesiastica Confraternitati relinqui possint. Clausula præseruatiua.

§. 18. Quodque bona quæcumque etiam feudalia, ac emphyteutica, & ecclesiastica, præfatæ Confraternitati tam inter viuos, quàm causa mortis, seu testamento, vel codicillo dari, concedi, & relinqui, ipsique illa prout cetera Ecclesiæ, & Confraternitatis huiusmodi bona regere, & gubernare, nec desuper à quoquam molestari, seu perturbari possint, statuimus, & ordinamus.

Clausula derogatoria.

§. 19. Ac quod præmissa omnia, & singula de subreptionis, & nullitatis vitio, seu intentionis nostræ defectu, etiam ex eo quod ea quæ super præmissis gesta fuerunt, & emanarunt plenarie expressa, seu prout existunt narrata minime fuerunt, seu quouis alio prætextu, occasione, vel causa notari, vel impugnari, aut in aliquo annullari, vel alterari non possint, neque notata seu impugnata, aut alterata censeantur, sed valida, & efficacia existant, ac si exprimenda de necessitate de verbo ad verbum inserta fuissent. Quodque præsentes literæ sub quibusuis reuocationibus, suspensionibus, modificationibus, limitationibus, restitutionibus, responsionibus, & exceptionibus similium literarum, gratiarum, & indulgentiarum etiam per nos, & recol.me. Marcellum Papam II. seu alios prædecessores, & successores nostros Rom. Pont. & Sedem huiusmodi vel eius Legatos, ac etiam per regulas Cancellariæ Apost. pro tempore factas, ac in fauorem dictæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe & expeditionis contra infideles nullatenus comprehendantur, sed semper ab illis penitus, & omnino exceptæ sint, & esse censeantur, illisque per quascumque literas, & quasuis clausulas generales, & speciales etiam derogatoriarum derogatorias efficaciores, & insolitas, ac etiam irritantia decreta sub quacumque verborum forma, & expressione in se contineri nullatenus derogari possit, nec derogatum esse censeatur, nisi tenor illarum de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertus, & huiusmodi derogationes consistorialiter factæ, & per trinas distinctas literas eumdem tenorem continentes tribus similibus vicibus Confratribus, administratoribus, Gubernatoribus, Rectoribus, & Oeconomis præfatis legitime intimatæ, & insinuatæ fuerint, eorumque ad id expressus accedat assensus, & aliter factæ derogationes nemini suffragentur.

Decretum irritans.

§. 20. Et ita per quoscumque Iudices quauis auctoritate fungentes, & causarum Palatij Apost. Auditores, & ipsius S.R.E. sublata eis quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, necnon si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Alia Indulg. plenaria pro visitantibus dict. Ecclesiam etiam alia die, quā festiuitatis eiusdem Sancti per Confratres eligen.

§. 11. Et nihilominus, vt Ecclesia S. Rocchi in maiori veneratione habeatur, & ad illam visitandum, & benefaciendum facilius concurratur, de ipsius omnipotentis Dei misericordia, ac eorumdem Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, vniuersis, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, seu confitendi propositum habentibus, qui vltra S. Rocchi, & S. Martini festiuitates prædictas, alio die per eosdē administratores, Gubernatores, Rectores, & Oeconomos ad id nominandos, à primis vesperis vsque ad occasū Solis sequentis diei, Ecclesiam S. Rocchi præfatā deuote visitauerint, ac pro illius, & eius Hospitalis manutentione, seu ornamentorum emptione, vel alias ad illorum vtilitatem in aliquo manus porrexerint adiutrices.

Et alia pro Confratribus.

§. 12. Necnon singulis Confratribus, administratoribus, capellanis, & aliis Ecclesiæ, & Hospitalis ministris, & personis præfatis, qui in eorum infirmitate, seu alias in mortis articulo pœnitentes, & contriti nomen IESVS nominauerint, aut signum pœnitentiæ, seu Crucis, aut animum seu vultum ad Deum, aut caput sursum ad cœlum eleuauerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, ac Iubilæum, & remissionem in forma Ecclesiæ consueta misericorditer in Domino elargimur.

Tu habes reuocationē in d. const. S. D. N. Pauli V. eis. in rubr.

Clausula derogatoria.

§. 13. Non obstantibus Apostolicis, ac in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium, & confraternitatum præfatorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis, Apostolicis illis, ac dilectis filiis Populo Romano, & dictæ Vrbis Conseruatoribus, & quibusuis aliis per quoscumq; Rom. Pont. prædecessores nostros, & nos, ac Sedem præfatam etiam per modū generalis legis, ac statuti perpetui, ac Motu proprio, & ex certa scientia, ac quauis instantia, & cum quibusuis etiā derogatoriarū derogatoriis aliisq; efficaciorib. efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibusq; & aliis decretis etiam iteratis vicibus concessis approbatis, & innouatis. Quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus. Ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 18. Octobris 1560. Pontificatus nostri anno primo.

D. P. A. 1. die 18. Octob.

XVII.

Facultas Iudicum lite pendente decernendi sequestra super fructibus beneficiorum Sedi Apost. reseruatorum siue affectorum, & ordinaria, vel alia auctoritate nulliter collatorum. Et pœnæ desuper temere litigantium.

Fructus vero beneficiorum lite pendente, apud personas idoneas à Iudice eligendas deponi iussit Pius V. inf. in const. 57. Cordi.

Sancti

Digitized by Google

Edita An. D. 1560.

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus noster, D. Pius diuina prouidentia Papa IV. Cupiens prout suo Pastorali incumbit officio, vnicuique, quod suum est tribui, iustitiamque inter omnes æqua lance ministrari, ac animarum periculis, & fraudibus eorum, qui passim beneficia ecclesiastica in mensibus in quibus illorum collatio, & prouisio per constitutiones suas, seu Cancellariæ Apost. regulas desuper editas, dispositioni suæ pro tempore reseruata existunt vacantia, seu alias eidem, & Sedis Apostolicæ dispositioni generaliter reseruata, aut ex generali reseruatione Apostolica, vel alias affecta, ordinaria, seu alia auctoritate contra dictarum constitutionum tenorem, aut alias indebite sibi conferri, & de illis etiam prouideri procurant, & in eis prætextu collationū, & prouisionum huiusmodi se intrudunt, ad hoc vt illorum fructus suos faciant, & ex eis impetrantes Apostolicos, seu aliàs iusto titulo prouisos molestent, & interim lites adeo in longum protrahant, vt impetrantes, & iustum titulum habentes, aut cum eis concordare, aut eorum iuri cedere, & renunciare, aut in prosecutione litium huiusmodi omnes fere eorum facultates dissipare, & tandem in illarum prosecutione mori cogantur. Quique beneficia in Rom. Curia, vel extra eam litigiosa relignant, aut eorum iuri cedunt simpliciter, vel in fauorem tertij in memorialibus cum patuis datis, & consensibus desuper præstitis, quæ penes se retinent, & nihilominus lites huiusmodi prosequuntur, & dum cognoscunt nullum ius sibi in huiusmodi beneficiis litigiosis competere, ad effugiendum sententiam, & expensas, vel fructuum restitutionem in quibus condemnandi venirent, supplicationes desuper signari, ac datas, & consensus paruos huiusmodi extendi faciunt, asserentes se iamdiu illa dimisisse, partes fouentes bonum ius, & Iudices iustitiam ministrantes deludendo, quantum in eo est obuiare, ac omnem penitus talia præsumendi occasionem tollere.

Causæ constit.

Facultas Iudicum sequestrari faciēdi fructus beneficiorum, interpendēte super illis tamquā Sedi Apost. reseruatis, vel affectis, & per ordinarios, vel alios nulliter collatis.

§. 1. Hac sua perpetuo valitura sanctione statuit, & ordinauit, quod quoties in antea aliquem super quouis beneficio ecclesiastico, vt præfertur, reseruato, seu affecto, & dicta auctoritate vel alias nulliter collato, tàm in dicta Curia, quàm extra eam litigare contigerit, & iudici ordinario, seu cui causa desuper commissa fuerit, etiam summarie, & extraiudicialiter, quantum sibi pro rei qualitate sufficere parte legitime citata videbitur, constiterit beneficium ipsum in dictis mensibus vacauisse, aut alias, vt præfertur, reseruatum, seu affectum, & nihilominus ordinaria, seu alia auctoritate nulliter collatum, & indebite retentum existere, idem iudex reproducta citatione fructus, redditus, & prouentus beneficiorum sic nulliter collatorum, & indebite detentorum sequestrari mandet & faciat, ac alia exequatur in præmissis necessaria, & opportuna. Super quo eidem iudici omnem potestatem, & auctoritatem impartitus est. Idemque Sanctitas sua in causis nunc in quauis instantia coram eisdem Iudicibus pendentibus similiter obseruari mandauit.

Taleſq; beneficiorum detētores, & litigantes, etiāſi liti cesserint tenentur ad damna, & interesse, &c.

§. 2. Præterea decreuit, & declarauit sic signantes, seu cedentes & nihilominus lites huiusmodi prosequen. ne eorum malitia illis prodesse, & fouentibus bonū ius nocere valeat, ad fructuum, reddituum, & prouentuum dictorum beneficiorum per eos perceptorum restitutionē, ac expensarum in litibus huiusmodi factarum refectionem, omniaque, & singula damna, & interesse in quibus condemnati fuerint, si non cessissent, vel resignassent, per Iudices, tam ordinaria, quàm delegata, vel alia auctoritate fungentes, coram quibus lites ipsas pro tempore pendere, seu moueri contigerit condemnandos fore, & condemnari debere, ac ad id teneri, & obligatos esse. Ipsosque ac etiam in dictis beneficiis successores quoscumque ad paritionem sententiæ, seu sententiarum, ac literarum executorialium pro tempore latæ, seu latarum, & decretarum, à quibus appellare non liceat, ad restitutionem, seu relaxationem possessionis, ac fructuum, reddituum, & prouentuum, necnon refectionem expensarum, ac damnorum, & interesse huiusmodi perinde, ac si contra eosdem successores sententia, seu sententiæ latæ, & literæ executoriales huiusmodi decretæ fuissent, cogi, & compelli. Sic tamen quod postquam alter ipsorum sententiæ, seu sententiis, ac restitutioni, vel relaxationi possessionis, & fructuum, reddituum, & prouentuum, necnon damnorum, & interesse huiusmodi refectioni, aliisque præmissis realiter, & cum effectu paruerit, aliter desuper molestari non possit.

Decretum irritans.

§. 3. Et ita in præmissis omnibus, & singulis per eosdem, & alios quoscumque Iudices, & etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata, & cet. iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & cet.

Papa subscrip.

Placet, publicetur, & describatur. I.

Pub. Pontif.

Lecta, & publicata fuit supr. dicta Const. Romæ in Cancell. Apost. Anno Incarnat. D. m. 1500 die vero Sabbati 26. mensis Octobr.

XVIII.

VAssallorum obligationes de cetero fiendæ, pro eorum Dominis Sedi Apostolicæ subiectis, nullæ erunt. Et Domini eorum Vassallos ab obligationibus iam factis indemnes releuare, & pecunias solutas infra sex menses restituere cogentur.

Hæc prohibitio quoad obligationes Communitatum, confirmata, & extensa fuit à Sixto V. inf. in eius constit. 42. Inter varias, & Clem VIII. in const. 10. Pro commissa, vbi alia de Communitatibus videbis. Prout de Baronibus alia inspicies in const. 41. d. Clem. VIII. Iustitiæ.

PIVS PAPA QVARTVS.
Motu proprio, &c.

Edita A. D. 1560.

Causæ istius constit.

QVia non solum ex debito charitatis, & Pastoralis officij, quo omnium nostrorum, & Rom. Ecclesiæ subditorum, præcipuam curam tenere debemus, sed pro interesse etiam pecuniario Sedis, & Cameræ præfatæ, debemus prospicere, & curare, vt ex terris, ciuitatibus, oppidis, castris, villis, & locis, temporali dominio Comitum, Baronum, Domicellorum, aut alias quomodolibet nuncupatorum, nobis subditorum oriundi, aut illarum illorumque incolæ, & habitatores, suis facultatibus non exhauriantur, quandoquidem ad paupertatem redacti, non valerent soluere subsidia, & sufferre onera quæ nobis, & Sedi, ac Cameræ præfatis, ratione superioritatis, & alias tam ordinarie, quàm extraordinarie, prout contingit, præstare tenentur, & consueuerunt. Et (sicut accepimus) prauus quidam abusus à multis annis citra inoleuit, quod nonnulli ex Comitibus, Baronibus, & aliis temporalibus Domicellis, præfatis, per seipsos, vel per alias ad eorum commodum interpositas personas accipiendo pecunias mutuo, seu alios contractus faciendo, faciunt ciuitatum, oppidorum, castrorum, terrarum, villarum, & locorum, sibi subditorum vniuersitates, & homines, & plerumque etiam particulares, accedere, & fideiubere, seu principaliter, & in solidum obligare, & adueniente tempore ad faciendam solutionem, vel satisfactionem, ipsis Dominis non soluentibus, neque satisfacientibus, miseri subditi coguntur, vel de suo soluere, & satisfacere, ac depauperari, vel soluere, & satisfacere non valentes, censuris, & interdictis subiici, ac per executores tribulari, immensisque fastidiis vexari, & demum ad soluen. & sufferen. Cameræ Apostolicæ subsidia, & alia præfata impotentes reddi.

Domini restituant inf. sex mēſes Vaſſallis pecunias pro eis ſolutas.

§. 1. Nos igitur tot inconuenientibus occurrere, illorūque occasion ētollere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Vniuersis, & singulis Comitibus, Baronibus, Domicellis, & aliis præfatis, sub excommunicationis latæ sententiæ, priuationisque dominij, ciuitatum, oppidorum, castrorum, villarum, & locorum præfatorum ipso facto incurrendis pœnis, in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, vt quicumque ex eis, pro quibus, seu pro quorum commodo, vtilitate, & interesse, immediate, vel aliis personis median. vel suppositis eorum subditi vniuersaliter, vel particulariter, ex quacumque causa, & quocumque modo obligati hactenus fuisse reperiuntur, debeant per ipsos subditos soluta, seu quomomodolibet expolita, integre infra sex menses proximos restituisse.

Et ab aliis obligationibus indemnes releuent eosdē ſubditos.

§. 2. Et pro aliis obligationibus non solutis neque satisfactis debitis temporibus, de suis propriis absque

que) subditorum damno aliquo, soluisse, & satisfeciſſe, ipſosque, subditos, etiam non petentes, vere & realiter indemnes, & penitus sine damno releuasse. Et nihilominus omnes, & singulas confessiones, & quietationes, & liberationes dictorum Dominorum per ipsos subditos, circa releuationem indemnitatis huiusmodi, non interueniente vera, & reali satisfactione etiamsi iuratæ fuerint, irritas, & nullius momenti fore, & esse decernimus.

Obligationes Communitatum, & Vassallorum de cetero pro Dominis fiendæ, inualidæ erũt.

§. 3. Insuperque omnes, & singulas fideiussiones, & accessiones, etiam cum clausula, Principaliter, & in solidum, necnon vti principales, & tàm personales, quàm reales, & alias qualscumque obligationes, & promissiones, per Vniuersitates, & personas subditas præfatas, siue vniuersalitet, siue particulariter, etiam in ampliori forma Cam. Apost. cum iuramento, censurarum, & mandati executiui susceptione, & promissione, etiam iurata, etiam de non vtendo remedio huius nostræ prouisionis, vltro seu ad preces, & instantiam, aut ad commodum, seu vtilitatem suorum in temporalibus Dominorum, immediate ipsis Dominus nominatis, seu illis non nominatis, aliis interpositis nominibus, & personis, de cetero perpetuis futuris temporibus, quocumque modo facien. & prout illas concernent desuper conficienda instrumenta, nullius roboris, & momenti fore & esse. Vniuersitatesque & personas subditas præfatas, nullo modo obligare, neque in iudicio, vel extra, vllã omnino fidẽ facere.

Decretum irritans.

§. 4. Sicque & non aliter per quoscumque Iudices, etiam S.R.E. Cardinales, & Palatij Apostolici causarum Auditores, Cameræ Apostolicæ Regentem, & alios quoscumque Iudices, in Alma Vrbe, & aliis quibuscumque S.R.E. Terris, & locis, sublata aliter iudicandi facultate iudicari debere. Acsi & quicquid secus fieri contingat, irritum, &c.

Publicata in Vrbe ligat ignorantes.

§. 5. Et præsentium (quas postquam per aliquem ex nostris Cursoribus in locis consuetis Vrbis affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, etiam ignorantes, afficere volumus) solam signaturam, regula contraria non obstante, sufficere decernimus.

Derogatio cõtrariorum.

§. 6. Non obstan. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegiis Cameræ, & aliis quibuscumque concessis, cuiuscumque tenoris existant, statutisque & consuetudinibus locorum, etiam iuramento, &c. roboratis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Placet, & ita decernimus, & mand. I.

Papæ subscrip.

Anno à Natiuitate Domini 1560. Indict. 3. die vero 13. mensis Octobr. Pont. Sanctiss. in Christo patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. Anno I. retroscriptæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Cancellariæ Apost. & in acie Campi Florę, ac ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, per nos Iulium Parinum Clericum Terdonensem, & Iacobum Carra .D.N.P.P. curs. Camillus Cherub. mag. curs.

Publ. P. An. 1. die 19. Oct.

XIX. De Spoliis Clericorum ob illicitam negotiationem. Et de indultis Curialium, & Incolarum Almæ Vrbis super dd. Spoliis.

Ad primam rubricæ partem, habes confirmationem Sixti V. in eius constit. 100. In conferendis. Et ad secundam vide pro Curialibus indultum Pauli V. in constit. 18. In eminenti, vbi plene notabo. Et præcipue pro Militia S. Ioannis Hierosolymitani, habes dispensationem hic infra in const. 29. Rom.

Scias autem Clericis in Agro Romano, & propriis Terris licere agriculturam exercere, ex permissione, & indulto Clementis VIII. in const. 72. Inter multiplices. l. 3.

Edita An. D. 1570.

P I V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

DEcens esse censentes, & æquum, vt nos, qui alios in sua iustitia confouemus, Cam. Apost. iura non negligamus, quinimmo ne prætextu incertitudinis, illa ab aliquibus vsurpari, aut super eis dubia aliqua oriri contingat, ita nostræ declarationis remedio prouideamus, quod à nemine desuper dubium aliquod deduci possit.

Causa cõstit.

§. 1. Cum itaque sicut accepimus, à nonnullis vertatur in dubium, an res & bona per Clericos, etiam in sacris ordinibus constitutos ex negociatione illicita, aut alias contra sacros Canones acquisita, vti Spolia, vel alias ad Cameram præfatam iure legitimo spectare, & pertinere debeant. Nos omnes desuper hæsitationis materias submouere, ac cauillationibus, & altercationibus, ac litibus viam præcludere, & denique malitiis eorum, qui iura dictæ Cameræ vsurpare satagunt, obuiare, aliasque in præmissis opportune prouidere volentes.

Clericorũ bona ex illicita negociatione, vel alias contra sacros Canones acquisita ad Cam. Apostol. spectant, vt in rubr.

§. 2. Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine decernimus, & declamus, omnia, & singula, res, & bona, cuiuscumque qualitatis, & quantitatis existentia, ac in quibusuis regionibus, & regnis, ac dominiis, tam citra, quàm vltra montes, & maria consistentia, per quosuis clericos, tam sæculares, quàm quorumuis, etiam Mendicantium Ordinum, ac Militarium regulares, etiam in sacris ordinibus constitutos, cuiuscumque status, ordinis, & conditionis fuerint, ac Archiepiscopali, Episcopali, vel alia maiori dignitate præfulgeant, ex negociatione illicita, aut alias contra sacros Canones quomodolibet acquisita, quæ pro tempore post obitum eorum, qui etiam ex facultate quã habuerint testandi, condito testamento, vbiuis locorum decesserint, & decedent, aut quibus illos, etiam eis viuentib. priuari, & eis destitui contigerit, & præsertim quondam Andreæ Iapiro de S. Ioanne Rotundo presbyteri, seu Religiosi, extra Rom. Curiam ad illam forsan veniendo defuncti, hactenus remanserunt, remanent, & remanebunt, ad eamdem Cameram, & non alios, etiam in quibusuis Cathedralibus, etiam Metropolit. & Collegiatis, ac aliis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Militiis, ceterisque beneficiis Ecclesiasticis cum cura, sæcularibus, & quorumuis Ordinum regularibus qualitercumque qualificatis successores, illa in titulum, commendam, administrationem, commissionem, ac alias quomodolibet pro tempore obtinentes, etiamsi ad illa, vigore prioris tituli, ius regrediendi, seu accedendi, aliquibus concessum fuerit, spectasse, & spectare, ac sub nomine spoliorum venire, illaque vti Spolia ad Cameram ipsam pertinentia perpetuo colligi, & recuperari potuisse, posse, ac debere.

Decretum irritans.

§. 3. Et ita per quoscumque Iudices quauis auctoritate fungẽtes in quacumque instantia, sublata eis quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Necnon irritum, & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio, & facultates.

§. 4. Mandantes dilecto filio nostro Guidoni Ascanio Sanctæ Mariæ in Via lata, Diac. Card. de Sancta Flora nuncupato, Camerario nostro, & eius in Cameriatus officio successoribus, quatenus Spolia ipsa, prout alia ipsius Cameræ iura, exigi, & recuperari, ac præsentes inuiolabiliter obseruari faciat, nec permittat Cameram ipsam, vel pro ea agentes, desuper modo aliquo molestari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet & rebelles, per censuras & pœnas ecclesiasticas, & appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogatoria.

§. 5. Non obstan. fel. rec. Bonifacij PP. VIII. prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, & aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Militiarum, & beneficiorum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis & dilectis filiis illorum Capitulis, Conuentibus, Superioribus, & personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis, etiam Motu & scientia similibus, concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apost. nõ facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo, &c.

Datum

Digitized by Google

D. P. An. 1. die 5. Nouemb.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1560. Non. Nouemb. Pont. nostri Anno primo.

Sequitur declaratio dictæ Constitutionis.

Edita A. D. 1560. Exordium.

PIVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex ex sua circumspecta prouidentia attendens suam Almam Vrbem, Apostolorum Petri & Pauli glorioso martyrij cruore Domino nostro IESV CHRISTO consecratam, caput Orbis existere, & Altissimum in ea sacerdotij principatum, Christianæque Religionis caput instituisse, & ad illam tamquam communem omnium Christifidelium patriam de vniuersis mũdi partibus Christifideles ipsos in copioso numero confluere, vt illa eo amplioribus prærogatiuis decoretur, quo est omnium aliarum mater, cunctorumque ad eam vndequaque accedentium benigna receptrix & alumna, ac illius incolæ, & habitatores, ac Romanam Curiam sequentes eo quietius & tranquillius in ea degant, quo se amplioribus fauoribus & gratiis nouerint communitos, nonnunquam à suis prædecessoribus in illorum fauorem concessa, pro illorum subsistentia firmiori, non solum approbat, sed etiam innouat, & quæ postmodum ab eo emanarunt literæ Apostolicæ, ne defectu incertitudinis aliquid quod à mente sua alienum sit, oriri contingat, illas ita suæ declarationis adminiculo dilucidat, vt nulli hæsitationis & dubitationis scrupulus relinquatur, & alias desuper disponit, prout rerum & temporum qualitate pensata, conspicit in domino salubriter expedire.

Iulius III. edidit bullã de qua hic.

§. 1. Nuper siquidem postquam fel. rec. Iul. PP. III. &c.

Omittitur quia ipsa bulla Iul est sup. lib. 2.

Hic Pont. aliã edidit bullam hic præcedit.

§. 2. Nos ex certis tunc expressis causis Motu simili, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, per alias nostas literas sub dat. videlicet Non. Nouemb. Pont. nostri Anno 1. decreuimus & declarauimus omnia & singula, &c.

Omittitur quia est bulla quæ præcedit.

Ideo dubitabatur an ista const. præiudicauerit. const. Iulij III. Vnde hic declarat, nõfuisse præiudicatũ priuilegijs Curialium & eius constit. non se extendere ad Card. vbique decedentes, aut alios testandi facultatẽ habentes ex priuilegio aut licentia Sedis Apost.

§. 3. Cùm autem sicut nobis innotuit, à nonnullis hæsitetur, an ex his literis nostris statuto, & ordinationi Iulij prædecessoris huiusmodi præiudiciũ aliquod generatum sit, aut dici, seu censeri possit, Nos qui Vrbis decorem & venustatem ac illius incolarum prædictorum prosperum & felicem successum sinceris exoptamus affectibus, quique illam non minoribus fauoribus quam dicti prædecessores prosecuti sunt prosequi intendimus, ne propter nostræ declarationis defectũ, ex veritatis suppressione contra mentem & voluntatem nostras cuiquam præiudicium generetur, quantum in nobis est prouidere volentes, ac dictarum nostrarum literarum veriorem tenorem præsentibus pro sufficienter expresso habentes, necnon motu & scientia similibus, literas nostras prædictas ad S. R. E. Cardinales, etiam vbiuis locorum decedentes, ac eorum bona vbique existentia nullo pacto, ad Vrbem & Curiam præfatas, necnon Prælatos, Officiales, ac alios sæculares, & cuiusuis Ordinis regulares clericos, ceterosque tàm in Vrbe & Curia præfatis pro tempore existentes, & in ea, seu eius districtu decedẽtes, quã alias alibi vbiuis locorum, etiam vltra montes & maria existentes (testandi tamen, codicillandi, & alias de bonis suis quibuscumque quomodolibet disponendi facultatem, seu etiam quod eis ab intestato decedentibus eorũ bona ad ipsorũ proximiores, & qui nisi beneficiati essent succedere deberent, deuoluantur & debeant, specialem ab Apost. Sede vel officiorum suorum ratione priuilegiorum, aut ex alio quouis titulo pro tempore habentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ, personas minime se extendere, neque illos, aut eorum aliquem comprehendere, sed ab eis penitus exceptos fuisse, fore & esse, ac dici & censeri, & alias easdem nostras literas etiam absque verbis, aut alios contra sacros canones, in illis appositis in omnibus & per omnia, ac si illa in eis apposita non fuissent, seu illæ sine eis emanassent, stare, & in suis robore, & efficacia permansisse, & permanere debuisse & debere.

Confirmatio const. Sixti IV. & aliorum.

Tu eas vide inseruias in bulla S. D. N. Pauli V. cit. in rubr.

§. 4. Declarantes eisdem Motu & scientia, tàm Iulij statutum, & ordinationem huiusmodi, quàm per Sixtum IV. & Alex. VI. Leonem X. & alios Rom. Pont. etiam prædecessores nostros, ac etiam nos, etiam in Conclaui in quo diuina disponente clementia ad summi Apostolatus apicem assumpti fuimus, etiam in ipsius Vrbis, & eius ædificiorum, Romanæque Curiæ & eius Officialium ac aliarum personarum prædictarum, etiam extra Vrbem, & quibusuis prouinciis, etiam vltra montes & maria, vt præfertur, in genere, vel in specie, circa testandi, & succedendi huiusmodi facultatem quomodolibet concessa priuilegia, & indulta, ac cum inhibitionum decretorum, & in eis contentis clausulis Iulij prædictas, ac aliorum prædecessorum prædictorum singulas desuper confectas literas, & inde secuta quæcumque, quorum omniũ tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus haberi volumus pro expressis, etiam ad hoc vt omnes & singuli supradicti de omnibus, & singulis eorum rebus & bonis, etiam nulla quantitatis, & acquisitionis ipsorum bonorum distinctione habita, libere disponere valeant, ac si dictæ nostræ literæ non emanassent, aut aliæ in posterum emanarent, dicta auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innouamus, necnon illis perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus. Et nihilominus pro potiori cautela, illa omnia & singula eisdem modis & formis, quibus per dictos prædecessores concessa fuerũt, de nouo eisdem auctoritate, & tenore, ac Motu & scientia statuimus, ordinamus, & concedimus, necnon illa valida, & efficacia existere suosque plenarios & integros effectus sortiri, & inuiolabiliter obseruari ac singulis supradictis sufftagari.

Decretũ irritans.

§. 5. Sicque in præmissis omnibus & singulis per Camerarium, Præsidentes & Clericos præfatos ac quoscumque alios Iudices, & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores & ipsius Ecclesiæ Rom. Cardd. sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac quidquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Clausula derogatoria.

§. 6. Non obstan. præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Cameræ, & Ecclesiarum, ac Monasteriorum, & Ordinum prædictorum, & quibusuis aliis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, necnon priuilegiis, indultis & literis Apostolicis, illis sub quibuscumque ten. & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, in genere, vel in specie, etiam motu, & scientia similibus, concessis, & approbatis, ac innouatis. Quibus omnibus, illlorum tenoribus præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus; ac omnibus illis quæ Iulius, & alij prædecessores præfati in dd. suis literis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 7. Et quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quod earum transumptis, seu copiis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & alicuius Prælati sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra vbique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Sãctio pœnalis.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum declarationum, decretorum, approbationis, confirmationis, innouationis, adiectionis, statuti ordinationis, concessionis, derogationis, & voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1560. nouis Febr. Pontificatus nostri anno secundo.

D. P. An. 2. die 3. Febr.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1561. Indict. 4. die vero 15. mensis Febr. Pont. Sanctiss. in Christo patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. Anno I. retroscripta litera affixæ, & publicatæ fuerunt in acie Campi Floræ, & valuis Cancellariæ Apost. per nos Iacobum Carra, & Antonium Clerici Cursores.

Franciscus Rogerius Mag. Curs.

Digitized by Google

Confirmatio & noua concessio omnium facultatum, & priuilegiorum S.R.E. Camerario, hactenus à summis Pontt. concessorum.

Ad hæc vide constit. 65. Clem. VIII. In conferendis. vbi plene notabo.

P I V S E P I S C O P V S.
Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

PRouidentia Romani Pontificis plurimum circumspecta, nonnumquã ea, quæ certis suabentib. causis, per eius prædecessores gesta sunt, ex aliis non minus rationabilibus causis, alterat, & ad pristinum statum reducit, ac quëlibet in sua iurisdictione, & possessione conseruat, & manutenet, prout æquitas suadet, & id in Domino conspicit salubriter expedire.

Camerarius habuit multas facultates & priuilegia vsque ad Paulũ IV. qui illa limitauit.

§. 1. Sane cum dilectus filius noster Guido Ascanius S. Mariæ in Via lata Diaconus Card. de Sancta Flora nuncupat. modernus, & qui ante eum pro tempore fuerunt S.R.E. Camerarij, multa & diuersa priuilegia, eis, eorumque Camerariatus officio à quamplurib̃ Rom. Pontt. prædecessoribus nostris cõcessa habuerint & habeant, ac in illorum possessione pacifica & quieta, vsque ad tempus fel. rec. Pauli Papæ IV. prædecessoris nostri, qui ex certis causis animum suum mouentibus, id expedire ratus, illa limitauit, seu suspendit, aut reuocauit, extiterint.

Hic autẽ Põt. illa cõfirmat, & de noua cõcedit.

§. 2. Nunc vero experientia rerum omnium magistra docente, priuilegia ex rationabilibus causis concessa, ac publicæ commoditati vtilia fore comperientes, & propterea eorumdem prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, Motu proprio, non ad alicuius instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, limitationem, seu suspensionem, aut reuocationem priuilegiorum huiusmodi per præfatum Paulum prædecessorem, vt præmittitur, factas harum serie reuocantes, omnia, & singula priuilegia, moderno, & pro tempore existentibus eiusdem S.R.E. Camerariis, eorumque Camerariatus officio huiusmodi, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros concessa, quorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, in omnibus, & per omnia, prout ante limitationem, suspensionem, aut reuocationem Pauli prædecessoris huiusmodi erant, confirmamus, approbamus, & innouamus. Et nihilominus potioti pro cautela, quatenus opus sit, ea omnia moderno, & pro tempore existentibus ipsius S.R.E. Camerariis. eorumque Camerariatus officio huiusmodi de nouo concedimus.

Quibuscumq; non obstantib.

§. 3. Non obstantibus quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apost. etiam per præfatum Paulum prædecessorem, etiam quoad Hebræorum viuendi modum, & tolerantias eisdem Hebræis non concedendas, ac alias quomodolibet editis, quibus, illarum tenores ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita omnino seruata esset, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quoad præmissa motu simili, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, voluntatis, confirmationis, approbationis, innouationis, concessionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D. P. A. 1. die 13. Nouemb.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1560. Idib. Nouemb. Pontificatus nostri anno 1.

XXI. Contra pugnantes in duello, & illud vbique gentium permittentes, spectantes, complicesque, &c.

Duellorum vsum vetuit in Statu Ecclesiastico Iul. II. sup. const. 19. Regis. & deinde Leo X. in constit. 31. Quam Deo. Easque simpliciter confirmauit Clem. VII. & ideo eius bullam non posui.

Sanctio ista ampliata fuit à Clem. VIII. vt inf. in eius const. 11. Illius, vbi cetera notabo.

P I V S E P I S C O P V S, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Edita A. D. 1560.

Exordium.

EA quæ à prædecessoribus nostris Roman. Pontificibus, suadentibus legitimis causis emanarunt, libenter approbationis, & innouationis munimine solidamus, vt eo firmius illibata perdurent, quo sæpius fuerint Apostolica auctoritate munita, illaque de nouo statuimus, & ampliamus prout rationabiles causæ persuadent, & hoc in domino conspicimus salubriter expedire.

Clem. VII. edidit bullam de qua hic.

§. 1. Dudum siquidem à fel. rec. Clemente Papa VII. prædecessore nostro emanarunt literæ in quibus nonnullæ aliæ inseruntur tenorum subsequentium.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, Consueuit, &c.

Omittitur residuum, quia simpliciter confirmat bullas citatas in rubrica.

Causa constit.

§. 2. Cum autem sicut nobis innotuit, quamplurimi Duces, Comites, Marchiones, Domicelli, Barones, & alij in temporalibus domini, vicarij, communitates, & vniuersitates ciuitatum, terrarum, & locorum eidem Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subiectorum, nonnullique alij singularia certamina exoptantes, & alij etiam, vt præfertur, subditi illa videre cupientes, suorum status, salutis, & honoris immemores literis prædictorum huiusmodi contrauenire, & censuras, ac pœnas in illis contentas paruipendere non vereantur, in animarum suarum perniciem, & diuinæ maiestatis offensam, ac Reipublicæ læsionem.

Confirmatio const. Iuly II. Leon. X. Clemen. VII.

§. 3. Nos quorum est sceleratorum insolentiis quibus aduersum Deum & proximum, ac dictæ Sedis auctoritatem veluti Catholicæ professionis inimici sæuiunt, salubriter reprimendis, ne ipsorum inualescat præsumptio, & peruersitas extollatur intendere, & ne literæ prædictæ quæ prouida deliberatione ab ipsis prædecessoribus emanarunt, contemptibiles reddantur, sed illarum transgressores debita animaduersione puniantur, prouidere volentes, Motu proprio non ad aliquorum nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, singulas Iulij, Leonis, & Clementis, prædecessorum prædictorum literas cum statutorum, ordinationum, adiectionum, decretorum, declarationum, confiscationum, incorporationis, applicationis, voluntatum, & mandatorum, ac omnibus, & singulis aliis in eis respectiue contentis clausulis, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & innouamus, & perpetuo firmitatis robore subsistere, & singulos quos literæ ipsæ concernunt, & concernent, sub excommunicationis, anathematis, maledictionis, perpetuæ infamiæ, diffidationis, criminis læsæ maiestatis, seditionis, rebellionis, confiscationis, & priuationis statuum, & dominiorum, ac Feudorum, & Vicariatuum, ac aliorum bonorum suorum, ac depositionis illorum, necnon inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac interdicti, ac aliis censuris, ac pœnis ecclesiasticis, & temporalibus, aliisque in eisdem literis contentis, quas contrauenientes eo ipso incurrant, & intestabiles fiant, ac vltra pœnas prædictas carceribus mancipari & detineri, & pœnis prædictis irremissibiliter puniri debeant, perpetuo obseruari, & per executores in dictis literis deputatos aduersus eosdem contrafacientes ad totalem executionẽ dictarum pœnarum procedi debere decernimus.

Extẽsio constitutionum ad autores dullantium & affingentes, vel subscribentes cartas duelli.

§. 4. Illasque tàm ad pugiles taliter pugnantes, quàm eos ad id tentantes, & prouocantes, aut locum, seu campum ad pugnandum dantes, seu concedentes, ac in illis astantes, & interessentes, ac certantes, comitantes, & comitiuam præstantes, necnon consulentes, ac adhærentes, & fautores, necnon chartas certaminis, seu duelli subscribentes, vel affigentes aut publicantes, etiam si prædictæ, seu cuiuscumque alterius dignitatis, nobilitatis, status, gradus, & ordinis, tàm ecclesiasticæ, quàm mundanæ existant, etiam ad hoc vt ipsi vltra pœna prædictas excõmunicationis maioris latæ sententiæ à pœnã, à qua nonnisi à nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente absolui possunt, eo ipso incurrant, & si Ecclesiastici fuerint, etiam omnibus & singulis Ecclesiis,

mona

monasteriis, dignitatibus, & aliis beneficiis Ecclesiasticis per eos obtentis, seu in quibus, & ad quæ ius eis competit, eo ipso priuati, & ad illa ac alia in posterum obtinenda inhabiles existant, necnon illa tanquam per priuationem huiusmodi vacantia ab aliis impetrari possint, extendimus & ampliamus.

Iteratio statutorū à Iulio II. Leon. X. & Clem. VII.

§. 5. Et nihilominus præmissa omnia & singula prout per Iulium, Leonem, & Clementem prædecessores præfatos, statuta & ordinata, inhibita, decreta & mandata fuerunt, in omnibus & per omnia de nouo statuimus, ordinamus, inhibemus, decernimus, declaramus, & mandamus.

Reuocatio quarumcumque licentiarum.

§. 6. Ac omnes concessiones duellorum huiusmodi, & facultates desuper prædictis, seu aliis quibusuis personis per quoscumque Rom. Pont. prædecessores nostros, quibusuis formis & verborum expressionibus forsan concessas & approbatas, & innouatas, harum serie reuocamus, cassamus & annullamus.

Monitio ad omnes Principes Christianos etiam non subditos R. E. vt duella & certamina prohibeant.

§. 7. Et insuper cupientes, illa & tam detestabilem pugnantium, & aliorum loca ad pugnandum, ac alias in præmissis fauorem præstantium, & denique tanti sceleris fautorum nequitiam, non solum in terris & locis eidem Romanæ Ecclesiæ, vt præfertur, subiectis, sed alias vbilibet penitus reprimi & aboleri, ac singulorum Christi fidelium animarum periculis obuiare, per viscera Domini nostri Iesu Christi, rogamus & obtestamur vniuersos & singulos totius Orbis Imperatorem, Reges, Duces, etiam armorum, Marchiones, Barones, ceterosque Principes Christianos, necnon dominia, potentatus, communitates ciuitatum, ac vniuersitates oppidorum, castrorum, terrarum & locorum quorumcumque, illorumque in temporalibus dominos, ac etiam militum, tàm equestrium, quam pedestrium, capitaneos & præfectos etiam temporali ditioni ipsius Romanæ Ecclesiæ non subditos, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis, ac præeminentiæ fuerint, vt diuini nominis intuitu, & pro sua in nos & hanc Sanctam Sedem Apostolicam deuotione & reuerentia, necnon fidei cultu & conseruatione, ac animarum eorum qui huiusmodi duella diabolica fraude decepti perquirunt salute, dicta duella, seu alia singularia certamina in suis Regnis, Ducatibus, Marchionatibus, Baroniis, Dominiis, terris & locis nullatenus fieri permittant, immo ne fiant expresse prohibeant & dissuadeant: districtius præcipientes eis, ne vllo vnquam tẽpore huiusmodi duella seu certamina quouis prætextu, seu quauis occasione vel causa admittere, aut aliquos ad id irritare seu prouocare, vel illis interesse, aut vt fiant pati, seu permittere audeant, vel præsumant; alioquin eos, ac etiam extra terras & loca ditioni Ecclesiæ huiusmodi non subiecta duella, seu singularia certamina huiusmodi, aut diffidationes desuper facientes, & ad id irritantes, prouocantes, & auxilium, consilium, vel fauorem dantes, ac illis astantes & interessentes, & similiter chartas desuper subscribentes aut publicantes, seu de illis se intromittentes, eorumque ac ipsorum singulos ab Imperatore & Regibus inferiores maioris excommunicationis, & vltra eam si Ecclesiastici fuerint, priuationis & inhabilitatis pœnis prædictis subiacere, illasque incurrere, & ab eis præterquàm à nobis, seu dicto Rom. Pont. pro tempore existente, vt præfertur absolui, aut aduersus illas restitui, seu rehabilitari non posse neque debere decernimus & declaramus.

Clausula derogatoria.

§. 8. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis quæ dicti prædecessores in singulis eorum literis prædictis voluerunt non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c.

Dat. 13. Nouemb. An. 1.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, 1560. Idibus Nouembris Pontificatus nostri anno primo.

XXII. Approbatio Archiconfraternitatis Orationis & Mortis, nuper in Vrbe institutæ, ad Orationem quadraginta horarum, singulis mensibus publicè peragendam, Et pauperum defunctorum cadauera, gratis & decenter sepelienda, cum indulgentiarum concessione.

Huiusmodi Orationem, in cunctis Vrbis Ecclesiis, locisque piis, præscripta Ecclesiarum, & temporis distributione, absque intermissione fieri iussit Clem. VIII. in sua Constitut. 17. Graues, quæ adhuc seruatur. De indulgentiis autem, attende constitut. Pauli V. mox edendam, quam vidi firmatam sub die 1. Decembris 1605.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita An. D. 1560.*

Proœmium.

DIuina disponente clementia ad summi Apostolatus apicem meritis licet impatibus sublimati, Christi fidelium omnium votis, præsertim ad charitatis, aliorumque piorum operum exercitium, & deuotionis sinceritatem certumque orationum & ieiuniorum Altissimo pura mente consecrandorum ordinem tendentibus, ac ipsorum fidelium Societatibus, salubribusque illarum ordinationibus, quo propterea pie institutæ fuisse dicuntur, libenter potissimum cum à nobis petitur, Apostolici munimini præsidium adiicimus, ac eosdem fideles, vt ad opera huiusmodi feruentius amplexanda procliuiores efficiantur, indulgentiis, & peccatorum remissionibus frequenter inuitamus, vt exinde desiderabilia salutis æternæ præmia facilius valeant promereri.

In Vrbe quædam Christifideles instituerunt Confraternitatem Orationis & Mortis ad Orationē 40. horarū mense quolibet, faciendam, Et pauperum defunctorū corpora decenter sepelienda, & alia pia opera exercenda.

§. 1. Sane sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardianorum, Administratorum, & officialium Confraternitatis de Oratione, alias della Morte nuncupatæ, in Alma Vrbe institutæ, petitio continebat, iam multis annis elapsis nonnulli Christi fideles in ipsa Vrbe degentes diuino instinctu moti, & pia mente considerantes, Orationes humiliter & deuotè à Christifidelibus in vnum in Dei nomine conuenientibus factas, diuinæ Maiestati gratas & acceptas existere, ac illis, & eleemosynis, aliisque piis operibus ipsius Omnipotentis Dei Clementiam & misericordiam impetrari, vnam Societatem, seu Confraternitatem vtriusque sexus personarum de Oratione, alias della Morte nuncupatam, in eadem Vrbe instituerunt, & inter alia ordinauerunt, vt singulis mensibus, diebus, & horis ad id per pro tempore existentes eiusdem Cõfraternitatis Guardianos, seu Administratores, & officiales designandis & statuendis ad imitationem quadraginta dierum, quibus Dominus noster Iesu Christus in deserto vitam humanam agens ieiunauit, ac etiam Sanctorum Apostolorum, & patrum primitiuæ Ecclesiæ, qui ad Deum sine intermissione orabant, Oratio fieret, ad eumdem Omnipotentem Deum vocalis & mentalis, horas quadraginta continuas per homines & mulieres dictæ Societatis, ac alias personas ibidem interesse volentes, etiam si Confratres non essent, ac ipsi Confratres in principio cuiuslibet Orationis singulo mense in penultima eius Dominica, vel alio die fieri solitę Corpus Domini cum decenti pompa deferrent, Necnon pauperum, ac miserabilium personarum decedentium corpora iam antea sæpenumero absque vlla forsan cæremonia præter consuetudinem Christianam delata, exemplo Thobiæ etiam propriis humeris deferrent, ac propriis faculis, intortitiis, & candelis, adhibitis, aliisque expensis necessariis sepelirent, necnon singulo mense pro animabus Confratrum defunctorum, ac eorum quorum corpora ab ipsis Confratribus humata forent anniuersarium celebrarent, & infirmis egenis ipsius Confraternitatis de medico & eleemosynis pro posse succurrerent, illosque & Confratrum charitatę visitarent, atque officia diuina, prout aliis Confraternitatibus concessum erat, exercerent.

Ordinationesque pro regimine d. Confratern. constituerunt.

§. 2. Cùm autem sicut eadem petitio subiungebat dicta Confraternitas, Spiritu sancto adiuuante concursu fidelium, qui ad illam confluxerunt, augmentum, & in dictis piis operibus incrementum non modicum susceperit, ac in dies augeatur, dictique Confratres qui ipsam Confraternitatem primo in S. Laurentij in Damaso constituerunt, & ad præsens in S. Ioannis Euangelistæ in Ayra dictæ Vrbis Ecclesiis congregatam retinent, etiam pro illius directionē & augmento nonnulla Capitula, & Statuta fecerint, & ediderint, ac Venerab. frattem nostrum

Digitized by Google

ſtrum Federicum Epiſcopum Prænestinum S. R. E. Cardinalem de Cæſis nuncupandum in d. Confraternitatis Protectorem elegerint, prout in vno vel pluribus documentis, & forſan publicis deſuper confectis plenius dicitur contineri, Guardiani, & Adminiſtratores prædicti nobis humiliter ſupplicari fecerunt, vt inſtitutioni Confraternitatis, eiuſque Statutis & Capitulis huiuſmodi pro firmiori illorum ſubſiſtentiæ Apoſtolicæ confirmationis robur adiicere, ac alias in præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Hic autē Pōt. cōfirmatn. eiuſq; ordinationes approbat, & de nouo conſtituit, accedente conſenſu Archiconfrat. Charitatis. De quo cōſtat hic in fin.

§. 3. Nos igitur, qui Chriſtifidelium deuotionem, orationes & pœnitentiam, ac charitatis opera vbique locorum, ſed præcipue in ipſa Vrbe feliciter adaugeri, ſinceris deſideramus affectibus, hanc dictorum Confratrum deuotionem in Domino collaudantes, ac Guardianos, Adminiſtratores, & Officiales prædictos, ac eorum quemlibet à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, necnon omnium & ſingulorum documentorum prædictorum, tenores præſentibus pro expreſſis haben. huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, dummodo dilectorum filiorum Archiconfraternitatis Charitatis etiam de Vrbe ad infraſcripta accedat aſſenſus, inſtitutionem Confraternitatis de Oratione, alias de Morte nuncupatæ huiuſmodi, ac omnia & ſingula per Guardianos, & Confratres prędictos, circa præmiſſa edita, ordinationes & ſtatuta, ac prout illa concernunt cetera in eiſdem documentis contenta, licita & honeſta, ac ſacris Canonibus non contraria, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ex certa ſcientia approbamus, & confirmamus, ac omnes, & ſingulos iuris & facti defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem ſupplemus, illiſque omnibus perpetuæ firmitatis robur adiicimus. Et nihilominus eamdem Confraternitatem de Oratione, alias de Morte nuncupandam eiſdem modo & forma, quibus per ipſos Chriſtifideles inſtituta exiſtit, de nouo auctoritate & tenore præmiſſis inſtituimus, & etiam erigimus.

Eiuſq; officialib. dat potestatē, quoscūque in confraternit recipiendi.

§. 4. Ac eiſdem Guardianis, Adminiſtratoribus, & Confratribus quaſcumque vtriuſque ſexus perſonas eis bene viſas, ac gratas, & acceptas, tàm Eccleſiaſticas, quàm ſæculares vndecumque exiſtentes, dictam Confraternitatem ingredi volentes, cuiuſuis licentia minime requiſita in eorum Confratres, ac Confraternitatis gremium recipien. & admitten. licentiam & facultatem concedimus.

Statuta cum auctoritate Protectoris cōdendi & reformandi.

§. 5. Eiſque cum eiuſdem Federici Epiſcopi, & deinceps pro tempore exiſtentis Protectoris ſui auctoritate, ſeu approbatione, quæcumque ſtatuta & ordinationes pro eiuſdem Confraternitatis felici regimine, ad piorum operum huiuſmodi exercitium, & alias circa præmiſſa, prout eis videbitur, & placuerit, condere, & reformare, quæ poſtquam condita, & reformata fuerint, eo ipſo Apoſtolica auctoritate approbata, & confirmata ſint, & eſſe cenſeantur, & per ipſos Guardianos, ac Adminiſtratores, & Confratres obſeruari debeant.

Crucē ligneā, & habitū nigrū deferendi.

§. 6. Necnon tàm in eorum Oratorio, quàm in proceſſionibus per Vrbem faciendis Crucem ligneam, & habitum conſuetum de tela nigra cum capucciis, ſiue picciis deferre, prout etiam de præſenti deferunt.

Eleemoſynas, oblationes, & legata recipiēdi, & in dictos pios vſus exponendi.

§. 7. Necnon eleemoſynas, & oblationes quaſcumque, ac etiam piorum Chriſti fidelium, etiam S. R. E. Cardinalium, aliorumque Prælatorum, & officialium, aliarumque perſonarum, tàm ſæcularium, quàm Eccleſiaſticarum, tàm hactenus, quàm in futurum vltimis voluntatibus, vel etiam inter viuos donationibus, vel largitionibus relicta, legata, hæreditates, & bona quæcumque eidem Confraternitati relinqui, & Confraternitatem illa ſic relicta recipere, & de illis illorumque fructibus in dictos pios vſus, prout illis videbitur diſponere, ac omnia & ſingula alia recipere, obtinere, & facere, & ad ea admitti poſſe ad quæ aliæ Vrbis prædictæ Confraternitates à Sede Apoſtolica approbatæ poſſunt & valent, citra tamen illarum præiudicium.

Confraternit. ad aliā Eccleſiam transferendi, & in ea Capellanum, habendi, ad miniſtrādum Confratribus Sacramenta.

§. 8. Et inſuper Confraternitatem ipſam ad aliam Eccleſiam, ſeu locum ipſius Vrbis ſibi beneuiſum transferre; & inibi ſi Eccleſia non extet, Eccleſiam vnam cum ſuis Oratoriis & manſionibus; ſi vero Eccleſia inibi reperiatur de illius pro tempore Rectoris conſenſu vnam Capellam ſeu Oratorium, in qua, vel quo ſacratiſſimi Corporis Chriſti Sacramentum reconditum eſſe debeat, & ad eius Altare Capellanum ad id per eoſdem Guardianos, & Officiales ad eorum nutum eligendum, & amouendum, prout hactenus habuerunt, per quem miſſæ, & alia diuina officia celebrari, & ipſis Confratribus Euchariſtiæ, & alia ſacramenta Eccleſiaſtica miniſtrari poſſint, habere & retinere, ac conſtrui facere.

Defunctorūq; corpora in Eccleſiis eorum parochialibus ſuis expēſis requiſitis parochis ſepelien.

§. 9. Et ipſi Guardiani, & Officiales, ac Confratres dictæ Confraternitatis, & eorum Capellani quorumcumque pauperum decedentium corpora in parochiali Eccleſia ſub qua ipſi pauperes deceſſerint, ſeu illius Cœmeterio, ſi Cœmeterium habuerint dictæ Confraternitatis ſumptibus & expenſis, ac cum ſuis faculis, intortitiis, & candelis, cum licentia tamen atque intereſſentia eius Rectoris, ſeu Vicarij ſi vocatus adeſſe voluerit, ita quod ſi adeſſe noluerint dictæ Confraternitati ianuas Eccleſiæ prædictæ ad hunc effectum aperire omnino teneatur, in forma Eccleſiæ conſueta, & ſolemniter ſepelire, vel ſepeliri facere, libere & licite valeant, eiſdem auctoritate & tenore indulgemus.

Indulgētiarū conceſſio pro Confratribus, Sororibus, & aliis. Tu vide nouā diſpoſitionem Pauli V. cit. in rubr.

§. 10. Et inſuper vt Chriſtifideles eo libentius ad ingrediendum Confraternitatem huiuſmodi inducantur, & animarum ſalus peramplius propagetur, De Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis, præſentibus & futuris eiuſdem Societatis vtriuſque ſexus Confratribus, qui ad illam in diebus Orationis quadraginta horarum huiuſmodi acceſſerint, & pro noſtra, & pro tempore exiſtentis Pontificis Rom. ſalute, necnon d. Sedis, ac Principum, omniumque Chriſtianorum pace & tranquillitate pie orauerint, necnon Chriſti fidelibus, qui Eccleſiam Confraternitatis huiuſmodi in Natiuitatis, Veneris ſancti, & ſecunda feria octauæ Corporis D. N. Ieſu Chriſti feſtiuitatum diebus deuote viſitauerint, vere tamen confeſſis & contritis, vel firmum confitendi propoſitum haben. & ſimiliter orantibus, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem eiſdem auctoritate & tenore concedimus & elargimur. Eorum autem omnium & ſingulorum Confratrum, qui per totam primam, vel ſecundam dictæ Orationis noctem in eadem Oratione permanſerint, ac pro viribus, vt ſupra preces effuderint intuitu vnius animæ cuiuſcumq; fidelis defuncti, pro qua quicumque ex ipſis Miſerere mei Deus, &, De profundis, Pſalmos, aut quinquies orationem Dominicam, & Angelicam ſalutationem humiliter in dictæ Orationis fine, coram Sanctiſſimo Sacramento dixerint, quoties id fecerint, centum annos. Illis vero Confratribus, qui dictorum pauperum decedentium corpora ad locum ſepulturæ detulerint, aut aſſociauerint, & infirmos prædictos viſitauerint, quoties id fecerint mille annos, & totidem quadragenas de iniunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Necnon eiſdem Confratribus, quod liceat eis & eorum cuilibet, durante eorum infirmitate miſſam in domibus ſuis celebrari facere.

Faculta eligendi confeſſorem. Tu vide d. cōſt. Pauli V.

§. 11. Necnon confeſſorem, ſeu confeſſores qui eos in mortis articulo ab eorum peccatis, & Sedi prædictæ in Bulla Cœnæ Domini legi conſueta reſeruatis, Religionis, & caſtitatis votis dumtaxat exceptis) dicta auctoritate abſoluere poſſint, eligere.

Facultas aggregandi alios Confraternit. Ad hoc vide eādem conſt. Pauli V.

§. 12. Ac ipſis Guardianis, Officialibus, & deputatis pro tempore exiſtentibus quaſcumque Confraternitates extra Vrbem prædictam ſub huiuſmodi vocabulo, & inſtitutis pro tempore erectas omnibus & ſingulis prædictis, aliiſque priuilegiis, & indulgentiis ſibi deinceps concedendis, ſub conditionibus, & formis ſibi beneuiſis aggregandi, illaſque eis in toto, vel in parte communicandi facultatem ſimiliter concedimus, ac indulgemus huiuſmodi.

Clauſula huius bullæ preſeruatiua.

§. 13. Et præſentes literas ſub quibuſuis reuocationibus, ſuſpenſionibus derogationibus, vel limitationibus quarumcumque ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum per nos, & Sedem prædictam, etiam in fauorem fabricæ

Digitized by Google

bricæ, Basilicæ Principis Apostolorum de ipsa Vrbe, expeditionis contra infideles & cruciatæ sanctæ, vel aliter etiam ad Imperatorum, Regum, Ducum, aut aliorum instantiam quomodolibet pro tempore factis nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, & de nouo concessas fore, ipsisque Confratribus, & aliis fidelibus sufftagari debere decernimus.

Clausula derogatoria.

§. 14. Non obstantibus quibusuis Apostolicis, ac in Prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac nostra, de indulgentiis, & gratiis huiusmodi ad instar non concedendis, aliisque editis, & edendis Cancellariæ Apostolicæ regulis, necnon quorumuis Ecclesiarum, & aliorum locorum; etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiisque, indultis, & literis Apost. illis, & eorum Superioribus, ac personis, aliisque quibuslibet sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum, derogatooriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, & Motu proprio, ac alias quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus, approbatis & innouatis, quibus omnibus etiam si de illis, ac totis illorum tenoribus specialis, specifica & indiuidua, non autem per clausulas idem importantes mentio, aut quæuis alia expressio habenda, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli, &c.

D. P. An 1. die 17. Nouemb.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1560. 15. Kalend. Decemb. Pontificatus nostri anno primo.

Consensus Archiconfraternitatis Charitatis de Vrbe.

Anno Incarnationis Dominicæ 1561. die 7. Februarij, R. D. Antonius Lomellinus Protonotarius Apostolicus, Horatius de Marchianis, Christophorus Lucianus, Franciscus Sangalettus deputati Societatis, seu Confraternitatis Charitatis de Vrbe per Franciscum Puccium eorum procuratorem, omnibus & singulis retroscriptis sine tamen praiudicio priuilegiorum eiusdem Confraternitatis Charitatis, & literarum expeditioni consenserunt, &c.

Pro Io. Baptista Doria. Io. Baptista Zianus.

XXIII. Indictio prosecutionis Sacri & Oecumenici Concilij Trid.

Concilium istud indictum fuerat à Paulo III. vt supra in eius constitut. 33. Initio. Absolutumque & confirmatum fuit ab isto Pontifice Pio IV. vt inf. constitut. 73. Benedictus. vbi ponam concord. Materia.

Edita An. D. 1560.

PIVS PAPA QVARTVS.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD Ecclesiæ regimen, licet tanto oneri impares, sola Dei dignatione vocati, statim circumferentes oculos per omnes reipublicæ Christianæ partes; cernentesque non sine magno horrore, quam longe, lateque pestis hæresum & schismatis peruasisset, & quanta Christiani populi mores correctione indigerent; in eam curam, & cogitationem, pro suscepti muneris officio incumbere cœpimus, quemadmodum ipsas hereses extirpare, tantumque, & tam pernicioſum schisma tollere, moresque adeo corruptos, & deprauatos emendare possemus.

Paulus III. & Iulius III indixerunt Conc. Trident. sed prosecutum non fuit ex variis causis de quibus hic, & in Paul. III. constit. cit. in rubr.

§. 1. Cùm autem intelligeremus ad hæc sananda mala aptissimum esse remedium, quod sancta hæc Sedes adhibere consueuisset, œcumenici, generalisque Concilij eius congregandi, & Deo iuuante celebrandi, consilium cepimus. Indictum illud quidem antea fuit à fel. record. Paulo Tertio, & eius successore Iulio prædecessoribus nostris, sed variis de causis sæpius impeditum, & interpellatum perfici non potuit. Siquidem Paulus cum id primo in Vrbem Mantuam, deinde Vicentiam indixisset, quasdam ob causas in literis eius expressas id primo suspendit, postea Tridentum transtulit. Deinde cum quibusdam de causis ibi quoque eius celebrandi tempus dilatum fuisset, tandem, suspensione sublata, in eadem Ciuitate Tridentina inchoatum fuit. Verum sessionibus aliquot habitis, nonnullis decretis factis, ipsum se postea Concilium aliquibus de causis, accedente etiam Sedis Apostolicæ auctoritate, Bononiam transtulit. Iulius autem qui ei successit, in eamdem ciuitatem Tridentinam id reuocauit, quo quidem tempore facta alia quædam decreta sunt. Sed cum noui in propinquis Germaniæ locis tumultus excitati fuissent, & bellum in Italia, & Gallia grauissimum exarsisset, rursus Concilium suspensum & dilatum fuit, adnitente nimirum humani generis hoste, aliasque ex aliis difficultates, & impedimenta obiiciente, vt tantum Ecclesiæ commodum, quod prorsus auferre non poterat, saltem quam diutissime retardaret. Quantopere vero interea auctæ fuerint, & multiplicatæ, ac propagatæ hæreses, quantopere schisma creuerit, sine maximo animi dolore, nec meminisse possumus, nec referre. Sed tandem pius & misericors Dominus, qui numquam ita irascitur, vt misericordiæ oblituscatur, Regibus & Principibus Christianis pacem, & vnanimitatem donare dignatus est. Qua nos occasione oblata, maximam in spem venimus, ipsius misericordia freti, fore vt his tantis quoque Ecclesiæ malis eadem Concilij via finis imponatur. Nos itaque ad schisma hæresque tollendas, ad corrigendos & reformandos mores, ad pacem inter Christianos Principes conseruandam, celebrationem eius non esse duximus diutius differendam.

Iste autem Pont. ex causis hic expressis dictum Conc. prosequi mandat ad diem Resurrectionis Domini 1561.

§. 2. Habita igitur cum Venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura, factis etiam consilij nostri certioribus charissimis in Christo filiis nostris Ferdinando Romanorum Imperatore electo, & aliis Regibus, atque Principibus, quos quidem, sicut de eorum summa pietate, & sapientia nobis pollicebamur, paratissimos ad ipsius Concilij celebrationem adiuuandam inuenimus, ad Dei Omnipotentis laudem & gloriam, atque Vniuersalis Ecclesiæ vtilitatem de eorumdem fratrum nostrorum consilio, & assensu, sacrum Oecumenicum & generale Concilium, auctoritate eiusdem Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, qua nos quoque in terris fungimur, freti, & subnixi, in ciuitate Tridentina ad sacratissimum diem Resurrectionis Dominicæ proxime futurum indicimus, & ibi celebrandum sublata suspensione, statuimus atque decernimus.

Monetq. Prælatos vt accedant ad Concilium.

§. 3. Quocirca Venerabiles fratres nostros omnibus ex locis Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios Abbates, ceterosque quibus in Concilio generali accedere, & sententiam dicere iure communi, vel ex priuilegio, vel ex antiqua consuetudine licet, vehementer in Domino hortamur, & monemus atque etiam districtè præcipiendo mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, in vi quoque iuramenti quod præstiterunt, & sub pœnis quas in eos, qui ad Concilia generalia conuenire neglexerint sacris sciunt esse canonibus constitutas, vt ad Concilium ibi celebrandum conueniant intra eam diem, nisi forte fuerint impedimento legitimo præpediti, quod tamen impedimentum per legitimos procuratores Synodo probare debebunt. Monemus propterea omnes, & singulos quorum interest interesseve potuerit, vt in Concilio esse non negligant.

Hortatur tiam Imperatores, Reges & Principes, vt per seipsos, vel eorū Oratores Concil. interssint, &c.

§. 4. Charissimos vero in Christo filios Romanorum Imperatorem electum, ceterosque Reges & Principes, quos optandum sane esset Concilio interesse possent hortamur, & rogamus, vt si ipsi interesse Concilio non potuerint, vt Oratores suos prudentes, graues, & pios viros vtique mittant quo ipsorum nomine illi intersint, curentque diligenter pro sua pietate, vt ex eorum Regnis atque dominiis Prælati, sine recusatione ac mora tam necessario tempore, Deo, & Ecclesiæ officium suum præstent, eosdem etiam curaturos esse minimè dubitantes, vt per ipsorum regna & dominia tutum, ac liberum iter Prælatis, eorúmque familiaribus, comitibus, & aliis omnibus ad Concilium euntibus, & ab illo redeuntibus pateat, benignéque ac comiter omnibus in locis recipiantur atque

Digitized by Google

atque tractentur; sicut, quod ad nos attinet, ipsi quoque curabimus, qui nihil omnino prætermittere decreuimus quod ad tam pium & salutare opus perficiendum à nobis in hoc loco constitutis præstari possit, nihil, vt Deus scit, quærentes aliud, nihil propositum habentes in hoc Concilio celebrando, nisi honorem ipsius Dei, dispersarum ouium reductionem, ac salutem, & perpetuam Christianæ reipublicæ tranquillitatem, ac quietem.

Hanc bullam Romæ publicari mandat.

§. 5. Vt vero hæ literæ, & quæ in eis continentur, ad omnium quorum oportet, notitiam perueniant: nec quisquam ea excusatione vti possit quod illa ignorauerit, præsertim cum non ad omnes quos de his literis certiores fieri oporteret, tutus forsitan pateat aditus, volumus, & mandamus, vt in Basilica Vaticana Principis Apostolorum & in Ecclesia Lateranen. tunc cum in eis populus, vt Missarum solemnibus interfit, congregari solet, palam, clara voce à Curiæ nostræ Cursoribus, seu notariis aliquibus publicis recitentur, & postquã recitatæ fuerint, ad valuas earum Ecclesiarum, itemque Cancellariæ Apostolicæ, & in loco solito Campi Floræ affigantur: ibique quo legi, & omnibus innotescere possint, aliquamdiu relinquantur. Cùm autem inde amouebuntur, earum exempla in iisdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hanc, publicationem & affixionem, omnes & singulos, qui his literis comprehenduntur, post duos menses à die publicationis, & affixionis earum volumus perinde adstrictos, & obligatos esse, ac si ipsismet illæ coram editæ, & lectæ fuissent.

Transumptorum fides.

§. 6. Transumptis quoque earum quæ manu alicuius notarij scripta, sui scriptaue, & sigillo, ac subscriptione alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munita, vt sine dubitatione vlla, fides habeatur, mandamus atque decernimus. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 1. 29 Nouemb.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1560. tertio Kal. Decemb. Pontificatus nostri anno primo.

Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Papæ subscrip.

Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero.

Cardinalium subscriptiones.

Ego R. Card. de Carpo Episcopus Portuen.
Ego F. Card. Pisanus Episcopus Tusculanus.
Ego Fed. Card. Cæsius Episcopus Prænestin.
Ego Io. Card. Moronus Episcopus Albanen.
Ego Christophorus Madrucius Card. Trid.
Ego Otho Truchses Card. Aug.
Ego B. de la Cueua Card. S. Crucis.
Ego Ti. Card. Crispus.
Ego Io. Mi. Card. Saracenus.
Ego Io. Card. S. Vitalis.
Ego Io. And. Card. Messanen.
Ego Iac. Card. Tureus.
Ego Io. B. Cicada Card. S. Clemen. subsc.
Ego Scipio Card. Pisarum.
Ego Io. Card. Reumanus.
Ego Io. Ant. Card. Capisuccus.
Ego Thad. Card. Gaddus.
Ego F. M. G. Card. Alexandrinus.
Ego Clem. Card. Aræcæli.
Ego I. Card. Sabellus.
Ego Io. Ant. Card. S. Georgij.
Ego A. Card. Farnesius Vicecanc.
Ego Gui. Asc. Card. Camerarius.
Ego Hipp. Card. Ferrarien.
Ego Iul. Card. Vrbin.
Ego Aloy. Card. Cornelius.
Ego Hier. Card. Simoncellus.
Ego Vitellotius Card. Vitellius.
Ego Io. Card. de Medicis.
Ego Carolus Card. Borromæus.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1560. Indict. 4. die vero 2. mensis Decemb. Pont. Sanctiss in Christo patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. Anno I. retroscriptæ literæ Apostolicæ lectæ, affixæ, & publicatæ fuerunt in locis suprascriptis, iuxta earum seriem & tenorem, & etiam vt moris est, & illis amotis dimissis illarum copiis affixis per nos Bernardinum Andreutium, & Io. Andream Panizzam Apostolicos Cursores.

Petrus Valtrini Mag. Curs.

Ordo, quo Prælati in sacro Concilio Tridentino locum habere debent, in actibus publicis. XXIV.

Istud Concilium hic idem Pontifex absoluit & approbauit inf. in constitut. 73. Benedictus. vbi alia notabo.

PIVS PAPA QVARTVS, &c. *Edita A. D. 1560.*

Exordium.

SIcut ea, quæ pacem & concordiam nutriunt, pura mente semper inquirimus, ita ex debito nostræ pastoralis solicitudinis tenemur illa submouere, quæ discordiam suscitare, & scandalum introducere posse videntur.

Declaratio precedentiæ Prælatorũ in Concilio.

§. 1. Itaque ad tollendam omnem controuersiam materiarum, quæ inter Prælatos ad celebrationem sacri Oecumenici & generalis Concilij in ciuitate Tridentina pro tempore congregatos, super eorum præcedentia forte iam sunt exortæ, & in dies oriri possunt. Volumus, ac vobis per præsentes mandamus, vt omnes & singulos Prælatos prædictos, videlicet Venerabiles fratres Patriarchas primo, secundo Archiepiscopos, tertio autem loco Episcopos in quibusuis actibus publicis, secundum gradum & ordinem suarum ad eorum Ecclesias promotionum (ita quod qui prius promotus ad eas fuerit in suo quisque ordine prior existat) incedere, sedere, ac locum habere (nulla habita ratione ad ipsorum dignitates primatiales, siue veræ, siue prætensæ illæ fuerint) auctoritate nostra faciatis, studioseque & diligenter curetis, atque pro vestra prudentia, ac pietate geratis, vt cuncta istic concordibus animis, in virtute Spiritus sancti, cum Dei omnipotentis honore, atque timore, quiete, feliciterque procedere valeant.

Hanc precedentiã Legati Apostolici declararũt, nulliusque acquirere, aut tollere, vt legitur sess. 26. in fine.

Clausula derogatoria.

§. 2. Non obstantibus præmissis, & quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 1. 31. Decemb.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Pisc. die vltima Decemb. 1560. Pontificatus nostri Anno secundo.

Confirmatio, & extensio iurisdictionis, Præsidentis, & Camerarij Riparum Almæ Vrbis in causis ciuilibus & criminalibus, & etiam indultorum Nautarum, & Mercatorum Ripalium. XXV.

Hanc iurisdictionem & indulta, vide in constitut. 6. Pauli III. Cum nobis. & in aliis ibi indicatis.

PIVS PAPA QVARTVS Motu proprio, &c. *Edita A. D. 1660.*

Paulus III. & alij, his mercatoribus indulta concesserunt, vt in eius bulla cit. in rubr.

CVpientes pro communi ac publica vtilitate, & commodo Vrbis nostræ, & præcipuè Curialium, incolarum, mercatorum, & nautarum in Romana nostra Ripa, & Ripetta, commercia exercentium fauoribus incumbere, & scientes etiam alios per fel. rec. Innoc. VIII. Leon. X. Clem. VII. & Paulum III. Rom. Pontt. prædecessores nostros, fuisse statutum, & ordinatum, vt fauorabilius dictis mercatoribus, & nautis, liceret mercaturam profiteri, quod possent vti omnibus gratiis, & priuilegiis ab antiquo illis concessis, contra, & aduersus eorum debitores, bonaque illorum, & hæredes, occasione rerum Ripalium, vt latius in literis dictorum prædecessorum nostrorum dicitur contineri.

Hic Pontif. ea approbat.

§. 1. Nos attendentes, quod fauorabilibus, & publicis vtilitatibus est succurrendum, & per contrarium fraudibus, calliditatibus, & cauillationibus obuiandum, maxime illorum, qui curant & student perniciose protrahere causas, retardare solutiones, & impedire executiones, & indemnitatibus publicis, ac dictorum mercatorum, & nautarum, Curiæque Ripæ, & Ripettæ consulere, & volentes illos & illas specialis gratiæ fauore prosequi, Motu simili, & ex certa scientia, &c. concessiones, gratias, indulta, &

Digitized by Google

& priuilegia, literas, ſtatuta, & capitula, omneſque alias ſententias latas per Cameram noſtram,& inter ipſos mercatores, & dohanerios gabellæ vini, & omnia alia inſerta in dictis ſtatutis, & conſuetudinibus Ripalibus, in fauorem dictæ Curiæ,& mercatorum, & nautarum, & indę ſecuta quæcumque, Apoſtolica auctoritate confirmamus, & approbamus, & quatenus opus ſit de nouo concedimus. Omneſque & ſingulos,tàm iuris quàm facti defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem, ac ſolemnitates omiſſas, ſi quæ omiſſæ ſunt, ſupplemus.

Iuriſdictio & cauſarũ ciuilium exandis.

§. 2. Ac volentes inconuenientibus obuiare, quæ ſæpe oriuntur, à male forſan iudicantibus, gratias noſtrorum prædeceſſorum conceſſas huiuſmodi noſtro Tribunali,ac illius nautis, & mercatoribus, Motu proprio, & ex certa ſcientia, & plenitudine poteſtatis, declaramus noſtræ intentionis eſſe, ac noſtrorum prædeceſſorum, quod omnes cauſæ tàm introductæ, quàm introducendæ in dicto Tribunali, in prima inſtantia, occaſione rerum Ripalium,vel ab illis emergen,dependen. annexorum, & connexorum, & cauſa pretij illorum, de quibus certa habetur fides, ac quomodocumque, & qualitercumque, licite tamen & honeſte fuerit contractum, & conuentum inter ipſos mercatores, nautas, & alios eorum debitores, commercia pro rebus ripalibus cum illis habentes, quod dictæ cauſæ & lites, non poſſent modo aliquo, in dicta prima inſtantia, (vbi tamen non eſt deneganda appellatio) per ſtatuta, & conſuetudines Ripales, etiam per dependen.vel ratione vniuerſalis iudicij, excuſſionis hæreditatum,& bonorum, ſeu dotium,intentari, introduci, neque reaſſumi in aliquibus aliis Curiis Vrbis noſtræ, ſed omnino debeant finiri, & determinari in dicta Curia Ripæ & Ripettæ per Camerarium eiuſque notarium, & officiales, & in arduis, & vbi cadit punctus iuris, habito conſilio ſapientis,iuxta formam dictorum ſtatutorum de huiuſmodi loquentium, ſi opus fuerit. Et ſic etiam de contractibus, pactionibus, & conuentionibus habitis quocumque locorum,etiam in finitimis prouinciis.

Et criminalia ampliat.

§.3. Et ſimili Motu proprio volumus, quod omnes cauſæ mixtæ, & criminales incluſiue, etiam vſque ad vltimũ ſupplicium, pro omnibus exceſſibus, delictis, & homicidiis in dicta Ripa perpetratis, tàm in mari, quàm in dicta Ripa, & eius diſtrictu,& pertinentiis, & quocumque locorum in mari,tàm contra res, & merces deſtinatas ad Ripam prædictam,vel ad noſtrum portum Ciuitatis Vetulę, per nautas, vel alios, etiam quod per terram poſtea ex aliquo portu peruenerint ad Vrbem noſtram, ſeu noſtram Ripam,vel Ripettam,cognoſcãtur per Camerarium dictæ Ripæ, ac ſupra, & debito fine terminentur, & incidenter contra quoſcumque facinoroſos homines, & nautas, habeat merum, & mixtum imperium, animaduerſionem, & gladij poteſtatem prout olim habuit, & in præſentiarum habet, quam poteſtatem confirmamus, & quatenus opus ſit,dicto Camerario,& eius Ripæ,& Ripettæ concedimus. Decernentes irritum & inane quicquid in contrarium attentari contigerit in futurum.

Clauſula præſeruatiua.

§.4. Volumus etiam quod præſenti Motui proprio noſtro per quamcumque noſtram ſignaturam, etiam Motu proprio emanatam, & in futurum emanandam,etiam ſi de eorum clauſulis derogatoriis mentio fiat, niſi illius expreſſa mentio de verbo ad verbum habeatur, nullatenus derogatum cenſeatur. Declaramus etiam noſtræ intentionis numquam fuiſſe,per quemdam noſtrum Motum proprium confirmatorium capitulorum gabellæ Studij, &c. Velle auferre beneficium prælationis,prioritatis,& dominij ipſorum mercatorum, & nautarum, in rebus, ac vinis exiſtentibus, iuxta tenorem Motus proprij fel. rec. Pauli Tertij prædeceſſoris noſtri, ſed fraudibus tantum obuiare.

Clauſula derogatoria.

§.5. Non obſtantibus conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis,ſtylo Palatij,ſtatutis,ac nouis reformationibus Vrbis,ac literis à nobis emanatis; priuilegiis, indultis,& aliis facultatibus forſan conceſſis,quouis modo debitoribus dictorum mercatorum, & nautarum,occaſione rerum prædictarum,ac aliis,& pro tempore A.C. Apoſtolicæ,Vicario, Gubernatori,Senatori Vrbis,Collateralibus illius, ac aliis Iudicibus Vrbis, & illorum Curiis, & forſan Dohaneriis gabellæ Studij, etiam per nos conceſſis, innouatis, & approbatis,& concedendis,&c. Quibus omnibus, &c. ac ſi eorum tenores, &c. hac vice dumtaxat derogamus.

Iuſſio deſcribendi in ſtatutis. Vidi ibi deſcriptum.

§.6. Præſentemque noſtram conſtit.cui non derogatum per quamcumque ſignaturam,& in qua omnia & ſingula decreta,formas,& alia in dictis Motibus propriis contenta, deſcripta, & repetita cenſeri debere,volumus in volumine ſtatutorum d. Curiæ Ripæ, & Ripettæ deſcribi, & regiſtrari, & eius ſignaturam in iudicio, & extra vbique fidem faciat, & ſufficiat, regula contraria non obſtante.

Pœna contrauenientium.

§.7. Mandantes omnibus quatenus ſub excommunicationis ſententia, & mille ducatorum auri, &c. ipſo facto incurrendis, toties quoties contrauentum fuerit, & proceſſus ſit ipſo iure nullus. Et ita ſeruari inuiolabiliter mandamus.

Papæ ſubſcrip. Camera approbatio.

Placet Motu proprio. I. Videatur in Camera I.
Videtur concedendæ, L. de Torres in plena Camera.

XXVI.

Deputatio & facultates Cardinalis Camerarij cognoſcendi cum voto Congregationis,quaſcumque cauſas intereſſe Reuer. Cameræ Apoſt. tangentes, ac reuidendi computa Officialium, & aliorum etiam iam ſolidata & deciſa,& contractus læſionem eiuſdem Cameræ continentes reſcindendi, ac bonorum detentores coercendi.

De cognitione huiuſmodi cauſarum vide ſup. Pauli III. conſt.9.Non ſine. cum ibi nota.Et de redditione, ac reuiſione huiuſmodi computorum, vide ſup. in eiuſdem Pauli conſt.40.Cum ſicut.& infra proxime in conſt.87. huius Pontif. Cum inter.

De materia autem Camerarij & Cameræ, vide infra Clementis VIII. conſt.65. In conferendis.

PIVS PAPA QVARTVS Motu proprio, &c. *Edita A.D.*

ROmanum decet Pontificem ex iniuncto ſibi deſuper paſtorali officio, ſolerti diligentia procurare, ne res, & iura Cameræ Apoſtolicæ fraude, malitia, & perfidia nonnullorum,detrimentum aliquod patiantur,ſed vt malitiis,ſeu fraudibus,perfidiaque eorum derectis propterea punitis, caſtigatis, damniſque eorum, fraude, & malitia huiuſmodi,dictæ Cameræ illatis,refectis,meliora,maioraque in dies efficiantur,etiam opem,& operam impendere efficaces. *Exordium.*

Cauſa huius conſtit.

§.1. Cùm itaque ſicut accepimus diuerſi Sedis Apoſtolicæ Nuncij,ac iurium, rerum,& bonorum Cameræ Apoſtolicæ præfatæ collectores, ſubcollectores, exactores,adminiſtratores, officiales,& commiſſarij,necnon theſaurarij,tàm in Alma Vrbe noſtra,& Statu noſtro Eccleſiaſtico, quàm diuerſis aliis, etiam vltra maria,& montes,Regnis, Prouinciis, & dominiis, per nos,& diuerſos alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ſiue S.R.E. Camerarios, aut eiuſdem ſtatus noſtri ſuperintendentes pro tempore exiſten.vel prædictam Cameram, ſeu alias à Miniſtris noſtris deputati,illorumque miniſtri,& forſan aliæ perſonæ Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, & dictæ Cameræ, ſeu eius officialibus de ſuis adminiſtrationibus,& geſtis rationem reddere debentes, ſuarum adminiſtrationum, & rationum in Camera prædicta, ſeu alibi exhibitis, & præſentatis libris, & computis, dubitantes per eorumdem computorum exactam diſcuſſionem, & diligentem examinationem eidem Cameræ debitores reperiri, & declarari, & ad reliqua reſtituendum cogi, & aliquando eorum fraudes detegi, & pro præmiſſis debitis pœnis affici, eadem computa calculari, diſcuti, examinari, ſolidari, & declarari neglexerint, & procraſtinauerint, negligantque & procraſtinentur de præſenti: multi etiam dictorum computorum exhibitionem, & ſolidationem diſtulerint, & differant, quoſque ob Pontificum, & officialium mutationem, quam in Curia Romana ſæpius euenille, & quotidie fieri experientia docuit, iudices talium computorum ignaros, rationales, ſiue alios pro eadem Camera agentes ſibi propitios, & fauentes obtinuerint, & obtineant, & quorum poſtea iniuria,

Digitized by Google

ria, seu ipsis mutua quadam deuinctis amicitia, computa prædicta secundum ipsorum Administratorum, etiam iniustam voluntatem calculari, solidari, & declarari sæpe sæpius contingit, multaque non admittenda admissa fuerint, & admittantur, & quamplurima in fraudem eiusdem Cameræ occultantur, necnon plerique alij varia & diuersa credita contra Cameram prædictam cõfingentes, ac antiqua, ac forsan bis soluta, & extincta repetentes, ac forsan facta collusione cum prætensis creditoribus paruo pretio illa, & mandata Cameralia desuper expedita redimentes, adueniente Sedis vacantis tempore, quo de patrimonio beati Petri, & aliis prouinciis S.R.E. subiectis non ita sicut viuente Romano Pontifice diligenter exacta cura habetur, ab eadem Camera, etiam præcedentibus illicitis forsan modis procuratis sacri Collegij Cardinalium, vel illius capitis ordinum mandatis, super dictis confictis redemptis, siue aliis prætextibus ex donatione liberali, seu seruitorum remuneratoria obtentis, multas, & notabiles pecuniarum summas indebite, & minus iuste exegerint, ac per varias artes, fauores, & illicitos modos extorserint, ex quo dicta Camera ad illorum satisfactionem nullatenus tenebatur, quodque ad præfatas fraudes, & indebitas pecuniarum exactiones, & aliarum rerum extorsiones colorandas Roman. Pontificibus, postea ad summum Apostolatus apicem statim assumptis, abeisdem in principio suorum Pontificatuum obreptitie, & sub repetitie mandata, cedulas, & diuersas alias literas, etiam Motu proprio, indebitarum solutionum confirmatorias, reualidatorias, & præceptorias obtinuerint, & obtineant, prout etiam forsan à nobis diuersis temporibus, subreptitie tamen, & fraudulenter obtinuerunt. Multique sub diuersis coloribus, & confictis exemptionum priuilegis, à nobis & diuersis Romanis Pontificibus obtentis, ab annuis censibus, & impositionibus, etiam subsidij triennalis, necnon iuribus, etiam quindemniorum Cameræ prædictæ debitis, se, subditosque suos de facto eximentes, ab illorum debita solutione, & solita contributione subtraxerint, & subtrahant, multaque castra, oppida, territoria, villas, nemora, paludes, montes, bona, & iura, etiam regalia nostra, & prædecessorum nostrorum, ac ad nostrum, & eorum supremum dominium, siue ad illius recognitionem spectantia & pertinentia, nulla saltem legitima præcedente causa, à quamplurimis Communitatibus, Vniuersitatibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, aut particularibus personis de facto occupauerint, & detinuerint, ac in præsentiarum detineant, & occupent in maximum S.R.E. & eiusdem Cameræ damnum, & præiudicium, ac sacri Apostolici patrimonij, & ærarij diminutionem, quod cum ob præfatas pecuniarum profusiones, & bonorum, ac castrorum supradictorum indebitas occupationes semper exhaustum reperiatur, & defraudetur.

Deputatio, & facultates Camerarij cognoscendi, vna cum quinq; Deputatis, causas concernentes inter se Cam. Apost.

§. 2. Et propterea eiusdem Cameræ indemnitati prouidere, ipsamque à similibus grauaminibus, & extorsionibus, ac similiter illos, qui circa prædicta aliquo modo oppressi fuissent releuare cupientes, ac de fide, industria, doctrina, sufficientia, singularique rerum experientia, dilecti filij nostri Vitellotij S. Mariæ in Via lata, diaconi Cardinalis Vitellij nuncupati, eiusdem S.R.E. Camerarij plurimum in domino confidentes, eidem Vitellio Cardinali & Camerario, Motu simili, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine committimus, & mandamus, quatenus adhibitis secum Venerabili fratre nostro Annibale Archiepiscopo Auinionen. eiusdem Cameræ Clerico, & dilectis filiis Donato Matthæo Minali Thesaurario nostro generali, & Francisco de Grassis familiari nostro, ac Ianotto Castiliono Militiæ S. Lazari Hierosolymitani Magno Magistro, & Magistro Paulo Odescalco vtriusque signaturæ nostræ Referendario, & Cancellariæ Apostolicæ correctore, ac de eorum, seu maioris partis illorum insimul congregatorum voto & assensu, cum præsentia & assistentia Venerabilis fratris nostri Aloysij Episcopi Montis piloſij Cameræ prædictæ generalis Commissarij, omnes & quascumque causas ciuiles, & criminales, seu mixtas, prophanas, & spirituales, beneficiales, seu similiter mixtas, in quibus directè, vel indirectè, fisci & Cameræ prædictæ interesse, seu præiudicium vertatur, seu quomodolibet vertere sibi cum eiusdem Congregationis voto videbitur indecisas, pendentes, etiam instructas coram quibuscumque iudicibus ordinariis, seu etiam auctoritate Apostolica delegatis, etiam si S.R.E. Cardinales, ac Curiæ causarum Palatij Apostolici Auditores pro tempore fuerint, & hodie etiam reperiantur, seu etiam in Camera nostra Apostolica, in statu, & terminis, in quibus pro tempore reperientur, & de præsenti existunt, ad se de voto dictæ Congregationis, seu maioris illius partis aduocet, illasque & omnes alias quas præfatus Aloysius Episcopus & Commissarius, coram eo proponet, mouereque & proponere volet & intendat, contra quascumque personas Ecclesiasticas, sæculares, & quorumuis Ordinum regulares, cuiuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & conditionis fuerint, etiam si Cardinalatus honore, aut Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Ducali, Marchionali, Comitiali vel quacumque alia dignitate, excellentia, & prærogatiuas præfulgeant, & quocumq; nomine nuncupentur, etiam Communitates quarumcumque ciuitatum, etiam Metropolitan. Vniuersitates, Conuentus, Congregationes, & Collegia quæcumque, etiam capita ordinum quorumcumque, vna cum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis & connexis, ac toto negocio principali audiat, & cognoscat, & cum prædictorum voto, & assistentia, iustitia mediante terminet.

Computa Ministrorum & aliorum, etiã soluta reuidenda.

§. 3. Ac quæcumque computa, quæ tamen ex rationabili causa eidem Vttellotio Cardinali & Camerario de voto eiusdem Congregationis reuidenda videbuntur, etiam per prædictam Cameram, siue illius Officiales, & quoscumque alios, & sæpius solidata, declarata, & decisa, etiam si Roman. Pontt. & nostram confirmationem, liberationem, & absolutionem contineant, diligenter reuideat, de nouo calculet, & calculari faciat, & ac si numquam solidata, & declarata fuerint, mediante iustitia discutiat, declaret, & terminet, ac quæcumque admissa, & in fraudem, damnum, læsionem eiusdem Cameræ quomodolibet gesta, auctoritate nostra reuocet, & retractet.

De contractu læsione Cam. Apost. continentes rescindendi.

§. 4. Omnesque contractus super locationibus, & alienationibus, ac inuestituris bonorum, & iurium etiam quorumcumque feudorum prædictæ Cameræ, etiam cum Romanis Pontificibus, & Sede Apostolica quomodolibet celebratos recognoscat, & læsionem eiusdem Cameræ continentes rescindat, & annullet, nullosque & irritos, prout iuris fuerit, decernat & declaret.

Detentores bonorũ eiusd. Cam. coercendi.

§. 5. Ac quæcumque castra, oppida, territoria, villas, nemora, paludes, montes, & alia loca dominij directi, vel vtilis S.R.E. vel Cameræ Apostolicæ indebite à quibuscumque particularibus personis quacumque dignitate, excellentia, & prærogatiua fulgentibus, seu etiam Communitatibus, Vniuersitatibus, & Collegiis occupata, illicite, vel detenta, ad eadem Cameræ prædictæ dimittendum, & relaxandum, sub pœnis & censuris arbitrio suo moderandis, & exequendis, etiam prout Iustum sibi videbitur; cogat & compellat.

Et manu regia & appellatione remota, &c. procedendi.

§. 6. Et vt facilius hoc exequi possit, quoscumque quorumcumque bonorum, castrorum, oppidorum, territoriorum, villarum, nemorum, paludum, montium, & aliorum iurium eiusdem Cameræ detentores, & occupatores, ad titulum iustum suæ detentionis, & occupationis huiusmodi, intra tempus seu terminum arbitrio suo præfigendum, coram se exhibendum mandet & faciat, quo termino elapso, & titulo non exhibito, ad incorporationem bonorum huiusmodi de simili voto, prout tamen alias iuris fuerit, procedat. Cum facultate, de simili voto eiusdem Congregationis, eisdem in causis summarie, sola facti veritate inspecta, omni & quacumque appellatione remota, etiam manu Regia, ac si nos ipsi in eisdem causis iudicaremus procedendi, & contra repertos dictæ Cameræ debitores, fraudatores, & ipsius iurium & rerum occupatores, castrorum, & aliorum bonorum detentores, & quomodolibet delinquentes, vel census soluere cessantes, aut legitimis inuestituris, & titulis carentes, siue illos non exhibentes, eos in caducitatis feudorum, beneficiorum, & priuationis bonorum pœnas incurrisse declarandi, procedendi, & cum effectu exequendi, etiam per distractionem bonorum & capturam pignorum & tenutarum, ac personarum, ipsasque

Digitized by Google

que personas compellendi ad dictæ Cameræ integram satisfactionem, ac debitis pœnis etiam corporalibus, & decupli, ac alia prout in Motu proprio felicis record. Pauli Papæ III. prædecessoris nostri, quem etiam per præsentes confirmamus, & quatenus opus sit innouamus & coram Cardinale, & Congregatione huiusmodi locum habere decernimus, puniendi, pœnasque iuxta demeritorum, & personarum qualitates, etiam corporis, afflictiuas, augendi, minuendi, commutandi, & exequendi, Ac dictam Cameram, ad sua bona & iura, castra, territoria, siue illorum plenariam possessionem reponendi, reintegrandi. & restituendi, cum potestate citandi, etiam per edictum publicum, ac sub sententiis, censuris, & Ecclesiasticis, ac pecuniariis pœnis arbitrio suo moderandis, etiam simili edicto inhibendi, & monitoria ad personaliter, & non per procuratorem coram se comparendum, sub similibus pœnis decernendi & relaxandi. Ac monitionibus, & inhibitionibus suis inobedientes, censuras, & pœnas in eis contentas incurrisse declarandi, ipsasque censuras, etiam iteratis vicibus aggrauandi, ac auxilium brachij sæcularis quoties opus fuerit inuocandi. Aliaque omnia gerendi, faciendi, exercendi, & exequendi, quæ in præmissis, & circa ea sibi cum voto Congregationis prædictæ necessaria visa fuerint, & opportuna.

Officiales Status Ecclesiastici, obediant mãdatis Camerary.

§. 7. Mandantes omnibus & singulis in statu nostro Ecclesiastico, ac quibusuis aliis locis, nobis, & dictæ Sedi mediate, vel immediate subiectis, Gubernatoribus, Thesaurariis, ac quibusuis aliis Regnis, Prouinciis, & dominiis, iurium eiusdem Cameræ Collectoribus, Subcollectoribus, Exactoribus, Commissaris, Administratoribus, & Officialibus, illorumque ministris, ac quibusuis aliis personis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub maioris excommunicationis latæ sententiæ eo ipso absque alia declaratione incurrendis, necnon quorumcumque feudorum, beneficiorum, & bonorum priuationis, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac duorum millium ducatorum auri de Camera, eidem Cameræ applicandorum, & aliis eidem Vitellotio Cardinali & Camerario beneuisis pœnis, quatenus mandatis & monitionibus Vitellij Card. & Camerarij in præmissis pareant & obediant, illique ac dictæ Congregationi in quantum eis fuerit assistant. Ac inhibentes præfatis iudicibus, ne sub similibus pœnis ex nunc, prout ex tunc, & è contra, postquam ipse Vitellius Cardinalis causam coram eis pro tempore pendentem, ad se vigore præsentis Motus proprij aduocauerit, vlterius ad quorumuis instantiam procedere debeant siue præsumant.

Decretum irritans.

§. 8. Decernentes quicquid desuper per eos, seu quoscumque alios, & S.R.E. Card. aut eiusdem Palatij Auditores, scienter, vel ignoranter præsumptum fuerit, itritum & inane.

Clausulæ derogatoriæ.

§. 9. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac priuilegiis, facultatibus indultis, concessionibus, donationibus, confirmationibus, exemptionibus, absolutionibus, & literis eisdem Nunciis, Gubernatoribus, Thesaurariis, Collectoribus, Subcollectoribus, Exactoribus, Administratoribus, Officialibus, Ministris, Communitatibus, Vniuersitatibus, Collegiis, & aliis personis prædictis, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac forsan nos, & Sedem, ac Cameram prædictas, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, & Motu, & scientia similibus, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis. Quibus omnibus, illorum tenores, &c. pro sufficienter expressis habentes, Motu simili specialiter & expresse derogamus, illaque reuocamus, cassamus, & annullamus, irritaque decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque. Et vt facilius & melius, quæ per eumdem Vitellotium Cardinalem & Camerarium, ac dictam Congregationem decreta & ordinata fuerint, executioni demandari possint & valeant; Donato Matthæo Minali prædicto, moderno, & pro tempore existenti Thesaurario nostro generali, committimus & mandamus, vt quascumque pecunias, pro præmissis necessarias & opportunas, de mandato tamen eiusdem Vitellotij Card. & Camerarij soluendas exburset & persoluat, ac persolui faciat cum effectu. Quas quidem pecunias sic pro tempore solutas, nos in computis suis bonas faciemus & approbabimus, perinde, ac si de mandato nostro solutæ fuissent, prout per præsentem Motum proprium approbamus, & pro approbatis habemus.

Facultas Camerarij deputandi Officiales d. Cong.

§. 10. Nos enim eidem Vitellotio Cardinali & Camerario quoscumque Commissarios, Notarios, Secretarios, Officiales, Cursores, Computistas, seu calculatores cum salario, & prouisione sibi beneuisa, tàm in Alma Vrbe nostra, quàm vbique locorum, cum simili, aut limitata potestate creandi constituendi, & deputandi, qui ex tunc, prout ex ea die, & è contra postquam ab eodem Vitellotio Cardinali & Camerario, creati, constituti, & deputati fuerint, à nobis creati, deputati, & constituti esse censeantur, plenam & liberam licentiam, & facultatem concedimus & impartimur.

Sola signatura sufficit.

§. 11. Volumus autem quod præsentis nostri Motus proprij, etiam absque illius data & registratura, sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio & extra, quacumque regula, seu constitutione Apostolica contraria non obstante.

Placet Motu proprio. I.

Papa subscri.

XXVII. Confirmatio constitutionum à Pio II. Paulo II. Sixto IV. Iulio II. Leone X. & Clemente VII. editarum contra homicidas, & bannitos, eorumque fautores, & complices, ac Dominos, & Communitates non custodientes eorum territoria à bannitis, furibus; &c. Et reuocatio quarumcumque facultatum gratiandi homicidas, aut cum eis componendi.

Ad materiam bannitorum vide omnino constitut. 6. Sixt. V. Hoc nostri, vbi plene de singulis notabo.

Edita A. D. 1561.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Præmium.

IN eminenti Sedis Apostolicæ specula diuina dispone nente clementia, licet immeriti constituti, inter multiplices nostræ solicitudinis curas, quibus assidue premimur, illam, pro nostro pastorali officio in primis suscipere debemus, per quam omnes Christifideles, præsertim nostri & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ deuoti, & peculiares filij, quiete & pacifice, & sine aliqua offensione viuere valeant. Vnde nos ad id operarias manus libenter apponimus, ac illa, quæ pro eorum felici, prospero ac pacifico statu per Romanos Pontifices prædecessores nostros facta fuisse comperimus, non solum Apostolico munimine roboramus, verum etiam pro illorum maiori obseruantia innouamus, ac de nouo statuimus & ordinamus, ac pœnas adiicimus, vt si non virtutis amore, saltem formidine pœnæ mandata Apostolica arctius seruentur, & alias desuper disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Clem. VII. edidit const. de qua hic.

§. 1. Dudum siquidem à fel. record. Clemente Papa VII. prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis. Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. In sancta Beati Petri Sede &c.

Omittitur tenor istius constitutionis quia habetur sup.

Hic modo Pont. confirmat, const. Pont. de quibus in rubr.

§. 2. Cum nos post nostram ad summi Apostolatus apicem assumptionem ob non obseruationem dictarum fratrum literarum, bellis quibus non solum ciuitates, terræ, & loca temporali dominio eiusdem Rom. Ecclesiæ subiecta, sed etiam totius Italiæ superioribus annis magno cum omnium in eis habitantium incommodo

Digitized by Google

vexata fuerunt, id forsan causantibus, in eisdem ciuitatibus, terris & locis, ac etiam in Alma Vrbe nostra intestina, & diuturna odia, ac discordias ciuilesque dissensiones vigere, ac furta, latrocinia, homicidia passim perpetrari cognouerimus, ac mente reuoluentes præfatos Pium, Paulum, Sixtum, Iulium, Leonem, Clementem prædecessores, ad tranquillum & felicem statum reuoluentes necnon commoda, tàm personarum eiusdē Vrbis quàm aliarum ciuitatum, terrarum, & locorū eidē Rom. Ecclesiæ subiectorum aciem suæ considerationis extendisse, illorum exemplo moti animum ad sedandum discordias, & odia, tàm in Vrbe, quàm in aliis ciuitatibus, terris, & locis dictæ Ecclesiæ subiectis prædictis & ad firmandam perpetuam pacem, & quietem, pro dictorum subditorum commodis applicauerimus, & vt præmissa facilius votiuum consequi vealant effectum, literas prædictas omnino obseruandas, esse decreuerimus Habita igitur super his cū fratribus nostris S.R.E. Cardd. deliberatione matura, ac de illorum vnanimi consilio, & assensu, singulas Pij, Pauli, Sixti, Iulij, Leonis, & Clementis prædecessorum literas huiusmodi cum statutorum, ordinationum, extensionum, ampliationum, reuocationum, cassationum, irritationum, annullationum, decretorum, confiscationum, incorporationum, applicationum, voluntarum, hortationum, requisitionum, & mandatorū, ac omnibus, & singulis aliis in eis respectiue contentis clausulis, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & innouamus, ac perpetua roboris firmitate subsistere, & per singulos quos literæ ipsæ concernunt in futurum, sub excommunicationis, anathematis, maledictionis, infamiæ, suspensionis, diffidationis, criminis læsæ maiestatis, seditionis, rebellionis, confiscationis, dispositionis, priuationis, inhabilitatis, & interdicti, ac aliis censuris, & pœnis Ecclesiasticis, & temporalibus, ac corporis afflictiuis in eisdem literis contentis, quas contrauenientes eo ipso incurrant, perpetuo inuiolabiliter obseruari.

Easque extēdit vt hic.

§. 3. Illasque etiam ad homicidas, sicarios, exitiosos, criminosos, rebelles, aliosque infames propter homicidia, & alia nefanda per eos perpetrata excessus, crimina, & delicta, etiā ad hoc, vt ipsi in ciuitatibus, terris, castris, vel locis eorum, seu in quibus tunc morabantur banniti, & condemnati, etiam habita pace ab hæredibus, filiis, seu consanguineis occisorum, aut partium læsarum, non solum à locis circumuicinis vsque ad quinquaginta milliaria, sed etiam ab omnibus, & singulis ciuitatibus, terris, castris, & locis, etiam Regni, & partium prædictorum nobis & dictæ Rom. Ecclesiæ mediate, vel immediate quomodolibet subiectis banniti, & exules sint, & esse censeantur, nec in illis, seu eorum aliquo etiam prætextu cuiusuis licentiæ, salui conductus, remissionis, reductionis, reuocationis, vel alterius gratiæ per eos desuper quomodolibet pro tempore obtentæ moram trahere possint, & si in eis reliquerint, vel reperti fuerint, capi, & detineri, & incarcerari, ac iuxta criminum & excessuum per eos pepetratorum qualitatem, & literarum Pij & Clementis prædecessorum huiusmodi tenorem sub pœnis in eisdem litteris contentis per officiales ciuitatis, terræ, castri vel loci in qua, vel quo deprehensi fuerint, debitis pœnis plecti, seu inde educi, & ad forum, seu officiales ad quos criminum, seu excessuum eorundem punitio, de iure vel consuetudine pertinet, remitti debeant, extendi, & ampliari debere, & in eis locum habere decernimus.

Reiterato-ribusque eorū, & fautoribus pœnas impo-nit.

Ad hoc vide Sixt. V. eit. in rubr.

§. 4. Et nihilominus præmissa omnia & singula, prout per Pium, Paulum, Sixtum, Iulium, Leonem, & Clementem prædecessores præfatos, statuta, ordinata, extensa, ampliata, reuocata, cassata, annullata, inhibita, decreta & declarata fuerunt, etiam ad hoc vt duces, barones, marchiones, comites, domini temporales, vicarij, feudatarij, capitanei, magnates, principes, communitates, ciues, officiales, & personæ, ac alij quos, prædictæ, & præsentes literæ concernunt, ac ipsorum singuli literas, & in eis contenta huiusmodi non obseruantes, & illis directe, vel indirecte quomodolibet contrauenientes, ac eis adhærentes, eorumque fautores & complices, singulas censuras & pœnas prædictas eo ipso absque aliqua declaratione incurrant, & incurrisse censeantur. Ipsique duces, barones marchiones, comites, domini in temporalibus, vicarij, & feudatarij ciuitatum, terrarum, castrorum, & locorum, etiam Regni, & partium prædictorum nobis, & eidem Ecclesiæ immediate subiectorum, aliquos nostros, & dictæ Ecclesiæ hostes & inimicos, aut subditos, exules, bannitos, & facinorosos cuiuscumque status, vel conditionis fuerint, publice vel occulte, vllo vmquam tempore recipere, vel acceptare nullatenus præsumant, & si aliquos ad eorum dominia & territoria confugere contigerit, illos ex eorum dominiis, vel territoriis huiusmodi expellere, seu ad simplicem iussionem, vel requisitionem nostram & successorum nostrorum quo voluerimus, seu successores ipsi voluerint tute conduci facere. Ac quod præmissa à suis subditis inuiolabiliter obseruentur omni excusatione cessante cum effectu curare, sub similibus priuationis & rebellionis, ac criminis læsæ maiestatis pœnis, si contrafecerit, eo ipso incurrendis.

Barones, & Communitatib. præcipit, vt eorum territoria expurgent ab homicidis.

§. 5. Necnon vt homicidæ, fautores & complices præfati, facilius capi & puniri possint, quod communitates ciuitatum, & vniuersitates terrarum, castrorum, & locorum in quibus, seu quorum territorio, districtu, & ditione, dicta homicidia perpetrabuntur, sub paribus interdicti Ecclesiastici, & duorum millium per communitates, ac mille ducatorum per vniuersitates, necnon ciuitatum, terrarum, & locorum eorumdem domicelli, barones, vicarij, aut alij in temporalibus domini, sub maioris excommunicationis latæ sententiæ, & quinque millium ducatorum auri præfatæ Cameræ irremissibiliter applicandorum eo ipso, absque alia declaratione incurrendis pœnis, eosdem homicidas, complices, & fautores statim capere, ac omnem exactissimam diligentiam, de qua per publica documenta fidem etiam facere teneantur, capi facere, & si eos capere nequiuerint, statim commissum homicidium vniuersitatibus, seu incolis, & habitatoribus oppidorum, & locorum circumuicinorum, ad quæ declinabunt, seu declinare poterunt notificari, communitates vero, & domini in temporalibus prædicti, ad quorum ditiones tales declinabunt, cum primum id ad eorum notitiam deuenerit, eos apprehendere, seu apprehendi facere, quod si non potuerint, similiter id vniuersitatibus, seu incolis, & habitatoribus vicinorum locorum ad quæ declinabunt, aut verisimiliter declinare poterunt, insinuare, & captos ad eorum iudices ordinarios traducere, & tradere sub similibus pœnis teneantur, & debeant, de nouo statuimus, ordinamus inhibemus & declaramus.

Facultatem homicidas gratiandi reuocat. Ad hoc vide declarationē hic infra.

§. 6. Et similiter quibusuis dictæ Sedis Legatis etiam de latere, ac Nunciis, & prouinciarum Rectoribus, necnon nostris, & dictæ Romanæ Ecclesiæ Vicariis in temporalibus pro tempore existentibus, & præfatis Communitatibus, omnem super absolutionibus homicidiorum huiusmodi per nos, & prædecessores nostros, ac Sedem eamdem, sub quauis forma & verborum expressione concessam, approbatam, & innouatam, auctoritatem, & facultatem reuocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, & si quando similes absolutiones per nos & successores nostros Romanos Pontifices, & Sedem præfatam concedi contigerit, illa per Iudices, & Officiales ad quos pertinet, nisi trinæ literæ Apostolicæ sub interuallo vnius mensis pro singulis literis huiusmodi cum expressa derogatione præsentium desuper emanauerint, nullatenus admitti vel obseruari volumus.

Executores deputat.

§. 7. Quocirca dilectis filiis Guidoni Ascanio S. Mariæ in via lata diacono Card. de sancta Flora nuncupato, nostro, & pro tempore existenti Camerario, & Cameræ prædictæ Thesaurario, Præsidentibus, Clericis, ac vniuersis & singulis Legatis, & Vicelegatis prouinciarum nostrarum, & aliis Rectoribus, ac Officialibus ciuitatum, terrarum, & partium prædictarum, nobis & dictæ Sedi mediate, vel immediate subiectorum, Motu simili mandamus, quatenus præsentes literas solemniter in singulis prouinciis, ciuitatibus, terris, & locis prædictis

Digitized by Google

prædictis publicari, necnon omnia & singula in eis contenta inuiolabiliter obseruari faciant, & mandent. Contradictores quoslibet, & rebelles cuiuscũque status, gradus,& præeminentiæ fuerint,sententias,censuras,& pœnas prædictas damnabiliter incurrisse declarent,& declarationem huiusmodi per eos faciendam in libris maleficiorum conscribi, & annotari mandent, & faciant, necnon capitales prædictas sententias à ministris iustitiæ, absque alicuius incursu irregularitatis exequi procurẽt realiter,ac irremissibiliter exigant,inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis, necnon pro exactione pœnarum pecuniariarum huiusmodi contra communitates, & vniuersitates, ac in eorumdem inobedientium in temporalibus dominorum vassallos propter eorum huiusmodi inobedientiam represalias concedant, necnon realiter & cum effectu exequi faciant. Attentius hortantes & requirentes in domino barones, & domicellos,ac in temporalibus dominos dicti Regni, necnon illius prouinciarum, ciuitatum, & locorum Gubernatores, & Officiales pro tempore existentes,vt præfatos homicidas, fautores, & complices capiant, & capi procurent, ea ptosque ad Præsides nostrarum prouinciarum, vnde ipli homicidæ, fautores, & complices originem traxerunt,conduci & eis realiter consignari similiter cum effectu faciant.

Clausula derogatoria.

§.8. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,ac omnibus illis quæ dicti prædecessores in præfatis eorum literis voluerunt non obstare,ceteriscque contrariis quibuscumque, Aut si aliquibus communier, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi,vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam,ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuscumque aliis priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus super recipiendis bannitis, homicidis, ac brigosis, & aliis prædictis quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis ten.vel de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ quoad hoc cuiquam nolumus vllatenus suffragari.

Forma & effectus publicationis.

§.9. Volumus autem quod præsentes literæ nostræ postquam in valuis basilicæ Principis Apostolorum, & in Campo Floræ de Vrbe affixæ fuerint, omnes & singulos ciues Romanos, & alios in Vrbe commorantes effluxis quindecim diebus, alios vero Duces, Comites Marchiones,Domicellos,Barones, & alios temporales dominos & Vicarios,communitates & vniuersitates ciuitatum, terrarum, & locorum Sedi præfatæ mediate, vel immediate subiectorum huiusmodi decurso mense arctent,& contrafacientes pœnas præfatas incurrant,in omnibus & per omnia, perinde ac si eis omnibus & singulis contrafacientibus personaliter & particulariter intimatæ fuissent.Nulli ergo,&c.

D. P. Ann. 2 die 8. Ian.

Dat.Romę apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1561. octauo Idus Ianuarij Pont. nostri An.2.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1561. indictione 4. die vero 16. Aprilis, Pont.Sanctiss.in Christo Patris, D.N.D.Pij diuina prouidentia Papæ IV. An.2 retroscripta literæ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ, dimissis ibidem copiis affixis, per nos Iulium Parinum, & Franciscum Sottocasa præfati Sanctissimi D. N. Papæ Cursores.

Bartholomæus Sottocasa Mag.Curs.

Sequitur declaratio circa facultatem Officialibus interdictam gratiandi,aut componendi bannitos ex causa homicidij.

Hæc eadem statuit Pius V. in sua constitut. 10. Ex superne & Clem. VIII. in constit. 15. In regendis, vbi super hac Congregationem Cardinalium instituit.

PIVS PAPA QVARTVS. Motu proprio, &c.

Edita Ann. Dom.1564.

NVper siquidem cum nos post nostram ad summi Apostolatus apicem assumptionem, ob non obseruationem literarum fel.rec.Pij II. Pauli etiam II. Sixti IV. Iulij similiter II. Leonis X. & Clementis VII. prædecessorum nostrorum alias contra homicidas editarum, bellis,quibus non solum ciuitates, terræ, & loca temporali dominio S.R.E. subiecta, sed etiam tota Italia retroactis, &c.

Residuum omittitur quia ipsa bulla est quæ præcedit.

Causa declarationis.

§.1.Cùm autem, sicut accepimus, nonnulli ex Gubernatorib. & Officialibus per nos in diuersis ciuitatibus, terris, & locis Status nostri Ecclesiæ constitutis, & deputatis, forsan voluntatis nostræ ignari,aut alias prætendant pœnarum remissionem, inquisitis,bannitis, & condemnatis, super homicidiis per eos pro tempore perpetratis, per eos remitti, gratiamque fieri, ac exinde ab eis compositionem exigi posse.

Declaratio de qua in rubr.

§.2. Nos ad tollendumomne dubium quod exinde exoriri posset, & ne Gubernatores,& Officiales prædicti, ac quicumque alij,ignorantiæ eiusdem voluntatis nostræ, aut quouis alio prætextu in his se intromittere præsumant, veriores dictarum literarum tenores,ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, pro expressis habentes, decernimus; & declaramus, gratias, seu remissiones, aut compositiones quibusuis inquisitis,condemnatis, aut bannitis,ex causa vel occasione homicidij animo deliberato, vel casu fortuito, aut in rixa, vel alio quouis modo pro tempore perpetrati, pro quo pœna ordinaria,vel extraordinaria,imposita,vel imponenda esset, per quoscumque in ciuitatibus, terris & locis prædictis, nostros & Sedis Apostolicæ Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, vel alios officiales deputatos & deputandos fieri in posterum nullatenus posse, & illas tantum compositiones, & gratias cum inquisitis, condemnatis, & bannitis huiusmodi, vt supra in posterum faciendas valere,illisque suffragari,qui habuerint supplicationes desuper manu nnstra propria signatas, & per Datarium nostrum pro tempore existentem datas.

Decretum irritans.

§.3. Et ita per quoscumque iudices,& Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Card .subla. &c. irritum quoque,&c.

Clausula derogatoria.

§.4.Non obstantibus quibuscumque constitutionibus, & ordinationibus Apost. ac omnibus illis quæ in dictis nostris literis voluimus non obstare, ceteriscque contrariis quibuscumque.

Sola Signatura sufficit.

§. 5. Volumus autem, quod præsentis nostri Motus proprij sola signatura etiam absque illius data, & registratura, sufficiat, ac vbique in iudicio & extra, fidem faciat,regula seu constitutione Apostolica quacumque contraria non obstantibus.

D.P.A. 5.die 16.April.

Dat. Romæ apud S. Petrum,sexto Kaleud.Maij, Anno quinto.

Priuilegia & exemptiones Prælatorum sacro & Oecumenico Conc. Trid.assistentium, eorumque familiarium. XXVIII.

De huius Concilij indictione, prosecutione, & aliis, vide inf.in const.73.Benedictus.vbi notabo.

Edita An.D. 1561.

P I V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

CIrcumspecta Romani Pont. prouidentia, singulorum merita, & obsequia debita meditatione considerans, illos prout æquum est, specialibus fauoribus, & gratiis prosequitur, quos vniuersalis Ecclesiæ obsequiis iugiter intentos laborare,ac diuersas expensas subire cognoscit.

Hic Pont. reseruauit quasdam beneficia de quibus hic.

§.1. Hinc est, quod nos, qui dudum omnia,& singula beneficia Ecclesiastica,cum cura,& sine cura,sæcularia & quorumuis Ordinum regularia qualitercumque qualificata,& vbilibet existentia, in singulis Ianuarij, Februa-

Digitized by Google

rij,Aprilis, Maij,Iulij,Augusti, Octobris,Nouembris mẽsibus alias quam per resignationem extra Romanam Curiam vacatura,ad collationem,prouisionem,præsentationem,electionem,seu quamuis aliam disposition em,quorumcumque collatorum & collatricum, sæcularium , & regularium,non tamen S.R.E.Card.aut aliorum sub concordatis inter Sedem Apostolicam, & quoscumque alios initis,& per eos, qui illa acceptare, & obseruare debuerant,acceptatis & obseruatis,quæ lædere non intendebamus comprehensorum,quomodolibet pertinentia nostrę dispositionis per constitutionẽ nostram desuper editam, & in Cancellaria Apostolica publicatam reseruauimus.

Et deinde Episcopis , & aliis apud eorum Ecclesias residentibus facultatem disponendi de beneficiis non reseruatis vacantibus, vt hic.

§.2.Et deinde per eamdem constitutionem venerabilibus Fratribus nostris, Episcopis , Archiepiscopis , & Patriarchis apud suas Ecclesias , seu in illarum diœcesibus, pro tempore residẽtibus gratificari volẽtes, eisdem Episcopis,Archiepiscopis,& Patriarchis, quotiescumque, & quandocumqueapud eorum Ecclesias,seu in earum diœcel.residerent dumtaxat, de quibusuis dignitatibus, personatibus,administrationibus, officiis,canonicatibus, & præbendis,ac aliis beneficiis Ecclesiasticis,cum cura,& sine cura, sæcularibus, ac quorũuis Ordinum regularibus, ad eorum collationem , prouisionem, præsentationem electionem, seu quamuis aliam dispositionem pertinentibus, quæ antea in singulis Febr. Aprilis , Iunij,Aug. Octob.& Decemb.mensibus vacare contingeret,dumodo alias dispositioni Apostolicæ generaliter reseruata,vel ex generali reseruatione Apost.affecta non essent, etiamsi præsentationes nominationes,vel electiones eorum,quę saluæ procedere consueuissent,reseruatione præfata non obstante , quam quoad eos locum habere noluimus , libere disponendi facultatem concessimus.

exemptionẽ, quę à solutione decimarũ, &c. eisdem concessit, vt sup. in const. 10. De solute.

§.3. Et successiue eosdem Episcopos,Archiepiscopos, & Patriarchas,vt circa gregem sibi commissum feruentius inuigilarent, vt quamdiu ipsi apud suas Ecclesias, seu in illarum diœcesi.huiusmodi,residerent,ab omnibus,& singulis decimis, subsidiis , & aliis oneribus ordinariis, & extraordinariis , quomodolibet nuncupatis, per nos , & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes,ac Sedem Apostolicam,etiam Motu proprio,& ex certa scientia,ac etiam consistorialiter,etiam ad instantiam Regum,& Principum, quomodolibet, & ex quauis etiam quantumũis vrgentissima, iustissima,ac pia, & necessaria, causa, etiam pro defensione fidei catholicæ, ratione dictarum Ecclesiarum,tunc & pro tempore impositis, illorumque solutione, per alias nostras literas eximus,& liberauimus.

Et modo eadẽ prinil. cõcedit Prælatis Cõc. Trid. interessentibus pro tẽpore quo ibi resederint,aut in itinere fuerint.

§.4.Ad labores & impensas graues,quas præfati,& alij Episcopi , & Patriarchæ sacro Oecumenico , & generali Concilio in ciuitate Tridentina indicto pro tempore interessentes sustinere cogentur , debitum respectum habentes, ac animo reuoluentes eos inibi residentes vniuersali Ecclesiæ deseruire , & cum causa reipublicæ christianæ absint ab Ecclesiis quibus præsunt , aut in quibus beneficiati existunt,præsentes, & residentes merito reputari debere,Motu proprio, non ad eorumdem Episcoporum,Archiepiscoporum,Patriarcharum,Abbatum,Generalium Ordinum, ceterorumque præfatorum vel quorũuis aliorum pro eis nobis super hoc oblatę petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate,& ex certa scientia præfatis, qui apud suas Ecclesias , seu in earum diœcesibus residebant, ac alternatiua huiusmodi gaudebant, in dicto Concilio,quamdiu illud durauerit residendo , & inibi interessendo.necnon in itinere ad illud accedendo, & inde legitima subsistente causa recedendo,& ad Ecclesias suas redeundo,alternatiua,& exemptione huiusmodi vti,& gaudere,libere,& licite valeant in omnibus, & per omnia ac si apud suas Ecclesias , seu in earum diœcesum præfatis personaliter residerent, in omnibus , & per omnia concedimus , & indulgemus , dictamque exemptionem, & alternatiuam ad ipsos , ac vniuersos , & singulos alios venerabiles fratres nostros Episcopos,Archiepiscopos, & Patriarchas,etiam ad hoc vt illi, ac eorum singuli, qui in dicto Conc.iam forsan ad præsens resident, aut ad illud in posterum accedent, quod quamdiu Conc. ipsum durauerit , & ipsi interfuerint , dicta alternatiua gaudere possint, & occasione Episcopalium , seu Archiepiscopalium, vel Patriarchalium Ecclesiarum, aut Monasteriorũ, vel aliorum beneficiorũ Ecclesiasticorũ,cum cura, & sine cura,sæculariũ, & quorumuis Ordinum regularium, quæ etiam ex quibusuis concessionibus , & dispensationibus Apostolicis,in titulum & commẽdam,ac alias quomodolibet obtinent, & in posterum obtinebunt, quæcumque, quotcumque,& qualiacumque sint, quæ omnia prælentibus pro expressis haberi volumus, ad solutionem, quorumcumque subsidiorum seu decimarum, collectoribus, seu subcollectoribus , aut aliis executorib. vel quibusuis aliis personis, quauis auctoritate fũgẽtibus cogi possint, Motu & scientia similibus extendimus, & ampliamus.

Executor deputat.

§.5.Mandantes vniuersis,& singulis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis,quatenus ipsi vel duo , aut vnus eorum,per se vel alium,seu alios,faciant auctoritate nostra præsentes literas ab omnibus ad quos spectat inuiolabiliter obseruari, contradictores per censuras Ecclesiasticas,ac alia opportuna iuris remedia appellatione postposita compescendo.

Contrariis de rogat.

§. 6. Non obstantibus quibusuis Apostolicis, necnon prouincialibus & synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus,& ordinationibus, aut si eisdem collectoribus, & subcollectoribus, & quibusuis aliis communiter , vel diuisim , ab eadem sit Sede indultum, quod interdici,suspendi , vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam , & expressam , ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumpti credi iubet.

§. 7. Et quia difficile foret præsentes literas ad singula,in quibus de eis fides forsan facienda fuerit , loca deferre, volumus & eadem auctoritate decernimus , quod ipsarum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis,& sigillo alicuius Curiæ Ecclesiasticæ,vel personæ in dignitate Ecclesiast.constitutæ munitis,cadẽ prorsus fides in iudicio, & extra, vbi opus fuerit adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur , si forent exhibitæ , vel ostensæ.

Sanctionem pœnalẽ addit.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis,indulti,extensionis,ampliationis,mandati,voluntatis,& decreti infringere , vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei,ac B.Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D.P.A.1. die 1. Martij.

Dat.Romæ apud S.Petrum An.Incarnationis Dominicæ 1561.Kalend.Martij,Pontificatus nostri.An.2.

Sequitur indultum, quod in eorum litibus supersedeatur.

Edita An. D.

PIVS PAPA QVARTVS Motu proprio , &c.

Causa huius indulti.

CVm ob celebrationem Conc.per nos indicti oporteat Prælatos , tam ab Alma Vrbe nostra , quam ab aliis Christiani Orbis partibus ad ciuitatem Tridentinam , in qua indictum fuit,accedere,& quamplures eorum habeãt varias,& diuersas causas coram aliquibus ex venerabilibus fratribus nostris S.R.E.Cardinalibus,& in Auditorio Rotæ,ac in aliis nostræ Curię tribunalibus,ordinariis,siue delegatis , quæ propter illorum absentiam aliquod detrimentum susciperе possent.

Supersedeatur in causis profi. cisentium ad Concilium si ipsi voluerint.

§.1.Nos volentes prouidere ne dicti Prælati, eorumq, familiares, ac aliæ personæ dicto Conc.interesse habẽtes, causarum huiusmodi curis distrahantur , Motu simili, ac ex nostra certa scientia,& potestatis plenitudine mandamus , quatenus in omnibus, & quibuscumque , vbique, tàm coram præfatis Card. quàm Rotæ Auditoribus, Iudicibus ordinariis,siue delegatis,pendentibus causis prefatorum,dicto Concilio adesse habentium,clericorum,siue laicorum,cõmissis,seu committendis , durante eorum absentia,& ipsis in Concilio,& seruitiis huiusmodi residentibus, supersedere debeant, præterquam in causis, in quibus ipsi Prælati, & alij suprascripti , per eorum procuratores duxerint procedendum , in quibus sit in eorumdem arbitrio , hoc nostro mandato , vti vel non. Et ita mandamus , decernimus , & declaramus. Mandantes insuper cuicumque etiam S. R.E. Cardinali, qui Signaturæ Iustitiæ præest,vel præerit in dicta Alma Vrbe,ne in causis pendẽtibus huiusmodi aliquas commissiones dependentes, citationes , seu vocationes ipsorum nostram

Cur.

Digitized by Google

Cur. sequen, de stylo requiren. in eorum præiudicium admittant, etiam si in eis, aut aliqua supradictarum causarum executione, non tamen occasione rei iudicatæ procedatur. Status causarum huiusmodi, & merita, pro expressis habentes.

Clausula derogatoria.

§. 2. Non obstantibus priuilegiis, constitutionibus literis Apostolicis, regulis Cancellariæ, ac quibuscumque contrariis.

Decretum irritans.

§. 3. Sublata à quibuscumque iudicibus, etiam S.R.E. Cardinalibus aliter iudicandi facultate. Decernentes irritum, & inane, si secus à quoquam scienter, vel ignoranter contigerit, attentari.

Papæ subsc.

Placet Motu proprio. I.

XXIX.

Quod bona omnia Fratrum Militum Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, vbique decedentium, etiam ex illicita negociatione acquisita, vti spolia, non ad Cameram Apostolicam, sed ad ipsum Hospitale spectent, & pertineant.

De hac Militia plene notaui sup. in const. 2. Anast. IV. Christianæ.

Edita An. D. 1561.

PIVS PAPA QVARTVS.
Ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius declarationis, & concessionis.

ROmani interest Pontificis, vt cunctorum sibi, & Sedi Apostolicæ deuotorum, præsertim fratrum Militum, qui tamquam fortissimum orthodoxæ fidei aduersus crudelissimos Christiani nominis hostes propugnaculum, duros hostium expectant insultus, gratiæ, & alia eis concessa, vt illibata sibi remaneant prouidere, & eas concessiones quæ gratiis huiusmodi aliquod inferre præiudicium, aut eas dubias reddere videntur, ad omnem tollendi hæsitandi materiam, ac pacem confouendam declarare, aliasque & alia in his operari, prout in Domino salubriter cognouit expedire.

Bona à fratribus, & Militibus relicta, post eorũ obitum spectabãt ad religionẽ.

§. 1. Sane nobis pro parte dilectorum filiorum Magni Magistri & Conuentus Hospitalis S. Io. Hierosolymitani fuit expositum, quod licet omnia, & singula fratrum Militum eiusdem Hospitalis bona, post eorum obitum relicta, ad Hospitale & Conuentum prædictum in vim stabilimentorum, vsuum, & naturarum dicti Hospitalis, seu priuilegiorum, & indultorum Apostolicorum eidem Hospitali, illiusque Magno Magistro, & personis per diuersos Romanos Pontifices prædecessores nostros concessorum, ac etiam per nos approbatorum, & alias legitime, & de iure spectant, & pertinent.

Hic autem Pont. bona ex negociatione illicita per Clericos acquisita, vti spolia ad Cameră spectare decreuit supra in const. 19. Decess.

§. 2. Cum autem nos nuper postquam acceperamus à nonnullis verti in dubium, an res & bona per Clericos etiam in sacris ordinibus constitutos, ex negociatione illicita, aut alias contra sacros Canones acquisita, vti spolia, vel alias ad Cameram nostram, Apostolicam iure legitimo spectare, & pertinere deberent; Nos, omnẽ desuper hæsitationis materiam submouere, ac cauillationibus, & altercationibus, litibusque præcludere, & deniq; malitiis eorum qui iura dictæ Cameræ vsurpere fatagebant obuiã ire, aliasque in præmissis opportune prouidere, tunc volentes, omnia, & singula res, & bona cuiuscumque qualitatis, & quantitatis existentia, ac in quibusuis rebus, & regnis, ac dominiis, tàm citra, quàm vltra montes, & maria consistentia, per quosuis clericos, tàm seculares, quam quorumuis etiam Mendicantium Ordinum, ac Militiarũ regulares, etiam in sacris ordinibus constitutos, cuiuscumque status, ordinis, & conditionis essent, ac Archiepiscopali, Episcopali, vel alia maiori dignitate præfulgerent, ex negociatione illicita, aut alias contra sacros Canones quomodolibet acquisita, quæ pro tempore post obitum eorum, qui etiam ex facultate, quam habuissent testandi condito testamento vbiuis locorum decessissent, & decederent, aut quibus illos destitui contigisset, remãsissent, & remanerent, ad eandem Camerã, & non ad alios, etiam in quibusuis cathedralibus, & metropolitanis, & collegiatis, ac aliis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Militiis, ceterisque beneficiis Ecclesiasticis, cum cura, & sine cura, sæcularibus, & quorumuis Ordinum regularibus, qualitercumque qualificatis successores, illa in titulum, commendam, administrationem, ac alias qnomodolibet pro tempore obtinen. etiam si ad illa, vigore prioris tituli, ius regredien. seu acceden. & ingredien. aliquibus cõcessum fuisset, spectasse, & spectare, & sub nomine spoliorum venire, illaque vti spolia ad Cameram ipsam pertinen. perpetuo colligi, & recuperari potuisse, & posse ac debere. Et ita per quoscumque iudices quauis auctoritate fungen. in quacumque instantia, sublata eis quauis aliter iudican. & interpretan. facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; necnon irritum, & inane, quicquid secus super his à quoquã quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attẽtari, decreuerimus, & declauerimus, cum mandati, derogationis, aliisque clausulis, tunc expressis, prout in nostris desuper in forma breuis sub dat. videlicet, Nonis Nouemb. Pontificatus nostri Anno 1. ex prædictis literis, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis, latius continetur.

Ideo ista religio dubitat, vigore d. constitutionis posse molestari à ministris Cameræ.

§. 3. Cumque Magnus Magister & Conuentus, ac fratres Milites præfati occurren. fratrum Militum Hospitalis prædicti obitu, super eorumdem decedentium fratrũ Militum bonis, per iurium, & spoliorum Cameræ nostræ Apostolicæ prædictæ Collectores, & eiusdem Cameræ Commissarios, earumdem literarum vigore molestari dubitent. Nosque eiusdem Hospitalis, & illius personarum manutentioni, ac necessitatibus, quantum cum Deo possumus libenter prouidere procurãmus, maximè considerantes attentius eiusdem Hospitalis fratres Milites, se & sua, pro fide, & illius defensione, in crudelissimos christiani nominis hostes exponere necesse esse continuo, hoc præsertim instanti tempore, quo idem immanissimus hostis Turcarum tyrãnus lucri proxime præteriti non immemor, in animarum Christifidelium adeo spirat minas, vt omnibus fidelibus magis tamen fratribus Militibus pauorem incutiens, ipsos non immerito ad diligentem excitat rerum prouidentiam, propterea non conuenire, vt iidem fratres Milites, qui superstites existunt defunctorum spoliati bonis, ad suorum aliorumque Christicolarum defensionem, rebus priuentur necessariis.

Hic ergo Põt. declarat. sub d. constitutiones, & alias similibus dictam Religionem nõ comprehendi.

§. 4. Idcirco, vt omnis hæsitandi materia submoueatur, eiusdem Hospitalis, & illius personarum huiusmodi indemnitatibus paterno consulere affectu, ipsosque specialis gratiæ fauore prosequi volentes, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, auctoritate Apost. tenore præsentium declaramus, decernimus, & in verbo veritatis attestamur, nostræ intentionis numquã fuisse, nec esse, nec in posterum fore, per dictas nostras, aut quascumque alias literas, à nobis & Sede Apost. ac alias quomodolibet pro tempore emanatas, etiam quascumque generales vel speciales, etiã derogatoriarum derogatorias aliasque efficaciores, & insolitas clausulas, nec irritantia decreta, sub quacumque verborum expressione in se continen. statutis, stabilimentis, vsibus & naturis hospitalis prædicti, ac priuilegiis, indultis, ac aliis gratiis, illi, eiusque personis concessis, & concedendis in aliquo derogasse, nec derogare, seu aliquod eius, vel eorum cuilibet præiudicium intulisse nec inferre, sed semper valida & efficacia, ac illæsa, & in suo robore permansisse & permanere, nec eadem neque Hospitale, Conuentum, Fratres, Milites, & personas præfatos, subscriptis, aut quibuscumque similibus, aut dissimilibus literis, decretis, declarationibus, onerum impositionibus, vllatenus comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quotiens illæ emanabunt, totiens in pristinum, & validum statum restitui debere, ac excepta & restituta, & de nouo etiã sub dat. &c. per Magnum Magistrum, & Conuẽtum præfatos eligenda. concessa fore, & censeri debere.

Omniaquè bona personarum d. Religionis decedẽtium ei applicat, & ad Cameră aut alios non spectare declarat.

§. 7. Omniaque & singulares, & bona cuiuscumq; qualitatis & quãtitatis existentia, ac in quibusuis rebus, & regnis, necnõ dominiis tàm citra, quã vltra montes, & maria consistentia, per quosuis Fratres, Milites, & personas dicti Hospitalis quomodolibet acquisita, quæ pro tẽpore post eorum obitum, vbiuis locorum decesserint, & decedent, aut quibus illos etiam eis viuentibus (non tamen per Sedem Apost. priuari, aut eis destitui contingeret) hactenus remanserunt, remanent, & remanebunt, ad Hospitale, & Conuentum præfatos, non autem ad eamdem Cameram, seu alios quoscumque alias iuxta stabilimentorum, vsuum, naturarum, statutorum, & priuilegiorum huiusmodi formam, & tenorem spectasse, & spectare.

Digitized by Google

Agentes Religionis in hac actione non molestentur.

§. 6. Necnon Hospitale, & Conuentum huiusmodi, aut pro eis agentes per Cameræ huiusmodi iurium, spoliorum, & bonorum Collectores, & Subcollectores, Exactores, Commissarios, vel alios quacumque auctoritate, dignitate vel officio fungen. & functuros, nullatenus molestari, inquietari, vel perturbari posse nec debere. Et ita per quosuis Iudices quauis etiam auctoritate Apostolica fungen. etiam Palatij nostri causarum Auditores, in quauis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum est forsan hactenus, vel in posterum contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

Contraria nō obstent.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis, ac reformationibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, & Cameræ huiusmodi iurium, spoliorum, & bonorum Collectoribus, Subcollectoribus, Exactoribus, Commissariis prædictis, & quibusuis aliis personis in genere, vel in specie, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, ac insolitis clausulis, necnon irritan. & aliis decretis, etiam motu, scientia ac potestate similibus, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, & etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro eorum sufficienti derogatione de eis, eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

D. P. A. 2. die 24. Mar.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Pisc. die 24. Martij, millesimo quingentesimo sexagesimo primo. Pont. nostri Anno 2.

XXX. Confraternitatis sub inuocatione Sanctiss. Crucifixi ad pauperes Virgines maritandum, aliaque pia opera exercendum pridem in Vrbe institutæ, in Archiconfraternitatem erectio; Cum indulto singulis annis in Festo S. Crucis vnum reum capitaliter condemnatum è carceribus liberandi. Iurisdictioque Cardinalis eius Protectoris, quascumque ipsius causas cognoscendi.

Quoad formam aggregandi alias Confraternitates attende bullam 115. *Clem. VIII. Quæcumque. Et quoad indulgentias Confratrum nouam fecit dispositionem Paul. V. mox publicandam, quam vidi firmatam sub die* 28. *Februarij* 1608.

Scias etiam quod ista Confraternitas curam in temporalibus charitatiuè substinet, Monasterij Monialium Capuccinarum nuper in Vrbe illius Confratribus procurantibus instituti.

Edita An. D. 1561. & 1564. Causa huius constitut.

PIVS PAPA QVARTVS.
Motu proprio, &c.

CVm sicut accepimus venerabilis Confraternitas, seu Societas Imaginis Sanctissimi Crucifixi in Ecclesia Sancti Marcelli de Vrbe, eiusque Custodes, & Confratres, ob lites, & quæstiones, quibus ad diuersa Vrbis Tribunalia occasione locationum, censuum, donationum, hæreditatum, legatorum, & diuersarum aliarum rerum eiusdem, tàm agendo quam defendendo ingiter implicita existat, quamplurima damna, & interesse patiatur, ac impensa litis valorem rei de qua ex tempore agitur sæpe numero exuperet.

Adducit ea fuisse Pont. omnes causas ciuiles, Societatem tangentes.

§. 1. Nos Societatem prædictam in qua piissima charitatis, & misericordiæ opera, eleemosynas pauperibus, & miserabilibus puellis dotes elargiendo continuo impendi spectantur, ab huiusmodi dispendiis quantum possumus subleuare volentes, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas causas, lites, quæstiones & controuersias inter dictam Societatem, siue eiusdem dilectos filios Custodes, Officiales, & Ministros, & quascumque alias etiam singulares personas, tàm laicas, quàm Ecclesiasticas, Vniuersitates, Societates, Congregationes, Monasteria, & alia huiusmodi loca cuiuscumque gradus, status, ordinis, & conditionis existen. coram S. R. E. Camerario, Regente, Præsidente, & Clericis Cameræ Apostolicæ, necnon Vicario, Gubernatore, ac Senatore Vrbis, illius collateralibus, & Iudicibus, ac appellationum causarum Curiæ Capitolij eiusdem Vrbis Capitaneo, & aliis quibuscumque Iudicibus, ordinariis, & à nobis specialiter quomodocumque Commissariis deputatis, & delegatis, etiam causarum Sacri Palatij Apostolici Auditoribus, & Locatenentibus, ac eiusdem S. R. E. Cardinalibus, nunc & pro tempore motas, pendentes, & quomodolibet mouendas, super quibuscumque locationibus, venditionibus, donationibus, legatis, fideicommissis, testamentis, hæreditatibus, ac illarum discussionibus, atque quorumcumque iurium, & actionum cessionibus, alijsque inter viuos contractibus, executionibus, bonis, rebus, iuribus, & actionibus Societatem prædictam eiusque Custodes, Officiales, Ministros, & litis consortes, tàm coniunctim, quàm diuisim, ac tàm actiue, quàm passiuè concernentibus, ad Societatem ipsam quomodolibet spectantibus, in quacumque instantia inter illam eiusque Custodes, & alios præfatos, necnon alia æque, vel magis pia loca, Vniuersitates, Monasteria, Congregationes, & Collegia quomodocumque priuilegiata, ac viduas, pupillos, & alias personas etiam exemptas, pendentes, & motas, & mouēdas, cuiuscumque gradus, status conditionis, ordinis, & naturæ existant, etiam præmissis expressis maiores, quarum omnium statum, & merita ac Iudicum, & collitigantium nomina, & cognomina, ac qualitates ceteraque etiam de necessitate exprimenda, præsentibus haberi volumus pro expressis, in statu, & terminis in quibus modo reperiuntur, dummodo non sint instructæ, harum serie ad nos aduocantes.

Illorumque Iudicem, ordinarium eligit Protectori Societatis, vel ab eo deputādum cum facultate procedendi summarie, &c.

§. 2. Dilectum filium nostrum Raynutum Farnesium tituli S. Angeli presb. S. R. E. Card. ac Maiorem Pœnitentiarium, modernum, ac pro tempore existentem Protectorem eiusdem Societatis, Iudicem ordinarium, ac perpetuum ad prædictas necnon quascumque alias similes, vel dissimiles causas ciuiles, ad Societatem huiusmodi pertinentes, tàm per eos, quàm contra eos, & inter eos, ac personas, Vniuersitates, Collegia, seu alia loca prædicta etiam priuilegiata, & exempta, tam actiue, quam passiuè, pro tempore mouendas, iuxta ordinariam facultatē seu iurisdictionem tàm Gubernatori, quā Regenti Cameræ Apostolicæ seu Vicario nostro præfatis, & eorum cuilibet attributas; ac prout rerum qualitas exegerit, seu postulauerit: cum omnibus, & singulis eārū inciden. dependen. emergen. annexis; & connexis, summarie, simpliciter, & de plano sine strepitu, ac figura iudicij, & absque tela iudiciaria, & sola veritate inspecta, & absque aliquorum terminorum substantialiū obseruatione, aut alicuius registri, vel extractus confectione, per se ipsum, seu alios ab eo deputandos, audiendas, cognoscendas, fineque debito terminandas; auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo constituimus, & deputamus, & ad hunc effectum illi etiam per alium, seu alios quoscumq, tam in Romana Curia, quàm extra eam, etiam per edictū publicum, constito sibi etiam summarie de non tuto accessu, citandi, & monendi, eisdemque, & præfatis, ac

quibus

quibuſcumque aliis eiuſdem Vrbis Curiarum Iudicibus, & perſonis, tàm Eccleſiaſticis, quam ſecularibus, quibus, & quotiens opus fuerit, etiam ſub ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, ac etiam pecuniariis, quibus ſibi ab eo tempore deputando Auditori videbitur, inhiben. & in euentum non paritionis contra inobedien. contumaces, & rebelles, ad declarationem incurſus cenſurarum, & pœnarum huiuſmodi, illarumque aggrauationes, & reaggrauationes, & alias iuxta morem, & ſtylum dictarum Curiarum in ſimilibus ſeruari ſolitum, ac alias prout ſibi videbitur, procedendi.

Sententias exequendi.

§. 3. Sententiamque ſiue ſententias debitæ executioni demandandi, ſiue demandari faciendi,

Cõtradictores coërcen.

§. 4. Contradictores quoſlibet & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias, aliaque iuris, & facti remedia opportuna appellatione poſtpoſita, compeſcendi, auxiliumque brachij ſæcularis ad hoc ſi opus fuerit inuocandi, omniaque alia, & ſingula in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria & opportuna faciendi, geren. & exequen. plenam, & liberam, ac amplam licentiam, & facultatem atque auctoritatem concedimus.

Reiectis nullitatibus præterquam de iuribus.

§. 5. Decernentes, quod ipſius Reuerendiſſ. Cardinalis Protectoris, ſiue ipſius deputandi pro tempore Auditoris, ſententiis, ordinationibus, & decretis, nullitas aliqua opponi nullo modo poſſit, niſi ex defectu iuriſdictionis, citationis, & mandati.

Cogendique debitores ad ſatisfacien. Societati, data cautione, &c. non obſtan. pendentia litis diſcuſſionis.

§. 6. Et licet ad inſtantiam quorumcumque hæredum, ſiue quorumlibet aliorum committatur in futurum, vel etiam modo pendeat commiſſa cauſa diſcuſſionis alicuius hæreditatis, & dictæ Societati, ſeu Cuſtodibus, & Officialibus ipſius, etiam virtute commiſſionis fuerit inhibitum, tamen ne exactio creditorum in præiudicium ipſius Societatis proteletur, data idonea cautione per dictos Cuſtodes, & Officiales, de reſtituen. ſummam debitam, in euentum ſuccumbentiæ prioribus, & potioribus creditoribus, dictus Reuerendiſſimus Cardinalis Protector prædictos hæredes, ſiue alios quoſcumque debitores, ſeu ipſorum quorumlibet ex quacunque cauſa ceſſionariorum, vel ab eis quorumlibet, & ex quocumque titulo cauſam habentes, ad ſatisfaciendum integraliter dictæ Societati, de eius credito iuris, & facti remediis opportunis cogat, & compellat.

Singulis diebus procedendi.

§. 7. Ac in omnibus, & ſingulis, & quibuſcumque cauſis præfatis, ad dictam Societatem, vt ſupra ſpectan. ſingulis diebus, & horis feriatis, & non feriatis, præterquam in honorem Dei, etiam tempore feriarum ob neceſſitatem hominum indicendarum procedat.

Notarium deputandi.

§. 8. Ac Notarium actuarium quem ſibi placuerit deputet.

Mandatarius Capitolij dat facultatẽ eius cit. exequendi.

§. 9. Et quod citationes in cauſis prædictis etiam per Mandatarium Curiæ Capitolij fieri poſſint.

Executoreſque obligat ad exequen. eius mandata.

§. 10. Et quod quicumque executores Tribunalium Vrbis, poſſint & debeant exequi, & effectualiter executioni mandare, omnes & ſingulas ſententias decreta, & mandata præfati Raynutij Cardinalis Protectoris, ſiue ab eo deputatorum, quæ non obſtante regula Cancellariæ, &c. ſufficiant ſi ſignata ſint, eiuſdem Raynutij Cardinalis paruo ſigillo.

Annullat proceſſus aliorum Iudicum.

§. 11. Decernentes inſuper Societatem prædictam eiuſque Officiales, & perſonas huiuſmodi ex nunc deinceps occaſione præmiſſorum alibi quam coram præfato Reuerendiſſ. Cardinali Protectore conueniri, aut ad alios conuenien. conſtringi non poſſe, ac proceſſus, ſententias, & decreta per alium ſiue alios tàm ordinarios, quàm etiam ſpecialiter deputatos, & delegatos Iudices in cauſis præfatis quomodolibet pro tempore formatos in prima inſtantia latas, & factas, cum inde ſecutis quibuſcumque, nullas, irritas, & inanes, nulliuſque roboris, & momenti fore.

Clauſulas huius conceſſionis præſentiarum apponit.

§. 12. Præſentes quoque literas ſub quibuſuis reuocationibus, ſuſpenſionibus, & exemptionibus, ſimilium, vel diſſimilium gratiarum, etiam per nos, & ſucceſſores noſtros Roman. Pontifices, & Sedem præfatam, vel eius Legatos etiam per regulas Cancellariæ Apoſtolicæ pro tempore factas, etiam in fauorem Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis penitus, & omnino exceptas eſſe, & cenſeri, nec eiſdem præſentibus per quaſcumque literas, etiam quaſuis clauſulas generales, & ſpeciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores, & inſolitas, ac etiam irritantia decreta, ſub quacumque verborum expreſſione in ſe continentes, derogari poſſe, & ſi illis vllo vmquam tempore, ex aliqua etiam quantumuis neceſſaria, & vrgenti cauſa derogari contingat, niſi tenor illarum de verbo ad verbum nihil omiſſo inſertus, & huiuſmodi derogario conſiſtorialiter facta, ac per trinas, & diſtinctas literas, eumdem tenorem continentes, tribus ſimilibus diſtinctis vicibus, Adminiſtratorii vus ſiue Cuſtodibus, ac aliis Officialibus Societatis huiuſmodi legitime inſinuata, & intimata fuerit, eorumque ad id expreſſus accedat aſſenſus, derogationem huiuſmodi nemini ſuffragari. Sicque per quoſcumque Iudices quauis auctoritate fungentes etiam præfatæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & definiri debere, irritum quoque, &c. attentari.

Clauſulas cõtrariorum derog. tritas ſubdit.

§. 13. Non obſtantibus præmiſſis, & ſel. record. Bonifacij PP. VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltrà tres dietas, aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non traharur, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Fabricæ prædictæ, ac Hoſpitalium, Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum quorumcumque locorum, & Ordinum, etiam exemptorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, conſeruatoriis, exemptionibus, & literis Apoſtolicis, eiſdem ac dilectis filiis Populo Romano, necnon Iudicibus, Curiis, & Tribunalibus eorumque perſonis, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & dictam Sedem, etiam motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac alias ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis, necnon reformationibus, etiam nouiter factis, ac paribus motu, & ſcientia approbatis, etiam diſponentibus, quod cauſæ huiuſmodi ad forum, ſeu Curiam Capitolij reaſſumi debeant. Quibus omnibus etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione alias de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe, ac eiſdem motu & ſcientia, & poteſtatis plenitudine, derogamus, ac ſufficienter derogatum eſſe decernimus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi præfatis, vel quibuſuis aliis communiter, vel diuiſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicati, aut extra vel vltra certa loca, Curias, & Tribunalia ad iudicium trahi non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, & quibuſlibet aliis priuilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, aut totaliter non inſerta iuriſdictionis ipſius Protectoris explicatio impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis.

Tranſumptis fidem præſtari iubet.

§. 14. Et quia difficile foret præſentes literas ad ſingula loca quibus illis pro tempore opus fuerit, deferre. Volumus, & præfata auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Protectoris, vel Societatis huiuſmodi, in perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel curiæ etiam ſæcularis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Placet Motu proprio. I.

Papa ſubſcr.

Datum Romæ apud S. Petrum, Sexto Idus Aprił. Anno 2.

D.P. An. 2. 8 Aprił.

Digitized by Google

Sequitur Erectio in Archiconfraternitatem, & indultum liberandi carceratum.

Edita Ann. Dom. 1564.

PIVS PAPA QVARTVS. Motu proprio, &c.

Huic Solidi-tati multa pia opera exercenti, confirmat hic Pont. indultũ liberandi vnũ condemnatum in festo S. Crucis, sed eius bullam omisi quia hoc sufficienter hic est relatum.

CVm sicut nobis innotuit, in Confraternitate Sanctiss. Crucifixi in Ecclesia Monasterij S. Marcelli de Vrbe instituta, dilecti filij illius Confratres quamplura opera charitatis, Domino bonorum omnium largitore opitulante, hactenus tum in colenda Sanctiss. Crucifixi Imagine quæ in ipsa Ecclesia sita est, tum in visitandis pauperibus infirmis eiusdem Confraternitatis, eisdemque Medicum adhibendo, & subsidium transmitten. sepeliendisque pauperibus mortuis, maritandis virginibus, recitan. Officium, illique continuo quibusuis diebus festiuis, & quadragesimalibus interessen. tum etiam in aliis diuersis piis, & laudabilibus operibus, & maxime expensis, & sumptibus quæ, & qui de præsenti in erectione, & fabrica eorum Oratorij fiunt, & fieri sperantur, exercuerint & exerceant. Nos qui nupet, seu alias gratiam eisdem Confratribus per fel. record. Iulium Papam III. prædecessorem nostrum factam, vt vnum vinctum, seu Carceratum, & ex causa capitali damnatum quem mallent ex quocumque crimine, excepto crimine hæresis, & læsæ Maiestatis, dummodo pacem ab hæredibus defuncti habeat anno singulo in perpetuum in festo Inuentionis Sanctæ Crucis de mense Maij, seu in festo Exaltationis eiusdem de mense Septembris in honorem S. D. N. Iesu Christi liberare, & ex carceribus extrahere possent, & provt præfatus fel. record. Iulius III. concesserat, confirmauimus, & approbauimus, & quatenus opus etiam de nouo concessimus, provt in nostro Motu proprio latius constat, & apparet.

Et nunc eam in Archiconfraternitatem erigit.

§.1. Cupientes eamdem Societatem, & Confratres spiritualibus gratiis, & fauoribus prosequi, ac vt ipsa opera non minuantur, sed in dies augeantur, ipsos Confratres aliosque deuotos fideles allicere, & propterea ipsam Confraternitatem, & illius Confratres gratiarum muneribus ornare, & decorare volentes, motu simili, &c. ipsam Societatem, & Confraternitatem omnium aliarum Confraternitatum, quæ sub inuocatione nominis Sanctissimi Crucifixi hactenus in toto Orbe Terrarum erectæ fuerunt, seu in posterum erigi contigerit, Archiconfraternitatem facimus, creamus, erigimus, constituimus, deputamus, ordinamus, & esse volumus. Ita vt sit Caput omnium Societatum, & Confraternitatum sub Sanctissimo Nomine Crucifixi erectarum, & erigen. Omnesque alias Confraternitates erectas, & erigendas sub nomine præfato vbicumque locorum sitæ sint, præfatæ Confraternitatis immediate subiicimus, & membra Societatis præfatæ, & ab ea dependentia constituimus, deputamus, & ordinamus, ac esse volumus.

Statuta confirmat. & iura statuendi concedit.

§.2. Necnon dictam Archiconfraternitatem cum illius Oratorio in loco dictæ Ecclesiæ vicino in quibusdam domibus ipsi Archiconfraternitati, & illius Confratribus per Priorem, & Fratres dicti Monasterij, vel alios sub certis modo, & forma, tunc expressis, concessis constitui incepto, omnibusque eiusdem Archiconfraternitatis bonis, & legatis, & eleemosynis elargitis, & elargiendis, ac acquisitis, & acquirendis. Itaque eiusdem Archiconfraternitatis, Confratres, seu Priores, vel Guardiani Archiconfraternitatem ipsam, & illius bona regere, gubernare, & administrare ac de eisdem bonis legatis, & eleemosynis ad eorum libitum, & provt eis videbitur, & placuerit disponere, & illa in vsus eis visos conuertere possint, ac omnia, & singula statuta, & constitutiones dictæ Societatis, quæ per dilectum filium nostrum Raynutium Farnesium tt. S. Angeli in Piscium presbyterum Cardinalem S. R. E. Maiorem Pœnitentiarium, & dictæ Archiconfraternitatis Protectorem confirmata, & approbata fuerint, confirmamus, & approbamus. Ac eisdem Confratribus, vel Prioribus, seu Guardianis quæcumque statuta, & ordinationes prosperum statum, ac regimen, & gubernium dictæ Archiconfraternitatis concernentia ad eorum libitum concedere, alienare, & mutare totiens quotiens eis videbitur, libere, & licite valeant, concedimus, & indulgemus, illaque ex nunc, provt ex tunc postquam condita, mutata, vel alterata fuerint confirmamus.

Executores & defensores deputat.

§.3. Quocirca dicto Raynutio Cardinali, & Pœnitentiario, ac moderno Protectori Archiconfraternitatis præfatæ aliis Protectoribus pro tempore deputan. Necnon vniuersis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis quibuscumque in dignitate Ecclesiastica vbicumque locorum constitutis, Motu præfato per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, & eorum quilibet quoties fuerint pro parte dictorum Archiconfratrum, vel aliorum priuilegium ab ipsis pro tempore habentium requisiti, eisdem in præmissis, & eorum singulis quomodolibet assistant, eosdemque faciant gratiis, & priuilegiis præfatis libere frui, & gaudere. Non permitten. à quoquam desuper molestari, Contradictores, & rebelles per censuras Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis, irritum quoque, & inane decernen. quicquid in contrarium contigerit attentari.

Clausulas derogatorias apponit.

§.4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, aut quauis alia firmitate roboratis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apost. potestatis plenitudine in præiudicium, seu contrarium præmissorum per nos, & quoscumque Roman. Pontif. prædecessores nostros dictis, & aliis quibusuis Ecclesiis, Basilicis, Hospitalibus, Societatibus, & locis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis concessis, &c. confirmatis, &c. ac conceden. &c. Quibus omnibus, & singulis etiam si de illis, &c. tenores illorum pro expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes hac vice derogamus, ceteriscque contrariis quibuscumque.

Papa subscr.

Concess. Motu proprio in præsentia D. N. Papæ.
C. Card. Borrhomæus.

Clausularum repetitio.

§.5. Et cum absolutione à censuris ad effectum, &c. Et de creatione, erectione, constitutione, & deputatione, in Archiconfraternitatem cum confirmatione statutorum, &c. ac priuilegiis, concess. gratiis, facultatibus, & derogationibus, ac omnibus aliis, & singulis præmissis, quæ hic pro repetitis, & expressis habeantur, perpetuo in forma gratiosa latissime exten. quatenus opus fuerit. Et quod præmissorum omnium, & singulorum maior, & verior spec. & expressio fieri possit in literis per breue nostrum expedien.

Sola signatura sufficit.

§.6. Seu si ipsis Archiconfratribus videbitur sola præsentium signatura nostra sufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio, & extra quacumque regula contraria non obstan.

Fides exemplorum.

§.7. Ac quod præsentis transumptis auctoritate manu Notarij publici, aut Secretarij d. Archiconfraternit. subscriptis, & sigillo dicti Protectoris, vel ipsius Archiconfraternitatis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra vbi exhibita fuerint, vel ostensa, provt originali adhiberetur si ostenderetur.

D. P. An. 5. die 5. Maij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Idus Maij, Anno 5.

Inquisitorum hæreticæ prauitatis facultas, procedendi contra Sacerdotes, qui mulieres pœnitentes in actu confessionis, ad actus inhonestos prouocare, & allicere tentant. XXXI.

Edita An. D. 1561.

PIVS PAPA QVARTVS, Venerabili Fratri Archiepiscopo Hispalensi in Regnis Hispaniarum hæreticæ prauitatis Inquisitori generali.

Quidam Sacerdotes abutendo Sacramento Pœnitentiæ, mulieres in actu confessionis ad actus inhonestos prouocant.

CVm sicut nuper, non sine animi nostri molestia, accepimus, diuersos Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in eorum Ciuitatibus, & Diœcesibus curam animarum habentes, siue eam pro aliis exercentes, aut alias audiendis confessionibus pœnitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento Pœnitentiæ

Digitized by Google

Pœnitentiæ in actu audiendi confessiones abutantur, nec illi, & qui id instituit Domino Deo, & Saluatori nostro Iesu Christo iniuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones alliciendo, & prouocando, seu allicere, & prouocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum huiusmodi Creatori nostro reconciliationis, grauiori peccatorum mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo, in Diuinæ Maiestatis offensam, & animarum perniciem, & Christi fidelium scandalum non modicum.

Contra quos iste Pont. ab inquisitoribus haretica prauitatis inquiri decernit.

§. 1. Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de Fide Catholica recte sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus per ●, vel per alium, seu alios à te deputandum, seu deputandos contra omnes, & singulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Ciuitatum, & Diœcesium de prænissis quomodolibet diffamatos, tàm sæculares, quam quorumuis etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subiectorum Ordinum Regulares, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, tàm super præmissis, quàm super Fide Catholica, & quid de ea sentiant diligenter inquiras, & iuxta facultatem tibi contra hæreticos, aut de hæresi quouis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos iuxta excessuum suorum qualitatem, prout iuris fuerit punias, eos etiam si, & prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione sæcularis Iudicis arbitrio puniendos tradendo.

Locus restitutus.

Contrariis derogat.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, necnon Ordinum quorumlibet quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam Motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 2. die 16. April.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 16. Aprilis 1561. Pontificatus nostri Anno 2.

XXXII.

Applicatio Reu. Cameræ Apostolicæ, omnium fructuum beneficiorum Italiæ Sedi Apostolicæ reseruatorum seu affectorum, pro tempore quo aliter quam per cessum ipsa beneficia vacauerint.

Ampliorem dispositionem de his fructibus, habes in Sixt. V. const. 100. In conferendis, vbi Thesaurar. Papæ eorum Collector deputatur.

De fructibus autem huiusmodi beneficiorum in Regno Neapolis, est specialiter dispositum infr. in const. 26. Pij V. Cupientes.

Edita An. D. 1561.

PIVS PAPA QVARTVS
Ad futuram rei memoriam.

Causa huius applicationis.

CVpientes malitiis nonnullorum, qui in possessione Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum dispositioni Apostolicæ reseruatorum pro tempore vacantium, sine iusto titulo, ac sine literis Apostolicis, vt illorum fructus durante vacatione huiusmodi vsurpent, se intrudere non verentur, occurrere, & Cameræ nostræ Apost. grauissimis oneribus in aliqua parte subleuandis quantum cum Deo possumus consulere, Motu proprio, & ex certa nostra scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine.

Applicatio R. Cam. Apostolicæ fructuum beneficiorum Sedi Apost. reseruatorum, seu affectorum in Italia à die vacationis, vsque ad diē prouisionis, &c.

§. 1. Omnes & singulos fructus, redditus, & prouentus, ac iura, obuentiones & emolumenta quæcumque quomodolibet, & qualitercumque nuncupata omnium, & singulorum Monasteriorum etiam Consistorialium, & beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura, sæcularium, & quorumuis Ordinum regularium nobis, & Sedi Apostolicæ tàm per cōstitutiones Apostolicas, quàm Cancellariæ Apostolicæ regulas editas, & edendas, seu alias quomodolibet, & ex quauis causa, generaliter, vel specialiter reseruatorum, seu affectorum in partibus Italiæ in quibus Collectores, & Subcollectores spoliorum, & iurium Cameræ Apostolicæ prædictæ esse consueuerunt, ac earum Ciuitatibus, & Diœc. consistentium, per obitum, & alias quouis modo, præterquam per cessum illa obtinentium, pro tempore vacantium, à die ipsorum Monasteriorum, & beneficiorum vacationis pro rata temporis vsque ad diem prouisionis seu commendæ de eisdem beneficiis, & Monasteriis per nos faciendæ, de qua per literas nostras sub plumbo, & non aliter constare debere volumus, eidem Cameræ auctoritate Apostolica tenore præsentium reseruamus, applicamus, incorporamus, & approbamus, illaque ei reseruata, applicata, incorporata, & appropriata esse, & fore, & ad illam spectare, & pertinere.

Facultas Collectoris exigēdi dictos fructus.

§. 2. Nullumque præter nos & dictam Cameram, aut dilectum filium Donatum Matthæum Minalem, ac pro tempore existentem Thesaurarium nostrum, ac Spoliorum, & aliorum iurium ipsius Cameræ Collectorem generalem, vel eius Subcollectores ea percipere, exigere, & recuperare, aut alias se in illis intromittere posse, aut debere tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Inhibitio contra alios ne desuper se intromittant.

§. 3. Et nihilominus ne aliquod impedimentum huic nostræ ordinationi occurrat, quibusuis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum ordinariis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub suspensionis à diuinis, & interdicti ingressus Ecclesiæ quoad Archiepiscopos, & Episcopos, quo ad vero alios inferiores, etiam sub excommunicationis, & aliis arbitrij nostri, & quoad omnes sub priuationis facultatis conferendi beneficia in eorum mensibus pro tempore vacantia pœnis districte præcipimus, & inhibemus, ne beneficia dispositioni Apost. reseruata, seu affecta quouis prætextu, causa, aut quæsito colore cuiquam conferre, seu de illis prouidere, aut in illis, vel eorum possessione sese intromittere quoquomodo audeant, vel præsumant.

Clausula sublata, &c.

§. 4. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque quauis auctoritate fungentes Iudices, commissarios, & personas, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Facultas Collectoris in exactione huius const.

§. 5. Mandantes eidem Donato Matthæo, & pro tēpore existenti Thesaurario, & Collectori, vt nostro, & dictę Cameræ nomine fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones, & emolumenta huiusmodi per se, vel eius Subcollectores prædictos, etiā propria auctoritate exigat, percipiat, & leuet, sibique nihilominus consignari, & tradi ab omnibus ad quorū manus peruenerint pro rata prædicta per censuras & pœnas Ecclesiasticas per personas Ecclesiasticas ab eo eligendas, fulminandas, & alia opportuna iuris, & facti remedia quacumq; appellatione postposita, faciat & curet, inuocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, super quibus omnibus, & singulis plenam, & liberam illi per præsentes concedimus facultatem.

Clausula derogatoria.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Monasteriorum, & illorum Ordinum, ac beneficiorum prædictorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis illis, & quibusuis aliis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, & scientia similibus concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo

Digitized by Google

verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idē importantes mentio seu quæuis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresse derogamus, illaque aduersus præmissa nullatenus suffragari posse, siue debere decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio, quod ex dictis fructibus onera beneficiorum supportentur.

§.7. Volumus autem, quod ex fructibus, redditibus, & prouentibus per dictum Thesaurarium, & etiam deputatos per rata, huiusmodi percipiendis onera quæcumque dictis beneficiis incumbentia similiter pro rata temporis supportari debeant.

Exemplorum fides.

§.8. Quodque præsentium manu Notarij publici subscriptis trāsumptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu Curiæ Ecclesiasticæ munitis eadē prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D.P.An.2. die 25. Apr.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 25. Aprilis 1561. Pontificatus nostri Anno 2.

XXXIII. Iurisdictio, & facultates Auditoris causarum Curiæ Reu. Cameræ Apostolicæ.

Hoc officium est antiquissimum, & plures ei Pontifices auxerunt iurisdictiones, vt notaui supra in const.7. Innoc.VIII. Apprime. & latius dicam in Pauli V. const.28. Eximiæ, cum ibi notandis. Et inde cognosces, quid his facultatibus auctum, quidue reformatum fuerit, & limitatum.

Edita An. D. 1561.

PIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Venerabili Fratri Flauio Episcopo Muran. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Proœmium.

AD eximiæ deuotionis affectum, quem cum fidei cōstantia, & sinceritate mentis, tu, & progenitores tui ad nos, & Romanam Ecclesiam gerere comprobamini, necnon generis nobilitatem, eximiamque doctrinam, ac in rebus gerendis experientiam, & dexteritatem, necnon fidei, & iustitiæ zelum, ac integritatem, singularemque probitatem, necnon ceteras virtutes quibus personam tuam, illarum largitor Altissimus multipliciter insigniuit, nostræ dirigentes considerationis intuitum, ac propterea indubiam spem gerentes, quod ea quæ tibi duxerimus committenda, summa cum prouidentia, & exacta cum diligentia laudabiliter exequeris, dignum quin potius debitum arbitramur, vt eamdem personam condignis honoribus, & gratiis prosequamur.

Officium Auditoriatus Camerę vacauit olim per obitū Francisci Alberici, & in Officiū Regentis Cam. trāsformauit, & illud Cardinali de Neap. cōcessit Pauli IV. cuius bullam vti otiosam præterij

§.1. Cum itaque nos nuper officium generalis Auditoriatus, seu Audientiæ Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ, quod antea tunc per obitum quondam Francisci Alberici de Rachaneto, olim Curiæ causarum huiusmodi generalis Auditoris, extra Romanam Curiam defuncti vacans, fel. rec. Paulus Papa IV. prædecessor noster, ex certis tunc expressis causis nomine Auditoriatus in perpetuū suppressio, & extincto in officium Regentis S.R.E. Cameræ Apostolicæ de fratrum suorū consilio Apostolica auctoritate transformauerat, ac in illud erexerat, & instituerat, ac postmodum officium huiusmodi ab eius primæua erectione, tunc vacans, dilecto filio nostro Alphonso, tunc S. Nicolai inter Imagines, nunc vero SS. Ioannis & Pauli Diacono Cardinali Neapolitano nuncupato, dicta auctoritate concesserat, & assignauerat.

Vacauit postea per resignationem, & illud hic Pontifex suppressit.

§.2. Cum dictus Alphonsus Card. officium Regentatus huiusmodi in manibus nostris sponte, & libere resignasset, nosque resignationem huiusmodi duxissemus admittendam, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris eiusdem S.R.E. Card. deliberatione matura, ac de eorum consilio, & vnanimi consensu, Officium Regentatus huiusmodi eius nomine, & denominatione huiusmodi per nos suppressis, & extinctis, ac illius erectione, & institutione prædictis, necnon literis Apostolicis desuper confectis reuocatis, cassatis, & annullatis, aduersus erectionem, & institutionem, necnon literas Apostolicas præfatas, ac in pristinum, & eum, in quo ante illius suppressionem necnon erectionem, & institutionem huiusmodi erat, statum, pristinamque naturam in omnibus, & per omnia restituimus, reposuimus, & plenarie reintegrauimus, prout in literis Apostolicis desuper confectis, ac manu nostra, & dictorum fratrum nostrorum signatis plenius continetur.

Et modo Officium A.C. cōfert Flauio Vrsino cum solitis facultatibus & maxime infra dicendis.

§.3. Nos, post longam super hoc habitam discussionē, & maturam deliberationem, in te oculos nostræ mentis coniicientes, ac de supradictis tuis virtutibus specialem in Domino fiduciam sumentes, ac sperantes, quod tu qui Ecclesiæ Muran. præesse dignosceris, ac vtriusque iuris Doctor, & in vtraque Signatura nostra Referendarius, & Prælatus domesticus noster existis, dextera Domini tibi assistente propitia, Officium huiusmodi scies, voles & poteris, ad laudem, & vtilitatem multorum fideliter exercere, Teque à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluētes, & absolutum fore censentes, ac suppressionis, erectionis, & institutionis, necnon literarum præfatarum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum inseterentur, ac verum, & vltimū dicti Officij Auditoriatus vacationis modū præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio non ad tuam, vel alterius pro te nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Officium Auditoriatus, seu Audientiæ Cameræ huiusmodi, siue per simulem resignationem Alphonsi Cardinalis, seu adhuc per obitum Francisci prædictorum, siue alias quouis modo, quem haberi volumus pro expresso, vacet cum Officio Correctoriæ Archiuij Romanæ Curiæ, aliisque illi annexis, necnon omnibus, & singulis illius honoribus, priuilegiis, iuribus, & regalibus, vel alias nuncupatis emolumentis consuetis, ac facultatibus, & indultis, ac decretis etiam in ordine, & modo procedendi in causis eidem Francisco, & aliis, qui pro tempore fuerunt causarum Curiæ generalibus Auditoribus etiam per fel. rec. Iulium II. Leonem X. Clementem VII. Paulum III. & Iulium etiam III. ac alios quoscumque Rom. Pont. prædecessores nostros, ac etiam nos, & Sedem Apostolicam sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, tàm sub plumbo, quàm in forma breuis, & alias ex vsu, & consuetudine quomodolibet concessis, tibi Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, & assignamus, Teque in nostrum, & dilecti filij nostri Guidonis Ascanij S. Mariæ in Via lata Diaconi Cardinalis de Sancta Flora nuncupati moderni, & pro tempore existentis Camerarij nostri, ac causarum Curiæ huiusmodi generalē Auditorem, cum honoribus, oneribus, priuilegiis, iuribus, emolumentis, facultatibus, & decretis prædictis, constituimus, & deputamus, teque in locum dicti Francisci, quoad huiusmodi Auditoriatus Officium, eiusque exercitium, quoad vixeris, substituimus, & subrogamus.

Causæ obligationum in forma Cameræ priuatiue, quoad alios cognoscendi.

Hoc extensum est ad alias obligationes, vt in const. S.D.N. Pauli V. cit. in rub.

§.4. Tibique per te, vel alium, seu alios idoneum, seu idoneos Locumtenentem, seu Locumtenentes tuos, quos pro tempore duxeris assumendos, vel deputandos de omnibus, & singulis causis, modis, & formis, supra, & infrascriptis cognoscendi, & illas decidendi facultatem concedimus. Ita quod tu in causis obligationū in forma Cameræ celebratarum solus (præterquā inter Ciues Romanos inter quos Motum proprium vltimo loco per nos desuper in fauorē Pop. Rom. concessum obseruari volumus, alij vero quicumque etiam Rom. Cur. Iudices in similibus causis, nullatenus, nulloque modo procedere possint) procedere debeas. Necnon de omnibus, & singulis obligationibus in forma Cameræ, vbiuis locorum, & inter quascumque personas factis, & faciendis (his dumtaxat exceptis, quæ in dependentibus à litibus, & causis in eadem Camera, aut coram aliis Iudicibus pro tempore introductis factæ, seu receptæ fuerint, & tunc non per viam censurarum, sed mandati executiui) cognoscas.

Reassumendi causa obligationū Cameralis specialiter alteri non commissas.

§.5. Ita vt quascumque causas, quæ de cetero perpetuis futuris temporibus in eadem Curia super ipsis obligationibus, in alio quam tuo, ac Curiæ causarum huiusmodi tribunali (præterquam in vim specialis commissionis nostræ de dicta obligatione, specialem mentionem facientis) motæ fuerint, in illarum statu, gradu, & termi-

nis,

Digitized by Google

nis, in quibus reperientur tua ordinaria auctoritate (exceptis causis in Curia Capitolij contra dictos Ciues Romanos pro tempore iuxta formam dicti Motus proprij motis) reassumere, & Iudicibus, quibus sunt commissæ, ac coram quibus illæ pendebunt in posterum, ne in eis, aut de illis, quoquomodo, vel quouis quæsito colore, directe vel indirecte, se intromittere præsumant, etiam sub sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, arbitrio tuo moderandis, & applicandis inhibere, ac quicquid secus super his contigerit attentari, irritum, & inane decernere.

Censuras promulgandi.

§.6. Ac etiam solus dictarum obligationum vigore censuras Ecclesiasticas promulgare.

Causas Prælatorii, Mercatorum, Curialium pensionúque, &c. cognoscendi.

§.7. Necnon omnes, & singulas spirituales, & Ecclesiasticas, ac profanas, & quorumuis eiusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, eorumque, ac nostrorum familiarium, continuorum commensalium, & Prælatorum quorumcumque in ipsa Curia degentium, ac etiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, ac Communitatum, & Vniuersitatum, Oratorum, necnon dictæ Curiæ Officialium, & eamdem Curiam sequentium, ac familiarium eorumdem, & ipsius Curiæ causarum huiusmodi Auditoris Notariorum, & eorum familiarium, Campsorum quoque, & quorumuis Mercatorum, ac Pensionum annuarum super fructibus, redditibus, & prouentibus Ecclesiasticis assignatarum, etiam si eatum solutio non in ipsa Curia, sed in partibus sit facienda.

Causarum in Curia motarũ appellationũque hic indicatarum.

§.8. Et quascumque alias etiam cõmissarias causas, tàm ciuiles, quàm criminales, & mixtas, & cõiunctim, vel diuisim in eadem Curia quomodocumque, & qualitercumq; motas, & mouendas, & inter quascumque partes, etiam per viam inquisitionis, aut ex officio quomodolibet pendentes. Ac quæ per appellationem à grauaminibus illatis, & conferri comminatis, seu sententiis definitiuis, vel interlocutoriis, à quibusuis Iudicibus ordinariis, & arbitris, atque arbitratoribus in Curia, & Vrbe prædictis (Vicario nostro, ac Gubernatore, & Senatore Vrbis prædictę, & Iudicibus Capitolinis, dumtaxat exceptis) & extrà eas à quibuscumque Iudicibus, ordinariis, vel delegatis, seu arbitris, vel arbitratoribus, ac etiam dictæ Sedis Legatis, & eorum Vicelegatis in terris eidem Ecclesiæ Romanæ mediate, vel immediate subiectis, aut aliis earum Gubernatoribus, vel Officialibus, & quibusuis in feudum, vel Vicariatum, aut alias quomodolibet concessis, pro tempore latis, & promulgatis, interpositarum, seu alias ad eamdem Sedem, etiam per viam reclamationis iudicialis, vel extraiudicialis, aut nullitatis, vel recursus hactenus deuolutæ sunt, & in posterum deuoluentur.

Summarie proceden. in causis Mercatorum Notariorum, & 200. ducat. & inf.

§.9. Eas videlicet, in quibus non agetur vltra summam ducentorum ducatorum auri de Camera, aut de re verum summæ prædictæ valorem non excedente, seu quæ inter, & contra Mercatores dictæ Curiæ, pro quibuscumque negotiis, ad quamcumque summam ascendant, & inter, ac contra Notarios suos, & eorum familias, pro tempore vertentur, summarie simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, sola veritate inspecta, etiam manu Regia, & absque obseruatione terminorum, qui de stylo, seu ordinatione Palatij Apostolici, aut alias obseruari consueuerunt.

Alias autem seruatis terminis.

§.10. Alias vero dictam summam, aut illius valorem excedentes, & inter, ac contra alios quam Mercatores vertentes, seruatis terminis, & alias summarie, prout in beneficialibus; eisdemque terminis quomodocumque male, & nulliter, præpostere, ac inculcate tentis, pro minori partium dispendio etiam vnico contextu, citatione, & audientia reiteratis, etiam per affixionem citationum pro tempore faciendarum ad valuas habitationis ipsorum citandorum, quoad obligatos in forma Cameræ, & quoad alios aliter obligatos, vbi non agetur de maiori quam viginti ducatorum summa audire, cognoscere, decidere, & fine debito terminare.

Causas criminales Vrbis, & omniũ exemptorum cognoscendi.

§.11. Necnon de omnibus, & singulis criminibus, excessibus, & delictis, tàm in Vrbe, & Curia præfatis, quam extra eas per quoscumque, tàm eiusdem Sedis Officiales, quàm dictam Curiam sequentes, & alios etiam à iurisdictione Ordinariorũ exẽptos, & prædictæ Sedi immediate subiectos, cuiuscumq; Ecclesiasticæ, vel mundanæ dignitatis, etiam Episcopalis, vel maioris, & per quoscumque alios cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, perpetratis, vel perpetrandis, tàm ad Procuratoris Fiscalis denunciationem, & promotionem, quàm etiam partium accusationem, vel etiam instigationem, seu ex mero officio inquirere, & super illis, tàm per viam inquisitionis, quàm accusationis, seu denunciationis, & instigationis huiusmodi procedere, & culpabiles repertos iuxta suorum excessuum exigentiam, & qualitatem punire, dummodo monitoria contra Episcopos, vel eorum Superiores, ad comparendum, personaliter, nisi præuia commissione manu nostra signata, non decernas.

Literas Apostol. exequẽdi.

§.12. Necnon quascumque literas Apostolicas, generales, aut particulares, tàm sub plumbo, etiam per officium Audientiæ literarum nostrarum contradictarum expeditas, quàm in forma breuis, & quarum solam signaturam sufficere concessum fuerit, supplicationes per nos, & pro tempore existentes Romanos Pontifices aut in eius, seu nostri præsentia signatas, necnon literas pro tempore existentium Camerarij, & Pœnitentiarij Maioris nostrorum, dummodo in illis, & literis Apostolicis prædictis alij executores deputati non fuerint, solus, in quibus vero executores deputati erunt, accumulatiue cum illis exequi, & super illis processus debitos in forma solita, etiam cum promulgatione censurarum in similibus promulgari solitarum decernere.

Sententias in Curia lata à Iudicibus hic non exceptis exequendi, & pariter prælusis Cœnæ Domini, &c.

§.13. Ac tuarum, & per tuos Locumtenentes, seu quosuis alios, tàm Ecclesiasticos, quàm sæculares Iudices, & tàm delegatos, quam subdelegatos, & etiam causarum dicti Palatij Apostolici Auditores, vel nos, aut Rom. Pont. pro tempore existentes, tàm in specie, quàm in genere, ac alios quomodolibet in eadem Curia pro tempore latarum sententiarum. Necnon quorumcumque processuum generalium, & specialium, tàm in die Cœnæ Domini, quàm alias cum censurarum, & pœnarum Ecclesiasticarum fulminatione fieri solitorum executiones, quas etiam si delegatis, aut subdelegatis prædictis, vel quibusuis aliis etiam specialiter per nos, & Sedem prædictam commissæ fuerint, tibi Auditori accumulatiue, & non priuatiue commissas esse volumus, & decernimus, seruatis terminis in tribunali Auditoris huiusmodi seruari solitis, & etiam singulis diebus, & horis, prout in ordinariis consuetum erat facere, illasque & illos debitæ executioni, etiam si opus fuerit cum auxilij brachij sæcularis inuocatione demandare.

Causas vltra 200. ducatorũ in Curia cognoscen.

§.14. Et quascumque Communitates, Vniuersit. Collegia, & Capitula, necnon extra d. Curiam degentes personas, pro debitis per eos in eadem Curia contractis, aut salario, seu contractu in dicta Curia inito.

Curialium-que.

§.15. Degentes vero in eadem Curia, seu Curiales Ecclesiasticos, sæculares, vel regulares, etiam ab ipsa Curia absentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, etiam Pontificalis, conditionis, vel præeminentiæ existẽtes, pro quibusuis rebus, & pecuniarum summis ad quorumuis etiam absentium, quorum pro tempore intererit, instantiam, quoties expedierit, etiam per edictum publicum, constito summarie, & extraiudicialiter de non tuto ad eos accessu, ad satisfaciendum de eorum debitis, & præstandum ea ad quæ pro tempore tenebuntur monere, & citare.

Remissorias & compulsoriales dandi.

§.16. Ac literas quascumque remissoriales, & compulsoriales, & tàm general. quam special. vbi & quoties opus fuerit arbitrio tuo decernere.

In vim Bullæ Eug. & Leoninæ Curiales tuendi.

§.17. Necnon etiam in vim Bullæ Eugen. in fauorem Curialium emanatæ, & Leoninæ, necnon cuiuscumque alterius extensionis inhibere.

Monitoria & cit. ad partes decernendi.

§.18. Ac monitoria, & citationes, ac inhibitiones ad partes etiam per simile edictum decernere, eos quoque arrestare, & incarcerare. Et si tibi videbitur, pœnas, & mulctas dimittere, & relaxare, ac pro delictorum, excessuum, & criminum qualitate eis (citra tamen mortem, & membri mutilationem) per te, & tuos Locatenentes infligere, & imponere.

Censuras promulgan.

§.19. Necnon quoslibet inobedientes excommunicare, à diuinis suspẽdere, generaliter & specialiter interdicere, ac sentẽtias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas per te, tuosque Locatenentes pro tempore latas, etiam iteratis vicibus, aggrauare. Et quod à te, vel Locatenentibus prædictis pro tempore excommunicati, seu alias censurati, ab aliis quam

Digitized by Google

quam à te,vel eisdem Locatenentibus prædictis,etiam de partium consensu præterquã in mortis articulo cõstituti, absolui non possint, ad euitandas collusiones statuere.

Absolutiones dandi.

§.20. Et cum tibi visum fuerit expedire, Communitates, Vniuersitates, Collegia, Capitula,& personas quascumque à quibusuis sententiis, censuris, & pœnis, ac mulctis Ecclesiasticis, spiritualibus & temporalibus, per alios videlicet quàm per te,& dictam tuam Curiam inflictis,in diebus Paschalibus cum reincidentia absoluere,ac sententias,censuras, & pœnas, ac mulctas huiusmodi, & quæcumq; interdicta suspendere,tollere,& eis relaxare.

Oblig. contra hæredes, exequendi.

§.21. Necnon obligationes in forma Cameræ huiusmodi, etiam post mortem debitoris, quoad illius bona tantum, etiam per vim confessionis debiti, per aliquem ex procuratoribus in qualibet obligatione constitutis more solito faciendæ & hæredibus legitime citatis seu alias arbitrio tuo exequi, & executioni demandari facere.

Et alia omnia consueta facienda.

§.22. Et generaliter omnia & singula alia quæ ad officium Auditoris Curię causarum huiusmodi de iure,vel ex priuilegio,aut vsu,seu literis,& consuetudine prædictis, olim spectabant,& quæ illi qui pro tempore fuerunt Curiæ causarũ huiusmodi Auditores, ex concessis eis facultatibus facere, decernere, mandare, statuere, ordinare, & exequi quomodolibet poterant, seu consueuerant, facere,dicere,mandare,statuere,ordinare, & exequi. Habituri ratos & gratos,processus & sententias quos & quas,tu & tui Locaten.prædicti pro tẽpore habueritis & tuleritis,ac reliqua omnia,quæ in præmissis, & circa ea,ac quodlibet eorũ feceritis,dixeritis,mãdaueritis,statueritis, ordinaueritis,ac facturi ea omnia,auctore Domino in omnibus vsque ad satisfactionẽ condignam,inuiolabiliter obseruari.

Confirmatio omniũ facultatum & indultorum.

§.23.Et insuper eisdem auctoritate,& potestatis plenitudine,tàm Iulij I I. Leonis X. & aliorum prædec.huiusmodi literas,quam omnia & singula priuilegia, indulta, facultates,iurisdictiones,& gratias, officio Auditoriatus, & Auditoribus prædictis quomodolibet concessa,ac cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis, singulas desuper confectas literas, quarum omnium & singularum literarum prædictarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus haberi volumus pro expressis, approbamus, & confirmamus, ac innouamus, necnon perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inuiolabiliter obseruari debere decernimus, illaque omnia & singula ad officium Auditoriatus,& Auditorem pro tempore existentem, perinde ac si in eis specialiter & expresse concessa,& pro eis, seu in illorum fauorem, statuta, & ordinata fuissent, extendimus, & ampliamus.

Facultas incessionibus bonorũ & discussionibus.

§.24.Quodq; cap.Odoardus,& cap.Peruenit.ac quæuis alternatiuæ,seu moratoriæ,& dilationes etiã salinariæ,per quoscumq; etiã eiusdem R.E.Card.pro tempore decretæ, obligatis in forma Cam.quoad bona,nullatenus prosint. Quinimo obligationes in forma Cam.quoad bona tantũ, debitæ executioni demandentur, etiam post mortẽ debitoris,non obstante quacumq; appellatione,& superinde obtenta cõmissione de huiusmodi obligatione expressam mentionẽ non faciente,aut discussione hæreditatis vbilibet pendẽte,si per creditores data fuerit idonea cautio in forma depositi,de restituendo id quod receperint,prioribus,& potioribus creditoribus,in euentũ succumbentiæ.

Tu vide Bullam S. D. N. Pauli V. cis. in rub.

Locus A.C. in Capella Papæ.

§.25. Quodque tu in Capella,& reliquis actibus, tam publicis,quam priuatis, primum locum post Gubernatorem, & Oratores Principum, si Prælati fuerint, habeas, tibi indulgemus, ac volumus, & statuimus.

Executorum deputatio.

§.26. Mandantes,& districtius inhiben. quibusuis Iudicibus, &c.

Clausula præseruatiua.

§.27.Decernentes præsentes literas,ac in eis contenta quæcumque sub quibusuis reuocationibus,suspensionibus, & alterationibus, &c.

Decretum irritans.

§.28.Et ita per quoscumq; Iudices,& Cõmissarios,&c.

Clausula derogatoria.

§.29. Non obstantibus præmissis, & si opus sit de non tollendo iure quæsito,ac quibusuis aliis cõstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,ac statutis,cõsuetudinibus, etiã iuramento,confirmatione Apostolica,vel quauis,&c.

Fides transumptorum.

§.30. Quodque præsentium transumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, seu &c. Nulli ergo, &c.

Tax. P. A. 2. d. 8 May.

Dat.Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1561.Kal. Maij, Pont. nostri Anno 2.

XXXIV. Iurisdictio Senatoris, Collateralium, & aliorum Iudicum Curiæ Capitolij Almæ Vrbis.

Circa istam iurisdictionem habes sup. Iulij I I. const. 28. Decet. ac Leon. X. const. 1. Dum singularem. Sed plenam & distinctam dispositionem vide in nouis Statutis, per totum, & signanter lib. 1. c. 41. quorum confirmationem videre est in const. 61. Greg. X I I I. Vrbem. Et declarationem quoad Consules Artium Vrbis, habes in eadem bulla.

PIVS PAPA IV. Motu proprio, &c.

Edita An. D. 1561.

DIlectos filios Senatorem,Cõseruatorem, Populumque Rom.specialibus fauoribus,& gratiis prosequi volentes,omnimodam & integram(prout illis per fel.rec. Sixtum IV.Iul.I I.Leonem X.Paulum I I I.& alios Rom. Pont. prædecessores nostros alias concessa fuit) iurisdictionem,causarumq; inter ipsos,ac etiam & inter Romanos,& incolas pro tempore motarum cognitionẽ,& decisionem totalem Cur.Capitolij Romani,ita quod in prædictis,& aliis causis,obligationibus, etiam in forma Cam. Apost. in quibus videlicet per alios Iudices præuentum non sit,aliisq; quibusuis differentiis, & actionibus inter ipsos Romanos,ac eorum aliquem, vel aliquos deinceps orituris & mouendis, nullus præter Senatorem, & ipsius Capitolij Iudices pro tempore existentes,seu priuilegiorum Apostolicorum,aut consuetudinum,seu quouis alio prætextu intromittere possit, etiam dictorum prædecessorum concessiones huiusmodi, literasque & alias desuper confectas scripturas approbantes, confirman. & innouan. literarumque & scripturarum earumdem tenores præsentibus pro expressis habentes, auctoritate Apost. ex certa scientia,&c.perpetuo concedimus,& indulgemus.

Romanorũ & Incolarũ Vrbis indultum fori Capitolini etiã in obligationibus Cameralibus vbi A. C. non præuenit.

Derogatio facultatũ aliorũ Iudicum in his causis.

§.1. Ac Senatorem, Conseruatores, & Populum Rom. Curiamque & Iudices Capitolinos præfatos, quoad iurisdictionem huiusmodi,aduersus quascumque aliis Almæ Vrbis Tribunalibus, & Magistratibus, etiam Regent. Cameræ, Gubernatori, & nostro Vicario quomodolibet etiam consistorialiter concessas facultates,& alias contrarias dispositiones in pristinum, & eum in quo ante illarum concessiones quomodolibet erant statum restituimus,reponimus, & plenarie reintegramus, ac facultates, & alias dispositiones contrarias huiusmodi ad hunc effectum per præsentes reuocamus,cassamus,& annullamus.

Chirurgi, vel hic vel coram Gub. crimina referant.

§.2. Et insuper ne delicta remaneant impunita, quod Chirurgi, Barbitonsores, & alij vulnerum, aliorumque criminum notitiam habentes, illa ad Curiam Capitolij huiusmodi iuxta ipsius Senatoris desuper proponenda edicta & sub pœnis inibi apponendis,aut ad Curiam Gubernatoris iuxta solitum deferre teneantur.

Null. tres attendantur. Imo seruatur Stat. cit. in rubr.

§.3. Quodque pro celeriori causarum expeditione, in eadem Curia Capitolina nullitatum nulla ratio habeatur nisi earum quæ ex iurisdictionis, citationis, vel mandati defectu prouenient.

Feria quæ seruande. Tu eas vide lib. 1. cap. 58. Statuti.

§.4. Et ne feriarum accumulatio causarum expeditionem in longum protrahat,sublatis de medio ceteris feriis voluntarie, per vsum, vel alias, non tamen in honorem Dei introductis, obseruatio tantum coërceatur ad ferias in antiquis Statutis expresse descriptas.

Assertamenti quomodo fiat, aliquo ex Iudicibus absente infirmo vel recusato. Vide Stat. lib. 1. c. 11. & 12.

§.5. Ac etiam Statuta de assertamentis loquentia declarantes,quod assertamentum peti non possit nisi in casibus,& articulis,quorum grauamen per definitiuam reparari non valeat,qui ex Statuto sub Rub.de Appell. non recipiendis, lib.6. positi colliguntur, nec in causis summam 10.ducat. non exceden. in aliis vero causis è decem supra in litis contestatione dumtaxat peti possit, & hoc arbitrio Iudicis, in definitiuis autem, vel interlocutoriis vim definitiuæ habentibus sententiis Iudex causas huiusmodi in assertamentis proponere,aliis in contrarium loquentibus Statutis non attentis omnino teneatur.

Assertamenti vtrum quãdo peti possit. Vide cap. 76. lib. 1.

§.6.Et præterea quod si vnum ex Iudicibus Curiæ huiusmodi abesse,vel ægrotare,aut suspectũ iurari cõtigerit, assertamentum per tres reliquos præsentes Iudices fieri possit, quorum vnus in loco ægrotantis, vel absentis Iudicis ad tribunal. pro interlocutoriis faciendis sedeat, & super incidentiis, emergentibus & dependen. vsque ad sententiam definitiuam exclusiue prouideat, etiam perpetuo statuimus,& ordinamus.

§.7.Nec

Digitized by Google

Clauſula præſeruatiua.

§.7. Necnon Senatorem, Conſeruatores, Populũ, & Curiam prefatos ad antiquam eorum iuriſdictionem, vt premittitur reſtituros, & plenarie reintegratos eſſe. Ac præſen. & in eis contenta quæcumque valida, & efficacia fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & inuiolabiliter obſeruari debere, nec de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis noſtræ defectu quouis quæſito colore, prætextu, vel ingenio nullatenus notari, vel impugnari, nec per nos, vel Sedem Apoſt. vllo vmquam tempore reuocari aut alias illis derogari poſſe. Et ſi ac quoties illa reuocari, aut alias illis derogari contigerit, toties in priſtinum ſtatum reſtitui, & de nouo etiam ſub poſteriori data per ipſos Senatores, & Conſeruatores eligenda, conceſſa, & ſtabilita eſſe.

Decretum irritans.

§.8. Et ſic per quoſcumque Iudices, & Commiſſ. etiam S.R.E. Card. &c. ſublatata eis quauis aliter interpretandi, &c. facultate iudicari, & definiri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus.

Clauſula derogatoria.

§.9. Non obſtan. prmiſſis, ac conſtitutionib. & ordinationib. Apoſt. Statutis, &c. etiam Palatij Apoſt. Curiarumque Vrbis ſtylis necnon priuilegiis, indultis, & literis Apoſt. quibuſuis Rom. Curiæ Tribunalibus Curiis, Magiſtratibus Iudicibus & aliis perſonis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis etiam Motu ſimili, etiam conſiſtorialiter conceſſis, &c. quibus omnib. illorũ tenores præſentib. pro ſufficienter expreſſis habentes hac latiſſime derogamus. ceteriſque contrariis quibuſcumque cum clauſulis opport.

Papa ſubſcr.

Placet Motu proprio. I.

Clauſularum repetitio.

§.10. Et cum abſolutione à cenſuris ad effectum, &c. Et cum approbatione, confirmatione, innouatione, conceſſione, indulto, reſtitutione, repoſitione reintegratione, reuocatione, caſſatione, annullatione, ſtatuto, ordinatione, decreto, & derogatione præmiſſis, vt ſup. perpetuo. Et quæ ſola præſen. ſufficiat ſignatura, & vbique etiam in Iud. fidem faciat, regula contraria non obſtante, ſeu ſi videlicet literæ deſuper per Breue noſtrum, etiã cum literarum prędeceſſ, prædictorum, & inde ſequutorum ten. aliorumque neceſſariorũ maiori, & veriori expreſſione expediri poſſint.

Limitatio priuilegij fori in tribus caſib. Alius vide l. 1. Sec. c. 41.

§.11. Et quod ad obligationes in forma Cameræ ſeruetur forma ipſius obligationis, vt ſi ſit in poteſtate auctoris, vel creditoris conuenire debitorem ſuum Romanum, vel incolam laicũ non ſolũ coram Regente, vel Auditore Cam. ipſarum obligat. Iudice ordinario, ſed etiam in Cur. Capitolij. Quoad reliquas vero cauſas ciuiles non tamen Fiſcales poſſit reus Romanus, vel incola declinare quodcumque aliud forum, & petere ſe remitti ad Cur. Capitolij, niſi alterius Iudicis iuriſdict. prorogauerit, aut in eum tacite, vel expreſſe conſenſerit, & aliter facti reaſſumptiones vel inhibit. prædictam Cur. Capitolij nullius ſint roboris, vel momenti.

Sequitur declaratio d. conſt reſpectu Iuriſdictionis Gubernat. Vrbis.

PIVS PAPA IV. Motu proprio, &c.

Cauſa conſtit.

NE per præinſertum Motum proprium aliquod præiudicium bono, & pacifico regimini Almæ Vrbis noſtræ, quæ in præſentiarum vener. fratri Hieron. Epiſcopo Sagonen. per nos commiſſum extitit, inferatur.

Præſeruatio Iuriſdictionis Gubernatoris.

§.1. Decernim⁹, & declaramus intẽtionis noſtræ minime fuiſſe nec eſſe, quod per Signaturã præinſerti Motus prop. prædicti in aliquo iuriſdiction. & facultatibus eiuſdem moderni, ac pro tempore exiſtentis Gubernatoris, præſertim circa bannimentorum editiones, ac cognitiones cauſarum criminalium Mercedem, & pauperum, vel alias miſerabilium perſonarum, ac alias quaſcumque cauſas ſibi, aut aliis Gubernatoribus, & eius officio per quoſcumque Rom. Pont. prędeceſſ. noſtros tàm contra Ciues Romanus, quàm alios quoſcumque quomodolibet conceſſ. in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi dictus præinſertus Motus proprius minime ſignatus nec à nobis emanatus fuiſſet, minime præiudicetur, nec præiudicatum eſſe intelligatur. Et ſic per quoſcumque, &c. Sublata, &c. Irritum quoque, &c. ſolamque præſentis Motus proprij noſtri Signaturam in iudicio, & extra ſufficere, ac fidem facere regula contraria non obſtante ſimiliter decernimus, & declaramus.

Quibuſcumq; non obſtantib.

§.12. Præinſerto Motu proprio ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque, priuilegiorum, & facultatum eidem, ac pro tempore exiſtenti Gubernatoti, & eius officio conceſſ. tenoribus, &c. pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, & quæ & quas per præſentes innouamus.

Placet Motu proprio. I.

Papa ſubſcr.

Extenſio conſtitutionis Pauli III. circà cauſas ciuiles intereſſe Fiſci Cam. Apoſt. concernentes, in eadem Camera cognoſcendas. XXXV.

Hanc Bullam Pauli III. habes ſupra Non ſine. Et conſonat, huius Pontificis altera bulla 55. Romanus. Et ante eos, hoc idem ſtatuerat Vrb. VI. ſup. in eius conſt. I. Apoſtolicæ.

PIVS PAPA IV. Motu proprio, &c.

Edita An. D. 1561. Paulus III. auocauit ciuiles cauſas ſui Fiſci intereſſe concernen. & illas, ac alias mouendas, in Cam. Apoſtol. cognoſci mandauit, vt in eius conſt. cit. in rubr.

CVm, ſicut accepimus, licet Rom. Pontt. prædeceſſ. noſtri, pro cauſis ciuilibus Fiſcum noſtrum tangen. proprium tribunal. Camerarij, ac Præſidentium Cam. Apoſt. maximis rationib. & non modico eiuſdẽ Cameræ diſpendio, vt cauſæ præfatæ per prefatos pro tempore Præſidentes in Cam. Apoſt. vbi & Procurator Fiſci noſtri Apoſt. interuenit, diſcutiãtur diſputẽtur, & notẽtur, vtq; ipſe Procur. Fiſci noſtri nõ cogatur pro cauſis Fiſcũ, vt præfertur, tangen. cum nõ modica eius ab occupationibus ſui officij diſtractione, & non ſine etiã indignitate Officij, quod loco præfati Cæſaris ſucceſſit, & illius priuilegio in dictis cauſis vtitur, ſaltẽ ratione interuentus ſui in Camera, dum ipſæ cauſæ inibi diſcutiũtur, & notãtur, & ſel. rec. Paul. III. prædeceſſor noſter, tẽpore ſuo, iſta ratione per præinſertũ eius Motũ proprũ dictas cauſas Fiſcũ tãgen. extra Camerã coram aliis Iudicibus & tribunalib. Vrbis inter Fiſcum, & priuatum commiſſas, vel aliter cœptas, ſiue in petitorio, ſiue in poſſeſſorio, ac quibuſuis ſtatu, & terminis, etiam ſi inſtructæ fuerint, ad ſe auocauerit, & eidem Camerario, & Præſidentibus, ac in proprio tribunali commiſerit necnon etiam in futurum committendas, vel alias incipiendas illas ſimiliter, abſque alia pro tempore Rom. Pont. ſignatura, vel mandato, propria eorum auctoritate ad ſe auocan. & reaſſumendi, liberam facultatem conceſſit.

Multi tamen prætendebant cõſt. Pauli nõ procedere, quando Fiſcus in intiſdictionem alterius Iudicis cõſtituebatur, vel eius intereſſe ſecũdario delegaretur in cauſis inter alios vertentibus. Elic igitur Pãt: extendit dictã conſtitutionẽ etiam ad illos caſus.

§.2. Cumq; (ſicut accepimus) non deſint, qui poſt reaſſumptionem in Cam. Apoſt. vt prefertur, facta cõtra Fiſcũ, in ſignaturis adhuc ad alios Indices trahere conantur diuerſis prętextibus, ac pręcipuè quando pro tẽpore Procuratores Fiſcal. corã aliis Iudicib. aliquando per incuriã, vel multiplicitatẽ negotiorũ, proprij in hoc priuilegij fori nõ memores, agere vel reſpõdere, vel alias in Iudices nõ ſuos cõſentire cœperũt, ac etiã quãdo in proceſſu cauſarũ inter priuatos, intereſſe Fiſci detegitur principal. vel ſecũdariò.

§.3. Nos attenden. quod priuilegiũ fori Fiſco conceſſũ, cõcernit publicũ, & quod iſta ratione idẽ Paul. prædeceſſor cauſas inter Fiſcum, & priuatũ, etiã alibi inſtructas, per præinſertũ motum proprium auocauit, & quod quandocumq; etiã in cauſis quæ inter priuatos agũtur, detegitur Fiſci intereſſe, ſiue principaliter, ſiue ſecundario, idẽ Fiſcus debet gaudere ſui fori priuilegio, & alios trahere, & non trahi, Motu ſimili, ex certa ſcientia hæſitationes, & difficultates huõdi ſubmouere, ac etiã Fiſco noſtro, & illius pro tẽpore Procuratoris incommoditati, ac indignitati occurrere cupientes, & deben. Motu ſimili, ac ex certa ſciẽtia præinſertum Motũ proprũ, tàm quoad iam alibi, etiã in Rota, & Motu proprio cõmiſſas, & alias cœptaſq; in poſterum cõmittẽdas, vel alias incipien. cauſas, innouamus. Declarantes. illum extendi & quatenus opus ſit, extendentes, etiã ad cauſas, in quib. Procurator Fiſci agendo vel defendendo, corã aliis iudicibus, & tribunalib. comparendo, vel alias conceſſiſſet, & illorum iuriſdictionem prorogaſſet, ac etiã vbi intereſſe Fiſci, ſiue principaliter, ſiue ſecundario in cauſis iam inter priuatos cœptis, detegeretur, dũmodo ſit intereſſe ciuile, & duminodo cauſæ huiuſmodi, etiã quod in illis vertatur intereſſe Fiſci, nõ ſint per cõmiſſiones manu noſtra propria, ſcientes de intereſſe Fiſci aliis Iudicib. & tribunalibus, cum ſpeciali, & expreſſa præſentis Motus proprij derogatione, cõmiſſæ non fuerint, quas nolumus præſentibus eſſe comprehenſas, ſed ſemper excepta.

Cameralibuſque dat cognitionem omniũ cauſarũ à Papam et alibi non cõmiſſarum.

§.4. Dantes, ſaluis præmiſſis, eiſdem Camerario, & Præſidẽtibus plenariam, & liberam facultatem, & auctoritatem, prędictis, & aliis quibuſuis inhiben. fuerit in Rom. Curia, & extra eã, & ſub cẽſuris, & pœnis, etiã quoad cauſas ſimi-

Digitized by Google

les in futurum extra Cameram committendas, propria eorum auctoritate, siue alio nostro mandato, nec signatura, inhiben. & in causis huiusmodi, non obstan. quibuscumque signaturis, & inhibition. hactenus factis, & in futurũ facien. nisi commissiones in futurum præsentandæ, manu nostra cum præsentium de verbo ad verbum insertione, & illarum derogatione signatæ fuerint, procedendi, citandi, declarandi, aggrauandi, reaggrauandi, interdictum ponendi, auxiliumque brachij sæcularis inuocan. ceteraque alia facien. dicen. geren. & exequen. quæ in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna fuerint.

Clausula derogatoria.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Cam. Apost. clausulis statutis, & consuetudinib. ac reformationibus, etiam iuramento, &c. roboratis, priuilegiis quoq; indultis, & literis Apostolicis, quibus (illorum tenores, causas, & effectus pro expressis, & insertis haben. & exprimi, ac de verbo ad verbum inseri posse decernen.) latissime derogamus ceteriſq; contrariis quibuscũq; cum clausulis opportunis, & cõsuetis.

Sola signatura sufficit.

§. 6. Volentes præsentium solam signaturam sufficere, & vbique tàm in iudicio, quàm extra fidem facere, absque alia literarum expeditione, seu quod literæ in forma breuis ad perpetuam rei memoriam, cum maiori, vera, & ampliori specificatione omnium, & singulorum præmissorũ, & circa ea necessariorũ, latissime exten. adeo quod contraria quæcumq; penitus, & omnino tollãtur, & non obstent.

Papæ subscr.

Placet Motu proprio. I. Die 26. Iulij. 1561.

Præsentetur B. Amerin. Regens. Andreas Panizza, Mag. Curs. Præsentatus per Iulium Parinum Cursorem.

D. P. An. 2. die 26. Iulij.

XXXVI. Inquisitorum hæreticæ prauitatis facultas, eligendi, & creandi in Notarios quoscumque etiam Clericos sæculares, & regulares, in causis Inquisitionis.

Tu scias quod Alexand. IV. sup. in eius constit. 22. Ne commissa. hoc idem concessit, quoad Clericos, qui in sæculo Notariatus officium habuerant.

Edita An. D. 1561.

P I V S E P I S C O P V S, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

PAstoralis officij cura meritis licet imparibus nobis ex alto commissa, nos assidue incitat, & inducit, vt vigiles solicitudinis nostræ oculos diligenter circumflectamus, ad eaque potissimum nostræ prouisionis remedia adhibeamus, per quæ sancta, & Catholica Fides, vbique prout debet conseruetur, & augeatur, improbique Hæretici illius impugnatores, quoad fieri potest debite compescantur, & comprimantur.

Causæ huius constit.

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Inquisitorum, & Commissariorũ hæreticæ prauitatis in diuersis Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, Insulis, & aliis Christiani Orbis partibus deputatorum, nobis nuper expositum fuit, quod ipsi in causis sanctæ fidei aduersus eosdem Hæreticos prosequendis, personis probatis, & idoneis, quæ officio Notarij in eis fungantur plurimum indigere noscuntur, vnde officio ipsius Inquisit. tum propter ipsorũ Notariorum penuriam, tum quia pleriq; officiũ huiusmodi tãquã odiosũ exercere recusãt, ne illud suscipiẽdo quẽquã offendere videãtur, magnũ incõmodũ, & detrimentũ generatur.

Facultas Inquisitorum de qua in rubr.

§. 2. Nos igitur nostræ vigilantiæ curã adhibere, in præmissisque opportune prouidere volentes, omnibus, & singulis hæreticæ prauitatis Inquisitoribus, & Commissariis in quibusuis Regnis, & Dominiis, Prouinciis, Ciuitatib. insulis, etiam Græciæ, ceterisque Terris, & locis in quibus Christiana Religio colitur, constitutis, & quomodolibet pro tempore deputatis, quod quotiens eis expedire videbitur, vnum vel plures, etiam Clericos sæculares, vel quorumuis Ordinum Regulares, qui sibi sufficiẽtes, & idonei visi fuerint, in quibuscumq; causis sanctæ Fidei, & Inquisitionis huiusmodi in Notarios eligere, assumere, & creare, eosque ad officiũ Notariat. causarũ prædictarũ deputare, ipsiq; sic electi, & deputati, acta quæcũq; & processus causarũ ipsarũ diligẽter, & fideliter describere, & annotare, ceteraq; omnia ad id quomodolibet necessaria, & opportuna facere, gerere, & exercere, libere, & licite possint, & valeant, plenã, & omnimodã, auctoritate Apostolica, tenore præsẽtium facultatẽ, & potestatem concedimus, & impartimur.

Derogatio cõtrariorum.

§. 3. Non obstantib. quibusuis cõstitutionib. & ordinationib. Apost. necnon quarũuis Ciuitatũ, & Terrarũ, etiam iuramẽto, cõfirmatione Apost. vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & cõsuetudinib. priuilegiis quoq; indultis, & literis Apost. illis, & quibusuis Notariorũ Collegiis, etiã per Sedẽ Apost. quomodolibet concessis, quib. omnib. eorũ tenores præsẽtib. pro sufficiẽter expressis habẽtes, illis alias in suo robore permãsuris, hac vice dũtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceteriſq; cõtrariis quibuscũq.

Fides transumptorum.

§. 4. Volumus autem, & eadem auctoritate Apost. decernimus, quod quoniam difficile admodum esset præsentes nostras literas ad singula quæque loca vbi opus foret deferri, earumdem præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo Officij Inquisit. Almæ Vrbis nostræ munitis, eadem prorsus fides, in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 2. die 17. Aug.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1561. Kal. Septemb. Pont. nostri anno secundo.

XXXVII. Approbatio Confraternitatis, & Hospitalis sub inuocatione B. Mariæ de Pietate nuper in Vrbe instituti, ad egenos dementes charitatiue recipiendos, & curandos. Cum facultate alias eiusmodi Confraternitates extra Vrbem, cum Indulgentiarum participatione erigendi.

Formam in aliis Confraternitatibus erigendis, vel aggregandis, tradidit Clem. VIII. in constit. 115. Quæcumque. Quo vero ad Indulgentias, attende reformationem, nunc edendam à Paulo V.

Edita An. D. 1561.

P I V S E P I S C O P V S, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

ILlius qui pro Dominici saluatione gregis, in ara Crucis, in pretium immolari non abhorruit, quique inter alia sibi beneplacita, opera charitatis exercere præcepit, vices licet immeriti gerentes in terris, curis angimur assiduis, & continua meditatione pulsamur circa quæcumq; pia opera, & Christifidelium deuotione ordinata, vt firma perpetuo, & illibata persistant, omni studio intendere, & vt ad ipsa Christi fideliũ vota facilius cõcurrant, fideles ipsos, quibusdã spiritualibus, & allectiuis munerib. libenter prosequimur, ac eorum pia suffragia donis cælestib. confouemus, vt exinde reddantur diuinæ gratiæ aptiores, & in eis charitatis deuotio in dies peramplius augeatur.

Instituta fuit in Vrbe Confraternitas B. Mariæ de Pietate, ad egenos mentis inopes, educandos atque curandos, &c.

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Confratrum Confraternitatis Christifidelium, sub nomine pauperum aduenarum instituta petitio continebat, quod alias nonnulli Christi fideles in Alma Vrbe degentes Dei spiritu (qui vbi vult spirat) ducti, ac zelo pietatis accensi, memoresq; illius Prophetæ dicentis: Egenos, & vagos induc. in domum tuam, & carnem tuam ne despexeris. Quodque hospitalitas Apostolicis doctrinis maxime commendabatur, pariterque considerantes, multos pauperes, pruinæ, & frigoribus expositos per cryptas, & ruinas dictæ Vrbis iacere, & interdum maxima, & extrema frigoris calamitate, & fame perire, ac viden. etiam quosdam alios pauperes, mentis inopes, Christianorum omnium maxima miseratione dignos, qui rationis orbati iudicio, nudi per dictam Vrbem ambulabant, vniuersis ludibriis, & plagis, aliisq; vitæ calamitatibus, animarumque salutis periculis expositos esse; & nulla receptacula in dicta Vrbe existere, ac cupientes, hos & illos ab eorum miseriis eximere, vnam domum sitam in regione Columnæ de dicta Vrbe eorum industria quæsitam, & suis sumptibus extructam, & aptatam, primo pauperibus aduenis hospitan. deputauerint, lectisque & suppellectilibus, ac rebus aliis conquisitis ad vitæ vsum necessariis munierint, & inibi pauperes aduenas benigne recipi, eorumque pedes lauari, ac diebus aliquot iuxta cuiuscumque indigentiam cibari, pariterque fidei Christianæ rudimenta per Capellanum eorum ministrum, ignorantes ac simplices docere, & ad peccatorum suorum confessionem faciendam, & sacram Eucharistiam sumendam hortari curauerint, prout etiam ad præsens curant. Quodque in eadem domo vnum Oratorium sub inuocatione B. Mariæ de Pietate, Apostolica

Digitized by Google

torium sub inuocatione B. Mariæ de Pietate, Apostolica auctoritate interuenien. extruxerunt, & ornarunt, vbi sacra Eucharistia in sacrario decenter seruatur,& quotidie Missa celebratur, locusque luminaribus semper accensis illustratur,ac pro manutenenda inibi hospitalitate,vnam Cõfraternitatem Christi fidelium Pauperum Aduenarum nuncupatam, dicta auctoritate erexerunt,& instituerunt, ac in dicto Oratorio in prima cuiuslibet mensis die Dominica dictæ Confraternitatis Confratres, Christi Corporis viatico reficiuntur, nec his pietatis operibus contenti, sed pia piis operibus cumulantes, ipsos pauperes, mentis inopes, per dictam Vrbem,vt præfertur,vagan.ad eandem domum deduxerunt, & ad illorum insanian curandam operam Medicorum adhibere cœperunt, animis geren. supradictam hospitalitatem aduenarum prosequi, & in sanandos,curandosque dementes prædictos, eorum facultates,iunctis aliorum Christifidelium eleemosynis se extendere posse,ac quod pro dictæ Coufraternitatis salubri directione, & augmento nonnulla statuta, & ordinationes ediderunt, necnon dilectum filium nostrum Bartholomæum tt.S.Crucis in Hierusalem,presbyterum Cardinalem de la Cueua nuncuparum, dictæ Confraternitatis Protectorem delegerunt, prout in literis Apostolicis desuper confectis, ac per ipsos Confratres impetratis, ac eisdem statutis, & ordinationibus,ac instrumentis publicis,siue aliis scripturis desuper forsan confectis plenius dicitur contineri.

Et nunc à Põt. confirmatio postulatur.

§.1. Quare pro parte eorumdem Confratrum nobis fuit humiliter supplicatum, vt præmissis pro eorum subsistentia firmiori,robur Apostolicæ confirmationi adiicere,ac alias in prædictis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Qui Põt.d.institutionẽ, & statuta Confraternitatis approbat.

§.3. Nos igitur,qui pietatis,& charitatis opera vl iquc exerceri, sinceris exoptamus affectibus, eorumdem Confratrum pium, & laudabile opus plurimum in Domino collaudantes, necnon singularum literarum, ac instrumentorum, seu scripturarum præfatarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, huiusmodi,supplicationibus inclinati,dictæ Confraternitatis erectionem, & institutionem, necnon prædictam,ac omnia, & singula alia per Guardianos, & Administratores dictæ Domus, & prædictos Confratres circa præmissa edita,statuta,& ordinationes,prout illa concernunt,omnia & singula, in dictis instrumentis, siue scripturis contenta (licita tamen, & honesta,ac sacris Canonibu non contraria) Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac omnes, & singulos iuris, & facti defectus si qui forsan interueuerint in eisdem supplemus illisque omnibus perpetuæ firmitatis robur adiicimus.

Iteratoq; eam erigit,& eidẽ Cõfraternitati dat facultatem statuta condendi.

§.4. Et nihilominus quatenus opus sit,Confraternitatẽ ipsam pauperum aduenarum, quæ etiam curandorum dementium curam gerat,eisdem modo,& forma,quibus per dictos Christi fideles erecta,& instituta existit,auctoritate & tenore prædictis,de nouo erigimus,& instituimus.Ac eisdem Guardianis, Administratoribus, ac Confratribus quascumque personas illis benevisas, & gratas, & acceptas, tàm Ecclesiasticas, quàm sæculares, dictam Confraternitatem ingredi volentes,cuiusuis licentia desuper minime requisita, in eorum Confratres, & Confraternitatis gremium recipiendi, licentiam, & facultatem, eisdem auctoritate,& tenore concedimus.Eisque quod cum eiusdem Bartholomæi Card.& deinceps pro tempore existentis Protectoris sui auctoritate,seu consensu,alia quæcumque statuta,& ordinationes pro eiusdem Confraternitatis felici regimine,ad piorum operum huiusmodi exercitium, & alias circa præmissa,prout eis videbitur edere,condere, & restaurare libere,& licite possint indulgemus,ac per eos Guardianos, & Administratores, & Confratres obseruari debere volumus, & decernimus.

Cõfratribusq; Missam in domib. propriis celebrari faciendi. Tu vide Cõc. Trident. sess. 22.c.10. post Canones.

§. 5. Et insuper eisdem Confratribus,quamdiu infirmi fuerint, quod liceat eis Missam in domibus suis celebrari facere.

Eleemosynas, & oblationes, ac legata recipiendi.

§.6. Necnon eleemosynas, & oblationes quascumque, ac etiam piorum Christifidelium, & S.R.E. Cardd.& aliorum Prælatorum,& Officialium,aliarumque personarum, tàm Ecclesiasticarum, quàm sæcularium, tàm hactenus, quàm in futurum,in vltimis voluntatibus,vel etiam inter viuos donationes, vel largitiones eidem Confraternitati relicta, donata, legata, hæreditates, & bona quæcumque recipere,& de illis, & eorum fructibus in pios vsus,prout eis videbitur disponere, & alia omnia recipere, obtinere, & facere, ac ad illa admitti posse, quæ Vrbis Confraternitates à Sede Apost. approbatæ possunt, & valent citra tamen illarum præiudicium.

Indulgentia porrigentium eleemosynas. Tu vide reuocationem in const. 30. Pij V. Et.si.

§.7. Ac vniuersis vtriusque sexus Christi fidelibus eleemosynas, largitiones, oblationes, donationes, & legata huiusmodi facientibus, vt easdem Indulgentias,& peccatorum remissiones consequantur,quas consequuntur,qui Basilicis Principis Apostolorum, & S.Ioannis Lateranen. ac illius, & S.Spiritus in Saxia de Vrbe Hospitalibus,bona quæcumque porrigunt donant, aut relicta, & legata faciunt.

Facultas trãsferendi Cofraternitatem,& Hospitale ad aliud locũ,& Sacramenta ibi administrandi.

§.8. Præterea eisdem Confratribus vt totam Confraternitatem ipsam,& Oratorium,ac eorum Hospitale,ad aliam domum,Ecclesiam,siue locum ipsius Vrbis eis beneuisum transferre, ac inibi vnum Oratorium, siue Capellam, aut Sacellum in qua,vel quo Sacratissimum Corporis Christi Sacramentum reconditum esse debeat, & ad eius Altare Capellanum ad id per eosdem Guardianos,& Administratores, ad eorum nutum eligen.& amouen.prout hactenus habuerunt,per quem Missæ,& alia Diuina officia celebrari,ac ipsis celebran.& aliis quibusuis Christifidelibus Eucharistiæ, & pœnitentiæ Sacramenta ministrari facere possint, habere, & retinere, ac conseruari facere.

Bona decedẽtium sine testamẽto in d. Hospitali ad illud spectent.

§. 9. Et ipsi Guardiani, & Aduministratores, ac Confratres, vestes, pecunias, aurum,argentum,& alia bona quæcumque deseruientium, & aliorum pauperum decedentium ab intestato, in dicto extructo, aut in posterum extruen. per dictos Confratres Hospitali percipere, & in vsum, & vtilitatem huiusmodi Hospitalis conuertere.

Indulgentia pro prima cuiuslibet mensis Dominica.

§.10. Dictisque Confratribus, & quibusuis aliis Christifidelibus,qui in dicto Oratorio,siue Capella,prima cuiusque mensis in Die Dominica sacram Eucharistiam sumpserint, & quinquies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam in memoriam quinque vulnerum Iesu Christi Domini nostri dixerint,precatique fuerint omnipotentem Deum pro pace, vnitate, tranquillitate ac felici statu Sanctæ Matris Ecclesiæ, totiusque Populi Christiani, qualibet vice, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam,& remissionem.

Facultas eligendi Confessorem,qui Cõfratres absoluat, &c.

§.11.Nec non dictis Comfratribus facultatem,vt Confessorem siue Confessores. qui eos in mortis articulo, ab omni sententia excommunicationis, & ab omnibus eorum peccatis, à culpa, & pœna, plenarie absoluant eligere perpetuis futuris temporibus

Ad hoc vide reformationẽ Clem. VIII. cit.in rubr. Facultas eligendi. vel aggregandi alias Confraternitates cũ participatione indulgentiarũ.

§.12. Necnon eisdem Guardianis,& administratoribus pro tempore existen.vt quascumq; Confraternitates extra Vrbem, sub huiusmodi vocabulo instituere, & pro tempore institutas, omnibus, & singulis prædictis, & aliis priuilegiis, & indultis deinceps concedendis, sub conditionibus, & formis eis bene visis decorare,illasque eis, in toto,vel in parte communicare libere,& licite valeant, similiter concedimus.

In hoc habemus formam traditam à Clem. VIII. cit. in rubr. Clausula prætermissa.

§.13. Ac Indulgentias huiusmodi,& præsentes literas, sub quibuscumque reuocationibus,suspensionibus,derogationibus, vel limitationibus, quarumcumque similium, vel dissimilium gratiarum, & Indulgentiarum per nos, & Sedem Apostolicam, etiam in fauorem Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe huiusmodi,& expeditionum contra Infideles,& Cruciatæ Sanctæ, vel alias etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, & aliorum Principum instantiam, quomodolibet pro tempore facti nullatenus comprehen.sed semper ab illis exceptas,& quoties illæ emanabunt, toties, in pristinum statum restitutas, & de nouo concessas fore; ipsisque Confratribus & aliis prædictis suffragari debere decernimus.

Clausula derogatoria.

§. 14. Non obstantibus quibusuis Apostolicis, ac in prouincialibus,& Synodalibus Conciliis editis generalibus,vel specialibus, constitutionibus,& ordinationibus, necnon statutis, & priuilegiis,indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus,& formis,ac cum quibusuis clausulis, & decretis concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus,etiam si pro illorum sufficienti derogatione, ac illis eorumque totis tenoribus specialis specifica,individua,& expressa,ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes

Digitized by Google

mentis, [illegible] alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. P. Ann. 2. die 11. Sept. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1561. Idus Septemb. Pont. noſtri anno ſecundo.

XXXVIII Quod Inſtrumenta pro intereſſe Hoſpitalis S. Spiritus in Saxia de Vrbe rogata, per illius pro tempore Notarios, & Secretarios, in Cancellaria eiuſdem Hoſpitalis cuſtodiri, & per alios Notarios, & Secretarios ſucceſſores gratis expleri, & in publicam formam redigi poſſint, illiſque plena fides adhibeatur.

Omnia quæ ſpectant ad iſtud Hoſpitale, videnda ſunt ſup. in conſt. 7. Innoc. III. Inter. & in conſt. 22. Sixt. IV. Religionis.

Edita A D. PIVS PAPA QVARTVS

Motu proprio, &c.

Cauſa conceſſionis huius priuilegij. CVm, ſicut accepimus, pro tempore exiſten. Præceptor Hoſpitalis noſtri S. Spiritus in Saxia de Vrbe, Ordinis S. Auguſtini, ſoleat in Hoſpitali ſuis ſumptibus, & expenſis tenere vnum Notarium, & quandoque etiam vnum Secretarium, qui de omnibus inſtrumentis intereſſe eiuſdem Hoſpitalis concernentibus, rogantur, & ſæpius contingat, vt ipſis Notario, & Secretario à dicto Hoſpitali recedentibus, & officium Notariatus, ſeu Secretariatus huiuſmodi in dicto Hoſpitali exercere deſinentibus, aut deceden. eorum ſcripturæ per eos, ſeu illorum hæredes, ex eodem Hoſpitali alio tranſportentur, & quandoque pereant, ſeu diſſipentur, vel ad Notariorum, qui notas, vel imbreuiaturas inſtrumentorum intereſſe prædicti Hoſpiralis concernen. abſque præmio explere, & in publicam formam redigere reculant, manus deueniant, in non modicum dicti Hoſpitalis, & illius pauperum detrimentum.

Priuilegium de quo in rub. §. 1. Nos præmiſſis occurrere, & indemnitati Hoſpitalis, & pauperum prædictorum, paterno affectu conſulere volentes, Motu ſimili Apoſtolica auctoritate, per præſentes ſtatuimus, & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus Notarius, & Secretarius dicti Hoſpitalis ab eo recedentes, & officium Notariatus, & Secretariatus huiuſmodi exercere deſinentes, aut ipſorum Notarij, & Secretarij ſi decedant hæredes, imbreuiaturas, ſeu notas inſtrumentorum per eos rogatorum intereſſe prædicti Hoſpitalis quomodolibet concernen. alio tranſportare nequeant, ſed eas in Cancellaria dicti Hoſpitalis ad hoc vt illi ſuccedentes Notarius, & Secretarius prædicti, illas gratis, & ſine præmio explere, & in publicam formam redigere poſſint, dimittere teneantur. Et pro tempore exiſten. Præceptor dicti Hoſpitalis, eos ad illas vt præfertur dimitten. & propterea auctoritate cogere, & compellere valeat. Quodque pro tempore exiſtens Notarius, & Secretarius prædicti Hoſpitalis, vigore præſentium, & abſque alia deſuper ſibi conceden. ab aliquo licentia, & facultate, imbreuiaturas, ſeu notas inſtrumentorum per anteriores Notarios, & Secretarios dicti Hoſpitalis rogato intereſſe eiuſdem Hoſpitalis quolibet concernen. explete, & in publicam atq; authenticam formam redigere poſſint. Eiſque ſic expletis, & in publicam atque authenticam formam redactis, ea prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur, ſi per alium Notarium præceden. licentia, & facultate ſibi iuxta ſtatutorum, &c. & reformationum Almæ Vrbis, & Collegiis Scriptorum Archiuij Romanæ Curiæ, & alias ſeruatis ſeruan. conceſſæ expletæ, & in publicam formam redactæ fuiſſent.

Derogatio contrariorum. §. 2. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis prędictis, & quibuſuis aliis ſtatutis, &c. & reformationibus etiam iuramento, &c. roboratis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis, Dilectis filiis Populo Romano, & prædictis Collegio, & quibuſuis aliis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis etiam motu ſimili, aut alias quomodolibet conceſſis, &c. Quibus omnibus, etiam ſi de illis, &c. illorum tenores, &c. hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, & ſufficienter derogatum eſſe decernimus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Sola Signatura ſufficit. §. 3. Præſentium etiam, abſque eo quod regiſtrentur, aut illis data apponatur ſolam ſignaturam ſufficere, & vbique in iudicio, & extra regula contraria non obſtante, fidem facere decernen. &c.

Papa ſubſcr. Fiat Motu proprio. I.

XXXIX. Quod Birretum Viride deferant etiam coram Iudicibus Vrbis, & Carcerum Viſitatoribus petentes alternatiuas, vel beneficium cap. Peruenit. & cap. Odoardus.

Hæc beneficia, quibus danda, & deneganda ſint, vide ſupra in conſt. 16. Clem. VII. Cum ex multorum. vbi etiam habes, quantum duret inſtantia iſtarum cauſarum.

Edita An. D. 1561. PIVS PAPA QVARTVS

Motu proprio, &c.

Cauſa conſtit. CVpientes Mercatoribus, & aliis perſonis tàm Almæ Vrbis noſtræ Ciuibus, quàm forenſibus in ipſa Vrbe cum quibuſuis perſonis contrahendi omnem poſſibilem ſecuritatem concedere, & omnem viam, ac etiam omnes dilationes, & per quas Mercatorum, & aliarum perſonarum debitores à debitorum, ſolutione ſub terfugere, ſeu ſe quoquomodo ſubtrahere, & creditores eorum creditis defraudare, aut ſupplantare poſſent, de medio tollere, at remedium opportunum præmiſſa ne fiant adhibere, & vt debitores ipſi à præmiſſis, ſi non Dei omnipotentis, ſaltem humanæ ignominiæ timore abſtineant, & ſic eorumdem Mercatorum, & perſonarum firmitati prouidere volentes.

Paul. IV. ſtatuit debitores obtinentes alternatiuas, vel dilationes teneri deferre Birretum Viride. §. 1. Et conſiderantes Motum proprium à fel. rec. Paulo Papa IV. præde. noſtro, quod ex tunc de cetero alternatiuæ, ſignificationes, & dilationes quæcumque, niſi iuxta iuris diſpoſitionem, ac formam ſtatutorum ipſius Vrbis concedi nullatenus poſſent, & qui illas obtinuiſſent & ex tunc in futurum obtinerent, ſemper Birretum Viride portare tenerentur emanatum, circa ipſorum debitorum malitiam, ſeu malos homines non ſufficere, cum ipſum Birretum Viride, niſi poſtquam ad alternatiuam, vel alias dilationes admiſſi fuerint portare non teneantur, & ſic beneficio temporis in graue creditorum præiudicium, & iacturam gaudeant.

Hic autē Pōt. declarat. debitores teneri geſtare dictum Birretū coram Iudicib. Vrbis antequam inhibitionē obtineant, & promittere ipſum de cetero deferre. §. 2. Nos igitur Motu ſimili, &c. Per præſentes perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, quod de cetero quicumque debitores, ſeu in forma Cameræ, aut alias quomodolibet obligati, quamcumque alternatiuam, ſignificationem, vel aliam quamcumque dilationem etiam ſecundum cap. Peruenit, vel Odoardus, ſeu inhibitionem aliquā à Curiæ cauſarum Cameræ Apoſt. Auditore, ſeu eius Locumtenente, aut Almæ Vrbis Vicario, vel Gubernatore, vel Senatore, ſeu aliis ipſius Vrbis Iudicibus etiam Commiſſariis, aut etiam Carcerum Vrbis Viſitatoribus petere non poſſint, niſi ſe prius coram illis dictum Birretum Viride geſtando præſentauerint, & ipſum Birretum Viride publice, & ſecrete ſub fuſtigation. per Vrbem pro prima vice, & triremium pro ſecunda, qua ſine dicto Birreto reperti fuerint, deferre, per ſe, vel ſuos legitimos procuratores ipſis abſentibus promiſerint, & medio iuramento affirmauerint, ac aliter à prædictis, & aliis quibuſuis Iudicibus etiam vigore ſpecialis commiſſionis noſtra, aut ſucceſſorum noſtrorum manu ſignatæ, vel ſignandæ obtentæ, & obtinendę, alternatiua, & ſignificationes, aut dilationes quæcumque etiam ſecundum iuris formam nullæ ſint, & ipſis debitoribus etiam ſi Clerici exiſtant, nullatenus ſuffragentur.

Deputatio executorum. §. 3. Mandantes eidem Auditori Cam. vt huiuſmodi conſtitutionem, & ordinationem perpetuo, & inuiolabiliter etiam in quibuſcumque litibus, & cauſis hactenus motis obſeruari faciat, & mandet, contra omnes, & ſingulos præmiſſis in aliquo contrauenientes per cenſuras & pœnas, ac etiam pecuniarias, & alia remedia opportuna ſibi viſa etiam manu Regia procedendo.

§. 4. Præ

Digitized by Google

Derogatio. Cõtrariorum. §. 4. Præmissis ac quibuscumque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac ipsius Vrbis Statutis, & reformationibus, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Sola signatura sufficit. §. 5. Volumusque quod præsentium sola nostra signatura sufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio & extra, quacumque regula contraria non obstante.

Papa subscri. Placet Motu proprio. I.

Publ. P. A. 2. die 27 Octob. *Anno à Natiuitate Domini 1561. indict. 4. die verò 27. mensis Octobr. Pontific. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij Diuina prouidentia Papæ IV. Anno secundo retroscriptæ literæ Apostolicæ, affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis Principis Apostolorum, de Vrbe, Cancellariæ Apost. ac in acie Campi Floræ, vt moris, est per nos Bernardinum Andreutium, & Io. Gherardi Curs. Apost.*

Iulius Parinus Mag. Curs.

XL. Inquisitores hæreticæ prauitatis, non teneantur publicare dicta testium contra Schismaticos, vel Hæreticos examinatorum. Neque rationem reddere de processibus, alteri quam Rom. Pontifici, aut supremis Inquisitoribus Almæ Vrbis.

Edita An. D. 1561. *PIVS PAPA QVARTVS.*
Ad perpetuam rei memoriam.

Causa constit. CVm sicut non sine magna animi nostri molestia accepimus, humani generis hoste instigante ita Schismaticorum, & aliorum Hæreticorum numerus in prouincia, statu, & diœcesi ciuitatis nostræ Auinionen. prævaluerit, & propter eorum, seu alicuius ipsorum potentiam, & malitiam, nullus contra eos deponere, seu eorum crimina reuelare, & accusare audeat, quo fit vt ipsi schismatici, & hæretici remaneant impuniti, in non modicam diuinæ Maiestatis offensam, & graue personarum Catholicarum scandalum.

Inquisitor dicta testiũ contra Hæreticos examinatorũ publicare non teneatur. §. 1. Nos ne in futurum aliquis metu ipsorum hæreticorum, & schismaticorum, eorum crimina reuelare formidet, alias in præmissis opportune prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, nostris, Dilecto filio Fratri Bernardo moderno Inquisitori Auinionen. vel pro tempore existenti, in dicta prouincia hæreticæ prauitatis Inquisitori, vt personas, quæ schismaticos, seu hæreticos huiusmodi reuelauerint, seu contra eos deposuerint, & testificauerint publicare, seu reuelare minime teneantur. Et si ab eodem inquisit. aliqua ipsorum testium dicta publicari contingat, ita truncata, & secreta publicentur, vt cognitio nominum, & cognominum ipsorum testium, ad aliquam notitiam deuenire non possit.

Syndicarique nequeant, nisi à Rom. Pont. vel supremis Inquisitoribus Vrbis. §. 2. Quodque ipse Inquisitor à quoquam syndicari nequeat & nemini, nisi nobis, aut pro tempore existenti Romano Pontifici, & Almæ Vrbis nostræ supremis Inquisitoribus de processibus per eum contra dictos hæreticos, & schismaticos formatis rationem reddere teneatur, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus pariter, & indulgemus.

Inhibitio contra molestãtes Inquisitorem sup. præd. cãu. §. 3. Districtius inhibentes vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis, eorumque in spiritualibus, & temporalibus Vicariis seu Officialibus generalibus, & dilectis filiis omnibus, & singulis Iudicibus, & personis tàm Ecclesiasticis, quàm sæcularibus cuiuscumque dignitatis, status, gradus, & ordinis, vel conditionis existentibus, ne ipsum modernum, & pro tempore existentem Inquisitorem ad nominum, & cognominum dictorum testium reuelationem, & publicationem, seu de processibus per eundem modernum contra ipsos hæreticos, & schismaticos formatis, vel ab eo, & aliis Inquisitoribus pro tempore in futurum formandis rationis redditionem arctare, nec super præmissis, seu eorum occasione quouis prætextu molestare, perturbare, vel inquietare audeant, vel præsumant. Irritum nihilominus, & inane decernentes si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio cõtrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & in Prouincialibus, ac Synodalibus cõciliis editis generalibus, vel specialibus, statutisque & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum præsentium specialiter, & expresse latissimeque derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Pisc. die 1. Nouemb. 1561. Pontific. nostri anno secundo. *Dat. P. A. die 1. Nouemb.*

XLI. Fructus & emolumenta ad Capitulum & mensam Ecclesiarum Vrbis communiter spectantia, & distributiones pro defunctorum anniuersariis largiendæ, applicantur distributionibus quotidianis pro interessentibus Diuinis officiis.

Edita Ann. Dom. 1561. *PIVS PAPA QVARTVS.*
Motu proprio, &c.

Causa constit. CVm, sicut accepimus, in hac Alma Vrbe nostra, quæ caput existit totius Orbis, & in qua cœlestis altitudo consilij Sedem Apostolicam nullis defecturam temporibus mirabiliter stabiliuit, ita in Ecclesiis collegiatis diuinus cultus diminutus fuerit, vt exteris nationibus scandalum non modicum generetur.

Dispositio de qua in rubr. §. 1. Volentes igitur, quantum in nobis est, diuino cultui consulere, & abusus huiusmodi tollere, decernimus, statuimus, & ordinamus, omnes & quoscumque fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones, & emolumenta quæcumque, in quibuscumque rebus consistant, quarumcumque Ecclesiarum, tàm sacrosanctæ Lateranensis Ecclesiæ, B. Petri Apostolorum Principis, ac Gloriosissimæ Virginis S. Mariæ Maioris nuncupatæ, quam aliarum quarumcumque Ecclesiarum, ad Capitulum, & mensam earumdem communiter spectantes, & pertinentes applicari, assignari, & adscribi debere, prout tenore præsentium (sine tamen præiudicio pensionum super dictis fructibus reseruatarum) applicamus, adscribimus, & assignamus distributionibus quotidianis, distribuendas, & diuidendas inter Canonicos, & alios Beneficiatos Diuinis officiis interessentes dictarum Ecclesiarum, iuxta Ecclesiæ cuiuslibet ordinationem rationabilem iam factam, seu etiam faciendam per nos, vel dilectum filium nostrum Almæ Vrbis Vicarium generalem. Qui vero aliter de dictis fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, emolumentis quicquam receperint (exceptis illis quos infirmitas, seu iusta, & rationabilis causa, aut Ecclesiæ vtilitas excusant) rerum sic receptarum dominium non acquirant, nec faciant causas suas, immo ad omnium restitutionem teneantur. Idem quoque de distributionibus pro defunctorum anniuersariis largiendis decernimus obseruandum.

Vicarius Papæ executor. §. 2. Mandantes dilecto filio Iacobo Cardinali Sabello, nostro in dicta Vrbe, eiusque districtu Vicario, quatenus ordinationem, statutum, decretum, applicationem, & assignationem huiusmodi, in quibuscumque Ecclesiis in dicta Vrbe consistentibus, inuiolabiliter per quoscumque quauis auctoritate, etiam Cardinalatus honore fungentes, per censuras Ecclesiasticas, & alias pœnas etiam pecuniarias, arbitrio imponendas, quacumque appellatione remota, manu regia obseruari faciat. Contradictores, &c. sublata, &c. Sicque per quoscumque Iudices, &c. irritum quoque, &c.

Clausula derogatoria. §. 3. Non obstantibus præmissis, constitutionibus Apostolicis, & consuetudinibus, & constitutionibus quarumlibet dictarum Ecclesiarum, confirmatione Apostolica, tut quauis alia firmitate roboratis, latissime extendendis, quibus omnibus, illorumque tenores pro sufficienter expressis habentes, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Papa subscri. Placet Motu proprio. I.

Dat. P. A. 2. 16 Nouemb. Dat. Romæ apud S. Petrum duodecimo Kal. Decemb. anno secundo.

Digitized by Google

XLII. Proxenetæ Ripæ Almæ Vrbis, tenentur Nautis, & Mercatoribus Vini, de pretio vini eis mediantibus venditi, emptoribus illud non soluentibus.

Alia eorundem Mercatorum, & nautarum indulta, ad priuilegium fori, indicaui hic supra in constit. 25. Capientes.

Alias A.D. 1561. P I V S E P I S C O P V S, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. DEcet Roman. Pontificem ex debito sui pastoralis officij, ad ea diligenter prospicere, per quæ in hac Alma Vrbe, ad quam veluti communem omnium patriam, frequens est hominum concursus, vini, ac rerum aliarum humano victui necessariarum vbertas, cum eiusdē Vrbis incolarum in copioso numero existentium commoditate, Nautarum quoque, & Mercatorum vina, & res huiusmodi ad Vrbem ipsam aduehentium, plena securitate, nostræ prouisionis ope, vnicuique quod suum est tribuendo, non solum manuteneri, sed augeri, ac in ea ad publicam omnium vtilitatem, per amplius conseruari salubriter valeat.

Nauta vēdebant mediātibus Proxenetis eorum vina, cauponibus, & aliis quos non cognoscebant, & pro consecutione pretij litigare cogebantur.

§. 1. Cum itaque sicut diuersi diuersarum partium Nautæ, & Mercatores querelanter nobis nuper exponi fecerunt; ipsi quos vini, ac res huiusmodi ad Ripam fluminis dictæ Vrbis deducere sæpe contingit, neminem cognoscentes, & diutius in dicta Vrbe, seu Ripa absque eorum graui detrimento morari nequeuntes, vina huiusmodi mediantibus Proxenetis, Sensalibus nuncupatis, cauponibus, hospitibus, tabernariis, ac aliis diuersarum qualitatum personis, à quibus vini venditi pretij solutio, seu exactio nimium tarda, & difficilis existit vendere, & deinde pro huiusmodi pretio recuperando caupones, hospites, tabernarios, ac personas huiusmodi, ad iudicium euocare, ac proinde varias lites, & quamplures sumptus, & expensas subire, procuratores cum menstruis salariis in dicta Vrbe constituere, & relinquere cogantur, ac sæpius etiam caupones, hospites, tabernarios, ac personas huiusmodi dolose, & fraudulenter decoxisse, solum vertisse, foro cessisse, atque alias soluendo non esse inueniant. Quo fit vt negociatio circa hæc, magna cum eorum iactura multum impediatur, & retardetur, ac ipsi vina prædicta longe dimidio etiam carius vendere adstringantur, in graue totius Vrbis, ac illius, & præsertim pauperum incolarum euidens detrimentum. Et propterea ipsi, seu eorum maior, & sanior pars apud nos, vt eis in præmissis de opportuno remedio prouidere velimus, vehementer instantes, si nostræ prouisionis auxilio ab eisdem damnis, & incommodis liberati fuerint, vltro per eorum propriis manibus subscriptas syngraphas nouis, & Cam. Apostolicæ perpetuis futuris temporibus, pro impensis etiam Ministrorum in præmissis subeundis, quatuor iulios pro quolibet dolio vini ordinario, vltra omnes alias præstationes, & solutiones ad hæc vsque tempora introductas, se soluturos offerant, & longe esse minorem suam hanc quatuor iuliorum præstationem, quam tot, & tanta incommoda, quæ in dies subire compelluntur, attestentur, ac sublatis dictis incommodis, etiam multo viliori pretio vina sua vendere posse affirment.

Pōtifex igitur Nautarū, & Mercatorum vini securitati, ac vini vbertati cōsulēdo, decernit, ipsos Proxenetas teneri pro pretio vini venditi, eis mediantibus, quādo emptores soluere recusant, vel diuersis vltra 20. dies cōcessa non fit ab ipsis Mercatoribus.

§. 2. Nos igitur eosdem Nautas, & Mercatores specialibus fauoribus, & gratiis prosequi, ac eorum indemnitati, & publicæ vtilitati, quantum in nobis est, prouidere volentes, ac omnia, & singula priuilegia, & hypothecas, tàm de iure, quam consuetudine eis quomodolibet concessa, & competentes, quorum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, harum serie approbantes, & innouantes, ac de nouo concedentes, necnon per eos nobis factam oblationem prædictam acceptantes, ratamque & gratam habentes, ac simul laudabilem alias in his, vt plene nouimus introductum, licet postmodum nonnullorum vel incuria, vel fraudibus, & malitiis à quibusdam annis citra male obseruatum vsum, per quem Proxenetæ quorum opera vina vendita fuerant, post trinam requisitionem illorum emptoribus factam, ad totalem pretij solutionem eisdem venditoribus tenebantur, amplectentes, consideratis prius natura negocij, quæ in celeri expeditione consistit, ac ipsorum Nautarum, & Mercatorum, ac aduenarum, & aliarum personarum in eadem Vrbe degentium, ac cum eis contrahentium ignorantia, publicæque vtilitatis conseruatione, necnon dictæ Vrbis excellentia, quæ pluribus priuilegiis à diuersis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris decorata fuit, & deinde habita super his cum diuersis probis viris horum omnium peritis, deliberatione matura, ex certa nostra sciētia auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus pro tēpore existentes Proxenetæ, qui quotidie in dicta Ripa versantur, quique caupones, tabernarios, & hospites, ac alias personas huiusmodi in eadem Vrbe degentes, quæ per eorum manus vina ab eisdem Nautis, & Mercatoribus emunt, per continuam, seu frequentem, & circularem cum eis ratione exercitij, eorum officij, ac cum aliis personis habitam conuersationem, ac tractationem cognoscunt, & cognoscere possunt, seu facile de eis eorumque facultatibus se informare, ac certiores reddi valeant, quorumque fidem in nominibus, & venditionibus faciendis in hoc negotio huiusmodi vinorum venditores quodammodo sequi videntur, ad solutionem pretij cuiuscumque quantitatis vini, eis mediantibus venditi, & venditoribus non soluti, in omnibus & per omnia, ac si ipsis venditum fuisset teneantur, adeo vt facta emptoribus, per eosdem venditores, trina requisitione iudiciali, seu extra iudiciali, etiam vnico contextu, & de eadem requisitione coram iudice competenti etiam fide facta, ipso facto, nullaque admissa excusatione, ad eorum solutionem omnibus iuris, & facti remediis statim, vnica tantum citatione præcedente, etiam si opus fuerit, per fut hastationem, & venditionem officij Proxenetæ, quod pro tempore obtinebunt, quacumque appellatione remota compellantur, nisi venditores præfati emptoribus ipsis ad soluendum pretium vini venditi dilationem vltra viginti dies fecerint, atque concesserint. Quo casu Proxenetæ huiusmodi nullatenus teneantur, nisi mercatores ipsi opera, & interuentu ipsorum Proxenetarum dilationem huiusmodi fecisse probauerint, quo probato, Proxenetæ prædicti ad huiusmodi solutionem, vt præfertur, teneantur.

Proxenetæ q; ita soluentes agere posse declarat contra emptores vini prout si ipsimet vinū eis vendidissent.

§. 3. Salua tamen remanente præsentis statuti, & ordinationis vigore proxenetis, in casibus in quibus tenerentur, contra dictos emptores actione, in omnibus, & per omnia, ac si vinum prædictum per eos emptoribus venditum extitisset, ipsique cum eis contraxissent, etiam absque alia desuper per dictos venditores actionum, aut aliorum iurium cessione facienda.

Et pro maiori cautela Mercatorum vini, ac Proxenetarum, præcipit quoscumque caupones, & tabernarios cauere debere de stando iuri &c. occasione vini, cum quibuscūque personis.

§. 4. Et pro maiori Proxenetarum, ac Mercatorum, & Nautarum, ac aliorum prædictorum cautela, quod moderni caupones, hospites, & tabernarij, ac officia cauponis, hospitis, & tabernarij ad præsens exercentes infra quindecim dies, alij vero qui in futurum illa exercere voluerint, ante eorum exercitium, coram dictæ Ripæ Camerario, in forma depositi pro centum scutis pro quolibet hospitio, seu qualibet taberna, vel caupona, de stando iuri, & iudicatum soluendo coram dicto Camerario, omnibusque aliis iudicibus competentibus cum omnibus, & singulis personis quomodolibet interesse habentibus occasione cuiuscumque quantitatis vini, per eos à Nautis, seu Mercatoribus ripalibus empti idonee cauere, & cautiones huiusmodi in fine cuiuslibet anni reuocare etiam teneantur, ac ad id per Camerarium prædictum, omnibus iuris, & facti remediis ipso facto cogi, & compelli possint, quibuscumque appellatione, & subterfugiis remotis. Super quibus ipsi Ripæ Camerario eos totiens quotiens vsque ad quamcumque summam pro præmissorum executione mulctandi, ac mulctam huiusmodi pro vna Cameræ prædictæ, & pro alia illius medietatibus officij Camerarij huiusmodi, & executori applicandi, eamque exigendi, ac tabernas, hospitia, & cauponas huiusmodi claudendi, omniaque alia & singula in eisdem præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna, decernendi, mandandi, faciendi, & exequēdi, plenam, & liberā, auctoritate, & tenore prædictis concedimus facultatem alioquin ipsum, & Camerarium, & Notarium inde rogatum in præmissis negligentes pro dictis centum scutis de eorum

proprio

Digitized by Google

proprio teneri, ac ad illorum solutionē cogi, & compelli, & ita per quoscumque iudices, & commissarios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac præfatos Cardinales sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere decernimus, & declaramus.

De gabellam iuliarū quatuor pro quolibet dolio vini solui & per Ministros Camerę exigi debere iubet.

§. 5. Et nihilominus ne dicta Camera propterea damnum aliquod patiatur, sed vt præmissa omnia suum plenarium effectum liberius sortiri valeant, ac ex causa concessa sint, & esse censeantur, pro Ministrorum in his in dicta Ripa, & alibi, ac aliis præmissis necessariorum mercede, & manutentione eosdem quatuor iulios pro quolibet dolio vini ordinario, quod ad dictam Ripam appellere contigerit, modernis, & pro tempore existentibus Dohanæ Ripæ huiusmodi Appaltatoribus, & Ministris dictæ Cameræ per prædictos venditores vltra omnes alias hucusque introductas præstationes prædictas, in primis, & ante omnia persolui, & ab eis exigi debere volumus, & mandamus. Præcipientes eisdem Appaltatoribus, & Ministris, vt à publicatione earumdem præsentium illos vna cum aliis eiusdem Cameræ iuribus à prædictis venditoribus exigant, ac retineant in vtilitatem ipsius Cameræ conuertendos, ac in eorum libris annotent.

Regiſtrarique mandat in Camera Apoſtol. conſtit. iſtam.

§. 6. Necnon dilectis filiis nostro Guidoni Ascanio S. Mariæ in Via lata Diacono Cardinali de Sancta Flora nuncupato Camerario nostro, ac ipsius Cameræ Thesaurario, Præsidentibus, Clericis, & personis, vt eisdem præsentes in libris Cameræ prædictæ regiſtrent, illasque ac omnia in eis contenta huiusmodi inuiolabiliter obseruari faciant. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Nulli ergo, &c.

D. P. An. 2. die 20. Nouemb.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo, duodecimo Kalend. Decembris. Pontificatus nostri anno ſecundo.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1561. indictione 4. die 12. mensis Decembr. Pontificatus Sanctiſſ. in Christo Patris, & D.N.D. Pij Diuina prouidentia Papæ IV. Anno ſecundo retroſcripta litera Apoſtolicæ, omniaque & ſingula in eis contenta lecta, affixa, & publicata fuerunt in valuis Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Eccleſia Lateranen. de Vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, in dictiſque locis per aliquod ſpatium temporis dimiſſis, vt moris eſt, per nos Bernardinum Andrentium, & Franciſcum Sottocaſa præfati S.D.N. Papæ Curſores.

Bartholomæus Sottocaſa Mag. Curſ.

XLIII. Pœnæ maleficiorum Communitatum Status Eccleſiaſtici, vel locorum ſubiectorum applicantur Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ quatenus ex cauſa vere oneroſa, aut piis, vel publicis operibus, non ſint applicatæ. Et Gubernatores locorum decem pro centenario conſequantur de eiuſmodi pœnis, accuſatores autem quartam partem pœnarum bannimentalium.

Hæc omnia approbauit Six. V. in conſtit. 93. Ad Romanum, vbi etiam præfigi iuſſit terminum ad docendum, de prætenſis applicationibus ex cauſa oneroſa, &c.

Edita A D. 1561. 1562. & 1564.

P I V S E P I S C O P V S,
Seruus ſeruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

DEcet Romanum Pontificem id maxime omni ſtudio curare, & efficere, vt populi ſuæ ſanctæque Sedis Apoſtolicæ ditioni ſubiecti, in pace, & tranquillitate viuant, ac vt quietis ſtatus perturbatores, quos virtutis amor à malo non retrahit, pœnæ ſaltem formidine coërceantur, omniſque eis occaſio, quoad ſcelera committenda procliuiores reddi poſſe videantur, penitus adimatur.

Pœna pro dolijs impoſita

§. 1. Sane cum experientia rerum magiſtra docente luce clarius cognouerimus, pro eo quod in omnibus fere ciuitatibus, terris, caſtris, & locis, nobis, & præfatæ Sedi immediate ſubiectis, tam ex illorum ſtatutis, & conſuetudinibus, quàm etiam ex rectorum decretis, & edictis, ſeu proclamatibus, quæ pro tempore fieri contingit, ſeu alias ex variis priuilegiis illis conceſſis, pœnæ pro delictis, & exceſſibus impoſitæ, in totum vel pro parte Communitatibus ciuitatum, terrarum, & locorum huiuſmodi applicantur, & à delinquentibus, vtpote qui de ipſarum Communitatum corpore exiſtunt, & in illis quam plures ſibi neceſſitudine, & amicitia coniunctos habent minime exiguntur, plura, & enormia delicta committi, & perperrari, ac impunita, vt plurimum remanere, indeque ad illa, & peiora committenda, homines proniores, & faciliores reddantur, plerumque inimicitias oriri, oraſque ingraueſcere, & foueri.

vigore ſtatuto rū, vel bannimentorum applicatæ erāt Communitatib. & prohinc delinquētes tanquam potētes eas nō ſoluebant, & in dies maiora delicta cōmittebantur.

Ideo hic Pont. d. pœnas (non tamē impoſitas pro damnis datis in vineis &c.) Cam. Apoſt. applicat

§. 2. Nos propterea, pro noſtri paſtoralis officij debito, his quantum in nobis eſt occurrere, & ne ſub ſpe impunitatis quiſpiam audacior ad delinquendum fiat, prouidere volentes, habita prius ſuper hoc cum Venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus matura deliberatione, ac de eorum vnanimi conſilio, hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, vt in omnibus, & ſingulis ciuitatibus, terris, & locis, vt præfertur, nobis & Sedi Apoſtolicæ ſubiectis, in quibus pœnæ aliquæ pecuniariæ, & mulctæ, ſiue certæ expreſſæ ſummæ, ſiue Bonorum, ſiue alicuius partis illorum confiſcationis, pro quibuſuis criminibus, à iure communi, vel municipali, ſiue etiam per decreta, edicta, proclamata, aut bannimenta à locorum Rectoribus, & Prouinciarum Præſidibus, ſeu Gubernatoribus, ac etiam de latere Legatis, & eorum Vicelegatis, cereriſque officialibus, & iuſtitiæ miniſtris, edita, & facta inflictæ, ipſarum ciuitatum, terrarum, & locorum Communitatibus, ex ſtatuto, vel conſuetudine, etiam à nobis, & Sede Apoſtolica approbatis, & confirmatis, aut priuilegio Apoſtolico, etiam ex titulo oneroſo, vel pro reparatione murorum, fontium, pontium, & viarum, & etiam Eccleſiarum, ſeu piorum locorum, aut pro aliis rebus publicis, vel alias quomodolibet conceſſo, in totum, vel in partem applicatæ exiſtunt (illis tantum quæ pro damnis in poſſeſſionibus, vineis, agris, ſiluis, & nemoribus illatis impoſitæ fuerint exceptis) non prædictis Communitatibus, ſed Cameræ Apoſtolicæ applicatæ ſint & eſſe cenſeantur, & per officiales, ſeu executores ad id ab ipſa Camera deputan. etiam quæ hactenus earumdem Communitatum negligentia, ſeu potius nimia indulgentia exactæ non fuerunt, exigantur, ac exigi poſſint, & debeant.

Inhibetur locorū Rectoribus vt de cetero talia pœnas applicent ſibi Cam. & applicationes aliter factas annullat.

§. 3. Inhibentes vniuerſis, & ſingulis Legatis, ſub indignationis noſtræ, ac Rectoribus, & aliis ſupradictis, ſub excommunicationis, ſeu ſuſpenſionis à diuinis, aliiſque arbitrij noſtri pœnis eo ipſo incurrendis, ne de cetero perpetuis futuris temporibus in eorum decretis, edictis, proclamatibus, ſeu bannimentis facien. aut ſententiis ferendis pœnas pecuniarias, & mulctas, aut bonorum in partem, vel in totum confiſcationes huiuſmodi alicui alteri præterquam Fiſco noſtro, & Cameræ Apoſtolicæ applicare quouis modo audeant, & vbi etiam per eos alicui alteri applicari contigerit, illas nihilominus eidem Cameræ applicatas fore, & cenſeri, ac per eius officiales, & executores præfatos excipi. Sicque per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam præfatos Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Declaratio circa applicationes facias piis locis, vel ex amiſſa oneroſa.

§. 4. Ne autem his quibus pœnæ pecuniariæ, ſeu mulctæ prædictæ forſan, ex titulo vere oneroſo, pecunia ſcilicet actualiter numerata applicatæ extiterunt, præiudicium fiat, Volumus, vt hi, qui illas, ſeu illarum partem ſic ex titulo oneroſo ſibi applicatas, ſeu applicatam fuiſſe docuerint, poſtquam illæ per officiales Cameræ Apoſtolicæ exactæ fuerint, de eorum manibus (præuiis tamen dictæ Cameræ mandatis) illas integre, ſeu pro parte prout eis applicatæ erant accipiant. In illarum vero exactione nullatenus ſe intromittant. Et idem in illis pœnis, & mulctis, ac confiſcationibus quæ applicatæ eſſe oſtenden

Digitized by Google

ostendentur pro reparationibus murorum, pontium, & viarum, & in primis Ecclesiarum, & piorum locorum, aliisque rebus, publicis videlicet, obseruasi mandamus.

Clausula derogatoria. §. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac prouincialibus, & municipalibus, quorumcumque locorum, statutis quoque, indultis, & literis Apostolicis Communitatibus prædictis, & aliis quibuscumque etiam ex titulo oneroso concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quoad præmissa specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c.

Publ. P. A. 1. die 4. Decemb. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1561. Non. Decemb. Pontificatus nostri anno secundo.

Papa subscr. Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero.

Cardinalium subscriptiones.
Ego R. Card. de Carpo Episcopus Portuen.
Ego F. Card. Pisanus Episcopus Tusculanus.
Ego Fed. Card. Cæsius Episcopus Prænestin.
Ego Io. Card. Moronus Episcopus Sabinen.
Ego Christophorus Madrucius Trid. Episc. Albanen.
Ego Otho Card. Augustanus.
Ego B. della Cueua Card. Sanctæ Crucis.
Ego R. C. Sancti Angeli, Maior Pœnitentiarius.
Ego Ful. Card. Perus.
Ego Io. Michaël Card. Saracenus.
Ego Io. Card. Sancti Vitalis.
Ego Marcus Antonius Card. Amulius.
Ego Hieronymus Card. de Corrigio.
Ego B. Card. Nauagerius.
Ego Alexan. Card. Farnesius Vicecanc.
Ego Gui. Asc. Card. Camerarius.
Ego N. Card. de Sermoneta.
Ego Iul. Card. Vrbinas.
Ego Hier. Card. Simoncellus.
Ego Iac. Card. Puteus.
Ego Io. B. Cicada Card. S. Clementis.
Ego B. Card. Tranen.
Ego Io. Card. Reumanus.
Ego Io. Ant. Card. Capisuccus.
Ego F. M. G. Card. Alexandrinus.
Ego Clem. Card. Aræcæli.
Ego I. Card. Sabellus.
Ego Io. Ant. Card. S. Georgij.
Ego Aloy. Card. Cornelius.
Ego B. Card. Saluiatus.
Ego Ph. Card. Aburd.
Ego Petrus Franciscus Card. Ferrerius.
Ego Alph. Carafa Card. Neapolitanus.
Ego Vitellotius Card. Vitellius.
Ego Carolus Card. Borrhomæus.
Ego Mar. Siticus Card. ab Alta Emps.
Ego Franciscus Card. Gonzaga.
Ego Ind. de Aualos Card. de Aragona:
Ego Alph. Card. Gesualdus.
Ego Io. Franciscus Card. de Gambara.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini 1562. indictione 5. die vero 13. mensis Ianuar. Pontific. Sanctiss. in Christo Patris, D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. anno 3 retroscripta litera affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Franciscum Rogerium, & Honofrium Montarguli præfatos S. D. N. Papæ Cursores.*

Anton. Clerici mag. Curs.

Sequitur extensio d. constitutionis.

Edita A. D. 1562. PIVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. AD Romanum spectat Pontificem sua solicitudine indefessa diligenter prouidere, vt ea quæ ab eo sancita sunt, ita suæ declarationis adminiculo dilucidentur, quod nulla desuper dubitandi occasio, cuiquam relinquatur.

§. 1. Cum itaque nos nuper ex certis, tunc expressis causis, & cet. *Hic Pont. edidit const. de qua hic.*

Omittitur quia ipsa bulla est præcedens.

§. 2. Et forsan ab aliquibus prætendi possit castra, villas, & loca iurisdictioni ciuitatum, & terrarum status nostri Ecclesiastici subiecta, sub eisdem literis minime comprehendi, ac literas ipsas ad illa non extendi, & proinde pœnas, mulctas, ac alias bonorum confiscationes huiusmodi, per officiales, seu executores dictæ Cameræ, in castris, villis, & locis huiusmodi nullatenus exigi posse, ac Cameræ Apost. prædictas literas esse applicata. *De superorum est dubium.*

§. 3. Nos ne hoc, vel alio quouis prætextu Camera ipsa circa pœnarum, ac mulctarum, & bonorum confiscationum huiusmodi exactionem defraudetur, eius indemnitati, illiusque officialium, & executorum huiusmodi tranquillitati in præmissis quantum in nobis est prouidere, omnemque desuper hæsitandi materiam exinde submouere, ac mentem nostram circa hæc pandere volentes, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, harum serie decernimus, & declaramus, castra, villas, & loca iurisdictioni ciuitatum, oppidorum, & terrarum dicti status nostri Ecclesiastici quomodolibet subiecta, sub prædictis literis omnino comprehendi, ac comprehensa esse, & censeri, ac literas ipsas ad illa se extendere, & extendi debere. Necnon illarum vigore officiales, executores prædictos pœnas, & mulctas, ac alias bonorum confiscationes huiusmodi in eisdem ciuitatibus, terris, castris, villis, & locis, ac alias iuxta earumdem literarum continentiam, & tenorem exigi posse, ac exactiones huiusmodi licitas, ac iuxta mentem nostram factam esse, & censeri in omnibus & per omnia, perinde ac si in eisdem literis specialis, & expressa de eisdem castris, villis, terris, & locis, mentio facta fuisset. *Idē ergo Pont. declarat dictā eius cōst. comprehēdere etiā castra, & loca subiecta iurisdictioni Ciuitatū & Terrarum ipsius status Ecclesiastici.*

§. 4. Et ita per quoscumque iudices, & commissarios, quauis auctoritate fungentes, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, causarumque Palatij Apostolici Auditores, seu eorum Locatenentes, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clausula sublata.*

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus & singulis aliis quæ in dictis literis. voluimus non obstare. *Derogatio cōtrariorum.*

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1562. septimo Idus Februarij, Pontificatus nostri anno tertio. *Dat. P. An. 3. die 7. Febr.*

Sequitur declaratio circa portionem pœnarum dandam Officialibus, & Accusatoribus.

Edita A. D. 1564. PIVS PAPA QARTVS
Ad futuram rei memoriam.

CVpientes pro iniunctæ nobis administrationis officio, confusioni, ac controuersiis, quæ quotidie inter officiales status nostri Ecclesiastici, & Cameram nostram Apostolicam, seu pro ea Agentes super participatione pœnarum maleficiorum statutariarum, & bannimentalium exoriuntur, atque excitantur, mature obuiare, & opportune prouidere, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, ordinamus, atque præcipimus, quod portio decem pro centenario dictarum pœnarum, tam bannimentalium, quàm statutariarum, eisdem officialibus, nunc, & pro tempore existentibus solummodo competat & competere debeat, ipsique officiales dicta portione, & non vltra contenti remaneant, neque aliquid aliud præter portionem huiusmodi capere, aut habere possint. *Officiales status Eccles. 10. pro 100. de pœnis habent.*

§. 1. Ita tamen quod ex pœnis bannimentalibus proprie & particulariter, accusatori, quando is vere existat, quarta pars ipsarum pœnarum iuxta solitum dari valeat. *Accusatores vero quartā de pœnis bannimentalibus.*

§. 2. Necnon tam officiales prædicti eorum portionem huiusmodi, quàm ipsi accusatores eamdem quartam partem *Omnes capiāt à Depositario.*

Digitized by Google

tem de manibus Depositariorum Cameræ præfatæ, quibus cura exigendi similes pœnas iniuncta fuerit, & non aliter, nec alio modo accipere debeant, & ad id faciendum omnino teneantur.

Prohibitio plus percipiēdi.

§. 3. Inhibentes eisdem officialibus, & eorum singulis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis, aliisque arbitrij nostri pœnis, ne quicquam aliud excepta dicta portione decem pro centenario, ex eisdem pœnis capere, exigere, vel habere audeant seu præsumant, nec ipsi, & accusatores prædicti portionem, & quartam huiusmodi respectiue, ab aliis quam ab ipsis eiusdem Cameræ Depositariis, vt præfertur, accipiant, irritum nihilominus decernentes & inane, quicquid secus à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio cōtrariorum.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutisque & consuetudinibus quorumuis locorum, & ciuitatum, etiā iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam per nos forsan quomodolibet in contrarium concessis & confirmatis, quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & totaliter insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum præsentium, specialiter & expresse derogamus, ceteris que contrariis quibuscumque.

Fides trāsumptorum.

§. 5. Volumus autem quod earumdem præsentium transumptis, manu notarij publici subscriptis, & sigillo Thesaurarij nostri generalis, seu personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ originalibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 2. die 20. April.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 20. Aprilis 1564. Pontificatus nostri anno quarto.

Admissio & reg. in Camera.

Die 28. Aprilis 1464. admissa sunt hæ literæ Apost. ex decreto Cameræ, & registratæ libro signaturarum Sanctiss. D. N. Papæ, apud me Notarium.

Hie. de Tarano.

XLIV. Reformatio Rotæ Romanæ.

Ordinationes, & reformationes huius Rotæ. vide supra in constit. 14. Ioannis XXII. Ratio & infra in constit. 44. Paul V. Vniuersi. §. 5. vbi notabo. Auditorum vero numerum præfiniuit Sixt. IV. in const. 2. Romani. Indultaque & gratias, & facultates eisdem confferunt Innoc. VIII. sup. in const. 13. Finem Leon. X. const. 3. Sedis Clem. VII. in constit. 13. Conuenit. & Paul. III. in const. 12. Romani.

Edita An. D. 1561.

PIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN throno iustitiæ, super omnes gentes & regna, meritis licet imparibus, superna dispositione constituti, ad ea quæ iuris & iustitiæ cultum, ac obseruantiam concernunt, dirigimus potissimum aciem nostræ mentis, vt vniuersis nationibus ad Sedem Apostolicam omnium fidelium matrem & magistram, pro litium, & controuersiarum inter eos vigentium decisione recurrentibus, longis iudiciorum curriculis sublatis, ac minoribus quam fieri poterit dispendiis, opportune consulatur.

Rota commēdatio causæ huius reformationis.

§. 1. Sane postquam nos circa Curiæ nostræ reformationem solerti studio intendentes, reliquorum eiusdem Curiæ tribunalium & officiorum emendationem, & correctionem cum Dei auxilio, & Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium consilio, feliciter peregimus, demum ad Palatij nostri Auditorium, in quo vniuersorum Christi fidelium grauiores causæ per duodecim summæ virtutis & doctrinæ viros, ex omnibus mundi partibus magna cum diligentia conquisitos, mature cognoscuntur, & magna cum integritate, & iustitia terminantur, animum adiecimus. Et licet in eodem tribunali pauca admodum correctione digna offenderimus, nihilominus vt nihil intactum relinqueremus, nonnulla potius pro litibus abbreuiandis, ac partium dispendis euitandis, vel saltem minuendis, vocatis ipsis Auditoribus, ac pluries, tam in voce, quàm in scriptis auditis, prouidenda censuimus.

Facultates Auditorum circa causas eis cōmissas.

§. 2. Et idcirco de eorumdem fratrum nostrorum consilio statuimus & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, ad tollendum multiplicationem commissionum, & parcendum laboribus, & expensis litigantium, vnica commissio in qualibet instantia sufficiat, & illius vigore Auditor causam sibi commissam cognoscere, & cum omnibus & singulis dependentibus, & emergentibus, ac alias quomodolibet incidentibus decidere valeat. Possit etiam Auditor sine noua commissione præfigere terminum ad docendum de attentatis, ac nullitatibus, & causis propter quas quis in integrum restitui debeat, ac illo elapso & non docto, ad causæ expeditionem procedere; necnon remissorias decernere, dilationes concedere, liquidationes fructuum in partibus delegare, ac omnia & singula alia vsque ad finalem sententiarum suarum executionem inclusiue facere, quæ de iure ordinarij facere possunt.

Prorogationes fatalium concedantur arbitrio Rotæ.

§. 3. Prorogationes autem fatalium sæpius, & passim non concedat, sed tantum ex aliqua honesta causa, ac præuia illius cognitione, arbitrio Rotæ.

Sententia non proferantur, nisi causa in Rota proposita. & habitis votis.

§. 4. Auditor tamen in aliqua honesta causa, siue magni, siue parui momenti existat, etiam si eius decisio clari iuris esse videatur, definitiuam sententiam, vel interlocutoriam vim definitiuæ habentem ferre non valeat, nisi causa in Rota proposita, & habitis votis Coauditorum, nisi partes in actis expresse consenserint, quod causa sine voto Coauditorum expediri possit. Idemque in aliis quibusuis præiudicialibus decretis seruari volumus, si actor, vel reus quod negotium in plena Rota cognoscatur, institerit.

Sententiæ publicentur vt hic.

§. 5. Item sententiæ latæ per Auditores, prout in cedula, vt moris est, vel per viam termini pro seruato, subscribantur, & publicentur in actis intra quindecim dies, & in vltima anni audientia latæ, infra mensem, alioquin pronunciationes huiusmodi pro circumductis habeātur.

Notarij accipientes decreta ad referendum, referant vt hic.

§. 6. Termini etiam pro seruatis habiti, & cedulæ ipsarum sententiarum, quæ interdum per alium notarium quam actuarium ipsius causæ ad referendum accipi consueuerunt, referantur ipsi Notario causæ eadem, vel sequenti die qua recipiuntur. In vltimis vero audientiis, saltem infra triduum; & si Auditor qui pronunciauit prout in cedula, vel terminum habuit pro seruato, retinuerit citationem penes se, illam Notario causæ similiter intra prædictos dies consignare debeat, alias termini huiusmodi circumducti, & irriti censeantur.

Sententia nō proferantur ante perfectū registrum.

§. 7. Auditor vero non pronunciet in causa, nisi perfecto registro, & illo ad Rotam delato, vna cum dictis testium, illisque ac iuribus in eadem Rota, prout res exegerit, lectis. In vltima vero anni audientia, ac quandocumque agetur de ferenda declaratoria contra contumacem, etiam registro non perfecto, ex originalibus pronunciare valeat. Ita tamen quod pars ad cuius instantiam prouunciatum fuerit, registrum ipsum pro actorum conseruatione quanto citius perfici curare teneatur.

Decisionū copia petentibus datur.

§. 8. Et insuper Auditor partibus petentibus copiam decisionis in causa factæ, cum iuribus ac rationibus, tradere debeat, prout antiquitus laudabiliter fieri consueuit.

Causa Auditorū consanguineorum, & familiarium non cognoscātur in Rota.

§. 9. Causæ autem propriæ Auditorum, & eorum familiarium, ac consanguineorum, vel affinium vsque ad secundum gradum iuxta ius canonicum computandum, non cognoscantur in Rota.

Affines, domestici, vel notarij Auditorū, non se intromittāt in causis Rotæ.

§. 10. Nec Auditores in eorum domibus substitutos, vel doctores, aut alios iurisperitos, etiam consanguineos qui Substituti, vel Aduocati, aut Procuratoris officio fungantur, aut in casibus totalibus, vel eorum processibus tese quoquo modo intromittant, nec Aduocatos, & Procuratores domesticos, aut aliquos ex suis notariis domesticos habeant. Item Aduocati, aut Procuratores consanguinei, vel affines vsque ad secundum gradum, alicuius Auditoris, ac etiam illius Notarij, in causis coram eo pendentibus nullatenus patrocinari valeant.

§. 11. Nec

Auditores nō inducāt partes vt assumant certum Aduocatum, vel Procuratorem.

§. 11. Nec Auditores compellant, aut aliquo modo inducant partes per se, vel per alios, vt assumant certum Aduocatum, vel Procuratorem, sed electio huiusmodi omnino ipsarum partium arbitrio relinquatur.

Nec disponāt contra ius, &c.

§. 12. Item Decanus, & alij Auditores, præsertim antiquiores, attendant, ne aliquid non solum contra ius, sed nec etiam contra stylum, & decisiones antiquas factas in Rota, quæ impressæ habentur, quoquo modo decidatur, etiam prætextu æquitatis in iure non scriptæ, nisi maxima cum ratione, & discussione, omnibus votis, seu saltem illorum duabus tertiis partibus, aliter faciendum esse iudicauerit.

Nullitates tres tantum attendantur.

§. 13. Deinceps etiam in causis pendentibus non attendantur aliquæ nullitates, præterquam ex defectu iurisdictionis, citationis, vel mandari, nisi causa nullitatis specialiter ante datam præsentium commissa reperiretur.

A liquidatione fructuū & expensarū semel appelletur.

§. 14. Et à liquidatione fructuum, & expensarum taxatione, semel tantum appellare liceat, ita quod duæ conformes rem iudicatam faciant.

Auditores quando ad Cancellariam causas remittere possint.

§. 15. Auditores vero causas sibi commissas, pro sola partium importunitate ad Cancellariam remittere non possint, sed tantum habita licentia à Summo Pontifice, vel ex iustis causis deductis in Rota, & ab ea probatis.

Criminalitates ad Iudices Ord. remittant.

§. 16. Et si Auditor cognouerit in actis adesse suspensionem criminis, remittat acta huiusmodi, vel illorum exemplum, prout res exegerit, ad iudicem ordinarium. Et si causa criminalis præiudicialis fuerit causæ ciuili, in eius cognitione supersedeat. Et quandocumque Iudex ordinarius, in causis criminalibus coram eo pendentibus, indiguerit depositionibus testium, vel aliquibus scripturis ad causas criminales facientibus, teneatur Auditor illas, vel earum exemplum, vt præfertur, exiberi facere.

Sportulas sic recipiant videlicet.

§. 17. Vt autem debitus modus sportulis imponatur, non possint Auditores partibus, per se vel alium quouis modo sportularum nomine aliquid petere, vel exigere, sed nec sponte dantibus vltra taxam infrascriptam accipere, videlicet.

In causis profanis.

§. 18. In causis pecuniariis, seu profanis, aut quæ alias pretio nummario quoquo modo æstimari possint, si æstimatio rei de qua agetur non excedat summam mille ducatorum, vsque ad aureos decem, à mille vero vsque ad decem millia, vigintiquinque: à decem millibus vsque ad viginti millia, quinquaginta: ab inde supra vsque ad quamcumque summam, centum.

In causis beneficialibus.

§. 19. In beneficialibus vero, si redditus annuus de quo agetur non excedat summam centum ducatorum, similiter decem, à centum vero vsque ad mille, vigintiquinque: à mille vsque ad tria milla, quinquaginta: abinde vero supra, centum aureos pro sportulis cuiuscumque sententiæ definitiuæ dumtaxat, vt præfertur, accipere valeant. Si vero causa æstimationem non facile recipiat, sportulæ moderatæ pro rerum & personarum qualitate, iuxta taxas prædictas recipi possint: nec aliquid vltra non solum ipsis Auditoribus, sed nec eorum familiaribus, vel consanguineis, aut aliis quibusuis personis directe vel indirecte, quouis quæsito colore vel ingenio, exceptis esculentis & poculentis, quæ triduo consumi possint, ipsarum sententiarum, aut Auditorum intuitu præstari possit.

Sportula deponantur penes Notarium post latam sententiam.

§. 20. Quas quidem sportulas iuxta taxam prædictam, apud Notarium causæ post subscriptam sententiam, & notario traditam, & non antea, deponi, & Auditori consignari volumus: quodque Notarius depositionem, & consignationem huiusmodi in actis notare & specificare teneatur.

Notarij idonei eligātur, officiaq. nō arrendent, & pro Substitutorū, facta teneantur.

§. 21. Officia vero Notariorum Rotæ, non conferantur nisi personis peritis & idoneis, quæ per seipsos illa exercere sciant, & exerceant, nisi aliqua legitima causa impediantur. Nec eo casu officia aliquibus arrendare, aut substitutos deputare valeant, nisi à proprio Auditore approbati fuerint; qui insuper de officio fideliter exercendo arbitrio Auditoris cauere debeant. Et pro ipsorum substitutorum facto, Notarij ipsi quo ad interesse partium, tamquam principaliter obligati omnino teneantur.

Hæc bulla legatur anno quolibet in prunc. Rota.

§. 22. Districtius præcipentes modernis, & pro tempore existentibus Auditoribus, & eorum Decano in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, & excommunicationis latæ sententiæ, aliisque nostro & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis pœnis, vt præsentem constitutionem nostram singulis annis in prima audientia, vna cum aliis constitutionibus antiquis, legi & publicari faciant, & illam, ac omnia & singula in ea contenta diligenter obseruent, & ab eorum notariis, & aliis quatenus ad eos pertinet, obseruari curent cum effectu.

Decretum irritans.

§. 23. Decernentes nihilominus irritum & inane, si secus super his ab ipsis, vel quibusuis aliis, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§. 24. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac ipsorum Auditorum Collegij, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis & facultatibus, eisdem Auditoribus & Collegio, etiam Motu proprio & consistorialiter, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis, in genere vel in specie, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, aut etiam nos concessis, approbatis, & innouatis: quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, seu quæuis alia exquisita forma seruanda foret, tenores huiusmodi pro sufficienter expressis habentes, specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque: aut si prætatis Auditoribus, vel quibusuis aliis communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Forma & effectus publicationis, quā habes hic in fin.

§. 25. Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam deducantur, nullusque illarum ignorantiam prætendere valeat, volumus & mandamus, illas in eiusdem audientiæ Palatij nostri, ac Cancellariæ Apostolicæ valuis, & acie Campi Floræ, per aliquos ex Cursoribus nostris affigi, & per aliquod temporis spatium, relicta ibidem earum copia affixa, detineri, & exinde omnes & singulos quorum interest, vel interesse poterit quomodolibet in futurum, afficere, ac si eis personaliter intimatæ forent.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1561. sexto Cal. Ianuarij, Pontificatus nostri anno tertio. *Dat. P. A. 3. 27. Decemb.*

Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. *Papæ subscri.*

Cardinalium subscriptiones

Ego R. Card. de Carpo Episcopus Ostien.
Ego F. Card. Pisanus Episcopus Portuen. manu prop.
Ego Fed. Card. Cæsius Episcopus Tusculan.
Ego Io. Card. Moronus Episcopus Prænestin. ss.
Ego Otho Card. Augustanus Episc. Albanen.
Ego R. C. Sancti Angeli, Maior Pœnitentiarius.
Ego Ti. Card. Crispus.
Ego Fuluius Card. Per.
Ego Io. Mi. Card. Saracenus.
Ego Io. Card. Sancti Vitalis.
Ego Io. B. Card. S. Clementis.
Ego B. Card. Tranen.
Ego Scipio Card. Pisarum.
Ego Clem. Card. Aræcæli.
Ego F. M. Card. Alexandrinus.
Ego Io. Ant. Card. Capisuccus.
Ego Io. Ant. Card. S. Georgij.
Ego B. Card. Saluiatus.
Ego Ph. Card. Aburd.
Ego Io. Card. Reumanus.
Ego Marcus Antonius Card. Amulius.
Ego Aloy. Card. Cornelius.
Ego R. Card. Nauagerius.
Ego Io. Franciscus Card. de Gambara.
Ego Alexan. Card. Farnesius Vicecanc.

Ego

Digitized by Google

Ego Gui. Asc. Card. Camerarius.
Ego Iul. Card. Vrbinas.
Ego Hier. Card. Simoncellus.
Ego Vitellotius Card. Vitellius.
Ego Carolus Card. Borrhomæus.
Ego Franciscus Card. Gonzaga.
Ego Ind. de Aualos Card. de Aragona.

Publicatio. *Deinde retroscripta prafata litera lecta, affixæ, & publicatæ fuerunt in locis in eisdem literis designatis iuxta earum literarum seriem, & tenorem, per nos Bernardinum Andreutium, & Iulium Parinum Apostolicos Curs.*

Petrus Valtrini Magister. Curs.

XLV. Annullatio quarumcumque legitimationum de naturalibus spuriis factarum, in præiudicium vocatorum ex fideicommisso aut testamento, aut quauis alia valida dispositione (dummodo non sint sortitæ effectum.) Et reuocatio facultatum eo modo legitimandi.

Prohibitio autem testandi & disponendi de acquisitis ex rebus ecclesiasticis, & aliis bonis, ad commodum illegitimorum, etiam legitimatorum habetur infra in Pij V. const. 117. Quæ ordini. & ibi not. de materia.

Edita A. D. 1562. *PIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. QVamuis à Sede Apostolica ad quam negociorum multitudo vndique confluit, cuius continuo plena innumeris, nonnulla interdum ex quibusdam causis aliquando per occupationem ac importunam petentium instantiam concedantur, quæ in alieni iuris præiudicium tendunt & detrimentum, non debet reprehensibile videri si Rom. Pontifex ad cuius prouidentiam pro debito pastoralis officij spectat super his debite prouidere, illa rationabilibus & iuridicis causis maturius, & attentius deinde cognitis quandoque reuocat & annullat, ac in statum redigit rationis.

Causa huius constitut. §. 1. Sane cum fide digna plurimorum relatione, non sine animi nostri molestia intellexerimus, nonnullos Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac prætextu quarumdam sibi concessarum facultatum Comites Palatinos, & alios multos, spurios & naturales, & forsan incæstuosos, etiam in præiudicium venientium ab intestato, & vocatorum ex testamento ad fideicommissa, ac hæreditates & legata, vel donationes ita legitimasse vt in huiusmodi fideicommissis, hæreditatibus, aut legatis vel donationibus, non obstantibus testatorum voluntatibus succedant, ac proinde variæ contentiones & scandala in graue multorum præiudicium, ac animarum iacturam hactenus exorta sint, & in præsentiarum oriantur.

Annullatio legitimationū de naturalib. spurijs factarū in præiudiciū vocatorū ex testamento, &c. dūmodo non sint sortitæ effectū & reuocatio facultatū legitimand. in præiudicium vocatorum ex testamento, &c.

§. 2. Nos illa vtpote contra ius, & æquum existentia, de cetero ne fiant opportune prouidere, necnon eorum quos hoc ipsum tangit, ac tangere poterit, quomodolibet in futurum indemnitati consulere volentes, Motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, ac potestatis plenitudine, omnes & singulas legitimationes de quibuscumque naturalibus spuriis per Romanos Pontifices prædecessores præfatos, ac Comites Palatinos huiusmodi, & quoscumque alios ad id facultatem habentes in præiudicium vocatorum ex fidei commisso, aut testamento, vel quauis alia, valida tamen dispositione, sub quibusuis tenoribus & formis, ac cum quibusuis verborum formis & expressionibus, ac efficacissimis & insolitis clausulis, & etiam irritantibus decretis, etiam Motu simili, etiam consistorialiter, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine etiam, cum derogatione regulæ, seu constitutionis de non tollendo iure quæsito, ac aliis cautelis quomodolibet factas (nondum tamen adhuc viuentibus vltimis bonorum huiusmodi possessoribus per quorum obitum ad legitimos prædictos deuolui deberent, effectum sortitas, nec ius in re consecutas) necnon eorumdem Comitum Palatinorum, & aliorum facultates legitimandi habentium, ad hoc tantum vt deinceps tales legitimationes in præiudicium fideicommissorum, & aliarum dispositionum huiusmodi facere nō possint, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo reuocamus, cassamus, & annullamus.

Extinctio litiū pendentiū circa eas. §. 3. Necnon quascumque lites & controuersias quas illarum status, & causarum merita, nominaque & cognomina Iudicum & collitigantium præsentibus pro sufficienter expressis habentes, in Romana Curia, vel extra eam super præmissa motas & indecisas pendentes, in statu & terminis in quibus reperiuntur harum serie ad nos aduocamus, cassamus, & extinguimus.

Inhibitio contra Comites Palatinos, & alios legitimandi facultatem habentes, & ne præsumāt legitimare contra formā huius constitutionis. §. 4. Necnon partibus litigantibus, & Iudicibus coram quibus illæ pependerunt, seu forsan adhuc pendent indecisæ, perpetuum silentium imponimus iuxta declarationem prædictam, ac imponi volumus & mandamus. Districtius inhibentes eisdem Iudicibus ne in eisdem causis, necnon Comitibus Palatinis, ac aliis facultatem legitimandi huiusmodi habentibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub nostræ indignationis quo ad Comites, & alios facultatem legitimandi huiusmodi, etiam aliter quam vt præfertur habentes, & aliorum quorumcumque illorū facultatum, priuilegiorum, & indultorum cassationis, annullationis, & totalis reuocationis, necnon decem millium ducatorum auri de Camera quoties contrauenerint, ipsi Cam. Apostolicæ applicandorum pœnis similibus de legitimationibus deinceps se respective cōtra dispositionē, & declarationem nostrā huiusmodi intromittere quoquo modo audeāt, seu præsumāt.

Decretum irritans. §. 5. Decernentes Comites Palatinos, & alios quoscumque legitimandi facultatem habentes, vt præfertur, nullas in præiudicium fideicommissorum, & voluntatum testatorum huiusmodi legitimationes in posterum facere posse, & aliter factas, & forsan faciendas iuxta dispositionem, & declarationem nostram huiusmodi restringi & limitari. Ac sic in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Iudices & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, seu eorum Locatenentes, ac S. R. E. Cardinales, sub lata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate interpretari, iudicari, & definiri debere, necnon irritum & inane quicquid secus super his à dictis Comitibus & Iudicibus, vel quibusuis aliis, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria. §. 6. Non obstantibus nostra de non tollendo iure quæsito, quatenus opus sit, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac prædictis & quibusuis aliis facultatibus, priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis eisdem Comitibus Palatinis, & quibusuis aliis, etiam pari Motu, ac alias quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum inserercntur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel diuisim à prædicta sit Sede indultum, quod interdici, suspēdi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus huiusmodi literarum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Hæc cōstit. ligat vbiq; quoad legitimationes factas auctoritate Apostolica, quo vero ad alias factas Imperiali cōcessione, liga in terris Rom. Eccles. subiectis. §. 7. Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam deducantur, nec aliqui de illis ignorantiam aliquam prætendere valeant, vel allegare, volumus ipsas præsentes literas quoad legitimationes Apostolica auctoritate factas, vbiuis locorum, quo vero ad illas quæ ex Imperiali concessione factæ fuerunt, in terris nobis & Romanæ Ecclesiæ, mediate & immediate, subiectis, in casibus in quibus illa in terris huiusmodi, de iure fieri permittitur, locum habere, & effectum sortiri debere, necnon in valuis Cancellariæ Apostolicæ, ac acie Campi Floræ affigi, & publicari, ac eos quos concernunt perinde arctare, ac si

Digitized by Google

ac si eis personaliter intimatæ forent, cùm non sit verisimile apud eos remanere incognitum, quod tam patenter extitit publicatum,

Nulli ergo, &c.

D.P. An. 3. die 1. Ianuarij

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1562. Calend. Ianuarij, Pontificatus nostri anno tertio.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1564. indictione 7. die vero 17 mensis Aprilis, Pontific. Sanctiss. in Christo Patris, D. N. D. Py diuina prouidentia Papæ IV. Anno 5. retroscripta litera affixa, & publicata fuerunt Romæ in locis retroscriptis dimissis ibidem copiis affixis per nos Iacobum Carra, & Nicolaum de Mattheis Curs.

Barth. Sottocasa mag. Curs.

XLVI. Declaratio, & ampliatio iurisdictionis Consulum Artis mercantiæ pannorum de Vrbe.

Hanc iurisdictionem primo instituit Mart. V. vt sup. in eius const. 6. Cum inter. & Paul. III. atque alij (quorum bullas consulto prætermisi) confirmarunt.

Edita An. D. 1562.

PIVS PAPA QVARTVS
Motu proprio, &c.

Confirmatio iurisdictionis.

VOlentes dilectos filios Mercatores pannorum Almæ Vrbis nostræ, non minori quam prædecessores nostri prosecuti sunt, fauore prosequi, idcirco eorumdem literas, ac in eis contenta, & inde secuta quæcumque confirmamus, & firmitatis robore munimus, & approbamus quatenus sint in vsu.

Extensio eiusdem.

§. 1. Præterea prouide attendentes, quod cælesti fauente numine humana prole aucta, & bonorum Mercantilium, & præsertim pannorum pretium est auctum, & propterea iure merito iurisdictio iusdicentium augenda est, Motu simili, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, fidem de qua in præinsertis fit mentio, ad summam ducatorum auri triginta augemus & extendimus, ita vt fides ipsis libris Mercatorum de rebus spectantibus ad artem Mercantiæ, dummodo ipsi mercantiliter, & mercatorum ordine & more scripti, ac confecti & tenti sint, iuramentumque prout in præinsertis continetur, interueniat, vsque ad summam ducatorum triginta auri adhibeatur. Et quod Consules ipsi inter laicos de rebus prædictis, etiam si ipsi Romani Ciues sint, & Curiales Ro. Cu. sequentes, ius dicere, cognoscere, terminare, & exequi possint vsque ad summam prædictam, & sine præiudicio Tribunalis Auditoris Cameræ, in quacumque summa, & aliorum Tribunalium vltra summam viginti, absque eo quod causæ ab eorum Tribunali, præterquam per appellationem legitimo tempore, & modo interpositam, auocari possint, decernimus & mandamus.

Cõtrariorum derogatio.

§. 2. Non obstantibus quibusuis priuilegiis, etiam personis suprascriptis, etiam Motu proprio attributis, quorum omnium tenores perinde, ac si de verbo ad verbum hic inserti forent, pro expressis haberi volumus) ac aliis quibus prædecessor præfatus in præfatis literis minime obstare voluit; ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausula sublata.

§. 3. Et sic per quoscumque Iudices iudicari, & interpretari volumus, & mandamus, sublata aliter interpretandi, aut iudicandi facultate, irritum quoque & inane decernentes, quicquid in contrariũ contigerit attentari.

Sola signatura sufficit.

§. 4. Volumus autem quod præsentis nostri Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat regula contraria non obstante, vel quod breue desuper si videbitur expediri possit.

Papa subscri. D.P.A. 3 15. Ian.

Placet Motu proprio. I.

Datum Romæ apud S. Petrum 18. Calen. Februarij, anno tertio.

XLVII. Contra Franchitias in Vrbe acclamantes, aut illas pro male factoribus, vel ære alieno adstrictis tenentes, siue Curiam in eorum captura impedientes.

Hanc bullam approbauit Greg. XIII. in eius const. 12. Et ipsa. Quam pœnis addictis innouauit Sixt. V. in eius const. 6. Hoc nostri.

PIVS EPISCOPVS, Edita A.D. 1562.
Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

INter ceteras quibus ex iniuncto nobis Apostolicæ seruitutis officio assidue angimur cura illa nobis præcipue cordi est, vt Alma Vrbs nostra ad quam omnes Christi fideles ex vniuersis mundi partibus veluti ad tutissimum refugium confluunt, facinorosis hominibus expurgata, & penitus vacua permaneat, ac in ea boni omnes quieta securitate fruantur, malis autẽ nullus quo se confouere possint locus relinquatur. Et hi qui à Magistratibus iusdicentibus iustitiam consecuti fuerint, illius etiam executionem libere, vt decet, contra condemnatos, vbicumque eos moram trahere contigerit, consequantur.

Causa huius const.

§. 1. Sane cùm non sine animi nostri peturbatione acceperimus, nonnullos tam ob crimina per ipsos commissa, quàm ob debita contracta, sibi ipsis à ministris & executoribus iustitiæ timentes, ad ædes Magnatum, & præsertim S.R.E. Cardinalium, & Oratorum Principum, vti loca à dictis iustitiæ ministris tuta, tametsi contrarium esse deberet, in dies confugere, & in illis se recipere & confouere, sicque impunitos quandoque euadere, & creditores executione eorum creditorum vt plurimum frustrari.

Iulius III. Franchitias prohibuit, vt sup. in eius const. 17.

§. 2. Et licet ad huiusmodi abusum extirpandum, à fel. rec. Iulio Papa III. prædecessore nostro, quædam constitutio edita fuerit, talium tamen iustitiam fugientium temeritatem in tantum excreuisse, vt non solum se in dictis locis recipere, sed etiam illa veluti iustitiæ minime subiecta, Franchitias appellare non erubescant, tamquam in præfata Vrbe, in qua Summus Pontifex cum sacro Cardinalium Collegio residet, & vt CHRISTI Vicarius toto Orbi exemplum iustitiæ præbere debet, asylum, & receptacula delinquentium, ac suis debitis satisfacere recusantium esse toleretur, neque executio iustitiæ libere fieri valeat. Rem quidem pessimi, valdeque pernicioſi exempli, quæ non ab ipsis Cardinalibus, & Oratoribus vtpote modestis, & iustitiæ cultoribus, sed plerumque ipsorum familiarium culpa, & facto processit.

Hic Pont. illã confirmat, & Franchitias temeri, aut acclamari prohibet.

§ 3. Nos volentes tam enormes, & detestandos abusus penitus tollere, vtque nullus improbis tutus locus detur, sed executores iustitiæ passim, & vbique eorum officium libere, & intrepide exequi valeant prouidere, Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes in primis constitutiones circa præmissa tam per prædictum Iulium, quàm quoscumque alios Pontifices prædecessores nostros editas, cum omnibus & singulis censuris, & pœnis in eis contentis approbantes, & innouantes, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, vt nullus de cetero cuiuscumque sit dignitatis, & præeminentiæ, sub indignationis nostræ, & aliis arbitrij nostri pœnis, ædes prædictas, aut alia quæcumque loca, Franchitias appellare audeat. Nullique Cardinalium, & Oratorum, & Magnatum, etiam si nostri, seu Romani Pontificis pro tempore secundum carnem nepotes, aut alio consanguinitatis, seu affinitatis vinculo coniuncti fuerint, familiares, aut alias in ipsorum domibus commorantes, seu locis circumuicinis, malefactores quoslibet, etiam non condemnatos, aut pro debitis obnoxios, contra quos tamen mandata executiua ad instantiam creditorũ decreta, & relaxata extiterint; vt eos à manibus Curiæ eximant receptare, vel alias sub assertæ Franchitiæ prætextu, seçuros reddere, vel executores iustitiæ quo minus eorum officium contra illos, etiam in domibus & locis circumuicinis prædictis libere, & sine vlla prorsus contradictione exequi possint, quouis modo directe, vel indirecte impedire præsumant.

Contrauenientibus, pœnas imponit.

§. 4. Alioquin receptantes, aut securitatem præstantes, seu etiam executores iustitiæ quomodolibet, vt præmittitur impedientes, necnon qui Cardinalium, aut Oratorum, seu Magnatum quorumlibet nomen acclamando, contra dictos iustitiæ ministros inuocauerint, aut alias quoslibet alios in eosdem ministros concitauerint, velut,

crimi

criminis læsæ maiestatis rei condignis pœnis afficiantur, contra quos omnes & singulos ad supradictas,& etiam ad alias pœnas in quibus malefactores ipsi condemnari fuerint, vel quas promeruerint, interesseque & damna inde prouenientia, necnon ad creditorum satisfactionem, etiam ex officio, & ad Fisci nostri, ac partium instantiam respectiue inquiri & procedi, & successiue eos condemnari posse & debere, volumus atque decernimus.

Iussimus Card. & Oratorii talia permittat.

§.5. Mandantes nihilominus Cardinalibus, Oratoribus, & aliis prædictis sub eiusdem nostræ indignationis pœna, vt familiares suos, & alias in ipsorum domibus commorantes, ne præmissa committant omnino admoneant, & cum effectu cohibeant, neque per illos aliquid de præmissis fieri quouis modo tolerent, seu permittant.

Clausula derogatoria.

§.6.Non obstantibus constitutionibus,& ordinationibus Apostolicis,priuilegiis quoque & indultis, sub quacumque tenorum forma quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis,& iteratis vicibus innouatis, assertis consuetudinibus, quas per præsentes improbamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c.

D. P. A. 3. die 18. Febr.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1562. duodecimo Cal. Martij, Pontific. nostri Anno 3.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi 1562. indict. 5. die verò Lunæ 23. mensis Febr. Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij Diuina prouidentia Papæ IV. Anno eius 3. retroscriptæ litera Apost. affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Cancell. Apost. & acie Campi Flora, per me Ioannem Baptistam Masinellum Cursorem.

Camillus Cherubinus Mag. Curs.

XLVIII. Declaratio, & limitatio constitutionis editæ à Paulo IV. super ordinationibus obseruandis per Hebræos in Statu Ecclesiastico degentes.

Has limitationes in his quæ aduersantur d. constit. Pauli IV. sustulit Pius V. in const. 6. Romanus. *& Clem. VIII. in const. 19.* Cæca. *Et de materia Hebræorum, vide sup. in ipsius Pauli IV. const. 3.* Cum nimis.

PIVS PAPA QVARTVS.

Edita A.D. 1562.

Vniuersis & singulis vtriusque sexus Hebræis in Alma Vrbe commorantibus, & commorari solitis, viam veritatis agnoscere, & agnitam custodire.

Paul. IV. multa statuit circa Iudæorum viuendi modũ in const. cit. in rub.

DVdum à fel. rec. Paulo Papa IV. prædecessore nostro zelo religionis Christianæ moto literæ Apostolicæ circa vestrum, aliorumque Hebræorum viuendi modum, sub data videlicet pridie Idus Iulij, Pontificatus sui anno primo emanarunt, quarum vt accepimus prætextu per calumniam & cauillationes nonnullorum vestris facultatibus inhiantium, literas ipsas in multis præter ipsius prædecessoris intentionem interpretantium, vos diuersimode vexati & inquietati fuistis.

Hic modo Pöt. declarat, in itinere de loco ad locum eos posse deferre biretũ nigrũ.

Quod reuocauit Pius V. cit. in rub. sed tamen ita seruatur.

§.1. Quare nos considerantes quod sancta Mater Ecclesia Hebræis quos in memoriam passionis Dominicæ tolerat, multa plerumq; concedit, vt Christiana benignitate allecti errorem suum recognoscãt,& ad verum, quod est Christus, lumen tandem conuertantur, plurimorum etiam prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo, statui vestro opportune prouidere volentes, ac literarum prædictarum tenores præsentibus pro expressis habentes: Motu proprio non ad vestram, vel alicuius vestrum, aut alterius pro vobis super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Vobis omnibus & singulis, vt dum vos ab vno loco ad alium iter agere contigerit, possitis in ipso itinere biretum, seu pileum nigrum deferre, ea tamen conditione, vt si vltra vnam diem vno in loco moram traxeritis, postea solitum biretum glauci coloris gesteris, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus ac indulgemus. Volentesque quod si locus pro vestra habitatione assignatus amplus & capax, ac negotiis gerendis, & mercibus exercendis aptus & commodus sit, intra illum vos contineatis: alioquin in alio capaci commodo vobis assignando, vel priori quantum opus fuerit ampliando, seu iam per dilectum filium Guidonem Ascanium Cardinalem Camerarium iam ampliatum,& forsan eiusdem Guidonis Ascanij,seu ab eo desuper deputan. arbitrio in posterum ampliando.

Stabilia vsq; ad 1500. ducat. habere valeant, & mercaturam quarumcumque rerum exercere possint.

§.2.Et vltra domos in clausura existentes quas per vos acquiri forsan contigerit, quæcumque alia stabilia,bona, seu prædia vrbana, & rustica, vsque ad valorem mille & quingentorum ducatorum auri tenere possitis; bonaque ipsa Christianis & colonis etiam partiariis, vel sub certa annua pensione, provt cum illis conuenietis, locare, ac etiam sine aliquibus fraude,& monopolio culturæ terrarum, & animalium cuiuscumque generis, aliarumque rerum societates cum eisdem Christianis contrahere, & quascumque artes, & mercaturas quarumcumque mercium, & rerum humano vsu quomodolibet et necessariarũ, etiam olei, frumenti, vini, hordei, ceterorumque fructuum (nisi tamen superiores huiusmodi commercia, & emptiones publico edicto omnibus etiam Christianis negotiantibus interdixissent) exercere & vbi etiam hæc vobis à vestris debitoribus in solutum data fuerint, illa recipere, acceptaque quibusuis personis etiam Christianis vendere,& cum illis pro aliis bonis permutare,& provt volueritis alienare.

Qua reuocauit idem P. V. ibidem.

Cum Christianis honeste conuersentur.

§.3. Et cum Christianis conuersationem & familiaritatem honestas,non tamen eosdem Christianos in vestros famulos habere, aut quomodolibet tenere. Et de pecuniis per vos, & vestrum quemlibet mutuatis interesse pro tempore vsque ad datam literarum prædecessoris huiusmodi decurso, iuxta capitula vobis antea concessa & tolerata, exceptis tamen casibus iam decisis, vel per transactionem, vel sententiam quæ in rem iudicatam transierit finitis, quas in suo robore permanere omnino volumus, nisi quæ arbitrio nostro noua reuisione digna videbuntur, abinde vero circa iuxta modum ex eiusdem prædecessoris ordinatione vobis datum, & donec alius modus vobis, per nos, seu nostrum & Sedis Apostolicæ Camerarium præfatum pro tempore statuetur, dummodo tum interesse de vestro interesse non exigatis, exigere.

Pignora post lapsum 18. mensium vendere valeant.

§.4. Et pignora quæ à Christianis quomodocumque per vos accipi contigerit, de illis lapsis decem & octo mensibus integris postquàm vobis consignata fuerint, per publicam subhastationem assistenti officiali publico, & parti legitima intimatione facta, & alias iuxta morem & modum antequam dictæ literæ emanassent in præfata Alma Vrbe seruari solitum vendere, & illorum pretium pro concurrenti summa vestri crediti, reliquum, si quod superflueret illorum dominis reddendo & consignando, vel in manibus officialis deponendo, vobis retinere, & de illis nullam rationem illorum dominis, seu cuiquam alteri reddere teneamini, sed velut de propriis bonis libere disponere valeatis, plenam & liberam eisdem auctoritate & tenore facultatem concedimus.

Statuta Vrbis seruent si non obstant indultis.

§.5. Et insuper volumus vt vos sub statutis & decretis generalibus Almæ Vrbis præfatæ, quæ tamen priuilegiis & concessionibus vobis indultis contraria non sint, comprehendamini, & illa obseruare teneamini.

Domini domorum in septu; eas locent pro pensione vt hic.

§.6. Et ne ob certi loci intra quem habitare debeatis assignationem,& intra illum domos conducendi necessitatem ab illarum dominis vltra debitum modum prægrauemini, vt domorum domini in locis prædictis illas vobis pro iusto pretio per Camerarium præfatum declarando, loca teneantur, neque illud quouis modo augere, vel alterare valeant.

Qui stabilia ab eis emerũt, soluant pretiũ absque cautione, vel illa cum fructibus restituant.

§.7. Præterea si à vobis, vel vestrum singulis vigore Apostolicarum prædecessoris literarum, bona stabilia quæ possidebatis à vẽdere coactis aliqui huiusmodi bona emerunt, & illorum etiam sub prætextu cautionum, de euictione, seu alias per calumnias requisitarum non præstitarum vobis nondum persoluerint, vt pretia conuenta vobis absque alicuius cautionis præstatione integre persoluere,aut bona ipsa stabilia,per eos empta in eo statu, quo erant tempore emptionis vnà cum fructi-

bus per eos perceptis restituere teneantur. Omnesque libros rationum vestrarum, & alias scripturas publicas, & priuatas vobis ablatos & ablatas, seu depositos & depositas, quibusuis sequestris super illis factis sublatis, vobis restitui mandamus, vosque ad reddendum rationem aliquam de contractibus, seu instrumentis etiam cassis, & extinctis nullatenus teneri, neque adstringi posse decernimus.

Delicta præterquam hic excepta iam patrata remittit.

§.8. Et vlterius vos omnes & singulos ab omnibus, & quibusuis delictis, criminibus, etiam tàm contradictas Pauli prædecessoris, quàm contra eiusdem Pauli Pontificatus tempore durante quorumuis S.R.E. Card. aut aliorum quorumcumque literas etiam libros non exhiben. aut alias ipsis literis non parendo excessibus, & transgressionibus quantumcumque grauibus & enormibus per vos vsque ad præsentem diem commissis, exceptis dumtaxat criminibus homicidij, homicidioque maioribus, ac læsæ maiestatis, & falsæ monetæ, falsificationis literarum Apostolicarum, & in contemptum fidei Christianæ commissis, & iuxta formam instrumenti per vos in Camera Apostolica cum dilecto filio Donato Matthæo Minali generali Thesaurario modo facto, seu celebrato quoad pœnas tantum cuicumque præterquam parti applicandas, & quæ hactenus depositatæ, seu exactæ non fuerint, & saluo in reliquis iure cuiusslibet tertij, necnon à quibusuis residuis vigesimarum, & talearum, & aliis quibuscumque, tàm ciuilium quàm criminalium Camere Apostolicæ debitis, auctoritate & tenore præmissis absoluimus & liberamus.

Querelans cõtra eos occasione exactionis interesse, habet annum ad prosequendum querelã respectu pœnæ.

§.9. Et insuper volumus quod pro futuris transgressionibus ratione exactionis vestri interesse querelans, seu accusator annum tantum habeat ad prosequendum suam accusationem, seu querelam quantum sit respectu pœnæ, vt supra applicandæ: quo vero attinet ad interesse ciuile ipsius querelantis, vel accusantis, vel cuiuslibet alterius tertij, nulla alia sit præfinitio temporis, nisi ea quæ à iure communi statuta est.

Præscriptio iuris cõmunis contra Iudæos oppeni potest.

§.10. Et pariter quod vestris creditis, tàm præteritis quam præsentibus & futuris ea solum opponatur præscriptio quæ præfinita est à iure communi, & quod pro toto eo tempore quo quis pecuniis vestris fruitur, intelligatur interesse currere, computando tamen diem pro die, mensem pro mense, non autem diem pro mense, & pro trangressibus vestris pœnæ sint arbitrariæ de cetero, exceptis tamen illis casibus pro quibus certæ pœnæ sunt statutæ à iure communi.

Apotheca extra septum Iudæorum haberi possint, vt hic.

§.11. Præterea vobis permittimus quod possitis tenere apothecas extra ghectum, seu septum hebraicum, quantum tamen fieri poterit contiguas, & in illis ab ortu solis vsque ad occasum, exceptis diebus festiuis, permanere, & mercaturam, ac artes vestras, & banchum, aliaque vobis permissa exercitia exercere, dummodo adueniente nocte, vos ad vestras solitas intra claustra habitationes reducatis.

Libri non probant contra Christianos nisi scripti sint vulgari italico sermone.

§.12. Ceterum vt fraudibus occurratur, mandamus, vt vos rationes quas cum Christianis habueritis, characteribus linguæ vulgaris Italicæ scribere teneamini, aliàs vestris libris, seu rationibus aliàs quam vt præfertur scriptis, seu notatis nulla fides prorsus adhibeatur, possitis tamen ad libitum vestrum priuatos libros in vsus vestros cõscribere lingua vestra hebraica, dummodo ex eis Christianos non conueniatis. Quodque non solum vos in Alma Vrbe præfata commorantes, sed etiam ceteros extra illam in aliis quibusuis locis moram trahentes, qui in eadem negotia aut commercia aliqua habuerint, pro illorum modo & qualitate teneantur, & obligari sint in solutione compositionis, per vos nuper cum Camera Apostolica factæ, aliisque omnibus oneribus per vos sustinendis & fiendis, iuxta ratam eis per taxatores imponen. concurrere & contribuere, ac demum instrumentum conuentionis per vos cum Camera Apost. siue eius Thesaurario, sub die 8. Ianuarij præsentis anni initæ cum omnibus in eodem instrumento contentis de verbo ad verbum, prout iacet auctoritate & tenore præmissis approbamus, ratificamus & confirmamus, omniaque in illo concessa vobis damus, & concedimus, & condonamus, ac præmissa omnia & singula in præsentibus nostris literis contenta inuiolabiliter obseruari.

Quod voluit etiã Paul. IV. aut. in rub.

Decretum irritans.

§.13. Sicque per quoscumque Iudices & commissarios quauis auctoritate fungentes etiam Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere, ac quicquid secus à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Executorum istius constitutionis deputatio & facultates.

§.14. Quocirca dilectis filiis nostro & Romanæ Ecclesiæ Camerario, & etiam nostro in Alma Vrbe, eiusque districtu in spiritualibus Vicario, & Curiæ causarum Cam. Apost. Auditori generali motu simili per præsentes mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut vnus eorum, per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quotiens pro parte vestra fuerint requisiti solemniter publican. vobisque, in præmissis efficacis defensionis præsidio assisten. faciant auctoritate nostra vos concessione, indulto, voluntate, permissione, liberatione, absolutione, mandato, confirmatione, approbatione, decreto, aliisque præmissis, & præsentibus literis pacifice frui & gaudere, non permittentes vos aut aliquem vestrum desuper per quoscumque quauis auctoritate fungen. quomodoliber indebite molestari; contradictores quoslibet, ac inobedientes & rebelles, per censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogatoria.

§.15. Non obstantibus supradicti Pauli prædecessoris, & quibusuis aliis literis, concessionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam per nos contra præmissa, seu aliquod præmissorum editis, necnon prouincialibus, etiam per Sedis Apostolicæ pro tempore de latere Legatos, etiá super præscriptione sex annorum siue alterius breuioris quæ à iure cõmuni indicta sit temporis contra Hebræos præfinita similiter editis, etiam Vrbis præfatæ statutis & consuetudinibus, etiam per Sedem Apostolicam approbatis & confirmatis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis dictæ Almæ Vrbi, seu eius populo, ac quibusuis aliis sub quibuscumque verborum formis & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus & efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis quibuslibet concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbũ insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis haben. illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facien. plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 27. Febr. 1562. Pontificatus nostri Anno tertio. *D. P Ann. 3. die 27. Febr.*

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi 1562. Indict. 4. die verò 12. mensis Martij, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Pij Diuina prouidentia Papæ IV. Anno 3. retroscripta litera Apostolicæ præsentatæ, & intimatæ fuerunt magnifico D. Cæsari Contardo Auditori Illustriss. & Reuerendiss. D. Card. de S. Flora, & D. Hieronymo de Tarano Caus. Apost. notario, & Bernardino de Monte Leone, & Iacobo alias Beuilacqua executoribus R.P.D.A.C. illis inhiben. iuxta dictarum literarum formam & tenorem, dimissa deinde copia in actis dicti D. Hieronymi de Tarano, per me Ioannem Andream Panizzam præfati S. D. N. Papæ Curs.

Petrus Valtrini Mag. Curs.

XLIX. Prohibitio deferendi, retinendi, & vendendi Archibusettos breuioris mensuræ duorum palmorum in Statu Ecclesiastico.

Hec

Digitized by Google

Hac const. extensa fuit etiam contra deferentes pugiones, cultellos, & aliud genus armorum breuioris mensuræ trium palmorum per Pium V. in eius const. 144. Cum vices eius.

Edita An. D. 1562.

PIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. *Ad perpetuam rei memoriam.*

Causa huius prohibitionis.

CVm vices eius, licet immeriti, geramus in terris, qui de cœlo ad ima descendens, pro salute humani generis seipsum ad Crucis patibulum obtulit, omni quo possumus studio, continuo inuigilare debemus, vt omnis prorsus occasio, homicidia, tamquam in eiusdem humani generis perniciem tendentia, committendi, quantum in nobis est, submoueatur. Et quia experientia cognouimus, quamplura ex illis tormentulis igneis, Archibusettis vulgariter nuncupatis (quæ occulte deferri possunt, & ad necem inferendam aptiora, & fere inculpabilia esse videntur) in dies committi & perpetrari, nec hactenus ob proclamata, etiam sub grauissimis pœnis, à Rectoribus prouinciarum & terrarum, nobis & S.R.E. subiectarum, ab illis deferendis, ob sicariorum copiam & audaciam, cessari aut abstineri; quinimo passim & indistincte, non secus, ac cetera arma minus prohibita, ab omnibus fere gestari.

Prohibitio deferendi, & retinendi Archibusettos breuioru mẽsura duorum palmorum.

§.1. Nos propterea volentes proditorium, & abominabile, & detestandum armorum genus huiusmodi penitus & omnino destruere, ac ab Alma Vrbe, aliisque terris nostris prædictis, in totum eliminare. Motu proprio, & ex certa scientia, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, nemini cuiuscumque sit dignitatis, gradus, ordinis, conditionis, aut præeminentiæ, licere genus armorum huiusmodi, quod breuioris duorum palmorum mensuræ existat, publice vel occulte, tàm per Vrbem, ciuitates, & loca nostra prædicta, quàm etiam in itineribus quoquo modo, aut quouis etiam militiæ, aut executionis iustitiæ, prætextu deferre, minusque in domibus, aut alibi retinere, vendere, emere, aut permutationis, in solutum dationis, pignoris, vel quocumque alio titulo recipere, quinimo quicumque illa habuerint, intra viginti dierum spatium, à die publicationis præsentis constitutionis in locis infrascriptis faciendæ, computandum, in Alma Vrbe nostra illius Gubernatori; in aliis vero locis prædictis, Rectori, vel Præsidi, aut etiam Gubernatori, seu cuiuis alij superiori loci in quo ea habentes fuerint, denunciare, & ad eum perferre, seu perferri facere, ac penes ipsum in loco ad id deputando, seruanda dimittere teneantur.

Contrauentiõtium pœna.

§.2. Qui vero contrafecerit, dictumque genus armorum, lapsis dictis viginti diebus, retinuerit; crimen læsæ maiestatis, & rebellionis, ac pœnas pro illo à iure inflictas eo ipso incurrat.

Inhibitio cõtra Officiales ne licentias desuper concedant.

§.3. Inhibentes (prout tenore præsentium inhibemus) omnibus & singulis, etiam de latere nostro Legatis, ne sub indignationis nostræ, & quibuscumque Vicelegatis, Gubernatoribus, Rectoribus, Præsidentibus, ac aliis nostris, & Sedis Apostolicæ, seu ciuitatum & terrarum prædictarum officialibus, ne sub suspensionis à diuinis, ac excommunicationis latæ sententiæ, aliisque arbitrij nostri pœnis, cuiquam tale genus armorum, sub quouis colore deferendi, vel alias, vt præmittitur, retinendi, licentiam & facultatem ad quodcumque etiam breuissimum tempus, concedere audeant vel præsumant.

Licentia autẽ per Officiales danda nulla sint, & à pœnis prædictis non excusent.

§4. Decernentes nihilominus licentias & facultates sic concedendas, nullas penitus & inualidas existere, ac illis non obstantibus, eos qui sub illarum clypeo, dictum genus armorum detulerint, aut vt præmittitur retinuerint, pœnas prædictas omnino incursuros, illosque irremissibiliter puniendos fore, & contra omnes & singulos huic nostræ constitutioni contrauenientes, ad Fisci nostri instantiam, & etiam ex officio procedi, & inquiri posse, ac ad pœnarum prædictarum executionem deueniri omnino debere.

Iussio publicandi.

§.5. Vt autem præmissa ad omnium notitiam deducantur, nec aliquis prætextu ignorantiæ excusari possit; volumus quod præsentes literæ per aliquos Curiæ nostræ Cursores, ad basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Ecclesiæ Lateranen. necnon Cancellariæ Apostolicæ valuas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur.

Transumptorũ fides.

§.6. Quodque earum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, certa & indubitata fides adhibeatur, prout ipsis literis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Et transumpta huiusmodi, Legati, Vicelegati, Rectores, vel Præsides, aut Gubernatores, seu alij Superiores prouinciarum, terrarum, oppidorum, & locorum prædictorum, per publicum præconẽ publicari, & valuis Cathedralis, seu Matricis Ecclesiæ loci, aut palatij eorũ residentiæ affigi faciant, publicationemq; & affixionẽ prædictas, lapsis dictis viginti diebus, perinde omnes arctare, ac si personaliter intimatæ forent.

Derogatio cõtrariorum.

§.7. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegiis quoque, & indultis, quibuscumque personis forsan concessis, confirmatis, & innouatis, assertis consuetudinibus, quas (si quæ forent) per præsentes improbamus, nullasque & inualidas esse declaramus. Et quæ omnia (illorum tenores pro sufficienter expressis habentes) reuocamus, & annullamus, nullaque & irrita esse decernimus, ceteriſque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1562. pridie Non. Martij, Pont. nostri Anno 3.

D.P.A. 3. die 6. Maij.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1562. indict. 5. die verò 20. mensis Martij, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Pij Diuina prouidentia Papæ IV. Anno tertio suprascriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis suprascriptis, per nos Io. Guerardum, & Philibertum Capuis Cursores Apostolicos. *Petrus Valtrini Mag. Curs.*

L.

Iurisdictio, & facultates Cardinalis protectoris & iudicis causarum Monasterij, & Monialium (impudicarum iàm mulierum) Conuertitarum de Vrbe nuncupatarum.

Institutionem huius Monasterij, & eius indulta vide sup. in Leon. X. const. 39. Saluator. vbi notaui.

PIVS PAPA IV. *Motu proprio, &c.*

Edita An. D. 1562.

CVm sicut accepimus, non sine animi nostri displicentia, Monasterium Conuertitarum de Vrbe, illiusque Moniales, ob lites, & quæstiones, quibus ad diuersa Vrbis Tribunalia, occasione bonorum meretricum curialium, & aliarum quarumcumque mulierum inhonestam vitam agentium, & ab intestato decedentium, seu quæ eisdem Monialibus iuxta formam fel. rec. Leonis Papæ V. & aliorum prædecessorum nostrorum partem debitam non donauerint, vel reliquerint, vel alias dictæ bullæ non satisfecerint, ac locationum, censuum, donationum, hæreditatum, legatorum, & diuersarum aliarum rerũ, tàm in agendo, quàm defendendo ipsum Monasterium concernen. & ad illud, ac eius Moniales prædictas, quouis modo spectan. iugiter implicatæ existant, & quamplurima damna & incommoda patiantur, ac impensæ litis valorem, de qua pro tempore agitur, sæpenumero exuperare, atque propter huiusmodi diuturnam prudentiam, & illarum expeditionis tarditatem, ipsum Monasterium à plurimis annis citra multis debitis inuolutum existat, ita vt vix ab eis possit explicari, aut habere vnde illius onera, & dictarum Monialium alimenta proueniant, nisi de celeri & opportuno remedio prouideatur.

Causa constit.

Aduocatis causarũ Monasterij non instructarum coram quocũque Iudice vertentium eum quibuscumque etiam priuilegiatis.

§.1. Nos Monasterium Conuertitarum prædictarum, in quo mulieres carnis libidinum, & licentiosæ vitæ antea assuetæ, caritatiue recipiuntur, & in viam Domini diriguntur, earumque & illas sequentium animarum æterna salus paratur, tantoque hospitalia & alia pia loca, in quibus Christi pauperes, tàm infirmi quàm alias recipiuntur, aluntur, & cooperiuntur excellere, quanto anima, & corpus, & cetera terrena antecellunt, ac earum paupertatibus & indemnitatibus, paterna pietate fauorabiliter consulere, & vt ab huiusmodi dispendiis & expensis quãtocitius subleuentur, prouidere volẽtes, Motu simili, & de certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas causas inter dictum Monasterium & Moniales prædictas, siue earum Gubernatores, ac procuratores, & agentes, & quascumque alias etiam singulares personas, Collegia, Vniuersitates, Societates, etiam pia & religiosa loca, cuiuscumque status, gradus, ordinis, & qualitatis, priuilegiatas & priuilegiata, tàm

Digitized by Google

coram S.R.E.Camerario, necnon A. & Præsiden. ac Clericis Cam. Apost. necnon Vicario, & Gubernatore, ac Senatore Vrbis, Capitaneoque & aliis quibuscumque iudicibus, ordinariis & delegatis, etiam causarum Palatij Apostolici Auditoribus, ac S. R. E. Cardd. nunc & pro tempore existen. occasione quorumcumque bonorum & rerum supradictum Monasterium, & illius Moniales, & alios prædictos, tàm coniunctim quàm diuisim, ac tàm actiue quàm passiue concernentibus, & ad prædictum Monasterium & Moniales huiusmodi quomodolibet, & de interesse ipsarum quomodocumq; & qualitercumque apparere possit spectan. in quacumque instantia, inter illos, necnon alia æque, vel magis pia loca Vniuersitates, Collegia, quomodocumque priuilegiata, viduas, pupillos, & alias personas etiam exemptas penden. cuiuscumque qualitatis, status, ordinis, vel conditionis & naturæ existen. etiam maiores expressis, in eodem statu & terminis, in quibus reperiuntur (dummodo instructæ non sint) aut illas, ac omnes alias & singulas de cetero inter Monasterium & Moniales huiusmodi, illius Gubernatores, procuratores & agentes ac supradictos, & alios quoscumque quomodolibet, tàm actiue quàm passiue mouen. harum serie aduocamus.

Deputatio & facultates Iudicu dictarũ causarum, & Protectoris Monasterij.

§.2. Ac in Venerab. fratrem nostrum Ioan. Episcopum Sabinen. S.R.E. Card. Moronum nuncupatum, modernum, & pro tempore existen. protectorem eiusdem Monasterij Conuertitarum, iudicem ordinarium & perpetuum, ad prædictas, necnon quascumque alias, similes vel dissimiles, causam & causas, ac etiam criminales & mixtas, tàm per eos, & contra eos, & eorum singulares personas super præmissis, à quibuscumque aliis rebus, iuribus, & actionibus, super bonis & rebus cuiuscumque qualitatis, quantitatis, valoris & naturæ existant, & ad Monasterium & Moniales præfatas huiusmodi pertinentes, inter eos, ac personas, Vniuersitates, Collegia, seu loca pia, etiam priuilegiata & exempta, tàm actiue quàm passiue pro tempore mouen. iuxta ordinariam iurisdictionem seu facultatem, tàm Gubernatori quàm Auditori Cameræ, seu Vicario Vrbis præfato, & eorum cuilibet attributam, seu attributas, per se, vel eius Auditorem, nunc aut pro tempore existen. seu alium per eum deputatum, vel deputandum audien. fineque debito terminan. & deciden. & quod decreuit in quocumque loco, & contra quascumque personas quantumcumque priuilegiatas plenarie exequen. seu exequi facien. quibusuis inhibitionibus, etiam vigore specialium commissionum, etiam nostra & successorum nostrorum huiusmodi manu signata, emanata, & emanan. non obstan. auctoritate Apost. tenore præsentium perpetuo constituimus & deputamus, & ad hunc effectum illi etiam per alium, seu alios quoscumque, tàm in Rom. Curia, quàm extra eam, & per edictum publicum constito summarie sibi de non tuto accessu, citandi & monendi, ac eisdem & præfatis.

Facultas inhibendi quibuscumque Iudicibus Vrbis.

§.3. Necnon quibusuis aliis etiam Cur. Capitolij primo & secundo illius Collateralibus, ac Appellationum Capitaneo, quam aliarum eiusdem Vrbis Curiarum Iudicibus & personis, tàm Ecclesiasticis quàm sæcularibus, quibus, & quoties opus fuerit, sub censuris, sententiis, & pœnis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, de quibus eidem Protectori, siue eius deputan. Auditori, videbitur inhiben. & in euentum non paritionis, contra inobedientes & rebelles ad declarationem incursus censurarum, & pœnarum huiusmodi, illarumque aggrauationem, & alia, iuxta stylum & morem dictarum Curiarum in similibus seruari solitum, & alias provt sibi videbitur, proceden.

Sententias exequendi.

§.4. Sententiamque siue sententias, debitæ executioni demandan. seu demandari facien. in omnibus & per omnia, & iuxta etiam facultatem dictis Audit. Cameræ, Vrbis Gubernatori, & Vicecancellario per eamdem bullam concessam.

Inobedientes coercendi.

§.5. Contradictores quoslibet & rebelles, per censuras & pœnas Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, aliaque iuris & facti opportuna remedia appellatione postposita compescen. auxiliumque brachij sæcularis, ad hoc si opus fuerit, inuocan.

Cetera necessaria faciẽdi.

§.6. Omniaque alia & singula in præmissis, & circa ea, necessaria, seu quomodolibet opportuna, faciendum & exequendum.

Causas reassumendi ab aliis Iudicibus.

§.7. Ac causam & causas, moras & mouendas, commissas & committendas, toties quoties opus fuerit, semel & pluries eiusdem Cardinalis arbitrio reassumen. plenam & liberam licentiam & facultatem concedimus.

Et causa alibi cognosci nequeant.

§.8. Decernen. Monasterium Conuertitarum prædictarum, & illius Moniales & Gubernatores, seu Procuratores, & eorum agentes, personasque prædictas, ex nunc deinceps occasione præmissorum alibi quam coram prædicto nunc, & pro tempore dicti Monasterij Conuertitarum existen. Protectore conueniri, aut alios conuenien. constringi non posse. Ac processus sententias & decreta per alium, vel alios, tàm ordinarios quàm delegatos in causis prædictis quomodolibet pro tempore formatas, latas, & factas, cum inde secutis quibuscumque, nulla, irrita, & inania, nullinsque roboris vel momenti fore.

Clausula præservatiua.

§.9. Præsentes quoque sub quibuscumque reuocationibus, suspensione, & exceptionibus, similium vel dissimilium gratiarum, etiam per nos & successores nostros Rom. Pont. aut Sedem Apost. vel eius Legatos, etiam per Regulas Cancell. Apost. pro tempore factas ad fauorem fabricæ Basilicæ Principis Apost. de Vrbe, nullatenus comprehen. sed semper ab illis penitus & omnino exemptas esse, & censeri, nec eisdem præsentibus per quascumque literas, & quasuis regulas generales & speciales, etiã derogatorjarũ derogatorias, efficaciores & insolitas clausulas, & irritan. decreta, sub quacumq; verborum expressione in se cõtinen. derogari posse, & si illis vllo vnquam tempore ex aliqua etiam quantumuis necessaria & vrgentissima causa derogari contingat, nisi tenor illarum de verbo ad verbum nihil omisso insertus, & huiusmodi derogatio consistorialiter facta, & per trinas, & distinctas literas eumdem tenorem continen. tribus similibus distinctis vicibus, Monialibus, Gubernatoribus, & Deputatis, ceteriscque personis prædictis legitime intimata & insinuata fuerit eorumque expressus accedat ad id consensus, derogationem nemini suffragari, nec præsenti Motu proprio per quamcumque concessionem, etiam nostra & successorum nostrorum manu signatam, fuisse & fore derogatum.

Decretum Irritans.

§.10. Sicque per quoscumque Iudices quauis auctoritate etiam Card. sublata, &c. iudicari debere, irritum quoque, &c.

Clausula derogatoria.

§.11. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de vna, & in consilio generali edita de duabus dietis, dummodo non vltra tres dietas ad iudicium trahant, aliisque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & fabricæ prædictæ, necnon Hospitalium, Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum regularium, & piorum locorum, ac Ordinum quorum illi extiterint, & aliorum quorumcumque locorum exemptorum, iuramento, &c. roboratis statutis, &c. priuilegiis quoque, indultis, necnon conseruatoriis, & exemptoribus, ac literis Apost. in forma Motus proprij eisdem Capitolij Rom. necnon Iudicibus Curiis, Tribunalibus, & eorum personis per quoscumque Rom. Pont. prædecessores nostros, ac nos & Sedem Apost. etiam Motu proprio, ac alias sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis in contrarium quomodolibet concessis, necnon reformationibus etiam nouiter factis. ac etiam Motu proprio simili approbatis, etiam de reassumen. eisdem causis ad forum, seu Curiam Capitolij, quibus omnibus etiamsi de illis, &c. tenores, &c. ac si in specie præsentibus insererentur, tàm in genere quàm in specie, ad effectum, sufficien. derogation. pro se sufficienter expressis haben. & habere decernen. harum serie specialiter & expresse Motu simili, & ex certa scientia, ac de potestatis Apostolicæ plenitudine derogamus, & sufficienter derogatum esse decernimus, ceteriscque contrariis quibuscumque.

Sola Signatura sufficit.

§.12. Volumus autem præsentis Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat, tàm in iudicio quàm extra, clausula ordinaria non obstante, quodque præsentium transumptis manu alicuius notarij publici subscriptis, sigillo predicti Protectoris, seu alterius cuiuscumque

Digitized by Google

cumque perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel Curiæ ſæcularis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, tàm in iudicio quàm extra, quæ præſentibus adhiberetur ſi exhibitæ vel oſtenſæ fuerint.

Papa ſubſcri. Placet Motu proprio. I.

D. P. Ann. 3. die 17. Martij Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, 16. Kal. Aprilis, Anno 3.

L I. Iuriſdictio Inquiſitorum hæreticæ prauitatis, procedendi contra quoſcumque regulares, & religioſos, quoquo modo priuilegiatos, & exemptos, de hæreſi culpabiles, dummodo eorum Superiores non præuenerint.

Hanc iuriſdictionem etiam priuatiue quoad ipſos Ordinum, & religioſorum Superiores, Inquiſitoribus conceſſit Paul. V. vt infra in eius conſt. 26. Romanus. Et conſonat conſt. 22. Alex. IV. Ne commiſſæ, quæ eſt ſup.

Edita An. D. 1562. *PIVS PAPA QVARTVS*
Ad futuram rei memoriam.

Exordium. PAſtoris æterni vices, meritis licet inſufficientibus gerentes in terris, ſic vigilantiæ noſtræ ſolicitudinem circa oues curæ noſtræ diuina diſpoſitione commiſſas exercere ſtudemus, ne illæ ab ouili ſuo, extra quod ſaluus nemo eſſe poteſt, aberrantes, in luporum rapacium inſidias vllo modo incidere valeant, ſed intra caulas debite cuſtoditæ, ad cæleſtia paſcua feliciter peruenire poſſint.

Pont. conceſſerunt diuerſis Ordinibus de hæreſi inquiri non poſſe niſi per eorum Superiores. §. 1. Nuper ſiquidem accepimus, nonnullos Rom. Pontifices prædeceſſores noſtros anteactis temporibus ex cauſis tunc expreſſis, diuerſis Ordinibus etiam mendicantibus, quòd contra eorum fratres & religioſos in quibuſcumque cauſis etiam hæreſis, niſi per eorumdem Ordinum ſuperiores, & prælatos inquiri, aut procedi quoquomodo non poſſit, inter alia priuilegia per ſuas literas conceſſiſſe, & nos forte illas confirmaſſe, ſuper-creſcente autem temporis, & hominum malitia, hac noſtra potiſſimum ætate, (quod ſane dolenter referimus) in agro Euangelici Patrisfamilias zizania etiam inter dictos fratres & religioſos in tantum pullulaſſe, meſſeſque tritico rareſcentes adeo polluere videmus, vt vulpeculæ iam in aperto vineam Domini demoliri nitantur.

Sed hic Pont. ad maiorem fidei vtilitatẽ, Inquiſitoribus omnibus facultatem dat procedẽdi cõtra quoſcumque fratres, & religioſos, & exẽptos, dummodo eorum ſuperiores non præuenerint. §. 2. Quare nos pro paſtoralis officij nobis diuinitus crediti debito, quantum cum Deo poſſumus, opportuna in præmiſſis remedia adhibere volentes, vt quos Dei amor à malo non reuocat, pœnæ ſaltem formido à delinquendo retrahat. Et propterea conſiderantes, quòd ſi dilecti filij Inquiſitores hæreticæ prauitatis, tàm generales quàm vbique locorum deputati particulares, in cauſis hæreſis huiuſmodi contra quoſcumque quorumuis Ordinum etiam quomodolibet exemptorum & mendicantium fratres profeſſores & religioſos, quandocumque cauſas ipſas hæreſis ab eis inchoari contigerit, procedere valerent, profecto id in non modicam fidei catholicæ cederet vtilitatem, cum præſertim ex hoc ſuperiores & prælati ordinum prædictorum, ſicut veriſimiliter credendum eſt, ad ſubditos ſuos ſub probata religionis norma continendos, trangreſſoreſque debitis pœnis compeſcendos facile reddi poſſint diligentiores. Idcirco Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, hac noſtra firmiter valitura conſtitutione, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, ordinamus, atque decernimus, quod de cetero in omnibus Chriſtiani Orbis partibus Inquiſitores hæreticæ prauitatis, tàm generales, quàm in quibuſuis Prouinciis, Ciuitatibus, Oppidis, Terris, & locis pro tempore deputati particulares, contra quoſcumque Fratres, profeſſores & Religioſos Ordinum prædictorum, ac etiam contra quoſcumque quouis modo priuilegiatos & exemptos, de hæreſis crimine quomodolibet ſuſpectos, aut culpabiles, dummodo ab eorumdem Fratrum profeſſorum, & Religioſorum ſuperioribus, & prælatis in cauſis huiuſmodi præuenti non fuerint, iuxta facultates officij ipſius inquiſitionis inquirere & procedere, ac culpabiles, & delinquentes repertos ſecundum canonicas ſanctiones caſtigare aut punire, ceteraque omnia, & ſingula facere, gerere, & exequi libere, & licite poſſint & valeant, ſuper quibus plenam & liberam eiſdem Inquiſitoribus, & eorum cuilibet facultatem concedimus & poteſtatem.

Et ita &c non aliàs iudicari debet. §. 3. Sicque per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi facultate, iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat. §. 4. Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, ac in prouincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, & Ordinum prædictorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mari magno, & Bulla aurea, vel alias quomodolibet nuncupatis, eiſdem Ordinibus, & illorum Superioribus, ac Prælatis, etiam per dictos Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam, ac etiam per nos, aut quoſcumque alios quouis modo conceſſis, confirmatis, & iteratis vicibus approbatis & innouatis. Quibus omnibus etiam ſi de illis, eorumque totis ten. ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, eorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & totaliter inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ad effectum præſentium ſpecialiter & expreſſe derogamus, ac ſufficienter & plene derogatum eſſe volumus, atque decernimus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumpti credi mandat. §. 5. Volumus autem quod præſentium tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, ea prorſus fides adhibeatur, quæ originalibus literis ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris die 1. Aprilis 1562. Pontific. noſtri Anno 3. *D. P. An. 3 die 1. April.*

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini 1562. indict. 5. die verò 10. menſis Aprilis, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris & D. N. D. Pij Diuina prouidentia Papæ IV. Anno tertio, retroſcripta litera Apoſt. affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, Cancell. Apoſt. ac in acie Campi Flora, dimiſſis inibi illarum copiis auſcultatis, & collationatis cum eiſdem originalibus literis, vt moris eſt, per me Thomam Roger. S. D. N. Papæ, ſanctæ Inquiſitionis Curſ.*

De Homicidis, aliiſque reis pœnæ capitalis vel ſanguinis, etiam non condemnatis, vel in contumaciam condemnatis, & infra ſex menſes non ſponte ſe in carceribus conſtitutis, non audiendis. Appellationibuſque condemnatorum in pœnam Fiſco, & Cameræ Apoſtolicæ applicatam non admittendis, niſi facto depoſito. Ac de pœnis fractæ pacis vel treguæ, & allegatione nouæ cauſæ, vel minoritatis. Et legitimæ filiorum confiſcatione.

Quoad prædictos reos extra carceres non audiendos, hanc bullam extendit ad omnes condemnatos in pœnam corporis afflictiuam, & in quacumque inſtantia, Pius V. in conſt. 40. Licet alias. Et terminum ſex menſium, prærogauit ad annum in conſt. 9. Cum ob. vbi videas declarationem etiam circa allegationem nouæ cauſæ.

Digitized by Google

Bannitorum autem materiam, plene indicabo in const. Sixti V. Hoc nostri.

Edita A. D. 1562. & 1565.

PIVS PAPA QVARTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ETsi cuncta, quæ ex multa Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum prouidentia processerunt, executioni debitæ demandanda esse censemus, illa tamen præcipuè, quæ ad salubrem temporalis ditionis Apostolicæ Sedis directionem, & pro Cameræ Apostolicæ indemnitate prudenter ordinata comperimus, vt illibata, firmaque perpetuo subsistant, libenter non solum nostræ approbationis, verum etiam opportunæ innouationis munimine roboramus.

Iulius I I. addidit const. cit. in vnb.

§. 1. Dudum siquidem cum fel. record. Iulius Papa I I. prædecessor noster, &c.

Omittitur hæc bullæ narratio, quia ipsa est supra. Fide.

Paulus I I I. similiter hic est.

§. 2. Et deinde piæ mem. Paulus Papa I I I. etiam prædecessor noster per eum ex plurium fide dignorum testimonio accepto, quod nonnulli Ciuitatum, Terrarum, &c.

Omittitur narratiua bullæ, quia tota est sup. Cum sicut ex.

Hic Pont. eas approbat.

§. 3. Nos igitur, ne literæ prædictæ, ex eo quod illarum executio ab aliquibus fieri neglecta fuit, seu propter eorum forsan non vsum, in desuetudinem abiisse à quoquam prætendi, seu aliter quomodolibet allegari, deque earum viribus hæsitari contingat, sed illæ, vt par est, suos debitos sortiantur effectus, & ab omnibus obseruentur, prouidere volentes, Motu & scientia similibus, præfatas & alias quascumque (quarum, & inde secutorum quorumcumque, aliorum circa præmissa latius etiam de necessitate exprimendorum tenores, ac si de verbo ad verbum similiter inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habere volumus) aliorum prædecessorum nostrorum super præmissis, tàm sub plumbo, quàm in forma Breuis editas literas, & in eis contenta, ac inde sequuta quæcumque, Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, eisque Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac ea valere, perpetuaque roboris firmitate subsistere, ac suos effectus plenè sortiri, & ab omnibus quos illa concernunt, & concernere poterunt quomodolibet in futurum integre obseruari debere decernimus, omnesque & singulos, tàm iuris quàm facti defectus, si qui forsan tunc intercesserint, in eisdem supplemus.

Et capitaliter condemnatū decernit non audiri extra carcerem, etiāsi petat remissionem ex eo quod bannitū occiderit.

§. 4. Et nihilominus motu, scientia, & auctoritate præfatis, per hanc nostram constitutionem in perpetuum valituram statuimus, & ordinamus. Quod nullus in pœnam capitis condemnatus, qui sub prætextu quod ipse aliquem bannitum occiderit, aut alias quouis modo ad manus Curiæ peruenire fecerit, & propterea à dicta pœna capitis in quam condemnatus fuit liberari, & absolui debere aut alium bannitum per ipsum condemnatum nominandum, iuxta formam bannimentorum desuper emanatorum remittere posse prætendit, per procuratorem, excusatorem, defensorem, vel vt quemlibet de populo, audiri, vel admitti possit, aut debeat, nisi prius reus ipse, qui liberationem, aut absolutionem, vel nominationem, & remissionem huiusmodi consequi, aut fieri posse, vel debere prætendit, seipsum in carceribus iuxta formam literarum Iulij I I. prædecessoris nostri huiusmodi, personaliter constituerit.

Et ita iudicari iubet.

§. 5. Quodque literis prædictis, & huic nostræ dispositioni, nisi de ipsis clara, & expressa mentione facta, & per nostram, & successorum nostrorum Rom. Pont. manus propriæ signaturam derogari non possit. Sicque, & non aliter in omnibus, & singulis præmissis, ac tàm præsentibus, & pendentibus, quàm futuris causis, & litibus, per quoscumque Iudices, etiam S. R. E. Card. & de latere Legatos, ac Palatij Apost. causarum Auditores, sublata eis & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari debere, ac quicquid contra præsentium ten. contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Quibuscumque non obstantibus.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & Prouinciæ nostræ Marchiæ Anconitanæ statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illi, Ciuitatibus, Terris, & locis præfatis, eorumque Gubernatoribus, & Communitatibus, sub quibuscumque verborum formis & tenoribus, ac cum quibusuis clausulis & decretis, in genere vel in specie, etiam motu & scientia similibus, etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceteriisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§. 7. Volumus autem quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides, in iudicio & extra, tàm in dicta Curia, quam extra eam, vbilibet adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. Ann. die 10. April.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 10. Aprilis, 1562. Pontificatus nostri anno tertio.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1562. indict. 5. die verò 22. mensis May, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij Diuina prouidentia Papæ IV. Anno tertio suprascriptæ literæ lectæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis basilicarum Principis Apostolorum, & S. Ioannis Lateranen. de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, & illis amotis, copiæ earundem affixæ in dictis locis dimissæ fuerunt, per nos Bernardinum Andreutium, & Iulium Parinum Curs.

Hon. Montarg. Mag. Curs.

Sequitur declaratio dictæ Constitutionis.

Edita An. D. 1562.

PIVS PAPA QVARTVS.
Motu proprio, &c.

Relatio præcedentis.

CVm nos dudum vestigiis fel. rec. Iulij Papæ I I. prædecessoris nostri inhærentes, nullum homicidij reum, qui se ab illo etiam sub prætextu quod alium bannitum occiderit, seu ab alio banniti occisore, iuxta formam bannimentorum id permittentium nominatus fuerit, aut ex alia quauis causa absolui debere prætendat, ad absolutionem petendum per procuratorem, aut excusatorem, seu defensorem, etiam velut quemlibet de populo comparentem, audiri vel admitti debere, nisi ipse reus se in carcere personaliter constituerit, statuerimus & ordinauerimus, prout in nostris desuper editis literis, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur.

Dubium desuper exortum.

§. 1. Verum cum, vt nuper accepimus, à nonnullis in dubium reuocetur, an in dictis nostris literis solum homicidæ banniti, vel condemnati, non autem illi qui nondum condemnati, vel banniti essent, comprehendantur.

Declaratio & extensio d. cōst etiam ad condemnatos.

§. 2. Nos propterea omnem ambiguitatem circa præmissa, amputare, & penitus tollere volen. Motu simili, & ex nostra certa scientia, hac nostra perpetuo valitura constitutione nullum ab homicidio, seu alio quouis crimine, pro quo pœna corporalis veniat imponenda ex aliqua causa, etiam quia alium bannitum occiderit, vel ab alio banniti occisore, iuxta formam proclamatum, & bannimentorum id permittentium, vel constitutionum desuper editarum, nominatus fuerit, siue etiam quia ab ipso occisus, bannitus & condemnatus extiterat, ac impune ex dispositione dictorum proclamatum & bannimentorum, seu constitutionum occidi potuerit, se absolui debere prætendentem, siue pro homicidio, aut alio crimine per eum commisso bannitus & condemnatus, siue nondum bannitus nec condemnatus, nec etiam inquisitus existat, per se vel aliam personam pro eo quomodolibet comparentem, ad absolutionem petendum admitti vel audiri posse, nisi se prius in carcere constituerit, & ad causam hæredes ab ipso occisi, citari, & in euentum quod quis ab homicidio per ipsum commisso, ex eo quod alium bannitum occiderit,

Digitized by Google

rit, vel ab aliquo banniti occisore, vt præfertur nominatus fuerit, se absolui obtineat.

Bannitosque prohibet remitti in loco vbi sunt hæredes occisi, nisi habita pace.

§. 3. Eum nihilominus à loco in quo hæredes occisi commorantur, quousque ab illis pacem obtinuerit, exulare debere, neque ad eum locum aliter, nisi pace ab illis habita remitti posse, perpetuo statuimus, & ordinamus.

Omnibus officialibus id vetat.

§. 4. Inhibentes nihilominus omnibus, & singulis Iudicibus quacumque auctoritate fungentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ, aliisque arbitrij nostri pœnis, & nostris etiam de latere Legatis sub indignationis nostræ pœna, ne contra tenorem huius nostræ constitutionis, de cetero quempiam sic vt præmittitur se absolui petentem, nisi in carcere constitutum, quoquo modo audiant, vel admittant, & vbi secus fecerint, processus taliter habitos, ac sententias desuper latas, nullius fore momenti, ac vitio nullitatis subiacere, & illis non obstan. reos sic absolutos pœnis debitis puniri, seu de nouo inquiri posse.

Et iudicari mandat.

§. 5. Sicque per quoscumque Iudices etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Palatij Apostolici Auditores, sublata eis aliter iudicandi & interpretandi facultate iudicari & interpretari debere, irritumque & inane, quicquid secus à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, decernimus.

Quibuscumq; non obstantib.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, legibus, ac prouincialibus, & municipalibus quorumuis locorum statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, necnon proclamatibus, & bannimentis super præmissis editis, & in posterum edendis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusuis in contrarium forsan concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus (illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis haben.) quoad præmissa, specialiter & expresse derogamus, ceteriscque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§. 7. Ac præsentium solam signaturam nostram sufficere, & vbique fidem facere in iudicio & extra, regula contraria non obstan. eorumque seu literarum desuper expediendarum exemplis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra iudicium adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ

Papæ subsc. D. P. An. 3. die 6. Octob.

Placet Motu proprio. I.

Dat. Romæ apud S. Petrum Pridie Non. Octob. Anno 3.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1563. indictione 4. die vero 2. mensis Febr. Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. An. 4. suprascripta litera Apostolica lecta & publicata fuerunt in valuis basilicarum SS. Ioannis Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellaria Apostolica, & in acie Campi Floræ, illisque amotis illarum copiis affixis, dimissis per me Bernardinum Andreutium Apost. Cursorem.

Antonius Clerici Mag. Curs.

Sequitur plenior declaratio supradictarum constitutionum.

Edita A. D. 1565.

PIVS PAPA QVARTVS Motu proprio, &c.

Relatio præinsertarum bullarum.

LIcet dudum per fel. record. Paulum III. & forsan alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac deinde per nos inter alia iustissimis rationibus tunc expressis prouisum ordinatumque fuerit, quod in causis criminalibus seu mixtis, Fiscum, & Cameram Apostolicam quomodolibet concernentibus, in quibus reos comdemnati contingeret, appellationes vel prouocationes, nisi prius facto depositi pœnarum, in quibus ex delicto delinquentes ipsi, aut illi qui pro eis fideiussissent, vel ex contractu quoquomodo condemnandi venirent, aut eatenus condemnati fuissent, omnino recipi, & admitti non possent. Sed appellationes, & prouocationes in causis huiusmodi interpositæ, & in futurũ interponendæ ac appellantes ipsi reiici deberent. Aut si sententia esset in pœnam capitis condemnatoria, non admitteretur appellatio, neque aliter auditur reus, nisi in carceribus constitutus. Et in super quod quæcumque rescripta, & commissiones causarum similium appellationum, & prouocationum ad cuiusuis instantiam, per quemcumque ad commissiones Signaturæ Iustitiæ signandas deputatum, aut etiam manu nostra, & successorum nostrorum signanda, non facto dicto, depositi nullius essent roboris, vel momenti, sed illis non obstantibus, ad vlteriora in causis ipsis vsque ad pœnarum prædictarum effectualem exactionem debere procedi. Quodque commissiones causarum, in quibus interesse Fisci, & Cameræ prædictis ageretur, non deberent signari, neque expediri nisi citato Procuratore Fiscali, & Thesaurario Prouinciæ ex qua quælibet causa existeret, aliasque & aliter prout in singulis Pauli & aliorum prædecessorum, & nostris sub annulo Piscatoris, sub die decima Aprilis, millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, expeditis literis quarum tenores hic pro expressis haberi volumus, latius continetur.

Dubia desuper exorta.

§. 1. Tamen ordinationes, & dispositiones huiusmodi, nostraque & dictorum prædecessorum in illis edendis intentio, cauillantium calumniis in dies eluduntur, & super earum siniſtris interpretationibus, agentes pro Fisco, & Camera prædicta fatigantur, ex eo præsertim quod nonnulli circa faciendum depositum prædictum contendant satisfactum esse statutis, & dispositionibus prædictis ex sola cautione in forma depositi, & quod citare Procuratorem Fiscalem, & Thesaurarium in expedione singularum commissionum, tamquam nimis rigorosum, videatur esse præter nostræ mentis intentionem. Insuper aduersus obligationem constituendi reos appellatos in carcere, diuersas etiam cauillationes opponunt. Vnde prouenit, quòd ipsi rei non coacti facere actuale depositum, non curant causas suarum appellationum expediri, sed potius de industria procurãt illas in longum protrahi, maxime cum non citatis Procuratore Fiscali, & Thesaurario prædictis contingat per eos impetrari commissiones directas Iudicibus, vel in Alma Vrbe existentibus negotiorum multitudine impeditis, vel extra Curiam eorum amicis, & in locis in quibus non sunt qui iura Fisci tueri possint aut velint, narrando etiam in ipsis commissionibus multa mendacia, vt illorum medio possint ad retardandum executionem, & causam intrican. inhibitiones ab ipsis Iudicibus extorquere. Quæ omnia non solum tendunt in Cameræ prædictæ detrimentum (quod tolerabilius esset) sed etiam prouenientè inde delictorum impunitate, datur aliis materia delinquendi, & vniuersis populis scandalum non modicum.

Declaratio circa deposita fienda à condemnatis, ad fauorem Fisci & Camerę. Vide quod dixi in rub.

§. 2. Nos igitur calumniis, & aliis inconuenientibus huiusmodi quantum cum Deo possumus obuiare, & in his opportune prouidere volentes, hac nostra in perpetuum valitura declaratione, ordinatione, constitutione, statuimus, & ordinamus. Quod in supradictis seu criminalibus, aut ciuilibus, vel ex delicto, siue ex contractu, vt præfertur procedentibus causis, Fiscum, & Cameram prædictam, illiusque interesse quomodolibet concernentibus non licęat alicui condemnato cuiuscumque status, gradus, ordinis, qualitatis, & conditionis, etiam si Vniuersitates, & Collegia fuerint, à condemnationibus huiusmodi, & sententiis desuper latis, seu illæ definitiuæ fuerint, seu interlocutoriæ, aut vim definitiuæ habentes, appellare, prouocare, aut de nullitate dicere, neque quomodolibet interpositæ appellationes, prouocationes, & nullitatis dictiones huiusmodi, per quosuis Iudices ordinarios, vel delegatos in Romana Curia, vel extra eam commorantes, etiam per Camerarium nostrum, ac Præsidentes & Clericos dictæ Cameræ, necnon eiusdem Cameræ Apostolicæ causarum generalem Auditorem, modernos, & pro tempore existentes, aut eorum aliquem, sub indignationis nostræ, ac excommunicationis pœna recipi, seu admitti possint nisi prius ei, & eorum cuilibet per publica instrumenta

Digitized by Google

constito quod ante interpositam vnamquamque appellationem, seu prouocationem, vel nullitatis dictionem, si condemnatio cotineat pœnam pecuniariam, seu pecunia æstimabilem, fuerit eiusdem pœnæ, seu illius æstimationis factum integrale actuale, & purum depositum in manibus Thesaurarij Prouinciæ illius. Ad quod quidem actuale, & integrale depositum quoscumque teneri volumus, nisi forsan summa deponenda respectu personæ condemnatæ sit adeo magna, vt inspecta quantitate & qualitate facultatum ipsius, non sine maximo dispendio in breui temporis spatio prouideri possit. Quo casu habita fide super hoc à Gubernatore, seu Vicelagato illius Prouinciæ, quod consideratis præfatis condemnatus integre deponere non valeat, volumus ad medietatis, seu alterius minoris summæ, prout reorum facultates posse ferre per dictos Gubernatores seu Vicelegatos iudicabitur, & depositionem omnino teneri, dummodo hoc casu præstent cautionem in forma depositi de soluendo residuum pœnæ, in qua condemnati fuerint infra annum nisi absolutionem legitime obtinuerint, & de prædicta absolutione docuerint, dummodo per nos, vel signaturam aliud super dicto depositio, citato tamen semper Fisco, ordinatum seu decretum non fuerit.

Declaratio quoad capitaliter condemnatos, & commissiones non signādas nisi Fisco, & Thesaurario citatis.

§. 3. Et si pœna sit capitalis pecunia non æstimabilis, nisi prius ipso condemnato in carceribus constituto, ac etiam facto depositio præfato talium appellationum, prouocationum, & nullitatum commissiones signari, aut alias iurisdictione ordinaria per Iudices supra nominatos, seu alios, inhibitiones, monitoria, aut citationes extra Curiam decerni, & expediri, vel per eorum Notarios scribi, & relaxari non possint, nisi prius antequam illorum singulæ signentur, aut respectiue decernantur, cum competenti termino ad dicendum causam quare signari, aut expediri non debeant vt moris est, Procurator Fiscalis, & Thesaurarius, vel Procurator in Curia Romana existens, Thesaurarij illius Prouinciæ ex qua fuerit condemnatio facta, coniunctim citati fuerint, & si signandæ veniant, nonnisi in Curia, vel in Curia generali, & loco residentiæ Præsidis illius Prouinciæ ex qua causa ipsa est, committi possit. Et si ob inaduertentiam seu alias, aliquas commissiones, seu inhibitiones, aut monitoria, & citationes super præmissis, aut aliquo præmissorum expedire contingat, Iudices quibus illa præsentabuntur respectiue, illorum vigore ad inhitionis decretum, aut aliquem alium actum, sub simili indignationis nostræ, ac excommunicationis pœna, non audeant, neque possint procedere, nisi prius, & ante omnia sibi apud acta legitime constito, quod depositum fuerit, vt præfertur factum. Quodque in expeditione commissionis, inhibitionum, monitorij & citationum extra Curiam, citationes prædictæ interuenerint, & rei ipsi se in carceribus constituerint.

Declaratio circa pœnam fractæ pacis, & tregua, & cautiones de non offendendo.

§. 4. Et insuper quoniam eo hominum proteruitas deuenit, vt hi qui homicidium, vel maleficium aliquod committere deliberarunt, prius quærant eos quos pro hostibus habent, tregua vel pacis prætextu assecurando, decipere, quo facilior postea delicti perpetratio reddatur, expeditque propterea vt quos Dei timor non retinet, pœnarum rigor deterrendo coerceat, populorum quieti consulere, & flagitiosos sicariorum, ac scandalorum ausus deprimere, necnon cauillationibus, quas ad solutiones pœnarum effugiendas hominum malitia in dies excogitat, subuenire volentes, quod pœnæ conuentionales pacis, & treguæ ruptæ & fideiussiones de non offendendo, stipulentur in futurum per Notarios in fauorem Cameræ Apostolicæ, & non Communitatum vel alterius, & si aliter factæ fuerint, in ipsius Cameræ fauorem stipulare censeantur.

Allegatio quæ noua causa.
Tu vide quod dixi in rubr.

§. 5. Quodque in causis treguarum, pacisque fractarum, ipsi fractores, vel eorum fideiussores allegare non possint quod offensa ex noua causa processit, nec allegata cuiquam suffragetur.

Declaratio circa promissiones de non offendendo.

§. 6. Et quia in cautionibus de non offendendo, partes intendunt, vt sibi eo quo melius fieri potest modo, cautum sit ne offendatur impune, & ideo promittunt non solum pro seipsis, sed etiam pro aliis eorum coniunctis, quod non offendent, neque offendi facient, sed aliquando Notariorū imperitia sensum, & intentionem partium peruertente contingit eos scribere, quod partes promittunt non offendere per se, & alios, vbi scriptum oportuisse pro se, & aliis, differentiam videlicet inter has voces per, & pro, nescientes, vel confundentes, ac propterea præbentes causam cauillosis, & delinquentibus prætendendi, quod facta offensione per vnum ex comprehensis in fideiussione, non sit commissa stipulatio pœnæ, nisi constet quod ille qui offendit, de mandato principalis offenderit, vnde etiam infinita scandala eueniunt, illaque remanent impunita. Idcirco quod si quis Notarius errorem huiusmodi cōmiserit, mille ducatorum auri Cameræ Apostolicæ applicandorum pœna plectatur, & nihilominus siue ex dictione per siue ex dictione pro, stipulatio concepta, & offensio sequuta fuerit, principales promittentes ad pœnā conuentionalem perinde teneantur, ac si ipsis mandantibus offensio emanasset, & de eorum mandato legitime constaret, iidemque Notarij sub simili pœna in instrumentis fideiussionum de non offendendo, apponant clausulam. Quod data contrauentione alicuius comprehensi in stipulatione, & si contingat talem contrauenientem vere & realiter confiteri, vel ficte propter contumaciam in non comparendo, pœna conuentionalis committatur, & exigi possit à fideiussoribus, nulla excusatione vel exceptione penitus admissa, immo habeantur crimen & contrauentio ac si per testes vel alias legitime probatum, vel approbata fuissent. Et si clausula in stipulatione omissa fuerit, illa nihilominus pro apposita, contrauentio pro legitime approbata habeantur.

Declaratio, sententia contumacialis rei, præiudicet fideiussoribus, in his cautionib.

§. 7. Et similiter si per principalem, siue alium in fideiussio ne comprehensum, stipulationi contrauentum, & seu contraueniens contumax, isque in meram contumaciam condemnatus fuerit fideiussor statim ad soluendum pœnam conuentionalem cogatur, nec possit audiri, suum principalem offendisse ex causa necessariæ defensionis allegando, & deducendo, ne videlicet delinquentes indirecte per procuratorem, & interpositam personam audiantur, & quod dictum est in exemplo exceptionis huiusmodi, id etiam ad omnia alia extendatur. Et si talis clausula fuerit in prædictis stipulationibus omissa, nihilominus apposita similiter intelligatur.

Et etiam in legitima soluenda à parentibus.
Hoc fallit in Vrbe ex bulla 2. Innoc. IX.

§. 8. Quod & ad legitimam per parentes soluen. extendimus, vt illam soluere teneantur, etiam si eorum filij in meram contumaciam de aliquo delicto condemnati, aut banniti fuerint, non obstante quocumque statuto, aut forsan consuetudine in contrarium existente, quibus omnibus per præsentes in ampliori forma derogatum esse censemus, & decernimus,

Contumaces infra sex mēses se consti. tuant.
Immo infra annum vt dixi in rubr.

§. Præterea quoniam sæpe contingit, vt qui ex aliquo crimine in contumaciam condemnati fuerint, perdurant ad multos annos in contumacia, expectantes occasionem, vt per temporis diuturnitatem criminis probatio impossibilis reddatur, & tunc quærunt contumaciam sibi remitti, & super defensionibus audiri, cum criminis probandi facultas est Fisco sublata, causam plerumque vel coram Iudicibus in ipsos propensis, vel in locis vbi iura Fisci deduci non possunt introducentes, statuimus, quod rei in contumaciam condemnati, ad suas defensiones faciendas admitti non possint, nisi infra sex menses, quo ad faciendas videlicet à die condemnationis, quo vero ad iam factas condemnationes, à die publicationis præsentium computandos, nec alibi quam in loco vbi condemnatio secuta est, vel in Curia generali Prouinciæ vbi delictum fuerit commissum. Et si secus fieri contingat, quæcumque absolutiones desuper obtinendæ, etiam si vigore commissionis Signaturæ nostræ nullius sint roboris vel momenti, sed ad ipsarum condemnationum iam factarum executionem deueniri possit, & debeat. Quo termino sex mensium elapso, sententiæ in contumaciam latæ, crimen notorium efficiant, & tamquam in rem iudicatam transiuerint, realiter, & personaliter executioni demandentur.

Homicida maioris annis 14. nō prodest minori ac.

§. 10. Nec homicidis prosit minor ætas viginti annorum dum tamen maiores quatuordecim annorum extiterint.

Banniti gratis liberandi & absoluendi sunt.

§. 11. Quod si banniti huiusmodi in contumaciam

Digitized by Google

condemnati, veniant postmodum absoluendi, Iudices sub pœna mille scutorum, & infamiæ perpetuæ, illos gratis, & sine vlla sportularum solutione, absoluere debeant.

Præuentio declaratur inter Iudices laicos, & Eccles.

Hoc reduxit ad terminos iuris Pius V. cit. in rubr.

§. 12. In causis vero clericorum criminalibus mere Ecclesiasticis, Ordinarij Ecclesiastici priuatiue ad sæculares Iudices cognoscant, sed in aliis mixtis sit locus præuentioni inter Ordinarium, & Iudicem sæcularem, dataque præuentione ex parte Ordinarij Ecclesiastici, non nisi contra clericos tantum procedere possit. Et si prætenderetur ratione connexitatis adiuncti, vel alias, quomodocumque laicum eius forum sortiri deberé, Iudex tamen sæcularis ita præueniens, quauis inhibitione sibi facta non obstante, absque censurarum vel aliarum pœnarum incursu procedere possit. Necnon quibuscumque appellationibus, prouocationibus, nullitatum dictionibus, commissionibus, inhibitionibus, & aliis decretis contra formam superius traditam per quoscumque etiam Iudices præfatos pro tempore quomodolibet emanatis, & factis non attentis, libere, & licite per ipsos Iudices à quibus ad suarum condemnationum totalem executionem, alias tamen legitime, sub similis indignationis & excommunicationis pœna, procedi posse, & omnino debere, ac vt procedant præcipimus, & mandamus.

Contrauenientium pœna.

§. 13. Et insuper tàm Iudicibus præfatis, quàm Notariis sub eadem excommunicationis, ac indignationis nostræ, priuationisque officiorum pœna, ne contra præmissa aut quicquam præmissorum facere, & attentare præsumant, districtius inhibemus.

Decretum irritans.

§. 14. Sicque & non aliter, in præmissis omnibus & singulis, per quoscumque, &c. Sublata, &c. iudicari, & interpretari in quauis causa & instantia debere. Irritum quoque, &c. decernimus.

Cõtrariorum derogatio.

§. 15. Non obstantibus præmissis ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutisque & consuetudinibus singularum Prouinciarum prædictarum, Ciuitatum, Oppidorum, & locorum eorundem, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, Vniuersitatibus, Communitatibus, & hominibus Prouinciarum, Ciuitatum, & locorum prædictorum, ac etiam singulis prænominatis, & aliis quibuscumque Iudicibus, &c. per nos, & prædecessores nostros concessis, ac etiam iteratis vicibus innouatis, quibus omnibus, &c. illorum tenores &c. hac vice latissime derogamus, ceteriisque in contrarium facien. quibuscumque cum clausulis opportunis, & consuetis.

Fiat Motu proprio. I.

Forma & effectus publicandi.

§. 16. Et cum declararione, statuto, ordinatione, inhibitione, decretis, derogatione, & aliis præmissis, quæ ad partem, etiam quoad singulas partes, repetita esse censeantur & sint, latissime exten. Et quod præmissorum omnium & singulorum, & præsertim singularum literarum prænarratarum, priuilegiorumque indultorum, & aliorum contrariorum prædictorum, aliorumque forsan latius exprimendorum tenores pro sufficienter expressis habeantur, ac exprimi, narrari, & inseri possint in literis per Breue nostrum expediendis, quæ in dictæ Cameræ, & Cancellariæ nostræ, & Audientiæ causarum Palatij Apostolici valuis, & in acie Campi Floræ, dimissis ibi copiis, affixæ post mensem à die affixionis huiusmodi computan. omnes, & singulos ita afficiant, atque arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Fiat I.

D. P. A. 6. die 21. Maij. Publicatio.

Dat. Romæ apud S. Petrum 12. Kalend. Iunij, Anno sexto.

Anno à Natiuitate Domini 1565. indictione 8. die vero 26. mensis Maij, Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. An. 6. suprascriptæ litera Apostolicæ, lectæ, affixæ & publicatæ fuerunt in locis suprascriptis, vt moris est, dimissis illarum copiis affixis, per nos Bernardinum Andreutium, & Iulium Farinum Apost. Cursores.

Io. Freille Mag. Curs.

LIII.

Reformatio Officij Pœnitentiariæ Apostolicæ.

Aliam reformationem edidit Pius V. qui etiam const. istam, ac omnes Pœnitentiaria facultates reuocauit, & nouum statum induxit, vt inf. in eius const. 83. In omnibus. vbi alia indicabo.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita An. D. 1562.*

Exordium.

IN sublimi B. Petri solio, meritis licet imparibus superna dispositione locati, statim ab ipso nostri Pontificatus initio, officij nostri esse duximus, vt omni adhibita diligentia errores, quos circa omnes gradus & hominum conditiones, nimia forsan licentia & impunitate, magno cum animi mœrore hisce potissimum temporibus committi animaduertimus, prouidentiæ nostræ ministerio corrigere, & emendare, ac ea quæ hominum licentia crescente, deformata essent, reformare, illaque præsertim circa Romanæ Curiæ officia, & tribunalia ad veram debitamque normam, & obseruantiam reducere curaremus.

Causa reformationis.

§. 1. Hinc est, quod nos ad Pœnitentiariæ nostræ officium in quo morum censura, & animarum salus præcipue vertitur, nostræ considerationis oculos dirigentes, & attendentes in eo plures & diuersos abusus, propter superiorum temporum licentiam & incuriam irrepsisse, illi sese latius diffundant, quantum in nobis est, occurrere volentes, habita desuper cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. O. E. Cardinalibus deliberatione matura, ipsoque Maiore Pœnitentiario, ac eius officialibus auditis, & eorum iuribus diligenter visis, ac omnibus matura consideratis, de ipsorum fratrum consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Reformatio super.

§. 2. Quod de cetero perpetuis futuris temporibus pro tempore existens Maior Pœnitentiarius, ac eiusdem Pœnitentiariæ Regens, Correctores, Scriptores, Procuratores, ac alij quicumque eius officiales & ministri, ab eorum omnium, quæ in infrascriptis Capitulis, & prohibitionibus continentur, concessione, commissione, & expeditione penitus cessare, & abstinere debeant.

Commutationibus vltimarum voluntatum.

§. 3. Et in primis idem Pœnitentiarius abstineat à commutationibus vltimarum voluntatum, & earum derogationibus.

Vnionibus, &c. benefic.

§. 4. Necnon ab vnionibus perpetuis, & suppressionibus, ac translationibus beneficiorum Ecclesiasticorum, & applicationibus vnius beneficij alteri beneficio, & illarum confirmationibus.

Concessione iurispatronatus.

§. 5. Item à concessione iurispatronatus, seu præsentandi ad beneficia Ecclesiastica propter augmentum fructuum, sed tantum ex causa fundationis, vel dotationis illud concedere possit.

Licentiis stãdi extra claustra.

§. 6. Similiter abstineat à licentiis standi extra pro monialibus ex quacumque causa.

Nullitas professionum.

§. 7. Necnon à declaratoriis pro religiosis propter vim, & metum, quos in ingressu religionis vel emissione professionis sibi illatos fuisse prætendant, quando post emissam professionem huiusmodi susceperunt sacros ordines in religione, etiam si asseratur, quod eisdem vi, & metu durantibus, illos susceperint. In aliis autem casibus declaratoriæ ipsæ committantur Ordinario loci, & vocato Priore Monasterij, in quo fuerit emissa professio, & nunquam in Curia, etiam si pars & testes præsentes essent.

Licentiis pro religiosis infirmis.

§. 8. Nec concedat religiosis licentias standi extra propter infirmitates, & similia impedimenta, & nec etiã pro subuentione parentum, aut pupillorum, vel aliorum consanguineorum, nisi obtenta licentia suorum Superiorum, & in facultatibus pro religiosis eisdem transeundi de Ordine ad Ordinem, etiam in casibus à iure permissis apponatur semper clausula, quod perpetuo ibidé in claustro Domino famulari teneantur.

Absolutione apostatarum.

§. 9. Apostatis vero absolutionem non concedat, nisi ea lege expressa, vt statim ad claustrum proprij Ordinis redeant, vel ad alium Ordinem transeant, æqualis, vel arctioris obseruantiæ, vt ibi perpetuam vitam agant.

§. 10.

Digitized by Google

Licentiis vt obtineant beneficia.

§. 10. Nec illis, aut aliis translatis prædictis indulgeatur, vt beneficia Ecclesiastica obtinere, vel illis vti mercenarij deseruire, aut alias etiam de Superiorum suorum licentia extra claustrum quoquo modo degere valeant.

Commissionibus permutãdi, vel alienãdi bona Ecclesiastica.

§. 11. Similiter non concedat commissiones alienationum, vel permutationum, aut affrancationum, aut illarum confirmationum de bonis Ecclesiasticis in forma, quæ dicitur, Si in cuidentem, pro rebus quarum redditus annuus summam viginti ducatorum auri de Camera excedat, & commissiones huiusmodi semper Ordinario loci, & alteri personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ coniunctim committantur. Et si de ipsius Ordinarij interesse, vel præiudicio agatur, tunc loco ipsius committantur Metropolitano. Et si res ad ipsum Metropolitanum pertineat, Ordinario viciniori, & numquam similes concedantur commissiones quando agitur de alienatione iurisdictionum, vel vassallorum ad Ecclesiam quouis modo pertinentium.

Absolutione à criminibus.

§. 12. Præterea ne Ordinarij in corrigendis subditorũ excessibus impediantur, & delicta impunita remaneant, non concedat absolutiones, vel mandata, de absoluendo ab homicidiis, vel aliis grauibus delictis, etiam occultis, pro quibus de iure ciuili pœna capitalis imposita sit, præterquam in foro conscientiæ dumtaxat. In reliquis vero minoribus, & leuioribus excessibus, de quibus tamen delinquens non fuerit citatus, vel inquisitus, cõmittere possit Ordinario, vt imposita illi pœna eius arbitrio, cum etiam in foro fori absoluat ipsumque ab executione Ordinum si secum super irregularitate dispensatum fuerit, similiter eius arbitrio suspendat. Episcopis tamen vel eorum Superioribus, aut aliis Prælatis Sedi Apostolicæ immediate subiectis, & quibusuis personis in terris Ecclesiæ, & multo minus in Vrbe delinquentibus, ab aliquibus delictis extrà forum conscientiæ absolutionem minime concedere possit.

Simoniacorũque &

§. 13. Caueat etiam Pœnitentiarius ne in absolutionibus à simonia, reali vel conuentionali, etiam occulta, vnquam concedat, vt ipsi simoniaci beneficia, super quibus simoniam commiserunt, seu pecunias, vel alia pro illis accepta, aut fructus exinde post commissam simoniam perceptos, in toto vel in parte retinere possint, quinimo in absolutionibus huiusmodi apponatur clausula, quod vterque ad beneficium super quo fuit commissa simonia, perpetuo inhabilis existat.

Homicidarũ.

§. 14. Et insuper homicidæ voluntario, etiam alias canonice absoluto, altaris ministerium, aut ascensum ad superiores Ordines, & restitutionem, aut retentionem beneficiorum, quibus ipso iure quis priuatus, vel priuandus sit, concedere minime valeat.

Literis promouendi ad sacros, Ordines.

§. 15. Nec minus literas de promouendo ad sacros Ordines, ac etiam ad primam tonsuram à quocumque Catholico Antistite, nisi allegetur iusta causa propter quam ab Ordinariis suis promoueri, nec ab eis, aut eorum officialibus literas dimissorias obtinere valeant, & tunc cõcedi possint à quocumque Ordinario, vel pro eo Pontificalia exercente, & si causa allegata falsa fuisse deprehendatur, sic promoti ab executione Ordinum per suos Ordinarios suspendi, vel illa etiam perpetuo priuari possint.

Absolutione à iuramentis.

§. 16. Similiter idem Pœnitentiarius non concedat absolutiones à iuramento, nisi ad effectum agendi dumtaxat.

Dispensat. matrimon.

§. 17. Nec dispensationes matrimoniales in forma gratiosa, sed semper committantur Ordinariis, prout alias fieri consueuit.

Licentia deflorandi.

§. 18. Neque concedat religiosis licentiam suscipiendi gradũ doctoratus, vel magisterij contra statuta Ordinis, nisi ex aliqua probabili causa, & nisi de licentia suorum Superiorum.

Absolutione à fructibus indebite perceptis.

§. 19. Nec absolutiones à fructibus indebite perceptis, ratione intrusionis beneficij, vel ob non promotionem, aut alium tituli defectum, etiam in foro conscientiæ, nisi facta restitutione fructuum huiusmodi.

Vsurpataque iurisdictionis Ecclesiast.

§. 20. Nec etiam absolutiones concedat pro vsurpata iurisdictione, vel violata libertate Ecclesiastica, etiam in foro conscientiæ (nisi cum clausula) Satisfacto prius de damnis, & expensis parti læsæ.

Facultate testandi.

§. 21. Neque facultates testandi iuxta formam quinterni simpliciter, sed cum clausula, Dummodo non supra summam centum ducatorum etiam ad pias causas, ac pro seruientibus. Religiosis vero extra claustrum, etiam cum Apostolica dispensatione degentibus, facultates testandi nullo modo concedantur.

Confirmatione gestorum ab Ordin.

§. 22. Et insuper non confirmet gesta per Ordinarios, aut alios inferiores illis de iure omnuni non concessa, nec suppleat eorum defectus.

Dispensat. super ætate.

§. 23. Minus etiam dispenset super ætate promouendorũ ad sacros Ordines de iure requisita, nec tẽpus præfatis admunus consecrationis suscipiendum à iure statutũ vltra tres menses, & terminum anni Rectoribus Parochialium Ecclesiarum, & aliis quibusuis ac sacros etiam presb. ordines suscipiendos, à iure aut in fundatione beneficiorum quomodolibet constitutum extra casus à iure permissos, vltra sex menses minime prorogare valeat.

Pœnitẽtiarius suas facultates non excedat.

§. 24. Et vltra præmissa abstineat etiam ab expeditionibus quibuscumque, quæ sibi per literas suarum facultatum expresse non conceduntur, nisi alias de iure communi in casibus de quibus agetur Ordinario concessæ reperiantur. Nec suffragetur prætextus consuetudinis seu styli, aut quasi possessionis ipsius Maioris Pœnitentiarij, & prædecessorum suorum in similibus concedendis, etiam si consuetudo, aut stylus, vel quasi possessio huiusmodi per literas facultatum suarum generaliter approbata reperiantur.

Sede vacante Pœnitentiarij officiũ vocat, in his quæ ad forum fori.

Idem habes inf in const. 63.

§. 25. Volumus insuper quod officium sacræ Pœnitentiariæ Sede Apostolica vacante, in omnibus & singulis quæ ad forum fori quomodolibet pertinent, penitus, & omnino conquiescat. Quodque ea tantum pro animarum salute expedire valeat, quæ forum conscientiæ respiciunt.

Inhibetque Pœnitentiario & Officialib. ne aliquid expedire præsumant cõtra præditorum tenorem.

§. 26. Districtius inhibentes moderno, & pro tempore existenti Maiori Pœnitentiario in virtute sanctę obediẽtiæ, ac Regenti, Correctoribus, Scriptoribus, Procuratoribus, Reuisoribus, Sigillatoribus, alii sque dictæ Pœnitentiariæ Officialibus quibuscumque sub nostræ indignationis, & excommunicationis latæ sententiæ, necnõ priuationis, & amissionis suorum huiusmodi, & aliorum Officiorum & beneficiorum quorumcumque per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, aliisque grauioribus nostro & pro tempore existen. Rom. Pont. arbitrio infligendis & applicandis pœnis, ne de concessionibus, & expeditionibus sibi per præsentes interdictis contra præmissorum tenorem, etiam prætextu quorumuis priuilegiorum, & indultorum eis quomodolibet concessorum se intromittere quoquo modo audeant, seu præsumant.

Decretum irritans.

§. 27. Decernentes quascumque concessiones, gratias, ac expeditiones deinceps ab eodem officio Pœnitẽtiariæ contra præsentium tenorem, quod absit, pro tẽpore emanatas, etiam si in illis asseratur viuæ vocis oraculo, ac de mandato nostro, & pro tempore existentis Rom. Pont. speciali, & expresso factas fuisse, nullas nihilominus, & inualidas, ac extortas, & subreptitias esse, & censeri, neminique propterea suffragari posse, & ita per quoscumque locorum Ordinarios, ac Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apost. Auditores, ac eiusdem S.R.E. Card. sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§. 28. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apost. priuilegiis quoque & indultis eidem Maiori Pœnitentiario, ac eius officio, etiam in illius erectione, & institutione, etiam Motu proprio consistorialiter, ac de fratrum eorumdem consilio & assensu, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, & alias quomodolibet, etiam per sel. rec. Eugenium IV. Sixtum etiam IV, & Paulum III. ac alios quoscumque Rom. Pont. prædecessores nostros, ac etiam nos concessis, approbatis, & innouatis, ac decretis, & censuris in illis appositis. Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica, indiuidua

Digitized by Google

indiuidua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenã & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis, generalibus, vel specialibus quarumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus præsentium impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus specifica, indiuidua, & expressa, ac de verbo ad verbum habenda esset in eisdem literis mentio specialis.

Forma & effectus publicationis. Quam public. habes hic in fine.

§. 29. Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam deducantur, & omnes quorum interest, vel interesse poterit, omnino afficiant, volumus, & mandamus illas in Palatij nostri Apost. ac officij Pœnitentiariæ huiusmodi valuis, & acie Campi Floræ affigi, & per aliquod temporis spatium, relicta ibidem copia, detineri, vt ij quos literæ ipsæ concernunt seu concernere poterunt, quomodolibet in futurum, quod ad ipsorum notitiam non peruenerint, vel illas ignorauerint, quo minus eos arctent, petinde ac si eis personaliter intimatæ forent, nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare. Cum non sit verisimile apud eos remanere incognitum, quod tam patenter extiterit publicatum.

Mulctio pœnalis.

§. 30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, voluntatis, inhibitionis, decreti, derogationis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D.P. An. 3. die 4. Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1562. quarto Non. Maij, Pontificatus nostri Anno 3.

Papæ subscri. Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Cardinalium subscriptiones.

Ego R. Card. de Carpo Episc. Portuen.
Ego F. Card. Pisanus Episc. Tusculan.
Ego Fed. Card. Cæsius Episc. Prænestin.
Ego Io. Card. Moronus Episc. Sabinensis,
Ego Christof. Card. Episc. Albanen. Triden.
Ego Otho Card. Truchses Card. Augustan.
Ego B. de la Cuenan, Card. S. Crucis.
Ego Ti. Card. Crispus.
Ego Fuluius Card. Peruſinus.
Ego Io. Mi. Card. Saracenus.
Ego Io. Card. S. Vitalis.
Ego Io. Card. Puteus.
Ego Io. B Cicada Card. S. Clementis ſſ.
Ego B. Card. Tranen.
Ego Scipio Card. Pisarum.
Ego Io. Card. Reomanus.
Ego Io. Ant. Card. Capisuccus.
Ego Fr. M. Card. Alexandrinus.
Ego Iac. Card. Sabellius.
Ego Io. Ant. Card. S. Georgij.
Ego Aloysius Card. Cornelius.
Ego B. Card. Saluiatus.
Ego Ph. Card. Aburd.
Ego Petr. Francisc. Card. Ferrerius
Ego Marcus Antonius Card. Amulius.
Ego Hieronymus Card. Corrigiensis.
Ego B. Card. Nauagerius.
Ego Io. Fr. Card. de Gambara.
Ego Alex. Card. Farnesius Vicecanc.
Ego Gui. Asc. Card. Camerarius.
Ego N. Card. de Sermoneta.
Ego Iul. Car. Vrbinas.
Ego Alphonsus Carafa Card. Neapolitanus,
Ego Virtellotius Card. Vitelliius:
Ego Carolus Card. Borromæus.
Ego Fr. Card. Conzaga.
Ego Indicus de Aualos Card. de Aragonã:
Ego Alph. Card. Gesualdus.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1561. indictione 5. die verò Veneris, mensis Maij, Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. An 4. retroscripta literæ Apostolicæ, affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas palatij Apostolici, & palatij officij sacræ Pœnitentiariæ, & in acie Campi Floræ, vt in retroscriptis, literis continetur, dimissis copiis earumdem in dictis locis affixis per nos Franciscum Rugerium, & Iulium Parinum præfatum S. D. N. Papæ Curs.

Honofrius Montarg. Mag. Curs.

Reformatio Officij Correctoris Cancellariæ Apostolicæ, & literarum minoris Iustitiæ, Contradictarum nuncupatarum. LIV.

Aliam reformationem edidit Pius V. vt infra in eius const. 90. Romani.

Edita A. D. 1562.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

VNiuersi gregis Dominici curam nobis diuina dispositione commissam, pro Pastoralis officij debito diuina fauente gratia diligenter, & salubriter exercere cupientes, ad ea potissimum pro Christifidelium animarum salute nostræ dirigimus considerationis intuitum, per quæ iuris & iustitiæ cultus à nostris, & Sedis Apostolicæ Officialibus seruetur, & inuiolabiliter custodiatur.

Causa huius reformationis quæ editur infra.

§. 1. Sane cum nos vna cum Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, singulorum Romanæ Curiæ Tribunalium, & Officiorum Correctioni & emendationi iugiter intendentes, inter cetera ad officium Correctoris Cancellariæ Apostolicæ, ac literarum iustitiæ contradictarum respexerimus animaduerterimus etiã officiũ ipsum quod antiquissimum existit, & per quod literæ Apostolicæ iustitiæ sub nomine Rom. Pont. ac sub plumbo expediuntur, pro superiorum temporum licentia antiquam disciplinam, ac puritatem in literarum huiusmodi expeditione relaxasse, ac propterea pro illius reformatione & emendatione, vocato, & audito dilecto filio Magistro Paulo Odescalco, Cancellariæ, & literarum huiusmodi moderno Correctore, Motu proprio, & ex certa scientia de eorumdem fratrum consilio & assensu, statuimus & ordinamus.

Expeditionibus in causis in quibus Papa, vel eius Signatura rescripsit. Vide declarationem Pij V. in rubr. cit.

§. 2. Quod deinceps perpetuis futuris temporibus dictus Paulus, ac pro tempore existens Corrector, necnon literarum earumdem Procuratores in causis in quibus rescripta à nobis, vel à Signatura nostra iustitiæ pro tempore emanare contigerit, in eadem instantia se nullatenus intromittant. Possint tamen causas appellationum à sententiis definitiuis, vel definitiuæ vim habentibus committere.

Indulgentiisque testamentis; contractibus, &c.

§. 3. Item confirmationes Indulgentiarum, siue perpetuarum, siue temporalium, & testamentorum, aut vltimarum voluntatum, ac iurispatronatus & præsentandi nullo modo expediant, sed nec contractuum, nisi ad vtriusque contrahentis supplicationem, & sine præiudicio tertij.

Similibus, laudis, compromissis.

§. 4. Et minus sententiarum nisi cum clausula, quatenus rite & recte latæ sint, & in rem transiuerint iudicatam, neque aduersus illas aliquid fuerit impetratum. A confirmationibus etiam compromissorum, & laudotum ante vtriusque partis expressam homologationem.

Vnionibus beneficiorum Quid generale prohibuit Pius V. ibid. Alienationibus bonorum Ecclesiasticorũ.

§. 5. Necnon vnionum perpetuarum, vel suppressionum, aut translationum beneficiorum Ecclesiasticorum, aut illorum fructuum applicationum omnino abstineant.

§. 6. Similiter non concedant confirmationes alienationum, permutationum, aut liberationũ de bonis Ecclesiasticis, quorum annuus redditus summam quinque ducatorum excedat, id quod dispositiue in literis exprimi debeat.

Digitized by Google

Quod itidem prohibuit Pius V.

debeat, & confirmationes huiuſmodi ſemper Ordinario loci, & alteri perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ cõiunctim committantur. Et ſi de ipſius Ordinarij intereſſe vel præiudicio agatur, tunc loco ipſius committantur Metropolitano, & ſi res ad ipſum Metropolitan. pertineat, Ordinario viciniori, & numquam ſimiles commiſſiones concedant quando de alienandis iuriſdictionibus, vel vaſſallagiis ad Eccleſias quomodolibet, pertinentibus agitur.

Profeſſionibus Regularium.

§. 7. Literas etiam declaratorias nullitatis profeſſionis propter vim & metum, quando religioſi poſt ingreſſum religionis, vel emiſſam profeſſionem ſacros ordines in religione ſuſceperunt, etiam ſi aſſeratur quod eiſdem vi, & metu durantibus dictos ordines ſuſceperint, minime concedant. In aliis autem caſibus declaratoriæ huiuſmodi committantur Ordinario loci, vocato Priore Monaſterij loci eiuſdem in quo fuit emiſſa profeſſio, & numquam in Romana curia etiam ſi pars, & teſtes in ea præſentes eſſent.

Quod etiam prohibuit totaliter Pius V ibid.

Religioſorum licentiis ſtandi extra claſtra &c.

§. 8. Sed nec licentias religioſis eiſdem ſtandi extra Monaſterium etiam in caſibus infirmitatis, vel aliis à iure permiſſis, nec pro ſubuentione parentum pupillorum, aut aliorum conſanguineorum, niſi de expreſſa licentia ſuorum ſuperiorum perita, & obtenta.

Hoc reuocatũ eſt ibid.

§. 9. Et ſimiliter abſolutiones à iuramento, præterquam ad effectum agendi, & excipiendi.

Abſolutionib. iuramentorũ.

Facultatibus teſtandi.

§. 10. Ac facultates teſtandi de bonis Eccleſiaſticis in forma quinterni vltra ſummam centum ducatorum minime concedere valeant. Religioſis vero etiam extra claſtra cum legitima diſpenſatione degentibus, ſimiles facultates teſtandi nullatenus concedantur.

Ordinariorum geſtis.

§. 11. Item geſta per Ordinarios, aut alios inferiores, niſi in caſibus illis expreſſe de iure permiſſis, & quando ex eorum narratiua formam iuris minime per eos ſeruatam eſſe conſtat, nullatenus confirment, nec eorum defectus iuris vel facti, aliquo modo ſuppleant.

Beneficiorum titulis, vel poſſeſſionibus. Ad hoc vide d. Lud. Pij V.

§. 12. In primis autem abſtineant à confirmatione tituli, vel poſſeſſionis beneficiorum Eccleſiaſticorum, etiam pro pacificis poſſeſſoribus, etiam cum clauſula, ſicuti iuſte, & pacifice poſſideris, cum ſicut accepimus, confirmationes huiuſmodi plerumque petantur in fraudem ad confouendos intruſos, & alios qui literas Apoſtolicas prouiſionis beneficiorum eorumdem minime, expediuerunt, ac minime curant expedire.

Declaratoriis ſuper homicidiis, & irregularitate.

§. 13. Abſtineant etiam à declaratoriis ſuper homicidiis, & irregularitate exinde contracta, etiam ſi illa vim vi repellendo, & ad neceſſariam defenſionem commiſſa fuiſſe aſſeratur.

Decimarum confirmationibus,

§. 14. Item à confirmationibus decimarum, illarum acquiſitionum, etiam pro pacificis poſſeſſoribus, niſi illas ante Concilium Lateranen. tempore rec. mem. Alexandri III. celebratum legitime acquiſitas eſſe expreſſe dicatur.

Rab. litigioſis.

§. 15. Et inſuper à confirmationibus quibuſcumque de rebus litigioſis omnino ceſſent.

Indultorum confirmatione.

§. 16. Priuilegia vero, ac facultates, & gratias per Sedem Apoſtolicam conceſſa, in genere tantum, non autem in ſpecie confirment, niſi priuilegia ipſa de verbo ad verbum inſerantur, de quibus per literas Apoſtolicas, aut earum tranſumpta authentica omni prorſus ſuſpicione carentia, ipſi Correctori conſtiterit, de quo in confirmatione ipſa expreſſa mentio fieri debeat.

Rebus dubiis.

§. 17. Poſtremo cum officium ipſum Correctoris potiſſimum verſetur in conceſſione, vel confirmatione eorum quæ ſunt de iure permiſſa nullatenus concedendo, vel confirmando reſcribat in materiis quoquomodo in iure dubiis, vel vbi variæ ſunt iuriſperitorum opiniones, etiam pro communi illorum ſententia, ſed tantum vbi de re ipſa clara, & expreſſa de iure deciſio apparet, & de cuius intellectu nullatenus apud iuris interpretes dubitetur.

Procuratores non immutẽt facti veritatem. Pius V. pœnã falſi impoſuit in conſt. 21.

§. 18. Procuratores autem literarum ipſarum contradictarum materias iniuſtas, aut indebitas non procurent, nec minutas literarum formen contra, vel præter continentiam memorialium, & veritatem facti illis à partibus exhibiti, ne facto variato, & veritate immutata literas expediant, quæ alias expediri non poſſent, prout ſæpius attentatum fuiſſe accepimus. In reliquis vero per præſentes non immutatis aut alteratis, antiquum ſtylum in expeditionibus literarum earumdem ſeruari ſolitum inuiolabiliter obſeruent.

Contrauentiũ pœna.

§. 19. Diſtrictius inhibentes præfato, ac pro tempore exiſtenti Correctori ſub indignationis noſtræ, Procuratoribus vero præſentibus, & futuris ſub excommunicationis latæ ſententiæ, necnon priuationis officiorum, & beneficiorum quorumcumque per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, aliiſque noſtri, & pro tempore exiſtentis Rom. Pont. arbitrio inferendis, & applicandis pœnis, ne de cauſis, ac expeditionibus per præſentes interdictis, & alias quam vt præfertur, etiam prætextu quorumuis priuilegiorum, & indultorum, eis & eorũ officio quomodolibet conceſſorum, aut conſuetudinis, vel quaſi poſſeſſionis in ſimilibus materiis prohibitis expediendis ſe intromittere quoquomodo audeant, vel præſumant.

Irritatio contrariorum.

§. 20. Decernentes nihilominus quaſcumque conceſſiones, commiſſiones, & alias expeditiones ab illis, & à dicto officio deinceps contra præſentium tenorem pro tempore quomodolibet, quod abſit, attentatas, nullas, & inualidas, ac extortas, & ſubrepticias fore, & eſſe, aç cenſeri, neminique proptrea ſuffragari poſſe.

Clauſula ſublata, &c.

§. 21. Sicque per quoſcumque locorum Ordinarios, ac Iudices, & Commiſſarios etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac eiuſdem R. E. Card. ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula derogatoria.

§. 22. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, priuilegiis quoque, & indultis eiſdem Correctori, & Procuratoribus ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac forſan nos conceſſis, approbatis, & innouatis, ac decretis, & cenſuris in illis appoſitis (quibus omnibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorúmque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, indiuidua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus) contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Et quibuſlibet aliis priuilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus præſentium impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialiter.

Iuſſio publicandi.

§. 23. Vt autem præſentes literæ ad omnium notitiam deducantur, & eos quorum intereſt, vel intereſſe poterit, omnino afficiant, volumus, & mandamus, illas in Palatij noſtri Apoſtolici, ac Audientiæ literarum Contradictarum valuis, & acie Campi Floræ per aliquos ex Curſoribus noſtris affigi, & per aliquod temporis ſpatium, relicta ibidem earum copia, affixas detineri, vt ij quos literæ ipſæ concernunt, ſeu concernere poterunt quomodolibet in futurum, nullam poſſint excuſationem prætendere, vel allegare, quod ad ipſorum notitiam non peruenerint, cum non ſit veriſimile apud eos incognitum remanere, quod tam parenter publicatum fuerit.

Sanctio pœnalis.

§. 24. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, ordinationis inhibitionis, decreti, derogationis, voluntatis, & mandati infringere

Digitized by Google

gere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D.P. An.3. die 27. Maij. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1562. sexto Kal. Iunij, Pontificatus nostri anno 3.

Papa subscri. Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero.

Cardinalium subscriptiones.
Ego R. Card. de Carpo Episc. Osten.
Ego F. Card. Pisanus Episc. Portuen.
Ego Fed. Card. Cæsius Episc. Tusculan.
Ego Io. Card. Moronus Episc. Prænestin.
Ego Otho Card. Aug. Episc. Albanen.
Ego B. de la Cueua Card. S. Crucis.
Ego R. Car Sancti Angeli, Maior. Pœniten.
Ego Ti. Card. Crispus.
Ego Fuluius Card. Perusinus.
Ego Io. Mi. Card. Saracenus.
Ego Io. Card. S. Vitalis.
Ego Io. B Cicada Card. S. Clementis ff.
Ego B. Card. Tranen.
Ego Scipio Card. Pisarum.
Ego Vitellotius Card. Vitellius.
Ego Franciscus Card. Gonzaga.
Ego Io. Suanius Card. Reumanus.
Ego Io. Ant. Card. Capisuccus.
Ego F. M. G. Card. Alexandrinus.
Ego Io. Ant. Card. S. Georgij.
Ego B. Card. Saluiatus.
Ego Ph. Card. Aburd.
Ego B. F. Card. Ferrerius.
Ego Hieronymus Card. Corrigiensis.
Ego B. Card. Nanagerius.
Ego Io. Fr. Card. de Gambara.
Ego Alex. Card. Farnesius Vicecanc.
Ego Gui. Asc. Card Camerarius.
Ego Iul. Car. Vrbinas.
Ego Alphonsus Carafa Card. Neapolitanus.
Ego Ind. de Aualos Card. de Aragona.
Ego Alph. Card. Gesualdus.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini 1561. indictione quinta die vero 19. mensis Iunij Pontif. Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. Anno tertio, retroscriptæ literæ Apost. affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Palatij Apostolici, Audientiæ literarum Contradictarum, & in acie Campi Florę, & deinde amotæ dimissis ibidem in locis suprascriptis copiis earumdem affixis per nos Iulium Parinum, & Camillum Cherubinum prælibati S.D.N. Papæ Cursores.*

Franciscus Rogerius Magister Cursorum.

LV. Reformatio Tribunalis Reu. Cameræ Apostolicæ.

Hanc reformationem latius prosequitur hic idem Pontifex in Constit. 87. Cum inter. *Et quoad Camerarium aliam reformationem edixit Clem. VIII. in const.* 65. In conferendis, *vbi de Camerarij, & Cameræ materia plene notabo. Et nouissime eorum reformationem edidit Paul. V. in constit.* 71. Vniuersi.

De munere autem Officialium Cameræ, vltra notata hic, & in dicta alia reformatione in apostillis, plene habes de Clericis in const. 13. Eug. IV. *Inter.* sup. & in const. 1. Call. III. *Quæ laudabili.* in const. 8. Iul. II. *Eximiunctio*, De Auditore Cam. vide in constitut. 28. Pauli V. *Eximiæ.* De Thesaurario in Sixt. V. const. 100. *In conferendis.* De Præfecto Annonæ, in Greg. XIII. const. 35. *Inter ceteras*, De Commissario Cameræ in bulla 44. Sixt. V. *Ad excelsum.* De Fisco in Clem. VII. const. 20. *Quoniam.* sup. Et de ipso Camerario eorum *omnium* cap. in Clem. VIII. const. 65. *In conferendis.*

P I V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita A.D. 1562.*

Exordium. ROmanus Pontifex, Christi Vicarius, vti prudens paterfamilias prouide animaduertens, in agro dominico multam messem, & multos iam operarios esse, vt opus Domini recte, & sine confusione adimpleatur, singulis curas partitur, & officia distribuit, ac ne quis muneris sibi commissi limites excedat, aut in alterius messem falcem imponat, solerti studio, & diligentia prouidet, sicut pro felici ipsius agricultura, & directione in Domino conspicit saluberiter expedire.

Studij Papæ reformandis eius Curiæ. §. 1. Sane postquam nos sacrum Oecumenicum, & generale Concilium pro extirpandis hæresibus, & Christiani populi moribus emendandis in Ciuitate Tridentina celebrandum indiximus, prout illud diuina fauente gratia frequentissimo Prælatorum conuentu iam feliciter congregatum extitit, & suos salutares progressus habere cœpit, dum Concilium ipsum generali totius Ecclesiæ reformationi diligenter incumbit, nos Curiæ nostræ, ac illius Officiorum, & Tribunalium peculiari correctioni animum adiecimus, & à sacræ Pœnitentiariæ officio, in quo salus præcipue vertitur animarum, initio sumpto illius reformationem feliciter absoluimus.

Causa huius reformationis. §. 2. Nunc vero Cameræ nostræ Apostolicæ tribunal tanquam reliquis totius Curiæ dignius, & excellentius, in quo non solum patrimonij sancti Petri, sed vniuersorum Fisci Apostolici iurium conseruatio, & administratio versatur, direximus oculos nostræ mentis, animaduertimusque in eamdem Cameram pro superiorum temporum licentia, & incuria, pleraque negocia extra propriam ipsius tribunalis naturam, tam circa ditioni ecclesiasticæ in temporalibus subiectas, quàm reliquas totius Christiani Orbis prouincias irrepsisse, per quæ Cameræ ij nostri, ac Præsidentium, & Clericorum eiusdem Cameræ studia, à propriis & peculiaribus eorum curiis distrahuntur, aliorumque tribunalium, & officiorum dictæ Curiæ, ac totius Ecclesiastici Status iurisdictio, cum magno Fisci nostri, ac partium litigantium detrimento, & reliquorum Christifidelium scandalo, confunditur, & impeditur. Idcirco ad tollendos abusus huiusmodi, & vt Camerarius, ac Clerici, & Præsidentes prædicti eorum proprio muneri commodius & diligentius intendere valeant, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, & dilecto filio nostro Guidone Ascanio S. Mariæ in Via lata Diac. Card. de Sancta Flora nuncupato, moderno Camerario nostro, ac dilectis filiis Præsidentibus, & Clericis dictæ Cameræ eiusque Notariis auditis, & eorum facultatibus, & iuribus diligenter inspectis, omnibusque mature consideratis, de eorumdem fratrum consilio Apostolica auctoritate tenore presentiu statuimus, & ordinamus.

Camerarius & Clerici causas Fisci interesse cognoscant. & nõ alias causas priuatorũ cognoscant. Et se abstineãt à

§. 3. Quod de cetero perpetuis futuris temporibus prædicti Guido Ascanius Cardinalis, ac pro tempore existentes Camerarius, ac Præsidentes, & Clerici, Fisci nostri negotiis diligenter incumbant, vtque illud liberius, & facilius facere, & exequi possint, causis inter Fiscum nostrum, & priuatos iuxta propriam eorum tribunalis naturam contenti sint, & propterea à cognitione causarum inter priuatos, etiam per viam appellationis, etiam ex Terris Ecclesiæ ad Sedem Apostolicam interpositæ omnino abstineant, nisi causæ à negociis fiscalibus dependeant, aut ab illis originem trahant.

Cõmissionib. causarum. §. 4. Similiter abstineant à commissionibus, & auocationibus causarum, necnon literis monitorialibus, & inhibitoriis, ac sequestrationibus, & aliis huiusmodi, vbi non agitur de interesse Fisci, etiam in Terris Ecclesiæ, cum hæc ad signaturam nostram spectare noscantur, & alias ordo iudiciorum multipliciter confundatur. Permittimus tamen illis pro minori pauperum dispendio, vt causas appellationum à sententiis definitiuis, vel earum vim habentibus interlocutoriis intra quadraginta milliaria ab Vrbe in rebus minimis, & profanis, summam viginti quinque ducatorum non excedentibus, de quo dispositiue mentionem facere teneantur, per simplices literas alias iuxta forum iuris committere possint.

Alienationũque bonorum Eccles. Tu vide maiorem prohibitionem Pij V. in constit. 69. §. 5. interdicimus etiam illis commissiones alienationum

Digitized by Google

num de bonis ecclesiasticis in forma quæ dicitur, Si in euidentem, pro rebus quarum redditus annuus summam quinque ducatorum auri de Camera excedat, de quo redditu similiter expressa mentio in dispositiua literarum habeatur & commissiones huiusmodi semper Ordinario loci, & alteri personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ coniunctim committãtur. Et si de ipsius Ordinarij interesse, vel præiudicio agatur, tunc loco ipsius committantur Metropolitano, & si res ad ipsum Metropolitan. pertineat, Ordinario vicinioti, & nunquam similes commissiones concedant, quando agitur de alienatione iurisdictionum, vel vassallorum ad Ecclesiam quouis modo pertinentium.

Absolutionib. à delictis, &c.

§. 6. Insuper ne delicta impunita remaneant, ab absolutionibus, & remissionibus delictorum quorumliber, etiam leuium, aut illarum commissionibus, necnon saluis conductibus pro delinquentibus etiam de delictis extra Terras Ecclesiæ commissis omnino abstineant.

Moratoriis.

§. 7. Et similiter à moratoriis dilationibus nisi ad modicum tempus, & non vltra mensem, ac data idonea cautione, & pro his debitoribus tantum qui aliam dilationem non obtinuerint.

Hebræorum tolerantiis

§. 8. Hebræis vero tolerantias, aut alia priuilegia præiudicium Christianorum quomodolibet concernentia.

Repræsaliis.

§. 9. Et quibusuis personis, frumentorum aut aliorum victualium ex Vrbe, vel aliis Terris Ecclesiæ.

Possessione beneficiorũ, & aet.

§. 10. Et tàm in illis, quàm extra eas ad cuiusuis instantiam, repræsalias eriam pro debitis fiscalibus, nisi de particulari, & expresso mandato nostro, aut Pontificis pro tempore existentis.

§. 11. Necnon literas Camerales pro adipiscenda possessione beneficiorum ecclesiasticorum, etiam nobis, & Sedi Apost. reseruatorum, & prorogationem temporis ad expediendas literas Apostolicas quarumcumque gratiarum, aut ad solutionem annatarum, vel aliorum iurium Collegio Cardinalium, aut officialibus debitorum minime concedere valeant.

Vectigalibus.

§. 12. Caueant etiam ab impositione, vel augmento vectigalium, seu datiorum, vel illorum diminutione, aut alteratione ex quacumque causa etiam publicam vtilitatem concernente.

Spoliis Clericorum.

§. 13. Sed nec spolia Clericorum decedentium, aut decimas, vel alia regalia, aut credita fiscalia, in toto vel in parte donare, vel remittere possint. Commissarij vero ad præmissa exigenda, & recuperanda non nisi idonei, & probatæ vitæ, nullũ habentes in ea re interesse cõstituantur, qui etiam iureiurando, ac idoneis cautionibus de eorũ officio fideliter, & diligenter exercendo adstringantur.

De Clericorũ iurisdictione.

§. 14. Clerici vero Cameræ cum nullam iurisdictionem, vt singuli, sed tantum collegialiter, & in plena Camera habere noscantur nihil expediant priuatim, & singulariter, nec aliquas literas, aut patentes de quacumque re subscribant, nisi ex commissione eis facta in eadem plena Camera, in qua omnia clare, & distincte proponi, ac in libro propositionum annotari debeant.

Notariorum munera.

§. 15. Notariique in expeditionibus, & scripturis desuper conficiendis, de propositione, & commissione huiusmodi mentionem expressam habere teneantur.

Indultis circa spiritualia.

§. 16. Sed & tam Camerarius, quàm Clerici ipsi vltra prohibita in præsenti reformatione, à quibuscumque licentiis, gratiis, & indultis de rebus spiritualibus in forma gratiosa, vel commissaria, etiam cum clausulis iustificatiuis, & alias tam in Terris Ecclesiæ, quàm extra illas, omnino abstineant.

Expeditionib.

§. 17. Et similiter à quibuscumque aliis expeditionibus quæ sibi ratione suæ ordinariæ iurisdictionis propter publicam vtilitatem, vel alias expresse per literas suarum facultatum concessæ non reperiuntur. Nec prætextus consuetudinis, aut quasi possessionis etiam antiquissimæ, & immemorabilis in similibus concedendis eis suffragetur, etiam si consuetudo, & quasi possessio huiusmodi per literas aliquorum Pontificum generaliter approbatæ fuerint.

Notariorum extensionibus.

§. 18. Notarij vero Cameræ abstineant ab extorsionibus, & indebitis exactionibus, vtpote pro obligationibus soluendi annatas, quæ tamen in promptu soluuntur, prout hactenus vsurpatum esse accepimus, & aliis huiusmodi, super quibus, & aliis per præsentes statutis, & prohibitis. Camerarius, ac eius Vicarius diligentem inquisitionem adhibere, & delinquentes condignis pœnis pro modo culpæ punire debeant.

Camerarij, & Clericorũ officio, pro tempore Sedis vacantis.

§. 19. Sede autem Apostolica vacante, officium Camerarij, quod per constitutionem piæ mem. Clementis Papæ V. etiam prædecessoris nostri in Conc. Viennen. editam durare decernitur, ita durare declaramus, vt tam ipse Camerarius, quàm Præsidentes, & Clerici, ac Notarij prædicti non solum ea quæ præsenti constitutione prohibentur, & quæ Pontifice viuente etiam pro eiusdem Pontificis reuerentia, aut alias quomodolibet exercere, & expedire non consueuerunt, minime vsurpent, sed tantum exactioni pecuniarum Cameræ Apost. debitarum, ac illarum reseruationi, necnon prouisionibus ratione Sedis Vacantis necessario faciendis incumbere, & propterea à solutione debitorum ante Pontificis obitum contractorum, aut illorum declaratione, vel nouatione, ac rationum solidatione, & quibuscumque aliis expeditionibus, tam gratiam, quàm iustitiam, aut illarum excutionem quomodolibet concernentibus, omnino abstinere debeant.

Cõtrauenientium pœna.

§. 20. Districtius inhibentes præfato, ac pro tempore existenti Camerario in virtute sanctæ obedientiæ, Clericis vero, ac Notariis, & aliis officialibus, & eorum ministris quibuscumque sub excommunicationis latæ sententiæ, necnon priuationis officiorum, & beneficiorum quorumcumque per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, aliisque nostri, & pro tempore existentis Rom. Pont. arbitrij pœnis, ne de causis, negociis, ac expeditionibus per præsentes interdictis, etiam prætextu quorumuis priuilegiorum, & indultorum eis quomodolibet concessorum, aut consuetudinis, vel quasi possessionis huiusmodi se intromittere quoquo modo audeant, seu præsumant.

Annullatio aliter gestorũ.

§. 21. Decernentes quascumque concessiones, commissiones, & expeditiones ab illis, & à dicta Camera deinceps contra præsentium tenorem pro tempore forsan, quod absit, attentatas, etiam si illas viuæ vocis oraculo emanasse asseratur, nihilominus nullas, & inualidas, ac extortas, & subreptitias fore, & esse, ac censeri, neminique propterea suffragari posse.

Clausula sublata.

§. 22. Et ita per quoscumque locorum Ordinarios, ac Iudices, & Commissarios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac eiusdem Rom. Ecclesiæ Cardinales, etiam Prouinciarum, ac Terrarum ditionis Ecclesiasticæ Legatos, eorumque Vicelegatos, Gubernatores, & alios Officiales, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ derogatoriæ.

§. 23. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegiis quoque, indultis, ac facultatibus eisdem Camerario, ac Præsidentibus, & Clericis, etiam Motu proprio, & consistorialiter, ac de fratrum eorumdem consilio, & assensu sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, in genere, vel in specie, & alias quomodolibet etiã per piæ mem. Martinum V. Eugenium IV. Innoc. VIII. & prædictum Leonem X. & Paulum III. ac Iulium etiam III. & alios quoscumque Rom. Pontifices prædecessores nostros, ac forsan etiam nos concessis, approbatis, & innouatis, ac decretis, & censuris in illis appositis, quib. omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac indiuidua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idẽ importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum

Digitized by Google

rum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus præsentium impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus, habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Forma, & effectus publicationis.

§. 24. Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam deducantur, & eos quorum interest, vel interesse poterit omnino afficiant, volumus, & mandamus illas in Palatij nostri, ac Cameræ Apostolicæ valuis, & acie Campi Floræ per aliquos ex Cursoribus nostris affigi, & per aliquod temporis spatium, relicta ibidem earum copia, affixas detineri, vt ij quos literæ ipsæ concernunt, seu concernere poterunt quomodolibet in futurum, nullam possint excusationem prætendere, vel allegare, quod ad ipsorum notitiam non peruenerint, cum non sit verisimile apud eos incognitum remanere, quod tam patenter publicatum fuerit.

Sanctio pœnalis.

§. 25. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, inhibitionis, decreti, derogationis, voluntatis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D. P. Ann. 3. die 27. Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1562. sexto Kal. Iunij, Pontificatus nostri anno tertio.

Papa subscr. Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Locus Signi.

Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero.

Cardinalium subscriptiones.

Ego R. Card. de Carpo Episcopus Ostien.
Ego F. Card. Pisanus Episcopus Portuen. manu. propr.
Ego Fed. Card. Cæsius Episcopus Tusculanus.
Ego Io. Card. Moronus Episcopus Prænestin. ff.
Ego Otho Truchses de VValburg. Episc. Card. Albanen.
Ego B. de la Cueua Card. S. Crucis.
Ego R. Card. Sancti Angeli, Maior Pœniten.
Ego Ti. Card. Crispus.
Ego Fuluius Card. Perus.
Ego Io. Mi. Card. Saracenus.
Ego Ia. Card. Sancti Vitalis.
Ego Io. B. Cicada Card. S. Clementis.
Ego B. Card. Tranen.
Ego Scipio Card. Pisarum.
Ego Io. Card. Reumanus.
Ego Io. Ant. Card. Capisuccus.
Ego F. M. Card. Alexandrinus.
Ego Io. Ant. Card. S. Georgij.
Ego Bernardus Card. Saluiatus.
Ego Ph. Card. Aburd.
Ego P. F. Card. Ferrerius.
Ego Hieronymus Card. Corrigiensis.
Ego R. Card. Nauagerius.
Ego Io. Franciscus Card. de Gambara.
Ego Alexand. Card. Farnesius Vicecanc.
Ego Iul. Card. Vrbinas.
Ego Alph. Carafa Card. Neapolitanus.
Ego Vitellotius Card. Vitellius.
Ego Franciscus Card. Gonzaga.
Ego Ind. de Aualos Card. de Aragona.
Ego Alph. Card. Gesualdus.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1562. indictione quinta, die vero 19. mensis Iunij Pontif. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. Anno tertio, retroscriptæ literæ Apost. affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Palatij Apostolici, Cameræ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, & deinde amotæ dimissis ibidem in locis suprascriptis earum copiis affixis, per nos Iulium Parinum, & Camillum Cherubinum præfatum S. D. N. Papæ Cursores.

Franciscus Rogerius Magister Cursorum.

Tom. II.

Reformatio Tribunalis Auditoris causarum Curiæ Reu. Cameræ Apostolicæ. LVI.

Pius V. aliam edixit reformationem in const. 113. Inter illa, & alteram Paul V. in const. 71. Vniuersi. §. 4. vbi etiam notabo.

PIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

INter multiplices Pastoralis officij nostri curas, illa nos potissimum vrget, vt prouisionis nostræ ministerio Romanæ Curiæ Tribunalia, iuste, & salubriter dirigantur; ac subditis nostris & aliis Christi fidelibus causas, & negocia sua in eis tractantibus, ius, & iustitia æqua lance, & minoribus quam fieri poterit dispendiis ministrentur.

Causa huius reformationis.

§. 1. Sane cum nos vna cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, generali Tribunalium, & Officiorum eiusdem Curiæ reformationi solerti studio, ac vigilantia intenderemus, inter cetera respeximus ad antiquissimum, & nobilissimum Tribunal nostri, & Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generalis Auditoris, qui non solum Rom. Curiæ Iudex ordinarius existit, sed in tota temporali Iurisdictione nostra, ac vniuersis Christiani Orbis Prouinciis, & Regnis ex indulto diuersorum Rom. Pontificum prædecessorum nostrorum in ciuilibus, & criminalibus, iurisdictionem exercet, animaduertimusque in eodem Tribunali pro temporum incuria, & negociorum multiplicitate nonnullos abusus irrepsisse, ac non modica emendatione, & correctione opus esse.

Reformatio super.

§. 2. Et propterea, vt tam Auditor, quàm eius Locumtenentes, & Notarij intra iurisdictionis suæ fines se contineant, neque causas contra iuris ordinem cum Rectorum, & Gubernatorum eiusdem ditionis nostræ, & aliorum Ordinariorum iniuria, ac subditorum nostrorum, & reliquorum Christi fidelium nimio dispendio ad se trahant, aliasque vt decet eorum officio rite, & recte fungantur, prouidere volentes, vocato, & audito venerabili fratre nostro Flauio Episc. Muran. moderno nostro & d. Curiæ Auditore, & habita super his cum eisdem Cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio Apostolica auctoritate, tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus Auditor, ac Locumtenentes, seu Iudices, & Notarij dictæ Curiæ pro tempore existentes, ad infrascriptorum capitulorum, & in eis contentorum quorumcumque plenariam obseruationem teneantur.

Monitoriis specialibus.

§. 3. Et in primis Auditor præfatus non decernat monitoria specialia in causis profanis etiam in terris Ecclesiæ vltra quadraginta milliaria ab Vrbe, quando valor causæ non excedit summam centum florenorum.

Appellat. admittendis.

§. 4. Deinde non reciprat nec admittat appellationes de partibus, nisi cum clausula expressa, Quatenus à sententia definitiua, vel vim definitiuæ habente appellatum sit.

Vide Pij V. cit. in rubr. Monitoriis generalibus.

§. 5. Succesiue in monitoriis generalibus reseruet facultatem etiam Ordinario loci, absoluendi incurrentes censuras in eis contentas.

Cedulonibus.

§. 6. Præterea non permittat affigi cedulones cum picturis dæmonum, & aliis similibus.

Sequestris.

§. 7. Item non decernat sequestra, nisi iuxta formam constitutionis fel. rec. Clementis Papæ V. prædecessoris nostri, quæ incipit, Ad compescendas, prout seruatur in Rota, & in illis semper apponatur clausula, Prouiso quod de fructibus sequestratis cultus diuinus manuteneatur, ac animarum cura exerceatur, & alia onera beneficio incumbentia supportentur.

Vide etiam bullã Paul. V.

Monitoriis cõtra Episc. & eorũ superiores.

§. 8. Porro non decernat contra Episcopos, & eorum superiores monitoria ad personaliter comparendum, nisi præuia commissione signata manu nostra, aut pro tempore existentis Romani Pontificis, & pro decreto monitorij ad personaliter comparendum nihil percipiat.

Vide ibid.

Digitized by Google

Expensis contumacialibus instigatoris.

§. 9. Subsequenter expensæ contumaciales restituantur instigatori, si illas fecerit, alioquin Notario causæ, ac aliis qui in ea expeditiones scripserunt, ac eas gratis ad instantiam Fisci concesserunt.

Remissoriis in causis criminalibus.

§. 10. Item non concedat Auditor in causis criminalibus remissoriam ad partes ad probandum delictum, vel fundandam Fisci intentionem, sed aduocentur testes ad Curiam, vel causa remittatur ad partes vbi delictum est commissum.

Literis pro capien. indicio. Vide d. bullã

§. 11. Nec concedat literas ad capienda indicia contra aliquem, nisi prius in Curia aliqualiter constiterit de delicto.

Examine reorũ, & testiũ.

§. 12. Præterea non permittat, quod procurator Fisci examinet reos, sed tantum examini interesse possit, ac reus per Iudicem examinetur, & idem seruetur in testibus qui pro reo examinabuntur, vel det interrogatoria in scriptis.

Reorum in carcere retentionem.

§. 13. Deinde curet ne rei vltra triduum retineantur in carceribus secretis antequam examinentur, nisi tamen natura causæ aliud sudeat.

Dilationibus Fisci.

§. 14. Studeatque generaliter dilationes in Fisci fauorem ab breuiare, ne rei diutius laboribus, & expensis fatigentur.

Interesse Fisci in causis priuatorum.

§. 15. Nec differat expeditionem causarum inter priuatos pendentium, licet procurator Fisci protesterur causam non expediri nisi ipso citato pro eius interesse, nisi de eo incontinenti saltem summarie doceat.

Causis vsurarum contra Mercatores.

§. 16. Nec inhibeat aut retardet Mercatoribus creditorum suorum exactionem ad Fisci instantiam sub prætextu vsurariæ prauitatis in eis commissæ, sed procedatur separatim in causa vsurarum sine retardatione causæ ciuilis iuxta iuris dispositionem.

Appellationibus Fisci.

§. 17. Minus etiam admittat appellationem Fisci ab absolutoria lata pro, reo iuxta laudabilem consuetudinem hactenus in Curia seruatam.

Inuentariis de bonis inquisitorum.

§. 18. Item inquisito reo non fiat inuentarium illius bonorum, nisi agatur de delicto pro qua veniat imponenda pœna capitalis, vel confiscationis bonorum, aut alia notabilis, pœna, nisi detur idonea fideiussio de standoiuri, & iudicato soluendo. Quando autem inuentarium conficiendum fuerit, non describatur inuentarium huiusmodi in Regisrro, sed tantum moderata merces pro qualitate rei à Notario accipiatur.

Sportulis Iudicum.

§. 19. Et in causis ordinariis Auditor prædictus, seu eius in ciuilibus Locumtenens non recipiat sportulas, neque Notarius aliquid pro nota sententiæ, sed in causis commissariis, & declaratoriis contumacialibus tantum.

Vide d. bullã Pauli V.

§. 20. Insuper caueat dictus Auditor ne sui Notarij, vel eorum substituti sint procuratores causarum eiusdem tribunalis, aut paciscantur de quota litis vel lucri, cum procuratoribus, vel solicitatoribus, sub pœna priuationis, & infamiæ.

Notariorum procura, vel pactis.

Decretisque.

§. 21. Nec audeant Notarij ipsi facere ex se decreta etiam quantumuis ordinaria, & solita, sed semper ad Iudicem recurrant, sub pœna falsi, & priuationis exercitij.

Contrahentiũ cognitione.

§. 22. Curentque etiam Notarij, vt cognoscant contrahentes saltem per depositionem vnius ex testibus in instrumento apponendis, ne fiat suppositio personarum.

Officiorũ arrendis.

§. 23. Item eorum officia arrendare non possint, nisi personis per ipsum Auditorem approbatis.

Inhibitionib. vigore Eugeniane, de qua vide in Eugē. IV. constit. 4.

§. 24. Præterea Auditor præfatus non concedat monitoria, vel inhibitiones in vim constitutionis Eugenianæ in fauorem Curialium, nisi pro illis qui saltem per annum in Curia continue residentiam fecerint.

Terminis referendis.

§. 25. Et si contingat vnum Notarium accipere terminum pro alio Notario ad referendum, teneatur ipse accipientes per totam illam diem qua acceperit, relationem facere.

Mandatis de manutenendo.

§. 26. Et insuper Auditor præfatus non concedat mandata de manutenendo aliquem in possessione in qua existit, nisi constito saltem extraiudicialiter eum accepisse, & retinuisse vere, & actualiter, non autem verbaliter, & momento tantum possessionem vacantem, & non cum spolio alterius.

Ad quod vide d. buil. Pij V. cit. in rubr.

Mandatis suspicionis fugæ. Vide d. bullã Pij V. & Pauli V.

§. 27. Porro non concedat mandatum de capiendo ratione suspicionis fugæ, nisi constito sibi saltem summarie, & extraiudicialiter de credito liquido, & de suspicione fugæ saltem per iuramentum ipsius creditoris, & nisi facta solutione, vel deposito actuali per actorem de expensis capturæ in euentum in quem illa indebite facta detegatur

Copiis danda ante torturã.

§. 28. Insuper præfatus Auditor, seu eius Locumtenens in criminalibus faciat semper dare copiam indiciorum reo, vel petentibus pro eo ante torturam, & pendente termino ad faciendas defensiones, detur commoditas carceratis libere loquendi cum eorum aduocatis, & procuratoribus, etiam semotis arbitris, nisi tamen qualitas causæ aliud necessario suadeat, quæ quidem indiciorum copiæ dentur pauperibus gratis, & absque aliqua pecuniarum exactione.

Registris in causis ordinariis ciuilibus.

§. 29. Præterea Notarij non conficiant regesta in causis ordinariis, nec commissariis non excedentibus valorem ducentorum florenorum, ac in ipsis regestis & extractibus, & quibuscumque aliis eorum expeditionibus teneantur seruare taxas iuxta reformationem in nouissimo Concilio Lateranen. editam.

Iurisdictione A. C.

§. 30. Tandem, vt tollantur controuersiæ inter tribunalia dictæ Curiæ, & vnicuique sua iurisdictio seruetur, declaramus executionem obligationis in forma Cameræ ad præfatum Aud. Cameræ priuatiue ad alia tribunalia pertinere, præterquam in instrumentis dependentibus à causis, & actis in aliis tribunalibus huiusmodi gestis, & sine præiudicio Motus proprij per nos in fauorem Populi Romani editi.

Inhibitio, & pœna in contrauenientes.

§. 31. Districtius inhibentes Auditori sub indignationis nostræ, & Locumtenentibus siue Iudicibus, ac Notariis prædictis sub excommunicationis latæ sententiæ, ac priuationis officiorum suorum huiusmodi, & aliis etiam grauioribus nostro, & pro tempore existentis Rom. Pontificis arbitrio infligendis, & applicandis pœnis, ne de expeditionibus, ac decretis, & aliis sibi per præsentes interdictis, ac contra prædictorum Capitulorum formam & tenorem etiam quorumuis priuilegiorum, indultorum ac literarum eis quomodolibet concessarum, vel alio quouis prætextu se intromittere, aut illa immutare, vel alterare quoquomodo audeant, seu præsumant.

Clausula fir. lata, &c.

§. 32. Decernentes quæcumque decreta, & acta ab eisdem Auditore, Iudicibus & Notariis pro tempore contra præsentium formam, & tenorem, quod absit, emanata, & facta, nulla & inualida, ac extorta, & subrepritia nullius-que roboris, vel momenti fore, & censeri, neminique propterea suffragari posse, vel debere, & ita per quoscumque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, ac causarum Palatij Apostolici Auditores in quauis causa & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§. 33. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apost. priuilegiis quoque & indultis eidem Tribunali, ac illius Auditoratus officio, ac Auditori, etiam in eiusdem officij erectione, & institutione, ac Iudicibus, & Notariis ipsis, illorumque Collegio, etiam Motu proprio consistorialiter, ac de fratrum eorumdem consilio & assensu, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, & alias quomodolibet, etiam per nos concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiam si pro illorum sufficiẽti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel diuisim à præfata sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et quibuslibet aliis priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis, generalibus, vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta

effectus

Digitized by Google

effectus præsentium impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenor. specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum habenda esset in eisdem literis mentio specialis.

Iussio publicãdi hãc bullã. §. 34. Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam deducantur, & omnes quorum interest, vel interesse poterit, afficiant, volumus, & mandamus illarum copiam in Palatij nostri Apostolici, ac domus, seu Curiæ prædicti Auditoris valuis, & acie Campi Floræ affigi, & ibidem relicta earum copia, aliquandiu detineri, vt ij quos literæ ipsæ concernunt, seu concernent in futurum, quod ad ipsorum notitiam non peruenerint, vel illas ignorauerint, quo minus eos arctent, perinde ac si eis personaliter intimatæ forent, nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare, cùm non sit verisimile apud eos remanere incognitum, quod tam patenter extiterit publicatum.

Sãctio pœnalis. §. 35. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, declarationis, inhibitionis, decreti, derogationis, voluntaris, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c.

Dat. P. A 3. die 2. Iunij. Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1562. quarto Non. Iunij, Pontificatus nostri an. 3.

Papa subscr. Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero.

Cardinalium subscriptiones.
Ego R. Card. de Carpo Episcopus Ostien.
Ego Fed. Card. Cæsius Episcopus Tusculan.
Ego Io. Card. Moronus Episcopus Prænestin.
Ego Otho Card. Augustanus Episc. Albanen.
Ego Io. Mi, Card. Saracenus.
Ego Ia. Card. Pureus.
Ego Io. B. Cicada Card. S. Clementis.
Ego B. Card. Tranen.
Ego Scipio Card. Pisarum.
Ego Io. Ant. Card. Capisuccus.
Ego F. M. Card. Alexandrinus.
Ego Iac. Card. Sabellus,
Ego Io. Ant. Card. S. Georgij.
Ego B. Card. Saluiatus.
Ego Ph. Card. Aburd.
Ego Marcus Antonius Card. Amulius.
Ego Hieronymus Card. Corrigiensis.
Ego B. Card. Nauagerius.
Ego Gui. Asc. Card. Camerarius.
Ego Carolus Card. Borrhomæus.
Ego Franciscus Card. Gonzaga.
Ego Alph. Card. Gesualdus.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini 1562. indictione 5. die 24. mensis Iulij, Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. Anno 3. retroscripta litera Apostolica affixæ & publicatæ fuerunt in locis supra scriptis, vt moris est, dimissis copiis earumdem affixis, per nos Camillum Cherubinum, & Franciscum Rogerium præfati S. D. N. Papæ Curs.*

Bartholomæus Sottocasa Mag. Curs.

LVII. Loca pia & Confraternitates etiam institutæ, vel dependen. à Capitulo Sacrosanctæ Lateranensis Ecclesiæ, vel S. Spiritus, aut S. Sebastiani ad Catecumbas de Vrbe, subiiciuntur iurisdictioni, & obedientiæ Ordinariorum, ac Rectorum Parochialium. Et eisdem Capitulis prohibetur, de cetero erigere loca pia, & Ecclesias, vel in eorum membra recipere.

Quoad vltimam partem, Capitulum S. Ioannis, certis additis modificationibus, reintegratum fuit à Six. V. in constit. 19. Si cunctas. vbi notabo.

Edita A.D. 1562. PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

REgimini vniuersalis Ecclesiæ diuina fauente clemẽtia præsidentes, inter cetera ad quæ nostri Pastoralis officij ratione tenemur, in primis satagendum nobis fore arbitramur, vt ne quid quorumuis priuilegiorum, facultatum, & indultorum Apostolicorum quibusuis personis & locis ob quasuis, etiam quantumlibet pias causas concessorum, aut alio quopiam prætextu, tàm in eorum quos in partem vniuersalis Ecclesiæ regiminis sibi Sedes Apostolica assumpsit, quàm aliorum quorumuis iurisdictionis præiudicium, vel auctoritatis dimnutionem temere à quoquam agendo, attentetur, & ex quo sumptis scandalorum cautis vniuersus Christi fidelium cœtus cum animarum periculo coinquinetur.

Ministri Ecclesiarum institutarij siue dependentium ab Hospitali S. Spiritus, vel Monasterij S. Sebastiani ad Catechumbas, siue Capitulo S. Ioannis Lateranen. de Vrbe prætendebãt exemptos esse à Iurisdictione Ordinariorum, & excessus committebant.

§. 1. Cum itaque sicut magna cum animi nostri molestia accepimus, quamplurimi Ecclesiarum, Capellarum, Capellaniarum, Oratoriorum, Altarium, Societatum, & Confraternitatum Archipresbyteri, Rectores, Priores, Gubernatores, Guardiani, Societates, Officiales, & ministri, ex eo forsan, quod eorum Ecclesiæ, Capellæ, Capellaniæ, Oratoria, Altaria, Societates, ac Confraternitates huius à primæua illorum erectione, & institutione, vel alias in membra, seu grangias per Præceptorem Hospitalis S. Spiritus in Saxia de Vrbe, S. Augustini & Abbatem Monasterij S. Sebastiani ad Catecumbas prope, & extra muros dictæ Vrbis Cistercien. Ordinum, ac Capitulum Ecclesiæ Sancti Ioannis Lateranen. de eadem Vrbe, quorumdam per nonnullos prædecessores nostros Rom. Pont. ac Sedem prædictam ac forsan nos eisdem Hospitali, Monasterio, & pro tempore existentibus illorum Præceptori & Abbati, ac Ecclesiæ Lateranen, & Capitulo, cum facultate illa aliis Ecclesiis, Capellis, Capellaniis, Oratoriis, Altaribus, Societatibus & Confraternitatibus impartiendi, & communicandi desuper forsan concessorum priuilegiorum, facultatum, & indultorum prætextu, vel alias etiam cum huiusmodi impartitione, & communicatione recepta existunt, ac ab eis dependẽt, ac alias se, ac Ecclesias, Capellas, Oratoria, Altaria, Capellanias, Societates, ac Confraternitates huiusmodi illorumque bona quæcumque ab Ordinariis locorum eorumque iurisdictione, obedientia & visitatione, ac correctione exemptos & exempta esse prætendant, ac proinde nulla ab eis requisita vel obtenta licentia in Ecclesiis, Capellis, Capellaniis, Oratoriis, & Altaribus huiusmodi per quosdam Sacerdotes conductitios ad eorum nutum amouibiles Diuina officia celebrare, ac Christi fidelium eorumdem confessiones audire, eisque sanctissimum Eucharistiæ, necnon Baptismatis, & alia sacramenta ecclesiastica ministrari, defunctorum cadauera certa emolumenta mortuaria nuncupata percipiendo, ac in eorum vtilitatem conuertendo sepeliri, ac diuersa alia in Ordinariorum prædictorum, ac Parochialium Ecclesiarum Rectorum, infra quorum Diœc. & Parochiarum limites Ecclesiæ, Capellæ, Oratoria, Capellaniæ, & Societates, ac Confraternitates huiusmodi erectæ, & institutæ existunt iurisdictionis, & auctoritatis præiudicium facere audeant, seu præsumant, ac Ordinarios, & Parochialium Ecclesiarum Rectores huiusmodi suis debitis iuribus, & emolumentis defraudent, illorumque præcepta, & monitiones floccipendentes, diuersa excessus, & delicta committant, ob idque per Ordinarios, ac Parochialium Ecclesiarum Rectores huiusmodi, necnon Archipresbyteros, Rectores, Priores, Gubernatores, Guardianos, & Officiales, ac ministros prædictos variæ lites, & controuersiæ coram diuersis iudicibus, & commissariis in Rom. Cur. & extra eam ortæ sint, & forsan adhuc pendeant indecisæ, in graue Christi fidelium eorumdem animarum periculum, populique scandalum, ac ordinis clericalis vilipendium non modicum.

Vnde multæ lites ortæ fuerunt inter illos, & locorum Ordinarios.

Ideo Pont. iste easdem lites omnes ad se aduocat, & extinguit. Et reuocat Hospitalis, Monasterij, & Capitulis prædictorũ facultates erigendi Ecclesias, & Societates siue illas in eorum membra recipiendi eũ facultatum & indulgentiarũ cõmunicatione Ecclesiasq; & Societates huiusmodi subiicit iurisdictioni Ordinariorum, & Rectorũ Parochialium.

§. 2. Nos quorum est quemlibet in suis iurisdictione, & auctoritate manutenere, ac ne in eis indebite à quoquam impediatur, solertiæ nostræ curas impendere, cunctorum quoque Christi fidelium animarum saluti, quantum cum Deo possumus consulere, litium, causarum, & controuersiarum quarumcumque in præmissis motarum, & forsan pendentium status, & merita, nominaque & cognomina iudicum, & collitigantium præsentibus pro sufficienter expressis habentes, ac lites, controuersias, & causas huiusmodi ad nos harum serie aduocantes, illasque penitus annullantes, cassantes, & extinguentes, partibusque litigantibus perpetuum silentium

Digitized by Google

imponentes, necnon eiſdem iudicibus ne ſe de eis vlterius intromittere, ſub noſtræ indignationis, & excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, audeant ſeu præſumant, diſtrictius inhibentes, ac vlterioribus ſcandalis, quæ ex præmiſſis oriri poſſent, debite ac ſalubriter obuiare volentes, Motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, omnia, & ſingula priuilegia, facultates, & indulta, etiam Motu ſimili, etiam conſiſtorialiter, ac ad quorumuis inſtantiam, ac ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum, derogatoriis, efficacioribuſque, & inſolitis, clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, per nos ac Sedem, ſeu prædeceſſores huiuſmodi Præceptori Hoſpitalis, ac Abbati Monaſterij, necnon Capitulo Eccleſiæ Sancti Ioannis Lateranen. huiuſmodi, etiam ſuper facultate erigendi, & inſtituendi Eccleſias, Capellas, & Capellanias, Oratoria, Altaria, Societates, & Confraternitates, illaque in grangias, vel membra recipiendi, ac per eos erectis, & inſtitutis Eccleſiis, Capellis, Capellaniis, Oratoriis, Altaribus, Societatibus, & Confraternitatibus, illorumque Archipresbyteris, Prioribus, Gubernatoribus, Guardianis, Sacerdotibus Officialibus, & Miniſtris quocumque nomine nuncupatis, & aliis quibuſuis, etiam ex certa ſcientia conceſſa, ac forſan auctoritate Apoſtolica approbata, & confirmata, dicta auctoritate tenore præſentium ex ſimili noſtra ſcientia caſſamus, extinguimus, irritamus penitus, & abolemus. Necnon Eccleſias, Capellas, Capellanias, Altaria, Oratoria, Societates, & Confraternitates, illorum Archipresbyteros, Priores, Gubernatores, Guardianos, Sacerdotes, Officiales, & Miniſtros huiuſmodi, cum omnibus illorum bonis iuriſdictioni, correctioni, & obedientiæ Ordinariorum, ac Rectorum Parochialium Eccleſiarum, in quorum Diœc. & Parochiis illa reſpectiue extiterint, vt præfertur, prædictis, & aliis quibuſuis ſibi alias conceſſis priuilegiis, immunitatibus, facultatibus, exemptionibus, & gratiis non obſtantibus, ſubiicimus, & ſupponimus. Ac ordinariis, per ſe vel alium, ſeu alios quos duxerint eligendos, & deputandos, Eccleſias, Capellas, Capellanias, Oratoria, Altaria, Societates, & Confraternitates, illorumque Archipresbyteros, Priores, Gubernatores, Guardianos, Sacerdotes, Officiales, & Miniſtros quoſcumque quotiens eis videbitur viſitandi, corrigendi, inobedientes quoque, & rebelles quoſcumque, appellationis, & quibuſuis aliis ſublatis atque remotis obſtaculis, ſententias, cenſuras & pœnas, eccleſiaſticas, & pecuniarias ſibi beneuiſas, & in eos propterea latas incurriſſe declarandi, aggrauandi, reaggrauandi, ac brachij ſæcularis auxilium inuocandi, & pœna debita puniendi, plenam, & liberam facultatem concedimus.

Contrauenientium pœnæ.

§. 3. Diſtrictius inhibentes Archipresbyteris, Prioribus, Guardianis, Gubernatoribus, Sacerdotibus, Officialibus, & Miniſtris prædictis, ac aliis quibuſuis quauis dignitate, & auctoritate fungentibus ſub eiſdem, ac duorum millium ducatorumm auri de Camera, Cameræ Apoſtolicæ applicandorum, necnon priuationis quorũcumque beneficiorum eccleſiaſticorum qualitercumque qualificatorum per eos pro tempore obtentorum, conceſſorum, eo ipſo abſque aliqua deſuper facienda declaratione per contrauenientes incurrendis pœnis, ne deinceps perpetuis futuris temporibus quorumuis priuilegiorum, facultatum, & indultorum ſibi quomodolibet pro tempore conceſſorum, aut alio quouis prætextu, Præceptor videlicet, Abbas, & Capitulum prædicti Eccleſias, Capellas, Capellanias, Oratoria vel Altaria, aut Societates, vel Confraternitates erigere, & inſtituere, ac illas & illa ſic erectas, & inſtitutas, ſeu erecta, & inſtituta, cum facultatum & indulgentiarum participatione, & cõmunicatione, in grangias, vel membra eorum Hoſpitalis, vel Monaſterij, aut Eccleſiæ Lateranen. huiuſmodi recipere. Archipresbyteri vero, & Priores, & Gubernatores, ac Guardiani, Sacerdotes quoque, Officiales, & Miniſtri prædicti Diuina officia celebrare, ſeu celebrari facere, confeſſiones audire, vel alia ſacramenta eccleſiaſtica cuipiam miniſtrare, defunctorum cadauera ſepelire, aut aliquos Sacerdotes pro præmiſſis exequendis deputare audeant, ſeu præſumant. Immo ſub pœnis prædictis mandantes, & præcipientes eiſdem, vt Ordinariis, ac Rectoribus Parochialium Eccleſiarum huiuſmodi, necnon piis eorum mandatis, monitionibus, & exhortationibus, in omnibus, & per omnia parere, & obedire debeant, ſalubreſque eorum correctiones prompto, & libenti animo ſuſcipiant. Decernentes eoſdem Archipresbyteros, Priores, Gubernatores, Guardianos, Sacerdotes, Officiales, & Miniſtros, necnon eorum Eccleſias, Capellas, Capellanias, Altaria, Oratoria, Societates, & Confraternitates, ac alios quoſcumque ſub eiſdem priuilegiis, indultis, & facultatibus comprehenſos eiſdem Ordinariis omnino ſubiecta fuiſſe, fore & eſſe.

Decretum irritans.

§. 22. Et ita per quoſcumque prædictos & alios Iudices, & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula derogatoria.

§. 23. Non obſtantibus ſi opus ſit de non tollendo iure quæſito, & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Hoſpitalis, & Monaſterij, ac Eccleſiæ S. Ioannis Lateranen. & Ordinum huiuſmodi, etiã iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, illis eorumque Præceptori, Abbati, & Capitulo prædictis reſpectiue, eorumque ſuperiotibus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, in genere, vel in ſpecie, & alias etiam motu, & poteſtatis plenitudine ſimilibus etiam conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet conceſſis, approbatis & innouatis, quibus omnibus, & ſingulis etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, indiuidua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idẽ importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim à prædicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbũ de indulto huiuſmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali cuiuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam effectus huiuſmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua cuiuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis.

Sanctio pœnalis.

§. 25. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ aduocationis, annullationis, caſſationis, extinctionis, irritationis, abolitionis, ſubiectionis, ſuppoſitionis, inhibitionis, conceſſionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

D. P. An. 3. die 13 Iunij

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1562. Id. Iunij, Pontificatus noſtri anno tertio.

Reformatio Tribunalium ordinariorum, & aliorum Iudicum Romanæ Curiæ, officiique tam Aduocati, & Procuratoris pauperum, quàm Fiſci Reu. Cameræ Apoſtolicæ. LVIII.

De his omnibus Iudicibus, & Officialibus, nimis prolixum eſſet hic adnotationes intexere, ideo cuique ipſorum in bullis eos tangentibus opportune ſignificaui ibi, vel in indice materiarum, quod locupletiſſimum erit, requiras. Et pariter in nouiſſima reformatione Pauli V. in ſua conſtit. 71. Vniuerſi.

Quod

Digitized by Google

Quod autem attinet ad Gubernatorem Vrbis, vt possit cognoscere causas criminales super delictis quarumcumque personarum non obstantibus indultis concessis diuersis Vrbis Tribunalibus, & Iudicibus, quæ intelligi voluit cumulatiue cum Gubernatore Vrbis, vide S. D. N. Vrbani VIII. constit. 93. Decet. inf. tom. 4.

Edita A. D. 1562.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Hic Pont reformauit Pœnitentiariã sup. & etiam Cameræ sup. Auditoratũque Camerę sup.

§. 1. CVm ab ipso nostri Pontificatus initio id præcipuum semper corde gesserimus, vt Romanæ Curiæ officia, & Tribunalia, sublatis omnibus, qui ex nimia forsan præteritorum temporum licentia inualuerant abusibus, in meliorem formam reducerentur. Ac ob id in primis ad Pœnitentiariam nostram, vtpote in qua de animarum salute maxime agitur, mentis nostræ aciem conuertentes, pro illius reformatione nonnulla statuta perpetuo obseruanda ediderimus. Et deinde considerantes nobis ex iniuncto summi Apostolatus officio etiam incumbere, non solum rebus spiritualibus conuenientia remedia adhibere, sed etiam temporali Sedis Apost. dominio subiectos præsertim pauperes ab oneribus quantum fieri potest subleuare, ac vt in tranquillitate recte gubernentur prouidere, Cam. nostræ Apostolicæ officia ad honestum modum reduxerimus, & illius etiam, ac nostri Auditoratus officium reformauerimus.

Nunc alia Iudicum reformationem profert. Super

§. 2. Verum pro vlteriori reformatione huiusmodi prosequenda, opportunum quinimo necessarium esse censentes reliqua etiam prædictæ Vrbis, & Curiæ ordinaria tribunalia, & ab illis dependentia, nostrique etiam Fisci procuratoris officium ad debitam normam reducere, illorum Magistratibus, ac Notariis, & aliis officialibus in vnum pluries congregatis, & in præsentia nostra, ac nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ob hoc à nobis specialiter electorum auditis, ac omnibus mature consideratis, etiam de ceterorum omnium fratrum nostrorum consilio hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, statuimus, & ordinamus.

Sportulæ Iudicum in causis ciuilibus ordinariis.

§. 3. Quod nullus Iudicum ordinariorum Almæ Vrbis, & Romanæ Curiæ cuiuscumque sit dignitatis in causis ciuilibus ordinariis ratione sportularum aliquid prorsus accipiat, etiam à sponte dare volentibus.

Et in criminalib ordinariis, & commissariis.

§. 4. In criminalibus vero pro sportulis sententiæ definitiuæ absolutoriæ à prætensis criminibus, in quibus alias pœna à deportatione supra veniret inponenda, non vltra decem, à deportatione vero infra, non vltra quinque aureos accipere possint. Et sibi ipsis caueant, ne pro extorquendis huiusmodi sportulis aliquem nolentem quouis modo absolui ad petendum sententiam huiusmodi per causarum expeditionis dilationem, vel rei in carceribus detentionem, vel per cautiones de se repræsentando, vel non discedendo, vbi alias illis de iure locus non sit, præstandi cautionem, aut alias quoquo modo inducant. Pro sententia autem in causis capitalibus, & vltimi supplicij, vel in qua alias pœna corporalis imponitur, etiam si in illa indemnitati partis offensæ, vel prosequentis proprium interesse etiam pecuniarum prouideatur, & in illius fauorem pronuncietur, nihil prorsus accipiant. Et pro ea, in qua pœna pecuniaria, vel relegationis imponitur, & incidenter indemnitati consulitur, & in illius fauorem etiam pronunciatur, non vltra quinque aureos habere possint. In commissariis causis criminalibus, quæ scilicet in vim commissionis à principio coram eis introducuntur, non vltra duplum eius, quod in ordinariis accipere valeant.

In ciuilibus commissariis.

§. 5. In ciuilibus simili modo commissariis, vbi de summa à vigintiquinque infra agitur, nihil prorsus, à vigintiquinque vsque ad centum, scuta tria, à centum vsque ad ducenta scuta sex, à ducentis vsque ad quamcumque summam scuta decem, & non vltra. Pro quacumque sententia declaratoria, ob non paritionem monitorij in contumaciam, non vltra decem carlenos. Pro declaratoria in vim literarum, aut alias habente vim definitiuæ, si summa sit certa, accipiant prout supra taxatum fuit, vbi autem non sit certa, sed agetur ad ipsarum literarum executionem, accipiant secundum causę, & personæ qualitatem, dummodo non vltra quinque aureos. Pro quocumque interlocutorio, seu decreto ante definitiuam sententiam nihil omnino.

Mercedes Iudicum pro decretis in contractibus.

§. 6. Et similiter pro decretis in contractibus, & obligationibus virorum, & mulierum, aut rerum Ecclesiæ, & piorum locorum, in domo ipsorum Iudicum interponendis, ac etiam pro cassatione cuiuscumque querelæ siue processus nihil, pro decretis vero extra domum interponendis, dimidium vnius scuti tantum accipiant. Quæ quidem decreta nonnisi à Gubernatore, Auditore Cameræ, Vicario, & Senatore, ac eorum Iudicibus in contractibus, & obligationibus præfatis interponantur.

Sportulæ Capitan. Appell. iux. taxã Statut. quod in cap. est in cap. 40. lib. 1.

§. 7. Capitaneus tamen Appellationum Curiæ Capitolij recipiat sportulas secundum taxam per statuta Vrbis ei traditam.

Tempore receptionis sportularum.

§. 8. Quas etiam sportulas superius taxatas non nisi è manibus Notarij cautæ, & sententia prius ab ipsis subscripta accipere eis vllo modo liceat.

Taxa p o Sigillo Inuicem.

§. 9. Pro Sigillo præsertim in mandatis de relaxando carceratos pro quouis crimine etiam capitali, & in quouis alio genere expeditionum in causis criminalibus apponendo non exigat vltra iulium vnum, excepto Auditore Cameræ quoad eius expeditiones taxam requirentes dumtaxat. In ciuilibus autem vnusquisque exigat iuxta solitum. Pro sigillo in expeditionibus quæ fiunt in curia cum clausula. Si quis. nihil.

Prohibitiones aliquid à Bursellis, &c. recipiendi.

§. 10. A Baricello & quibusuis aliis expeditoribus etiam Curiarum suarum particularibus, & si sponte dare velint sub quouis prætextu nihil prorsus recipere præsumant.

Obseruantia bul. Paul. III. sup.

§. 11. Et quoad expeditionem carceratorum obseruent in omnibus, & per omnia Motum proprium à fel. rec. Paulo III. circa eorumdem carceratorum expeditionem editum.

Declaratione termini præfixo.

§. 12. Idemque Iudices, tàm in criminalibus, quàm in ciuilibus, qui sententias prout in cedula ferre, & terminos pro seruatis hactenus consueuerunt, dictarum sententiarum cedulas subscribere, & terminos pro seruatis habitos declarare intra decem dies omnino teneantur. Nec citationes in quarum terminis pronunciare, vel earum terminos pro seruatis haberi contigerit, penes se ipsos retinere possint, sed penes Notarios actuarios dimittant. Alioquin sententiæ, & termini ipsi lapsis dictis decem diebus pro circumductis habeantur.

Nullitatibus attendendis.

P. 13. Non attendat nullitates, nisi ex defectu citationis, iurisdictionis, vel mandati, sed illis non obstantibus ad causarum expeditionem procedant.

Expeditione causarum à duobus scutis inf.

§. 14. Expediant causas à duobus scutis infra summarie, manu regia, partibus tantum oretenus auditis, & sine scriptis, nisi aliter ipsis ex rationabili causa visum fuerit, quam Burgi, de Sabellis, Ripæ & Ripettæ iudices exprimere in actis teneantur.

Carcerũ visitatione.

§. 15. Gubernator semel in mense, vna cum pauperum ac Fisci Aduocatis & Procuratoribus, ac deputato à Societate Charitatis, vltra visitationem ordinarie semel in hebdomada fieri solitam, visitet carceres, tàm secretos, quam publicos per seipsum, ne carcerati in debite à custodibus carcerum opprimantur, ac vt tabula nouissime à dilecto filio Guido Ascanio S. R. E. Cardinali, & Camerario nostro edita, & in ipsis carceribus affixa tenenda obseruetur, prouideat.

Ad hoc vide bull. Pij V. 68.

Medicorũ pro carceratis electione, & munere.

§. 16. Protector vero Charitatis, & illius deputati cum interuentu Gubernatoris, & Procuratoris Fisci eligat duos Medicos fideles, & expertos, vnum videlicet Physicum, alterum vero Chirurgum, qui visitent carceratos infirmos, & eos curent, ac de eorum infirmitate, cum opus fuerit, fidem faciant eidem Gubernatori, & aliis Iudicibus, prouideatque eisdem de competenti salario ex pœnis maleficiorum soluendo.

Confessorum pro carceratis electione.

§. 17. Et in primis eligat aliquem presbyterum sæcularem, vel regularem, qui confessiones ipsorum infirmorum, vel aliorum carceratorum, non tamen vltimo supplicio damnatorum, postquam in manibus executorum consignati fuerint, quorum cura ad Confratres Societatis S. Ioannis Baptistæ Misericordiæ nuncupati spectat, audiat,

Digitized by Google

audiat, eosdem carceratos visitet, ac spiritualiter consoletur.

Fisco citando in causis criminalibus.

§. 18. Nullus Iudicium etiam Burgi, de Sabellis, Ripæ, & Ripettæ in causis criminalibus procedat, seu sententiam ferat, nisi Fisco in omnibus actis, in quibus de iure citari debet, legitime citato.

Aduoc. Proc. & Notarius domi Iudicū nō retinendis.

§. 19. Non retineant domi suæ familiariter aliquem Procuratorem, nec Aduocatum, nec etiam Notarium suæ curiæ.

Iudicu de Sabellis depuratione.

Hoc idem iussit Greg. XIII. infra in eius bulla 26.

§. 20. Iudex de Sabellis nullas pecunias pro obtinendo iudicatus officium Marescallo pro tempore existenti persoluant, aut ei etiam post assecutum officium mutuet, nec sub quouis prætextu quicquam ei det, minus ipse Marescallus ab eodem Iudice, quauis occasione, vel causa, etiam in vim cuiuscumque prætensi indulti sibi à Sede Apostolica concessi, aut prætensæ consuetudinis, quod, & quam per præsentes reuocamus, & improbamus, percipere audeat.

Notariorum d. Curiæ numero, & officio.

§. 21. Liceatque eidem Marescallo duos tantum Notarios actuarios in eius curia habere, nec quouis prætextu numerum Notariorum huiusmodi augere possit. Supprimendo ex nūnc prout supprimimus omnia dictæ Curiæ Notariatus officia, duobus tantum exceptis ad ipsius Marescalli electionem. Ita tamen quod dicti duo ceteris de pretio officiorum suorum satisfacere teneantur.

Custodia d. Curiæ, electione.

§. 22. Item Marescallus officium Commentariensis, & Capitanei Curiæ suæ nullo modo arrendet, sed per fideles & idoneos Custodes, & executores illa exerceri faciat. Ipsis prius carcerum custodibus à Gubernatore Vrbis approbatis.

Iudicū d. Curiæ, & Burgi Turris Nonæ, Ripæ, & Ripettæ finitima.

§. 23. Iudices Burgi, & de Sabellis, ac Turris Nonæ, coram Gubernatore & Auditore Cameræ in fine cuiuslibet anni, & Ripettæ, ac Ripæ in fine officij coram Clerico Cameræ eiusdem Ripæ præsidente syndicatui stare teneantur.

Camerarij Ripæ officio ad sex menses.

Iudicu Burgi iurisdictione.

Ad quā vide cōst. 4. Iul. III.

§. 24. Nec idem Camerarius Ripæ vltra sex menses in eius officio permanere, nec confirmari valeat.

§. 25. Causæ tamen eorum qui in Burgo habitant, in prima instantia coram Iudice Burgi cognoscantur, & terminentur, exceptis causis obligationum in forma Cameræ, quæ coram suis Iudicibus, & mercedum, ac miserabilium personarum, quæ ad instantiam creditorum, coram omnibus ordinariis Iudicibus introduci, & ab illis terminari possint.

Conseruatorū Vrbu residētia in Palatio Capitolij.

§. 26. Conseruatores Vrbis in Palatio pro ipsis deputato residere teneantur, hoc videlicet modo, primus ipsorum primo mense, secundus secundo, & tertius tertio, ita quod vnus ipsorum in dicto Palatio semper resideat.

Conseruatorū eorūdem iurisdictione.

Ad hoc vide Stat. Nou. li 1. c. 15. & lib. 3. cap. 4. & seqq.

§. 27. Non possint de pœnis statutariis, vel per eorum proclamata inflictis, aliquo modo gratiam facere in totum, & præsertim de corporalibus, nec illas commutare, sine consensu ipsorum omnium insimul conuocatorum, & eo casu non vltra medietatem pœnæ remittere, nec in domo super huiusmodi gratiis aliquid signare possint, sed ad earūdem pœnarum executionem, postquam de illarum incursu constiterit, celeriter procedant. Ad quarum etiam pœnarum præsertim corporalium executionem in euentum in quem non mittantur executioni per ipsos Conseruatores à die delati criminis intra quindecim dies quilibet alius Iudex ordinarius procedere possit, dummodo pœnas pecuniarias in manibus Camerarij populi à reis persolui faciat, nec ipsos reos à carceribus sine dictorum Conseruatorum consensu relaxet. Et cum potissime ipsorum officium consistat in coercendis, & puniendis Pistoribus, Laniis, Salsamentariis, Olitoriis, Fructarolis, & aliis artificibus, vt Vrbs ipsa omnibus ad victum necessariis magis quam fieri possit abundet, Abstineant ab omni genere muneris, etiam ab esculentis, & poculentis, ab huiusmodi scilicet speciei hominibus, nec ab eis aliquid sub quouis prætextu accipiant. A quibus etiam abstinere faciant omnino eorum Scribam, Notarium, & Secretarium, ac Fideles, & alios eorum officiales, & in primis Extraordinarios, corporali pœna eos coercendo, & deinde ab officio remouendo.

Extraordinariorum Pop. Rom. cautione & fide.

§. 28. Quos Extraordinarios ad officium Extraordinariatus huiusmodi exercendum nullatenus admittant, nisi recepta ab eis cautione saltem iuratoria sub pœna ipsis Conseruatoribus beneuisa de officium ipsum fideliter exercendo, & præmissa obseruando, ac de seipsos repræsentando pro omni eo quod in exercitio dicti eorum officij admittere possint.

Aliam requirit cautionem Statutū lib. 3. cap 19.

Fide ei dāda.

§. 29. Quibus quidem extraordinariis fidem adhibeant iuxta formam decreti à modernis Conseruatoribus vltimo loco editi, & non aliter. Cogant Extraordinarium maiorem ad exercendum officium etiam per seipsum, & per substitutum idoneum ab ipsis Conseruatoribus approbandum.

Officio eorūdē.

Ad quod vide d. Statutū lib. 3 cap. 19.

§. 30. Et idem Extraordinarius maior, & eius substitutus, ac minores Extraordinarij cogere possint quoscumque etiam per detentionem corporum, vt permittant ponderare carnes, & alia omnia quæ sub eorum cura sunt, & pretium denuntient, & recusantes pro prima vice puniantur in duplum valoris rei penes eos inuentæ, & pro alia vice, si illud idem admiserint, in duplum, & alia etiam corporali arbitrio Conseruatorum, & nihilominus Extraordinarius, & eius substitutus, ac alij minores Extraordinarij prædicti omnia Conseruatoribus denuncient, & res taliter inuentas nullatenus sibi retineant, sed ad ipsos Conseruatores deferre teneantur. Et Barigellus, ac alij executores quarumcumque curiarum eidem Extraordinario maiori, & eius substituto in prædictis, ac aliis eorum officium concernentibus obedire teneantur.

Mandatorum executione.

§. 31. Mandata executiua quæcumque, tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus à quibuscumque Iudicibus decreta, passim & indistincte vbique, tàm in Vrbe, quàm in Burgo, & Ripa, nulla locorum distinctione habita, absque alicuius licentia, & præsertim Capitanei, & Iudicis Burgi, ac Camerarij Ripæ, per quoscumque executores liberæ executioni demandentur: nec executio, sub eo etiam prætextu, quòd locus Iudici, qui mandatum decreuit, subiectus non sit, aliquo modo impediri possit.

Magistrorum Viarum taxa, in vendendis locu ad exponenda venalia, &c.

§. 32. Magistri viarum, à Pistoribus, Laniis, Salsamentariis, Fructarolis, & ceteris huiusmodi pro pretio locorum ad exponenda venalia, tàm in plateis, quàm in viis illis concedi solitorum exigant quartam partem minus quam hactenus exigi consueuerit, præterquam à deferentibus res venales ad mercatum in platea Agonis, à quibus nihil prorsus exigere possint.

Eorūdem officio.

Ad quod vide Greg. XIII. const. 22.

§. 33. Ad strata lateritia in viis, prout opus esse eis videbitur, dominos contiguarum domorum cuiuscumque sint dignitatis, aut si ipsi abfuerint, vel soluendo non sint, illorum inquilinos iuris remediis opportunis, ac sub eorum arbitrij pœnis cogant. Curent ex pecuniis, quæ ab Vrbis artificibus exiguntur, & deponuntur, etiam à carrecteriis, quæ similiter deponentur, nec ab eisdem magistris quouis modo percipiantur, vias eiusdem Vrbis continuo, ac Agonis, & ceteras plateas dictæ Vrbis ad minus quater in anno, idemque in Martij, Iunij, Septembris, & Decembris mensibus, munditiis purgari. Nullos actus, nullaque negotia, quæ alicuius momenti fuerint, sine rogitu sui Notarij expediant.

Submagistrorū relationib.

§. 34. Submagistri vero illorum, relationes quas tanquam periti facere solent, non nisi mediante iuramento faciant, & si quid dolo vel fraude egerint, periurij & alias pœnas arbitrio Camerarij & Clerici Cameræ pro tempore Præsidentis incurrant, & ad interesse partibus condemnentur.

Magistrorum edicta.

§. 35. Edant in initio eorum officij proclamata sub nomine dicti Camerarij, & de pœnis in illis contentis, ac statutariis nullam sine eiusdem Camerarij, aut saltem Clerici præsidentis mandato gratiam facere possint. In ceteris tàm quoad appellationes ab eorum sententiis, quàm quoad reliqua omnia, obseruent noua, & vetera statuta.

Aduocati pauperū officio.

Vide etiam Paul. V. const. 44. §. 14.

§. 36. Aduocatus pauperum solicite studeat ne carcerati in aliquo, tàm à Iudibus, quàm etiam ab executoribus, & carcerum custodibus grauentur. Et propterea non desit vmquam in visitationibus carcerum, tàm publicis, quam priuatis, & procuratores pauperum, ac illorum substitutos, & etiam carcerum visitatorem singulis hebdomadis vna vice ad se euocet, & de omnibus carceratis præsertim his qui in secretis detinentur, diligenter se informet. Et si ipsos procuratores vel substituros, & visitatorem

Digitized by Google

sitatorem negligentes inuenerit, Visitatoribus carcerum denunciet, ac vt de aliis prouideatur instet. Et cum ratione officij sui gratis pauperes defendere, & illis patrocinari debeat, nihil prorsus ab illis accipiat. Et vt facilius ipsis pauperibus operam suam impendere possit, visitator carcerum quolibet die post visitationem carceratorum ad ipsum accedere, & ipsi nomina eorum qui in dies carcerantur in scriptis, & pariter etiam Iudicibus deferre teneatur.

Procuratoris pauperū officio. Vide d. const. Pauli V.

§. 35. Procuratores vero eorumdem pauperum, & ipsorum substituti, singulo quoque die carceres visitare, & nomina omnium, qui ad illos ducuntur, ac Iudicum de quorum mandato, ac etiam causas eorum detentionis, & diem cum ad largam ponuntur, & an ante vel post prandium siue cœnam, annotare teneantur. Et similiter pecunias, & alias quascumque res quas inuenerint repertas fuisse penes ipsos carceratos, & deinde omnia ad notitiam d. Aduocati deducant, ad quem etiam quod ab ipso minime requisiti fuerint, semel in hebdomada, & interim totiens quotiens carceratis opus erit, accedant. Nihil omnino accipiant à pauperibus, nec etiam ab aliis carceratis etiam quod diuites sint, sine speciali licentia Gubernatoris, aut saltem pauperum Aduocati. Non possint aliquo modo dicti Procuratores, & Substituti contra reos ad offensam, etiam si extra carceres ipsorum reorum causa agatur, neque etiam Aduocatus patrocinando, vel alios quomodolibet sub quouis prætextu interuenire.

Aduocati Fiscalis officio. Vide eamdem bullā Pauli V. §. 15.

§. 38. Fisci aduocatus in omnibus causis criminalibus, & aliàs Fiscum tangentibus, vbi articuli iuris emerserint, interueniat, & procurator Fisci ipsum super hoc omnino requirere teneantur, & in eis absque vllo præmio patrocinetur. Possit tamen ab instigatoribus propriam iniuriam, vel interesse prosequentibus, si quid sponte dare voluerint, illud percipere. Iidemque in omnibus Visitationibus carcerum adesse teneatnur, nec reorum etiam extra carceres existentium defensionem assumat, sed pro veritate, & iustitia causam Fisci tueatur.

Procuratoris Fiscalis officio in causis prosequendis. Vide eamdem bullā Pauli V.

§. 39. Procurator autem Fisci in primis prospiciat, quod sicut in admissione ad eius officium in Camera Apostolica de illud recte, & fideliter administrando iuramentum præstat, ita in illius prosecutione taliter se gerat, vt causam nullam promoueat, quam calumniosam esse cognouerit, & cum primum de calumnia post litem cœptam, vel de rei innocentia constiterit, ab illa desistat, & aliter non expectata sententia.

Fiscus à reis nihil, ac ab instigatoribus moderate recipiat.

§. 40. Et cum ratione sui officij cogatur ad introducendas causas, in quibus de interesse Fisci agitur, nihil omnino ab instigatoribus accipiat pro decreto, vel subscriptione cuiuscumque monitorij, etiam ad personaliter comparendum. In prosecutione vero causarum non nisi moderate pro labore per eum siue eius substitutos ad vtilitatem, & cōmodum eorumdem instigatorum subeundo. Nihil vero accipiat à reis sub quouis prætextu, & præsertim ab iis, qui obtinuerint sententiam absolutoriam à qua ipse procurator appellare noluerit. Nec etiam pro appositione manus in mandatis de relaxando, quibus nihilominus custodes carcerum, vbi id eis à Iudicibus committitur expresse sine dicti Procuratoris Fisci manus appositione obedire, & carceratos dimittere teneantur.

Et de expensis cōtumacialib. instigatoribus & Notario, impensum, vel debitū soluat, & residuum retineat pro se.

§. 41. Quoad expensas contumaciales, vel quæ alias à reo reficiuntur, si instigatos aderit, siue apertus siue secretus, qui ipsas fecerit, ipsi instigatori procurator Fiscalis, cui ratione condemnationis soluendæ veniunt, restituat, vbi vero nullus adfuerit instigator, satisfacto prius de illis Notariis pro mercede laborum suorum, residuum dictarum expensarum (cum non sit iustum reum ex contumacia sua commodum consequi debere) eidem procuratori Fisci persoluatur. Reos non interroget, nec testes examinet, nisi in præsentia Iudicis, & pro assistentia siue examine reorum, vel testium, siue ad offensam, siue ad defensam, vel alias pro reo inductorum, nihil prorsus accipiat, nec etiam sui substituti accipiant, & vbi in termino citationis examini testium non interfuerit, interrogatoria non dederit, testes inducti sine vlteriori dilatione examinentur.

Citationesque expediat.

§. 42. Citatus originalem citationem non possit retinere penes se vltra diem, sed illam cursori restituere sequenti die teneatur, illius copia dimissa si voluerit. In qua citatione pars ad cuius instantiam fit, nomen Notarij in cuius officio causa tractatur, vel tractari debet, & procuratoris, si principalis absit ab Vrbe, apponere debeat, alioquin dicta citatio nulla censeatur, nec ipsum procuratorem Fisci afficiat.

Capturem nō committat nisi &c.

§. 43. Non det mandata de capiendo quempiam voce, vel in scriptis, nisi vbi adfuerit periculum fugæ, & Iudicis copia incontinenti haberi non possit.

Appellet, & deinde Signatura iudicet de admissione vel reiectione sua appellationis.

§. 44. Et cum ad Signaturam spectet causam appellationum nomine dicti procuratoris Fiscalis à sententiis contra eum latis interpositarum reiicere, vel committere, idem procurator appellare non prohibeatur. Verum quoad illarum reiectionem, vel commissionem pro causarum, & personarum qualitate Signatura ipsa occurrentibus casibus huiusmodi prouidere poterit, in cuius commissionis Signatura citetur prius, antequam signetur, pars quæ sententiam absolutoriam obtinuit, & aliter Signatura nullius sit roboris vel momenti.

Superfessorium causarum ciuilium non procuret.

§. 45. Et cum officium procuratoris Fisci principaliter quoad causas criminales consistat, in prosecutione vindictæ publicæ non se intromittat pro obtinendis inhibitionibus de supersedendo in causis ciuilibus, & præsertim prætextu vsurarum, nisi vbi de iure ad eius instantiam inhiberi potest.

Remissorij Fisco, & instigatori denegandi.

§. 46. Nec ei vel etiam instigatori concedatur remissoria etiam prætextu indulti à felicis record. Paulo III. concessi, nisi in casibus in quibus alias de iure concedi debet.

Litera pro capiendis indiciis quādo dētur.

§. 47. Minus si concedantur literæ ad partes pro capiendis indiciis, nisi prius dato aliquo summo arbitrio Iudicis à quo impetrantur, & tunc non committantur alteri quam loci ordinario, vel eius Vicario, nisi subsistente probabili causa suspicionis.

Dilationes reis qua concedenda.

§. 48. Nec etiam dilationes non necessariæ, nec debito longiores, quinimmo potius studeant Iudices quam primum causas expedire, ne rei diutius tædio carceris, vel laboribus, & expensis fatigati, componere, & se redimere cogantur.

Compositiones cum quibus tractanda

§. 49. Procurator præfatus cum pro debito eius officij curare debeat, vt rei puniantur, non tracter de compositione cum ipsis reis, sed expeditioni causarum incumbat, & vbi reus compositionem fieri petierit, non fiat nisi cum interuentu Iudicis, & ipsius Procuratoris Fisci.

Absolutorum cautiones non requirendæ.

§. 50. Nec ad eius instantiam, aut alias ex officio eius absolutus definitiue à crimine cogatur dare cautionem de se repræsentando, vel non discedendo ab Vrbe.

Fiscus quādo appellationem prosequatur, si adest instigator.

§. 51. Non prosequatur causam appellationis à sententia contra eum lata, vbi adsit instigator, secretus vel apertus, nisi data cautione per eumdem instigatorem de reficiendo expensas, tàm prioris, quàm vlterioris instantiæ in euentum succumbentiæ.

Fiscus interesse statim ostendat.

§. 52. Non audiatur Fiscus protestando causam, quæ agitur inter priuatos, non expediri nisi ipso citato sub prætextu interesse ipsius, nisi de illo incontinenti, quantum iudici sufficere videbitur docuerit.

Fisco vbique ciuanda.

§. 53. Et vt delicta impunita non remaneant, interueniat etiam in curia de Sabellis, Ripæ, ac Burgi. Et cum sit Fisci, & Cameræ Apostolicæ Procurator generalis, rationi conuenit, vt de omnibus criminibus, & causis Fiscum ipsum tangentibus notitiam habeat.

Fisci facultate deputandi substitutos.

§. 54. Propterea ad eumspectet Procuratores Fiscales vti eius substitutos in terris S.R.E. deputare quos Legati etiā de latere cum literis patentibus dicti Procuratoris Fiscalis ad eorum officia admittere teneantur, & admitti faciant. Qui substituti sub pœna priuationis eorum officij, ac aliis arbitrio nostro imponendis, ipsum Procuratorem generalem de omnibus Fiscum ipsum concernentibus, & præsertim, de sententiis tàm absolutoriis, quàm condemnatoriis certiorem facere debeant.

Prohibitione participandi cum eis.

§. 55. Caueat autem idem Procurator generalis, ne à dictis eius Substitutis, siue pro substitutione facienda, siue quauis alia ratione, vel causa quicquam recipiat, sed omnia emolumenta eisdem Substitutis libere, & integre dimittat.

§. 56. Procu

Digitized by Google

Fisci Capitolini Status.

§.56. Procurator Fisci Curiæ Capitolinæ, in omnibus & per omnia illud idem obseruet, quod Cameræ nostræ Apostolicæ Procurator, quoad ea videlicet capitula superius adnotata, quæ ipsum etiam concernere, & sibi conuenire possint.

Pœnarum inflictione in cõtrauenientes.

§.57. Et si plus vel à personis supra prohibitis, aut alias quam vt supra adnotatum fuit, omnes supradicti receperint, vel super hoc contrauenerint, maiores Iudices, & Aduocati sententiam excommunicationis, & arbitrij nostri pœnas, inferiores autem & omnes alij supradicti vltra dictam excommunicationis sententiam, etiam priuationis officij pœnam incurrant, & alias arbitrio nostro puniantur.

Taxa à Notariis seruanda.

§.58. Notarij Curiarum supradictarum, tàm criminalium, quàm ciuilium causarum non exigant, nisi iuxta taxam eis præscriptam, & si plus exegerint, pro prima vice, viginti quinque, pro secunda quinquaginta, & pro tertia centum scutorum, & priuationis officij, ac etiam corporales arbitrio Iudicum imponendas pœnas respectiue incurrant. Quam taxam in vulgari sermone scriptam in eorum officiis, sub eisdem pœnis appensam, ita quod ab omnibus legi possit, habere teneantur.

Officiorũ Notariatuum arrendis.

§.59. Exerceant eorum officia per seipsos, nec illa arrendent sine licentia Iudicum, exceptis Notariis Gubernatoris, Burgi, de Sabellis, Ripæ, Turris Nonæ, & Ripettæ, ac Capitolinis, qui nullo modo illa sine expressa licentia nostra etiam in scriptis obtenta arrendare possint.

Substituis per eos recipiendis.

§.60. Nec substitutos recipiant, nisi ab ipsis Iudicibus approbatos, pro quibus ad damna, & interesse quæ illorum culpa partibus euenerint, etiam si ipsos exhibuerint, & solnendo non fuerint, teneantur, & obligati sint.

Actis prohibitis à duobus scutis infra.

§.61. Nihil scribant in causis à duobus scutis infra sine speciali licentia Iudicum.

Registra fiendis iuxta Motum proprium qui est inf. in const. 106.

§.62. Non conficiant registra, nisi iuxta formam nostri Motus proprij, nec illa vel etiam extractus in causis ordinariis, etiam vtraque seu altera partium petente, nisi de Iudicum licentia in scriptis obtenta, vel nisi acta essent ad alium Iudicem transportanda. In causis tamen excedentibus summam ducentorum scutorum, dummodo non sint causæ mercedum, & miserabilium personarum, vel alias tales in quibus executiue proceditur, si commissiones superuenerint, registra conficere possint, seruata semper in reliquis forma dicti Motus proprij nostri.

Copia indiciorum.

§.63. Nec pro copia indiciorum, quàm effectualiter reo non dederint, quicquam percipere, nisi loco arrhæ habeant, & vbi reus amplius ipsam copiam habere noluerit, etiam quod arrham dederit, ab ipso non exigant nisi pro rata copiæ confectæ.

Notariorum Capitolij numero, electione &c.

§.64. Notarij Capitolini deseruientes Collateralibus Senatoris pro actuariis non possint esse vltra numerum viginti, nec recipi nisi seruata forma Statutorum, sed ad dictum numerum reducantur ad electionem Senatoris, & Conseruatorum, & per se ipsos coram Collateralibus acta conscribant, nullumque aliud officium Notariatus in alia quauis Curia obtineant.

Taxa eorũdẽ. Quã vide in Statut. lib. 3. c. 93. & seqq. Et in cõst. 45. Pauli V.

§.65. Et tàm ipsi, quàm ceteri Notarij Curiarum Capitolij, ac etiam Scriba Senatus, & Secretarius Conseruatorum, pro eorum mercede non accipiant vltra taxam eis à Statutis limitatam, & vbi non sit à Statutis limitata iuxta taxam Notariorum causarum ciuilium Gubernatoris accipiat, excepto Notario Magistrorum viarum, qui indistincte exigere possit secundum dictam taxam Notariorum Gubernatoris.

Protonotarij & Notarij criminalis Capitolij taxa.

§.66. In criminalibus vero Protonotarius, & Notarius maleficiorum Senatoris taxam Notarij in criminalibus d. Gubernatoris, prout, & Notarij aliarum Curiarum, etiam Auditoris, & Vicarij obseruent & nihil vltra quocumque prætextu accipere audeant.

Extractuum taxatione. Tu vide Stat. lib. 3. cap. 16.

§.67. Non deferant Notarij præfati Capitolij extractus ad Iudices, nisi prius per Correctores, aut per vnum ex eis visi taxati fuerint, & nihil præter arrham ante dictam taxationem recipere possint, quam taxationem intra terminum vnius diei à receptione dicti extractus correctores absque vllo præmio faciant.

Notariorum eorundem defectuum scripturar.

§.68. Eorundem Notariorum Capitolij in posterum decedentium, & etiam defunctorum hæredes, & quicumque alij eorum scripturas detinentes, intra quindecim dies ab obitu ipsorum Notariorum, & publicationis præsentium respectiuè computandos, dictas scripturas, & nomen Notarij cuius fuerint, sub pœna amissionis dictarum scripturarum, & illarum emolumentorum, Secretario Conseruatorum denuncient, & præfatus Secretarius librum teneat, in quo denunciationes huiusmodi scribat.

Regitus ad referendũ prohibitione.

§.69. Nullus ex Notariis etiam Cameralibus, & Auditoris Cameræ, nec eorum substituti de instrumentis, quæ extra iudicium fient ad referendum alteri Notario, seu Connotario, se rogare possint, sed Notarij principales, per se ipsos, & eorum substituti pro ipsis Notariis in quorum officiis commorantur, de instrumentis se rogent, non autem ad alteri referendum.

Plurium Notariatuum retentione damnata.

§.70. Nec possint Notarij omnium Curiarum supradictarum in futurum obtinere plura officia Notariatus in diuersis Tribunalibus, sed officia Notariatus huiusmodi inter se incompatibilia censeantur.

Et procuratione.

§.71. Et tàm ipsi Notarij, quàm eorum substituti, non possint esse procuratores in Curia in qua Notarij sunt, & officium substituti exercent.

Consulum artium statutis.

§.72. Consules artium quarumcumque obseruent eorum statuta legitime approbata, ac vsu recepta.

Iurisdictioneque.

§.73. Nec reassumant causas, præsertim mercedum, & miserabilium personarum coram maioribus Magistratibus introductas.

Notariorum Artiũ Taxa.

§.74. Et illorum Notarij taxam eis per dicta statuta præscripram, & vbi aliqui ipsorum nullam habuerint minorem taxam, aliorum qui illam habuerint sequantur, & secundum illam exigant.

Assessorumq; eorundem.

§.75. Assessores autem dictorum Consulum, ac aliorum officialium Curiæ Capitolij salarium non habentes, caueant ne in causis minimis, videlicet à quinque scutis infra quicquam pro eorum voto, & consilio, & in aliis non vltra sportulas dictis statutis taxatas percipiant.

Iudicis Turris Nonæ iurisdictione.

§.76. Iudex Turris Nonæ non se intromittat in causis à decem scutis supra, nec in criminalibus, nisi leuibus & minimis.

Notariorum ipsius taxa.

§.77. Eiusque Notarius obseruet tabulam Notariorum Curiæ de Sabellis, cuius Notariatus officium per obitum illud nunc obtinentis extinctum sit, & suppressum esse censeatur, prout in euentum prædictum illud ex nunc prout ex tunc supprimimus.

Cursorũ Papæ taxa pro citationibus, &c.

§.78. Cursores nostri pro qualibet citatione, inhibitione, vel quauis alia intimatione cuiuslibet actus iudiciarij non exigant vltra bolon. duos, nisi forsitan executio citationis, vel alterius actus iudiciarij huiusmodi facienda esset in loco satis distante à Tribunalibus Vrbis, quo casu exigere possint bolendinos quatuor, & non vltra, & loca intelligantur esse distantia, si executio sit facienda in regione Transtiberim, Montium, Triuij, & prope Ecclesiam B. Mariæ de Populo, & si extra mænia Vrbis, in illius tamen suburbiis non vltra carlenum vnum. Pro citatione vero, inhibitione, vel intimatione simili contra Episcopos & Prælatos, ac alias personas qualificatas, & procuratorem Fisci facienda, non vltra bolendinos quinque. Pro subhastatione quorumcumque pignorum, tàm mobilium, quàm immobilium exigant similiter, prout hactenus exigere consueuerunt. Nec aliquis ipsorum, pro ea intimatione, in qua parti intimatur mandatum procuræ esse in actis productum, vel procuratoris in causa esse reuocatos, vltra iulium vnum percipere audeat. Minus officium ipsorum cuiquam impartiri dolose recusent, seu differant. Nec etiam sub prætextu modicæ mercedis, vel ob id quod maiorem habere vellent. Et quia de cetero in causis tot commissiones quot hactenus fieri consueuit, pro reformatione Signaturæ nostræ de proximo publicanda fieri prohibemus, pro prima commissione, per quam scilicet causa coram aliquo iudice introducitur exigant bolendinos quinquaginta, pro aliis vero, si quæ in causa superuenerint, carlenos duos Cancellariæ. In reliquis autem obseruent in omnibus, & per omnia normam eis à Concilio Lateranen. traditam, nec præmissis in aliquo contrauenire præsumant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis officiorum eo ipso incurrenda.

Mandatariorum taxa pro citationibus, &c.

§.79. Mandatarij quarumcumque Curiarum non exigant vltra bolendin. vnum pro citatione, nisi sit citatio facienda in longinquis locis ab eorum Curiis, quo casu exigant duos, & non vltra. Illud idem faciant in intimatione

Digitized by Google

intimatione cuiuslibet sequestri, monitorij, inhibitionis, decreti, & cuiuscumque actus iudiciarij, exceptis citationibus faciendis contra fiscum, pro quibus exigere possint bolendinos tres. Pro subhastatione, & deliberatione pignorum, siue rerum & bonorum mobilium, & immobilium, vsque ad summam trium scutorum, bolendinum vnum pro quolibet scuto, ab inde supra bolendinos duos pro quolibet scuto, ita tamen quod vltra vnum scutum non exigant pro quacumque summa, etiam quod res subhastatæ, & deliberatæ ad magnam summam ascendant.

Barigelli, & Executorum Taxa.

§. 80. Barigellus, & executores quarumcumque Curiarum, ac custodes carcerum, obseruent in omnibus, & per omnia tabulam nouissime à Camerario nostro editam sub pœnis in ea contentis.

Eorũdem potestate circa fraudes Artificum.

§. 81. Idemque Barigellus, & ceteri executores contra committentes fraudes, quas inuentiones vocant, eo modo vt extraordinarij, & alij Curiæ Capitolij, & Conseruatorum executores faciunt, ad executionem procedere possint, dummodo in fraude deprehensos ad ipsos Conseruatores deferant, & deducant, habeantque partem pœnarum huiusmodi inuentionum, prout & dicti Extraordinarij. Nec eorum quispiam, qui executionem non fecerit, prætextu quod facta fuerit executio ab eo executore, à quo fieri non poterat, vel in loco in quo certus executor deputatus erat, aliquid prorsus à partibus contra quas executio facta fuerit, sub pœna furti, exigere audeat.

Pœnarum infrictione in Notarios, Cõsules, Assessores, &c. præmissis contrauenientes.

§. 82. Si quis vero ex Notariis, & Consulibus, ac illorum Assessoribus, aliquid contra præmissa eos respectiuè concernentia, in quibus specialiter pœna adiecta non sit, admiserint, præter excommunicationis sententiam, quam ipso facto incurrere volumus, etiam pecuniariis, & corporalibus pœnis quoad Notarios & Mandatarios Curiarum præfatarum ipsorum Iudicum, & quoad Consules, & illorum Notarios, & Assessores, Conseruatorum arbitrio afficiantur.

A pauperibus quicquã exigi prohibetur.

§. 83. Et nihilominus omnes, & singuli supradicti in hac nostra constitutione comprehensi, sciant & sane intelligant, id quod sibi in quibusuis casibus accipere concessum extitit, ad pauperes & impotentes nullo modo extendi, à quibus aliquid prorsus accipi posse sub pœnis superius respectiuè expressis omnino prohibemus.

Clausula derogatoria.

§. 84. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, legibus, ac Vrbis, & Rom. Curiæ præfatarum statutis, etiam iuramento, & confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, stylis & cõsuetudinibus, quos & quas per præsentes improbamus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, officijs & illorum officialibus supradictis per quoscumque Rom. Pontif. prædecessores nostros, ac etiam per nos contra præmissa, vel aliquod præmissorum forsan hactenus concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnib. illorum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus inserti forent pro plene, & sufficienter expressis habentes, quoad præmissa dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§. 85. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, statuti, ordinationis, voluntatis, prohibitionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c.

D. P. Ann. 3. die 31. Iunij

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1562. Kal. Iulij Pont. nostri anno tertio.

Papæ subscr. Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero.

Cardinalium subscriptiones.

Ego R. Card. de Carpo Episcopus Ostien.
Ego F. Card. Pisanus Episcopus Portuen.
Ego Fed. Card. Cæsius Episcopus Tusculanus.
Ego Io. Card. Moronus Episcopus Prænestin.
Ego Christoph. Card. Episc. Sabin. Triden.
Ego Otho Card. Augustus Episc. Albanen.
Ego R. Card. Sancti Angeli, Maior Pœniten.
Ego Ti. Card. Crispus.
Ego Io. Mi. Card. Saracenus.
Ego Io. Card. Sancti Vitalis.
Ego Iac. Card. Puteus.
Ego Io. B. Cicada Card. S. Clementis.
Ego B. Card. Tranen.
Ego Scipio Card. Pisarum.
Ego Io. Card. Reomanus.
Ego Io. Ant. Card. Capisuecus.
Ego F. M. G. Card. Alexandrinus.
Ego Clemens Card. Aræcæli.
Ego Io. Ant. Card. S. Georgij.
Ego Aloysius Card. Cornelius.
Ego Bernardus Card. Saluiatus.
Ego Ph. Card. Aburd.
Ego M. Ant. Card. Amulius.
Ego Guid. Alc. Card. Camerarius.
Ego N. Card. de Sermoneta.
Ego Carolus Card. Borromæus.
Ego Fr. Card. Conzaga.

Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi 1563. indict. 6. die Publicatio. *verò 20. mensis Ianuary, Pontif. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij Diuina prouidentia Papæ IV. Anno 4. retroscripta litera Apost. affixa & publicatæ fuerunt in valuis S. Io. Lateranen. ac Principis Apostolorum de Vrbe, necnon in acie Campi Flore, per nos Io. Guerardum, & Iulium Parinum præfatæ Sanctiss. Domini nostri Papæ Curs.*

Petrus Valerius Mag. Curs.

LIX. Reformatio Referendariorum Signaturæ Iustitiæ Romani Pontificis, & ordinationes à Iudicibus Romanæ Curiæ obseruandæ.

Referendariorum huiusmodi priuilegia, vide supra in Pauli III. constitut. 23. Debita. *& infra in Sixt. V. constitut. 41.* Quemadmodum. *vbi idem Pont. numerum & qualitates Referendariorum præfiniuit.*

Officium autem vtriusque Signaturæ, Sede Romani Pont. vacante, silere iussit hic Pont. infra in constit. 63. *In eligendis.* Et quoad commissiones signandas in causis Fiscalibus, vide hic sup. in constit. 52. *Et si cuncta.* & constitutionem hanc præcedente. Et in causis Fabricæ S. Petri de Vrbe vide infra Pij V. const. 95. *Et si omnium.* Et quod hæc signatura non rescribat in causis Cameralibus, declarauit Clem. VIII. inf. in sua const. 65. *In conferendis.* Eiusque reformationem vide in Pauli V. const. 71. *Vniuersi.* §. 1.

P I V S E P I S C O P V S, Edita A.D. 1562.
Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius reformationis.

CVm nuper nos generali officiorum, & Tribunalium Romanæ Curiæ pro abusibus extirpandis, ac vniuersali in ea litigantium commoditate, reformationi intenderimus, & prouiderimus, Cupientes eorumdem litigantium indemnitati in totum consulere, ac vt celerius lites terminentur prouidere, varde opportunum, immo necessarium esse censuimus etiam Signaturam iustitiæ, à qua plerũque hi qui lites in longum protrahere, aliosque diutius & grauioribus impensis defatigare quærunt, cauillationibus & versutiis diuersa rescripta, aut superflua, aut dilationem inducentia extorqueant reformare. Idcirco pro illius reformatione, visis & etiam mature discussis, nonnullis per dilectos filios Referendarios nostros adnotatis, & coram nobis etiam in præsentia nonnullorum ex venerabilibus fratribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus propositis, de eorumdem, ac ceterorum fratrum nostrorum consilio, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus.

De Commissionib. reiectis in Signat. Iustitiæ.

§. 1. Quod nullus ex dictis Referendariis propositas, & reiectas in Signatura Iustitiæ commissiones, in Signatura Gratiæ coram nobis proponere audeat, nisi talis sit materia, quæ scientiam nostram requirat, aut quæ per Signaturam Iustitiæ ad eamdem Signaturam Gratiæ remissa fuerit.

§. 2. Nec

Digitized by Google

Auocatorijs & aliis præiudicialibus.

§.2. Nec in antiquis ac arduis materiis in quibus plures hinc inde expeditæ fuerint commissiones, & in auocatoriis à prioribus iudicibus, & quouis modo præiudicialibus, manum apponere nisi ipsius citata coram eo parte interesse habente.

Præinsertarij reformatorijs.

§. 3. Et cum agitur de reuocatione, aut moderatione alicuius præinsertæ, similiter manum non apponat, nisi in præinserta appositum sit nomen Referendarij, qui illi manum apposuit, vt rationē reddere, & eam iustificare possit. Nec etiam reformatio siue moderatio eiusdem præinsertæ ab habente Signaturam Iustitiæ, nisi nomen Referendarij, vt præmittitur, in ipsa præinserta appositum fuerit, aliquo modo signetur.

Appellationū commissionib.

§.4. Minus in commissionibus appellationum ab interlocutoriis, nisi expresso releuanti grauamine. Nec cum appellatur à definitiua cū clausula, aut vim definitiuæ habēte, nisi res adeo exprimatur, vt videat Referendarius, an tale sit grauamen, quod per definitiuam reparari non possit. Et si in commissione appositā fuerit clausula, cum toto negotio principali, tunc addatur, iustificato tamen dicto grauamine.

Nullitatumq; & attentatorum, &c.

§. 5. Abstineant vlterius Referendarij ab appositione manuum in commissionibus nullitatum, & attentatorum, nisi exprimantur nullitates ex defectu iurisdictionis, citationis, vel mandati, & ipsa attentata. Et pariter in illis in quibus narratur, pronunciatum fuisse prout in cedula.

Prorogationis fatalium Ad quod vide hic infrà.

§. 6. Nec etiam manum apponant in commissionibus prorogationis fatalium, nisi in quibus prima vice ipsa prorogatio petitur, illas vero commissiones in quibus pro vlteriori prorogatione supplicatur, in Signatura nostra gratiæ proponant.

Criminalibus & matrimonialibus.

§.7. Causæ criminales, & matrimoniales non inferioribus Episcopis, & in terris Ecclesiæ, causæ criminales clericorum in sacris constitutorum Ordinario, reliquorum vero clericorum, & laicorum, locorum Gubernatoribus committantur.

Reformatio in causis restit. in integr. nullitatis, & attentatorum.

§. 8. Et vt lites quanto citius fieri possit, ac minori partium dispendio expediantur, decernimus, quod quilibet Iudex cui causæ restitutionis in integrum, nullitatis & attentatorum, de cetero committentur, possit absque speciali commissione præfigere terminum ad docendum de causis restitutionis, ac de ipsius nullitatibus, seu attentatis, & eo lapso & non docto, ad negotij principalis expeditionem procedere.

Terminorūq; reiteratione.

§.9. Similiter quilibet Iudex in quibuslibet causis coram eo introductis, & introducendis, & etiam Auditor Rotæ, in causis extra Rotam commissis, possint omnes terminos substantiales in vim commissionis à fel. rec. Innocentio Papa VIII. prædecessore nostro quam ad omnes Iudices, & etiam Auditores in causis præmissis tenore præsentium extendimus, absque alia speciali commissione reiterare.

Expensarūq; taxatione.

§.10. Quodque ab excessiua taxatione expensarum, semel tantum appellatio committatur, & duæ sententiæ habeant vim trium.

Causis quoque discussionum. De his vide in Clem. VIII. const. 16.

§.11. Causæ discussionum inter creditores, & hæredes defuncti, seu alterius debitoris, de cuius bonis inter ipsos creditores agitur, intra tres mēses, quoad presentes, quoad absentes vero, citra montes intra sex menses, vltra autem intra nouem expediantur, & nullo modo nisi ex magna causa, & per Signaturam nostram Gratiæ instantia prædicta prorogetur.

Aditione hereditatis & confectione inuentarij.

§. 12. Et à die obitus debitoris intra duos menses hæredes præsentes, absentes autem citra montes intra quatuor, vltra vero montes intra sex inuentarium conficere, & an velint hæreditatem adire deliberare teneantur.

Discussionum causis pēdentibus, credita liquida executioni mandentur.

§.13. Et interim Iudices coram quibus causas discussionis huiusmodi pendere contigerit, bona ipsius debitoris defuncti, vel decoctoris debitoris creditoribus habentib. credita eorū liquida interim recepta idonea cautione de restituendo habentibus priora, & potiora, & contribuēdo habētib. æqualia iura consignari mādent, & faciāt.

Decretum irritans.

§,14. Si quis autem constitutioni nostræ huiusmodi in aliquo contrauenerit, indignationis nostræ, ac alias arbitrij nostri pœnas eo ipso incurrat. Et nihilominus commissiones contra tenorem præsentium signatæ, nullius sint roboris, vel momenti, ac per præoccupationem extortæ censeantur, illisque Iudices quibus eas præsentari contigerit, minime parere teneantur. Sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Clausula derogatoria.

§.15. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1562. Kal. Iulij Pont. nostri anno tertio. *D. P. Ann. 3. die 31. Iunij.*

Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. *Papa subscr.*

Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero.

Cardinalium subscriptiones.

Ego F.Card. Pisanus Episcopus Portuen.
Ego Fed.Card.Cæsius Episcopus Tusculanus.
Ego Io. Card. Moronus Episcopus Prænestin.
Ego Christoph. Card. Episc. Sabin. Triden.
Ego Otho Card. Episc. August. Albanen.
Ego R.Card. Sancti Angeli, Maior Pœniten.
Ego Ti. Card. Crispus.
Ego Io. Mi. Card. Saracenus.
Ego Io. Card. Sancti Vitalis.
Ego Io. B. Cicada Card. S. Clementis.
Ego B. Card. Tranen.
Ego Scipio Card. Pisarum.
Ego Io. Card. Reumanus.
Ego Io. Ant. Card. Capisuccus.
Ego F.M.Card. Alexandrinus.
Ego Clemens Card. Aracœli.
Ego Iac. Card. Sabellus.
Ego Io. Ant. Card. S. Georgij.
Ego Aloysius Card. Cornelius.
Ego Bernardus Card. Saluiatus.
Ego Ph. Card. Aburd.
Ego M. Ant. Card. Amulius.
Ego Io. Franciscus Card. de Gambara.
Ego Alexand. Card. Farnesius Vicecanc.
Ego Gui. Asc. Card. Camerarius.
Ego Iul. Card. Vrbinas.
Ego Card. Simoncellus.
Ego Vitellotius Card. Vitellius.
Ego Carolus Card. Borromæus.
Ego Fr. Card. Conzaga.
Ego Ind. de Aualos Card. Aragonius.

Declaratio dictæ Reformationis circa prorogationes fatalium.

PIVS PAPA QVARTVS Motu proprio, &c.

Causæ huius declarationis.

CVm nūper nostris literis, quæ super reformatione Signaturæ edidimus, inter cetera caueatur, quod prorogationes fatalium non nisi semel à Signatura Iustitiæ concedi possent, sperantes infra prima, vel saltem secunda fatalia, causas decidi, & terminari posse. Cumque vt accepimus, tàm propter causarum multitudinem, quàm etiam propter illorum implicitatem, sit quodammodo impossibile id fieri, & propter eamdem causarum multitudinem, contingere posse Signaturam nostram quandoque totam impediri in prorogationibus prædictis.

Declaratio quòd Signat. Iustit. cōcedat prorogationes fataliū iuxta eius solitum non obstante præmissa reformatione.

§.1. Igitur cupientes non solum publicæ vtilitati, sed etiam commoditati salubriter prouidere Motu simili decernimus, statuimus, & ordinamus, eorumdem fatalium prorogationem, in quibusuis causis à nostra Signatura Iustitiæ, prout ante dictarum nostrarum literarum editionem, fieri consueuit, concedi. Et quatenus post emanatas à nobis literas super reformatione Signaturæ Iustitiæ vsq; in diem publicationis præsentis nostri Motus

Digitized by Google

Motus proprij instantia, seu fatalia alicuius causæ lapsa fuerint, defectu prorogationum, partes litigantes læsas aduersus peremptorium instantiæ, ac fatalium huiusmodi in integrum arbitrio dilecti filij nostri Ludouici tit. S.Cyriaci in Thermis presb. Card.Simonetæ nuncupati, dictæ Signaturæ Præsidentis, restitui posse, & indulgeri, & taliter concessas, & indultas suæ firmitatis robur obtinere, perinde ac si dictæ nostræ literæ talem clausulam non habuissent, illis aliter in suo robore permansuris. Et sic per quoscumque Iudices,&c. sublata, &c. irritum quoque, &c.

Derogatio cõtrariorum. Declaratio de prorogationibus.

§. 2. Præmissis ceterisque in contrarium facien. non obstan. quibuscumque.

§. 3. Volumus tamen quod in secunda siue vlteriori prorogatione, & restitutione conceden. per dictum Ludouicum Card. adhibeatur diligentia, vt ex causa & non aliter, tales prorogationes concedantur, super quo eius conscientiam oneramus.

Sola Signatura sufficit.

§. 4. Ad quod præsentis nostri Motus proprij sola signatura sufficiat, & sumptus illius impressi vbique fidem faciat in iudicio, & extra, attento quod in Vrbe.

Pap. subsc.

Placet Motu proprio. I.

L. X.

Confirmatio Militiæ Ordinis Sancti Stephani, à Cosmo Medices Florentiæ, & Senarum Duce, de licentia huius Pontificis nuper institutæ, sub regula Sancti Benedicti cum exemptionum, & indultorum concessione.

Hanc licentiam habuit Cosmus die 1. mensis Octob. 1561. quam vti hic sufficienter relatam prætermisi. Et idem Cosmus Magnus Dux Hetruriæ creatus fuit à Pio V. vt in eius const. 88. Romanus. Et deinde Franciscus eius filius quædam Hospitalia pro hac Militia obtinuit à Sixt. V. vt in eius constit. 65. Præclara. Prout & Ferdinandus alter filius (omnes Magni Duces) ab eodem Sixt. impetrauit pro Militibus etiam bigamis, & habitum clericalem non deferentibus, facultatem retinendi, & transferendi pensiones, vt in altera eius constitut. 104. Circumspecta. Et nuper Paul. V. ampliauit infra in eius constitut. 46. Dum generosa.

Editæ An.D. 1562.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

HIs quæ pro Religionis propagatione, & fidei catholicæ defensione ac animarum salute, prouide facta esse noscuntur, vt firma perpetuo, & illibata persistant, libenter Apostolici muniminis robur adiicimus, ac illa de nouo concedimus, & desuper disponimus, prout catholicorum Principum nobis, & Apostolicæ Sedi deuotorum pia vota exposcunt,& id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cosmus Medices Floren. & Senarum Dux, licentiã à Pont. obtinuit instituẽdi aliquam Militiam vt hic.

§. 1. Dudum siquidem pro parte dilecti filij Nobilis viri Cosmi Med. Florentiæ, & Senarum Ducis nobis exposito, quod ipse ad Dei laudem, & gloriam, ac fidei catholicæ defensionem, Marisque Mediterranei ab infidelibus tuitionem, ac posteritatis suæ decus & honorem, cupiebat vna Militiam sub certo approbato Ordine per eum eligendo cum dote competenti ex suis propriis bonis assignanda, pro vno Magistro, ceteroque Militum numero, ad aliarum in Hispaniis, vel alibi rite institutarum Militiarum instar, in eius Dominio erigere, si sibi ad id nostra,& Sedis prædictæ licentia suffragaretur. Nos præfato Cosmo Duci, vt ad Dei honorem, & gloriam, aliosque effectus præmissos, in dicto dominio, & loco, ac æde sacra sibi bene visis, vnam Militiam sub regula Sancti Benedicti, vel alterius approbati Ordinis, ac sub inuocatione, & cum insigniis de quibus sibi videretur decentibus, postea priuilegiis, facultatibus, & indultis, à nobis, & dicta Sede decorandam, cum dote conuenienti per eumdem Cosmum Ducem arbitrio, suo, vt præfertur, assignanda, pro vno Magistro, qui videlicet ipse Cosmus quoad viueret, & deinde pro tempore existens Florentiæ Dux esse deberet, & certo Militum per ipsum Magistrum pro tempore existentem, tàm à primæua erectione huiusmodi,quàm ex nunc deinceps perpetuo instituendorum, ac habitu regulari donandorum, & ad regularem Ordinis huiusmodi professionem admittendorum numero,sub eiusdem Magistri obedientia, ac cum pactis, capitulis, conditionibus, & stabilimentis, per dictum Cosmum Ducem edendis,& per nos & dictam Sedem postmodum approbandis, ad aliarum Militiarum prædictarum instar, sine tamen alicuius præiudicio erigere, & instituere ac pro Militiæ Militumque præfatorum salubri directione, quæcumque ordinationes, & statuta per nos, vt præfertur, confirmanda, condere posset, licentiam & facultatem per alias nostras in forma breuis literas concessimus.

Hanc licentiam habuit, vt dixi in rubr.

Erexitque Militiam S. Stephani sub reg.S. Bened. & condecentes prouentus assignauit.

§.2. Cum autem sicut accepimus, idem Cosmus Dux omnipotentem Deum, vt christianum decet Principem, honorare, proximo prodesse, vitamque beatam promereri desiderans, in immensæ Maiestatis diuinæ, ac gloriosissimæ Dei genitricis, semperque Virginis Mariæ, totiusque cœlestis Curiæ gloriam & honorem, earumdem literarum vigore, vnam sub inuocatione, & protectione Beati Stephani Militiam Militum S.Stephani nuncupandam, sub regula eiusdem Sancti Benedicti erexerit & instituerit, illique nonnullos fructus, redditus, & prouentus, ac bona pro eius dote assignauerit, volueritque quod eius Milites præfati in sua receptione, charitatem, castitatem coniugalem, & obedientiam expresse profiterentur.

Charitatẽ & coniugalẽ castitatem, ac obedientiam Milites expresse profiteri iussit.

§.3. Charitatem nempe cui tanquam solidæ basi militia ipsa inniteretur,honorem Dei rebus vniuersis præponendo, sacræ Scripturæ præceptis parendo, Sedis prædictæ mandata seruando, pro fide catholica pugnando iustitiam colendo, pauperibus subueniendo, captiuos ab infidelibus vinculis recuperando, & finaliter sese vltroneos cuicumque periculo pro Christianæ Religionis defensione, & pro eius augmento non solum facultates, sed propriam vitam exponendo.Castitatem vero siue pudicitiam nullam aliam feminam præter propriam vxorem carnaliter cognoscendo. Obedientiam autem in omnibus sibi per Magistrum,vel eius Locumtenentem,aliosque Militiæ superiores, iuxta illius ordinationes, & statuta iniunctis, bono & hilari animo diligenter exequendis.

Statuta quoque super huiusmodi regula condidit. An autẽ Milites propter in obseruantiam Regulæ incidant in peccatum vide de hic inf.

§. 4. Ac pro salutari Militiæ, Militumque prædictorum regimine, & perpetuitate, quamplura Canones, & Statuta, ac ordinationes super ipsorum Militum regula, super Militiæ statutis, & constitutionibus, super Militum officio, ac professione, super pœna transgressoribus regulæ statutorumque infligenda, super modo Milites ad professionem recipiendis, illorum habitu, Ecclesia, & cultu diuino, Hospitalitate, communi thesauro, Capitulo generali, Magno Magistro, officiis & dignitatibus Militiæ, Militum officio, exercitio, & commendis, contractibus, alienationibus, & locationibus, necnon prohibitionibus & pœnis, ac super aliis prouisionibus, rebusque ad diuini nominis cultum, Militiæ decus, Religionis augmentum, & animarum salutem facientibus ediderit, atque sanciuerit, prout in illis, variisque capitulis desuper Italico sermone in vno quinterno distincte conscriptis, ac de nostro mandato per dilectum filium nostrum Ioannem Baptistam, tit. S. Clementis presb. Cardinalem Cicada nuncupatum diligenter examinatis, ac perlectis, & emendatis, ac per nos manu propria subscriptis plenius continetur.

Hic autẽ Põt. erectionẽ huius Militiæ, ac statuta cõfirmat.

§. 5. Nos præfati Cosmi Ducis pium, & laudabile institutum, vt pote fidei catholicæ exaltationem, & alia pia opera concernens,plurimum in domino collaudãtes, necnon erectionis, institutionis, statutorum, cano-

num, ordinationum, & capitulorum, ac super illis confecti quinterni prædictorum, & inde secutorum, veriores tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, ac ipsum Cosmum Ducem, quem speciali dilectione prosequimur, in hoc suo laudabili Militiæ Christianæ promouendæ proposito confouere, ac specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes. Motu proprio non ad ipsius Cosmi Ducis, vel alterius pro eo nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, erectionem, institutionem, assignationem, aliaque omnia, & singula, canones, statuta, ordinationes, & capitula prædicta, ac prout illa concernunt cetera in prædicto quinterno contenta, & inde secuta quæcumque, Apostolica auctoritate tenore præsentium ex certa scientia confirmamus, & approbamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, necnon omnes & singulos iuris, & facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem, supplemus.

Et ipsum Cosmum ac alii pro tempore Ducem Flor. Magnū Magist. ipsius Milit. creat. eum faculi. & priuileg. quib. aliarum Militiarum Magistri inter Milites vtuntur.

§. 6. Et nihilominus potiori pro cautela Militiam prędictam eisdem modo, & forma quibus per ipsum Cosmum Ducem erecta, & instituta est de nouo ex simili scientia eadem auctoritate perpetuo erigimus, & instituimus, illique sic erectæ, omnia & singula fructus, & alia mobilia, & immobilia, res & bona illi per eumdem Cosmum Ducem hactenus concessa, & deinceps tàm per eum quàm alios quoscumque licite concedenda, etiam perpetuo applicamus, & appropriamus, necnon canones, statuta, & ordinationes, & capitula prædicta de nouo statuimus, & ordinamus. Ac eumdem Cosmum, & pro tempore existentem Florentiæ Ducem in Magnum Magistrum eiusdem Militiæ cum oneribus, prærogatiuis, & facultatibus, quibus alij aliarū Militiarū dicta auctoritate cōfirmatarum Magistri inter suos Milites quomodolibet vtuntur, fruuntur, & gaudent, similiter perpetuo constituimus, & deputamus, illique prædicta immutandi, & reformandi, ac alia quæcumque ordinationes, & statuta ad eiusdem Militiæ directionem facientia licita, & honesta, ac sacris canonibus minime contraria quotiens sibi videbitur condendi facultatem concedimus. Ac præmissa omnia & singula valida & efficacia fore, suosque plenarios, & integros effectus sotiri, & per Milites fratres, & alias eiusdem Militiæ personas, aliosque quomodolibet inuiolabiler obseruari debere. Ac eosdem Milites, & religiosos ab illis nullatenus resilire posse, sed ad illorum obseruationem teneri, & efficaciter obligatos fore, censuisque, & pœnis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis ad id compelli posse.

Decretum irritans

§. 7. Et sic per quoscumque Iudices quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Ac si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Executorum istius constit. deputatio, & facultates.

§. 8. Quocirca venerabili fratri nostro Episcopo Amerin. & dilectis filiis Vicariis venerabilium fratrum nostrorum Floren. & Pisau. Archiepiscoporum spiritualibus generalibus Motu simili per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, & quotiens pro parte dicti Cosmi, & pro tempore existentis Florentiæ Ducis fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi firmiter obseruari. Ac Cosmum & pro tempore existentem Florentiæ Ducem, necnon Milites præfatos, ac singulos alios quos ipsæ literæ concernunt, & concernent in futurum, illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo. Necnon legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogatoria.

§. 9. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri, qua cauetur, ne quis extra suam ciuitatem, vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus & in illis vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne iudices à Sede prædicta deputati extra ciuitatem vel diœcesim, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alij vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus non tribus dietis in Concilio generali edita, & quibusuis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quarumcumque aliarum etiam Hospitalis S. Io. Hierosolymitani Militiarum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis, illis, ac dilectis filiis illarum Magistris, conuentibus, & fratribus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis, clausulis necnon irritantibus, & aliis decretis etiam motu & scientia similibus, ac consistorialiter, etiam per viam contractus, ac vniuersæ legis, & ad Imperatorum, Regum, aut aliorum Principum instantiam, ac aliis quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia, expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspēdi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Sanctio penalis.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum confirmationis, approbationis, adiectionis, suppletionis, erectionis, institutionis, applicationis, statuti, ordinationis, constitutionis, deputationis, concessionis, decreti, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. P. A. 3. Februarij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1562. Kalend. Februarij, Pontificatus nostri Anno 3.

Sequitur concessio priuilegiorum d. Militiæ.

Edita An. D. 1562.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

ALtitudo diuinæ prouidentiæ nullis præscripta limitibus nulliſque terminis comprehensa cælestia pariter, & terrestria inscrutabili ratione disponit, & mortalium mentes ad ea, per quæ beneuolentia, & feruenti deuotione Catholicorum Principum ad id tendentium, & quam in nos, & Romanā gerere comprobantur Ecclesiam mediante, personarum quarumlibet sub regulari obseruantia degentium optata salus vndique proueniat animarum, diuinusque cultus suscipiat incrementa, incitat. Vnde nos, quibus meritis licet imparibus, vniuersalis Ecclesiæ regimen eadem est prouidentia credirum, iuxtæ Sedis Apostolicæ officium, pro eorum meritis dexteram in eos liberalitatis nostræ extendere censemus, quo ipsi in perseuerantia laudabilium operum feruentius animentur quorum exemplo prouocati, ad similia facilius inducantur.

Exemptio à iurisdictione Ordinariorū. Tu ad hoc vide moderationem Conc. Trid. sess. 24. c. 11. & 14. const. Clem. VIII. n. 39. Suscepti.

§. 1. Hinc est, quod nos dilectos filios nobilem virum Cosmum Medices Florentiæ, & Senarum Ducem, Magnum Magistrum Militiæ S. Stephani sub regula S. Benedicti, & Conuentum eiusdem Militiæ in Ducatu Florentiæ per eumdem Cosmum Ducem de licentia nostra institutæ, specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, eosdem & eorum singulos à quibusuis excōmunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodati

Digitized by Google

dati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, Motu proprio non ad eorum, vel alicuius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate omnes, & singulos ipsius Militiæ Milites, Priorem, ceterosque ministros Ecclesiæ dicti Conuentus, & alias personas, etiam in sacris, & presbyteratus ordinibus constitutas, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque, cum cura & sine cura beneficia Ecclesiastica obtinētes, eorumque beneficia, commendas, res, & bona quæcumque ab omni iurisdictione, superioritate, visitatione, dominio, & potestate quoruuis Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque locorum ordinariorum Apostolica auctoritate tenore præsentium ex certa scientia perpetuo eximimus, & totaliter liberamus, illosque dicto Cosmo Duci, & Magno Magistro in spiritualibus, & temporalibus, eis modo, & forma, quibus in ipsius Militiæ statutis, & ordinationibus continetur, immediate subiicimus, & supponimus, ita quod ipsi locorum Ordinarij nullam in eos iurisdictionem, superioritatem, dominium, vel potestatem, etiam ratione cuiuscumque contractus, delicti, vel alterius rei vbicumque ineatur cōtractus, committatur delictum, & res ipsa consistat, exercere valeant, sed Milites, Prior, & aliæ personæ huiusmodi de iustitia, coram solo Magno Magistro prædicto, vel eius deputato respondere debeant. Decernētes quoscumque processus contra illos, vel eorum aliquem, tàm per ipsos locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu quosuis alios, quam Magistrum, vel eius deputatum prædictos, pro tempore factos, & quaslibet etiam excommunicationis, vel suspensionis aliasque sententias promulgatas nullas, & inualidas, nulliusque roboris, vel momenti fore.

Facultas retinēdi & trāsferendi pensiones vsque ad ducat. 200. Hoc approbauit, & extendit Sixt. V. & iterum amplinuit. Paul. V. d e. in rubr. cit.

§. 2. Ac singulis Militibus coniugatis, etiam bigamis, aliisque presbyteris, vt singulas pensiones annuas vsque ad summam ducentorum ducatorum auri de Camera super quorumuis Cathedralium, etiam Metropolitan. & aliarum Ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, canonicatuum, & præbendarum, dignitatum, personarum, administrationum, & officiorum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorū, cum cura, & sine cura, sæcularium, & quorumuis Ordinum regularium, fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, obuentionibus, & emolumentis alias sibi canonice reseruandas accumulatiue, cum quibusuis aliis pensionibus annuis, quas illos ex quouis alio priuilegio Apostolico pro tempore percipere contigerit, & continget ad vitam percipere, exigere, & leuare, ac in suos vsus, & vtilitatem conuertere, illasque ad aliquam expeditionem contra infideles accedendo, aut in ea existendo, in toto vel parte, simul vel successiue quando sibi videbitur etiam in mortis articulo, in cuiusuis personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut Canonici Cathedralis Ecclesiæ & in dictæ Militiæ Militum manibus, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica obtinentium, & expectantium fauorem, absque aliquo possessorum beneficiorum huiusmodi habendo consensu, transferre, in omnibus, & per omnia perinde prout Militibus S. Pauli, & Piis nuncupatis, per Sedem Apost. indultum extitit etiam citra Cruciatæ obligationem.

Priuilegium disponendi de quoque modo acquisitis. Vide Paul. cit. in rubr.

§. 3. Necnon tàm illis, quàm ceteris omnibus Militibus, ac Priori, & Ministris, etia presb. & beneficiatis eiusdem Militiæ, vt de quibuscumque, tàm stabilibus, quàm mobilibus bonis pecuniarum summis, gemmis, & lapidibus pretiosis, aliisque rebus cuiuscumque qualitatis, & quantitatis, ac valoris existant, per eos etiam ratione beneficiorum Ecclesiasticorum quorumlibet per eos obtentorum, ac alias vndecumque, & quomodolibet acquisitis, & ad illos quouis modo spectantibus, dummodo quintam illorum partem Conuentui prædicto relinquant, inter quoscumque consanguineos filios etiam spurios, & alios illigitimos, aliasque quantumuis incapaces personas testari, ac alias etiam per codicillos, donatione inter vinos, causa mortis, & alia quacumqne via, prout sibi videbitur disponere, ac illa in pias, & non pias, aliàs tamen licitas causas erogare.

Presb. Milit. beneficiū vnū habere possint. vt hic. Quod, intelligi vt hic inf.

§. 4. Ac priori Ecclesiæ dicti Conuentus pro tempore existenti, vt quoties sibi placuerit, Missam, ac alia Diuina officia in prædicta aliisq; dictæ Militiæ Ecclesiis in habitu Pōtificali, cū mithra, & baculo pastorali celebrare, ac post Missam dummodo ibi nō sit præsens aliquis catholicus Antistes, vel de illius consensu, ibidem benedictionem Christi populo impartiri, & quàm ille quàm singuli presbyteri Milites eiusdem Militiæ vnum curatum beneficium Ecclesiasticum à dicta Militia dependens, seu illi vnitum aut incorporatum, etiam si parochialis Ecclesia, vel eius perpetua vicaria fuerit, si ad hoc sufficientes, & idonei fuerint, & beneficium huiusmodi alias sibi canonice conferatur, recipere, & retinere, libere, & licite valeant, auctoritate, & tenore prædictis de specialis dono gratiæ dispensamus, sibique pariter indulgemus.

Milites ob inobseruantiam R. g. quando peccent.

§. 5. Et insuper quod nullus ex Magistro & Militibus pro tempore existentibus, aliisque personis, dictæ Militiæ propter eius regulam, statuta, & capitula, nunc & pro tempore edita non obseruata, vel minus rite adimpleta, in peccatum mortale incidat, præterquam in obedientiam, & contumaciam pluries commissam, & continuatam, & ab ipsa religione rebellionem, & alios casus peccatum huiusmodi ex diuinis præceptis, sacrisque Canonibus generantes.

Exemptio eorumdem à solutione decimarum, & aliorum onerum.

§. 6. Quodque Religionis, & Militiæ huiusmodi bona possessiones, & fructus, redditus, & prouentus quæcumque, tàm per Magnum Magistrum commendis, aliisque beneficiis, & officiis dictæ Militiæ; in illorum institutione, quàm deinceps illis, dictoque Conuentui, & eius personis quomodolibet assignanda, concedenda, & applicāda, sub quibusuis decimis, subsidiis, aliisque ordinariis, & extraordinariis oneribus, per nos & Rom. Pont. pro tempore existentes, ac Sedem Apostolicam ex quauis causa quantumuis necessaria, etiam pro Cruciata Sancta, & defensione contra infideles nullatenus comprehendantur, neque ad illorum, annatarumque, seu illorum dimidiam fructuum, reddituum, & prouentuum beneficiorum, & in illorum prouisionibus faciendam solutionem teneantur, sed ab illis excepta sint, & esse censeantur, nisi ea, quæ hactenus oneribus huiusmodi fuerint, & de præsenti sunt obnoxia.

Pensiones super benef. Milit. imponi nō possint, nisi pro personis dictæ Militiæ.

§. 7. Et quod nulla pensio annua super alicuius cōmēde, vel alterius beneficij Militię huiusmodi fructibus ex resignatione in manibus Rom. Pont. aut alia quauis pro habili causa, nisi in persona personæ dictæ Militiæ, etiam per ipsum Pontificem reseruari, neque commendæ, & alia beneficia dictæ Militiæ pensionibus huiusmodi aliter quam vt præfertur onerari possint. Et si pensiones desuper aliter assignari contingat, assignationes ipsæ nullius sint roboris, vel momenti, nec titulares beneficiorum huiusmodi ad illarum solutiones teneantur, neque ad id censuris Ecclesiasticis aliisque pœnis compelli possint, etiam statuimus, & ordinamus.

Indulg. plen. pro Militibus in expeditione contra infideles, vel hæreticos decedentibus.

§. 8. Propterea vt ipsi Milites Ecclesiæ catholicæ, fideliumque defensionem contra infideles animo feruentiori, minorique perdendæ lucis humanæ si æternam inde nanciscendam prospectant, metu suscipiant, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, vniuersis, & singulis Militibus, & aliis eiusdem Militiæ personis qui in expeditione, tàm maritima, quàm terrestri, contra infideles, vel hæreticos nedum hostilibus armis, sed etiam aliquo quouis mortis genere, de peccatis suis corde contriti, & ore confessi, vel saltem statutis à iure temporibus confitendi propositum habentibus in virtute fidei Catholicæ decesserint.

Indulg. etiam plen. pro visitātibus die 2. Aug. Eccl. Conuentus. Hoc intelligo, vt hic inf.

§. 9. Ac tàm Militibus & personis præfatis, quam quibusuis aliis vtriusque sexus, etiam vere pœnitentibus, & confessis, seu confitendi propositum habentibus, vt præfertur, qui Ecclesiam Conuentus huiusmodi quæ sub inuocatione S. Stephani Papæ & martyris est consecranda, in singulo die festiuitatis eiusdem S. Ssephani Papæ & martyris secunda Augusti, à primis Vesperis vsque ad occasum Solis festiuitatis huiusmodi annuatim deuote visitauerint, ac pro pace inter Principes Christianos confouenda ter orationem Dominicam, & toties, Salutationē Angelicam recitauerint, plenariam omniū, & singulorum peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem.

Indulg. pro aliquid Militia donātibus.

§. 10. Qui vero de bonis qui sibi à Deo collatis vnam eiusdem Militiæ commendam fundauerint, vel dotauerint,

Digitized by Google

Hoc reuocauit Pius V. in const. 30. Et si.

rint,aut Conuentui,& Militiæ prædictis ad eius subuentionem, & onerum illi incumbentium supportandorum faciliori supportatione aliquid iuxta facultatum suarum modum piamque intentionem donauerint, vel legauerint,eas omnes indulgentias,quas Hospitalis S.Io. Hierosolymitani benefactores consequuntur, sine illorum præiudicio misericorditer in Domino similiter perpetuo concedimus,& elargimur.

Clausula præseruatiua.

§. 11. Ac indulgentias, priuilegia, exemptiones, statuta, & alia præmissa nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis,aut nullitatis vitio,vel intentionis nostræ defectu notari, vel impugnari posse: neque sub quibuslibet similium, vel dissimilium indulgentiarum,priuilegiorum,exemptionum,statutorum, & aliarum gratiarum suspensionibus,reuocationibus,limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus à nobis,& successoribus nostris,ac Sede prædicta quauis de causa quātumlibet iustissima pro tempore emanatis, & emanandis comprehendi, sed semper ab illis excepta, & quotiens illa emanabunt, totiens in pristinum statum restituta,& de nouo concessa esse, & censeri.

Decretum irritans.

§. 12. Et sic in præmissis per quoscumque iudices,sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari & definiri debere,ac quidquid secus super his à quocumque quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Quocirca Venerabilibus nostris Muran, & Aretin. ac Pistorien. Episcopis, per Apostolica scripta, motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo aut vnus eorum, per se vel alium, seu alios præsentes nostras literas, & in eis contenta solemniter publicantes, dictisque Cosmo Duci & Magno Magistro, ac Conuentu in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra literas, & in eis contenta huiusmodi firmiter obseruari, ac quos literæ ipsæ concernunt, & concernent in futurum,& eorum singulos illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque contra earumdem literarum tenorem quomodolibet indebitè molestari.Contradictores quoslibet & rebelles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas auctoritate nostra,appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

Clausula derogatoria.

§. 13. Non obstantibus fel.rec. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri, qua cauetur, ne quis extra suam ciuitatem,vel diœcesim,nisi in certis exceptis casibus,& in illis vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne iudices à Sede præfata deputati extra ciuitatem vel diœcesim, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alij vel aliis vices suas committere præsumant. Et de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium nō trahatur, & aliis Apostolicis, ac in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, specialibus, vel generalibus constitutionibus & ordinationibus,necnon dictæ Militiæ, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis,& consuetudinibus, stabilimentis,vsibus, & naturis, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem si alias visitantibus dictam Ecclesiam erigendam modo præmisso aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum aliud tempus nondum elapsum duratura, per nos concessa fuerit, præsentes literæ quo ad indulgentiam in eis contentam nullius sint roboris vel momenti. Quodque beneficia eisdem Militibus conferenda huiusmodi, debitis propterea non fraudentur obsequiis, & animarum cura in eis, si qua illis immineat nullatenus negligatur.

Sanctio pœnalis.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, exemptionis, liberationis,subiectionis, dispensationis, indulti,statuti, ordinationis, concessionis, elargitionis, decretorum, mandati & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei,ac BB.Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. Romæ apud S.Marcum Anno Incarnationis Dominicæ 1562.Non Iulij,Pont.nostri Anno 3. *D.P.A.3. die 5. Iulij.*

LXI.

Decanatus Collegij Auditorum Rotæ Romanæ, cum omnimoda præcedentia, spectat ad Auditorem tempore vacationis in Curia præsentem, aut ex causa publica absentem, & extra Curiam à Rom. Pont. destinatum.

Eamdem iam edidit sanctionem de Decanatu Collegij Cardinalium Paulus IV.vt sup.in eius const. 5.Cum venerabiles.

Alia ad hanc Rotam spectantia indicaui tibi hic supra const.44.

P I V S E P I S C O P V S, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita A.D. 1561.*

Exordium.

DVdum siquidem à fel. rec. Paulo IV. prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis.Paulus Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam, &c.

Omittitur tenor, quia habes sup.in ipsius Pauli.IV. const. 5.

Causa huius constitut.

§.1. Nos considerantes quod dilecti filij causarum Palatij Apost. Auditores ad causas audiendum, & iura reddendum constituti, personaliter in Rom. Curia residere debent, ac eorum in eadem Curia continua residentia id exigente,in assecutione dignitatum, aliis absentibus merito præferendi, & amplioribus priuilegiis honorandi veniunt, ex præmissis & diuersis aliis causis animum nostrum mouentibus. Ne in posterum Decanatus Collegij dd. Auditorum illius occurrente vacatione, in aliquem ex causarum Palatij huiusmodi Auditorem nisi ex causis præmissis absentem, & propter absentiam suam, in iniuriam aliorum eiusdem Palatij Auditorum tunc præsentium deueniat, aut super eodem Decanatu aliquæ controuersiæ, seu dissensiones inter ipsos Auditores oriantur.

Definitio quod Decanatus Collegij Auditorum Rotæ Rom. spectet ad Auditorem tempore vacationis ac Curiæ præsentem, aut ex causa publica absentem, & extra Curiam à Summo Pontifice destinatum.

§. 2. Literas prædictas cum decretis, ac omnibus & singulis in eis contentis clausulis, ad Decanatum Collegij Auditorum huiusmodi, etiam ad hoc vt eiusdem Decanatus, quem dilectus filius Iulius Oradinus Electus Perusinus, locum vnius ex causarum Palatij huiusmodi Auditoribus de mandato nostro tenens, tempore prouisionis de persona sua, & illius profectionis Ecclesiæ Perusinæ, tunc certo modo pastoris solatio destitutæ per nos nuper Apostolica auctoritate factarum obtinebat, & exercebat, per prouisionem & præfectionem huiusmodi, non nisi ad dilectum filium Io.Baptistam de Rubeis causarum Palatij huiusmodi Auditorem in dicta Curia officium Auditoratus causarum huiusmodi laudabiliter exercendo residentem, & alias de Republica benemeritum, ex nunc & de cetero perpetuis futuris temporibus, occurrente vacatione,ad antiquiorem causarum Palatij huiusmodi Auditorem in dicta Curia residentem, aut ex causa publica absentem, & extra eamdem Curiam per Romanum Pont. destinatum deuenire possit. Et Io. Baptista, ac postquam dictus Decanatus ad eum deuenerit, in d. Curia præsens, aut vt præfertur absens, & extra dictam Curiam destinatus Auditor antiquior præfatus, omnes alios Auditores, etiam antiquiores, semper in quibuslibet sessionibus, disputationibus, votis, & aliis actibus publicis & priuatis præcedat, nec per alios Auditores etiam antiquiores tunc absentes, etiam si postmodum incontinenti ad dictam Curiam se conferant, & in ea continuo resideant, super ipso Decanatu, aut illius sessionibus, vel aliis actibus, seu disputationibus ad eum pertinentibus impediri, aut molestari valeat, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine extendimus & ampliamus.

§. 3.

Digitized by Google

Derogatio cõtrariorum.

§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtylo Palatij, necnon Collegij Auditorum præfatorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ac omnibus illis quæ dictus prædeceſſor in dictis literis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Sanctio pœnalis.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ extenſionis, & ampliationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis &c,

D. P. A. 3. die 27. Iulij.

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1562. ſexto Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno 3.

LXII. Reuocatio Priuilegiorum quibuſcumque locis Piis, & aliis conceſſorum, diſpenſandi ſuper irregularitatibus, impedimentiſque matrimonialibus, &c.

Hic idem Pont. reuocauit etiam quæcumque indulta, confeſſionalia, Mare magnum, & ſimilia quibuſcumque regularibus & aliis elargita, in his quæ Conc. Trid. aduerſantur, vt inf. conſt. 94. In principis, *vbi notabo. Et adde conſt. 115. Clementis VIII.* Quæcunque.

Edita A. D. 1562.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

DE commiſſo nobis vniuerſalis Eccleſiæ regimine, ita nos oportet eſſe ſolicitos, vt propenſiore ſtudio caueamus, ne illa quæ hactenus multorum precibus & inſtantiis pro animarum ſalute tam à nobis mentis hominum abuſu in grauem cedant animarum iacturam, neve Chriſtifideles cuiuſuis indulgentiæ, peccatorum remiſſionis vel facultatis, aut priuilegij obtentu, procliuiores ad illicita in poſterum perpetranda reddantur, ac nimia veniæ facilitas eis peccandi tribuat incentiuum.

Hic Pont. & prædeceſſores conceſſerunt Fabricæ S. Petri & Hoſpitali S. Spiritus, & aliis locis piis multa priuilegia.

§. 1. Sane cum nos, auſpice Chriſto, nuper ad generalem Tribunalium Almæ Vrbis, Curiæque noſtræ officiorum omnium debitam, ac ſalubrem reformationem certis tunc rationabilibus cauſis moti perexerimus, ac quoſdam qui in illis diuerſimode præter mentem noſtram committebantur abuſus, per noſtram prouidentiam remouerimus, reformationem huiuſmodi inſequentes, in alios etiam hominum ſtatus, non minores ob cauſas dirigere ſaluberrimum eſſe cenſemus. Attendentes igitur quod licet alias nos, ac diuerſi Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, vt Chriſtifideles, præfati, ad charitatiua & pia opera exercenda promptiores redderentur, ſicque illorum animarum ſaluti, necnon Fabricæ baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe manutentioni & ſtatui, ac hoſpitalis noſtri Sancti Spiritus in Saxia de eadem Vrbe, ac aliorum piorum locorum, & Confraternitatum commoditati, & pauperum ac miſerabilium, & aliarum perſonarum in eis pro tempore degentium ſuſtentationi, ac opportunæ ſubuentioni rite conſuleretur, ac ex certis tunc expreſſis rationabilibus cauſis diuerſas indulgentias, peccatorum remiſſiones, conceſſiones, gratias, priuilegia, facultates etiam diſpenſandi ſuper impedimentis matrimonialibus, vel aliis quibuſcumque defectibus, & irregularitatibus, & abſoluendi, indulta eiſdem Fabricæ & Hoſpitali, ac illorum Commiſſariis, Præceptori & Miniſtris conceſſerimus.

Quibus eorũ miniſtri abutuntur.

§. 2. Nihilominus, ſicut non ſine graui mentis noſtræ perturbatione nuper intelleximus, tàm baſilicæ Fabricæ, quàm Hoſpitalis & aliorum locorum, & Confraternitatum Commiſſarij & Miniſtri, huiuſmodi indulgentiis, peccatorum remiſſionibus, conceſſionibus, gratiis, priuilegiis, ac diſpenſandi, vt præmittitur, ac abſoluendi, & aliis facultatibus & indultis ſibi conceſſis prædictis in graue illorum animarum periculum diuerſi mode abutantur, ac circa illa, non mediocres committuntur errores, in ſcandalum plurimorum, ac diuinæ maieſtatis offenſam.

§. 3. Nos igitur debitam gregis Dominici curam habere, & ne tales abuſus piorũ mentes polluant, ac pie conceſſa, hominũ malitia, animarũ ſaluti detrimentum afferant, vt par eſt prouidere, quantũ in nobis eſt, ſcandalis obuiare, & animarũ ſaluti conſulere volentes, necnon indulgentiarum, remiſſionum, conceſſionum, gratiarum, priuilegiorum, facultatum & indultorum Fabricæ, ac Hoſpitali, necnon aliis locis & Confraternitatibus, ac Commiſſariis, Præceptori, & Miniſtris conceſſorum huiuſmodi veriores tenores præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio non ad alicuius ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, omnia, & ſingula, indulgentias etiam plenarias, ac peccatorum remiſſiones, necnon conceſſiones, priuilegia, indulta & facultates, etiam diſpenſandi, vt præmittitur, & abſoluendi (non tamen relicta, & hæreditates etiam ad pias cauſas exequi faciendi, & illa, ſeu eorum partem dictæ Fabricæ iuxta tenorem priuilegiorum prædictorum applicandi, necnon Commiſſarios & debitores ipſius Fabricæ ad illi reddendum computa, & ſatisfaciendum de adminiſtratis, & debitis per eos, prout hactenus fieri conſueuit, cogendi & compellendi Fabricæ, & Hoſpitali prædictis necnon Monialium Spiritus Sancti Venetiarum, aliiſque eiuſdem Sancti Auguſtini, ſeu aliorum Ordinum, tàm virorum quam mulierum Monaſteriis, ac Hoſpitalibus, Eccleſiis, capellis, altaribus, confraternitatibus, ſocietatibus, & aliis piis locis à d. Hoſpitali Sancti Spiritus dependentibus, ſeu in eius membrum, aut grangiam, quauis etiam Apoſtolica auctoritate erectis, ac illorum Præceptoribus, Abbatibus, Abbatiſſis, Prioribus, & Prioriſſis. Confratribus, ſeu illorum Conuentibus, ac Commiſſariis, necnon miniſtris, quoad Fabricam videlicet in Italia dumtaxat, quo vero ad hoſpitalia, & monaſteria, confraternitates, & ſocietates, ac alia loca huiuſmodi, tàm in Italia, quam alias vbiuis locorum, ex quibuſuis cauſis, & ad quorumuis etiam Principum quorumcumque inſtantiam, vel eorum intuitu, conſideratione vel contemplatione, etiam Motu ſimili, etiam conſiſtorialiter, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam ſi illa ſub quibuſuis reuocationibus, alterationibus, vel limitationibus, ſimilium vel diſſimilium indulgentiarum, conceſſionum, gratiarum, priuilegiorum, facultatum & indultorum, in toto, vel parte minime comprehenderentur, & quotiens illa reuocari contingeret totiens in priſtinum ſtatum reſtituta eſſent, & eſſe cenſerentur, irritanti etiam decreto deſuper forſan adiecto, ac cum aliis quibuſuis clauſulis quomodolibet conceſſa, ac iteratis vicibus approbata & innouata (præterquam quoad ea in quibus iam ſum fortita ſunt effectum (Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, perpetuo reuocamus, caſſamus, annullamus, irritamus, & viribus vacuamus.

Hic ideo Põt. generaliter ea reuocat, nõ tamen quoad Fabricam relictoria legata.

Prohibitio eis de cetero vtẽdi.

§. 4. Diſtrictius inhibentes eiſdem Præceptoribus, Abbatibus, Abbatiſſis, Conuentribus, Confratribus, & Miniſtris cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis & conditionis exiſtentibus, ac etiam Archiepiſcopali, Epiſcopali, aut alia maiori dignitate fungentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & indignationis, necnon excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, ne de cetero indulgentiis, conceſſionibus, gratiis, facultatibus, etiam diſpenſandi, vt præmittitur, & abſoluendi priuilegiis & indultis prædictis vti, ac de illis ſe intromittere quoquo modo audeant ſeu præſumant. Ac decernentes ex nunc irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis necnon quibuſuis priuilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis forſan in contrariũ, etiam Motu & ſcientia ſimilibus, etiam per nos conceſſis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus illorum omnium veriores tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus ceteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari

Digitized by Google

municari non possint per literas Apostolicas non facientes plenã & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali cuiuscumque tenoris existat per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratiæ impediri valeat, vel quomodolibet differri, & de qua, cuiusque toto tenore, habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Fides danda transumptis huius bullæ.

§. 6. Vt autem præsentes literæ ad cunctorum notitiam deueniant, volumus, & mandamus illas in dictæ basilicæ valuis, ac acie Campi Floræ affigi, vt hi quos literæ ipsæ concernunt, seu concernere poterunt, quomodolibet in futurum, quod ad ipsorum notitiam non peruenerint, vel illas ignorauerint quominus eos arctent, perinde ac si personaliter intimatæ forent, nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare, cum non sit verisimile apud eos remanere incognitum, quod tam parenter extiterit publicatum.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Dat. P. A. 3. die 19 Sept.

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1562. 13. Kal. Octobris, Pontificatus nostr. Anno 3.

LXIII.

Ordinationes pro tempore Sedis Apostolicæ vacantis, circa electionem Summi Pontificis, & obseruantiam Conclauis. Declarationesque Iurisdictionum Collegij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Camerarij, & Clericorum Cameræ Maioris Pœnitentiarij, Datarij, Præfectorum, & Prælatorum Signaturæ Gratiæ & Iustitiæ, & Custodum Conclauis.

Quoad electionem Papæ habes etiam sanctionem Gregor. X. in cap. 3. de Elect. in 6. & aliam Clem. V. in clemen. 9. eod. tit. necnon Clem. VI. sup. in const. 5. Licet. *& Iulij II. in const. 3.* Cum tam, *Pauli IV. const. 16.* Cum secundum. *Et de materia Cardinalium, plene notabo in const. 50. Sixti V.* Postquam.

De electione Summi Romani Pontificis præter notata in præcedentibus rubricis, attende plenissimam dispositionem à Greg. XV. editam in const. 13. *Æterni*, infra tom. 4. ad quam alias posteriores const. habes indicatas circa cæremonias in huiusmodi electione obseruandas.

Edita A. D. 1562.

PIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Electio Rom. Pont. quæ matura fieri debet.

IN eligendis Ecclesiarum Prælatis, quibus & humana, & diuina ministeria committuntur, quantam adhiberi curam oporteat, testantur Patrum nostrorum sacratissimæ constitutiones, quas illi magna seueritate de Episcoporum, & aliorum Prælatorum qualitate ediderunt, propterea quod à bonis bona omnia, videlicet charitas, vigilantia, Ecclesiastica disciplina, denique animarum eis commissarum salus proficiscerétur, à malis vero contra, non nisi mala, nempe auaritia, negligentia, fastus, & animarum periculum possit expectari. Quod si in quibuslibet Ecclesiarum Pastoribus tantopere prouidendum est, ne quis assumatur indignus, maiorem certe, & perspicaciorem diligentiam in Romano Pontifice eligendo, qui ceteris Pastoribus est præfuturus, & totius Dominici gregis curam habiturus, oportet adhiberi.

Ideo Pontt. in rub. cit. prouidas constit. ediderunt.

§. 2. Hac sancta meditatione permoti prædecessores nostri, & præsertim fel. rec. Alexander III. Greg. X. Clem. V. Clem. VI. & Iulius II. nonnullas constitutiones sanxerunt ad prouidendum, vt summorum Pontificum electiones libere, & recte, & mature fierent. Sed quoniam res humanæ semper in deterius prolabuntur, nisi sit qui eas assidue retineat & conseruet, verendumque sit ne aliquando propter earum constitutionum transgressionem suborti abusus longius serpant, & progrediantur.

Hic etiam Pōt. alias addit videlicet quod Cardinales absente decem diebus expectentur, & interim nouem diebus fiant defuncti Pont. exequiæ.

§. 2. Nos quantum cum Deo possumus futuris casibus, & periculis occurrere volentes, eorumdem prædecessorum nostrorum constitutiones, tum innouando, tum declarando, & pro rerum & temporum necessitate supplendo, de Fratrum nostrorum vnanimi consilio atque assensu definimus, statuimus, & declaramus, vt cum Pontificem de hac vita migrare contigerit, Cardinales præsentes decem tantummodo diebus, iuxta dicti Gregorij prædecessoris constitutionem in Concilio Lugdunen. editam, Cardinales absentes expectare teneantur, & interim solitas nouem continuorum dierum exequias omnino peragant, nec vllo prætextu vlterius differant. Et ne quid impedimento esse possit quo minus exequiæ ipsæ nono die absoluantur, si quando per obseruantiam alicuius magni impedimenti, & præcipui festi Cardinalibus videretur officium exequiarum intermitti debere, dies illi sic intermissi in numerum nouem dierum nihilominus computari debeant, & impensa quæ in eis pro exequiis facienda esset, inter pauperes Christi distribuatur. Ac vt superfluis quoque sumptibus, qui iam in immensum extreuerunt, modus imponatur, funus simplicius quam consueuerit fiat, ita vt illius ratione (præter regalia Populo Romano præstari solita) decem millium ducatorum summam, pannis lugubribus, & regalibus tàm Camerarij & Clericorum, ac aliorum Cameralium, quàm aliorum quorumcumque Ministrorum, & Officialium, ac aliis omnibus omnino computatis, impensa non excedat. Summa autem decem millium huiusmodi, vel si Collegio visum fuerit etiam minor, aut nullo modo maior, per tres Card. antiquiores, vnum videlicet de quolibet ordine, & Camerarium proportionabiliter pro rata distributionis alias fieri solitæ, inter prædictos omnes, & singulos diuidatur.

Elapsis decem dieb. Cardd. præsentes celebrata Missa, Spiritus sancti Conclaue ingrediantur & electioni Pont. incumbant.

§. 3. Lapsis vero decem diebus à die obitus Pontificis, ingressus Conclauis nullatenus prorogetur aut differatur, sed sequenti die Missa de Spiritu sancto celebrata, siue Cardinales absentes venerint siue non, qui fuerint præsentes statim Conclaue ingredi teneantur, & ingredientes ipsi absque mora aliqua omissa omnino Capitulorum confectione primis diebus fieri solitorum, in electionis negotio procedant, & singulis diebus scrutinium fiat, & in primo scrutinio etiam accedere liceat.

Ingredi nolẽtes, aut absq; causa inde recedentes pœnã constitut. Greg. X. incurrant. Cardd. præsentes in Conclaue & extra Pontificẽ eligere valeant, lapsis decem diebus.

§. 4. Si qui vero forte intrare noluerint, vel ingressi absque manifesta infirmitatis causa iuramento Medicorum, & à maiori parte Cardinalium per secreta suffragia approbata exiuerint, dictæ constit. Gregorij pœnam incurrant.

§. 5. Declarantes nihilominus, quod postquam Cardinales præsentes, aliis Cardinalibus etiam de latere Legatis, aut ex aliâ quacumque etiam publica causa, etiam cum licentia summi Pontificis absentibus vlterius non expectatis, post tamen lapsum dictorum decem dierum à morte Pontificis, electionem siue intra, siue extra Conclaue fecerint, electio sic ex itineris, aut alterius etiam probabilis, & notorij ipsorum Cardinalium absentium impedimenti prætextu impugnari minime valeat, quum publica vtilitas ex matura electione proueniens cuiuis alteri rationi præferri debeat.

Sede vacante Colleg. Cardd. de hic enarratis tantum disponas.

§. 6. Sedis autem vacatione durante, Collegium Cardinalium in iis quæ ad Pontificem maximum dum viueret pertinebant, nullam omnino potestatem aut iurisdictionem habeat, neque gratiam, neque iustitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi, sed ea omnia futuro Pontifici reseruare teneatur. Neque de statu temporali Romanæ Ecclesiæ, neque de pecuniis Cameræ Apostolicæ aut Datarij, vel pro solutione debitorum ante obitum Pontificis quomodolibet contractorum, aut alias ex quauis causa (casibus infrascriptis dumtaxat exceptis) quicquam disponere, nec contra dictam Gregorij constitutionem pro seipsis aliquid percipere, nec æs alienum vltra necessarios sumptus præsentibus comprehensos contrahere debeant, neque Camerarius, Thesaurarius, Datarius, Depositarius, Castellanus Arcis Sancti Angeli, aut alij Officiales

Digitized by Google

Officiales contra harum constitutionum tenorem, Collegio obedire teneantur, siue debeant, quinimo si eis in talibus obtemperauerint, aut ipsi Cardinales, vel Officiales ex eorum officiis contra præmissa aliquid attentare præsumpserint, de suo proprio Cameræ Apostolicæ plenarie satisfacere, & pecunias erogatas restituere, ac quæuis damna ad eligendi Pontificis arbitrium resarcire cogantur. Quod autem expendi possit erit præfata decem millium ducatorum summa. Illud item quod pro victu familiæ Pontificiæ ante Conclauis ingressum, ac post ingressum pro pauperum Officialium palatij tantum per Camerarium, & Priores Ordinum describendorum victu, ac etiam pro eleemosynis Sede vacante fieri consuetis. Itemque pro defensione Terrarum Ecclesiæ, vel partis earum. Necnon pro regalibus Populo Romano, & illius Magistratibus, ac custodia Vrbis, & Conclauis, illiusque prouisionibus opportunis necessarium erit. Quæ vero impensa pro defensione Terrarum, & locorum Ecclesiæ & securitate, ac prouisionibus Conclauis facienda sit, Cardinales præsentes per secreta suffragia ordinare debeant, ita vt maioris partis sententia obtineat id quod obseruandum erit, etiam in Gubernatoribus Vrbis, tàm vltra pontem, quàm citra, & aliis Officialibus, etiam pro status Ecclesiastici regimine si opus fuerit eligendis. Si vero vltra prædicta aliquod grande periculum immineret, cui omnibus & singulis Cardinalibus præsentibus iuxta Ordinationem Gregorij X. aut saltem duabus illorum tertiis partibus per secreta suffragia videretur celeriter occurrendum, tunc Collegium iuxta maioris partis sententiam simililiter per secreta suffragia de remedio opportuno, ac prouide de necessaria impensa prouidere possit & debeat.

Tres Cardd. & Camerar. occurrentes necessitates proponere, & Cõclauis negotia curent.

§.7. Statuimus etiam quod tres Cardinales antiquiores, vnus videlicet ex quolibet ordine, vna cum Camerario post Pontificis obitum, reliquos Cardinales congregandi, & occurrentes necessitates in congregationibus generalibus proponendi, & vt conclaue bene vndique claudatur curandi ius habeant.

Ingressi Conclaue, alij tres quolibet 3. die eorũ loco subintrent.

§.8. Ipsorum autem officium tertia die post Conclauis ingressum omnino expiret, eorumque loco tres alij sequentes in ordine, quolibet tertio quoque die, cum eodem Camerario in eadem potestate succedant.

Camerar. suique Officiales, rebus hic prascriptis & nõ aliis incumbant.

§.9. Camerarij quoque, & Maioris Pœnitentiarij officia, quæ etiam Sede vacante durante, ita durare decernimus, & declaramus, vt non solum ea quæ præsenti constitutione prohibentur, & quæ Pontifice viuente exercere non consueuerunt, seu à quibus pro eiusdem Pontificis reuerentia, aut alias quomodolibet abstinebant, minime vsurpent, sed Camerarius, ac Præsidentes, & Clerici, aliique Ministri, & Officiales Cameræ Apostolicæ exactioni pecuniarum eidem Cameræ debitarum, ac prouisionibus ratione Sedis vacantis iuxta præmissa necessario faciendis dumtaxat incumbere, & propterea à solutione debitorum ante Pontificis obitum contractorum, aut illorum declaratione, rationum solidatione, extractionibus frumentorum, remissionibus delictorum, assecutionibus delinquentium, & quibuscumque aliis expeditionibus tàm gratiam, quàm iustitiam, aut illarum executionem quomodolibet concernentibus omnino abstinere debeant.

Pœnitentiarius, & eius Officiales quæ ad forum cõscientiæ spectant, tantũmodo expediant.

§.10. Pœnitentiarius vero, & eius Officiales ea tantum facere & expedire valeant, quæ ad forum conscientiæ pertinent; in reliquis officium eorum conquiescat. Itaque à quibuscumque matrimonialibus, & aliis dispensationibus, ac absolutionibus, & declarationibus, necnon quibusuis aliis expeditionibus forum, quod aiunt, fori, mixtim, vel separatim quomodolibet respicientibus omnino abstineant. Alioquin in quibus tam Camerarius, Pœnitentiarius, & alij prædicti, etiam de licentia aut mandato totius Collegij contrafecerint, ea nulla, & irrita sint, ac nemini suffragentur. Et nihilominus eorum excessus, & inobedientiæ rationem, Pontificis arbitrio quandocumque reddere teneantur. Literis etiam nostris super reformatione Cameræ, & Pœnitentiariæ huiusmodi editis in suo robore permanduris.

Datarij officiũ morte Pontificis expirat.

§.11. Datarij vero ministerium per eiusdem Pontificis obitum omnino expiret, ita vt non solum datas per eum antea notatas extendendi potestatem minime habeat, sed quascumque supplicationes gratiarum, & iustitiæ penes eum, aut eius ministros adhuc existentes etiam si datæ fuerint, Collegio Cardinalium statim sub sigillo clausas præsentare teneantur futuro Pontifici reseruandas. Quod si contra præmissa quicquam ad cuiusuis etiam Cardinalis instantiam attentare præsumpserit, irritum, & inane existat, & nihilominus falsi crimen incurrat, illius rationem futuro Pontifici reddituros.

Cardd. & Prælatorum Signat. gratiæ & iustitiæ officium conquiescit.

§.12. Prohibentes insuper ne Cardinales, & Prælati Signaturæ gratiarum, & iustitiæ præfecti Sede vacante supplicationes, & commissiones aliquas, etiam si supplicantes, paruas datas, vt moris est antea obtinuerint, signare valeant, sed officia eorum omnino cessare intelligantur. Quod si aliter fecerint, pro excessibus huiusmodi futuri Pontificis arbitrio puniantur.

Cõclauis cellæ sorte distribuantur.

§.13. Mandamus quoque quod Cellæ conclauis Cardinalibus sorte distribuantur, nec liceat eas etiam infirmitatis prætextu mutare, aut desuper ædificare, vel illas dilatare, sed quilibet, etiam Decanus, sit sua sorte contentus.

Apud Conclaue habitare, vel morari prohibetur.

§.14. Post Conclauis vero ingressum interdicimus, & expresse prohibemus sub officiorum, & beneficiorum priuationis pœna, atque etiam sub alia arbitrio Gubernatoris ad custodiam Conclauis deputari soliti infligenda, ne quis immediate supra aut infra Conclaue, seu à lateribus habitare vel morari possit. Quæ loca muris claudi, & à Præsidentibus custodiæ Conclauis, ac à dicto Gubernatore sæpius visitari debeant. Et si qua fraus commissa fuerit, teneatur ipse Gubernator sub periurij pœna eo ipso incurrenda, & alia arbitrio futuri Pontificis infligenda, delinquentes huiusmodi Cardinalibus pro tempore deputatis reuelare, curareque, vt delinquentes ipsi carcerentur, & acriter puniantur.

Conclaue à Cardd. deputatis visitetur &c.

§.15. Teneantur quoque Cardinales pro tempore deputati Cellas Cardinalium, & alia Conclauis loca sæpius visitare, & diligenter perquirere ne ipsius Conclauis muris, aut laquearibus, seu pauimentis vetita foramina fiant. Et si quid tale deprehensum fuerit, auctores priuationis officiorum, & beneficiorum, ac aliis etiam corporalibus, & seueriſſimis pœnis, Gubernatoris ac etiam futuri Pontificis arbitrio afficiantur, & conscij de præmissis eisdem pœnis teneantur, nisi statim, si intra Conclaue fuerint, eisdem Cardinalibus deputatis, si vero extra Conclaue, Gubernatori & Prælatis præpositis reuelauerint. Qui quidem Gubernator, & Prælati sub periurij pœna in hoc inuigilare, & opportune prouidere debeant.

Cardd. non infirmi duos, infirmi tres seruientes habeant.

§.16. Quilibet autem Cardinalis in Conclaui duobus seruientibus, Clericis vel Laicis contentus sit. Infirmis autem, & grauiter affectis à maiori parte Collegij per secreta suffragia, tertius ad summum indulgeri possit.

Conclauista à Cardd. approbentur.

§.17. Qui seruientes familiares domestici, & continui commensales ipsius Cardinalis, & ab anno ante fuisse, & tunc esse debeant, & non mercatores ministri Principum, Domini temporales & iurisdictionem habentes, neque fratres, aut nepotes Cardinalium, etiam si expensis eorum viuerent. Et de qualitatibus Conclauistarum Cardinales deputati ante Conclauis ingressum diligenter inquisitionem habere, & eos approbare, ac post ingressum denuo diligenter prouidere debeant.

Sacrista vnus fiet in Conclaui, Magistrique ceremoniarũ duo, Medici duo, Chirurgus vnus, Aromatarius vnus, Faberlignar. vnus, Cementarius vnus, Barbitonsores duo, seruitus decẽ.

§.18. Sacrista quoque cum vno clerico coadiutore in officio Sacristiæ; duo quoque Magistri cæremoniarum Conclaue ingrediantur Missis celebrandis, & aliis quæ ad ipsos pertinent vacaturi. Adsit præterea vnus Religiosus pro Confessionibus audiendis à maiori parte Cardinalium per secreta suffragia eligendus; vnus Collegij Secretarius tantum; duo Medici; vnus Chirurgus; vnus Aromatarius, cum vno aut duobus seruientibus; vnus Faberlignarius; vnus Cementarius; duo Barbitonsores, cum vno aut duobus seruientibus. Item octo aut decem seruientes publicæ vtilitati, & commoditati, omnium,

Digitized by Google

veluti pro lignis portandis, pro verrendo Conclaue, & similibus necessariis ministrandis, qui omnes à Collegio Cardinalium, non tamen ex familia alicuius Cardinalis, per fabas secretas eligantur, ita tamen vt is obtineat, qui plura vota tulerit, & eis salaria de publico persoluantur. Quod si vltra præfatas personas, in Conclaui aliquis inuentus fuerit, expelli statim debeat. Et si quis vspiam se occultasse deprehendatur, ignominiose expellatur, & infamia notetur, & officiis atque beneficiis priuetur, conscij vero sub eadem pœna illos Collegio reuelare teneantur, præmium reportaturi si indicauerint.

Eo clauso colloquium prohibetur.

§.19. Clauso Conclaui nulli ad colloquium etiam extra portam Conclauis etiam Principum Oratores, nisi ex magna & vrgenti causa à maiori parte Collegij approbanda admittantur. Et si quis forte, quod absit, clam ipsum Conclaue, & aliunde quam per ostium ingrediatur, omni honore, gradu, ac officio, & beneficio ipso facto priuatus existat, & tradatur Curiæ sæculari accerrimis pœnis puniendus.

Literæ, vel signa trãsmittere prohibetur.

§.20. Literas vero aut cuiusuis generis scripta ad eos, qui in Conclaui erunt, seu nuncium, vel notam, aut signum mittere, seu recipere, aut contra, è Conclaui ad eos qui foris erunt, vllo modo liceat, qui contrafecerint, quacumque dignitate etiam si Cardinalatus honore præfulgeant, pœnæ excommunicationis latæ sententiæ subiaceant, absoluendi facultate, præterquam in mortis articulo, soli Pontifici Maximo reseruata, à quo nihilominus pro qualitate delicti vltra dictam excommunicationis pœnam puniendi erunt.

Excommissæ super electione Pont. damnantur. Hoc strictius damnauit Greg. XIV. in const. 4.

§. 21. Prohibentes etiam super futura electione Pontificis sponsiones, quas excommissas vocant, fieri, & si forte contra præsentium tenorem factæ fuerint, illas nullas, & irritas, in iudicio & extra, fore & omnino censeri, & contrafacientes, ac proxenetas arbitrio Gubernatoris, & futuri Pontificis puniri debere decernimus.

Cardd. vnico ferculo, & moderato; & in propria cella vescãtur iuxta bullam Clem. VI. sup.

§.22. Cardinales autem primo ipso die quo Conclaue ingressi fuerint, tàm in prandio, quàm in cœna solo ferculo vnius speciei tantum, eoque moderato, & alias iuxta constitutionem præfati Clementis VI. qualificato contenti sint, & esse debeant, nec quisquam in alterius Cella, vel de alterius ferculo vescatur.

Prælati custodes Conclauis ne literæ, &c. transmittantur eisrent.

§.23. Prælati quoque ad custodiam Conclauis deputati sub pœna periurij, & suspensionis à diuinis, maxima, & exquisita diligentia vtantur in inspiciendis, ac præscrutandis epulis, & aliis rebus ac personis Conclaue intrantibus, & de eo exeuntibus, ne sub earum rerum velamine literæ aut notæ, vel signa aliqua transmittantur. Quod si tale quid inuentum fuerit, familiares Cardinalium aut alij delinquentes pœnam priuationis officiorum, & beneficiorum, ac inhabilitatis ad obtenta, & obtinenda incurrant. Et vlterius per Gubernatorem carceribus mancipentur, exinde nisi de mandato noui Pontificis minime relaxandi, sed eius arbitrio acrius puniendi, omni facultate Collegio Cardinalium in fauorem quorumcumque qui in præmissis vel eorum aliquo deliquerint, omnino interdicta.

Conclauistæ discedentes, non ingrediãtur vlterius.

§.24. Conclauistæ vero, & quicumque alij seruientes Conclaui ex causa infirmitatis manifestæ, & notabilis à Medicis medio iuramento probatæ, & de consensu deputatorum, quorum etiam conscientiam desuper oneramus, & non aliter exituri, nullo modo reuerti possint, sed eorum loco alij eodem prorsus tempore quo infirmi exibunt, ingrediantur.

Cardd. non Diac. votum in electione non habeat.

§.25. Statuimus etiam, & declaramus, quod si forte aliquis Cardinalis saltem in Diaconatus ordine constitutus non fuerit, is nullatenus ad eligendum admitti debeat.

Cardd. in electione seruent his. expressa.

§.26. Cardinales autem per viscera misericordiæ D. N. IESV CHRISTI enixe rogamus, & hortamur, ac eis nihilominus sub diuini interminatione Iudicij præcipimus, & mandamus, vt attendentes magnitudinem ministerij quod per eos tractatur, in dandis suffragiis, ac aliis omnibus & singulis electionem quomodolibet concernentibus, omni dolo ac fraude, factionibus, & animorum passionibus remotis, ac Principum sæcularium intercessionibus, ceterisque mundanis respectibus minime attentis, sed solum Deum præ oculis habentes, sese pure, libere, sincere, quiete, & pacifice gerere, & habere debeant. Nec pro ipsius Pontificis electione, conspirationes, condicta, pactiones, & alios illicitos tractatus inire, signa, aut contrasigna votorum suorum alteri dare, minasve aliquibus inferre, tumultus excitare, aut alia facere per quæ electio retardetur, vel minus libere suffragia præstentur per se vel alium, directe vel indirecte, quouis colore vel ingenio, audeant vel præsumant. Quod si secus fecerint, aut contra prohibita in præsenti constitutione aliquid admiserint, vltra diuinam vltionem, arbitrio futuri Pontificis pro modo culpæ in eos quandocumque animaduerti possit.

Custodes Conclauis præmissa faciant obseruari.

§.27. Quia vero parum esset iura condere, nisi forent qui executioni ea demandarent, statuimus, & ordinamus, vt Prælati, Rectores, Officiales Vrbis, ac Principum Oratores, illustres viri, quos omnes à Collegio pro custodia Conclauis eligi continget (eligere autem Collegium debebit eos qui ad id magis idonei videbuntur) præmissa omnia plene & inuiolabiliter, ac sine fraude & dolo aliquo obseruari faciant, de quo corporale iuramentum coram ipso Collegio ante ingressum Conclauis, & quoties opus fuerit, præstare teneantur, quæ quidem nisi fecerint, vel si in eis dolum & fraudem commiserint, prædictas pœnas, & ceteras in d. const. Gregor. X. contentas incurrant.

Cardd. nihil de hic cõtentis immuent, sed hanc constit. seruari, vna cum aliis cauent.

§.28. Volumus autem neque per Prælatos, neque per Rectores, aut Officiales præfatos vltra quam præmittitur, Cardinales arctari, neque præsentes has nostras constitutiones per Collegium Cardinalium vllo modo alterari, corrigi, aut immutari posse, sed illas coram omnibus de verbo ad verbum in prima congregatione post obitum Pontificis fieri solita, & deinde post Conclauis ingressum legi, & iurari, eo modo quo leguntur & iurantur constit. Iulij II. & aliorum prædecessorum nostrorum, quorum constitutionibus, & pœnis in eis contentis vltra præmissa per hanc nostram const. derogare non intendimus, sed magis eas confirmare, innouare, & comprobare.

Cardd. non excludantur ab electione pretextu quarumcumque censurarum, &c.

§.29. Et ne dissensionis occasio, aut schismatis oriatur, volumus, censurarum, & excommunicationum præfatarum, & aliarum quarumcumque prætextu, Cardinales à Pontificis electione, actiue vel passiue excludi nullo modo posse, quas quidem excommunicationes, & censuras ad electionis effectum tantum, illis alias in suo robore permansuris, suspendimus, & suspensas esse volumus, & declaramus. Decernentes quoque excommunicationes, & censuras ipsas cum solum afficere, qui deliquerit, non autem alios Conclaui durante cum eo conuersantes.

Hæc constit. vbique seruetur.

§. 30. Ac præsentes nostras vbicumque electionem summi Pontificis etiam extra Vrbem fieri contigerit, locum habere, & obseruari debere.

Publicetur atque omnes afficiat.

§.31. Ac insuper illas in valuis basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ per aliquos Cursores nostros legi, & publicari, ac illorum copiam ibidem affixam dimitti, & deinceps omnes, & singulos Cardinales etiam absentes, præsentes, & futuros, & alios quoscumque quorum interest, vel interesse poterit quomodolibet in futurum, afficere, & ligare, nullumque earum ignorantiam prætendere posse, ac si eis personaliter intimatæ forent, præmissis ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§.32. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum definitionis, statutorum, declarationum, decretorum, prohibitionum, mandatorum, interdicti, præcepti, rogationis, hortationis, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. P. A 3. die 9 Octob.

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1562. septimo Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno 3.

Ego

Digitized by Google

Papa subſcri. Ego Pius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero.

Cardd. ſubſcriptiones.
Ego R.Card.de Carpo Epiſc.Oſtien.
Ego F.Card. Piſanus Epiſc. Portuen. manu prop.
Ego Fed.Card.Cæſius Epiſc. Tuſculan.
Ego Io.Card.Moronus Epiſc. Prænestin.ſſ.
Ego Truchſes de Vvalburg.Epiſc.Card.Alban.
Ego Tl.Card.Criſpus.
Ego Io.Mi.Card.Saracenus.
Ego Io.Card.S. Vitalis.
Ego Ia.Card.Puteus.
Ego Io.B Cicada Card.S.Clementis.
Ego B.Card.Tranen.
Ego Scipio Card. Piſarum.
Ego Io. Card. Reumanus.
Ego Io.Ant.Card.Capiſuccus.
Ego Fr.M.Card.Alexandrinus.
Ego Clemens Card. Aræcæli.
Ego Io.Ant.Card.S.Georgij.
Ego Aloyſius Card.Cornelius.
Ego B.Card.Saluiatus.
Ego Ph.Card.Aburd.
Ego M.Ant.Card.Amulius.
Ego R. Card. Nauagerius.
Ego Alexand.Card.Farneſius Vicecanc.
Ego Gui.Aſc.Card Camerarius.
Ego Iul.Car.Vrbinas.
Ego Hieronymus Card. Simoncellus.
Ego Vitellotius Card.Vitellius.
Ego Carolus Card. Borromæus.
Ego Franciſcus Card. Gonzaga.
Ego Ind. de Aualos Card. de Aragona.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini 1562. indictione quinta die vero 21. menſis Octob. Pontif. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D.N.D.Pij diuina prouidentia Papæ IV. Anno tertio, ſupraſcripta litera Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt Romæ in locis ſupraſcriptis, vt eſt moris, inibi earumdem copiis dimiſſis affixis, per nos Andream de Curia, & Franciſcum Faya, eiuſdem S.D.N. Papæ Curſ.*

Pro Mag.Curſ.Franciſcus Rogerius Magiſter Curſ.

LXIV. Indulgentiarum gratiæ ab omnibus Officialibus, citra clauſulam porrectionis manuum adiutricum, & gratis expediantur, excepto ſalario regiſtraturæ.

Quinimo hodie nec pro regiſtratura quicquam ſoluitur, vt experientia hoc omnes docet.

Reuocationem vero Indulgentiarum continentium facultatem quæſtuandi, ac pro quibus porrigendæ ſunt manus adiutrices, vide etiam in conſtit. 30. Pij V. *Et ſi dominici.*

Edita An. D. 1562.

PIVS PAPA QVARTVS
Motu proprio, &c.

Exordium.

DEcet Romanum Pontificem quem Dominus noſter IESVS CHRISTVS Vicarium ſuum cæleſtibus theſauris diſpenſandis in terris conſtituit, prouidere, vt ſicut ipſe theſauros huiuſmodi & gratias cæleſtes gratis acceptas ad honorem Dei, & illius Sanctorum, animarumque Chriſti fidelium ſalutem abſque lucro diſpenſat, idem quoque à Romanæ Curiæ Officialibus quibus literarum Apoſtolicarum ſuper gratiis à Sede Apoſtolica pro tempore conceſſis expeditio incumbit, obſeruetur.

Indulgentiæ gratis expediantur, excepta ſolutione regiſtraturæ, & ſine clauſula manuum adiutricum.

§.1. Quapropter inconueniens eſſe cenſentes pro conceſſionibus Indulgentiarum quæ in ſolis meritis paſſionis eiuſdem D. N. IESV CHRISTI, & eius glorioſorum Martyrum, & Sanctorum conſiſtunt, aliquid temporale exigere, nos præmiſſis prout noſtro incumbit officio de remedio opportuno prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, dilectis filiis modernis, & pro tempore exiſtentibus S. R. E. Vicecanc. eiuſque in Cancellaria Apoſtolica Locumtenen. necnon Summiſtæ, Scriptoribus, illorumque pro tempore Reſcribendario, Computatori, Receptori, & Defenſoribus, necnon Secretariis literarum Apoſtolicarum, illarumque tàm maioris, quàm minoris præſidentiæ Abbreuiatoribus, ac Sollicitatoribus, plumbique & Regiſtri Magiſtris Collectoribus, earumdem literarum Apoſtolicarum Regiſtratoribus, Bullatoribus, Fratribus barbatis nuncupatis, & illorum famulis, necnon in regiſtro ſupplicationum manu, & in præſentia noſtra ſignatarum Magiſtris, & Scriptoribus, aliiſque Romanæ Curiæ officialibus, & perſonis etiam eorum officia ex cauſa quantumuis onerosa obtinentibus cuiuſcumque qualitatis, & conditionis exiſtant, ac quocumque nomine appellentur, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub maioris excommunicationis latæ ſententiæ, necnon amiſſionis ad ſemeſtre omnium emolumentorum eorum officiorum quæ ipſo iure quoties contrafecerint, Fabricæ baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe applicata eſſe cenſeantur, & ſi ſecus inobedientia etiam priuationis eorumdem officiorum ipſo facto incurrendis pœnis Apoſtolica auctoritate tenore præſentium præcipimus, & mandamus, quatenus videlicet in regiſtro ſupplicationum, Magiſtri & Scriptores huiuſmodi vltra ſalarium inibi pro ſignaturis ordinariis exigi ſolitum, alij vero officiales literas Apoſtolicas, tàm ſub plumbo, quàm in forma breuis, ſuper gratiis indulgentiarum & peccatorum remiſſione etiam plenariam, tàm pro viuis quàm defunctis, tàm ad tempus quàm perpetuo, ad futuram, ſeu perpetuam rei memoriam, vel alia forma, ac cum quauis narratiua pro quibuſuis particularibus perſonis, ſeu Eccleſiis etiam Cathedralibus, & Collegiatis, Monaſteriis, Prioratibus, Capellis perpetuis, Capellaniis, Oratoriis, Hoſpitalibus, Capitulis, Collegiis, Conuentibus, Confraternitatibus, Societatibus, Vniuerſitatibus, & quibuſcumque aliis piis locis à nobis, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, etiam facultatem eligendi Confeſſorem cum votorum commutatione in ſe continentibus pro tempore, citra tamen clauſulam porrectionis manuum adiutricum conceſſis, & concedendis, conficien. gratis pro Deo vbique per eorum officia abſque aliqua taxa regalium, ſeu iocalium, aut cuiuſuis alterius generis ſolutione, vel exactione quantumuis ordinaria, vel extraordinaria, omnibus recuſatione & contradictione ceſſantibus, illico nullo alio à nobis aut altero deſuper expectato mandato expediant, & proſequentibus illarum expeditionem, etiam ſi partes quorum intuitu fuerint conceſſæ, in Romana Curia non ſint præſentes, ſed longe ab illa abſint, expeditas tradant, & conſignent.

Executorum deputatio & facultates.

§.2. Mandantes dilectis filiis noſtro, & pro tempore Rom. Pont. Datario, & eiuſdem Cancellariæ Regenti, quatenus ipſi, vel alter eorum per ſe vel alium, ſeu alios præſens mandatum noſtrum, per omnes & ſingulos ad quos ſpectat inuiolabiliter obſeruari faciant. Inobedientesque & rebelles quoſcumque cenſuras, & pœnas antedictas incidiſſe declarent, dictaſque pœnas ab illis irremiſſibiliter perſolui, & in arcam Collegij dictæ fabricæ inferri, & reponi, & ſi contra præceptum hoc noſtrum, exactum aliquid fuerit, illico eis qui illud ſoluerint, integre reſtitui curent, pro celeriori huius mandati noſtri obſeruatione, dictarumque pœnarum exactione & ablati reſtitutione, mandatum executiuum ſi eis videbitur contra eoſdem inobedientes & rebelles quoties opus fuerit decernant, & relaxent.

Clauſula derogatoria.

§.3. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Officialium Collegiorum inſtitutionibus & erectionibus, necnon ſtatutis etiam iuramento, &c. roboratis, priuilegiis quoque indultis & literis Apoſtolicis eiſdem Vicecancellario, Summiſtæ, Officialibus, & perſonis, ac Collegiis, etiam in eorum inſtitutionibus, & erectionibus huiuſmodi ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam formis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus

Digitized by Google

irritantibus, & aliis etiam vim contractus inducen. decretis, concessis, confirmatis, & innouatis, quæ eis aut eorum alicui quo ad præmissa volumus nullatenus suffragari, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi.

§.4. Volumus autem quod præceptum, & mandatum nostrum huiusmodi ad hoc, vt ad plenam & indubitatam notitiam deueniant, in dicta Cancellaria publicentur, & in illius libro describantur, ac perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruentur.

Papa subscr.

Placet publicetur, & describatur. I.

Publ. P. A. 3. die 7. Nou.

Affixum & publicatum fuit supradictum mandatum Romæ in Cancellaria Apost. anno Incarnationis Dominicæ 1562. die vero 7 mensis Nouemb. Pontificatus prefati Sanctissimi Domini nostri Papæ Anno 3.

LXV. Facultas Collegij deputatorum Fabricæ S. Petri de Vrbe, cogendi pro executione piorum legatorum, quoscumque Notarios ad ei tradendum exemplar instrumentorum, post annum obitus testatoris, soluta eis debita mercede.

Quanta sit hæc merces, definitur à Paul. III. sup. in eius const. 31. Dudum ad vniuersas. *Et alia de isto Collegio indicani plene sup. in const. 3. Clem. VII.* Admonet.

Edita A. D. 1562.

PIVS PAPA QVARTVS
Motu proprio, &c.

Collegiũ exequitur Pias dispositiones testatorum infra annum non executas.

ETsi per diuersos Romanos Pontifices prædecessores nostros, & nos, diuersæ facultates, priuilegia, & indulta dilectis filiis, Collegio Deputatorum Fabricæ basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, super executione testamentorum, & legatorum ad pias causas factorum, concessa fuerint; inter aliaque vt plenius piis testantium voluntatibus satisfieret, Collegio præfato, & per eum Commissariis deputandis, vt si infra annum à die obitus testatorum, eorum testamenta per hæredes, vel alios ad quos spectaret, plenarie executioni demandata non forent, ipsi illa debitæ executioni demandare facerent, indultum fuerit.

De hoc vide inf. in cõst. 96. Pij V. Decet.

Sed multa testamenta quæ clausa notariis dantur, non aperiuntur, & executioni mandari non possunt.

§.1. Multa tamen testamenta in quibus diuersa legata, & relicta ad pias causas reperiũtur, ex eo quod testatores illa dum vixerunt, (sicut in Regno Neapolitano per multos fieri solet) clausa Notariis consignarunt, & hæredes ab intestato succeden. omniaque bona defunctorum possiden. non curant testamenta ipsa clausa aperiri facere, & testatorum voluntates adimplere, in graue animarum suarum periculum, & tàm prædictæ fabricæ, quàm aliorum piorum locorum, ac plurimorum pauperum detrimentum, & contra testatorum huiusmodi intentionem, hactenus, sicut accepimus, executioni demandata non fuerunt.

Hic ideo Pont. dat Collegio facultatem de qua in rubr.

§.2. Nos Fabricæ, piorum locorum, pauperumque subuentioni, voluntatum testatorum implemento, ac saluti animarum hæredum huiusmodi, quantum cum Deo possumus eonsulere volentes, Motu proprio ac ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, prædictis Collegio & eius Commissariis, vt sub excommunicationis latæ sententiæ, ac alias iuxta formam facultatum, priuilegiorum, & indultorum prædictorum, omnes & singulos Notarios, penes quos huiusmodi testamenta clausa vt præfertur, vel alias reperiuntur, vel in futurum reperientur, post annum à die obitus testatorum, ad illa aperienda, & ipsis Commissariis ostenden. soluta que ipsis Notariis debita mercede, iuxta formam priuilegiorum prædictorum, ad tradendum sibi exemplar ipsum testamentorum in forma probanti, & authentica, etiam cum inuocatione brachij secularis si opus fuerit, quacumque appellatione remota cogere possint, tenore præsentium concedimus & indulgemus.

Et sic iudicari iubet.

§.3. Sicque in præmissis, omnibus & singulis per locorum Ordinarios, ac quoscumque alios Iudices, & Commissarios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, &c. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi & interpretandi facultate, &c. iudicari, & definiri debere, & quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus Apostolicis, ac in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac locorum Ciuitatum, & Prouinciarum, in quibus Notarij existent, vel testamenta huiusmodi confecta fuerint, iuramento, &c. roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque & aliis decretis, ac efficaciores & insolitas clausulas in se continen. quorum tenores, &c. haberi volumus pro expressis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, &c. mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, hac vice dumtaxat derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola Signatura sufficit.

§.5. Volumus autem quod præsentis Motus proprij sola signatura sufficiat, eiusque exemplaribus etiam impressis, manu Secretarij ipsius Collegij, & sigillo præfatæ Fabricæ munitis, eadem fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsenti Motui proprio adhiberetur, si esset originaliter adhibitus vel ostensus.

Papa subscr.

Placet Motu proprio. I.

D. P. A. 3. die 18 Decemb.

Dat. Romæ apud S. Petrum, 15. Kalend. Ianuarij Anno tertio.

LXVI. Damnatio, & excommunicatio Odetti à Castillione, Cardinalis, in hæresim Hugonotorum prolapsi.

PIVS EPISCOPVS,
Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ONerosum supremi Pastoris officij munus nobis ex alto commissum, mentem nostram continuo premit, & vrget, vt illud exequi in primis satagentes, gregem Dominicum curæ nostræ diuinitus creditum omni studio & diligentia in perfecta, ac ea qua decet fidei vnitate tueri, & conseruare, ac ne in agro vniuersalis Ecclesiæ zizaniam seminare tentantes, ac D. N. IESV CHRISTI, cuius vices, quamuis indigni, gerimus in terris, tunicam inconsutilem, videlicet eiusdem Ecclesiæ vnitatem scindere molientes, eos præsertim, quos omni spe ad verum Dei cultum reuertendi nouimus esse destitutos, tamquam membra putrida, & infructuosos palmites ab eadem Ecclesia succidere, ac penitus euellere, & si qua gregis prædicti ouis morbo incurabili correpta reperiatur, illam ne ceteras contagione inficiat, foras eiicere, ac prouide gregem ipsum ab omni labe purgatum seruare, ne culpa, ac negligentia nostri quandoque oues perditas, aut huiusmodi morbo infectas, summus ipsius gregis pastor Dominus iustus iudex de eis in districto illius iudicio rationem à nobis exquirat, & quo in maiori dignitate vel honore constituti reperiuntur, qui in eorumdem gregis & Ecclesiæ perniciem talia præsumunt, eo seuerius in eos animaduertere, ipsosque spirituali & temporali mucrone ferire studeamus.

Odettus à Castillione Card. Hugonotorum hæresim secutus est.

§.1. Sane cum nuper, magno cum animi nostri mœrore, plurimorum fide dignorum relatione, ac fama publica, non quidem à maleuolis & suspectis, sed grauibus & honestis, ac veridicis personis exorta, etiam per modum notorij facti permanentis, ad aures nostras peruenit, iniquitatis filium Odettum à Castillione S. R. E. Diaconum Cardinalem, & Ecclesiæ Beluacen. perpetuum Administratorem in spiritualibus & temporalibus, alias per Sedem Apostolicam deputatum, ad quem velut ipsius vniuersalis & Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, & honorabile membrum pertinebat, pro fidei Catholicæ defensione, Apostolicæque Sedis conseruatione, proprium sanguinem vbi opus fuisset, effundere, vitamque exponere, ac hæreticos vndique, & præcipue ab Ecclesia Beluacen. prædicta, illiusque Ciuitate, & Diœcesi, quarum curam gerebat,

Digitized by Google

gerebat, potissimum expellere, illosque totis viribus, ac omni conatu persequi, suorum muneris, status, decoris, honoris, ac propriæ salutis, necnon beneficiorum, quibus illum Sedes Apostolica, tot tantisque dignitatibus decorauerat, receptorum, & fidelitatis iuramenti eidem Sedi per eum præstiti, nobilitatisque suæ originis prorsus immemorem, Deique timore postposito contra Sedem eamdem se temere erigentem adeo in profundum malorum prolapsum fuisse, vt in pessimam illam quæ his calamitosis & deplorandis temporibus in inclyto Regno Franciæ, proh dolor, maxime inualuit, Hugonotorum nuncupatam hæresim, ne dum inciderit, sed ipsos Hugonotos hæreticos, quos præsertim in Ciuitate, & Diœcesi prædictis corrigere & punire, vel saltem ab eis profligare debebat, defendere, fouere, protegere, aut tueri curauerit, & quamplures huiusmodi pestiferæ sectæ viros, pseudotheologos, in rectores & concionatores, quibus alios seducere ac inficere posset, familiariter retinuerit, arma sumpserit, ac alia grauissima, hæresim manifestam denotantia, pertinaciter contra fidem Catholicam, sanctamque Romanam Ecclesiam commiserit & perpetrauerit, in grauem diuinæ Maiestatis offensam, ac omnium Christifidelium scandalum.

Cuius adhæsionis verificatio ab ipso Pont. Cardd. Inquisitoribus cõmissa fuit.

§. 2. Nos igitur, quorum est pro nostro Pastoralis officij ministerio præmissis debite prouidere, non valentes citra immensæ illius diuinæ Maiestatis offensam, necnon Christifidelium eorumdem scandalum, modo aliquo præmissa, vtpote tam impia & enormia conniuentibus oculis, pertransire, vt tamen videremus, clamorem qui ad nos peruenerat, idem Odettus opere compleuisset, Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardd. hæreticæ prauitatis Inquisitoribus generalibus in Rom. Curia deputatis, vt de præmissis omnibus & singulis se diligenter informarent, veritatemque desuper inquirerent, ac deinde nobis in Consistorio nostro secreto referrent, commisimus & mandauimus.

Qua verificatione habita, & huic Pont. relata, ipse cõtra Odettum procedi, & ad sententiam citari iussit.

§. 3. Cumque Cardinales Inquisitores præfati, mandatis nostris huiusmodi parentes, super his diligenter inquisiuissent, ac dictum Odettum nedum superius expressa, sed etiam longe deteriora commisisse & perpetrasse, nempe inter alia dixisse, & pertinaciter tenuisse, Ecclesiam vsque ad ista tempora hæreticorum Hugonotorum errasse, necnon palam & publice partes dictorum Hugonotorum hæreticorum, illorumque conuenticulos & sectas fuisse, secutum ac tutatum fuisse & laudasse, abiectisque Cardinalatus habitu & insigniis, quibus se indignum reddiderat, ad Hugonotos hæreticos ipsos declinasse, eorumque sectam expresse professum fuisse, seque illorum exercitus ductorem fecisse, & adhuc existere, aliaque in sanctam fidem & Catholicam religionem commisisse comperiissent, & nobis in Consistorio prædicto retulissent, illaque adeo notaria essent, vt nulla possent tergiuersatione celari, eisdem Cardd. Inquisitoribus etiam viuæ vocis oraculo dedimus in mandatis, vt præfatum Odettum sub excommunicationis latæ sententiæ, aliisque censuris & pœnis tunc expressis ad personaliter comparendum, & se à præmissis expurgandum infra certum tunc expressum, ac alias sub certis modo & forma monerent, requirerent, & citarent, ac literas monitoriales & citatorias contra eumdem Odettum per edictum publicum in d. Ecclesia Beluacen. & illius palatij Episcopalis valuis, ac in Alma Vrbe nostra in locis consuetis exequendas & publicandas decernerent, ac illis sic, vt præmittitur, executis, ac coram ipsis Inquisitoribus reproductis, terminisque ad docendum se illis paruisse seruari solitis seruatis, dictoque Odetto prius ad audien. sententiam per nos ferendam legitime citato, & dilecto filio Petro Belo Procuratore Fisci eiusdem hæreticæ prauitatis generalis Inquisitionis ad hoc instante, ad huiusmodi causæ expeditionem, iustitia mediante, deuenire volentes.

Et modo de voto Cardd. illum excommunicatum, omniumque dignitatũ, & bonorũ priuatum declarat.

§. 4. Habita desuper cum prædictis, & aliis Venerabilibus fratribus nostris eiusdem S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione, de eorumdem vnanimi voto, consilio, & assensu, CHRISTI prius Saluatoris nostri nomine inuocato, in throno iustitiæ pro tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes, per hanc nostram sententiam, quam ferimus in his scriptis, pronunciamus, decernimus, & declaramus, præfatum Odettum in excommunicationis latæ sententiæ, priuationis, confiscationis omnium bonorum suorum, præsentium & futurorum, officiorum & dignitatum, etiam Cardinalatus, iurium, priuilegiorum & actionum, ac criminis hæresis pro confesso habiti pœnas in dictis literis monitorialibus, & citatoriis contentas ob ipsius Odetti illis non paritionem damnabiliter incidisse & incurrisse; & nihilominus quia tàm ex processu contra eum formato, & per dictos Inquisitores, vt præmittitur, relatò, quam notorietate facti quod nulla prorsus excusatione palliari, aut tergiuersatione celari potest, & ex quamplurimis aliis quæ nobis innotuerunt, ac de quibus alias multipliciter conscientiam nostram plene informatam habemus de hæresis, & schismatis criminibus huiusmodi, omnibusque superius enarratis per eum commissis & perpetratis clare & aperte constitit, & constat, ipsum Odettum hæreticum, excommunicatum, Hugonotum, schismaticum, & blasphemum, ac à fide Catholica & S. R. E. apostatam, & transfugam, fidei fractorem, & periurum pronunciamus & iudicamus, ac declaramus, & propterea eum ab omni Cardinalatus commodo & honore, ac priuilegio etiam clericali à die commissorum criminum huiusmodi ipso iure depositum, dictæque Ecclesiæ Beluacen. administratione, ac omnibus beneficiis, & officiis, honoribus, dignitatibus, ac prælaturis priuatum, & ad illa inhabilem & perpetuo incapacem, ac eius bona, iura, & iurisdictiones publicata fuisse & esse, & ab his ad quos spectant capi posse, dictamque Ecclesiam Beluacen. & cetera beneficia quæcumque & qualiacumque Ecclesiastica, & officia per eum obtenta vacauisse, & vacare similiter declaramus & decernimus, ac eumdem Odettum quatenus opus sit deponimus, priuamus, & inhabilem facimus, eiusque bona omnia, iura, & iurisdictiones publicamus, depositumque & priuatum, ac inhabilem effectum, ac velut talem hæreticum, schismaticum, & blasphemum, & infructuosum palmitem ab Ecclesia præcisum vlterius legitime puniendum fore decernimus, eiusque personam à Christifidelibus capiendam & detinendam, & ad iustitiæ & ministrorum manus, vt pœnis debitis affici possit, tradendam, omni meliori modo & forma, quibus possumus & debemus, & exponimus.

Sanctio penalis.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ pronuntiationis, iudicationis, declarationis, decretorum, depositionis, priuationis, facti, publicationis, & expositionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1563. Pridie Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno 3. *D. P. Ann. 4. die 31. Martij.*

† Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. *Papæ subscr.*

Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero.

Cardd. subscriptiones.

† Ego R. Card. de Carpo Episc. Ostien.
† Ego F. Card. Pisanus Episc. Portuen.
† Ego Otho Truchses Episc. Albanen.
† Ego R. Car Sancti Angeli, Maior Pœniten.
† Ego Fuluius Card. Perus.
† Ego Io. Mi. Card. Saracenus.
† Ego Io. Card. S. Vitalis.
† Ego Io. B Cicada Card. S. Clementis.
† Ego B. Card. Tranen.
† Ego Scipio Card. Pisarum.
† Ego Io. Card. Reomanus.
† Ego F. M. Card. Alexãdrin. hęreticę prauitatis Inquisitor.
† Ego Alex. Card. Farnesius Vicecanc.
† Ego Gui. Asc. Card. Camerarius.
† Ego Hip. Card. Ferrarien.
† Ego Iul. Card. Vrbinas.
† Ego Vitellotius Card. Vitellius.
† Ego Aloysius Card. Esten.
† Ego Marcus Sitticus Card. ab Altaemps.
† Ego Franciscus Card. Gonzaga.
† Ego Ind. de Aualos Card. Aragonius.

Anno

Digitized by Google

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini 1563. Indict. 6. die vero 11. mensis Sept. Pontif. Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. Anno 4. suprascripta litera Apostolica affixa, & publicata fuerunt Romæ ad valuas Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, Palatij sanctiss. Inquisitionis, & in acie Campi Floræ, earumdem ibidem dimissis copiis affixis, per nos Andream de Curia, & Bartholomæum Sottocasa, eiusdem S. D. N. Papæ Curs.*

Antonius Clerici Mag. Curs.

LXVII. Facultates Cardinalium Reipublicæ Christianæ generalium Inquisitorum in Vrbe procedendi etiam contra Prælatos hæreticos, vel hæreticorum fautores.

Huiusmodi causas contra Episcopos Pontifici Romano referri iussit Pius V. in eius const. 82. Si de protegendis. §. 6. *Et prædictam iurisdictionem & alias confirmauit Sixt. V. in const.* 74. Immensa. §. 1. *Et ampliauit ad Regulares Paulus V. in const.* 26. Romanus.

Edita An. D. 1563. *PIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. ROmanus Pontifex, Christi Vicarius, ac B. Petri successor; cui ipse CHRISTVS Dominus noster oues suas pascendas enixe ter commendauit, ne oues deperditæ de eius manu quandoque requirantur, omni studio, & solertia continue inuigilare debet, vt à S.R.E. quæ ceterarum caput est, & magistra, deuiantes, ac aberrantes, ad gregem Dominicum totis viribus reducat, & quas Dei timore proposito & salutaribus monitionibus ad illam allicere nequiuerit, temporalium saltem pœnarum metu coërceat.

Causa cõstit. §. 1. Cumque nos propterea postquam ad summi Apostolatus apicem, licet immeriti, diuina fauente clementia assumpti fuimus, statim mentis nostræ aciem eo direximus, vt hæreticæ prauitatis vndique extirpatis erroribus, fides Catholica vbique augmentum suscipiat, & diffusius porrigatur, nihilque quod huic rei profuturum cognouimus, prætermiserimus. Et nihilominus sicut nuper non sine graui cordis dolore, & animi amaritudine accepimus, nonnulli Prælati, & in dignitate Ecclesiastica, ac Episcopali ordine constituti, ad quos veluti in partem solicitudinis nostræ vocatos, magis spectaret ceteros, præsertim eorum curæ creditos ab erroribus reuocare, & in eisdem erroribus pertinaciter persistentes insequi, nedum in similes errores hæreticos grauiter prolapsi fuere, sed etiam ceterorum hæreticorum fautores, receptatores, & auxiliatores existunt, & eamdem fidem Catholicam cuius defensores esse deberent, in dies oppugnare non verentur.

Iurisd. Cardd. generalium Inquisitorũ procedendi contra quoscumque quacumque dignitate Eccles. præditos hæreticos, &c. §. 2. Volentes igitur huic tam pernicioso morbo, pro vt nostro incumbit officio, occurrere, ac ne vlterius progrediatur, quantum in nobis est, prouidere, Motu proprio per Apostolica scripta venerabilibus fratribus nostris, & dilectis filiis nostris Inquisitoribus contra hæreticam prauitatem generalibus in Almâ Vrbe nostra pro tempore residentibus, quibus vt contra quoscumque etiam Episcopali, ac quacumque alia etiam Cardinalatus præditos dignitate procedere possint, per alias nostras indulsimus, tenore præsentium, committimus, & mandamus, vt omnes & singulos hæreticos, & hæreticorum fautores, receptatores, & auxiliatores prædictos, de huiusmodi criminibus diffamatos, in Prouinciis, & locis in quibus Lutherana secta inualuit, commorantes, ad quos ob ipsorum hæreticorum frequentiam notorium est, rarum, seu saltem liberum non patere accessum, etiam si Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, & alia quacumque etiam Cardinalatus dignitate præfulgeant, nullis aliis desuper habitis super non tuto, vel non libero accessu, huiusmodi informationibus (receptis tamen summarie, & extraiudicialiter quantum ipsis Inquisitoribus sufficere videbitur prius indiciis) etiam per edictum in valuis Palatij Officij sanctæ Inquisitionis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac in Cancellaria nostra Apostolica, & acie Campi Floræ tantum per vnum ex nostris Cursoribus, vel etiam in locis finitimis terrarum in Italia consistentium, nobis & eidem S.R.E. immediate subiectis, prout ipsis Inquisitoribus visum fuerit, affigendum, & publicandum, citent, moneant & requirant, vt intra certum, & competentem terminum eis ipsorum Inquisitorum arbitrio præfigendum sub excommunicationis latæ sententiæ, suspensionis à diuinis, & priuationis etiam à Cathedralibus Ecclesiis, & quibuscumque dignitatibus & beneficiis Ecclesiasticis, ac officiis, & ordinibus quæ obtinent, & in quibus constituti existunt, & inhabilitatis ad illa & alia quæcumque in posterum obtinenda, necnon confessionis criminum hæresis eis obiectorum, aliisque tàm Ecclesiasticis, quàm temporalibus, etiam pecuniariis, & bonorum confiscationis, ac corporalibus, & etiam relapsus, & aliis per ipsos Inquisitores imponendis pœnis, coram ipsis personaliter, & non per procuratorem, defensorem vel excusatorem aliquem compareant, & se à criminibus prædictis expurgent, & si in termino prædicto non comparuerint, & se à dictis criminibus legitime non expurgauerint, ad obseruationem terminorum ad docendum se dictis literis citatoriis, & monitorialibus paruisse pro sententia declaratoria, incursu censurarum, & pœnarum in eisdem literis contentarum ferenda seruari solitorum, ac etiam in causa ipsa criminis hæresis inquirendo ad receceptionem probationum pro definitiua super crimine etiam contra absentes, sic vt præfertur monitos ferenda sententia, vsque ad ipsius sententiæ ferendæ calculum procedant, ac demum processum omnem nobis, vt ad sententiæ quæ iusta vita fuerit, prolationem deuenire possimus, in Consistorio nostro secreto referant. Nos enim citationem, & monitionem per publicum edictum, vt præfertur, decernendas & exequendas prædictas, dictos sic citatos, & monitos perinde arctare, ac si personaliter citari forent, illasque ac processus desuper habendos sententiasque inde ferendas validos, & validas fore.

Decretum irritans. §. 3. Sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios etiam causarum Palatij Apostolici Auditores in quauis instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter interpretandi, & definiendi facultate & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque & inane quicquid secus super iis à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Clausula derogatoria. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Palatij nostri stylo, etiam certam aliam formam, quoad citationes per edictum decernendas, & exequendas, inducentibus, quibus, illorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, specialiter & expresse derogamus, ceteriisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis. §. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ commissionis, mandati, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1563. primo Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno 4. *D. P. Ann. 4. die 7. Apr.*

LXVIII. Iurisdictio Cardinalis Protectoris, & Iudicis causarum Hospitalis, & Societatis S. Hieronymi Illyricorum de Vrbe.

Edita A. D. 1563. *PIVS PAPA QVARTVS Motu proprio, &c.*

Causa const. CVm sicut accepimus Hospitale Illyricorum S. Hieronymi prope Ripettam de Vrbe, ob lites, & quæstiones, quibus ad diuersa Vrbis Tribunalia, occasione locationum, censuum, donationum, hæreditatum, &

& legatorum, & diuersarum aliarum rerum eiusdem, tàm agendo, quàm defendendo, iugiter implicitum existit, quantumplurima damna, & incommoda patiatur, ac impensæ litis, valorem, &c. de qua ex tempore agitur sæpenumero exuperet.

Iurisdictio de qua in rubr.

§. 1. Nos Hospitale ipsum, in quo piissima charitatis, & misericordiæ opera pauperibus Christi continuo impendi spectantur, ab huiusmodi dispendiis quantum possumus subleuare volentes, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas causas, inter dictum Hospitale siue dilectos filios Custodes, & officiales, ac Ministros Societatis eiusdem Hospitalis, & quascumque alias etiam sæculares personas, Vniuersitates, Societates, ac loca coram Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, Regente, Præsidente, ac Clericis Cameræ Apostolicæ, necnon Vicario, Gubernatore, & Senatore Vrbis, illiusque Primo, Secundo Collateralibus, ac appellationum causarum Curiæ Capitolij eiusdem Vrbis Capitaneo, necnon Magistro Stratarum, aliisque quibuscumque Iudicibus ordinariis, & delegatis, etiam causarum Palatij Apostolici Auditoribus, & eiusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, nunc & pro tempore pendentes, super quibuscumque locationibus, venditionibus, donationibus, legatis, fideicommissis, testamentis, executionibus, reuocationibus, bonis, rebus, iuribus, & actionibus, Hospitale, & Societatem, Officiales, litis consortes, & alios præfatos, tàm coniunctim, quàm diuisim, ac tàm actiue, quàm passiue concernentibus, ac ad Hospitale, & Societatem huiusmodi quomodolibet spectantibus, in quacumque instantia inter illos, necnon alia æque vel magis pia loca, Vniuersitates, & Collegia quomodolibet priuilegiata, ac Viduas, pupillos, & alias personas etiam exemptas, pendentibus, cuiuscumque qualitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis, & naturæ existant, etiam præmissis expressis maiores, quorum omnium statum, & merita, ac Iudicum, & collitigantium nomina, & cognomina, & qualitates, ceteraque etiam de necessitate exprimenda præsentibus haberi volumus pro expressis, in statu & terminis, in quibus reperiuntur, dummodo instructæ non sint, harum serie ad nos auocantes, dilectum filium nostrum Rodulphum Pium, Episcopum Ostiensem, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Decanum, Cardinalem de Carpo nuncupatum, modernum, & pro tempore existentem Protectorem eiusdem Hospitalis, Iudicem ordinarium, & perpetuum, ad præfatas, necnon quascumque alias similes, vel dissimiles, causam & causas ciuiles & criminales, ac mixtas, ad Hospitale, & Societatem huiusmodi pertinen. tàm per eos, quam contra eos, & inter eos, ac personas, Vniuersitates, Collegia, seu loca etiam priuilegiata, & exempta, tàm actiue, quàm passiue, pro tempore mouendas, iuxta ordinatam iurisdictionem seu facultatem, tàm Gubernatori, siue Regenti, vel Auditori Cameræ Apostolicæ, quàm Vicario præfatis, & eorum cuilibet attributas, ac prout rerum qualitas exegerint seu postulauerint, cum omnibus, & singulis eorum inciden. dependen. emergen. annexis & connexis, summarie simpliciter, & de plano, ac sola facti veritate inspecta, & absque terminorum aliquorum substantialium obseruatione, aut alicuius registri confectione, per se vel alium seu alios audien. & fine debito terminan. auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo constituimus, & deputamus etiam ad hunc effectum illi etiam per alium, seu alios quoscumque tàm in Romana Curia, quàm extra eam, etiam per edictum publicum, constito sibi prius, quam etiam summarie de non tuto accessu ad illos, citandi, & mouendi, eisdemque, & præfatis, ac quibuscumque aliis eiusdem Vrbis Curiarum Iudicibus, & personis, tàm Ecclesiasticis, quàm sæcularibus, quibus, & quoties opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, quibus sibi, siue ab eo deputando Auditori videbitur, inhibendi, & in euentum non paritionis contra inobedientes, & rebelles, ad declarationem incursus censurarum, & pœnarum huiusmodi, illarumque aggrauationes, & alias iuxta stylum, & morem dictarum Curiarum in similibus seruari solitum, ac alias prout sibi videbitur procedendi, sententiamque siue sententias debitæ executioni demandandi, siue demandari faciendi. Contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, aliaque iuris, & facti opportuna remedia, appellatione postposita compescendi, auxiliumque brachij sæcularis ad hoc si opus fuerit inuocandi, omniaque, & singula alia in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, & exequendi, plenam, & liberam licentiam, seu facultatem concedimus. Decernentes Hospitale, Societatem, & eius Officiales, & personas huiusmodi ex nunc deinceps occasione præmissorum, alibi quam coram Rodulpho Pio Cardinale, & pro tempore Protectore præfato, conueniri, aut ad alios conueniendum constringi non posse, ac sententias, processus per alium seu alios Iudices, tàm ordinarios, quàm delegatos in causis præfatis pro tempore formatas, datas, latas, & factas, cum inde secutis quibuscumque, nulla, irrita, & inania, nulliusque roboris, vel momenti fore.

Clausula præseruatiua huius cõcessionis.

§. 2. Præsentes quoque literas sub quibusuis reuocatorius, suspensionibus, & exemptionibus similium, vel dissimilium gratiarum, etiam per nos, & successores nostros Romanos Pontifices, & Sedem præfatam, vel eius Legatos, etiam per regulas Cancellariæ Apostolicæ pro tempore factas, etiam in fauorem Fabricæ Principis Apostolorum de Vrbe, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis penitus, & omnino exceptas esse, & censeri, nec eisdem præsentibus per quascumque literas, & quasuis alias clausulas generales, & speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores, & insolitas, ac etiam irritantia decreta, sub quacumque verborum expressione in se continentes derogari posse, & si illis vllo vmquam tempore, ex aliqua etiam quantumuis necessaria, & vrgenti causa derogari contingat, nisi tenor illarum de verbo ad verbum nihil omisso insertus, & huiusmodi derogatio consistorialiter facta, ac per trinas, & distinctis vicibus, Administratoribus siue Custodibus, Gubernatoribus, Rectoribus, & Oeconomis Hospitalis, & Societatis huiusmodi legitime intimata, & insinuata fuerit, eorumque expressus ad id accedat assensus, derogationem huiusmodi nemini suffragari. Sicque per quoscumque Iudices, quauis auctoritate fungentes, & præfatæ etiam Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane si secus super iis à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria contrariorum.

§. 3. Non obstantibus præmissis, & felicis recordationis Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Fabricæ præfatæ, ac Hospitalium, Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum quorumcumque locorum, & Ordinum, etiam exemptorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, conseruatoriis, exemptionibus, & literis Apostolicis eisdem, & dilectis filiis Populo Romano, necnon Iudicibus, Curiis, & Tribunalibus, eorumque personis, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & dictam Sedem, etiam Motu & scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac alias sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis, necnon reformationibus, etiam nouiter factis, ac paribus motu, & scientia approbatis, etiam disponentibus quod causæ huiusmodi ad forum, seu Curiam Capitolij reassumi debeant. Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione, aliter de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus,

Digitized by Google

penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter, & expresse, ac eisdem motu & scientia, ac potestatis plenitudine derogamus, ac sufficienter derogatum esse decernimus, contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis, & consuetis,

Fiat Motu proprio. I.

Repetitio clausularum.

§. 4. Et cum absolutione cens. ad effectum præsentium, & de auctoritate, constitutione, deputatione, licentia, facultate, concessione, decreto, & derogatione, & aliis præmissis, quæ hic pro sigillatim repetitis ad partem habeantur, latissime attenden. & quod præmissorum omnium, & singulorum maior, & verior specificatio, & expressio fieri possit in literis per breue nostrum ad perpetuam rei memoriam si videbitur latissime expedienda. Quodque earumdem literarum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo Protectoris, vel Societatis huiusmodi, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel Curiæ etiam sæcularis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem literis originalibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Et quod ad causas in futurum mouendas tantum.

D. P. A. 4. die 4. Septemb.

Datum Romæ apud S. Marcum, Pridie Nonas Septemb. anno quarto.

LXIX. Studij generalis Bononiensis, eiusque Rectoris atque Scholarium indulta.

Hoc Studium antiquissimum est, & de eo habetur sup. in constit. 2. Innoc. VI. Quasi. *Et in hac Ciuitate Bononiæ Rotam instituit Paul. III. vt in eius const. 4.* Ex iniuncto.

Ad materiam Studiorum generalium, vide cap. fin. de Magistr. & cap. 2. de Priuileg. in 6. Necnon in specie hic infra constit. 88. *In sacrosancta.* Et etiam Conc. Trid. sess. 5. cap. 1.

Edita An. D. 1563.

PIVS PAPA QVARTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SAcri Apostolatus ministerio meritis licet imparibus superna dispositione præsidentes, ad ea libenter intendimus, per quæ literarum studia vbique nostræ prouisionis ope continua suscipiant incrementa, & iis quæ propterea, ac pro personarum quarumlibet præsertim literarum scientia præditarum commodo prouide facta fuisse dicuntur, vt firma perpetuo, & illibata persistant, nostræ approbationis robur libenter adiicimus, ac alias desuper prouidemus, prout locorum & personarum qualitatibus debite pensatis, in Domino conspicimus expedire.

Studij Bononiensis commendatio.

§. 1. Cum itaque sicut accepimus in Ciuitate nostra Bononien. Studium generale Iuris Ciuilis, & Pontificij semper adeo floruerit, & floreat, vt ad eam veluti ad studiorum matrem vndique confluant variæ, & diuersæ personæ, & ex qua quamplures famosissimi viri prodisse, & in dies prodire dignoscatur, quorum scientia, nedum ipsa Ciuitas, sed etiam totus illustratur Orbis, & cum nupertime pro commodiori vtilitate Scholarium in eadem Ciuitate, & Vniuersitate studentium, ac etiam ibidem legentium, per dilectum filium nostrum Carolum Tituli S. Martini in Montibus presbyterum Cardinalem Borromæum nuncupatum nostrum, & Sedis Apostolicæ in dicta Ciuitate Legatum, dicta Vniuersitas, seu Sapientia in qua Doctores legunt in melius reformata, & seu de nouo constructa fuerit. Nos cupientes Vniuersitatem ipsam, ac dilectum filium Antonium de Raia Vtriusque Iuris Doctorem nuperrime eiusdem Vniuersitatis Rectorem, & ab ea ad id ad Nos deputatum, & Scholares ad eam accedentes specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & vt facilius ad eam accedendum, & studia prosequendum inuitentur, ac excitentur, Statutorum, Ordinationum, priuilegiorum, & capitulorum dictæ Vniuersitatis tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis habentes, ipsosque Antonium, & Scholares à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes.

Rectoris Studij iuri, dicata.

§. 2. Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, pro tempore existenti Rectori eiusdem Vniuersitatis, liberam & absolutam facultatem eandem Vniuersitatem regendi, & gubernandi, ac vltra alias facultates, honores, priuilegia, & emolumenta quæcumque sibi attributa, ac concessa, omnes & quascumque causas, ciuiles tantum inter ipsos Scholares eiusdem Vniuersitatis, & alios quoscumque in futurum mouendas videndi, audiendi, cognoscendi, decidendi, ac fine debito terminandi, ita vt omnimoda & libera iurisdictio, respectiue dictarum causarum ciuilium ad eumdem Rectorem libere, & pleno iure spectet, & pertineat, etiam priuatiue ad Vicelegatum eiusdem Ciuitatis, ac omnes alios, & quoscumque Iudices auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus.

Rectoris priuilegium.

§. 3. Ac vt eadem Vniuersitas sine Rectore non remaneat, quinimmo, vt Scholares ad Officium Rectoratus eiusdem Vniuersitatis acceptãdum inuitentur, auctoritate, & tenore prædictis volumus, & mandamus, quod de cetero Rectoribus ipsis, finito dicto eorum officio, & postquam in dicta Vniuersitate Bononien. publice doctorati fuerint, de aliquo Gubernio, seu Prætoria, aut alio officio iuxta qualitatem, & merita personæ in Prouinciis Marchiæ, vel Romandiolæ per Legatos, seu Gubernatores earumdem pro tempore, sub indignationis nostræ, & mille ducatorum pœnis Cameræ Apostolicæ applicandorum prouideri debeat, ipsisque gubernio, aut alij ex prædictis officiis in aliquibus Ciuitatibus ex dictis Prouinciis præfici, ac ad Gubernium, seu Prætoriam, aut officium huiusmodi admittendos fore, & esse. Mandantes pro tempore existentibus Legatis, seu Prolegatis, Vicelegatis, vel Gubernatoribus, vt eosdem ad Gubernium, seu Prætoriam huiusmodi, vt supra admittant, ac de illis, eisdem, vt præfertur, prouideant, & seu admittant, & prouideri faciant, iuxta tamen qualitatem, & merita personæ ipsius Rectoris.

Priuilegiorum & ordinationum eiusdem studij confirmatio.

§. 4. Et insuper omnia, & singula d. Vniuersitatis, & Gymnasij præfati statuta, ordinationes, priuilegia, & capitula quæcumque ac desuper forsan confecta instrumenta, & documenta, siue alias scripturas, publicas, & priuatas, ac in eis contenta, ac inde sequuta quæcumque dummodo licita, & honesta sint, & contra canonicas sanctiones, & libertatem Ecclesiasticam non tendant, eisdem auctoritate, & tenore perpetuo approbamus, & confirmamus, eisque perpetuæ firmitatis robur adiicimus, illaque omnia, valida & efficacia existere, ac suos plenarios, & integros etiam executiuos effectus sortiri, ac perpetuis futuris temporibus ab omnibus cuiuscumque gradus personis Vicelegatis, ac Iudicibus, & Officialibus dictæ Ciuitatis, tàm ordinariis, quàm extraordinariis, ac delegatis, & subdelegandis, necnon Collegiis, & Congregationibus, ac Auditoribus, & Magistratibus aliisque quibuscumque etiam in foris eorum propriis inuiolabiliter, & inconcusse obseruari, ac iuxta eorum dispositionem debite exequi, nec per quempiam illis contrariari, aut ea etiam in aliquo alterari posse, nec debere decernimus, supplentes omnes, & singulos, tàm iuris, quàm facti defectus si qui forsan interuenerint in eisdem. Et nihilominus potiori pro cautela præmissa omnia modo, & forma præmissis, ac in dictis documentis, & scripturis contentis, auctoritate, & tenore præfatis perpetuo statuimus, concedimus, & ordinamus.

Decretum irritans.

§. 5. Quodque illis, ac præsentibus literis etiam per quascumque literas Apostolicas quauis etiam derogatoriarum derogatorias, & efficaciores, ac insolitas clausulas, necnon irritantia, & alia decreta insolita continentes minime derogari, nec derogatum esse censeri possit, & si illis derogari contingat derogatio huiusmodi nemini suffragetur. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices, & Commissarios sublata eis,

&

Digitized by Google

& eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate in qualibet causa & instantia, iudicari, & interpretari debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Executorum deputatio, & facultates.

§. 6. Quocirca Venerab. fratribus Episcopo Bononiensi, siue eius Vicario in spiritualibus generali, ac Vicelegato Ciuitatis nostræ Bononiensis, ac dilecto filio Curiæ causarum Cam. Apost. generali Auditori per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Rectoris, & Scholarium prædictorum, vel alicuius eorum, seu aliorum quorum interest desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentes literas plenum effectum sortiri, ac iuxta illarum tenorem firmiter obseruari, necnon singulos, quos literæ ipsæ concernunt præmissis omnibus, & singulis pacifice frui, & gaudere non permittentes illos, vel eorum aliquem per quoscumque desuper contra earumdem literarum tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet & rebelles, per sententias, censuras Ecclesiasticas, ac pœnas pecuniarias eorum arbitrio moderandas & applicandas, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando. Super quibus, necnon contradictores, & rebelles prædictos, ac quoscumque molestatores, & alios præmissorum occasione citandos, constito eis summarie, & extraiudicialiter de non tuto accessu, etiam per edicta publica locis publicis, ac ipsis citandis circumuicinis, de quibus sit verisimilis coniectura quod ad eorumdem citandorum notitiam peruenire valeant affigenda, quæ perinde illos arctent, ac si eis personaliter intimata fuissent citandi, eisque, ac quibuslibet Iudicibus, & aliis personis quibus dicta occasione inhibendum fuerit, etiam sub sententiis, censuris, & pœnis prædictis, ac per similia edicta inhibendi, eisdem auctoritate & tenore eis facultatem concedimus.

Clausula derogatoria.

§. 7. Non obstantibus quibusuis Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac d. Ciuitatis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia, roboratis statutis & consuetudinibus, ac reformationibus, & decretis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibuscumque sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis concessis, & approbatis, ac etiam iteratis vicibus innouatis. Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in eis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

D. P. A. 4. die 25 Septemb.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Pisc. die 25. Septemb. 1563. Pontific. nostri anno quarto.

LXX. Renouatio antiquarum Ordinationum, gratiarum, & priuilegiorum Ord. Cisterciensis Monachorum S. Benedicti, Iurisdictionisque & auctoritatis Abbatis, & aliorum Prælatorum d. Ordinis.

Similem constitutionem edidit Greg. XIII. inf. in eius bulla 18. Superna. *vbi alia indicabo de eodem Ordine. Et ante eum non absimilem prius edidit Pius V. num.* 102. Ex innumeris.

PIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1563.

Exordium.

IN eminenti dignitatis Apostolicæ specula meritis licet imparibus diuina dispositione vocati, ad ea libenter intendimus per quæ singuli Religionum Ordines, abusibus & incommodis quæ in eos tractu temporis diuersimode irrepserunt eliminatis, non solum antiquis suis prærogatiuis, & dignitati restituantur, sed etiam regularia eorum instituta ad diuinæ Maiestatis laudem, & gloriam in posterum stabiliantur. Et vt id votiue succedat, his quæ per Rom. Pont. prædecessores nostros prudenter concessa, ordinataque fuerunt, vt firma perpetuo & illibata persistant, libenter cum à nobis petitur Apostolici roboris firmitatem adiicimus, illaque nonnumquam innouamus, & ampliamus, ac alias super his disponimus, prout personarum, temporumque conditionę pensata conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ordo Monachorũ Cisterc. tamdiu in ſũma puritate, vitæ; ſanctitate floruit, ſed paulatim in deſolationẽ prolapſus eſt.

§. 1. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilecti filij Ludouici Abbatis Monasterij Cistercij Cabilonen. Diœc. petitio continebat, quod licet Ordo Cistercien. in summa puritatis, & deuotionis perfectione, per multa retroactorum annorum sæcula, ac tamdiu exemplari religiosorum suorum vita atque sanctimonia, non solum in Regno Fráciæ vbi supremum eius caput, videlicet Cistercij prædictum cum aliis quatuor illius præcipuis, nempe Firmitatis, Pontiniaci, Clareuallis, & Morrmundi Cabilon. prædictæ, ac Antissiodoren. & Lingonen. Diœc. respectiue Monasteriis, quæ filiæ Cistercij nuncupantur, sed etiam per alia fere vniuersa Christiani Orbis climata, cum bonæ famæ, & virtutum odore, eximioque religionis decore ad ædificationem militantis Ecclesiæ, quamdiu iuxta SS. Patrum institutiones, & regularia illius instituta, præfatis, aliisque Monasteriis, de Monachorum d. Ordinis personis prouisum, eiusque laudabilia instituta, ritus, consuetudines, & priuilegia firmiter obseruata fuerunt, Domino cooperante floruerit; nihilominus à plurimis annis citra, præsertim postquam pleraque Monasteriorum, & Prioratuum suorum aliis quam dicti Ordinis personis commendari, à Superioris obedientia, per exemptionum, vnionum, aliasque diuersas vias, tamquam membra à suo corpore diuelli, abstrahi, & dismembrari cœperunt, specioso illo regularis disciplinæ candore paulatim offuscato, vniuersus Ordinis status in miserabilem dispersionem, & desolationem prolapsus est.

Cuius reformatio & restitutio tunc fieri posse proponitur, si eius institutũ & ritus renouẽtur, & exẽptiones in cõtrarium concessæ amoueantur.

§. 2. Cùm autem sicut eadem petitio subiungebat, tantis huius olim Deo mortalibusque gratæ religionis incommodis, aliter quam per antiquorum statutorum, consuetudinum, rituum, & priuilegiorum prædictorum vndique conuulsorum, & diuersimode oppressorum restitutionem, mederi, non posse videatur, pro parte eiusdem Ludouici Abbatis asserentis se Romam his periculosis temporibus, opis super hoc à nobis implorandæ gratia personaliter accessisse, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus afflictis eiusdem Ordinis rebus succurrentes, exemptiones ab ipsius Ordinis Superioribus, per eius personas aliaque priuilegia contra illum per quosuis ab Apostolica Sede obtenta moderari, ac præfatis statutis, consuetudinibus, ritibus, & priuilegiis pro illorum firmiori subsistentia robur Apostolicæ confirmationis adiicere, illaque innouare, ac alias in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic ideo Pont. exemptiones omnes ab Abbate, Capitulo & aliis concessas aduersus Ordinis statuta reuocat.

§. 3. Nos igitur qui Ordinis prædicti, nobis & dictæ Sedi in primis deuoti, decus, & integritatem, suique pristini candoris restitutionem, sincero desideramus affectu ipsum Ludouicum Abbatem à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium, dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum

Digitized by Google

fore censentes, nection omnium, & singulorum infrascriptorum immunitatum, libertatum, exemptionum, indulgentiarum, etiam plenariarum, conseruatoriarum, facultatum, ordinationum, statutorum, priuilegiorum, indultorum, & aliarum gratiarum, ac literarum desuper expeditarum, tenores, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes, & singulas ab Abbate Monasterij Cistercij aliisq; Superioribus & Capitulo generali Ordinis huiusmodi, eiusque deputatis immunitates, libertates, & exemptiones quibuuis, tàm virorum, quàm S. Catharinæ Caietan. & S. Mariæ de Cælestia nuncupatæ Venetiarum, aliisque Monialium Monasteriis, ac Prioratibus, & aliis regularibus locis dicti Ordinis, ac dilectis filiis Abbatibus, & Prioribus, dilectisque in Christo filiabus Abbatissis, & Prioristis, necnon Conuentibus, Capitulis, & personis eorumdem, tàm in Gallia, Italia, Hispania, Portugallia, Germania, Anglia, & Scotia, quàm alibi vbiliber consistentibus.

Abbatemque & alios Superiores, omnia loca & personas visitare, & corrigere posse iubet.

§. 4. Ita quod immunitatibus, libertatibus, & exemptionibus huiusmodi non obstan. pro tempore existentes Abbas generalis nuncupatus, & alij Superiores dicti Ordinis, eorumque Vicarij, iuxta ipsius Ordinis instituta, Monasteria, Prioratus, & loca prædicta, ac illorum personas, tàm in capitibus, quàm in membris visitare, libere & licite valeant.

Indultâ Episcopis & aliis concessa visitandi loca & personas annullat, quatenus impediãt Abbatem & Superiores Ordines in visitando.

§. 5. Ac quæcumque priuilegia, & indulta Apostolica visitandi Monasteria tàm virorum, quàm mulierum Ordinis huiusmodi, quibusuis Venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis aliis locorum Ordinariis, Abbatibus, & aliis, quàm generali Cistercien. prædicto, ac aliis quatuor Primis nuncupatis, quatuor, Monasteriorum filiarum Cistercij nuncupatorum prædictorum Abbatibus, ceterisque Superioribus eiusdem Ordinis ad id ab ipso generali Capitulo deputatis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, & præeminentiæ existentibus, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & Sedem prædictam, etiam ad quorumuis etiam Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum instantiam, vel etiam Motu proprio, & ex certa scientia, etiam consistorialiter, & cum causæ cognitione sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, clausulis irritantibusque, ac aliis decretis hactenus quomodolibet concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, & Apostolicas, ac alias literas desuper confectas, & inde secuta quæcumque, ad hoc dumtaxat vt Abbati generali, & aliis Superioribus Ordinis, eorumque Vicariis Monasteria huiusmodi, vt supra dictum est, visitare liceat, auctoritate Apostolica tenore præsentium moderamur & limitamus.

Inhibito contra Episc & alios, impedientes eos in visitationib.

§. 6. Inhibentes Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Superioribus, Prælatis videlicet sub interdicti ingressus Ecclesiæ, ac suspensionis à diuinis, Abbatibus vero, & aliis inferioribus præfatis, ceterisque quibuscumque personis sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, ne Abbatem generalem, & alios Superiores Ordinis eorumque Vicarios præfatos, quo minus visitationes iuxta regularia Ordinis instituta huiusmodi libere face possint, per se vel interpositas personas, directe vel indirecte, aut alias quoquomodo impedire audeant, vel præsumant.

Monasteria recipiant eosdem visitatores.

§. 7. Ipsis autem Monasteriorum, & aliorum locorum prædictorum Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Conuentibus, Monachis, Monialibus, & personis, vt Generalem, aliosque Abbates, Superiores, & Vicarios præfatos, vt præfertur visitare volentes, benigné recipiant, eisque, & eorum mandatis in concernentibus eorum visitandi officium huiusmodi pareant, & humiliter obediant, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub similis excommunicationis pœna districtè præcipien. mandamus.

Confirmatio omnium gratiarum & indultorum Ordinis Cisterciensis.

§. 8. Et insuper, vniuersa & singula priuilegia, prærogatiuas, immunitates, exemptiones, libertates, indulgentias, etiam quatenus sint in vsu, plenarias, conseruatorias, facultates, indulta, & alias gratias Cistercij, & quatuor filiabus nuncupatis Monasteriis, & Ordini, eiusque Capitulo generali, definitoribus, & aliis Superioribus præfatis per piæ mem. Paschalem II. Callistum etiam II. Eugenium III. Alexandrum etiam III. Lucium similiter III. Honotium etiam III. Gregorium IX. Innocentium IV. Sixtum pariter IV. præsertim Commendas, & Commendatarios Monasteriorum, & aliorum locorum Ordinis huiusmodi concernentia, & quod Commendatariis pro tempore existentibus nullam in Monasteria dicti Ordinis sibi Commendata, & eorum Monachos iurisdictionem exerceant, ac etiam super priuilegiorum, aliarumque gratiarum ipsi Ordini concessarum confirmatione, sub quarto, & sexto Idus Martij, quinto Nouembris & quarto Idus Martij, quinto, & sexto Idus Martij, sexto annis Pontificatus sui Dat. respectiue, & quoscumque alios Rom. Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem prædictam hactenus quomodolibet concessa.

Confirmatio statutorum eiusdem Ordinis.

§. 9. Necnon ordinationes, & statuta ab exordio fundationis eiusdem Ordinis vsque in præsentem diem in dicto generali Capitulo concorditer edita, etiam si in vsu esse desierint, dummodo infra lapsum temporis immemorabilis videlicet centum annorum in desuetudinem non abierint, ac præterea super contributionibus, per omnia & singula eiusdem Ordinis Monasteria Abbati Cistercij, seu Capitulo generali prædictis faciendis, & soluen. ita quod omnes etiam Commendatarij ad illarum solutionem, etiam sub similis excommunicationis latæ sententiæ pœna teneantur, & ad id etiam quibuscumque priuilegiis, etiam ab ipsa Sede obtentis, non obstantibus compelli possint, ac prout illa concernunt omnia & singula alia in literis Apostolicis, aliisque documentis desuper confectis contenta, & inde secuta quæcumque, licita tamen & honesta, eisdem auctoritate & tenore, ex certa scientia confirmamus & approbamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque, & singulos iuris, & facti defectus, si qui forsàn interuenerint in eisdem, supplemus.

Hæc & superadicta confirmauit Greg. XIII. infr. in eius bulla 18.

Renouatio eorumdem indulturum.

§. 10. Ac potiori pro cautela, eadem omnia & singula priuilegia, prærogatiuas, & facultates, exemptiones, indulgentias, conseruatorias, indulta, & alias gratias eisdem modo & forma quibus Ordini eiusque Abbatibus, Capitulo generali, & Superioribus præfatis per dictos prædecessores concessa sunt, illis de nouo auctoritate, & ten. prædictis concedimus, & innouamus.

In Monasteriis Commendatis, personæ extra Ordinẽ, institui debet mẽsa Conuentualis distincta ab Abbatiali, & sufficiens pro Monachis, &c.

§. 11. Et præterea quod in Monasteriis dicti Ordinis, quæ diuersis personis (etiam si Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, & S. R. E. Cardinales existant) de præsenti Commendata esse reperiuntur, & in futurum Commendari, seu alias quoquomodo aliis quam Ordinis ipsius personis concedi continget, vbi non fuerit instituatur mensa conuentualis ab Abbatiali mensa distincta & separata, cum annuis fructibus, redditibus, & prouentibus, iuxta Monasteriorum ipsorũ facultates, competentibus, & honestis, pro sufficienti Conuentus & Monachorum, aliorumque religiosorum eiusdem Ordinis numero, in vno quoque ex ipsis Monasteriis per ipsos Generalem, & ceteros Ordinis ipsius Superiores, aut eorum Vicarios ordinando, ad quam mensam sic instituendam, congruosque redditus assignandos ipsi Commendatarij omnino teneantur, & ad id etiam per censuras Ecclesiasticas fructuum, reddituum, & prouentuum sequestrationes, & alia opportuna iuris remedia cogi possint, & debeant.

Hoc declarat Greg. ibid.

Religiosi alterius Ordinis, intrusi, aut eiiciantur, aut eiusdem Ord. professionem faciant.

§. 12. Et quia, sicut accepimus, in multis dicti Ordinis, tàm virorum, quam mulierum Monasteriis quam plures Mendicantium, & aliorum Ordinum religiosi vtriusque sexus, ab immemorabili tempore citra se intruserunt, & persæpe intrudere præsumunt, quod illi vel inde realiter, & cum effectu eiiciantur, vel saltem habitum infra annum suscipiant, ac professionis regularis eiusdem Cistercien. Ordinis expresse emittant, debitamque obedientiam, & reuerentiam illius Abbati generali, & reliquis Superioribus præfatis præstent, ac diuinum officium secundum ipsius Ordinis morem celebrent, seque regularibus eius instituris omnino conforment.

Vniones, & suppressiones, & dismembration. fieri nequeant.

§. 13. Vniones autem, annexiones, & incorporationes, ac suppressiones, & extinctiones Monasteriorum, & Prioratuum eiusdem Ordinis, aut fructuum, reddituum,

Digitized by Google

tuum, & prouentuum illorum, diſmembrationes,& locis aliis quamtumlibet piis, applicationes, & aliæ quæuis perpetuæ illorum alienationes, cuicumque alteri loco ex quauis cauſa quantumcumque honeſta, vrgenti, & neceſſaria, abſque ſpeciali & expreſſo eiuſdem Abbatis generalis pro tempore exiſtentis conſenſu in ſcriptis, cauſaque prius à Capitulo præfatis,vel alias rite cognita, etiam per nos,& Sedem prædictam etiam de Fratrum conſilio,ac ad quorumuis etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum inſtantiam deinceps nullatenus fieri poſſint,& ſi aliter fiant, nullius omnino ſint roboris, neque Ordo, eiuſque Superiores, & perſonæ, præfatis literis deſuper conficiendis obedire debeant.

Monachi degentes in Monaſt. vnitis aliis Pius locis remanent ſub correctione Superiorum huius Ordinis.

§. 14. In his vero quæ hactenus vnita, annexa, & incorporata fuerunt, ſeruetur præciſe forma ſingularum literarum ſuper his vnionibus, incorporationibus, ſeu applicationibus, aut aliis quibuſcumque diſpoſitionibus expeditarum. Ita tamen quod Monachi in ſingulis Monaſteriis huiuſmodi degentes, ſint,& remaneant ſub obedientia, & correctione Abbatis Generalis, aliorumque Superiorum Ordinis Ciſterc. prædictorum, & ſuorum Vicariorum in omnibus,& per omnia, perinde ac ſi vniones,annexiones,& incorporationes huiuſmodi non emanaſſent, etiam ſi in illis aliter caueretur, & vſus, non tamen à tempore immemorabili, vt præfertur contrarium obtineat, quæ contra præſentis ſtatuti tenorem nemine ſuffragentur.

Moniales alterius Ord. quando recipi poſſint in Abbatiſſas huius Ordinis.

§.15.Poſtremo quod nullę alterius Ordinis Moniales,in Abbatiſſas Monaſteriorum Monialium dicti Ordinis aſſumi,vel ſi aſſumantur in eiſdem Monaſteriis recipi poſſint, niſi illorum immediato patre Superiore prętente,qui illis habitum exhibeat,& ab eis tria ſubſtantialia vota,necnon iuramenta obſeruandi ſtatuta dicti Ordinis, ac ſecundum ea viuendi recipiat.

Monaſteria quæcũque tenentur ad cõtributiones ſoluendas Abbati, & Capitulo.

§.16. Quodque omnia & ſingula Monaſteria, Ordinis huiuſmodi, tàm virorum, quàm mulierum vbicumque exiſtentia, ſeu eorum Abbates, vel Priores etiam Commendatarij, Abbatiſſæque vel Prioriſſæ, in ſignum obedientiæ & ſuperioritatis, ſolita regalia videlicet contributiones ſolitas,etiam Abbati Monaſterij Ciſtercij,& Capitulo generali præfatis, omnibus exceptione, recuſatione,præſcriptione,& alia excuſatione penitus ceſſante,ſuis, annuatim ſoluere teneantur, & ad id compelli poſſint, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna eiſdem ſcientia, auctoritate & tenore, perpetuo ſtatuimus & ordinamus.

Clauſula huius conſtit. præſeruatiua.

§.17. Ac limitationem, moderationem, inhibitionem, præceptum,mandatum,approbationem, confirmationem, adiectionem,ſuppletionem,conceſſionem,innouationem, ſtatuta, & ordinationes,aliaque præmiſſa,ac præſentes literas de ſubreptionis,vel obreptionis,aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ defectu, quouis prætextu quæſitove colore, aut ingenio, nullatenus notari, argui, vel impugnari poſſe, neminemque illa quauis de cauſa, etiam iuſtiſſima impugnantem in iudicio vel extra audiendum eſſe nec illa ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium conceſſionum, gratiarumque reuocationibus, ſuſpenſionibus, modificationibus,limitationibus, vel derogationibus, etiam per nos & ſucceſſores noſtros, ac Sedem prædictam, etiam Imperatoris, Regum,Reginarum, Ducum,& aliorum Principum intuitu & contemplatione, aut in eorum, vel etiam in nullius fauorem ſub quibuſcumque tenoribus & formis,ac cum quibuſuis clauſulis, ac etiam vim contractus, aut legis, ſeu ſtatuti perpetui inducentibus decretis, & alias quomodolibet conceſſis & concedendis,à quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis deſuper quomodolibet editis, & edendis aliquatenus comprehendi, neque illis vllo vmquam tempore,etiam per Sedem prædictam derogari poſſe,nec derogatum cenſeri,niſi de toto tenore,& data præſentium expreſſa mentio habita, & derogatio, ſuſpenſio, limitatio, reuocatio, aliaque prædicta de Ciſtercij, aliorumque quatuor primorum nuncupatorum Abbatum prædictorum expreſſo conſenſu facta fuerint, & ſi aliter derogari, reuocari, ſuſpendi, limitari, corrigi, aut emendari contigerit, huiuſmodi derogationem,reuocationem, ſuſpenſionem, limitationem, correctionem, & emendationem, nullius eſſe roboris, vel momenti,& quoties illæ vel illa emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtituta, & de nouo etiam ſub quacumque data per ipſum Abbatem Monaſterij Ciſtertij pro tempore exiſtentem eligenda, conceſſa eſſe, & cenſeri.

Decretum[illegible] irritans.

§.18. Et ita per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales,ac cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi auctoritate, & facultate, iudicari, definiri, & interpretari debere, & quicquid ſecus à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Clauſula derogatoria.

§.19. Non obſtantibus præmiſſis, ac noſtra de non tollendo ius quæſitum, & aliis quibuſuis Apoſtolicis, necnon in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibuſlibet etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, declarationibus, & decretis, priuilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis præfatis, aliiſque Congregationibus, Præſulibus, Abbatibus, Eccleſiis, Monaſteriis, Capitulis,Conuentibus, Prouinciis, ac perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, etiam motu ſimili, aut etiam conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet conceſſis, & etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus & ſingulis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa,& individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum veriores tenores, formas, dat. & decreta in eis appoſita, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus,& ſufficienter derogatum eſſe decernimus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides danda tranſumptis huius bullæ.

§.20. Et quia difficile foret eaſdem præſentes ad diuerſa loca Prouincialque circumferre, volumus & dicta auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam formis impreſſis, manu alicuius publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo Abbatis generalis, aut alicuius ex aliis Superioribus Ordinis huiuſmodi munitis, plena & indubia, ad ea proꝛſus fides vbique etiam in iudicio adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1563, ſexto Kal. Octobris, Pontificatus noſtri anno quarto. *D.P. A.4.la 26 Septemb.*

Caupones & Albergatores Vrbis, non tenentur de furtis rerum eis non conſignatarum, commiſſis in eorum hoſpitiis, ſi hoc ipſi hoſpitibus notificent in eorum ingreſſu. LXXI.

Solent hi Caupones & Albergatores in eorum hoſpitiis publice affixam tenere hanc bullam idiomate vulgari conſcriptam, ad ſe liberandum ab huiuſmodi notificatione.

PIVS PAPA. QVARTVS Motu proprio, &c. *Edita An. D. 1563.*

Cauſa huius conſtit.

CVm ſicut non ſine animi noſtri diſplicentia nobis innotuit,à quam plurimis annis citra in Alma Vrbe noſtra contigerit, & in præſentiarum ſæpe contingat, quod dilecti filij Societas Hoſpitum, Albergatorum, & Cauponum dictæ Vrbis, ab hoſpitibus & aduenis ad dictam accedentibus, ac aliis in ea moram trahentibus Hoſpitariis, & Albergatoriis, ſuper eo quod hoſpites, & aduenæ, & Albergatorij aſſeruerint, & aſſerant, ſeu verius

Digitized by Google

verius eorum verſutia & calliditate finxerint & fingant, ſe multas, & diuerſas pecuniarum, & aliorum bonorum quæ nunquam Hoſpitibus, & Albergatoribus huiuſmodi conſignauerant, neque conſignarunt, aut in rei veritate forſan habuerant neque habuerunt, quantitates ſecum ad hoſpitia attuliſſe, & deinde vt à ſumptibus & expenſis per eos factis exoluti, & liberi euadere poſſent, atque poſſint, illas & illa perdidiſſe, ac ab Hoſpitibus, Albergatoriis, & Cauponibus ipſis, vel aliis perſonis furto ſubtracta & ſublata fuiſſe, illos de facto huiuſmodi accuſando, & calumniando diuerſimode, etiam vſque ad incarcerationem, ac alia iuris & facti remedia, etiam vltra refectionem ſortis principalis moleſtari fuerint, ac quotidie moleſtentur & vexentur, in ſcandalum plurimorum, dictæque Societatis dedecus & vilipendium, ac rerum & bonorum ſuorum non modicum diſpendium & grauamen.

Hoſpites Vrbis nõ poſſint moleſtari pro rebus in eorum hoſpitiis furto ſubtractis, & eis antea non cõſignatis, per aduenas, quib. Hoſpites, & Caupones hoc notificauerint.

§. 1. Idcirco ad faudibus, verſutiis, calumniis, ac inconuenientibus, necnon coinquinamento, & gliſcenti contagio huiuſmodi, ac aliis præmiſſis omnibus & ſingulis obuiandum, Motu ſimili & certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, volumus, ſtatuimus, & ordinamus deinceps perpetuis futuris temporibus quaſcumque merces, pecuniarum ſummas, alias res & bona vſque ad quamcumque quantitatem aſcenden. per eoſdem hoſpites, & aduenas, ac alios Albergatorios ſibi quomodocumque & qualitercumque furto ſubtracta, & ſublata fore aſſerentes, ac prætendentes à dictis Hoſpitibus, Albergatoribus, & Cauponibus, ac eorum quolibet inſolidum, niſi illa prius per eoſdem aduenas, ac hoſpitarios, & albergatorios, eiſdem Hoſpitibus, Albergatoribus, & Cauponibus in cuſtodiam data, & contignata fuerint minime repeti, nec eoſdem Hoſpites, Albergatores, & Caupones deſuper conueniri, capi, arreſtari, incarcerari, detineri, aut quoquomodo realiter, vel perſonaliter moleſtari, vexari poſſe neque debere. Quæ omnia prædictis boſpitibus, & aduenis, ac albergatoriis in eorum ingreſſu dicti Hoſpites, Albergatores, & Caupones notificare & intimare debeant, & teneantur.

Iſte notificationes fieri ſolent eo modo, quo dixi hic in rubr.

Confirmatio priuilegiorum & ordinationũ Societatis Hoſpitum.

§. 2. Necnon omnia & ſingula gratias, conceſſiones, immunitates, priuilegia, & indulta per quoſcumque Rom. Pont. prædeceſſores noſtros, ac nos & Sedem Apoſtolicam prædictæ Societati, & eorum ſingulis, in genere vel in ſpecie conceſſis & conceſſa, necnon quæcumque capitula, ſtatuta, & ordinationes per eos hactenus quomolibet condita & facta, licita tamen & honeſta, quatenus ſint in vſu, eadem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus & approbamus, illiſque perpetuæ firmitatis robur adiicimus, omneſque & ſingulos, tam iuris, quam facti, ſi qui forſan interuenerint, ac ſolemnitatum deſuper forſan omiſſarum defectus ſupplemus.

Facultas condendi ſtatuta licita & ſac. Canon. non contrar.

§. 3. Seu in eiſdem ſi Societati videbitur ſibi quæcumque alia ſtatuta, ordinationes, & capitula rationabilia & honeſta, ac ſacris canonibus non contraria, condendi, & edendi, ac condita & edita pro temporum qualitate, & quoties eis videbitur, alterandi, mutandi, & delendi, ac alia de nouo faciendi, quæ poſtquam condita & edita, ac mutata, & de nouo facta, & per Camerarium approbata fuerint, eo ipſo eadem auctoritate approbata, & confirmata ſint & eſſe cenſeantur, plenam & liberam facultatem, licentiam & poteſtatem concedimus.

Decretum irritans.

§. 4. Et ita per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios, quauis auctoritate & poteſtate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, necnon dilectos filios nunc & pro tempore exiſtentes dictæ Vrbis Conſeruatores, iudicari & definiri, ac obſeruari debere, ſublata, &c. Si quis, &c. irritum quoque, &c. decernimus & declaramus.

Clauſula derogatoria.

§. 5. Non obſtan. conſtit. ordinationibus ac ſtatutis, etiam iuramento, &c. roboratis; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis prædictis, Conſeruatoribus, & quibuſuis aliis perſonis ſub quibuſcumque ten. & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis aliiſque efficaciorib. & inſolitis clauſulis etiam iteratis vicibus, etiam pari motu conceſſis, &c. & concedendis quibus omnibus etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, &c. tenores, &c. in literis latiſſimè extenden. &c. hac vice derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque, cum clauſulis opportunis & conſuetis. Fiat vt petitur. I.

Clauſularum repetitio.

§. 6. Et cum abſolutione à cenſuris, ad effectum, &c. & quod tenores capitulorum, ac ſtatutorum, & ordinationum, per Societatem prædictam quomodolibet confectarum habeantur pro expreſſis, ſeu in toto vel in parte exprimi poſſint. Et de voluntate, ſtatuto, ordinatione, confirmatione, approbatione, adiectione, ſuppletione, conceſſione, decreto, declaratione, & derogatione, ac aliis præmiſſis, quæ hic pro ſufficienter ad partem repetitis habeantur, perpetuo in forma gratioſa latiſſime extenden. ex certa noſtra ſcientia, & ad perpetuam rei memoriam. & cum deputatione executorum opportuna qui aſſiſtant, cum poteſtate citandi, &c. etiam per edictum, &c. etiam dictos Conſeruatores, &c. inhibendi, &c. etiam ſimili edicto aggrauandi, reaggrauandi, interdicendi, &c. inuocato, &c. brachij ſæcularis, &c. cum derogatione conſtitutionis de vna & duabus, non tamen tribus dietis, ac quorumcumque ſtatutorum, &c. priuilegiorum, indultorum & literarum Apoſtolicarum, quibus etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Card. necnon dictis Conſeruatoribus, & aliis quibuſcumque, ſub quibuſuis tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis in contrarium quomodolibet etiam æquali motu, &c. conceſſis & concedendis: quorum omnium tenores, &c. latiſſimè exprimi poſſint, ad effectum ſufficientis derogationis eorum, ita quod non obſtent, &c. latiſſime extenden. Et quod præmiſſorum omnium & ſingulorum, aliorumque circa præmiſſa neceſſariorum, major & verior ſpecificatio & expreſſio fieri poſſit, in literis per breue noſtrum, ſeu officium contradictarum in forma gratioſa ſi videbitur expedien. ſeu quod præſentis Motus proprij ſola ſignatura ſufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio & extra, regula contraria non obſtante.

Datum Romæ apud S. Petrum, quarto Idus Nouembis anno quarto. *D. P. A. 4. die 10. Decemb.*

LXXII. Reuocatio exemptionum à ſolutione Dohanæ Vrbis, quibuſcumque præterquam locis Piis conceſſarum, vel in capitulis Dohanæ expreſſarum. Et declaratio quoad exemptiones ob numerum duodecim filiorum.

Magis generalem reuocationem vide inf. in Sixt. V. conſt. 2. Inter. *& Pauli V. conſt. 11.* In maximis.

PIVS PAPA QARTVS *Motu proprio, &c.*

Edita An. D.

Cauſa cõſtit.

LIcet fel. rec. Paulus Papa tertius prædeceſſor noſter, rationabilibus cauſis prænarratis, Motum proprium ediderit, Nihilominus tanta eſt hominum importunitas, vt etiam à Procuratore noſtro Fiſcali nobis fuit expoſitum quod multæ ſimiles & diſſimiles prænarratæ exemptiones poſtea, tàm ab ipſomet Paulo Tertio, quàm à Iulio Tertio, Marcello Secundo, & Paulo Quarto ſucceſſoribus Pontificibus, & etiam à nobis, etiam ſub ſignatura Motus proprij, extortæ fuerunt, vnde Dohanæ Vrbis, illarumque Dohanerij in eaſdem, & forſan maiores, quàm in præinſerto narrantur difficultates & controuerſias denuo inciderunt, cum magno etiam noſtro & Cameræ præfatæ præiudicio, cum omnia tandem in ipſius Cameræ detrimentum retorqueantur.

Reuocatio exemptionum quo ad ſolutionem Dohanarum Vrbis quibuſcumq; præter quam Piis locis, vel ob num. 12. filiorum conceſſarum.

§. 1. Nos igitur eiſdem quibus præfatus Paulus prædeceſſor, & aliis rationabilibus animum noſtrum mouentibus rationibus & cauſis, & præſertim quia nunc multo plures ſunt ex prouentibus dictarum Dohanarum in certos vſus per ipſam Cameram aſſignatæ ſummæ, ita quod nihil reſtat vnde ſummæ pro exemptionibus huiuſmodi defalcari, ſumi, ſeu detrahi poſſint, omnes & ſingulas lites & cauſas præmiſſorum occaſione quomodolibet in quacumque inſtantia, & coram quibuſcumque iudicibus penden. ad nos pari modo aduocamus & extinguimus. Omneſque & ſingulas gratias per quoſcumque prædeceſſores noſtros, & etiam per nos quomodolibet, & ex quacumque etiam maxima

Digitized by Google

maxima causa, præter expressas in capitulis inter Cameram & Dohanerios præfatos stipulatis concessas, exemptiones, immunitates, ac priuilegia, quo ad præfatas Almæ Vrbis Dohanas, earumque Dohanarum solutionem, & inuiolabilem obseruationem dictorum capitulorum cum Dohaneriis præsentibus & futuris, per eamdem Cameram factorum & faciendorum, præterquam pro piis & miserabilibus locis, & pro illis dumtaxat, quibus ob numerum duodecim filiorum concessæ & concessa fuerint, & quousque duodecim illi superstites in communi viuent, in ipsaque Vrbe cum eorum familiis continuo degent, & pro rebus dumtaxat quas aliunde (excepto vino quod pro eorum vsu in Ripa Almæ Vrbis nostræ in barca existen. comparauerint) in Vrbem ipsimet suo sumptu conuehi facient pro suo proprio vsu tantum, non autem pro mercimoniis & aliis rebus, quæ ad Vrbem, vt vendantur, per eos, seu per alios conuehentur, seu quas ipsi aliter quam pro vsu proprio conuehi & portari facient, in ceteris rebus & pro aliis personis, nullis prorsus exceptis, præsentium tenore cassamus, irritamus, annullamus, & reuocamus, ac pro cassis, irritis, & nullis habemus, haberique, & eis nullatenus suffragari volumus.

Declaratio circa exceptiones ob numerū 12. filiorū.

Ad quod vide etiā Pauli V. const. cit. in rub.

§. 2. Insuper eo quod res & bona præfata, etiam victualia, quas & quæ immunitates præfatas habentes pro vsu velle, & esse dicent, debeant fieri mandata in scriptis subscripta per patrem familias, si viuet, aut illo defuncto per illū ex ipsis duodecim filiis qui erit maior natu, aut qui domus regimen habebit, etiā cū iuramento attestari, res, bona, & victualia huiusmodi esse pro eorū vsu proprio, & ad eorū instantiā esse aduecta. Et quod etiā fachini, gestatores, & barilarij, quorū opera in illis deferendis vsi fuerint, fiat solita fides quomodo res, bona & victualia præfata, in ipsorum immunitatē habentium, domum delata, & recondita fuerint, alias Dohanerij non debeant immunitates ipsas admittere, sed consuetam ab aliis non immunibus solutionem exigant. Et insuper quod si contingat aliquem ex ipsis filiis ob prælaturam fortasse adeptam, vel ob aliam quamcumque causam propriæ suæ familiæ, & sibi inseruientium numerum augere, non debeat immunitas præfata suffragari pro numero personarum, vt præfertur, seu alias quomodolibet accrescentium, sed suffragetur, admittaturque dumtaxat pro numero, & habita ratione personarum quæ erant tempore impetratæ immunitatis. Et si ipsi Dohanerij aliter quam vt præfertur, immunitates ipsas receperint, pro illis quantitatibus, in quibus præmissa excedent, & non obseruabunt, Camera non teneatur eis facere aliquam remissionem.

Decretum irritans

§. 3. Et sic per ipsos Camerarium & Clericos Cameræ, & alios quoscumque iudices etiam S. R. E. Cardinales in quacumque instantia, sublata, &c. iudicari, irritumque, &c. quicquid secus, &c. decernimus.

Deputatio executoris.

§. 4. Mandantes Camerario, Præsidenti, & Clericis præfatis, vt reuocationem, cassationem, irritationem, & annullationem, ac decretum nostrum huiusmodi, omniaque & singula alia præmissa, sub indignationis nostræ pœna obseruent, & ab aliis inuiolabiliter obseruari mandent & faciant.

Clausula derogatoria.

§. 5. Non obstantibus præmissis, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegiis, indultis, & immunitatibus prædictis tam sub plumbo, quàm per breue, aut alias hactenus, vt præfertur, concessis, & in futurum, etiam cum præsentis expressa derogatione, etiam Motu proprio, & manu nostra propria concedendis, sub quibuscumque verborum expressionibus, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibus, & aliis quantumcumque fortissimis decretis, etiam si de illis pro illorum sufficienti derogatione, certa, & expressa forma, & indiuidua, ac de verbo ad verbum expressio, seu insertio facienda esset, illorum omnium tenores, &c. pro expressis, &c. ceteriſque in contrarium facien. quibuscumque.

Sola signatura sufficiat. Notarij; exemplū probet.

§. 6. Præsentis autem cedulæ solam signaturam regula contraria non obstan. sufficere, & eius exempla manu vnius ex Notariis Cameræ prædictæ subscripta, vbique in iudicio & extra fidem facere, in libriſque Cameræ præfatæ consuetis registrari volumus & mandamus.

Pape subsc.

Placet Motu proprio. I.

Confirmatio sacri & Oecumenici Concilij Tridentini. LXXIII.

Istud Concilium indixit Paul. III. in const. 33. Inito. *Et post Iulium III. prosecutus est hic Pont. vt sup. in const.* 23. Ad Ecclesiæ. *Ac Prælatis ei interessentibus indulta concessit in const.* 28. Circumspecta. *Ordinemque loci quem ibi in actibus publicis Prælati haberent declarauit in const.* 24. Sicut ea. *Et quando ligare incipiat habetur hic infra in const.* 80. Sicut ad.

Super interpretatione decretorum huius Concilij, quam hic Pontifex sibi reseruat, necnon & super executione eiusdem Concilij Cardd. Congregationem instituit hic idem Pontif. in constit. 81. *Aliàs nos.* & Sixt. V. in con. 74. *Immensa.* in Congregat. 8.

PIVS EPISCOPVS, &c. *Ad perpetuam rei memoriam.* Edita An. D. 1564.

BEnedictus Deus, & Pater D. N. Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui respicere dignatus Ecclesiam suam sanctam, tot procellis & tempestatibus agitatam, atque vexatam, & grauius indies laborantem, apto tandem ei subuenit, optatoque remedio. Ad plurimas & pernicioſissimas hæreles extirpandas, ad corrigendos mores, & restituendam ecclesiasticam disciplinam, ad pacem & concordiam Christiani populi procurandam, indictum iampridem in ciuitate Tridentina œcumenicum & generale Concilium à piæ mem. Paulo III. prædecessore nostro, & sessionibus aliquot habitis cœptum fuerat. Ad eius autem successore Iulio in eandem Vrbem reuocatum, post alias sessiones celebratas varijs impedimentis & difficultatibus obiectis, ne tum quidem peragi potuerat. Itaque diutius intermissum fuerat, non sine maximo mœrore piorum omnium, cum quotidie magis Ecclesia eiusmodi remedium imploraret.

Cons. Trid. indictū fuit à Paulo III. vt in const. 13. *Inito, & etiā à Iul. III. sed eius cōst. praetermiſa.*

§. 1. Nos autem post susceptum Sedis Apostolicæ regimen, tam necessarium ac salutare opus sicut pastoralis solicitudo monebat, diuinæ misericordiæ fiducia perficere aggressi, adiuti pio studio carissimi in Christo filij nostri Ferdinandi Romanorum Imperatoris electi, & aliorum Christianorum Regum, Rerumpublicarum, ac Principum, tandem consecuti sumus, quod nec diurnis, nec nocturnis curis laborare destitimus, quodque à Patre luminum assidue precati sumus. Cum enim eam in Vrbem vndique ex Christiani nominis nationibus conuenisset nostris conuocata literis, & sua etiam ipsorum pietate excitata Episcoporum, & aliorum insignium Prælatorum maxima, & œcumenico Concilio digna frequentia, præter plurimos alios pios, & sacrarum literarum scientia, diuinique & humani iuris cognitione præstantes viros, præsidentibus ipsi Synodo Sedis Apostolicæ Legatis, nobis adeo Concilij libertati fauentibus, vt etiam de rebus Sedi Apostolicæ proprie reseruatis liberum ipsi Concilio arbitrium per literas ad Legatos nostros scriptas vltro permiserimus, quæ de sacramentis & aliis rebus quæ quidem necessariæ visæ sint, tractanda, definienda, & statuenda restabant, ad confutandas hæreses, ad tollendos abusus, & emendandos mores à sacrosancta Synodo, summa libertate, diligentiaque tractata, & accurate, ac mature admodum definita, explicata, statuta sunt. Quibus rebus perfectis Concilium tanta omnium qui illi interfuerunt concordia peractum fuit, vt consensum eum plane à Domino effectum fuisse constiterit, idque in nostris atque omnium oculis valde mirabile fuerit. Pro quo tam singulari Dei munere supplicationes statim in Alma hac Vrbe indiximus, quæ magna Cleri, & populi pietate celebratæ fuerunt, laudesque & gratias diuinæ maiestati merito persoluendas curauimus, cum eiusmodi Concilij exitus spem magnam, & prope certam attulerit, fore vt maiores in dies fructus ad Ecclesiam ex ipsius decretis, constitutionibusque perueniant.

Hic autem Pont. illud prosequi iussit vt sup. in cōst 23. *Huic Conc. interfuerunt Legati Card.* 2. *Patriarchæ* 3. *Archiepisc.* 25. *Episc.* 168. *Abbates* 7. *Procuratores absentium* 39. *Generales Ordinum* 7. *Qui omnes subscripſerūt se Coc. & fuerunt n.* 255. *vt legitur in fine Cōcilij.*

Digitized by Google

Cõfirmatmodo Pont. iste d. Conc. quam confirmationẽ Synodus petiit. vt habetur prope fin. d. Conc.

§. 2. Cum autem ipſa ſancta Synodus pro ſua erga Sedem Apoſtolicam reuerentia, antiquorum etiam Conciliorum veſtigiis inhærens, decretorum ſuorum omnium, quæ noſtro, & prædeceſſorum noſtrorum tempore facta ſunt, confirmationem à nobis petierit, decreto de eare in publica ſeſſione facto. Nos ex Legatorum literis prius, deinde poſt reditum eorum ex iis, quæ Synodi nomine diligenter retulerunt, poſtulatione ipſius Synodi cognita, habita ſuper hac re cum Venerabilibus fratribus noſtri S.R.E. Cardd. deliberatione matura ſanctique Spiritus in primis auxilio inuocato, cum ea decreta omnia Catholica, & populo Chriſtiano vtilia, ac ſalutaria eſſe cognouiſſemus, ad Dei Omnipotentis laudem, de eorumdem fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, in Conſiſtorio noſtro ſecreto illa omnia & ſingula, auctoritate Apoſtolica hodie confirmauimus, & ab omnibus Chriſtifidelibus ſuſcipienda, ac ſeruanda eſſe decreuimus, ſicut harum quoque literarum tenore ad clariorem omnium notitiam confirmamus, & ſuſcipi, obſeruarique decernimus.

Præcipitq; Prælatis & aliis illud obſeruẽt.

At quando ligare incipiat dixi in rubr.

§. 3. Mandamus autem in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis à ſacris Canonibus conſtitutis, aliiſque grauioribus, etiam priuationis, arbitrio noſtro infligendis, vniuerſis, & ſingulis Venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis quibuſuis Eccleſiarum Prælatis, cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & dignitatis ſint, etiam ſi Cardinalatus honore præfulgeant, vt eadem decreta & ſtatuta Eccleſiis ſuis, ciuitatibus, & diœceſibus, in iudicio & extra iudicium diligenter obſeruent, & à ſubditis quiſque ſuis ad quos quomodolibet pertinent, inuiolabiliter faciant obſeruari, contradictores quoſlibet & contumaces, per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, etiam in ipſis decretis contentas, appellatione poſtpoſita compeſcendo, inuocato etiam, ſi opus fuerit, brachij ſæcularis auxilio.

Hortatur etiã Imperat. Reges, & Principes ad obſeruationẽ eiuſdẽ Concilij.

§. 4. Ipſum vero cariſſimum filium noſtrum Imperatorem electum, cereroſque Keges, Reſpublicas, ac Principes Chriſtianos monemus, & per viſcera miſericordiæ D.N. Ieſu Chriſti obteſtamur, vt qua pietate Concilio per Oratores ſuos affuerunt, eadem pietate, ac pari ſtudio diuini honoris, & populorum ſuorum ſalutis cauſa, pro Sedis quoque Apoſtolicæ, & ſacræ Synodi reuerentia ad eiuſdem Concilij exequenda, & obſeruanda decreta Prælatis, cum opus fuerit, auxilio & fauore ſuo adſint, neque aduerſantes ſanæ ac ſalutari Concilij doctrinæ, opiniones à populis ditionis ſuæ recipi permittant, ſed eas penitus interdicant.

Prohibetque edi cõmentarios vel interpretationes ſuper decretis Conc.

§. 5. Ad vitandum præterea peruerſionem, & confuſionem quæ oriri poſſet ſi vnicuique liceret, prout ei liberet in decreta Concilij commentarios, & interpretationes ſuas edere; Apoſtolica auctoritate inhibemus omnibus, tam eccleſiaſticis perſonis cuiuſcumque ſint ordinis, conditionis, & gradus, quam laicis quocumque honore, ac poteſtate præditis, Prælatis quidem ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, aliis vero quicumque fuerint, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, ne quis ſine auctoritate noſtra audeat vllos commentarios, gloſſas, annotationes, ſcholia, vllumve omnino interpretationis genus ſuper ipſius Concilij decretis quocumque modo edere, aut quicquam quocumque nomine, etiam ſub prætextu maioris decretorum corroborationis, aut executionis, aliove quæſito colore ſtatuere.

Declarationẽque Concilij ſibi reſernat. Hoc voluit etiã Synodus Trid. in ſeſſ. 25 cvlt.

§. 6. Si cui vero in eis aliquid obſcurius dictum, & ſtatutum fuiſſe, eamque ob cauſam interpretatione, aut deciſione aliqua egere viſum fuerit, aſcendat ad locum quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apoſtolicam omnium fidelium magiſtram, cuius auctoritatem etiam ipſa ſancta Synodus tam reuerenter agnouit. Nos enim difficultates, & controuerſias ſi quæ ex eis decretis ortæ fuerint nobis declarandas, quemadmodum ipſa quoque ſancta Synodus decreuit, reſeruamus, parati, ſicut ea de nobis merito confiſa eſt, omnium prouinciarum neceſſitatibus, ea ratione, quæ commodior nobis viſa fuerit, prouidere.

Decretum irritans.

§. 7. Decernentes nihilominus irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Iuſſio publicandi hanc bullam.

§. 8. Vt hæc autem ad omnium notitiam perueniant, neue quis excuſatione ignorationis vti poſſit, volumus & mandamus, vt hæ literæ per aliquos curiæ noſtræ Curſores in Baſilica Vaticana Principis Apoſtolorum, & in Eccleſia Lateranen. tunc cum in eis populus, vt Miſſarum ſolemnibus interſit, congregari ſolet, palàm, & clara voce recitentur & poſtquam recitatæ fuerint ad valuas earum Eccleſiarum, itemque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in loco ſolito Campi Floræ affigantur, ibique vt legi, & omnibus innoteſcere poſſint, aliquantiſper relinquantur. Cum autem inde amouebuntur relictis de more ibidem exemplis, in Alma Vrbe ad impreſſionem tradantur, quo commodius per Chriſtiani nominis Prouincias, & Regna diuulgari poſſint.

Tranſumptorũ fides.

§. 9. Tranſumptis quoque earum, quæ manu alicuius publici Notarij ſcripra, ſubſcriptaue, & ſigillo ac ſubſcriptione alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munita fuerint, fidem ſine vlla dubitatione haberi mandamus atque decernimus.

Sanctio pœnalis.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, monitionis, inhibitionis, reſeruationis, voluntatis, mandatorum, & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Dat. P. A 5. die 26. Ianu.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo * quarto ſeptimo Kalend. Februarij, Pontificatus noſtri anno quinto.

* *tertio.*

Papa ſubſcr.

Ego Pius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero.

Cardinalium ſubſcriptiones.

Ego F. Card. Piſanus Epiſcopus Oſtien. Decanus.
Ego Fed. Card. Cæſius Epiſcopus Portuen.
Ego Io. Card. Moronus Epiſc. Tuſculanus.
Ego A. Card. Farneſius Vicecanc. Epiſc. Sabien.
Ego R. Card. Sancti Angeli, Maior Pœniten.
Ego Io. Card. Sancti Vitalis.
Ego Io. Mi. Card. Saracenus.
Ego Io. B. Cicada Card. S. Clementis.
Ego Scipio Card. Piſarum.
Ego Io. Card. Reomanus.
Ego F. M. G. Card. Alexandrinus.
Ego F. Clemens Card. Aræcæli.
Ego Iac. Card. Sabellus.
Ego B. Card. Saluiatus.
Ego Ph. Card. Aburd.
Ego Lud. Card. Simoneta.
Ego F. Card. Paciecus, y de Tol.
Ego Marcus Antonius Card. Amulius.
Ego Io. Fr. Card. de Gambara.
Ego Carolus Card. Borromæus.
Ego M. S. Card. Conſtantien.
Ego Alph. Card. Geſualdus.
Ego Hip. Card. Ferrar.
Ego Fr. Card. Gonzaga.
Ego Guid. Aſc. Card. Camerarius.
Ego Vitellotius Card. Vitellius.

LXXIV.

Græci ſubiiciuntur iuriſdictioni Ordinariorum, circa ea quæ Dei cultum, Sacramentorum adminiſtrationem, animarumque ſalutem, & hæreſum extirpationem concernunt.

Edita A. D. 1564.

Alia de Græcis notaui plene in conſt. 14. Innoc. IV.

Sub catholicæ.

PIVS PAPA QVARTVS.
Ad futuram rei memoriam.

Exordium

ROmanus Pontifex præcipuus æquitatis, & religionis aſſertor, facultates, & gratias ab Apoſtolica Sede conceſſas, ex quibus tempore procedente animarum pericula, & inter Catotholicos ſcandala prouenire animaduertit,

Digitized by Google

uertit, pro sui pastoralis officij debito mature reuocare consueuit.

Græci prætendentes se exemptos à iurisd. Ordinariorū impunitate sibi proposita cōmittebant multos errores hic expressos.

§. 1. Sane nonnulli locorum Ordinarij nuper ad audientiam nostram referri curarunt, quod in quamplurib⁹ Regni Siciliæ citra, & vltra Pharum, & aliis Christiani nominis ciuitatibus, & locis magna Græcorum, tam religiosorum, & sæcularium clericorum, quàm laicorum multitudo reperitur, qui Ecclesiæ Græcæ mores, & ritus obseruantes, seque suos proprios eiusdem nationis Prælatos habere, ac illis, non autem locorum Ordinariis subesse, sed immunitatum, aliorumque priuilegiorum sibi per fel. rec. Leonem X. Paulum III. Iulium etiam III. & forsan alios Rom. Pontif prædecessores nostros, & dictam Sedem antiquitus concessorum prętextu, se ab eorumdem Ordinariorum iurisdictione, & superioritate exemptos esse prætendentes, impunitate sibi proposita, in diuersas hæreticas, nefariasque opiniones, & absurda deliramenta passim prolabuntur, asserentes inter alias eorum blasphemias nullum esse defunctorum purgatorium, Rom. Pont. aliquam in eos iurisdictionem, vel auctoritatem habere negantes, indulgentias ab illo concessas damnantes, ecclesiasticas sententias, & censuras ab eo latas spernentes, Sanctissimæ Dei genitricis Virginis Mariæ, beatorum Apostolorum, & aliorum Dei Sanctorum festiuitates ab Ecclesia Romana, sanctisque Patribus ordinatas non obseruantes, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum suis infantibus in Baptismo exhibentes, inhumata defunctorum cadauera superstitione quadam impia, & plusquam barbarica è sepulchris eruētes, igneque comburentes, Ordinariorum locorum, quos habitant, visitationem, iurisdictionemque contemnentes, & Ecclesiasticam disciplinam perturbantes; ac demum huiusmodi, aliisque suis opinionibus erroneis atque sacrilegis populos Latinos inficientes, correctionem legitimam suæ prætensæ exemptionis clypeo repellentes, in suis impietatibus, abusibusque consenescunt, & immoriuntur, in suarum vicinorumque populorum, præsertim simplicium animarum perniciem, & scandalum plurimorum.

Idem Pontifex iste, eos subiicit iurisd. Ordinariorum; circa ea quæ spectant ad Dei cultum, &c. & Ritus alios eorumdē Græcorum approbatos reseruat. Sed quoad officiorum celebrationes, vide infra Pij V. const. 12. Prouidentia.

§. 2. Nos igitur prouide considerantes eiusdem Sedis intentionem numquam fuisse exemptionem, aliudve priuilegium à se concessum iri, vt inde scelerum impunitas, & animarum periculum emergat, abusibus, & periculis huiusmodi, quantum cum Deo possumus, tempestiue obuiare volentes, ac quarumcumque exemptionum, aliorumque priuilegiorum dictis Græcis, eorumque Prælatis, Rectoribus, Abbatibus, & aliis, tam Sancti Basilij, & alterius Ordinis regularibus, quàm sæcularibus, ac etiam laicis personis quocumque nomine nuncupatis, per præfatos, & alios quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & Sedem præfatam, in genere vel in specie hactenus concessorum, ac etiam iteratis vicibus approbatorum, & innouatorum, literarumque desuper confectarū, & inde securorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas exemptiones, ac prout illas concernunt, desuper confectas literas præfatas, ad hoc videlicet, vt ipsi locorum Ordinarij quascumque Græcorum Ecclesias, Monasteria, Prioratus, & alia pia loca, tam sæcularia, quàm cuiusuis Ordinis regularia, eorumque Prælatos, etiam si Episcopali, Archiepiscopali, ac maiori dignitate præfulgeant, necnon Abbates, Rectores, Ministros, & quasuis alias eiusdem nationis personas, in suis ciuitatibus & dœcesibus consistentia, quoties opus fuerit, visitare, ac in illis suam ordinariam iurisdictionem, plenamque & omnimodam superioritatem, in iis quæ Dei cultum, Sacramentorum administrationem, & animarum salutem, hæresumque extirpationem concernunt, exercere, & exequi libere, & licite valeant, reliquis ipsorum Græcorum in diuinis celebrandis, aliisque ritibus à Sede Apostolica approbatis, necnon priuilegiis, & gratiis Apostolicis intactis remanentibus, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo reuocamus, cassamus, & annullamus, ac reuocatas, cassatas & annullatas esse, nec ipsis Græcis, clericis, vel laicis, eorumve Prælatis, Ecclesiis, Cœnobiis, aut aliis piis locis in aliquo suffragari, sed illos omnes & singulos locorum, in quibus moram traxerint, Ordinariorum visitationi, correctioni, punitioni, iurisdictioni, & omnimodæ superioritati in præmissis subesse, illisque tamquam superioribus suis, suarumque animarum pastoribus humiliter obedire.

Decretum irritans.

§. 3. Et sic quoscumque iudices, & commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis, quauis aliter iudicandi facultate, iudicari, & definiri debere, ac quicquid secus à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Clausula derogatoria.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides trāsumptorum.

§. 5. Per hoc tamen non intendimus, quod ipsi Græci ab eorum græcanico ritu distrahantur, vel alias desuper quoquo modo per locorum Ordinarios, aut alios impediantur.

D. P. A. 5. die 16. Febr.

§. 6. Et quia difficile foret præsentes ad diuersa loca, in quibus illarum exhibitio forsan erit necessaria, circumferri, volumus, & eadem auctoritate similiter decernimus, quod earundem præsentium transumptis etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo signatis, plenaria & indubia, eaque prorsus adhibeatur fides, in iudicio & extra, quæ præsentibus adhiberi deberet, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 16. Februarij 1564. Pontificatus nostri anno quinto.

Decisio in fauorem Congregationis Lateranen. Canonicorum regularium Ordinis S. Augustini, super lite quam de præcedentia habebat, cum Congregatione Cassinensi, alias S. Iustinæ, Monachorum Ordinis S. Benedicti. LXXV.

De præcedentia autem eorumdem Canonicorum cum omnibus regularibus, præter Canonicos sæculares S. Georgij in Alga extat declaratio Pij V. in eius const. 116. Cum ex. vbi notabo. Alia de Congregatione Lateranensi notaui. sup. in constit. 2. Paschal. II. Quanto. fol. 57. Et de Congregatione Cassinensi notaui pariter suprà in constitu. 1 Julij II. Super.

PIVS PAPA QVARTVS *Edita A. D. 1564.*

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

SEdis Apostolicæ prouidentia circumspecta, ne rursus ea quæ in controuersiis inter personas Ecclesiasticas, præsertim Altissimo sub regulari professione famulantes, exortis, pro tranquillo Religionis statu prudenter ordinauit, in molestos contentionis anfractus relabantur, maiorem solet, dum id res ipsa requirit, adhibere cautionem.

Lit. sup. præcedētia de qua in rubr. erta erat.

§. 1. Sane nuper postquam sicut nobis innotuerat, ab antiquis vsque temporibus, etiam supra centum annos retroactos, lis & causa seu controuersia inter dilectos filios Rectorem generalem, & Canonicos regulares S. Augustini Congregationis Lateranensis, ex vna, ac Monachos S. Benedicti Ordinis Cassinen. alias Sanctæ Iustinæ de Padua congregationum partibus ex altera, super illorum præcedentia, seu præcedendi suborta, & coram diuersis Iudicibus, etiam in nostro Palatij Apostolici auditorio ventilata, ac demum non sine animi nostri molestia in œcumenico Concilio Tridentino, inter earumdem congregationum Abbates reuocata fuerat.

Quā ipse Pontifex audiuit. & sibi referēdā commisit tribus Cardinalib. hic nominatis.

§. 2. Nos considerantes, lites & controuersias huiusmodi in Ecclesia præsertim inter religiosas, & reformatas personas, quæ relictis mundi vanitatibus, votum suum in humilitatis spiritu, Domino, & Deo nostro, qui se pro nobis vsque adeo humiliauit, vt formam serui acciperet, persoluere profitentur, non modicum illi præclaræ, Deoque præcipue dilectæ virtuti, quæ est humilitas, labem infundere, populoque scandalum generare, ac

propte

Digitized by Google

propterea illas omni ratione ſubmouendas, publicæque religionis tranquillitati, ac miniſtrorum Dei reconciliationi, & mutuæ dilectioni quamprimum conſulendum eſſe rati, Motu proprio dictas cauſas, & controuerſias vbilibet, & coram quibuſuis iudicibus motas, & in quibuſuis inſtantiis indeciſas pendentes, ab eiſdem iudicibus ad nos auocauimus, illaſque dilectis filiis noſtris Ioanni Michaëli Sanctæ Anaſtaſiæ Saraceno, Ioanni Baptiſtæ S. Clementis Cicadæ, ac Bernardino Scoto nuncupatis, S.R.E. presbyteris Card. audiendas, cognoſcendas, & decidendas per quandam Motus proprij ſchedulam, & deinde illas per aliud noſtrum reſcriptum eiſdem Cardinalibus per eos audiendas tantum, nobiſque referendas commiſimus.

Qui Card. retulerunt Pontifici præfatos Canonicos præcedere debere.

§. 3. Qui quidem Cardinales, dictis partibus earumve procuratoribus, & aduocatis pluries auditis, dubiiſque emergentibus ad plenum diſcuſſis, & reſolutis, comperto ſatis per eos ex compluribus literis Apoſtolicis, diuerſiſque aliis documentis, rationibus & probationibus, quod ipſi Canonici fuerunt, & ſunt de illis clericis à ſancto Auguſtino, quinimmo à ſanctis Apoſtolis inſtituris, eoſdem Canonicos, tam ſuæ antiquæ inſtitutionis huiuſmodi, quàm etiam dignitatis clericalis, qua eos ſtatim quod profeſſionem regularem emittunt, inſignitos eſſe oportet, aliarumque qualitatum in eis exiſtentium ratione, dictamque illarum Congregationem Lateranen. præfatos Monachos, & eorum congregationem Caſſinen. præcedere debere cenſuerunt, & concluſerunt, ſuamque concluſionem huiuſmodi ad audientiam noſtram iuxta vltimi noſtri reſcripti præfati tenorem retulerunt.

Pont. ideo ſententiauit pro Canonicis.

§. 4. Vnde nos illorum relatione intellecta, eaque per nos diligenter examinata, quoniam eam in omnibus ſuis partibus veritati, & iuri conſonam comperimus, per noſtram definitiuam ſententiam pronunciauimus, ſententiauimus, decreuimus, & declarauimus, Abbates, Prælatos, & Canonicos regulares congregationis Lateranen. vti clericos dimiſſa ſuperiori veſte, pallio, ſeu cappa, in linea veſte, clericalique habitu incedentes (quod etiam in Alma Vrbe conſuetum fuerat, & tunc obſeruabatur) in proceſſionibus & omnibus aliis actibus publicis, & priuatis, tam in d. Vrbe noſtroque & aliorum Romanorum Pontificum ſucceſſorum noſtrorum conſpectu, quàm alias in vniuerſis, & quibuſcumque aliis ciuitatibus, terris, oppidis, & locis, Abbates, Prælatos, & Monachos Ordinis S. Benedicti congregationis Caſſinen. prædictos præcedere debuiſſe & debere, ac eoſdem Abbates, Prælatos, & Canonicos Regulares, dictamque eorum congregationem, vt præfertur incedentes, dictis Abbatibus, Prælatis, & Monachis S. Benedicti, & eorum congregationi in omnibus, & ſingulis præmiſſis præferendos, anteponendos, & in digniori loco locandos fore, & eſſe.

Abbates ſqs. ipſarum Religionũ debere præcedere ſingulariter, & ſic per ſe abſq; eorum Conuẽt. iuxta antiquitatẽ promotionem.

§. 5. Abbates vero dictarum congregationum ſingulariter, & de per ſe abſque eorum conuentibus in Conciliis generalibus, prouincialibus, & ſynodalibus, ac aliis actibus publicis, & priuatis, in quibus Abbates de iure, vel conſuetudine locum, & votum habent, vel pro tempore quomodolibet habebunt, inter ſeſe iuxta ſingulorum ipſorum Abbatum ibidem interuenientium priorem, & antiquiorem promotionem ad Abbatiam, ac illorum promotione dumtaxat, non autem Congregatione, & Ordinis cuius ſint, attentis, præcedere, & præferri, & in digniori loco collocari debuiſſe & debere, prout ex tunc prætulimus, antepoſuimus, & collocauimus, præferrique, anteponi, & collocari mandauimus. Iactationes quoque, moleſtationes, oppreſſiones, perturbationes, vexationes, & impedimenta quæcumque per Abbates, Prælatos, & Monachos prædictos, & eorum congregationem Caſſinen. eiſdem Abbatibus, Prælatis, & Canonicis regularibus congregationis Lateranen. ſuper præfatis omnibus & ſingulis, & illorum occaſione quomodolibet factas, præſtitas, & illatas, factaque, præſtita, & illata, fuiſſe, & eſſe temerarias, illicitas, indebitas, & iniuſtas, temerariaque, illicita, indebita, & iniuſta, ac de facto præſumptas, & præſumpta, illaſque, & illa Abbatibus, Prælatis, & Monachis congregationis Caſſinen. huiuſmodi feciſſe, & facere minime licuiſſe, neque licere de iure. Et propterea de, & ſuper illis, ac dicto iure præcedendi, omnibuſque, & ſingulis aliis prænnſſis perpetuum ſilentium imponendum fore, & eſſe, & tunc impoſuimus, prout in reſcripto, relatione, & ſententia prædictis plenius continetur.

Et modo ſubiiciet eiuſdẽ ſententiæ defectus, & illam inuiolabiliter obſeruari mãdat.

§. 6. Ne autem de ſententiæ, aliorumque præmiſſorum validitate vllo vnquam tempore dubitari, ac propterea vel alio quouis prætextu rem mature diſcuſſam, & iudicatam, rurſus in controuerſiam retrahi, neue denuo in Eccleſia Dei inter tales perſonas religioſas, cõtentiones exoriri, ac populo ſcandala generari contingat, tempeſtiue prouidere, ac ſupremam huic negotio manum apponere cupientes, necnon veriores literarum ſingulorum prædeceſſorum, ac reſcripti proceſſus, relationis, ſententiæque præfatorum, & inde ſecutorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, Motu ſimili, non ad ipſorum Abbatum, Prælatorum, & Canonicorum regularium congregationis Lateranen. vel alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera deliberatione, & certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ad effectum executionis dictæ ſententiæ tantum, omnes & ſingulos proceſſus, & ſententiæ præfatorum defectus etiam ſubſtantiales, ſi qui forſan in eiſdem interuenerint, harum ſerie ſupplemus, ac eamdem ſententiam vna cum eius proceſſu validos, & efficaces eſſe, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & inuiolabiliter ab omnibus obſeruari debere, nec partes ipſas ab eis vllo vnquam tempore quouis prætextu quæſitoue colore reſilire poſſe, ſed ad illorum obſeruationem teneri, cenſuriſque & pœnis, tam eccleſiaſticis, quàm pecuniariis ad id cogi & compelli, neque Monachos eorumve congregationem aduerſus ſententiam, aliave præmiſſa in priſtinum quouis quæſito colore, vel ingenio reſtitui, nec illa oppugnantes audiri.

Clauſula præſeruatiua, & Decretum irritans.

§. 7. Præſenteſque literas de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, aut alio quouis defectu notari, ſeu impugnari poſſe, ſicque & non aliter per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios, etiam S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum, cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac quicquid ſecus à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus, præmiſſaque omnia perpetuo ſtatuimus.

Executorum huius conſtitut. deputatio, & facultates.

§. 8. Et quod ita fiant, & obſeruentur, volumus atque mandamus ſimiliter venerabili fratri Epiſcopo Amerin. & dilectis filiis noſtro in Alma Vrbe, & eius diſtrictu Vicario in ſpiritualibus, ac Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditori generalibus, per præſentes motu pari mandantes, quatenus ipſi vel duo, aut vnus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Rectoris generalis, & Abbatum, Prælatorum, ac Regularium Canonicorum S. Auguſtini congregationis Lateranen. præfatorum, vel alicuius eorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, ac illis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos ſuppletione, decreto, voluntate, & mandato, aliiſque præmiſſis pacifice frui, & gaudere. Non permittentes eos vel eorum quempiam deſuper quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari, deturbari, vel inquietari. Contradictores quoſliber, & rebelles per ſententias, cenſuras, & tam eccleſiaſticas, & pecuniarias, etiam arbitrio ſuo moderandas, & applicandas, quàm etiam priuationis beneficiorum eccleſiaſticorum per ipſos contradictores obtentorum pœnas, aliaque iuris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis, ſeruatis proceſſibus, illos ſententias, cenſuras & pœnas huiuſmodi incurriſſe declarando, illoſque etiam iteratis vicibus aggrauando, & interdictum eccleſiaſticum imponendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus ſit auxilio brachij ſæcularis.

Clauſula derogatoria.

§. 9. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Bonifacij PP. VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo quiſpiam præſentium vigore vltra tres dietas ad iudiciũ nõ trahatur, ac aliis quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon

Digitized by Google

necnon Monasteriorum, & Ordinum ac Congregationum præfatorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, vel cõsuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis illis, eorumque superioribus, ac personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, etiam motu, & scientia similibus quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus illorum tenores pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§. 10. Volumus autem, quod præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio, & extra vbilibet locorum plena, & indubia, eademque prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. 9. A. 5. 18. Februarij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimaoctaua Ianuarij 1564. Pontificatus nostri anno quinto.

Sequitur tenor sententiæ prædictæ.

Enarratio differen. 12.

CHristi nomine inuocato, pro Tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis haben. per hanc nostram definitiuam, sententiam, quam ferimus in his scriptis, in causa & causis, quæ coram nobis, & quas dilectis filiis nostris Ioanni Michaeli Saraceno tit. S. Anastasiæ, Ioanni Baptistæ Cicadæ tit. S. Clementis, ac Bernardino Scoto tit. S. Matthæi S.R.E. Cardinalibus primo audiendas, cognoscendas, & per eos decidendas, & terminandas, & deinde per præfatos Cardinales per Apostolica nostra rescripta nobis referendas commisimus, inter dilectos filios Abbates, Prælatos, & Canonicos regulares Ordinis S. Augustini, congregationis Lateranen. & vniuersam Congregationem ex vna & Prælatos, Abbates, & Monachos Ordinis S. Benedicti congregationis Cassinen. alias S. Iustinæ de Padua nuncupatos, & dictam eorum Congregationem, de & super præcedentia, & iure inter eos præcedendi, tam in processionibus, quàm in generalibus, & synodalibus, seu prouincialibus Conciliis, omnibusque actibus publicis & priuatis, rebusque aliis in actis causæ & causarum huiusmodi latius deductis, & illorum occasione, in prima seu alia versæ fuerint, & vertebantur instantiis, partibus ex altera, causa huiusmodi coram dictis Cardinalibus ad plenum ventilata, ac sæpius auditis partibus, & dubiis in ea plene discussis, & resolutis, ac visis de iure videndis, & demum per dictos Cardinales nobis matura desuper facta relatione, pronunciamus, sententiamus, decernimus, & declaramus Abbates, Prælatos, & Canonicos regulares congregationis Laterenen. vti clericos dimissa superiori veste, clericaliquc habitu incedentes (quod etiam in Alma nostra Vrbe Romæ consuetum fuit, & nunc obseruatur) in processionibus, & omnibus aliis actibus publicis, & priuatis, tam in dicta Alma Vrbe nostra, nostroque, & successorum nostrorum conspectu, quàm alias vniuersis, ac quibuscumque aliis ciuitatibus, terris, oppidis, & locis, dictis Abbatibus, Prælatis, & Monachis Ordinis S. Benedicti Cassinen. præcedere debuisse, & debere, cosdemque Abbates, Prælatos, & Canonicos regulares, dictamque eorum Congregationem, vt sup. incedentes, dictis Abbatibus, Prælatis, & Monachis S. Benedicti, & eorum Congregationi, in omnibus, & singulis præmissis præferendos, anteponendos, & in digniori loco collocandos fore, & esse. Abbates vero dictarum congregationum Lateranen. & S. Benedicti singulariter, & de per se absque eorum conuentibus, in Conciliis generalibus prouincialibus, & synodalibus, & aliis actibus publicis, & priuatis, in quibus Abbates de iure, vel consuetudine locum, & votum habent, vel pro tempore quomodolibet habebunt, inter sese iuxta singulorum ipsorum Abbatum ibidem interuenientium, priorem & antiquiorem promotionem ad Abbatiam, ac illa promotione dumtaxat, non autem Congregatione, & Ordine cuius fuerint attentis, præcedere, ac præferri, & in digniori loco collocari debuisse, & debere, prout præferimus, anteponimus, collocamus, præferrique, anteponi, & collocari respectiue mandamus. Iactationes quoque, molestationes, oppositiones, perturbationes, vexationes, & impedimenta quæcumque per præfatos Abbates, Prælatos, & Monachos dicti Ordinis S. Benedicti, & dictam eorum Congregationem eisdem Abbatibus, Prælatis, Canonicis regularibus dicti Ordinis, & eorum Congregationi, de & super præfatis omnibus & singulis, & illorum occasione quomodolibet factas, præstitas, & illatas, factaque, præstita & illata, fuisse & esse temerarias, illicitas, indebitas, & iniustas, temerariaque, illicita, indebita, & iniusta, ac de facto præsumptas, & præsumpta, illasque & illa præfatis Abbatibus, Prælatis, & Monachis fecisse, & facere minime licuisse, nec licere de iure. Et propterea de, & super illis, ac dicto iure præcedendi, vt supra, omnibus aliis, & singulis præmissis perpetuum silentium imponendum fore & esse, ac imponimus. Vtramque partẽ in expensis iustis ex causis absoluentes.

Decisio quoad præcedentiam inter præfatos Canonicos, & Monachos.

Decisio quoad præcedentiam Abbatum de per se absque Conuentibus.

Impositio perpetui silentij.

Absolutio partium ab expensis.

Ita est I.

Ita refero, & censeo pronunciandum esse Ioannes Michaël Cardinalis Saracenus.

Ita refero, & censeo pronunciandum Ioannes Baptista Cardinalis S. Clementis.

Ita refero, & censeo pronunciandum esse Bernardinus Cardinalis Tranen.

Nomina Cardinalium, qui causã cognouerũt, & Põtem. fuerunt.

LXXVI.

Reuocatio licentiarum omnium quibuscumque (exceptis Commissariis, & Inquisitoribus hæreticæ prauitatis) concessarum, tenendi vel legendi libros Lutheranos, aut de hæresi suspectos. Et prohibitio illos de cetero habendi vel legendi.

Istis Inquisitoribus, data est expresse facultas eos tenendi, & aliis licentiam dandi, vt inf. in const. 82. Cum inter. *Et hodie habemus etiam indicem librorum prohibitorum firmatum in const. seq. à & Cl. VIII. in const. 36.* Sacrosanctum. *Et quo ad opera Molinæi vide eiusdem Clem. const. 89.* Apostolicæ. *vbi illa strictissime omnibus prohibuit.*

Non dissimilem reuocationem habes à Greg. XV. factam in const. ipsius 40. *Apostolatus.* inf. tom. 4. Et de Hæreticorum libris habes in bulla quæ legi solet in die Cœnæ Dominicæ, cuius vltimum exemplar habes in S.D.N. Vrbani VIII. const. 62. *Pastoralis.* dicto to. 4. §. 1.

PIVS PAPA QVARTVS.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1564.

CVm pro munere quod sustinemus, id præcipue nobis propositum habeamus, & omni studio, diligentiaque, curemus, vt omnes Christi fideles tam grauibus calamitosisque temporibus in recta, & Catholica fide contineamus, id agere & prouidere necesse est, vt omnibus aberrandi ab ea occasionem subtrahamus. Nemini autem mirum videri debet, si Romanus Pontifex nunquam facultates aliquas, quas ipse, vel prædecessores res eius probabili adducti ratione concesserint, postea reuocet, cum ipso rerum vsu edoctus animaduerterit, eas iustiori de causa esse reuocandas.

Exordium.

§. 1. Ad notitiam nostram peruenit, ex data nonnullis licentia habendi, & legendi libros hæreticos, aut de hæresi suspectos, ad hæreses & errores, qui in eis libris continebantur, refellendos, non raro euenire solere, vt illis ipsis eorum librorum lectio noceat, quibus ob eam causam concessa fuerit, vt aliis prodesse possent, illis ipsis hæresibus, & erroribus propter humanæ mentis imbecillitatem eos implicans, à quibus se alios reuocaturos esse confisi fuerant.

Causa reuocationis.

§. 2. Huic

Digitized by Google

Reuocatio licentiarū habendi, & legēdi libros lutheranos, vel de hæresi suspectos.

§. 2. Huic rei prouidere, & animarum periculo, quantum fieri potest, pro pastorali solicitudine occurrere cupientes, cogitantesque nobiscum, nuper in sacro generali Concilio hæreses horum temporum ita confutatas, atque damnatas fuisse, vt tantæ Synodi auctoritas, cuius decreta huius sanctæ Sedis auctoritate, cum deliberatione matura confirmata, & comprobata sunt, ad vitandos errores, & Catholicæ fidei veritatem agnoscendam sufficere omnibus debeat, nec vllius præterea confutatio requirenda sit, prædecessorum nostrorum præsertim felic. record. Iulij III. & Pauli IV. vestigiis insistentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac deliberatione matura, omnes & singulas facultates habendi, & legendi libros Lutheranos, aut aliorum hæreticorum, seu de hæresi suspectos, omnibus tam clericis sæcularibus aut regularibus, quàm laicis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis sint, etiam si Episcopali, vel Archiepiscopali, aut alia maiori ecclesiastica, seu sæculari dignitate præfulgeant (Inquisitoribus, & commissariis hæreticæ prauitatis à Sede Apostolica deputatis quoad ex officio fungentur, exceptis) à nobis aut quocumque prædecessorum nostrorum, seu Apostolicæ Sedis Legatis, maiorive Pœnitentiario, vel quibuscumque aliis, quibuscumque verborum formis, & clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque, & aliis decretis quomodolibet, etiam motu, & scientia simili ad hoc tempus concessas, auctoritate Apostolica tenore præsentium reuocamus, & pro reuocatis, & irritis, perinde ac si numquam concessæ fuissent, habemus & haberi volumus.

Prohibitio legēdi, & habēdi libros prohibitos, & prohibendos.

§. 3. Inhibentes omnibus sub censuris, sententiis, & pœnis, tam à sacris Canonibus, quàm à Sede Apostolica ad hoc tempus constitutis in eos, qui huiusmodi libros legant, aut habeant, ne quis eorum post hac eis facultatibus vti, neue vllos omnino libros huiusmodi improbatos & prohibitos, aut quos in posterum à Sede Apostolica, Inquisi oribusve hæreticæ prauitatis, aut locorum Ordinariis improbari, prohiberique contigerit, legere, habetque quacumque de causa audeat.

Mentio, vt tales libri Inquisitoribus locorum consignentur.

§. 4. Impressores autem & Bibliopolas, & alios, quicumque eiusmodi libros habent, habuerintve (Inquisitoribus & Commissariis iisdem dumtaxat exceptis monemus, & cuilibet eorum, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna incursus criminis hæresis, & aliis contra hæreticos à iure inflictis & irrogatis, tam ecclesiasticis, quã temporalib. sententiis, censuris & pœnis, præcipimus ac mandamus vt eos libros intra sexginta dies à die quo hæ literæ publicatę fuerit, numerãdos, quorũ viginti pro primo, alios viginti pro secundo, reliquos viginti pro tertio, ac peremptorio termino, & monitione Canonica eis assignamus, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in ciuitatibus, in quibus, ij libri sint, tradant, atque consignent.

Clausulæ derogatoriæ.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Forma publicãdi hanc cõstitutionem.

§. 6. Vt vero hæ literæ, & quæ in eis continentur, ad omnium quorum oportet notitiam perueniant, nec quisquam ea excusatione vti possit, quod illa ignorauerit, volumus, & mandamus, vt in Basilica Vaticana Principis Apostolorum, & in Ecclesia Lateranensi tunc, cum in eis populus, vt Missarum solemnibus interfit, congregari solet, palàm clara voce à Curiæ nostræ Cursoribus, seu Notariis aliquibus publicis recitentur, & postquam recitatæ fuerint, ad valuas earum Ecclesiarum, itemque Cancellariæ Apostolicæ, & in loco solito Campi Floræ affigantur, ibique quo legi, & omnibus innotescere possint, aliquamdiu relinquantur.

Fides trãsumptorum.

§. 7. Transumptis quoque earum quæ manu alicuius publici Notarij scripta, subscriptaue, & sigillo, ac subscriptione alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munita fuerint, vt sine dubitatione vlla fides habeatur, mandamus atque decernimus.

D. P. An. 5. die 24. Martij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 24. Martij, 1564. Pontificatus nostri Anno quinto.

Anno à Natiuitate D. 1564. indictione 7. die vero 7. mensis Aprilis, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. Anno 5. retroscripta litera lecta, & recitata fuerunt alta & intelligibili voce, ac affixa & dimissa fuerunt in locis retroscriptis, dimissis etiam ibi copiis affixis, & alias in omnibus & per omnia, iuxta illarum formam, & tenorem per nos Thomam Rogerium, & Iacobum Carra, præfati S.D.N. Papæ Cursores.

Bartholomæus Sottocasa Mag. Curs.

Publicatio.

Approbatio Indicis librorum prohibitorum, cum regulis firmatis per Patres à sacro Concilio Tridentino deputatos. Et prohibitio illos de cetero habendi & legendi. LXXVII.

Hunc Indicem habes in fine d. Concilij. Et illius supplementum edidit Clem. VIII. infra in const. 36.

Sacrosanctum, *& constit.* 89. Apostolicæ.

Super Indice huiusmodi, Congregationem Cardinalium instituit Sixtus V. vt in sua constit. 74. Immensa in 7. Congreg. vbi notabo.

Attende quæ addidi ad Constitut. præcedentem.

Edita An. D. 1564.

PIVS PAPA QVARTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Lectio librorũ hæreticorum nedũ simplices, sed etiam doctos viros corrumpit.

DOminici gregis custodiæ Domino disponente præpositi, vigilis more pastoris non desistimus ipsi gregi ab imminentibus periculis, quanta maxima possumus cura, & diligentia, præcauere, ne propter negligentiam nostram pereant oues, quæ pretiosissimo Domini nostri Iesu Christi sanguine sunt redemptæ. Et si autem quæ ad fidei veritatem patefaciendam, & ad horum temporum hæreses confutandas pertinebant, in œcumenico, & generali Concilio Tridentino, sancti Spiritus assistente gratia, nuper adeo enucleata, ac definita fuerunt, vt facile iam sit vnicuique sanam, catholicamque doctrinam à falsa adulterinaque internoscere; tamen cum librorum ab hæreticis editorum lectio, non modo simpliciores homines corrumpere soleat, verum sæpe etiam doctos eruditosque in varios errores, & à veritate fidei, catholicæ alienas opiniones inducere, huic quoque rei esse duximus prouidendum.

Ideo Concilij Trid. delegit Prælatos, ad firmandũ Indicẽ librorum prohibitorum.

§. 1. Cum autem aptissimum ei malo remedium esse sciremus, si componeretur atque ederetur Index siue Cathalogus librorum, qui vel hæretici sint, vel de hæretica prauitate suspecti, vel certe moribus, & pietati noceant, id negocium ad sacram Tridentinam Synodum reiecerамus, ea vero ex tanta Episcoporum, & aliorum doctissimorum virorum copia delegit ad eum conficiendum Indicem multos cum doctrina, tum iudicio insignes Prælatos ex omnibus fere nationibus. Qui quidem non sine maximo labore, plurimisque vigiliis, eum Indicem tandem, Deo iuuante, perfecerunt, adhitis etiam in consilium lectissimis quibusdam Theologis. Peracto autem Concilio, cum ex ipsius Synodi decreto is Index nobis oblatus fuisset, vt ne ante ederetur, quàm à nobis approbatus fuisset, Nos doctissimis quibusdam, probatissimisque Prælatis cum accuratissime legendum, examinandumque tradidimus, & ipsi etiam legimus.

Illum ideo iã perfectũ modo approbat hic Pont.

§. 2. Cum igitur eum magno studio, acri iudicio, diuturna cura confectum, & præterea commodissime digestum esse cognouerimus. Nos saluti animarum consulere, eamque ob causam prouidere cupientes, ne libri, & scripta cuiuscumque generis, quæ in eo improbantur, siue vt hæretica, siue vt de hæretica prauitate suspecta, siue vt pietati, ac morum honestati inutilia, aut aliqua correctione saltem indigentia, posthac à Christi fidelibus legantur, ipsum Indicem, vna cum regulis ei præpositis, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, imprimique ac diuulgari, & ab omnibus vniuersitatibus Catholicis, ac quibuscumque aliis vbique suscipi, easque regulas obseruari mandamus atque decernimus.

Eosque legi, vel teneri prohibet.

§. 3. Inhibentes omnibus & singulis, tam ecclesiasticis personis sæcularibus, & regularibus cuiuscũque gradus, ordinis,

Digitized by Google

ordinis, & dignitatis sint, quam laicis quocumque honore, ac dignitate præditis, ne quis contra earum regularum præscriptum, aut ipsius prohibitionem Indicis libros vllos legere, habereve audeat. Si quis autem aduersus eas regulas, prohibitionemque fecerit: is quidem, qui hæreticorum libros, vel cuiusuis auctoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritve, ipso iure excommunicationis pœnam incidat, eamque ob causam in eum tamquam de hæresi suspectum, inquiri & procedi liceat, præter alias pœnas super hoc ab Apostolica Sede, sacrisque Canonibus constitutas. Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habueritve, præter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio leuere se nouerit puniendum.

Cõtrariis derogat.

§.4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum ne excommunicari possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Formam publicationis huius bullæ profert.

§.5. Vt hæc autem ad omnium notitiam perueniant, neve quis excusatione ignorationis vti possit, volumus, & mandamus, vt hæ literæ per aliquos Curiæ nostræ Cursores in Basilica Vaticana Principis Apostolorum, & in Ecclesia Lateranensi tunc, cum in eis populus, vt Missarum solemnibus interest, congregari solet, palàm & clara voce recitentur; & postquam recitatæ fuerint, ad valuas earum Ecclesiarum, itemque Cancellariæ Apostolicæ, & in loco solito Campi Floræ affigantur, ibique vt legi, & omnibus innotescere possint, aliquantisper relinquantur. Cum autem inde amouebuntur, earum exempla in iisdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hanc, publicationem & affixionem, omnes & singulos, qui his literis comprehenduntur, post tres menses à die publicationis, & affixionis earum numerandos, volumus perinde adstrictos, & obligatos esse, ac si ipsismet illæ editæ, lectæque fuissent.

Transumptis credi iubet.

§.6. Transumptis quoque earum, quæ manu alicuius publici Notarij scripta, subscriptaue, & sigillo ac subscriptione alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munita fuerint, fidem sine vlla dubitatione haberi mandamus atque decernimus.

D. P. A. 5. die 24. Martij.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Pisc. die 24. Martij 1564. Pontificatus nostri Anno 5.

LXXVIII. Approbatio Confraternitatis sub inuocatione Sanctissimi nominis Dei, ad cauendum blasphemias, periuria, illicitaque iuramenta institutæ, cum indulgentiarum, & aliarum gratiarum concessione.

In quibus autem Ecclesiis hæc sodalitas instituenda sit, vide in const. 130. Pij V. Decet. vbi alia quoque adnotabo. Quo vero ad indulgentias huius Confraternitatis, attende const. Pauli V. mox publicandam, & iam firmatam sub die 31. Octobr. 1606.

Edita An. D. 1564.

PIVS PAPA QVARTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INiunctum nobis Apostolicæ seruitutis officium, nos admonet, vt animarum saluti quantum cum Deo possumus, etiam multiplicatis gratiis omni ratione consulamus.

Institutio Sodalitatis nominis Dei in Hispaniis.

§.1. Hodie siquidem per nos accepto, quod in Burgensi, & pluribus aliis Hispaniarum ciuitatibus, & aliis locis vna saluberrima Confraternitas sub vocabulo Nominis Iesu instituta erat, cuius Confratrum partes potissimum essent, diligenter cauere, ne vel ipsi, vel alij coram eis aliquo modo, nisi ob causam grauissimam iurarent, & contrafacientes modeste admonerent. Quodque ipsi Confraternitati plurimi Christi fideles se conscribi fecerant, quorum opera, & studio blasphemiæ, periuria, & alias illicita iuramenta commode prohibebantur.

Approbatio Pontificia d.

§.2. Nos vt ipsa Confraternitas in maiori semper reuerentia habeatur, & Christi fideles eo libentius illam ingrediantur, quo ipsa ampliorib⁹ decorata spiritualium gratiarum donis, & Apostolicis fuerit suffulta priuilegiis, de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis dictæ Confraternitatis, vbiuis terrarum, & locorum, nunc & pro tempore diffusæ, vtriusque sexus Confratribus in illa, nunc & pro tempore descriptis vbilibet constitutis, siue sub eiusdem Cõfraternitatis regula prius edita, siue sub alia simili comprehendatur, qui vere pœnitentes, & cõfessi die festo Circuncisionis D. N. Iesu Christi annis singulis, in perpetuum, sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum susceperint, & solemnitati per ipsam Confraternitatem in dicto die festo vbiuis locorum pro tempore celebrari solitæ, in toto vel in parte interfuerint, quoties id egerint, toties pro quolibet die festo huiusmodi plenariam omnium & singulorum, ac quorumcumque peccatorum suorum indulgentiam, remissionem & absolutionem, auctoritate Apostolica tenore præsentium, concedimus & elargimur.

Sodalitatis vbique terrarum pro die circumsisionis.

Primaque Dominica cuiuscumque mensis.

§.3. Illis vero dictæ Confraternitatis confratribus, qui qualibet prima die Dominica cuiusque mensis totius anni, similiter in perpetuum, ad missam, quam ipsi Confratres audire tenentur, audiendam conuenerint, quotiescumque id egerint, decem annos.

Admonentibus quoque temere iurantes, & blasphemantes.

§.4. Qui vero temere iurantem, aut alias diuinum nomen blasphemantem, modeste, & charitatiue, quandocumque admonuerint, pro qualibet vice centum dies. Et quicumque verbi Dei prædicatori, sæculari, vel cuiusuis Ordinis regulari, qui Christi fideles, vt à iuramentorum abusibus caueant, & hanc dictæ Confraternitatis regulam amplectantur hortatus fuerit, decem annos de iniunctis sibi pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta, misericorditer in Domino relaxamus.

Facultas Cõfratrum eligendi in die Circumcisionis confessores approbatos, qui eos absoluant, &c.

§.5. Et vt ipsi Confratres dictæ Indulgentiæ plenariæ, Deo propitio, facilius efficiantur participes, illis & eorum singulis, indulgentiam huiusmodi consequi volentibus, vt dicto die festo Circumcisionis occurrente, quoscumque sibi bene visos idoneos presbyteros, sæculares, vel cuiusuis Ordinis regulares, per Ordinarium loci approbandos, in suos possint eligere confessores, qui confessionibus ipsorum diligenter auditis, eos & eorum quemlibet, ab omni & quacumque excommunicationis, etiam maioris, & ab omnibus & quibusuis aliis Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure, vel ab homine, aut mixtim, quauis occasione, vel causa latis (saluo tamen iure tertij) necnon ab omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque grauibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, ac Sedi Apostolicæ reseruatis, præterquam in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta contentis, dicta auctoritate Apostolica absoluere, eisque pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere, Ac vota quæcumque (Hierosolymitano, visitationis Liminum BB. Apostolorum Petri & Pauli prædictorum de Vrbe, ac Iacobi in Compostella, necnon castitatis & religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeant, similiter auctoritate & tenore præmissis perpetuo concedimus, & indulgemus.

Ad hoc vide reformationẽ Clem. VIII. in const. 115.

Ordinarij faueant promotioni huius Sodalitatu.

§.6. Mandantes vniuersis & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis ceteris Ecclesiarum Prælatis, & locorum Ordinariis vbilibet constitutis, eorumque generalibus spiritualibus Vicariis, & Officialibus, quod vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro Confratrum prædictorum parte fuerint requisiti, eidem Confraternitati prædictæ pro posse faueant, fauorabiliter assistant, & illam promouere procurent.

Clausula huius const. præseruatiua.

§.7. Præsentibus quas numquam etiam per nos aut alios Romanos Pontifices successores nostros, vel Sedem præfatam, aut alios quoscumque quomodolibet reuocari, suspendi, limitari, reduci, modificari, aut eis in aliquo derogari posse, neque sub quibusuis illarum, aut similium, vel dissimilium, indulgentiarum & gratiarum reuocationibus, suspensionibus, alterationibus, modificationibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, in genere vel specie, per nos vel successores nostros, aut Sedem præfatam, seu quosuis

Digitized by Google

alios, & ex quibuſcumque etiam vrgentiſſimis, & neceſſariis cauſis, etiam pro fabrica Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, Cruciata ſancta, vel expeditione contra infideles, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Principum, vel aliorum inſtantiam, ſeu eorum contemplatione, vel etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac alias quomodolibet canonice, vel de facto, nunc & pro tempore impoſitis & factis, vllatenus vmquam comprehenſas, ſed ſemper ab illis excepras, & quoties illæ emanabunt toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas, & de nouo conceſſas fore ac cenſeri decernimus, perpetuis futuris temporibus duraturis.

In die Circumciſionis nõ obſtante interdicto in loco Confraternitatis celebrari poteſt, & ſociorum corpora ſepeliri valeãt.

§.8. Vt autem ipſi Confratres, maiorem à nobis gratiam reportaſſe lætentur, eiſdem confeſſoribus Confratribus iuramenta quælibet ſine alterius præiudicio relaxare. Et præterea eidem Confraternitati, illiuſque Confratribus, ac Eccleſiis, Capellis, & Altaribus eiuſdem, vbiliber conſtitutis, quod quocumque tempore cuiuſuis interdicti, & ceſſationis à diuinis, videlicet dicto die feſto Circumciſionis, à primis veſperis vſque ad occaſum Solis eiuſdem diei incluſiue, Veſperæ, Miſſæ, aliaque diuina officia in ipſius Confraternitatis Eccleſiis, Altaribus, ac Capellis, ſolemniter, & publice celebrari, Qualibet vero prima die Dominica cuiuſlibet menſis priuati Confratres priuatam eorum Miſſam ex eiuſdem Confraternitatis inſtituto celebrari ſolitam celebrari facere, illique intereſſe. Ac inſuper ſemel in menſe Dominicum corpus ſuſcipere. Et quoties aliquem vel aliquos ex ipſis Confratribus quocumque tempore interdicti, ſeu ceſſationis à diuinis huiuſmodi, mori contigerit, dummodo cauſam non dederit interdicto, eorum cadauera cum moderata pompa ſepeliri, libere & licite valeant. Et interim interdicta & ceſſationes à diuinis huiuſmodi quæcumque ſint, ad effectum præmiſſum omnino ſuſpendantur, & ſuſpenſa eſſe cenſeantur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

Clauſula præſeruatiua.

§.9. Ac præſentes literas ſub quibuſuis reuocationibus, derogationibus, vel limitationibus ſimilium gratiarum, per nos vel ſucceſſores noſtros, in genere vel ſpecie ex quibuſuis etiam vrgentiſſimis cauſis etiam ad Imperatoris, Regum, & aliorum Principum inſtantiam pro tempore quomodolibet emanatis, nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas fore.

Decretum irritans.

§.10. Et ita per quoſcumque Iudices & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi auctoritate, & facultate iudicari & definiri debere ac quicquid ſecus à quoque quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Clauſula derogatoria.

§.11. Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, ac in prouincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, editis & edendis, necnon etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Declaratio circa d. facultatem eligendi Confeſſorem.

§.12. Volumus autem ne Confratres ipſi, quod abſit, propter huiuſmodi gratiam reddantur procliuiores ad illicita committenda, quod ſi à ſinceritate fidei, & vnitate S.R.E. ac obedientia, & deuotione, noſtris vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium deſtiterint, aut confidentia eiuſdem gratiæ aliqua commiſerint, gratia & literæ quoad eligendum confeſſorem huiuſmodi illis nullatenus ſuffragentur.

Declaratio circa d. indulg.

§.13. Volumus autem quod ſi aliqua alia indulgentia fuerit per nos in aliquo loco eidem Confraternitati conceſſa, præſentes quoad locum huiuſmodi nullæ ſint.

Dat. P. A 5. die 13. April.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, Anno Incarnationis Dominicæ 1564. Idib. April. Pontif. noſtri Anno 5.

LXXIX. Quod maior pars Cardinalium Sanctiſſimæ Inquiſitionis decernit, à tota Congregatione valide ſtatutum cenſetur.

Quinimo (aliquibus abſentibus) duos tantum Cardinales hoc idem poſſe ſtatuit Pius V. in ſua conſt. 23. Cum felicis. *Inſtitutionem vero huius Congregationis habes ſup. in Pauli III. conſt. 34.* Licet.

PIVS PAPA QVARTVS *Edita An. D.*
Motu proprio, &c.

Deputatio Card. Congr. S. Inquiſit.

CVm nos per noſtrum ſpecialem Motum proprium ſub data Romæ apud ſanctũ Marcum quarto Non. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno quinto, officio ſupremo in Alma Vrbe, & Curia noſtra, ac tota repub. Chriſtiana ſanctæ Inquiſitionis hæreticæ prauitatis, eiuſque cauſarum audientiæ, cognitioni, expeditioni, & terminationi præfecerimus, & deputauerimus dilectos filios noſtros Ioannem Michaëlem S. Anaſtaſiæ Saracenum, & Ioan. Baptiſtam S. Clementis Cicadam, ac Ioannem Suauium S. Priſcæ Romanum, nèc non Michaëlem S. Sabinæ Ghiſlerium, & Clementem S. Mariæ in Aracæli Monialium, & Ludouicum S. Cyriaci in Thermis Simoneram, & Carolum S. Martini in Montibus Borromæum presbyteros, ac Vitellotium S. Mariæ in Porticu Vitellium diaconum, tunc titulorum Miſeratione diuina S.R.E. Cardinales, cum facultatibus, iuriſdictionibus, & auctoritatibus, prout in eodem Motu proprio latius continetur.

Alia deputatio.

§.1. Cum poſtea etiam in eodem ſancto Officio ſupremo inquiſitionis, hæreticæ prauitatis, verbo deputauerimus Inquiſitorem dilectum filium noſtrum Franciſcum Alciatum tituli S. Suſannæ Cardinalem, ne in poſterum de ipſius iuriſdictione hæſitari contingat, Motu ſimili & ex certa noſtra ſcientia, deputationem huiuſmodi tenore præſentium approbamus, & confirmamus, & quatenus opus ſit de nouo eumdem generalem Inquiſitorem hæreticæ prauitatis, prout ſupraſcripti alij octo Cardinales, conſtituimus, deputamus, & ordinamus, & in numero ſupradictorum aliorum Inquiſitorum vnimus, & aggregamus.

Quod maior pars facit totã Congregatio faciſſe dicitur.

§.2. Et inſuper pro faciliori cauſarum expeditione, & terminatione, ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, vt quicquid per maiorem partem S.R.E. Cardinalium, qui in Congregatione pro dicto officio interuenerint ſeu conuenerint dictum, geſtum, ſtatutum, ordinatum decretum, terminatum, ſeu ſententiatum extiterit, ſit validum, & firmum, ita & taliter quod nullo modo impugnari poſſit, perinde ac ſi omnes, & ſinguli Cardinales prædicti in d. Congregatione conueniſſent, & maior pars conſenſiſſet.

Omnimoda iuriſdictio Congregationis eſt.

§.3. Cum plena & omnimoda iuriſdictione, auctoritate, & poteſtate omnibus prædictis Cardinalibus, & eorum prædeceſſoribus, per nos vel alios Summos Pontifices aliis quomodolibet conceſſis, & attributis, irritum, &c. decernentes.

Derogatio cõtrariorum.

§.4. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & omnibus illis, quæ nos & prædeſſores noſtri voluerunt & volumus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Sola ſignatura ſufficit.

§.5. Decernentes ſolam præſentis noſtri Motus proprij ſignaturam ſufficere, & vbique in iudicio, & extra fidem facere, regula contraria non obſtante.

Placet Motu proprio. I. *Papæ ſubſcr.*

LXXX. Declaratio quod Concilij Tridentini decreta, circa Reformationem, & ius poſitiuum tantummodo, ligare cœperunt à Kal. Maij 1564.

De materia Concilij notaui hic ſup. in conſt. 73. Benedictus Deus. *Et de Congregatione inſtituta ſup. eius obſeruantia, vide bullam ſubſeq.*

PIVS EPISCOPVS, *Edita A. D. 1564.*
Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SIcut ad ſacrorum Conciliorum decreta, ac Canones, auctoritas atque confirmatio Apoſtolicæ Sedis, & debet & ſolet accedere, ita ſi qua ſuper eis exorta ſit dubitatio, eiuſdem Sedis iudicio, & declaratione tollenda eſt.

§.1. Ad

Digitized by Google

Dubitabant multi à quo tempore ligaret Concilium Trid. circa Reformat. & ius positiuum.

§.1. Ad aures nostras peruenit multos esse, qui dubitent ex quo tempore cœperint decreta sacri generalis Concilij Tridentini, ad reformationem & ius positiuum dumtaxat spectantia, eos ad quos pertinent obligare, illa præsertim quæ tempora certa præstituunt ad prouinciales, diœcesanasque Synodos celebrandas, ad sacros ordines suscipiendos, ad religionē profitendam, ad parochiales Ecclesias, aliaque beneficia Ecclesiastica quę * eiusdem Concilij decretis retineri prohibitum fuit, resignanda, & ad complures res huiusmodi exequendas, ac alias omnes ad prædictam reformationem iusque positiuum tantum spectantes, quæ obseruari, aut euitari debeant.

* *illius.*

Declarat ideo hic Pont. cœpisse ligare à Kal. Maij 1564.

§.2. Nos itaque vt omnis controuersia, dubitatioque tollatur, Motu proprio eam rem provt rationi, iuri, & æquitati conuenire censuimus, duximus declarandam. Nam etsi ipsius Concilij decreta, etiam de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu in Consistorio nostro secreto confirmata à nobis fuerunt, sub finem mensis Ianuarij, & ab eo etiam tempore apud hanc sanctam Sedem obseruari cœperunt, quia tamen non parum temporis in eis Romæ diligenter emendateque imprimendis necessario cōsumptum fuit, & iure etiam communi sancitum est, vt, constitutiones nouæ vim, non nisi post certum tempus obtineant, æquū nobis, & iustum visum est, prædicta decreta omnia ad dictam reformationem, iusque positiuum dumtaxat spectantia, à Kalen. Maij proxime præteriti omnes obligare cœpisse, neque post eam diem excusationem cuiusquam, quod ea ignorauerit, admittendam.

Decretum irritans.

§.3. Atque ita Apostolica auctoritate declaramus, ac definimus, & ab omnibus iudicari debere mandamus, atque statuimus. Decernentes irritum, & inane, si quid secus à quoquam, quacumque dignitate, auctoritate, & potestate prædito contigerit iudicari.

Clausula derogatoria.

§.4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis aliisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§.5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, definitionis, mandati, statuti, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D. P. A. 5. die 18. Iulij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1564. 15. Kalend. Augusti, Pontificatus nostri Anno 5.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1564. Indict. 7. die vero 20. mensis Iulij. Pontif. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. Anno 5. retroscriptæ literæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt in valuis Basilicarum Principis Apostolorum de Vrbe, & S. Ioannis Lateranen. necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ per nos Iacobum Carra, & Iulium Parinum præfati S. D. N. Papæ Cursores.

Antonius Clerici Mag. Curs.

LXXXI. Institutio Congregationis S. R. E. Cardinalium, super executione, & obseruantia Sacri Concilij Tridentini, & aliarum Reformationum huius Pontificis.

Huius Congregationis facultatem, etiam super interpretatione d. Conc. præfiniuit Sixt. V. in const. 74. Immensa. *in* 8. *Congr.*

Quando Concilium istud cœpetit ligare, habes in const. præced. Et quando fuerit approbatum legitur in const. 73.

Edita An. D. 1564.

PIVS PAPA QVARTVS
Motu proprio, &c.

Reformationes de quibus in præcedentibus bullis referuntur.

ALias nonnullas constitutiones, & ordinationes, reformationem maioris Pœnitentiarij, ac sacræ Pœnitentiariæ nostræ, ac Vicarij nostri, ac eius officij, necnon Camerarij, & Cameræ Apost. ac illius causarum Auditoris necnon Palatij Apostolica causarum Auditorum, ac Gubernatoris, & Capitolinæ Curiarum, & Contradictarum, aliorumque Almæ Vrbis nostræ ac Rom. Cur. Tribunalium, & officiorum concernentes edidimus, quæ tamen, vt intelleximus, ab eorundem officiorum, & tribunalium præfatis, ac officialibus minus diligenter obseruantur.

Institutio Congregationis de qua in rubr.

§.1. Cum autem enixæ nostræ voluntatis sit, vt illa, & pariter decreta sacri Concilij Tridentini, in his quæ ad eorum officia spectant, ab eisdem omnino obseruentur, nos propterea considerantes parum esse iura condere, nisi sint qui ea executioni demandari faciant, & in præmissis, provt ex debito pastoralis officij nobis, meritis licet imparibus, iniuncti obligamur, salubriter & vtiliter prouidere, præfatasque constitutiones, & ordinationes, ac decreta Concilij, quas & quæ hic haberi volumus pro expressis, inuiolabiliter obseruari volentes, venerabili fratri nostro Ioanni Episcopo Tusculan. Morono, Io. Michaëli S. Anastasiæ Saraceno, ac Io. Baptistæ S. Clementis Cicadæ, necnon Michaëli S. Sabinæ Alexandrino, Clementi S. Mariæ in Aracæli, & Ludouico S. Cyriaci in Thermis Simonetæ, ac Carolo S. Martini in Montibus Borromæo presbyteris, necnon Vitellotio S. Mariæ in Porticu Vitellio nuncupatis, titulorum, diacono, Cardinalibus committimus, & mandamus, quatenus ipsi, seu eorum maior pars, coniunctim vel diuisim, eorum arbitrio, etiam tamquam executores dictarum literarum, constitutionum, & decretorum prædictorum constitutiones, & ordinationes, ac decreta præfata, iuxta tenores eorum, ac literarum desuper confectarum per quoscumque Pœnitentiariæ, Vicariæ, & Cameræ, ac Rotæ curiarum, ac Tribunalium prædictorum iudices, & officiales, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac priuationis officiorum, & aliis eisdem Cardinalibus beneuisis, etiam pecuniarum, eo ipso incurren, pœnis, firmiter obseruari faciant, & cum effectu (nisi tàm in executione dictorum decretorum Concilij, quàm dictarum literarum nostrarum aliqua dubietas, aut difficultas emerserit, quo casu ad nos referant,) inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

Obedientia Congreg. debita.

§.2. Ac eos, qui literis, & decretis prædictis, & eorumdem Cardinalium mandatis non paruerint, ex nunc, provt ex eadem die, & è contra, illorum officiis priuatos, necnon ad illa, & alia Romanæ Curiæ officia in posterum obtinenda inhabiles, ac ipsis ab eisdem officiis sic priuatis, illa tamquam per priuationem vacantia à Datario nostro vendi, & à quibusuis personis idoneis pro pretio conuenienti emi, liberę & licite posse, auctoritate nostra curent, nuncient, decernant, ac declarent, provt nos harum serie nunciamus, decernimus, & declaramus.

Derogatio contrariorum.

§.3. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Pœnitentiariæ, & curiarum, necnon tribunalium prædictorum statutis, &c. etiam iuramento, &c. roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis illis, ac dictis officialibus, & tribunalibus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam Motu simili, &c. & alias quomodocumque concessis, &c. Quibus omnibus, &c. illorum tenores, &c. Hac vice latissime derogamus, eaque aduersus præmissa nullatenus suffragari volumus, ceteriisque contrariis quibuscumque.

Papa subsc.

Placet Motu proprio. I.

D. P. A. 5. die 2. Aug.

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, quarto Non. Augusti Anno 5.

LXXXII. Facultas S. R. E. Cardinalium Congregationis super Inquisitione hæreticæ prauitatis, tenendi, & legendi libros hæreticos, aut alias prohibitos, & concedendi aliis licentiam eos habendi, ac legendi.

Hanc facultatem quoad opera Caroli Molinæi hæretici, abstulit Clement. VIII. in const. 89. Apostolici.

Congregationem eiusmodi instituit in Vrbe Paul. III. vt supra in sua const. 34. *Licet.*

Aduerte quæ adieci sup. ad const. 76. *Cum pro.*

Digitized by Google

Edita A.D. 1564.

PIVS PAPA QVARTVS
Motu proprio, &c.

Hic Pont. deputauit Cardinales inquisitores generales, sed hanc bullam hic non habes.

CVm inter crimina, quæ animaduersione digna sunt, & in corrigendo exempla cunctis præbere debeant, hæresis sit grauius, & ceteris detestabilius: ideo cum nobis maxime displiceat, & ne illud latius serpat, pro illo extirpando, cunctis etiam de crimine huiusmodi infectis, & illius fautoribus, ne ad deteriora (quod Deus auertat) delabantur, per nos non modicum inuigilandum sit. Cumque annis præteritis, & etiam forsan vsque in hodiernum diem in diuersis mundi partibus, proh dolor, hæreses, & falsa dogmata pullulauerint, & adhuc pullulent, solicitante humani generis inimico, minusque etiam cuiuscumque correctionis prætextu pullulare cessent. Propterea dilectos filios nostros Io. Michaëlem S. Anastasiæ Saracenum, Io. Baptistam S. Clementis Cicadam, Io. Suauium S. Priscæ Romanum, Michaëlem S. Sabinæ Alexandrinum, Clementem Olera S. Mariæ de Aracæli, Ludouicum S. Cyriaci in Thermis Simonetam, Carolum S. Martini in Montibus Borromæum presbyteros, ac Vitellotium S. Mariæ in Porticu diaconum Vitellium, Cardinales nuncupatos, pro erroribus, qui occasione quarumcumque hæresum dietim contingunt, reprimendis, & seu hæresibus huiusmodi, & illarum fautoribus, Domino nostro Iesu Christo auxiliante, extirpandis, deputauerimus: ac eos in Inquisitores, seu in sanctæ Inquisitionis congregatione deputatos, cum omnimoda potestate constituerimus.

Illi indigebant libris prohibitis ex causis hic expressis, quos tamen tenere nō valebant stante Indice de quo supra in const. 77.

§. 1. Et eis sæpe contingat, ne Catholici, & Christicolæ veneno huiusmodi sectæ, & illius fautorum afficiantur, ac etiam pro negotiorum, & causarum pro tempore incurrentium expeditione, ac hæreticorum, qui etiam ad præsens carceribus in Alma Vrbe nostra mancipati existunt, ac pro tempore mancipentur, deprehensione, & eorum ad veram doctrinam reductione, nonnullos seu quamplures libros ab ipsis impiis hæreticis, & sectæ Lutheranæ fautoribus compositos, & in lucem editos, ac qui in dies successu temporis edentur, & componentur, ac etiam aliquando oporteat, pro conseruanda religione in cordibus Catholicorum, eisdem libris, & hæreticorum deceptionibus, fraudibus & dolis, ac machinationibus respondere, vel à viris catholicis, ac sacræ doctrinæ peritis responderi facere, stantibusque constitutionibus hactenus per nos editis, & per Indicem librorum correctorum de mandato nostro, vel alias factum, prohibitionibus factis, eosdem libros, pro huiusmodi erroribus reprimendis, tenere, & legere dubitent, ac vt filij obedientiæ eosdem libros perspicere, vt accepimus, non audeant.

Hic idem Pont. licentiam, & facultatem de qua in rubr. eis concedit.

§. 2. Ad omnem igitur hæsitandi materiam, & conscientiæ scrupulum in eis tollendum, Motu simili, & ex certa nostra scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, de eorumdem Io. Michaëlis, Io. Baptistæ, Io. Suauij, Michaëlis, Clementis, Ludouici, Caroli, ac Vitellotij Cardinalium fide, probitate, & constantia, singularem, tum notitiam tum fiduciam habentes, eisdem Cardinalibus, vt durante eorum officio, & quamdiu Inquisitioni huiusmodi præfuerint, quoscumque, quæcumque, quotcumque, & qualiacumque, quorumcumque, tum antiquorum tum modernorum & futurorum, infidelium, & hæreticorum, aut hæresis, & cuiuscumque impietatis, vel superstitionis, vel reprobatæ lectionis, condemnatorum, vel suspectorum, ac etiam incertorum, vel dissimulatorum auctorum, & scriptorum, atque etiam Huguonotorum commentaria, tractatus, libros, collectanea, expositiones, annotationes, interpretationes, versiones, & alia cuiuscumque inscriptionis & argumenti opera, quocumque nomine nuncupata, Latino, Græco, Hebræo, aut quocumque alio etiam vulgari cuiuscumq; regionis sermone composita, tam manu scripta, quàm à quibuscumque impressoribus, & in quibuscumque locis, etiam nominatim prohibitis vel suspectis, seu etiam sine impressorum, & locorum, ac temporis titulo, ac absque locorum Ordinariorum, & hæreticæ prauitatis Inquisitorum, aut aliorum ad id deputatorum licentia & approbatione impressa, etiam ex professo contra nos, & pro tempore existentem Romanum Pontificem, & S.R.E. ac Sedem Apostolicã prædictam, compositа, & conscripta, ac etiam diuulgata, necnon hæreses & errores, seu reprobatas & damnatas disciplinas continentia, necnon impressorum & auctorum, aliorumque id genus hominum damnatorum memoriam, & nomina præferentia, tam per officiũ S. Romanæ & vniuersalis Inquisitionis, quam alias quomodocumque & qualitercũque, in genere vel in specie pro tempore prohibita in quibusuis mundi partibus, ad quas eos accedere contigerit, & potissimum in Alma Vrbe nostra, & Romana Curia, habere, tenere, legere absque aliquo conscientiæ scrupulo, & cuiuscumque suspicionis vel infamiæ, aut censurarum Ecclesiasticarum incursu, libere & licite possint & valeant. Ita quod in futurum nullatenus super retentione librorum, scripturarum, extractuum, explicationum, & commentariorum huiusmodi impediri, molestari, vel argui seu inquiri possint, plenam & liberam licentiam, facultatem, & auctoritatem concedimus & impartimur, ac desuper cum ejs indulgemus.

Prohibetque ceteris aliis, ne libros prohibitos teneant vel legant, etiam vigore cuiuscumque priuilegij, absque eorundem Card. Inquisit. licentia.

§. 3. Districtius inhibentes quibusuis aliis, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus personis etiam quacumque auctoritate, præcellentia, & dignitate fungentibus, etiam Cardinalatus honore præditis, ne eosdem libros, extractus, seu scripturas & commentaria huiusmodi, etiam vt præfertur specificata, quouis quæsito colore, etiam cuiusuis priuilegij, à nobis, & à prædecessoribus nostris, vel ab ipso Sanctæ Inquisitionis officio hactenus concessi prætextu, penes se retinere, aut tenere, legere, & explicare, absque Cardinalium prædictorum noua facultate & licentia, sub excommunicationis maioris, & latæ sententiæ pœna, quam eo ipso in his ferimus scriptis, ac aliis pœnis à constitutionibus ac sacris Canonibus inflictis, & in Indice huiusmodi contentis, audeant seu præsumant. Ac decernentes irritum, &c.

Facultatem eisdē Inquisit. concedit tales licentias dandi.

§. 4. Et nihilominus eisdem supranominatis Cardinalibus dilectis filiis nostris, quando eis, vel eorum maiori parti videbitur, si placuerit in plena congregatione tantum similem licentiam concedendi quibuscumque personis cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, & præeminentiæ existentibus, supradictos libros etiam cuiuscumque damnatæ lectionis tenen. haben. legen. & interpretandi, seu explicandi ad tempus, vel in perpetuum, & concessam reuocandi, similiter licentiam & facultatem concedimus, & impartimur de gratia speciali.

Clauſ. derog.

§. 5. Non obstantibus Lateranen. & quorumcumque Conciliorum ac aliis Apostolicis, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus & ordinationibus, statutis, &c. etiam iuramento roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis pro tempore existentibus Sanctæ Inquisitionis huiusmodi maioritus Inquisitoribus, & quibusuis etiam S.R.E. Cardinalibus, ceterisque ad dictum officium, in dicta Vrbe, & alibi deputatis, ac alias in genere, vel in specie, etiam cum censurarum & pœnarum incursu, aliisque decretis & clausulis sub quibuscumque tenoribus & formis, etiam Motu proprio, &c. seu etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet concessis, quibus omnibus etiam si de illis, &c. tenores, &c. hac vice latissime, specialiter & expresse derogamus, ac sufficienter derogatum esse decernimus, ceteris contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat Motu proprio. I.

Clausularum repetitio.

§. 6. Et de concessionibus, impartitionibus, indultis, inhibitione, singulis decretis, derogatione, declaratione, de, ac pro omnibus & singulis præmissis, vt supra latissime exten. Et cum opportuna si videbitur exequutorum deputatione, &c. etiam sub censuris, &c. cum potestate aggrauandi, &c. inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, & cum derogationibus, constitution. de vna, & de duabus dietis, non tamen vltra tres, ac prædictorum & quorumcumque aliorum quomodolibet contrariorum ad effectum, &c. latissime exten. & quod præsentis nostri Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio & extra, regula contraria non obstante, seu si videbitur literæ per breue nostrum cum præmissorum omnium & singulorum etiam qualitat. ac nominum, & cognominum consultorum

Digitized by Google

consultorum huiusmodi maiori & veriori specificatione, & expressione expediri possint.

D. P. Ann. 5. 27. Augusti. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum 6. Cal. Septemb. Anno 5.

LXXXIII. Cancellariæ criminales Status Ecclesiastici, ex causa vere onerosa aliis non concessæ, R. Cam. Apost. iterato applicantur. Et statuta pro Cancellariis præfiniuntur. Cum priuilegiorum concessione. Ac Thesaurarij & A. C. super illis & eorum causis, iurisdictione, & auctoritate.

Eamdem applicationem fecit Paul. IV. vt sup. in eius const. 10. Romanus.

Edita An. D. 1564. & 1565.

P I V S E P I S C O P V S,
Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. SVperna prouidentia, quæ cunctorum Christifidelium cœtum per diuersa Rectorum officia statuit in rectitudine gubernandum, Pontificalem ad hoc nobis supremam contulit dignitatem, vt præ ceteris per congruam executionem pastoralis officij, cuius ministerio numine afflante diuino, quamuis indigni præsidemus, cunctorum præsertim nobis & Sedis Apostolicæ subditorum, vtilitati & indemnitati salubriter consulamus, ac ne in ciuitatibus, terris, castris, & aliis eidem Sedi immediate subiectis locis Notariorum, & Tabellionum, seu Scribarum incuria, vel nimia indulgentia, aut impunitate, partium contrahentium & litigantium actus & instrumenta summo cum eorum detrimento depereant, aut falsitatis, immutationis, vel alterationis vitio subiaceant, sed ad omnium commoditatem illa debite diligenterque conseruentur illæsa, & proinde vt ius suum vnicuique intactum remaneat, opem, & operam efficaces impendamus.

Causa istius constit. §. 1. Cum itaque (sicut magno cum animi nostri mœrore accepimus) in quamplurimis Status nostri Ecclesiastici ciuitatibus, terris castris & locis, nulla fere aut rara admodum Archiuia, seu Regestra pro contractuum, instrumentorumque & actorum aliorum, necnon varij alterius generis publicarum scripturarum debita conseruatione sint instituta, & si quæ sint, ita incertis, vsu, & consuetudine deprauata reperiantur, vt qui illis præsunt Notarij, Tabelliones, & Scribæ, etiam actuarij, cum ipsi, vel ad tempus à locorum Communitatibus & vniuersitatibus, seu aliis superioribus, aut personis ad id se potestatem habere prætendentibus, ad Notariatuum officia exercenda sint electi, vel ex eo quod officia ipsa, à nobis vel prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu Camera Apostolica ipsis gratiose concessa sunt, exercitia suorum officiorum huiusmodi parui pendentes, illorumque amissionem, vel priuationem, seu quoduis alterius generis mulctæ, vel pœnæ nusquam metuentes, partes ipsas exhibendis instrumentis, quorum conseruationem ipsi prorsus negligunt, in forma probanti, ac solutionibus superinde faciendis pro eorum arbitrio vexare non vereantur, ac (quod peius esse videtur) ipsorumque quam plures præsertim in locis in quibus illorum electio & deputatio ad Communitates aut Vniuersitates, quas etiam circa officiorum damnorum datorum concessiones variis modis aberrare nobis plene constitit, spectat, literarum & artis notariatus rudes prorsus, & ignari, ac ad tale munus suscipiendum, & exequendum penitus inhabiles sint, in conficiendis instrumentis, & aliis actibus publicis, siue decretis, & declarationibus annotandis, infinitos committant errores & falsitates. Ac nulli reuisores, qui se de notariorum eorumdem idoneitate & sufficientia informent, ac de eis attestentur, existant, sed passim fauore, pretio, vel pactionibus, etiam super officiorum Notariatuum huiusmodi emolumentis, partim vero electores, partim vero iudices, & commissarios diuidendis & distribuendis coniunctim eligantur, ac propterea excessiuæ scripturarum taxæ, & exactiones, non minus iniuste, quam indebite extorqueantur, causæque in longum protrahantur, & quasi immortales efficiantur.

§. 2. Cumque institutio fel. rec. Pauli Papæ IV. prædecessoris nostri præmissis, ac forsan aliis tunc suadentibus causis moti, super officiis notariatuum huiusmodi in causis criminalibus status nostri prædicti, proinde quidem ac permaxime vtilium capitulorum editionem factam per Legatos & Vicelegatos, ac Gubernatores locorum ita negligantur, vt ipsi (nescitur qua ratione ducti) præter, & contra mentem & intentionem nostras, illa & capitulis huiusmodi omnino neglectis, Cancellarios, & Notarios pro eorum libito, in ciuitatibus, terris, castris, & locis sub eorum legationibus, seu guberniis comprehensis ponere, aliis amotis, aut si non amotis, in eorum officia, aut ea, quæ ad illa spectant se ingerere non formidant, quam ob causam plura etiam ad præsens in huiusmodi criminalibus notariatuum officia penes dictam Cameram non sine maximo eius detrimento vendenda remanent, in grauem diuinæ maiestatis offensam, partiumque contrahentium & litigantium præiudicium & grauamen, Notariorumque, Iudicum, & Commissariorum, necnon Communitatum, & Vniuersitatum, aliarumque personarum animarum periculum & iacturam, ac plurimorum scandalum.

Pauli IV. constitutio edita super istis Cancellariis male obseruatur. Eam habes sup. indictam in rub.

Ideo ab illo Pont. reuocantur omnes concessiones de eis factæ ex causa non onerosa.

§. 3. Nos igitur, quibus imminet talia ad meliorem & saniorem statum teducendi continua solicitudo, præmissis ne fiant in posterum, debitæ prouisionis nostræ adminiculo, quantum nobis ex alto conceditur obuiare, necnon animarum saluti, nostrorumque ciuitatum, terrarum, castrorum & locorum huiusmodi, ac eorum incolarum, præsertim litigantium & contrahentium statui, quieti, commoditati, securitati, ac salubriori directioni illorum regiminis consulere volentes, necnon quascumque prouisiones, concessiones, assignationes, & quasuis alias dispositiones de prædictis ciuilibus, & quæ tam coniunctim, quam separatim exerceri solent, & nondum vendita penes dictam Cameram existunt, criminalibus huiusmodi, & ratione scripturarum dumtaxat damnorum datorum officiis, ciuitatum, terrarum, castrorum, & locorum huiusmodi, etiamsi ad Legatorum, Communitatum, Vniuersitatum, & aliarum particularium personarum cuiuscumque dignitatis, præeminentiæ, & auctoritatis existentium, quouis modo pertineant, & illa per deputatos à Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus seu Potestatibus, vel aliis iustitiæ ministris hactenus exerceri solita sint, ac ad præsens exerceantur, quibusuis personis cuiuscumque status, gradus, & conditionis existentibus, per nos, aut quoscumque alios Rom. Pontifices prædecessores nostros, ac Sedem eamdem, ac etiam Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Potestates, ac alios Officiales, & personas huiusmodi, perpetuo, vel ad tempus, præterquam tamen ex causa onerosa, solutionis videlicet, & exbursationis pecuniarum factas, illarum omnium veriores tenores, datas, & decreta etiam irritantia in eis apposita, ac causas propter quas factæ & concessæ fuerunt, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, harum serie reuocantes, cassantes, & annullantes, ac reuocatas, cassatas, & annullatas, nulliusque roboris vel momenti existere, neminique suffragari, aut prodesse posse, seu debere decernentes. Ipsaque officia à quibusuis Communitatibus, Vniuersitatibus, legationibus, guberniis, etiam perpetuis, vel temporalibus, necnon Magistratibus, Potestatibus, & aliis Iudicibus & personis, penitus, & omnino perpetuo dismembrantes, & separantes, ac eadem officia Camerę præfatæ applicantes, & appropriantes, & ad illam in futurum perpetuo spectare declarantes & decernentes.

Pauli prædicti bulla confirmatur.

§. 4. Necnon Pauli prædecessoris huiusmodi super notariatuum in criminalibus officiis confectas literas, veriorem illarum tenorem, ac si de verbo ad verbum insertus foret, præsentibus pro expresso ac inserto habentes, Apostolica auctoritate etiam perpetuo confirmantes & approbantes, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera nostra deliberatione, Dilectum filium Donatum Matthæum Minalem, modernum & pro tempore existentem Thesaurarium nostrum generalem totius status nostri Ecclesiastici, & Cameræ huiusmodi Commissarium generalem, ad omnia & singula quarumcumque Legationum, ciuitatum, terrarum, & locorum totius status Ecclesiastici prædicti notariatuum in ciuilibus, & nondum vendita criminalia,

Digitized by Google

criminalia, necnon damnorum datorum officia, etiam si illa, per vnum vel duos, aut plures notarios exerceri consueuerint, ac sub quorumcumque S.R.E. Cardinalium, vel aliarum personarum legationibus, aut guberniis, perpetuis vel temporalibus, comprehensa sint, cum eorum scripturis, si quæ sint, necnon honoribus, oneribus, & emolumentis, cum capitulis infrascriptis, ac alias cum obligationibus, clausulis, cautelis, decretis, pactis, & conditionibus, ac pro pretio, seu pretiis dicto Thesaurario beneuisis in vtilitatem ipsius Cameræ conuertendis & applicandis ad vitam quibusuis personis, originariis vel forensibus, sibi beneuisis.

Thesaurario facultas eas alienandi conceditur.

§. 5. Ita quod liceat ipsi Thesaurario pro tempore existenti personas huiusmodi officia pro tempore ementes, in corporalem, realem, & actualem, omnium & singulorum officiorum emptorum huiusmodi possessionem, seu quasi inducere, inductosque defendere & manutenere, amotis exinde, etiam manu regia, appellatione postposita & cessante, quibusuis eorum detentoribus, quos nos etiam per præsentes amouemus, & amotos esse denunciamus.

Cancellarij, statim publici Notarij efficiuntur.

§. 6. Necnon personas officia huiusmodi pro tempore ementes, statim emptione, & illorum admissione factis, in notarios publicos & legales creamus, constituimus, & deputamus. Ita quod eis in posterum liceat quælibet instrumenta & scripturas, etiam ratione damnorum datorum huiusmodi, ac in ciuilibus & criminalibus causis respective, coniunctim vel separatim, & alias iuxta modum per prædictum Thesaurarium præscribendum, coram quocumque, siue quibuscumque iudicibus & personis, sæcularibus vel Ecclesiasticis quacumque potestate, vel etiam Cardinalatus honore, aut alias fulgen. & tam in iudicio quam extra scribere.

Thesaurarij facultas vendendi Cancellarias etiam originarijs, nō obstante bulla Pauli IV. sup. cit.

§. 7. Necnon officia in criminalibus huiusmodi nondum vendita, si dictus Thesaurarius illorum emolumentorum tenuitatem perspexerit, vna cum ciuilibus officiis, literis Pauli prædecessoris huiusmodi quoad hoc non obstantibus, personis, etiam locorum originariis, & incolis, vel forensibus, ac alias provt eidem Thesaurario melius videbitur, nomine eiusdem Cameræ, & in illius vtilitatem vendenda, concedenda, conferenda, & alienanda, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine constituimus, & deputamus.

Cameramque pro venditionibus huiusmodi obligandi.

§. 8. Eique Cameram ipsam, omniaque illius bona præmissorum occasione in ampliſſima forma eiusdem Cameræ obligandi, aliaque in præmissis & circa ea, necessaria ac opportuna faciendi, & exercendi, necnon detentores prædictos expellendi.

Cancellarias occupantes expellendi.

§. 9. Ac vnum vel plures Commissarium, seu Commissarios loco sui, cum simili aut limitata potestate, facultate, & auctoritate, ac alias, provt sibi videbitur, ad præmissa deputandi.

Dubia interpretandi & lites decidendi summarie, &c.

§. 10. Ac si quæ forsan super præmissis, omnibus & singulis, aut aliis illorum occasione per eorumdem officiorum emptores, aut Communitates, Vniuersitates, Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, aut alias personas dubitari contingeret, ac propterea iam forsan inter eos orta sint, & oriri in posterum contigerit lites, & dubia, illa interpretandi, & declarandi, ac summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu & figura iudicij, appellatione remota, decidendi, & terminandi, plenam, & liberam, ac omnimodam potestatem, facultatem, & auctoritatem damus, concedimus, & impartimur.

Prohibitio cæteris omnibus, de Cācellariis disponendi. Ad quod vide etiā mox infra.

§. 11. Districtius inhibentes quibusuis Communitatibus, Collegiis, & aliis particularibus personis, & pro tempore existentibus Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Potestatibus, Officialibus, Iudicibus, & Commissariis, quibuscumque potestate, auctoritate, facultatibus, priuilegiis, indultis, prærogatiuis, præeminentiis, & dignitatibus munitis, ne sub indignationis nostræ, ac excommunicationis latæ sententiæ, aliisque, quoad inferiores à Legatis, & Vicelegatis prædictis eiusdem Thesaurarij arbitrio moderandis, applicandis, & infligendis pœnis, quouis quæsito colore, ingenio, vel prætextu, audeant seu præsumant se vlterius in eisdem Notariatuum officiis, tàm per Cameram venditis, quàm deinceps vendendis, ac aliis præmissis, vel eorum interpretatione, ac originalibus scripturis officia huiusmodi ipsorumque Notariorum præiudicium concernentibus, per se seu eorum Cancellarios, seu Secretarios, aut scribas, vel alium, seu alios intromittere, aut de illis quomodolibet disponere, seu Notarios illa pro tempore ementes molestare, perturbare, vel impedire, aut contra eos procedere. Decernentes, & declarantes, detentores prædictos spoliatos esse, dici, & censeri, aut illis actionem spolij propterea competere, aut desuper agere.

Præsentis huiusmodi venditionem.

§. 12. Ac præsentes literas vllo vmquam tempore quouis quæsito colore, vel ingenio, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ defectu notari, argui, vel impugnari, seu restitutiones in integrum aduersus illas, per sic amotos, vel alios quoscumque impetrari, aut eos illis etiam motu simili contra vti, ipsasque præsentes ad viam iuris reduci, etiam enormissimæ læsionis, aut alio quouis prætextu nullatenus posse. Ac illas, & quascumque venditiones, alienationes, & concessiones de eisdem officiis per eumdem Thesaurarium, & Commissarios ab eo pro tempore deputatos, nomine eiusdem Cameræ faciendas, sub quibusuis reuocationibus, suspensionibus, alterationibus, vel limitationibus contrariis minime comprehendi, sed illas perpetuis futuris temporibus validas & efficaces fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & inuiolabiliter obseruari, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum etiam sub data posteriori per ipsum Thesaurarium, seu Commissarios, & emptores eligenda restitutas, & de nouo concessas esse, & censeri; necnon personas, quibus officia huiusmodi vendentur, & concedentur, si per Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Potestates, & alios Officiales prædictos pro tempore existentes modo aliquo molestari, vel impediri contigerit, Cameram ipsam ad ipsos defendendum, & manutenendum, ac alia præmissa omnino teneri.

Cācellaria per triennii proximū non vacent & vacātes à Thesaurario concedantur.

§. 13. Ac officia Notariatuum huiusmodi per triennium à data præsentium computandum, vacabilia non esse, neque censeri, sed dicto triennio elapso, singulorum officiorum prædictorum, quando per illa obtinentium resignationes vel obitus, seu quamcumque aliam dimissionem, vel admissionem, aut venditionem vacauerint, illa præcedentibus supplicationibus manu Romani Pontificis, aut in eius præsentia signandis, ac alias in omnibus & per omnia, provt in aliis Romanæ Curiæ officiis vacabilibus fieri consueuit, expediri debere. Necnon illa hac prima vice tantum per dictum Thesaurarium pro pretio reperibili vendi, ipsumque Thesaurarium literas patentes illarum concessionum, & assignationum desuper expedire, & concedere posse, ipsaque officia sub præsentibus comprehendi, & per eas Cameræ prædictæ applicata esse, & censeri.

Cum facultate rogandi quæcūque instrumēta & alia.

§. 14. Necnon personas illa pro tempore ementes facultatem instrumenta quæcumque rogandi, & scribendi, necnon actitandi, aliaque faciendi in quocumque, & quibuscumque Tribunalibus Gubernatorum, ac eiusdem Status Ecclesiastici Rotæ Auditorum, Ciuitatum, Communitatum, Potestatum, Commissariorum deputatorum, & deputandorum, & aliorum quorumcumque Officialium, & iustitiæ Ministrorum, ac in Curia, seu Curiis Mercatorum quorumlibet, ac coram quibuscumque officiis Bullectarum, Datiorum, Gabellarum, mercium, siue pecudum, ac damnorum datorum huiusmodi, tàm in causis ciuilibus, quàm criminalibus, siue mixtis iuxta modum per Thesaurarium huiusmodi in illorum officiorum concessionum patentibus literis præscribendum, & non alias habere.

Originarij & exteri eas consequi possint.

§. 15. Ac tam ciues, vel originarios, & incolas Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & locorum, in quibus officia huiusmodi instituta fuerint, quam extraneas personas officia ipsa emere posse.

Et ita & non aliter obseruetur.

§. 16. Et ita in præmissis, omnibus & singulis per quoscumque Iudices, & Commissarios, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, seu illorum Locatenentes, ac etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super iis à quoquam quauis

Digitized by Google

quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Cancellarij statuta Pauli IV. & istas ordinationes seruent.

§. 17. Volmus autem, quod personæ quibus officia huiusmodi concedentur, Notarij Curiales nuncupentur. Ipsique infrascripta, ac ea quæ in eiusdem Pauli prædecessoris literis continentur ordinationes, statuta, & capitula quæcumque, & præsertim ea quæ illorum sindicatum concernunt, omnino obseruare, librosque conficere, ac eorum instrumenta in protocolla debite redigere, sententias etiam, aliasque scripturas diligenter conseruare teneantur.

Alia in manualibus scribant.

§. 18. Quodque de cetero omnia acta, quæ in litibus, & causis fieri, & scribi contiget, non in forma processus, sed in libris, manualibus nuncupatis, scribere teneantur.

Taxas obseruent.

§. 19. Nec ratione tàm criminalium, quàm ciuilium officiorum huiusmodi, pro mercede plus- quam hodie capitur, capere possint; seruatis modo, & taxa in literis Pauli prædecessoris præfati circa huiusmodi officia criminalia præscriptis.

Indultis, & exceptionibus à Paulo IV. concessis perfruatur.

§. 20. Ipsisque omnibus, & singulis, priuilegiis, prærogatiuis, & exemptionibus Notariis criminalibus per literas Pauli prædecessoris huiusmodi concessis, quoad personas, & res ipsorum Notariorum, & eorum Substitutorum, ac familiæ vsum, & victum in Ciuitatibus, Terris, Castris, & locis prædictis, ac extra eas, per vniuersum Statum nostrum Ecclesiasticum prædictum vtantur, potiantur, & gaudeant.

Sed S.D.N. Paul.V exceptiones reuocauit in constit. 9.

Cõtributiones nemini dare debeant.

§. 21. Quodque partem aliquam suorum emolumentorum contribuere, aut aliquod onus, vel responsionem ratione suorum officiorum quibusuis Communitatibus, Collegiis, Legatis, Gubernatoribus, aliisue personis soluere minime teneantur, non obstante, quod alias contribuerint, seu soluerint aut onus aliquod habuerint, etiam ex causa onerosa, solutionis videlicet, & exburs ationis pecuniarum dictæ Cameræ tantum factæ, Sed eo casu certior factus Thesaurarius ipse, prius iis quorum interest de sorte principali quam soluerint, aut alia aliqua remuneratione, vel assignatione prouidere, & circa ea in prima dictorum officiorum venditione aduertere debeat, & teneatur. Sitque pro ea vice duntaxat merus iudex, ita vt ab eius sententiis, seu declarationibus, vel decretis, verbo vel in scriptis, etiam ad partium instantiam latis, & factis, appellari non liceat, auditis prius iis, quorum interest, quibus interea emptores præfati nihil soluere teneantur.

Auditor Cam. eorum iudex deputatur, & sine Thesaurario respectiue.

§. 22. Ac quod dicta Camera, & illius Curiæ causarum pro tempore existens generalis Auditor, & Thesaurarius, ac eorum quilibet in solidum, emptores eorumdem officiorum eorumque per eos emptorum officiorum huiusmodi substitutos in pacifica possessione manutenere debeat, ac facta venditione prædicta dictus Auditor Notariorum Curialium huiusmodi in omnibus causis, tàm ratione dictorum suorum officiorũ, quàm alias cõtra eos per quoscumque quomolibet pro tempore motis, merus iudex, & executor sit, esseque censeatur. Ita vt ipsi coram alio iudice, quouis prætextu vel causa, euocari seu trahi non possint, ac in eisdem litibus, & causis, quæ videlicet ratione personarum suarum inter eos, ac officiorum eorum contra quoscumque, idem Auditor manu regia sine strepitu & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, appellatione ab eius sententia remota, procedere possit, & debeat. Ita tamen quod pars, quæ grauata censebitur, parito iudicato, & refectis expensis, sententiæ reuisionem in Camera petere possit, & si damna aliqua per emptores Notarios huiusmodi, aut aliquem eorum passa, aut expensæ in eisdem litibus, & causis ratione dictorum eorum officiorum factæ fuerint, idem Auditor prout iustum ei videbitur, à partibus condemnatis, aut Camera prædictis de illis satisfieri facere procuret, & teneatur.

Prohibitio retineris officialibus desuper se intromittẽdi.

§. 23. Quodque Legati, & Vicelegati Prouinciarum, siue Ciuitatum, Castrorum, Terrarum, & locorum Gubernatores, Communitates & Collegia, Potestates, ac Commissarij, qui ad præsens administrant, aut administraturi sunt iustitiam, coram quibus Notarij, seu eorum Substituti, tàm ciuiles quam criminales in toto Statu Ecclesiastico pro tempore scribentes existunt, non possint, nec debeant. Notarios Curiales huiusmodi molestare, vexare, perturbare, seu quasi huiusmodi eorum officiorum, vel emolumentis, neque se eorum officiis aliquatenus ingerere, ad eaque officia alios Notarios quoquomodo intromittere, vel salaria eorum contra earumdem præsentium, ac Pauli Prædecessoris desuper confectarum literarum huiusmodi formam diminuere, nec dicta officia in affictum recipere, neque conductores aliquos proferre, sub pœna excommunicationis per contrafacientes eo ipso incurrenda, à qua nonnisi à prædicto Auditore Cameræ, ac refectis prius eiusdem Auditoris arbitrio damnis & interesse ipsorum Notariorum Curialium, & non alias absolui possint.

Cancellariarum concessiones rescindũtur, si Camera Apost. vltra dimidium læsa fit.

§. 24. Et si reperientur aliqua ex dictis officiis tàm ciuilibus, quàm criminalibus vendita, seu alias quibusuis personis quocumque titulo, tàm per nos, quam prædecessores nostros, aut Cam. Apost. præter & contra tàm earumdem præsentium nostrarum, quàm prædicti Pauli prædecessoris iam desuper confectarum literarum huiusmodi formam & tenorem quomodolibet alienata, si in alienatione huiusmodi dicta Camera vltra dimidium læsa fuisse reperiatur, tunc illorum emptoribus per Cameram ipsam prius restitutis pretiis, illa ab eodem Thesaurario de nouo vti vacantia vendantur. Illaque in omnibus, & per omnia sub præsentibus comprehendantur, & comprehensa omnino intelligantur.

Cancellarij eorum scripturas ad Archiuia deferre tenentur, sed eorum successoribus consignare. Vide formam traditã à Paulo 4. cit. in rub.

§. 25. Quodue in omnibus Ciuitatibus, Terris, & locis totius Status Ecclesiastici prædictis, etiam si in illis Archiuia aliqua, non tamen ex causa onerosa exbursationis videlicet pecuniarum eidem Cameræ factæ vt præfertur, instituta, etiam quibusuis facultatibus, & priuilegiis munita existant, Notarij ipsi Curiales diligentissime scripturas, & instrumenta suorum officiorum conseruent, ac ad illorum delationem ad Archiuia huiusmodi non teneantur, sed illa, occurrente eorumdem officiorum, siue per cessum, aut venditionem, siue per mortem, aut alias, vacatione, eicui à Sede Apostolica officia huiusmodi sic vacantia concedentur, assignari, & tradi debeant.

Cancellaria habentur pro Archiuiis vbi illa non sunt.

§. 26. Ipsique Notarij Curiales in Ciuitatibus, Terris, Castris, & locis huiusmodi in quibus nulla Archiuia existent, à reliquis Ciuitatum, Terrarum, Castrorum & locorum eorumdem non Curialibus Notariis pro Archiuio habeantur, ac illorum scripturarum custodes existant, nec tàm eas, quàm suas alias quauis de causa transportare valeant.

Officiales tenentur ad instantiam Cancellariorum, alios Notarios inquirere, & repertos inhabiles repellere.

§. 27. Ac Ciuitatum, Castrorum, Terrarum, & locorum, in quibus Notarij ipsi Curiales instituti fuerint, Gubernatores, seu iustitiæ administratores, eisdem Curialibus Notariis instantibus ceteros Notarios non Curiales iure vel priuilegio, aut facultatibus, instrumenta rogãdi suffultos de eorum priuilegiis, facultatibus, & iure huiusmodi inquirere, sibique suorum priuilegiorum, facultatum, & iuris patentes literas ostendi petere, & facere, ac eos quos habiles repererint, ad rogitus contractuum, & instrumentorum suscipiendos admittere, Alios vero minus habiles, etiam quantumuis idoneos, & sufficienti priuilegio munitos, repellere, eisque ne contractus, & instrumenta conficiant, aut se de eis rogent, inhibere possint, & cogant admissos huiusmodi Notarios ad instrumenta redigenda in libros, & protocolla, eisdem modo & forma, ac sub pœnis quæ in dicta constitutione Pauli IV. continentur. Quorum quidem Notariorum non Curialium inquisitio singulis saltem mensibus, & ad quamlibet ipsorum Curialium Notariorum instantiam, & aduersus inobedientes executio à Gubernatoribus, & iustitiæ ministris huiusmodi sine aliquo temporis interuallo fiat, ad hoc vt scripturæ publicæ suum effectum sortiantur, sub pœnis contra Gubernatores, alioque iustitiæ ministros, opem auxilumque suum in, supra, & infra notaris casibus denegantes præfato Auditori Cameræ beneuisis.

Notariorum decedentium scripturas, Cancellarij custodiunt si Archiuia non sint in loco illis.

§. 28. Quando autem in præfatis locis, vbi nullum est Archiuium quispiam Notarius non Curialis decesserit,

Digitized by Google

rit, aliquis ipsorum Curialium Notariorum cum Cancellario Vniuersitatis, seu Communit. si talis Vniuersit. vel Communitas Cancellarium habeat; sin minus cum alio, vbi scripturæ Notarij non Curialis defuncti reperirentur, se conferat, ac eas accipiat, & de illis inuentarium conficiat, quo confecto illud in libro penes se remansuro registret,& deinde illud Notarij defuncti hæredibus consignet, ac scripturas huiusmodi ad officium suum transportet, & simul cum aliis suis scripturis conseruet. Ac casu quo extrahendum aut dandum sit sumptum aliquod scripturarum, & instrumentorum Notarij defuncti huiusmodi, possit & debeat illud publicare tantamque mercedem recipere, quantam si rogatus de eodem sumpti instrumento fuisset, relictis tamen mercedis eiusdem tribus ex quatuor partibus hæredibus præfatis, & si dicti Notariis Curiales, dum infirmantur scripturas suas huiusmodi Notariis Curialibus cõsignare voluerint, teneantur Notarij Curiales huiusmodi eas recipere, & morte Notarij consignantis succedente, ordinem qui supra describitur, omnino sequi. Et circa hæc Gubernatores, ceterique iustitiæ ministri Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & locorum in quibus Notarij, non Curiales huiusmodi obierint, Notariorum defunctorum huiusmodi hæredes ad consignandum scripturas illorum, si quæ penes illos extiterint sub pœnis sibi beneuisis cogere,& compellere auxiliumque,fauorẽ, & operam efficaces desuper impendere debeant: quæ si recusauerint,à præfato Auditore Cameræ pœna eiusdem Auditoris arbitrio imponenda & applicanda,puniri possint. In locis autem vbi plures Notarij aderunt Curiales, occurrente obitu aliquorum Notariorum non Curialiũ, tunc is Notarius Curialis curam scripturarum defuncti habeat, qui ad hoc à ceteris sociis sorte extractus erit.

Causa inter plures Cancellarios per turnum à Mensario distribuantur, &c.

§. 29. Porro si in ciuitate aut Terra,vel loco alio, plures fuerint Notarij Curiales, nulli partium litigantium causam inchoare liceat coram eo Notario quem volet, etiam si causa, vel lis sit ordinaria, seu extraordinaria, aut commissionis,siue appellationis sed per turnum causæ omnes distribuantur inter Notarios prout in Alma Vrbe, ac inter Rotæ Notarios Almæ Vrbis nostræ fieri, & obseruari solet, videlicet qui voluerit committere causam, vel litem, aut eam inchoare de mandato Superioris, siue per viam libelli, siue alterius cuiusuis petitionis, seu appellationis, adibit Mensarium, qui quolibet mense sorte ab illis eligetur, & mutabitur ipse, librumque ad hunc effectum custodiet cum inscriptione nominum, & cognominum aliorum Notariorum collegarum suorum in eodem tribunali vbi pendebit causa, eaque nomina in bussula, ad hoc apta imbussulabit, & vnus illorum sorte extractus in illa causa Notarius esse censeatur. Idemque Mensarius in prædicto libro Notariorum extractum dictæ causæ faciet debitorem, cum descriptione tituli, & nuncupationis causæ, nominumque partium litigantium, & successiue in aliis pro tempore aduenientibus causis extrahatur vnus reliquorum Notariorum qui superfuerint in bussula, & sic de aliis donec turnus finitus fuerit, & eorum quisque causam aliquam habuerit, & super hoc turno etiam comprehendatur nomen Mensarij, finitoque turno iterum nomina omnium Notariorum in bussula ponantur, nominãque, & causæ modo quo supra extrahantur, & inter eos diuidantur, quo fiet vt donec extractio nominum à bussula facta fuerit, partes litigantes suæ causæ Notarium prorsus ignorabunt. Notario extracto, causaque per Mensarium Notario extracto assignata, penes ipsum remaneat, ac in ea scribat, nec in illa aliis Collegij Notariis licet in eodem tribunali in eadem causa scribere aut vllo modo se in ea immiscere. Ita vt Notarius, cui sorte causa obtigerit, etiam si illa non agitetur, se iterum imbussulare petere non possit, donec turnus ipse finiatur.

Mensarij extractio, & officium.

§. 30. Et similiter singulis primis diebus cuiuslibet mensis sorte extrahatur vnus Mensarius, cui libri Mensariatus consignabuntur, & computa causarum ad quos pertinebunt, cum bussula, aliisque nominibus quæ superemint. Et quia multis in locis plurium causarum principium sumitur, vel ex præcepto, vel monitorio Superiorum, aut à fugæ suspicionis mandato, in quibus solitum est apponi sigillum Iudicis, Volumus, ad hoc vt seruetur æqualitas in distributionibus causarum inter Curiales Notarios huiusmodi, quod sigillo ipso penes Iudicem remanente in euentum expeditionis præcepti,aut monitorij,vel mandati, antequam illa sigillentur, Notarius ex bussula extrahatur qui præceptum, seu monitorium, vel mandatum huiusmodi scribat,quo scripto,ipse ad Mensarium Notarium accedat,ac illo sigillari procuret.Et in locis in quibus ratione præceptorum,monitoriorum, & mandatorum huiusmodi nihil vltra sigillum soluitur, sigillo huiusmodi Mensario pro tempore existenti soluto, Mensarius ipse in fine mensis Superiori seu Iudici ad quem spectat sigilli emolum cotum,computum sigillorum datorum reddere teneatur. In locis vero in quibus sigillum huiusmodi gratis datur, Mensarius illius ratione nihil exigat. In locis autem in quibus eorumdem præcepti, monitorij, & mandati ratione partim pro sigillo, partim vero pro scriptura aliquid soluitur, Notarius scribens suam ratam retineat; ratam vero Iudicem, vel Superiorem eiusdem sigilli ratione tangentem, Mensario tunc existenti persoluat, ac Mensarius de similibus,vt supra,eidem Iudici, seu Superiori in fine cuiuslibet mensis computum reddere debeat, nec hoc ordine intelligatur confundi causa vnius tribunalis cum alio tribunali, sed cuiuslibet tribunalis Notarij Curiales pro tempore existentes, de per se suum turnum conficiant in diuisionibus causarum.

Cancellarij non se intromittant in scripturis Notariorum, vbi sunt Archiuia.

§. 31. In Ciuitatibus vero in quibus pro conseruatione scripturarum sunt Archiuia,& regestra,ac ordo publicus,nec de fraude, errore, ignorantia, aut scripturarum amissione dubitatur,Notarij Curiales præfati de aliorum non Curialium Notariorum scripturis,rogitibus,vel instrumentis minime se intromittant, nihil tamen recognitionis, vel alterius oneris Archiuio,aut matriculæ huiusmodi soluere, aut illis modo aliquo subiici, aut illorum legibus,& statutis parere minime teneantur. Prohibentes reliquis Notariis dicti Status nostri Ecclesiastici ne actum aliquem litis,seu illius dependentiæ, aut præsentationis monitorij,citationis,executionis, pacis,concordiæ,aut alterius rei vnde lis,seu iudicium inchoatur, vel deducitur,in ea Ciuitate in qua Notarij Cur. extiterint,scribere,recipere,seu de illis rogare præsumant.

Partes cogi non possunt ad extrahenda instrumenta.

§.32.Insuper quod nulla,vel Bononiæ vel alterius Ciuitatis,aut loci Archiuia,vel regestra consuetudinem cogendi partes etiam inuitas ad extrahenda à suis protocollis publica instrumenta,& acta,etiam multa necessitate requirente habentia, id deinceps facere, neque illorum Notarij,nec etiam ipsi Curiales & actuarij personam aliquam contra illius voluntatem ad extrahendum instrumenta non solum facta, sed etiam fienda cogere,aut alias contra illam desuper agere queant.

Arrham dãtes pro scripturis, ad solutionem earum cogi possunt.

§. 33. Præterea quoties litem aliquam, ac illius actus transportare contigerit, si arrha à partibus litigantibus Notario causæ data fuerit, Notarius ipse easdem partes pro rata quamlibet earum tangente, etiam si partes ipsæ actibus,& scripturis huiusmodi non amplius indigeant, ad solutionem scripturarum actorum prædictorum omnino cogere, & compellere possit.

Cancellarij Collegium in Rom. Curia erigere tenentur.

§. 34. Deinde quod omnes Notarij Curiales vnum Collegij, & congregationis corpus efficiant, ac vnum Collegium Romæ instituere, & qui ex Notariis ipsis Romæ præsentes fuerint, quolibet mense semel ad minus congregari, & de rebus officia prædicta concernentibus tractare, ac pro salubri illorum, & dicti Collegij conseruatione, & directione, quæcumque statuta, & ordinationes, licita tamen & honesta cum voto tamen, & assensu prædicti Auditoris Cameræ, quoties eis videbitur, condere, facere, statuere, & ordinare, illaque postquam condita, facta, statuta, & ordinata fuerint, pro eorum libito, ac temporum qualitate id exigente mutare, alterare, aut penitus cassare, & alia de nouo facere, statuere, condere, & ordinare. Necnon officia ipsa attentis singulorum valore & pretio, prout eis illorum conscientia dictauerit, taxare. Ita quod taxa facta singuli singulorum officiorum huiusmodi Notarij illam singulis annis eidem Collegio per illud iuxta prouidam illius ordinationem de illa disponendam persoluere teneantur.

§.35.

Digitized by Google

Taxa soluenda in admissionibus Cancellariorum.

§.35. Dummodo tamen taxa ipsa decem scuta auri non excedat, nec minor taxa vnius scuti similis existat. Præterea vacatione alicuius ex dictis officiis per cessum, vel decessum, aut aliter pro tempore occurrente, in admissionibus nouorum Notariorum eadem taxa, seu tam ea eidem Collegio de illa per illud, vt præfertur disponenda soluetur.

Cancellariorum Officia non confiscantur.

§. 36. Insuper officia prædicta exceptis læsæ Maiestatis, falsitatis, aut homicidij criminibus, ac seruata forma bullarum Pauli prædecessoris) huiusmodi ratione cuiusque alterius criminis confiscari, aut illa obtinentes eis priuari, vel cessiones, aut resignationes de illis pro tempore faciendæ impediri, aut quauis de causa differri non possint nec debeant.

Super eis Societates fiunt. Taxa compositionis soluenda in concessionibus Officiorum.

§. 37. Et super illis liceat inire Societates, prout in aliis Romanæ Curiæ officiis fieri solet.

§. 38. Et dum concedentur in posterum pro supplicationis expeditionis expeditione, & compositione (hac prima vice dumtaxat excepta) quinque scuta auri pro centenario ratione pretij venditionis officiis, vsque ad summam mille scutorum inclusiuè, à summa vero mille scutorum huiusmodi vsque ad aliam quamcumque duo scuta similia pro quolibet centenario, nostro, ac pro tempore existenti Rom. Pont. Datario soluatur.

Facultas illa resignandi.

§. 39. Et quoties Notarij Curiales præfati per se vel eorum procuratores officia resignabunt, aut iuri in illis, vel ad illa competenti in manibus nostris, ac pro tempore existentis Rom. Pont. cedent, Nos, ac pro tempore existens Rom. Pontifex huiusmodi resignationes, seu cessiones admittere, & in regestro solito registrari facere idemque Datarius datam paruam dare teneantur, secundum quam expediatur supplicatio quanto citius poterit.

Cancellariorum Collegij gaudet priuilegiis Archiuij Rom. Curia & aliis hic expressis.

§. 40. Quodque Notariorum Curialium Collegium huiusmodi, omnibus & singulis priuilegiis, facultatibus, prærogatiuis, & gratiis Collegio Archiuij Romanæ curiæ (sine tamen illius præiudicio) quomodolibet concessis, etiam quoad creationem Notariorum, aliaque id genus negotia vtatur, potiatur, & gaudeat, omnesque, & singuli Notarij Curiales statim vbi admissi, eorumque nomina in libro Collegij Curialium prædictorum descripta fuerint, Notarij Apostolici Curiales vt præfertur nuncupati, vere sint, & esse censeantur, ac pro talibus habeantur.

Officia per substitutos exercent.

§. 41. Quodque Notarij Curiales sua officia huiusmodi per se vel alium seu alios, fideles scilicet & sufficientes Substitutos. Notarios tamen publicos Apostolica auctoritate creatos, ac habiles, & idoneos, & à prædicto Notariorum Curialium Romæ instituendo Collegio approbatos, quodque in eodem Collegio cautionem idoneam de probe, & legaliter exercendo, ac se syndicatui submittendo, aliaque agendo iuxta formam literarum Pauli prædecessoris huiusmodi.

Instrumentaque vbique rogant.

§. 42. Necnon quæcumque instrumenta vbicumque locorum rogare, & tales Substituti illa (patronis eorum à Ciuitatibus, Terris, Castris & locis in quibus eorum Notariatus officia instituta fuerint, absentibus) publicare, & subscribere possint. Decernentes huiusmodi instrumenta, tam Romæ, quàm alibi vbicumque locorum, plenam, & indubitatam fidem facere, nec de illorum validitate aliquo vmquam tempore dubitari posse.

Collegium habeat sigillū & nemini subiaceat.

§. 43. Ac quod liceat eidem Collegio habere sigillum, & sub illo legalitates, aliaque huiusmodi expedire, prout in aliis eiusdem Rom. Curiæ Collegiis obseruatur. Quodque Notarij ipsi Curiales in Ciuitatibus, Terris Castris, & locis dicti Status nostri Ecclesiast. in quibus plures sunt Notarij, alia Collegia à Romano Collegio tamen dependentia, cum simili sigillo, & quæ ab omni alio Collegio, Societate, & matricula aliorum Notariorum, atque Doctorum liberi, & exempti, nullusque superioritatem in illos eorumque Notarios, exercere possit similiter facere, & instituere possint.

Executoresq; sint expeditionum Rom. Curia, etiam priuatim quoad alios, Hoc non seruatur.

§. 44. Porro quod Notarij Curiales huiusmodi in quibuscumque Prouinciis, Ciuitatibus, Terris, Castris, & locis dicti Status nostri Ecclesiastici, vbi resederint, sint executores, ad eosque pertineant præsentatio, & intimatio, & executio videlicet Rom. Curiæ expeditionum, veluti literarum in forma breuis, monitoriorum, citationum, inhibitionum, brachij sæcularis, & cuiuscumque generis executionum, illuc à Romanis Iudicibus, ac Vrbe præfecta pro tempore transmissorum, nec ibi præter ipsos alius rogare, vel scribere, nec alij intimationes supradictorum facere possint, aliàs intimationes, & rogitus huiusmodi nullius sint roboris vel momenti, & illis fides nullatenus adhibeatur.

Gubernat. nō amorent cognitionem causas in eorum præiudicium.

§. 45. Neque Legati, Vicelegati, aliue Superiores, & iustitiæ ministri causas, tàm criminales, quàm ciuiles, coram Iudicibus inferioribus inchoatas, & acceptas ab illis, in Notariorum Curialium, & capitulorum huiusmodi præiudicium euocari, vel alias ab eis amouere, præterquam in capitalibus causis, quo casu id (seruatis tamen Curialium Notariorum huiusmodi emolumentis, aq sine iliorum præiudicio) fieri possit.

Clausula præservatiua.

§. 46. Decernentes præmissa, omnia & singula nullo vmquam tempore quouis quæsito colore vel ingenio, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ defectu, notari, vel impugnari posse, sed illa semper valida, & efficacia fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & inuiolabiliter obseruari, ac Notariis, Curialibus, illorumque Collegiis prædictis, in omnibus & per omnia suffragari, ac vt præfertur, iudicari, & definiri debere.

Clausula derogatoria.

§. 47. Non obstantibus præmissis, ac nostra de non tollendo iure quæsito, non tamen ex causa onerosa prædicta proueniente, & aliis quibusuis Apostolicis, necnon in Prouincialibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, ac Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, ac locorum huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusuis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Potestatibus, & aliis personis de huiusmodi officiis quomodolibet etiam ex causa onerosa eisdem Prouinciis Ciuitatibus, Terris, & locis ac personis per quoscumque Rom. Pont. & Cameram ipsam, etiam Nos, & prætextu donationis, concessionis, & aliarum dispensationum etiam motu, & scientia similibus, ac alias concessis, approbatis, & innouatis, quas & quæ illorum omnium vim, & effectum, datas, tenores pro expressis habentes, ad effectum præmissorum reuocamus, irritamus, & annullamus illisque specialiter, & expresse derogamus.

Auditor Cam. executor deputatur.

§. 48. Et insuper pro præmissorum omnium conseruatione præfatum Auditorem Cameræ in conseruatorem, & executorem præsentis nostræ intentionis, ac omnium, & singulorum in ea contentorum specialiter, & expresse facimus, cōstituimus, & deputamus. Volentes quod præsentium transumptis etiam impressis sigillo, & manu alicuius Prælati munitis, talis & tanta fides adhibeatur, qualis & quāta præsentibus adhiberetur, si illę in medio originaliter exhiberentur, vel ostenderentur, Aut si aliquibus communiter, vēl diuisim à prædicta sit Sede indultū, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressā ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionē, & quibuslibet aliis dictæ Sedis indultis, generalibus, vel specialibus quorumcumque tenorum existant per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in eisdem literis mentio specialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo, &c.

Dat. P. A. 5. die 6. Octob.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1564. Pridie Non. Octobris, Pontificatus nostri Anno quinto.

Sequitur facultas Thesaurarij Papæ, locandi & disponendi de dictis Cancellariis.

Edita An. D. 1565.

PIVS PAPA QVARTVS
Motu proprio, &c.

Exordium.

COntinua mentem nostram solicitudo vexare non cessat, vt circa ea quæ pro nostrorum, & Sedis Apostolicæ subditorum vtilitate, illorumque, necnō Ciuitatum, Terrarum, & locorum nostri Status Ecclesiastici,

Digitized by Google

ſtici, proſpera ſalubrique directione, à nobis emanarunt, ita prouide attendamus quod per ampliationem facultatum perſonarum deſuper deputatarum, ac aliis viis opportunis illorum debita executio ſuum felcem celeremque conſequantur effectum.

Hic Pont. edidit conſt. de qua hic.

§. 1. Cum itaque nos nuper, &c.

Qmittitur reſiduum narrationæ, quia ipſa bulla quæ prætedit.

Et modo dat facultatem Theſaurario dictas Cancellarias locandi.

§. 2. Et ſicut accepimus idem Theſaurarius ad venditionem, & conceſſionem ſingulorum officiorum huiuſmodi certis ſuperuenientibus legitimis cauſis, ita prompte citra graue dictæ Cameræ damnum, & præiudicium procedere nequeat, idcirco nos eiuſdem Cameræ indemnitati quantum in nobis eſt cõſulere, & ſi non venditionis, ſaltem alia non minus ipſi Cameræ commoda atque vtili via de ipſis officiis diſponere, ac alia quæ per nos in dictis literis deſuper ſtatuta ſunt, & ordinata executioni debitæ demandare volentes, literarumque prædictarum veriores tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro expreſſis habentes, præfato Donato Matthæo Minali moderno, & pro tempore exiſtenti Theſaurario noſtro generali huiuſmodi, vt vltra eas quas literarum earumdem vigore, tàm circa officiorum huiuſmodi, diſpoſitionem, quàm alia in literis ipſis contenta quæcumque debite exequenda ſibi conceſſimus facultates etiã omnia & ſingula, tàm ciuilium & criminalium, quàm quoad ſcripturas dumtaxat damnorũ datorũ, Notariatuum, & officia huiuſmodi, in toto vel in parte ac alias prout ſibi commodius eidemque Cameræ vtilius facere videbitur, cum omnibus illorũ ſcripturis, libris, Protocollis & inſtrumẽtis, ſi quæ habeant, necnõ honoribus, oneribus, & emolumentis, vni ſeu pluribus perſonis, Ciuitatibus, Terrarum, & locorum prædictorum, originariis vel forenſibus, ad tempus per eum præfigendum, & determinandum, pro pretio ſeu pretiis reperibilibus, ac cũ pactis, & conditionibus, ac alias modis, & formis prout eidem Donato Matthæo moderno, ac pro tempore exiſtenti Theſaurario huiuſmodi melius videbitur Cameræ prædictæ nomine, ac in illius vtilitatem, & commodum arrendare, locare, ſeu ad firmam, vel aliam reſponſionem annuam, ſeu menſtruam concedere. Ac pretium ſeu firmam, vel aliam reſponſionem huiuſmodi, etiam vnico contextu, & anticipata ſolutione recipere, & habere aut recipi, & haberi, ac de receptis, & habitis Arrẽdatarios, & ſoluentes quoſcumque quietare, & liberare, ſeu quietari & liberari facere, necnon quæcumque obligationes etiã dictæ Cameræ bonorũ quorumcumque, ac promiſſiones, actus & inſtrumenta deſuper neceſſaria ac in eorumdem arrendatariorum fauorem, & cautelam tendentia facere aliqua opportuna circa ea exequi. Necnon perſonæ ſeu perſonis cui vel quibus officia ipſa, in toto vel parte, vt præfertur arrẽdata fuerint, vt officia ipſa per quemcumque ſeu quoſcumque Subſtitutos, idoneos & habiles, ac in artis Notariatus huiuſmodi peritos, & Notarios, præſtita tamen de Subſtitutorum eorumdẽ fide, & legalitate idonea, & ſufficienti cautione arbitrio dicti Theſaurij exercere ſeu illa ſublocare libere, & licite valeant, ſcientia, poteſtate, ac auctoritate ſimilibus concedimus, & indulgemus, eiſque liberam amplam, & omnimodam deſuper facultatem, poteſtatem, & auctoritatem damus, concedimus, & impartimur.

Cancellarij prædicti, & Notarij Epiſcoporum, ſeipſos nõ impediant.

§. 3. Diſtrictius inhibentes tam officia præfata emptionis, & venditionis, ac arrendamenti ſeu locationis titulo pro tempore obtinentibus, & exercentibus, quam Curiarum Epiſcoporum Notariis quibuſcumque ne ſub excõmunicationis latæ ſententiæ, ac ducentorum ducatorum per quemliber contrauenientium qualibet vice incurrẽ. & eidem Cam. Apoſt. applican. pœnis ipſi in ciuilibus, & profanis tàm ordinariis, quàm com. vti ad Curiales, illi vero in ſpiritualibus cauſis, vti ad Curiarum Epiſcopalium Notarios huiuſmodi; dumtaxat ſpectan. ſcribere actitare ſeu ſe alias de illis reſpectiue in alterius præiudicium intromittere quouis prætextu ſeu quæſito colore, aut ingenio, directe vel indirecte audeant, ſeu præſumant.

Camerarius & Clerici cõtra eius cum ſolitis obligationibus deſuper iuri curet.

§. 4. Ac mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub noſtræ indignationis pœna dilectis filiis noſtro Vitellotio Sanctæ Mariæ in Via lata Diacono Cardinali Vitellotio nuncupato, moderno ac pro tempore exiſtenti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, necnon dictæ Cameræ Theſaurario Clericis Præſidentibus, & perſonis, ac quibuſuis aliis ad quos id quomodolibet ſpectat, & ſpectabit in futurum, quatenus præſentem noſtram Motus proprij cedulam, necnon arrendamenta, locationes, & cõceſſiones de dictis officiis eorumque ſcripturis reſpectiue, ac de ſuper inter eumdem Theſaurarium, ac quoſcumque eorumdem officiorum, & ſcripturarum reſpectiue arrendatarios, & affictuarios pro tempore interuenientia pacta, conuentiones, & capitula in dicta Camera recipiant, & admittant, illaque in eiuſdem Cameræ libris, & protocollis regiſtrari, deſcribi, & annotari, ac deſuper neceſſaria contractus, & inſtrumenta, cum debitis, ac ſolitis clauſulis, cautelis & obligationibus fieri, confici & ſtipulari faciant, literaſque patentes & mandata opportuna arrendatariis, ac aliis quibus opus fuerit dent, tradant, & exhibeant realiter, & cum effectu.

Clauſula præſeruatiua.

§. 5. Necnon decernentes arrendamenta, locationes, & conceſſiones, ac ſcripturas & inſtrumenta deſuper pro tempore facta valida, & efficacia fore, nec ob intentionis, ſeu voluntatis noſtræ, aut alium quempiam defectum ſubreptionis, aut nullitatis vitio ſubiacere poſſe.

Clauſula ſublata.

§. 6. Sicque per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, ſublata, &c. iudicari & definiri debere, ac irritum, &c. attentari.

Derogatio cõtrariorum.

§. 7. Non obſtantibus noſtris per quas inter alia voluimus, res, prouentus, iura & obuentiones dictæ Cameræ non niſi licitatione præuia cuiquam locari, arrendari, vel concedi non poſſe neque debere, ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis quibuſuis, &c. etiam Motu proprio, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis & innouatis, quibus omnibus illorum veriores tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Sola ſignatura ſufficit.

§. 8. Volumus autem quod præſentis noſtri Motus proprij ſola ſignatura ſufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio & extra, quacumque regula, ſeu conſtitutione Apoſtolica contraria non obſtante.

Prop. ſui ſcr.

Placet Motu proprio I.

Admiſſio in Camera.

Die 28. Maij 1565. admiſſa hac hac eſt cedula Motus proprij ex decreto Camera, & regiſtrata libro ſecundo ſignaturarum, S. D. N. Papa apud me Notarium fol. 83. Hier. de Tarano.

Reintegratio priuilegiorum, ac facultatis quærendi eleemoſynas pro Archihoſpitali S. Spiritus in Saxia de Vrbe. LXXXIV.

Alia de iſto Archihoſpitali plene ſcripſi apud conſt. 7. Innoc. III. Inter. *ſup. fol. 84.*

Edita An. D 1564.

PIVS PAPA QARTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

CVm Magiſtrum illum cœleſtem, & Dominum noſtrum, quamdiu ſub mortalitatis noſtræ exuuiis in hoc mundo peregrinatus eſt, pauperum infirmorum curam non ſolum per ſeipſum aſſidue geſſiſſe, ſed etiam illam nobis in diſcipulis ſuis diligenter demandaſſe recordamur, neceſſariæ Hoſpitalium in quibus infirmos quotidie cum maxima charitate recipi, & ſolicite curari cognouimus, ſubuentioni, & miſerabilium perſonarum in eis degentium conſolationi de eſſe non poſſumus. Vnde maiorem aliquorum neceſſitatem cognoſcentes, rametſi ſpirituales indulgentias, & alias gratias eis aliiſque ſimilibus piis locis per Sedem Apoſt. olim conceſſas, generaliter certis rationabilibus de cauſis reuocãdas duxerimus, maiori tamen & vrgentiori nonullorũ neceſſitate proſpecta, ſimiliter ex cauſis non minus conprobandis, illa aduerſus reuocationes huiuſmodi aliquãdo reſtituenda cenſemus, vt quod ipſi perſonaliter præſtare

Digitized by Google

ſtare nequimus, ad id fideles ipſos exequendum ſpiritualibus muneribus inuitemus.

Hic Pont. reuocauit indultum diſpẽſandi ſuper impedimentis matrimonialibus, & irregularitatibus, vt ſup. in eius conſt. 62. De commiſſo.

§. 1. Sane cum retroactis annis, priuilegia, indulgentias, facultates etiam diſpenſandi ſuper impedimentis matrimonialibus, & aliis quibuſcumque defectibus, ac ſuper irregularitatibus, necnon abſoluendi, & alias gratias variis Eccleſiis, & tàm noſtro S. Spiritus in Saxia de Vrbe Ordinis S. Auguſtini, quã certis aliis Hoſpitalibus, & piis locis per diuerſos Rom. Põt. prędeceſſores noſtros, ea etiam per nos, & Sedem prædictam varie conceſſa pluries limitauerimus, & reſtrinxerimus, & declarauerimus. Ac poſtremo ex certis tunc expreſſis cauſis, per noſtras ſub Dat. 13. Kalen. Octob. Pontificatus noſtri Anno III. deſuper expeditas literas, Motu proprio reuocauerimus & caſſauerimus & annullauerimus, diſtrictius inhibentes eorumdem Hoſpitalium, & aliorum piorum locorum Præceptoribus, Superioribus, & perſonis, etiam ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ne de cetero indulgentiis, conceſſionibus, facultatibus, priuilegiis, indultis, & aliis gratiis huiuſmodi, vti, ſeu ſe de illis intromittere quoquomodo præſumerent. Ac decernentes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper hiis à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari, prout in dictis literis plenius continetur.

Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 9. ſtatuit quæſtores. eleemoſynarum aboleri, indulgentiaſque per Ordinarios certo modo publicari.

§. 2. Ac in Concilio Tridentino ſtatutum ſit, vt quæſtores eleemoſynarum, eorumque nomen, & vſus deinceps in quibuſcumque Chriſtianæ Religionis locis penitus aboleantur, nec quæſtores ad officium quæſtarum huiuſmodi exercendum vlterius admittantur. Et nihilominus, indulgentias, & alias ſpirituales gratias, quibus non ideo Concilium ipſum Chriſti fideles priuandos eſſe cenſuit, in poſterum per Ordinarios locorum adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus, populo publicandas eſſe decreuit; Dans illis facultatem etiam eleemoſynas huiuſmodi, atque oblata ſibi charitatis ſubſidia nulla prorſus mercede accepta, fideliter colligendi, vt tandem omnes vere intelligant cœleſtes hos Eccleſiæ theſauros, non ad quæſtum, ſed ad pietatem exerceri.

Hic idem Põt. pro ſubuentione huius Hoſpitalis, vbi diuerſa pia opera exercentur, innouat omnes eius indulgentias, & priuilegia Conc. Trid. non cõtraria, pro d. Hoſpitali tantum, eiuſque membris à generali Præceptore ſpecificandis.

§. 3. Nos præfati Hoſpitalis noſtri, ad quod non ſolum magnus pauperum infirmorum ex omnibus Chriſtiani Orbis nationibus Romam venientium quotidie fit concurſus ſed etiam in quo non paruus vtriuſque ſexus infantium expoſitorum numerus habetur, alitur, & inſtruitur ipſæque pauperes puellæ nubiles, induſtriis viris matrimonio copulantur, & alia pietatis opera diligenter exercentur. Vt tot tantiſque ſumptibus ad id neceſſariis, ſufficere valeat ſubuentioni, quantum nobis ex alto permittitur conſulere cupientes, ac omnia, & ſingula priuilegia, indulgentias etiam plenarias, facultates, indulta, & alias gratias, eidem Hoſpitali eiuſque Præceptori, mẽbris, & perſonis per quoſcumque Rom. Pont. prædeceſſores noſtros, ac nos, & Sedem prædictam hactenus quomodolibet conceſſas, literarumque deſuper confectarum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, eadem priuilegia, indulgentias, etiam plenarias, & alias facultates, indulta, aliaſque gratias, quæ præfato Concilij decreto minimè aduerſantur, ſed illi commode coaptari poterunt, ad hoc dumtaxat, vt illis, omnibus & ſingulis, idem Hoſpitale, & eius membra ad id per dilectum filium Bernardinum Cyrillum de Aquila modernum, & pro tempore exiſtentem Præceptorem dicti Hoſpitalis, ad eius beneplacitum in ſcriptis deſignanda, & ſpecificanda, iuxta ipſius decreti Conciliaris formam, & tenorem vbilibet gentium vti, frui, & gaudere; ipſique fideles, indulgentias, & alias gratias in eis contentas conſequi libere, licite valeant, inteomnibus & per omnia, perinde, ac ſi reuocatio, ac deſuper expediræ literæ noſtræ prædictę nõ emanaſſent, Hoſpitali, eiuſque Præceptori, & perſonis præfatis in perpetuum, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium quatenus ſint in vſu, & dummodo decretis Concilij huiuſmodi non repugnent, vel præiudicent.

Formam eleemoſynas colligendi apponit.

§. 4. Quodque publicatio locorum adhibitis duobus de Capitulo temporibus debitis fieri debeat, qui & eleemoſynas, aliaque oblata ſibi charitatis ſubſidia, nulla prorſus mercede accepta fideliter colligi, & ad effectum præmiſsũ conſignari debęant, reſtituimus, ac de nouo concedimus, & elargimur, ac idem Hoſpitale aduerſus literas noſtras huiuſmodi quoad præmiſſa, in priſtinum, & eum in quo ante dictam reuocationem erat, ſtatum reponimus, & plenarie reintegramus. Ac priuilegia, indulgentias, facultates, indulta, & alias gratias huiuſmodi dicto Hoſpitali reſtituta, & de nouo conceſſa, Hoſpitaleque aduerſus reuocationem noſtram huiuſmodi plene reintegratum eſſe, & cenſeri.

Clauſula ſublata.

§. 5. Et ſic per quoſcumque locorum Ordinarios, & alios Iudices, & Commiſſarios, quauis auctoritate fungẽtes, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari & definiri debere. Ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Clauſula derogatoria.

§. 6. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis Apoſtolicis, necnon in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus, conſtitutionibus, & ordinationibus, ac omnibus illis, quæ in literis in ipſius Hoſpitalis fauorem expeditis prædictis, non obſtare conceſſum fuit, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

D. P. Ann. 5. die 11. Octob.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 11. Octobris, 1564. Pontificatus noſtri Anno quinto.

LXXXV.

Prohibitio confidentiarum beneficialium, & reſeruatio diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ, quorumcumque Beneficiorum in confidentiam receptorum, cum pœnarum inflictione in huiuſmodi criminis reos.

Confidentiæ cognoſcendi regulas, ac præſumptiones, teſteſque in cauſis confidentiæ recipiendos, declarauit inf. Pius V. in conſt. 85. Intolerabilis. *Et facultates Iudicis eiuſmodi cauſarum confidentiæ, & ſimoniæ in Romana Curia habes inf. in Sixt. V. conſt.* 47. Diuina *Et quoad confidentias in Regno Franciæ, vide eiuſdem Sixti conſt.* 61. Paſtoralis.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Edita An. D. 1564.

Exordium.

ROmanum Pontificem in excelſa militantis Eccleſiæ ſpecula conſtitutum, vigiles mentis oculos non ſolum in abſentium extendere, ſed potiſſimum in præſentium domeſticorumque fratrum, & filiorum ſuorum mores diligenter perſcrutandos, aliquando reflectere, ac eos, præſertim quos in Apoſtolicæ ſolicitudinis partem euocauit Altiſſimus, nedum ab omni pactionis illicitæ contagione, verum etiam ab eius omnimoda ſuſpicione vacuos, & immunes conſeruare decet, vt qui ceteros illuſtris officij ſublimitate antecellunt, eoſdem priſca etiam illa morum integritate præſtare dignoſcantur.

Cauſa huius conſtit.

§. 1. Sane licet dudum, cum certam ſimoniacę prauitatis ſpeciem, quam beneficiorum confidentiam vocant, etiam Romanæ Curiæ atque adeo in ſacrum venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegium, quaſi per cuniculos irrepſiſſe, ac nonnullos ex ipſis fratribus, nimia quadam facilitate ſeu potius importunis amicorum familiariumque precibus adductos, beneficia Eccleſiaſtica in confidentiam huiuſmodi recepiſſe, & frequenter recipere intelleximus hanc illicitam beneficentiæ exercendæ, ſeu amicitiæ colendæ viam à tanto ſaltem Collegio prorſus eliminare cupientes eoſdem fratres in Conſiſtorio noſtro ſecreto, non ſemel admonuerimus, huic aliena beneficia cuſtodiendi modo ne aſſueſcerent, ne ve illa hoc pacto reciperent, vtque ſic recepta dimitterent, nihilominus nuper ad aures noſtras peruenit eorum aliquos, monitionis noſtræ immo potius ſuimet oblitos, ea quæ cuſtodienda acceperant beneficia, nondum tamen dimiſiſſe. Et inſuper illos, & nonnullos alios, etiam Patriarchas, & Archiepiſcopos, & alios Epiſcopos, ac etiam Cam. Apoſt. Clericos, Eccleſias, Monaſteria, dignitates, & alia beneficia huiuſmodi, in ſui fauorem reſignata, ceſſa, vel alias admiſſa, acceptaſſe,

Digitized by Google

se, aut de illis, per obitum vel alias vacantibus, à nobis, & prædecessoribus nostris, seu etiam ab Ordinariis, & aliis inferioribus collatoribus, etiam ad patronorum præsentationem, ad alterius commodum sibi prouideri obtinuisse, illaque, ac etiam alia aliter vacantia sibi in titulum, commendam, vel administrationem, aut alias dicta auctoritate concessa, quandoque in resignantium, vel cedentium, seu etiam aliorum fauorem cessisse, vel alias dimisisse. Ac sibi propterea pensiones annuas, ac fructus, redditus, & prouentus Ecclesiarum, Monasteriorum, dignitatum, & aliorum beneficiorum huiusmodi, in toto, vel in parte, etiam aliquando cum facultate illas, & illos transferendi, ac etiam collationem, prouisionem præsentationé, & aliam dispositionem beneficiorum Ecclesiasticorum ad earumdem Ecclesiarum, Monasteriorum, & dignitatum Prælatos pro tempore existentes, ac alios huiusmodi beneficia pro tempore obtinentes pertinentium necnon regressus, siue accessus, & ingressus ad Ecclesias, etiam Cathedrales, Monasteria, ac alia diuersa beneficia Ecclesiastica, sibi reseruari procurasse, & obtinuisse, ad hoc videlicet, vt confidentes sic decimarum Apostolicarum, vel communis dicti Collegij, & annatæ, aliorumque iurium dictæ Cameræ debitorum, solutionem eludant, integrisque beneficiorum, etiam in mensibus Apostolicis vacantium, aut alias dispositioni Sedis Apostolicæ generaliter reseruatorum collationibus, ac interdum, vt beneficia ipsa, tempore procedente, in aliquorum, tunc forsan de iure inhabilium, & incapacium, vel nondum adhuc natorum fauorem, cedantur seu resignentur, vel vt personæ inhabiles, & incapaces huiusmodi, etiam laici, pensionibus, ac fructibus, redditibus, & prouentibus Ecclesiasticis fruantur, & gaudeant, seu potius illis, & facultate transferendi prædicta abutantur, in animarum suarum periculum, & pernicioſum exemplum.

Beneficia in confidentia recepta à die receptualis vacasse, hic Pont. decernit, & Sedi Apost. reseruat.

§. 2. Quare nos hanc Cardinalium eorumdem in monitionibus nostris parendo incuriam, & tàm illorum, quàm ceterorum Prælatorum, etiam clericorum, ac aliorum quorumcumque indignam fallaciam, conniuentibus oculis diutius minime dissimulandam, sed huic errori, ne radices altius agat, occurrendum tandem esse censentes. Et quoniam hanc ipsorum, qui monitioni nostræ non parentes, beneficia huiusmodi in confidentiam, vt præfertur, retinuerunt, & fructus ex eis indebite, vel percipiendo, vel per alios nomine suo, etiam per simulatas illorum locationes, & fictas de receptis quietantias, ac donationes, & remissiones percipi sinendo, grauiter excesserũt Cardinalium metam, potius ex immoderata erga suos indulgentia, quam aliquo præceptorum nostrorum spretu processisse facile reputamus. Idcirco omnes & singulas Ecclesias, etiam Metropolitanas, & alias Cathedrales, ac Monasteria, etiam consistorialia, prioratus, præposituras, prepositatus, dignitates etiam maiores, & principales, etiam conuentuales, personatus, administrationes, & officia, ceteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sinecura, sæcularia, & quorumuis Ordinum, regularia, etiam de iurepatronatus, etiam laicorum, etiam nobilium, & illustrium, etiam ex fundatione, & dotatione existentia, per eiusdem Rom. Ecclesiæ etiam Episc. Card. & quoscumque alios, etiam Patriarchas, Archiepiscopos, & alios Episcopos, ac etiam eiusdem Cameræ Clericos, in titulum, commendam, vel administrationem, aut alias, in huiusmodi confidentiam iure prohibitam cuiusuis personæ, vt præfertur, contemplatione vel intuitu, quouis modo recepta, illorum liberam collationé, & dispositionē nobis & Sedi Apost. harum serie reseruantes, ipso iure à die receptionis eorumdem vacauisse, & vacare. Ac fructuum, & pensionum reseruationes, ac facultates transferendi, & collationis beneficiorum concessiones, eis, vt præmittitur factas ac regressus, siue accessus, & ingressus concessos huiusmodi cessasse, & cessare, ac extinctos esse.

Huic reseruationi derogauit quoad Regnum Francia Sixtus V. in rubr. cap. 1.

Reuocatque à d. Cam. apost. applicas.

Immo in Regno Galliæ in vsum & in reparationem Ecclesiarum conuert. iussit Sixt. V. ibid.

§. 3. Et eosdem Card. seu quosuis alios, à prima die receptionis beneficiorum huiusmodi, citra fructus, redditus, & prouentus earumdem Ecclesiarum, Monasteriorum dignitatum, & aliorum beneficiorum, ac pensiones prædictas indebite percipere, suosque facere non potuisse, neque debuisse, sed illos, omnes & singulos ad Cameram eamdem deuolutos fuisse & esse, illique deberi, ac ipsos Cardinales, & alios, ad quorum manus quomodolibet peruenerunt, & eorum hæredes, ad integram illorum restitutionem in vtroque foro teneri, & ad id opportunis iuris remediis compelli debere auctoritate Apostolica, tenore præsentiũ decernimus, & declaramus.

Prohibet hac de cetero fieri sub pœnis hic expressis. Immo maiores pœnas imposuit Pius V. in rubr. cit.

§. 4. Et insuper vniuersis, & singulis tàm eiusdem Rom. Ecclesiæ Cardinalibus etiam Episcopis, quàm Prælatis, & Clericis, ac aliis prædictis, præsentibus & futuris, ne deinceps vllo vmquam tempore aliquas Ecclesias, Monasteria, dignitates, vel alia beneficia, etiam de dicto iurepatronatus vti præfertur existentia, aut fructus, vel pensiones, aut regressus, seu accessus in confidentiam prædictam, aut ad effectum reseruationum huiusmodi sibi postmodum cedentibus procurandarum, recipere præsumant, Cardinalibus videlicet, & aliis Prælatis huiusmodi, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interdicti ingressus Ecclesiæ, reliquis vero sub maioris excommunicationis latæ sententiæ pœna, per contrafacientes eo ipso incurrenda, à qua nisi à nobis aut Rom. Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, absolui nequeant, districtius inhibemus.

Annullat quascumque prouisiones de his beneficijs factas & illa vacare ac Sedi Apost. reseruata esse decernit.

§. 5. Ac quascumque collationes, prouisiones, præfectiones, commendas reseruationes facultates, etiam transferendi, ac regrediendi, siue accedendi, & ingrediendi, ac alias dispositiones de Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, & aliis beneficiis, eorumque fructibus, & beneficiorum collationibus, per nos & alios Rom. Pont. successores nostros, etiam Motu proprio, seu consistorialiter, aut etiam per Ordinarios, & alios inferiores collatores, etiam ad patronorum eorumdem præsentationem, & quomodolibet cum interuentu confidentiæ huiusmodi expresse, siue occulte, ac de iure præsumpto, & alias contra præmissa pro tempore factas, nullas & inualidas, nulliusque roboris vel momenti fore neque cuiquam suffragari, sed Ecclesias, Monasteria, dignitates, ac alia beneficia huiusmodi, ipso iure vacare, ac nostræ, & Sedis Apostolicæ dispositioni reseruata, fructusque, & pensiones Cameræ Apostolicæ applicatos, vt præfertur esse, & censeri.

Decretum irritans.

§. 6. Sicque in præmissis omnibus, & singulis, per quoscumque Iudices, & Commissarios, etiam ipsius Ecclesiæ Rom. Card. sublata eis quauis aliter interpretandi, & iudicandi facultate, etiam per præsumptiones, & coniecturas legitimas, & eorum arbitrio (cum alias confidentias huiusmodi in lucem erui, & probari non posse constet) procedendo iudicari, & definiri debere ac quicquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane similiter decernimus.

Clausula derogatoria.

§. 7. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, ac aliis constitutionibus Apostolicis, necnon Collegij præfati iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia, roboratis, statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Forma, & effectus publicationis.

§. 8. Et ne quisquam vllo vmquam tempore præsentium ignorantiam prætendere possit, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ipsæ præsentes literæ ad Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe valuas, per aliquem ex Cursoribus nostris, illarum copia ibi, affixa, & dimissa, & etiam in Cancellaria Apostolica de more publicentur, ac in eiusdem Cancellariæ quinterno, ad maiorem partium illas in iudicio producere volentium, commoditatem describantur.

Sanctio pœnalis.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginã nostræ reseruationis, declarationis, inhibitionis, decreti, & voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ D. P. *Ann.* 5 *die* 11. *Octob.*

Digitized by Google

Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto 16. Kal. Nouembris, Pontificatus noſtri Anno quarto.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini 1564. Indict. 7. die vero 4. menſis Decembris, Pontific. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. Anno V. ſupra ſcriptæ literæ Apoſtolicæ publicatæ, & affixæ fuerunt ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, dimiſſis ibidem in ſupraſcriptis locis ſupraſcriptarum literarum copiis affixis, vt moris eſt, per nos Iulium Parinum, & Bernardinum Andreutium prælibati S. D. N. Papæ Curſores.*

Antonius Clerici Mag. Curſorum.

LXXXVI. De Electionibus ad regimina Monaſteriorum, Præpoſiturarum, & aliarum dignitatum Conuentualium.

Edita An. D. 1564. *Ad hoc vide pleniorem diſpoſitionem Greg. XIV. in eius conſt. 6.* Onus.

Cauſa huius conſtitut. SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Pius diuina prouidentia Papa IV. Ad cuius peruenit notitiam, quod licet alias omnia Monaſteria virorum, valorem ducentorum florenorum auri communi æſtimatione excedentia, necnon prioratus, præpoſituras, ac alias dignitates Conuentuales, & præceptorias generales, Ordinum quorumcumque, diſpoſitioni ſuæ generaliter reſeruauerit, ac propterea illorum prouiſiones, & ad eaquæ ſpeciali priuilegio eligendi ſibi per Sedem Apoſtolicam conceſſo ſuffulta ſunt, canonice factarum electionum confirmationes, ad Sanctitatem ſuam, & dictam Sedem pertinere noſcantur, nihilominus plerique Religioſi cæca nimis ambitione agitati, partim electiones de ſuis perſonis ad Monaſteria, Prioratus & alias dignitates Conuentuales huiuſmodi, vel priuilegium eligendi prædictum habeant, vel illo careant, nullo iuris ordine ſeruato, nullaque boni vel æqui ratione habita, temere fieri, factaſque per Ordinum Superiores, aut locorum Ordinarios de facto confirmari, partim vero nedum priuſquam electiones de ſe ad Monaſteria, & alias Conuentuales dignitates eligendi priuilegio ſuffulta factæ, rite confirmentur, ſed ne electi quidem canonice, ſe in regimine, & adminiſtratione tam in ſpiritualibus, quam temporalibus Monaſteriorum, aliarumque dignitatum vacantium eorumdem, ac illorum bonorum immiſcere non verentur, in animarum ſuarum periculum, auctoritatis Apoſtolicæ contemptum, & plurimorum ſcandalum.

Annullatio electionũ faciarũ abſque Sedis Apoſtol. prouiſione, vel confirmatione. §. 1. Volens tantis, qui paulatim in religioſos irrepſerunt abuſibus, & auſibus nimis licentioſis aliquando, ſicut par eſt, occurrere, ſuamque Sedi præfatæ prærogatiuam aſſerere, Omnes & ſingulas electiones quarumuis perſonarum ad regimina Monaſteriorum, prioratuum, præpoſiturarum, & aliarum dignitatum Conuentualium, ipſarumque electionum confirmationes per quoſcumque cuiuſuis ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtant, & quauis etiam Archiepiſcopali, Patriachali, aut maiori præfulgeant dignitate hactenus ſic præſumptas, nullas, & inualidas, ac pro nullis, inualidis, & prorſus infectis habendas eſſe, perſonaſque ſic vt præfertur electas & confirmatas, Monaſteria, aliaſque dignitates huiuſmodi ſine legitimo titulo poſſediſſe, & poſſidere, necnon illorum fructus, redditus, & prouentus indebite percepiſſe, & percipere. Ac perſonas ipſas ad abſolutionem, & habilitationem ſuper his, necnon confirmationem electionum de ſe factarum à Sanctitate ſua ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, aut Sede prædicta, infra ſex menſes à data præſentium computandos impetrandum, ac literas Apoſtolicas ſuper huiuſmodi confirmatione in totum expedien. omnino teneri declarauit.

Forma deſuper in futurũ ſeruanda. §. 2. Et nihilominus hac ſua perpetuo valitura conſtitutione ſtatuit & ordinauit, quod nullus de cetero ſe in regimine, & adminiſtratione Monaſterij, vel alterius dignitatis Conuentualis, ad quod ſeu quam illum eligi contigerit, in ſpiritualibus vel temporalibus antequam rite celebrata electio à Sanctitate ſua, aut Romano Pontifice pro tempore exiſtente, & Sede prædicta confirmata, & literæ Apoſtolicæ deſuper expeditæ fuerint, per ſe vel alium in toto, vel in parte quouis quæſito colore immiſcere, aut ad aliud vel illam ſe recipi facere, vel alias ſe pro eius Prælato gerere præſumant.

Pœna aliter electorum, vel electionis confirmatiuam. §. 3. Decernens omnes & ſingulos, qui ſecus fecerint, iure ſi quod illis ad Monaſteria, vel eorum Regimina, & adminiſtrationes, ac alias Conuentuales dignitates per electionem huiuſmodi quæſitum fuerit, eo ipſo priuatos, & deinceps ibi ineligibiles eſſe, ipſaque Monaſteria & alias dignitates ab eadem Sede impetrari poſſe, qui vero ſimiles electiones confirmare præſumpſerit, etiam eo ipſo Superiores Ordinum videlicet ſuis dignitatibus priuatos, Ordinariis autem locorum etiam ſi Archiepiſcopali, & maiori præcellant dignitate, ingreſſum Eccleſiæ interdictum, eoſque ab Eccleſiarum ſuarum regimine, & adminiſtratione ſuſpenſos exiſtere.

Placet, publicetur & deſcribatur. I. *PP. ſubſcrip:*

Lecta & publicata fuit ſupraſcripta Regula Romæ, in Cancellaria Apoſtolica, Anno Incarnat. Dominicæ 1564. die vero Martis vltima menſis Octob. Pontific. præfati S. D. N. Papæ Anno V. *Publ. P. A. 5. die 31. Octob.*

Alia & Secunda Reformatio Tribunalis Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ, & Officialium eius. LXXXVII.

Primam quam hic Pontifex edixit reformationem, habes ſup. in eius conſt. 55. Romanus. *vbi plene notaui.*

Edita An. D. 1564. *P I V S E P I S C O P V S*
Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Hic Pont. prò reformatione gregis Dominici, celebrari voluit. Cõcil. Trid. vt ſup: in eius conſtit. 73. CVm inter ceteras animi curas, quibus in hac præcelſa beati Petri Sede meritis licet imparibus conſtituti quodie ſolicitamur, illa vel à primordiis aſſumptionis noſtræ ad ſummi Apoſtolatus apicem præcipua fuerit, & vniuerſum gregem Dominicum fidei noſtræ commiſſum, ad illicita valde procliuem, pro nobis iniuncti muneris officio in viam ſalutis reduceremus, eiuſque rei gratia, ſacrum Oecumenicum, & generale Concilium in Ciuitate Tridentina indicen. celebran. & Deo fauente abſoluendum conuenimus.

Romanã Cur. & eius officia reformauit, vbi in multis cõſt. præcedentibus. §. 1. Et propterea ne dum foris de reformandis in vniuerſali Eccleſia moribus tractabatur, interim ipsã morum cenſuram domi, videlicet apud Sedem ipſam detrectare, cauſamque Curiæ Romanæ, & Almæ Vrbis noſtræ, in qua Sacerdotij Principatum, & Chriſtianæ Religionis caput, vnde merito vniuerſi Chriſti fideles; rectæ Catholicæque vitæ ſumerent exemplum, diuina inſtituit prouidentia, protelare videremur, quinimmo, vt à domo noſtra iudicium inciperet, Curiam ipſam, ac præcipuos illius Magiſtratus, ordines, & officia multis exceſſibus, & corruptelis quæ veſana hominum libidine in eam ſenſim irrepſerant, ſummis tum ſtudio, tum diligentia repurgauerimus.

Eiuſq; Cameræ vt ſup. in conſtit. 55. Romanus. §. 2. Et inde animum noſtrum ad Cameram Apoſtolicam, ad quam negotia locorum omnium totius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Status, aſſidue confluunt, eiuſque Tribunal, quod ſiue iuriſdictionis antiquitate, & auctoritate, ſiue rerum gerendarum excellentia, ſiue virorum amplitudine, ceteris in eadem Curia, præſtat, intendentes, multa, quantum tulit temporis ratio, circa illius iuriſdictionem huiuſmodi, ac poteſtatem, & facultatem, necnon dilectorum filiorum Notariorum, & aliarum perſonarum ſuarum ſtatum, & directionem ſalubriter ordinauerimus, prout in aliis literis noſtris deſuper confectis, plenius continetur.

Hãc d. Cameræ reformationem proſequẽdo, omnia eius priuilegia quatenus huic reformationi non ſint cõtraria cõfirmat. §. 3. Nos ſemel incæptum reformationis huiuſmodi negotium Domino cooperante diffuſius proſequi, nec tamen ex iis, quæ pro ipſius Cameræ, & pro tempore exiſtentis Eccleſiæ Romanæ Camerarij, necnon Clericorum & reliquarum perſonarum dictæ Cameræ ſtatu, & directione, ac alias ibi hactenus ſalubriter inſtituta, & conceſſa fuiſſe reperiuntur, quicquam detrahere, ſed his

Digitized by Google

immotis in ſua firmitate permanentibus, ea ſolum, quæ experientia, vel deeſſe vel obeſſe probauit, opportune iuxta rerum exigentiam ſupplere, & emendare volentes: Necnon omnium, & ſingularum Conſtitut. tam generalium, quam ſpecialium, in fauorem dictæ Cameræ editarum: ac quorumcumque priuilegiorum, facultatum, gratiarum, conceſſionum, literarum, & indultorum, illi, ac præfatis Camerario, & Clericis eorumque Collegio, & perſonis, per ſel. rec. Gregorium IX. Bonifacium VIII. Vrbanum VI. Martinum V. Eugenium IV. Sixtum etiam IV. Innocentium etiam VIII. Iulium II. Leonem X. Paulum III. & Iulium ſimiliter III. ac alios quoſcumque Romanos Pontifices prędeceſſores noſtros, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia conceſſorum, confirmatorum, & innouatorum, Necnon ſtatutorum, ordinationum, & decretorum Cameræ, ac Camerarij, & Clericorum prædictorum, eorumque Collegij cauſas, res, perſonas, & ſtatum concernentium hucuſque conditorum, & ab eiſdem prædeceſſoribus, vel eorum aliquibus confirmatorum, necnon quarumcumque literarum, & aliorum documentorum deſuper confectorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes: Motu proprio, & ex certa ſciętia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, illa omnia, & ſingula, ac prout ea concernunt reliqua in ipſis literis, aliiſque documentis contenta, quatenus literis noſtris prædictis contraria non ſint, nec illarum effectum impediant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, approbamus, & confirmamus, eiſque perpetuam, & inuiolabilem roboris firmitatem adiicimus, ac omnes, & ſingulos, iuris & facti defectus, ſi qui forſan intercenerint in eiſdem ſupplemus.

Iteratoque ea concedit.

§. 4. Et nihilominus eadem præmiſſa, omnia & ſingula Cameræ, Camerario, Clericis, & Collegio prædictis conceſſa, & indulta, eiſdem modis, & formis, quibus ab ipſis prædeceſſoribus noſtris emanarũt, ſimilibus auctoritate, & tenore de nouo perpetuo concedimus, & indulgemus, ac ab illis ſtatuta, & ordinata, ſtatuimus, & ordinamus, volentes illa perpetuis futuris temporibus, ſub cenſuris & pœnis in his contentis inuiolabiliter obſeruari.

Clericorum d. Camera qualitates deſignantur.

§. 5. Cum autem officio Clericatus dictæ Cameræ, quod in ipſa Curia primarium exiſtit, munus potiſſimum incumbat eiuſdem Cameræ res rite, & recte adminiſtrandi, iura & reddit⁹ vtiliter locandi, contractuſque deſuper neceſſarios, & opportunos ineundi, quorum occaſione ipſi Clerici Cameræ, Procuratores patrimonij beati Petri, rerumque omnium totius Status Eccleſiæ Romanæ huiuſmodi cuſtodes, & Præſides merito nuncupantur. Necnon ius reddendi, & iuſtitiam tam Fiſco & priuato, quàm ipſis priuatis, ſi qua ratione de Fiſci intereſſe agatur, adminiſtrandi. In his autem muneribus obeundis, vel temporum malitia, vel antiquorum Clericorum negligentia, vel deſuetudine, res Cameralis detrimentum non modicum accepiſſe noſcatur. Hinc eſt quod nos ſicut rei magnitudo poſtulat ad vlteriorem, etiam in his, reformationem procedendum eſſe cenſentes, Motu, ſcientia, poteſtatis plenitudine, & tenore ſimilibus, perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, quod deinceps, ad ipſa Clericatus Cameræ officia cum vacabunt, nulli niſi vitæ, morum integritate præſtantes, literarum ſcientia prædiți, rerumque humanarum experientia inſignes, aſſumi debeant, quorum excellentia, virtute, doctrina, & auctoritate Camera ipſa, & Romanæ Eccleſiæ Status vniuerſus recte gubernari, & latiſſimum ab eis incrementum ſuſcipere poſſit.

Camerales contractuum Camera participes eſſe, prohibentur.

Ad hoc vide ea ſ. 3. Iul. III.

§. 6. Et vt inde videbatur ditæ cupiditatis pernicies omnino eliminetur, quod poſthac in quibuſcumque contractibus ſuper locationibus rerum, & iurium ipſius Cameræ celebrandis, ſeu partitis, vt aiunt, faciendis, nullus Vicecamerarius, Theſaurarius, aut quiſpiam ex Clericis, & Cameralibus, Aſſiſtentibus, Notariis, aliiſque miniſtris, & perſonis, dictæ Cameræ, quocumque nomine nuncupatis, illarum particeps exiſtat. Quin potius ipſi ab omni quantumuis omnino commodo & lucro, exinde quomodocumque directe vel inditecte prouenienti, omnino abſtineant, quod ſi eorum aliquem ſecus feciſſe legitime conſtiterit, officio ſuo, ipſo facto perpetuo priuatus exiſtat, perpetuaque infamia notetur, ac aliis pœnis noſtro, noſtrique ſucceſſoris Rom. Pontificis, pro tempore exiſtentis arbitrio ſubiaceat. Qui vero de præterito circa præmiſſa deliquerit, pœnis à iure, & conſtitutionibus à prædeceſſoribus noſtris ſuper hoc editis, & inflictis puniatur.

Contractibus Camera, eorum affinib. non interſint

Tu vide d. Iul. III.

§. 7. Sed nec quiſquam dictorum Vicecamerarij, Theſaurarij, Clericorum, aliorumque Cameralium, & Miniſtrorum, aſſiſtentium, vllis contractibus, quos inter Cameram ipſam, & eorum conſanguineos, aut affines ad quartum vſque gradum attinentes fieri contigerit, ſub mille ducatorum Cameræ præfatæ applicandorum, & alia noſtro dictique ſucceſſoris arbitrio incurrenda pœna, ſaluis nihilominus conſtitutionibus antiquis alias pœnas propter hoc irrogantibus, interuenire, vel alias ſeſe in illos eorumque tractatibus, per ſe vel alium, ſeu alios quo quomodo immiſcere audeat.

Clerici cauſas, proſinquorũ nó cognoſcãt, aut earũ diſcuſſionib. non interſint.

§. 8. Cauſæ vero coniunctorum, & propinquorum alicuius Clerici, ad dictum quartum gradum excluſiue ipſi Clerico nullatenus committantur, nec quiſquam eorum ſibi commiſſas audiat, ſed eas expreſſa cauſa recuſet. Nec etiam in diſcuſſionibus & deciſionibus tam illarum, quam aliarum quarumcumque cauſarum, in quibus aliquod intereſſe prætendere poſſet, ſiue Clericus ſiue aſſiſtens ille vllo modo intereſſe, nec vllum votum habere, ſed ſtatim à dicta Camera etiam dum cauſa proponitur etiam iniuſſus, cum in hoc ignorantiam prætendere non poſſit, egredi debeat, & ſi ſecus fecerit, Clericus per menſem ſuſpenſionem ab exercitio, & perceptione emolumentorum ſui officij, aliis Clericis applicandorum, ipſo facto incurrat, Aſſiſtens vero iocalium, & ſalarium exactione aliis Aſſiſtentibus applicanda, ipſiuſque Cameræ ingreſſu trium menſium ſpatio mulctetur.

Suſpicionis cauſa contra Camerales, in Camera approbanda eſt.

§. 9. Quicumque autem, ſiue ex Clericis ſiue ex aliis Cameralibus præfatis ab aliquo ſuſpectus in cauſa recuſatus fuerit, accuſans non niſi expreſſa ſuſpicionis cauſa audiri, illaque expreſſa abſente recuſato, vt ſuſpecto in Camera diſcuti, eaque à pluribus approbata, ſuſpectus ipſe in huiuſmodi cauſa nullo modo ſe intromittere, aut intereſſe debeat. Si vero ſuſpicio probari nequiuerit, nulla eius allegata ratio habeatur.

Contractus Camerali ineũdi forma.

§. 10. Et quoniam vbi periculum maius intenditur, ibi eſt plenius conſulendum, quod ſuper quibuſcumque contractibus Cameralibus deinceps in perpetuum ineundis, capitula, & conuentiones per Theſaurarium Cameræ, pro tempore exiſtentem, vel alium ad quem ſpectauerit prius conſcribantur, eorumque exempla ſingulis Clericis, & aliis omnibus Cameralibus per Commiſſarium eiuſdem Cameræ, tribus ſaltem diebus antequam de negotio tractetur, tranſmitti debeant, quibus vnuſquiſque ſeorſum inſtructus domi mature conſulere, remque cum ceteris in Camera ipſa conferre poſſit, vt ibi omnes recte diſcernere valeant, ac tum demum ea quæ decreuerint ſtatuto die in plena Camera comprobanda, per quempiam alta voce legi debeant, vt ſolito inter eos ordine ſeruato, cuique licitum ſit ſuper vnoquoque capitulorum quid ſentiat coram dicere, & allegare, & quod inde ipſi Cameræ vtile, & optimum videbitur, executioni ſalubriter demandetur. Ceterum vt fraudibus, quæ in huiuſmodi contractibus fieri poſſunt, necnon periculis, controuerſiis, ac litibus obuietur, publicæque vtilitati euidentius conſulatur, quod huiuſmodi capitula, quæ ſic confecta, & expedita fuerint imprimi, aut ſcribi, & publicari, ac affigi in locis ſolitis debeant.

Prouẽtus Camerę. ſub haſta licitarĩ debeant.

§. 11. Ac omnia, res, prouentus, & iura Cameræ iuxta formam aliarum literarum à nobis ſuper hoc Motu ſimili emanatarum, quas etiam per præſentes innouamus, ſub haſta licitari omnino debeant. Quæ omnia per dictos Vicecamerarium, Theſaurarium, Clericos, & alios ſupranominatos, ſub excommunicationis pœna, non niſi à nobis, & ſucceſſoribus noſtris præterquam in mortis articulo relaxanda, exacte ſeruari mandamus, declarantes vota, & iuramenta ipſorum aliter præſtita eoſdem non ligare. Ac contractus, & omnia inde ſecuta, nullius roboris, vel momenti exiſtere, quinimmo per Cameram, quandocumque reuocari, & contractus ipſos

Digitized by Google

ipsos seruata eadem forma, de nouo celebrari debere.

Camerales conueniant diebus statutis sumo mane in Camera.

§. 12. Cumque fidei curæ, & iudicio dictæ Cameræ tamquam præfatæ Curiæ, & totius ecclesiasticæ ditionis, necnon ipsius Principis in huiusmodi rebus, & bonis supremo Tribunali status ipse vniuersus commissus sit, magnopere laborandum est, vt munus iustitiæ virtutum omnium Dominæ, & Reginæ, ac publici, priuatique tutricis optimæ, non solum Imperio, sed etiam maiestate, & dignitate fulciatur, & tamquam in bene composito corpore purus sanguis, ita in illa religionis, iustitiæ, & æquitatis, quasi sanitas perpetuo constet, quod statutis diebus, quibus dicta Camera in Palatio Apostolico, & vbicumque haberi consueuit, quisque in ea interueniens, summo mane, & hora ab ipsa Camera statuta, sicuti alij bene constituti Magistratus dictæ Curiæ conuenire debeat.

Cursores debēt Cameræ pridie intimare.

§. 13. Cursores vero, iubente ipso Camerario seu Vicecamerario, ipsam Cameram, certis loco, & siue ordinaria siue extraordinaria fuerit, pridie sub pœna amissionis salarij menstrui, singulis tam Clericis, quam aliis Cameralibus personaliter, vel per cedulam domi dimissam, omni tempore prænunciare teneantur.

Abesse nō debent Camerales absque licentia Camerarij, vel Decani.

§. 14. Et cum absentia ipsa per se damno, & incommodo maximo omnibus sit cum non solum rerum gerendarum cursum retardet, sed ipsa quoque negotia in discrimen manifestum constituat, & plerumque destituat, quod nullus deinceps, siue Clericus siue alias Cameralis, ab ipsa Camera, sine expressa Camerarij, vel eiusdem Cameræ Decani licentia, impune abesse possit, excepta publicæ vtilitatis priuatæque necessitatis causa, quàm tamen absens per Nuncium eidem Cameræ significare debeat. Qui vero id semel, & iterum neglexerit, fructibus, & emolumentis illius mensis, aut iocalibus & regalibus, aliis applicandis, quæ vel vno ex eisdem contradicente illi nequaquam remitti vel condonari possint, & alias ipsius Cameræ arbitrio priuari debeat, nec nisi de expressa nostra, aut successoris nostri licentia ceteris in Camera significata, ab Vrbe abesse possit, statutis, & decretis, quæ de absentia Clericorum, & aliorum præfatorum disponunt, integris permanentibus per præsentes innouatis. Illis tamen quæ à Trident. Concilio super residentia statuta sunt saluis, & illæsis manentibus.

Vestibusq; hic descriptis Camerales induti stent in Camera.

§. 15. Clerici autem, & qui alias Rochetto, & Cappa vtuntur, eisdem in qualibet Camera, reliqui vero solitis vestibus rubeis & violaceis, nulla deinceps Consistorij habita distinctione induantur, aliter vero induti excusari aut admitti non possint.

Missamq; audiāt, & inde ad Cameram se conferant.

§. 16. Omnes itaque sic induti dicta hora, pulsata campanella ad Missam accedant, quæ Decano, & alio Clerico, vel absente Decano, duobus Clericis ad minus assistentibus incipi debeat, eaque peracta præeuntibus duobus, Cursoribus omnes Cameram versus tendant, alius post alium seruato ordine incedentes, quo quisque commodius ab agentibus, & collitigantibus de rebus pertractandis valeat informari.

Ante causarū propositiones, imperato silentio, procuratores audiantur.

§. 17. Vbi vero ad locum propositionum causarum peruenerint, imperato omnibus per Camerarium, seu eo absente, Vicecamerarium, vel Decanum silentio, Aduocati, Procuratores, & alij quibus id incumbit causas huiusmodi non turbate, aut confuse, vt plerumque consueuit, sed singulatim, & ita diserte, reuerenter, & sine strepitu proponant, vt ab omnibus commode intelligi, & à Clerico Mensario notari possint. Quod si illi à Camerario, seu Vicecamerario, vel Decano, semel, & iterum moniti non obtemperauerint, ad hoc munus deinceps non admittantur.

Notarij Camerę procuratoris officium nō exerceant.

§. 18. Cumque Notarij dictæ Cameræ turpi lucro inhiantes ex procurationibus causarum plerumque per eos, vel eorum Substitutos precibus, amicitia, vel pecunia factis, causas ipsas non modo affectare, sed in eis quoque Notarij, & Procuratoris officia in detrimentum partium coniunctim exercere noscantur, quod illi deinceps ab eisdem procurationibus sub pœna ducentorum ducatorum Cameræ præfatæ applicanda, prorsus abstineant, sed Procuratores causarum, vel Solicitatores ipsarum, ad eas procurandas dumtaxat admittantur.

Causa miserabiliū personarum, in Aduocatum

§. 19. Quodque pauperum, & miserabilium personarum causæ, quarum in dicta Curia quo maior est numerus, eo maior præsertim quoad impensas ratio est, habenda de cetero à Procuratore pauperum, qui in eodem loco vbi describuntur continue assistat, gratis & quandocumque voluerit, etiam extra ordinem fauore pauperatis proponantur. Qui pro eisdem, ad consulendum, & informandum Aduocatum eorumdem pauperum, vt eos in ipsa Camera defendere possit, accedere teneatur. Et si ab officio suo sic sibi iniuncto quoquomodo defecisse, & pariter si Aduocatus ipse suo officio gratis pro pauperibus exhibendo, & pro nullo alioqui contraxerit, aut litiget cum Camera patrocinando defuisse apparuerit, prima vice si legitime impeditus non fuerit, salario trium mensium mulctetur, & si reinciderit in idipsum, officio suo perpetuo priuatus existat eo ipso.

per Procuratorem pauperum in Camera gratis tractā. à uāt.

Propositiones occurrētes scribenda sunt per Clericum Mensarium, antequā fiat Camera.

§. 20. Clerici autem ceterique Camerales Cameram ipsam, priusquam omnes propositiones eadem die occurrentes per Clericum Mensarium descriptæ fuerint, non ingrediantur.

Oratio B. Isidori per Clericū nouissimum postea legatur.

§. 21. Ipsi vero illis expletis ingressi, cum sine Dei adiutorio, & Spiritus sancti gratia nihil boni sperandum sit, erecta ad Deum omnipotentem mente, illiusque ac Beatissimæ semper Virginis Mariæ genitricis suæ, aduocatæ nostræ toto corde ab omnibus inuocato flexis genibus suffragio, ea oratio B. Isidori Episc. quæ incipit, Adsumus Domine Sancte Spiritus, per nouissimum Clericum tunc præsentem alta, & intelligibili voce legatur. Qua finita quicumque in plena Camera audiri voluerit, liceat illi eam tunc ingredi ac proloqui, & informare, isque ab omnibus æquo animo, ac benigne audiatur.

Deinde litigātes audiantur.

§. 22. Quibus sic rite peractis Camera ipsa claudatur. Et quia valde incommodum quin etiam indecorum videtur, vt postea quisque indifferenter ad tantum Tribunal, sine illius Præsidentium licentia admittatur, quod saltem vnus ex Cursoribus præfatis ante ostium eiusdem Cameræ assidue maneat, illudque custodiat. Nec quemcumque cuiuscumque gradus, & conditionis, nisi prænonito per eum Vicecamerario, seu Decano præfato, indeque deliberato, admittere, vel introducere audeat, sed talis aut licentiam expectare, aut omnino recedere debeat. Ceterum clausa dicta Camera, nulla propositio, nisi forte Procuratoris Fisci, vel Commissarij Cameræ, seu Procuratoris pauperum, quibus iure merito quandoque est indulgendum, vlterius audiatur, neque describatur.

Camera postea claudātur, & nemō admittatur per Cursores custodes nisi cum licentia, & causarum propositiones pro Fisco, vel Commissario Camera, aut Procuratore pauperū scribantur.

§. 23. Demum ceteris semotis, & quibuscumque sermonibus, & collocutionibus ad res Cameræ minime facientibus, quæ expeditiones Camerales impedire, vel in longum protrahere consueuerunt, prorsus omissis, omnes toto animo ad propositiones audiendas, & decreta facienda incumbant. Quod vt commodius, & facilius expediri possit, Camera ipsa per duas horas continuas posito præ oculis horologio ad minus habeatur, & si negotia exegerint, vlterius producatur, ex qua interim nemo nisi à Papa, seu Cardinale curam negotiorum gerente, inde expresse euocatus, aut aliqua vrgenti necessitate ingruente, egredi debeat.

Mensarius causarū propositiones legat.

§. 24. Moxque silentio à Camerario, seu eo absente à Vicecamerario, vel Decano omnibus impositio, dictus Mensarius de more propositiones adscriptas legat.

Decanus distribuat causas per turnū, non tamen cōcernentes officia, vel Gubernia Clericorum.

§. 25. Et quoad eas quæ distributionem causarum concernunt, ipse solus Decanus respondeat, nec quisquam illum causas distribuentem quoquomodo interrumpere, vel aliquid dicere audeat, quo vni magis quam alteri, vel sibi potius causam aliquam committat, sed causas ipsas omnes, & singulas per turnum distribuat, incipiente tamen turno ab eo Clerico quem Camerarius præsens nominauerit, vel eo absente sors educta prætulerit, exceptis causis quarum vniuersitas ratione gubernio rum diuersorum, vel officiorum quotannis vnicuique Clerico distribuitur, eisdem Clericis omnino relinquendis.

Clerici deindē causas proponant prauia citatione ad informandū, & transmissa cedula propositionis, & seruatis aliis hic descriptis.

§. 26. In causis autem expediendis hæc ratio habeatur, vt quæ iudicialem indaginem requirunt, nullus Clericorum, nisi prius eis in Camera communicatis, & parte ad informandum citata, audeat illas de cetero expedire.

Digitized by Google

Quin etiam rescripta omnia etiam manu Papæ signata, ac d. Cameræ decreta, quibus cognitio causarũ, ipsis Clericis demandatur, nisi in eis dicatur expresse, quod per solum seipsum audiat, & decidat, ita intelligi, aut interpretari volumus, quod ipsis Clericis illas in plena Camera referre, & de voto omnium expedire teneatur. Verum vt prolixa litium dispendia, quo potest compendio arceantur, Clericus qui iudex, vel commissarius fuerit, causam aliquam propositurus, partibus prius auditis diligenter factum discutiat, illoque bene, & sufficienter instructo cedulã manu sua subscriptam parti agenti, & instanti contra Fiscum, vel alium, seu Procuratori Fisci contra partem de more tradat, qua etiam Clericos, & Camerales omnes certiores faciat se huiusmodi causam præstituto die propositurum, vt vnusquisque in eam intendere, & ad dicendum sententiam suam instructus accedere possit, dataque ipsa cedula, & aduersario intimata, Iudicibusque ostensa, si die propositionis per ipsam cedulam statuto adueniente, per Fiscum, vel per partem expeditionem petentem, omnibus Iudicibus datæ fuerint informationes, licet per aduersarium illam diffugientem idem factum non fuerit, causæ nihilominus proponantur, discutiantur, & si id negotium patiatur, etiam altera parte non informante terminentur. Quod si vnus ex Iudicibus in partis, vel Fisci gratiam, odium, vel fauorem causæ huiusmodi expeditionem, prætextu quod in ea informatus non sit impedire, aut in longum protrahere moliatur, si talem constiterit informationes habuisse, illa pariter ab aliis Iudicibus expediatur. Verum si adueniente die propositionis, informationes à parte, vel Fisco expeditionem desiderante omnibus datæ non fuerint, cum id illi ad culpam debeat imputari, causæ huiusmodi proposito atque expeditio, donec omnes fuerint informati suspendatur, & interea supersedeatur. Et si præfato propositionis die adueniente, informationes huiusmodi ab vtraque parte omnibus datæ fuerint, Iudicibus tamen pro negotij difficultate, & grauitate de causa non liqueat, ipsi propositionem huiusmodi ad alium diem differre valeant, idemque eis licitum sit, si altera pars quæ informationem non dedit, docuerit se fuisse legitime impeditam, impedimento huiusmodi saltem à maiori parte Iudicum approbato. Nullus autem qui informationes huiusmodi acceperit, se illas habuisse, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda audeat denegare.

Causæ propositæ ordinatim discutiantur, & iuxta maiorem partem votorũ decidantur.

§. 27. Cumque causæ ipsæ Camerales, quæ multæ sunt, & de sui natura maximam desiderant celeritatem, nisi certa ratione, & ordine propositæ fuerint, nimia expeditionis tarditate, & partibus & Cameræ certũm & maximum pariant detrimentum, quod quilibet Clericus ex multis causis sibi, vel ex rescripto Pontificis, vel ex decreto Cameræ commissis, reique cognitionem habentibus, in qualibet Camera seruato inter eos solito ordine, vnam tantum deligat, quæ pro qualitate personarum, rei, & temporis (prælatis semper pauperibus, & viduis) maiorem postulat celeritatem, & illius seriem facti, vnde quæstio, & dubium partibus dandũ eliciatur, fideliter proponat. Eodemque dubio dato, quæstionem ipsam, ac iura, & rationes partium prius per eum perstricta, in alia Camera breuiter referat, mox Decanus Camerales primum, deinde Clericos, ab eis exordiens, qui postremo in Camera admissi fuerint, ita vt secundum literas præfati Eugenij Papæ Decanus ipse vltimus respondeat, de ea re omnes interroget, & ad interrogationem illius, Camerales scilicet consulendo, Clerici vero decidendo, solum Deum illiusque extremum iudicium præ oculis habentes, ex ordine sententias suas dicant.

Potis autem æqualibus, ea pars præualet cui Camerarius adhæserit vel eo absente, maior pars aliorum Camerariũ habentiũ vota cõsultiua.

§. 28. Et ne contingat causas, & negotia diutius remanere indecisa, quod quandocumque vota decisiua fuerint æqualiter diuisa, nec de maiori parte ipsorum appareat, tunc illa pars ipsorum quibus dictus Camerarius, vel eo absente maior pars votorum Consultiuorum adhæserit, debeat præualere, vt hac ratione & quamplures causæ breui expediantur & partes ipsæ laboribus, & expensis subleuentur. Dum vero causæ ipsæ proponuntur, suffragia rogantur, & sententiæ dicuntur, omnes magno silentio loquentem audiant, nec quisquam eum interpellare audeat, sed expleto sermone, si illum in facto errasse cognouerit, tunc liceat errantem humane benigneque admonere, vt is seipsum corrigere, & alij post eum dicturi possint eorum opinionem firmius explicare.

Decanus verò remittit ad Pontificẽ causas gratiam sapientes, & Gubernatori, Auditorì Cãe vel Thesaurario remittit causas ad eos spectan.

§. 29. Si vero aliquam propositionem gratiam sapientem, vel ad iurisdictionem Gubernatoris, seu causarum Curiæ dictæ Cameræ Auditoris, vel illius Thesaurarij pertinentem, fieri contigerit, Decanus prædictus propositione audita, si gratiam concernant, Summum Pontificem adeundum respondeat, reliqua vero ad Thesaurarium, Gubernatorem vel Auditorem præfatos, prout suæ cuiusque iurisdictionis fuerit, veteri more non autem ad quempiam Clericum remittat, vt hac ratione partes ab expensis subleuentur, & iurisdictio vnicuique conseruetur.

Vota aliorum reuelãtes, pœnas hic descriptas incurrunt.

§. 30. Cumque nulla maior pestis grauiorque pernicies ex Collegiis proficiscatur, quam sententias, & opiniones aliorum exteris aperire, vnde libertas dicendi, quæ in Iudiciis præualet, eripitur, odia gignuntur, & probis consultoribus inimicitiæ parantur, quibus humanæ societati, & ipsi iustitiæ quam profitemur, nihil magis contrarium esse constat. Quod quicumque aliorum suffragia, vel suam, aut aliorum sententiam foris patefecerit, & alicui indicauerit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, à qua nisi à nobis, aut successore nostro absolutionis beneficium nequeat obtinere. Et prima quingentorum, & altera mille ducatorum dictæ Cameræ applicandorum, tertia vero vice aliis grauioribus pœnis, & nostro & successoris nostri puniantur arbitrio.

Delinquentes in Camera coerceantur, & Pont. denuncientur.

§. 31. In reliquis autem quoquo modo delinquentes in plena Camera, à dicto Decano primum moneantur, deinde iocalibus, & regalibus Cameræ arbitrio mulctentur, aliis pœnis specialiter expressis saluis manentibus. Ipse vero Decanus, & eo negligente subsequens Clericus in ordine, statim illos nobis, vel successori nostro, sub nostræ vel eius indignationis pœna, denuntiare teneatur, vt inde à nobis, vel illo sicut expediens fuerit, amplius prouideatur.

Proponentes causas scripturas secum habeant.

§. 32. Vt autem quisque in dicendis sententiis propriæ conscientiæ melius satisfacere valeat, & ea quæ dicenda sunt, ab ipsis fontibus potius hauriantur quam per riuulos confectentur. Quod Clerici die propositionis per eos faciendæ, acta & scripturas earum causarum, quas proposituri sunt, necnon dicta testium in Camera penes se prompta habeant, quibus controuersiæ, quæ in facto ipso plerumque oriuntur, & facilius dirimantur, & causæ ipsæ celerius expediantur.

Decisiones causarum, annotentur à Proponentibus in lib. Decisionum Cam.

§. 33. Et quoniam plerisque necessariæ sunt sententiæ, & conclusiones Camerales, quare varia relatio, cum non æque à pluribus ac ab vno fieri possit, plerumque cõtrouersiam mouet. Quod vniuscuiusque decisionis argumentum siue substantia, statim atque per Cameram absoluta fuerit, ab ipso Clerico proponente, in certo, ac proprio libro decisionum Cameralium nuncupato breuiter describi, descriptaque legi, & ab omnibus comprobari, eumdemque librum vna cum alio decretorum ordinariorum penes Mensarium singulo mense custodire, quo certus, ac fidelis ad vtrumque recursus omnino habeatur.

Quæ prius verbo facto in Camera expedienda sũt, ab omnibus Clericis tunc præsentibus subscribantur, exceptis sententiis, & mandatis, ac expeditionib. concernentib. officia Clericorum.

§. 34. Eis vero literis patentibus, mandatisque Cameralibus, quæ nisi prius facto verbo in Camera expediri prohibemus, cum illa de consensu omnium expediantur, pariter ab omnibus Clericis tunc præsentibus subscribantur, sententiis mandatisque pro illarum executione relaxandis dumtaxat exceptis, quæ licet de voto omnium proferantur, tamen à Clerico Iudice, & Commissario tantùm subscribi debeant. Quæ vero Clericorum iurisdictionem ordinariam, ac vniuscuiusque Clerici propriam, singulis specialiter demandatam concernunt, ratione guberniorum, quæ quotannis inter ipsos Clericos distribuuntur, ea ab vnoquoque cuius fuerit ea iurisdictio, priuatim de more expediantur. Quæ quidem omnia cum hucusque per Substitutos Notariorum, & eos quidem rudes, ac imperitos, & plerumque literarum ignaros, ad Clericos deferri consueuerint, quos nec etiam in causis cognoscendis instruere possunt, ab ipsismet Notariis principalibus, seu à Substitutis eorum, per Clericos approbandis tantum, qui eosdem Clericos de omnibus plene informare valeant, deferantur.

§. 35. Cum

Digitized by Google

Administratores rationes reddant, modo, & forma hic expressis.

Pœnas autem computa fideliter non reddentium vide supra in Pauli III. cōst. 40.

§. 35. Cum autem negotium acceptandi, consolidandique rationes quæ in Camera quotidie reduntur, quod per manus Clericorum, quorum id est præcipuum munus, non minore labore, quā periculo continue versatur, sicut est maximi ponderis atque momenti, ita maiori solito debeat cura, & diligentia pertractari. Quod omnes, & singuli Thesaurarij, Depositarij, Commissarij, & alij quicúque rerum, & pecuniarum Cameræ Administratores, & Exactores, quouis nomine nuncupentur, de cetero rationes, & computa modo & forma infrascriptis in eadem Camera reddere, eaque vera esse, nec habere diuersa iurare omnino teneantur, quacumque consuetudine hucusque seruata, quæ potius corruptela est censenda, non obstante. Nec quispiam cuiuscumque gradus, & conditionis existat, ad rationes prædictas afferendas, iurandasque per procuratorem, si præsens in Vrbe fuerit, sed per seipsum tantum admittatur. Absentes vero, & qui infirmitate, aut carceribus, seu aliquo legitimo fuerint impedimento detenti, per eorum procuratorem speciale ad id mandatum habentem, eidem iuramento adstringantur. Et nihilominus ad eos sic impeditos, si in Vrbe fuerint, Notarius Cameræ mittatur, qui ab eis quoque simile recipiat iuramentum, de quo etiam coram restibus semper rogetur.

Quas rationes Notarius ad Calculatores deferat.

§. 36. Rationes vero illas iuratas, Notarius ipse rogatus, ad Calculatores, seu Computatores rerum Cameræ statim deferat, vt inde ab eis ad Præsidentem, & Thesaurarium quamprimum porrentur, & celeriter discutiantur.

Clericus eas solidet præsente Commissario.

§. 37. Cum vero Clericus solidationem computorum, quæ in domibus Clericorum fieri solent, aggredi voluerit, Cameræ Commissarium ad interessendum solidationi huiusmodi omnino citari facere teneatur, ac in ipsomet decreto commissionis solidationis post deputationem Iudicum expresse addi debeat. Qui Commissario præfato citato, & præsente, ad computorum solidationem procedant, & absque dicto Commissario, quem omnino semper adesse sub pœna priuationis officij mandamus, non possint vllo modo vllaue in causa ad solidationem deuenire.

Administratores librum teneāt in quo, &c.

§. 38. Omnes autem rerum Cameræ conductores, aliarumque Administratores, & pecuniarum Exactores, librum corio, vel membrana coopertum habeant, in quo aliquibus ex primis foliis in albis dimissis, facultatum literas, mandata, atque rescripta quæcumque, contractus denique ipsos ad verbum quibus huiusmodi curæ, & exactioni Præpositi, administrationem, ipsam gesserint transcribere, & deinde rationes ipsas modo & forma infrascriptis conscribere, & conscriptas edere teneantur. Quilibet postmodum à Notario Cameræ, vt moris est, recipiatur. Et primo albo folio, nominibus Administratorum, administrationis genere, rationum qualitate, temporis quo redduntur spatio, & iurisiurandi substantia, breuioribus verbis inscribantur. Et subsequenter Præsidens, & Thesaurarius, quid per Clericos Iudices, in eis animaduertendum sit, adnotare, & adnotationes ipsas manu eorum propria subscribere debeant.

Rationū reddatio vbi describenda sit.

§. 39. Et vt ipsa rationum redditio faciliori cognitione transigatur, earumque consolidatio semper, & vbique iusta & fidelis appareat. Quod huiusmodi rationum iustificationes in eodem, si id commode fieri poterit, sin autem in alio libro, ab eo qui illas redditurus est, registrentur, & ad verbum literæ, ac mandata Cameralia quæcumque, fides, ac instrumenta, & reliquæ omnes scripturæ ad rem pertinentes transcribantur, & ad earum singulas singulæ rationes, & particulæ, seu partitæ referantur, adiecto vnicuique earum folio, necnon citato eiusdem libri chartarum numero, quo iustificatio quælibet descripta fuerit. Isque liber cum altero proferatur, ab ipsius Cameræ Computatore legatur, & cum originalibus scripturis, si eas rationem reddens penes se retinere voluerit, diligenter ab eodem conferatur, qui collatione priusquam in Camera vna facta, & scriptura fideli reperta, id attestetur manu propria, his verbis vtrobique, in libro videlicet iustificationum, & quarumlibet ipsarum *cum originali*. In scripturis vero originalibus, & à tergo illarum *cum Registro concordat*, eius nomine proprio subscripto.

§. 40. Et nihilominus in ipsa computorum solidatione clerici ad id deputati originalia mandata, seu eorum transumpta authentica, & scripturas diligenter videre teneantur.

Clerici in solidatione videant scripturas originales.

§. 41. Libri quoque præfati rationum eorumque singulæ partitæ, tam accepti, quàm expensi, personas, causas, locum, annum, mensem, diem, ac summam adeo claros, atque distinctos contineant, vt qualis quantusque sit introitus, & exitus omnibus innotescat. Quin etiam fides acceptorum, tam priuatas, quàm publicas, Notariumque de eis rogatum, ac nomina debitorum eiusdem Cameræ, ac rationem illam spectantium eiusque quantitates pariter comprehendant. Et si ea de re contractus vllus celebratus, aliaue scriptura, tam publica, quàm priuata, confecta fuerit, ea omnia in eodem vel altero libro præfato simul cum aliis registrentur, & singulatim prout ipsa res exegerit, citentur. Et in qualibet exactione commissa præponatur etiam taxa, deinde scribatur. Et demum residuum pecuniarum quantum id fuerit, & à quibus exigendum adnotetur, per hoc enim introituum omnium Cameræ ratio hucusque in incerto posita, & valde obscura reddita omnibus perspicua fiet, ac negotia huiusmodi cautius expedientur, & clericorum iudicium firmius, atque tutius reddetur.

Libri rationū quæ continere debeant.

§. 42. Ipsorum denique computorum solidationes promptæ semper omnibus patebunt, cum libros huiusmodi in Archiuio eiusdem Cameræ, Computatores præfati perpetuo retinere, & custodire teneantur.

Et in Archiuio custodiātur.

§. 43. Quod si secus fiat, libri ipsi non admittantur, ac omni prorsus fide careant. Administrator etiam, qui rationes confecerit periurio notetur. Notarius vero pro qualibet vice ducentorum ducatorum pœnam incurrat. Et si libris præfatis sub præscripta forma non confecti Clerici Iudices ad solidationes computorum processerint, ducatis mille auri præfatæ Cameræ applicandis mulctentur, & ad interesse Fisci teneantur. Vicecamerarius vero, & Thesaurarius, Præsidens, & alij Camerales, si & ipsi in culpa fuerint, nostro & successoris nostri arbitrio puniantur, Computator ab officio remoueatur, Rationes quoque superinde consolidatæ & calculi facti, ac inde secuta quæcumque sint nullius roboris vel momenti.

Contrauenientes puniantur.

§. 44. Clerici vero Iudices, quibus ipsa rationum redditio demandata fuerit, non vt prius separatim, & alter post alterum rationes ipsas discutiant, sed antiquiorem posterior adeat, qui coniunctim, Administratore & Computatore præsentibus, citatoque Procuratore Fisci, seu Commissario Cameræ cuncta perpendant, ponderent, & excutiant; admittenda admittant, reiicienda reiiciant, & dubia parti, & Fisco disputanda relinquant, quæ cum eisdem mature examinata, atque discussa, prout eis iustum videbitur ab ipsis facto prius verbo in plena Camera decidantur, & terminentur.

Rationes à Clericis Iudicibus quomodo audiendæ.

§. 45. Et quia ex tarda rationum redditione omnia in dies obscuriora redduntur, & pleraque mala exinde prouenire nouimus, quæ quo longius protrahuntur & inueterascunt, eo impeditiora fiunt, & difficilius explicantur. Quod Administratores omnes rerum Cameralium quocumque nomine nuncupati qui rationes in Camera quoquomodo reddituri sunt, illas non in fine administrationis eorum, vt prius, sed si administratio vltra annum durauerit, singulo quoque anno in fine illius, vel sequentis principio, modo præmisso, reddere omnino teneantur. Idque nisi iusta interdum suadente causa ipsi Cameræ aliter expedire videatur, in ipso contractu quem cum eis Camera de cetero inierit exprimatur, & ille ad id sub pœna mille ducatorum similium etiam eidem Cameræ applicandorum, necnon eiusdem administrationis amissione, quæ statim ab eis libere auferri, & aliis concedi possit, omnino adstringantur.

Administratores à quolibet ratione reddant.

§. 46. Et insuper quod præfatus Thesaurarius generalis, de omnibus, & singulis rebus & pecuniis ab eo, vel deputatis suis in hunc vsque diem vndecumque & quomodocumque receptis & expensis, ac etiam alius Thesaurarius noster secretus, de quibuscumque pecuniis quas habuit & percepit, necnon Magistet, Domus nostræ accepti hucusque & impensi, ac Gubernator Vrbis,

Thesaurarius & alij Papæ ministri quādo rationem reddere debeant.

De Thesaurarij munere vide bull. 180. Sixt. V.

Digitized by Google

Procurator Fiſcalis, necnon Magiſtri viarum eiuſdem Vrbis, & quicumque alij noſtri in Alma Vrbe Magiſtratus & Officiales, tam qui de præſenti ſunt, quam qui in præteritum fuerint, cuiuſcumque ſtatus, gradus, vel præeminentiæ ſint, de quibuſcumque condemnationibus criminalibus, ſeu pœnis, aut compoſitionibus, ratione, quorumcumque delictorum, & quarumcumque cauſarum ab eis hactenus factis, aut adminiſtratis, vel exactis, & ad Cameram Apoſtolicam ſpectantibus, deinceps vero Theſaurarius ipſe generalis ſingulo quoque ſemeſtri, Magiſter domus autem, ac Gubernator, Theſaurarius ſecretus, & alij omnes præfati ſingulo trimeſtri rationē dictæ Cameræ in perpetuum reddere teneantur.

Commiſſarij Cam. officiū.

Ad quod vide etiā bullā 44. Six. V.

§. 47. Proprium autem ſit inter cetera dicti Commiſſarij munus, demandatas Iudicibus redditiones, rationes, omnes, eaſdemque commiſſas adnotare, & illarum celerem expeditionem procurare, curareque, vt id totum quod perfecto calculo reliquum fuerit eidem Cameræ debitum ad manus Depoſitarij generalis, vel illorum ad quos ſpectauerit, ſeu decretum fuerit quamprimum, re ipſa perueniat. Et vt debitores remediis opportunis ad illud donec omnia integre perſoluta fuerint compellantur, contractuum omnium, atque capitulorum, ſcripturarumque in Camera celebrandorum & diſcutiendorum exempla, ſingulis Clericis & Cameralibus, per dictos tres dies ante deferantur. Quod ſi ab officio ſic ſibi iniuncto defeciſſe conſtiterit, vnius menſis ſalario, & iocalium portione, ſibi in proxima diuiſione obuentura, & ſi iterum deficiat ſalario ſemeſtris integri puniatur, tertia vero vice officio ſuo perpetuo priuatus exiſtat.

Computatorū Camera officium.

Ad quod vide inf. prox.

§. 48. Verum cum magna, atque ampla negocia quæ quotidie in Camera geruntur, præ eorum varietate atque multitudine quædam ab anteceſſoribus neglecta, partim in diuturna obſcuritate latuerint, partim etiam prorſus euanuerint, vnde dicti Clerici & Camerales in ſumma illorum ignoratione verſantes, plerumque conſilij ancipites ſæpiſſimeque diſtracti, rem ipſam vel imperfectam relinquunt, vel cum magno eiuſdem Cameræ detrimento, diuerſam agunt, fuerintque propterea ab ipſis Clericis, & Præſidentibus Computatores Cameræ, vna cum alio ab eis pro tempore ſubſtituto, ſuperioribus menſibus conſtituti, atque præfecti curæ conficiendi librum maiorem in quem omnia ad Cameram quomodolibet ſpectantia in dies ſingulos ab eis diſtincte conſcriberentur, atque certo ordine congererentur. Nos itaque hoc non minus neceſſarium, quam vtile harum ſerie approbantes, & innouantes ſimiliter ſtatuimus, & ordinamus quod ipſi deputati, & Præfecti, omnes, & ſingulos introitus, ac exitus eidem Cameræ in dies obuenientes quicumque fuerint, illiuſque debitorum, & creditorum nomina, vndequaque prouenientia in hoc ipſo libro maiori deſcribant. Conceſſionum quoque rerum Cameralium omnium contractuum qui continuo in Camera celebrantur argumentum, atque ſubſtantiam, eorumque diem, & annum, Notariumque inde rogatum, quam breuiſſime perſtringant, declarentque Cameram, & Adminiſtratores quoſcumque prout res poſtulauerit debitores, & creditores, eorumque quantitates claras, atque diſtinctas apponant. Nuntios etiam Apoſtolicos, Collectores, Subcollectores, Theſaurarios, Depoſitarios, & Cōmiſſarios, pecuniarum Exactores, ac reliquos omnes, qui ad aliquod negocium Cameræ expediendum admittentur, breuiter conſcribant, breuia, literas, patentes, & facultates, ac mandata Cameralia quæcumque adnotent, diem & annum, quibus illa expedita fuerint, adiiciant, & à quo clerico ſubſcripta, notarioque expedita, & denique vbi regiſtrata ſint, compendio explicent, & quæ quidem omnia & ſingula incorrupta ſeruentur, & integra cuſtodiantur.

Miniſtrorum Camera expeditiones regiſtrentur & ſubſcribantur à tergo per Cōputatores.

§. 49. Præterea volumus & ordinamus omnes quibuſuis negociis Cameralibus, tam in Vrbe, quam extra eam Præfectos, antequam illa exerceant, & ab Vrbe recedant, expeditiones ſuas quocumque nomine nuncupatas eiſdem Computatoribus in eodem libro adnotandas exhibere, ipſaſque niſi ſic adnotatas, & in illarum tergo per alterum ex eiſdem Computatoribus de hoc fidem facientem ſubſcriptas, illis reſtitui omnino prohibemus. Pro earum vero expeditionum adnotatione, ſubſcriptione & reſtitutione, Computatores præfati caueant à partibus etiam vltro dantibus, quicquam accipere; quod ſi ſecus fecerint, pœna priuationis officij, ſeu alias arbitrio Cameræ puniantur.

Miniſtri iurēt & caueāt vt hic.

Pœnas autem fideliter computa non reddentium Vide in Paul. III. conſt 40.

§. 50. Et inſuper quod omnes cuiuſcumque gradus, atque dignitatis fuerint, res ipſius Cameræ vbiliber & quomodocumque adminiſtraturi, priuſquam adminiſtrationem ſuſcipiant, iurent in manibus Cameratij noſtri negocium, atque curam ſibi commiſſam, recte & fideliter ſe eſſe geſturos, rationes tempore debito rite reddituros, reliquum reſtituturos, libroſque rationum legitime conſcripturos, ac illos intra tempus, quod eis, dum proficiſcuntur præfixum fuerit, etiam iniuſſos, in Cameram exhibituros, eaque omnia ſe rite & fideliter præſtituros penes vnum ex Notariis Cameræ idonee caueant. Ac cautio ſic ab eis præſtita in eodem libro maiori ab eiſdem Computatoribus ſummatim adnotetur; quod ſi ab eis impedimento ceſſante prætermiſſum, nec intra dictum tempus impedimentum huiuſmodi doctum atque comprobatum fuerit, vltra pœnas in cautione huiuſmodi contentas, arbitrio Cameræ puniantur.

Computatorū Camera officiū Ad quod vide ſup. & infrà præd.

§. 51. Iidem quoque Computatores, Inuentarium ſeu Indicem omnium & ſingulorum librorum, & rationum, quæ hactenus in dicta Camera redditæ ſunt, & in poſterum reddentur, diſtincte & ordinate conficiant, in quo rationes ipſæ cuiuſcumque rei fuerint, à quo adminiſtratæ, & redditæ, illarum quoque dies, & annus ſtrictim demonſtrentur; ac huius indicis ſeu inuentarij exemplum vterque eorum continuo apud ſe contineat, quibus librum nullum, nullaſve rationes ad Cameram ſpectantes cuiquam niſi Clerico, & Camerali tradere, vel in manibus dimittere liceat. Si quis autem ex Cameralibus eorum aliquem pro rebus Cameralibus videre, & apud ſe retinere voluerit, illum de manu dictorum Computatorum accipiat, & in eorum libello ad hoc tantum deputato ſe illum recepiſſe ſcribat, & intra dies quindecim ad ſummum reſtituturum promittat. Qui vero ex Computatoribus id facere neglexerit, ſuo ſit officio ipſo iure priuatus, & pro libro & ſcripturis propterea deperditis damnum & intereſſe, tam Cameræ quàm parti iuxta formam literarum piæ memoriæ Iulij II. & Leonis X. etiam Romanorum Pontificum prædeceſſorum præfatorum omnino reficiat, vel alias arbitrio Cameræ puniatur.

Librorum & ſcripturarum Camera occupatores excōmunicationis pœnā incurrant.

§. 52. Verùm cum multi varij multique libri, ac quamplures, diuerſæque ſcripturæ rerum Cameralium, ob nullam, vel modicam in illis cuſtodiendis, conſeruandiſque hucuſque adhibitam diligentiam, variis in locis, diſperſi atque diffuſi ſint, & à pleriſque detineantur in maximum Cameræ detrimentum; Volumus etiam & ordinamus, omnes & ſingulos illorum detentores & occupatores, ac huiuſmodi occultationis conſocios, & participes, niſi in Vrbe intra octo, & extra eam intra triginta dies à die notitiæ publicationis præſentium numerandos, pro qua nos alias literas noſtras, quæ publicentur, decernere intendimus, eoſdem libros, & ſcripturas, ad Computatores & Cuſtodes præfatos detulerint, vel eaſdem perſonas detinentes, conſcias & participes denunciauerint, excommunicationis maioris laqueo ſubiacere.

Computatores Camera iurēt & caueāt officiū fideliter adminiſtrare.

§. 53 Quos quidem Computatores & Cuſtodes pro tempore exiſtentes, cum illorum officium ſit maximi ponderis atque momenti priuſquam ad illius exercitium admittantur, iureiurando adſtringi, & ideo cauere volumus, præfatum officium ſe recte & fideliter executuros, omniaque & ſingula eis præſcripta ſtricte cuſtodituros, & diligenter obſeruaturos.

Clerici ſalariū ſibi ipſis ſtatuere non poſſint.

§. 54. Poſtremo cum valde inconueniens, & à iure alienum ſit, quod quis in concernentibus proprium commodum ſuum ſe Iudicem conſtituat, pariter conſtituimus & ordinamus, quod Clerici præfati pro aliquo munere, ſeu onere, ordinario vel extraordinario à Romano Pontifice pro tempore ſibi iniuncto, ſalarium ſeu mercedem ſibi ipſis ſtatuere & declarare non poſſint, ſed illud ab eodem Pontifice, vel eo cui ea cura demandata fuerit, qualitate perſonæ & negocij commiſſi conſideratis ordinetur.

§. 55. Decernentes conſtitutiones, ſtatuta, ordinationes

Digitized by Google

nes & decreta noſtra præmiſſa, ſancte & inuiolabiliter ab omnibus, etiam ſub ſententiis, cenſuris & pœnis præmiſſis, perpetuo obſeruari, ſicque & non aliter per quoſcumque cenſeri, iudicari, definiri & interpretari debere. Necnon ex tunc irritum & inane, quidquid ſecus ſuper his, omnibuſque & ſingulis aliis præmiſſis per præfatos, aut quoſcumque alios, quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executor deputatur Camerarius.

§. 56. Quocirca dilecto filio noſtro Vitellotio S. Mariæ in Via lata, Diacono Card. Vitellio nuncupato, moderno, & pro tempore exiſtenti noſtro, & ipſius Eccleſiæ Romanæ Camerarię, per Apoſt. ſcripta illi etiam in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo, & eius etiam quoad hoc conſcientiam onerando, pari Motu mandamus, quatenus præſentes literas, & in eis contenta quæcumq; tam in d. Camera quàm extra eam, vbi, quando, & quoties opus fuerit, ſolemniter publicari, & in eiuſdem Camerę libris regiſtrari, ac per omnes quos illa cõcernunt inuiolabiliter obſeruari, & debitæ executioni demandari, ac illa quoties pro parte alicuius intereſſe habentis requiſitus fuerit, in iudicio & extra exhiberi faciat. Ac vniuerſos præfatos ad illorum obſeruationem cenſuris & pœnis præmiſſis, quacumque mora ceſſante cum effectu cogat & compellat; contradictores quoſlibet ac inobedientes, & rebelles, auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita compeſcendo.

Clauſ. derog.

§. 57. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Cameræ iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ac omnibus illis, quæ in ſingulis prædeceſſorum præfatorum, ac noſtris literis prædictis cautum fuit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Forma & effectus publicationis.

§. 58. Vt autem conſtitutiones, ſtatuta, ordinationes, & decreta noſtra huiuſmodi ad ſingulorum, quos oportet notitiam perueniãt, nec illorum ignoratio quempiam excuſet, volumus, ac etiam dicta Apoſtolica auctoritate mandamus, quod præſentes literæ Baſilicæ Vaticanæ, & dictæ Cameræ valuis, necnon in acie campi Floræ, aliiſque publicis, & opportunis Almæ Vrbis præfatæ locis, per vnum ex Curſoribus noſtris de more affigantur, & ibi quantum ad lecturam earum opus fuerit permaneant.

Hæc cõſt. legatur anno quolibet in prima Camera.

§. 59. Ac ſingulo quoque anno in perpetuum in eadem Camera, quæ menſe Octobris prima habebitur, per nouiſſimum Clericum tunc præſentem palam & alta voce ad verbum ſine intermiſſione legantur.

Tranſumptorũ fides.

§. 60. Quodque illarum exemplis fideliter exſcriptis, ac etiam impreſſis vnius notarij Cameræ manu ſubſcriptis, & Camerarij præfati ſigillo obſignatis, eadem prorſus fides vbique locorum, etiam in iudicio adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c.

D. P. Ann. 5. 1. Nouemb.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1564. Kal. Nouemb. Pont. noſtri anno quinto.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1564. indict. 7. die vero 20. menſis Decemb. Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pij diuina Prouidentia Papæ IV. Anno eius V. præſentes literæ Apoſtolicæ lectæ, affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, ad valuas Cameræ Apoſtolicæ, in acie Campi Floræ, & ad valuas Cancellariæ Apoſtolicæ, dimiſſis in omnibus præfatis locis præſentibus literis per aliquantulum temporis ſpatium affixis, vt moris eſt, & deinde amotis, per nos Iulium Parinum & Alexandrum Aſtancollum præfati S. D. N. Papæ, & Cameræ Apoſtolicæ Curſores.

Ant. Clerici Magiſter Curſ.

LXXXVIII.

Forma profeſſionis Fidei Catholicæ, obſeruanda à quibuſcumque promotis & promouendis ad aliquam liberalium artium facultatem, electiſque & eligendis ad cathedras lecturas & regimen publicorum Gymnaſiorum.

Huiuſmodi profeſſionem facere debent etiam promiſſi de beneficiis Eccleſiaſticis, vt in bulla ſeq. Et inſuper Medici debent iurare contenta in conſtit. 3. Pij V. Supra gregem.

PIVS EPISCOPVS, Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Edita An. D. 1564.

Exordium.

IN ſacroſancta B. Petri Principis Apoſtolorum Cathedra, meritis licet imparibus, hiſce procelloſis militantis Eccleſiæ tempeſtatibus conſtitutos, plurimum nos oportet eſſe ſolicitos, vt Domini gregem curæ noſtræ commiſſum non ſolum ab apertis rapacium luporum vndecumque caulis obſtrepentium inſultibus, ſed etiam à magis formidoloſis peſtiferarum vulpecularum domi latitantium inſidiis, per prouidum paſtoralis officij miniſterium, ipſo Domino cooperante præſeruemus, ac illis omnes nocendi occaſiones, quantum cum Deo poſſumus, vbiliberauferamus.

Cauſa conſtit.

§. 1. Cum itaque iuxta notum Sanctiſſimi Vatis oraculum, timor Domini, ſine quo vera Religio, & Catholicæ fidei puritas nullibi reperitur, ſapientiæ ſit initium, & qui vel in ſcientiis proficere, vel eas alios docere parant, ſupremum illum ſapientiæ parentem, benignumque largitorem deuoto ſanæ fidei obſequio demereri, veraque ſinceræ Religionis pietate ſibi conciliare debeant.

Doctores ac eæteri cuiuſcũque facultatis profeſſores, tam electi quam eligẽdi illac non exerceãt, niſi prius Catholicam fidẽ profiteãtur, iuxta formam hic traditam.

§. 2. Idcirco hanc Fidei puritatem, ſcientiis doctrinis que quibuſlibet, tum tradendis, tum addiſcendis, tanquam neceſſariam baſim, conſtituere, & ne ſimplicia nonnullorum adoleſcentium, res nouas audiendi cupidorum, ingenia in naufragos blandientium hereſum ſcrupulos imprudenter impingant, occurrere cupientes; Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod deinceps nullus Doctor, Magiſter, Regens, vel alius cuiuſcumque artis & facultatis profeſſor, ſiue clericus ſiue laicus ac ſæcularis, vel cuiuſuis Ordinis regularis ſit, in quibuſuis Studiorum generalium Vniuerſitatibus, aut Gymnaſiis publicis, aut alibi ordinariam, vel extraordinariam lectoris Cathedram aſſequi, vel iam obtentam retinere, ſeu alias Theologiam, canonicam vel ciuilem cenſuram, Medicinam, Philoſophiam, Grammaticam, vel alias liberales artes in quibuſcumque ciuitatibus, terris, oppidis, ac locis etiam in Eccleſiis, Monaſteriis, aut Conuentibus Regularium quorumcumque, publice vel priuatim quoquomodo profiteri, ſeu lectiones aliquas in facultatibus huiuſmodi habere vel exercere.

Rectores ſtudiorũ & alij ſuperiores non eligantur, niſi præſentatis præmiſſis.

§. 3. Neque Doctores ipſi, aut Vniuerſitatum ſeu Gymnaſiorum eorumdem Rectores, Cancellarij, vel alij Superiores, ſed nec etiam Palatini Comites, aut alij particulares facultatem eruditos viros ad eoſdem gradus promouendi, etiam à nobis & Apoſtolica Sede, vel alias vndecumque habentes, ſcholares, tàm laicos quam clericos, & cuiuſuis Ordinis regulares, vel alios quoſcumque quantalibet eruditione præditos, ad vllum gradum in eiſdem facultatibus ſuſcipiendum recipere & admittere.

Scholares nequeant promoueantur ad aliquem gradum, niſi ſeruatis eiſdẽ.

§. 4. Neque Doctores, Magiſtri & Scholares, ad electionem alicuius in Electorem, vel Cancellarium Vniuerſitatis aut Gymnaſij procedere; Nec ipſi Scholares vel alij quantumlibet docti, & alioqui habiles, gradus huiuſmodi, vel eorum aliquem, palam, vel priuatim, recipere valeant, niſi Doctores videlicet ac Regentes, Magiſtri, & alij profeſſores iam ad Cathedras & lecturas recepti, in Italia infra tres, extra vero illam infra ſex menſes à die publicationis præſentium computandos, reliqui vero ad Cathedras & alias lecturas ibidem in poſterum aſſumendi ante illorum receptionem, in Rectoris, vel aliorum Superiorum, eligendi autem in Rectores vel Cancellarios ante illorum electionem, vel ſaltem admiſſionem in Ordinarij loci, vel eius in ſpiritualibus Vicarij. Ac promouendi Scholares & alij præfati ante illorum promotionem in eiſdem Ordinarij, ſeu eius Vicarij, aut Doctorum, aliorumve promouentium manibus, præuio etiam proceſſu vel debita informatione, quantum eis ſufficere videbitur, ſuper Religione, Fideque Catholica, Rectorum, Cancellariorum, Doctorum, Lectorum, & promouendorum eorumdem per ipſos locorum Ordinarios, vel eorũ Vicarios rite facta præcedente, eamdem Catholicam fi-

Digitized by Google

dem, verbis, iuxta formæ infrascriptæ tenorem conceptis palam, & solemniter profiteri teneantur. Et desuper instrumentum publicum confici, ac de processu, seu informatione & fidei professione in priuilegio Doctoratus, vel alterius gradus huiusmodi specialis, ac de verbo ad verbum mentio & relatio fieri debeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo statuimus & ordinamus.

Superiores non permittât aliter aliquem promoueri ad gradus, vel facultates profiteri sub pœnis hic expressis.

§.5. Ac omnibus & singulis earumdem Vniuersitatum & Gymnasiorum Rectoribus, Doctoribus, & aliis Superioribus, ac alias facultatem doctorandi habentibus, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis & præeminentiæ fuerint, etiam si Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel maiori dignitate, etiam Cardinalatus honore, ac Ducali vel alia etiam Regia & Imperiali auctoritate præfulgeant, ne quem in Vniuersitatibus, Ciuitatibus, oppidis, vel aliis locis sibi, in spiritualibus vel temporalibus subiectis, aliter Cathedras, aut alias lectiones retinere, consequi, vel ad gradus promoueri respectiuè patiantur, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interdicto ab ingressu Ecclesiæ quoad Antistites, quo vero ad inferiores, sub excommunicationis latæ sententiæ, necnon priuationis omnium & singulorum dignitatum, beneficiorum, officiorum, & feudorum Ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, & inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, eo ipso per contrafacientes incurrendis pœnis districtius inhibemus.

Promotiones aliter factæ irritæ.

§.6. Ac quascumque receptiones, promotiones electiones, & admissiones absque processu, certaque de Religione, & Fide Catholica notitia, ac dicta fidei professione, sic vt præfertur, præcedente, pro tempore factas, nullas, inualidas, nulliusque roboris, vel momenti esse, neque cuiquam in iudicio vel extra suffragari posse.

Decretum irritans.

§.7. Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi, facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac quicquid secus à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Clauſ. derog.

§.8. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Vniuersitatum & Gymnasiorum, Ordinum, & locorum quorumcumque etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, facultatibus, & literis Apostolicis eisdē Vniuersitatibus & Gymnasiis, ac Ordinibus & locis, eorumque Rectoribus, Doctoribus, Superioribus, etiam in temporalibus Dominis, Comitibus Palatinis, & aliis etiam regularibus personis præfatis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, etiam vim contractus inducentibus clausulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam per nos ac Sedem præfatam, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, seu ad quorumuis, etiam Imperatorum, Regum, Rerumpublicarum, Ducum, & aliorum Principum instantiam, & alias quomodolibet concessis, ac etiam pluries approbatis & innouatis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorūq; totis tenorib. specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum inserērentur, præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, specialiter & expresse motu simili derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Forma & effectus publicus.

§.9. Ne autem quispiam præsentium ignorantiam prætendere, vel excusationem allegare possit; sed ipsæ ad omnium notitiam deducantur, volumus & mandamus, quod eædem præsentes in Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ nostræ valuis, ac acie Campi Floræ per aliquem ex Cursoribus nostris affixæ copia illarum ibi dimissa, omnes in Italia intra tres, extra vero illam existentes intra sex menses proximos ab ea die affixionis computandos, perinde arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Forma autem dictæ Professionis fidei hæc est.

Forma professionis Fidei.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula quæ continentur in Symbolo fidei, quo S.R.E. vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Cœli & Terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et vnam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector. Item sacram Scripturam, iuxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum admitto; nec eam vmquam nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse vera & proprie Sacramenta nouæ legis, à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia & singula quæ de peccato originali, & de iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo, definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo, verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis, & defunctis atque in Sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse vere, realiter, & substantialiter, corpus, & sanguinem, vna cum anima, & diuinitate Domini Nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuuari. Similiter, & Sanctos, vna cum Christo regnantes, venerandos atque inuocandos esse eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco. Romano

que

Digitized by Google

que Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cetera item omnia à Sacris Canonibus, œcumenicis Conciliis, ac præcipue à sacrosancta Tridentina Synodo, tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & immaculatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissime Deo adiuuante retinere, & confiteri, atque à meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, & doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro, sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Sanctio pœnalis.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, inhibitionis, derogationis, voluntatis, statuti, decreti & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D. P. An. 5. 13. Nouemb.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1564. Idibus Nouemb. Pontificatus nostri anno 5.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1564. *indict. 7. die vero* 4. *mensis Decemb. Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina Prouidentia Papæ IV. Anno* 5. *præsentes literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ad valuas Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis in præfatis locis præsentium retroscriptarum literarum copiis affixis, vt est moris per nos Iulium Parinum, & Bernardinum Andreutium præfatos S. D. N. Papæ Cursores.*

Ant. Clerici Magister Curs.

LXXXIX. Forma professionis Orthodoxæ Fidei, obseruanda à prouisis de beneficiis Ecclesiasticis curatis, ac dignitatibus, Ecclesiis, Monasteriis, & aliis locis Ordinum Regularium, & Militiarum.

Hanc professionem emittunt etiam plerique alij, vt habetur in præced. const. Græci autem quam formam seruent vide inf. in Gregor. XIII. constit. 33. Ego.

Edita An. D. 1564.

P I V S E P I S C O P V S, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Hæc dispositio Conc. Trid. est in cap. 12. sess. 24.

INiunctum nobis Apostolicæ seruitutis officium requirit, vt ea quæ Dominus Omnipotens, ad prouidam Ecclesiæ suæ directionem, sanctis Patribus in nomine suo congregatis diuinitus inspirare dignatus est, ad eius laudem, & gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaque iuxta Concilij Tridentini dispositionem, omnes quos deinceps Cathedralibus, & superioribus Ecclesiis præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus, & aliis quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis, curam animarum habentibus, prouideri continget, publicam Orthodoxæ Fidei professionem facere, seque in Rom. Ecclesiæ obedientia permansuros spondere, & iurare teneantur.

Extensio d. Concilij.

§. 1. Nos volentes etiam per quoscumque, quibus de Monasteriis, Conuentibus, Domibus, & aliis quibuscumque locis regularium quorumcumque Ordinum, etiam Militiarum, quocumque nomine, vel titulo prouidebitur, idem seruari, & ad hoc vt vnius eiusdem fidei professio vniformiter ab omnibus exhibeatur, vnicaque & certa illius forma cunctis innotescat, nostræ solicitudinis partes in hoc alicui minime desiderari, formam ipsam præsentibus adnotatam, publicari, & vbique gentium, per eos ad quos ex decretis ipsius Concilij, & alios prædictos spectat, recipi, & obseruari, ac sub pœnis per Concilium ipsum in contrauenientes latis, iuxta hanc, & non aliam formam professionem prædictam solemniter fieri, auctoritate Apostolica tenore præsentium districte præcipiendo mandamus huiusmodi sub tenore.

Forma profess. sionis fidei obseruanda sub pœnis his expressis.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula quæ continentur in Symbolo fidei, quo S. R. E. vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Cœli & Terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est, Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et vnam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector. Item sacram Scripturam, iuxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum admitto; nec eam vmquam nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse vera & proprie Sacramenta nouæ legis, à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia & singula quæ de peccato originali, & de iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo, definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo, verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis, & defunctis atque in Sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse vere, realiter, & substantialiter, corpus, & sanguinem, vna cum anima, & diuinitate Domini Nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuuari. Similiter, & Sanctos, vna cum Christo regnantes, venerandos atque inuocandos esse eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco. Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro. Cetera item omnia à Sacris Canonibus œcumenicis Conciliis, ac præcipue à sacrosancta

Digitized by Google

ſancta Tridentina Synodo, tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & immaculatam vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime Deo adiuuante retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, ſeu illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, & doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro, ſic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Iuſſio publicandi.

§. 3. Volumus autem quod præſentes literæ in Cancellaria noſtra Apoſtolica de more legantur, & vt omnibus facilius pateant, in eius quinterno deſcribantur, ac etiam imprimantur.

Sanctio pœnalis.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem, &c.

D. P. An. 5. 13. Nouemb.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1564. Idibus Nouemb. Pontificatus noſtri anno 5.

Publicatio.

Lecta, & publicata fuerunt ſupra ſcripta litera Romæ in Cancellaria Apoſtolica, Anno Incarnationis Dominicæ 1564. die vero Sabbati 9. menſis Decembris Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Pij Papæ 4. Anno V.

A. Lomellinus Cuſtos.

XC. Approbatio Confraternitatis ſub inuocatione Duodecim Apoſtolorum nuper in Vrbe inſtitutæ, pro decentiori Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti veneratione, & egenorum mendicare erubeſcentium, vel alias oppreſſorum ſubuentione, Et elargitio indulgentiarum.

Iſtam Confraternitatem Sixtus V. erexit in Archiconfraternitatem, cum facultate alias Confraternitates aggregandi die 15. Iulij 1586. ſed eius bullam prætermiſi, tamquam hoc dumtaxat continentem. Et formam aggregandi præfiniuit Clem. VIII. in conſt. 115. Quæcumque.

Opus d. venerationis Sanctiſſimi Sacramenti, mox diligenter curat Sodalitas Sanctiſſimi Corporis Chriſti, de qua habetur in conſtit. 20. Pauli III. *Dominus.* ſup. Hæc autem ſedulo incumbet dictæ pauperum ſubuentioni. Eiuſque indulgẽtias immutauit Paul. V. in conſt. mox publicanda iam firmata ſub die 3. Octob. 1606.

Edita An. D. 1564.

PIVS PAPA QVARTVS.
Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

IN Apoſtolicæ dignitatis culmine, meritis licet impares diuina diſpoſitione conſtituti, ad ea noſtræ conſiderationis aciem libenter dirigimus, per quæ noſtræ prouiſionis auxilio diuinus cultus cum animarum ſalute, vbilibet actiuum ſuſcipiat incrementum; & his quæ propterea ex pia fidelium deuotione inſtituta, & ordinata dicuntur, vt firma perpetuo, & inconcuſſa permaneant, cum à nobis petitur, Apoſtolici muniminis præſidium propenſius impartimur, ac fideles ipſos ſpiritualium gratiarum muneribus proſequimur, vt exinde diuinæ gratiæ aptiores reddantur, & charitatis deuotio in eis per amplius augeatur.

Quidã Chriſti fideles inſtituerunt in Vrbe Confraternitatem, pro decentiori Euchariſtiæ Sacramenti veneratione, & regimine

§. 1. Sane dilecti filij confratres Confraternitatis ſub inuocatione duodecim Apoſtolorum in Eccleſia Conuentus eorundem Sanctorum duodecim Apoſtolorum de Vrbe Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium nuncuparorum inſtitutæ, nobis nuper exponi fecerunt, quod alias nonnulli Chriſti fideles pia deuotione ducti conſiderantes Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inter cetera Eccleſiæ Sacramenta, præcipuis honore, reuerentia, & veneratione dignum, præſertim dum ad infirmos defertur, à nonnullis, vel paucis admodum Chriſti fidelibus, & minus quam deceat honorifice comitari, idque ægre ferentes, & ſingulari zelo deuotionis cupientes, vt eidem Sacramento debitus cultus, honor, & & veneratio exhiberentur, quantum in eis erat prouidere, vnam vtriuſque ſexus Chriſtifidelium Confraternitatem, ſub inuocatione præfata ad Omnipotentis Dei, ſacratiſſimique Corporis Dominici laudem, gloriam, & honorem inſtituerunt, & ordinarunt: ac pro eius ſalubri directione, & incremento, piorumque operum exercitio inter alia, nonnullos ex eis, qui curam, & regimen Monaſterij Monialium domus Piæ nuncupati, regionis S. Euſtachij de Vrbe, ſub regula ſanctæ Claræ d. Ordinis, mulierumque ibi pro tempore degentium nouiter erecti, & ab ipſa Confraternitate trahentis originem, haberent, & alios, qui Chriſtifidelium eleemoſynas perquirerent, vt exinde pauperibus erubeſcentibus, & miſerabilibus perſonis in ſuis neceſſitatibus eorumdẽ Chriſti fidelium ope ſecrete, & alias ſubueniretur, alios vero, qui alia pietatis, & charitatis opera erga quoſcumque pauperes ope deſtitutos, ac indigentia, paupertate, & litibus, & aliter oppreſſos illos conſulendo, & iudicibus pro iuſtitia commendando, ac viſitando, & ex eorum, & aliorum Chriſti fidelium eleemoſynis quantum poſſent eis ſubueniendo exercerent, conſtituerunt, & deputarunt.

Monaſterij Domus Piæ, & ſubuẽtione egenorum mẽdicare erubeſcentium, aut alias oppreſſorum.

Ad hæc vide quæ dixi in rubrica.

Et ſcias Domũ Piam hodie regi ab alia cõgregatione, vt habetur in conſtitut. 52. Gregor. XIII. Cupientes. vbi notabo.

Protectoremq; d. Cofraternitatis, Cardinalem Vitellii deputarunt.

§. 2. Necnon dilectum filium noſtrum Vitellotium Sanctæ Mariæ in Via lata Diaconum Cardinalem Vitellium nuncupatum, S.R.E. Camerarium, in ſuum, & dictæ Confraternitatis Confratrem, & Protectorem elegerunt, & receperunt, prout in inſtrumentis, ſeu capitulis, aut aliis documentis deſuper forſan confectis, plenius dicitur contineri.

Et modò ſupplicant Põtifici, pro confirmatione prædictorum.

§. 3. Quare pro parte Confratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus inſtitutioni Societatis, ac conſtitutioni, deputationi, electioni, & receptioni præfatis, pro firmiori illarum ſubſiſtentia robur Apoſtolicæ confirmationis adiicere, ac alias in præmiſſis opportune prouidere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Hic Pontifex d. inſtitutionẽ, & Protectoris deputationem & ordinationes iã firmatas approbat.

§. 4. Nos igitur qui pia, & ſalubria fidelium vota, ex quibus diuinus cultus propagatur, & ſalus animarum prouenire dignoſcitur, pij patris affectione libenter proſequimur, & vt optatum ſortiantur effectum, operam efficacem attentius impendimus, ac tam venerabile Sacramentum à cunctis Chriſtifidelibus, vt per hoc eorum deſideratam ſalutem conſequi valeant peramplius honorari, venerari, laudari, & magnificari ſinceris exoptamus deſideriis, ac Omnipotenti Deo, quod tam ſalubria, neceſſaria, & vtilia opera exerceantur, immenſas gratias agentes, & vt illa perpetuo frequenter, ac Chriſti fideles ipſi eis feruentius inſiſtant, quo nos erga eos amplioribus, & ſpecialioribus gratiis liberales eſſe, ſeque propterea maiori cæleſtis gratiæ deuotione refici poſſe cognouerint, quantum cum Deo poſſumus prouidere volentes, necnon veriores præmiſſorum inſtrumentorum, & aliorum documentorum deſuper confectorum tenores, præſentibus pro expreſſis habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, inſtitutionem, & ordinationem Confraternitatis, necnon conſtitutionem, & deputationem, ac Protectoris electionem, & receptionem huiuſmodi, aliaque omnia, & ſingula per eoſdem Confratres circa præmiſſa geſta, ſtatuta, & ordinata, ac prout illa concernunt, reliqua in inſtrumentis, ſeu capitulis, aut aliis documentis prædictis contenta, & inde ſecuta, quæcumque, (licita tamen, & honeſta) Apoſtolica auctoritate tenore præſentium, approbamus, & confirmamus, ac illa omnia, & ſingula Apoſtolici muniminis præſidio roboramus, omneſque & ſingulos, tam iuris, quam facti defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem ſupplemus. Et nihilominus eumdem Vitellotium Cardinalem, & quemcumque, qui ad id per ipſos Confratres pro tempore electus fuerit, in eiuſdem Confraternitatis Protectorem conſtituimus, & deputamus.

Aliaq; ſtatuta de cetero edẽdi facultatem tribuit.

§. 5. Et inſuper eiſdem Confratribus quæcumque ſtatuta, ordinationes, capitula, & decreta felix regimen, & gubernium dictæ Confraternitatis concernentia (licita tamen, & honeſta, ac ſacris Canonibus non contraria) edendi

Digitized by Google

edendi, condendi, & faciendi, conditaque mutandi, alterandi, ac penitus tollendi, seu cassandi, & alia de nouo edendi, condendi, & faciendi. Quæ postquam edita, condita, facta, alterata, mutata, & pro tempore per existentem Vicarium Almæ Vrbis approbata fuerint, eo ipso dicta auctoritate approbata sint, & esse censeantur. Seque in dicta Ecclesia congregandi, & congregationes faciendi, ac dilectis filiis fratribus dicti Conuentus Confraternitatem, suosque Confratres huiusmodi in dicta Ecclesia recipiendi, & admittendi, ac inibi congregari permittendi, plenam, liberam & omnimodam potestatem, licentiam, & facultatem eisdem auctoritate, & tenore concedimus, & impartimur.

Indulgentiæ Confratribus elargitur.

§. 6. Et insuper, vt Ecclesia, & Confraternitas in ea instituta huiusmodi, congruis frequententur honoribus, ac Confratres ipsi, aliique Christi fideles ad præfatum Eucharistiæ Sacramentum dum processionaliter, ac alias ad infirmos defertur, deuote, & honorifice comitandum alliciantur, & etiam, vt se eo promptiores ad id exhibeant, quo se exinde æternæ vitæ præmia facilius consequi sperauerint, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis ipsius Confraternitatis Confratribus pro tempore existentibus, & illam pro tempore ingredientibus, ceterisque vtriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, seu statutis à iure temporibus confitendi propositum habentibus, qui dictam Ecclesiam in singulis dictus festiuitatum duodecim Apostolorum annis singulis deuote visitauerint, ac processionaliter cum eisdem Confratribus dictum Eucharistiæ Sacramentum, dum illud tam ad infirmos quam aliàs, pro tempore deferetur, honorifice, ac cum debitis reuerentia & honore, Deum orando, & mente recolendo, piasque preces ad eum effundendo comitati fuerint; ac qui missæ vltimo quoque die Dominico cuiuslibet mensis in dicta Ecclesia alta voce, & alias solemniter celebrandæ interfuerint, vel inibi confessi & corde contriti ipsum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac præmissa adimpleuerint, & quoties orationem quadraginta horarum nuncupatam per eosdem Confratres fieri contigerit, in dicta Ecclesia, seu eorum capella interfuerint, quoties id fecerint, toties plenariam omnium, & singulorum peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem in forma Iubilæi Sancti, auctoritate, & tenore præfatis, misericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Ac institutionem Confraternitatis, ac constitutionem, electionem, & receptionem Protectoris, capitulaque, & alia per eosdem Confratres gesta huiusmodi, perpetuis futuris temporibus obseruari debere.

Tu ad hoc aduerte quod dixi hic in rubr.

Clausula huius bullæ præseruatiua.

§. 7. Necnon indulgentias, & alia præmissa sub quibusuis reuocationibus, suspensionibus, aut derogationibus similium, vel dissimilium indulgentiarum, & gratiarum nullatenus comprehendi, sed semper ab illis excepta fore, & censeri, dictosque Confratres, suosque officiales, aut eorum aliquem super præmissis, seu eorum aliquo à quoquam quouis prætextu etiam pro informatione Curiæ, tam ex officio, quam ad instantiam Fisci quomodolibet molestari, seu perturbari non posse.

Clausula sublata.

§. 8. Et sic per quoscumque Iudices, & Commissarios quauis auctorirate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere. Ac quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Derogatio cõtrariorum.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Conuentus, Monasterij, & Ordinis præfatorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis eorumque superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices etiam prædecessores nostros, ac nos, & Sedem prædictam, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo, ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alia in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 10. Volumus autem quod transumptis præsentium, manu alicuius Notarij publici, vel Secretarij ipsius Confraternitatis subscriptis, & sigillo prædictæ Confraternitatis, seu Protectoris illius, aut alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, & adhiberi debeat, quæ literis ipsis originalibus adhiberetur, si exhibitæ forent, vel ostensæ.

Fides exemplorum.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 16. Nouembr. 1564. Pontificatus nostri Anno 5.

Dat. P. A. 5. 16. Nouemb.

De Spoliis Clericorum, extra residentiam decedentium. XCI.

Extensionem etiam quoad Curiales, vide infra in Pauli V. constit. 18. In eminenti. *vbi plene notabo de materia.*

Circa spolia vide const. 48. S.D.N. Vrban. VIII. *Superni*, inf. tom. 4. §. 12.

PIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita A. D. 1564.*

Præmium.

IN suprema militantis Ecclesiæ specula meritis licet insufficientibus diuina dispositione constituti, cunctos non solum vigilantiæ nostræ commissos dominicos greges, sed etiam singulorum Pastorum suorum actus intensa nostræ mentis acie collustrantes, studium efficax, operamque sedulam ad hoc omnino statuimus adhibere, vt quemadmodum operosum Sacri Concilij Tridentini progressum, felicemque exitum, Domino cooperante præstitimus, ita sanctissima illius decreta, ipsorum præsertim, qui in Apostolicæ solicitudinis partem vocati sunt Pastorum officium concernentia, non tepide, neque dissimulanter exequamur.

Cõc. Trid. sess. 6. c. 1. & sess. 23. c. 1. decreuit Curatos apud eorum Ecclesias residere debere.

§. 1. Sane licet in Concilio præfato saluberrima fuerit ordinatione decretum, quod omnes, & singuli venerabiles fratres nostri Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, & alij beneficiati apud Ecclesias sponsas suas residere teneantur, nonnulli tamen (quod non sine animi nostri mœrore referimus) adeo sui, gregumque quos olim deperditos Saluator noster proprio sanguine redimere dignatus est, sibi creditorum obliti sunt, vt etiam nunc in Alma Vrbe, vel alibi commorantes, & sacrosancta spiritualis matrimonij, inter eos, suasque Ecclesias solemniter contracti iura confundentes, sponsas suas in longa quasi viduitate relictas, & prædictas Ecclesias quomodocumque sibi concessas inuisere, & apud illas, vt probos, & prouidos patresfamilias decet, residere non curent, in perditionem animarum suarum, & subditorum suorum, ac pernicioſum exemplum & scandalum plurimorum.

Hic Pont. etiã monet, & hortatur eosdem ad residentiã.

§. 2. Nos hanc illorum contumaciam alicuius etiam temporalis pœnæ metu, frangendam, seu conuincendam esse censentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis præfatis, ac aliis quibuscumque etiam quauis auctoritate, dignitate, gradu, vel præeminentia præfulgentibus, dictas Ecclesias in commendam, vel administrationem, aut alio quouis nomine obtinentibus, & aliis quibuscumque beneficiatis curam animarum habentibus, qui iuxta decreti super Residentia in Concilio prædicto promulgati tenorem, personalem in suis Ecclesiis residentiam

Digitized by Google

tiam facere tenerentur, in virtute ſanctæ obedientiæ, vltra pœnas in dicto decreto Concilij contentas, etiam ſub priuationis eorum, à regimine, & adminiſtratione Eccleſiarum ſuarum, ac aliis noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis ſucceſſoris noſtri arbitrio imponen. pœnis diſtincte præcipiendo per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omni mora ceſſante in eiſdem ſuis Eccleſiis, iuxta formam, & tenorem dicti Concilij perſonaliter reſideant.

Et nõ reſidentium bona, vti ſpolia ad Cameră ſpectare decernit, nõ attenta licentia teſtandi, ſi extra reſidentiam deceſſerint.

§. 3. Et nihilominus, ſi quos mandato noſtro huiuſmodi, quod abſit, non parere contigerit, ne etiam tales abſentes melioris in hac parte conditionis, quam ceteri in ſuis Eccleſiis reſidentes exiſtant, hac noſtra perpetuo valitura ſanctione per præſentes ſtatuimus, & ordinamus, quod deinceps omnia, & ſingula mobilia, & immobilia, etiam in Vrbe, vel eius diſtrictu, exiſtentia, & ſe mouentia, res, & bona, iura, & actiones cuiuſcumque qualitatis, & valoris, ac vbicumque locorum conſiſtant, ad Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios quoſcumque, etiam quauis auctoritate, dignitate, gradu, & præeminentia præfulgentes, Eccleſias prædictas in titulum, vel commendam, ſiue adminiſtrationem, aut alio quouis nomine obtinentes & alios quoſcumque beneficiatos, curam animarum habentes, qui extra prædictas Eccleſias, ac diœc. etiam in Romana Curia, aut alibi degentes, & iuxta decretum, & formam Concilij huiuſmodi non reſidentes deceſſerint pertinentia, & per illos ſuarum Eccleſiarum, ac quorumcumque Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, & aliorũ beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, ſæcularium, & regularium, quæ illi quomodolibet obtinuerint, ac fructuũ, reddituum, & prouentuum Eccleſiaſticorum, necnon penſionum annuarum ſibi ſuper ſimilibus fructibus, redditibus, & prouentibus reſeruatarum, & aſſignatarum occaſione quæſita, etiam ſi facultatem ſpecialem, de illis, aut eorum parte teſtandi, & alias libere diſponendi, à nobis, & à quibuſcumque aliis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus, & ſucceſſoribus noſtris, etiam cum clauſulis, quod facultates huiuſmodi reuocari non queant, aliiſque irritantibus decretis obtinuerint, & in vim illarum literarum deſuper confectarum, de rebus, & bonis hniuſmodi iamque diſpoſuerint, tanquam ſpolia ad Cameram Apoſtolicam legitime pertineant.

Iuſſio deſcribendi dicta bona, & Cameræ applicandi.

§. 4. Liceatque dilectis filiis moderno, & pro tempore exiſtenti Commiſſario noſtro generali, & ſuis dictæ Cameræ deputatis in euentum deceſſus huiuſmodi, ſolitum inuentarium ſuper rebus, & bonis præfatis conficere, illaque prout de reliquis clercorum ſpoliis fieri ſolet, ad dilecti filij noſtri moderni, & pro tempore exiſtentis generalis Theſaurarij manus redigere, dictæque Cameræ applicare, cuiuſuis licentia deſuper minime requiſita.

Licentiæ teſtandi non reſidentibus tollit, diſpoſitionesque eorum annullat.

§. 5. Ac facultates, & deſuper confectas literas prædictas, etiam motu, & ſcientia ſimilibus, etiam in recompenſam laborum, & obſequiorum, etiam Nobis, & Eccleſiæ Romanæ dictæque Sedi impenſorum quomodolibet conceſſas, & etiam iteratis vicibus approbatas, illarum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, in euentum obitus huiuſmodi, etiam ſi in Vrbe, aut eius diſtrictu, vel alibi extra ſuas Eccleſias, vt præfertur, contigerit, ex nunc, prout ex tunc, & econtra, in dictæ contumaciæ pœnam eiuſdem poteſtatis plenitudine, & tenore reuocamus, caſſamus, & annullamus, & tam eas, quam earum prætextu quomodolibet pro tempore condita, factaque teſtamenta, codicillos, legata, donationes, & alias diſpoſitiones quaſlibet, etiam ad pias cauſas, vel in remunerationem ſeruitiorum, nulla, & inualida, nulliuſque roboris, vel momenti fore, neque cuiquam contra præſentium tenorem ſuffragari.

Decretum irritans.

§. 6. Et ſic per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, & S.R.E. Cardinales in quauis inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliàs iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere, ac quicquid ſecus à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus.

Declaratio quod ſolæ ordinationes Apoſtolicæ circa ſpolia vim retinent.

§. 7. Per hoc autem noſtris, & Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum ordinationibus, reſeruationibus, & decretis, quoad Prælatorum, & aliorum beneficiatorum, etiam in ſuis Eccleſiis, aut diœceſ. reſidentium, & ibi decedentium, quæ etiam ampliamus, & extendimus ad habentes Eccleſias in Vrbis diſtrictu, ibique reſidentes, & decedentes, ſpolia Cameræ Apoſtolicæ applicata hactenus emanatis, nullatenus præiudicare, neque quicquam in eis alterare intendimus, ſed ea in ſuo robore, vt antea, manere volumus, præterquam quoad eos, qui in ſuis Eccleſiis iuxta formam prædicti Concilij reſederint, & ſpecialem licentiam teſtandi habuerint, hanc enim tantum ſaluam eis eſſe volumus, itaut generalis licentia teſtandi eis quamquam reſidentibus minime ſuffragetur, ſed ſola ſpeciali ſi quam habuerint tueri ſe poſſint.

Forma, & effectus publ. quam habet in fin.

§. 8. Ceterum vt præceptum, mandatum, ſtatutum, ordinatio, reuocatio, caſſatio, decretum, & alia præmiſſa, præſenteſque literæ ad eorum quorum intereſt notitiam deducantur, nulluſque poſſit aliquam illorum ignorantiam prætendere, vel excuſationem allegare, ſed illa perpetuo firma & illibata permaneant, volumus & mandamus quod eædem præſentes in Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ noſtræ valuis, ac acie Campi Floræ per aliquem ex Curſoribus noſtris affixæ, copia illarum ibi dmiſſa, ab ea die omnes perinde arctent, ac ſi illis perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Clauſula derogatoria.

§. 9. Non obſtantibus præmiſſis, ac in fauorem Curialium per ſel. rec. Sixtum Quartum, Leonem Decimum, Iulium Tertium, & quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam per nos editis & approbatis, necnon aliis literis, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. A 5. 15. Nouemb.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1564. 7. Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri anno 5.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1564. indict. 7. die vero 4. menſis Decemb. Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D.N.D. Pij diuina Prouidentia Papæ IV. Anno 5. retroſcripta litera Apoſtolicæ affixa, & publicata fuerunt ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, ad valuas Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, dimiſſis in præfatis locis præſentium retroſcriptarum literarum copiis affixis, vt eſt moris per nos Iulium Parinum, & Bernardinum Andreutium præfatorum S.D.N. Papæ Curſores.

Ant. Clerici Magiſter Curſ.

XCII. Reuocatio cuiuſcumque priuilegij, Communitatibus, Confraternitatibus, & aliis quibuſcumque; etiam locis piis conceſſi, homicidam in in die Veneris Sancti, aut alio tempore è carceribus liberandi, & reſeruario eiuſmodi gratiæ conſulto Pontifice ab eius officialibus de cetero concedendæ.

Edita An. D. 1564.

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

DVm ad ſolitam Romani Pontificis Ieſu Chriſti Vicarij clementiam, tanquam ad exuberantem pietatis fontem pro gratiis impetrandis vndequaque concurritur, ipſique more pij patris omnes vti filios dilectiſſimos in intimis charitatis, & miſericordiæ viſceribus indulgenter amplectimur, vſu nonnumquam euenit inde priuilegia flagitando reportari, quæ licet prima petitionis ſpecie nihil incommodi ſecum afferri videbantur, illorum tamen conceſſionem ſubſequens experientia Reipublicæ damnoſam, meritoque eſſe conuincit improbandam.

Cauſa huius conſtit.

§. 1. Sane quoniam & noſtri paſtoralis officij cura, & præſentium temporum conditio plane nos coegit modum diuerſis abuſibus, qui iampridem in mores hominum, quos Dei prouidentia vigilantiæ noſtræ committere dignita eſt, ſenſim irrupſerant, aliquando ſalubriter imponere, prout in his, non ſolum circa ſpiritualem vniuerſalis Eccleſiæ, cui licet immeriti præſidemus, ſed etiam circa temporalem Sedis Apoſtolicæ ſtatum, videlicet reformandum aciem noſtræ mentis intendere

Digitized by Google

tendere dudum cooperante Domino non desistamus Nos etiam non minimum operæpretium facturos esse censemus, si cunctas quo ad eius fieri poterit occasiones homicidiorum, quæ in diuinæ maiestatis offensam, & publicæ quietis perturbationem in dies passim increbrescunt patrandorum conabimur è medio submouere. Considerãtes itaque priuilegia variis ciuitatum, terrarum, & locorum, nobis & S.R.E. in temporalibus immediate subiectorum, Communitatibus, Vniuersitatibus, ac Confraternitatum, & aliorum piorum locorum, Rectoribus, & hominibus super vno homicida singulis annis Veneris in Parasceue, vel alio certo die, è carceribus, meritisque suppliciis liberando, & salutiferæ cruci, vel altari præsentando, aut patriæ dimittendo, per nonnullos Rom. Pont. prædecessores nostros, & Sedem ptædictam in Christianæ charitatis, diuinique cultus, & fidelium subditorum fauorem diuersimode concessa, nonnumquam improbis, sicariis, & sceleratis, parricidis ansam in proximum quemque suũ sub spe liberationis huiusmodi crudeliter sæuiendi, & humanum sanguinem effundendi præbuisse, ac illos in quorum manu priuilegiorum vsus aut executio sita est, eis vt plurimum non ad Christianam pietatem vti, sed potius ad quæstum, & fauores importunos in animarum suarum perniciem, & bonorum scandalum imprudenter abuti solere, perditissimos homines, à necessaria, nec vlla ratione condonandi morte, cœlo, terraque multum indignantibus, atque reclamantibus impie sub prætextu pietatis eripientes.

Reuocatio priuilegiorũ Cõfraternitatibus, & aliis concessorum, liberandi homicidas carceribus.

§. 2. Nosque propterea omnino præstare censentes, quod huiusmodi gratiæ, à nostro, & qui, cum sit omni corruptela superior, an tales huius immanitatis damnati homines misericordiæ locum reliquerint, sincerius rimabitur, Rom. Pont. pro tempore existentis, quam incertæ multitudini, corruptorumue Rectorum arbitrio dependeant: Necnon quorumcumque priuilegiorum Communitatibus, Vniuersitatibus, ac Collegiis prædictis, & aliis quibuslibet, etiam quorumuis Imperatorum, Regũ, vel Religionis contemplatione, seu in damnum, recompensam, vel aliter quomodolibet concessorum, ac pluries etiam per nos approbatorum & innouatorum literarumque desuper expeditarum, & inde secutorum, tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula priuilegia præmissa, tam in Alma Vrbe, quam extra eam in vniuerso eiusdẽ S.R.E. dominio temporali, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis, etiam vim contractus inducentibus clausulis, irritantibusque & aliis decretis, etiam consistorialiter, ac Motu, & potestatis plenitudine similibus, per quoscumque Rom. Pont. prædecessores nostros, ac nos, & Sedem prædictam, vel eius Legatos quibusuis Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Locis, seu Communitatibus, Vniuersitatibus, Confraternitatibus, Collegiis, Ecclesiis, Hospitalibus, piis locis, & aliis personis, tam sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, etiam cuiusuis Ordinis regularibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, qualitatis, & præeminentiæ fuerint, hactenus quomodolibet concessa, ac etiam pluries approbata, & innouata, tenore præsentium reuocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, nulliusque roboris, vel momenti fore, neque deinceps cuiquam suffragari, neque Ciuitates, Oppida, Castra, Loca, seu Communitates, Vniuersitates, Collegia Confraternitates, aut eorum Rectores, vel alios quoslibet eorumdem priuilegiorum prætextu alicuius homicidæ gratiam, absolutionem, aut remissionem prætendere, requirere, vel homicidam absoluendum nominare, seu præsentare, vel huiusmodi priuilegiis alias vti, neque ciuitatum, terrarum, aut locorum prædictorum Gubernatores, Rectores, vel Magistratus pro tempore existentes, nominationes, aut præsentationes huiusmodi admittere, seu aliquem ita nominatum, vel præsentatum dimittere, & absoluere posse.

Reseruatio gratia de cetero concedẽda. Hoc hodie seruatur, vt consulto Pont. cõcedatur.

§. 3. Sed si quis casus, gratia, & miseratione dignus occurrat, illum ad nos, & pro tempore existentem Romanum Pontificem, vt in hoc pro facti, personarumque qualitate fiat quod conuenire videbitur, referri debere. Ac quicquid secus à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus, & declaramus.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Vt autem præsentes ad omnium notitiam facilius deducantur, volumus, & mandamus quod illæ in Cancellarię Apostolicę valuis, ac in Acie Campi Floræ de Vrbe per aliquem ex nostris Cursoribus affixæ, copia illarum ibi dimissa, vniuersos, & singulos quorum interest intra mensem à die affixionis huiusmodi computandum, perinde afficiant, arctentque ac si illis personaliter intimatæ fuissent. Nulli ergo omnino hominũ, &c. *Clausula derogatoria.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1564. 19. Kalen. Ianuarij, Pontificatus nostri, Anno 5. *Dat. P. An. 5. 14. Decemb.*

Anno à Natiuitate Domini 1565. *indictione* 8. *die vero* 18. *mensis Aprilis, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. Anno* 6. *retroscripta litera Apostolica publicatæ, & affixæ fuerunt in Cancellaria & Cameræ Apostolica valuis, & acie Campi Floræ, vt moris est, dimissis ibidem in supradictis locis præsentium literarum copiis affixis, per nos Iulium Parinum, & Camillum Cherubinam prælibati Sanctiss. D. N. Papæ Cursores.* *Publicatio.*

Nicolaus de Matthæis Mag. Curs.

Iurisdictio Consulum Artis Merciariorum Almæ Vrbis. XCIII.

Confirmationem earumdem facultatum habes infra in Gregor. XIII. const. 61. Vrbem. *Et aliam concessit Clem. VIII. die* 10. *Februarij* 1593. *sed eam tamquam simpliciter confirmatoriam sciens prætermittam.*

PIVS PAPA QVARTVS
Motu proprio, &c. *Edita An. D. 1565.*

CVm pastorali nostro incumbat officio, iuxta facti exigentiam, & temporum varietates, quoscumque ad suas iurisdictiones temporum calamitate collapsas, restituere, & reintegrare. *Exordium.*

§. 1. Nos attendentes dilectos filios Collegium, & Vniuersitatem Merciariorum, & illis adhærentium huius Almæ Vrbis, & Curiæ nostræ non modicæ vtilitati, & commoditati, immo etiam necessitati, dum varia præsertim mercimonia humano vsui apprime necessaria, longinquis ex partibus, maximis eorum nedum sumptibus, verumetiam sæpe dispendiis, ac laboribus & periculis, quotidie ad Vrbem, & Curiam præfatas, maxima etiam cum vectigalium & portoriorum S. R. E. fructu & vtilitate, terra, marique, vehunt, & vehi procurant cõsulere. Et propterea dilectos filios Conseruatores Almæ Vrbis, considerantes eosdem Collegium, & Vniuersitatem, illiusque particulares homines pro eorum creditis exigẽdis coram diuersis Vrbis tribunalibus & Iudicibus, maximis cum laboribus & dispendiis defatigari, & ea de causa, bona & mercimonia huiusmodi fieri cariora eisdem Collegio & Vniuersitati, vt Consulatũ, & peculiare tribunal, ad aliarũ artium, & præsertim Mercatorũ instar, construerent & erigerent, commisisse, & mandasse, eisdẽ solum & locum ad dictum tribunal, & Consulatum construendum inibique de rebus ad eorum artem spectantibus, & pertinentibus iusdicendum, causasque sui fori cognoscendum, prout alias consueuerant assignasse. *Conseruatores Vrbis assignarunt Vniuersitati Mercatariorum locũ in foro Capitolino, vt ibi Consules iusdicerent de rebus spectantibus ad artem.*

§. 2. Ac fel. record. Bonifacium Papam Nonum prædecessorem nostrum, seu de illius mandato quondam Zachariam Triuisanum Venetum, tunc Vrbis Senatorem eisdem Collegio, & Vniuersitati habilitatem, licentiam, facultatem, libertatem, & potestatem quascumque res, & spetiarias, ferreas, argenteas, aureas, vel alias humano vsui necessarias, & pertinentes, etiam quascumque alias artes, & artificum quæcumque Collegia in specie quomodolibet concernentes exponẽdi, & expositas publice etiam per Vrbem portan. vendendi sine aliquibus quomodolibet eis à quoquam aliarum Artium *Senator Vrbis tempore Bonifacij IX. eidẽ Vniuersitati facultatem dedit vendẽ. quascumque res, etiam concernẽtes alias artes, & erigendi vnum Collegium.*

Digitized by Google

propoſito obſtaculo ſeu impedimento, impoſito vel inferendo, conceſſiſſe, nec obid aliud quam vnum & idem Merciariorum Collegium, ſed ſeorſum ab aliis vti hæc Alma Vrbs in vſu habebat cenſeri mandaſſe; nec etiam ea re, cuique dictarum aliarum Artiũ Collegio, Collegiique Præpoſito ipſos Vniuerſos, & ſingulos Merciarios Vrbis, fieri ſubiectos voluiſſe. Quinimo ipſos omnes tamquam miniſtrantes negocia, & exercitia, que vberiorem Ciuitatẽ alunt tueri, & manuteneri, ac defendi cenſuiſſe, ab omnibus contrariantibus, maxime ab his, qui auaritia ducti earum rerum faciebant pretia cariora. Idemque Senator præfatus per conceſſam poteſtatem à Bonifacio prædeceſſore noſtro, etiam auctoritate, & poteſtate Senatus præmiſſa ſanciuiſſe, & perpetuo valitura mandauiſſe.

Collegii modo ſtatuit, Cõſules cognoſcere cauſas de rebus ſpectan. ad artem, vſque ad quãcumque ſummam inter homines de arte, & inter alios vſque ad ducat. 30. Ad quod vide ampliationẽ hic in fine.

§. 3. Ipſumque Collegium, & vniuerſitatem nonnulla ſtatuta ad dictum Tribunal, & ad artem huiuſmodi neceſſaria, in libro Statutorum deſcripta edidiſſe, & ordinaſſe, illaque per Senatores, & Conſeruatores reſpectiue approbata, & confirmata fuiſſe. Et nouiſſime inter cetera ſtatuiſſe, & ordinaſſe, quod Conſules ius & rationem inter homines artis, & pro quibuſcumque cauſis ad artem huiuſmodi ſpectan. & pertinen. & ab eis dependẽ. vſque ad quamcumque ſummam ius reddere valeãt, & ſi aliquis ipſius artis conueniret in iudicio aliquam aliam perſonam, quæ non eſſet eiuſdem artis, dummodo foret pro re ad artem ipſam ſpectante, Conſules, qui pro tẽpore fuerint iuriſdictionem contra tales, cuiuſcumque ſtatus, gradus, aut conditionis exiſtant ementes bona dictæ artis, & alias ſuper eis quomodolibet contrahentes conuentos, vſque ad ſummam triginta ducatorum auri in auro de Camera haberent, & perſonæ ſic conuentæ iuriſdictionẽ huiuſmodi, vſque ad dictam ſummam incluſiue, ſub quouis prætextu, cauſa, vel occaſione, etiam ſi eſſent nobiles, & Romani Ciues; Vrbis incolæ, vel Curiales omnes, ſeu alias quoquo modo declinare non poſſint.

Libriſque eorum mercãtiliter tenẽtibus fidam adhiberi.

§. 4. Et ne in vnaquaque ſumma præſentia Notarij, & illius ſtipulatio requiratur, ſtatuiſſe, quod Codicibus, & libris rationum Merciariorum, Velectariorum, Betrectariorum, Setarolorum, ſeu Banderariorum dictæ Vniuerſitatis, & aliorum eiuſdẽ Collegij confectis vſque ad ſummam triginta ducatorum auri de Camera, omnibus partitis eiuſdem rationis ſimul computatis plene credatur, & fides adhibeatur cum iuramẽto, contra quoſcumque. Inter homines vero de arte vſque ad quamcumque ſummam occaſione merciariæ, & cuiuſlibet alterius generis ad artem huiuſmodi pertinentis. Ita quod agentes, & exigere volentes cum iuramento, perinde plena fides dictis libris adhibeatur, ac ſi legitime, & concludenter probatum eſſet, dummodo ipſi libri, mercantiles, & mercatorum more, & ordine ſcripti, confecti, & tenti ſint, rationabili ſuſpicione carentes, & ad perſonas ſcribentes reſpectu habito.

Falſitatẽ contra doloſe cõmittẽn. in eorum libris coerceri.

§. 5. Et ſi falſitas in aliquo loco doloſe annotata reperiretur, talis liber per Conſules vniuerſitatis prædictæ in foro publico Capitolij ſono tubæ comburatur, cum publicatione falſitatis, & illius auctoris; & alias pœnas incurrat, quas de iure communi vel municipali incurriſſe diceretur, & perpetuo infamis remaneat, & per eum ſcribendis de cetero non credatur.

Appellationque non poſſe à ſententiis Conſulum à x. ſcutis infra.

§. 6. Necnon à ſententiis à ſumma decem ſcutorum, & infra aliquæ ex partibus coram dictis Conſulibus litigan. quemadmodum aliis Iudicibus, & Curiis conceſſum extitit, appellare, vel alias reclamare minime poſſint, nec valeant, & quicquid per eoſdem Conſules decerneretur, aut fieret eſſet validum, firmum & efficax, realique executioni demandandum.

Quæ ſtatuta Senator, & Conſeruatores approbarunt. Hic Pontifex confirmat, & innouat ſupradictas ordinationes Senatorum, & Conſeruatorũ, & ſtatuta Vniuerſitatis & Conſulum iuriſdictionẽ, & facultates. Imo ampliat. vt hic in fine.

§. 7. Hæcque & alia vltimò dictæ ordinationes, & ſtatuta per dilectos filios modernos ipſius Vrbis Senatorem, & Conſeruatores tamquam rationi conſonantia, approbata, & confirmata fuiſſe.

§. 8. Idcirco idem Collegium, & Vniuerſitatem tamquã præmiſſis de cauſis de Republica optime meritos, ſpecialibus fauoribus, & gratiis proſequentes, Motu ſimili, &c. non ad ipſius Collegij, & Vniuerſitatis, aut alterius eiuſdem artis inſtantiam, & requiſitionem, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac poteſtatis plenitudine, mandatum, aſſignationem, conſignationem, conſtructionem, & erectionem dicti Conſulatus, & tribunalis, vt præmittitur factũ, necnon licentiam, libertatem, habilitatem, facultatem, & poteſtatem ab eodem Bonifacio prædeceſſore noſtro, ſeu Zacharia olim Senatore præfatis conceſſas, ac ab ipſa Vniuerſitate condita Statuta, & ordinationes, facta & vt ſupra approbata, & in poſterum per ipſam Vniuerſitatem fienda, & per Senatorem, & Conſeruatores eiuſdem Vrbis iuxta formã Statutorũ præfatæ Vrbis approban. illorumque, & illarũ confirmationes, ac eiuſdẽ Bonifacij prædeceſſoris Zachariæ Senatoris, conceſſionem illorum, ac omnium, & ſingulorum præmiſſorum, ceterorumque hic etiam de neceſſitate exprimendorum veriores tenores, & effectus, pro hic plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum, penitus & omnino inſertis habentes, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, confirmamus, & innouamus, eiſque perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, ac ea omnia, & ſingula perpetuo, & inuiolabiliter obſeruari debere decernimus, & mandamus, & quatenus opus ſit de nouo cõcedimus, & vt ſupra ſtatuimus, & ordinamus, omniaq; & ſingula inuiolabiliter perpetuis futuris tẽporibus obſeruari mandamus. Ac omnes, & ſingulos, tam iuris, quam facti defectus, ſi qui forſan intreuenerint in eiſdem, ſi quæ ſolemnitates omiſſæ fuerint ſupplemus. Ita quod eiuſdẽ Collegij, & Vniuerſitatis moderni, & reliqui in poſterum pro tempore exiſtentes Conſules ſuper huiuſmodi & in ſpecie ſuper præfato ſtatuto de iuriſdictione, iuxta illius tenorem vſque ad quamcumque ſummam exercendi quoad perſonas de arte huiuſmodi; & qui de arte non fuerint, vſque ad dictam ſummam triginta ducatorum auri de Camera abſque alio obſtaculo, vel impedimento aliarum Curiarum, iuriſdictionem, & poteſtatem habeant pront tenore præſentium damus, concedimus, & elargimur facultatem, licentiam, & poteſtatem, ac auctoritatem, in omnibus & ſingulis, cauſis, litibus & differentiis, ex quauis cauſa, vel occaſione ad artem huiuſmodi ſpectan. & pertinen. ſeu dependentibus, vna cum omnibus, & ſingulis ſuis incidentibus, emergentibus, dependentibus, annexis, & connexis coram eis vertentibus, & quæ in futurum contigerint moueri, procedendi ſummarie, ſimpliciter & de plano, nulla iuris ſolemnitate, vel ordine ſeruato, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſola facti veritate inſpecta procedant, & cognoſcant, terminent & decidant, & procedere perpetuis futuris temporibus, poſſint & valeant, vſque ad totalem, finalemque, & effectualem executionem, & paritionem omnium & ſingulorum eorum mandatorum, realiter, vel perſonaliter, prout eis videbitur relaxandorum.

Et præcipit Iudicibus Vrbis ne Conſules deſuper impediant.

§. 9. Nec præfatos modernos, & pro tempore exiſtentes Vrbis, Gubernatorem, Senatorem, Vicarium noſtrum, & Cameræ Apoſtolicæ Auditorem, vel alios quoſuis eiuſdem Vrbis Iudices, & officiales, tam Ordinarios quam Commiſſarios, etiam prætextu obligationum in forma Cameræ Apoſtolicæ iuxta Motum proprium Populo Romano conceſſum, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ incurren. impediri, vel alias quomodocumque, & qualitercumque moleſtari, ſeu reaſſumi, aut reuocari, ſeu inhiberi poſſint, nec reſpectiue valeant.

Clauſula ſublata.

§. 10. Et ita per quoſcumque Iudices quauis auctoritate, dignitate, vel facultate fungentes, etiam S. R. E. Card. ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, reaſſumendi, inhibendi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, interpretari, & definiri debere decernimus.

Clauſula præſeruatiua.

§. 11. Et quod præſentibus, ſeu literis deſuper conficiẽdis, ſub quouis prætextu, per quaſcumque clauſulas, etiã derogatoriarum derogatorias derogari non poſſit, niſi cũ tota præſentium præinſertione, & ſpecifica nominum eorumdem Conſulum mentione, irritum, & inane, quicquid ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Ita quod præfati pro tempore exiſtentes Conſules procedere poſſint, & valeant, illis non obſtantibus, abſque aliquo attentatorum, & innouatorum vitio.

Clauſula derogatoria.

§. 12. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Gubernatori, Senatori, Vicario noſtro, aut Cameræ Apoſtolicæ Auditori, ceteriſque aliis Iudicibus, quoad cauſas dicti fori, &

Digitized by Google

& de rebus ad rem spectantibus, & pertinentibus, necnon statutis, & consuetudinibus etiam iuramento, &c. confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, ac facultatibus eisdem Gubernatori, Senatori, Vicario nostro, & Cameræ Apost. Auditori, Collateralibus, & quibusuis aliis, in genere, vel in specie, sub quibuscũq; tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam quantumuis efficacissimis clausulis & decretis quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita seruata foret, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, harum serie specialiter, & expresse omni meliori modo, &c. derogamus. Necnon omnibus illis quæ dictus Bonifacius seu idem Zacharias Senator in eorum literis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

PP. subscrip. Repetitio clausularum.

Fiat vt petitur. I.

§. 13. Et cum absolutione à censuris ad effectum, &c. etiam in casibus regulæ, &c. cum illius opportuna derogatione, quatenus opus sit exten. Et quod tenores literarum, & statutorum prædictorum habeantur pro expressis, & latissime, ac de verbo ad verbum exprimi & inseri possint & de approbatione, innouatione, confirmatione, indulto, decreto, derogatione, processu, & aliis præmissis, de omnibus & singulis prædictis quæ hic pro repetitis habeãtur perpetuo in forma gratiosa & ex certa scientia.

Ampliatio iurisdictionis Consulum quando partes consentiunt.

§. 14. Quodque qui tacite vel expresse, in eorumdem Consulum iurisdictionem consenserint, etiam vsque ad quamcumque summam ius dicere & causas cognoscere & terminare possint & valeant, nec propterea per viam nullitatis impugnari vel retractari possint decernimus. Et quod præsentium sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio, & extra, regula contraria non obstante, attento quod in Vrbe, seu si videbitur literæ desuper etiam cum deputatione executorum qui assistant.

Facultas citandi infra districtum.

§. 15. cum potestate pro illis, ac dictis Consulibus monendi, cogendi, grauandi, & reaggrauandi, ac citandi per Senatorium edictum, infra districtum iuxta formam Statutorum Vrbis, ac etiam per edictum publicum, constito summarie & extraiudicialiter, de non tuto accessu & reassumen. quascumque causas ad instantiam rei volentis iurisdictionem dictorum Consulum à quibuscumque Iudicibus, & inhibendi sub quibuscumque pœnis pecuniariis eorum arbitrio præmissorum omnium ac singulorum, ac cum qualitate, aliorumque citra præmissa necessaria, maior specificatio, & expressio eorumdem, & quorumcumque statutorum ipsius Artis, ipsius Collegij arbitrio, etiam cum eorumdem præinsertione toties quoties eidem Collegio videbitur, semel & pluries per breue nostrum simul vel separatim expediri possit.

Fiat. I.

D. P. An. 6. 5. Febr.

Dat. Romæ apud S. Petrum Nonis Febr. An. 6.

Videat Vicarius I.

Visa M. Antonius Archiepisc. Theatinus Vicegerens.

XCIV. Reuocatio quorumcumque indultorum confessionalium, Maris magni, aliorumque priuilegiorum, quibuscumque etiam Regularibus concessorum, in his quæ Concilio Tridentino aduersantur.

Iurisdictionem huius Concilij, & eius prosecutionem videre est hic sup. in const. 23. Ad Ecclesiæ. *Et indulta Prælatorum ei interessentium sunt in constit.* 28. Circumspecta *Et quando ligare cœperit, vide in const.* 80. Sicut ad.

Edita An. D. 1564.

P I V S E P I S C O P V S, Seruus seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

IN Principis Apostolorum Sede, meritis licet imparibus diuina dispositione constituti, nihil neque vniuersali Ecclesiæ curæ & solicitudini nostræ commissæ, salubrius, neque iniuncto nobis Apost. seruitutis officio decẽtius præstare possumus, quàm quod prouidẽtiæ nostræ ministerio œcumenicum Conc. Trid. licut nostris potissimum auspiciis, summaque sanctorum Patrum concordia per Dei misericordiam feliciter absolutum fuit, ita per vniuersos, qui Christiana pietate censentur vbique suscipiatur, & remotis quibuslibet obstaculis ab omnibus æqualiter obseruetur.

Concilii Tridentini, multa, statuit ad morum reformationem, quibus plurimorum indulta aduersantur.

§ 1. Cum itaque in eodem Concilio quamplura salubria, & ad vniuersalem morum reformationem valde vtilia decreta atque statuta, maturo præsentium ipsorum examine præcedente, sint edita, quibus multa atque diuersa priuilegia, exemptiones, immunitates, dispensationes facultates, conseruatoriæ, indulta, & vt vocant Confessionalia, & Mare magnum, & aliæ gratiæ, quæ variis tam Cathedralibus, etiam Metropolitanis quàm Collegiatis Ecclesiis, Monasteriis, Conuẽtibus, & aliis Religiosis, etiam Fratrum Mẽdicantium domibus, & Ordinibus, necnon sancti Spiritus in Saxia, Sancti Ioannis Lateranen. ac Incurabilium de Vrbe, Sancti Antonij Viennen. & S. Bernardi Iuren. aliisque Hospitalibus, Militiis, eorumque Capitulis, & Conuentibus, ac Vniuersitatibus, etiam Studiorum generalium Collegiis, tam sæcularibus quam Ecclesiasticis, Confraternitatibus, Societatibus, & tam Principis Apostolorum de Vrbe quam aliis Fabricis, Sanctæ Cruciatæ, aliisque piis locis & operibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Præpositis, & aliis Ecclesiasticis, tam sæcularibus quam diuersorum Ordinum & militiarum regularibus, ac etiam laicis cuiuscumque dignitatis, & excellentiæ, ac etiam Ducali, Regia, & Imperiali dignitate fulgentibus vtriusque sexus personis, necnon aliquibus Notariis, & etiam de latere Legatis, atque Nunciis, tam perpetuo quam ad tempus per Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem Apostolicam, eiusque Legatos hactenus, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu etiam Imperatorum Regum, Ducum & aliorum Principum contemplatione & intuitu, etiam de fratrum consilio diuersimode, variisque temporibus, in genere, vel specie, ex quamuis etiam honesta causa concessa, & etiam pluries confirmata, & innouata fuerunt in plerique contrariantur.

Illa ergo hæc ad ultra hic Petij, ex reuoca.

§. 2. Nos quibus in primis cordi est, tam sancta, & Ecclesiæ Dei saluberrima decreta suos, vt par est effectus vbique consequi, & ab omnibus obedienter obseruari, priuilegiorum, exemptionum, immunitatum, facultatum, conseruatoriarum, indultorum, confessionalium, Maris magni, & aliarum gratiarum prædictarum, ac quarumcumque Apostolicarum & aliarum literarum desuper, confectarum, processuumque, decretorum, & aliorum inde secutorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & plene insertis habentes, Motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, quod eadem omnia & singula priuilegia, exemptiones, immunitates, facultates, dispensationes, conseruatoriæ, indulta, confessionalia, Mare magnum & aliæ gratiæ in his omnibus & singulis, in quibus illa statutis & decretis Concilij huiusmodi contrariantur ipso iure reuocata, cassata, & annullata, ac ad ipsius Concilij terminos, atque limites reducta sint, & censeantur, nec quicquam aduersus ipsa decreta, & statuta quominus vbique, & apud omnes obseruentur, in aliquo suffragari posse, sed ea perinde haberi & reputari debere, ac si numquam emanassent, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, ac etiam statuimus & ordinamus.

Et eorum vigore acta & agenda, à die. qua d. Concilium ligare cœpit nulla esse debent.

§. 3. Decernentes nihilominus omnia & singula quæ vigore priuilegiorum, exemptionum, immunitatum, & dispensationum, facultatum, conseruatoriarum, indultorum, confessionalium, & aliarum quarumcumque gratiarum huiusmodi post id tempus, quo Concilium obligare cœpit, facta & gesta quomodolibet fuerunt, & in posterum fient, in iis, in quibus dicti Concilij decretis aduersantur, nulla, inualida, & irrita esse, & censeri, ac nemini etiã quantumlibet, vt præfertur qualificato, tam in foro quod aiunt fori, quã cõscientiæ suffragari posse & debere.

Digitized by Google

Clauſula ſublata.

§.4. Et ita per quoſcumque locorum Ordinarios, alioſque Iudices & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, etiam, S.R.E. Card. ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi facultate, in vtroque foro iudicari & definiri debere, ac quicquid ſecus à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Clauſula derogatoria.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Sanctio pœnalis.

§.6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, ſtatuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Dat. P. A 6. 17. Febr.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1564. 13. Kal. Martij, Pont. Anno 6.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Dom. 1565. ind. 6. die vero 24. menſis Febr. Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. Anno eius 6. retroſcriptæ literæ Apoſt. affixæ & publicatæ fuerunt in acie Campi Floræ, & valuis Cancellariæ Apoſt. per nos Nicolaum de Matthais, & Camillum Cherubinum S.D.N. Papæ Curſ.

Philibertus Chapuis Mag. Curſ.

XCV. Confirmatio plurimarum gratiarum, & priuilegiorum, Fratrum Militum Hoſpitalis S. Lazari Hieroſolymitani, à Pontt. prædeceſſoribus conceſſorum, in his quæ Conc. Trid. non aduerſantur. Et conceſſio aliarum immunitatum, & indultorum.

Quoad præcedentes gratias, habes etiam ſup. Alex. IV. conſt. 1. Cum à nobis *& Clem. IV. conſt.* 2. Cum dilectis *& conſt.* 5. Venerabilibus. *Quo vero ad priuilegia hic elargita inuocauit, limitauit, & abſtulit Pius V. vt inf. in eius conſt.* 28. Sicuti. *vbi notabo.*

Edita An. D. 1565.

P I V S E P I S C O P V S,
Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Cauſæ huius conſtit.

INter aſſiduas Dominici gregis nobis diuinitus commiſſi, non ſolum à ſpiritualibus, ſed etiam à corporalibus, noxis, periculiſque imminentibus quantum nobis ex alto permittitur, præſeruandi curas, illi potiſſimum, poſt diuini numinis auxilium frequentibus cordis noſtri ſuſpiriis imploratum, omni conatu nobis incumbendum eſſe ſtatuimus, vt aduerſus inexplebilem Chriſtiani ſanguinis ſitim, quæ in teterrimo illo Turcarum Tyranno cum longo annorum numero pariter in dies adauger conſpicitur, bellica etiam fidiſſimorum Commilitonum præſidia comparemus: & nedum temporalis ditionis noſtræ, totiuſque Italiæ hoſtilis claſſis incurſioni vndique expoſitæ portus, & littora validis arcibus, propugnaculiſque firmemus, verum etiam ſtrenuis militibus, qui Cruce Redemptoris & Domini noſtri tamquam Dominico ſtigmate conſpicui ſeſe perpetuos pro ſalute domus Iſrael propugnatores fore iureiurando profiteantur, & præſtent, præſidia noſtra roboremus antiquaſque Eccleſiæ Dei Militias ac Hoſpitalitates, & præſertim pauperum leproſorum S. Lazari Hieroſolymitani Hoſpitalitatem ab illo Sanctiſſimo viro Baſilio Magno, vſque à recolendæ memoriæ Damaſi I. Rom. Pont. prædeceſſoris noſtri, ac Iuliani Apoſtatæ, & Valentiniani Imperatorum temporibus illuſtratam, & per Orbem varie ampliatam, & iniuria temporum imminutas, & quaſi exauthoratas, priſtinæ dignitati reſtituamus: ac illis quo promptius votis noſtris reſpondeant, & priſca ſua priuilegia confirmemus, & illa ſubinde nouorum conceſſione liberaliter cumulemus.

Innoc. III. & Honor. III. ſuſceperunt ſub protectione Sedis Apoſt. perſonas, res & bona Hoſpitalis &

§.1. Dudum ſiquidem poſtquam felicis record. Innocentius III. & ſucceſſiue Honorius etiam III. varias ac diuerſas exemptiones, & alias gratias tunc & pro tempore exiſtentibus Magiſtro, & Fratribus Hoſpitalis, ſeu domus S. Lazari Hieroſolymitani, ſub regula S. Auguſtini, & leproſariis conceſſerant, eorumque perſonas, leproſarias & alia loca, ſub ſua & Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſceperant.

Greg. IX. indulgentiam conceſſit dantibus eleemoſynam. Hoc tamē reuocauit Paul. V. in conſt. 30.

§. 2. Et Gregorius Nonus omnibus Chriſtifidelibus manus charitatiuas, Magiſtro & fratribus domus Sancti Lazari Hieroſolymitani, vel eorum nunciis eleemoſynas petituris, pro ſolutione debitorum ſuorum, & fratrum eorumdem ſubſtentatione porrigentibus, viginti dies de iniunctis ſibi pœnitentiis, per quaſdam relaxauerat.

Ordinque eis licentiā profitendi vnam ex regulis approbatis.

§.3. Et per alias ſuas literas, tunc Epiſcopo Tridentino mandauerat, vtipſis fratribus, in ſuis domibus ſiue locis profiteri volentibus, aliquam regulam ex approbatis, iuxta petitionem ſibi ab eis factam concederet, ſi expedire videretur.

Innoc. IV. dedit facultatē eligendi Militem ſanum in Magnum Magiſtrum.

§.4. Et Innocentius IV. per eum accepto, quod licet de antiqua, approbata, & eatenus pacifice obſeruata conſuetudine obtentum eſſet, vt miles leproſus domus Sancti Lazari Hieroſolymitani in eius magiſtrum aſſumeretur: verum quia fere omnes limites leproſi dictæ domus, ab inimicis fidei miſerabiliter interfecti fuerant, & & huiuſmodi conſuetudo nequibat commode obſeruari. idcirco tunc Epiſcopo Tuſculano per quaſdam commiſerat, vt ſi ſibi ſecundum Deum viſum foret expedire, fratribus ipſis licentiam, aliquem militem ſanum, ex fratribus prædictæ domus S. Lazari, in eius Magiſtrum (non obſtante conſuetudine huiuſmodi) de cetero eligendi, auctoritate Apoſtolica concederet.

Medietatemque molēdini in Nympha conceſſit.

§. 5. Et per alias ſuas literas medietatem molendini, quod Eccleſia Romana, tunc cum quondam Boetio Camerario ſuo in Nympha habebat, Magiſtro & fratribus domus leproſorum S. Mariæ Magdalenæ Terracinen. ſub annuo cenſu duodecim denariorum Senatus in perpetuum conceſſerat,

Alex. IV. pri. ribus conceſſit facultatē abſoluēn. Fratres quoquomodo ſe percutientes.

§.6. Et Alexander etiam IV. narrans per quaſdam quod ſicut Canonica cōſtitutione cauebatur, quod Monachi & Canonici Regulares, quocumque modo ſe in clauſtro percuſſiſſent, non eſſent ad Apoſtolicam Sedem mittendi, ſed ſecundo diſcretionem, & prudentiam ſui Abbatis, diſciplinæ ſubdendi: quod ſi Abbatis diſcretio ad eorum correctionem non ſufficeret, prouidentia eſſet Diœceſani Epiſcopi adhibenda, niſi exceſſus difficilis foret & enormis, propter quem merito eſſet ad Romanam Eccleſiam recurſus habendus, ſtatutum huiuſmodi ad Magiſtrum, & fratres Hoſpitalis leproſorum S. Lazari Hieroſolymitani Ordinis S. Auguſtini duxerat extendendum: ſtatuendo, vt in tali caſu (niſi maior eſſet prouidentia requirenda) per priores ſuos, qui (ſicut audiuerat) preſbyteri eſſe noſcebantur, fratribus abſolutionis beneficium impenderetur.

Et profeſſionē regulæ S. Auguſtini approbauit v. ſup. in conſt. 1. cit. in rub.

§. 7. Et per alias ſuas regulam beati Auguſtini, quam ijdem fratres ſe aſſerebant profeſſos eſſe, ſicut illam eatenus ſeruauerant, eiſdem dicta auctoritate confirmauerat, atque communiuerat, eadem auctoritate nihilominus ſtatuendo vt regula ipſa ab eiſdem fratribus & ſucceſſoribus ſuis, perpetuis futuris temporibus obſeruaretur.

Donationem Federici Imperatoris approbauit. Quā ego non poſſui.

§.8. Et per alias ſuas, donationem alias factam Magiſtro & fratribus Hoſpitalis leproſorum S. Lazari Hieroſolymitani Ordinis S. Auguſtini à Federico Romano Imperatore ante latam in eum depoſitionis ſententiam, diuerſarum terrarum, poſſeſſionum, ac ſtartiarum de ſuo dominio exiſtentium in Sicilia, Calabria, Vallegratis, Apulia, & Terra Laboris, cum diuerſis ſæcularium exactionum exemptionibus, ratam & firmam habens, eam auctoritate Apoſtolica confirmauerat atque communiuerat.

Eccleſiam de Galbis conceſſit.

§. 9. Ac eidem Hoſpitali, in quo (ſicut acceperat) conuentus nobilis ſtrenuorum militum & aliorum, tam ſanorum quam leproſorum pro expugnandis inimicis Chriſtiani nominis manere ſolebat, & quod ad extremam fere paupertatem, propter guerrarū diſcrimina erat redactum, poſſeſſionibus ſuis pro magna parte à Paganis & hoſtibus Eccleſiæ occupatis, ſuisque Magiſtro & fratribus, eadem auctoritate conceſſerat, vt Eccleſiam de Galbis Lincolinen. diœceſis, in qua iuſpatronatus (ſicuti aſſerebant) obtinebant, cedente vel decedente ipſius Rectore

Digitized by Google

Rectore, pro ſua reſeruanda inopia ſuis vſibus deputare poſſent, ita tamen quod perpetuo Vicario in ea ſeruituro de ipſius prouentibus portio comperens, ex qua congrue ſuſtentaretur, & Epiſcopalia, ac alia ipſius Eccleſiæ onera ſupportarentur, aſſignaretur, diœceſani Epiſcopi iure in omnibus ſaluo.

Facultatem componẽdi de vſuris, &c. tribuit. Tu in his attende bullam 99. Pij V. Clem. VIII. conſt. 115.

§. 10. Et ſimiliter per alias ſuas Magiſtro & fratribus huiuſmodi, eorum neceſſitatem paterno compatiens affectu, auctoritate prædicta duxerat cõcedendum; vt de vſuris, rapinis, & aliis male acquiſitis, dummodo illi quibus eorum reſtitutio fieri deberet, omnino inueniri & ſciri non poſſent, necnon de redemptionibus votorum, auctoritate diœceſanorum prius factis, (Hieroſolymitano dumtaxat excepto) vſque ad ſummam ducentarum marcharum argenti recipere valerent, ſi pro ſimilium receptione aliàs non eſſent ab ipſo huiuſmodi gratiam conſecuti, ita quod ſi aliquid de ipſis ducentis marchis, dimiſiſſent vel reſtituiſſent, vel dediſſent illis à quibus eas acceperant, huiuſmodi dimiſſum, vel reſtitutum, ſeu datum, nihil ad liberationem eorum prodeſſet, nec quantum ad illud haberentur aliquatenus abſoluti.

Diœceſanos non poſſe ponere rectores in domibus Hoſpitalis declaratur. De hoc vide etiam Ex inf.

§. 11. Et cum ad eius notitiam peruenisſet, quod in nõnullis religioſis, & leproſorum domibus in diſtrictu Regni Nauarræ, Campaniæ, & Briæ, Comitis Palatini conſiſtentibus locorum diœceſani Rectores ſeu adminiſtratores de nouo ponere, ſeu inſtituere præſumebant pro ſuæ libito voluntatis, in earumdem domorum non modicum præiudicium & grauamen, cõtra antiquam, approbatam, & eatenus pacificè obſeruatam in talibus conſuetudinem veniendo, volens earumdem domorum grauamen indebitum auferre, tunc Abbati Monaſterij Orbacen. dicti, vel alterius Ordinis Sueſſionen. diœc. dederat in mandatis quatenus, ſi ita eſſet, præfatos diœceſanos, vt ab huiuſmodi præſumptione omnino deſiſterent monitione præmiſſa, dicta auctoritate Apoſtolica, appellatione remota præuia ratione compelleret.

Nicolaus iij. exemit à ſolutione decimarum.

§. 12. Præterea Nicolaus III. declarauerat, quod de redditibus, & prouentibus Leproſariorum huiuſmodi, qui in vſus miſerabilium & infirmorum conuertebantur decima non ſolueretur.

Hoc latius vide in conſt. Pij V. cit. in rubr. Clem. IV. facultatem vndique colligendi leproſos conceſſit, vt in ſua cõſtit. 5. ſup.

§. 13. Et Clemens etiam IV. per quaſdam vniuerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac aliis Eccleſiarum Prælatis, exemptis & non exemptis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam inobedientes ipſo facto incurrere voluit, niſi mandatum huiuſmodi diligenter exequi curarent; & nihilominus ſub pœna priuationis officij, & beneficij ſuorum, precipiendo mandauerat, quatenus dum aliqui de dictis Magiſtro, Fratribus, & Procuratoribus domorum S. Lazari Hieroſolymitani, ad Archiepiſcopos, & alios præfatos, & eorum loca pro capiendis infirmis leproſis peruenisſent, eis in hoc adeſſe curarent; memores Dominum in lege Moyſi præcepiſſe, quod omnes leproſi eiicerentur extra volens, & ordinãs, vt Domino complacebat, quod tam mares, quam mulieres, clerici & laici, religioſi, & ſæculares morbo lepræ laborantes, per eoſdem fratres, & procuratores eorum caperentur, & eiicerentur extra, cum omnibus eorum bonis, tam mobilibus, quam immobilibus ad habitationem cum aliis infirmis domorum Ordinis S. Lazari huiuſmodi. Si vero clerici, vel laici mandatum ſuum in aliquo negligerent adimplere, voluit quod ipſi fratres, aut illorum procuratores, illos peremptorie citarent, vt coram ſe comparerent, facturi iuſtitiæ complementum.

Eleemoſynaſque colligendi, ibid. Tu vide bullam 115. Clem. viij.

§. 14. Ac rurſus per alias ſuas mandauerat, quod fratres ipſi ipſius confratriæ ad aliqua loca accedentes pro eleemoſynis colligendis benigne reciperentur, & honeſte tractarentur. Ipſique locorum Ordinarij, & ij ad quos ſpectat, vt permitterent eoſdem fratres in Eccleſiis ſuis populum admonere, ac eleemoſynas colligere, ac etiam Confraternitates facere, illud præcauentes, ne occaſione illorum eleemoſynæ pauperum Chriſti deperirent, & impedirent opera pietatis.

Ordinarios Militia moleſtias tollere iuſſit, vt ibid. Fratreſque gratis ſepeliri, vt ibid.

§. 15. Necnon ipſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis iniunxerat, vt curarent defendere, & manutenere fratres præfatos aduerſus parochianos; qui domos illorum inuadebant, aut indebitis moleſtiis opprimebant. Nec à fratribus, & perſonis religionis huiuſmodi pro ſepultura quicquam exigeretur, vel acciperetur, niſi ipſa ſpontanea decedentium liberalitas, vel parentum deuotio eis contuliſſet.

Exemptionẽ à decimis ceſſit. Hoc vide latius in conſtit. Pij V. cit. in rubric.

§. 16. Nec ab eis contra priuilegiorum dictæ Sedis tenorem de omnibus fructibus terræ, quibus propria induſtria, aut expenſis colerent, & laborarent, ac etiam de nutrimentis animalium ſuorum, ſed nec de ipſis animalibus decimas exigere præſumerent.

Oratoria cõſtrui poſſe vetuit, ibid.

§. 17. Quodque ipſi Archiepiſcopi & Epiſcopi oratoria pro vſu fratrum, & perſonarum præfatorum, ac ſuæ familiæ dedicare, ac cœmeterium benedicere procurarent.

Dimittentes habitum coerceri iuſſit, ibid.

§. 18. Ac quòd de ceteris Fratres ſeu Milites, ac Donatos Militiæ Hoſpitalis huiuſmodi, qui Crucem, & regularem habitum deponerent, & per abrupta ſæculi vagarentur, quive Prioribus ſuis contumaces, & rebelles exiſtebant, & Bolinas detinerent contra voluntates ipſorum, monerent inſtanter, ac pro officij ſui debito compellerent, vt habitum depoſitum reaſſumerent, in obedientia Prælatorum ſuorum, deuote, & humiliter perſeuerarent, & Bolinas ſiue alia officia per violentiam nullo modo detinere præſumerent, mandatorum ſuorum contemptores, excommunicationis ſententia compellerent; eámque vſque ad ſatisfactionem condignam inuiolabiliter obſeruari facerent.

Indulgentias benefactoribus, conceſſit. Pius V. reuocauit in conſt. 30.

§. 19. Et nihilominus quibuſcumq; qui de facultatibus ſibi à Deo collatis, fratrib. Hoſpitalis præfati ſubueniſſent ſeque tam ſanctæ Fraternitati Collegas adſcribi ſtuduiſſent, eiſque beneficia perſoluiſſent, annuatim ſeptimam partem iniunctæ ſibi pœnitentiæ relaxauerat.

Ordinariis facultatem dedit vota cõmutandi ſubueniẽt ib. Hoſpitalẽ. Hoc puto reuocatum à Pio V. in conſt. 99.

§. 20. Eiſdemque locorum Ordinariis, & aliis curam animarum habentibus, commutandi cuiuſuis abſtinentiæ, & quarumcumque peregrinationum vota (Hieroſolymitano, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum dumtaxat exceptis) in pecuniarum ſubſidium præfatis fratribus, vel nunciis exhibendum, cum ſuper hoc ab eis, vel eorum aliquo fuiſſet requiſiti, dummodo conditione inſpecta nunciorum, & fratrum præfatorum neceſſitate penſata (ſuper quibus eorum conſcientias onerauerat) pretio, vel precibus, amicitia, fauore, vel odio cuiuſcumque nihil circa hoc, ſuper quibus ſciret ſe vnumquemque eorum redditurum in examine diſtricti iudicij rationem, ageretur in fraudem vel diminutionem ſubſidij ſupraſcripti, plenam & liberam facultatem conceſſerat. Volens, vt huiuſmodi pecuniarum ſubſidium præſtandum per vouentes peregrinationes eaſdem, ad tantam pecuniæ ſummam extenderetur, quantam vouẽtes ipſi pro complendo voto peregrinationis huiuſmodi perſonaliter expendiſſent. Votum autem huiuſmodi abſtinentiæ iuxta illius arbitrium intenderat redimi, qui votum huiuſmodi commutaret.

Abſolutionẽ ab irregularitate dato ſimili ſubſidio.

§. 21. Perſonis autem Eccleſiaſticis volens plenius prouideri, diœceſanis earum diſpenſandi cum eis, qui cum à canone, vel ab homine latam excommunicationis ſententiam incurriſſent, irregularitatis notam immiſcendo ſe diuinis officiis contraxiſſent, vel ob id contrahere ipſos contigiſſet, dummodo tantum erogaſſent fratribus, vel nunciis ſupradictis, quantum expendiſſent eundo ad Rom. Curiam, & morando in ipſa pro diſpenſatione huiuſmodi obtinenda, & redeundo etiam ab eadem, niſi forſan in Epiſcopos, Abbates, vel alios Superiores proprias inieciſſent manus temere violentas, poſtquam ab excommunicationum ſententiis, quas incurrerent, vel incurrere ipſos contigiſſet, iuxta formam Eccleſiæ fuiſſent abſoluti, conceſſerat poteſtatem.

Hoc eſt etiam reuocatum à Pio V. mox citat. & Clem. viij. in conſtit. 115.

§. 22. Volens ob reuerentiam ipſius venerabilis domus, vt ij, qui eorum fraternitatem aſſumpſiſſent, ſi forſan Eccleſiæ ad quas peruenisſent, à diuinis officiis interdictæ forent, ipſis morientibus, ſepultura eccleſiaſtica minime negaretur, niſi nominatim excommunicationis vinculo fuiſſent innodati. Liceretque eis confratres ſuos, quos Eccleſiarum Prælati apud Eccleſias ſuas malitioſè ſepeliri non permiſiſſent, niſi excommunicati, vel in interdicto nominati fuiſſent, aut publici vſurarij, tumulandos deferre, ad Eccleſias huiuſmodi Hoſpitalis.

Mortuos ſepelire in eorum Eccleſiis permiſit, vt in d. conſtit 2. Cum dilectis;

§. 23. Et oblationes, tam pro eis quam pro aliis, qui in eorum cœmeteriis requieſcunt, exhibitas, ſine alicuius præiudicio retinere.

Oblationeſque recipere, vt ib.

Etiam tempore interdicti vt ibid.

§.24. Quodque receptiones Fraternitatis eiusdem, seu etiam collectarum, saluo iure dominorum suorum, sub B. Petri, & sua protectione consisterent. Et si qui eorumdem fratrum, qui ad eas Fraternitates missi fuissent: vel collectas, in quamlibet ciuitatem, aut castellum, vel vicum, aut alium locum deuenissent, si forte locus ille fuisset à diuinis officiis interdictus, in eorum iucundo aduentu, semel in anno aperirentur Ecclesiæ, & eiectis excommunicatis diuina officia ibi celebrarentur, salua tamen in omnibus declaratione Concilij generalis.

Clericos Hospitali seruire permisit, vt ibid.

§.25. Mandans etiam eisdem Archiepiscopis, & Episc. vt si qui de Clericis Ecclesiarum suarum, præfati Hospitalis fratribus, cum licentia Prælati & Capituli sui, sponte, ac gratis per annum, vel biennium decreuissent deseruire, nequaquam impedirentur.

Ioann. XXII. exemptionem à iurisd. Ordinariorum concessit. Hoc plenius vide in const. Pij V. cit. in rubr.

§. 26. Et subsequenter Io. XXII. Vniuersis Archiepiscopis, Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælatis mandauerat, quatenus in præfatos Magistrum, & Fratres, ac Milites, Clericosque, Donatos, vel Nuncios, aut Ecclesias eorum, (quippe qui nullum habebant Episcopum, vel Prælatum præter Romanum Pontificem supra se, & speciali prærogatiua gaudebant, & in quibus Ordinarij locorum auctoritatem ecclesiasticam potestatem nequaquam habebant) excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgare nulatenus præsumerent, nec eos indebita vexatione grauarent, sed erga ipsos se taliter gererent, quod aduersus eos materiam querelandi suscitare non haberent.

Greg. X. seu Alex. IV. Fratres non molestari iussit.

§. 27. Insuper Gregorius X. & seu Alexander IV. eisdem Magistro, & Fratribus Hospitalis S. Lazari Hierosolymitani paterna solicitudine prouidere volens, aduersus nonnullos Religiosos, & Clericos sæculares, & laicos, qui sub prætextu quæstionis inter eosdem existentis, & cuiusdam prauæ consuetudinis, animalia, & alia bona dictorum Fratrum Militum temeritate propria audebant inuadere, & tandiu detinere præsumebant, donec esset eis de huiusmodi quæstionibus iuxta eorum beneplacitum satisfactum licet iurisdictionem ordinariam, seu delegatam in eos non haberent, quas ipsis hoc facere permissum esset, per suas literas auctoritate Apostolica inhibuerant, ne qui occasione prædictæ consuetudinis tamquam nullo iure subnixæ, eisdem Fratribus, ac aliis supra nominatis, seu eorum Nunciis ab eis per totum Orbem destinandis, memoratas inferrent molestias. Neue Fratres, & bona sua sine iuris ordine occupare, inuadere, seu quomodolibet detinere præsumerent.

Exemptionesq; concessit à solutione gabellæ, &c. pro eorum bonis.

§. 28. Quodque de omnibus fructibus terræ, quibus propria industria, aut expensis colerent, & laborare facerent, ac de animalibus, aut de ipsis nutrimentis animaliū, ac aliis quibuscumque bonis suis, si cōtingeret quod bona præfata, aut fructus huiusmodi aut animalia ipsa, vel ex eis prouenientia, aliquid per ipsos fratres, Milites, vel Donatos venderetur, aut emeretur, tam pro sustentatione cuiuslibet eorum, aut pauperum leprosorum, quam pro reparatione cuiusuis domus, aut Hospitalis, siue Ecclesiæ præfatæ Militiæ, & per Ciuitates, aut Castra, & Oppida, portus, pontes, ac nauigia, & loca alia quorumcumque Regum, & Reginarum, aut Ducum, Marchionum, Comitum, Vicecomitum, Baronum, & aliorum Dominorum in toto Orbe existentium, in quibus pro tempore stare, vel transire, & reuerti deberent absque aliquo impedimento eos permitterent vendere, vel emere, aut transire, ac reuerti, & præsertim cuiusuis pedagij, datij, gabellæ, bullettarum, & quarumcumque exactionum solutione, mandauerant.

Paul. II. leprosiam Capuā. sub protectione Sedis Ap. suscepit, & exemptionem ab omni onere.

§. 29. Et Paulus II. Magistros, & Fratres domus leprosorum S. Lazari extra mutos Capuan. eorumq; personas, & locum in quo diuino erant obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ tunc rationabiliter possidebant, aut ex tunc in futurum iustis modis possent adipisci, sub B. Petri, & sua protectione susceperat. Omnésque liberates, & immunitates à prædecessoribus suis, siue per alia priuilegia, siue indulta, eis & dictæ domui cōcessas. Necnon libertates, & exemptiones sæculariū exactionum à Regibus, & Principibus, aliisq; Christifidelibus rationabiliter eis, & eorum domui indultas specialiter autē domos, prata, pascua, hortos, vineas, & alia bona mobilia, & immobilia eorum, sicut ea iuste, & pacifice possidebant, eis, & per eos eidem domui prædicta auctoritate Apostolica confirmauerat, districtius inhibens, ne quis de hortis, virgultis, seu eorum animalium nutrimentis decimas ab eis exigere præsumeret.

Alex. Vrban. Cle. & Greg. visitantibus leprosiam Perusin. & eleemosynam dātibus, indulgētias concessit. Has reuocauit Pius V. in const. 30.

§. 30. Et similiter Alexander, Vrbanus, Clemens, & Gregorius Rom. Pont. similiter prædecessores nostri, consideratis charitatis, & pietatis operibus, quæ erga infirmos, & pauperes Hospitalis leprosorum de Colle Perusin. Diœcesis, iugiter exercebantur, & quod ad id eiusdem Hospitalis propriæ non sufficiebant facultates, cupientesque ad eorumdem pauperum consolatoria subsidia Christi populum spiritualibus muneribus inuitare, omnibus vere pœnitentibus, & cōfessis, qui deuote ad Hospitale memoratum accederent, manumque charitatis porrigerent, Greg. videlicet vnum annum, & vnam quadragenam, singuli vero reliquorum prædecessorum eorumdem centum dies de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxarāt.

Nic. IV. illa confirmauit, & alias concessit.

§. 31. Et postmodum Nicolaus IV. remissiones, & indulgentias huiusmodi per suas literas approbauerat, & confirmauerat, aliasque indulgentias, & peccatorum remissiones, & Christifidelibus diuersa pauperum, & leprosorum loca, & hospitalia huiusmodi visitantibus, & manus adiutrices, ac pias eleemosynas pro ipsorum pauperum leprosorum subuentione erogantibus, per quasdam concesserat, & relaxauerat.

Exemptionēque dedit Hospitali de Valloncellis, à procurationibus legatorum, & quibuscumq; collectis.

§. 32. Ac per alias suas ad instar dicti Clementis IV. Custodi, & Fratribus Hospitalis leprosorum S. Lazari de Valloncellis, vt illi ad præstationem procurationum Legatis Sedis Apostolicæ, vel Nunciis aut exactionum, collectarum, seu subsidiorum quorumcumque minime tenerentur, nec ad ea soluenda per literas dictæ Sedis, Legatorum, Rectorum, vel Nunciorum, cuiuscumque tenoris existerent, aut alia quauis auctoritate in perpetuum compelli non possent, concesserat. Decernens irritas, & inanes interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, si quas propter hoc in eos, vel eorum aliquem, aut Hospitale præfatum in posterum contigisset promulgari.

Leo X. restituit Hospitalia S. Io. Leprosorū Panor. & S. S. Agathæ Messan. olim Hospitali S. Lazari subiecta, aduersus suppressionem Innoc. VIII.

§. 33. Et Leo X. claræ memoriæ ad Caroli Romanorum, & Hispaniarum Regis tunc in humanis agentis preces, Hospitalia S. Io. Leprosorum Panormitan. & S. Agathæ Messanen. Ordinis S. Augustini, olim Hospitali S. Lazari, tamquam membra capiti subiecta, Religioni, & Hospitali Capuano S. Lazari præfati, cum omnibus iuribus, & pertinentiis, ac membris eorumdem præfata auctoritate Apostolica sub certis modo, & forma perpetuo restituerat; dictumque Hospitale Capuanum, aduersus suppressiones, & extinctiones, per Innocentium VIII. etiam prædecessorem nostrum factas repositerat, & reintegrauerat, ac Magistro generali seu Præceptori eiusdem Hospitalis, seu Domus S. Lazari Capuani eiusdem Ordinis S. Aug. vt Panormitanum, & Messanense Hospitalia prædicta, cum illa legitimo Gubernatore carerent, acceptare, & de illis, personis suæ Religionis, prout ante suppressionem, & incorporationem præfatas disponere, & ordinare poterat, ac si illa non emanassent, disponere, prouidere, & ordinare.

Facultatemq; dedit capiēdi possessionem eorumdem Hospitalium S. Io. Leprosorum Panor. & S. Agathæ Mesanen. Alex. VI. ac alij Rom. Pōt. quamplura alias indulta & gratias cōcesserunt.

§. 34. Ac præfatorum Hospitalium possessionem per se vel alium seu alios, propria auctoritate libere apprehendere, & eiusdem Religionis nomine retinere valeret, indulserat, districtius inhibens, ne quis eumdem Magistrum super præmissis aliquo modo molestare, impedire, seu perturbare valeret.

§. 35. Ac Alexander VI. Nicolauus II. Honorius etiam IV. Bonifacius VIII. Clemens etiam V. Innocentius VI. Vrbanus etiam IV. Eugenius similiter IV. Sixtus etiam IV. Innocentius etiam VIII. Alexander similiter VI. Clemens VII. Paulus III. Iulius etiam III. & diuersi alij Romani Pontifices prædecessores nostri eisdem Magistro, & Fratribus, Donatis, & Ordini, illorumque Nunciis, Officialibus, & aliis personis, necnon eorum Hospitalibus, Ecclesiis, Præceptoriis, & membris, illasque & illa visitantibus, ac illis benefacientibus, varia priuilegia, indulta, libertates, immunitates, & alias gratias concesserant.

Hic Pōt. Pius IV. illa cōfirmauit, præsertim circa iurisdictionem M. Magistri.

§. 36. Postremo nos illa confirmauimus, & præsertim super iurisdictione per Magistrum generalem Hospitalis, &

& Militiæ prædictorum inter eorum Milites, & perſonas exercenda, & iuſtitiam ſuis Præceptoribus, Militibus, Fratribus, eorumque Vaſſallis, ſubditis, Capellanis, familiaribus, ſeruitoribus, clericis, nunciis, collectoribus, Donatis, ac quibuſcumque aliis perſonis dicti Hoſpitalis pro quibuſcumque rebus illud, eiuſque Militiam, perſonas, beneficia, & bona concernentibus, annexis, connexis, vel dependentibus, aut ſuper dignitatibus, adminiſtrationibus, Præceptoriis, officiis, iuribus, iuriſdictionibus, proprietatibus, bonis, fructibus, cenſibus, poſſeſſionibus, in quacumque inſtantia, etiam vſque ad vltimam ſententiam inclusiue etiam ſummarie, ſimpliciter, & de plano, per Magiſtrum generalem Hoſpitalis huiuſmodi, ſeu ab eo delegatos iuſtitiam miniſtrando, innouauimus, & alias indulſimus (provt in diuerſis, tam ipſorum prædeceſſorum) quam noſtris literis deſuper confectis plenius continetur.

Et modo prædicta omnia quatenus Cõcil. Trid. non ſint contraria iterato confirmat.

§.37. Nos igitur volentes dilectum filium Ioannottum Caſtilioneum modernum Hoſpitalis, & Militiæ prædictum Magnum Magiſtrum, eiuſque ſucceſſores Magnos ipſius Hoſpitalis Magiſtros pro tempore exiſtentes, ac Hoſpitale, & Militiam huiuſmodi, eorumque Conuentum, etiam amplioribus, quam quiſpiam noſtrorum prædeceſſorum prædictorum eos proſecuti fuerint, fauoribus, & gratiis proſequi, ac Hoſpitalitatem ipſius S. Lazari, eiuſque Militiam ad miſerabilium pauperum leproſorum vtilitatem, & contra Piratarum, & infidelium Chriſtianæ Religionis incurſionẽ (quantum in Domino poſſumus) reſtantare, augereque ac eoſdem Ioannottum Magiſtrum, Milites, Fratres, & alias perſonas, ac eorum ſingulos à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes. Necnon ſingularum prædictarum literarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, non ad Ioannotti, aut Priorum, Præceptorum, Militum, Fratrum, vel perſonarum prædictarum, ſeu aliorum pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam. ſed de mera liberalitate, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, inſtitutionem, & erectionem Hoſpitalis, & Militiæ huiuſmodi, eiuſque tranſlationem olim ad Præceptoriam, vel Domum Capuanam prædictam factam, ac Præceptoriæ, ſeu Domus huiuſmodi incorporationem, declarationes, reuocationes, voluntates, irritationes, monitiones, requiſitiones, promulgationes, vniones, incorporationes, conceſſiones, etiam facultatum aſſignationes, decreta, remiſſiones, inhibitiones, iniunctionem, renouationem, approbationes, confirmationes, ſuppletiones, reſtitutionem, repoſitionem, commiſſionem, mandatum, ſuſceptionem, liberationem, exemptionem, ſubiectionem, prohibitionem, extenſionem, ampliationem, indultum, & diſpenſationem, regulam, & ordinationem prænominatorum, & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum huiuſmodi. Nec non omnia, & ſingula priuilegia, immunitates, antelationes, exemptiones, libertates, prærogatiuas, indulgentias, indulta, ſpiritualia, & temporalia, fauores, & gratias, etiam per modum communicationis, & extenſionis eiſdem Hoſpitali, & Militiæ, ac ſuis Magno Magiſtro, Militibus, perſonis, & membris, per Romanos Pontifices, & Sedem huiuſmodi ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis hactenus, in genere, vel in ſpecie conceſſa, approbata, & innouata. Necnon cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis, ſingulas eorumdem prædeceſſorum, tam ſub plumbo quam in forma breuis expeditas literas, ac ordinationes, ſtatuta, ſtabilimenta, vſus, conſuetudines, & naturas in eiſdem Hoſpitali, Militia, & Religione edita, & introducta, & quaſcumque Apoſtolicas, aliaſque deſuper confectas literas ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, etiam Motu, & ſcientia ſimilibus, ac alias quomodolibet conceſſa, cum omnibus, & ſingulis decretis, & aliis clauſulis in eis contentis, aliaque omnia, & ſingula inde ſecuta quæcumque eorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes (quatenus decretis Concilij Tridentini tamen non repugnent) Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo approbamus, confirmamus, ac etiam plenarie innouamus, & concedimus, ac innouata, & conceſſa eſſe volumus.

Hoſpitalique Capuano communicat.

§.38. Necnon illa ad Hoſpitale præfatum ad præſens in Capuana, & non in Hieroſolymitana Ciuitate conſiſtens, illiuſque Magiſtrum, Priores, Præceptores, Fratres, & perſonas præfatos extendimus, & ampliamus, eaque omnia valida, & efficacia exiſtere, & perpetuam roboris firmitatem obtinere, ſuoſque effectus ſortiri, ac ab omnibus quauis dignitate, & præeminentia fulgentibus, etiam ſub ſententiis, cenſuris & pœnis in eis contentis perpetuo inuiolabiliter obſeruari decernimus.

Omnemque ſuppreſſionem reuocat.

§.39. Necnon Hoſpitale, eiuſque membra, & pertinentia vniuerſa aduerſus ſuppreſſiones, & extinctiones, appropriationes, applicationes, vniones, annexiones, incorporationes, & alias contrarias diſpoſitiones olim per ſanctæ memoriæ Innocentium VIII. & Pium II. ac forſan alios Romanos Pontifices, etiam prædeceſſores noſtros, & Sedem præfatam, etiam Conſiſtorialiter, vel Motu, & ſcientia, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus hactenus quomodolibet emanatis, in priſtinum, & eum, in quo antequam illæ emanarent erant, ſtatum, eiſdem auctoritate, & tenore reſtituimus, reponimus, & plenarie reintegramus, ac reſtituta, repoſita, & plenarie reintegrata eſſe decernimus, & declaramus. Necnon literas inde emanatas, omniaque, & ſingula in eis contenta, ſuppreſſiones, & extinctiones huiuſmodi concernentia auctoritate, & tenore prædictis reuocamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, ac pro reuocatis, caſſis, irritis, ac nullis, & infectis, & viribus omnibus vacuis haberi volumus.

Illudque caput Militiæ S. Lazari eſſimuit.

§.40. Et potiori pro cautela in præfato Hoſpitali eamdemmet Præceptoriam, quæ in eo, vt præfertur, erat, quæ conuentualis, & caput aliarum Præceptoriarum dicti Ordinis exiſtat, ac priuilegiis, indultis, fauoribus, exemptionibus, libertatibus, iuriſdictionibus, auctoritatibus, & facultatibus, ac demum iuribus omnibus, quibus ante illius ſuppreſſiones, & extinctiones prædictas vtebatur, potiebatur, & gaudebat, vti, potiri, & gaudere debeat, ac in eorum omnium poſſeſſione reali, & actuali, in qua prius erat, ex nunc exiſtat, & eſſe cenſeatur in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi Præceptoria præfata numquam ſuppreſſa, & extincta, ſeu aliis vnita fuiſſet, de nouo erigimus, & inſtituimus.

Electionem M. Magiſtri, ad Conuentũ & Milites ſpectare decernit.

§.41. Et eiſdem Hoſpitali, Militiæ, ſuiſque Magno Magiſtro, Conuentui, Fratribus, ac Militibus, quod ipſo Ioannotto, & pro tempore exiſtentibus Magnis Magiſtris cedentibus, vel etiam apud eamdem Sedem decedentibus, ſeu ipſum Magnum Magiſtratum alias quomodolibet, etiam per liberam reſignationem in noſtris, vel ſucceſſorum noſtrorum pro tempore exiſtentium Romanorum Pontificum manibus dimittentibus, vsl amittentibus, & illo quouis modo vacante, Conuentus eiuſdem Militiæ, inſimul vbi võluerint pro tempore congregati, alium Magnum Magiſtrum iuxta eiuſdem Religionis, & Militiæ ſtabilimenta de conſenſu ſui Protectoris edita, vel edenda, quæ dicto Concilio Tridentino minime ſint contraria, eligere, qui ex nunc provt ex tunc, & è contra, poſtquam ſic electus fuerit, eadem auctoritate Apoſtolica confirmatus ſit, & eſſe cenſeatur, & ita perpetuo ſtatuimus, & ordinamus.

Hodie M. Magiſter eſt ſemper Dux Sabaudiæ, ex conſt. 7. Greg. XIII. Pro commiſſæ.

Sedis principalis tranſlationem concedit.

§.42. Necnon eiſdem pro tempore exiſtenti Magiſtro, & Conuentui principalem ipſius Militiæ Sedem ad quemcumque locum etiam maritimum, eiſdem Magiſtro, & Conuentui viſum, etiam quoties ſibi placuerit transferre.

Hodie perpetua Sedes eſt in Sabaudia, vt in d. conſt. Greg XIII.

§.43. Habitumque ſuum Regularem, ac etiam Crucem, etiam ſi de ſuis antiquis habitu, cruceque appareat, vel non appareat, in eum meliorem, qui ſibi videbitur modum (citra tamen aliarum Militiarum, & Religionum præiudicium) reformare, in toto, vel in parte immutare, vel ſtabilire, ac innouare. Regulamque, ſtabilimenta, & ſtatuta dictæ Religionis, & Militiæ de conſenſu ſui Protectoris inſtituere, & reformare, ſeu de noub condere, edere, & quoties eis placuerit, illas, & illa corrigere, & immutare (dummodo licita, & honeſta, nec eidem Concilio contraria exiſtant, toties, quoties voluerint.

Habitus Crucis, & ſtatutorum reformationem permittit.

Digitized by Google

Erigendi in Commendas, & præceptorias beneficia qualitercumque qualificata de iurepatronatus laicorum, etiamsi dignitates, aut Monasteria non tamen Consistorialia, &c.

Ad hoc vide Pij V. const. cit. in rub.

§.44. Necnon eidem Ioannotto, & pro tempore existenti Magno Magistro, vt quæcumque, quotcumque, & qualiacumque, etiam qualitercumque qualificata beneficia Ecclesiastica de iurepatronatus laicorum ex fundatione, vel dotatione existentia, & personale seruitium in Cathedralibus, & Collegiatis insignibus non requirentia (dummodo illis animarum cura non imminear) etiamsi illa Archipresbyteratus rurales, aut dignitates, vel nomen dignitatis habentia (extra tamen Cathedrales, & Collegiatas Ecclesias consistentia) etiam si præstimonia, aut præstimoniales portiones existant, vel alia simplicia, aut Monasteria, (non tamen Consistorialia) vel alia beneficia Ecclesiastica regularia, cura tamen, & conuentu carentia, fuerint, accedente tamen consensu patronorum, & sine præiudicio ea obtinentium & ipsis cedentibus, vel decedentibus, in Præceptorias, Commendas, Capellas, aut Ecclesias ipsorum Hospitalis, & Militiæ perpetuo erigere, instituere, dictæque suæ Militiæ perpetuo incorporare, applicare, & appropriare.

Præferendi in patronatus, & præsentãdi personas, & instituendi præsentatos, ac aliàs conferẽdi dicta beneficia. Tu vide d. bullam Pij V.

§.45. Ac illarum fundatoribus, vel dotatoribus ius patronatus, & præsentandi dictis Magistro & Conuentui, vel eorum deputato personas idoneas ad Præceptorias, Domos, Capellas, seu Ecclesias, & Hospitalia huiusmodi, pro tempore vacantia, perpetuo præseruare, & concedere, & eisdem Magistro, & Conuentui sic à patronis præsentatos, iuxta stabilimenta dictæ Religionis, Ordinariorum locorum & quorumuis aliorum consensu minime requisito, in illis instituere, ac illas conferre, & de eis prouidere. Ita tamen, quod ibi debitus diuinus cultus per personas idoneas, etiam si dicti Ordinis fuerint, ab Ordinario approbandas, in eisdem exerceatur.

Hospitalia, Leprosaria, & alia loca, ad Hospitalitatẽ Leprosorum destinata, Hospitali, & Militiæ S. Lazari esse censeãtur, etiamsi sint in patronatus laicorum.

§.46. Necnon quod Hospitalia, Leprosariæ, & alia loca quæcumque vbi vllo vnquam tempore fuerit, sit, vel erit Hospitalitas leprosorum, seu infirmorum S. Lazari nuncupatorum, etiam si iurispatronatus laicorum sint, Militiæ, & Hospitali S. Lazari huiusmodi subiecta, & incorporata, & ad ius, & proprietatem, ac ad omnimodam dispositionem, institutionem, & collationem moderni, & pro tempore existentis Magni Magistri, & Conuentus eorumdem iuxta ipsius Militiæ, seu Religionis stabilimenta (saluo tamen iurepatronatus) pertinere censeantur, provt alia etiam dictæ Religionis, seu Militiæ Hospitalia, Capellæ, Oratoria, beneficia, & loca spectant, & pertinent; dummodo in illis Hospitalitas debita seruetur, & cultus diuinus nullatenus diminuatur, ac in illorum fundatione, vel dotatione secus non fuerit ordinatum.

Præseruatio iurisdictionis Ordinariorũ, & executio huius Militiæ cum Militia S. Ioannis in non excepta.

§.47 Saluis tamen legitimis titulis, & præscriptionibus, & salua iurisdictione Ordinariorum, tam ea quæ de iure communi eis competit, quam quæ ex decretis dicti Concilij Tridentini eisdem est attributa. Præterquam tamen in iis casibus, in quibus Concilium prædictum expresse, vt præfertur, eximit, & excepit Religionem S. Ioannis Hierosolymitani, in quibus, & hæc S. Lazari Religio pariter excepta, & exempta sit, & esse censeatur.

Facultas retinendi pẽsiones ducat. 500.

Hanc reduxit ad ducat. 400 Clem. VIII. in const 102. Decet.

§.48. Et insuper Militibus, ac Presbyteris, & Capellanis Hospitalis, & Militiæ S. Lazari huiusmodi, nunc & pro tempore existentibus, ac eorum singulis, tam clericis, quam laicis, etiam coniugatis, & bigamis, vt vnam, vel plures pensiones annuas vsque ad summam quingentorum ducatorum auri de Camera nouorum, super quorumuis Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & aliarum Ecclesiarum, ac earum mensarum, etiam Patriarchalium, Archiepiscopalium, & Episcopalium, necnon etiam Monasteriorum, etiam Consistorialium, Prioratuum, Canonicatuum, & præbendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, & Officiorum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura, sæcularium & quorumuis Ordinum Regularium, qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, obuentionibus, & emolumentis, ac distributionibus quotidianis alias canonice sibi reseruatas, seu reseruandas, vel loco pensionum annuarum, omnes & singulos, ac quoscumque similes fructus, redditus, & prouentus, iura, obuentiones, & emolumenta quæcumque, ac etiam distributiones quotidianas sibi reseruata, & reseruanda, etiam si post illarum, vel illorum reseruationem vxorem duxerint, & bigami effecti fuerint, recipere, seu retinere, & ad vitam percipere, exigere, & leuare, ac in suos vsus, & vtilitatem conuertere.

Easque transferendi.

§.49. Illasque, cum primum ipsa Militia S. Lazari in aliqua expeditione contra infideles militare cœperit, in toto, vel parte, simul, vel successiue, quando sibi videbitur, etiam in mortis articulo, in cuiusuis personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut Canonici Cathedralis Ecclesiæ manibus, & in Fratrum Militum dictæ Militiæ S. Lazari, vel cuiuscumque personæ, seu quarumuis personarum, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica obtinentium, & expectantium fauorem absque aliquo possessorum beneficiorum huiusmodi desuper habendo consensu, etiam absque super præsentibus conficiendarum literarum tamquam notariorum præsentia, seu ostensione, vel visione, aut alia solemnitate in Romana Curia, vel extra eam, in omnibus, & per omnia, perinde ac Militibus S. Pauli, Piis nuncupatis, & per Sedem Apostolicam indultum est, etiam citra Cruciatæ obligationem transferre, ac eisdem personis nominandis per ipsas, pensiones reseruare, etiam absque aliqua literarum Apostolicatum expeditione, ac alia desuper necessaria facere libere, & licite valeant, eisdem auctoritate, & tenore de speciali gratia concedimus, & indulgemus, ac plenam, & liberam licentiam, & facultatem illis impartimur. Et cum ipsis Militibus desuper, ac etiam, vt ipsas pensiones vna cum dictæ Militiæ S. Lazari Hospitalibus, vel Præceptoriis, aut aliis beneficiis, quoad vixerint, retinere possint, dispensamus.

M. Magistri & totius Militia susceptio sub protectione Sedis Apostolicæ.

§.50. Et insuper idem Hospitale S. Lazari, ac illius Prioratus, præceptorias, domos, cameras, Hospitalia, & loca quæcumque; necnon Magistrum, Priores, Præceptores, Milites, & personas, ac eorum subditos, vassallos, colonos, & seruitores, nunc, & pro tempore existentes, etiam presbyteros curam animarum exercentes, quamdiu illa exercuerint, & in illorum obsequiis fuerint, ac illorum res, animalia, prædia, domos, molendina, & bona quæcumque, quæ obtinent, & possident, ac in futurum canonice obtinebunt, & possidebunt, sub B. Petri, & dictæ Sedis, atque nostra protectione suscipimus.

Exemptio à iurisdictione ab omnibus dominorũ temporalium, & spiritualium intellige iuxta terminos Cõc. Trid. vt declarat Pius V. cit. in rub.

§.51. Ac ab omni iurisdictione, correctione, onere, statutis, bannis, dominio, superioritate, & potestate quorumcumque Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prælatorum necnon quorumcumque temporalium dominorum quauis potestate etiam Imperiali, Regali, & Ducali, fulgentium, ac Vniuersitatum, & illarum Regentium, etiam (præterquam dicti Hospitalis) Ordinariorum, tam spiritualium, quàm temporalium vbicumque, tam citra, quam vltra montes, & mare constitutorum, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentium, illorumque Vicariorum, & Officialium, Locatenentium, & Iudicum, nunc & pro tempore existentium, quorumlibet.

Exemptio à decimis, &c. Tu attende declarationem Pij V. cit. in rub.

§.52. Necnon à solutione, & exactione passagij, arreragij, gabellæ, datij, tractæ, collectæ, procurationis, iocundi aduentus, iurium etiam synodalium, censuum, & decimarum, etiam noualium hortorum, pratorum, piscationum, & molendinorum (ad quæ cuilibet accessus nullatenus directe, vel indirecte, prohiberi possit) & terrarum, quas per se ipsos, vel alios eorum nominibus etiam colonos, arrendatarios, & emphyteutas excolent, & de quibus fructus percipient, & cuiusuis alterius oneris personalis, realis, seu mixti, ordinarij, vel extraordinarij vbicumque, & ex quacumque causa impositi, vel imponendi pro tempore, liberamus, & eximimus, ac nobis, & dictæ Sedi immediate subiicimus. Illosque, & illa, etiam si in quibuscũque statutis, literis, constitutionibus, & regulis, etiam per nos, & Sedem præfatam pro tempore editis, nominatim, specialiter, & expresse grauarentur, seu onerarentur, semper immunes, liberos, & exemptos, ac exceptos, & nobis, ac successoribus nostris Romanis Põtificibus, immediate subiectos, ac immunia, libera, exempta, & subiecta esse decernimus. Ita quod Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, Ordinarij, Vicarij, Officiales, Locatenẽtes, & Iudices præfati, etiam ratione delicti, vel contractus, seu rei, de qua agetur, vbicumque committatur delictum, ineatur cõtractus, aut res ipsas consistat, nullam in eos, vel ea iurisdictionẽ, correctionem, seu potestatem exercere. Aut excommunicationis, aliasve sententias, cẽsuras, & pœnas promulgare, aut

Digitized by Google

aut etiam ratione personarum, vel rerum, animalium, ac bonorum suorum ad aliquam solutionem, pontium, fontium, furnorum, murorum, seu etiam aliarum Ecclesiarum, quam dictæ Religionis, etiam si forsan hactenus per abusum, seu alterius priuilegium, aut negligentiam, etiam per longissimum tempus taliter obseruatum non fuerit. Quæ omnia etiam præscriptiones nullo pacto, saltem in posterum, quo minus huiusmodi exceptionibus vti possint, obstare volumus, & decernimus eos coarctare, aut alij quicumque cuiuscumque Ecclesiasticæ, vel mundanæ dignitatis, aut præeminentiæ, status, vel conditionis existant, etiam locis & Terris S. R. E. etiam immediate subiectis, & ad instantiam cuiuscumque Principis, seu Communitatis sub excommunicationis latæ sententiæ, seu quadrupli, vltra damna, & expensas, restitutionis pœnis per contrafacientes eo ipso incurrendis, ne eos, in iudicio vel extra super præmissis, vel eorum vsu, seu possessione, vel quasi, directe, vel indirecte, quouis quæsito colore, vel ingenio molestare, impedire, vexare, aut alias quomodolibet impetere præsumant, debeant, seu etiam valeant.

Fratres, & alia personæ Hospitalis, & Militiæ de iustitia coram solo M. Magist. & Conuentu, vel ab eis delegatis comparere teneantur. Hoc etiam declarat Pius V. ibid.

§. 53. Sed Priores, Milites, & aliæ personæ Hospitalis, & Militiæ S. Lazari huiusmodi de iustitia coram solo Magno Magistro, & Conuentu, vel eorum deputato respondere debeant. Decernentes quoscumque processus contra illos, vel eorum aliquem tam per ipsos locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu quosuis alios, quàm Magistrum, vel eius deputatum præfatos, pro tempore factos, & quasliber etiam excommunicationis, vel suspensionis, aliasque sententias promulgatas, nullas, & inualidas, nulliusque roboris, vel momenti fore.

Exemptio à decimis, & nouali bus, ac quartis nuncupatis seu canonica portione, vel caritatiua subsidio, etiam concesso Regi Hispaniarū, ac quarta in Francia Regnis imposita.

§. 54. Nec omnino aliquis ex Hospitalis, & Militiæ S. Lazari Fratribus, donatis, seruitoribus, vassallis, & colonis in prioratibus, Commendis, Domibus, Hospitalibus, Leprosariis, membris, aut aliis quibusuis beneficiis, præsidiis, siue Grangiis quomodocumque à dicto Hospitali dependentibus, in quibuscumque locis, sub quorumcumque Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Vniuersitatum, Hospitalium, Rectorum Ecclesiarum limitibus, & iurisdictione constituti, decimas, aut canonicam portionem, seu caritatiuum subsidium, aut Quartas nuncupatas, seu alias quascumque collectas, seu contributiones, tam ex antiquis eorum culturis, quam ex recenter cultis noualibus alicui quouis modo soluere teneantur. A quibus omnibus exactionibus, atque etiam nouo subsidio dilecto filio nostro Philippo Hispaniarum Regi in suis Regnis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores concesso, & canonica portione, Quarta nuncupata in Franciæ Regnis imposita, necnon à quibuscumque aliis facultatibus Regibus huiusmodi, & aliis Principibus concessis, vel concedendis in futurum, omnia dicti Hospitalis loca, vt præfertur, necnon Ecclesiarum quomodocumque à dicto Hospitali dependentium Fabricas, libera, & liberas, & exemptas esse declaramus, atque volumus.

Facultas extrahendi frumentum, & quoscumque alios fructus, & pecunias ex locis dicta Militia, & Hospitalis ad quæcumque fidelium loca sine datio, & gabella. Tu vide sanctionem S. D. N. Pauli V. n. 10. Inter.

§. 55. Et insuper quod præfati Magister, & Conuentus, Priores, Præceptores, aut quicumque alij ex dicti Hospitalis Fratribus, per quoscumque locorum, aut Terrarum dominos, tam spirituales, quam temporales, etiam si Regali dignitate præfulgeant, etiam in Terris S. R. E. ab extractione frumenti, ordei, vini, olei, leguminum, & quorumuis fructuum, atque etiam pecuniarum ex Prioratibus, Commendis, membris, domibus, grangiis, aliisve præfati Hospitalis locis prouenientium, nullo vmquam modo impediri possint, quo minus præfata omnia pro sua possessorum voluntate in quæcumque fidelium loca ab omni pedagio, datio, seu tracta, libera & exempta valeant asportare.

Exemptio etiam pro bonis patrimonialibus post emissam professionem.

§. 56. Et bona etiam patrimonialia Magistri, Priorum, Præceptorum, & Fratrum, ac aliarum personarum huiusmodi, tam acquisita, quam in posterum acquirenda, aut illis quouis modo, etiam ex concessione Apostolica, vel Magistrali pertinentia, ex die emissæ per eosdem Priores, & Præceptores, Fratres, & personas professionis, vt præfertur, ab omnibus decimis, & aliis oneribus libera, immunia, & exempta existant.

Iurisdictio M. Magistri, & Conuentus, seu eorum delegatorum inter personas dicta Religionis, & Militia.

§. 57. Et quod quælibet querelæ, quæstiones, lites, causæ, & controuersiæ, quas ex nunc inter Fratres, & subditos Hospitalis, & Militiæ S. Lazari nunc præsentes, & futuros, ex quibusuis occasionibus oriri, & moueri contigerit quouis modo, cum omnibus suis incidentibus, emergentibus, connexis, & annexis, ac omnium cuiusuis appellationis, (præterquam in defectus, aut denegatæ iustitiæ, vel illati perperam contra stabilimenta, & consuetudines dicti Hospitalis grauaminis casibus) remoto obstaculo per pro tempore existentem Magistrum, & Conuentum dicti Hospitalis, seu illos ex Fratribus, quibus ipsi Magister, & Conuentus id commiserint, etiam vsque ad tertiam definitiuam sententiam inclusiue audiantur.

Citati coram Magistro, & Conuentu, seu eorum delegatis comparere tenantur.

§. 58. Necnon iuxta laudabiles consuetudines, & stabilimenta Hospitalis huiusmodi, & alias provt iuris fuerit, debito fine decidantur. Omnesque & singuli Priores, & Præceptores, Milites, & Fratres Hospitalis præfati, postquam de mandato, seu auctoritate Magistri, seu Conuentus præfatorum in quibusuis ex prædictis contra eos intentandis causis ad comparendum coram ipsis, & Commissariis per eos, vt præfertur, deputatis, in locis quantumcumque ab eodem Hospitali remotis citati fuerint, coram eisdem Magistro, Conuentu, & Commissariis, provt contigerit, legitime comparere debeant, & teneantur, iuri, & iustitiæ secundum stabilimenta, approbationes, vsus, & laudabiles consuetudines præfati Hospitalis parituri.

Milites, & alia personæ religionis prohibentur coram alijs litigare seu comparere pro iustitia, quam coram iudicibus Religionis.

§. 59. Quodque illi ex Prioribus, Præceptoribus, Fratribus, & subditis præfatis, qui contra eorum aliquem super quibusuis querelis, rebus, vel negotiis (præterquam in casibus præfatis) coram alio quam præfatis Magistro, & Conuentu, ac per eos pro tempore datis Commissariis in causam traxerint, & ad alium quam ad eosdem appellationes quascumque interposuerint, causas huiusmodi prorsus perdant, & excommunicationis sententiam incurrant, reque super qua contenderint, priuati existant eo ipso.

Potestas, & iurisdictio M. Magistri, & Conuentus super personis & rebus iuxta stabilimenta.

§. 60. Necnon moderno, & pro tempore existenti Magistro, & Conuentui Hospitalis huiusmodi, iuxta illius stabilimenta, & laudabiles consuetudines ac mores, in Prioratus, & Præceptorias, domos, Hospitalia, membra, bona, & loca quæcumque, necnon quoscumque Priores, Præceptores, Fratres, & personas Hospitalis, & Religionis huiusmodi, ac illorum vasallos, subditos, & seruitores vbicumque, tàm citra, quàm vltra montes, nunc & pro tempore constitutos, & commorantes, qui omnes Magistro & subdelegatis ab eo firmiter, tàm personaliter, quàm realiter, omni exceptione cessante, & quocumque à nobis, vel Sede prædicta obtento, vel obtinendo indulto non obstante parere & obedire tenerentur, plenariam, & omnimodam etiam meri, & mixti imperij iurisdictionem, & superioritatem.

Facultas M. Magistri procedendi contra inobedientes, & rebelles etiam per edictum publicū etiam ad priuationē quorumcumque beneficiorum per eos quomodolibet obtentorum.

§. 61. Ipsique Magistro contra rebelles, & suis inandatis non obedientes etiam vigore literarum Apostolicarū etiam in forma breuis à nobis & successoribus nostris pro tempore emanatarum, seruatis quatuor terminis ad docendum se paruisse; & satisfeciisse in loco Conuentus Hospitalis huiusmodi, post legitime executam primam citationem ad mulctam, siue pœnam personaliter iuxta mores & stabilimenta prædicta, seu etiam priuationem habitus, & beneficiorum, domorum, & prædiorum per eos obtentorum procedendi, vel etiam si magis expedire videbitur, beneficia, domos, & prædia ipsa ad manus suas, seu Receptorum dicti Hospitalis reducendi, & donec ipsi inobedientes contumaciam purgauerint, vel debita onera persoluerint, siue sæculares, aut alterius Ordinis Regulares beneficia dicti Hospitalis possidentes fuerint, pro suo arbitrio retinendi, illorumque fructus, reditus, & prouentus arrendandi, & percipiendi.

Auocatio quorumcumque causarū, & commissio Magistro, & Conuentui terminandi. Hoc limitat Pius V. cit. in rubr.

§. 62. Necnon causas prædictas, ac omnes, & singulas lites & querelas, siue in Romana Curia, tàm in Auditorio nostro quàm per commissiones, siue extra eam, super quibusuis dicti Hospitalis beneficiis ac bonis, & pecuniis ærarij, & Fratrum quorumcumque, seu super eorumdem delictis, etiam si ex aduerso aliqui Clerici, sæculares vel regulares, aut laici extiterint, & actiue seu passiue alias iuxta formam stabilimentorum & priuilegiorum prædictorum, in dictis causis quomodolibet, & in quacumque instantia interuenerint hactenus motas, in quibus

Digitized by Google

bus tamen non concluſum ſit, & in futurum quouis prætextu mouendas, in quibuſuis inſtantiis pendentes, quarum ſtatus, & merita etiam præſentibus haberi volumus pro expreſſis, ad nos aduocamus, ac illas eiſdem Magiſtro, & Conuentui per eos, vel ab eis deputatos iuxta formam dictorum ſtabilimentorum, & laudabilium conſuetudinum prædictorum in ſtatu debito reaſſumendas & decidendas committimus, eoſque quorum interierit citandi, & quoties opus fuerit inhibendi etiam ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, tàm in Curia prædicta, quàm extra eam, facultatem concedimus.

Facultas exequendi ſententias, & rem iudicatam.

§.63. Necnon illorum ſententias, & rem iudicatam per Priorem Eccleſiæ dicti Conuentus, etiam ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis contra condemnatos, etiam in Curia prædicta, tàm realiter, quàm perſonaliter exequi mandamus, ita quod alibi quam in dicto Hoſpitali, aut extra illud ex Magiſtri, & Conuentus commiſſione iuxta ſtabilimenta & vſus huiuſmodi, cognoſci, & terminari nequeant.

Appellationes à ſententijs delegatorum ad M. Magiſtrū, & Conuentū, & ab eis ad Capit. generale iuxta formam ſtabilimentorum deuoluantur.

§.64. Nec à ſententiis per Iudices dicti Hoſpitalis pro tempore latis ad alium, quam Magiſtrum, & Conuentum prædictos, ſeu Iudices ab eis deputatos, in quauis inſtantia, neque à ſententiis per ipſum Magiſtrum, & Conſilium latis, alio quam ad ipſum generale Capitulum, ſiue per ipſius Hoſpitalis Fratres, ſiue per ipſos ſubditos, & vaſallos quoquomodo appellari poſſit: quinimo illi vſque ad tertiam ſententiam in eodem Conuentu procedere teneantur.

Omnes expeditiones & executoriales, M. Magiſtri, & Conuentus exequantur abſque alicuius licentia, nec per quemcumque etiã Ducali, aut Regali dignitate fulgentibus impediri poſſint.

§.65. Et ſimiliter, quod omnes ſententiæ per eoſdem Magiſtrum, & Conuentum latæ, omnes item commiſſiones, & citationes, collationes, & omnia denique eorumdem reſcripta ad omnes ſuæ iuriſdictioni ſubditos, ac reliquos etiam, quorum interierit, cauſas, lites, ſeu querelas coram ipſis pertractari, directe exequi, & à nullis locorũ, & Terrarum dominis etiam Ducali, aut Regali dignitate fulgentibus aliqua ratione expectandi conſenſus, ſeu alio quouis quæſito colore in eorumdem executione impediri poſſint: ſeruato tamen in eis exequendis Datæ ordine. Ita quod eorum vltima primis anteferri nequeant.

Facultas procedendi cõtra clericos, ſeu alios detinentes loca, & bona d. religionis, ſeu non ſoluentes debita communi ærario, prout cõtra perſonas d. Ordinis.

Sed Pius V. limitauit vt in conſt. cit. in rubr.

§.66. Ac quod contra Clericos ſæculares, ſeu laicos, Prioratus, Præceptorias, domos, & alia beneficia Hoſpitalis huiuſmodi occupantes, ſeu illi, aut eius communi ærario, ſeu Fratribus occaſione reſponſionum annuarum, vacantium, mortuariorum, annatarum, paſſagiorum, arreragiorum, ſeu alias quomodolibet debentes, ſiue agant ſiue conueniantur, & in quauis inſtantia ad cauſam veniant, Magiſter, & Conuentus præfati, modo & forma quibus contra ipſius Hoſpitalis Fratres procedi conſueuerit, libere procedere, & eos Prioratibus, Præceptoriis, domibus, & aliis beneficiis huiuſmodi, alias iuxta formam priuilegiorum prædictorum, priuare valeant, concedimus, & indulgemus.

Qualibet perſona in dignitate eccleſiaſt. conſtituta poſſint eligi in Conſeruatores, cum facultatibus opportunis, & neceſſariis.

Sed Pius V. limitauit in conſt. allegata in rubr.

§.67. Necnon perſonas in dignitate Eccleſiaſtica vbilibet conſtitutas, & quoſcumque locorum Ordinarios, ac eorum Vicarios, & Officiales, necnon Canonicos Metropolitan. & aliarum Cathedralium, aliarumque Eccleſiarum Prælatos, & Rectores per eoſdem Priores, Præceptores, & Fratres, ac eorum ſingulos pro tempore eligendos in eorum Conſeruatores, qui quamdiu exercuerint dictum officium à nemine quo minus illud exerceant ſub aliquo prætextu impediri, vel moleſtari poſſint, deputamus: ita quod ipſi electi ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna eoſdem Priores, Præceptores, & Fratres, ac eorum ſingulos aduerſus inferentes eis, aut eorum ſeruitoribus, & familiaribus iniurias, ſeu grauamina, vel damna, in perſonis, rebus, & bonis, ſeu exigentes ab eis vectigalia, datia, pedagia, gabellas, collectas, aut alia onera, defendere, & præſeruare, ac omnem eorum iuriſdictionem exercere, necnon ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas contra rebelles, & inobedientes cum effectu promulgare, ac omnibus facultatibus, Conſeruatoribus dicti Hoſpitalis, & illius perſonarum per quaſcumque literas Apoſtolicas quomodolibet conceſſis vti, ac priuilegia Prioribus, Præceptoribus, & Fratribus præfatis pro tempore conceſſa, eis obſeruari facere debeant & teneantur.

Quod iura mortuariorũ & vacantiũ ſolui debeant, ſub pœna, &c.

§.68. Ac iura mortuariorum, & vacantium, necnon arreragiorum, paſſagiorum, & aliorum quorumcumque, iraut quæuis perſonæ cuiuſcumque Eccleſiaſticæ dignitatis exiſtentes, beneficia Hoſpitalis huiuſmodi pro tempore obtinentes, illa ſoluere omnino teneantur, & adſtricti ſint, ac ad id etiam ſub ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, ac alias iuxta eorumdem priuilegia, priuationis & apprehenſionis beneficiorum ad manus ſuas remediis cogi poſſint, ſolui mandamus.

Facultas ſumẽdi ordines, & ſacramenta à quouis Antiſtite, etiam extra tẽpora, & celebrandi in quibuſuis Eccleſiis.

§.69. Necnon exemptionem, & liberationem præfatas, ita quod Magiſter, Priores, Præceptores, & dicti Hoſpitalis Fratres, Capellani à quocumque Catholico Antiſtite ſub Romanæ ſedis obedientia conſtitutos ſacros ordines, etiam extra tempora à iure ſtatuta tribus dictus feſtiuis ſuſcipere, & in quibuſuis, tàm ſęcularium quàm regularium Eccleſiis abſque alicuius licentia celebrare poſſint.

Quod limitauit Pius V. cito in rubr.

§.70. Et ipſi Magiſter, & Conuentus, necnon Prior Eccleſiæ, aliique Priores, & Præceptores intra limites ſuarum iuriſdictionum, & adminiſtrationum veri Ordinarij iuxta formam ſtabilimentorum, & priuilegiorum prædictorum, exiſtant, & eſſe cenſeantur.

M. Magiſter, Conuentus, Priores, & Præceptores intra limites ſuarũ iuriſdictionum veri Ordinarij ſunt.

§.71. Necnon Magiſtrum & Conuentum, quoſcunq; & ſingulos Priores, ac Commendatores ſuorum Prioratuum, & Commendarum Fratres, ſeu Religioſos delinquentes, vel inobedientes, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus gradus, ordinis præeminentiæ exiſtentes, etiam ſi quauis etiam Apoſtolica exemptione fungantur, in quocumque loco quantumuis priuilegiato, & quauis etiam Imperatoris, Regum ſeu aliorum Principum etiam Eccleſiaſticorũ Curia, per ſe aut ſuos Officiales & Miniſtros, capere, & incarcerare, ac captos à ſe vel eorum nomine liberare, & ad Hoſpitale præfatum per Magiſtrum, & Conuentum præfatos iuxta eorum conſtitutiones & ſtabilimenta puniendos ſub debita cuſtodia tranſmittere, & tranſmitti facere, libere, & licite poſſe.

Magiſter, & Conuentus quoſcumque delinquentes vbique incarcerare, & ad locum Conuentus, vel alium tranſmittere poſſint.

Sed Pius V. ibid. limitauit id nõ licere in Curia Rom. Officiales quicũque teneantur præſtare auxilium pro capiendo, & tranſmittẽdis delinquentibus.

§.72. Ac tàm eccleſiaſticos, quàm ſæculares Officiales, & locorum poteſtates, ad eiſdem Magiſtro, & Conuentui, Prioribus, Commendatoribus, aliiſque in præmiſſis aſſiſtendum, ac auxilium, conſilium, fauorem, & iuuamen præſtandum ſub excommunicationis, & aliis cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis, teneri, & obligatos fore.

Annullatio reſeruationũ, vnionum, ac aliarũ gratiarũ prætitularũ quomodolibet conceſſarum ſuper locis dictæ Religionis, & facultas prouidendi de illis per M. Magiſtrum.

§.73. Ac omnes, & ſingulas ſpeciales, & generales, etiã mentales reſeruationes, expectatiuas, mandata de prouidendo, coadiutorias, conceſſiones, vniones, etiam perpetuas, necnon alias præuentiuas gratias, & literas Apoſtolicas ſuper Prioratibus, Præceptoriis, Rectoriis, domibus, locis, & membris, ac aliis beneficiis eccleſiaſticis dicti Hoſpitalis quouis modo nuncupentur, etiam in Angliæ, Caſtellæ, Legionis, ac Valentiæ Regnis, ac Principatu Cathaloniæ & Comitatu Flandriæ, quomodocumque, & qualitercumque, etiam cum quibuſuis fortiſſimis & inſolitis, etiam derogatoriarum derogatoriis clauſulis, irritantibúſque, & aliis decretis, ac inhibitionibus quibuſuis, etiam non dicti Hoſpitalis perſonis cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ fuerint, etiam Cardinalatus honore fungẽtibus, & functuris, etiam ex quibuſuis iuſtiſſimis, & vrgentiſſimis cauſis, etiam per nos, & Sedem præfatam, tàm in genere, quàm in ſpecie conceſſas, & conceſſa, & quaſuis etiam præuentiuas, & reſtitutorias, ac præſeruatiuas clauſulas in ſe continentes, & continentia, eorum vim & effectum reuocamus, caſſamus, & annullamus, nulliuſque roboris, vel momenti fore, & eſſe, ac nemini ſuffragari poſſe, neque debere, nec per eas cuiquam in Prioratibus, Præceptoriis, dignitatibus, domibus, locis, & membris ac aliis beneficiis Hoſpitalis huiuſmodi, vel ad illa ius acquiri potuiſſe, vel poſſe, neque coloratũ titulum poſſidendi tribuere, ſed illis non obſtantibus Magiſtrum, & Conuentum præfatos, coniunctim vel diuiſim, iuxta conſuetudines & ſtabilimenta huiuſmodi Hoſpitalis, de Prioratibus, Præceptoriis, domibus, locis, & membris, ac aliis Hoſpitalis beneficiis huiuſmodi, libere diſponere potuiſſe, & poſſe, & ſic iudicari debere, ac quicquid ſecus ſuper his attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Alia caſſatio ſimiliter quarumcumque expectatiuarũ, reſeruationum, antianitatum, conceſſionum, &c. etiã ex cauſa onerosa, ſine conſenſu Magiſtri, & Conuentus.

§.74. Ac omnes, & ſingulas expectatiuas, reſeruationes, antianitates, mandata de prouidendo, conceſſiones, coadiutorias ſine conſenſu, & omnes alias gratias, & literas ſuper Prioratibus, Præceptoriis, ac quibuſuis, aliis beneficiis dicti Hoſpitalis, quomodocumque, & qualitercumque (abſque Magiſtri, & Conuentus prætatorum conſenſu

Digitized by Google

consensu quibuſuis perſonis cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, etiam Cardinalatus honore fungentibus, ex quibuſuis cauſis etiam oneroſis, hucuſque conceſſas, & conceſſa, etiam quaſuis clauſulas illarum ab huiuſmodi reuocationibus præſeruatiuas in ſe continentes, & continentia, ſimilibus ſcientia, & poteſtatis plenitudine pro reuocatis, caſſatis, & annullatis huius perpetuo valituræ conſtitutionis edicto per præſentes decernimus, & ordinamus.

Caſſatio, & reuocatio quarumcumque collationū prouiſionum, vnionum, annexionum, incorporationū, ac aliarum conceſſionum & diſpoſitionū hucuſque factarum, etiamſi vere fortita ſint effectum, & in futurum ſtandarum.

§. 75. Necnon omnes, & ſingulas collationes, prouiſiones, vniones, annexiones, & incorporationes, ac quaſcumque alias conceſſiones, & diſpoſitiones de Præceptoriis, cameris magiſtralibus pro tempore nuncupatis, ſeu illarum fructibus, redditibus, & prouentibus quibuſuis perſonis cuiuſcumque ſtatus, ordinis, vel conditionis extiterint, quauis conſideratione, & ſub quacumque verborum forma, at cum quibuſuis clauſulis derogatoriis, etiam Motu, & ſcientia ſimilibus, ac cum expreſſa derogatione iurium Magiſtri dicti Hoſpitalis, ſeu annuæ reſponſionis illi faciendæ, hucuſque auctoritate Apoſtolica factas, nullas, & inualidas, nulliuſque roboris, vel momenti fuiſſe, & eſſe decernimus. Et quarenus viribus ſubſiſtere dicerentur, reuocamus, caſſamus, irritamus, ac illas, & quas in futurum etiam cum expreſſa derogatione literarum noſtrarum huiuſmodi fieri contigerit, pro infectis haberi volumus.

Monitorium aduerſus occupantes, & non reſtituentes loca, & bona Religionis infra duos menſes.

§. 76. Monentes, & requirentes omnes, & ſingulos earumdem Camerarum Magiſtralium, & ſeu locorum detentores, ſeu poſſeſſores, qui nunc ſunt, aut pro tempore erunt, prætextu conceſſionum, prouiſionum, & diſpoſitionum quarumlibet, quæ ab alio quam pro tempore exiſtente Magiſtro dicti hoſpitalis hactenus emanauerint, & in futurum emanabunt, etiam à dicta Sede, vt infra duorum menſium terminum Camerarum, & locorum per eos pro tempore detentorum, ſeu poſſeſſorum huiuſmodi poſſeſſionem vacuam, liberam, & expeditam Magiſtro dicti Hoſpitalis, aut illius legitimo procuratori tradant, & aſſignent. Alioquin ex nunc, provt ex tunc, in omnes, & ſingulos, qui non patuerint, ſeu aliis vt non pareant ſuaſerint, aut alias auxilium, conſilium, vel fauorem præſtiterint excõmunicationis ſententiam promulgamus, & eos in illas incidiſſe declaramus, à qua niſi in mortis periculo conſtituti ab alio quam à Romano Pontifice pro tempore exiſtente abſolutionis beneficium obtinere nequeant. Et præter ſententiam excommunicationis huiuſmodi, ſi dicti Hoſpitalis Fratres fuerint, & excommunicationis ſententiam huiuſmodi per menſem animo ſuſtinuerint indurato, Prioratibus, Præceptoriis, & officiis præfati Hoſpitalis per eos tunc obtentis eo ipſo priuati, & inhabiles ad illa, & alia in poſterum obtinenda exiſtant.

M. Magiſter, & Conuentus poſſint diſponere de bonis vacãtibus per priuationem.

§. 77. Poſſitque per Magiſtrum, & Conuentum præfatos de illis ſic vacantibus per priuationem huiuſmodi libere diſponi.

Facultas M. Magiſtri apprehendendi propria auctoritate poſſeſſionem bonorũ per alios occupatorum.

§. 78. Liceat quoque Magiſtro pro tempore exiſtenti Hoſpitalis huiuſmodi, dicto termino decurſo, per ſe vel procuratores ſuos poſſeſſionem Camerarum, & locorum eorumdem propria auctoritate libere apprehendere, ac illorum fructus, redditus, & prouentus percipere, ac in ſuos, & eius Magiſtralis menſæ vſus, & vtilitatem conuertere, & retinere, cuiuſuis licentia ſuper eo minime requiſita.

Loca huius religionis non comprehẽdãtur ſub reſeruationibus Apoſtolicis, ſed ſint manualia.

§. 79. Præterea ſimiliter perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, quod ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus Prioratus, Præceptoriæ, & membra quæcumque dicti Hoſpitalis, quæ pro tempore qualitercumque vacauerint, tam in Romana Curia quam extra eam, ſub quibuſuis generalibus, vel ſpecialibus reſeruationibus Apoſtolicis factis, & quas fieri contigerit de beneficiis Eccleſiaſticis etiam apud Sedem præfatam pro tempore vacantibus, vtpote ad Hoſpitalitatem, & fidei tuitionem ordinata, nullatenus includantur, nec reſeruata, vel affecta exiſtant, ſed Hoſpitalium pauperum, quæ ſub reſeruationibus ipſis non includuntur, quoad id ſortiantur naturam.

Loca huius religionis per M. Magiſtrũ, & Conuentũ, dumtaxat, & non alios conferri debeant perſonis d. Religionis.

§. 80. Debeatque de illis per pro tempore exiſtentem Magiſtrum, & Conuentum præfatos dumtaxat, & non alium, iuxta ſtibilimenta præfata, Fratribus dicti Hoſpitalis prouideri, & quas fieri contigerit per nos, aut ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, ac dictam Sedem, vel eius, aut alia quacumque auctoritate de illis reſeruationes, prouiſiones, collationes, commendas, vniones, & quaſcumque alias ſimiles, vel diſſimiles diſpoſitiones.

Exemptiones conceſſa Prioribus, & Militibus nõ ſuffragentur aduerſus debita per ipſos communi ærario d. Hoſpitalis, & obedientiã. M. Magiſtri, & Conuentus.

§. 81. Et exemptiones Priorum, Præceptorum, & Fratrum, à Magiſtri, & Conuentus præfatorum obedientia, & ſuperioritate, aut debitis per eos præfato ærario reſponſionibus annuis, & aliis iuribus, quacumque ratione, vel cauſa, etiam Motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam cum expreſſa derogatione poſteriorum literarum quarumcumque, quæ etiam per nos in contrarium fortaſſe fieri contigerit, nullius penitus ſint roboris, vel momenti, & habeantur prorſus pro infectis.

Ad hoc vide Pium V. cit. in rubr.

§. 82. Nec cenſeatur ſtatuto huiuſmodi vmquam derogatum per quaſcumque clauſulas etiam derogatoriarum derogatorias, fortiores, & efficaciores, niſi dum, & quoties, ipſarum poſteriorum literarum de verbo ad verbum vere, & non per clauſulas id importantes, inſerto tenore de ipſorum S. R. E. Cardinalium conſilio derogari contigerit, nec etiam tunc, niſi ad id Magiſtri, & Conuentus præfatorum expreſſus accedat aſſenſus, & non aliter, nec alio modo.

Præſentibus literis, non cẽſeatur derogatum niſi modus, & formã hic expreſſus.

Clauſula de conſenſu M. Magiſtri, & Conuentus ſemper ſubintelligatur ad effectum, vt derogationes non ſubſiſtant niſi cum eorũ conſenſu.

§. 83. Et ſemper in huiuſmodi, quæ ſic fient de conſilio præfato derogationibus, cenſeatur appoſita clauſula, quod effectum ſortiantur de conſenſu Magiſtri, & Conuentus præfatorum, & non aliter, nec alio modo.

Prohibitio diſpoſitionis locorum d. Religionis; niſi de conſenſu M. Magiſtri, & Conuentus. Hoc vltimũ limitauit Pius V. cit. in rubr.

§. 84. Decernentes collationes, prouiſiones, commendas, vniones, reſeruationes, & alias diſpoſitiones quaſlibet, quas per alium quam Magiſtrum, & Conuentum præfatos de ciſdem Prioratibus, Præceptoriis, & membris etiam apud Sedem ipſam pro tempore, per ceſſum, vel deceſſum, ſeu quamuis aliam dimiſſionem vacantibus, fieri contigerit, etiam ſi per nos, & pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem fient, & illis, quibus ſic fient, nullum ius, nullumque coloratum titulum tribuere, poſſidendi. Et eos quoad omnes effectus etiam conſtitutionis noſtræ de triennali poſſeſſore non moleſtando, pro meris detentoribus ſine titulo haberi, & reputari.

Reciſſio contractuum, & aliarum alienationum, donationum, occupationũ in damnum Religionis factarum. Pius V. reſtringit vt credo quoad futuras alienationes.

§. 85. Ac quaſcumque donationes, conceſſiones, locationes, inueſtituras, & alias alienationes cenſuum, reddituum, iurium, iuriſdictionum, & locorum quorumcumque ad Prioratus, Præceptorias, domos, Hoſpitalia, beneficia, & loca Hoſpitalis huiuſmodi pertinentium in illorum læſionem, iacturam, vel detrimentum, & perſonas dictæ Religionis, etiam cum renunciationibus, pactis, iuramentis, & pœnis deſuper appoſitis, & adiectis, ac inſtrumentis, & literis deſuper confectis, & confirmationibus forſan inde ſecutis etiam de licentia dictæ Sedis, abſque tamen conſenſu, ſeu expreſſa licentia Magiſtri, & Conuentus præfatorum, quacumque præſcriptione, ſeu longiſſima pacifica, poſſeſſione, & detentione non obſtantibus.

Caſſatio, & extinctio acceſſuum, regreſſuũ, & præterquam. ex cauſa oneroſa, & de cõſenſu M. Magiſtri conceſſorum.

§. 86. Necnon quoſcumque acceſſus, ingreſſus, & regreſſus, ad coadiutorias ad Prioratus, Præceptorias, domos, Hoſpitalia, & alia beneficia Hoſpitalis huiuſmodi (præterquam ex cauſa oneroſa, & de conſenſu dictorum Magiſtri, & Conuentus) etiam per nos, & prædeceſſores noſtros præfatos conceſſos ſimiliter caſſamus, reuocamus & annullamus, ac irritamus nulliúſque roboris, vel momenti fore, & pro infectis haberi decernimus.

Loca, & bona, ac iura quæcumque occupata, & vſurpata reducũtur ad ius, & proprietatem d. hoſpitalis, ac eius membrorum per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas.

§. 87. Ac cenſus, reditus, iura, iuriſdictiones, & bona alienata huiuſmodi, ac etiam per quoſcumque etiam ſæculares occupata, vſurpata, & detenta, ad ius, & proprietatem dicti Hoſpitalis, ſeu illius Prioratuum, Præceptoriarum, domorum, Hoſpitalium, & beneficiorum prædictorum reducimus. Illaque in integrum aduerſus conceſſiones, donationes, & alias quaſlibet alienationes prædictas, necnon inueſtituras illarum prætextu quomodolibet quauis auctoritate factas, & conceſſas, in integrum, ac priſtinum, & eum ſtatum in quo antea erant, reſtituimus, reponimus, & plenarie reintegramus, illarumque detentores cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtentes ad illorum

relaxa

Digitized by Google

relaxationem per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia iuris remedia cogi, & compelli poſſe volumus.

Prohibitio alienationum in futurum fiendarum.

§.88. Et ſimiles alienationes de cetero ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & priuationis beneficiorum per eos obtentorum pœnis, per contrafacientes eo ipſo abſque aliqua declaratione incurrendis, fieri prohibemus, & ſi fiant, illas viribus omnino carere decernimus.

Conceſſio, & incorporatio hoſpitalium, & locorum quorumcumque ſub inuocatione S. Lazari cõſtructa, & edificata.

§.89. Et quod Hoſpitalia, Leproſariæ, Capellæ, Oratoria, beneficia, & alia pia loca huiuſmodi, etiam in Alma Vrbe, & aliis quibuſcumque Terris, dominiis, & locis ſub dicti S. Lazari inuocatione fundata, conſtructa, ædificata, & erecta, & quæ in poſterum perpetuis futuris temporibus fundari, conſtrui, ædificari, & erigi contigerit, cum eorum applicationibus, vnionibus, annexionibus, & incorporationibus factis & deinde faciendis, ad Magiſtrum, & Conuentum, ac Religionem huiuſmodi ſpectent, & pertineant, illiſque ſubiiciantur, & ſubiecta exiſtant, & à dicto Hoſpitali dependeant.

Inhabilitas omnium praterquã Militum d. Religionis ad obtinẽda hoſpitalia, & beneficia ſub inuocatione S. Lazari cõſtructa.

§.90. Illaque per eiuſdem Religionis Fratres, & Religioſos, non autem per alias Eccleſiaſticas, & ſæculares etiam Oppidorum, Locorum, Villarum, & Communitatum perſonas, niſi de Magni Magiſtri, & Conuentus præfatorum expreſſo conſenſu, regi, & gubernari debeant.

Facultas imponẽdi annuã ſubſidium.

§.91. Et in ſignum recognitionis, & ſuperioritatis huiuſmodi de aliquo annuo rationabili canone, ſeu cenſu per eoſdem Magiſtrum, & Conuentum, & Definitores generalis Conſilij huiuſmodi imponendo, & eis ſingulis annis perſoluendo reſpondere debeant, & teneantur. Ac in euentum rebellionis, aut non ſubiectionis, ac reſponſionis, ſingulares Communitatum, & aliæ perſonæ huiuſmodi, maioris excommunicationis ſententia, per nos, & ſucceſſores noſtros præfatos innodatæ, earumque Eccleſiæ interdictæ ſint, & eſſe cenſeantur, nec ab huiuſmodi maiori excommunicatione per nos, aut ſucceſſores præfatos abſolui, aut interdicta ipſa relaxari poſſint, niſi ad id Magiſtri, & Conuentus præfatorum expreſſus per eorum patentes literas accedat aſſenſus.

Et demoliendi loca quacumque ſub inuocatione S. Lazari pro quibus obedientia recuſatur.

§.92. Liceatque Ioannotto, & pro tempore exiſtenti Magiſtro, & Conuentui, necnon Præceptoribus, & Prioribus huiuſmodi beneficia, Oratoria, Hoſpitalia, & alia loca ſub nomine S. Lazari pro tempore etiam in Vrbe, & Curia præfatis fundata, & dotata, quæ eidem Ioannoto, & pro tempore exiſtenti Magiſtro, & Conuentui, ac Præceptoribus huiuſmodi obedire, ſeu ſubiici, aut annuam reſponſionem ſoluere recuſare contigerit, ſolo æquare, & demoliri, & imagines à parietibus delere, ſeu per caſdem Communitates, & alias perſonas Eccleſiaſticas, & ſæculares ſolo æquari, & demoliri, ac imagines huiuſmodi deleri ſub excommunicationis latæ ſententiæ, interdicti, ac aliis cenſuris, & pœnis, etiam cum inuocatione auxilij brachij ſæcularis facere.

Alia conceſſio locorũ, & beneficiorum ſub inuocatione S. Lazari inſtitutorum, etiam ſi non ſint poſſeſſa per Magiſtrũ, & Fratres prædictos & non obſtante conſuetudine, aut ſubmiſſione contraria. Hos reuocauit Pius V. in d. eius conſt. Alia inhabilitas ad obtinenda loca d. Religionis præterquam à Fratribus eiuſdem Ordinis profeſſis. Presbyteri ſæculares obtinẽtes beneficia ds. Ordinis illa cedere nõ poſſunt, niſi de conſenſu, &c.

§.93. Quodque omnia, & ſingula alia Hoſpitalia, Præceptoriæ, leproſariæ, membra, & pia loca dicti Ordinis, ſub vocabulo S. Lazari intitulata, etiam ſi non ſint poſſeſſa, vel recepta per Magiſtrum, Conuentum, aut Fratres præfatos, nihilominus ab ipſo Hoſpitali, S. Lazari dependere, nullique alio Monaſterio, Præceptoriæ, ſiue alio pio loco, præterquam dicto Hoſpitali, etiam ſi longæua conſuetudo, aut ſubmiſſio aliqua repugnarent, pleno iure ſubeſſe auctoritate, & tenore præmiſſis decernimus pariter, & declaramus.

§.94. Statuentes, ac etiam decernentes, quod ipſius Ordinis Hoſpitalia, Præceptoriæ, leproſariæ, membra, & loca nulli cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, vel conditionis fuerit, præterquam ipſius Hoſpitalis Fratribus, & Ordinem ipſum expreſſe profeſſis, eis tamen pro ſolo nutu dicti Magiſtri, & Conuentus exiſtentis, & pro tempore ad clauſtrum quoties expedierit reuocandis, in titulum, vel commendam conferri valeant, ſiue poſſint.

§.95. Quinimo preſbyteri ſæculares illa ad præſens in commendam, ſeu alias quomodolibet obtinentes, commendæ huiuſmodi cedere, aut illa alias dimittere nequeant, niſi de conſenſu eorum ad quos præſentatio, ſeu collatio ſpectat, & in fauorem dicti Hoſpitalis, ſeu perſonarum, quæ habitum per Fratres Capellanos eiuſdem Hoſpitalis deferri ſolitum ſuſcipiant, & profeſſionem per eos emitti ſolitam emittant, nec illa deinceps ipſi niſi infra ſex menſes à die intimationis habitum ipſius Religionis, ſuſceperint, & Regularem profeſſionem infra alios ſex menſes emiſerint, poſſidere poſſint.

Ceſſiones, & prouiſiones de beneficiis ſine clauſula, & de conſenſu M. Magiſtri, nullius ſint roboris.

§.96. Et ſi ſecus fiat, aut ceſſionem, ſeu reſignationem huiuſmodi, ac de dicti Ordinis beneficiis, etiam in manibus noſtris in futurum fieri contingat, huiuſmodi ceſſiones, reſignationes, & prouiſiones nullius ſint roboris, vel momenti, niſi in illis expreſſe dicatur, (& de conſenſu Magni Magiſtri) & de illis iuxta formam priuilegiorum dictæ Religionis prouideatur.

Reuocatio iuris patronatus, niſi ex fundatione, vel dotatione. Pius V. hoc declarauit in conſtit. cit. in rubr.

§.97. Et inſuper ſtatuimus, & ordinamus, quod iuſpatronatus, & præſentandi perſonas idoneas ad Prioratus, Præceptorias, Hoſpitalia, membra, alia beneficia, & loca Hoſpitalis huiuſmodi, niſi ratione fundationis, aut dotationis, ſaltem ad tertiam partem illorum fructuum: quo caſu liceat Magiſtro, & Conuentui præfatis, ſi dicta eorum beneficia, & loca Hoſpitalis huiuſmodi à dicto iure patronatus liberare voluerint, aut dotantibus bona reſtituere, ſeu illorum pretium perſoluere. Ac ex nunc Prioratus, Præceptorias, Hoſpitalia, membra, & beneficia huiuſmodi conferre.

Prohibitio reſeruandi penſiones ſuper beneficiis d. Hoſpitalis, niſi in fauorem Fratrum.

§.98. Et quod nulla penſio annua ſuper alicuius Præceptoriæ, Commendæ, vel alterius beneficij Militiæ huiuſmodi fructibus etiã ex reſignatione in manibus Romani Pontificis, aut alia quauis probabili cauſa, niſi in perſona perſonæ dictæ Religionis, & Militiæ, etiam per ipſum Pontificem reſeruari, neque Commendæ, & alia beneficia dictæ Religionis penſionibus huiuſmodi aliter, quam vt præfertur, onerari poſſint. Et ſi penſiones deſuper aliter aſſignari contingat, aſſignationes ipſæ nullius ſint roboris, vel momenti, nec titulares beneficiorum huiuſmodi ad illarum ſolutiones teneantur, neque ad id cenſuris Eccleſiaſticis, aliiſve pœnis compelli poſſint.

Obtinentes beneficia, & penſiones ced at in manibus M. Magiſtri infra ſex mẽſes vel habitũ ſuſcipiant, & profeſſionem omittant.

§.99. Quodque omnes, & ſinguli eorum Prioratuum, Præceptoriarum, domorum, & beneficiorum in vim dictarum collationum poſſeſſores ſæculares, aut alterius Ordinis regulares, ſeu penſiones ſuper illorum fructibus, redditibus, & prouentibus huiuſmodi hucuſque etiam per Sedem eamdem reſeruata percipientes, illas, & illa infra ſex menſes à die intimationis præſentium literarum in manibus Magiſtri, & Conuentus, præfatorum iuxtã formam ſtabilimentorum dictæ Religionis dimittere, transferre, ſeu illarum caſſationi conſentire teneantur, alioquin beneficia, & penſiones huiuſmodi, niſi illa poſſidentes, & illas percipientes infra dictum tempus habitum ſuſceperint, & profeſſionem regularem illius Religionis emiſerint, lapſis menſibus ipſis vacent, ac caſſæ, & extinctæ ſint, & eſſe cenſeantur eo ipſo.

Ad Parochiales, & alias Eccleſias dicti Ordinis deputari poſſint Fratres Capellani, non obſtante quod per abuſum, aut alias, etiã per longiſſimũ tẽpus presbyteris ſæcularibus fuerint collata, aut conferri conſueta. Quod intellige ſi vacant per dimiſſionem, vt in Pij V. conſt. cit. in rubr.

§.100. Et Magiſtro, ſinguliſque Prioribus, Præceptoribus, Militibus, & Fratribus Hoſpitalis huiuſmodi, vt pro eorum libito voluntatis Parochiales, ac etiam ſine cura Eccleſias, vel earum Vicarias, ſeu Capellanias perpetuas, aut Capellas, vel Altaria, ſeu alia beneficia ſimplicia ad eorum collationem, prouiſionem, præſentationem, electionem, ſeu quamuis aliam diſpoſitionem ratione Prioratuum, Præceptoriarum, etiam Cameralium Magiſtralium nuncupatarum, domorum, & aliorum beneficiorum dicti Hoſpitalis per eos pro tempore obtentorum de iure, ſtatuto, conſuetudine, fundatione, aut priuilegio, ſeu alias quomodolibet ſpectantia, & pertinentia, & ab ipſis Prioratibus, Præceptoriis, domibus, Hoſpitalibus, & aliis beneficiis dependentia, ſeu illis annexa, & quæ dudum forſan Fratribus ſaltem Cappellanis eiuſdem Hoſpitalis, & ab eiſdem Magiſtro, Prioribus, & Præceptoribus, & aliis præfatis conferebantur, à longo tamen, & forſan longiſſimo tempore citra, de cuius initio memoria hominum forſan non exiſtit, per ipſos Magiſtrum, Priores, Præceptores, Milites, & Fratres per abuſum, aut ex defectu Fratrum Capellanorum, vel aliarum perſonarum eiuſdem Hoſpitalis ad id idoneorum, Clericis, ſeu Preſbyteris ſæcularibus collata, aut conferri, & per ipſos preſbyteros, vel clericos ſæculares obtineri ſolita, etiam Fratribus Hoſpitalis huiuſmodi.

§. 101. Præſertim Capellanis nuncupatis, qui à ſæcularibus preſb. ſeu clericis, niſi quoad geſtationem,

Crucis,

Digitized by Google

Crucis, vel habitus dicti hospitalis ad pectus, non differunt, si ad id alias idonei, & habiles reperiantur, conferre, ac alias de illis prouidere, & disponere. Ipsique Fratres, quibus beneficia huiusmodi conferri contigerit, illa, si sibi Canonice alias conferantur, aut eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa, & instituantur in eis, recipere, & in titulum etiam quoad vixerint retinere.

Fratres Capellani à presbyteris facultatibus non differunt, nisi per gestationem Crucis ad pectus.

§. 102. Et tam Magister, quam singuli presbyteri, Milites eiusdem Religionis, & Militiæ, vnum Curatum beneficium ecclesiasticum à dicta Militia, & Religione dependens, seu illis vnitum, aut incorporatum, etiamsi parochialis Ecclesia, vel eius perpetua Vicaria fuerit, si ad hoc sufficientes, & idonei fuerint, & beneficium huiusmodi alias sibi canonice confertur, recipere, & retinere libere, & licite valeant, auctoritate & tenore prædictis de specialis dono gratiæ indulgemus, secumque pariter dispensamus.

Presbyteri Milites vnum Curatum beneficium ecclesiasticum à dicto Ordine dependens, etiamsi Parochiales existant retinere possint.

§. 103. Et per quamcumque rem iudicatam Magistro, Conuentui præfatis, nisi specialiter ad causam vocati fuerint, super iurisdictione prædicta, & sua ciuili eorum possessione præiudicari, aut præiudicatum censeri non posse, sed eos semper re iudicata huiusmodi non obstante super possessorio huiusmodi, ac etiam spolio agere posse.

Res iudicata super iurisdictione, & ciuili possessione præfata non præiudicet nisi vocato Magistro generali.

§. 104. Ipsósque Magistrum, Priores, Præceptores, Milites, Fratres, & personas, vassallos, subditos, & seruitores in ipsius Hospitalis, & Religiosorum causis in omni iudicio, & contra quoscumque, vbi aliæ probationes non existunt, in testes adhiberi.

Milites, & alie persone Hospitalis, in eius & Religionis causis in testes recipi possint, aliis deficientibus probationibus.

§. 105. Et quod Presbyteri, qui in dicta Religione professionem non emiserint, nisi de expressa licentia, vel consensu Magistri, seu Priorum, Præceptorum, vel Fratrum, quos id tangeret, ad deseruiendum Parochialibus, & aliis Ecclesiis, aut Capellis ipsius Religionis nullatenus admittantur, sed in quibuscumque Parochialibus, & aliis Ecclesiis, ac Capellis Hospitalis huiusmodi Capellani eiusdem Religionis per locorum Ordinarios sub eadem excommunicationis latæ sententiæ pœna, si contrafecerint, eo effectu incurrenda, ad requisitionem, seu præsentationem dictorum Priorum, Præceptorum, & Fratrum absque aliqua exactione, & oneris impositione recipi, & admitti debeant.

Ecclesiis dicti Ordinis non nisi per Capellanos eiusdem deseruiuntur, qui presentati ab Ordinariis, absque alia examinatione admittantur. Hoc declarauit Pius V. cit. in rubr.

§. 106. Quodque illi dumtaxat priuilegiis præsentibus gaudeant, qui à præfato Magistro seu de eius licentia habitum susceperint, & professionem emiserint, seu de habitu sucipiendo, & professione huiusmodi emittenda infra certum tempus arctati fuerint.

Priuilegiis dumtaxat gaudeant qui habitum susceperint. Vagabundi nõ gaudeant priuilegiis.

§. 107. Nullusque Priorum, Præceptorum, & Fratrum præfatorum absque mandato, seu licentia præfati Magistri, aut saltem sui Prioris, seu Procuratoris ipsius Hospitalis in dicta Curia existentis, priuilegiis prædictis in eadem Curia vti valeat, nec illa absque huiusmodi licentia vagantibus suffragentur.

Non iniciantur manus violenta in confugientes ad Ecclesias dicti Ordinis.

§. 108. Ac manus violentas in eos, qui ad Ecclesias, seu Domos eiusdem Religionis pro sua salute confugerint per quempiam iniici, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna prohibemus.

Iura mortuariorum, & arreragiorum, & vacantiũ solui, & exigi debeant quacumque exceptione non obstante.

§. 109. Ac iura mortuariorum, & vacantium, necnon arreragiorum, passagiorum, & aliorum quorumcumque, ita vt quæuis personæ cuiuscumque ecclesiasticæ dignitatis existentes beneficia Hospitalis huiusmodi pro tempore obtinentes, illa soluere omnino teneantur, & astricti sint, ac ad id etiam sub sententiis, censuris, & pœnis ecclesiasticis, ac alias iuxta eorumdem priuilegia priuationis, & apprehensionis beneficiorum ad manus suas remediis cogi possint.

Facultas deputandi Vicarium cum facultate conferendi beneficia, concedendi antianitates, & exigendi responsiones.

§. 110. Ac Ioannoto, & pro tempore existenti Magistro, & Conuentui præfatis, vt in singulis Prioratibus ipsius Hospitalis vnum Vicarium cum facultate conferendi Præceptorias, & alias Domos Hospitalis huiusmodi deputare, antianitates, tam speciales quam generales dare, & concedere, ac pensiones, seu responsiones, & onera super domibus, Præceptoriis, leprosariis, & aliis beneficiis hospitalis huiusmodi imponi solita, à quibuscumque etiam clericis sæcularibus illa in Commendam obtinentibus, eorumque colonis, & inquilinis, etiam laicis eo modo quo à Fratribus dicti hospitalis exigentur, exigere.

§. 111. Et cum inhabilibus ratione ætatis, & defectus natalium quoad Prioratus, Præceptorias, & alia beneficia dicti hospitalis dumtaxat, dispensare possint. Ac quod verbis in ipsorum Magistri, & Conuentus literis circa professionis emissionem, habitus susceptionem, debitorum, & obsequiorum præstationem plena fides adhibeatur, facultatem concedimus.

Ad hoc vide Pij V constit. cit. in rubr. Dispensandique super ætate, & defectu natalium, & credatur literis Magistr. & Conuentus, vt hic.

§. 112. Et quod quæcumque literæ antianitatis, seu prouisionis à Magistro pro tempore existente, & Conuentu præfatis hucusque concessæ, & in posterum concedendæ, eo ipso Apostolica auctoritate confirmatæ, & approbatæ censeantur.

Litera antianitatis, & prouisionis Magistri, & Conuentus eo ipso confirmata censeantur.

§. 113. Et quod prouisiones beneficiorum quorumcumque dicti Hospitalis, quæ per cessationem solutionis præfato Hospitali vel inobedientiam dumtaxat vacauerint, numquam ad nos, & Sedem præfatam deuolui censeantur, quoad hoc vt dictus Magister pro tempore existens impediatur, quo minus illa quandocumque liberè conferre possit.

Deuolutio ad Sedem Apostolicam non datur.

§. 114. Ac in Romana Curia Procuratorem generalem cum generali, vel speciali, aut limitata potestate, & facultate constituendi, seu deputandi, & in eadem Curia per se, seu dictum Procuratorem ad id potestatem à Magistro, & Conuentu præfatis habentem, quæcumque eiusdem Hospitalis beneficia cuiuscumque qualitatis existentia apud Sedem præfatam quomodolibet, præterquam per resignationem in manibus nostris, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum, pro tempore vacantia iuxta ipsius Hospitalis, & Militiæ stabilimenta libere conferendi.

Facultas deputandi procuratorem generalem in Rom. Cur. cũ facultate conferendi beneficia. Tu vide de Pium V. cit. in rubr.

§. 115. Et tam Magistro, quam Conuentui præfatis etiam de illis, de quibus hucusque dispositum fuerit, de nouo, ac aliis beneficiis huiusmodi etiam tamquam priuatis prædiis in titulum perpetui beneficij Ecclesiastici, seu etiam ad nutum, aut amouibiliter, vni, vel diuersis personis assignari solitis, etiam dictæ Sedi reseruatis, seu alias affectis, aut ad Sedem ipsam deuolutis libere prouidendi.

Facultas conferendi beneficia etiam reseruata, affecta, vel deuoluta, etiam in titulum perpetui beneficij, vel ad nutum aut amouibiliter.

§. 116. Et illa vniendi, dismembrandi, & alias de illis disponendi. Necnon antianitates, tam generales quam speciales, super eisdem beneficiis Fratribus eiusdem Hospitalis concedendi.

Vniendique & dismembrandi, & reuocandi antianitates, admittendi resignationes, ac reseruandi titulum, fructus pensiones, & de præresignationibus, quæ etiã transeant, ad successores.

§. 117. Ac resignationes dictorum beneficiorum recipiendi, & admittendi, illaque resignantibus titulum, seu denominationem, ac omnes illorum fructus, seu illorum partem, aut super illis quascumque pensiones annuas, quæ etiam tranſeant ad successores in eis, etiam sub censuris, & pœnis Ecclesiasticis, etiam priuationis in talibus apponi solitis, ad vitam vel ad tempus reseruandi, concedendi, instituendi, & assignandi.

Facultas publicanda Indulgentias, & colligẽdi eleemosynas. Pius V. reuocauit in cõst. 30.

§. 118. Ipsíque Magistro, & Conuentui priuilegia exemptiones, & indulgentias, eis, & dicto Hospitali concessa vbique locorum, etiam absque alicuius Ordinarij licentia, sub sigillo tamen Prioris illius Prouinciæ, vel Conseruatoris in ea degentis, publicandi, & seu eleemosynas, & fraternitatum obuentiones colligendi, & recipiendi.

§. 119. Necnon Cemeteria in eorum Parochialibus Ecclesiis habendi, & quorumcumque Christifidelium cadauera, etiam si excommunicati, ac interdicti forent (dummodo interdicto causam non dederint) saluo iure Rectori Parochiano debito, absque aliquo onere, & solutione Episcopo facienda recipiendi, & sepeliendi.

Sepeliendi in eorum Parochialibus etiã excommunicatos, & interdictos, dũmodo, &c.

§. 120. Legata, & donata, tam inter viuos quam qualibet vltima voluntate exigendi, & percipiendi.

Exigendi donata, & legata.

§. 121. Necnon Prioribus & Præceptoribus, Militibus, Fratribus, & personis præfatis quæcumque Ecclesiastica Sacramenta, ac omnes etiam sacros ordines à quocumque maluerint Catholico Antistite, gratiam, & communionem dictæ Sedis habente, nihil oblato, vel soluto, recipiendi.

Sacramenta, & ordines, à quocumque recipiendi. Tu vide Pium V. cit. in rub.

§. 122. Et tam ipsis, quam eorum familiaribus arma quæcumque, & vbicumque locorum pro sui defensione, & hostium dictæ Sedis offensione gestandi.

Arma deferendi.

§. 123. Necnon Capellanis eiusdem Hospitalis, Priorum, Præceptorum, Militum, Fratrum, personarum, vassallorum,

Audiendi cõfessiones, ministrandi Sa-

Digitized by Google

er armenta, ac cle randi di diuina pro fratribus Capellanis, etiã in tempore interdicti.

vassallorum, subditorum,& familiarium præfatorum confessiones audiendi, & pœnitentiam salutarem eis iniungendi,ac Eucharistiæ,& alia Sacramenta Ecclesiastica ministrandi. Necnon tempore interdicti (dummodo illi causam non dederint) excommunicatis, & interdictis, exclusis,clausis ianuis,& submissa voce, Missas,& alia diuina Officia celebrandi.

Erigendi Preceptorias,&c. absque licentia Ordinariorum locorũ, quæ gaudeant priuilegiis.
Ad hæc vide d.const. Pij V. vbi notabo.

§.124. Necnon quibusuis Christifidelibus in quibusuis Ciuitatibus, locis,Diœcesibus, Præceptorias, & Domos, & Hospitalia,sub dependentia,& subiectione dicti Hospitalis, & Militiæ, per eius Fratres, & Milites obtinenda, quæ iisdem priuilegiis,immunitatibus,indulgentiis, concessionibus, & indultis, quibus aliæ dicti Hospitalis Præceptoriæ,Domus,& Hospitalia vtentur,fruentur, & gaudebunt, vtantur, potiantur, & gaudeant, assignata illis congrua dote,Ordinariorum locorum, & quorumuis aliorum licentia minime requisita, & nulla præterea in illis Ordinariis ipsis iurisdictione, aut oneris imponendi facultate reseruata, construi, & erigi faciendi, plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem concedimus.

Facultas cõmunicandi Indulgentias, & alias gratias personis quibusuis dicti Hospitalis, & Ecclesiis ab eo dependentibus, ac Confraternitatibus eiusdem.
Tu vide bull. Clem. VIII. in const. 115.

§.125. Et insuper dictis Ioannotto, & pro tempore existenti Magistro, & conuentui,omnia & singula priuilegia, facultates, indulgentias, gratias, immunitates, exemptiones, libertates, concessiones, indulta præsentia quibusuis Prioratibus, Ecclesiis, Capellis, Hospitalibus, Leprosariis, Oratoriis, Eremitoriis, ac eiusdem S. Lazari Confraternitatum Confratribus, membris, & aliis locis ab eisdem Hospitali, & Militia dependentibus ac Ministris, & seruientibus in eisdem communicandi, dandi, & concedendi ac easdem facultates impartiendi.

Hospitalia, &c. erigendi.
Tu vide cõst. Clem. VIII. n. 99.

§. 126. Necnon quascumque Confraternitates, & Ecclesias, Oratoria, Hospitalia, Leprosarias, Capellas, Capellanias, Altaria, & alia beneficia ecclesiastica vbiuis locorum sub inuocatione S. Lazari,cum reseruatione annui census ad eorum beneplacitum, in membrum Hospitalis, & Militiæ S. Lazari huiusmodi erigendi, & instituendi. Ac dotem,seu dotes illis distribuendi,& assignandi, ac constituentibus huiusmodi dotes,iuspatronatus,& seu præsentãdi personas idoneas ad illa, illorum pro tempore occurrente vacatione reseruandi. Ac inibi Capellanos perpetuos,seu temporales ad eius nutum ponendi,& destituendi. Ac ei, vel eis, cui, vel quibus sibi videbitur similem aut limitatam potestatem concedendi, ac omnia, & singula alia faciendi,gerendi,excernendi,& exequendi, quæ ad diuini, cultus augmentum,ac Religionis & Militiæ conseruationem,& manutentionem, ac Christifidelium spiritualem consolationem,in Domino cognouerint fore necessaria,& opportuna,plenam,& liberam licentiam,& facultatem concedimus, & impartimur.

Facultas testandi more militari de bonis etiam ex fructibus beneficiorum acquisitis, & inter quoscũque consanguineos inhabiles,dummodo quintam partem Hospitali relinquant.
Hoc reuocauit Pius V. in const. 73.

§.127. Ac omnibus Prioribus, Præceptoribus, ceterisque militibus,ac Fratribus,& Ministris etiam presbyteris, & beneficiatis eiusdem Religionis, & Militiæ, vt de quibuscumque,tam stabilibus,quam mobilibus bonis pecuniarum summis,gemmis,& lapidibus pretiosis,aliisque rebus, cuiuscumque qualitatis, & quantitatis, ac valoris existant per eos etiam ratione beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque per eos obtentorum, ac alias vndecumque, & quomodolibet acquisitis, & ad illos quouis modo spectantibus (dummodo quintam illorum partem Conuentui præfato relinquant) inter quoscumque consanguineos,filios etiam spurios,& alios illegitimos,aliásque quantumuis incapaces personas testari,ac alias etiam per codicillos, donatione inter viuos, causa mortis, & alia quacumq; via prout sibi videbitur disponere, ac illa in pias,& non pias,(alias tamen licitas) causas erogare.

Celebrandi q; in habitu Pontificali, & dandi benedictionem, dummodo nõ sit præsens aliquis Antistes, & tunc de illius licentia.

§.128. Ac Priori Ecclesiæ dicti Conuentus pro tempore existẽti,vt quoties sibi placuerit Missam, & alia diuina officia,in præfata,aliisq; d.Religionis Ecclesiis in habitu Pontificali, cum Mitra, & Baculo Pastorali celebrare,ac post Missarum solemnia (dummodo ibi non sit præsens aliquis Catholicus Antistes, vel de illius consensu) ibidem benedictionem Christi Populo impartiri.

Milites, & alij, &c. non incurrit peccatum mortale propter regulam non seruatam, nisi propter inobedientiam, & contumaciam pluries commissam, & rebellionẽ à Religione.
Licentia recipiendi Fratres de quocumque Ordine præter Carthusian. in Fratres Ordinis prædicti de consensu suorũ Superiorum.
Hoc non est in const. Pij V. cit. in rub. ideo reuocatum.

§. 129. Et insuper,quod nullus ex Magistro,& Militibus,ac Fratribus,pro tempore existentibus, aliisque personis d.Militiæ,& Religionis, propter eius regulam, capitula, ac statuta,nunc & pro tempore edita,non obseruata, vel minus rite adimpleta in peccatum mortale incidat, præterquam inobedientiam & contumaciam pluries commissam,& continuatam, & ab ipsa Religione rebellionem, & alios casus peccatum huiusmodi ex diuinis præceptis sacrisque Canonibus generantes.

Indulgentia Plenaria pro personis eiusdem Militiæ S. Lazari in aliqua expeditione contra infideles, vel hæreticos decedentibus.

§.130. Quódque Magister pro tempore existens d.Hospitalis & Conuentus, Fratres cuiusuis Ordinis, seu Religionis (Ordine Cartusian.dumtaxat excepto) in Fratres d. Hospitalis recipere,& de quocumque Ordine, quem antea professi erunt, ad Hospitale,& Ordinem S. Augustini huiusmodi transferre,& ipsi sic translati in Hospitali,& Ordine S. Augustini huiusmodi quoad vixerint, remanere (eorumdem Superiorum licentia desuper requisita) libere, & licite valeant.

Indulgentia Plenaria pro omnibus Christifidelibus visitantibus Ecclesias dicta Religionis die festiuitatis illius Sancti sub cuius inuocatione cõsecratæ fuerint.

§. 131. Et vt ipsi Milites Ecclesiæ Catholicæ,fideliumque defensionem contra infideles animo feruentiori, minorique perdendæ lucis humanæ, si ad æternam inde nanciscendam prospectant, metu suscipiant,de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, vniuersis,& singulis Militibus, & aliis eiusdem Militiæ personis,qui in expeditione,tam maritima, quam terrestri, contra infideles vel Hæreticos, nedum hostilibus armis, sed etiam aliquo quouis mortis genere, de peccatis suis corde contriti, & ore confessi, vel saltem statutis à iure temporibus confitendi propositum habentes in vnitate fidei Catholicæ decesserint.

Indulgentia plenaria ad instar beneficiorum Hospitalis S. Spiritus omnibus fauentibus vnã Ecclesiã, seu Capellam d. Religionis, vel aliquid donantibus, vel alias bene facientibus.
Hoc reuocauit Pius V. in const. 30.

§.132. Ac tam Militibus, & personis præfatis, quam quibusuis aliis vtriusque sexus etiam vere pœnitentibus,& confessis, seu confitendi propositum habentibus, vt præfertur,qui Ecclesias,Conuentus, & Hospitalis huiusmodi vbicumque existentes, in singulo die festiuitatis illius Sancti sub cuius inuocatione consecratæ fuerint, à primis vesperis vsque ad occasum solis festiuitatis huiusmodi annuatim deuote visitauerint, ac pro pace inter Principes Christianos confouenda ter Orationem Dominicam & totidem Angelicam Salutationem recitauerint, plenariam omnium, & singulorum peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem.

Taxatio eleemosyna pro ingredientibus Confraternitatem.

Hoc reuocauit Clem VIII in const. 115.

§. 133. Qui vero de bonis sibi à Deo collatis vnam eiusdem Militiæ Commendam fundauerint, vel dotauerint, aut Conuentui, & Militiæ præfatis ad eius subuentionem, & onerum illi incumbentium supportandorum faciliorem supportationem aliquid iuxta facultatum suarum modum, piamque intentionem donauerint, vel legauerint, easdem omnes Indulgentias, quas Hospitalis S. Spiritus in Saxia de Vrbe benefactores consequuntur (sine illorum præiudicio)misericorditer in Domino similiter perpetuo concedimus, & elargimur. Et ne propter locorum distantiam fideles ipsi eorum piis desideriis frustrentur, vtque commodius eleemosynæ ad Hospitale præfatum pro Fratrum Militum, qui in Fidei Catholicæ defensionem contra Infideles militauerint subuentione. ac pauperum Leprosorum, & aliorum onerum suorum supportatione peruenire possint, ipsam Confraternitatem cum omnibus, & singulis concessionibus, indultis, facultatibus, indulgentiis, & peccatorum remissionibus illius Confratribus pro tempore existentibus concessis, ad omnia, & singula membra, Ecclesias, & loca tam ab ipso Hospitali pro tempore dependentia, quam alia, in quibus similes Confraternitates per Magistrum, & Conuentum dicti Hospitalis pro tempore existentes, seu eorum Commissarios,Nũcios,vel Procuratores pro tempore ad id ab eis specialiter deputatos instituentur,ordinabuntur, & erigentur, extendimus,& ampliamus.

Concessio eligendi Confessio-

§.134.Omnibusque,& singulis vtriusque sexus Christifidelibus, tam Ecclesiasticis quam sæcularibus, & quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum,etiam regularis obseruantiæ, nunc, & pro tempore existentibus, aliisque Christifidelibus cuiuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus,qui certam pecuniarum summam, cuius valor de præsenti ad quintam partem vnius ducati auri de Camera, seu ad duas Aquilas monetæ Regni Siciliæ ascendit,vel summam per præfati Hospitalis Magistrum, & Conuentum pro tempore taxandam in d. Societatis,seu Confraternitatis ingressu ex bonis suis persoluerint.

§. 135. Et singulo anno certam aliam quantitatem taxãdam soluere promiserint, & in libro dicti Hospitalis

&

Digitized by Google

rem cum facultatibus absoluendi semel in vita singule anno in festo S. Lazari, ab omnibus excommunicationis sententiis ecclesiasticis, &c. Reuocationē vide in d. Clem. VIII. cōf. 115.

Ac votorum, & dierū Dominicorū, &c. & aliorum Ecclesiæ mādatorū transgressionibus, Item ab omnibus peccatis, & criminib. præterquam contentis in Bulla in Cœna Domini quotānis legi consueta.

Mortuos sepeliendi in Ecclesiis Ordinis.

Stationes Vrbis cōcedendi. Tu vide dict. Bullam Cle. VIII. n. 115.

Oua, & lacticinia, & carnes cōmedēdi.

Mulieres Ordinis Monasteria ingredi permittuntur. Reuocauit Gregor XIII. in conſt. 28.

& non alio describentur, vt presbyterum sæcularem, vel cuiusuis Ordinis regularem, in suum Confessorem possint eligere, qui eorum confessione diligenter audita, semel in vita, & singulo anno in festo S. Lazari eorum vita durante ab omnibus, & singulis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, & promulgatis (sine tamen tertij præiudicio) etiam occasione simoniæ super ordinibus, & beneficiis assequendis, vbicumque contractæ.

§. 136. Ac votorū, & dierum Dominicorū, & festiuorum necnon aliorum Ecclesiæ mandatorum transgressionibus periuriorum ac pœnitentiarum iniunctarum, necnon diuinorum Officiorum, in toto, vel in parte omissionibus; ac omnibus eorum peccatis, & criminibus, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, etiam si talia fuerint propter quæ Sedes Apostolica merito consulenda foret, etiam Romano Pontifici, & dictæ Sedi quouis modo reseruatis, præterquam contentis in Bulla in die Cœnæ Domini quotannis legi consueta.

§. 137. Ac etiam in mortis articulo plenariam omnium peccatorum huiusmodi absolutionem, & remissionem impendere, & si tunc mors non subsequatur, quoties in tali casu constituti fuerint illam reiterare, in aliis vero non reseruatis casibus toties, quoties opportunum erit illos absoluere, & eis pœnitentiam salutarem iniungere. Necnon vota quæcumque (vltramarino, Religionis, & Castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare possit, & valeat. Ita tamen quod Confessor ipse vbi pro enormibus delictis pœnitentia iniungenda, vel commutatio votorum fienda veniet, vltra subsidium, vt præfertur taxatum, aliud subsidium per eumdem Confessorem, delicti, & voti huiuscemodi, ac confitentis qualitate pensata arbitrandum, in capsa pro indulgentia dicti Hospitalis colligenda per eius Commissarios deputanda, ad commodum, & vtilitatem dicti Hospitalis, & Militiæ persolui faciat, conscientiam dicti Confessoris super id onerantes. Quodque idem Confessor sic electus cum eisdem Confratribus cum in Confessorem eligentibus cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ fuerint Clericali Militiæ adscriptis, etiam Religiosis, etiam quæcumque beneficia Ecclesiastica obtinentibus, qui præmissis sententiis ligati, Missas, & alia diuina officia celebrando, aut se illis alias immiscendo, vel alias quomodolibet irregularitatem contraxerint (bigamia & homicidio voluntario dumtaxat exceptis) vt ad omnes superiores, etiam sacros ordines promoueri, & in illis, ac per eos susceptis ordinibus huiusmodi etiam in altaris ministerio ministrare, ac dignitates, beneficia ecclesiastica quæcumque se inuicem compatientia retinere, & recipere, necnon Monasteriis, & Ecclesiis Cathedralibus, etiam Metropolitan. ac Patriarchalibus præfici, & præesse, libere, & licite possint, dispensare, ac eis de illis, quæ tunc detinerent dignitatibus, & beneficiis huiusmodi prouidere, & eis quibus minus canonice præerunt Ecclesiis, & Monasteris huiusmodi præficere, in foro conscientiæ dūtaxat, præfata auctoritate Apost. valeat.

§. 138. Et insuper si iidem Confratres vt supra in d. Confraternitate descripti, tempore interdicti quouis modo à Sede Apostolica impositi à vita decesserint, illorum cadauera (absque tamen funerali pompa) ecclesiasticæ sepulturæ tradi possint, dummodo causam non dederint interdicto.

§. 139. Necnon Quadragesimalibus, & aliis temporibus, & diebus Stationum Vrbis Romæ, vnam vel duas Ecclesias, ac vnum, vel duo altaria visitando in partibus, in quibus illos residere contigerit, easdem gratias, indulgentias, & remissiones peccatorum consequantur, seu consequi possint, quas si dictis diebus, & temporibus, Basilicas, & Ecclesias Stationum Vrbis Romæ, & extra eam ad id deputatas, personaliter visitarent.

§. 140. Præterea Quadragesimalibus, & aliis temporibus, & diebus, quibus esus ouorum, butyri, & aliorum lacticiniorum de iure, consuetudine, vel alias quouis modo prohibitus existit, eisdē ouis, caseo, butyro, & aliis lacticiniis de consilio alterius, necnon carnibus tempore necessitatis tantum, & de vtriusque Medici consilio vesci.

§. 141. Necnon mulieribus in Confraternitate ipsa descriptis, etiam si viduæ remanserint, vt cum vna, seu duabus honestis mulieribus quæcumque Monasteria Monialium cuiusuis Ordinis, etiam S. Clarę, de licentia eorumdem Monasteriorum, Abbatissarum, seu Priorissarum, quater quolibet anno ingredi, & cum eisdem Monialibus loqui, & conuersari, & refectionem corporalem sumere (dummodo ibidem non pernoctant) possint, & valeant.

Persona Ordinis gaudet gratiis Hospitalis S. Spiritus de Vrbe cui inter alia licet quod Contriti in articulo mortis indulgen. consequantur. Tu vide d. Bullam Cle. VIII. n. 115.

§. 142. Quodque cum primum ipsi Confratres in præfata Confraternitate describentur, omnibus, & singulis priuilegiis, suffragiis, indulgentiis spiritualibus, & temporalibus, per nos, & alios prædecessores nostros præfatis Hospitali S. Spiritus in Saxia de Vrbe, necnon illius Confratribus quibus inter cetera concessum existit.

§. 143. Vt quicumque pœnitens, & contritus nomen Iesv in mortis articulo nominauerit, plenariam peccatorum suorum, etiam de quibus nisi morte præueniretur, confiteretur, remissionem consequatur.

Ieiuniis, &c. Terra Sancta gaudent. Tu vide ibid.

§. 144. Necnon ieiuniis, vigiliis, orationibus, peregrinationibus Terę Sanctæ, & indulgentiis plenissimi S. Iubilæi anni quinquagenarij, & Stationum, & Dedicationum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; à bonis omnibus, quæ fiunt in eodem sacro Hospitali, ac vniuersali sacrosancta militante Ecclesia, quibus ceteri Confratres potiuntur, & in futurum gauisuri sunt, vti, potiri, gaudere, & participare debeant.

Decedētes infra annū, &c. indulg. consequuntur. Ad hæc vide d. bullā Cle. VIII.

§. 145. Et si infra annum obierint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam consequantur. Et si vixerint, præter Stationes Vrbis, infrascriptis etiam diebus sequentes indulgentias consequentur, videlicet singulis diebus vitæ eorum, & per omnes dies Veneris totius anni; vnius anni, & quadraginta dierum, in singulis Apostolorum festiuitatibus duorum millium annorum, in Festo Epiphaniæ, & singulis diebus post Octauam centum millium annorum, in Dominica qua cantatur pro Introitu Missæ, Omnis terra; de mense Ianuarij; & singulis diebus Dominicis mensium totius anni trium millium annorum, & totidem quadragenarum, & remissionem tertiæ partis omnium peccatorum; in festiuitatibus D.N. Iesu Christi, videlicet Natiuitatis, Resurrectionis, Ascensionis, & singulis diebus per Octauam duorum millium annorum, & octingentarum quadragenarum, in festo Pentecostes, & singulis diebus post Octauam octo millium annorum, & totidem quadragenarum; in festo Corporis Christi, & singulis diebus post octauam duorum millium annorum, & septimæ partis omnium peccatorum, in festo Natiuitatis Beatæ Mariæ, & singulis diebus per eius Octauam triginta millium annorum; in festo omnium Sanctorum, & singulis diebus vsque ad Festum S. Leonardi trium millium annorum, & totidem quadragenarum.

Donantes aliquid Hospitali plenariam habēt indulg. Sed reuocauit Pius V. in conſt. 30.

§. 146. Largientibus vero, seu transmittentibus, vel in eorum vltimis voluntatibus, vel testamentis legantibus aliquid de bonis suis eidem Hospitali in articulo mortis, plenariam à culpa, & à pœna omnium peccatorum suorum remissionem, & indulgentiam. Ac cuique animæ, quæ vnita Christo in charitate ab hac luce migrauerit, in Purgatorio existenti, pro qua anima eleemosyna per ipsum Magistrum, & Conuentum, seu ab eis deputatos taxanda eidem Hospitali erogabitur, vt eamdem indulgentiam plenariam à pœna, & à culpa (quantum pietati maiestatis diuinæ placuerit) consequatur, concedimus, & indulgemus.

Notarij notificēt legata facta Hospitali, & Militiæ.

§. 147. Notariis vero, qui rogati fuerint de testamentis, vel aliis vltimis voluntatibus, in quibus aliquid disponi contigerit in fauorem, & commodum eorumdem Hospitalis, & Miliuæ, vt sub excommunicationis pœna dispositionem huiusmodi, quanto citius commode poterunt, Magistro, & Conuentui d. Hospitalis, vel alteri per quem id poterit ad ipsorum Magistri, & Conuentus notitiam peruenire, intimare curent.

Notarij, & Cōfessores, & Cōfratres hortentur infirmos ad subueniendum huic Religioni.

§. 148. Ipsis quoque Notariis, & Confessoribus eorundem decedentium in suorum remissionem peccatorum eisdem testantibus, & confitentibus commemorare non omittant, vt ad tam pia opera, quæ in dicta Religione exercentur manus porrigant adiutrices, præcipimus. Et quoscumque Christi fideles, ac præsertim Confratres Confraternitatis huiusmodi pro tempore existentes ad id per viscera misericordiæ D.N. Iesu Christi hortamur.

Digitized by Google

Decedentes in Hospitali, & insistentes obsequiis Hospitalis, gaudent omnibus priuilegiis Confraternitatis.

§.149. Quodque decedentes pro tempore in Hospitali præfato, & Hospitalis, ac pauperum leprosorum eorumdem obsequiis pro tempore insistentes vtriusque sexus quamdiu perseuerauerint in obsequiis huiusmodi dumtaxat, eisdem omnibus priuilegiis, facultatibus, & gratiis, quibus Confratres in libro Hospitalis huiusmodi descripti pro tempore potientur, & gaudebunt.

M. Magistri facultas componendi de vsuris, rapinis, incendiis, iniuncta pœnitentia, legatis Hospitali, vel eius membris debitis, & relictis ad pios vsus.

Hoc non est in constit. Pij V. cit. in rub. ego puto reuocatum.

§.150. Quodque Magister pro tempore, & Conuentus dicti Hospitalis, suique de eorum licentia pro tempore, legitimi Commissarij, Nuncij, vel Procuratores, de vsuris, rapinis, incendiis, (non tamen Ecclesiarum damnis datis,) & alio quocumque nomine, titulo, vel modo male ablatis, vel illicite acquisitis (si tamen verus dominus, cui eorum restitutio fieri deberet, ignoretur, de pœnitentiis à Sacerdotibus confitentibus impositis redimendis, seu commutandis. Necnon legatis ad Hospitale ipsum, seu eius membra debitis, vel alias indistincte ad pios vsus relictis ad vtilitatem ipsius Hospitalitatis, & Militiæ componere possint, ita quod detinentes ad aliam restitutionem minime teneantur.

Facultas publicandi Indulgentias.

Tu vide const. Pij V. n. 30.

Et si.

§.151. Necnon quod singulis annis in die Dominica Palmarum vsque ad eius Octauam inclusiue, & in die festo Natiuitatis D. N. Iesu Christi, & aliis diebus beneuisis Magistro, & Conuentui, & eorum Commissariis, quibuscumque Christi fidelibus manus adiutrices pro sustentatione d. Religionis, eiusque membrorum porrigentibus, indulgentias plenarias, & generales peccatorum omnium remissiones vbique solemniter, etiam cum processione, & appositione truncorum, & Crucis, in medio Ecclesiarum, publicare, & impartiri: Pœnitentiarios cum virgis (vt moris est) desuper deputare, & alia facere, quæ circa huiusce modi facultatum, & indulgentiarum, ac peccatorum remissionem, executionem, & confessionem quomodolibet necessaria, & opportuna fuerint.

Confraterias que instituendi.

Tu serua const. 115. Cle. VIII.

§.152. Quodque antiquas, & nouas sanctas Confraterias S. Lazari omni tempore, & in quibuscumque locis erigere, ordinare, & instituere, ac publicari facere, ac quoscumque Christi fideles in Confratres recipere, illisque Confessionalia concedere. Ita quod quæcumque institutiones, erectiones, & ordinationes dictarum Confraternitatum absque moderni, & pro tempore existentis Magistri dicti Hospitalis expresso consensu in membris Ecclesiis, & locis huiusmodi pro tempore factæ, nullius sint roboris, vel momenti.

Omnia loca sub inuocatione S. Lazari sint huic Ordini subiecta.

§.153. Ac omnia, & singula Hospitalia, Oratoria, Ecclesias, Capellas, Altaria, & loca Religionis, & militiæ huiusmodi, in quibuscumque partibus existentia, sub inuocatione S. Lazari intitulata, etiam si non sint possessa, vel recepta per Magistrum, ac Fratres præfatos, nihilominus moderno, & pro tempore existenti Magistro Generali, & Conuentui huiusmodi subiecta, & tanquam membra dicti Hospitalis ab eo dependentia (ad instar aliorum annuatim respectiue contribuentium) contributorias, & contributoria esse; ac per ipsum generalem Magistrum, & Conuentum, seu eorum legitimos Commissarios visitari, & reformari; illorumque Rectores, & Gubernatores (si de iure amouendi fuerint) amoueri: & aliæ personæ idoneæ loco eorum deputari possint.

Eiusq; priuilegia vtantur.

§.154. Et cum eis Confratribus tantum, vt commodius Altissimo deseruire possint, omnibus, & singulis facultatibus, priuilegiis, immunitatibus, gratiis, plenariis, indulgentiis, & peccatorum remissionibus prædictis, quocumque tempore, & in quibuscumque locis libere vti, etiam in illis partibus, & locis, in quibus Indulgentiæ pro Fabrica Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe publicatæ extiterint.

Priores Hospitalium S. Lazari quando possint Indulgentiam publicare.

§.155. Necnon quod Priores, & Præceptores quorumcumque Hospitalium, & domorum, à dicto Hospitali S. Lazari dependentium, & illud in caput suum recognoscentium, prædictam plenariam indulgentiam, & peccatorum generalem remissionem in die festo Dominicæ Palmarum, & per eius octauam, & aliis beneuisis diebus, vt supra, publicare.

Confessiones audire, vel Confessores deputare.

§.156. Et si in Sacerdotio constituti fuerint, per se vel alium, seu alios probos, si vero Sacerdotes non fuerint, per alios probos, idoneos, & honestos, viros sæculares, vel cuiusuis Ordinis Regulares Sacerdotes in suis Hospitalibus, ac domibus præfatis tantum, confessiones quorumcumque audire, & cum huiusmodi confitentibus quibuscumque facultatibus, & Indulgentiis, ac peccatorum remissionibus vti, ac easdem illis (de licentia tamen expressa Magistri pro tempore existentis, & Conuentus præfati Hospitalis singulis annis renouanda) impartiri plene, & libere possint, aliis vero tempotibus sint sicuti alij Sacerdotes nullam à Sede præfata facultatem habētes.

Hoc intelligda approbatis ab Ordinariis vt in constit. Pij V. cit. in rub.

Eleemosynas Nolis sonātibus colligere.

§.157. Possint tamen collectas solitas, & consuetas Nolis, & Campanellis sonantibus (circa tamen publicationem Indulgentiarum, ac traditionem Confessionalium) omni tempore, in terminis suis (de licentia Magistri pro tempore, & Conuentus huiusmodi singulis annis renouanda, & non aliter) facere.

Nolas animalib. obligatis appendere.

§.158. Ac Nolas, seu Campanas Porcis, seu aliis quibusuis animalibus, quæ eidem S. Lazaro offerri contigerit, appendere, seu aliqua nota subsignare.

Indulgentias vbique publicare.

§.159. Quodque Magister, & Conuentus, ac eorum Nuncij, ac Commissarij præfati, etiam in locis, in quibus Fratres Ordinis Minorum de Obseruantia, vel Commissarij Apostolici pro Fabrica Basilicæ huiusmodi pro tempore deputati fuerint, quascumque facultates, & indulgentias solemniter vbique cum appositione truncorum, & Crucis in Ecclesiis publicare, & facultatibus, priuilegiis, & gratiis ipsi Hospitali concessis vti.

Quæ Indulg. non intelligātur vmquam suspensa.

§.160. Necnon quod durante quacumque suspensione temporali indulgentiarum, & gratiarum, etiam pro Cruciata contra Infideles cuicumque Imperatori, Regi, aut Principi Christiano concessarum, vel in posterum concedendarum, Indulgentiæ enim plenariæ, ac omnes facultates, & gratiæ eidem Hospitali, illiusque Magistro, Conuentui, Fratribus, & membris per prædecessores nostros, & nos, ac etiam Sedem præfatam concessæ non intelligantur suspensæ, sed in suo pristino, & vero valore, & firmitate existant, & permaneant.

Fratres possint in eorum Ecclesiis diuina celebrare.

§.161. Necnon etiam ob reuerentiam S. Lazari, vt liceat ipsis Fratribus in eorum Ecclesiis Missas, & alia quæcumque diuina officia legere, vel etiam alta voce celebrare, vel per alios presbyteros idoneos celebrari facere.

Sacramenta infirmis Hospitalium ministrare.

§.162. Ac omnibus, & singulis Christi fidelibus, & Leprosis pauperibus, infirmis in dictis Hospitalibus pro tempore degentibus Ecclesiastica Sacramenta ministrare.

Mortuos sepelire.

§.163. Ac eorum, & aliorum quorumcumque fidelium corpora mortuorum id eligentium, & petentium, in Cæmeteriis, & Ecclesiis dictorum Fratrum Ecclesiasticæ tradi sepulturæ.

Eisdem verbū Dei prædicare.

§.164. Ac verbum Dei in Ecclesiis ipsorum, pauperibus ipsis, & Leprosis huiusmodi proponere, & proponi facere, quoties eis visum fuerit expedire, alicuius licentia super hoc minime requisita, similiter volumus, & ordinamus.

Concessio quorūcumq; aliorū priuilegiorū, gratiarū, exceptionū, & aliarū facultatū hactenus cōcessarū, vel in futurum concedendarū Hospitalibus, & Militiis respectiue S. Ioānis Hierosolymitani. S. Iacobi de Spata, S. Anton Vtēnen. & Spiritus de Vrbe, S. Stephani in Vbuscia, dūmodo Concil. Trident. non repugnent, & iuribus alterius tertij non præiudicent.

§.165. Et insuper eidem moderno, & pro tempore existenti Magno Magistro, & Conuentui, ac singulis Militibus, & aliis personis Hospitalis, & Militiæ huiusmodi quod omnibus, & singulis priuilegiis, immunitatibus, iurisdictionibus, & exemptionibus, etiam per viam exequutionis in ipsa onerum impositione, dispensationibus, indultis, concessionibus, dispositionibus, honoribus, gratiis, libertatibus, fauoribus, antelationibus, restitutionibus, reintegrationibus, & aliis quibusuis gratiis hucusque Sancti Ioannis Hierosolymitani, Sancti Iacobi de Spata, Sancti Stephani Militiis, ac Sancti Spiritus in Saxia de Vrbe, & Sancti Antonij Viennen. Hospitalibus, Religionibus, & Ordinibus, eorumque locis, personis, rebus, & bonis per quoscumque Romanos Pontifices, etiam prædecessores nostros, ac etiam per nos, & Sedem præfatam, seu Concilia generalia, vel alios quoscumque, in genere, vel in specie, etiam ad Imperatorum, Regum, ac aliorum Principum instantiam, vel Motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, & in futurum concedendis, & quibus Hospitalia, Religiones, & Militiæ huiusmodi, ac eorum Magni Magistri, Conuentus, Fratres, & Milites vtuntur, & potiuntur, & gaudent, ac vti poterunt quomodolibet, in futurum, pariformiter, & absque vlla penitus differentia vti, potiri, & gaudere in omnibus, & per omnia, libere, & licite valeant, eisdem auctoritate, & tenore etiam perpetuo concedimus, & indulgemus, ac ea omnia, & singula, prout concessa

Digitized by Google

concessa fuerunt, & in dies concedentur, eorumque omnium,& quarumcumque literarum desuper quomodolibet confectarum tenores,ac si de verbo ad verbum inserererentur,præsentibus pro expressis,& insertis habentes,eisdem moderno,& pro tempore existenti Magno Magistro, & Conuentui,ac Hospitali S.Lazari & Militiæ eorumque Militibus,& personis,ac eorũ Hospitalibus,Præceptoriis, domibus, Leprosariis,beneficiis, capellis, Ecclesiis,locis rebus,& bonis,elargimur,ac concessa esse,& eos illis vbilibet,in genere,vel specie vti,potiri,& gaudere libere posse volumus,decernimus,& declaramus,Ordinariorum locorum,aut cuiuslibet alterius licentia,vel consensu desuper minime requisitis. Ita quod super illis, vel eorum occasione per ipsos Ordinarios, aut quoslibet alios molestari, perturbari,vel inquietari non possit, dummodo Concilio Tridentino prædicto non repugnent,& dictis Hospitalibus, & Militiis, ac iuribus cuiuslibet alterius tertij non præiudicent. Ita tamen (quoad exemptiones) iurisdictio Ordinariorum,tam ea quę de iure communi eis competit quam quæ ex decretis d.Concilij Tridentini eisdem est attributa, semper salua existat.

Exemptio huius Religionis in omnibus casibus vbi Conc. Trid excipit Religione S. Ioan. Hierosolym.

§.166. Præterquam tamen in iis casibus, in quibus Concilium præfatum expresse excepit,& eximit Religionem S.Ioannis Hierosolymitani,in quibus & hęc S.Lazari Religio, & Militia excepta, & exempta pariter intelligatur.

Concessio Indulgentiarum Hospitalis S. Spiritus de Vrbe.

§.167. Et quod Indulgentias,prout Hospitali S.Spiritus concessæ sunt, & in futurum concedentur, concedimus, & elargimur.

Publicatio priuilegiorũ, & mandatorũ M. Magistri arctet, ac si esset personaliter executa.

§.168.Præterea volumus,& decernimus,quod tam præsentium quam aliarum quarumcumque literarum Apostolicarum,seu earum transumptis,ac mandatorum Magistri, & Conuentus præfatorum publicatio, & affixio in singulis prioratibus, Præceptoris membris, & beneficiis Religionis huiusmodi factæ, perinde arctent,ac si contra contentos sub eisdem personaliter factæ essent: facta tamen in primis diligentia de illis personaliter reperiendis in dictis locis.

Suscipientes habitũ extra Conuentum etiã à Rom. Pont. inf. annũ in Conuentu comparere tenentur, alias priuentur.

§.169. Et nihilominus statuimus,ac dictis Magistro,& Conuentui perpetuo concedimus, quod si quisquam Priorum, Præceptorum, Militum, & Fratrum d.Hospitalis Crucem,vel habitum extra dictum Conuentum etiam à Romano Pontifice,vel de eius licentia receptum gestãs intra annum, postquam illum susceperit,aut sibi de Prioratu, Præceptoria, officio,vel beneficio Hospitalis huiusmodi prouisum, vel alias in eius fauorem dispositum fuerit.

Possidẽtes beneficia d. Ordinis, fructus aut pensiones percipientes vocati cõparere tenẽtur

§.170. Ac quicumque alius d. Militiæ beneficium,vel pensionem obtinens,aut fructus percipiens,quandocumque pro seruitiis Religionis,aut alias euocatus,seu in solutione iurium communis ærarij morosus fuerit, & citatus coram dictis Magistro,& Conuentu personaliter non comparuerit,ac illis obedientiam,aliaque iura debita non præstiterit, tempore sibi ad id præfigendo elapso, habitu, dignitate, administratione, & beneficio, ac quocumque honore,& officio, alias iuxta formam stabilimentorum,& priuilegiorum prædictorum, eo ipso careat, priuatusque censeatur, seu si videbitur priuari possit.

Nulla exemptio valent aduersus obedientiam M. Magistri,quominus vocati comparere teneantur.

§.171. Nec vlla huius statuti derogatio, aut exemptio realis, vel personalis, seu alia gratia præseruatiua, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus quomodolibet pro tempore facta, seu concessa, contra præmissa valeat.

Magister, & Cõuentus possint disponere de beneficiis vacantib. per priuationem.

§.172. Nec Magister,& Conuentus præfati illis parere teneantur, sed illis non obstantibus de Prioratu, Præceptoria,dignitate,officio,vel beneficio,sic, aut per priuationem huiusmodi vacante, iuxta stabilimenta, & alia præmissa libere disponi, aut illa alias per eum, vel eos, ad quem, seu quos antianitatis, vel alio iure pertinet, acceptari possint.

Clausulæ huius cõstitutionis præseruatiuæ.

§.173. Decernentes omnia,& singula præmissa ac præsentes nostras literas nullo vnquam tempore de subreptionis,vel obreptionis,aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ defectu notari, vel impugnari, aut argui posse, neque illa omnia, & singula præmissa, tanquam eisdem Magno Magistro, & Conuentui, Militiæ vel Militibus, partim videlicet quoad antiqua restituta,& quoad noua ex causa onerosa concessa, sub quibusuis, tam præsentium, quam similium, vel dissimilium gratiarum in genere, vel in specie, suspensionibus, ac derogationibus, reuocationibus, limitationibus, alterationibus, aliisque contrariis dispositionibus à nobis,& à successoribus nostris,& à Sede præfata quauis de causa quantumlibet iustissima pro tempore emanata comprehendi,sed semper ab illis excepta, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta, & de nouo etiam sub Data per Magnum Magistrum eligenda, concessa esse, & censeri. Necnon præmissis, ac præsentibus literis etiam per quascumq; literas Apostolicas,etiam quasuis clausulas,generales,vel speciales,etiam derogatoriarum derogatorias,efficaciores,& insolitas,ac etiam irritantia decreta,sub quacumque verborum expressione in se continentes, nullatenus derogari posse, nec quoad illa derogatum censeri, nisi tenor illarum de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertus, & huiusmodi derogationes Consistorialiter factæ, & per trinas distinctas literas eumdem tenorem continentes tribus distinctis similibus vicibus Magno Magistro,& Conuentui præfatis intimatæ, & insinuatæ fuerint, ac ipsorum Magistri, & Conuentus ad id expressus accedat assensus, & aliter factas derogationes nemini suffragari, ac Magistrum, & Conuentum præfatos ad parendum literis derogatoriis huiusmodi, & decretis super illis processibus, ac illorum Exequutoribus, & Subexecutoribus, eorumque mandatis, & monitionibus minime teneri, sed illos literarum huiusmodi executionem omnino impedire, nec ratione resistentiæ censuris Ecclesiasticis per eosdem Exequutores, vel Sub exequutores latis innodari posse.

Decretũ irritans, & clausula sublata.

§. 174. Et sic in præmissis, omnibus, & singulis, per quoscumque Iudices,& Commissarios,quauis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales,& causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi,& interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere. Et quidquid secus super his à quoquam quauis auctoritate,scienter,vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inne decernimus.

Exequutores huius constitutionis, eorumq; facultates.

§.175. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Galesin.& Montisflascon. Episcopis, ac pro tempore existenti Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori per Apostolica scripta Motu simili mandamus,quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Magistri,Priorum, Præceptorum, Militũ, & Fratrum,S. Lazari prædictorum, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes,faciant auctoritate nostra præsentes literas,& in eis contenta huiusmodi firmiter obseruari. Ac easdem Militiam, & Magistrum,& Conuentum, Fratres, Religiosos, omnesque & singulos alios, quos ipsæ præsentes literæ concernunt, illis pacifice gaudere. Non permittentes eos, vel eorum aliquem desuper contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari,vel impediri. Contradictores, & rebelles quoslibet per censuras, & pœnas ecclesiasticas,& etiã pecuniarias eorum arbitrio moderandas, ac alia opportuna, iuris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac quoscumque, quorum interierit,etiam per edictum publicum locis publicis affigendum, constito summarie de non tuto accessu citando,ac quibus,& quoties inhibendum fuerit etiam simili edicto sub eisdem pœnis, & censuris inhibendo,ipsasque censuras, & pœnas ecclesiasticas etiã iteratis vicib. aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Clausulæ cõtrariorũ, & obstantiũ derogatoriæ.

§.176.Non obstantibus præmissis, ac fel.rec. Bonifacij Papæ VIII. Prædecessoris nostri,qua cauetur,ne quis extra suam Ciuitatem, vel Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus,& in illis vltra vnam dietam à fine suæ Diœcesis ad iudicum euocetur, seu ne Iudices à Sede præfata deputati,extra Ciuitatem,vel Diœcesim,in quibus deputati fuerint,cõtra quoscũque procedere,aut alij,vel aliis vices suas cõmittere præsumãt,& de duabus dietis in Concilio generali edita,dummodo vltra tres dietas,aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, ac Lateranen. Concilij nouissime celebrati. Ac nostris de vnionibus committendis ad partes vocatis quorum interest, &

Digitized by Google

exprimendo valore fructuum,tam vniendorum beneficiorum,quam eorum quibus fit vnio. Necnon de non expediendis literis reseruationis alicuius pensionis, nisi de consensu illam soluere tunc habentis, ac quibusuis aliis Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, constitutionibus, & ordinationibus, ac dictorum Hospitalium,Militiarum, & Ordinum etiam iuramento,confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis, ac quibusuis priuilegiis,indultis, ac literis Apostolicis, etiam Ordinariis, & aliis Militiis præfatis,ac quibusuis Ecclesiis, Monasteriis,Ordinibus & locis, etiam Fabricæ Basilicæ S.Petri de Vrbe, ac Cruciatæ sanctæ, eorumque personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis etiam ad Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum instantiam, etiam consistorialiter,& Motu simili,& alias quomodolibet,etiam per nos,etiam pluries concessis,approbatis,& innouatis,quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa, non autem per clausulas generales id importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, illorum tenores,ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permãsuris,hac vice dumtaxat specialiter,& expresse pari Motu derogamus, & sufficienter derogatum esse decernimus,contrariis quibuscumque,aut si aliquibus communiter, vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici,suspendi,vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam.& expressam,ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Concilij Trid. præseruatio circa omnia hic disposita.

§.177. Et quoniam per præsentes Concilij Tridentini constitutionibus, & decretis in aliquo præiudicare non intendimus, volumus, quod in omnibus, & singulis gratiarum,aliisque capitibus præmissis, clausula (dummodo Concilio Tridentino non repugnent) apposita,& repetita censeatur.

Transumptorũ fides.

§.178. Verum quia difficile foret, præsentes literas ad varia loca vbi de illis docendum fuerit,circumferre,volumus, & dicta auctoritate Apostolica decernimus, quod præsentium transumptis, etiam per impressionem factis, ac prædicti Ioannotti, & pro tempore existentis, Magni Magistri dicti Hospitalis,& Conuentus sigillo munitis,ac eiusdem Ioannotti,& pro tempore existentis Magni Magistri,& Conuentus Secretarij, seu Regentis Cancellariæ dictæ militiæ manu subscriptis : dictisque suis literis absque earumdem præsentium,in toto,vel in parte insertione,eam vbique fidem in iudicio, & extra adhiberi,quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si originaliter exhiberentur.

Præsentium assertiones non egent gratia M. Magistri.

§.179. Quodque in literis, seu gratiis præsentium vigore concedendis,easdem præsentes inserere iidem Ioannottus,& pro tempore existens Magnus Magister,& Conuentus minime teneantur : ac gratiæ ipsæ quibusuis personis per Ioannottum, & pro tempore existentem Magnum Magistrum,& Conuentum huiusmodi,iuxta tenorem earumdem literarum pro tempore concessæ valeant, & illis suffragentur,in omnibus,& per omnia, perinde ac si eædem præsentes literæ de verbo ad verbum in eis insertæ forent.

Sanctio pœnalis.

§. 180. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis,concessionis, extensionis,ampliationis, decreti, restitutionis, repositionis, reintegrationis, declarationis, reuocationis,cassationis,irritationis,annullationis erectionis, institutionis, statuti, ordinationis, indulti, impartitionis, dispensationis, liberationis, exemptionis, subiectionis, mandati, deputationis, monitionis, requisitionis, promulgationis, reductionis, elargitionis, intentionis,voluntatis,auocationis,&derogationis infringere,vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostol. eius se nouerit incursurum.

V. P. Ann. 6. Maij.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1565.4.Non.Maij,Pont.nostri anno 6.

Nuncij Apostolici, & alij ad Principes destinati, fauores ab eis procurare, aut illis vti nequeant, ad obtinendas dignitates apud Sedem Apostolicam, ipsis vel eorum consanguineis, & necessariis conferendas. XCVI.

PIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Edita A. D. 1565.

Proœmium.

ET si Romanum Pontificem, quem Dominus Omnipotens in persona Principis Apostolorum Ecclesiæ militanti sponte suæ præficere dignatus est, in eius vniuerso corpore à noxiis,quæ passim in illud irrepunt præseruando, plurimum decet esse solicitum, in hoc tamen eum multo magis inuigilare necesse est, ne per importunum suorum propriorum Ministrorum,qui frequenter ab eius latere ad diuersos Orbis Principes peregre mitti solent,ambitum,dum videlicet eorum nonnulli inordinato cursu ad dignitates quaslibet anhelant, & ad hoc Principum fauores demerendo,Pontificiam,& Ecclesiæ pro qua missi fuerunt causam, vel impudenter prodere, vel certe remissius agere non verentur, genuinus ille clericalis candor deturpetur, debitus Prælatorum pudor inter laicos requiratur,integritatis antiqua persuasio minuatur & ob illorum fluxam fidem immoderataque cupiditatem Ecclesiasticus ordo scandalose blasphemetur.

Causa istius constitu.

§.1.Sane considerãtes quod annis præteritis aliqui quorumdam Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum,ac etiam nostri,& Apostolicæ Sedis Nuncij ad diuersos Principes sæculares,etiam pro seriis, grauibusque dictæ Sedis negociis missi, muneris sui, decorisque nimium obliti in detestandam prælaturatũ,aliorumque Ecclesiasticorum, atque adeo Cardinalatus honorum ambitionem collapsi, ad illos alia qualibet quam sanctissima Aaronis via pernire satagentes, commendatitias super hoc literas, & indebitos fauores ab ipsis Principibus emendicare non erubuerunt, & quod eis recto tramite gradiendo non dabatur, assiduis, & quibus non obtequi difficile fuisset Principum efflagitationibus extorserunt, in suimet qui per ostium non intrarunt animarum periculum, & prauum aliorum exemplum.

Inhibetur Nuncius, & aliis, ne à Principibus ad quos mittuntur fauores procurent, illisque vtãtur ad obtinen. dignitates sub pœnis hic expressis.

§. 2. Nos itaque reseratum his artibus aditum huiusmodi ne ceteris item pateat diligenter occludendum esse censentes, habita etiam cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in Consistorio nostro secreto, matura super hoc deliberatione, ac de illorum consilio, & vnanimi assensu hac perpetuo valitura sanctione, vniuersis, & singulis nostris, & quorumuis Romanorum Pontificum successorum nostrorum Nunciis, aliisque ad quoslibet Imperatores, Reges,Reginas,Duces,& alios sæculares Principes pro tempore ex quauis causa missis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel præeminentiæ sint, etiam si Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel alia maiori præfulgeant dignitate, in virtute sanctæ obedientiæ,& sub maioris excommunicationis latæ sententiæ,ac priuationis omnium & singulorum, Cathedralium, etiam Metropolit. & aliarum Ecclesiarum, ac Monasteriorum, etiam consistorialium, necnon aliarum dignitatum etiam maiorum, & principalium personatuum, administrationum, & officiorum, ac Canonicatuum,& præbendarum, ceterorumque beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura,& sine cura, sæcularium, & quorumuis Ordinum regularium,etiam ex quibusuis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis,in titulum, commendam, administrationem, & alias quomodolibet,ac etiam Romanæ Curiæ,& aliorum etiam sæcularium cuiuscumque qualitatis, etiam quæ ex causa onerosa assecuti fuerint, officiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa,& alia similia,vel dissimilia in posterum obtinenda, necnon infamiæ perpetuæ per contrafacientes eo ipso incurrendis pœnis, auctoritate Apostolica harum serie districtius inhibemus, ne deinceps similes Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, aut aliorum Principum sæcularium commendationes, preces, aut alios etiam vocales, aut in scriptis fauores ad aliquas Pontificias, aut alias dignitates, sæculares, vel regulares,

Digitized by Google

lares, aut etiam Cardinalatus, vel alios honores & officia ecclesiastica consequendum, aut sibi, vel aliis consanguineis, & necessariis suis quoquomodo per ipsum Romanum Pontificem conferenda, per se, vel alium, seu alios, directe, vel indirecte quomolibet ambire, seu procurare, neve illis etiam vltro sibi per Principes sponte oblatis vti præsumant, vel audeant, eadem auctoritate, & præsentium tenore statuentes, quod omnes, & singuli in præmissis delinquentes, nulla alia monitione præcedente, & absque processu desuper habendo, sententias, & pœnas præmissas irremissibiliter eo ipso incurrant.

Litera Principum, vel eorum Oratorū preces Sedi Apost. porrecta sufficiunt ad condēnan. præfatos inobed.

§. 3. Quodque ad illos sententias, & pœnas huiusmodi damnabiliter incurrisse legitime probandum, & omnino conuincendum solæ Principum ipsorum literæ, vel preces etiam per suos apud Sedem prædictam Oratores verbotenus porrectæ, plenam, indubiam, & sufficientem, in iudicio, & extra fidem faciant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur.

Decretum irritans.

§. 4. Ac decernentes ita per quoscumque Iudices, & Commissarios, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere. Necnon ex nunc, irritum, & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Forma, & effectus pub.

§. 5. Ne quis autem inhibitionis, & statuti prædictorum ignorantiam prætendere valeat, volumus præsentes literas in Basilicæ eiusdem Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ valuis per aliquem ex Cursoribus nostris earum exemplum ibi affigendo, & dimittendo publicari, publicationemque, & affixionem huiusmodi singulos, & post duos menses immediate sequentes non secus afficere, ligare, & perinde arctare, & si literæ ipsæ personaliter illis intimatæ fuissent.

Clausulæ derogatoria.

§. 6. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis, statuti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D.P.A.6.12. Maij. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1565. 15. Kalend. Iunij, Pontificatus nostri, anno 6.

PP. subsc. Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero.

Cardinalium subscriptiones.
Ego Io. Mi Card. Saracenus.
Ego Io. Card. Sancti Vitalis.
Ego Io. B. Cicada Card. S. Clementis.
Ego Scipio Card. Pisarum.
Ego Io. Card. Reomanus.
Ego Io. Antonius Capisuccus.
Ego Fr. M. G. Card. Alexandrinus.
Ego Clemens Card. Aræcæli.
Ego Iac. Card. Sabellus.
Ego Io. Ant. Card. S. Georgij.
Ego B. Card. Saluiatus.
Ego Iud. Card. Simoneta.
Ego F. Card. Pacecus, de Toledo.
Ego Marcus Antonius Card. Amulius.
Ego Io. F. Card. de Gambara.
Ego M. S. Card. de Alta-Emps.
Ego Franciscus Card. Mantuanus.
Ego Marcus Ant. Card. Columna.
Ego Ptolemæus Card. Comensis.
Ego B. Card. Lomellinus.
Ego Vitellotius Card. Vitellius. S.R.E. Cam.
Ego Franciscus Card. Alciatus.
Ego Gulielmus Card. Sirletus.

Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi, 1565. Indict. 8. die vero 5. mensis Octobris, Pontific. autem Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. Anno 6. retroscripta literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, vt moris est, per nos Scipionem de Octauianis, & Io. Andream Rogerium Cursores. *Publicatio.*

Alexander Astancollus Magister Curs.

XCVII.

Priuilegium Abbatum Congregationis Cassinensis, aliàs S. Iustinæ Monachorum Ordinis S. Benedicti, vtendi Pontificalibus, benedicendique Populum, & consecrandi lapides pro altarium vsu.

Huius Congregationis antiquissimam originem, & alia notaui sup. in const. 1. Iulij II. Super cathedram.

Super vsu Baldachini, & aliarum ceremoniarum in his Pontificalibus emanauit Decretum à Sacra Rituum Congregatione ad fauorem Abbatum huius Congregationis, quod habes relatum, & confirmatum à S. D. N. Vrb. VIII. in const. 101. *Exponi.* inf. tom. 4. Et idem antea nonnulla statuerat de auctoritate Dietæ eiusdem Congregationis in const. 87. *Commissi* dict. tom. 4.

PIVS PAPA QVARTVS *Edita An. D. 1565.*

Dilectis filiis Præsidenti, Visitatoribus Congregationis Cassinensis, alias Sanctæ Iustinæ de Padua Salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium. SEdis Apostolicæ circumspecta benignitas deuotorum consuetit iustis annuere votis, & his, quæ diuini cultus respiciunt augmentum, animarumque salutem libenter intendere.

Causa concessionis huius indulti. §. 1. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra petitio continebat, quod cum in diuersis Monasteriis, necnon locis regularibus vestræ Congregationis Cassinensis, alias Sanctæ Iustinæ de Padua, diuersa Altaria, Capellæ, Capellaniæ, & alia pia loca in dies erigantur, & sæpe crescente numero presbyterorum Religiosorum eiusdem Congregationis, Altaria benedicta deficiant.

Indultum pro Abbatibus, vtendi baculo, & mitra, & benedictionem dandi, & lapides, pro Altaribus consecrandi. §. 2. Nos volentes commoditati Religiosorum dictæ Cõgregationis, ac eorum deuotioni in præmissis opportune consulere, & ipsam Congregationem fauoribus, & gratiis prosequi, eisdem Congregationi; & singulis illius Abbatibus pro tempore existentibus, qui licet quinquennales sint, nihilominus ex priuilegio Apostolico eidem Congregationi concesso, Baculo Pastorali, ac Mitra Pontificali, in Ecclesia Monasteriorum, in quibus Abbates pro tempore deputati existunt, vti, & benedictionem Pontificalem post diuina officia Christi fidelibus inibi existentibus elargiri consueuerunt, quoscumque lapides marmoreos, vel prorphyrios, vel alios, ad vsum altarium portatilium accommodandos, pro vsu quorumcumque vtriusque sexus dictæ Congregationis Monasteriorum, Prioratuum, & Ecclesiarum, & aliorum piorum locorum, super quibus intra daustra eorumdem Monasteriorum, & Prioratuum, seu extra Ecclesiarum, & aliorum piorum locorum huiusmodi hactenus Missæ celebrari possunt, consecrare, & benedicere, Ordinariorum locorum licentia desuper minime requisita, libere, & licite valeant, plenam, & liberam licentiam, & facultatem, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, concedimus, & indulgemus.

Clausula præseruatiua. §. 3. Decernentes concessionem, & indultum huiusmodi, necnon præsentes literas, sub quibusuis, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, vel derogationibus; per nos, & quoscumque Romanos Pontifices prædecessores, & successores nostros quomodolibet factis, vel faciendis, nullatenus comprehensas, sed semper exceptas ab illis existere, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & de nouo concessas esse.

Clausul. derog. §. 4. Non obstantibus quibusuis etiam reuocatoriis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, per

Digitized by Google

nos, & per quaſcumque Cancellariæ regulas, ediris, & edendis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

D.P. An.6. 6. Iulij. Dat. Romæ apud S.Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 6. Iulij 1565. Pontificatus noſtri, anno 6.

XCVIII. Impetrantes aliqua priuilegia, & gratias intereſſe Reuer. Cam. Apoſt. quomodocumque concernentes, infra tres menſes à die impetrationis, in Camera Apoſt. illa præſentare, & regiſtrari facere debent, alioquin illis, tamquam inualidis vti non poſſunt.

Conceſſiones Officiorum, Priuilegiorum, Exemptionum, gratiarum, & Indultorum in præiudicium Sedis, & Cameræ Apoſtolicæ emanatarum reuocauit S. D. N. Vrb. VIII. conſt. 28. *Superni*, inf. tom. 4.

Edita An. D. 1565. *PIVS PAPA QVARTVS*
Motu proprio, &c.

Exordium. INgens humeris noſtris iugiter incumbens expenſarũ onus ita nos premit, & excitat, vt noſtrorum, & Cameræ noſtræ Apoſtolicæ rerum, & iurium, ſublatis quibuſuis obſtaculis, ſolertem curam habentes, eiuſdem Cameræ indemnitati, quantum in nobis eſt, conſulere ſtudeamus.

Cauſa huius conſtit. §. 1. Cum itaque ſicut nuper nobis innotuit, complures diuerſi ſtatus, & conditionis perſonæ varia priuilegia, facultates, licentias, indulta, ſiue conceſſiones, tam à nobis quam pro tempore exiſtentibus, noſtris, & Apoſtolicæ Sedis Legatis, eorum Vicelegatis, ac Gubernatoribus, ac forſan aliis noſtris, & dictæ Cameræ miniſtris, & perſonis, nimiis forſan, ac tædioſis quibuſdam earumdem perſonarum precibus, & inſtantiis in dies obtineant, ſeu potius extorqueant, quæ cum à nobis, ſeu Legatis, aut Vicelegatis, vel Gubernatoribus ac Miniſtris, & perſonis huiuſmodi bona quadam fide, reque minus forſan quam par eſſet, diligenter, accurate perſpecta concedantur, illa nonnumquam, immo ſæpius in noſtrum, ac Cameræ præfatæ præiudicium, grauamen, & detrimentum non leue conceſſa, eſſe & manaſſe conſpicimus.

Impetrantes indulta concernen. intereſſe Camerę, debent inf. tres menſes, illa in Camera præſentare, & regiſtrari facere ſub pœna nullitatis. §. 2. Quapropter, vt præmiſſis (ne aliis prodeſſe cum velimus, nobis ipſis præiudicium inferamus) aliquantiſper prouidere volentes, preſenti noſtra perpetuo valitura conſtitutione, & ordinatione, quam vim, & naturam legis perpetuæ ab omnibus obſeruandæ penitus habere, & obtinere decernimus; Apoſtolica auctoritate, & ex certa noſtra ſcientia, harum ſerie ſtatuimus, & ordinamus, quod omnes, & ſinguli cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtentes, necnon etiam Ducali, Marchionali, Comitali, aut alia quauis ſæculari, ac Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, ſeu etiam alia quacumque eccleſiaſtica dignitate, præeminentia, & auctoritate, etiam Cardinalatus honore, fulgentes, qui aliqua priuilegia, gratias, facultates, licentias, & indulta, aut conceſſiones, quæ aliqua ex parte, quauis ratione, ſeu cauſa, directe, vel indirecte, principaliter, ſecundario, vel acceſſorie, aut quouis modo, noſtrum, aut dictæ Cameræ qualecumque minimum intereſſe, vel præiudicium, grauamen, ſeu detrimentum concernere cenſebuntur, illa infra tres menſes à die eorum impetrationis computandos, in eadem Camera præſentare, ac ibidem regiſtrare facere debeant, & teneantur; alioquin lapſis tribus menſibus eiſdem, ac priuilegiis, facultatibus, licentiis, gratiis, ac indultis, vel conceſſionibus huiuſmodi non præſentatis, minuſque regiſtratis, illa, in iudicio, & extra nullatenus fidem facere poſſint, tamquam non conceſſa, nullaque & ipſo iure inualida, ac nullius roboris, vel momenti fuiſſe, & eſſe, & fore, neminique ſuffragari, vel prodeſſe poſſe, ſeu debere reſpectiue habeantur, & cenſeantur, prout nos illa ex nunc nulla, & inualida, irritaque, & inania, ac nullius roboris, vel momenti fuiſſe, & eſſe, neminique, vt præfertur, ſuffragari poſſe declaramus.

Executoris deputatio per obſeruantiam ſuæ bullæ. §. 3. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ dilecto filio noſtro Vitellotio Sanctæ Mariæ in Via lata diacono Cardinali Vitellio nuncupato, moderno, & pro tempore exiſtenti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, quatenus præfatam noſtri Motus proprij cedulam, ac in ea contenta quæcumque, ab omnibus, quos illa concernunt, & concernent in futurum, penitus, & omnino, ac inuiolabiliter, & inconcuſſe obſeruari faciat, & procuret.

Decretum irritans. §. 4. Decernentes, ita vt præfertur, per dilectos filios eiuſdem Cameræ Theſaurarium, Præſidentes, & Clericos, alioſque miniſtros, & perſonas, ac eiuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & alios quoſcumque iudices ſublata, &c. iudicari, & definiri debere, irritum quoque, &c. attentari.

Clauſ. derog. §. 5. Priuilegiis, facultatibus, licentiis, gratiis, indultis, & conceſſionibus, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.

Sola ſufficit ſignatura. §. 6. Volumus autem quod præſentis Motus proprij cedulæ per quæcumque priuilegia, gratias, & indulta, etiam abſque data & regiſtratura, vt præfertur concedenda, niſi cum illius ſpecifica inſertione derogari nullatenus poſſit, quodque eius ſola ſignatura ſufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio, & extra quacumque regula, ſeu conſtitutione Apoſtolica contraria non obſtante, ſeu ſi conſultius fore viſum fuerit, literæ etiam ad perpetuam rei memoriam latiſſime expediri poſſint.

PP. ſubſcrip. Placet Motu proprio. I.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, octauo Idus Auguſti, anno ſexto.

D.P. Ann. 6. 6. Auguſti. Admiſſio, & reg. in Camera. *Die 22. Auguſti 1565. admiſſa eſt hæc cedula Motus proprij ex decreto Camerę, & regiſtrata libro ſecundo ſignaturarum Sanctiſſ. D.N. Papæ apud me Notarium.*
Hier. de Tarano.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini 1565. indictione 8. die vero 13. menſis Septemb. Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. Anno eius 6 retroſcripta præſentes literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in acie Campi Florę, & in valuis Cancellariæ Apoſtolicæ, dimiſſis ibidem præfatis literis per aliquod temporis ſpatium affixis, & deinde amotis, vt moris eſt, per nos Scipionem de Octauianis, & Bartholomæum Sottocaſa præfati Sanctiſſimi Domini N. Papæ Curſ.*
Iulius Parinus M.ag. Curſ.

XCIX. Reuocatio omnium licentiarum, & facultatum præterquam ex cauſa vere oneroſa conceſſarum, extrahendi frumenta, blada & legumina de locis Sedis Apoſtolicæ mediate, & immediate ſubiectis. Et prohibitio de cetero extrahendi.

Hæc prohibitio extenſa eſt ad quodcumque genus Graſciæ à Pio V. in conſt. 108. Romani *& Greg. XIII. conſt.* 50. Volentes. *Quinimo idem Greg. ibidem ampliauit ad recollecta etiam ex bonis eccleſiaſticis, & quæcumque indulta quamuis ex cauſa oneroſa conceſſa. Idque approbauit Clem. VIII. in conſt.* 49. Frumenti. *& ampliauit Paul. V. in conſt.* 12. Inter.

Quoad huiuſmodi extractiones attende S.D.N. Vrban. VIII. editam conſt. 28. *Superni*, §. 16. inf. tom. 4. Mitigationem vero, quod in cenſuras Eccleſiaſticas non incurrant, qui Annonæ ſpecies extra ſtatum Eccleſiaſticum, certis caſibus extrahunt, habes in conſt. 30. Greg. XV. *Romani* d. tom. 4.

Edita An. D. 1565. *PIVS PAPA QVARTVS*
Motu proprio, &c.

Exordium. INter multiplices curas, quibus aſſidue premitur, eas ſolicitudinis partes à Nobis non immerito ſuſcipiendas eſſe arbitramur, per quas illis, quos ſupremæ dignitatis noſtræ Pontificalis ratione iuriſdictioni noſtræ temporali ſubiectos eſſe cernimus, etiam in his, quæ communem vitæ vſum, & ſubſtentationem concernunt, opportune, prouidetur, ac proinde nonnullas facultates licen

Digitized by Google

licentias, & indulta hactenus, tam à nobis, quam à prædecessoribus nostris Rom. Pont. quibusdam certis nunc suadentibus causis concessa, quæ præmissis obesse conspicimus, aliis vrgentibus, magisque necessariis superuenientibus causis, pro nostra in cunctis solita prouidentia interdum reuocamus, & annullamus, aliasque desuper disponimus, prout omnium communitati vtilitati percipimus salubriter expedire.

Causæ huius constitut.

§. 1. Sane attendentes, quod licet DEI Omnipotentis gratia, & benignitate in statu nostro Ecclesiastico, ea talis hactenus fuerit, ac sit in præsentiarum Annonæ copia, quod ex ea status eiusdem populi, & subditi nostri, facile, commodeque, ac vili pretio, se, suasque familias substentare possent, nihilominus nimia lucri cupiditate multorum forsan prætextu certarum licentiarum, & facultatum eis, vt asserunt, concessarum, ex diuersis dicti status partibus, & locis frumenta, & alia blada, ac legumina in multarum etiam pauperum partium earumdem personarum præiudicium, & grauamen extrahentium, & alio asportantium, efficitur, vt fere semper populi, ac subditi ipsi nimia Annonæ huiusmodi charitate, rerumque penuria oppressi, quoad eorum qualemcumque substentationem, & victum quotidianum non mediocriter, sed plusquam par sit, nostramque deceat prouidentiam, patiantur.

Reuocatio quarūcumq. licentiarū, & facultatum, præterquam ex causa onerosa concessarū extrahendi frumēta, blada, & legumina ex prouinciis, ciuitatib. & locis ditionis ecclesiastica.

§. 2. Nos igitur, quorum est præ ceteris, per debitæ prouisionis nostræ ministerium præmissis obuiare, ac populorum, & subditorum prætatorum commoditatibus opportune consulere, & ne licentiarum, & facultatum huiusmodi causa aliis prodesse quidam velint, nostri rerum penuria huiusmodi pergrauentur, satagere volentes, auctoritate Apostolica, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine præsentibus perpetuo valituris, eas omnes, & singulas, præterquam ex causa vere onerosa, solutionis videlicet, & exbursationis pecuniarum, extrahendi frumenta, & cuiusuis alterius generis blada, & legumina, ex quibusuis prouinciis, ciuitatibus, terris, & locis, ditionique nostræ ecclesiasticæ, mediate, vel immediate subiectis, quibusuis communitatibus, vniuersitatibus, & personis tam sæcularibus quam quorumuis Ordinum regularibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis, existentibus, ac etiam Ducali, Marchionali, Comitali, aut alia sæculari dignitate, & excellentia; necnon Cardinalatus honore fulgentibus, per nos, & prædecessores nostros præfatos, aut alios quoscumque sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, & irritandis, etiam de necessitate exprimendis, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac alias quomodolibet concessas, approbatas, & innouatas, illarum singularum veros tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, pro sufficienter expressis haben. reuocamus, cassamus, & annullamus, ac viribus vacuamus, illasque reuocatas, cassatas, & annullatas, ac inualidas, & viribus vacuas, neminique prodesse, aut suffragari posse, seu debere decernimus, & declaramus.

Innouatio prohibitionum emanatarum cōtra extrahentes.

§. 3. Necnon hactenus de non extrahendo frumenta, blada, & legumina huiusmodi, in Prouinciis, Ciuitatibus, Terris, & locis præfatis, tam à nobis quam prædecessoribus nostris, constitutiones, & inhibitiones emanatas, ac aliis quibusuis factas inhibitiones, bannimenta prohibitiones, & proclamata innouamus, ac sub pœnis in illis contentis obseruari volumus.

Prohibitio extrahendi, & pœna contrauenientium.

§. 4. Districtius inhibentes quibusuis personis etiam, vt præfertur qualificatis, ne in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub nostræ indignationis, necnon confiscationis omnium bonorum, & amissionis feudorum pœnis, licentiarum, seu facultarum, alias tamen quam vt præfertur, ex onerosa videlicet solutionis, exbursationisque causa pecuniarum concessarum, aut alio quouis prætextu, directe vel indirecte, frumenta & blada, necnon legumina huiusmodi ex Prouinciis, Ciuitatibus, Terris & locis præfatis quocumque modo extrahere, & alio asportare audeant vel præsumant.

Exemptio deputatio & facultates.

§. 5. Ac mandantes in virtute sanctæ obedientiæ dilecto filio nostro Vitellotio sanctæ Mariæ in Via lata diacono Cardinali Vitellio nuncupato, S.R.E. Camerario, quatenus ipse, vltra ordinariam sui Camerariatus officij facultatem, specialem quamdam & præcipuam in præmissis curam habens, præsentem nostri Motus proprij cedulam, ac in ea contenta quæcumque, ab eis quos illa quomodolibet concernunt, & concernent in futurum, firmiter, & inconcusse obseruari, executionique debitæ demandari; necnon in Prouinciis, Ciuitatibus, Terris & locis huiusmodi, ac alibi, vbi opus fuerit, publicari & notificari, necnon contradictores quoslibet, & inobedientes, ac præsentibus, & inde pro tempore emanatis proclamatibus, bannimentis, & inhibitionibus quibuscumque non parentes, quacumque appellatione & subterfugio remotis, auctoritate nostra compescat: ac si ei expediens & opportunum fore videbitur, legitimis super his habendis seruatis processibus, aut etiam simpliciter & de plano, necnon manu regia, ac sine strepitu & figura iudicij, sed sola facti veritate inspecta, illas censuras & præfatas, ac alias quascumque in eisdem pro tempore subsecutis bannimentis, inhibitionibus, proclamatibus, & prohibitionibus contentas pœnas incidisse declarer, easque ab illis exigi & recuperari faciat & procuret, sibi in præmissis omnibus & singulis amplam & omnimodam, dantes & concedentes facultatem, potestatem, & auctoritatem.

Licentias habere prætendētes ex causa onerosa verificent coram Camerario alioquin eis, vt non possint.

§. 6. Ac decernens omnes & singulos, frumenta, blada, ac legumina, vt præfertur, extrahentes, & aliò asportantes, facultates & licentias ex onerosa, solutionis videlicet exbursationis pecuniarum causa sibi concessas esse allegantes, prætendentes, antequam ipsi illis modo aliquo deinceps vllo vmquam tempore vti possint, illas coram eodem Vitellotio Cardinale, & Camerario verificari debere, ac ad id teneri, & obligatos existere; alioquin ipsis non iustificatis, & per eumdē Cardinalem Camerarium non approbatis, easdem facultates & licentias, ac illarum vigore seu prætextu quascumque per eos frumentorum, bladorum, & leguminum huiusmodi de cetero factas extractiones & asportationes, nullas & inualidas, ac de facto & nulliter, ac præter mentem & intentionem nostras factas fuisse & esse, ac personas taliter extrahentes, & asportantes pœnas præfatas incidisse & incurrisse, ac ad illarum totalem satisfactionem penitus teneri.

Clausula derogatoria.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, &c. etiam iuramento, &c. roborātis: priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, Vniuersitatibus, Communitatibus, ac personis, etiam vt præfertur, qualificatis quomodolibet, etiam motu, scientia, auctoritate, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, &c. ac alias quomodolibet concessis, &c. quibus omnibus & singulis illorum omnium veros tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Licentia extrahendi frumenta à Camerario non approbata nō valeat.

§. 8. Volumus autem, vt deinceps perpetuis futuris temporibus nulli quarumcumque licentiarum; etiam ex causa onerosa, etiam si propria auctoritate extractio illis permissa sit, concessarum & concedendarum vigore extractiones granorum, bladorum, & leguminum huiusmodi absque eiusdem Camerarij Cardinalis patentibus desuper concedendis literis, aliquo pacto in toto statu ecclesiastico facere possint aut valeant. Alioquin contrafacientes in præfatas pœnas incidisse & incurrisse declaramus, & ab eodem Cardinale Camerario declarandos esse decernimus, &c.

Sola signatura sufficit.

§. 9. Quodque sola præsentis Motus proprij signatura sufficiat, & vtique fidem faciat in iudicio & extra, quacumque regula seu constitutione Apostolica contraria non obstante.

Placet Motu proprio. I.

PP. subsc. Dat. P. A. 6. die 13. Aug.

Datum Romæ apud S. Marcum, Idibus Augusti, anno sexto.

Confirmatio gratiarum, & priuilegiorum, & facultatis quærendi eleemosynas, Abbati, Conuentui, C.

Digitized by Google

tui, & Fratribus Ordinis S. Antonij Viennen. conceſſarum, quatenus Concilio Tridentino non aduerſentur.

De huiuſmodi gratiis & priuilegiis, notani ſup. in Bonif. VIII. conſtit. 5. In diſpoſitione *vbi videas etiam cetera de hoc Ordine S. Antonij.*

Quo vero ad facultatem colligendi eleemoſynas, attendenda eſt forma tradita à Greg. XIII. infra in eius conſt. 37. *Romani.*

Edita An. D. 1565.

PIVS PAPA QVARTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX debito paſtoralis officij nobis, meritis licet impariibus, diuina diſpoſitione commiſſi, circa monaſteriorum & hoſpitalium infirmorum, aliorumque piorum locorum ſtatum proſpere dirigendum, infirmoſque in ſuis neceſſitatibus ſubleuandum paternæ pietatis oculos intendentes, ea quæ pro illorum ſubuentione ab Apoſtolica Sede emanarunt, quantum (ſaluis Sanctorum Patrum decretis) nobis ex alto permittitur, approbationis noſtræ ſubſidio libenter ſtabilimus, & in his alias diſponimus, prout habita temporum ratione, cognitaque miſerabilium perſonarum egeſtate, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Concil. Trid. quæſtum prohibuit.

§. 1. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Ludouici de Langiaco Abbatis & Conuentus Monaſterij ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis S. Antonij de S. Antonio, Ordinis S. Auguſtini Viennen. diœc. petitio continebat. Quod licet in Concilio Tridentino ſtatutum ſit, vt quæſtores eleemoſynarum, eorumque nomen & vſus, deinceps in quibuſcumque Chriſtianæ Religionis locis penitus aboleantur, nec quæſtores ad officium quæſtarum huiuſmodi exercen. vllatenus admittantur, ipſum tamen Concilium indulgentias, & alias ſpirituales gratias, quibus non ideo Chriſtifideles priuandos eſſe cenſuit, in poſterum per Ordinarios locorum adhibitis duobus de Capitulo debitis temporibus populo publicandas eſſe decreuit, dans illi facultatem, etiam eleemoſynas huiuſmodi, atque oblata ſibi charitatis ſubſidia, nulla prorſus mercede accepta, fideliter colligendi, vt tandem omnes vere intelligant, cæleſtes hos Eccleſiæ theſauros, non ad quæſtum, ſed ad pietatem exerceri.

Sed Hoſpitalia S. Antonij eleemoſynis deſtituta remanebant, licet pro eis quauerentur abſque confeſſionali, & indulg. cõmunicatione.

§. 2. Et cum monaſterium ipſum, eiuſque hoſpitalia, præceptoriæ, & aliæ domus per orbem Chriſtianum, longe, lateque diſperſa, ad quæ miſerabiles illæ perſonæ horrendo ſacri ignis cruciatu correptæ, recurſum paſſim habere, ibique recipi, ali, medicari, & ſubſtentiari ſolent piis fidelium eleemoſynis, ſine quibus apud eorumdem hoſpitalium plurimi pauperes infirmi nutriri non poſſent, hoc prætextu minime deſtituenda ſint, præſertim cum eorum Religioſi ſiue miniſtri plenarias indulgentias, ſeu confeſſionalia nuſquam circumferant. Idcirco præfati Ludouicus Abbas, & conuentus humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus ſibi, vt neceſſariis hoſpitalium ſuorum ſumptibus ſufficere, ſuoſque infirmos alere queant, opportune conſulentes, priuilegia, facultates, & gratias eiſdem Hoſpitalibus conceſſa, quæ præfato Conclij decreto non aduerſantur, approbare, ac alias eorum neceſſitatibus ſubuenire, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Hæc ideo Pũt. quæſtuum & indulg. vſum reſtituit, quatenus Concilio Trid. non contrarietur, & alias etiam gratias confirmat.

§. 3. Nos igitur qui pauperum præſertim infirmorum, languentiumque curam nequaquam abiiciendam, ſed potius toto piæ mentis affectu amplectendam eſſe cenſemus; Omnia & ſingula priuilegia, facultates, indulta, & alias gratias, eiſdem monaſterio & conuentui, ſuiſque hoſpitalibus, præceptoriis, membris, & aliis dependentiis, & Confraternitatibus, ac eorum Abbati, Conuentui, Superioribus, Præceptoribus, Confratribus & perſonis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & Sedem prædictam hactenus quomodolibet conceſſa, literarumque deſuper confectarum tenores, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, eadem priuilegia, indulgentias, ac quæſtuandi, & alias facultates, ac indulta, aliaſque gratias quæ præfato Concilij decreto commode coaptari poterunt, literaſque deſuper confectas, ad hoc vt illis omnibus & ſingulis monaſterium, ac eius hoſpitalia, præceptoriæ, domus, & alia membra, dependentiæ atque Confraternitates, ad id per præfatum Ludouicum modernum, & pro tempore exiſtentem, Abbatem ſeu Conuentum Monaſterij huiuſmodi, vel perſonam, ſeu perſonas ad id, ab eo, vel ab eis deputatas, ad eorum beneplacitum in ſcriptis deſignanda & ſpecificanda, iuxta ipſius decreti Concilij Tridentini formam & tenorem vbilibet gentium vti frui, & gaudere, ipſique fideles indulgentias, & alias Apoſtolicas gratias ſibi propterea conceſſas conſequi libere & licite poſſint, quoad ea tantum quæ ſunt in vſu, & decretis dicti Concilij Tridentini non repugnant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium confirmamus, approbamus, & innouamus.

Quaſcumque ſuſpenſiones reuocat.

§. 4. Ac aduerſus quaſcumque reuocationes, caſſationes, ſuſpenſiones, & limitationes, etiam per nos hactenus factas, in priſtinum ſtatum reſtituimus, reponimus, & plenarie iuxta formam dicti Concilij reintegramus, necnon illis perpetuæ firmitatis robur adiicimus, ac illa valida & efficacia, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, ac monaſterio, hoſpitalibus, præceptoriis, domibus, Confraternitatibus, & aliis locis & perſonis, ſic vt præfertur, deſignandis & ſpecificandis, ac eorum perſonis ſuffragari.

Et ita iudicari præcipit.

§. 5. Eo ſic per quoſcumque locorum Ordinarios, & alios Iudices & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Executores deputat.

§. 6. Quocirca Venerab. Fratribus Archiepiſcopo Cæſarauguſtanen. & Epiſcopo Venuſino, ſiue eorum in ſpiritualibus Vicariis, aut Officialibus generalibus, ac dilecto filio Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, præſentes literas & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Ludouici, & pro tempore exiſtentis Abbatis & conuentus prædictorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos, confirmatione, approbatione, innouatione reſtitutione, repoſitione, reintegratione, & decreto, aliiſque præmiſſis pacifice frui & gaudere. Non permittentes eos, vel eorum aliquem, ſeu deputatos ſuos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, vel impediri Contradictores quoſlibet & rebelles, per ſententias, cenſuras & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris remedia eadem auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, eaſdem cenſuras & pœnas, etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc ſi opus ſit auxilio brachij ſæcularis.

Contrariis derogat.

§. 7. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. record. Bonifacij Papæ octaui prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, (dummodo quiſpiam vltra tres dietas præſentium vigore non extrahatur) & quibuſuis aliis Apoſtolicis, ac in prouincialibus & ſynodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ac omnibus illis quæ in literis priuilegiorum, facultatum, indultorum & aliarum gratiarum huiuſmodi non obſtare conceſſum fuit, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolica non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Tranſumptis credi iubet.

§. 8. Volumus autem quod tranſumptis præſentium manu alicuius notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, & adhiberi debeat,

Digitized by Google

beat, quæ literis ipsis originalibus adhiberetur, si exhibitæ forent vel ostensæ.

D.P. An.6. die 19. Augusti. Dat. Romæ apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die 19. Augusti 1565. Pontificatus nostri anno sexto.

CI. Erectio Ciuitatis Piæ, prope Arcem S. Angeli de Vrbe, & priuilegia in ea ædificantium, ac ad eamdem translatio Conuentus & Ecclesiæ S. Mariæ Transpontinæ nuncupatæ.

Similem sed arctiorem priuilegiorum concessionem dedit Six. V. edificantibus & habitantibus in Burgo Felici, Montis Quirinalis vt inf. in eius const. 103. Dum ad vberes. *Et ante eos Alexander VI. edificantibus in via Alexandrina, vt sup. in const.* 8. Et si vniuersis.

Edita An.D. 1565. PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. ROmanum decet Pontificem Almam Vrbem in qua iussu DEI per Vicarium suum beatum Petrum Apostolorum Principem Sedes Apostolica ad omnium Christifidelium commoditatem, ac religionis augmentum immobilis constituta, & copioso tum eiusdem Principis, tum exuberantis illius glorioſi vasis electionis, coapostoli sui, innumerabiliumque Christi martyrum Sanctissimorum sanguine Domino suo consecrata existit, nimirum vt Ecclesiæ caput in ea potissimum Ciuitate foret, quæ principatum Orbis iampridem sibi vendicasset, & ad quam, tamquam supremam Orbis Christiani metropolim, communemque mortalium omnium patriam & altricem, magnus vndequaque populi fit concursus; non solum iustitia pietateque moderari, sed etiam eius Pomerio ad populum ibi quotidie, Domino benedicente, non mediocriter augescentem recipiendum dilatato, nouis subinde vicorum, regionumque additamentis ampliare.

Burgū S. Petri admodum ornauit Leo X. & illud voluit appellari Ciuitas Leonina. §. 1. Cupientes igitur vestigiis fel. record. Leonis Papæ IV. prædecessoris nostri, qui suburbium quod Burgum S. Petri vocant antea per piæ mem. Nicolaum III. & alios plerosque Romanos Pontifices etiam prædecessores nostros, iuxta præfati Principis Apostolorum Basilicam ad Curialium commoditatem institutum, non mediocriter ornauit & ampliauit, illudque suo de nomine Ciuitatem Leoninam appellauit, inhærendo, pro ipsius Vrbis decore, & ampliatione nouam apud idem suburbium Ciuitatem constituere, populumque quo libentius ad eam inhabitandam, nouisque ædificiis replendam se conferat, & in ea cum omni tranquillitate & commoditate, aerisque salubritate degere possit, paternis fauoribus & gratiis inuitare, post varia quæ in Vaticano, dictaque Leonina Ciuitate feliciter opera nostra iampridem consurgere noscuntur ædificia.

Hic vero Pōt. apud dictum Burgū ædificare cœpit aliud Burgum, quod Ciuitatē etiā denominari mandat. §. 2. Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Omnipotentis DEI gratia per nos in primis ad hoc supplicibus votis implorata, ad eius laudem & gloriam, tractum illum inter vetera Leoninæ Ciuitatis mœnia, & muros, propugnaculaque ab arce S. Angeli ad Palatium Apostolicum per nos nuper excitata intetiacentem, quem etiam, ne eius incolis repentinæ Tyberis inundationes, aerisque intemperies obesse possit, suggesta passim humo in altum eleuari, cloacisque ad sordes eleuandas aptis locis fulciri mandauimus, in Ciuitatem Piam similiter de nomine nostro nuncupandam, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo erigimus & instituimus.

Conuentumq; & Ecclesiam B. Mariæ Transpontin. transfert ad Ciuitatē Piā ex causa hic expressa. §. 3. Et quoniam omne principium ab ipso Deo summo rerum opifice, ciuitatumque omnium præside atque custode, necnon beata & glorioſa semperque Virgine DEI Genitrice MARIA, par est auspicari, Conuentum eiusdem B. Mariæ Transpotinum nuncupatæ, Ordinis ipsius S. MARIÆ de Monte Carmelo, qui in dicta Ciuitate Leonina olim constructus reperitur, & quem pro fortificatione, struendisque aggeribus Arcis nostræ S. Angeli, & alias ad publicam vtilitatem dirui, & solo æquari expedit cum suis Ecclesia, titulo, denominatione, fratribus & personis, capellis, capellanis, altaribus, officiis & beneficiis, necnon cura animarum illi imminente, fonte baptismali, Sanctorumque reliquiis & indulgentiis in ea existentibus, ac fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, fundationibus, censibus, redditibus, & priuilegiis vniuersis, ad eamdem Ciuitatem Piam eisdem auctoritate & tenore transferimus.

Eiusque Fratribus concedit omnia priuilegia habitātib. in Ciuitate Pia cōcessa. §. 4. Ita vt dilecti filij Prior & fratres illius, in eadem Ciuitate Pia similem curam animarum, habitatorumque ibi pro tempore degentium, cum omnibus honoribus, & oneribus parochialibus Ecclesiis debitis, solitis & consuetis, habeant & exerceant, dictique habitatores Ecclesiam Conuentus translati huiusmodi pro sua parochiali nanciscantur, & recognoscant, parochianique dictæ Ecclesiæ existant & nuncupentur. Ac iidem Prior & fratres, omnibus & singulis gratiis, fauoribus, exemptionibus, & libertatibus, priuilegiis & indultis quibus alij dictæ Ciuitatis Piæ incolæ, & habitatores vtentur, & quomodolibet gaudebunt, similiter vti, & gaudere possint.

Et, unde Ecclesiam visitantibus, &c. indulgentias concedit. §. 5. Et insuper, vt deuotio, non solum dictorum incolarum sed etiam totius populi Romani ad dictam Ecclesiam visitandam & frequentandam augeatur, vltra alias indulgentias & gratias spirituales illi hactenus concessas, de Omnipotentis DEI misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum suorum prædictorum auctoritate confisi, vniuersis & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis, seu statutis à iure temporibus confitendi propositum habentibus, qui intra decennium proxime futurum annuatim dictam Ecclesiam in singulis Domini nostri IESV CHRISTI, ac eiusdem glorioſissimæ Virginis Matris festiuitatibus, ac etiam qui infra triennium proximum singulis Dominicis diebus antiquam præfatam nondum dirutam, seu post eius demolitionem nouiter construendam, Ecclesias prædictas duore visitauerint, & orationem Dominicam, ac salutationem Angelicam ibi ter recitauerint, quoties id fecerint toties plenariam omnium peccatorum suorum remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur in forma Ecclesiæ consueta.

Et nouā Ecclesiam ædificari iubet. §. 6. Et insuper pro Conuentu, eiusque Ecclesia de nouo fundandis & construendis, aream, situmque conuenientem arbitrio dilectorum filiorum nobilis viri Gabrij Serbelloni, dicti Burgi & militum nostrorum prætorianorum Præfecti, nostri secundum carnem fratris consobrini, & Horatij Nari, ac Hieronymi de Pichis Nobilis Roman. modernorum & pro tempore existentium ipsius Vrbis Magistrorum viarum, assignari volumus atque mandamus. Quibus etiam Priori & Fratribus pro satisfactione damnorum demolitionis Ecclesiæ bis mille scuta solui & numerari iussimus. Antiquum autem Conuentus & Ecclesiæ præfatorum situm, cum primum dicta Ecclesia diruta fuerit, ex nunc prout ex tunc profanamus, & pro area, ac propugnaculis dictæ arcis ad profanos vsus reducimus & conuertimus.

Et dictam Ciuitatem Piā, Fonte & ludo literario ornari mandat. §. 7. Vias autem, ac domos, palatia, ceteraque ædificia solita dictæ Ciuitati, Piæ in planitie æquali, quoad primum solare, ac altitudinem stillicidij grundarum tecti vulgariter nuncupati, frigoris, æstusque defendendi gratia, eodē pariter arbitrio construi & fabricari, ac ad publicam dictorum incolarum, & habitantium vtilitatem & refrigerium ex Palatio Apostolico destinaris, vel aliis commodioribus aquis Fontem in medio dictæ ciuitatis excitari; Ludumque literarium, seu Scholam publicam pro pueris & adolescentibus gratis edocendis similiter institui & aperiri, Magistroque & Præceptori, qui literis & bonis moribus eos instruat, de honesto salario ex prouentibus Gabellæ Studij Almæ Vrbis assumendo, prouideri statuimus & ordinamus.

Ecclesiasticorum ibi ædificantium priuilegia. Tu vide cōst. 117. Pij V. Quæ ordine. §. 8. Et vt promptius & alacrius ad ædificandum omnes cuiusuis gradus & conditionis alliciantur & inuitentur; quibuscumque personis ecclesiasticis, etiam quacumque dignitate fungentibus, vt pro ea quantitate, qua ibi ædificauerint, de rebus & bonis suis quibuscumque in Vrbe, & alibi vbicumque locorum consistentibus, etiam quæ sub nomine spoliorum Cameræ Apostolicæ debitorum comprehenduntur, vltra ædificia præfata testari,

Digitized by Google

ſtari, & alias diſponere: Necnon ipſis in infirmitate conſtitutis, ac etiam laicis, vt præfertur, ædificantibus, etiam in Alma Vrbe, & Romana Curia præſentibus, dummodo per viginti dies ſuperuixerint, quæcumque venalia dictæ Curiæ officia, etiam per procuratorem pro concurrenti factarum à ſe fabricarum huiuſmodi reſignare, ac cedere, & reſignationes huiuſmodi omnino admitti debere, & admiſſas cenſeri per ſimplicem conſenſum deſuper præſtandum, ac ſuum plenarium effectum ſortiri. Regularibus vero, vt domos per ipſos in dicta Ciuitate conſtructas perſonis etiam incapacibus, etiam iuxta priuilegia montis Fidei de Vrbe, & quæ dilectis filiis illius Portionariis montiſtis nuncupatis conceſſa ſunt, ſimiliter conceſſa ſint, & eſſe intelligantur, etiam inter viuos & cauſa mortis donare & relinquere, ac alias de illis diſponere.

Locorumque piorum.

§. 9. Eccleſiis vero & locis piis quibuſcumque, quæ penes quamcumque idoneam perſonam, aut ædem ſacram, & in quocumque loco pecunias ad effectum illas in emptionem aliorum bonorum ſtabilium, in euidentem vtilitatem conuertendi depoſitas tenent, vel in futurum tenebunt, illas in domorum in dicta Ciuitate Pia ædificationem exponere, quæ ſic expoſitæ in euidentem vtilitatem ipſarum Eccleſiarum & locorum piorum, ceſſiſſe & cedere cenſeantur.

Laicorũ etiã & clericorũ. Tu vide d. bullã Pij V.

§. 10. Ac laicis, etiam coniugatis & Clericis in ipſa Ciuitate Pia ædificantibus, quod penſiones ſuper beneficiorum eccleſiaſticorum fructibus, redditibus, & prouentibus ſibi aſſignatas, ad tatam decem ſcutorum pro quolibet centenario per eos in fabricando pro tempore expenſo recipere, retinere, & percipere, ac illas in quaſuis perſonas, etiam in mortis articulo, & prout eorumdem Sanctorum Petri & Pauli, ac Pij nuncupati milites, iuxta priuilegia per nos & prædeceſſores noſtros ſibi conceſſa, formamque eis traditam, etiam abſque conſenſu dicta beneficia obtinentium deſuper habendo, pariformiter transferre. Ita quod priuilegia eadem ſic ædificantibus laicis, etiam clericis, etiam Prælatis, & Religioſis conceſſa, ei communicata cenſeantur.

Impudicarum mulierum ibi ædificantium priuilegium, contra conſt. Leon. X. & Clem. VII & Pauli III.

§. 11. Impudicæ vero, quas Curiales vulgus appellat, & aliæ inhoneſtæ mulieres, quæ in dicta Ciuitate Pia ad minus pro ſcutis quingentis ædificauerint, tam de ſuis ædificiis huiuſmodi, quàm aliis earum bonis quomodocumque, etiam ex turpi quæſtu acquiſitis & acquirendis, ſimiliter teſtari & diſponere libere & licite valeant, nec tales mulieres teſtatæ, vel ab inteſtato decedentes, aliquam partem Monaſterio Conuertitarum de Vrbe iuxta diſpoſitionem Leonis X. ac recol. mem. Clem. VII. & Pauli III. Romanorum Pontificum etiam prædeceſſorum noſtrorum, & eorum priuilegia debitam relinquere teneantur, ſed dicta eorum bona libere & integraliter, tàm ex teſtamento, quàm ab inteſtato, ad earum hæredes peruenire debeant.

Ædificia ibidẽ conſtructa confiſcari nequeunt, iuxta priuilegia, Montis Fidei.

§. 12. Quodque domus & ædificia quæcumque per quoſuis in dicta Ciuitate Pia pro tempore conſtructa, ex quocumque crimine & delicto, præterquam hæreſis, & læſæ maieſtatis confiſcari non poſſint, ad inſtar priuilegiorum Montis Fidei, ſed eorum dominis & ſucceſſoribus ſuis, perinde ac ſi delicta non commiſiſſent, perpetuo firma & illæſa remanere debeant, eiſdem auctoritate & tenore, perpetuo concedimus & indulg. &c.

Domini fundorũ ibidem exſtentiũ debẽt ædificare, aut ædificare volentibus locare, vt hic.

§. 13. Ceterum ne in ipſa Ciuitate Pia ædificare volentes à fundorum dominis vllo modo retrahantur, etiã perpetuo ſtatuimus & ordinamus, quod intra annum à data præſentium computandum, in quouis Ciuitatis Piæ loco ædificare volentibus, domini fundi, ſi ipſi ædificare noluerint, ſeu ſe ædificare velle dicentes, niſi infra trimeſtre ædificare cœperint, fundum huiuſmodi pro annuo cenſu perpetuo ad rationem vnius iulij pro qualibet canna, dare & locare teneantur, & ad id compelli poſſint & debeant. Ipſique conductores, ſiue cenſuarij à ſolutione primi ſemeſtris, omnino libri & exempti ſint & eſſe intelligantur. Quodque tàm fundorum domini, quàm conductores & cenſuarij infra ſex menſes, à data præſentium à die locationis reſpectiue comparandos, fabricas huiuſmodi omnino inchoare, & in fundo centum cannarum, conductores mille, fundi vero domini quingentorum ſcutorum ſummas in fabricam exponere, & ita proportionabiliter ædificare volentes, tam domini ſoli, quàm conductores, pro ſitus quantitate, & ad ratam huiuſmodi fabricare teneantur.

Conductores autẽ eorumdẽ fundorum aucta decima parte eos æſtrancare poſſunt.

§. 14. Conductores autem præfati, eorumque hæredes & ſucceſſores, quandocumque ſibi placuerit, eoſdem fundos, etiam ad Eccleſias, Hoſpitalia, vel alia quæcumque loca pia quomodolibet pertinentes, iuxta facultates ſanctæ mem. Sixti Quarti, & Alexandri Sexti, & Leonis Decimi, etiam Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, aucta decima parte cenſus, eſtrancare, & ſe ab huiuſmodi cenſu liberare, ac toraliter eximere valeant.

Aliud priuilegium ædificantium.

§. 15. Præterea qui in Ciuitate Pia ædificauerint, in venditionibus viridariorum, vinearum, & terrenorum in partibus Tranſtiberim exiſtentium, quoquo modo pro tempore faciendis, aliis qui in dicta Ciuitate Pia non ædificauerint, etiam ſi vicini rerum, bonorum venalium huiuſmodi exiſtant omnino, arbitrio tamen præfato, præferri poſſint & debeant, prout & quemadmodum ſi ius congrui, ſeu protimeſeos ratione vicinitatis, communionis, vel alias quomodocumque haberent, in quibus etiam qui prius ædificauerit, ceteris præferatur.

Ciuitas Pia gaudeat omnibus priuilegiis Ciuitatis Leoninæ.

§. 16. Porro dictam Ciuitatem Piam poſtquam conſtructa & ædificata fuerit, etiam ex nunc prout ex tunc regimini, adminiſtrationi, gubernio, & iuriſdictioni eiuſdem moderni & pro tempore exiſtentis Præfecti, ad inſtar ipſius Ciuitatis Leoninæ, æque principaliter, & ſine aliqua differentia ſubiicimus; eamdemque omnibus & ſingulis priuilegiis, honoribus, fauoribus, gratiis, & facultatibus, necnon ſtatutis & conſuetudinibus, quibus dicta Ciuitas Leonina vtitur, potitur, & gaudet, vti, potiri, & gaudere ſimiliter æque principaliter poſſe, dictumque Præfectum pro tempore exiſtentem vtriuſque Ciuitatis, Leoninæ, videlicet, atque Piæ, Capitaneum, ſeu Præfectum principaliter denominari & deſcribi debere volumus.

Executorum deputatio & facultates.

§. 17. Dilecto filio Vitellotio S. Mariæ in Via lata Diacono Card. Vitellio nuncupato, moderno & pro tempore exiſtenti S. R. E. Camerario, nec non eiuſdem modernis, & pro tempore exiſtentibus Præfecto, & viarum Magiſtris, Motu proprio, & ex certa ſcientia diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte alicuius prædictorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, ac conductoribus, & ædificantibus, eorumque hæredibus & ſucceſſoribus, ac omnibus & ſingulis aliis ſupra nominatis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant, auctoritate noſtra præſentes literas & omnia in eis contenta, ab omnibus, etiam ſub pœnis eorum arbitrio imponendis & applicandis, firmiter & inuiolabiliter obſeruari: illaſque debitæ executioni demandari procurent. Nos enim illis & eorum cuilibet, omnia & ſingula præmiſſa, faciendi & exequendi, & quæ in eis dubia inciderint, declarandi & interpretandi, ac tempus & tempora in præmiſſis prorogandi & moderandi, ceteraque in his, & circa ea neceſſaria & opportuna gerendi, plenam, liberam, & omnimodam facultatem & poteſtatem concedimus per præſentes.

Decretum irritans.

§. 18. Necnon omnia & ſingula præmiſſa, valida & efficacia exiſtere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & inuiolabiliter obſeruari, ac ſingulis ſupradictis ſuffragari. Sicque in omnibus & ſingulis præmiſſis per Camerarium præfatum, & dilectos filios dictæ Cameræ Præſidentes, & Clericos, ac quoſcumque Iudices & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac ipſius S. R. E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Clauſula derogatoria.

§. 19. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Cameræ Vrbis, & Baſilicæ prædictorum, & aliarum Eccleſiarum ac Monaſteriorum, & Ordinum quorumcumque, necnon quibuſuis aliis iuramento, confirmatione Apoſtolica,

Digitized by Google

lica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis eorumque Superioribus, Magiſtratibus, ac etiam dilectis filiis Populo Romano, ſub quibuſuis tenoribus & formis, ac quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam motu & ſcientia ſimilibus, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine etiam per nos, etiam conſiſtorialiter, & alias quomodolibet conceſſis, ac etiam pluries approbatis & innouatis. Quibus omnibus etiam pro ſufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua & expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter inſertis, & expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe pari motu derogamus: ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Sanctio pœnalis.

§.20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis, inſtitutionis, tranſlationis, elargitionis, prophanationis, reductionis, conuerſionis, ordinationis, conceſſionis, abſolutionis, liberationis, ſubiectionis, mandati, præcepti, indulti, ſtatuti, decreti, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

D. P. An. 6. 23. Auguſti.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1565. 10. Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno 6.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1565. Indictione 8. dieuero 7. Decembr. Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. anno 6. retroſcripta litera Apoſtolica affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, Palatij Apoſtolici, Baſilicæ Lateranenſis, ac acie Campi Floræ, necnon ad valuas Cancellariæ Apoſt. dimiſſis ibidem in omnibus & ſingulis ſupradictis locis reſpectiue, præſentium retroſcriptarum literarum copiis, vt moris eſt, affixis, per nos Bernardinum Andrentium, & Iulium Parinum prælibati Sanctiſſ. D. N. Papæ, & ſanctæ Apoſt. Sedis Curſores.

Philibertus Capuis Mag. Curſ.

CII. Confirmatio & extenſio iuriſdictionis S.R.E. Cardinalis Camerarij, & Magiſtrorum Viarum Almæ Vrbis.

Hanc iuriſdictionem à Pio V. fere extinctam, reſtituit Gregor. XIII. in conſt. 22. *Quæ publicæ*, vbi plene notabo. Et inde iſta corrigitur bulla, in his quæ ibidem diſpoſita fuerunt.

Edita An. D. 1565.

P I V S E P I S C O P V S, Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INter multiplices curas, quæ mentem noſtram vndequaque ſolicitant, illi ſumma ope iampridem incumbendum nobis eſſe ſtatuimus, vt Almam Vrbem noſtram, perpetuam Vicarij Chriſti ſpiritualiſque imperij Sedem longe felicioribus, quam priſcum illud temporale partum fuerat, auſpiciis ſtabilita in communemque totius Chriſtiani populi patriam, ſicut bonis moribus, omnique virtutum genere perornatam, ita templorum & aliarum, tàm ſacrarum & publicarum, quàm priuatarum ædium, platearum, & viarum pulchritudine, necnon murorum, propugnaculorumque firmitate decoratam, ac etiàm pomeriis ſuis longe, lateque prolatis, inſigniter ampliatam, cum Dominus huic noſtræ peregrinationi modum duxerit imponendum, relinquamus: & vt hæc votis noſtris reſpondeant, eorum curam, ſolicitudinemque egregiorum Ciuium prudentiæ libenter committimus, qui ſciant, velint, & valeant id muneris diligenter amplexari, & fideliter exercere.

Sixti IV. ſpecialis bulla hic cit.

§.1. Dudum ſiquidem fel. rec. Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter, cupiens ipſius Vrbis, &c.

Omittitur relatio huius bullæ, quia eam habes ſup. *Et ſi de cunctorum.*

§.2. Et ſucceſſiue piæ mem. Leo Papa X. etiam prædeceſſor, &c. *Leo etiam X.*

Omittitur etiam hæc relatio quoniam ipſa bulla eſt ſup. *Inter curas.*

§.3. Nos autem eiuſdem Almæ Vrbis ornatui, ampliationi decori, & pulchritudini, aeriſque ſalubritati, non minus quam ipſi prædeceſſores conſuluerunt. quantum in nobis eſt, conſulere, & quemadmodum illam Ciuitatẽ noſtram Piam ampliauimus, mœnibuſque ac propugnaculis muniuimus, eam quoque vt munitam, ita etiam ornatam, ac ſpecioſam reddere cupientes: eorumdem prædeceſſorum veſtigiis inhærendo, ſimiliter Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de pari poteſtatis plenitudine, ſingulas Sixti & Leonis prædeceſſorum eorumdem literas prædictas cum ſupradictis, ac etiam aliis, omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis, ac inde ſecuta quæcumque, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo, confirmamus, approbamus, & innouamus. Decernentes eaſdem literas, in omnibus & ſingulis illarũ partibus, etiam hic non expreſſis, etiam in quibus forſan hactenus vſu receptæ non ſunt, ſeu non eſſe dici poſſent, perpetuis futuris temporibus inuiolabiter & ad vnguem ab omnibus obſeruari debere, ac omnes & ſingulos ad illarum obſeruationẽ omnino teneri, & efficaciter obligatos exiſtere & cenſeri. Ac ad id opportunis, iuris & facti remediis, etiam per cenſuras & pœnas in eiſdem literis appoſitas, & inflictas, cogi poſſe, & etiam debere. *Hic Pontif. confirmat dictas conſt. Sixt. IV. & Leon. X.*

§.4. Præterea cum non ſine animi noſtri diſplicentia intellexerimus, ea quæ per præfatos prædeceſſores in prænarratis literis pro publico Almæ Vrbis commodo & honore ordinata fuere, contrarium ſortiri effectum, quandoquidem licet iuxta earum tenorem in præmiſſis, & forſan certis aliis ibi expreſſis caſibus, Camerarius, & Magiſtri viarum, qui pro tempore fuerunt, quamplures ad domos ſuas, vicinis ſe ibi ædificare velle dicentibus, ſeque id facturos, etiam cum obligatione promittentibus, vendendum coëgerint, multi tamen emptores huiuſmodi obligationibus per eos ad noua ædificia inchoandum, & perficiendum, ſeu iam conſtructa ampliandum, pactis, modis & formis, ac ſub pœnis in ſententiis Camerarij, & Magiſtrorum viarum, iuxta formam dictarum literarum promulgatis contentis non obſtantibus, poſtquam dictas domos antiquis dominis electis habuerunt, noua ædificia per ſe promiſſa facere, ſeu iam conſtructa ampliare non curarunt, memoratas prædeceſſorum præfatorum conſtitutiones, & antiquos domorum dominos ſimul eludendo, & pœnas præfatas damnabiliter incurrendo, indignitatibus huiuſmodi, vt par eſt, prouidere volentes, eiſdem auctoritate & tenore ſtatuimus, volumus, & ordinamus, vt qui infra ſex menſes à die publicationis præſentium promiſſiones per eos à viginti annis citra factas, & in futurum faciendas, non adimpleuerint, ac propterea pœnas iuxta formam dictarum literarum incurrerent, manu Regia ad ſolutionem pœnarum huiuſmodi per Camerarium, & viarum Magiſtros, præfatos cogantur, quarum pœnarum vna fabricæ, ſeu munitioni murorum Ciuitatis noſtræ Piæ, & altera medietates Camerario, & viarum Magiſtris præfatis applicentur; & nihilominus ipſi eluſores ad dictas domos pro eodemmet pretio, quo illas emerunt, primis dominis retrouendendum à Camerario & Magiſtris præfatis cogi poſſint. *Præfigitur terminus ad ædificandum; illis qui ædificare promiſerunt, & ſub tali prætextu vicinorũ domos ſibi vendi fecerunt.*

§.5. Et quum pluries hactenus ſit in literis Sixti prædeceſſoris huiuſmodi dubitatum, an domini vendere volentes deberent requirere vicinos ſuper venditionibus domorum, plateolarum, ſediminum, ſituum, vel caſalenorum, ipſis vicinis contiguorum, per eoſdem dominos faciendis, ad obuiandum litibus, quæ ex hac cauſa deinceps oriri poſſent, hac noſtra perpetuo valitura ſanctione ſtatuimus & ordinamus, vt in futurum ſiue vicinus requiſierit prius venditionem, ſeu vendere volentem ſuper vẽditione domus, plateolæ, ſediminis, ſitus vel caſaleni, ſiue non requiſierit, ſemper ad hoc vt venditio aliis quam vicinis facta vel facienda, valida ſit, ſuumque ſortiatur effectum, venditor ſiue emptor domus huiuſmodi vicinum ipſo perſonaliter reperto, ſi haberi poterit, per vnum, ſin autem facta diligentia perſona aliter reperiri commode non poterit, per duos ex Mandatariis, vel noſtris Curſoribus domi dimiſſa copia, in abſente vero per edictum publicum *Declarat etiã venditiones domorum, &c. ſemper imminandas eſſe vicinis. Vide Greg. XIII. conſt. cit. in rubr. §. 8. & ſeq.*

Digitized by Google

publicum requirere, vel requiri facere debeat, & teneatur, an ipse vicinus velit domum venditam, seu venalem huiusmodi pro pretio per dictum emptorem, seu emere volentem, non vicinum, vere & non ficte oblato, soluto, aut promisso, & cum eisdemmet pactis & conuentionibus.

Vicinosque post intimationem adimplere debere hic expressa. Tu vide Greg. XIII. §. 9. & seqq.

§.6. Qua quidem requisitione, seu intimatione, per venditorem, seu emptorem sic facta, si vicinus, aut vicini, si plures fuerint, intra quindecim dies non acceptauerint, & summam eum emptore, seu emere volente non vicino conuentam non promiserint, & de fabricando ad certam summam arbitrio Magistrorum viarum, sub certa pœna eisdem Magistris beneuisa, se non obligauerint, & deinde intra alios quindecim dies dictam summam realiter & cum effectu, si vere & realiter in primo instrumento, vel contractu fuerit soluta, non soluerit; & si nondum fuerit soluta, omnia in eodem primo instrumento, vel contractu, aut obligatione vel conuentione contenta non adimpleuerint, tunc venditio aliis quam vicinis facta, vel facienda huiusmodi, firma & valida remaneat. Sin vero præfata intimatio modo quo supra facta non fuerit, tunc venditio iuxta præfatarum Sixti prædecessoris literarum formam, facta pro vicino intelligatur. Et si prædicta intimatio facta non fuerit, volumus quod ad rescissionem primi instrumenti huiusmodi venditionis, vnusquisque vicinorum prædictorum, semper & quandocumque admittatur, nec illi via sit præclusa, nisi post annum à die scientiæ venditionis, quam scientiam declaramus sufficere tantum in generali, nempe scire rem fuisse venditam, etiam quod pretium & aliæ qualitates fuerint ignoratæ.

Vicinos quoque præferendos esse inquilinis declarat.

§.7. Et concurrentibus in cuiusuis, seu quorumuis domorum, plateolarum, sediminum, situum, & casalenorum emptione, inquilino & vicino, ipse vicinus eidem inquilino, ac alias, seruata præinserrarum literarum forma, omnino semper præferatur, & præferri debeat.

Simulatasque venditiones annullat, & contrahentibus pœnas imponit.

§.8. Et ad obuiandum simulationibus & fictionibus, quæ plerumque in similibus instrumentis venditionum, etiam forsan ad eludendum huiusmodi nostras, & nostrorum prædecessorum ordinationes, inter venditores & emptores, præcipue exprimendo maius pretium in instrumento quam vere & realiter sit solutum vel conuentum intercedere consueuerunt, volumus quod venditiones, in quibus huiusmodi simulationes, præsertim circa pretij quantitatem interuenerint, omnino nullæ sint; & nihilominus tàm pretium per emptorem solutum vel promissum, quàm res sic vendita, ad nos & Sedem Apostolicam eo ipso deuoluatur, pro vna Fabricæ Ciuitatis nostræ Piæ, seu illius murorum, & pro altera medietatibus Camerario & Magistris præfatis irremissibiliter applicanda, provt ex nunc applicamus.

Confirmat etiam quascumque Pont. constitutiones, editas circa officia & facultates Magistrorū viarū. Et dubias in ornatū Vrbis interpretari decernit.

§.9. Et insuper pro maiori officij dilectorum filiorum Horatij Nari, & Hieronymi Pichi, modernorum & successorum suorum pro tempore existentium Magistrorum viarum dictæ Vrbis dignitate simul & auctoritate, ac ad obuiandum cauillationibus, quæ in dies super eorum officio, & priuilegiis, ac facultatibus suis subinde emergere possent, omnia & singula, ac quæcumque priuilegia, facultates, gratias, prærogatiuas, & indulta Magistris Viarum Vrbis, eorumque officio huiusmodi per præfatos, & quosuis alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam per nos dictã & Sedem hactenus quomodolibet, & specialiter per vnam Motus proprij schedulam à piæ mem. Paulo Papa III. similiter prædecessore nostro editam, incipientem (inter alias innumerabiles & graues) concessa, in primis & ante omnia eisdem auctoritate & tenore approbantes, similiter perpetuo statuimus, ordinamus, decernimus, & declaramus, quod quælibet pars & clausula, siue constructio, tam supradictorum per Sixtum & Leonem, ac Paulum, ac quorumvis aliorum per quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores, & etiam respectiue successores nostros, ac nos & Sedem eamdem editarum, & quandocumque edendarum literarum, & etiam pari motu signatorum rescriptorum officium & facultates Magistrorum viarum Vrbis huiusmodi quomodolibet concernentium, respiciendum, sicubi sensus erit, vel videbitur esse dubius, semper in dictæ Vrbis fauorem, & ornatum intelligatur, accipiatur, & interpretetur, ac intelligi, accipi, & interpretari, & ita à Camerario & Magistris præfatis, in causis coram eis vertentibus, iudicari & definiri debeat, iusque ipsum in literis & rescriptis præfatis, si opus sit, fauorabile non autem odiosum sit & esse censeatur, & etiam ad effectum præfatum casus dicatur comprehensus, potius quàm extensus, quacumque interpretatione, sensu, intelligentia, opinione, aut alia re in contrarium quomodolibet faciente non obstante.

Vicinis etiam fabricare volentibus, decernit alios vicinos domos, tã locari solitas, quam non, vendere debere vt hic. Tu vide eandem constit. Gregor. XIII. §. 5. & seq.

§.10. Præterea ne fabricare, suaque ædificia ad Vrbis ornatum ampliare volentes, propter loci defectum, cum interdum domos vicinas locari solitas, quas eis vigore literarum prædictarum emere liceat, non habeant, sed domus ipsæ vicinæ à propriis illarum dominis sint habitatæ, à suo proposito abstrahantur, & non possint propter situs carentiam, fabricas, & palatia, siue domos, vt aiunt requadrare, ideo statutum dicti Sixti prædecessoris super domorum locari solitarum, dominis ad illarum venditionem vicino seu vicinis fabricæ, domumque seu domos suas ampliare volentibus faciendam compellendis, vt præfertur editam, ad quascumque domos, hortos, terrena, etiam per proprios eorum dominos inhabitari solita, casu quo videlicet vicinus palatium, aut aliquam magni momenti fabricam, domum, hortum, seu terrenum vicini à duobus lateribus ad minus circumdantem, & domus, horti vel terreni conuicini pretium, seu valorem quadruplo excedentem inchoauerit, seu inchoatum perficere voluerit, etiam si tales domus, horti, & terrena quorumvis Monasteriorum, Ecclesiarum, vel Hospitalium, vel aliorum piorum locorum, extra tamen septa Monasteriorum, Ecclesiarum, aut piorum locorum huiusmodi, dictisque Monasteriis & aliis locis piis minime contigua existant, ita quod statutum Sixti huiusmodi non solum in locari, sed etiam casu prædicto in per proprios eorum dominos habitari solitis domibus, hortis, & terrenis locum omnino habeat, & ad vnguem obseruari debeat. Ac domini domorum, hortorum, & terrenorum ipsorum, etiam per eos habitatorum, ad illorum venditionem, vicino seu vicinis huiusmodi fabricam construere, seu perficere, volenti seu volentibus, & etiam in domo fabricanda, seu amplianda, non habitantibus, nec habitare solitis, per Camerarium & Magistros viarum præfatos pro pretio æstimando, & plus decima illius parte, & alias iuxta literarum Sixti & Leonis huiusmodi formam & tenorem faciendam arbitrio dictorum Camerarij, & Magistrorum, per eos etiam manu regia, cogi & compelli possint.

Idemq; seruari mandat in casalenis.

§.11. Et insuper Sixti prædecessoris statutum casalena per plures pro indiuiso possessa, & in maximum Vrbis detrimentum plerumque diruta vel discooperta, ita quod ipsi omnes consortes eorumdem casalenorum possessores ad dicta casalena restaurandum, & cooperiendum, ac inibi Magistrorum præfatorum arbitrio fabricandum, vel si & provt eisdem Magistris melius videbitur, vno vel pluribus ipsorum consortum fabricare volenti, seu volentibus, reliqui consortes fabricare nolentes vel differentes, ad suas portiones consorti, vel consortibus fabricare volenti, seu volentibus, pro pretio per peritos æstimando vendendum, & consors, seu consortes fabricare volens, seu volentes, ad portiones prædictas emendum, aut si nullus ipsorum fabricare voluerit, ipsi omnes ad dicta casalena, vicino seu vicinis domorum contiguarum pro pretio, vt præfertur, æstimando vendendum, ac idem vicinus seu vicini ad illa emendum per Camerarium & Magistros præfatos eorum arbitrio, etiam manu regia sub pœnis sibi bene visis respectiue compelli possint: & nihilominus contrauenientes caducitatis, & alias in præsentibus appositas pœnas incurrant, perpetuo extendimus & ampliamus.

Domosque iam dirutas, quam diruendas pro construendis viis & plateis, reaptari debere decernit.

§.12. Et cum multæ viæ in eadem Vrbe iampridem de nouo inchoatæ imperfectæ remaneant, ac in pluribus earumdem viarum locis, non solum illæ domus, sed ne parietes quidem, seu muri constructi reperiantur, & variis in locis domus ad inuicem diuisæ, distantes, separatæ & truncatæ remaneant, in eiusdem Vrbis non modicam deformitatem, & locorum eorumdem deturpationem, &

Digitized by Google

& (quod peius est) in dictis locis sic desertis, sordes, & immunditiæ passim proiiciantur; nos huiusmodi incommodis obuiare cupientes, volumus & ordinamus, vt in omnibus & singulis huiusmodi locis vnusquisque dominus, siue directus siue vtilis, in domo à se possessa, vel casaleno sic truncata, vel truncato, aut in situ, vel solo, aut alio loco suo proprio, saltem muro, seu pariete claudere, illamque illud, vel illum infra sex menses à die publicationis præsentium pro tempore faciendæ: in domibus vero de nouo incidendis, pro viis seu plateis construendis infra sex menses à die integræ satisfactionis, à Magistris vel aliis ipsis dominis domorum factæ computandos, muris, seu parietibus, saltem vsque ad primum solare, includere debeat, & teneatur sub pœna ad arbitrium eorumdem Magistrorum viarum imponenda per quemlibet contrauenientem, eo ipso toties quoties contrauenerit incurrenda. Et si loci ipsa sint censualia, siue emphyteutica, & Ecclesiis, Monasteriis, seu aliis locis, vel personis quibusuis respondentia, ipsa dictis sex mensibus elapsis, ad suos directos dominos cum eodem onere fabricandi, seu muro claudendi, dummodo si personæ Ecclesiasticæ sint eorum liberationem, siue affrancationem iuxta formam prædictarum literarum faciendam non impedierint, deuoluta sint, & esse censeantur: etiam si domus, situs, & casalena prædicta sint Ecclesiarum, Monasteriorum, seu piorum locorum quorumcumque. Et ita per quoscumque iudices iudicari debere mandamus. Possint tamen dicti viarum Magistri eumdem terminum sex mensium pro qualitate locorum, & personarum, vbi eis videbitur, prorogare.

Et inquilinos pensiones & census dominis illarum domorum soluentes in huiusmodi reuparatione exponere posse & debere declarat.

§. 13. Et nihilominus ex nunc quibusuis locorum præfatorum inquilinis, seu affictuariis, ne facta prius ipsis simplici dictorum Magistrorum inhibitione, & locorum eorumdem pensiones vel census dominis suis sub pœna iterandæ solutionis persoluant, sed eas & eos, etiam inuitis dominis, in expensis pro præmissis necessariis conuertant, & muros ad dictam altitudinem, si fat erit, perficiant, donec, & quousque in eisdem locis, vt præfertur, fabricatum fuerit, inhibemus pariter & interdicimus; quodque deinceps domini conductoribus ipsis illas bonas facere teneantur; & in euentum contrauentionis, ac soluta per ipsos inquilinos, seu conductores pensione, & dicto pariete ad minus vsque ad primum solare non perfecto, eosdem inquilinos seu conductores de suo proprio ad dictam constructionem teneri, & obligatos esse volumus, & etiam declaramus.

Dominosque domorum pro construendis viis inciſarũ vicinos etiam habitantes ad eas sibi vendendas cogere posse decernit, si domus inciſæ incommodæ effectæ sint, & a domino inhabitatæ. Vide ibid. in §. 6.

§. 14. Et in domibus ita inciſis, siue de nouo incidendis earum domini per nos ita sint grauati ad fabricandum, vel muro claudendum, vt præfertur, ad minus vsque ad primum solare, & multoties ipsi domini inhabitantes ex hac causa maximam recipiant incommoditatem, cum ex ipsa inciſione domus ipsorum remaneant incommodæ, idcirco in casu & casibus præfatis, vbi domus per dominos inhabitatæ pro viis, seu plateis construendis inciſæ fuerint, & sic incommodæ effectæ & refarcitæ, ibidemque intra sex menses, vel postea fabricarum fuerit, domos contiguas etiam per dominos inhabitatas, qui non fabricauerint præfatis dominis qui fabricauerint sic domos inciſas dominos præfatos vicinos, etiam habitantes, ad vendendum pro pretio per duos peritos, & in euentum diſcordiæ, per Magistros præfatos æstimando, & plus decima illius parte, vt præfertur per Camerarium & Magistros præfatos eorum arbitrio, etiam à tribus lateribus domos vicinorum non circumdantes, nec duplum nec triplum in valore excedentes, manu regia compelli posse volumus & etiam mandamus.

Et dominos ſituum vacuorũ fabricarũ in eis debere alioqui Magiſtros viarum eos alijs locare vel vendere posse vt ibi fabricetur mandare. Vide ibid. in §. 2.

§. 15. Cumque tam in dę Populo, & de Portugallo, ac Sanctiſſimæ Trinitatis, & Piæ nuncupatis, quàm aliis dictæ Vrbis viis, quamplurimi situs, seu prædia reperiantur muris, domibusque omnino vacui, quo fit vt viæ ipsæ lateribus sterni, seu pauimentari, & ad ornatum reduci nequeant, pariter sub pœnis præfatis, volumus, statuimus, & ordinamus, quod situum prædictorum domini infra eosdem sex menses in dictis sitibus, vel muros, vt præfertur, vel ædificia construere, seu construi facere debeant & teneantur. Ita quod lapso sex mensium termino præfati Magistri viarum situs præfatos, in quibus, vt præfertur, fabricatum non fuerit, quibuscumque personis ac pro pretio reperiendi, locare & concedere, seu si Camerario & Magistris ipsis melius videbitur, situs ipsos quibuscumque personis pro pretio huiusmodi in manibus eorum depositariorum ad effectum illud postmodum dominis dictorum situum consignandi, facta tamen per dominos præfatos ratificatione venditionis præfatæ per Magistros factæ, & datis idoneis cautionibus in forma, iuxta formam Statutorum Vrbis deponendo vendere & alienare libere & licite, ac valide etiam possint ad effectum prædictum.

Viculosque inter domos existentes, appropriari & occupari posse declarat, ab eis qui eos primo fabricauerint. Ad hoc vide etiam eamdẽ const. Gregor. XIII. in §. 3.

§. 16. Et quoniam in Alma Vrbe quamplurimi adsunt viculi latitudinis duorum vel trium palmorum, aut circa, in quibus variæ sordes & immunditiæ continuo iniiciuntur, & muri circumcirca existentes putrefactione corrupti, fœtorem, cum pestiferi & mali aëris generatione inducunt, adeo vt tempore procedente dicti muri corruant, & collabantur, & collapsi eiiciantur, vt deinceps vnicus murus pro vtroque latere domorum contiguarum inseruiat, sub eisdem pœnis, quod de cetero nemo cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existens, in, vel super muris huiusmodi trabes, aut tigna, seu quid aliud apponere, caminos, vel quidpiam aliud constituere, vel murum dicti viculi eleuare, seu aliquod ibi ædificium fulcire, aut alias illis vti vel inuti queat nec debeat. Muratoribus vero quibuscumque, ne de cetero sub exilij à toto Statu Ecclesiastico, & bonorum suorum confiscationis pœna, in dictis muris pro illorum reparatione, aut de nouo extructione, manum & operam apponere, vel quicquam operis ibidem facere, seu fabricare audeant vel præsumant. Et vlterius ad tollendos dictos muros & viculos, volumus quod ille ex vicinis, qui primus voluerit fabricare, possit (habita tamen à præfatis Magistris licentia, etiam absque alicuius pretij solutione cuiquam facienda) eosdem viculos sibi assumere, appropriare & vendicare, & super muro sui vicini tigna, lapides, cœmenta, & trabes, aliaque ad fabricam suam necessaria apponere, suamque fabricam desuper adaptare, & vt dicitur appodiare, & alias eodem muro communiter cum vicino per eumdem fabricare volentem medietate dicti muri ad æstimationem duorum peritorum per partes ipsas eligendorum, & in euentum discordiæ per Magistros viarum taxandi.

Et Cloacas, ſciacquatoria, &c. in vias aquam euomentia obſtruẽ debere.

§. 17. Et quia quamplurimæ domus eiusdem Vrbis quasdam paruas habent Cloacas, Clauichettas vulgariter nuncupatas, in viis publicis respondentes, & ab ipsis domibus aquam, & immunditias, in vias & loca publica euomentes, quibuscumque personis, vt infra eosdem sex menses sub dictæ caducitatis, & aliis pœnis præfatis, tàm cloacas, quàm etiam viculos prædictos, necnon quascumque latrinas, seu cantaras, & siccatoria, vulgo sciacquatoria nuncupata, & piscinas in vias publicas, & vicos seu viculos, aut plateas exeuntes, & respondentes obstruere; & si velint cantaras, in eorum cortibus seu cortilibus, & cancis, non autem in vel super viis publicis, seu plateis, fabricare debeant; ita quod inquilini domorum, & locorum huiusmodi præmissa ex pecuniis eorum pensionis, etiam inuitis dominis, & contra eorum voluntatem facere possint: & non facientes ad pœnam arbitrio præfatorum Magistrorum viarum imponendam teneantur. Et nihilominus omnes pensiones decursas, & præfatis dominis interim contra inhibitionem eis faciendam solutas consignare teneantur depositario dictorum Magistrorum viarum, ad effectum cloacas, aliaque prænissa claudendi, & cantaras, vt præfertur faciendi, inhibemus, præcipimus, atque mandamus.

Fideicõmiſſa quoque declarat, non impedire præmiſſorum executionem Quod habes etiã ibid. conſt. Gregor. XIII.

§. 18. Et cum in viarum, quæ pro tempore fiunt, constructione, ordinatione, & ampliatione, ac in domorum, casalenorum, & situum, siue partium eorum applicatione seu venditione, in omnibus casibus suprædictis, & aliis quomodolibet ex causis præfatis occurrentibus, interdum sit necesse domorum, seu locorum ad vsum viarum huiusmodi inciſorum, seu diuiſorum partes remanentes adiudicare, & multoties propter fideicommissa apposita dubitetur ne lites & controuersiæ oriantur, ad tollendum igitur litium materiam, huiusmodi fideicommissa ad effectum præmissorum (ita tamen, quod ea quæ fideicommisso subiecta erunt, sic adiudicentur,

Digitized by Google

quod pretiâ illorum in tot bonis ſtabilibus reinueſtiantur, quæ bona remaneant eidem fideicommiſſo ſubiecta eodem modo prout dicta bona ſic adiudicata antea ſubiecta erant) penitus & omnino tollimus, caſſamus, & amouemus, illiſque ad hunc effectum ſufficienter & expreſſe harum ſerie derogamus.

Canneta etiã & viridaria ad culturã reduci mandat. Vide ibid. in §.14.

§.19. Et cum Vrbs ipſa ædificiis, & viridariis ornata, & ſplendida eſſe debeat, intus verò, & extra, ac prope illã adſint quamplurima canneta deformitatem Vrbis generantia, aëriſque ſerenitatem & ſalubritatem, ac clarum fluminis conſpectum impedientia, & etiam male agendi opportunitatem, locumque ſubminiſtrantia, quod quicumque tàm extra per centum & quinquaginta cannarum diſtantiam prope, quàm intra mœnia eiuſdem Vrbis, necnon etiam in Angelica, & verſus flumen in Pontis Miluij viis nuncupatis, ac per viginti cannarum diſtantiam iuxta quaſcumque alias vias publicas canneta habent; illa, ac omnia canneta intus Vrbem exiſtentia, præter ea quæ ſunt extra vias publicas in locis abſconditis ſeu remotis infra præfatos ſex menſes ſub pœnis prædictis funditus extirpare, euellere atque tollere, ac ad terrenum & culturam vinearum, ſeu viridariorum reducere debeant.

Prata etiam ſita prope viã Angelicã, ad canneta vel hortos reduci prohibet.

§.20. Necnon cum Angelicam, ac Caſtelli nuncupatas vias, per vineas & prata, ad maximum Ciuitatis noſtræ Piæ per nos nouiter conſtructæ ornatum, fecerimus, intellexerimuſque quod nonnulli prata prædicta ad canneta, vineas, ac hortos facienda impudenter claudere cogitant. Ideo quod nullus in poſterum, etiam ſi proprietarius exiſtat, dicta prata ad alium vſum, præterquam ad paſcua, fœnumque colligendum deſtinare poſſit. Quodque omnes & quicumque, qui ab eo tempore, quo diuina fauente clementia ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpti fuimus, huiuſmodi prata reſtrinxerunt, ac ibi vineas, canneta, ſiue hortos fecerunt, ad illa in priſtinum ſtatum, nempe ad pratum reducendum, per Camerarium, & viarum Magiſtros præfatos cogi & compelli poſſint & debeant, præcipimus & ordinamus.

Hortoſque ibi factos praterquam carcioſolorum ad pratorum & vinearum vſum reduci mandat.

§.21. Et ſimiliter quia horti prope Vrbem conſiſtentes propter aquarum irrigationem, malum & peſtiferum ſolent generare aërem, & maxime in Burgo noſtro S. Petri, ac dicta Ciuitate noſtra Pia, ad cuius ornamentum, decorem, & aëris ſalubritatem ſummopere intendimus. Deſiderantes igitur, vt quemadmodum dictam Ciuitatem Piam muris & propugnaculis cinximus, & ab hoſtilibus offenſionibus ſecuram reddidimus, ita quoque aëris ſalubritate non careat, ſtatuimus, quod omnes horti exiſtentes in pratis extra portam Angelicam, (exceptis dumtaxat cardorum, vulgo carcioſolorum hortis, in quibus aquarum irrigatio nullo modo fit) penitus tollantur & aboleantur, ac ad vinearum & pratorum vſum reducantur, ſub caducitatis quoad dominos, & quoad inquilinos, ſeu affictuarios, ſub exilij, & bonorum confiſcationis, aliiſque dictorum Magiſtrorum viarum arbitrio infligendis pœnis.

Scalas quoque vias Vrbis impedientes de cetero fieri prohibet & factas tolli præcipit.

§.22. Et quoniam in variis Almæ Vrbis locis viæ publicæ diuerſis modis ſunt impeditæ, & inter alia à certis ſcalis, & baſtoni, vt vulgariter dicitur, factis, quæ multis in locis vias publicas fere per vnam cannam & vltra occupant, in maximum earumdem viarum præiudicium, & obſtaculum, adeo vt duo currus concurrentes commode pertranſire nequeant. Idcirco ſub præmiſſis & aliis arbitrio Camerarij, & Magiſtrorum præfatorum imponendis pœnis, diſtricte præcipiendo mandamus, vt in poſterum nemo quo minus via pro duabus thedis cocchiis vulgariter nuncupatis, concurrentibus, lata, ſpatioſaque remaneat, dictas ſcalas audeat ita componere, ſed tantummodo duos vel tres palmos vltra ianuam excedere: factas vero ſcalas præmiſſas, ad dictos duos vel tres palmos infra eoſdem ſex menſes ſub ſimilibus pœnis reducere & reſtringere vnuſquiſque debeat. Muratores autem ibi aliter operantes, exilij & bonorum confiſcationis pœnas incurrere & exoluere volumus.

Et hanc conſt. iuris congrui ad vineas & ceſalia intra 12. mill. ab vrbe extendit. Ad quod vide eandem conſt. Greg. XIII. in §.15.

§.23. Præterea cupientes, non ſolum ipſam Vrbem interiorem, ſed etiam illius ſuburbia, & circuitum, ac vineas decorari, cum nobis innotuerit nonnullos, pulchras & delicioſas vineas, ac poſſeſſiones, facere & ampliare volentes, à vicinis illis terrenum, aut vineas locari tamen, ſeu ad medietatem fructuum, vel alias dari & concedi ſolitas, ad id vendere nolentibus impediri, præfatis Camerario, & viarum magiſtris, vt quoſcumque ſiue ſæculares, ſiue Eccleſiaſticos, etiam ſi Monaſteria quorumuis, etiam Mendicantium Ordinum, necnon Eccleſiæ, Hoſpitalia, aut alia pia loca fuerint, terrena, vineas, aut canneta, locari tamen, aut ad medietatem fructuum, vel alias, vt ſupra dari ſolita, ab vna, non ſolita vero locari à tribus, ſeu duabus partibus circumdata, extra tamen ſepta Monaſteriorum eorumdem habentes vel habentia, ad illorum, in toto vel in parte, etiam pro vialium directura, & accommodatione facienda, arbitrio dictorum Camerarij, & Magiſtrorum venditionem vicinis illa ſic circumdantibus, & ampliare volentibus, pro iuſto & rationabili pretio per duos peritos per partes eligendos, & in euentum diſcordiæ, per præfatos Magiſtros, habita dictorum electorum relatione, æſtimando faciendam, etiam manu Regia, cogere poſſint & debeant, etiam ſi loca ipſa non ſint vel fuerint locari ſolita, & abſque vlla difficultate id etiam procedere volumus, in vinea, canneto, vel terreno ſic conuicino, vbi domus commoda pro domini habitatione non fuerit, concedimus & ordinamus. Necnon huiuſmodi noſtram ordinationem, non ſolum ad vineas, ſed etiam ad caſalia intra duodecim milliaria ab Vrbe conſiſtentia, ad dictæ Vrbis ornatum, & commoditatem dominorum caſalium extendimus, ac extendi debere præcipimus & mandamus. Cumque intellexerimus multa caſalia magnæ quantitatis rubrorum habere incorporata nonnulla terrarum portiones, aut petia modicæ quantitatis pedichæ vulgariter nominata: volumus etiam & ordinamus, vt quicumque caſale habuerit centum rubrorum, aut minus, & hoc maxime vbi aliquod nobile, ſiue commodum ædificium pro habitatione exiſtat, & aliquam pedicham vicinam & contiguam habeat; ſi ab vno latere tantum rubra centum, decem: & ſi à duobus, viginti: ſi à tribus, triginta: & ſi caſale excedat ſummam centum, ad dictam ratam, vt ſupra. Et ſi aliquod etiam multorum rubrorum caſale in alio incorporatum exiſtat, videlicet cum aliqua lingua, quatenus dicta lingua ſit incorporata, illam ſibi arbitrio dictorum Camerarij, & Magiſtrorum pro pretio per peritos æſtimando, & aucta decima parte pluris vendicare poſſit.

Scalas & curritoria vias publicas impedientia ſolui mandat.

§.24. Et inſuper eiſdem viarum Magiſtris, vt quoſcumque ad ſcalas quaſliber extra domos, & in viis, ſeu plateis publicis exiſtentes, quarum præſertim in Regionibus Tranſtiberinis, & Triuij, maxima adeſt copia, & quæ vias publicas non parum impediunt & occupant. Necnon ad mœniana, alias curritoria lignea, mignani vulgo nuncupata, extra muros domorum multum vel modicum ſe porrigentia & eminentia, in vias publicas proſpectum habentia, infra annum à die publicationis præſentium deſtruendum & tollendum ad arbitrio Camerarij, & Magiſtrorum eorumdem cogere & compellere. Necnon domorum inquilinis, vt penſiones per eos pro tempore debitas etiam inuitis dominis retinere, & in expenſas pro deſtructione ſcalarum & curritoriorum huiuſmodi neceſſarias abſque eo quod ad iteratam dominis ſuis ſolutionem teneantur, conuertere valeant & debeant. Quinimo inquilini ipſi dictas penſiones, donec ſcalæ & curritoria huiuſmodi ablata fuerint, poſt ſimplicem inhibitionem eis faciendam ſuis dominis ſub pœna ſolutionis dictis Magiſtris viarum iterato faciendæ nullatenus perſoluere poſſint; quod tamen vnicuique ferrea, ſeu lapidea mœniana quæ vulgo arenghetias, aut balauſtos vocant, habere liceat impune permittentes.

Porticalia demoliri aut muria claudi iubet.

§.25. Quodque quilibet infra annum prædictum ſuas porticus, ſeu porticalia, penitus & omnino deſtruere & demoliri, aut muris claudere habeant; dummodo porticus ipſæ non ſint modernæ & inſignes, iudicandæ & dignoſcendæ iudicio eorumdem Magiſtrorum viarum. Illæ vero porticus, quæ pro viarum dilatatione incidendæ erunt, ita manere tolerentur, quouſque per præfatos viarum Magiſtros exciſæ fuerint.

Hortoſque in caſamentis Vrbis exiſtentes muris claudi præcipit.

§.26. Et præterea, quod inter caſamenta, ſeu in locis eiuſdem Vrbis habitatis non liceat cuique habere hortos ſeu viridaria ſepibus concluſa, ſed illorum domini ſub pœnis prædictis illa muris circumdare teneantur.

§.27. Omneſque

Digitized by Google

Pontes ligneos transuersos in viis publicis amoueri mandat.

§. 27. Omnesque pontes lignei per vias publicas transuersi cum situm publicum occupent, & dictæ Vrbis ornatum offendant, infra eiusdem anni terminum, exceptis tantum illis, qui non in principalibus, sed transuersalibus viis, aut in viculis consistentes, visum & lucem non impediunt, iudicio eorumdem Magistrorum dignoscendis.

Pontellos in domibus ruinosis tolli iubet.

§. 28. Et vlterius omnes pontelli in quibusuis domibus ruinosis in viis, siue plateis existentes, infra sex menses à die publicationis præsentium per illorum respectiue dominos, seu inquilinos sub pœnis præmissis omnino tollantur & auferantur, auferrique debeant.

Artium diuisione & situationem in certis viis per Camerarium & Magistros fieri, & facta seruari præcipit.

§. 29. Et quoniam ad dictæ Vrbis decorem, & ornatum non parum cederet, si vnaquæque ars ab aliis artibus separata, & in vnum collecta ac vnita, suis loco & ordine collocaretur; & præcipue illa, quæ ad victum sic sparsa non est necessaria, cum artifices ipsius Vrbis quasi absque vlla distinctione inuicem confusi, absque maxima ordinis perturbatione, ornatusque & decoris publici præiudicio habitare noscantur, qui, quorumque tabernæ & officinę si in suis quique locis, & vicis segregatis ordinarentur, tàm Vrbis ornatui, quàm etiam illorum commoditatibus non parum consuleretur, vt omnis inter eos confusio amoueatur, & ipsi ab inuicem iuxta species suas separati, in quantum poterit, decorem Vrbi deferant, simul & commoditatem. Ideo quod quoties, & postquam per Cameram & Magistros viarum huiusmodi Artium diuisio & situatio statuta & ordinata fuerit, quicumque artifex cuiuscumque artis & exercitij in aliquo vico, via, aut platea dictæ Vrbis, vbi suæ artis exercitium magis vigeat, & constitutum fuerit, vt præfertur, habitare voluerit, possit quemcumque alium cuiuscumque alterius à suo diuersi exercitij artificem inibi commorantem, seu commorari volentem, expellere & eiicere, ac expelli & eiici facere, & in illius locationes, dũmodo ad longum tempus, seu ad vitam, vel generationem non sint, factas, subintrare pro eodemmet pretio, data tamen cautione de exercendo dictam suam artem in dicto loco ad minus per annum, & vltra arbitrio Camerarij, & Magistrorum viarum præfatorum, exceptis tamen semper dominis in propriis domibus habitantibus. Et ad euitandas controuersias, possint ipsi Camerarius, & viarum Magistri, semper & quandocumque arbitrio suo decernere & declarare, quæ ars in vno loco magis vigeat, quàm altera, ac etiam artificij inquilino sic pro tempore expellendo, vnius mensis, aut longiorem ipsis Magistris beneuisum terminum ad euacuandum præfigere. Et insuper fines, limites, & vicos, infra quos vnaquæque ars, & illius artifices suo ordine stare & consistere debeant, constituere & declarare, prout & quando eis videbitur & placuerit, perpetuo statuimus, mandamus, & ordinamus.

Candelariorum, Cordariorum, & Vaccinariorũ artes prope flumen exerceri mandat.

§. 30. Et quia aeris putrefactio non solum ex malis humoribus & immunditiis, sed etiam ex malis odoribus & fœtoribus generatur, sicque ars Candelariorum diffusa per Vrbem tetrum putorem reddens, multum noceat Ciuitati; Idcirco quemadmodum artes vacinariorum, seu coriariorum, necnon artificum chordas musicales ex animalium fibris facientium malum reddentes odorem, ad fluminis Ripam separatæ reperiuntur, ita & dictam Candelariorum artem, vt is putor exhalationem habeat, prope flumen ad Sixti, siue quatuor capitum, aut Sanctæ Mariæ nuncupatos Pontes, vbi Camerario, & viarum Magistris præfatis magis videbitur expedire, infra mensem à die publicationis præsentium sub confiscationis omnium bonorum ipsorum Candelariorum, & aliis etiam in eorum personam arbitrio Camerarij & Magistrorum præfatorum infligendis pœnis reduci, ac in locationes aliis personis ibi factas, prout eisdem Magistris videbitur, subintrare debere, volumus & mandamus.

Et vias Vrbis non amplius silicibus, sed coctilibus lateribus, sterni præcipit.

§. 31. Et quoniam Vrbs ipsa nimium est humiditati subiecta, sicque in certis partibus silicibus strata humidior efficiatur; Proptrerea omnibus & singulis muratoribus sub exilij, aliisque pecuniariis, & etiam corporalibus dictorum Magistrorum arbitrio infligendis pœnis, dominis vero sub ducentorum ducatorum, vt præfertur, applicandorum pœna, ne deinceps viam silicibus sternere, seu aliquas silicatas ante domos suas facere audeant seu præsumant, inhibemus. Volumus autem, quod omnes viæ ipsius Vrbis coctilibus sternantur lateribus, vna cum suis interlineis, quas guidas vocant, piperino, tiburtinis, aut siliceo lapide, arbitrio dictorum Magistrorum; nec sint aliquo pacto interuisatæ, sed in vnaquaque via sint omnes guidæ ex piperino, tiburtino, aut siliceo lapide.

Camerario, & Magistris dat facultatẽ cogendi dominos possessionũ contiguarum viis principalibus, ad ibi struendũ muros, &c.

§. 32. Et insuper præfatis Magistris viarum in perpetuum, & pro decore eiusdem Vrbis, ac structura viarum principalium, præsertim intus & extra Vrbem in via Flaminia, de Populo nuncupata, infra vnum miliare dominos vinearum, & aliarum possessionum viis ipsis contiguarum, ad muros & alia pro dictarum viarum principalium structura & decore, arbitrio Camerarij, & Magistrorum eorumdem necessaria conficiendum, fabricandũ, & resarciendum, vel ratam expensarum ipsos dominos, & quemlibet ipsorum pro prædictis, & eorum singulis respectiue quomodolibet tangentem, soluendum, & seu depositandum, prout ipsis Magistris videbitur. Et si aliquis, vel aliqui dictorum dominorum muros construere, aut alia, vt præfertur facere, vel dictam ratam soluere recusauerint, præfati viarum Magistri pro celeriori expeditione ipsos dominos sic renitentes & morosos, ad suas vineas, siue possessiones, in toto vel parte alteri, seu aliis pro iusto & rationabili pretio, vt supradictum est, æstimando, vendendum, etiam manu Regia cogere & compellere.

Et dubiis super præmissorum intelligẽtia earum arbitro dissoluendi.

§. 33. Ac ad tollendas disputationes, iidem Camerarius & Magistri viarum, omnes & singulas, ac quascumque difficultates, & dubia, quæ super præmissis, aliisque omnibus & singulis in præsentibus contentis, & descriptis, ac illorum sensu, intelligentia, vel significatione oriri quandocumque contigerit, interpretari & dissoluere arbitrio suo libere & licite possint & valeant, licentiam, facultatem, potestatem, & auctoritatem omnimodam impartimur.

In quib. causis ab eis non appellatur.

§. 34. Præterea statuimus, & de nouo etiam ordinamus, quod in causa sternendarum viarum huiusmodi, præfati Magistri sint meri iudices & executores; ac ab eorum decretis & mandatis in hac parte, sicuti in causa mercedis, non possit quoquo modo, nisi facto actualiter deposito penes Notarium ipsorum Magistrorum in pecunia numerata, consignando postea actori, vel restituendo reo, prout deinde per Camerarium, seu Viarum Præsidem, ad quem recursum fuerit, esset, vel erit iudicatum, appellari, vel recursus ad quempiam, etiam pro tempore existentes Camerarium, Clericos, vel præsidentes Cameræ Apostolicæ, aut quoslibet alios iudices haberi; sed mandata præfata executioni demandari debeant, non obstantibus quibuscumque significationibus per prædictos, vel quoscumque alios forsan faciendis.

Causasq; dictis muratoriis eisdem Magistris audiendas committit ijsdem.

§. 35. Et vt eorumdem Magistrorum viarum officium in sua auctoritate & dignitate, prout decet, habeatur; illorumque mandata diligentius executioni demandentur, & causæ super arte muratoria pro tempore nascentes sagacius & maturius veluti per expertos, & pro minori partium dispendio decidantur, omnes & quascumque causas, lites, quæstiones, controuersias, & differentias, tam inter quoscumque muratores, & fornaciarios, quàm eos & quoslibet alios artifices aut alias, tam ecclesiasticas quàm sæculares personas super dicta arte muratoria, & rebus ad illam quomodolibet pertinentibus; ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus tam actiue quàm passiue mouendas, cum omnibus & singulis suis incidentibus, dependentibus, emergentibus annexis & connexis, ac toto negocio principali per præfatos Horatium Narum, & Hieronymum Pichum, modernos & pro tempore existentes Magistros viarum dictæ Almæ Vrbis qui coniunctim procedere debeant, simpliciter & de plano ac sola facti veritate inspecta, etiam si, & quando eis videbitur, sine strepitu & figura iudicij, nullaque tela iudiciaria seruata, etiam manu Regia procedendo, audiendas, cognoscendas, decidendas, fineque debito terminandas esse, & fore decernimus, volumus, statuimus, declaramus & ordinamus. Non præiudicando tamen, nec derogando prædictarum artium Consulatibus; ita tamẽ quod à sententiis ipsorum Cõsulum non possit ad aliquod aliud Tribunal appellari, nec recursus haberi,

Digitized by Google

præterquam ad Magiſtros viarum præfatos, & dictæ Vrbis Conſeruatores, ſeu Camerarium noſtrum. Cum poteſtate citandi & inhibendi, quos, quibus, vbi, quando, & quoties opus fuerit, etiam per edictum publicum; conſtito ſummarie, & extraiudicialiter de non tuto acceſſu, vel abſentia, aut latitatione, ſub pecuniariis, aliiſque ipſorum Magiſtrorum viarum, & Conſeruatorum reſpectiue arbitrio imponendis & moderandis pœnis. Et in euentum non paritionis, inobedientes pœnas ipſas incurriſſe, vnica tantum citatione præuia, declarandi, & ab eis exigendi: dictaſque cauſas in quocumque ſtatu reaſſumendi, omniaque alia & ſingula deſuper neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, & exequendi. Ita tamen quod neque Gubernator neque Vicarius dictæ Vrbis, neque Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditor, neque eiuſdem Vrbis Senator, nec Præſidens Ripæ ſeu Ripettæ, neque (præter tamen Camerarium noſtrum dumtaxat) quicumque alius, vel alij eiuſdem Vrbis vel extra eam vbilibet conſtituti iudices ordinarij vel extraordinarij, delegati vel ſubdelegati, aut quæuis aliæ perſonæ cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, etiam ſi Cardinalatus honore præfulgeãt, & etiam habeant priuilegia, vel indulta, quod ipſi ſint iudices vel protectores aliquarum Societatum, vel locorum etiam piorum, aut cauſarum illorum Auditores, quatenus ipſi viarum Magiſtri in cauſarum huiuſmodi cognitione præuenerint, cauſas artis muratoriæ huiuſmodi nullatenus, in toto vel in parte audire, cognoſcere, decidere, ſeu ſe in illis quomodolibet, & quouis prętexru intromittere poſſint, neque debeant, & quicquid ſecus factũ fuerit, irritum ſit & inane, ac pro infecto habeatur, & per prædictos viarum Magiſtros ſi præuenerint, vt præfertur, omnino reuocari quandocumque poſſit (ſaluo tamen quod Clerici & Præſidentes Cameræ Apoſtolicæ ſe in huiuſmodi cauſis iuxta Pauli III. literas prædictas dumtaxat, & nõ alias intromittere poſſint) perpetuo committimus, & mandamus, ac eoſdem Magiſtros viarum, cauſarum, & litium huiuſmodi Iudices, & executores ſpeciales, & generales, ita quod in eis, vt præfertur, alte, & baſſe procedere valeant, conſtituimus, & deputamus. Saluo tamen recurſu, ſi partes voluerint ad ipſum Camerarium.

Et hanc conſt. in Camera recipi & regiſtrari mandat.

§. 36. Mandantes propterea dilectis filiis Vitellotio S. Mariæ in Via lata, Diacono Cardinali Vitellio nuncupato, modetno & pro tempore exiſtenti Camerario, & Præſidentibus, & Clericis præfatis, quatenus ſtatim viſis præſentibus nullo alio deſuper à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, aut dicta Sede, ſeu aliundecumque expectato mandato, omni mora, dilatione, & contradictione ceſſantibus, eaſdem præſentes in dicta Camera recipiant, & admittant, ac in illius libris regiſtrari mandent, illaſque inuiolabiliter, & ad vnguem, in omnibus & per omnia perpetuo obſeruent, ac ab omnibus & ſingulis obſeruari faciant realiter & cum effectu.

Clauſulam præſeruatiuã apponit.

§. 37. Ac præſentes literas perpetuo durare & valere, perpetuique roboris firmitate ſubſiſtere, neque de ſubreptionis vel obreptionis, ſeu nullitatis, aut quod præmiſſa, & quodlibet præmiſſorum non fuerint vſu recepta, aut alio quocumque vitio, ſeu etiam intentionis noſtræ, vel eiuſdem Sedis, aut quouis alio defectu notari vel impugnari, neque etiam per nos vel ſucceſſores noſtros, aut dictam Sedem reuocari, alterari, ſuſpendi, modificari, aut illis in aliquo derogari vnquam poſſe.

Decretum irritans addit.

§. 38. Sicque in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & ipſius Eccleſiæ Romanæ Cardinales, etiam Legatos de latere, ſublata eis quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari & definiti debere. Ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus & declaramus.

Executores deputat.

§. 39. Quocirca Venerabilibus fratribus noſtris Oſtien. & Portuen. ac Tuſculanen. Epiſcopis per Apoſtolica ſcripta Motu ſimili mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut vnus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Magiſtrorum viarum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis omnibus & ſingulis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra eoſdem viarum Magiſtros approbatione, confirmatione, innouatione, ſingulis ſtatutis, voluntatibus, ordinationibus, extenſionibus, ampliationibus, mandatis, præceptis, inhibitionibus, interdictis; conceſſionibus, indultis, commiſſionibus, deputationibus, decretis, declarationibus, reuocatione, aliiſque præmiſſis, iuxta præſentium tenorem pacifice frui & gaudere. Non permittentes eos, vel ab eis cauſam habentes, per Camerarium, Præſidentes, & Clericos præfatos, aut quoſuis alios quacumque auctoritate fungentes, contra præmiſſa, vel eorum aliquod quomolibet indebite moleſtari, inquietari, vel perturbari. Contradictores quoſliber, inobedientes & rebelles per cenſuras & pœnas eccleſiaſticas, ac alia iuris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo; inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Clauſula derogatoria.

§. 40. Non obſtantibus præmiſſis, ac certa per nos dudum Motu ſimili edita ſuper pœnarum per eluſores, qui fabricas præmiſſas non fecerunt, nec faciunt, incurſarum ampliatione, impreſſioni librorum de ordine noſtro à Ciuitate Venetiarum ad Vrbem traductæ, facta, ſiue conceſſa, quam tenore præſentium, quo ad præmiſſa, omnino reuocamus. Ac etiam noſtra de non tollendo iure quæſito, necnon recolendæ memoriæ Pauli Secundi, & Pauli Quarti de rebus eccleſiaſticis non alienandis, ac alienatis recuperandis. Necnon Bonifacij Octaui etiam Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, de vna & duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur, necnon aliis quibuſuis Apoſtolicis, ac in generalibus, prouincialibus, & ſynodalibus Conciliis, editis & edendis conſtitutionibus, & ordinationibus ac Vrbis & Curiæ Romanæ, ac Cameræ Apoſtolicæ, eiuſdemque Curiæ Tribunalium, ac quarumuis Eccleſiarum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, & aliorum piorum locorum, necnon Ordinum, Conſulatuum, & Societatum, ac vniuerſitatum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ſtylis, vſibus, naturis, decretis, capitulis, & etiam nouis reformationibus, legibus Pontificiis & Imperialibus, ſacris Canonibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, illorumque reſpectiue Populo, Ciuibus, incolis, & ſuperioribus, ac tam ſupranominatis, quàm quibuſuis aliis perſonis, & etiam iudicibus eccleſiaſticis & ſæcularibus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, etiam motu & ſciẽtia ſimilibus, vel ad quorumuis inſtantiam, in genere & ſpecie, ac etiam conſiſtorialiter, & alias quomodolibet conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum tenores, formas & decreta in eis appoſita, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in eis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, motu & ſcientia ſimilibus, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ac ſufficienter derogatum fore & cenſeri, volumus & decernimus. Necnon omnibus illis, quæ Sixtus, Leo, & Paulus III. prædeceſſores præfati in eiſdem ſuis literis non obſtare voluerunt, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus, communiter vel diuiſim ab eadem ſit. Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Et quia difficile foret præſentes ad ſingula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quod illarum tranſumptis, ſeu copiis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & alicuius Prælati ſigillo munitis eadem

Digitized by Google

eadem prorsus fides, etiam in iudicio adhibeatur, quæ præsentibus si vbicumque forent exhibitæ, vel ostensæ, adhiberetur.

Forma & effectus public. quam habes in fin.

§. 41. Et ne quispiam vllo vnquam tempore præsentium ignorantiam prætendere possit, volumus, & eadem auctoritate decernimus quod ipsæ præsentes literæ in Cameræ Apost.& Curiæ Capitolij valuis,ac in acie Campi Floræ de Vrbe, per aliquem ex Cursoribus nostris affixæ, copia illarum ibi dimissa, vniuersos & singulos, quorum interest,intra mensem à die affixionis huiusmodi computandum, perinde afficiant, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Sanctio pœnalis.

§. 42. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, innouationis, decreti, statuti, ordinationis, applicationis, declarationis extensionis, ampliationis, mandati, interdicti, ablationis, cassationis amotionis, reuocationis, præcepti, inrentionis, permissionis, concessionis, inhibitionis, impartitionis, commissionis, constitutionis, deputationis, derogationis,& voluntatis,infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D. P. An. 6. 23. Augusti.

Dat.Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ 1565. decimo Kal. Septemb. Pont. nostri Anno sexto.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. 1565. Indictione 8. die vero 5. mensis Decemb. Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. anno. 6. præsentes literæ Apostolicæ in quaterno foliorum in totum (computato præsenti) triginta duorum publice affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Cameræ Apost. Curiæ Capitolij, & acie Campi Floræ. dimissis ibidem in singulis locis præfatis respectiue, præsentium literarum copijs, vt moris est, affixis, per nos Bernardinum Andreutium, & Iulium Parinum, præfatis Sanctiss. Domini Nostri Papæ, & Apostolicæ Sedis Cursores.

Philibertus Capuis Mag. Curs.

CIII. Approbatio plurimarum declarationum ad Regulam Fratrum Minorum Conuentualium Ordinis S. Francisci, in eorum Generali Capitulo editarum, ad ipsius Ordinis reformationem.

Aliæ extant pontificiæ declarationes d. Regulæ, & nonnullæ d. Ordinis reformationes, quas indicaui sup. in const. 5. Honorij III. Solet. *supra vbi plene notaui.*

Alias Constitutiones ediderunt isti Fratres in Capitulo generali celebrato anno 1625. quas Sanctiss. D. N. Vrban. VIII. ceteris Constitutionibus, istis nouis repugnantibus abrogatis approbauit, & Vrbanas Constitutiones dictas confirmauit in const.88. *Militantis.* inf. tom.4.

Edita An. D. 1565.

PIVS PAPA QVARTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

SEdis Apostolicæ copiosa benignitas piis quarumlibet regulari sub castimonia Domino militantium personarum votis libenter annuit, & illis quæ pro earum felici statu & reformatione processisse comperit, vt illibata persistant libenter Apostolici adiicit muniminis firmitatem.

Deputatio Cardinalium pro reformatione huius Ordinis, & editio cõstitutionum defuncbr factarum.

§. 1. Sane cum nos nuper considerantes quam vberes fructus in Dei Ecclesia facer Fratrum Minorum Ordo ab eius institutione produxerit, & quantos in dies productus sit, si ad pristinam maiorũ suorum normam per nouitatem, seu reformationem vitæ restitutus foret, quibusdã ex dilectis filiis nostris S.R.E.Cardinalibus, & præsertim dilectis filiis nostris Carolo tituli S.Praxedis Borromæo Protectori, & Ludouico tituli S.Cyriaci in Thermis Viceprotectori eiusdem Ordinis presbyteris Cardinalibus Symoneta nuncupatis ipsius Ordinis reformationem curandam commiserimus, quibus negotium ipsum tantæ curæ fuit, vt dilectum filium Antonium de Sapientibus de Augusta eiusdem Ordinis Generalem, & Ministros, nonnullosque Fratres eiusdem Ordinis, tunc congregatos in eo Capitulo generali Florentiæ nuper celebrato, in quo idem Antonius in ipsius Ordinis Generalem ad triennium electus, & deinde à nobis ad aliud triennium, supplicationibus Ministrorum Prouincialium dicti Capituli nobis humiliter porrectis confirmatus fuit, ad nonnulla statuta, & ordinationes negotium huiusmodi concernentia edenda, adduxerint, ac multa ptiori professioni adiunxerint, ac veterem disciplinam renouauerint, nihilque prætermiserint quod ad exactam suæ professionis completionem visum fuerit opportunum, provt in publicis documentis desuper confectis plenius dicitur contineri.

Confirmatio huius Pontificis, ipsarum const.

§.2. Nos qui ipsum Antonium, petitione, supplicatione, & consensu dicti Capituli Generalis sponte accedentibus, ad aliud triennium in eiusdem Ordinis Generalem deputauimus, statutorum, & ordinationum huiusmodi, de quibus certam notitiam habemus, veriores tenores præsentibus pro expressis habentes, cupientesque, vt dictus Ordo, quem in visceribus gerimus charitatis, ad suum pristinum statum, seu viuendi normam reducatur suosque speratos longe vberiores producat fructus, Motu proprio non ad alicuius nobis desuper hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, ac ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, quæcumque statuta, ordinationes, declarationes, electiones, & electionis huiusmodi modos, validationes, petitiones, supplicationes, concessiones, deputationes, prohibitiones, inhabilitationes, amotiones, dispensationes omniaque, & singula in dicto Capitulo Generali circa dicti Ordinis reformationem facta & gesta, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus illisque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, ac ea perpetuis futuris temporibus per quoscumque ipsius Ordinis Superiores, & alias personas sub pœnis in illis adiectis inuiolabiliter obseruari mandamus, ac omnes, & singulos tàm iuris, quam facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem supplemus, sicque per eosdem Superiores, & quoscumque eiusdem Ordinis Ministros, nunc & pro tempore existentes obseruari, & iudicari debere necnon quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Contrariorum derogatio.

§.3. Non obstantibus quibusuis Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, statutisque,& consuetudinibus ipsius Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis dicto Ordini, necnon illius Superioribus, Ministris Conuentibus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, indiuidua, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda esset, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, omniaque contra reformationem huiusmodi hactenus concessa & edita reuocamus, & annullamus, ceteriisque contrariis quibuscumque.

D. P. A. 6. die 17. Septembr.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die 17. Septemb. 1565. Pontificatus nostri Anno 6.

Sequuntur ista Constitutiones Reformationis.

CAP. I.

Verba Cap. 1.

REgula, & vita Fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini Nostri IESV CHRISTI Sanctum

Digitized by Google

Euangelium obseruare, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate.

1. *Declaratio, quod Regula S. Francisci renouat professionē Euangelij*

Per hæc verba Seraphicus Pater noster voluit nos docere, quod regula, & vita quam profitebatur, non erat res noua, sed procul dubio renouata professio Euangelici instituti.

2. *Declaratio super Obedientia,*

Viuendo in obedientia. Non solum Dei mandata, sed hominum etiam propter Deum exequendo. Nam & Christus Saluator noster factus est obediens vsque ad mortem.

3. *Super proprietate.*

Sine proprio. Quia, vt dictum est in præfatione, Fratres Minores numquam habuerunt quicquam quod possiderent, vel quo vterentur tamquam proprio; ita dicebat de seipso Christus, vulpes foueas habent, &c. Et de Apostolis scriptum est, multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

4. *Super castitate.*

Et in castitate. Qua B. Franciscus voluit Fratres suos ceteris præstare, iubens vt nedum mente & corpore casti essent, sed etiam ne haberent cum mulieribus suspecta consortia, & ne ingrederentur Monasteria Monacharum, provt infra dicetur. Duo in hoc capitulo notantur. Primum, vt vota ista obedientiæ, paupertatis, & castitatis inuiolabiliter obseruentur, pro quorum exequutione ponuntur ordinationes, quæ continentur in sequentibus capitulis. Secundum quod eo modo, quo B. Franciscus promittit obedientiam Beatissimo Domino Papæ Honorio, & successoribus suis, ita Fratres agnoscant se subditos Romano Pontifici, & post ipsum Superioribus Ordinis, Generalibus, Prouincialibus, Custodibus, Guardianis, &c. Hæc autem non ex sua voluntate solum cum illis visum fuerit, sed maxime ex voto, quo adstricti sunt semper, & vbique.

CAP. II.

verba Cap. 2.

Si qui voluerint.

1. *Declaratio super licentia recipiendi Nouitios. Tu vide bullā 71. Sixt. V. Cum de. vbi notabo.*

In hoc capitulo sunt tres articuli principales. Primus de recipiendis ad Ordinem Fratribus. Secundus de Apostatantibus ab Ordine. Tertius de Fratrum indumentis. Circa primum ponuntur infrascriptæ constitutiones ex decreto Generalis Capituli. Non liceat alicui Conuentui, vel loco, pueros ad Ordinem recipere, neque habitum illis dare, sine Generalis, vel Prouincialis expressa licentia; quæ non detur, nisi prius de puerorum indole constiterit, & quod de parentibus bonæ famæ orti fuerint.

2. *Super eorumdem educatione, & ætate.*

Nouitij, qui sument habitum in quocumque Monasterio ante ætatem completam sexdecim annorum, mittantur statim à suo Superiore in certum Conuentum, seu Seminarium, vnum vel plura, quæ Nouitiatus vocamus. Qui separati sint à locis & habitatione professorum, atque ibi cum suis Præceptoribus, & Rectoribus à Capitulo deputandis morantes educentur, & instruantur in timore Dei, ac bonis disciplinis & moribus. Atque hac de causa in quacumque Prouincia ex custodia, vbi commode fieri poterit, multiplicentur dicti Nouitiatus, & maneant ibi pueri vsque ad ætatem dictam annorum sexdecim.

3. *Super Cura Professorū non promouendorum ad Ordines.*

Professi etiam, qui non fuerint in sacris Ordinibus constituti, quantum fieri poterit, sua loca, & certum præceptorem habeant, qui eamdem curam, quæ de Nouitiis habetur, de illis gerat. Neque huiusmodi professi per Vrbem, vel claustra vagari permittantur.

4. *Declaratio super subuentione danda à Conuentibus.*

Teneantur vero natiui puerorum, & professorum Conuentus, iis Conuentibus qui præfatos nutrient, succurrere iuxta taxam à Superiore imponendam.

5. *Declaratio super occupatione Fratrū non literatorum.*

Qui autem minus apti ad literas inuenti fuerint, occupentur musica, & in seruitute Conuentuum, vel etiam in aliqua arte viris religiosis non contraria, vt puta in arte pictorum, tonsorum, hortulanorum, & similium.

6. *Declaratio super destinatione seruientium.*

Et vbi non fuerint huiusmodi professi, inseruiant Fratres iuniores, licet fuerint Sacerdotes: melius tamen esset, vt in quolibet Conuentu induerentur aliqui laici, & illis prouideretur de victu & vestitu iuxta condecentiam eorum status, quemadmodum in plerisque locis fieri consuquit.

7. *Super ætate emittentium professionem & promouendorum ad Ordines.*

Pueri non admittantur ad professionem, nisi post decimum sextum annum suæ ætatis expletum, iuxta decretum Sanctæ Tridentinæ Synodi; iuxta quam etiam ad sacros Ordines admittentur, non solum quantum ad ætatem, sed etiam quantum ad sufficientiam, & probitatem: ad Subdiaconatum quidem post annum vigesimum secundum, ad Diaconatum post vigesimum tertium, ad Presbyteratum post vigesimum quintum. Professionem vero in libro ad hoc deputato, adolescentes & alij profiteri volentes sua manu subscribant; quem librum singuli Conuentus particulariter habere teneantur. Et qui professionem solemnem non emiserint, non possint promoueri ad sacros Ordines.

Ad hoc & precedentia Capit. attende etiam cōst. 71. Sixt. V. Cum de. cum ibi notand.

8. *Super numero Fratrum cuiusque Cōuentus. Tu vide etiā bullam Pauli V. num. 7.*

Is quoque tantum numerus Fratrum in singulis Conuentibus, & locis admittatur, qui ex redditibus propriis Monasterij, ac consuetis eleemosynis commode possit sustentari. Nec ab eorum parentibus, propinquis, aut curatoribus aliquid ex eorum bonis, quocumque prætextu ante professionem accipiatur, excepto victu, & vestitu pro tempore quo in probatione fuerint.

9. *Super receptione Fratrū alterius Ordinis.*

Fratres vero alterius Ordinis, aut etiam eiusdem Ordinis, qui tamen diuersas habent obseruantias seu viuendi modum, non recipiantur, nisi à Generali Capitulo, explorata prius eorum vita, & quod ab arctiori instituto non discedant, fuerint approbati.

10. *Super delatione Habitus. &c.*

Circa secundum, vbi dicitur, Et nullo modo licebit eis de ista religione exire, &c. Licentia exuendi habitum, aut subtus ferendi nulli omnino concedatur; sed nec morari cum habitu extra claustra sui Ordinis cuiquam permittatur, nisi forte apud aliquos Prælatos, aut alios, causa lectionis, aut prædicationis, seu alicuius pij operis, de licentia sui Superioris iuxta sess. 25. cap. 4. Et si qui hactenus extra sunt absque licentia suorum Superiorum reuocentur iuxta bullam D. N. Pij IV. reuocatoriam priuilegiorum Datam 13. Calend. Martij 1564. Contumaces vero excommunicentur, & nisi paruerint, subiiciantur Ordinario puniendi. Qui vero de Superiorum licentia alicui Prælato, Principi, aut Vniuersitati seruient, obedientiæ, & correctioni Superiorum subiaceant semper.

11. *Super exitu à claustro, & de Prouincia.*

Nulli etiam licet exire claustra eius loci vbi de familia degit, absque licentia sui Guardiani, qui causam cognoscat, & comitem illi pro suo arbitrio eligat: habeatur tamen ratio virorum insignium, & graduatorum. Neque aliquis discedat ex Custodia, sine Custodis licentia, vt constitutiones generales, & Benedictus XII. præcipiunt. De Prouincia vero nonnisi de Magistri Prouincialis licentia, siue eius Commissarij in scriptis obtenta, neque causa accedendi ad Superiorem Prælatum. Qui contrafecerit, vltra pœnam à sancta Synodo Tridentina statutam, etiam in Ordine pœna carceris per mensem, & vnius publicæ disciplinæ opprobrio mulctetur, atque secundum Alexandrinas constitutiones ad Conuentum, Custodiā, siue Prouinciam suam confusibiliter remittatur, Seruetur omnino decretum earumdem constitutionum, quod ita dicit: Inhibetur insuper Ministris iuxta generalia statuta, vt nulli licentiam, ad Romanam Curiam tribuant, etiā causa deuotionis accedendi (ne detur occasio vagandi) nisi in Capitulo de consensu Definitorum, & nisi fuerit vir probus, & moribus grauis, vel vrgeat magna necessitas Prouinciæ, Conuētus, vel Monasterij; & si fieri potest, nullus Romam accedere permittatur, nisi cui fuerit à Generali Ministro concessa licentia specialis. Hactenus decretū. Si quis vero Minister, huiusmodi licentiam aliter quam supradictum est, dederit, officio suo priuetur: si autem quis sine licentia Romam fuerit, eum reuertentem, etiam si literas commendatitias habeat, Prouincialis in carcerem tradat, & disciplinatum à sua custodia proscribat.

Ad hoc vltimum habes, etiam Sixt. V. cōst. 71. Cum de,

12. *Super mansione Fratrū in Conuentibus natiuis.*

Qui claustris morantur, non permittantur diu manere in suis natiuis Conuentibus, nisi viri graues, & valde senes. Iuuenes vero alibi collocentur, & nullus aduersus Superiorem per hoc reclamare præsumat, sed humiliter iussa faciat.

13. *Super colore vestimentorū.*

Circa tertium, De vestimentis infrascripta statuuntur. Vt in vestimentis sit modus, neque eorum luxus, siue colorum varietas, infames apud laicos Fratres reddat, omnes Fratres pannis communibus subnigri coloris induantur, vel saltem iis rasciis, quæ duplices vocantur, & tales vt panni videantur, quæ etiam ad obscuritatem tendant.

Ceteri

Digitized by Google

Cæteri omnes panni,& rasciæ(nisi pro habitibus,qui subtus deferuntur)abiiciantur, & illis vti non liceat.

14. *Super delatione Chirothecarum, &c.* Nullus cothurnos albos,siue borzachinos deferat,nullus birretum in Ecclesia, vel per Ciuitatem gestet, neque etiam Chirothecas, nisi in itinere. Qui contrafecerit post rerum priuationem, etiam à Conuentu expellatur; ita fiet de iis, qui aliquod indumentum vanum, & aliquo vano artificio elaboratum gestauerint.

15. *Super delatione Mantellorum.* Pallia,siue mantelli non deferantur cum manicis, siue ornati orbiculis,sed sint simplices,& longiores,& singuli Sacerdotes vnum habeant.

16. *Super delatione Vestium, quæ subtus portantur, & Cordarum.* Vestimenta etiam,quæ subtus deferuntur,nonnisi honesta sint,& coloris Ordinis nostri.Et tunicæ apertæ non deferantur. Atquæ cordæ sint rudes, & communes, non laneæ, aut aliqua curiositate confectæ: super quibus omnibus singuli Prouinciales diligenter inuigilabunt.

17. *Super supellectili in Cellis. Ad hoc habes etiã in const. 66. Pij V.* In Cellis, seu Cameris Fratrum,non liceat supellectilem aliam quam necessariam, & professioni paupertatis congruentem habere.

Cap. III.

Verba Cap. 3. Clerici faciant diuinum officium,&c.

1. *Declaratio super recitatione efficij.* In hoc Capitulo sunt tres Articuli. Primus de diuino officio. Secundus de ieiunio. Tertius de modo eundi per mundum.Circa primum statuitur,quod omnes & singuli cuiuscumque conditionis existant, iuxta laudabilem & seruatum hactenus Religionis morem, diuinis mysteriis, & choro quotidie horis debitis intersint; nullusque exemptus habeatur, nisi quos Alexandrinæ constitutiones excipiunt, vtputa Lectores, prædicatores, infirmi, & alij publicæ vtilitati tunc expositi, qui tamen alias suo delicto satisfaciant. Diuinum vero officium deuote, attente, & punctuatim persoluatur. Neque aliquis è choro discedat, nisi expleto officio, sine Guardiani licentia.

2. *Super processione per Claustra, & Missa pro Benefactoribus.* In qualibet prima Dominica mensium, fiat Processio per claustra, cum Litaniis pro Ecclesia Catholica, pro fidei defensione,ac Principum Christianorum concordia. Die vero Lunæ sequenti, vbi fuerit numerus sufficiens Fratrum, cantetur Missa pro Benefactoribus Ordinis, viuis atque defunctis.

3. *Super pœna omittentium diuinum officiũ in Choro.* Si quis autem conuictus fuerit de consueta omissione diuini officij, vt neque frequenter chorum, neque videatur, aut audiatur diuinis vacare, cuiuscumque gradus & conditionis extiterit, sit priuatus omni officio, & gradu, & non nisi per Generalem restitui possit.

4. *Super discursu per Ecclesiam.* Cum diuina celebrantur, nemo discurrat per Ecclesiam, neque ibi interdiu moram trahat,nisi causa orationis, vel saltem ex rationabili causa Guardiano nota: & dum diuina celebrantur, Fratres non audiant in confessione absque necessitate, & de Guardiani licentia.

5. *Super celebratione Missarum, Confessione & Communione.* Vniuersi Fratres ad Sacerdotium assumpti, vt in Dei timore, & gratia se contineant, quam crebrius poterunt, & saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus, præuia peccatorum confessione Sacerdoti facienda, Missas deuote celebrent. Qui vero Sacerdotes non sunt,saltem quinto decimo quoque die confiteantur,& communicent,aliter priuantur arbitrio Superioris.

6. *Super supellectilib. Ecclesiæ, & Sacrarij mundiciis.* Curabunt præterea Guardiani, vt omnia Ecclesiæ & sacrarij supellectilia munda seruentur, Ecclesiaque ipsa, & Conuentus sæpe purgetur.

7. *Super executione Piorum relictorum.* In Conuentibus vero,vbi magnus Missarum numerus ex legatis impositus est, eleemosyna vero tam tenuis, vt fratres sustentari non possint, seruetur caput quartum reformationis generalis sess. 25. Trid. Conc. Ad cuius exequutionem ordinat Generale Capitulum, vt in Capitulis Prouincialibus cuiuscumque Prouinciæ habeatur hæc consideratio, cum obligationis Missarum, tum emolumenti quod inde trahitur, & hæc omnia referantur ad Generale Capitulum, vt ibi quicquid secundum Deum visum fuerit,statuatur.

8. *Super ieiuniis cũ solitis cæremoniis.* Circa secundum, ieiunia omnia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Regulæ nostræ à cunctis fratribus seruentur, prouideaturque illis in his diebus, de conuenienti cibo; & iuxta constitutiones Alexandrinas, cæremoniæ solitæ non solum in prandio, sed etiam in refectione serotina, quæ hora competenti fiat, & ad quam omnes conueniãt, peragantur. Nulli vero à ieiunio excusentur, nisi quos cõstitutiones prædictæ eximunt.Quod si quis absque legitima causa Guardiano nota non ieiunauerit,idque probari possit, si correctus non se emendauerit,pane,& aqua in carceribus puniatur.

9. *Super disciplina sexta qualibet Feria faciendæ.* Singulis sextis feriis vniuersi fratres disciplinam faciant,& in emendationem peccatorum suorum se percutiant,memores quod Dominus noster Iesus Christus pro peccatis nostris dira perpessus est. Hæc autem disciplina ita fiat, Congregentur in choro, vel sacrario, siue alio loco conuenienti fratres,& extinctis luminibus, ac clausis ianuis, & fenestris, Superior, aut alius deputatus, signum manu faciat indicans silentium, quod per aliquod spatium seruatur, & interim fratres contemplationi vacant. Deinde idem Superior, vel deputatus incipit versum hunc, & totum dicit, videlicet; Apprehendite disciplinam,ne quando iratscatur Dominus, & pereatis de via iusta. Tunc omnes incipiunt se percutere, & dicuntur alternatim ab omnibus deuote, & punctuatim Psalmi; Miserere me. Deus, &c. Deus misereatur nostri, &c. cum Gloria Patri, &c. De profundis,cum Requiem æternam; &c. Quibus expletis, dicitur, Christus factus est pro nobis obediẽs vsque ad mortem,mortem autem Crucis, &c. Inde Superior vel deputatus dicit hanc Orationem incipiens absolute. Respice quæsumus Domine super hanc tamiliam tuã,pro qua Dominus noster Iesus Christus nõ dubitauit manibus tradi nocentium,& Crucis subire tormentum. Postea dicitur ab omnibus, Salue Regina mater misericordiæ, &c. Et Superior vel deputatus dicit sequentes Versiculos,& Orationes respondentibus fratribus ad singulos Versiculos,videlicet. ℣. Emitte spiritum tuum, & creabuntur, &c. ℟. Et renouabis faciem terræ: ℣. Ora pro nobis Sancta Dei genitrix. ℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi. ℣. Ora pro nobis Beate Francisce. ℟. Vt digni, &c. Oremus. Deus qui corda fidelium. Concede misericors Deus fragilitati nostræ præsidium, &c. Deus qui Ecclesiam tuam B. Francisci meritis, &c. Deus cui proprium est misereri semper, & parcere,&c. Exaudi quæsumus Domine supplicum preces,&c: Deus à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera, &c. Vre igne sancti Spiritus renes nostros, & cor nostrum, &c. Deus omnium fidelium pastor, &c. Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulis tuis Cardinalibus Protectoribus nostris, &c. Actiones nostras, &c: Omnipotens sempiterne Deus ædificator, & custos, &c. Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum dominaris simul & mortuorum, &c. Per Dominum nostrum, &c: In fine dicitur, Diuinum auxilium maneat semper nobiscum.Amen.Tunc omnes desinunt se percutere,& per aliquam moram sub silentio iterum contemplationi vacant.Demum facto signo à supradicto Superiore, vel deputato omnes surgunt.

10. *Super cõmuni mensa, & cibo. Ad quod extat const. 66. Pij V.* A mensa communi nulli eximantur, tàm mane quàm sero; quod si aliqui actu legentes, vel prædicantes, seu graduati, aut infirmi, iudicati fuerint à Superioribus digni hac exemptione,hi tantum cibis à communi deputatis,& ex communi dispensa vtantur. In mensa autem habeatur semper lectio ex Sacra Scriptura, vel ex sanctis Patribus.

11. *Super destinato ad emendã esculenta & alia necessaria.* Soli Procuratori Conuentuum, & locorum, aut alij Fratri deputato, Frattum necessaria,præsertim vero esculenta, & poculenta emere liceat.

12. *Super licentiã eundi per mundum.* Circa tertium. Nulli eundi per mundum à Superioribus facultas fiat, nisi ex vrgenti necessitate; & tunc Prælatus inuestiget, quo ituri, quæ negotia, & cum quibus sint acturi Fratres, antequam licentiam illis tribuat: & quantum fieri potest non permittat aliquem solum proficisci, sed socium illi assignet.

13. *Super itinerantium hospitio.* Fratres itinerantes non sint conuitæ, neque hospitentur in domibus laicorum, præsertim publicorum hospitum, vbi sunt loca nostra, sed teneantur conuenire Præfectum loci, ibique manere, & de eius consilio se gerere.

14. *Super accessu ad Principes, & alios, vel ad aliquem forum.* Nullus magistratum aliquem Principem, vel Prælatum ex quacumque causa adire audebit, nisi ea causa à Superiore suo prius cognita fuerit, obtinueritque ab eo facultatem accedendi. Quin potius prohibetur, ne quis in

Digitized by Google

in aliquo foro cauſam vllam, niſi publicam, & de mandato Superiorum, agere poſſit. Quamobrem decernimus, cauſæ omnes, quæ Romæ agendæ ſunt, ad Procuratorem Ordinis in Vrbe dirigantur, neque aliis committi poſſint, niſi de eius conſilio, & aſſenſu.

15. *Super manere Procuratoris Curia.*

Procurator autem qui accedentes ad Vrbem ſine licentia fratres carceribus non mancipauerit, & in Romana Curia libere, & impune vagari permiſerit, ab officio ſuo cadat, & non poſſit reſtitui, niſi per Generalem, vel generale Capitulum. Hoc autem non ſolum de Procuratore Ciſmontano, ſed etiam de Vltramontano, ſi fuerit, intelligatur.

16. *Super bonorũ aſportatione.*

Cuicumque contigerit de mandato Superiorum ad alium locum tranſmigrare, teneatur relinquere Cellam, & ſi qua habet bona ſuo vſui deputata, Superiori loci, vnde diſcedit: Si quis vero aſportauerit aliquid extra Conuentum (niſi id geſtaret pro ſua neceſſitate, & de Superioris licentia) illico iis bonis priuatus ſit, & proſcriptus à Conuentu ad arbitrium Superioris.

17. *Equitandi licentia.*

Cauebunt etiam Superiores, ne omnibus paſſim concedant licentiam equitandi, præſertim Fratribus iunioribus, qui ſunt robuſtæ complexionis, & in literarum ſtudiis, non ſe exercent; quamuis intentio Beati Franciſci in hac parte potius pompam & faſtum reſpiciat, quàm equitandi opportunitatem excludat.

CAP. IV.

Verba Cap. 4. Præcipio firmiter Fratribus vniuerſis, vt nullo modo denarios, &c.

1. *Declaratio ſuper Proprietate, & vſu pecuniæ, & aliorum locorum.*

In hoc capitulo vſus pecuniarum omnium, per ſe vel interpoſitam perſonam videtur omnino Fratribus Minoribus prima fronte interdictus, ita ſonare videtur litera: ſed ſtatim tamen in quibuſdam caſibus videtur conceſſus, vbi dicitur, tamen pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis, & quod Fratres poſſint equitare, ſi neceſſitate cogantur, &c. Præterea, vt communiter inrerpretantur Doctores, & præcipuè quatuor magiſtri, qui in generali Capitulo, parum poſt obitum B. Franciſci, eius regulam explicarunt, videlicet, Alexãder de Ales, Gaufredus, Io. de Rupella, & Ricardus de Media Villa, quorum doctrina in Eccleſia recepta eſt, ſciendum eſt, quod recipere pecuniam per ſe, eſt eam auctoritate propria diſpenſare, & in ſuos proprios vſus conuertere; Recipere verò per interpoſitam perſonam, eſt eam in vſum alterius auctoritate propria conuertere, & diſpenſare. Quod Fratres Minores regulariter non fecerunt, quippe qui confeſſi ſint, ſemper omnia iura, dominium, & proprietatem bonorum omnium ſuo vſui deputatorum penes Eccleſiam Romanam extitiſſe, vſu facti ſimplicis contenti; vnde mos ille inoleuit, & ſeruatum hactenus in Religione ſemper fuit, vt nulli vmquam licuerit etiam in Ordine, hæredem ſibi nominare, neque aliquid diſponere de rebus ſuo vſui applicatis, etiam ſi ex inteſtato, aut alio quocumque modo ſibi obuenerint, niſi acceſſerit ſui Superioris licentia, quæ non niſi ex rationabili cauſa dabatur, quæ tamen hodie poſt decreta Trid. Synodi amplius dari non poteſt.

Tu recordare quod bulla quæ hic in fine huius Cap. citantur ſunt remiſſiue indicata hic in rubr. ac conceſſio Conc. Trid hic pariter allegata legitur in c. 3. ſeſſ 25.

Quod vero ad tactum pecuniarum attinet, ex Apoſtolica auctoritate habetur, quod tactus, aut contrectatio ſimplex pecuniarum, nullum crimen aut turpitudinem inpingit, ſed crimen eſt in animo Fratris, qui pecuniam, vel auarè recipit, vel occultat, aut eius dominium, & proprietatem in ſe transfert contra regulam, quam profeſſus eſt; quod explicat Beatus Franciſcus in capite ſexto, cum dicit, Fratres nihil ſibi approprient, &c. Neque putandum eſt B. Franciſcum contactum pecuniarum ſimplicem prohibuiſſe, cum id Euangelium non prohibeat. Regula vero eius ſit hæc, vt ipſe inquit, ſanctum Euangelium obſeruare. Et Diuus Bonauentura dicit, quod ſine conſenſu non acquiritur poſſeſſio; ergo quamdiu manet in Fratril us voluntas non acquirendi, etiam ſi in eorum manibus pro eorum neceſſitatibus pecunia inferatur, non tamen eam recipiunt, ſecundum quod receptio in eorum regula inhibetur. Vnd ſequitur quòd Fratres tangentes pecuniam, Regulæ ipſorum non contradicunt illo ſimplici tactu; ſed neque per hoc vitium proprietatis poteſt eis adſcribi. Verum eſt tamen, quod priſci illi Patres noſtri, etiam à contactu pecuniarum voluntarie abſtinebant, tum ne ſimplicibus ex hoc aliquod ſcandalum oriretur, & putarent illos accumulandis pecuniis inſudare; tum quia experiebantur erga ſe feruentem adeo populorum deuotionem, vt nihil ſuis neceſſitatibus defuturum vmquam dubitarent. Cum autem deferbuiſſet charitas, & frequens Fratrum numerus, ex aduenientibus quotidie eleemoſynis ſuſtentari nequiret, ne ſtudium Sacræ Theologiæ, & aliarum ſcientiarum, in quibus Ordo noſter inſignis ſemper habitus eſt, inopia peſſum iret, placuit ſummis Pontificibus, & præcipue Martino Quinto, & Sixto I V. nobiſcum diſpenſare, vt ex bonis Romanæ Eccleſiæ noſtram inopiam leuare, & erecta literarum Gymnaſia conſeruare poſſemus. Nouiſſime verò ad conſcientias noſtras pacandas, ad ſcrupulóſque euellendos, qui in mentibus imbecillium quandoque emergebant, etiam dominium rerum in communi, earumque adminiſtratio à ſancta œcumenica Tridentina Synodo conceſſa nobis eſt. Quæ materia, quoniam communis eſt cum ea quæ capite ſexto tractatur, ad ipſum locum remittitur.

CAP. V.

Fratres illi, quibus dedit Dominus gtatiam laborandi, &c. *verba Cap. 1.*

In hoc capitulo B. Franciſcus hoc vnum contendit, vt Fratres ſui otium fugiant, quod omnium malorum radix, & fomentum eſt. Quamobrem ſtatuitur, vt hi, qui in literis, vel in muſica non ſe exercent, exerceantur in aliquo officio. Ianuas pro clauſura obſeruent, hortos colant, infirmis, & in gradu collocatis patribus ſeruiant. Verrant domum, accedant ad eleemoſynam petendam, & ſimilia faciant, quibus otioſitati malorum omnium ſentinæ occurrant.

1. *Declaratio ſuper exercitio Fratrum illiteratorum.*

Qui vero laici fuerint, non permittantur deferre coronam in capite, ſed ſeruiant publicæ vtilitati, & cogantur iuxta regulam pro horis canonicis dicere Pater noſter, &c. atque nullo tempore admittantur ad ſacros ordines ſuſcipiendos.

2. *Super exercitio Fratrum laicorum.*

Qui voluerint literas diſcere, examinentur prius à Prouinciali Magiſtro, vt ſi eos idoneos ad grauiora ſtudia inuenerit, certiorem faciat Generalem Ordinis, qui in aliquo Religionis Gymnaſio eos collocet: collocari vero pro Baccalaureis non poſſint, qui prius in Dialectica non profecerint, concluſioneſque in ea profeſſione honorifice non ſuſtinuerint. Qui per multos annos in ſtudiis non profecerint, à Gymnaſiis amoueantur, & alij ſtudioſi in eorum locum ſubrogentur.

3. *Super examine recipiendorum ad Studia.*

Baccalaurei, & doctiores ſtudentes exercebunt ſe alternatim lectionibus, diſputationibus, & prædicationibus, vt iſtis tribus ſimul aſſueſcant, hoc enim modo citius in viros eruditos euadent.

4. *Super exercitio Studentium.*

Minora literarum Gymnaſia ita diſponantur, vt quædam Logicæ, quædam Philoſophiæ ſtudio applicata ſint, vt iuuenes qui dedunt ſe literis, per gradus aſcendant, & non poſſint in maioribus conſtitui, qui in minoribus ſaltem per triennium non ſteterint. Similiter & Lectores non fiant Regentes in celebrioribus ſtudiis, niſi in minoribus prius eruditionem ſuam teſtatam fecerint. In maioribus ſtudiis, vbi ſunt Theologiæ profeſſores, vltra ordinarios Lectores ſcholaſticos, habeatur lectio Sacræ Scripturæ, non dimittendo textum Magiſtri ſententiarũ, quem omni triennio in ſubſtantia ſaltem, Regentes teneantur percurrere, & lectiones incipiant ſingulo anno poſt feſtum Natiuitatis B. Virginis. Lectores, qui in publicis vniuerſitatibus legunt, teneantur ad arbitrium Generalis in iis Conuentibus vbi morantur, vnam lectionem legere. Curet etiam idem Generalis, ne ſinat iuuenes in propria domo ſtudere, ſed mittat eos extra, ne patria commoda, & affectus eos à ſtudiis abſtrahant.

5. *Super diſpenſione Gymnaſiorum.*

Qui voluerint ad doctoratus inſignia promoueri, non admittantur niſi iuxta Breue Sanctiſſimi D. N Pij Quarti, videlicet in Capitulo Generali præmiſſo rigoroſo examine. Supplicatur tamen eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro, vt amoueatur numerus certus promouendorum, & promoueri poſſint ij omnes, qui in eodem Capitulo de conſilio aliquorum publicorum Lectorum idonei à Generali

6. *Super promotione ad Doctoratum.*

Digitized by Google

Generali iudicati fuerint, nonnisi eodem rigoroso examine præmisso, & præmisso promotorum iuramento. Est enim in Ordine tanta eruditorum copia, vt ad tam exiguum numerum restringi non possint, quod in proximis Comitiis Generalibus Florentiæ omnes nouerunt. At quoniam Fratres extra Italiam constituti (excepta Dalmatia) nonnisi difficile, & magnis sumptibus ad Generale Capitulum accedere possunt, statuitur vt ij ommes, qui voluerint ad magistralem coronam recipi examinentur in aliqua publica vniuersitate illius regionis de qua fuerint, propositis conclusionibus in ea facultate ad quam promoueri voluerint. Qui quidem, si præmisso rigoroso examine ab illa vniuersitate digni Doctoratus titulo iudicati fuerint, fidemque publicam abipsa de eorum sufficientia habuerint, possit eos Generalis per suas literas in aliqua vniuersitate, vel à persona auctoritatem habente, ad doctoratus lauream suscipiendam admittere. Nullus vero ad doctoratum, vel ad alium gradum superioritatis de cetero promoueatur, qui prius professionem fidei non fecerit iuxta bullam præfati Domini Nostri Pij Quarti.

CAP. VI.

Verba Cap. 6.

Fratres nihil sibi approprient, &c.

1. *Declaratio super proprietate. Ad hoc vide etiam const. 61. Pij.*

Circa hoc Capitulum repeti possent, quæ supra in præfatione, & in Capite quarto dicta sunt, quod scilicet nos non habemus in particulari aliquid proprium, sed vsum simplicem rerum, quamuis sancta Tridentina Synodus concesserit, vt possimus habere proprium in communi. Ad tollendum tamen omne proprietatis vitium iuxta decreta eiusdem sacrosancti Tridentini Concilij, prohibemus omnibus Ordinis nostri Fratribus, & Sanctimonialibus, ne quisquam eorum, bona immobilia, vel mobilia cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conuentus possideat, vel teneat, sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuique vel Monasterio incorporentur, prout nos ex nunc ea applicamus, & incorporamus, applicataque, & incorporata pronunciamus.

2. *Super concessione vsus vel administrationis bonorũ stabilium.*

Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Ordinis nostri concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam. Etsi aliquæ licentiæ etiam à Generali, aut alio quouis modo ex quacumque causa aduersus prædicta hactenus concessæ repetiantur, eas, ex nunc tollimus, & abroganus. Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conuentuum, ad solos officiales eorumdem ad nutum Superiorum amouibiles pertineat.

3. *Super concessione vsus mobilium.*

Mobilium vero vsum ita Superiores permittant, vt eorum suppellex statui paupertatis quam professi sunt, conueniat, nihilque superflui in ea sit; nihil etiam quod sit necessarium, eis denegetur; quorum omnium registrum Superiores apud se habeant, & singulo anno reuideant, & Fratres ea vendere, alienare, aut donare nemini valeant. Quòd si quis aliter fecerit, vel quidquam etiam si pecunia sit, tenere deprehensus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua & passiua voce priuatus sit, atque etiam iuxta Ordinis nostri constitutiones veluti proprietarius puniatur. Quinimmo ad errores istos tollendos præcipit generale Capitulum, vt in singulo Conuentu, & Monasterio sit ærarium publicum, vbi reponantur singulorum Fratrum, & Sanctimonialium pecuniæ; quæ inde non extrahantur sine necessitate à Superiore cognita. Monemus tamen singulorum Conuentuum Superiores, iuxta singulorum Fratrum merita, gradum, & necessitates, ex teliquis bonis, & præsertim ab eisdem Fratribus acquisitis, aliqua eis pro studiorum, & laborum sustentatione, largius & & commodius subministrent.

4. *Super cura senum & infirmorum.*

Habeatur vero diligens senum & infirmorum cura; prouideaturque eis de communibus eleemosynis in eorum necessitatibus; & in singulo Conuentu præficiatur saltem vnus, cui huiusmodi cura committatur.

5. *Super resignatione vsus bonorum per infirmos facienda.*

Et cum quis infirmari cœperit, statim resignet Superiori omnia quæ suo vsui fuerint applicata, vt in casu mortis Conuentui cedant.

6. *Super dispositione prouentuum.*

Emolumenta quæ ex Priorum Legatis (vel vt vocant) mansionariis proueniunt, in publicam vtilitatem conuertantur, & nulli particulari tribuantur.

7. *Super nullitate licentiarum disponẽdi de bonis Ordinis.*

Licentia vero disponendi de bonis suo vsui deputatis, aut etiam de cellulis, & cameris ipsis, nulli Fratri, aut Sanctimoniali tribuatur, sed hæc sit Generalis, & Prouincialium cura, secundum gradum & virtutem, ea, quibus videbitur assignare. Et si quis hactenus à Superioribus Ordinis, aut etiam à Sede Apostolica talem disponendi licentiam obtinuit, nulla censeatur.

8. *Super Syndicorum, & Procuratorũ munere.*

Quod autem ad Syndicos, vel Procuratores, sanctessios, siue operarios attinet, singuli Conuentus & Monasteria, vbi Superioribus Ordinis visum fuerit opportunum, vnum, aut alterum illorum, siue plures eligant ad ipsorum Superiorum nutum amouibiles; vt sancta Tridentina Synodus decernit; non quidem vt rerum, & bonorum Ordinis Procuratores, & Rectores, quemadmodum hactenus consueuit, cum nondum Religio haberet proprium in communi, sed vt Conseruatores, & Defensores, qui non possint à Principibus, vel Communitatibus institui, sed tantum præsentari. Superior vero, qui ei videbuntur, confirmet; & non permittat eos perseuerare vltra triennium nisi Generale Capitulum ex vrgenti causa aliter decreuerit. Hi vero attingant saltem annum quadragesimumquintum, etiam vbi eis bonorum temporalium fuerit cura commissa, teneantur quotiescumque à Superiore, vel Sanctimonialibus requisiti fuerint, de ipsis bonis rationem reddere; quæ quidem bona, etiam pecunias ipsas non teneant apud se, sed conseruentur in Monasteriis, & non exponantur nisi iuxta earumdem Sanctimonialium, vel earum Superiorum voluntatem. In spiritualibus vero vllo modo ipsi Syndici, siue operarij non se intromittant, vt infra dicetur. Procuratores ex Ordine, singulo mense coram Fratribus in loco publico suæ administrationis rationem reddere teneantur; aliter priuentur bonis omnibus suo vsui deputatis, etiam ipso Conuentu. In quam pœnam incidat etiam qui mercaturas animalium, societates, vel alias negociationes exercere compertus fuerit. Si quis vero in sua administratione fraudem aliquam, vel furtum commiserit, priuetur officio, & disciplinetur; & si furtum insigne fuerit, etiam à Prouincia proscribatur, & per decennium ad officia inhabilis habeatur.

9. *Super custodia clauium bonorum Conuentus.*

Claues, sub quibus bona Conuentuum, & Monasteriorum reponuntur, non à Superioribus ipsorum Conuentuum & Monasteriorum tantum, sed etiam ab aliis discretis personis eorumdem locorum custodiantur, qui omnes diligenter, introitum & exitum ipsorum bonorum in libris describant, & Prælato suo postmodum ostendant.

CAP. VII.

Verba Cap. 7.

Si quis Fratrum instigante inimico mortaliter peccauerit.

1. *Declaratio super Fratrũ confessione.*

Duo in hoc capitulo docet nos Beatus Franciscus. Alterum, ad quos Fratres peccantes debeant recurrere. Alterum, quo modo sunt recipiendi. Circa primum statuitur, & ordinatur, vt nullus Fratrum peccata propria, vel proximi sui propalare audeat, nisi Superioribus Ordinis, sub pœna carceris per mensem, & vnius publicæ disciplinæ omni sexta feria ipsius mensis.

2. *Super propalatione secretorũ, & scandalorum Ordinis.*

Nullus etiam audebit literas scribere in infamiam proximi, & Religionis, neque Fratrum scandala, & secreta in Ordine reuelare, nisi prædictis Superioribus, sub eadem pœna, & excommunicatione latæ sententiæ, à qua per solum Generalem absolui possit.

3. *Super recursu à sententia Prouincialis.*

Nemo subterfugiat iudicium sui Magistri Prouincialis; neque eum reiiciat, quousque suam sententiam non protulerit. Qui secus fecerit exilio à prouincia per triennium puniatur. Prouincialis tamen procedat in causa. Si vero suspicio fuerit, quæ indiciis vehementibus appareat quòd Prouincialis procedat ex odio & passione, possit accusatus postulare à Generali Collegam, qui vna cum Prouinciali causam suam expediat. Ipse tamen reus hinc interim recedere non possit, sub pœna conuicti criminis.

4. *Super recursu ad brachium seculare.*

Qui si pro iniustitia sibi illata, vel quam prætendit sibi illata esse ad brachium sæculare recurrerit, & non potius ad

Digitized by Google

ad Superiores Ordinis, exulet ſtatim à prouincia, & fiat inhabilis ad omnia officia.

5. *Super accuſatione fratrũ.* Non accuſet frater fratrem de aliquo crimine coram Superiore, niſi per teſtes, vel ſufficientia indicia probare poſſit, quod imponit, aliter accuſans ea pœna mulctetur, quam accuſatus ſuſtinere debuiſſet, & ſit ſemper, quando quis imponit aliquid, quod per teſtes, vel ſufficientia indicia non probetur, pœnà talionis puniatur, denunciare tamen liceat, & denunciantem Superior ſecretum teneat.

6. *Super offenſe fratrum.* Quicumque ex quauis cauſa in fratrem ſuum manum violentam iniecerit, ſanguinemque fuderit, vel etiam ſine ſanguine grauiter percuſſerit, vltra pœnas delicto congruentes, etiam ad omnia Ordinis officia in perpetuum inhabilis habeatur, & à prouiucia expellatur, neque ad officia, ſiue prouinciam reſtitui poſſit niſi per Generale Capitulum, & per omnium patrum Definitorum vota. Quas pœnas eos quoque incurrere volumus, & decernimus, qui conuiciis, minis, aliiſue modis aliquem ad percuſſionem irritauerint, & laceſſiuerint. Teneantur vero Guardiani, alij locorum noſtrorum Rectores, ſub pœna priuationis ſuorum officiorum, huiuſmodi reos, etiam ſi in domo ipſorum non deliquerint, in carcerem coniicere à Superioribus puniendos.

7. *Super punitione fratrum delinquentiũ.* Qui commiſerit aliquod facimus, propter quod ſi eſſet in ſæculo, foret iuxta leges morte plectendus, vel aliquam inſignem infamiam, ſiue ruinam Ordini ſiue Ordinis Superioribus intentauerit, perpetuis carceribus condemnetur. Et ſi aliquo tempore condonatum illi fuerit de his pœnis, numquam tamen ad Conuentum ſuum remittatur, neque habilis ad officia Ordinis habeatur.

8. *Super punitione contumeliam in fratres dicentiũ.* Qui verba minus honeſta in contumeliam fratrum, & Superiorum etiam in clauſtro dixerit, pro arbitrio Superiorum ieiuniis & carcere maceretur.

9. *Super punitione incorrigibilium.* Incorrigibiles, in Capitulis Generalibus, & Prouincialibus publice puniantur. Quòd ſi neque hoc modo ad mentem reuocari poterunt vt bene, honeſteque viuere velint, ſuſpendantur à diuinis, & laicalem ducant vitam, ac ſeruiant Monaſterio tamquam laici. Et ſi perſeuerauerint incorrigibiles eſſe, perpetuis carceribus mancipentur.

10. *Super correctione fratrũ.* Circa ſecundum. Omnibus Superioribus Ordinis præcipit Generale Capitulum, vt Fratres peccantes ita cum iuſtitia corrigant, vt miſericordiæ non obliuiſcantur, & caueant, ne peccatum fratris occultum in proparulo exponant & qui debent Ordinis miſerias tegere, & occultare, eas ſæculi auribus non traducant, & manifeſtas faciant.

CAP. VIII.

Verba Cap. 8. Vniuerſi Fratres vnum de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrum, &c.

1. *Declaratio ſuper modo dandi ſuffragia in electione Officialiũ.* Circa caput iſtud de electione Superiorum Ordinis, & aliorum officialium, explicandus eſt modus, quo eligi debeant, vt ſeruetur Canon ſextus reformationis regularium editæ à Sancta Tridentina Synodo, vbi dicitur. In electione Superiorum quorumcumque, &c. (explicetur totus) Pro executione igitur præſentis Canonis ex decreto Generalis Capituli Florentiæ nuper habiti ſtatutum eſt, vt huiuſmodi electiones per ea ſecreta ſuffragia fiant, quæ nos balotationes vulgo dicimus; vt puta, in quibus ita facile fraudes non admittuntur, vbi ſingulorum votorum ſuffragia calculis lineis, aut laneis colliguntur, hoc ſcilicet modo, extrat vas ligneum duplex, in quod, cum quis manus impoſuerit, poteſt calculum ſuum in quam voluerit partem deponere (vna enim pars vota affirmatiua, altera negatiua colligit) & nemo nouit vbi calculus ceciderit, ita vt vnuſquiſque cõſcientiæ ſuæ ſatisfacere, & ipſe à nullo cogi poteſt. In electione igitur Generalium, Prouincialium, Procuratoris in Vrbe, Cuſtodum, Guardianorum, & omnium officialium, quibus aliquis gradus adminiſtrationis, vel ſuperioritatis in ſubditos ex electione accedit, fiat electio per balotationes, & non alio modo. Quicquid ſecus factum fuerit irritum ſit, & inane. In Prouinciis Auſtriæ, Bohemiæ, Orientis, & Terræ Sanctæ, & ſi quæ ſunt ſimiles Prouinciæ, quæ eligere ſuos Prouinciales non conſueuere, deſignentur à Generali per triennium Prouinciales, qui tamen in deputandis aliis inferioribus Officialibus modo ſupradicto vtantur. Et ne fraus in calculis oriatur, mandat generale Capitulum, vt vnuſquiſque accipiat ſuum calculum à Prælidente Capituli, quo accepto, recta via ad vas balotationis accedat manu eleuata, & digitis extenſis, ita vt omnes, videant, quod vnicus eſt ſingulorum calculus. Diſcreti etiam ad Prouinciale Capitulum profecturi, vbi fuerit numerus conueniens fratrum à ſuis Conuentibus, & ipſi Definitores in Capitulo à ſuis Cuſtodiis per balotationes eligantur. Qui Definitores ad aliud officium non poſſint aſſumi, ſed perſeuerent in illo per annum vſque ad Capitulum Prouinciale, & interim conſilio, & auxilio ſinguli in ſua Cuſtodia prouinciali, dum viſitat, aſſiſtant. Quod ſi Prouinciale Capitulum non celebrabitur, ipſimet cum Prouinciali totidem alios patres per eaſdem balotationes ſecernent, qui ſub nomine Definitorum officiales Prouinciæ eligant, & per annum ſimiliter perſeuerent. Et ita fiat ſingulis annis, quando Capitulum Prouinciale non habebitur. Caueant tamen fratres omnes, quibus ius electionis conuenit, ne calculum ſuum alicui tribuant, neue alterius ipſi recipiant, vel fraudem aliquam in modo iſto electionis committant, ſub pœna expulſionis à Prouincia, & inhabilitationis ad omnia officia Ordinis.

2. *Quod proprietarij non eligãtur ad gradus.* Qui ſuas eleemoſynas, & alia bona in manu Superiorum ſuorum iuxta modum ſupraſcriptum in capite ſexto, non reſignauerit, Conuentuique non incorporauerit, nou poſſit eligi ad aliquem gradum, & honorem, ſed veluti proprietarius puniatur.

3. *Et etiam procurantes officia, vt hic.* Si quis vero via, & fauore Principum, & Prælatorum, quaſi vi quadam intromittere ſe in officiis Religionis, procurauerit, ſtatim ad ea inhabilis habeatur.

4. *Prouinciales quando reeligi poſſint.* Prouinciales peracto ſui magiſtratus triennalis termino, non procurent reeligi iterum à ſua Prouincia, niſi ex defectu fratrum vel alia rationabili cauſa id Generalis per patentes literas permitteret, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & priuationis graduum, quas pœnas extendi volumus etiam ad eos, qui eos elegiſſent.

5. *Commiſſarius Generalis à Magiſtro Generali datus confirmatur.* Commiſſarij Generales quauis poteſtate præditi, non audeant electos Prouinciales, etiam ſi eorum electioni præfuerint, confirmare, cum id tantum Generalis munus ſit, & auctoritas, niſi id in ſuis patentibus expreſſe contineretur. Qui ſecus fecerint, ab auctoritate, & gradibus cecidiſſe intelligantur.

6. *Procurator in Vrbe vnus ſit, iuraque, & habitet apud S. Saluatorem in Vnda.* Procurator in Vrbe maneat apud Sanctum Saluatorem de Vnda, hyberno ſaltem tempore, ſecundum antiquas Ordinis conſtitutiones, & ſummorum Pontificum decreta. Et ad euitandam diſcordiam vnus tantum Procurator, non plures eligantur. Procurator vero electus, ſicut & Generalis, iuramentum ſolitum iuxta Alexandrinas conſtitutiones præſtare teneatur.

7. *Capitula à Magiſtro Generali conuocantur.* Capitula Generalia, & Prouincialia poſſit Generalis conuocare quando, & vbi illi viſum fuerit, iuxta tenorem Regulæ, de triennio in triennium, vel ad alium terminum maiorem, vel minorem. Et vocales, qui vocati fuerint, congruo tempore adeſſe curabunt, aliter voce actiua, & paſſiua priuentur. Qui vero vocales non ſunt, ad Capitula non accedant ſub pœna vnius publicæ diſciplinæ.

CAP. IX.

verba Cap. 9 Fratres non prædicent in Epiſcopatu alicuius Epiſcopi, cum, &c.

1. *Declaratio ſuper obſeruantia Conc. Trid ſeſſ. 24. cap. 4.* Tria potiſſima in hoc Capitulo animaduertenda ſunt. Primum ne quis fratrum in Epiſcopatu alicuius Epiſcopi audeat prædicare cum ab illis fuerit contradictum, vt ſonat litera, & nuper ſtatuit Sancta Tridentina Synodus ſeſſione octaua, canone quarto. Secundum, ne quis officium prædicationis ſibi arroget, ſed à ſuis Superioribus mittatur. Tertium, quomodo ſe habere debeant Prædicatores in eo munere obeundo. Circa primum mandat Generale Capitulũ omnibus Prædicatoribus Ordinis, vt ſeruent illum punctum Regulæ, & Concilij, ne ſcilicet populo prædicent contradicente Epiſcopo, Quinimo fratres omnes, honorem, & reuerentiam Epiſcopis exhibeant.

Seruetur

Digitized by Google

2. *Super obseruantia can. 14. sess. 7.*

Seruetur etiam decretum eiusdem Sanctæ Synodi sessione septima, canone decimo quarto. Ne fratres audiant confessiones sæcularium, nisi prius fuerint à suis Superioribus examinati, & ab Ordinariis admissi. Qui secus fecerint, vltra alias pœnas, reddantur inhabiles ad huiusmodi confessiones audiendas.

3. *Super Prædicatorum qualitatibus.*

Circa secundum, nullus ad officium prædicationis admittatur à Generalibus, siue Prouincialibus Magistri, qui non fuerit Sacerdos, vel Diaconus, vita, & moribus comprobatus, præcipue vero Catholica doctrina instructus. Superiores Ordinis omnem suam curam, & studium adhibebunt, vt bene noscant Prædicatores, quos admittunt, eorumque doctrinam explorabunt, nequid contra receptam veritatem, vel contra Sedem Apostolicam, siue Christianos Principes prædicetur. Similiter se gerant erga Patres confessarios, quos non admittent ad tam difficile munus, nisi viros bonæ conscientiæ, & qui sciant discernere inter lepram, & lepram. Hi autem per Conuentus, & loca iuxta necessitatem distribuantur.

4. *Super dispensatione eorũdem.*

Magistri, & Prædicatores etiam disponantur hoc modo, vt in prædicationibus, & lectionibus, præsertim ca suum conscientiæ, se exerceant, populosque in fide instruant. Et qui non legunt, vel non prædicant, vel in aliquo officio Religioni non seruiunt (nisi alias in his studiis suas partes gesserint) exemptionibus, & honoribus, sui gradus non gaudeant. Fratres vero qui ad casuum conscientiæ lectionem audiendam non accesserint, non admittantur ad audiendas confessiones, nisi viri alioquin eruditi, & probati. Et id curent Prouinciales sub pœna priuationis officij.

5. *Super Prædicatorious, & Confessoribus, non habentib. licentiam.*

Si quis deprehensus fuerit Prædicatoris, vel Confessoris munus absque Superiorum licentia exercuisse, post carcerem per mensem, exulet à prouincia per triennium, & si sæpius hoc modo deliquerit, per annum carceribus deputetur.

6. *Super his, quæ Prædicatores vitare debent.*

Ad quod vide etiã supra Leon X. cõst. 21.

Circa tertium, nullus Fratrum in suis prædicationibus, ne latum quidem vnguem discedere audebit à communibus sensibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & à Patrum ab ea approbatorum sententiis, neque aliquam nouam opinionem intruder. Argumenta etiam hæreticorum, vel eorum responsiones in medium afferre nemo in suis concionibus audebit, ea præsertim, quæ captu difficilia sunt rudi plebeculæ, ne hæreticorum dicta, pro conclusionibus veris, & Catholicis recipiantur. Si quis vero post hac conuictus fuerit aliquam propositionem hæreticam, vel schismaticam populo prædicasse, propter quam abiurationem facere teneatur, nunquam amplius ad prædicatoris munus, neque ad Ordinis officia admittatur. Et si quis à quatuor annis citra fuerit aliqua labe hæresis notatus, & conuictus, habeatur inhabilis ad quoscumque gradus, & dignitates per decennium.

7. *Fratres non edant in lucẽ libros non approbatos à Superiorib. Ordinis.*

Nullus etiam librum aliquem tractantem de fide, aut de quacumque alia materia in lucem edere valeat, sub pœna excommunicationis, & carceris, nisi prius à Generali, vel à deputatis ab eo, ille liber fuerit approbatus, & præterea alia obseruentur, quæ circa hoc in decretis Concilij Tridentini, & Indice librorum cauta sunt.

CAP. X.

Verba Cap. 10.

Fratres qui sunt ministri, & serui aliorum fratrum, &c.

1. *Declaratio super munere Prouincialiũ in Visitationibus*

In hoc Capitulo B. Franciscus instruit Superiores Ordinis, & eorum subditos quomodo inuicem se gerere debeant. Superiores vocat ministros, & seruos aliorum fratrum, vt sciant se non esse dominos, neque habere dominium super subditos, vt Domini temporales, sed ideo constitutos esse super alios, vt eorum vtilitati, & saluti inseruire debeant; præfecturæ enim nostræ sunt potius officia, quam dignitates. Subditos vero docet, vt omnimodam obedientiam suis Superioribus præstent, memores, quod propter Deum abnegauerunt proprias voluntates. Quãobrem mandatur omnibus Prouincialibus sub pœna priuationis suorum officiorum, vt singulis annis, dum visitant, examinare debeant fratres suos etiam sub iuramento, de statu Conuentuum, & locorum, de vita fratrum, de moribus, de conuersatione, & de obseruatione harum constitutionum, atque de omnibus certiorem faciant Generalem Magistrum, visitent quoque cameras, explorent si quid habent fratres superflui, quod non conueniat suæ professioni, & vbi non sunt Inquisitores, etiam libros fratrum diligenter examinent.

2. *Super eorumdem munere circa Fratrũ promotiones.*

Mandatur quin etiam prædictis ad meritum obedientiæ salutaris, vt in promouendis fratribus ad aliquem gradum, vel officium, inuigilent, ne indigni præferantur dignis, & mali optimis, sed in omnibus publicæ vtilitati, & ornamento consulant. Præferantur vero, qui publico commodo Conuentuum, & locorum non suæ vtilitati incumbunt.

3. *Super eorumdem munere circa ætatem recipiendorũ.*

Caueant quoque Prouinciales sub pœna priuationis officij, ne de cetero cooptent in cœtum Patrum, qui fuerint minoris ætatis annorum quadraginta, nec ad hoc suffragari possit aliquis gradus, vel officium, præter doctoratus titulum, indecens enim est, vt inter eos, quorum consilio res Conuentuum aguntur, omnes passim sine delectu introducantur.

4. *Super obedientia Superioribus præstãda.*

Subditis vero mandatur sub eadem vi obedientiæ, ita humiliter exhibeant se dicto Superiorum, vt nihil sibi magis faciendum proponant, quam illud, quod ipsorum Superiores iuxta suæ professionis præscriptum peragendum iusserint.

Qui autem minus obediens, vel contumax suis Superioribus fuerit, & admonitus nõ se emendauerit, veluti regulæ suæ, & voti obedientiæ transgressor puniatur. Et quicumque, in Generali, vel Prouinciali Capitulo ad aliquod officium assumptus fuerit, & non paruerit, per quinquennium ad omnia officia Ordinis inhabilis habeatur, actiuaque voce careat.

CAP. XI.

Verba Cap. 11.

Præcipio firmiter fratribus vniuersis, ne habeant suspecta consortia.

1. *Declaratio Super colloquio, & commercio cum inhonestis mulieribus.*

Duas partes habet hoc Capitulum. Prima prohibet fratribus suspecta consortia mulierum. Secunda ingressum in Monasteria Monacharum.

Circa primam partem, mandat Generale Capitulum districte Fratribus omnibus, ne conuersari, neque loqui audeant cum mulieribus malæ famæ, & quantum fieri poterit, etiam ab alloquutione mulierum bonæ famæ abstineant. Qui comprehensi fuerint habere suspecta consortia mulierum, & correcti non se emendauerint, carceribus per mensem mancipati à Conuentu proscribantur.

2. *Super pœna admittentiũ mulieres intra claustra.*

Et si quis conuictus fuerit huiusmodi mulieres duxisse intra claustra Conuentus, vltra præfatas pœnas, etiam flagris omni sexta feria publice cedatur per mensem.

3. *Super Custodia Ostij Cõuentus.*

Vt autem hæc omnia seruentur districte præcipitur, vt in omnibus Conuentibus diligenter clausura obseruetur, & vnus fratrum ianuæ semper assistat, qui mulieres nullo modo ingredi permittat.

4. *Super Hospitio sæculariũ in Conuentu.*

In ipsis vero Conuentibus, & locis non recipiantur hospitio personæ sæculares, nisi forte aliqui Prælati, & viri admodum insignes ad breue tempus, & de licentia Superioris, vt clausura debite seruetur, & laicorum discursu non interrumpatur. Quare obsecrandus est Beatissimus Papa, vt iubeat, Principibus, & Magistratibus, ne grauent Conuentus, & loca equis, militibus, & aliis eorum officialibus.

Ad hoc scias Pij V. prohibuisse hospitiũ Militum, vt in eius const. 148. Cum sicut

Circa secundam partem de Sanctimonialibus, mandatur omnibus, & singulis fratribus nostris, ne accedant ad Monasteria Monialium, nisi pro diuinis agendis, & ex iussu Superiorum, qui ætatem, & probitatem mittendorum considerent, sub pœna per triennium secundum constitutiones Capituli Generalis Mediolanensis proximi. Et qui mittentur, à Sanctimonialium alloquutione abstineant, sub pœna exilij per annum.

5. *Super accessu Fratrum ad Monasteria Monialium.*

Circa vero ingressum Monasteriorum seruetur Canon quintus reformationis Regularum Tridentinæ Synodi, vbi dicitur, Ingredi autem intra sepra Monasterij nemini liceat, cuiuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Quapropter mandatur Abbatissis omnibus Monasteriorum nostrorum sub pœna eadem, & sub pœna priuationis officij, ne admittant intra claustra Monasteriorum aliquem absque expressa licentia in scriptis suorum Superiorum quicumque is sit, & cuiuscumque

6. *Super ingressu eorumdẽ intra claustra Monialiũ addẽ prohibitionẽ Pij V. in const. 20.*

Digitized by Google

cumque conditionis. Licentia autem in casibus tantum necessariis detur, veluti pro Confessore, Medico, aut aliis Ministris exigente necessitate.

7. *Super Medici qualitate & admissione intra claustra.* Vnicus etiam sit, & communis Sanctimonialium Medicus, prouectæ ætatis, ab vniuersitate Monialium eligendus, & per Generalem, seu Prouincialem approbandus, qui cum claustra Monasterij ingressus fuerit, comitatus à duabus Monialibus ex antiquioribus, si Abbatissa adesse non potuerit, semper incedat, quousque claustra exiuerit.

8. *Super admissione & eruditione puellarum inter Moniales.* Circa puellas sæculares, quæ in quibusdam Monasteriis erudiendæ introducuntur, maximam curam adhibeant Superiores, vt nonnisi honestas, & pacificas Virgines de Monialium consensu ingredi sinant, & quæ ingressæ fuerint non sustineantur vltra 16. annos. Quo tempore vel habitum regularem suscipiant, vel nubendæ domum remittantur. Monasteria vero, quæ tales Virgines recipere non consueuere, nullo modo ad eas recipiendas cogantur.

9. *Super earundem puellarū examine & approbatione.* Puellæ etiam habitum non suscipiant, nec professionem emittant, absque approbatione Generalis, vel Prouincialis, aliisque requisitis iuxta decreta Concilij Tridentini in sess. 25. Quicquid secus factum fuerit, irritum sit, & inane, ac contrafacientes excommunicationem incurrant. Superiores autem ipsi teneantur antea diligenter scrutari voluntatem puellarum, an sponte, an inuitæ Monasterium ingrediantur: vt si sponte ad religionem accedant, eas suscipiant, si inuitæ, eas reiiciant, atque domum remittant.

10. *Super earundem ætate, ad susceptionem habitus, & emissionē professionis.* Quæ sponte voluerint ad Religionem accedere, habitum non suscipiant ante duodecimum annum, neque admittantur ad professionem ante decimum sextum suæ ætatis annum expletum, & nisi per annum saltem antea in probatione steterint. Cuius professionis tempus, ne Episcopus ignoret, teneatur præfecta Monasterio eum ante mensem certiorem reddere sub pœna à Concilio statuta: & singula Monasteria habeant librum, in quo describantur nomina profitentium, & tempus.

11. *Super eorundem bonis.* Ante vero professionem (excepto victu, & vestitu) nihil tribuatur Monasterio ex bonis puellarum à parentibus, propinquis, aut curatoribus quocumque prætextu, ne hac occasione discedere nequeant, quod totam, vel maiorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit. Quin potius præcipit Sancta Synodus sub Anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat; & vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant.

12. *Super Nouitiarū Magistra.* Habeant quoque ipsa Monialium Monasteria sua seminaria, siue nouitiatus præcipuamque puellarum magistram, quæ eas erudiat, & in viam mandatorum Dei dirigat.

13. *Super Monialiū exercitio in cultu diuino.* In primis vero mandat generale Capitulum Sanctimonialibus omnibus nostri Ordinis, vt diuino cultui semper inuigilent, Horis Canonicis de nocte vacent, verba otiosa, & vana non admisceant, à choro horarum tempore non discedant, sed iuxta earum professionem, abiectis mundi vanitatibus & illecebris, se totas Deo committant, ieiuniis, & orationibus insistendo: præcipue vero ieiunia Romanæ Ecclesiæ, & suæ Regulæ, ac disciplinam in his diebus non prætermittant. Confessionem peccatorum suorum singulis saltem mensibus faciant, & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant vt eo se salutari præsidio muniant ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter superandas. Quod vero ad Sanctissimum Christi corpus attinet, præcipit Sancta Synodus ne intra chorum, & septa Monasterij, sed in publica Ecclesia conseruetur, non obstante quocumque indulto, aut priuilegio.

14. *Super Confessoris Monialium qualitatibus.* Confessores Sanctimonialium constituantur viri probi, & modesti: & non maneant apud vnum Monasterium ex celebrioribus præsertim, nisi per triennium, nisi forte ex aliqua rationabili causa aliter Superiori visum fuerit. Neque in monasteriis nostri Ordinis Confessores vlli admittantur, qui non sint ex ipso Ordine, quippe qui sciunt, quid importet Sanctimonialium professio, & possunt à transgressione regulæ absoluere, quod non possunt ceteri, vt literæ Apostolicæ testantur. Sed & præter ordinarios Confessores, alius extraordinarius, à suis Superioribus, bis aut ter in domo offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.

15. *Super electione Abbatissæ Monialium.* Electio vero Abbatissæ ea sit, quæ & aliorum Superiorum Ordinis scilicet per balotationes, nulla ratione consuetudinis, aut antiquitatis habita, sed sit in mera eligentium libertate eam Monialem, quam magis idoneam iudicauerint in Abbatissam sibi eligere, seruata forma Tridentini Concilij sess. 25. cap. 7.

16. *Quod eius officiū triennio finitur.* Abbatissa autem electa confirmationem à Superiore postulet; & nihil quod ad Monasterium, vel ad regimen ipsius pertineat, inconsultis Vicaria, & decretis Monasterij faciat. Quod si fecerit, irritum sit, & inane. Et si sæpius hoc modo deliquerit, officio suo priuetur. Sed neque Abbatissa aliqua perseueret vltra triennium, nisi pro reformatione, aut aliqua maxima monasterij vtilitate, sed expleto termino triennali ad nouæ Abbatissæ electionem procedatur, nulla consuetudine in contrarium faciente.

Hoc idem statuit Greg. XIII. in cō. 84. Exposcit.

17. *Quæ in Abbatissam eligi nequeunt.* Non promoueantur vero ad aliquod officium, quæcumque secreta, & scandala sui Monasterij extra Ordinem, præsertim apud laicos detulerint, quas volumus expresse in excommunicationem latæ sententiæ incidere, à qua per Generalem tantum præmissa pœnitentia absolui possint. Neque promoueantur, quæ de suspecto consortio conuictæ fuerint, sed priuentur omnino accessu ad crates, & rotulas, quousque signum aliquod manifestæ resipiscentiæ ostenderint.

18. *Quod Moniales absque licentia non accedant ad Crates vel Rotas.* Nulla sanctimonialis accedet ad crates, & rotulas aliquam personam alloquutura sine licentia Abbatissæ, & cum præsentia Auditricum, quæ in omni Monasterio ex antiquioribus discretis de more habeantur, & hæc licentia raro, & non nisi ex vrgenti causa, atque pro alloquendis parentibus, & consanguineis tantum concedatur. Quæ vero sine Abbatissæ licentia, vel sine Auditricum præsentia ad crates, aut rotulas inuenta fuerit, priuetur accessu ad eas per menses sex pro qualibet vice.

19. *Quod literas, & munuscula non mittāt absque licentia.* Nulla etiam sanctimonialis aliqua munuscula dabit, vel recipiet neque mittet literas, aut accipiet, nisi prius munuscula visa, & literæ lectæ ad Abbatissam fuerint, atque ab ea iudicatum fuerit, vt admittantur.

Adde maiorē sanctionem Clem. VIII. in const. 28.

Et Monasterio vero exire nulla ipsarum ex quacumque causa audebit, nisi secundum decreta Sanctæ Tridentinæ Synodi capite quinto reformationis Regularium.

20. *Quod nulla exeat claustra, Adde bullam 8. Pij V.*

Vestimenta etiam sanctimonialium huiusmodi sint, vt professioni earum respondeant, non pretiosa, non colorata, non mollia, sed honesta, simplicia, & communia, manicisque amplis vtantur ad earum tunicas exteriores. Et omnes professæ habeant sua pallia, siue mantellos, cum quibus ad crates, & coram suo Superiore semper compareant, quæ contrafecerint, actiua, & passiua voce ad Superioris arbitrium priuata intelligatur.

21. *Quod vestimenta sint simplicia & communia.* Super cratibus ferreis sint telæ nigræ, quæ numquam auferantur, ne Moniales à quoquam videri possint, nisi forte à progenitoribus, fratribus, & sororibus de licentia Abbatissæ.

22. *Tela nigra sit super cratib.* Visitatio, correctio, habitus in ingressu, & vel in professione collatio, ad solum Superiorem Ordinis, siue eius Commissarium pertineat, non ad aliquem laicum, siue presbyterum sæcularem, consuetudine, & abusu aliquo non obstante. Qui secus fecerit excommunicationem illico incurrat, in quam etiam incidant quicumque se intromittere audebunt in iis, quæ pertinent ad spirituale regimen Monialium, etiam in deputandis Confessoribus, aut aliis fratribus, exceptis Superioribus Ordinis, quorum hæc cura tantum sit, & officium.

23. *Collatio habitus, & vela spectāta ad Superiores Ordinis Fratrum.*

Circa vero Monasteriorum, & sanctimonialium bona, tam mobilia, quam permanentia, seruetur illud quod de bonis Conuentuum, & Fratrum supra in sexto capite statutum est, hoc adiicientes, vt operarij, factores, & alij Monasteriorum ministri non eligantur, neque accipientur à sanctimonialibus, sine Superiorum approbatione, ad quorum etiam nutum amouibiles sint, vt Sancta Synodus decernit.

24. *Electio Factorum pro Monialibus, fit ab eis, cū Superiorum approbatione.*

In singulis vero Monasteriis iuxta statura Concilij certus, & determinatus numerus Monialium statuatur, qui vel ex redditibus propriis Monasterij, vel ex consuetis eleemosynis commode sustentari possit: ad quod inuilgilabunt Superiores.

25. *Certus Monialium numerus statuatur in singulis Conuentibus.*

Si au

Digitized by Google

26. *Moniales transferri possint ad alios Conuentus pro reformatione.*

Si autem fuerint aliqua Monasteria, quæ reformatione indigeant, possit Superior pro eorum reformatione sumere Moniales ex aliis Monasteriis eiusdem Ordinis, & eas ibi præficere, cuiuscumque dominij, & status fuerint, non obstante contradictione Dominorum temporalium.

27. *Confessores Monialiũ curẽt obseruantiam præd. horum.*

Et quoniam supradicta omnia ab ipsis Sanctimonialibus seruari omnino volumus, mandamus omnibus, & singulis Monasteriorum nostrorum Confessoribus, ne sanctimoniales, contrafacientes his constitutionibus, nisi præmissa pœnitentia, absoluant.

CAP. XII.

Verba Cap. 12.

Quicumque fratrum diuina inspiratione voluerint ire inter Saracenos, &c.

1. *Declaratio circa Fratres mittendos ad loca infidelium.*

In hoc capitulo sunt duo admodum breues articuli. Primus de iis, qui ad partes infidelium proficisci voluerint. Secundus de Protectore, eiusque auctoritate. Circa primum inuigilandum valde est, vt fratres ad terram Sanctam, ad quam prouincia Regni Cypri pertinet, siue ad partes infidelium præcipue ad Peram prope Constantinopolim vbi locum satis amplum habemus, profecturi sint eius vitæ, morum, & doctrinæ, vt credi possit aliquem fructum Christianæ fidei ex eorum accessu ad illas partes prouenturum.

2. *Circa Fratres se conferentes ad confinia hæreticorum.*

Examinentur etiam, & probentur, qui ad confinia hæreticorum se conferunt, præsertim vbi Conuentus, & Monasteria sunt nostri Ordinis, vt puta in Gallia, Germania, Polonia, Bohemia, Austria, Morauia, Dalmatia, Epiro, & similibus partibus, vt Catholica Ecclesia aliquam vtilitatem inde referat. Quapropter sub vi obedientiæ sanctæ omnibus Superioribus Ordinis mandat Generale Capitulum, ne cui ad ea loca, nisi prius de mittendorum probitate sibi constiterit, eundi facultatem aliquando faciant.

Subsequuntur alia statuta, & priuilegia circa Protectoris auctoritatem.

Circa secundum Deo optimo Maximo summæ à nobis gratiæ agendæ sunt, quod in ea incidimus tempora, in quibus Protectorem secundum Regulam nostram videre, & habere, datum est. Eo enim Gubernatore, quid boni sperare non debemus? Eo Protectore, quid aduersi timere possumus? Eo Correctore quis ab instituris suæ regulæ deficiet? Gubernator est, promouebit ad bonum. Protector est, defendet à malis. Corrector est, continebit in fide, & obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. In his enim auctoritas eius est, in his officium suum versatur, vt expresse dicit Beatus Franciscus in hoc capite, & declarat Gregorius IX. alias XI. primus Ordinis Protector, & deinde Sixtus Quartus, & reliqui omnes, qui regulam explicarunt. Te igitur ô Illustrissime, & Reuerendissime Carole Borromæe appellamus, tuam fidem, & benignitatem obtestamur, vt nos tuæ curæ, & patrocinio commissos Beatissimo Auunculo tuo, & Sanctissimo Patri nostro Pio Quarto commendatos facias, tu vero religionem nostram tua prudentia, consilio, & auctoritate, protegere ne desistas, vt ab inimicorum insidiis tuta, Beati Patris sui Francisci vestigiis inhærendo, sedulum in humilitatis spiritu reddere valeat Domino famulatum. Præterea cupiens Generale Capitulum, vt supradictæ leges, & constitutiones tam extra Italiam, quam in Italia ab vniuerso sodalitio nostro seruentur, & executioni demandentur, tria hæc præcipua decreuit, ac iussit.

Tu de ea vide quæ notaui supra in cõst. 4. Greg. XI. Cunctos. vbi alia indicaui.

1. *Circa Generalis & Prouincialiũ facultatem dispensandi, in his quæ in Regula continentur.*

Primum, ne Generalis, & multo minus Prouinciales possint dispensare in his, quæ sunt de essentia Regulæ, vt puta, quæ recipiunt tria vota essentialia, obedientiæ, scilicet, paupertatis, & castitatis, sed neque in aliis nisi ex vrgenti necessitate, vel aliqua valde rationabili causa, quæ tamen decretis Tridentinæ Synodi non aduersetur, super quod ipsorum Superiorum conscientias oneratas voluit.

3. *Circa accessũ Generalis ad visitandũ Hispaniam & Portugal.*

Secundum, quod quilibet Generalis in primo officij sui triennio, cessante legitimo impedimento bellorum, aut pestis, Prouincias Hispaniarum, & Portugalliæ in persona propria visitare teneatur. Quòd si ex sua negligentia non fecerit, non possit in Generalem reeligi pro secundo triennio, sed alius eligatur, qui huic decreto satisfaciat.

4. *Circa punitionem Ministrorũ negligentiũ exequi hãc reformationem.*

Ministri vero, qui in executione præsentis reformationis à Generali, vel Visitatoribus minus diligentes inuenti fuerint, ab officiis suis cadant, & reddantur inhabiles etiam ad minores gradus, & officia Ordinis. Visitatores autem, qui Prouincialium partes implebunt, etiam Prouincialium magistratu potiantur.

5. *Circa reuocationem constitutionũ, huic reformationi, & Cõc. Trid. aduersantiũ.*

Tertium, quod constitutiones Ordinis nostri quocumque tempore factæ, etiam si Apostolica auctoritate sint confirmatæ, in his, quæ decretis huiusmodi, Tridentini Concilij repugnant, omnino irritæ, & abrogatæ esse intelligantur, atque omnes ad limites, & præscriptiones istarum, & Concilij redactæ censeantur.

Supplicatio, pro executione Reformationis in omnibus locis.

Postremo à Beatissimo Domino nostro Pio Quarto supplices petimus, vt iubeat Principibus, & Magistratib. ne vllam molestiam, vel impedimentum inferant, vel inferri sinant, quo minus suprascriptæ Sanctiones in suis dominiis executioni mandentur, sed potius faueant, & auxilium suum impendant, &c.

CIV.

Rescissio alienationum, infeudationum, & concessionum Terrarum, & locorum S.R.E. ac Sedis, & Cam. Apostolicæ, sine competenti recompensa, aut necessitate, vel dictæ Sedis vtilitate id non exigente factarum.

Sed immo Pius V. alienationes, & infeudationes fieri, & tractari prohibuit, etiam ex causa permutationis prætextu necessitatis, vel euidentis vtilitatis Sedis Apost. vt infr. in eius const. 35. Admonet. vbi plene notabo de hac materia.

Edita An. D. 1563.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

APostolicæ seruitutis officium, fidei & diligentiæ nostræ diuinitus traditum nos iampridem excitat, & impellit, vt ipsam Sedem, & Cameram Apostolicam non solum futuris rerum suarum iacturis sartam, tectam præstare, sed etiam aduersus illata sibi detrimenta, semotis omnibus omnium iniustis affectibus quoad eius fieri potest integrare studeamus.

Hic Pont. bullã Pauli IV. editam contra alienantes bona ecclesiast. ad terminos iuris reduxit, vt supra.

§. 1. Sane licet in Pontificatus nostri principio frequentibus multorum, qui constitutionem per felicis record. Paulum Papam IV. prædecessorem nostrum de rebus Ecclesiæ non alienandis, & de alienatis recuperandis editam, tamquam nimis rigorosam, quippe quæ nullam inter alienationes ex causa necessaria, vel vtili factas, & alias mere voluntarias ecclesitis damnosas differentiam faciebat, retractari vehementer instabat, querelis inducti, rem in plena Signatura nostra cognoscere, & multitudinem querelantium sedare volentes, dictam constitutionem ad terminos iuris communis sub data videlicet, 3. Idus Septembr. Pont. nostri, anno primo, reducere quodammodo coacti fuerimus.

Et modò ipsã abrullat, quascumque alienationes bonorũ Ecclesiæ Rom. & Cam. Apost. sine cõperenti recompensa, vel necessitate, seu euidẽti vtilitate factas.

§. 2. Nos tamen quos successus temporis experientia longo rerum vsu, & quotidiano pastoralis officij nostri exercitio variis modis edocuit, multas alienationes rerum Ecclesiæ Romanæ, Sedisque, & Cameræ prædictarum per aliquos importunis precibus, & aliis variis artibus inductos Rom. Pontifices prædecessores nostros, & forsan (quod dolenter referimus) per nos, nulla rationabili causa suadente in grauissimam ipsius ecclesiæ læsionem, Dei offensam, populi scandalum, & euidens animarum periculum hactenus factas, & approbatas extitisse, non solum perspicui huius animarum periculi magnitudine, sed etiam debita erga Deum, & suam cui nos præesse voluit ecclesiam pietate, tum etiam vrgentis cõscientiæ nostræ testimonij religione perculsi, rem omnem cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in Consistorio nostro secreto diligenter duximus perscrutandam; vbi mature considerantes bonum, & fidelem Dei seruum, nihil eorum quæ sibi à Domino credita sunt, distrahere, seu negligere, nec aliter quam ex causa vel necessitatis, vel euidentis vtilitatis alienare: sed cuncta fideliter conseruare debere; hinc est quod his aliisque iustis de causis moti quarumcumque venditionum, infeudationum, concessionum, & aliarum quocumque nomine nuncupatarum alienationum

Digitized by Google

de Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Feudis, Dominiis, & Locis, & aliis stabilibus bonis, ac censibus, & iuribus quibuscumque vbilibet constitutis ad Ecclesiam, Sedem, & Cameram præfatas quomodolibet pertinentibus, & quæ pertinuisse, vel pertinere censeri possent, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, excellentiæ, & quantumuis maximi, vel minimi momenti fuerint quibuslibet personis quauis Ecclesiastica vel sæculari, siue mundana, etiam Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, Cardinalatus honore, seu Marchionali, Ducali, Regali, vel alia quacumque dignitate, seu præeminentia præditis, aut etiam Communitatibus, Vniuersitatibus, Collegiis, & aliis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac per nos, dictamque Sedem, ac Cameram ex causa gratiosa, & lucratiua, sine aliqua, vel saltem minime correspectiua, nec competenti recompensa, seu necessitate, vel euidenti dictæ Sedis vtilitate id non exigente, perpetuo, vel ad recipientium vitam, aut alias ad longum tempus, etiam per viam permutationis, hypothecæ, recompensæ, contractus, etiam iurati, etiam de Fratrum consilio quouis colore, vel ingenio, etiam Motu proprio, & ex certa nostra scientia; ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam cum quibuslibet aduersus quascumque reuocationes, & alias contrarias dispositiones præseruatiuas, & in pristinum statum restitutiuis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam à quocumque quantumlibet longissimo, & immemorabili tempore citra quomodolibet factarum & concessarum, ac etiam iteratis vicibus approbatarum, & innouatarum, contractuumque desuper initorum, & iuratorum, necnon quarumcumque Apostolicarum, & aliarū scripturarum, aliorumque hic etiam de necessitate exprimendorum tenores, ac quarumcumque litium, & causarum si quæ desuper vbilibet, & in quauis instantia pendeant, status, & merita præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur pro sufficiēter expressis, & insertis habentes, de fratrum ipsorum consilio, & assensu vnanimi ex certa scientia nostra, ac de eadem Apostolicæ potestatis plenitudine, vniuersas, & singulas venditiones, cessiones, infeudationes, locationes, donationes, permutationes, hypothecas, cōcessiones, & alias omnimodas alienationes, & contractus præfatos quæcumque, quotcumque, & qualescumque, ac in quorumuis Principū, ac Cardinalium, Patriarcharum, & aliorum Prælatorum fauorē, vel eorum contemplatione per prædecessores nostros, ac nos, & Sedem præfatam, necessitate, vel euidenti vtilitate Sedis huiusmodi id non exigente, seu sine aliqua, vel saltem minime correspectiua neque competenti recompensa, vt præmittitur factos, & concessos, ac confirmatos, & approbatos, etiam si quantumuis longissima temporis præscriptione robur sumpsisse dici possint, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo reuocamus, rescindimus, cassamus, irritamus, annullamus, ac viribus, omnino vacuamus.

Declarat. etiā huiusmodi alienationes numquam tenuisse.

§. 3. Declarantes venditiones cessiones, infeudationes, locationes, donationes, permutationes, hypothecas, concessiones, & ceteras alienationes præmissas nequaquam tenuisse, nec tenere, nullumque emptoribus, cessionariis, feudatariis, locatariis donatariis, aliisque rerum ipsarū detentoribus, nec aliquem possidendi titulum per eas quæsitum esse, nec eisdem Ecclesiæ, Sedi, & Cameræ præiudicium afferre potuisse.

Vassallosque nullum ius vassallagij debere occupatoribus bonorum S. dis Apost.

§. 4. Ac Ciuitatum, Terrarum, & aliorum locorum eorumdem habitatores vassallos, & subditos, dictis illorum detentoribus nullum vassallagij fidelitatis, vel subiectionis, aut aliud ius vel obedientiam alienationum huiusmodi, vel etiam iuramenti per eos illis præstiti, quod etiam eis harum serie relaxamus, prætextu, debere aut illis adstrictos esse.

Occupatores ipsos bona occupata & fructus restituere debere.

§. 5. Quinimo detentores ipsos ad easdem Ciuitates, Terras, Castra, Oppida, & loca Sedi, & Cameræ præfatis realiter, & cum effectu restituenda, & relaxanda, ac eorum detentores ad fructuum inde post obitum concedentis hactenus perceptorum, & in posterum percipiendorum restitutionem in vtroque foro omnino teneri, & ad id etiam sententiis, censuris, & pœnis ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, necnon priuationis quorumcumque aliorum feudorum Ecclesiasticorum per eos etiam legitime obtentorum, & inhabilitatis ad illa aliaque deinceps obtinenda, ac aliis iuris & facti remediis, cogi & compelli posse.

Clausula præseruatiua.

§. 6. Ac decernentes præsentes vim perpetuæ legis habere, neque de nullitatis vitio seu intentionis nostræ, vel alio quouis defectu notari seu impugnari posse, sed illas omni exceptione remota, validas & efficaces fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & inuiolabiliter obseruari.

Decretum irritans.

§. 7. Sicque per quoscumque iudices & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, in quauis etiam de præsenti pendente causa, & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere. Ac irritum quoque & inane quicquid à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§. 8. Non obstantibus reductione nostra & litis pendentiis præmissis, ac etiam per nos præstitis iuramentis, & de non tollendo ius quæsitum, aliisque quibuslibet constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; necnon priuilegiis, indultis, promissionibus, ratificationibus, obligationibus, submissionibus, renunciationibus, & literis Apostolicis, detentoribus, præfatis, & aliis quibuslibet sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cū quibuslibet, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, & aliis decretis, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus per nos etiam Consistorialiter, & contra tales reuocationes quomodolibet concessis, ac etiam pluries approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorū tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse paribus, Motu, scientia, & potestatis plenitudine derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma, & effectus publ.

§. 9. Vt autem præsentes ad eorum quos concernunt notitiam facilius deducantur, volumus, & mandamus, quod illæ in Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ, ac Cameræ Apostolicæ valuis per aliquem ex nostris Cursoribus affixæ, copia illarum ibi dimissa, vniuersos & singulos quorum interest, si citra videlicet infra mensem, si vero vltra montes fuerint infra tres menses à die affixionis huiusmodi computandos perinde afficiant, ligent, arctentque, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Quam habet in fin.

Dat. P. A. d. die 17. Nouē.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1565. xv. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno sexto.

Papa subsc.

Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero.

Cardinalium subscript.

Ego Io. Mi. Cardinalis Saracenus.
Ego Io. Cardinalis Sancti Vitalis.
Ego Io. B. Cicada Card. S. Clementis.
Ego Scipio Card. Pisarum.
Ego Io. Card. Reomanus.
Ego Io. Ant. Card. Capisuccus.
Ego F. M. G. Card. Alexandrinus.
Ego Clem. Card. Aræcœli.
Ego Iac. Card. Sabellus.
Ego Io. Ant. Card. S. Georgij.
Ego Bern. Card. Saluiatus.
Ego Lud. Card Simoneta.
Ego F. Card. Paceccus de Toledo.
Ego M. Ant. Card. Amulius.
Ego Io. Franciscus Card. de Gambara.
Ego M. S. Card. de Alta Emps.
Ego Franciscus Card. Mantuanus.

Ego

Digitized by Google

Ego Marcus Ant. Card. Columna,
Ego Ptolomæus Card. Comensis.
Ego B. Card. Lomellinus.
Ego Vitellotinus Card. Vitellius S.R.E. Cam.
Ego Franciscus Card. Alciatus.
Ego Gulielmus Card. Sirletus.

Publicatio. *Anno à Natiuitate D.N. Iesu Christi* 1565. *Indict.* 8. *die vero* 5. *mensis Octob. Pontificatus autẽ Sanctiss. in Christo Patris, D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. anno sexto, retroscriptæ literæ affixæ, & publicata fuerunt ad valuas Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancell. Apost. vt moris est, per nos Scipionem de Octauianis, & Io. Andream Rogerium Cursores.*

Alex. Astancollus Mag. Curs.

Sequitur facultas Camerarij sup. prædictis.

Edita An. D. *PIVS PAPA QVARTVS*
Motu proprio, &c.

Exordium. DEcens esse arbitramur & congruum ità nos, &c. vt supra.

Deputatio Camerarij executoru d. conflit. §. 1. Nos literas ipsas, ac in eis contenta quæcumque suos plenarios ac debitos effectus sortiri cupientes, Dilecto filio nostro Vitellotio S. Mariæ in Via lata Diacono Cardinali Vitellio nuncupato, nostro ac eiusdem S.R.E. Camerario, per Apostolica scripta mandamus, quatenus in virtute sanctæ obedientiæ ipse etiam vltra ordinariam sui Camerariatus officij facultatem per se vel alium, seu alios literas prædictas, ac in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit solemniter publicans, faciat auctoritate nostra executioni debitæ demandari, illaque firmiter & inconcusse obseruari. Non permittens Sedem & Cameram præfatas, ac pro eis agentes quoscumque contra literarum earumdem tenorem indebite molestari. Contradictores quoslibet & rebelles, literisque prædictis contrauenientes etiam contra eos manu Regia, ac simpliciter, & de plano, ac sine strepitu & figura iudicij, solaque rei veritate inspecta procedens, per censuras & pœnas ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias eius arbitrio infligen. moderan. & applican. omni quacumque appellatione, & reclamatione remota compescendo.

Derogatio cõtrariorum. §. 2. Non obstan. de vna & duabus non tamen tribus dictis, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit. §. 3. Volumus autem quod præsentis nostri Motus proprij sola signatura, etiam si videbitur absque aliqua illius registratura sufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio & extra, quacumque regula seu constitutione Apostolica contraria non obstante.

PP. subscrip. Placet Motu proprio. I.

Taxa mercedum Notariorum causarum Ciuilium, Gubernatoris, Vicarij, Iudicis Burgi, & Magistrorum Viarum Vrbis, & etiam Capitolij in casibus de quibus per Statuta non est prouisum.

Taxam vero Notariorum Criminalium habes in const. seq. Et Notariorum A. C. in const. 113. *Pij V.* Inter illa. *Quas omnes reformatas attende in Pauli V. const.* 72.

PIVS PAPA QVARTVS
Motu proprio, &c.

CVm nuper generali Reformationi, circa Romanæ Curiæ officia, & Tribunalia per nostras desuper editas literas prouiderimus, & inter cetera statuerimus, vt quorumdam, Tribunalium Notarij, pro actis coram eis facien. adnotandis, & conscribendis, mercedem iuxta taxationem per nos eis ordinandam, & non vltra, exigere valeant: idciro nos illam ad suprascriptum modum duximus reducendam. Quam per Notarios actuarios in causis Ciuilibus Curiarum Almæ Vrbis nostræ Gubernatoris, & nostri in eadem Vrbe Vicarij, necnon Capitanei Burgi Sancti Petri, & Magistrorum viarum, ac in casibus, in quibus per statuta Vrbis specialiter non prouideretur, etiam Senatoris eiusque Collateralium, & Capitanei appellationum, ac Magistrorum Iustitiariorum, obseruari mandamus, sub pœnis in dictis nostris literis expressis. Vtque tam ipsis Notariis quantum petere valeant, quam partibus litigantibus quantum soluere debeant iugiter innotescat iubemus, vt singuli Notarij prædicti, taxationem suprascriptam in vulgari sermone impressam, Tabellæ affixam in suo quisque Officio in loco publico, quo ab omnibus inspici, legi, & intelligi possit teneant, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Notarij prædicti seruent hanc taxam, & tabellam affixam teneant in loco publico.

Placet Motu proprio. I.

PRo quocumque Monitorio, Arresto, seu præcepto litis introductiuo cum clausula, siquis, &c. nihil.
Pro quacumque petitione, comparitione, protestatione, siue allegatione, bol. vnum. bol 1
Pro quacumque reuocatione inhibitionis de facto factæ, Arresti, Sequestri, seu cuiusuis Mandati, bol. duos. b. 2.
Pro mandato suspicionis fugæ, cum examine testium vsque ad summam scutorum decem, bol. decem. b. 10.
Cum productione iurium à decem infra, bol. septem cum dimidio. bol. 7 ½
A decem supra, cum examine testium, bol. duodecim. b. 12
Cum productione Iurium à decem supra bol. decem. b. 10
Pro Arresto in carceribus, idem soluitur respectiuè
Pro mandato de relaxando, cum cautione vsque ad summam scutorum decem, bol. quindecim. b. 15
Si vero cum consensu, siue cautione, bol. duodecim. b. 12
Abinde supra si cum cautione, bol vigntiquinque. b. 25
Si vero sine cautione, bol. viginti. b. 20
Pro quocumque mandato in contumaciam, bol. tres. b. 3
Pro reuocatione Mandati in contumaciam bol. duos b. 2
Pro Non Grauetur, seu mandato de non molestando in forma iuris, bol. tres. b. 3
Pro quocumque depositro pro quacumque summa in actis facien. nihil.
Pro restitutione depositi pro quolibet scuto in causa mercedum, bol. vnum in ceteris. b. 2
Pro rogitu cuiuscumque obligationis in officio vsque ad summam scutorum decem, bol. septem cum dimidio. b. 7 ½
Abinde supra, bol. decem. b. 10
Extra officium duplum.
Pro cassatione cuiuscumque obligationis Iudicialis vsque ad summam decem bol. quinque. b. 5
Abinde supra, bol. decem. b. 10
Pro susceptione termini in iudicio ad soluendum, bol. duos. b. 2
Pro quacumque susceptione censurarum in iudicio, quæ non fiat nisi vltra decem, bol. septem cum dimidio. b. 7 ½
Pro moderatione censurarum, bol. duos. b. 2
Pro quocumque partito litis decisiuo, bol. duos. b. 2.
Pro quocumque iuramento extra Officium, susceptione termini, aut actus iudicialis vsque ad scutos decem, bol. septem cum dimidio. b. 7 ½
Abinde supra, bol. decem. b. 10
Pro quocumque Mandato vigore termini in iudicio susceptj, vel censurarum, vel iuramento vsque ad summam scutorum, quinque, bol quinque. b 5
A scutis quinque vsque ad decem, bol. decem. b. 10
A decem vsque ad viginti, bol. viginti. b. 20
A viginti vsque ad quamcumque summam, bol. quinquaginta. b 50
Pro decreto suprad. mandati, bol. duos. b 2
Pro quacumque fide de exequendo Mandatum in alia Curia, decretum, seu appositionis manus in contumaciam, vel alias non facto processu, bol. duos. b. 2
Pro quocumque rogitu procuræ in Officio, bol. duos. b. 2
Extra vero officium, bol. octo. b. 8
Pro productione quorumcumque iurium, articulorum, & interrogatorum, bol. duos. b. 2
Pro quacumque restitutione iurium cum dimissione copiæ à decem scutis infra, supra tamen duo in scripturis priuatis, bol. septem cum dimidio. b 7 ½
A decem vsque ad viginti, bol. quindecim. b. 15
A viginti supra, bol. viginti. b. 20
Si vero instrumenta publica, vel alia iura, duplum in quolibet casu prædicto.
Pro relatione ad videndum iurare testes, & illorum

Depositi vltra scuta quinq; apud Montem Pietatis fieri decreuit Greg. XIII. infra in eius const. 94. Inter multiplices.

reductione, ſpecificatione materiarum etiam ſi inſimul cum inductione teſtium fiat, bol. duos. b. 2
Pro reſponſione articulorum ſiue præparatoriorum pro quolibet articulo, ſeu præparatorio etiam generali ſiue fiat verbo ſiue fiat per productionem cedulæ, bol. vnum. b. 1
Pro examine Teſtis in quacumque ſumma, ſummarie abſque articulis & interrogatoriis bol. ſeptem cum dimidio. b. 7 ½
Pro examine ſuper recognitione texeratum, bol. quatuor. b. 4
Pro recognitione apocarum, bol. tres, b. 3
Pro examine ſuper articulis, & interrogatoriis à ſcutis decem infra, ſupra tamen duo, bol. decem, b. 10
A decem vſque ad viginti, bol. quindecim. b. 15
A viginti vſque ad quamcumque ſummam, bol. viginti-quinque. b. 25
Si vero articuli, & interrogatoria fuerint exceſſiua, ſoluatur arbitrio Domini.
Extra vero officium ſoluatur duplum.
Pro copia teſtium publicorum, ſoluatur ad rationem vt ſupra pro examine.
Pro quacumque informatione iudici facienda cum oſtenſione actorum, iurium, vel teſtium, à quinque ducatis infra, bol. tres. b. 3
A quinque, vſque ad decem, bol. ſex. b. 6
Abinde ſupra bol ſeptem cum dimidio.
Et vnica tantum informatio in omnibus caſibus ſoluatur. 7. ½
Et ſi fiat extractus, vel Regiſtrum, nihil ſoluatur pro informatione.
Pro quocumque decreto diffinitiuo, vel nota ſententiæ vim diffinitiuæ haben. vſque ad ſummam ſcutorum quinque, bol. quinque. b. 5
Vſque ad decem, bol. dem. b. 10
Vſque ad viginti, bol. triginta. b. 30
Vſque ad quamcumque ſummam, bol. quadragintaquinque. b. 45
Pro quocumque mandato vigore ſententiæ ſeruatis ſeruandis, vel cauſa cognita, vſque ad ſummam ſcutorum quinque bol. ſeptem cum dimidio. b. 7 ½
Vſque ad decem bol. decem. b. 10
Vſque ad viginti bol. triginta. b. 30
Vſque ad quamcumque ſummã, bol. quinquaginta. b. 50
Pro copia cuiuſlibet commiſſionis, bol. decem. b. 10
Pro copia ſimplici cuiuſlibet inſtrumenti in actis rogati, bol. ſeptem cum dimidio. b. 7 ½
Pro copia ſubſcripta pro fide eorumdẽ, bol. decem. b. 10
Pro copia articulorum ſi ſit magna ſcriptura, b. decem. b. 10
Pro copia cuiuſlibet petitionis partiti iuramenti, allegationis, & cuiuſcumque alterius actus iudicialis in actis facti. bol. duos. b. 2
Pro mandato de euacuando domum, bol. vigintiquinque. b 25
Pro quocumque mandato de conſignandis pignoribus, b. tres. b. 3
Pro quocũque decreto confeſſionis debiti, bol. duos. b. 2
Pro quibuſcumque literis declaratoriis vigore Monitorij vel in illarum loco Mandato in contumaciam, bol. triginta ſeptem cum dimidio. b. 37 ½
Pro quibuſcumque literis excommunicatoriis ſiue delegatoriis vigore obligationis in forma Cameræ vel monitorij reintegrati, vel mandato loco illarum vſque ad ſummam vigintiquinque ſcutorum, bol. triginta ſeptem cum dimidio. b 37 ½
A vigintiquinque vſque ad quamcumque ſummam, bol. quinquaginta. b. 50
Pro abſolutione à cenſuris, bol. ſeptem cum dimidio. b. 7 ½
Pro inſtrumento abſolutionis à cenſuris idem ſoluatur, prout in literis.
Pro quocumque Brachio ſæculari, ſoluatur duplum ad rationem ſummæ prædictæ.
Pro monitorio extra Vrbem in illius diſtrictu, bol. viginti b. 20
Pro rogitu inſtrumenti poſſeſſionis infra mœnia vrbis, bol. triginta ſeptem cum dimidio. b. 37 ½
Extra vero mœnia vrbis, arbitrio Domini.
Pro inuentario de bonis, extra officium, bol. quinquaginta. b 50
Pro publicatione inſtrumentorum, ſeruentur ſtatuta Vrbis.
In cauſis à quinque infra, ſpecificentur materiæ in actis & examinentur teſtes abſque articulis & interrogatoriis, & Notarius teneatur ſuper generalibus examinare, & ſi pars voluerit dare interrogatoria, concordet Notarium.
Etſi agatur de bonis, & non de pecuniarum quantitatibus, ſterur arbitrio Domini, qua taxa ſolui debeat.
Pro extractibus fiendis prout hactenus fieri conſueuerunt, pro quolibet folio habentibus lineas vigintiduo in qualibet pagina, bol. ſeptem cum dimidio, b 7 ½
In cauſis commiſſariis, pro comparitione & relationibus, nihil recipiatur & in omnibus caſibus, ſoluatur prout in aliis Vrbis tribunalibus ſolui ſolitum & conſuetum eſt.
A pauperibus miſerabilibus perſonis ſoluere impoten. nihil iuxta formam literarum noſtrarum accipiant.

Taxa mercedum Notariorum cauſarum criminalium Gubernatoris, Auditoris Cameræ, Vicarij, & Senatoris Vrbis, ac Iudicis Burgi. CVI.

Horum Notariorum taxa plenius reformata eſt à Paulo V. infr. in eius conſt. 78. Cum nos.

PIVS PAPA IV. Motu proprio, &c.

Notarij prædicti ſeruent hanc taxam, & tabellam affixam teneant in loco publico.

CVm nuper generali reformationi circa Rom. Curiæ Officia & Tribunalia per noſtras deſuper editas literas prouiderimus, & inter cetera ſtatuerimus, vt quorumdam Tribunalium Notarij pro actis coram eis facien. adnotandis, & conſcribendis mercedem iuxta taxationem per nos eis ordinandam, & non vltra, recipere valeant. Idcirco nos illam ad ſupradictum modum duximus reducendam, quam per Notarios actuarios, in cauſis criminalibus Curiarum Almæ Vrbis noſtræ Gubernatoris, Auditoris Cameræ, Vicarij, Senatoris, ac Burgi, obſeruari mandamus ſub pœnis in dictis noſtris literis expreſſis, vtque tam ipſis Notariis quantum petere valeant, quam partibus litigantibus quantum ſoluere debeant iugiter innoteſcat, iubemus, vt ſinguli Notarij prædicti taxationem ſubſcriptam in vulgari ſermone impreſſam, & tabellæ affixam, in ſuo quiſque officio in loco publico, quo ab omnibus inſpici, legi, & intelligi poſſit teneant, contrariis non obſtan. quibuſcumque.

Placet Motu proprio. I.

PRo receptione querelæ ex officio, vel ad inſtantiam partis ſiue in officio, ſiue extra officium. nihil.
Pro examine teſtium pro informatione Curiæ, ſiue in officio ſiue extra officium, ſimiliter ex officio vel ad inſtantiam, partis. nihil.
Pro examine reorum in carceribus. nihil.
Pro quolibet Monitorio, inhibitione, vel ſequeſtro in curia, cum clauſula, Si quis. ſcut. bol. 3
Pro alia inhibitione, arreſto, monitorio, vel ſequeſtro ſine dicta clauſula. ſc. b. 5
Pro qualibet ſignificatione, cum fideiuſſione, ſiue obligatione. ſc. b. 15
Pro ſimili ſignificatione, abſque fideiuſſione, & obligatione. ſc. b. 10
Pro monitorio pœnali, citatione, inhibitione, ſequeſtro, arreſto, aut alio quouis inſtrumento ſiue in curia ſiue extra curiam, ſiue auctoritate ordinaria ſiue commiſſaria pro Fiſco. nihil.
Pro ſimili monitorio in curia in vim commiſſionis, ſi adeſt inſtigator ſecretus vel apertus, carlen. quinque. ſc. b. 37 ½
Pro monitorio vel ſequeſtro extra curiam auctoritate ordinaria, ſi adeſt inſtigator, vt ſup. ſc. b. 25
Pro monitorio vel ſequeſtro extra curiam in vim commiſſionis, ſi adeſt ſimilis inſtigator ſecretus vel apertus. ſc. b. ½
Pro inhibitione in curia vigore commiſſionis, ad inſtan. partis,

Digitized by Google

partis, vel si adest instigator, vt supra carl. quinque sc. b. 37 ÷
Pro inhibitione simili extra curiam. sc. b. 60
Pro citatione etiam cum inhibitione vigore commissionis, etiam per edictum extra curiam, ad instantiam partis, vel si adest instigator vt supra. sc. 1 b ÷
Pro compulsorialibus generalibus vel specialibus extra curiam vigore commissionis sc. 1 b ÷
Pro instrumento remissoriæ sc. 1 b ÷
Pro quolibet palmo rotuli remissoriæ carl. 5. sc. b. 37 ÷
Pro literis missiuis pro examinan. testibus extra curiam loco remissorialium sc. b. 20
Pro literis declaratoriis ob non paritionem monitorij extra curiam, carl. 10. sc. b. 75
Si in causa commissaria sc. 1 b. ÷
Pro brachio sæculari similiter ob non paritionem monitorij extra cu. in caus. ordin. sc. 1 b. 50
Pro brachio sæculari vel mandato executiuo loco executorialium extra curiam in causa cõmissaria. sc. 2. b. 50
Pro mandato de capien. extra cu. auctoritate ordinaria, ad instantiam patris vel instigatoris secreti, vel aperti. sc. b. 25
Si in causa commissaria sc. 1
Pro edicto tempore vacantiarum sc. b. 50
Pro comparition. relation. iurium production. vel aliis quibusuis actis pro Fisco. nihil
Pro qualibet relatione, comparition. protestation. iurium production. vel alio actu parte instante sc. b. 2
Pro actu depositi pecuniarum nihil
Deposita vltra scuta quinque apud Montẽ Pietatis fieri decreuit Gregor. XIII infra in eius const. 94. Iorer multiplicet.
Pro consignatione depositi pro quolibet scuto b. 1
Pro consignatione pignoris vel rei depositatæ sc. b. 7 ÷
Pro examine cuiuslibet testis in causa capitali, vel in qua veniret imponenda pœna corporis afflictiua, cum articulis & interrogatoriis, vel cum interuentu Domini Iudicis, vel Fisci, in officio vel domo ipsius Iudicis. sc. b. 50
Si extra domum & officium, etiam si testis sit egregius vel illustris super eisdem sc. 1
Si absque interrogatoriis & interuentu Iudicis & Fisci, vel super bona fama, aut super vno vel duobus articulis tantum in officio sc. b. 25
Si extra officium, etiam si testis sit illustris, vt supra. sc. b. 4
Pro examine testis in aliis causis non capitalibus, super articulis & interrogatoriis, vel cum interuentu Iudicis vel Fisci in officio sc. b. 3
Si extra officium, etiam si testis sit egregius, vel illustris. sc. b. 50
Si absque interrogatoriis & interuentu Iudicis, vel Fisci, in officio sc. b. 15
Si extra officium sc. b. 25
Si materiæ in articulis vel interrogatoriis fuerint excessiuæ, in quolibet ex casibus prædictis attendatur taxa iuxta excessiuitatem arbitrio D. Iudicis
Pro examine testis in officio summariè, absque articulis & interrogatoriis sc. b. 10
Si extra officium sc. b. 15
Pro ostensione depositionum testium publicatorum absque copia, soluatur medietas eius quod solutum fuerit pro examine respectiue.
Pro copia ipsius depositionum testium pro quolibet fol. continen. lineas 23. sc. b. 7 ÷
Pro quolibet folio copiæ indiciorum continen. lineas 23. & pro qualibet linea 12. syllabas si vnus tantum reus fuerit, sc. b. 5
Si duo vel plures rei fuerint, pro quolibet fol. simili carlen. vnum. sc. b. 7 ÷
Pro quolibet centenario fol. regestri in causis ordinariis, si ad instãt. partis fieri contingat, dummodo pagina fol. contineat lineas 24. & regestrum vel extractus cur. Capitolij factus fuerit iux. formam Motus proprij S. D. N. D. Pij PP. IV. sc. 3. b 1 ÷
In causis vero commissariis à principio cum totidem 24. lineis, & iuxta formam eiusdem Motus proprij, pro quolibet centenario. sc. 4
Pro quolibet folio extractus facti cum lineis, & iuxta tenorem dicti Motus proprij sc. b. 7 ÷
Pro quolibet centenario rubricaturæ processus de partibus sc. 1. b. 50
Pro mandato de relaxan. aliquem in causa capitali, vel alia in qua veniret imponenda pœna corporis afflictiua, vbi præcesserint indicia, & reus fuerit examinatus, nec fuerit lata & subscripta sententia sc. b. 50
Vbi vero reus præcedentibus indiciis examinatus, fuerit condemnatus, vel etiam tam ante, quam post composuerit, aut soluerit pœna, seu ex gratia pœna ei remissa fuerit. sc. 1
Pro mandato de relaxando aliquem in alia causa, vbi præcedent indicia, & reus componat, vel pœnam soluat, aut condemnatus ex gratia liberetur sc. b. 30
In aliis vero quibusuis casibus pro simili mandato de excarcerando sc. b. 20
Pro rogitu cuiuslibet fideiussionis in officio, vel carcere, sc. b. 10
Si extra officium & carcerem sc. b. 20
Pro mandato de capiendo aliquem pro indiciis, vel pro curiæ informatione nihil
Pro mandato de capiendo pro cautione de non offendendo. sc. b. 7 ÷
Pro non grauetur sc. b. 5
Pro mandato de euacuando seruatis seruandis b. 20
Pro inuentario in causa capitali sc. 1
Pro simili inuentario facto de mandato Iudicis in quauis alia causa criminali sc. b. 50
plus vel minus arbitrio Iudicis
Pro simili inuentario in causa ciuili sc. b. 20
Pro extimatione, subhastatione, & venditione bonorum mobilium, vel se mouentium Fisco incorporatorum, vsque ad valorem scut. 10. b. 15
A scut. 10. vsque ad 20. sc. b. 30
A scut. 20. vsque ad 50. sc. b. 75
A scut. 50. vsque ad 100. sc. 1
A scut. 100. vsque ad 500. sc. 2
A scut. 500. vsque ad quamcunque summam sc. 3
Pro adeptione possessionis bonorum stabilium Fisco incorporatorum intra mænia sc. 1
Si extra, soluatur iuxta importantiam causæ, & distantiam loci, arbitrio Domini Iudicis
Pro subhastatione, venditione, & deliberatione similium bonorum stabiliũ vsque ad valorẽ scut. 100. sc. 1. b. 2
Ab inde supra capiatur arbitrio eiusdem Domini Iudicis
Pro nota sententiæ diffinitiuæ, declaratoriæ, vel interlocutoriæ, in quauis instantia pro Fisco nihil
Pro nota sententiæ absolutoriæ diffinitiuæ in causa capitali in prima instantia, pro quolibet reo sc. 4
Si in secunda instantia sc. 3
Si in tertia instantia sc. 2
Pro simili nota sententiæ in alia causa in qua veniret imponenda pœna corporis afflictiua, in prima instantia sc. 3
Si in secunda sc. 2
Si in tertia sc. 1
Pro simili nota sententiæ absolutoriæ definitiuæ in causa non capitali, & in qua non veniret imponenda pœna corporis afflictiua in prima instantia sc. 2
Si in secunda sc. 1 b. 50
Si in tertia instantia sc. 1
Pro simili nota sententiæ declaratoriæ in quauis causa & instantia sc. 1
Pro nota sententiæ definitiuæ in causa discussionis, recipiatur iux. importantiam causæ arbitrio Domini Iudicis
Pro nota decreti habentis vim sententiæ definitiuæ in quolibet ex casibus prædictis capiatur pro medietate, iuxta taxam prædictarum sententiarum respectiue
Pro quolibet folio copiæ articulorum, vel iurium productorum carl. vnum sc. b. 7 ÷
Pro restitutione iurium sc. b. 25
Pro quolibet saluo conducto pro homicidio ad quoduis tempus si forte dari contingat de mandato S. D. N. sc. 1
Si pro alio minori delicto. sc. b. 50
Pro decreto ad exequendum mandatum iam decretum reuocationis, inhibitionis, vel sequestri de consignando bona depositata, vel similis naturæ, vna cum fide

Digitized by Google

vel mandato desuper opportuno carl. vnum. sc. b. 7.
Pro cassatione cuiuslibet simplicis fideiussionis, obligationis, vel querelæ. sc. b. 10
Pro cassatione similis fideiussionis, vel querelæ in quibus securus fuerit processus, vel examen inquisiti, non tamen condemnatio sc. b. 20
Pro cassatione similis fideiussionis, vel obligationis in causa graui, & pro persona tertia, attendatur importantia ipsius causæ, & personæ inquisitæ, & stetur iudicio Domini Iudicis, nisi partes fuerint inter se concordes. sc. 1
Pro cassatione processus in causa capitali, pro quolibet inquisito sc. 1
Si in causa minori, in qua tamen veniret imponenda pœna corporis afflictiua sc. b. 75
Pro cassatione processus in alia causa non capitali, in qua non veniret imponenda pœna corporis afflictiua sc. b. 50
Pro cassatione processus in causa graui, & pro persona tertia attendatur importantia causæ personæ, & stetur iudicio Domini Iudicis, vt supra
Pro instrumento sententiæ in causa capitali. sc. 2
Pro simili instrumento in causa in qua tamen veniret imponenda pœna corporis afflictiua sc. 1. b. 50
Pro simili instrumento in causa minori sc. 1
Pro instrumento sententiæ declaratoriæ, absolutionis, vel decreti habentis vim similis sententiæ sc. b. 50
Pro susceptione censurarum, vel termini in iudicio sc. b. 5
Pro fide cuiuslibet actus iudicialis sc. b. 10
Pro fide decreti visitæ extra diem visitæ sc. b. 5
Pro rogitu procuræ in officio sc. b. 5
Si extra officium sc. b. 10
Pro expensis contumacialibus in causa capitali ordinaria, in qua præcedentibus indiciis reus fuerit monitus, & in contumaciam condemnatus sc. b. 50
Si in causa non capitali, in qua tamen modo præmisso reus sit in pœnam corporis afflictiuam condemnatus sc. 1
Si in alia minori causa in qua eodem modo reus sit tantum in pœnam pecuniariam condemnatus sc. b. 50
Pro similibus expensis contumacialibus in causa commissaria in primo capite, vt supra sc. 2 b. 50
Si in secundo sc. 2
Si in tertio capite sc. 1 b. 50
Si vero huiusmodi expensæ fuerint in causa graui, vel pro persona tertia, exigatur iuxta importantiam causæ, & qualitatem personæ, arbitrio Domini Iudicis
Pro quibusuis aliis instrumentis, expeditionibus, & scripturis, quorum merces in præsenti taxa non exprimitur, & etiam in præinsertis in quibus videlicet controuersia inter Notarium & partem oriri contigerit, stetur arbitrio Domini Iudicis
Eadem taxa præinserta seruetur in quibusuis officiis criminalibus prædictis, etiam in causis mixtis, vel etiam ciuilibus, criminalibus dependentibus, aut quibus de interesse Fisci agitur
In aliis vero mere ciuilibus in eisdem officiis pertractandis, etiam in casibus prædictis, seruetur taxa Notariis ciuilibus nouissime imposita.
In omnibus casibus prædictis, & aliis quomodolibet contingentibus, pro paupere nihil penitus recipiatur, & de paupertate stetur relationi Domini Aduocati vel procuratoris pauperum, & vbi opus fuerit, loco copiæ indiciorum vel iurium, ostendantur originalia ipsi Domino Aduocato vel Procuratori dictorum pauperum gratis.

PIVS V. PONT. CCXXIX. ANNO DOMINI MDLXVI.



PIus Quintus, Alexandrinus, de Ghisileriis, frater Michael antea dictus Ordinis S. Dominici, presbyter Cardinalis tituli S. Mariæ supra Mineruam. Creatus septimo Idus Ianuarij, Coronatus 16. Kal. Febr. 1566. creauit Cardinales 21. Vixit annos sex, menses tres, dies 23. Obiit Kalen. Maij anno 1572. sepultus fuit in Basilica S. Petri, postea à Sixto Quinto, ad sacram Ædem S. Mariæ Maioris in sacellum ad Præsepe constructum translatus fuit. Vacauit sedes dies vndecim.

I. Quod Cardinalibus Congregationis Sanctissimæ Inquisitionis, Officiales omnes pareant. Et quoscumque pro aliis delictis carceratos, & ad d. Officium Inquisitionis delatos, ad eosdem Cardinales remittant, aliorum criminum cognitione suspensa.

Consonat const. 76. Clem. VIII. Sanctissimus, & ante illam, Sixtus V. in eius const. 74. eo. iumdem Cardd. iurisdictionem præfiniuit.

Edita An. D. SAnctissimvs D.N.D. Pius diuina prouidentia Papa Quintus, statuit, decreuit, & ordinauit, ac mandauit vt negocia fidei, omnibus & singulis aliis præferantur, cum fides sit substantia & fundamentum Christianæ Religionis, omnibus & singulis Almæ Vrbis, eiusque districtus Gubernatori, Senatori, Vicario, Cameræ Apostolicæ Auditori, & quibuscumque aliis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus Prouinciarum & terrarum suæ Sanctitati, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediate & immediate subiectarum, ac eorum Locatenen. officialibus, bariselis, & aliis ministris, necnon aliis locorum Ordinariis, ceteriscque magistratibus & officialibus, ac cuiusuis conditionis & status hominibus, in omnibus & singulis terris, oppidis, & ciuitatibus, ac in tota Republica Christiana existen. sub excommunicationis latæ sententiæ, ac indignationis suæ Sanctitatis, & aliis arbitrio suæ Sanctitatis, & Illustrissimorum & Reuerendissimorum Dominotum Cardinalium Inquisitorum generalium imponendis & exequendis pœnis, vt eisdem Cardinalibus Inquisitoribus, ac eorum præceptis & mandatis in quibuscumq; officium S. Inquisitionis concernen. pareant & obediant.

Omnes officiales obediãt Inquisitoribus generalibus.

§. 1. Reges

Digitized by Google

Reges & Principes faueant eisdem.

§.1. Reges vero, Duces, Comites, Barones, & quoſuis alios Principes ſæculares in Dei nomine rogauit, vt eiſdem Cardinalibus Inquiſitoribus, eorumque officialibus faueant, auxiliumque præbeant, & à ſuis magiſtratibus ſubditis auxilium præberi faciant in negotiis ad dictum officium ſpectan.

Carcerati pro aliis cauſis, ſi de hæreſi inquirantur, trãſmittãtur ad Inquiſitores.

§. 2. Necnon carceratos quoſcumque pro quibuſuis delictis, & debitis etiam atrocibus apud dictum Inquiſitionis officium quomodolibet delatos vel denunciatos, ſuſpenſa aliorum criminum inferiorum cognitione, ad eoſdem Cardinales, & Inquiſitionis carceres, ibidemque ad criminis hæreſis totaliter cognitionem & expeditionem retinendos, & poſtea ad eoſdem officiales pro aliorum criminum expeditione remittendos, ſine mora tranſmittant.

II. Quod beneficia curata in Alma Vrbe, eiuſque diſtrictu, præuio examine Cardinalis Vicarij Romani Pontificis conferantur.

Edita An.D.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Vt beneficia Eccleſiaſtica curam animarum habentia in Vrbe & eius diſtrictu idoneis perſonis conferantur.

§.1. CVpientes vt beneficia Eccleſiaſtica curam animarum habentia, maxime in hac Alma Vrbe noſtra, quæ totius mundi caput exiſtit, & à qua ceteræ exemplum capere debent, perſonis dignis, & habilibus, quæ in loco reſidere, ac curam per ſe ipſos exercere valeant, iuxta ſacrorum Canonum decreta, ac examinatis, & ad ea obtinen. idoneis, & habilibus, & per examinatores ad id iuxta nouiſſime Oecumenici Concilij Tridentini decreta deputatos, repertis & approbatis, conferantur.

Statuit hic Pont. quod perſonæ, quib. beneficia curata cõferenda ſunt, ab eius Vicario examinentur & approbentur.

§.2. Tenore præſentium ſtatuimus atque decernimus, quod occurrente vacatione, tam per obitum, quam per reſignationem, aut alias quomodolibet beneficiorum Eccleſiaſticorum curam, vt præfertur, animarum habentiũ, in eadem Vrbe noſtra, eiuſque diſtrictu, nulli de eiſdem prouideatur, aut illa conferantur, aut ad ea inſtituantur, eligantur aut alias quouis modo diſponatur de eis, per quoſuis ordinarios collatores, etiam S. R. E. Cardinales, ad quos etiam ratione titulorum ſuorum, collatio, inſtitutio, aut quæuis alia diſpoſitio ſpectat & pertinet, niſi is, cui prouiſio, collatio, inſtitutio, electio, aut quælibet alia diſpoſitio in perſonam illius facien. ſit, per dilectum filium noſtrum Iacobum tituli S. Mariæ in Coſmedin preſbyterum Cardinalem, de Sabellis nuncupatum noſtrum in dicta Alma Vrbe, eiuſque diſtrictu, Vicarium generalem, præuio examine, per examinatores ad hoc deputatos, idoneus & habilis repertus & approbatus fuerit.

Collationeſq; aliter facta nulla ſint.

§.3. Prouiſiones, collationes, inſtitutiones, & quaſuis alias diſpoſitiones aliter factas quibuſuis perſonis, nullas, inualidas, nulliuſque roboris vel momenti, ac nullum titulum, etiam coloratum poſſiden. eis tribuere, ſed beneficia præfata, adhuc vt præfertur vacare, & per nos, vel alios, ad quos illorum collatio ſpectat, perſonis dignis & habilibus conferri, & de eis diſponi poſſe. Non obſtantibus prouiſionibus, collationibus, & inſtitutionibus, electionibus, & aliis diſpoſitionibus factis, ſicque per quoſcumque Iudices, &c. ſublata, &c. iudicari debere, irritum quoque, &c.

Quibuſcũque non obſtantib.

§.4. Non obſtantibus præmiſſis, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, priuilegiis quibuſcumque, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus conceſſis & innouatis, ac indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque verborum & tenorum formis, latiſſime extendendis, quibus omnibus, &c. illorum tenores, &c. haben. ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque cum clauſulis opportunis & conſuetis.

EP. ſubſcrip.

Placet Motu proprio. M.

III. Medici, quæ ſeruare debeant, in curatione Infirmorum.

Hic nota quod Medici Hebræi non ſunt admittendi ad curandos infirmos Chriſtianos, vt infra in Greg. XIII. conſtit. 68. Alias piæ. *vbi hanc conſt. ſeruari etiam præcipit. Et inſuper recordare quod omnes Medici profeſſionem Fidei facere debent, antequam promoueantur, vt ſup. in Pij IV. conſt. 88.* In ſacroſancta.

Edita An.D. 1566.

PIVS PAPA QVINTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SVpra gregem Dominicum noſtræ vigilantiæ diuinitus creditum, vigilis ſpeculatoris, prout nobis deſuper conceditur, exercentes officium, ad ea per quæ animarum ſaluti cum diuini nominis gloria conſuli valeat, libenter intendimus, vt Chriſti fideles poſt baptiſmum in peccata lapſi, per ſacramentum Pœnitentiæ Deo reconcilientur.

Innoc. III. iuſſit Medicu vt infirmis ſuadeãt, quod vocent, Medicos animarum.

§.1. Sane cum infirmitas corporalis nonnumquam ex peccato proueniat, dicente Domino languido quem ſanauerat, Vade, noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat, ac propterea prouide fel. rec. Innocentius Tertius prædeceſſor noſter Medicis præceperit, vt cum eos ad ægrotos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, vt animarum Medicos vocent, ne cum eis hoc in extrema ægritudine conſtitutis ſuadetur, in deſperationis articulum incidant.

Hic Pont. innouat hanc iuſſionem.

§.2. Nos igitur volentes hoc tam ſalutare præceptum nulla temporis præſcriptione aboleri, ſed ſemper obſeruari, conſtitutionem præfatam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium innouamus.

Et prohibet Medicu vltra tres dies infirmos non cõfeſſos, curare.

§.3. Et hac noſtra in perpetuum valitura conſtitutione, ſtatuimus & decernimus, quod omnes Medici cum ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint, ipſos ante omnia moneant, vt idoneo confeſſori omnia peccata ſua iuxta ritum S. R. E. confiteantur, neque tertio die vlterius eos viſitent, niſi longius tempus infirmo Confeſſor ob aliquam rationabilem cauſam, ſuper quo eius conſcientiam oneramus, conceſſerit, & eis perfidem confeſſoris in ſcriptis factam conſtiterit, quòd infirmi vt præmittitur peccata ſua confeſſi fuerint.

Iubet confeſſariu, medicũ & Parochu, confeſſionem eu ſuadere.

§.4. Coniunctos vero, ac omnes familiares & domeſticos infirmi in Domino rogamus & monemus, vt de infirmitate Parochum certiorem faciant, ac tam Parochus quam coniuncti & familiares præfati infirmum ad confeſſionem peccatorum ſuadeant & inducant.

Medici contrauenientes coercentur.

§.5. Quòd ſi qui Medicorum præmiſſa non obſeruauerint, vltra pœnas in dicta conſtitutione contentas, quas incurrere declaramus, perpetuo ſint infames, & gradu medicinæ quo inſigniti erant, omnino priuentur, & à Collegio ſeu vniuerſitate Medicorum eiiciantur, ac pœna etiam pecuniaria arbitrio Ordinariorum, vbi deliquerint, mulctentur.

Iurentque hac obſeruare quando doctorantur.

§.6. Et vt hæc omnia inuiolabiliter obſeruentur, volumus, & eadem auctoritate præcipimus & mandamus, vt nullus poſthac vbique locorum in medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas à quouis Collegio & Vniuerſitate concedatur, niſi omnia in præſenti noſtra conſtitutione contenta, medio eorum iuramento coram Notario publico, & teſtibus obſeruare in eorum manibus, vel Ordinarij iurauerint, & de huiuſmodi iuramento, in priuilegio ſeu licentia medendi ſpecialis mentio fiat. Quòd ſi Collegia & Vniuerſitates præfatæ non recepto à promouendis iuramento huiuſmodi, eoſdem ad gradum prædictum promouerint, aut eiſdem medendi licentiam præſtiterint, pœnam priuationis facultatis alios vlterius doctorandi incurrant.

Ordinarij exigant idem iuramẽtũ à Medicis iam promotis vel licẽtiam medẽdi habentibus & iurare renitentes cogant.

§.7. Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus & ſingulis venerabilibus fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quatenus in ciuitatibus & diœceſibus propriis præſentes noſtras literas publicari faciant, ac iuramentum prædictum à medicis iam promotis, ſeu licentiam medendi habentibus, omnibus iuris remediis exigant, neque aliquos ad medendum in ciuitatibus & diœceſibus prædictis admittant, niſi eis conſtiterit eoſdem iuramentum huiuſmodi præſtitiſſe, & contumaces, & iurare, ac iuramentum huiuſmodi iam præſtitum exhibere recuſantes, gradu Medicinæ, & omnibus

Digitized by Google

bus priuilegiis eisdem Medicis, tam coniunctim quam diuisim, eis, & eorum cuilibet concessis per quosuis etiam Romanos Pontifices priuent, ac ab ingressu Ecclesiæ arceant, donec resipuerint.

Clausula derogatoria.

§. 8. Non obstantibus præmissis, priuilegiis, indultis, literis Apostolicis, quibusuis personis Collegio & Vniuersitati, sub quibusuis verborum formis & tenoribus concessis, quæ omnia, quoad effectum validitatis constitutionis nostræ tantum, reuocamus cassamus,& annullamus, & omnes Principes sæculares ac alios Dominos & Magistratus temporales rogamus, requirimus, & obsecramus per viscera misericordiæ IESV CHRISTI eisdem in remissionem peccatorum nihilominus iniungentes, quòd in præmissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis assistant,& suum fauorem & auxilium præstent,ac contrafacientes pœnis etiam temporalibus afficiant.

Iussio publicandi.

§. 9. Volumus autem quod præsentes literæ in Cancellaria, & acie Campi Floræ publicentur, & inter constitutiones extrauagantes perpetuo valituras conscribantur.

Fides trãsumptorum.

§. 10. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus & etiam declaramus,quod earum transumptis, etiam impressis,manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides vbicumque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An. 1. 8. Martij.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 8. Martij millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Pontific. nostri anno primo.

Publicatio.

Annoà Natiuitate D.1566. Indict.6. die vero 11. mensis Martij,Pontificatus Sanctiss.in Christo Patris,& D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno primo, retroscriptæ literæ seu breue affixæ & publicatæ fuerunt in valuis Cancell. Apostolicæ, & acie Campi Floræ, per me Camillum Cher. Apostol. Curs.

Scipio de Octauianis Mag. Curs.

IV. Reuocatio priuilegij quibuscumque concessi, celebrandi Missas vespertino tempore.

Consonat Concilium Trident. quo disponitur missas debitis horis celebrari in cap. Quanta. *sess.22.*

Quo vero ad celebrationem missarum ritu Græco & Latino, habes hic infra in const.12. *Prouidentia.*

Edita An D 1566.

§.1. SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Dominus Pius diuina prouidentia Papa Quintus. Ad cuius notitiam peruenit, quod nonnulli Cathedralium etiam forsan Metropolitanarum, Collegiatarum, & aliarum Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, conuentuum,domorum,& aliorum piorum locorum sæcularium, & diuersorum Ordinum, ac Militiarum regularium Prælati, Capitula, Clerici, Fratres, aliique superiores & personæ, antiquum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum in statutis Missarum celebrandarum temporibus peruertere satagentes, diuersas licentias & facultates, Missas,quæ media nocte,& seu in aurora Natiuitatis,ac de mane Resurrectionis Domini nostri IESV CHRISTI, & forsan aliarum festiuitatum iuxta prædictum ritum celebrari consueuerant, de sero etiam forsan circa solis occasum vigiliæ festiuitatum earumdem in suis Ecclesiis, & Capellis celebrandi, seu celebrari faciendi, ab Apostolica Sede,vel eius Legatis, ac etiam maiori Pœnitentiario pro tempore existente variis prætextibus impetrauerunt, illisque iampridem vtuntur. Hoc ab antiquo Catholicæ Ecclesiæ instituto, Sanctorumque Patrum decretis deuiare considerans,ac propterea hunc abusum ab Ecclesia Dei submouere volens, omnes ac singulas licentias & facultates huiusmodi hactenus, etiam Motu proprio, vel quorumuis etiam Imperatorum, Regum, & aliorum Principum contemplatione, & ex quibusuis causis quomodolibet concessas, ac Apostolicas, & alias literas desuper confectas, illarum omnium tenores pro sufficienter expressis habens Apostolica auctoritate, ex certa scientia reuocauit,ac omnino cassauit & annullauit.

Reuocatio facultatis celebrandi missas tempore vespertino.

Prohibitio sic de cætero celebrandi.

§.2. Hac præsenti perpetuo valitura constitutione quibusuis Prælatis, Capitulis, Clericis,Fratribus,aliisque superioribus, & personis eorumdem Ecclesiarum,Monasteriorum,conuentuum,domorum,& aliorum piorum locorum in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis suæ, ac perpetuæ suspensionis à diuinis pœna districtius inhibens, ne deinceps Missas vespertino tempore, huiusmodi licentiarum & facultatum,aut alio quouis prætextu celebrare, vel celebrari facere præsumant, ac mandans locorum Ordinariis,vt eamdem præsentem constitutionem sub prædictis & aliis sibi beneuisis pœnis per quoscumq; Prælatos,Capitula,Clericos,Fratres,Superiores,& personas huiusmodi inuiolabiliter obseruari faciant, contradictores quoslibet auctoritate Apostolica compescendo.

Derogatio contrariorum.

§.3. Non obstantibus præmissis,ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis necnon Ecclesiarum,Monasteriorum,Conuentuum,domorum,& aliorum locorum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, Monasteriis, domibus & locis, illorumque Capitulis,Conuentibus,Superioribus,& personis, ac Ordinibus sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis,aliisque efficacioribus & insolitis clausulis,necnon irritantibus,& aliis decretis, etiam ad Imperatoris,Regũ, Reginarum,Ducum,& aliorum Principum instantiam,aut eorum contemplatione, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis,quibus omnibus ipsa Sanctitas sua illorum tenores pro expressis habens, specialiter & expresse derogauit, illaque quoad præmissa, cassauit penitus & annullauit, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma & effectus publ.

§.4.Decernens præsentes,earumque copias per aliquem ex suis cursoribus in basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Lateranen. ac Cancellariæ Apostolicæ valuis affixas,omnes,cum primum earum notitiam habuerint,perinde afficere, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Placet, & ita mandamus. M.

PP. subscrip.

Publicatio die 29. Martij Pont. An.1.

Anno à Natiuitate D.1566.indict.9. die vero 29. mensis Martij, Pontific. Sanctiss. in Christo patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno I. suprascriptæ literæ,lectæ, affixæ,& publicatæ fuerunt in locis suprascriptis,vt moris est, per me Bernardinum Andreutium Apost.Curs.

Scipio de Octauianis Mag. Curs.

V. Ordinationes circa obseruantiam diuini cultus in Ecclesiis, & venerationem Festiuitatum, Necnon & contra Simoniacos, Blasphematores, Sodomitas, & Concubinarios.

Quoad primam partem huius const. habes etiam Conc. Triden. sess. 22. in cap. 1. post Canones, & sess. 25. post primum decretum.

Contra vero Simoniacos vide sup. const.3. Iul. II. *Cum tam.* sup. vbi plene notaui. Contra Blasphematores vide const.7. Leon.X. *Superna.* & const.23. Iul.III. *In multis.* sup. Contra Sodomitas autem vide eamdem bullam Leon. X. & aliam huius Pont. num.72. *Horrendum.* Et contra Concubinarios attende d. const. Leon.X. & Concilium Trid. sess. 25.cap.14.

Edita An.D. 1566.

P I V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CVm primum Apostolatus officium diuina nobis dispositione commissum suscepimus, statim omnem curam, & cogitationem nostram in dominici gregis fidei nostræ crediti salute defiximus, & Christifideles Deo iuuante, ita dirigere statuimus, vt à vitiis & peccatis abstinentes, iter, quod ad vitam æternam ducit, insistant.

Causa huius constitutionis.

§. 1. Cum autem ad omnia, quæ diuinam maiestatem aliquo modo possent offendere mouenda, mentis nostræ aciem intenderimus, ea primum, & sine mora emendare decreuimus,quæ Deo præter cetera displicere,& iram eius prouocare cum diuinæ docent Scripturæ, tum grauissima exempla declarant,nempe diuini cultus neglectum,simoniæ labem, blasphemiæ crimen, & libidinis naturæ contrariæ vitium execrandum, propter quæ populi & nationes,

Digitized by Google

nes, bellorum, famis, & peſtilentiæ calamitatibus iuſta Dei vltione ſæpe plectuntur. Et ſi autem contra eos, qui tam grauia crimina admiſerint, multæ à prædeceſſoribus noſtris conſtitutiones editæ fuerunt, tamen quia parũ eſt leges edere, niſi ſint qui eas debitis temporib. exequãtur.

Innouatio antiquarũ pœnarum cõtra inobedientes huic conſt.

§. 2. Idcirco ne qui forſan ex tolerantia ſperare impunitatem audeant, ſcientes pleroſque pœnarum grauitate magis quam Dei timore arceri ſolere à voluntate peccandi, omnes & ſingulas ſententias, cenſuras, & pœnas contra eos, qui talia deliquerint latas confirmamus, & Apoſtolica auctoritate innouamus, nec de earum rigore quicquam relaxamus, admonemuſque eos qui talia perpetrare veriti non fuerint, non ſolum ſubituros eas pœnas quæ ſacris ſunt Canonibus conſtitutæ, ſed eas etiam quas leges ciuiles comminantur, & noſtri quoque arbitrij diſcretio pro perſonarum qualitate conſtituet.

Mandatum exequẽdi hãc conſtitut.

§. 3. Mandantes Ciuitatum, & locorum ſtatus noſtri Eccleſiaſtici pro tempore Ordinariis, & Gubernatoribus, illis quidem ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis, his vero ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, vt quos debitum Deo cultum in Eccleſiis non tribuere, aliiſque nefandis criminibus pollutos eſſe compererint, comprehendi curent pœnis afficiendos competentibus. Sciturisetiam ipſis Iudicibus, quod ſi poſt hanc noſtram conſtitutionem in caſtigandis huiuſmodi delictis negligentes fuerint, primum quidem Dei omnipotentis iudicio obnoxij erunt, deinde noſtram quoque incurrent indignationem. Vt autem pœnarum certitudo cunctis facilius innoteſcat, nonnullas hic duximus exprimendas, aliis nihilominus contra huiuſmodi criminum reos à iure ſtatutis in ſuo robore manentibus.

Diuini cultus obſeruãtia in Eccleſiis ab omnib. teneatur, & cõtrauenientes pœnis hic deſcriptis afficiantur.

§. 4. Vt igitur Deo Optimo Maximo, Glorioſæ Virgini, & Sanctis omnibus debitus honor deferatur, Gregor. X. prædeceſſoris noſtri conſtitutionem innouantes, ac ſtatuta in Tridentino Concilio obſeruari volentes, ſtatuimus & ordinamus, vt ad Eccleſias ſit humilis & deuotus ingreſſus, quieta conuerſatio, deuotis orationibus inſiſtant, & omnes genibus flexis ſanctiſſimum Sacramentum adorent, ad nomen IESV CHRISTI Domini noſtri cum exhibitione reuerentiæ caput inclinent, nullus in dictis Eccleſiis ſeditionem faciat, tumultum excitet, clamores moueat, impetumue committat, ceſſent vana, fæda, & profana colloquia, riſus immoderati, & ſtrepitus omnes iudiciorum, & alia quæcumque quæ diuinum officium perturbare poſſunt. Nullus intra Eccleſias deambulare audeat ſiue præſumat, dum celebrantur ſacra Miſſarum myſteria, & alia diuina officia. Qui vero prædicta petulanti animo contempſerint, præter diuinæ vltionis acrimoniam, noſtri quoque arbitrij pœnas incurrent, quæ omnia locorum quoque Ordinarij in ſuis Eccleſiis facient obſeruari. Quicumque vero in Eccleſiis, dum ibi ſacrificium Miſſæ, & diuina celebrantur officia, aut verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verſo tergo ad ſanctiſſimum Sacramentum irreuerenter ſedere, aut aliquid quod ſcandalum generet, aut diuina perturbet officia, facere præſumpſerit, pœnam vigintiquinque ducatorum incurret, præter alias arbitrio noſtro imponendas, & moderandas pœnas, & qui non habebit in ære luet in corpore, aut exilio mulctabitur. Qui vero in Eccleſiis cum mulieribus impudicis, ſiue etiam honeſtis colloquium ſcurrile habuerit, aut alios inhoneſtos actus fecerit, vigintiquinque ducatorum pœnam incurrat, & carceris per menſem. Qui in Eccleſiis, vt ſupra, obſcœnis & inhoneſtis verbis aut ſignis vſus fuerit, aut alia fœda colloquia cum perſonis quibuſcumque habuerit, decem aureorum pœna mulctetur, aut alias corporaliter puniatur. Mandamus præterea omnibus & ſingulis Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Eccleſiarum Capitulis, Rectoribus, Vicariis, Sacriſtis, Oſtiariis, & aliis ipſarum cuſtodibus, quatenus præfatos omnes in Eccleſiis delinquentes admoneant, & vt in eis vetita fieri non permittant, vel ſaltem ipſis Ordinariis, vel Officialibus noſtris puniendos deferant, quod ſi facere neglexerint, pœnam duorum aureorum vice qualibet incurrent.

Ad hoc vide Conc. Trid. ſeſſ. 22. primum decretũ poſt canones.

Pauperes in Eccleſiis eleemoſynas petere non permittantur, dum diuina celebrantur officia.

§. 5. Pauperes quoque mendicantes, ſeu eleemoſynas petentes per Eccleſias tẽpore Miſſarum, prædicationum, aliorumque diuinorum officiorum ire non ſinant, ſed eos ad valuas Eccleſiarum ſtare faciant, ſub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet vice, niſi eos eiici curauerint, & parochis dimidij aurei. Religioſis etiam clauſtralibus, ſiue regularibus præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, vt in Eccleſiis ſuis deputent aliquem, qui tales eiiciat, & ſi negligentes fuerint grauiſſime ab ordinario corripiantur, quod ſi illi parere recuſauerint, grauiſſimas pœnas incurrent, & pro qualitate perſonarum, etiam corporaliter punientur arbitrio noſtro, ſiue ſuperiorum.

Cadauerum capſa in Eccleſiis ſuper terrã exiſtẽtia amoueantur.

§. 6. Et vt in Eccleſiis nihil indecens relinquatur, iidem prouideant, vt capſæ omnes, & depoſita, ſeu alia cadauerum conditoria ſuper terram exiſtẽtia omnino amoueantur prout alias ſtatutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur.

Feſtaque omnes vetãtia v. Ad hoc habes Cõc. Trid. ſeſſ. 25. poſt princ.

§. 7. Cum vero dierum feſtorum obſeruatio ad Dei cultum maxime pertineat, & in lege diuina præcipiatur, cupientes abuſus prauos, qui ex eorum inobſeruantia inualuerunt, omnino corrigere, & antiquorum Canonum ſtatuta renouantes, mandamus, vt omnes dies Dominici, & præcipue in honorem Dei, B. Mariæ Virginis, Sanctorum Apoſtolorum feriati, cum omni veneratione obſeruentur, & omnes in diebus præfatis Eccleſias frequentent, diuinis officiis deuote intendant, ab omni illicito & ſeruili opere abſtineant, mercatus non fiant, profanæ negociationes & iudiciorum ſtrepitus conquieſcant. Qui vero in diebus præfatis opus aliquod illicitum feciſſe deprehenſus fuerit, præter diuinam vltionem & amiſſionem animalium, quibus ad vecturam vtetur, etiam graues pœnas incurret arbitrio noſtro, ſeu Vicarij noſtri in Vrbe, in aliis autem locis arbitrio Ordinariorum, vel aliorum Magiſtratuum, ita vt præuentioni locus ſit. Quibus omnibus diſtricte præcipimus, vt hæc diligenter obſeruari procurent, illas etiam feſtiuitates, quæ iuxta conſuetudinem locorum ſolemniter celebrari conſueuerunt, iuxta laudabilem conſuetudinem debita cum reuerentia obſeruari faciant, ſub pœnis arbitrio ipſorum imponendis & moderandis.

Simoniacæ pœna. Ad hoc vide conſt. 61. in rubr.

§. 8. Et vt Simoniacæ prauitatis labes prorſus abo-leatur, conſtitutiones anteceſſorum noſtrorum contra Simoniacos editas, & præſertim Pauli II. inuiolabiliter obſeruari mandamus, & delinquentes tam in ſacrorum ordinum receptione, quam in beneficiorum aſſecutione, ſtatutis etiam inferius pœnis noſtra auctoritate affici volumus. Quicumque igitur deteſtabile crimen Simoniacæ prauitatis commiſiſſe, conuictus fuerit in conſequendis ordinibus, eo ipſo ſit ab illorum executione per decennium ſine ſpe diſpenſationis ſuſpenſus, & per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates Eccleſiaſticas ſimoniace acquiſiuerit, illis ſit ipſo iure priuatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quaſcumque alias obtinendas. Qui beneficium aut officium Eccleſiaſticum ſimoniace adeptus fuerit, illis ſimiliter ſit ipſo iure priuatus, & ad fructuum omnium, quos perceperit, reſtitutionem teneatur, & perpetuo ſit inhabilis ad ea, & quæcumque alia beneficia Eccleſiaſtica obtinenda. Si quis autem tale crimen pluries commiſiſſe conuictus fuerit, præter ſupradictas pœnas, etiam corporaliter puniatur, & ab ordinibus Eccleſiaſticis degradatus à fidelium conſortio eiiciatur. Qui vero ordines & beneficia ſimoniace contulerint, pœnis à iure ſtatutis puniantur, cuiuſcumque gradus, conditionis, & dignitatis, etiam ſi Epiſcopi, Archiepiſcopi, vel maiores fuerint.

Simonia ſacramentalis ſeueriſſime punietur iuxta Statuta Conc. Trid. de quib. in rubr. Blaſphemantium pœna. Alibi vide ſupra in cõſt. indicata in rubr.

§. 9. Caueant præterea quicumque, ne in ſacramentorum exhibitione Simoniacum aliquid faciant, alioquin grauiſſime puniantur per locorum Ordinarios, qui huiuſmodi criminis reos cum maxima ſeueritate coercere procurent, iuxta Concilij Tridentini ſtatuta.

§. 10. Ad abolendum vero nefarium, & execrabile blaſphemiæ ſcelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat, & imperialibus quoque legibus receptum eſt, nunc autem propter nimiam Iudicum in puniendo ſegnitiem, vel potius deſuetudinem, ſupra modum inualuit, Leonis X. prædeceſſoris noſtri in nouiſſimo Lateranen. Concilio ſtatuta innouantes, Decernimus, vt quicumque laicus Deum, & Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, vel Glorioſam Virginem Mariam eius genitricem

Digitized by Google

genitricem expreſſe blaſphemauerit, pro prima vice pœnam vigintiquinque ducatorum incurrat, pro ſecunda pœna duplicabitur, pro tertia autem centum ducatos ſoluet, & ignominia notatus exilio mulctabitur. Qui vero plebeius fuerit, nec erit ſoluendo, pro prima vice manibus poſt tergum ligatis ante fores Eccleſiæ conſtituetur per diem integrum, pro ſecunda fuſtigabitur per Vrbem, pro tertia lingua ei perforabitur, & mittetur ad triremes. Quicumque clericus in hoc blaſphemiæ crimen incurrerit, pro prima vice fructibus vnius anni omnium & quorumcumque beneficiorum ſuorum, pro ſecunda beneficiis ipſis priuetur, pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur. Quod ſi clericus nullum obtinuerit beneficium, pœna pecuniaria vel corporali pro prima vice puniatur, pro ſecunda carceribus mancipetur, pro tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquos ſanctos blaſphemauerit, pro qualitate blaſphemiæ, atque perſonæ, arbitrio Iudicis puniatur.

Sodomiturum pœna. Vide citat. in rubr.

§.11. Si quis crimen nefandum contra naturam, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, perpetrauerit, Curiæ ſæculari puniendus tradatur & ſi clericus fuerit, omnibus ordinibus degradatus ſimili pœna ſubiiciatur.

Cõcubinariorum pœna.

§.12. Monemus præterea omnes locorum Ordinarios, & in virtute ſanctæ obedientiæ eis præcipimus, vt ſtatuta Tridentini Concilij contra concubinarios, tam clericos quam laicos edita, diſtricte faciant obſeruari, reddituri Deo, ac nobis, ſi id omiſerint, rationem.

Videtibid.

Procedatur contra prædictos etiam per ſecretam denunciationem.

§.13. Et vt præmiſſorum delictorum ſimoniæ, blaſphemiæ, ac ſtupri nefandi notitia facilius habeatur, volumus quòd in ſingulis caſibus, non ſolum per accuſationem, & inquiſitionem, ſed etiam ad ſimplicem & ſecretam denunciationem procedatur per quoſcumque Iudices, alias tamen de iure competentes, tam ratione delicti quam perſonarum, ita quod inter eos locus ſit præuentioni.

Calumnioſi denunciatores coercentur.

§.14. Monemus præterea omnes & ſingulos, vt ſolum Dei timorem præ oculis habentes, & non alia animi praua affectione ducti, culpabiles tantum deferant, innocentes non vexent. Quod ſi aliqui ex calumnia aliquos denunciaſſe comperti fuerint, eos ad pœnam talionis teneri volumus & mandamus.

Pœna applicentur vt hic.

§.15. Mulctæ autem pecuniariæ applicabuntur pro duabus partibus locis piis arbitrio noſtro in Vrbe, extra vero, Ordinariorum, pro tertia accuſatori qui delinquentes detulerit.

Iuſſio prædicta obſeruandi.

§.16. Mandamus autem Principibus, Comitibus, & Baronibus omnibus, S.R.E. feudatariis, ſub pœna priuationis feudorum, quæ ab ipſa Eccleſia Romana obtinent. Reliquos vero Principes Chriſtianos, & Terrarum Dominos hortamur in Domino, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, vt pro diuini nominis reuerentia & honore, præmiſſa omnia in ſuis dominiis, ac Terris exactiſſime ſeruari faciant, vberrimam ab ipſo Deo mercedem pro tam bonis operibus recepturi.

Clauſ. derog.

§.17. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis, ac exemptionibus, priuilegiis, indultis, facultatibus, & literis Apoſtolicis quibuſuis Capitulis, Conuentibus, Militibus, Ordinibus, & perſonis cuiuſcumque qualitatis & conditionis exiſtentibus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio alias quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis, quibus illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides adhibeatur tranſumptis.

§.18. Volumus autem quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis & ſigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorſus fides, vbique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis.

§.19. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ innouationis, relaxationis, admonitionis, confirmationis, mandati, ſtatuti, decreti, ordinationis præcepti, monitionis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1566. Kalend. Aprilis., Pontificatus noſtri anno primo. *D.P. An. 1. 1. Aprilis.*

Confirmatio conſtitutionis à Paulo IV. editæ circa Iudæorum viuendi modum. Et declaratio ſigni glauci coloris in Statu Eccleſiaſtico ab eis deferendi. VI.

Hæc bulla eſt à ſucceſſoribus Pontt. confirmata, vt notauiſup. in ipſius Pauli IV. conſt. 3. Cum nimis. *ſup. vbi alia indicaui de materia Iudæorum.*

Edita An. D. 1566

PIVS EPISCOPVS, *Seruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

ROmanus Pontifex Chriſti Vicarius in terris nonnumquam ea quæ pro zelo religionis à ceteris Romanis Pontificibus prædeceſſoribus ſuis conceſſa dicuntur, vt illibata perſiſtant, approbat & confirmat prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire.

Paul. IV. edidit bullam v. t in rubr.

§.1. Dudum fel. rec. Paulus Papa IV. prædeceſſor noſter, zelo fidei Chriſtianæ motus certum modum viuendi & habitandi Iudæis præſcripſit, prout in quadam eius conſtitutione, cuius tenor ſequitur, & eſt talis, videlicet: Paulus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Cum nimis abſurdum, &c.

Omittitur tenor iſtius conſt. quia habes ſupra.

Hæc Pont. eam innouat & approbat.

§.2. Nos igitur cupientes, vt conſtitutio, ſtatuta & ordinationes huiuſmodi, perpetuis futuris temporibus obſeruentur, Motu proprio & ex certa noſtra ſcientia, & non ad alicuius alterius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera noſtra deliberatione, conſtitutionem, ſtatuta, & ordinationes huiuſmodi, & prout illa concernunt, omnia & ſingula in dicti prædeceſſoris literis contenta, & inde ſecuta quæcumque, auctoritate Apoſtolica præſentium tenore approbamus, innouamus, & confirmamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere decernimus, volumus, & ſub interminatione diuini iudicij præcipimus & mandamus, & omnia in poſterum obſeruari firmiter, non ſolum in terris & dominiis nobis ſubiectis, ſed etiam vbique locorum.

Signum deferendum à Iudæis declarat.

§.3. Et ad omnem circa colorem birreti per maſculos, & ſigni per feminas, deferendorum huiuſmodi ſuſmouendam hæſitationem declaramus dictum colorem eſſe, qui vulgo gialdo dicitur.

Hoc publicari iubet Ordinarius.

§.4. Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus & ſingulis venerabilibus fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis, quatenus in ciuitatibus & diœceſibus propriis præſentes noſtras literas publicari & obſeruari faciant.

Obſeruantiã petit à Principibus.

§.5. Et omnes Principes ſæculares, & alios dominos, & magiſtratus temporales rogamus, requirimus & obſecramus per viſcera miſericordiæ IESV CHRISTI, eiſdem in remiſſionem peccatorum nihilominus iniungentes, quod in præmiſſis omnibus eiſdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis aſſiſtant, & ſuum fauorem & auxilium præſtent, ac contrafacientes pœnis, etiam temporalibus afficiant.

Contraria derogat.

§.6. Non obſtantibus omnibus quæ idem Paulus prædeceſſor in ſupradictis literis voluit non obſtare, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis per recol. mem. Pium Quartum Romanum Pontificem prædeceſſorem noſtrum, & Sedem Apoſtolicam, etiam forſan conſiſtorialiter, ac per viam generalis legis & ſtatuti, ac in vim ſtipulati contractus, ex quauis, etiam vrgentiſſima & onerosa, ac Motu proprio, & ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis, etiam ſi in eis diſponeretur & caueretur expreſſe, quoad delationem birreti glauci coloris huiuſmodi in itinere, ac quod non vt præmittitur, in loco clauſo habitare tenerentur,

Digitized by Google

tenerentur, & quod bona ſtabilia vſque ad certam ſummam acquirere ac ſocietatem cũ Chriſtianis ſuper rebus ad annonam ſpectantibus inire, ac conuerſationem cum eiſdem Chriſtifidelibus habere, ac pignora alias quã præſcripto modo diſtrahere, ac plures Synagogas retinere poſſent indulſerit, aut alias quomodolibet eis dictas literas Pauli prædeceſſoris in fauorem Hebræorum prædictorum limitauerit. Quibus omnibus, etiam ſi pro illorũ ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda aut alia exquiſita forma ſeruanda foret, & in eis caueatur, quod nullatenus derogari poſſit, illorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, necnon modos & formas ad id ſeruandas pro indiuiduo ſeruatis habentes, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus. Et literas eiuſdem Pauli prædeceſſoris, & omnia in eis contenta obſeruari in omnibus & per omnia mandamus, perinde ac ſi literæ Pij ſimiliter prædeceſſoris noſtri non emanaſſent, aut ſi aliquibus cõmuniter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultũ quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſt. non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Forma publicationis. §.7. Volumus autem quod præſentes literæ in Cancellaria, & acie Campi Floræ publicentur, & inter conſtitutiones extrauagantes perpetuo valituras conſcribãtur.

Fides tranſumptorum. §.8. Et quia difficile foret præſentes ad ſingula quæque loca deferri, volumus & etiam declaramus quod earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius Prælati munitis eadem prorſus fides vbicumque adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c.

Dat. P. A. 1. 19. Aprilis. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, 13. Calen. Maij, Pontificatus noſtri Anno 1.

Publicatio. *Anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti 1566. Indictione 9. die vero 1. menſis Maij, Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno 1. retroſcripta literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in locis retroſcriptis per nos Scipionem de Octauianis & Io. Andream Panizzam Apoſtolicos Curſ.*

Camillus Cher. Mag. Curſ.

VII. Contra impedientes, aut non ſubuenientes Nautis & aliis naufragium patientibus in locis S.R.E. mediate & immediate ſubiectis. Bonorumque naufragantium occupatores, Et Communitates ac Barones & Dominos eos non capientes.

Generalem ſanctionem in ſurripientes bona Chriſtianorum vbique naufragata, habes in bulla quotannis in die Cœnæ Domini legi ſolita, de qua vide in Pauli V. conſt. 63. Paſtoralis. *Specialem vero pro Regno Britannie, lege ſup. in conſt. 1. Honorij I I.* Cariſſimus.

Auxiliatoribus autem, quod de bonis recuperatis debeatur, videre eſt ſup. in Pauli III. conſt. 42. *Accepimus.*

Edita An. D. 1566.

PIVS PAPA QVINTVS, Motu proprio, &c.

Bona naufragãtia, frequenter ab incolis & officialibus locorũ, in quibus naufragia eueniunt, diripiuntur. CVm nobis ex parte dilecti filij Martini de Ayala Romæ commorantis, Conſulis protectoris & defenſoris, ac generalis procuratoris, in rebus maritimis & mercantilibus, Nation. Hiſpanorum, Neapolitanorum & Siculorum, Mediolanenſium, ceterorumque ſubditorum cariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi Hiſpaniarum, ac vtriuſque Siciliæ, &c. Regis Catholici in Alma Vrbe noſtra, ac Ripis & Portibus, Terrarum & locorum S.R.E. ſubiectorum expoſitum fuerit, non ſine maxima noſtra diſplicentia, quod retroactis temporibus cum maximo damno & periculo miſerorum nautarum & mercium conductorum naues & nauilia diuerſis mercibus onuſta, propter maris infortunium, & in dictis portibus, fugamque ab infidelibus & aliis inimicis arreptam, aliofue inopinatos caſus ob quos nonnulli naues & nauilia deſeruerunt, & ab eorumdem inimicorum conatibus euaſi fuerunt, eorumque perſonas, nauibus & mercibus in eis conductis omiſſis, in terra, alijque periri in mari, ſaluas effecerunt, naufragia paſſi fuerunt, in portibus, plagis, & ripis locorum maritimorum prædictæ S.R.E. non ſine maximo damno patronorum nauiliorum & nauium prædictarum, ac mercium conductarum, & detrimento Terrarum & locorum dictæ S.R.E. ad quæ prædictæ naues & nauilia cum ſuis mercibus ſæpiſſime tendebant, ibidem in beneficio & abundantia ipſarum terrarum exponenda erant, & quod occurrentibus ad loca prædicta, nautis & conductoribus mercium præfatarum pro ſalute eorum, necnon nauium & mercium ipſarum nanciſcenda, extimantes ſe ſecuros eſſe expectan. inter Chriſtianos & amicos conſequi opem, & fauorem fratrum amicabilem, prout ratio & æquitas id poſtulant, & prout in aliis locis in ſimilibus infortuniis fit, per dictorum locorum maritimorum incolas & habitatores, ac officiales, non ſolum penes eos non reperierunt auxilium præfatum, quinimmo maius impedimentum, quia contra omne ius diuinum & humanum addendo talibus naufragium patientibus damnum damno, & afflictis afflictionem, cum maxima Dei & noſtra, ac proximi offenſa, ab eiſdem habitatoribus & officialibus terrarum præfatarum damnum & tribulatio illata fuit, etiam cum minis & comminationibus, & illi naufragantes ab eiſdem eorũ bonis & mercibus, quas domino permittente à tali infortunio liberarunt, & liberabant, animo diabolico, & peruerſo priuati fuerunt, dicta bona & merces, occupando & detinendo, ac ſi eſſent infidelium. Barones, dominique temporales, & eccleſiaſtici officiales talium locorum ſub prætextu naufragij, & ſpecie prætenſionis, ac directi iuris, illa ad ſe ſpectare & pertinere aſſerebant, vſurpando dictas naues & nauilia, merceſque quas auferunt à propriis patronis in ſcandalum, peruerſum, & iniquum exemplum, quod non ſolum repugnat religioni Chriſtianæ præſertim in Terris S.R.E. huiuſmodi, quæ omnes ad ſe venientes benigne amplectitur, verum etiam contra omnẽ humanam & ciuilem legem, & iuris æquitatem, mentemque noſtram, quæ eſt vt omnes Chriſtifideles qui in dictis terris S.R.E. contractabunt ſint patroni ſuorum bonorum, de illiſque poſſint libere diſponere, ſintque bene & amicabiliter tractari, & non debeant modo aliquo vexari nec moleſtari.

Hic idẽ Pont. pœnas imponit impedientibus naufragiũ patientibus &c. & naufragantes bonigne tractari præcipit. §.1. Quapropter nos prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærendo, volentes præmiſſis occurrere, damniſque & ſcandalis, ne veniant quantum poſſumus obuiare Motu ſimili, &c. auctoritate Apoſtolica, & de certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ad perpetuam rei memoriam ſtatuimus & ordinamus, firmiterque & inuiolabiliter obſeruari mandamus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis, necnon decem millium ducatorum auri largorum Cameræ Apoſtolicæ applicandorum pœnis, quatenus in Vrbe Roma, ſuiſque portibus & ripis ac Ciuitate Anconitana, aliiſque omnibus & ſingulis Ciuitatibus, Terris, Caſtris, ripis, portibus, & plagis, tam verſus Adriaticum mare dictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubiectis, & etiam Prælatorum, dominorumque temporalium & Baronum dictarum terrarum, in quibus eſt commercium maritimum, perſona aliqua cuiuſcumque gradus eccleſiaſtici vel ſæcularis, communiter vel diuiſim officialis, aut priuatus, & præſertim Oſtien. & Portuẽ Epiſc. & quorumcumque aliorum Cardinalatus honore fulgen. deſuper non audeat vel præſumat aut permittat præbere impedimentũ, aut genus aliquod moleſtiæ præſtare dictis nautis, & mercium cõductoribus ſubditis prædicto Regi Catholico, & aliis quibuſcũque & cuiuſcũque nationis, qui cum bono & iniquo tẽpore, infortuniũ aut naufragium patiantur in dictis ripis vel prope Ripas, aut intra mare, ſeu in aliqua parte illius, aut portibus, ſeu plagiis (quod Deus auertat) aut quouis alio volũtario, neceſſitato, infortunato, aut pacifico modo eos inibi applicare

Digitized by Google

contingat in quamcumque Ripam,portum, aut plagiam dictarum Terrarum S.R.E.huiusmodi, quinimmo illi fauore & ope gratiose recipiantur,& benigne tractentur, restituendo,& restitui faciendo, res & bona eorum in talibus nauibus conducta,si ea per aliquam,vel aliquos detineri,& occupari contingat,& in posterum occupabuntur,& detinebuntur, libere absque eo quod eos ad soluendum iura aut aliquid aliud cogant & compellant, ad effectum vt stante huiusmodi bona comportatione,eorum querelæ cessent, & illi libentiori animo conducant ad loca præfata se & eorum merces.

Commissarius & Consulem deputat pro recuperatione huiusmodi bonorum.

§. 2. Et licet alias fel.rec.Paulus Papa III.& Iulius etiã Tertius prædecessores nostri per eorum Motus proprios, & literas in forma breuis,vel alias cõcesserant dicto Martino Consuli auctoritatem recuperandi, & libere recipiendi nauilia,naues,& merces naufragium passas, ac dictis subditis nostris,& illas propriis patronis restituendi, & restitui faciendi ab illis personis illa occupantibus, propterea approbando,& confirmando dictum breue, & Motus proprios, omnesque alias patentes, & concessiones, tam Apostolicas quam Regias quomodolibet emanatas & concessas, ac in illis contenta, & inde secuta quæcumque illis in suo robore permanentibus, & quæ sub dictis pœnis inuiolabiliter obseruari mandamus,ipsum Martinum in naufragiis Commissarium generalem deputamus,non obstan.quacumque concessione,ordinatione,decreto in contrarium forsan emanato,quacumque via & modo, & ad instantiam quarũuis personæ aut personarum cuiuscumque status,gradus,& conditionis existen. quarum tenores pro plene & sufficienter expressis haberi volumus, ac si de verbo ad verbum inserti essent, quibus expresse derogamus, per præsentes concedimus & impartimur facultatem & auctoritatem dicto Martino Consuli, vt ipse tamquam talis Consul & Protector,ac generalis Procurator & defensor nationum præfatarum repræsentando personas interesse habentes in talibus nauiliis,nauibus & mercibus,& tamquam persona legitima possit per se, suosque ministros in societate,dictorum patronorum præsentibus, aut in illis absentibus, etiam ipsi patroni in absentia dicti Martini Consulis, suorumve ministrorum & deputatorum, coniunctim vel diuisim possint exigere, recuperare nauilia,naues, ac merces præfatas naufragium passas siue derelictas,in mare aut extra mare,aut in aliqua illius parte, portibusque & plagiis atque Ripis,alioque quouis loco vbi reperientur.

Soluentibus, aut recuperãtibus illa,præcipitur disponant in scio d. Commissario & Consule.

§. 3. Et quia euenire solet,quod tales naues & nauilia, ac merces in eis conductæ non sunt propriæ, aut patronorum talia nauilia conducentium, seu patronantium, aut ea assecurantes interessati sunt, volumus etiam quod si patroni & nauræ,seu aliæ personæ saluas effecerint aut recuperauerint dictas merces, vel earum partẽ seu nauilia præfata, non possint modo aliquo de eis disponere absque nutu & voluntate dicti Martini Consulis, qui solerter inquirere debeat de mercibus saluis & perditis vsque quo veritatem omnino comperiat,ad hoc ne sub prætextu naufragij aut proiectionis mercium in mare, interesse habentes modo aliquo, damnificati aut defraudati, seu suis priuati existant. Et insuper quod omnes & singuli quarumcumque nauium cuiuscumque generis patroni debeant & teneantur cum omni diligentia saluare & custodire bona quæcumque per eos conducta & naufragantia,neque illa tamquam perdita dimittere, sed ipsum Consulem pro opportuno remedio certiorare in beneficium,& saluationem ipsorum bonorum naufragantium, ita quod ipsis patronis siue nautis deficientibus in aliquo præmissorum naufragia huiusmodi, & damna quæcumque, & exinde prouenientia ipsorum patronorum culpæ imputentur,& ad interesse ac damna teneantur.Ac si contingat ab aliqua persona seu personis cuiuscumque status, gradus,ordinis, & conditionis existen. & nostram monitionem huiusmodi ignoran.in toto vel in parte detinere merces, res & bona aliqua in eis conducta furtiue & coacte, vel prætextu prætensionis naufragij, vel alio quocumque modo, eadem nihilominus dictus Martinus Consul recipere, exigere, & recuperare, & à detinentibus personis illa dictis patronis ad quos ea de iure spectant & pertinent, restitui facere absque aliqua exactione seu detractione prætextu dictæ prætensionis, aut quæsito colore, seu solutione aliquibus personis ecclesiasticis vel sæcularibus, Baronibus, Comitibus, aut triremiũ Capitaneis,Castellanis, Gubernatoribus,Commissariis, seu cuicumque alteri cuiuscumque conditionis,præeminentiæ,& status sit,faciendo.cui Consuli compellendi, & restitui, ac castigari faciendi tales vsurpatores,& detentores,plenam & liberam facultatem & auctoritatem concedimus.

Baronibusque & Gubernatoribus ac aliis vt in præmissis eidem Cõsuli auxilium præstent.

§. 4. Quibus personis expresse in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœnis præfatis mandamus quatenus dimittant & finant præfatos patronos nauium & nauiliorum nationum præfatarum, & quarumcumque aliarum dictumque eorum Consulem, & Ministrum seu Ministros illa omnia recuperare, & alias de eorum nauibus, nauiliis, mercibus, & bonis conductis, etiam derelictis, & iis tam per mare vagantibus, quam prope terram, & Ripa consistentibus libere disponere absque aliqua molestia vel impedimento illis, directe vel indirecte præstan.nec debeant se intromittere in dictis naufragatis, nec naufragio præfato, nisi in eo ad quod per dictos patronos, Consulem & Ministrum erunt requisiti & vocati pro eorum ope & fauore, nec sub aliquo prætextu, vel colore dicto Martino Consuli, aut eius Ministris seu deputatis præfatis in libero exercitio sui officij generalis Consulatus, & Commissariatus huiusmodi, & ad illud spectan. aliisque supradictis aliquod impedimentum, molestiam,aut perturbationem præstent seu præstari permittant,quinimmo ei & eis, omne auxilium & fauorem in præmissis,& circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna,ad quæ præfati nostri subditi quotiescumque pro parte dictorum Consulis ac Ministrorum,in licitis & honestis erunt requisiti, præstare teneantur, quibus, eis videlicet qui à dicto Martino Consule, & Ministris vocati erunt ad recuperationem adiuuerint, per dictum Consulem expensis rerum liberatarum, in quarum beneficium elaborauerint, in laboris subsidium dabitur quod iustum & honestum erit, & eidem Consuli videbitur, quod erit iuxta meritum illorum, qui in saluandis huiusmodi rebus & bonis interuenerint, licet fraternitatis charitas in talibus calamitosis euentibus eos ad id obliget atque cogat.

Et auxilium dantibus indulgentias cõcedit.

§. 5. Et vt Christifideles ad præmissa alliciantur aut naufragium huiusmodi patientibus ab eis propitiora subsidia præbeantur,omnibus & singulis vtriusque sexus Christifidelibus, qui auxilium, consilium, & fauorem naufragium patientibus in reparatione & conseruatione suorum bonorum præstiterint, decem annos & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis in Domino relaxamus.

Omnibusque cõmorantibus prope loca naufragiorum iubet vt vocati auxilium præstent.

§. 6. Mandantes dictis nostris subditis, tam Ciuitatis Vetulæ, & Ostiæ, Porti, & Neptuni, ac Pilottis illarum, ac etiam Anconæ, ac habitatoribus omnium,Terrarum,Riparum, Portuum, & Plagiarum, necnon patronis, & nautis nauium, nauiliorum, triremium, biremiumque Capitaneis, & barcharum conductoribus & piscatoribus, ac aliis quibuscumque personis existentibus & habitantibus in aut prope, vel vbi talia naufragia accidere contingat, sub pœna solutionis tanti quanti bona naufragata valuerint, & quæ ob defectum adiutorij amitterentur, quatenus illico postquam à patrono Consule, aut deputatis vocati fuerint, occurant, & festinanter accedant cum eorum barchis ac triremibus, & biremibus, ad adiuuandum & saluandum ea omni cum diligentia, ac si eorum propria essent, solutis tamen eis pro eorum labore expensis mercium conductarum, & rerum saluatarum his quæ Consul, videbitur, prout labor eorum exegerit, & non possint petere, nec petant aliquid aliud, nec quartum, nec partem, nec ius aliquod rerum saluatarum præter supradicta, concessione, statuto, consuetudine, ordinatione, vsu, & quibusuis aliis minime obstantibus penitus, cassamus & suffragari nolumus.

Cõmunitates etiam & Dominos locorũ secuti naufragij, latrones & occupatores capere debere decernit.

§. 7. Volumus autem quod in locis, seu territoriis vbi naufragium præfatum euenier, Dominus, vel Domini, aut Communitas talis loci teneantur consignare in manibus nostræ iustitiæ, & Ministrorum illius, latronem seu latrones, vsurpatorem seu vsurpatores, detentorem seu detentores huiusmodi rerum naufragatarum, alias teneantur

Digitized by Google

teneantur soluere totum damnum & expensas in tali naufragio, aut illius dependen. passa, & seu patienda, ac passas & seu patiendas.

Camerarium. que S. R.E. iudicem istarii causarum deputat.

§. 8. Et si aliquid forsan occurrerit super præmissis, quod dictus Consul non possit accommodare, & concludere, recurratur ad nos, & seu dilectum filium Vitellotium Camerarium nostrum,& S.R.E. quē & nullum alium illud decidere & finire posse volumus, etiam cum facultate & auctoritate amplissime puniendi, & castigandi quoscumque latrones & prædatores,etiam vsque ad pœnam capitalem. Volentes etiam per præsentes præfatum Cardinalem Camerarium, merum & verum iudicem & executorem in causis maritimis naufragiorum, & etiam quarumcumque assecurationum, super quibus lis & controuersia aliqua inter quoscumque euenire posset,ex causa tamen dictorum naufragiorum, cum opportuna auocatione à quibuscumque iudicibus, non tamen Rom. Curiæ fore & esse debere.

Consuli quoque & eius deputatis facultatem deferendi arma concedi.

§. 9. Necnon auctoritate præfata concedendo dicto Consuli, eiusque deputatis prout concedimus eisdem,vt pro ipsorum securitate & defensione cuiuscumque generis arma, tam offensiua, quam defensiua in toto dominio,& pertotum dominium ecclesiasticum,scilicet in omnibus terris & locis maritimis, & mari conuicinis per quindecim milliaria à terra distantibus, libere & licite portare possint &valeant, quibuscumque bannis editis seu edendis & aliis quibuscumque Apostolicis constitutionibus & ordinationibus non obstan.

Executores deputat, & facultates cōcedit.

§.10.Et nihilominus pro obseruatione præmissorum, motu & scientia nostris præfatis præcipiendo mandamus dilecto filio Vittellotio Vitellio Camerario nostro, necnon Clericis præsiden.Cam.Apost.ac prælatis,etiam Cardinalatus honore fulgentibus, necnon vniuersis & singulis tam Almæ Vrbis, quam aliarum quarumcumque S. R.E. mediate vel immediate subiectarum Prouinciarum, Terrarum,& locorum, Vicelegatis, Gubernatoribus, Locatenen. Potestatibus, Iudicibus, & aliis quouis nomine nuncupatis iusdicentibus, & iustitiæ ministris, necnon Illustribus Magnif. viris Dominis Ducibus, Marchionibus,& Baronibus,Domicellis,Nobilibus Castellanis, triremiumque Ducibus & Capitaneis, ac quorumcumque locorū Cōmunitatibus seu vniuersitatibus, omnibusque & singulis aliis particularibus personis,ad quos quomodolibet spectat,seu in futurum spectabit,seu spectare poterit,& S.R.E.prædictæ,mediate vel immediate subiectis, quatenus præmissa omnia & singula inuiolabiliter obseruent,& obseruari faciāt,& sub pœnis & censuris antedictis necnon rebellionis, & priuationis omnium & singulorum bonorum seu officiorum, ac confiscationis & publicationis quorumcumque bonorum per eos, & ipsorum quemlibet obtentorum,incurrendique in crimine læsæ maiestatis. Contradictores, &c. cum amplissima facultate & auctoritate, dictos raptores, grassatores, & deprædatores,& latrones,in fragranti crimine, seu delicto repertos puniendi,& castigandi,ad effectum vt huiusmodi iustis querelis cessantibus,dicti mercatores & nautæ eo libentius cum suis nauigiis,nauibus, & mercibus ad Vrbem ipsam,locaque prædicta S.R.E.prædictæ securius,& tutius accedant.

Derogatio cōtrariorum.

§.11.Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apost.necnon statutis & consuetudinibus etiā municipalibus quarumcumque terrarum.& locorum in cōtrarium forsan editis,ac priuilegiis, indultis, & literis Apost. quibusuis personis, necnon ciuitatibus, oppidis locis, castris ac portibus maritimis, sub quibuscumque verborum formis & tenoribus, ac cum quibuscumque clausulis & decretis,& contractibus,& motu proprio,&c. ac alias concessis, quibus omnibus, &c. illorum tenores, &c. pro expressis habentes, hac vice latissime derogare placeat,ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficiat.

§. 12. Volumus autem quod præsentis nostri Motus proprij sola signatura sufficiat,& vbique fidem faciat in iudicio & extra, regula contraria non obstante, seu si videbitur literæ in forma breuis expediri possint.

Placet Motu proprio. M.

PP.subscr. Dat.P.A.11. Aprilis.

Dat.Romæ apud S.Petrum,octauo Calen. Maij, Anno primo.

Tom. II.

VIII.

De Clausura & numero Monialium cuiuscumque Ordinis, & pœnis earumdem absque licentia Superiorum,ex causa magni incendij,vel infirmitatis lepræ, vel epidimiæ tantummodo eis concedenda, è Monasteriis egredientium, concomitantiumque & receptantium; ac Superiorum aliter eis licentiam concedentium. Necnon de eleemosynis pro ipsarum Monialium subuentione colligendis.

Quoad clausuram, habes etiam infra Greg. XIII. const.28. Vbi gratiæ, *& Pauli V. const.74.* Monialium. *Et quoad eleemosynas vide aliam eiusdem Greg. bullam* 8. Deo sacris. *Et const. Bonif.VIII. hic citatam, videre est in tit.de Stat. Reg.in* 6. *Decretumque Conc. Trid. in sess. 25. cap. 5.*

Quoad vero consensus Monialium, sine quo mulieres sæculares licentiis Monasteria ingrediendi, vti non possent, vt illis vti valeant, declarauit quod de cetero expresse capitulariter, & per secreta suffragia haberi debeat,S.D.N.Vrban.VIII.const.29. *sacrosanctum* infra tom.4.

Edita Anno 1566. 1669. & 1570.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

CIrca pastoralis officij nobis, meritis licet imparibus, desuper commissi curam quantum nobis ex alto permittitur inuigilantes, assidue ad ea per quæ singulis erroribus, & excessibus obuiatur, ac personis quibuslibet, præsertim fœminei sexus virginitatem suam Altissimo vouentibus, sub religionis iugo Christo Saluatori in castitatis holocausto famulari affectantibus, semita iustitiæ & honestatis declinantibus, ne quicquam in eis reperiatur incongruum,quod in regularis ponat honestatis gloria maculam, & diuinam merito possit offendere maiestatem, opportune securritur,libenter intendimus, ac in his nostræ vigilantię partes propensius impartimur,prout id in Domino salubriter expedire conspicimus.

Moniales tacite vel expresse Religionem professa clausuram seruare.

§.1.Hac igitur perpetuo valitura constitutione,in hærentes etiam constitutioni fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri,quæ incipit,Periculoso, & decretis Conc.Trid.super clausura Monialium editis, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, atque perpetuo decernimus,vniuersas & singulas moniales, præsentes atque futuras, cuiuscumque Religionis Ordinis vel militiarum, etiam Hierosolymitan. sint, quæ vel iam receptæ sint,vel in posterum in quibusuis Monasteriis,siue domibus recipientur, & tacite vel expresse religionem professæ,etiam si conuersæ,aut quocumque alio nomine appellentur,etiam si ex institutis, vel fundationibus earum regulę ad clausuram non teneantur,nec vmquam in earum monasteriis,seu domibus, etiam ab immemorabili tēpore ea seruata non fuerit, sub perpetua in suis monasteriis,seu domibus debere de cetero permanere clausura, iuxta formam dictæ constitutionis fel.rec.Bonifacij Papæ VIII.prædecessoris nostri,quę incipit,Periculoso,in sacro Conc.Trid.approbatam,& innouatam, quam nos auctoritate præfata etiam approbamus & innouamus, in omnibus & per omnia, aę illam districte obseruari mandamus.

Inobedientes coerceantur per Ordinarios.

§.2.Quod si aliquæ moniales forsan reperiantur, quæ consuetudine etiam immemorabili,aut instituto,vel fundatione regulæ suæ fretæ animo obstinato huic clausuræ resistant, aut quoquomodo reluctentur, Ordinarij vna cum superioribus earum, omnibus iuris & facti remediis compellant easdem tamquam rebelles & incorrigibiles ad præcise subeundum dictam clausuram, & perpetuo obseruandum.

Tertiaria si solemne votum emiserint, clausura subiiciantur, sin autē per Ordinarios ad clausuram stadeant-

§.3.Mulieres quoque quæ Tertiariæ, seu de pœnitentia dicuntur,cuiuscumque fuerint Ordinis in congregatione viuentes si & ipsæ professæ fuerint, ita vt solemne votum emiserint, ad clausuram præcise, vt præmittitur & ipsæ teneantur, quod si votum solemne non

Digitized by Google

emiserint, Ordinarij vna cum superioribus earum hortentur,& persuadere studeant,vt illud emittant,& profiteantur,ac post emissionem, & professionem eidem clausuræ se subiiciant; quod si recusauerint, & aliquæ ex eis inuentæ fuerint scandalosè viuere seueriſſime puniantur.

Et volentes sine clausura & professione viuere, non recipiantur in aliqua Religione seu Cõgreg.

§.4. Ceteris autem omnibus sic absque emissione professionis, & clausura viuere omnino volentibus interdicimus, & perpetuo prohibemus, ne in futurum vllam aliam prorsus in suum Ordinem, Religionem, Congregationemve recipiant. Quod si contra huiusmodi hanc nostram prohibitionem & decretum aliquas receperint, eas ad sic viuendum omnino inhabiles reddimus,ac illarum quaslibet professiones & receptiones irritas facimus & annullamus.

Eleemosyna promonialib. colligãtur per Cõuersas, aut per Professas habitãtes prope monasteria,ætatis annor.40.

§.5.Porro ne moniales,vel Tertiariæ prædictæ propter hanc clausuram,detrimentum aut incommodum aliquod in earum necessitatibus,maxime in pertinentibus ad illarum victum patiantur, sed vt eis opportune consulatur, auctoritate Apostolica præfata statuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus Ordinariis & Superioribus earum, vt curent colligi fidelium eleemosynas per conuersas, quæ non sint professæ,vel si professæ fuerint, sint tamen ætatis annorum quadraginta, & in domibus contiguis, extra tamen monasterium,degant, & non ingrediantur clausuram aliarum Monialium, nisi in casibus ex earum constitutionibus permissis;& de earum domibus exire non possint pro huiusmodi eleemosynis colligendis nisi de licentia Ordinarij, vel earum Superiorum.

Conuersæ professæ de cetero non recipiantur. Hoc declarauit Greg. XIII. cit. in rub.

§. 6. Et de cetero nullæ aliæ conuersæ professæ recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum vel Prælatorum possint; quod si aduersus hanc nostram prohibitionem receptæ fuerint, illarum receptio nulla, irrita & inanis sit, prout ex nunc nullam, irritam, facimus, & annullamus.

Monialium recipiendarũ numerus reguletur iuxta reditus Monasteriorum.

§.7.Quod si prædicto modo necessitatibus monialium & mulierum Tertiariarum prædictarum succurri sufficiẽter non poterit, mandamus ipsis Ordinariis & Superioribus earum, vt ipsi prouideant de aliis personis piis, & Deo deuotis, quæ fidelium eleemosynas colligant, vel alias eo meliori & commodiori modo quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipsarum monialium & mulierũ prædictarum, arbitrio Ordinariorum & Superiorum earumdem, & prout eis congruentius expedire videbitur, prouideatur,& succurratur. Et ne propter monialium numerum excessiuum clausuræ obseruatio violetur, inhærentes etiam similiter dispositioni dictæ constitutionis Bonifacij,& Conc. Trid. decreto,monialibus prædictis,& illarum Superioribus, & Ordinariis districte inhibendo præcipimus & mandamus; ne plures in earum Monasteriis recipiant & admittant, siue recipi & admitti permittant, quam ex propriis redditibus ipsorum monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commode sustentari possint.

Quod habes in Conc. Trid. sess 25. c. 3.

Executorum deputatio.

§.8.Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ sub obtestatione diuini iudicij,& interminatione maledictionis æternæ, vniuersis venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis & Episcopis, quatenus in Ciuitatibus, & diœcesibus propriis, præsentes nostras literas publicari faciant, ac in monasteriis monialium sibi ordinario iure subiectis, in iis vero quæ ad Romanam mediate vel immediate spectant Ecclesiam Sedis Apostolicę auctoritate vna cum Superioribus eorumdem monasteriorum clausuram, vt præmittitur, quam primum potuerint seruari procurent. Contradictores atque rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; inuocato ad hoc,si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Ac vt hoc tam salutare decretũ facilius obseruetur,omnes Principes sęculares,& alios dominos,& magistratus tẽporales rogamus,requirimus, & obsecramus per viscera misericordiæ D.N. Iesu Christi, eisdem in remissionem peccatorum iniungentes, quod in præmissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis monialium Superioribus assistant,ac suum fauorem & auxilium præstent, ac impedientes pœnis etiam temporalibus afficiant.

Clausula derogatoria.

§.9.Præmissis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, statutis & consuetudinibus, etiam immemorabilibus,etiam per Sedem Apostolicam approbatis & confirmatis; priuilegiis quoque indultis & literis Apostolicis etiam in fundatione,& institutione eisdem Monasteriis, vel domibus,& Monialibus, sub quibuscumque verborum formis, & clausulis irritantibus, & aliis decretis quibuslibet concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis,specifica,expressa,& individua,non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi,ac si de verbo ad verbum inserterentur,pro sufficienter expressis habentes, quoad effectum validitatis nostræ constitutionis tantum derogamus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum,quod interdici,aut suspendi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Ordinarij in his præcedant. etiam in loco exemptis.

§.10.Per hoc autem in Monasteriis exemptis,Ordinarij locorum quoad alia nullam sibi credant iurisdictionem vel potestatem aliquatenus eis attributam.

Iussio publicandi.

§.11.Volumus autem quod præsentes literæ ad valuas Basilicæ B.Petri Apostolorum Principis, & in Cancellaria nostra,ac acie Campi Floræ publicentur, & inter constitutiones extrauagantes perpetuo valituras conscribantur.

Exemplorum fides.

§. 12. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæcumque loca deferri,volumus & etiam declaramus,quod earum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides vbicumque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1566. 4. Kal. Iunij. Pontificatus nostri Anno primo. *Dat. P. A. 1. die 29. Maij.*

Sequitur declaratio d. bullæ.

Edita An. D. 1569.

PIVS EPISCOPVS, &c.

Exordium.

DEcori & honestati omnium sanctimonialium, quarum Iesus Christus Dominus noster sponsus est, vt in puritate & castitate sine perædificantes, in ipso feliciter inhabitare valeant, consulentes, ea quæ illarum existimationi detrahere possent, decet nos consulto submouere.

Causa huius constitut.

§.1.Sane periculo & scandalo plena res est, ac regulari obseruantiæ vehementer aduersatur, sanctimoniales aliquando parentes,fratres,sorores, aut alios agnatos, vel cognatos, necnon Monasteria, & alia filiationes nuncupata, etiam eis subiecta visitandi, aut infirmitatis causa, aliove prætextu à Monasteriis exire & per sæcularium personarumdomus discurrere,& vagari,quo veluti colore eximium quoque honestatis,& pudicitiæ decus in discrimen committunt.

Monialium à clausura exeuntium absque licentia,&c. pœna

§. 2. Vnde nos malo huic pro nostro Pastoralis officij debito salubrite r occurrere volentes, inhærentes etiam decreto sacri Conc. Trid. de clausura Monialium disponenti, ac aliis nostris literis super super huiusmodi clausura editis adiicientes, volumus, sancimus, & ordinamus nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarumve Monialium, etiam Carthusiensium, Cistercisensium, S. Benedicti & Mendicantium,& quorumcumque aliorum Ordinum, etiam Militiarum, ac statuum, graduum, & conditionum, dignitatum, ac præeminentiarum existentium, etiam infirmitatis, seu aliorum Monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum, aliorumve consanguineorum visitandorum; aliave occasione & prætextu, nisi ex causa magni incendij,vel infirmitatis, lepræ, aut epidimiæ,quæ tamen infirmitas, præter alios Ordinũ Superiores quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiam si prædicta Monasteria ab Episcoporum & Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiãtur, cognita & expresse in

Digitized by Google

in ſcriptis approbata ſit,à Monaſteriis præfatis exire, ſed nec in prædictis caſibus extra illa, niſi ad neceſſarium tempus ſtare licere. Aliter autem quam,vt præfertur,egredientes, ſeu licentiam exeundi quomodocumque concedentes necnon comitantes, ac illarum receptatrices perſonas,ſiue laicas,aut ſæculares,vel Eccleſiaſticas,conſanguineas,vel non, excommunicationis maioris latæ ſententiæ vinculo ſtatim eo ipſo abſque aliqua declaratione ſubiacere, à quo præterquam à Rom.Pont.niſi in mortis articulo abſolui nequeant. Et inſuper tàm egreſſas,quam præſidentes, & alios Superiores prædictos eis licentiam huiuſmodi concedentes, dignitatibus, officiis, & adminiſtrationibus, per eas & eos, tunc obtentis priuamus,& illas & illos ad obtenta, & alia in poſterum obtinenda inhabiles.

Licētia aliter concedentium & eorum pœne.

Hoc ampliat Greg. XIII. cit.in rub.

§.3.Necnon licentias & facultates, ſeu indulta & priuilegia exeundi à Monaſteriis, & extra illa ſtandi, à nobis,ſeu alio Romano Pont.prædeceſſore noſtro, ac Sedis Apoſt.Nunciis,& Legatis,etiam de latere, ac Maiore Pœnitentiario, aut Ordinum prædictorum Superioribus, aliiſque perſonis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis reſtitutiuis præſeruatiuis, mentis atteſtatiuis,etiam nouam gratiam,& datam concernentibus,aliiſque efficacioribus ac inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio,& ex certa ſcientia,deque Apoſt.poteſtatis plenitudine,etiam Imperatoris,Regum,Ducum, & aliorũ Principum,necnon S. R. E. Card. intuitu & contemplatione,ac inſtantia, vel alias quomodolibet conceſſa(quæ prorſus abolemus) ac literas deſuper confectas,& in poſterum concedendas, & conficiendas, nullas & inualidas,nulliuſque roboris ac momenti fore,nec illas habentibus & habituris ſuffragari poſſe.

Decretum irritans.

§.4. Et ita per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere,irritum quoque & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Deputatio & facultates executorum huius conſt. & Cōc. Trid. pradicti.

§. 5. Mandantes vniuerſis & ſingulis Venerabilibus fratribus noſtris,Patriarchis,Primatibus,Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, in virtute ſanctæ obedientiæ,& ſub obteſtatione diuini iudicij,& interminatione maledictionis æternæ,quatenus per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas in Ciuitatibus & diœceſibus propriis quolibet anno publicent, omniaque in illis cõtenta,necnon præfatum decretum ipſius Concilij, quod incipit Bonifacij VIII.diligenter & inuiolabiliter ſub cẽſuris Eccleſiaſticis,aliiſque præfatis pœnis, & in eodem decreto contentis,obſeruent & obſeruari faciant & procurent.Contradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes,etiam aliis pœnis auctoritate noſtra,appellatione poſtpoſita compeſcendo; necnon legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando,interdictum Eccleſiaſticum apponendo;inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.

Clauſulæ derogatoria.

§. 6. Non obſtantibus præmiſſis,ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque, Aut ſi aliquibus, communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici,ſuſpendi. vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam,ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.Aliis Apoſtolicis conſtitutionibus & iuribus de huiuſmodi clauſura diſponentibus, nihilominus in ſuo robore duraturis.

Fides trãſumptorum.

§. 7. Ceterum volumus quod præſentium tranſumptis,etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorſus fides vbique terrarum, tàm in iudicio, quam extra adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c.

Dat.a. An. 5. 8. Febr. Publicatio.

Dat.Romæ apud S.Petrum,Anno Incarnat.Dom.1570. Kal.Febr.Pont.noſtri Anno 5.

Anno à natiuitate D. 1570.indictione 13. die vero 27. menſis Febr. Pont.Sanctiſſ.in Chriſto Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V.anno eius 5. retroſcripta litera poſt. affixa & publicata fuerunt Romæ ad valuas Cancell. Apoſtolicæ,& in acie Campi Florę,vt moris eſt,per nos Ioannem Guerētum,& Chriſtianum de Monte,præfatorum S.D.N. Papæ Curſ.

Antonius Clerici Mag.Curſ.

IX.

Declarationes circa allegationem nouæ cauſæ, in caſu fractæ pacis, vel treguæ. Admiſſionemque reorum in contumaciam condemnatorum in Statu Eccleſiaſtico ad faciendas defenſiones, infra vel poſt annum; necnon circa præuentionem inter Iudicem Eccleſiaſticum & laicum in cauſis mixti fori.

De materia Bannitorum notas dabo inf. ad conſt. 6 Sixt.V. Hoc noſtri.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Edita An D. 1566. & 1571.

CVm ob innumeras Rom. Pont. occupationes, ac particularium rerum quarumlibet ſtatus ignorantiam, contingat ab eo quandoque literas emanare, quæ in magnum aliquorum præiudicium redundare noſcuntur, minime reprehendendum eſſe videtur, ſi tandem præiudicio cognito, literas huiuſmodi, etiam ſi per eius prædeceſſorem emanauerint, tamquam per inaduertentiam editas reuocat,& limitat, aliaſque deſuper diſponit prout rerum & temporum qualitate penſata conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Exordium.

§.1.Dudum ſiquidem fel. record,Pius Papa Quartus, prædeceſſor noſter cupiens criminibus & exceſſibus qui in dies oriebantur prouidere; per quaſdam ſuas in forma Motus proprij editas literas inter alia ſtatuit,quod in cauſis treguarum, & pacis fractarum ipſi fractores vel eorum fideiuſſores allegare non poſſent quod offenſa ex noua cauſa proceſſiſſet, nec allegata cuiquam ſuffragaretur.

Pius IV. allegationē noua cauſa phibuit in caſu pacis & treguæ fractæ

§.2.Et etiam quod in cauſis mixtis inter Iudicem eccleſiaſticum & laicum, locus ſit præuentioni, ita tamen quod iudex eccleſiaſticus in caſu præuentionis non poſſit procedere contra laicum, ſed illum debeat remittere ad Iudicem laicum, & aliàs prout in eiſdem literis plenius continetur.

Et in cauſis mixtis Iudicē præuentionem declarauit ſupra in conſt. 52.§ 12.

§.3.Nos conſiderantes à ratione & iuri debito alienum eſſe eos qui criminis innoxij fuerint, eorumque fideiuſſores, ſi treguæ, pax, ſeu fideiuſſiones de non offendendo poſtea ex noua emergente occaſione fractæ fuerint, earum occaſione grauari debere; cum præcipue paces, treguæ, ſeu fideiuſſiones huiuſmodi de non offendendo non ad offenſionẽ ex futuris cauſis,ſed ex præteritis tantum oriantur, literas præfatas quoad præmiſſa reuocantes,caſſantes,& moderantes, effectumque ſuum ſortiri in præmiſſis non poſſe decernentes : Motu ſimili &c. nouam cauſam in pacis,treguarum,ſeu fideiuſſionum huiuſmodi fractione principales tantum, videlicet qui fuerunt cauſa pacis, treguarum, ſeu fideiuſſionum de non offendendo huiuſmodi factarum, ſeu faciendarum; præſtitarum ſeu præſtandarum, ſi ipſi aliquo modo, ſeu aliquis eorum in dictis fractionibus interuenerint, ſeu interuenerit,videlicet ſi aliquis ex dictis principalibus aliquem ex comprehenſis in pace,tregua,ſeu fideiuſſione de non offendendo offenderit, vel ipſe ab aliquo ex ipſis comprehenſis offendatur,non excuſare. Si vero ſupradicti principales, ſeu aliquis eorum in fractione pacis, treguæ,ſeu fideiuſſionis huiuſmodi,vt ſupra non interuenerint,ſeu interuenerit, ipſos eorumque conſanguineos & fideiuſſores,ceteroſque in pace,& tregua,ſeu fideiuſſione de non offendendo comprehenſos, & quemlibet eorum nouam cauſam huiuſmodi allegare poſſe, & ea probata excuſari debere,& quoquo modo grauari,perturbari, aut inquietari non poſſe neque debere; idque tàm in cauſis motis & indecilis pendentibus, quàm etiam finitis,& in quibus etiam pronunciatum fuit (dummodo ſententiæ deſuper latæ totaliter non ſint executioni demandatæ) locum ſibi vendicare poſſe, & debere declaramus.

Hic Pont. declarat prohibitionē quoad principales tantum,procedere non autē quoad comprehenſos.

Digitized by Google

Cõtumacibus dat annum ad comparendum.

§.4.Cumque etiam sæpe contingat partes ipsas contra quas in cõtumaciam procedi consueuit, vel ita negociorum mole gcauari, vel ita longe abesse vt ipsorum contumaciam sex mensium spatio huiusmodi expurgare minime queant, terminum sex mensium huiusmodi ad annum prorogamus, ac contumacibus huiusmodi defensiones nonnisi post anni elapsi terminum denegari debere; ac quascumque aliter quam vt præmittitur ferendas sententias nullas, inanes, nulliusque roboris & momenti, fore & esset, prout nos eas ex nunc tamquam contra iuris debitum, & de facto latas annullamus, cassamus & irritamus.

Præsentionemque ad iuris, & Cõc. Trid. terminos reducit.

§.5. Quo vero ad præuentionem inter Iudicem Ecclesiasticum, & laicum, declaramus, illam habere locum in terminis, & statu, prout ante dictum Motum proprium erat, ac ipsum ad terminos iuris in hoc reducimus;& volumus,vt in præuentionibus procedatur iuxta formam iuris;& sacrorum decretorum Conc.Trid.& non alias,aliter, nec alio modo.

Decretum irritans.

§.6.Sicque & non aliter per quoscumque Iudices,&c. etiam S.R.E.Card,ac causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata, &c. iudicari debere; irritum quoque, &c. auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus & decernimus.

Iudices & Notarij hæc obseruent.

§.7. Et nihilominus pro potiori præmissorum validitate,omnibus & singulis Iudicibus,tam ordinariis,quàm delegatis & subdelegatis, ac eorum Locatenentibus & Notariis,sub excommunicationis maioris,ac indignationis nostræ, officiorumque suorum priuationis pœnis, ne contra præmissa aut illorum aliqua facere, & attentare præsumant districtius inhibemus.

Clauſ. derog.

§.8.Non obstantibus præmissis,ac quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis,ac quarumcumque Ciuitatum, Prouinciarum, & locorum, etiam iuramento,&c.roboratis statutis, & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis Vniuersitatibus,Communitatibus,& hominibus prouinciarum,Ciuitatum, & locorum prædictorum quomodolibet concessis,&c.Quibus omnibus,&c,etiam si de illis, &c. illorum tenores,&c.hac vice latissime derogamus;cæterisque contrariis quibuscumque,cum clausulis opportunis.

Papæ subscr.

Fiat Motu proprio. M.

Clausularum repetitio.

§.9. Et de reuocatione, cassatione, declaratione, reductione, volũtate,prorogatione,annullatione, irritatione, statuto, & decreto,inhibitione,derogatione, & aliis præmissis,quæ hic pro simul,vel ad partem repetita habeantur latissime extenden.Et quod præmissorum omnium & singulorum,& præsertim præsentibus contrariorum pro sufficienter expressis habeantur.

Sola signatura sufficit.

§.10. Et quod præsentis Motus proprij etiam absque data & registratura, sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio & extra, regula contraria non obstante.

Fides exemplorum.

§.11. Eiusque transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis,eadem prorsus fides adhibeatur,quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ,vel ostensæ.

Iussio pœnalis.

§.12.Quodque Cameræ, & Cancellariæ Apost. ac audientiæ causarum Palatij Apostolici valuis & in acie Campi Floræ dimissis copiis affixis,post mensem affixionis huiusmodi computandum, omnes ita afficiant, & arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent. Fiat. M.

Publ.P.A. 1. die 20. Iunij.

Anno à Natiuitate Dom.1566.indictione.9.die vero 20. mensis Iunij Pont.Sanctiss.in Christo Patris,& D.N.D.Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno I.supradictus Motus proprius affixus,& publicatus fuit ad valuas Principis Apostolorum.de Vrbe,Camera,ac Cancell. Apostolicarum,necnon in audientia literarum contradictarum,ac in acie Campi Floræ, dimissis inibi copiis affixis per me Ioannem Guerardi præfati S.D.N.Papæ Curs.

Ant. Clerici Mag.Curs.

Sequitur declaratio d.Constitutionis.

Edita An.D. 1571.

P I V S P A P A V.

Motu proprio, &c.

Exordium.

DVdum postquam fel. rec. Pius Papa IV. prædecessor noster, cupiens subterfugiis delinquentium obuiare, per quasdam suas in forma Motus proprij editas literas,sub dat.Romæ apud S.Petrũ,12. Cal.Iunij, Anno VI. inter alia statuisset, quod rei in contumaciam condemnati ad suas defensiones faciendas admitti non possint, nisi infra sex menses, quoad faciendas, videlicet à die condemnationis, quo vero ad iam factas condemnationes à die publicationis earumdem literarum computandos, per alias nostras etiam in forma Motus proprij emanatas literas, die 20.mensis Iunij, Pont. nostri anno primo publicatas, terminum sex mensium huiusmodi ad annum prorogauimus, ac contumacibus huiusmodi defensiones nonnisi post anni elapsi terminum denegari debere decreuimus.

Dubia exorta super prædictis.

§.1.Cumque sicut accepimus, à nonnullis ordinationem, & dispositionem huiusmodi, nostramque & dicti prædecessoris in illis edendis intentionem variis calumniis eludere, & super earum siniſtris interpretationibus agentes pro Fisco, & Camera Apostolica fatigare,& causas in longum protrahere, & illas intricare, sententiarumque executionem euitare satagentibus, sæpe in dubium verti contingat (licet ex verborum proprietate res clara sit) an scilicet tam sponte comparentes, de quibus loquitur Motus proprius præfati prædecessoris, quam etiam capti intra dictum tempus, indistincte admitti debeant ad faciendum suas defensiones, maxime stantibus in eodem nostro Motu proprio appositis supra relatis verbis videlicet. Ac contumacibus huiusmodi defensiones nonnisi post anni elapsi terminum denegari debere, quæ indefinite prolata sunt, & videntur posse comprehendere, tam sponte comparentes quam captos, nihilominus considerantes quod verba ipsa nihil aliud disponunt,quam prorogationem termini, his quibus ex forma Motus proprij prædicti prædecessoris denegari non poterat.

Declaratio quod capitaliter condemnati, capti infra annum. non audiãtur absque iussu Papæ,sed sententia contra eos in contumaciam lata legitimis præcedentibus indiciis executioni demandentur.

§.2.Nos igitur ad tollendum omne dubium,& abſurdum euitandum,quod capti,& sponte comparentes paris essent conditionis, necnon calumniis, & aliis inconuenientibus huiusmodi quantum cum Deo possumus obuiare, omnemque disputandi materiam tollere,& in his opportune prouidere volentes, necnon singularum literarum prædictarum, ac indiciorum inquisitorum processuum condemnationum, & sententiarum desuper formatarum,& latarum, ac formandarum, & promulgandarum huiusmodi, aliorumque forsan latius exprimen. tenores, continentias, formas,& compendia, ac reorum delictorum, criminum, & excessuum, ac pœnarum huiusmodi,& Iudicum nomina,cognomina,gradus,& qualitates,ac quantitates,& loca pro plene,& sufficienter pro expressis habentes, & decernentes, necnon singulas prænarratas literas confirmantes, & innouantes,Motu simili, &c. quod tamen, & in contumaciam condemnati in pœnam capitis & vltimi supplicij, si capti ad manus Curiæ deuenerint per iudices ad nouas, siue alias defensiones faciendas,etiam intra dictum tempus non admittantur, nisi habita à nobis, vel signatura nostra desuper gratia speciali, nec literæ ipsæ, quæ in eorum odium editæ sunt, eis in aliquo suffragentur, aut illis se iuuare siue defendere possint. Quinimmo, quod iudices præfati sententias ipsas condemnatorias, tam in Vrbe quam extra eam latas,& ferendas,si tamen legitimis præcedentibus indiciis ad inquirendum promulgatæ fuerint, executioni realiter,& corporaliter,suis loco & tempore congruis respectiue totaliter & integre,contra sic captos demandent; & demandari faciant, hac nostra perpetuo valitura declaratione declaramus, & decernimus, & quatenus opus sit, de nouo statuimus, & ordinamus, & ita mentis, & intentionis nostræ fuisse, & esse attestamur.

Officialesque id omnino obseruent.

§.3. Præterea Almæ Vrbis nostræ generali Gubernatori, ceteriſque Iudicibus, ordinariis vel delegatis, in Romana Curia vel extra eam residentibus quibuscumque, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ pœna committimus & mandamus, districtæ præcipiendo per præsentes, quatenus huiusmodi nostram declarationem, seu nouam constitutionem, & ordinationem, necnon ipsas præsentes, & in eis contenta, omnia & singula, in causis criminalibus seu mixtis, ac aliis Fiscum & Cameram Apostolicam illiusque interesse quomo

Digitized by Google

quomodolibet concernentes, nunc & pro tempore pendentibus quibuscumque, etiam si forsan aliqui capti nunc in carceribus detineantur, perpetuo inuiolabiliter obseruari mandent, & faciant, & illi obseruent.

Decretum inuitans. §.4. Et ita, & non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscumque iudices, & Commissarios, &c. etiam S. R. E. Cardinales, ac Palatij Apostolici causarum Auditores, sublata, &c. iudicari, interpretari, & definiri debere, irritum quoque, &c. decernimus.

Clausula derogatoria. §.5. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutisque, ac consuetudinibus Prouinciarum, Ciuitatum, oppidorum, & locorum quorumcumque etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, Vniuersitatibus, Communitatibus, & hominibus Prouinciarum, Ciuitatum, & locorum prædictorum, ac etiam singulis prænominatis, & aliis quibuscumque Iudicibus, &c. per nos, & prædecessores nostros concessis, & etiam itefatis vicibus innouatis, quibus omnibus, &c. illorum tenores, &c. hac vice latissime derogamus, ac stylo Palatij, ceterisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Sola signatura sufficit. §.6. Volumus autem, quod præsentis Motus proprij, etiam absque data, & registratura, sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio & extra, regula contraria non obstante.

Transumptorum fides. §.7. Eiusque transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ, seu literæ desuper per breue nostrum expediri possint, & si videbitur cum omnium, & singulorum prænarratorum, & expressorum, aliorumque necessariorum specificatione, & insertione, & cum aliis clausulis opportunis, & consuetis.

Placet Motu proprio. M.

PP. subscr. D. P. An. 6. die 17. Sept. Publicatio. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Idus Septembr. Anno 6.

Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi, millesimo quingentesimo septuagesimo primo, Indictione decimaquarta, die vero decimaseptima mensis Septembris, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno sexto, retroscriptus Motus proprius affixus, & publicatus fuit in acie Campi Floræ, & ad valuas Cancellariæ Apostolicæ, dimissis copiis affixis, per me Io. Andream Panizzam præfati Sanctiss. Domini Papæ Curs.

Io. Guerardi Mag. Curs.

X. Innouatio & ampliatio constitutionum à Pont. prædecessoribus editarum contra Homicidas, brigosos, vindictam transuersalem, aut hominum collectam facientes, facinorosque homines; eorumque complices; & fautores; Communitates quoque & alios eorum territoria à prædictis non custodientes in Statu Ecclesiastico.

Has constitutiones indicaui hic in apostillis, & eis addo viden. constit. 65. Gregor. XIII. Tanta. *& constit. 6. Sixti V.* Hoc nostri. *vbi plene notabo.*

Edita Ann. D. 1566. PIVS EPISCOPVS, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Prœmium. EX supernæ dispositionis arbitrio gregis Dominici curæ præsidentes, inter varias animi solicitudines quæ ex pastoralis officij ministerio nobis incumbunt, illam à nobis potissime amplectendam esse putamus, per quam inter singulos gregis eiusdem fideles, præsertim vero nobis, & Romanæ Ecclesiæ subditos, pax & concordia confouentur, seditiones sedantur, scandalis obuiatur, & animarum salus procuratur. Vnde ea quæ sedula meditatione hactenus à diuersis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris præmissorum ratione gesta fuisse ac ordinata comperimus, quo sæpius fideles ipsi illa perspicient innouari, eo feruentius, ac promptius ad illorum obseruationem excitentur, confirmanda, innouanda, nostræque auctoritatis munimine roboranda esse censemus, aliasque desuper disponimus, prout in Domino conspicimus expedire.

Pius II edidit bullã hic cit. §.1. Sane alias postquam fel. rec. Pius Papa II. prædecessor noster, per eum accepto, quod à certis tunc elapsis annis, &c.

Omittitur residuum narratiuæ, quia ipsam bullam S. Pij II. habes sup. *Ad retinendas.*

Paul. II. edidit alteram hic cit. §.2. Cum sæpius contingeret, quod offensionis ignarus, aut ob huiusmodi excessus plurimum condolens, horribili, &c.

Omittitur pariter residuum relationis huius bullæ 4. Pauli II. *Viros nam.* habes eam supra.

Sixt. IV. aliã bullam edidit hic relatã & à me propterea præterithissam in hac opera. §.3. Et successiue recol. memor. Sixtus Papa IV. similiter prædecessor noster accepto per eum quod contenta in literis Pij prædecessoris huiusmodi à certis annis tunc elapsis citra non fuerant obseruata, & ex illorum non obseruantia subditi præfatæ Ecclesiæ procliuiores erant ad homicidia committenda, ac fere passim quotidie perpetrabantur, & homicidæ præfati ideo ad illa committenda promptiores existebant, quia sperabant latere, & suorum excessuum remissionem consequi facile posse, ac detestabilem, & horrendam sicariorum nequitiam talium ad aliorum cautelam iuris remediis prosequi studio cupiens indefesso, habita super iis cum fratribus suis præfatæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura, de illorum consilio per suas literas, statuta, decretaque Pij prædecessoris huiusmodi, ac prout illa concernebant omnia & singula in dictis literis Pij prædecessoris præfati contenta approbauerat, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decreuerat, ac voluerat & de eorumdem fratrum consilio statuerat, & ordinauerat, quod condemnatis eatenus, & quos in posterum condemnari contingeret vbilibet in ciuitatibus, terris, & locis prædictis pro homicidio, siue vt principales, siue vt auxilium, consilium, vel fauorem præstantes, suarum condemnationum remissionum, aut contra illas saluum conductum, & licentiam secure in loco patrati criminis, vel infra quinquaginta milliaria (vt præfertur) propinquo nullatenus obtinere possent ab alio quam à Rom. Pont. qui pro tempore esset, & alicuius alterius etiam Legati de Latere remissio nemini suffragaretur, & si forsan contingeret eumdem Rom. Pont. ad remissiones siue saluum conductum huiusmodi procedere, talis remissio per præoccupationem processisse censeretur, & nemini prodesse posset, nisi in illa verus literarum Sixti prædecessoris huiusmodi tenor de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes inferius insertus foret, & determinata causa exprimeretur, quæ eumdem Rom. Pont. induceret ad derogandum eisdem literis Sixti prædecessoris, quæ cum tam matura deliberatione ab eodem Sixto prædecessore emanauerant.

Iul. II. edidit aliam hic cit. §.4. Et subsequenter sanctæ mem. Iulius Papa II. etiam prædecessor noster habita super iis cum fratribus suis tunc, &c.

Omittitur pariter residuum narratiuæ const. 6. Iul. II. *Cum homines*, quia est supra.

Et aliam hic relatam, quã non habes supra in hoc opere. §.5. Et insuper per eumdem Iulium prædecessorem accepto quod cum nonnulli Ciuitatum, Castrorum, & locorum tam Regni nostri tunc Siciliæ citra Pharum, quam aliarum partium dictæ Ecclesiæ subiectarum etiam Vrbi prædictæ adiacentium, quam propter homicidia, aliqua nefanda per eos perpetrata excessus, crimina, & delicta, & alias eorum demeritis id exigentibus à Ciuitatibus, terris, castris, & locis eorum, seu in quibus tunc morabantur exules, rebelles, & banniti, quod in illis propterea secure morari nequirent, alij de Ciuitatibus, Terris, Castris, & locis dictæ Ecclesiæ subiectis ad Regnum, & alias adiacentes huiusmodi, alij autem ex Regno, & adiacentibus partibus prædictis, ad Ciuitates, Terras, Castra, & loca eidem Ecclesiæ subiecta

Digitized by Google

prædicta etiam dictæ Vrbi adiacentia se transferrent, nonnulli Barones, Proceres, & Domini, seu Vicarij in temporalibus Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & locorum, ac Regni, & partium adiacentium prædictorum, eorumque Officiales, & subditi dictos homicidas, bannitos, criminosos, atque rebelles homines scienter receptare, & quod grauius erat protegere, & defendere non formidabant, se reos tantorum scelerum, per homicidas & alios bannitos prædictos perpetratorum, apud Deum constituentes, & tam ipsis homicidis, & malefactoribus, quam aliis similia vel grauia delicta perpetrandi, & committendi audaciam, & scelerum huiusmodi impunitatem tribuentes in animarum suarum periculum, iustitiæ conculcationem, ac dictæ Sedis auctoritatis contemptum, & scandalum plurimorum. Idem Iulius prædecessor Motu proprio omnes, & singulos Barones, Proceres, Milites, ac Dominos, & Vicarios in temporalibus Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & locorum eorumdem, necnon nostros, & eorumdem Baronum, Procerum, Militum, & Dominorum Vicarios, Officiales, & subditos per suas literas requisierat & monuerat, eisque & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam contrafacientes eo ipso incurrerent, districtius inhibuerat, ne homicidas, bannitos, criminosos, rebelles, aliosque infames homines præfatos, qui propter eorum delicta banniti in locis originis suæ, seu aliis regnorum, Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & aliorum locorum prædictorum propter eorum malam vitam commorari non poterant, ex tunc de cetero nullatenus receptare, aut eis consilium, auxilium, vel fauorem quouis quæsito colore præstare præsumerent. Quinimo tales ad eorum dominia declinantes, seu in eis commorantes capi, & ad forum seu iustitias, vel Officiales ad quos puhitio, & castigatio criminum, & excessiuum per eos perpetratorum, vt præfertur, de iure vel consuetudine pertinebant & spectabant, destinare, aut si partibus læsis, & offensis vtilius foret, illos iuxta criminum, & excessuum per eos perpetratorum qualitatem ad pœnas à iure statutis in locis vbi deprehensi forent procedere procurarent.

Leo X. aliam edidit hic cit.

§.6. Præterea fel. mem. Leo Papa X. etiam prædecessor noster similiter per eum accepto quod nequissimi sicarij, &c.

Prætereo insertionem bullæ 36. Leon. X. *Omnes.* quia ipsa est supra.

Clem.VII. alteram hic cit.

§.7. Porro ad notitiam similis memoriæ Clementis Papæ VII. pariter prædecessoris nostri peruento plures Vrbis, &c.

Non pono hic istam bullam 10. Clem. VII. *In sancta.* quia habes eam sup.

Pius IV. aliã edidit hic indicatam.

§.8. Piæ mem. Pius Papa IV. similiter prædecessor noster singulas Pij II. Pauli, Sixti, Iulij, Leonis, & Clementis, &c.

Prætereo hanc bullam 27. Pij IV. Siquidem habes ipsam sup. *In eminenti.*

Hic modo Pont. Pius V. antedictas const. approbat.

§.9. Cum autem statim vbi nos ad summi Apostolatus apicem diuina cooperante prouidentia assumpti fuimus, ob earumdem literarum non obseruationem in eisdem Ciuitatibus, Terris, & locis, ac etiam in Alma Vrbe nostra varias dissensiones, discordias, & odia vigere, latrocinia, & homicidia, aliaque nefandissima crimina perpetrari, ac præfatos Pium II. Paulum, Sixtum, Iulium, Leonem, Clementem, ac Pium IV. prædecessores pro felici ac tranquillo statu & commodo personarum tam dictæ Vrbis quam aliarum Ciuitatum, Terrarum, & locorum prædictorum, præmissa statuisse, ordinasse, & peregisse perspexerimus. Idcirco nos quoque eadem ratione, quietis videlicet ac pacis moti habita super his cum venerabilibus fratribus nostris eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura, ac de illorum vnanimi consilio & assensu singulas Pij II. & Pauli, ac Sixti, necnon Iulij, & Leonis, Clementis, & Pij IV. prædecessorum literas huiusmodi, cum statutorum, ordinationum, extensionum, ampliationum, reuocationum, cassationum, irritationum, annullationum, decretorum, confiscationum, incorporationum, applicationum, voluntatum, hortationum, requisitionum, & mandatorum, omnibusque & singulis aliis in eis respectiue contentis clausulis Apostolica auctoritate prædicta tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innouamus, illisque perpetuum, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, ac ab omnibus, & singulis quos illæ concernunt penitus ac sub prædictis per contrafacientes irremissibiliter incurrendis pœnis obseruari volumus atque decernimus.

Communitates obligat ad refectionẽ damnorum & tantumdẽ pro pœna.

§.10. Easdemque literas, ad hoc vt si homicidæ, sicarij, banniti in Ciuitatibus, Terris, Castris, & locis prædictis cuiquam damna aliqua intulerint, ipsique damnis taliter illatis, à Ciuitatum Communitatibus, ac Terrarum, Castrorum & locorum huiusmodi Vniuersitatibus capti, & deprehensi non fuerint, sed taliter delinquentes impune euaserint, communitates, ac vniuersitates huiusmodi (præter hoc quod ad damnorum quorumcumque sic illatorum parti læsæ damnaque huiusmodi patienti, eorumque hæredibus plenariam restitutionem, & satisfactionem omnino teneantur) ad tantumdem quantum damna illata huiusmodi extimata fuerint, Cameræ Apostolicæ realiter cum effectu persoluendum omnino sint adstricti, auctoritate, & tenore præfatis extendimus, & ampliamus.

Ad hoc vide bullam Greg. XIII. cit. in rub.

Cõmunitates bannitos capere studeant.

§.11. Mandantes eisdem Communitatibus, & Vniuersitatibus quatenus ipsæ in virtute sanctæ obedientiæ, & sub maioris excommunicationis, ac aliis nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici beneuisis pœnis, eosdem sicarios, & bannitos in eorum Ciuitatibus, Terris, Castris, & locis commorantes, seu per eas & ea transeuntes capere, & ad populum conuocandum & coadunandum campanas pulsare, eosque sic captos ad carceres conducere, aut Curiæ temporali consignare omnino teneantur.

Executores huius const. deputat.

§.12. Quocirca dilectis filiis Vitellotio S. Mariæ in via lata Romanæ Ecclesiæ Camerario, & Cameræ præfatæ Thesaurario, Præsidentibus, Clericis, ac vniuersis, & singulis Legatis, & Vicelegatis Prouinciarum nostrarum, & aliis Rectoribus, ac Officialibus Ciuitatum, Terrarum, & partium prædictarum nobis, & dictæ Sedi mediate, vel immediate subiectarum districte præcipiendo mandamus, quatenus præsentes literas solemniter in singulis Prouinciis, Ciuitatibus, Terris, & locis prædictis publicari, necnon omnia & singula in eis contenta inuiolabiliter obseruari faciant & mandent. Contradictores quoslibet & rebelles, cuiuscumque status, gradus, & præeminentiæ fuerint, sententias, censuras, & pœnas præfatas damnabiliter incurrisse declarent, & declarationem huiusmodi per eos faciendam in libris maleficiorum conscribi, & adnotari mandent, & faciant. Necnon capitales præfatas sententias à ministris iustitiæ absque alicuius incursu irregularitatis exequi procurent, ac realiter & irremissibiliter exigant, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis. Necnon pro exactione pœnarũ pecuniariarum huiusmodi contra Communitates, & Vniuersitates, ac in eorumdem inobedientium in temporalibus dominorum vassallos propter eorum huiusmodi inobedientiam repræsalias concedant, necnon & cum effectu exequi faciant. Attentius hortantes, & requirentes in Domino Barones, & Domicellos, ac in temporalibus dominos dicti regni, necnon illius Prouinciarum, Ciuitatum, & locorum Gubernatores, & Officiales pro tempore existentes, vt præfatos homicidas, & fautores, & complices capiant, & capi procurent, captosque ad præsides nostrarum Prouinciarum, vnde ipsi homicidæ, fautores, & complices originem traxerunt, conduci, & eis realiter consignari similiter cum effectu faciant.

Clausulæ derogatorias apponit.

§.13. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apost. ac omnibus illis quæ dicti prædecessores in præfatis eorum literis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuscumque aliis priuilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis,

Digitized by Google

Apoſtolicis, generalibus vel ſpecialibus ſuper recipiendis bannitis, homicidis, & brigoſis, ac aliis prædictis quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, quæ quoad hoc cuiquam nolumus vllatenus ſuffragari.

Formæ & effectus public. adiicit.

§.14. Volumus autem quod præſentes literæ noſtræ poſtquam in valuis Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & in Campo Floræ de Vrbe affixæ fuerint, omnes & ſingulos Ciues Roman. & alios in Vrbe commorantes effluxis quindecim diebus, aliàs vero Duces, Comites, Marchiones, Domicellos, Barones, & alios temporales dominos, & Vicarios, Communitates, & Vniuerſitates, Ciuitatum, Terrarum, & locorum Sedi præfatæ mediate & immediate ſubiectorum huiuſmodi decurſo menſe arctent, & contrafacientes pœnas præfatas incurrant in omnibus & per omnia, perinde ac ſi eis omnibus & ſingulis contrafacientibus, perſonaliter & particulariter intimatæ fuiſſent. Nulli ergo, &c.

D. P. An. 1. die 3. Iulij.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1566. tertio Nonas Iulij, Pontificatus noſtri Anno 1.

Papæ ſubſcr. Ego Pius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Subſcriptiones Cardd.

Io. Card. Moronus Epiſcopus Portuenſis.
Ego Io. Mi. Cardinalis Saracenus.
Ego Io. Cardinalis Politianus.
Ego Io. B. Cicada Card. S. Clementis.
Ego B. Card. Tranen.
Ego Io. Card. Capiſuccus.
Ego Iac. Card. Sabellus.
Ego Marcus Ant. Card. Columna.
Ego Ptolomæus Card. Comenſ.
Ego Aloyſius Card. de Pad.
Ego Zacharias Card. Delphinus.
Ego Marcus Antonius Card. Bobba.
Ego Franc. Ab. Card. Conſt.
Ego Io. Ant. Card. S. Georgij.
Ego Aloyſius Card. Cornelius.
Ego Lud. Card. Simoneta.
Ego Ant. Card. Granuelanus.
Ego F. Card. Paciecco de Toledo.
Ego Io. Franciſcus Card. de Gambara.
Ego Innicus Aualus Card. Arag.
Ego Guido Card. Vercellen.
Ego Benedictus Lomellinus.
Ego G. Card. Sirletus.
Ego Hier. Card. Simoncellus.
Ego F. Card. Alciatus.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1566. Indictione 6. die 17. menſis Auguſti, Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & Domini Pij diuina prouidentia Papæ V. anno 1. ſupraſcripta litera Apoſtolica lecta, affixa, & publicata fuerunt ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ dimiſſis illarum copiis affixis per nos Bernardinum Andreutium, & Io. Andream Rogerium Apoſtolicos Curſores.

Iulius Parinius Mag. Curſ.

Sequitur ampliatio pœnarum contra Fautores Bannitorum.

Edita An. D. 1566.

PIVS EPISCOPVS,
Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INdefeſſa paſtoralis noſtræ prouidentiæ ſolicitudo, ad ea potiſſimum diligenter intendit, per quæ omnes Chriſtifideles, præſertim ſubditi, & S. R. E. deuoti & peculiares filij, quiete & pacifice viuere valeant. Vnde nos in his noſtræ prouiſionis remedium libenter adhibemus, ac pœnas adiicimus, vt, ſi non pacis cupidine, ſaltem formidine pœnæ, mandata Apoſtolica ad ipſorum ſubditorum noſtrorum tranquillitatem ſpectantia, debite ſeruentur, & alias deſuper diſponimus, provt in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Cauſa huius conſtit.

§.1. Cum itaque (ſicut non ſine graui animi noſtri moleſtia nuper accepimus) diuerſæ ſtatus Eccleſiaſtici, & dominij noſtri temporalis perſonæ, poſthabitis & neglectis conſtitutionibus & mandatis, tàm à nobis quam etiam aliis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris emanatis, homicidas, rebelles, latrones publicos, graſſatores viarum, ac in pœnam capitis bannitos, & alios facinoroſos homines, in ſuis locis receptare, ac tenere, eiſque diuerſimode fauere, conſiliumque & auxilium præſtare non reformident, in non modicum Apoſtolicorum mandatorum contemptum plurimamque eorumdem ſubditorum noſtrorum perturbationem, & offenſionem.

Ampliatio pœnarum in auxiliatores prædictorum bannitorum in futurum.

§.2. Nos igitur, ad quos pro vniuerſalis noſtræ adminiſtrationis munere, præcipue pertinet inconuenientibus huiuſmodi, & ſcandalis, quæ exinde quotidie proueniunt, omni diligentia noſtra obuiare, in præmiſſis, quantum cum Deo poſſumus, opportune, matureque prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine præter alias contra talia perpetrantes à nobis iam factas conſtitutiones, hac noſtra perpetuo valitura ſanctione, & conſtitutione ſtatuimus, ordinamus, volumus, decernimus, & declaramus. Quod quicumque ſubditi noſtri, & ipſius Romanæ Eccleſiæ, cuiuſuis ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis, & præeminentiæ exiſtentes, etiam ſi Barones, Domicelli, & Feudatarij noſtri fuerint, aliquos homicidas, rebelles, publicos latrones, graſſatores viarum, ac in pœnam capitis bannitos, & quoſlibet alios facinoroſos homines, illorumque adhærentes, fautores, & complices, de cetero in ſuis locis receptauerint aut tenuerint, pœnis confiſcationis omnium bonorum, ac demolitionis domorum ſuarum, & exilij perpetui vna cum totis eorum familiis, vltra alias pœnas tam in noſtris, quàm eorumdem prædeceſſorum noſtrorum deſuper confectis literis contentas (quas contrafacientes eo ipſo incurrere volumus) per dilectos filios Gubernatores, Officiales, ac Iuſtitiæ miniſtros Prouinciarum, Ciuitatum, terrarum, & locorum nobis, & dictæ Romanæ Eccleſiæ ſubiectorum (quibus vt præſentes noſtras literas omnino exequantur, ſub indignationis noſtræ pœna, diſtricte præcipimus) irremiſſibiliter afficiantur, plectantur, & puniantur afficique & puniri debeant.

Declaratique ad receptores præſentium.

§.3. Qui vero præfatos homicidas, rebelles, publicos latrones, viarum graſſatores, in pœnam capitis bannitos, & facinoroſos homines, hucuſque in locis ſuis receptauerint, aut tenuerint, in exilium vna cum ipſorum familiis, ad varia loca per ipſos Gubernatores, Officiales, ac iuſtitiæ miniſtros declaranda, & ſtatuenda (data per eos idonea cautione de huiuſmodi exilio ſeruando) mittantur, & relegentur. Decernentes præterea, ſuper præmiſſis procedi poſſe per accuſationem, delationem, inquiſitionem, & alio quouis modo.

Clauſula ſublata.

§.4. Sicque per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, in quauis cauſa, & inſtantia (ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) iudicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane quidquid ſecus à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſ. derog.

§.5. Non obſtantibus, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſuis in genere vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, confirmatis, & ſæpius innouatis) quibus omnibus etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua mentio habenda eſſet, eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ad effectum præſentium, ſpecialiter, & expreſſe derogamus) ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides.

§.6. Ceterum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, in quibus opus fuerit, deferri, volumus etiam ac decernimus, quod earum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo

Digitized by Google

figillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides, in iudicio & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 1. die 15. Aug.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1566. 18. Kalen. Septembr. Pontificatus noſtri Anno 1.

Sequitur mandatum quotannis d. Bullam publicandi.

Edita An. D. 1566.

PIVS PAPA QVINTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Præceptū publicandi hanc bullam anno quolibet, & aſſeruandi in Archiuiis.

§. 1. CVm nos nuper pro noſtri Paſtoralis officij ſolicitudine, ad pacem & quietem in vniuerſo ſtatu noſtro Eccleſiaſtico inducendam & conſeruandam, mala extirpanda, ac Ciuitates, Terras, & loca noſtra ſicariis & aliis nefariis hominibus expurganda, quaſdam noſtras ſub plumbo deſuper confectas literas contra homicidas, bannitos, & alios facinoroſos, eorumque receptatores, adhærentes, & fautores publicari fecerimus, volenteſque literas huiuſmodi ab omnibus, quos ipſæ concernunt, inuiolabiliter obſeruari, nec inobedientes vllo modo ſeſe excuſare poſſint, Motu proprio, & ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtra auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, ordinamus, ac ſub indignationis noſtræ, & mille ducatorum Cameræ Apoſt. applicandorum per contrafacientes eo ipſo incurrendis pœnis diſtricte præcipimus, & mandamus, Quod quælibet Communitas, Vniuerſitas, & populus quarumcumque Ciuitatum, Oppidorum, Terrarum, Caſtrorum, & locorum nobis & S. R. E. mediate vel immediate ſubiectorum, ſtatim cum dictæ noſtræ literæ, ſi earum tranſumptum impreſſum ad eos peruenerint, conuocato eorum publico conſilio in præſentia Officialium, ſyndicorum, & curam maleficiorum habentium, eas ibi alta & intelligibili voce etiam vulgari ſermone illas declarando, vt melius & facilius ab omnibus percipi poſſint, legi facere, & deinde in eorum Archiuio publico diligenter cuſtodiri curare omnino debeant. Ac ſucceſſiue ſingulis annis in principio cuiuſlibet anni perpetuis futuris temporibus ſimiliter, vt præfertur, eaſdem literas in eorum publico conſilio legendo reiterare teneantur.

Cõtrauentium pœna.

§. 2. Quod ſi (quod non credimus) ab aliquibus prætermiſſum, vel contrauentum fuerit, volumus, & ſub excommunicationis, & aliis arbitrij noſtri pœnis etiam mandamus, quod loci Gubernator, Rector, & quilibet alius Iuſtitiæ miniſter quocumque nomine nuncupatus, contra ſtatutum, & ordinationem noſtram huiuſmodi non obſeruantes, ad executionem pœnarum prædictarum ſine mora irremiſſibiliter, procedat, vt quos obedientiæ bonum ad mandatis noſtris parendum non adducit, pœnarum ſaltem metus à contraueniendo abſterreat. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Exemplorum fides.

§. 3. Præterea volumus præſentium literarum tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, plenam & indubiam fidem æque ac originalibus ipſis adhiberi debere.

D. P. An. 1. die 4. Sept.

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die quarta Septembris, 1566. Pontificatus noſtri Anno 1.

XI. Exemptiones Ordinum Mendicantium, pro eorum bonis & perſonis, à ſolutione gabellarum & quarumcumque contributionum, onereque hoſpitandi Milites.

Aliam exemptionem generalem pro omnibus Monialibus & Sororibus cuiuſcumque Ordinis, à ſolutionibus & contributionibus huiuſmodi, vide ſup. in conſt. 5. Pij IV. De ſtatu. *Et ab onere hoſpitandi Milites, hic iterum conceſſit, vt infra in conſt. 148.* Cum ſicut.

Edita An. D. 1566.

PIVS PAPA QVINTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

DVm ad vberes, quos ſacri Mendicantium Ordines in agro dominico quotidie faciunt fructus attente reſpicimus, & attente conſiderationis indagine perſcrutamur ipſorum Religionis ſinceritatem, & voluntariæ pauperratis habitum in quibus ſub humilitatis ſpiritu deuotum Altiſſimo præſtant famulatum, dignum, quin potius debitum reputamus, vt illis ea libenter concedamus, per quæ ſemoris quibuſlibet grauaminibus promptiores eiuſdem Altiſſimi inhæreant ſeruitiis.

Exemptiones Ordinũ Mendicantium à gabellis, &c. Pro Eorũ perſonis & Bonis & Colonis Mercibus & Animalibus.

§. 1. Hinc eſt quod nos volentes eoſdem Mendicantiũ Ordines, & dilectos filios eorum Fratres, & Monachos, ceteraſque perſonas, ac etiam Moniales quaſlibet eiuſdẽ Ordinis ſub illorum cura degentes ſpecialibus fauoribus & grãtiis proſequi, Motu proprio non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiã, ſed ex certa noſtra ſcientia ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus omnes & ſinguli Mendicantium Ordinum huiuſmodi Fratres, Monachi, & dilectæ filiæ in Chriſto Moniales ſeu Sorores, ac aliæ vtriuſque ſexus perſonæ regulares vbilibet per totũ Chriſtianum Orbem diffuſi, & conſtituti, illorumque Monaſteria, cœnobia, domus, Conuentus, Eccleſiæ, Capellæ, Oratoria, & alia loca etiam vnita, ac membra, & dependentia, necnon terræ cultæ, & incultæ, poſſeſſiones, prædia, agri, & alia omnia & ſingula mobilia & immobilia, ac ſe mouentia, & vbilibet, ac in quibuſcumque rebus conſiſtentia bona, necnon eorum in dictis bonis laboratores, coloni, arrendatarij, locatarij, & affictuarij, negotiorumque ſuorum geſtores vniuerſi quomodolibet nuncupati, nunc & pro tempore exiſtentes in perpetuum, ab omnibus & ſingulis exactionibus, tam vrbanis quam ruſticis, necnon datiis, gabellis, pedagiis, vectigalibus, collectis, impoſitionibus, & oneribus, ordinariis & extraordinariis, ac tam realibus quam perſonalibus, meris & mixtis, etiam Subſidio triennali, & augmento, ac focularibus: E quorum taxis; Militumque hoſpitiis, ac alias quibuſcumque nominibus nuncupatis quauis auctoritate quomodolibet impoſitis, & imponendis, & quæ laicis ac aliis quibuſuis quomodolibet imponi conſueuerunt, & in futurum imponentur, ac ratione quarumcumque mercium, & rerum cuiuſcumque generis, vel qualitatis exiſtentium, tam per mare, & aquam dulcem quam per terram vndecumque & quomodocumque pro tempore delatarum, necnon animalium quorumcumque mortuorum & viuorum, & quæ alias quomodolibet & ex quauis cauſa, ac ſuper quibuſcumque rebus tam in Alma Vrbe noſtra quam extra eam vbilibet locorum exiguntur, & in futurum exigentur. Necnon à contributionibus, & ſolutionibus in aliis faciendis, ac tam pro victu & veſtitu, quam quocumque alio vſu ſuo tantum, ac tam emendo quam vendendo, & alias quomodolibet negotiando. Necnon etiam à ſolutione quadrantis pro ſingulis libris carnium de animalibus, quæ nunc & pro tempore ex armentis occidi contigerit, necnon etiam quæ in ſuis ædibus, prædiis & poſſeſſionibus priuatim detinent, & nutriunt, ac à contributione ſumptuum, & expenſarum quæ aliquando pro pontibus, viis, aquæductibus, muris, mœnibus, aliiſve machinis ſtruendis, & reparandis, ſeu reficiendis, ac Ciuitatum, Terrarum, & locorum quorumcumque fortificationibus, necnon etiam alias in omnibus, & per omnia, ac tam in dicta Vrbe, quam extra eam vbilibet penitus, & omnino liberi, immunes, & exempti, ac liberæ, & exemptæ, liberaque immunia & exempta ſint, & eſſe cenſeantur, ac pro talibus teneantur, & reputentur. Quodque Terræ, agri, poſſeſſiones, & loca aratiua, vt præfertur in illis quæ aliquando pro paſcuis animalium ad certum tempus reſeruantur, nullatenus vmquam comprehendantur, nec comprehendi cenſeantur.

Exemptio ab onere hoſpitãdi Militet.

§. 2. Ac etiam moneſteria, cœnobia, aliaque omnia regularia loca prædicta, pro quorumcumque militum tam equitum quam peditum hoſpitiis, quemadmodum magno cum noſtro dolore hucuſque in pleriſque locis factum comperimus, nequaquam aſſignentur, nec aſſignari debeant.

Adde vt in tub.

§. 3. Et

Digitized by Google

Redditus eorum, per ipsos Mendicantes, & eorum procuratores tantum exigi, & pro eorumdem sustentatione expendi debeant.

§.3. Et insuper quod fructus, redditus, prouentus, introitus, & alia quæcumque bona Monasteriorum, cœnobiorum, & aliorum locorum regularium præfatorum, ab aliis quam à Syndicis, & Procuratoribus religiosis fratribus, monachis, & monialibus, aliisque personis præfatis exigi, illaque dumtaxat in beneficium loci, vel sustentationem ipsorum religiosorum fratrum, & monialium expendi, nec per alios quoscumque quouis nomine censcantur, nec in alium quam præmissum vsum conuerti, seu expendi possint neque debeant, nisi de consensu superiorum illius loci, cui data, vel consignata, aut donata fuerint, quem alias spectabunt, nec etiam soli tutores, aut curatores, seu protectores, & alio nomine Sanctesij, aut alias nuncupati, de eisdem bonis vllo modo disponere possint. Quodque idipsum etiam de eleemosynis, oblationibus, & quibuscumque aliis donatiuis intelligi, & obseruari debeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo statuimus, ordinamus, volumus, & declaramus.

Repetitio exceptionum.

§.4. Necnon fratres, monachos, moniales, ac alias regulares personas, eorumque mōnasteria, cœnobia, conuentus, Ecclesias, capellas, oratoria, & alia loca, ac terras, possessiones, prædia, agros, & bona, necnon laboratores, colonos, arrendatarios, locatarios, affictuarios, ac gestores, prædicta, vt præfertur libera, immunia, & exempta eisdem auctoritate, & tenore facimus, ac fore & esse decernimus.

Sal Mendicātibus pro eorū vsu detur gratis per Ministros R. Cam.

§.5. Mandantes propterea dilectis filiis modernis, & pro tempore existentibus Cameræ Apostolicæ Camerario, Præsidentibus, & Clericis, ac Commissariis agentibus, & officialibus quibuscumque, vt omnibus & singulis tam virorum, quam mulierum monasteriis Mendicātium Ordinum huiusmodi existentibus sub ditione nostra temporali mediate vel immediate constitutis, tantum sal quantum pro eorum vsu sufficerit singulis annis omni dilatione cessante, & contradictione remota contribuere, & assignare, ac contribui, & assignari facere debeant realiter, & cum effectu.

Contrauenientium pœna.

§.6. Districtius etiam in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac excommunicationis maioris latæ sententiæ, ac duorum millium ducatorum auri de Camera pro vna basilicæ S. Petri de Vrbe, & pro altera medietatibus singulis monasteriis, & locis præfatis quæ molestari, seu perturbari contigerit, irremissibiliter applicandorum pœnis eo ipso si & quoties contrafactum fuerit incurrendis, inhibentes tam illis quam dilectis filiis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Potestatibus, Datiorum, Gabellarum, onerum, & aliorum præmissorum exactoribus, conductoribus, appaltatoribus, necnon quibusuis communitatibus, & vniuersitatibus, illarumque officialibus, & personis, aliisque quibuscumque ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, quatenus præmissa omnia & singula inuiolabiliter & perpetuo obseruent, ac ab omnibus obseruari faciant, neque fratres, monachos, moniales, & alias religiosas personas aliosque supradictos super præmissis quomodolibet molestent, & perturbent, neque permittant per quoscumque quomodolibet molestari, seu perturbari. Et si quis contradicere, aut quouis modo contrauenire præsumpserit, per mandatum executiuum contra ipsum cuiuscumque dignitatis, status, ordinis, vel præeminentiæ fuerit, ipso facto procedi.

Decretum irritans.

§.7. Et sic per quoscumque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungen. sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere, ac quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Executorum deputatio & facultates.

§.8. Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, siue eorum Vicariis in spiritualibus generalibus, necnon dilectis filiis Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, ac Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, & Capitulis, ac aliis quarumcumque Ecclesiarum Prælatis, & personis, vbilibet, & in quibuscumque Regionibus, Terris, & locis existentibus, & aliis ad quos quomodolibet spectat & spectabit, per præsentes Motu simili mandamus, quatenus ipsi, & eorum quilibet per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum, Monachorum, Monialium, aliarumque Religiosarum personarum præfatarum fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra illos, & eorum singulos statuto, ordinatione, voluntate, declaratione, constitutione, deputatione, mandato, inhibitione, decreto, aliisque præmissis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per Camerarium, Præsidentes, Clericos, & Commissarios Cameræ huiusmodi, necnon Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Collectores, Gabellarum, & Exactores prædictos, aut quoscumque alios ad aliquam solutionem, contributionem, vel præstationem præmissorum occasione quomodoliber facienda quouis modo cogi, & compelli, aut alias contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per prædictas aliasque opportunas censuras, & pœnas appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras & pœnas huiusmodi incurrisse declarando, interdictum Ecclesiasticum apponendo, inuocato etiam ad hoc si opus sit auxilio brachij sæcularis.

Clausulæ.

§.9. Non obstan. fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & Concilij Generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium non extrahatur, ac omnibus illis quæ in contrarium per quoscumque officiales & quosuis alios ac præsertim per officiales Ciuitatis nostræ Bonon. & quosuis alios adducta sunt hactenus, & deducentur in posterum, ac adduci, & allegari possent, necnon quibuscumque literis, & causis, tam in Rom. Cur. quam extra eam vbilibet, ac coram quibuscumque iudicibus etiam Palatij nostri causarum Auditoribus, ac S. R. E. Card. super præmissis inter quoscumque quomodoliber pendentibus ac etiam instructis, & ad sententiam deductis, vel etiam à sententia terminatis, nisi in fauorem Ecclesiæ fuerint. Et præsertim quadam lite inter huiusmodi regulares, ac ciues, & communitatem dictæ Ciuitatis Bonon. in Romana Curia pendente, quas & quam, ac omnes processus, & scripturas productas, & producendas, ac Registra, & sententias vbiuis comparentes, & latas, ac ferendas ad nos auocamus, & penitus extinguimus, cassamus, annullamus, & delemus, perpetuumque desuper silentium imponimus. Necnon quibusuis Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus etiam contra exemptos quomodolibet editis, & edendis, ac etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis illis & eorum singulis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausulis irritantibusque & aliis decretis in genere & specie, etiam Motu simili & ex certa scientia etiam consistorialiter, & alias quomodolibet etiam iteratis vicibus in contrarium concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus, communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Dat. Romæ apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die 29. Iulij, 1566. Pont. nostri Anno 1. *D. P. An. 1. die 29. Iuly.*

XII.

Reuocatio facultatis quomodolibet cōcessæ Græcis, Latino ritu, & Latinis, Græco more celebrandi Missas & diuina Officia.

Ad materiam celebrandi Missas, vide sup. const. 5. Cum primum. *Alia autem de Græcis indicaui sup. in Pij IV. const. 74.* Romanus.

PIVS

Edita An. D. 1566.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

PRouidentia Romani Pontificis plurimum circumspecta, nonnumquam ea quæ certis suadentibus causis per eius prædecessores gesta sunt, ex aliis non minus rationabilibus causis alterat, & ad pristinum statum reducit, prout æquitas suadet, & in Domino conspicit expedire.

Reuocatio facultatum concessarum Græcis celebrandi ritu Latino, & Latinis ritu Græco.

§. 1. Sanè cum ad notitiam nostram peruenerit, quod nonnulli presbyteri tam Græci, quam Latini antiquum S.R.E. ritum tam in celebratione Missarum, quam aliorum diuinorum officiorum peruertere satagentes, diuersas licentias, & facultates, Missas & alia diuina officia Græci Latino more, ac Latini Græco ritu celebrandi ab Apostolica Sede, vel eius Legatis, ac etiam maiore Pœnitentiario pro tempore existente variis prætextibus impetrarunt, illisque iampridem vtuntur, hoc ab antiquo Catholicæ Ecclesiæ instituto, Sanctorumque Patrum decretis deuiare considerantes, propterea hunc abusum ab Ecclesia Dei extirpare, & submouere volentes, omnes, & singulas licentias, & facultates huiusmodi hactenus etiam Motu proprio, vel quorumuis etiam Imperatorum, Regum, & aliorum Principum contemplatione, & ex quibusuis causis quomodolibet concessas, ac Apostolicas & alias literas desuper confectas, illarum omnium tenores pro sufficienter expressis habentes, Apostolica auctoritate ex certa scientia hac præsenti nostra perpetuo valitura constitutione reuocamus, cassamus, annullamus, & irritamus, quibusuis presbyteris tam Græcis, quam Latinis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac perpetuæ suspensionis à diuinis pœnis districtius inhibentes, ne deinceps presbyteri Græci, præcipue vxorati Latino more, & Latini Græco ritu, huiusmodi licentiarum, & facultatum, aut alio quouis prætextu Missas, & alia diuina officia celebrare, vel celebrari facere præsumant.

Episcopi, & alij faciant in eorum Diœcesi publicari & obseruari hanc constit.

§. 2. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis quatenus in Ciuitatibus, & diœcesibus propriis præsentes nostras litetas publicari, & sub prædictis, & aliis sibi beneuisis pœnis per quoscumque Prælatos, Capitula, Clericos, Fratres, Superiores, & personas quasliber inuiolabiliter obseruari faciant. Contradictores quoslibet auctoritate Apostolica compescendo.

Clauſ. derog.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuum, Domorum, & aliorum locorum quorumcumque etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, & locis, illorumque Capitulis, Conuentibus, Superioribus, & personis ac Ordinibus sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam ad Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum instantiam, aut eorum contemplatione, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessis, appprobatis, & innouatis, quibus omnibus, illorum tenores pro expressis habentes, specialiter, & expresse derogamus, illaque quoad præmissa cassamus penitus, & annullamus, ceteriſque contrariis quibuscumque.

Forma & effectus public.

§. 4. Volumus autem quod præsentes literæ ad valuas beati Petri Apostolorum Principis, & Cancellariæ nostræ, ac in acie Campi Floræ publicentur, & inter constitutiones extrauagantes perpetuo valituras conscribantur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus quod earum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbicumque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, &c. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 1. die 29. Aug.

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1566. 13. Kalen. Septembr. Pontificatus nostri Anno 1.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1566. indict. 9. die vero Veneris 20. mensis Septembr. Pontif. autem Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius primo, præsentes retroscriptæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ per nos Bartholomæum Sottocasa, & Io. Andream Rogerium præfati S.D.N. Papæ Curs.

Nicolaus de Matthæis Mag. Curs.

Reuocatio constitutionis Pij IV. & innouatio alterius constitutionis Greg. XI. & Clem. VI. super exprimendis gradibus propinquioribus, in dispensationibus matrimonialibus impetrandis in diuersis gradibus. XIII.

De materia dispensationum vide etiam infra in const. 62. Ad Romanum. vbi notabo.

Edita An. D. 1566.

SAnctissimus in Christo pater, & Dominus noster Dominus Pius diuina prouidentia Papa V. Attendens per quamdam constitutionem dudum per fel. rec. Pium Papam IV. Sanctitatis suæ prædecessorem editam, qua cauetur, quod in dispensationibus matrimonialibus, pro diuersis, consanguinitatis seu affinitatis ex eodem stipite prouenientibus gradibus coniunctis non remotioris solum, prout olim fieri solebat, sed etiam propinquioris graduum expressa mentio fieri debeat, alioquin dispensationes, ac desuper confectæ literæ nullius sint roboris vel momenti, prout in dicta constitutione plenius continetur, à dispositione iuris communis, & laudabili, ac antiquo Rom. Cur. stylo nimium recedi, ac fauorem matrimonij debitum restringi.

Enarratio constitutionis Pij IV.

§. 1. Volensque propterea iurj & stylo prædictis, necnon piæ mem. Greg. XI. & Clem. VI. Rom. Pont. etiam Sanctitatis suæ prædecessorum vestigiis inhærendo, sacramento & libertati matrimonij, quantum cum Deo potest fauere, statuit & ordinauit quod de cetero in quibuscumque dispensationibus quas pro matrimoniis contractis, aut contrahendis inter viros & mulieres, inuicem diuersis prohibitis consanguinitatis & affinitatis, aut mixtis, ex communi seu ab eodem stipite surgentibus, quicumque illi sint, dummodo primum quoquomodo non attingant, cum in eo Sanctitas sua numquam dispensare intendat, gradibus coniunctos, ab eadem Sanctitate sua & pro tempore existente Romano Pontifice, aut Sede Apostolica impetrari, vel alias concedi contigerit, ac literis commissionibusque desuper etiam locorum Ordinariis faciendis gradus remotior attendatur, trahatque secum propinquiorem, ac ob id sufficiat remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore literis declaratoriis iuxta Gregorij & Clementis prædecessoris huiusmodi constitutiones, quas quoad hoc innouauit, & inuiolabiliter obseruari mandauit; dispensationesque seu dispensandi commissiones, ac desuper confectas literas, & processus habitos per easdem dispensatis, seu his cum quibus dispensari mandatur propter proximioris gradus huiusmodi non expressionem, de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus, & per omnia suffragari, perinde ac si in literis seu commissionibus huiusmodi de proximiore, seu vtroque gradu, specialis & expressa mentio facta fuisset.

Reuocatio & innouatio de qua in rubr.

§. 2. Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios, etiam S.R.E. Card. sublata eis, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere, ac quicquid secus super his à quocumque quauis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decreuit.

Clauſula ſublata.

Constitutione Pij prædecessoris huiusmodi ceteriſque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Placet, publicetur, & describatur, M.

Papæ ſubſcr.

Lecta

Digitized by Google

Publ. Rome. A. 1. die 20.

Lecta & publicata fuit supraſcripta regula Romæ in Cancellaria Apoſtolica, Anno Incarnationis Dominicæ 1566. die vero Martis 20. menſis Auguſti, Pontific. præfati Sanctiſſ. D. N. Papæ anno 1.

A. Lomellinus Cuſtos.

XIV.

Declarationes Concilij Tridentini ſeſſ. 24 cap. 2. & 4. circa impedimenta cognationis ſpiritualis, & affinitatis ex fornicatione, quoad matrimonia poſt confirmationem Concilij contracta, & de cetero contrahenda.

Huius Concilij confirmatio habetur in conſt. 73. Pij IV. Benedictus. *vbi dixi de eius indictione, proſecutione, & quo tempore illud ligare cæperit.*

Edita An. D. 1566. Dubium circa 2. cap. Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. matrim. quoad impedimenta cognat. ſpiritualis.

SAnctiſſimus in Chriſto pater, & Dominus D. N. Pius diuina prouidentia Papa V. ad cuius notitiam peruenit, quod cum in decretis Sacri Concilij Tridentini certæ tantum perſonæ enumerentur, inter quas dumtaxat cognatio ſpiritualis deinceps contrahatur, ab aliquibus reuocatur in dubium, an qui vltra perſonas in dictis decretis enumeratas quoquomodo cognatione ſpirituali ante confirmationem dicti Concilij, coniuncti erant abſque diſpenſatione Apoſtolica matrimonium poſt dictam confirmationem contrahere potuerint, ac hodie & de cetero contrahere poſſint cum ante prædictam confirmationem id facere de iure minime liceret.

Dubium circa eiuſdem Conc. cap. 4. quoad impedimenta affinitatis ex fornicatione.

§. 1. Et inſuper cum in eiſdem decretis ſtatuatur affinitatem, quæ ex fornicatione contrahitur, in illis ſolummodo attendi debere qui primo vel ſecundo affinitatis gradu coniunguntur, ab aliquibus pariter dubitetur, An matrimonia inter perſonas, quæ ante confirmationem dicti Concilij tertio, vel vlteriori huiuſmodi affinitatis gradu coniunctæ erant, poſt confirmationem dicti Concilij abſque diſpenſatione Apoſtolica contracta & quæ deinceps contracti contigerit, dirimi debeant.

Declaratio primi dubij circa cap. 2.

§. 2. Sanctitas ſua ad tollendum omne dubium, eos qui ante confirmationem prædicti Concilij cognationẽ ſpiritualem contraxerunt, dummodo non ſint ex perſonis in dictis decretis enumeratis, & inter quas tantum Concilium voluit deinceps contrahi hanc cognationem ſpiritualem matrimonij vinculo inter ſe abſque diſpenſatione aliqua, libere & licitè copulari poſſe, ac matrimonia etiam poſt confirmationem huiuſmodi, abſque diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ inter eas iam contracta valere, pleramque roboris firmitatem obtinere.

Declaratio primi dubij circa cap. 4.

§. 3. Et ſimiliter matrimonia poſt confirmationem Concilij abſque diſpenſatione Apoſtolica ſequuta, & quæ de cætero ſequentur, inter perſonas quæ ante dictam confirmationem, affinitatem (infra tamen ſecundum gradum ex fornicatione prouenientem) contraxerant, propter huiuſmodi affinitatem dirimi non debere, ſed valida, & efficacia exiſtere declarauit.

Decretum irritans.

§. 4. Sicque per quoſcumque Iudices Commiſſarios, etiam S. R. E. Cardinales, ſublata eis quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decreuit.

Placet publicetur, & deſcribatur. M.

PP. ſubſcr. Publicatio. Pont. An. 1. die 20. Aug.

Lecta, & publicata fuit ſupraſcripta regula Romæ in Cancellaria Apoſtolica, Anno Incarnationis Dominicæ 1566. die vero Martis 20. menſis Auguſti, Pontificatus præfati Sanctiſſ. D. N. Papæ anno primo.

A. Lomellinus Cuſtos.

Sequitur alia declaratio circa impedimenta cognationis ſpiritualis.

Edita An. D. 1566.

PIVS EPISCOPVS, Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CVm illius vicem licet minime ſuffragantibus meritis, geramus in terris, de cuius vultu prodit iudicium, & vident oculi æquitatem, officij noſtri debitam proſequimur actionem, ſic obſcuros ſacrorum canonum ſenſus ita aperire ſtudentes, vt piis Chriſtifidelium mentibus nulla dubitandi occaſio relinquatur.

Dubium ſecundum circa dictum cap. 2.

§. 1. Sanè licet ex eo quòd in Concilio Tridentino decretum fuerit cognationem ſpiritualem inter eos tantum contrahi, qui ſuſcipiunt baptizatum de baptiſmo, ac baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem, necnon baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, in reliquis perſonis, quæ per antiquos canones occaſione cognationis huiuſmodi contrahere prohibeantur, omne impedimentum ſublatum eſſe videatur, adhuc tamen ab aliquibus dubitari accepimus, an ſaltem impedimentum cognationis ſpiritualis huiuſmodi inter maritum vel vxorem ſuſcipientis, & baptizatum, necnon inter maritum vel vxorem ſuſcipientis, & patrem ac matrem baptizati vigeat, propterea quod prohibitum de vno coniuge, de altero etiam prohibitum eſſe videatur.

Declaratio eiuſdem dubij.

§. 2. Nos pianum mentium quieti, & matrimoniorum fauori (quantum ex alto nobis permittitur) conſulere volentes, à præciſis verbis Concilij minimè diſcedendum in præmiſſis eſſe cenſuimus. Et propterea nullum amplius impedimentum ratione cognationis huiuſmodi ſubeſſe decernimus, & declaramus, quominus inter dictos maritum vel vxorem ſuſcipientis, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, & quaſcunque alias perſonas tam ex parte ſuſcipientis quam baptizantis, & baptizati, in dicto Conſilio nominatim non expreſſas, matrimonium libere & licite contrahi poſſit, & ita ab ab omnibus iudicari debere mandamus atque ſtatuimus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernèntes irritum & inane, ſi quid ſecus à quoquam quacumque dignitate, auctoritate, & poteſtate prædito contigerit iudicati.

Clauſula derogatoria.

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, aliiſque contrariis quibuſcumque.

Forma publ. quæ mox ſequitur.

§. 5. Volumus autem quod præſentes literæ in Cancellaria noſtra Apoſtol. & in acie Campi Floræ de more publicentur & inter conſtitutiones perpetuo valituras deſcribantur. Et quia difficile foret præſentes ad ſingula quæque loca deferri, quod earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius Prælati munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c.

Dat. P. A 1. die 28. Nou.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, 4. Cal. Decemb. Pont. noſtri anno primo.

Viſas de curia Io. Barengus.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1566. indict. 9. die vero 9. menſis Decembris, Pontif. Sanctiſſ. & D. N. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius 1. retroſcripta litera Apoſtolica affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris eſt per nos Antonium Clerici, & Ioannem Andream Rogerium prafati S. D. N. Papæ Curſ. *Stephanus de Olea Mag. Curſ.*

Sequitur alia declaratio circa impedimentum affinitatis, & fornicationis.

Edita An. D. 1566.

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD Romanum Pontificem ſpectat canonicas ſanctiones, quæ expreſſiorem ſenſum poſtulare videntur, re diligenter perſpecta ita declarare, & alias prouidere, vt omnis dubietas de piis Chriſtifidelium mentibus euellatur.

Dubium ſecundum circa dict. c. 5. Conc. Trid.

§. 1. Sane poſtquam ex eo quod Tridentina Synodus impedimentum affinitatis ex fornicatione proueniens, per quod non ſolum matrimonium contrahi prohibetur, ſed etiam poſtea factum dirimitur, ad eos tantum reſtrinxit, qui primo & ſecundo gradu coniunguntur, in vlterioribus vero gradibus ſtatuit matrimonium poſtea factum non dirimi, à pluribus Chriſtifidelibus, vt accepimus, eſt dubitatum, an licet in vlterioribus gradibus huiuſmodi matrimonium contractum non dirimatur, adhuc tamen iuxta antiquos canones contrahi prohibeatur.

Declaratio eiuſdem dubij.

§. 2. Et vt propterea nos omnem ambiguitatem tollere, & animarum tranquillitati, ac matrimonij libertati

Digitized by Google

quantum cum Deo possumus consulere volentes, Declaramus, & Apostolica auctoritate decernimus, nullum hodie impedimentum remanere quo minus in vlterioribus gradibus huiusmodi libere & licite matrimonium contrahi possit.

Decretum irritans.

§. 3. Et ita ab omnibus iudicari debere mandamus atque statuimus, decernentes irritum & inane si quid secus à quoquam quacumque dignitate, auctoritate, & potestate prædito contigerit iudicari; non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque.

Forma publ. qua mox sequitur.

§. 4. Volumus autem quod præsentes literæ in Cancellaria nostra Apostolica, & in acie Campi Floræ de more publicentur, & inter constitutiones perpetuo valituras describantur, & quia difficile foret eas ad singula quæque loca deferri, quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 8. die 28. Nou.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dom. 1566. 4. Kal. Decemb. Pont. nostri anno primo.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1566. indict. 9. die vero 19. mensis Dec. Pont. S. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius primo, retroscripta litera Apostolica affixæ, & publicatæ fuerunt Romæ in valuis Cancellariæ Apost. & in acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Ioannem Andream Rogerium, & Camillum Cherub. Curs.

Stephanus de Olea Mag. Curs.

XV.

Familiares S.R.E. Cardinalium, & aliorum Prælatorum Roman. Curiæ, regalia, vel stipendia non conuenta, ab eis, vel eorum hæredibus petere prohibentur. Et ordo in satisfaciendis eorumdem creditoribus præfinitur.

Hæc stipendia infra annum à die obitus debitorum, & pro biennio tantum peti posse decreuit Paul. III. in const. 43. Cum sicut. *sup.*

De consignatione annuli & ornamentorum Capellæ, de quibus hic agitur, vide Iulij III. const. 8. *Cum sicut.* De prælatione autem miserabilium personarum vide inf. in const. 25. *Accepimus* Aromatariorum autem, vide in const. 47. Clem. VIII. *Laudabilis.* Et Pistorum vide const. 36. Sixt V. *Cælestis.* Quanto autem tempore duret instantia harum discussionum, videre est sup. in Clem. VII. const. 17. *Cum ex multorum*, vbi notaui.

Edita An. D. 1566. Causa huius constit.

SAnctiss. in Christo Pater & D.N.D. Pius diuina prouidentia Papa V. Accepto, vt asseruit, quod nonnulli familiares Reuerendiss. DD. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardin. veluti Parafrenarij, Credentiarij, Coqui, Magistri Stabuli, ita vulgariter nuncupati, & forsan alij cuiuscumque sint nominis, & ministerij, defunctis Cardinalibus eorum Dominis, consuetudinis, priuilegij, seu quocumque alio prætextu, in non modicam memoriæ ipsorum defunctorum Cardinalium ignominiam, Parafrenarij videlicet mulas cum instrumentis, & phaleris suis, & alij alia ipsorum Cardinalium instrumenta, & bona, per ipsos familiares respectiue in eorum ministerijs teneri, & exerceri solita, etiam inuitis ipsorum defunctorum hæredibus, & Cardinalibus, siue testamentorum exequutoribus ab ipso testatore, siue pro hæredibus ab intestato per Constitutiones Pontificias deputatis, etiam argentea, & pretiosa sibi arripere, & vsurpare, ac pro illis, plerumque etiam inter se rixari, & digladiari consueuerunt, cum magno totius Curiæ scandalo, & Cardinalatus dignitatis opprobrio, & vniuersi etiam S. R. E. Cardinalium Parafrenarij Caudatarij, vniuersitatis, & collegia inter se facientes in nouorum Cardinalium creatione, & obitu, & forsan aliis certis temporibus ab eisdem nouis Cardinalibus, & defunctorum hæredibus respectiue certas pecuniarum summas, aut res alias, magna cum importunitate, & temeritate exigere, & quodammodo extorquere sunt soliti.

Prohibitio petendi Regalia à Cardinalib. vel eorum hæredibus.

§. 1. Volens tam scandalosorum abusuum occasionem tollere, omnes, & singulas consuetudines & vsus per prædictos, & alios quoscumque ipsorum Cardinalium familiares, & ministros, tam singulariter quam communiter, & collegialiter, vt præfertur, seu alias quomodolibet prætendi, & exinde actiones, & iuris quæcumque remedia allegari, & exerceri solita, penitus abrogauit, & sustulit, ac de cetero familiaribus ipsis prædictorum occasione nullum ius, nullamque penitus actionem, aut iuris remedium competere, neque eis aliqua ex bonis, & pecuniis prædictis deberi, sed eos debere esse contentos suis salariis, si qua eis promissa fuerunt, & eo amplius si defunctorum hæredibus, aut Cardinalibus prædictis respectiue aliquid familiaribus ipsis, siue vt singulis siue vt vniuersis, aut alias ex mera ipsorum hæredum, & Cardinalium liberalitate dare placebit, irritumque, &c. decreuit.

Contrarij rũ derogatio.

§. 2. Non obstan. prætensis constitutionibus prædictis, & forsan per Roman. Pontifices suos prædecessores, & per se, & Sedem Apostolicam etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, approbatis, & innouatis, priuilegiis quoque, &c. tenores, &c. latissime extenden.

D. P. An. 1. die 6. Sept.

Apud S. Marcum in Consistorio habito die Veneris 6. Septembris 1566.

Sequitur alia in prædictis constitutio.

Familiares non petant mercedem nõ consuetam.

Edita An. D.

PIVS PAPA QVINTVS

Motu proprio, &c.

CVpientes litium anfractibus, qui post obitum Sãctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & aliorum quorumcumque Prælatorum in Rom. Cur. decedentium inter eorum creditores oriuntur, dum se vnusquisque altero potiorem contendit, dum aliqui prætextu mercedis & regaliarum, alios creditores præcedere conantur, quo fit vt sæpe numero pauperrimi, qui eorum substantiam bona fide crediderunt, non tantum debita satisfactione defraudentur, sed etiam longis, & periculosis litibus grauissimo cum eorum impendio defatigentur, hac perpetuo valitura constitutione sancimus, vt defunctis in Romana Cur. tam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quam Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Cameræ Apostolicæ Clericis, Sacri Palatij Apostolici Auditoribus, Referendariis, maioris præsidentiæ Abbreuiatoribus, & aliis quibusuis Prælatis, nullus super eorum bonis mercedem petere possit in præiudicium creditorum, nisi euidenter appareat, quod sub certa constituta mercede, ad seruitium huiusmodi accessisset.

Seruetur bulla Paul. III. cit. in rubr.

§. 1. Et vt etiam seruetur forma constitutionis fel. record. Pauli tertij super hoc concessa, quam (quatenus opus sit) innouamus.

Regalia non petantur vt in decreto præced.

§. 2. Similiter eorumdem Cardinalium, & Prælatorum familiares abstineant à petitione regaliarum cuiuscumque generis, iuxta formam decreti de Fratrum consitio de mense Septembris proximè præteriti super hoc editi.

Camera pro annulo & Capella præferatur omnibus.

§. 3. Porro in satisfactione creditorum dictorum Cardinalium, & Prælatorum in Rom. Cur. decedentium talis ordo seruetur, vt post consignationem annuli, & ornamentorum Cappellæ dilecto filio Cameræ Commissario (respectu Cardinalium) in primis & ante omnia faciendam.

Creditores postea pro cibarijs.

§. 4. Prior causa sit eorum, qui pro vsu dictorum Cardinalium, & Prælatorum, eorumque familiæ res cibarias dederint.

Succedunt pro vestiarijs.

§. 5. Secunda eorum, qui res vestiarias, & ad vsum corporis ipsorum, non autem ad ornatum, vel ad pompam necessarias, subministrauerint, quandoquidem ex causis huiusmodi creditores, vt plurimum sint pauperes, vel mercatores, qui pro illis aduehendis innumera pericula subeunt, & sine illis præfati Cardinales & Prælati statum eorum dignitatis, vsque ad obitum minime sustentare potuissent, & requisiti, vtique verisimiliter omnem honestam obligationem, etiam cum iuramento, & in forma Cameræ contraxissent.

§. 6. Ter

Digitized by Google

Mercenarij deinde qua contenerunt de mercede.

§. 6. Tertia vero causa sit præfatorum mercenariorum quibus certa constituta merces appareat, quibus satisfactis in ceteris seruetur ius commune. Quod non tantum in futuris, sed etiam in pendentibus negociis locum habere decernimus, etiam si ex alia causa creditores instrumenta & obligationes, etiam in forma Cameræ habeant.

Executor bulla deputatur A. Cam.

§. 7. Quo circa dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Auditori nunc & pro tempore existenti, tenore præsentium committimus & mandamus, quatenus præmissa omnia & singula per hæredes & testamentorum executores & ceteros ad quos pro tempore spectabit, etiam per censuras Ecclesiasticas, & pœnas etiam pecuniarias, & alia iuris & facti remedia opportuna, inuiolabiliter obseruari faciat.

Contraria tolluntur.

§. 8. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis priuilegiis, obligationibus in forma Cameræ concessis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

PP. subscrip.

Placet Motu proprio. M.

Sequitur declaratio quoad Aromatarios.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Dubitatio quoad Aromatarios.

§. 1. QVia sicut accepimus, à nonnullis dubitari contingit, An præmissus Motus proprius in ea parte qua creditores occasione cibariorum ceteris etiã anterioribus, & habentibus hypothecam præferuntur extendatur vel contineat Aromatarios, qui occasione suorum aromatum, & aliarum mercium ad exercitium eorum spectantium creditores existunt.

Declaratio d. dubitationis.

§. 2. Nos dubitationem huiusmodi tollere cupientes, animaduertentes quod illorum merces ad victum quotidianum necessariæ non existunt, sed potius pro deliciis inseruiunt, aut pro Medicamentis, quorum occasione magnum sibi quæstum parant, & nihilominus speciali priuilegio sunt muniti, cuius vigore concurrunt, cum obligatione in forma Cameræ. Propterea declaramus dispositionem supradictam, Aromatarios quoad medicinalia, & expensas funerum non comprehendere, nec eos qui fuerunt de eorum credito satisfacti, præstito iuramento de restitutione prioribus & potioribus, cum non teneantur illud seruare, ex quo non vergit in dispendium salutis æternæ.

Fiat Motu proprio. M.

XVI. Iurisdictio Consulum Artis Agriculturæ Vrbis, cognoscendi causas rerum ad Artem spectantium inter quascumque personas, & confirmatio Statutorum eius.

Latius declaratur hac iurisdictio, in cap. 23. & seqq ipsorum Statutorum postea editorum à Greg. XIII. Et eiusmodi Artis nonnulla extant priuilegia, de quibus mox inf. in const. 19. Cupientes. *cum ibi indicandis.*

Edita An. D. 1566.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Exordium.

PIa deuotio, & assidua cura, & diligentia, quas dilecti in Christo filij Consules, & Collegium nobilis, antiquæ Artis Agriculturæ Vrbis, erga nos, & sanctam Sedem Apostolicam Almamque Vrbem nostram indesinenter exhibent, nos inducunt, vt quæ ad dicti Collegij conseruationem, & augmentum fore dignoscimus liberaliter, & proprio motu concedamus.

Nouorum statutorũ editio.

§. 1. Cum igitur dilecti filij prædicti nuper antiquissima eorum statuta id vsu exigente emendauerint, & supplenerint, multaque etiam de nouo, quæ ad necessariam dicti Collegij, ac iurisdictionis Consulum, ipsius Collegij conseruationem, & augmentum necessaria visa fuerunt, statuerint, & addiderint, quæ omnia diligenter inspici, & emendari mandauimus, prout inspecta, & emendata fuerunt.

Commendatio nobilis Artis Agriculturæ Vrbis

§. 2. Nos igitur attendentes quod opera, cura, diligentia, & impensa prædictorum dilectorum filiorum, Deo Optimo Maximo fauente factum est, vt Ciuitas nostra, quæ retroactis temporibus mari inuecto, & vndique perquisito frumento indigebat, nostris felicissimis temporibus non solum frumento abundet, sed etiam quod plus est vicinis, & exteris, terra marique iam agri Romani frumentum subministrari possit prout sæpissime subministratum fuit, & quod non minus est, aer nostræ Almæ Vrbis ex assidua agrorum cultura, siluarum & nemorum extirpatione palustriumque locorum exiccatione, factus est tutior, clementior, & salubrior, & considerantes quod qui agrorum culturæ incumbunt non debent litibus, & per diuersa Tribunalia trahi, ne forte à cultura propter lites, dum forum prosequi cupiunt retrahantur, ac etiam attendentes, quod de rebus spectantibus ad artem, nullus magis quam ipsi de arte cognoscere, & terminare valent: cupientesque dictum Collegium illiusque Consules, & eorumdem iurisdictionem amplioribus gratiis, & fauoribus prosequi, eosdem dilectos filios à quibuscumque censuris ad effectum validitatis præsentium absoluentes, & absolutos fore censentes.

Confirmatio statutorum.

§. 3. Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, statuta prædicta sicut prædictum est reformata, emendata, & suppleta tenore præsentium approbamus, confirmamus, & homologamus, eisdemque nostrum & Sedis Apostolicæ robur adiicimus.

Iurisdictio Dominorum Consulũ eiusdem Artis.

§. 4. Eaque auctoritate prædictis inter homines de arte prædicta, deque rebus spectantibus ad artem, iuxta eorumdem statutorum declarationem cuiuscumque status, gradus, & conditionis existant, etiam si clerici & curiales Romanæ Curiæ sequentes aut quocumque alio priuilegio muniti existant, seruari volumus, & mandamus, eosdemque dictis Consulibus, eorumque iurisdictioni pro rebus spectantibus ad artem suppetimus, subiicimus, & submittimus.

Decretum irritans.

§. 5. Et sic per quoscumque Iudices tam ordinarios, quam delegatos iudicari, decerni, & definiri volumus, & mandamus, sublata aliter iudicandi, & interpretandi facultate. Irritum quoque, & inane decernen. quidquid in contrarium contigerit attentari. Volumus autem quod de subreptione, & obreptione, aut intentionis defectu, præsentis nostri Motus proprij quouis modo opponi non possit, attento quod Motu proprio.

Clauſ. derog.

§. 6. Non obstan. præmissis, ac quibuscumque priuilegiis, & indultis etiam quibusuis personis, ac iudicibus ordinariis, siue delegatis, etiam Dohaneriis Almæ Vrbis respectu affidatorum damnum dantium in segetibus, & casalibus Vrbis per nos, & quoscumque Romanos Pontifices editis, quorum omnium priuilegiorum, & indultorum tenores hic pro sufficienter expressis, perinde ac si de verbo ad verbum inserta, & expressa forent, haberi volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§. 7. Et quod præsentium sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat, attento quod in Vrbe.

Fiat Motu proprio. M.

D.P. An. 1. die 9. Sept.

Dat. Romæ apud S. Marcum, quinto Id. Septembris anno primo.

XVII. Sclaui baptizati, ad Conseruatores Almæ Vrbis pro libertate confugientes, libertatem consequuntur, & Ciues Romani efficiuntur.

Hoc prius statuit Paul. III. sed postea reuocauit. Eius ergo constitutiones vti otiosas ponere nolui, stante hac postrema pinque dispositione.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Edita An. D. 1566.

DIgnum, & rationi congruum esse videtur, vt ea quæ & veteri instituto Officium Senatus Cameræ Vrbis, & ipsius Conseruatores consueuerunt, vel alias illis concessa existunt, munimine Apostolicæ superioritatis in posterum roborentur, & in vsum, si adhuc non existant, reducantur.

Paul. III. reintegrauit facultatem Cõseruatorũ Vrbis, libertate donandi, Sclauos ad eos pro libertate confugientes.

§. 1. Nos siquidem, qui etiam in minoribus constituti, semper & continue Populum Romanum paterno dilectionis amore prosecuti sumus, & ipsius priuilegia, ea maxime, quæ Christiano Populo necessaria & vtilia

Digitized by Google

esse videntur, confirmare desideramus, fel. rec. Pauli Papæ III. prædecessoris nostri, qui per suas in forma breuis literas, ipsos Conseruatores & Populum in facultate & priuilegio mancipia quęque sclauos vulgariter nuncupata, qui baptizati, & Christiani prius facti fuerint, ad Senatus Cameræ ipsius Vrbis officium, ac illius Conseruatores pro eorum libertate confugientia, prout ex veteri consuetudine hactenus, vt ipse predecessor narrauerat, Conseruatores præfati tum ex speciali priuilegio Pontificali, tum Imperiali potestate ab aspero seruitutis iugo liberandi facultatem habuerant, etiam si lapsu temporis deperdita fuissent, reintegrauit, vestigiis inhærendo.

Hic Pius eamdem facultatem confirmat.

§. 2. Motu simili, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine eosdem Conseruatores pro tempore existentes speciali fauore prosequentes, ac literas Apostolicas Pauli prædecessoris, ac si de verbo ad verbum insererentur pro expressis habentes, illasque in totum iuxta illarum tenorem confirmantes, ipsos Conseruatores, ac officium Senatus Cameræ Vrbis in iurisdictionem, facultatem, & potestatem mancipia quæcumque sub iugo seruituris quomodolibet alligata, ad huiusmodi Senatus Cametæ Vrbis officium pro tempore existen. ac ipsius Vrbis Conseruatores confugientia, ac libertatem acclamantia, per eosdem Conseruatores libertate donari, & Romani Ciues, liberique homines effici possint, prout ipse Paulus prædecessor reintegrauerat, reintegramus, ac pro potiori cautela de nouo damus, concedimus, & gratiose impartimur. Itaque mancipia seu sclauos eadem, quæ ab eisdem in posterum liberabuntur, pro liberis hominibus, & Romanis ciuibus in omnibus, & per omnia vbique haberi, teneri, & reputari debere, Dantes & concedentes eisdem mancipiis, sic vt præfertur ab eisdem Conseruatoribus liberatis, facultatem in iudiciis contra quascumque personas standi, contrahendi, testandi, & alia faciendi, quæ ceteri ciues Romani liberi homines facere consueuerunt, & faciunt, & ea in omnibus & per omnia habere, & libera esse decernimus, volumus, & mandamus, ac ex nunc prout ex tunc, & è contra, omni iuri cuiuslibet statutorum, consuetudinum, & aliorum contrariorum rigore penitus reiectis liberamus.

Et ita iudicari mandat.

§. 3. Et sic in præmissis omnibus per quoscumque tam ordinarios quam delegatos etiam quacumque iurisdictione fungentes iudices, & personas, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, sententiandi, & definiendi facultate, potestate, & auctoritate, iudicari, sententiari, & definiri debere, ac quicquid secus scienter vel ignoranter contra præsentium tenorem fieri & attentari contigerit, irritum & inane decernentes.

Clauf. derog.

§. 4. Non obstantibus Motu proprio & seu literis forsan desuper per viam decreti vel alias per dictum Paulum Prædecessorem sub Dat. Romæ apud S. Petrum 5. Id. Nouembris, Anno Pontificatus sui quintodecimo supradictarum suarum literarum in forma breuis etiam forsan ad instantiam dicti Populi Romani decretis, derogatoriis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Vrbis etiam iuramento, confirmatione, Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus reformationibus, & decretis, ac quibusuis priuilegiis, indultis & literis Apostolicis in genere vel in specie per quoscumque alios Roman. Pontifices prædecessores nostros, tam sub plumbo quam in forma breuis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis etiam irritantibus, & aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, tenores illorum ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, ac omnibus illis, quæ dictus prædecessor voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§. 5. Volumus autem quod sola signatura præsentium sufficiat, & vbique, in iudicio & extra fidem faciat, regula contraria, non obstante, seu si videbitur, literæ desuper per breue nostrum seu sub plumbo, aut alias prout melius videbitur expediri possint.

Declaratio pro Sclauis baptizatis.

§. 6. Et quoad illos seruos dumtaxat, qui antea vt præfertur sacro baptismatis lauacro mediante, Christiani facti fuerint, & non de alio.

Datum Romæ apud S. Marcum, 5. Id. Septemb. anno primo. *D.P. An. 1. die 9. Sept.*

XVIII.

Iurisdictio Vicarij Papæ, circa obligationes & contractus initos in forma Cameræ Apost. quoad loca pia, & personas Ecclesiasticas, in Vrbe.

De hac iurisdictione adnotationes vide sup. in const. 36. Paul. III. Licet.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Edita An. D. 1566.

Causa huius const.

COnsiderantes varia dispendia, & incommoda quæ Ecclesiis, Monasteriis, & aliis piis locis illorumque Rectoribus, Abbatibus, Archipresbyteris, Prioribus, Præpositis, & aliis beneficiatis in Alma Vrbe consisten. inferuntur, si ad diuersa Tribunalia Vrbis euocari, & proprium Vicarij nostri in dicta Vrbe Tribunal deferere cogantur, & ob id sæpe iura, & instrumenta, munimenta, & scripturæ bonorum eisdem Ecclesiis, Monasteriis, & locis piis deperduntur in detrimentum eorumdem.

Iurisdictio Vicarij in obligationes Camerales.

§. 1. Idcirco indemnitati eorum consulere prout tenemur & occurrere volentes, per facultatem, & potestatem dilecto filio Alexandro Riario causarum Cameræ Apostolicæ Auditori per fel. rec. Pium Papam IV. prædecessorem nostrum sub variis concessionibus concessam, & attributam quarum omnium tenores hic pro sufficienter expressis etiam cum illarum Dat. haberi seu inseri posse volumus, & decernimus, potestati & iurisdictioni Dilecti filij nostri Iacobi tituli S. Mariæ in Cosmedin presbyteri Card. in Alma Vrbe eiusque districtu Vicarij generalis circa personas Ecclesiasticas, loca pia, illorumque bona quæ iurisdictioni præfati Vicarij subsistunt, etiam si inter contractus cum solita obligatione in forma Cam. seu Ripæ & Ripettæ interuenerint, aliquod præiudicium factum non fuisse, sed quod idem Vicarius Cardinalis in omnibus, & per omnia procedere possit quoad personas, & bona præfata prout ante eum ceteri Vicarij pro tempore quondam Franciscus Albericus, & alij eiusdem Cameræ Auditores prædecessores in dicto Auditoratus officio tunc fungebantur procedebant, tenore præsentium auctoritate Apostolica declaramus, & sic per quoscumque, &c. sublata, &c. irritum quoque, &c.

Sola signatura sufficit.

§. 2. Solamque præsentis nostri Motus proprij signaturam, in iudicio & extra etiam absque illius registratura, fidem facere, regula contraria non obstan. decernimus.

Clauf. derog.

§. 3. Non obstan. constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & facultatibus, & indultis eidem Auditori Cameræ concessis, ceterisque contrariis nequaquam obstant.

PP. subscrip.

Placet Motu proprio M.

Dat. Romæ apud S. Marcum, prid. Id. Septemb. anno primo. *D. P. An. 1. die 12. Sept.*

XIX.

Priuilegia pro exercentibus artem Agriculturæ in districtu Almæ Vrbis, & frumenta ac blada afferentium ad eam. Prohibitioque eos impediendi, vel illa vltra vsum necessarium suæ familiæ emendi.

Horum priuilegiorum declarationem & ampliationem, vide inf. in Clem. VIII. const. 70. Inter, *& Paul. V. const. 70.* Pastoralis. *Et signanter priuilegium fori, dedit eisdem hic Pius sup. in const. 16.* Pia.

Contra vero impedientes delationem frumentorum ad Vrbem, & ementes vltra vsum, attende constit. 50. Greg. XIII. *Volentes.* cum ibi notandis.

PIVS PAPA QVINTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1566.

Exordium.

CVpientes pro commisso nobis Apostolico munere omnibus regimini ac curæ nostræ subiectis populis non

Digitized by Google

non modo ſpiritualia fideliter, vt debemus, diſpenſare, ſed in temporalibus etiam quantum cum Deo poſſumus ſalubriter prouidere, nullam prætermittimus diligentiam pro pauperum, qui ſub hoc noſtro temporali gubernio viuunt, ſubleuandis neceſſitatibus, ac potentiorum oppreſſionibus propulſandis.

Cauſa huius conſt.

§. 1. Hinc eſt, quod cum ad rei frumentariæ negotium quod præcipua pro eorumdem pauperum ſuſtentatione, & victu cura eget, animum noſtrum intendimus, ſummopere nobis laborandum cognoſcimus, vt fraudibus, quæ in dies Annonæ à ditioribus fiunt, quo carius eam vendant, omni ſtudio, ac diligentia prouideatur. Intelligentes itaque non ſine animi noſtri moleſtia, diuites ipſos, ac potentes non modo propria ipſorum frumenta bladaque quæ ex prædiis ſuis, propriaque agricultura colligunt, in horreis recondere, ac concluſa ſupprimere, & donec illorum pretium pro eorum auaritia adauctum conſpiciant, ab omni prorſus venditione abſtinere, verum etiam à laboratoribus, operariiſque propriis, ac etiam ſubditis (ſi Barones ſint) illud vili pretio comparare, donec tantam vndique tritici copiam cumularint, vt pauperes, qui aliunde frumentum venale non reperiunt, neceſſitate ducti ab eiſdem diuitibus, & Baronibus eo pretio emere cogantur, quod venditorum ipſorum auaritia affectauerit. Quinimo eos etiam qui ad Vrbem hanc noſtram, quo vndique ex omnibus mundi partibus Chriſti fideles confluunt frumenta, bladaque prædicta importare cupiunt, omni via & ratione impedire, ac retardare præſumunt, contra Summorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum decreta ordinationeſque & in maximum etiam animarum ſuarum periculum.

Approbatio prohibitionis Clem. VII. cit. in rub. circ. 2. partem ipſius rubr.

§. 2. Nos præmiſſis remedium aliquod opportunum adhibere omnino volentes, in primis diuites prædictos omnes, ac Barones hortamur in domino, & monemus, vt Dei largitatem in ſe ipſos agnoſcentes, pauperibus benigniores in poſterum ſeſe præbeant, atque ab huiuſmodi deteſtabili frumentario quæſtu prorſus abſtineant, memores ſcriptum eſſe, quod qui abſcondit frumenta maledicetur in populis, benedictio autem ſuper caput vendentium. Quod ſi propria frumenta, quæ ipſis vltra vſum eorum ſuperſunt debitis temporibus, prout certe deberent, vendere detrectant, at ſaltem ab alienorum emptione, & illicita negociatione abſtineant, & quam Dei benignitas populis fertilitatem anni concedere dignatur, eam ipſi inuidioſe perturbare non præſumant. Quod ſi tam à prædictis emptionibus frumentorum, quam ab impediendo ſuperditos eorum, alioſque ad Vrbem Romam frumenta, bladaque omnia deferentes in poſterum non abſtinuerint, ſciant ſe pœnas in conſtitutionibus Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, præcipue que Clem. VII. pro abundantia rei frumentariæ, & Agriculturæ exercendæ, anno à Natiuitate Domini noſtri IESV CHRISTI 1523. decimo Kal. Martij, editis incurſuros, quas quidem prædeceſſorum noſtrorum diſpoſitiones præſenti noſtra perpetuo duratura conſtitutione in hac parte innouamus.

In aliis autem eſt immutata vt ibidem notaui in apoſtilla & rubr.

Declaratio dicta prohibitionis.

§. 3. Declarantes inſuper omnes cuiuſcumque generis, qualitatis, & conditionis fuerint, qui frumentum, aliaque blada vltra vſum familiæ ſuæ, animo, & intentione illa carius vendendi emunt, ſine licentia in ſcriptis ab Ordinario Annonæ pro tempore obtenta, quam tamen rationabili de cauſa tantum, & gratis omnino concedi volumus, non modo pœnas amiſſionis ipſius frumenti & bladorum, & alias pecuniarias ab ipſo ordinario pro tempore impoſitas incurſuros, ſed etiam Dei omnipotentis maieſtatem ſummopere læſuros, grauiterque in eo peccaturos, Barones vero, & alios dominos, terrarumque vniuerſitates, omneſque alios nobis & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, mediate vel immediate ſubiectos cuiuſcumque ſtatus, aut conditionis extiterint, etiam ſi Epiſcopali, Metropolitana, Patriarchali, & Cardinalatus etiam dignitate præfulgeant, qui ſubditorum ſuorum frumenta, aliaque blada, vltra vſum, & neceſſitatem ſuam, & familiæ ſuæ emerint; quique accedentes ad Vrbem cum frumentis aliiſque rebus ad victum neceſſariis, directe vel indirecte impediunt, vel remorantur, pœnas in dicta Clem. VII. prædeceſſoris noſtri conſtitutione expreſſas incurſuros, videlicet priuationis feudorum, ſuſpenſionis, excommunicationis, & interdicti iuxta tenorem, & formam prædictæ conſtitutionis aliarumque in ea expreſſarum, quas in hac parte per præſentes noſtras innouamus, & earum tenores hic pro ſufficienter expreſſis haberi volumus.

Exemptio deferendi frumenta, bladaque ad Vrbem à ſolutione gabellarum & aliorum onerum.

§. 4. Vt vero facilius, commodiuſque omnes poſſint ad Vrbem hanc noſtram frumenta, bladaque libere conuehere, eos vt præfertur dicta de cauſa ad Vrbem accedentes, ab omni pedagio, gabella aut onere quocumque pro dicti frumenti bladorumque comportatione eximimus ac liberamus, immuneſque & exemptos eſſe, ac fore perpetuo declaramus.

Prohibitio quid quam ab eis exigendi.

§. 5. Mandantes omnibus tam vniuerſitatibus terrarum quam Gubernatoribus, Rectoribus, aliiſque dominis, nobis ac Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, mediate vel immediate ſubiectis quocumque titulo, vel dignitate præfulgeant, etiam ſi S. R. E. Card. exiſtant, ne prædictorum frumentorum, aliorumque bladorum ad Vrbem venientium occaſione quicquam ſolui ab ipſis vectoribus faciant, aut quoquomodo in Ciuitatibus, Terris, ac Locis regimini eorum ſubiectis dicta de cauſa ſolui permittant, aut patiantur, ſub pœnis ſupradictis, aliiſque arbitrio noſtro declarandis.

Priuilegium eorumdem ne moleſtentur pro eorum debitis etiã Cameralib. veniendo, ſtando & redeundo ab Vrbe.

§. 6. Volumus etiam quod venientes, ea de cauſa ad Vrbem videlicet ad frumenta bladaque prædicta conuehenda, tuti omnino ſint ab omnibus ciuilibus executionibus, tam pro eorum debitis, quam pro Cameralibus quibuſcumque exactionibus, & reprælaliis quacumque de cauſa, & contra quoſcumque decretis, ſeu decernendis. Irritum, & inane decernentes quicquid contra, & aduerſus prædictos, ſeu eorum animalia, & res quas ſecum prædicta de cauſa detulerint, tam in accedendo ad Vrbem, ibique commorando per biduum, ad effectum vendendi ea quæ attulerint, quam etiam in redeundo ad eorum ſolitam habitationem, executum, vel quoquomodo attentatum fuerit. Inhiben. omnibus cuiuſcumque generis executoribus, ſeu curiæ miniſtris, ne prædictos dicta de cauſa ad Vrbem accedentes ibique vt præfertur commorantes, ſeu inde diſcedentes moleſtare præſumant ſub pœnis arbitrio Præfecti Annonæ pro tempore infligendis.

Priuilegium exercentium agriculturam ne moleſtetur pro debitis; dã colant, vel ſeminans frumenta, aut colligunt.

§. 7. Eos etiam qui agriculturam ipſam pro cõmuni bono laudabiliter intra XL. ab Vrbe milliarium exercent, dignis fauoribus & priuilegiis proſequi volentes, tam meſſium quam ſeminum tempore, dum ſcilicet colligendo, vel ſeminando tritico veriſimiliter occupantur, ab omni ſupradicta executione etiam ſi ex obligatione in forma Cameræ proceſſerit, tutos omnino, ac ſaluos fore, & eſſe declaramus, dummodo aliunde quam ex agriculturæ fructibus ſoluere non poſſint.

Boues aratorii, &c. pro debitis capi non debent, & in tacitis hypothecis non cõprehenduntur, & gaudẽt priuilegiis bonorum dotalium.

§. 8. Boues vero aratorios, omniaque inſtrumenta ad agriculturam neceſſaria non ſupradictis temporibus tantum, ſed perpetuo pro quauis ciuili oblgatione auferri, aut alia ratione impediri prohibemus. Declarantes inſuper in tacitis quibuſcumque hypothecis à quacumque quauis de cauſa inductis prædictos boues aliaque inſtrumenta prædicta minime comprehenſa fore. Et in ſumma prędictis rebus agriculturę inſeruientibus, tanquam commoditatis immo neceſſitatis publicæ inſtrumentis omnia priuilegia concedentes, quæ bonis dotalibus de iure conceſſa eſſe reperiuntur. Sicque per quoſcumque Iudices, &c. irritum & inane, &c.

Executoriũ deputatio.

§. 9. Quæ omnia, quo fidelius ab omnibus obſeruentur, volumus dilectos filios noſtros Ludouicum Simonetam, Marcum Antonium Amulium, & Virellotium Vitellium Camerarium S. R. E. Card. ea quam ipſorum grauitatem, & virtutem decet diligentia curare. Dantes eis in præmiſſis plenam & omnimodam facultatem, & eam quam nos ipſi habemus poteſtatem pro præmiſſorum executione, obſeruantiaque eum poteſtate declarandi, & decidendi ſi quid in præſenti noſtra conſtitutione, declaratione, aut definitione egere videbitur.

Clauſula derogatoria.

§. 10. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Vrbis, Terrarum Oppidorum & villarum quarũcumque iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, conſuetudinibus, reformationibus & decretis, priuilegiis quoque, & indultis Apoſtolicis communitatibus,

Digitized by Google

vniuersitatibus, baronibus, ac aliis præfatis, à dicta Sede Apostolica, vel à nobis forsan concessis, quæ eis quo ad præmissa nolumus suffragari. Necnon pactis, & conditionibus, ac omnibus aliis quæ dicti prædecessores voluerunt non obstare contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi.

§. 11. Ceterum ne de præmissis quemquam dubitare contingat, volumus quod præsentium literarum tenor per omnia loca publica d. Vrbis solemniter publicari debeat, ipsæque literæ sic publicatæ perinde arctent omnes quos concernunt, ac si singulis eorum personaliter intimatæ fuissent.

Sola signatura sufficit.

§. 12. Volumus autem quod præsentis nostri Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio & extra quacumque regula seu constitutione Apostolica contraria non obstan.

PP. subscrip. Admissio in Cam. Apostol. Pontif. An. 1. die 11. Octob.

Placet Motu proprio. M.

Die 11. Octob. 1566. Admissa est hac cedula Motus proprij ex decreto Camere, & registrata libro secundo signaturarum Sanctiss. D.N. Papæ apud me Notarium.

Hier. de Tæranо.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1566. indict. 9. die vero 20. mensis Octob. Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Pij Papæ V. Anno I. infrascripta litera Apostolicæ affixæ fuerunt ac publicatæ in acie Campi Floræ, ac valuis Cancellariæ Apostolicæ, vt moris est per nos Franciscum Sottocasa, & Nicolaum de Matthæis Curs.

Philibertus Chapuis Mag. Curs.

XX. Quod mulieres, etiam prætextu cuiusuis priuilegij, facultatis, aut licentiæ, ingredi non possint, (exceptis casibus hic expressis) Monasteria & clausura, cuiuscumque Ordinis regularis.

Reuocationem autem licentiarum huiusmodi tam ingrediendi Monasteria Monialium quam virorum, habes inf. in const. 28. Greg. XIII. Vbi gratiæ. ***in constit. 74. Pauli V.*** Monialium. ***De clausura autem Monialium vide hic sup. in const. 8.*** Circa ***vbi notaui.***

Mulieres sæculares non possunt vti his licentiis nisi habito consensu Monialium Monasterij, quod præstari debet expresse, capitulariter, & per secreta suffragia prout statuit S.D.N. Vrban. VIII. const. 29. *Sacrosanctum.* inf. tom. 4.

Edita An. D. 1560. & 1570. Exordium.

PIVS PAPA QVINTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

REgularium personarum, quæ relicto sæculo Dei se obsequio dedicarunt, pro commisso nobis officio, quieti consulere cupientes, ad ea remouenda, quæ religiosum earum propositum impedire possunt, curam nostram libenter intendimus, vt nulla re, quæ eas à diuino cultu auocet præpeditæ, secundum Ordinum suorum regularia instituta, & decretum Sacri Tridentini Concilij, tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum.

Causa huius const.

§. 1. Quia igitur, & Carthusiensium Ordinis, & aliorum regularem vitam professorum quies non parum solet, sicut accepimus, perturbari, propterea quod mulieres modestiæ matronalis oblitæ, domos, ac Monasteria eorum, contra ipsorum instituta, prætextu confessionalium, aut aliarum literarum Apostolicarum ingredi audeant, ipsis etiam Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & aliis præsidentibus aliquando reclamantibus, & renitentibus, non sine magna eorum molestia, nec sine graui laicorum etiam offensione ac scandalo, si quando admitti nimis facile videantur.

Reuocatio licentiarum.

§. 2. Huic rei prouidere volentes, Motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas facultates ac licentias ingrediendi monasteria, ac domos Carthusiensium, & aliorum quorumcumque regularium Ordinum, etiam Mendicantium, mulieribus, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & quacumque dignitate, ac præeminentiæ præditis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, & cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis ab Apostolica Sede quomodocumque concessas, quarum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, haberi volumus pro expressis, tenore presentium reuocamus, & cassas, irritas, & inanes esse decernimus.

Prohibitio & pœna mulierū ingredientiū.

§. 3. Districte prohibentes mulieribus quidem prædictas facultates, & licentias prætendentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, postquam harum literarum notitiam habuerint, à qua non possint nisi à nobis, aut Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolui, præterquam in mortis articulo, ne dictas domos & monasteria ingredi audeant.

Pœna Religiosorum eas admittentium.

§. 4. Ipsis vero Monasteriorum & Conuentuum Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & aliis Præsidentibus quocumque nomine vocentur, & eorum Monachis, Canonicis, & Fratribus, siue mendicantibus, siue non mendicantibus, sub priuationis officiorum, quæ in præsentia obtinent, & inhabilitatis in posterum, ad illa, & alia omnia, & suspensionis à diuinis ipso facto, sine alia declaratione, incurrendis pœnis, ne eas introducere, admittereve præsumant.

Clausula derogatoria.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iussio pœnalis pub.

§. 6. Volumus autem & mandamus, vt hæ literæ ad valuas Basilicæ B. Petri Apostolorum Principis, & in Cancellaria nostra, atque in acie Campi Floræ de more publicentur.

Transumptorum fides.

§. 7. Quia vero difficile foret has literas ad omnia loca deferri, volumus & declaramus, vt earum exemplis & transumptis manuscriptis vel impressis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati muniris, par vbique fides habeatur, ac si præsentes exhibitæ essent vel ostensæ.

D.P. An. 1. 24. Octob.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 24. Octobris 1566. Pontificatus nostri anno primo.

Publicatio

Anno à Natiuitate Domini 1566. indict. 9. die 28. mensis Octobris, Pontific. S.D.N. Pij Papæ V. Anno primo, suprascripta litera affixa, & publicata fuerunt in locis suprascriptis, per nos Bernardinum Andreutium, & Ioannem Andream Rogerium Apost. Curs.

Philibertus Chappuis Mag. Curs.

Sequitur declaratio constitutionis praeinsertæ.

Edita An. D. 1570.

PIVS PAPA QVINTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

DEcet Romanum Pont. certissimum mentis suæ interpretem, si quando quippiam dubietatis in literis ab eo emanatis occurrit, suæ declarationis oraculo quampcimum explanare.

Hic Pont. addidit. const. præced.

§. 1. Cum alias à nobis emanauerint quædam literæ in simili forma breuis sub die 24. Octobris 1566. Pontific. nostri anno primo. In quibus, mulieribus quibuscumque Monasteriorum Regularium ingressus cum derogatoriis clausulis, & irritantibus decretis prohibetur, & alias prout in illis plenius continetur.

Extensio dictæ prohibitionis ad quascūque mulieres.

§. 2. Nos intuitu, & in fauorem Congregationis Montis Virginis aliquas dubitationes, quæ circa dictarum literarum, & mentis nostræ intelligentiam oriri possent elucidare, & submouere volentes, supplicationibus dictæ Congregationis, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Apostolica auctoritate tenore præsentium dicimus & declaramus, fuisse & esse mentem & intentionem nostram, quod dictæ literæ non solum comprehenderent, & comprehendant mulieres habere prætendentes facultatem & indulta ingrediendi Monasteria, sed etiam omnes & quascumque mulieres alias, tam in genere quam in specie.

Declaratio eiusdem prohibitionis.

§. 3. Significantes nihilominus, prout significamus, quod propter hoc, & prædictas nostras literas, non intelleximus nec intelligimus, quod mulieribus præcluderetur, nec præcludatur aditus ad Monasteria & loca Regularia dictæ Congregationis ac eorum clausura, quando in eis Missæ, & alia diuina officia celebrantur, ac dum

processiones

Digitized by Google

processiones fiunt, & quando Christi fidelium cadauera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt, sed libere perpetuo concedimus eisdem omnibus mulieribus facultatem, vt ad illa loca dictæ Congregationis in quibus dicta pia opera exercentur cum aliis Catholicis personis accedere libere & licite possint & valeant.

Alia declaratio.

§. 4. Et similiter quod quando diuinum verbum in Clastris Monasteriorum, & Regularium locorum Congregationis huiusmodi proponitur, vel per aliam quamcumque causam tantus concursus populi fuerit, quod commode ingredi non possint, & egredi per portam Ecclesiæ, perpetuo concedimus, vt dictæ mulieres, vna cum aliis sæcularibus personis possint ingredi, & egredi per portam Clastri Monasteriorum & locorum Regularium Congregationis huiusmodi, dummodo recto tramite accedant ad portam qua exitur è Monasterio, sicque volumus pariter & indulgemus.

Clausula præseruatiua.

§. 5. Decernentes præsentes de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quouis alio defectu notari vel impugnari non posse, sicque in præmissis ab omnibus censeri, & ita per quoscunque Iudices & Commissarios quauis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere; irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac dictis nostris literis, cum inde secutis, & quibusuis aliis Apostolicis vniuersalibus, prouincialibus, & synodalibus, & specialibus & generalibus constitutionibus & ordinationibus, necnon etiam Monasteriorum & locorum prædictorum, ac illorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, & etiam nouis reformationibus, priuilegiis quoque indultis, & etiam aliis literis Apostolicis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis, etiam Motu proprio, & consistorialiter, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus & singulis, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserrentur, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 5. 16. Iulij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimasexta Iulij, millesimo quingentesimo septuagesimo, Pontificatus nostri anno primo.

XXI. De veritate exprimenda à Procuratoribus Pœnitentiariæ, in dispensationibus, ceterisque gratiis Apostolicis, sub pœna falsi.

Alias pœnas habes infra in const. 83. In omnibus. *vbi agitur de Reformatione Pœnitentiariæ.*

De Materia autem huiusmodi dispensationum vide infra in const. 62. *Ad Romanum.* vbi notabo.

Edita An. D. 1566.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Causa const.

CVm sicut accepimus nonnulli suæ conscientiæ prodigi, ac propriæ salutis immemores, vt facilius à nobis, & Sede Apostolica dispensationes matrimoniales, & alias gratias & concessiones obtineant, gradus consanguinitatis vel affinitatis, aut cognationis spiritualis, ac scientiam illorum aliter quam eis à principio ab ipsis partibus significatum vel narratum fuerit exponunt, & si matrimonia huiusmodi adhuc contracta non fuerint, pro contractis patrant, ac alias diuersimode veram facti speciem, tam in ipsis dispensationibus matrimonialibus, quam pro aliis quibuscumque gratiis & concessionibus obtinendis immutent, ac propterea cum, non solum in impetrationibus huiusmodi falsitas narretur, verum etiam in partibus plerumque pro verificatione gratiarum huiusmodi veritas immutetur, & falsitas committatur.

Veritas exprimatur sub pœna falsi.

§. 1. Nos igitur huiusmodi abusibus & erroribus obuiare cupientes, Motu proprio, &c. omnes & singulos Procuratores, tam officij sacræ Pœnitentiariæ, seu Contradictarum, quam alios quoscumque Solicitatores, & Scriptores quos Copistas vocant, qui veritatem facti à narratione, quam ab ipsis partibus habuerunt, quoad substantialia, & qualitates necessario exprimendas diuersam faciunt, seu quoquo modo interuertunt, aut immutant, deprauantur, & per subreptionem & obreptionem gratias à nobis extorquent, pœnam falsi incurrere, & ea puniri omnino debere decernimus & declaramus.

Executorum deputatio.

§. 2. Mandantes propterea Almæ Vrbis Gubernatori, Cameræ Apostolicæ Auditori & Vicario, quatenus in præmissis reos & culpabiles repertos pœna falsi, vt præmittitur, puniant; cum potestate citandi, etiam per edictum constito summarie de non tuto accessu, aliaque dicendi & faciendi in præmissis necessaria seu quomodoliber opportuna.

Clauſ. derog.

§. 3. Non obstantibus præmissis, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, irritum quoque & inane, &c. dicique, &c. iudicari & definiri debere, sublata, &c. decernentibus.

Sola signatura sufficit.

§. 4. Et quod præsentis Motus proprij, & absque data & registratura sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio & extra, regula contraria non obstante.

Transumptorum fides.

§. 5. Eiusque transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Forma publicationis.

§. 6. Quodque Cameræ & Cancellariæ Apostolicæ, ac audientiæ causarum Palatij Apostolici valuis, & in acie Campi Floræ dimissis inibi copiis affixis omnes ita afficiant & arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Placet Motu proprio M.

Die 5. Decemb. 1566. suprascriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in locis suprascriptis, dimissis in eisdem locis copiis affixis, per me Nicolaum de Matthais Curs.

Pub. subscr. Public. An. 1. 5. Decemb.

Io. Guerardi Mag. Curs.

XXII. Declaratio quod sententiæ in fauorem reorum de hæresi Inquisitorum à quibuscumque Iudicibus contra stylum vel dispositionem iurisdictionis Officij sanctissimæ Inquisitionis latæ & ferendæ, non transierint nec transeant in rem iudicatam. Et iurisdictio Cardinalium Inquisitorum ipsas causas reuidendi. Et confirmatio constitutionis Pauli Quarti editæ contra Hæreticos.

Hæc bulla Paul. IV. est 19. sup. Cum ex. *Et huius Congregationis Cardd. facultates indicabo in Six. V. const. 74.*

Edita An. D. 1566.

PIVS PAPA QVINTVS,
Motu proprio, &c.

Iste Pont. in minoribus existens, Inquisitor fuit, & abusus hic descriptos euenire cognouit.

INter multiplices curas quæ animum nostrum assidue pulsant, illa in primis est, prout esse debet, vt Ecclesia Dei nobis ex alto commissa, purgatis, immo quantum fieri potest procul exterminatis omnibus hæresibus & prauis erroneorum opinionum dogmatibus, tuto militare, & tanquam nauis in tranquillo mari, sedatis omnibus tempestatum fluctibus & procellis, secure nauigare, & ad optatum salutis portum peruenire possit. Cum itaque nos dum in minoribus constituti sanctissimi Officij Romanæ, & vniuersalis contra hæreticam prauitatem Inquisitionis negocia pertractaremus, tandem ex longo vsu, atque experientia rerum magistra cognouerimus, quod multi rei delati, & in prædicto sanctissimo officio, seu alibi coram locorum Ordinariis, & hæreticæ prauitatis Inquisitoribus processati, ac de hæretica prauitate inquisiti falsos testes ad eorum

rum defensam examinati faciendo, ac compurgatorum de eorum vita & doctrina minime informatorum opera, & testimonio se iuuantibus, ac diuersis aliis illicitis modis, excogitatisque dolosis excusationibus, & malitiis prædictum sacrum officium sanctissimæ Inquisitionis, ceteroſque Iudices, & etiam Romanos Pontifices deludendo, & decipiendo plures etiam veluti innocentes definitiuas à prædictis processibus, & Inquisitionibus absolutorias, & præcedente canonica purgatione eorum assertæ bonæ & catholicæ fidei vitæ & doctrinæ declaratorias sententias, seu decreta ab eodem sanctissimo officio, aliisque locorum ordinariis siue delegatis, & Inquisitoribus, ac etiam Roman. Pont. prædecessoribus nostris obtinuerunt, seu extorserunt, quas sententias, & decreta præfati Romani Pont. etiam cum perpetui silentij impositione, ac inhibitione, ne dictum sanctissimum officium, aut alij Inquisitores ad vlteriora procedere possent seu deberent, necnon etiam cum causarum auocatione ad solum Romanum Pontificem sub cuius protectione sub mittebantur, aliisque derogatoriarum derogatoriis, & efficacissimis clausulis, ac etiam irritantibus, & aliis decretis, etiam in forma gratioſa ampliando, per varios & varias eorum Motus proprios, ac etiam sub plumbo vel annulo Piscatoris expeditas literas, etiam in consistorio, seu consistorialiter emanatas confirmarunt. Vnde eueniebat quod prædicti rei inquisiti, sub velamine & tutamine prædictarum sententiarum declaratoriarum, & literarum Apostolicarum, & præsertim vigore clausulæ inhibitoriæ contra Inquisitores factæ confidentes, clam, & etiam aliquando palam in antiquis eorum erroribus contra fidem catholicam perseuerando, numquam ad gremium Ecclesiæ vere redibant, immo cum aliis secure, & tamquam Catholici conuersando, eorumdem aliorum animos corrumpere, & inficere, ac in suas hæreticas opiniones trahere de facili potuerunt, in totius reipublicæ Christianæ non modicum scandalum, & in præiudicium, prædictorumque delatorum animarum perniciem & iacturam.

Et ideo reducit ad terminos iuris quæcumque literas Apost. in causis hæresis emanatas, & reuocat eisdem quatenus sint contraria dispositioni, inquisitioni ac stylo Inquisitionis, & declarat quod sententiæ in reorum inquisitorum fauorem contra dictum stylū & dispositionem data & ferenda numquam transeant in iudicatum.

§. 1. Nos huic scandalo adeo periculoso & contagioso obuiare, dictarumque animarum saluti consulere, & prouidere, omnemque iurisperitorum dubietatem & altercationem, ac quæcumque impedimenta & obstacula, propter quæ sancta Inquisitio hæreticæ prauitatis, quomodocumque & qualitercumque impediretur, vel retardaretur, tollere volentes, Motu simili & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, in primis omnes & singulas, ac quascumque literas Apostolicas sub quacumque verborum forma, etiam in prædictis ac quibusuis aliis causis hæresis, etiam Motu proprio, &c. ac etiam consistorialiter, &c. & alias quomodolibet emanatas, necnon etiam desuper signatas motuum propriorum & alias cedulas quaslibet, ad ius & iustitiam, ac iuris terminos reducentes, necnon Fisco prædicti sancti officij Inquisitionis, & aliorum ordinariorum & delegatorum Iudicum aduersus prædictas literas, inhibitiones, ac etiam derogatoriarum derogatorias, aliasque clausulas quaslibet os aperientes, & quatenus iurisdictionis dispositioni vel stylo dicti officij sint contraria, illas penitus, & perpetuo reuocantes, hac nostra perpetua, perpetuoque valitura vniuersali constitutione, omnes & singulas, & quascumque, etiam ex capite assertæ innocentiæ absolutorias, vel etiam præcedente canonica purgatione sub quacumque verborum forma declaratorias sententias, etiam definitiuas, & decreta in eorumdem reorum inquisitorum & delatorum fauorem per prædictum sanctissimum officium, aliosque Iudices ordinarios & delegatos, ac etiam Roman. Pontifices lata & lata, aut in futurum per nos etiam & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ferendas & ferenda, numquam fecisse, nec in futurum posse facere transitum in rem iudicatam, Apostolica auctoritate declaramus, decernimus, statuimus, & ordinamus.

Facultates Inquisitorum generat. reuocat, declarat, non obstantib. sententiis à Sede Apost. confirmatis.

§. 2. Præfatisque sententiis & decretis, & quantumcumque per literas Apostolicas etiam in forma gratioſa, etiam iteratis vicibus, ac etiam à pluribus Romanis Pont. emanatis, confirmatis, vel confirmandis, cum prædictis, vel aliis quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, ac etiam irritantibus, aliisque clausulis & decretis, necnon inhibitionibus, ac etiam canonicis sanctionibus, quorum omnium & singulorum, aliorumque præmissorum, & inde secutorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus haberi volumus pro expressis ac totaliter insertis, ceteriſque in contrarium facientibus quibuscumque non obstan. per prædictum sanctum officium sanctæ Inquisitionis, ac dilectos filios modernos & pro tempore existentes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales hæreticæ prauitatis Inquisitores, & super dicto officio nunc & pro tempore deputatos, contra eosdem & reos, delatos & inquisitos, etiam si fuerint, & sint Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, Primates, eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Legati, etiam de latere, Comites, Barones, Marchiones, Duces, Reges, & Imperatores, tam de antiquis quam nouiter etiam super eisdem articulis, receptis vel recipiendis testibus, aliisque argumentis, probationibus, & indiciis iuxta facultates eisdem Cardinalibus Inquisitoribus, per nos & quoscumque prædecessores & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ac Sedem Apostolicam quomodolibet concessas & datas, ac in futurum respective dandas & concedendas, denuo inquiri & procedi posse & debere, etiam in omnibus & per omnia perinde ac si prædictæ sententiæ, decreta, & literæ Apostolicæ, ac etiam canonicæ purgationes in prædictorum reorum delatorum, & inquisitorum, etiam Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, Primatum, Cardinalium, Legatorum, Comitum, Baronum, Marchionum, Ducum, Regum, & Imperatorem fauorem non emanassent, nouis præsertim superuenientibus indiciis eiusdem vel alterius speciei hæresis, tempus præteritum etiam respicien. vel vbi appareret per aliena indicia quod illicitis modis prius ipse delatus, vel inquisitus fuisset absolutus, eadem Apostolica auctoritate volumus partiter & mandamus. Concedentes eisdem Cardinalibus Inquisitoribus, & super dicto sacro Sanctiss. Inquisition. officio, nunc & pro tempore deputatis, plenam, liberam, amplam & omnimodam facultatem, potestatem, & auctoritatem causas huiusmodi etiam auctoritate œcumenici vniuersalis Concilij Tridentini decisas reuidendi, ac in statu & terminis in quibus ante prædictas sententias & decreta, ac etiam canonicas purgationes quomodolibet reperiebantur, reassumendi, finemque debito terminandi, prout in aliis causis pendentibus indecisis per eosdem Cardinales Inquisitores, iuxta eorum facultates fit, fierique potest, & consueuit.

Paul. IV. cōst. contra hæreticos approbatur.

§. 3. Et insuper vestigiis fel. record. Pauli Papæ Quarti prædecessoris nostri inhærendo Constitutionem alias contra hæreticos & schismaticos per eumdem Paulum prædecessorem, sub data videlicet Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo octauo, quintodecimo Cal. Martij, Pontificatus sui Anno IV. editam, tenore præsentium renouamus, & etiam confirmamus illamque inuiolabiliter, & ad vnguem obseruari volumus & mandamus, iuxta illius seriem atque tenorem.

Clausula sublata.

§. 4. Et sic in omnibus & singulis supradictis censeri, ac ita per prædictos & quoscumque iudices, &c. sublata, &c. iudicari, &c. debere; irritum, &c. perpetuo decernimus & declaramus.

Clausula derogatoria.

§. 5. Non obstan. præmissis, ac regula nostra de non tollendo iure quæsito, & quibusuis aliis Apostolicis, vniuersalibus, prouincialibus, & synodalibus constitutionibus, ordinationibus, necnon iuramento, &c. roboratis statutis, &c. priuilegiis quoque, indultis, & prædictis, ac aliis literis, & etiam Motibus propriis quibuslibet, etiam præfatis reis, & inquisitis etiam Episcopis, &c. ac Imperatoribus etiam absoluris, & quibusuis aliis personis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus, &c. ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque clausulis, ac etiam irritantibus, & aliis decretis, ac etiam pœnalibus inhibition. etiam Motu proprio, &c. ac consistorialiter, &c. & alias in contrarium quomodolibet concessis, &c. in posterumque concedendis, &c. Quibus omnibus etiam si de illis, &c. eorum tenores, &c. latissime hac vice derogamus; ceteriſque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat

Digitized by Google

Fiat Motu proprio. M.

Repetitio clauſul. §. 6. Et cum abſolutione à cen. ad effectum, &c. & de reductione, &c. reuocatione ſingulis declaratione, decretis, ſtatuto, ordination. voluntatibus, mandatis, conceſſione, reuocatione, confirmatione, derogatione, aliiſque præmiſſis vt ſupra in forma gratioſa perpetuo, & ad perpetuam rei memoriam.

Forma & effectus publ. §. 7 Et quod poſtquam præſentes, ſeu deſuper forſan conficiendæ literæ, per aliquem vel aliquos ex Curſoribus noſtris in baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ valuis, ac acie Campi Floræ affixæ & publicatæ fuerint, omnes prædictos etiam Epiſcopos, &c. ac Imperatores & alios quorum intereſt afficiant & arctent, perinde ac ſi eis perſonaliter, intimatæ & inſinuatæ fuiſſent, ac vim & efficaciam ſolemnis, perſonalis, validæ, & peremptoriæ monitionis & citationis habere, omneſque ligare habeant.

Sola ſufficit ſignatura. §. 8. Et quod præſentis noſtri Motus proprij ſola ſignatura ſufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio & extra, regula contraria non obſtan. Et nihilominus ſi videbitur literæ deſuper, etiam per breue noſtrum, aut officium contradictarum, ſimul vel ad partem, expediri poſſint.

Tranſumptorū fides. §. 9. Et quod præſentium, ſeu deſuper conficiendarum literarum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, aut curiæ eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi exhibitæ forent vel oſtenſæ.

Fiat Motu proprio. M.

D. P. A. 1 die 21. Decemb. Datum Romæ apud S. Petrum, 12. Kal. Ianuarij, Anno 1.

Publicatio. *Anno à Natiuitate D. 1567. indictione 10. die vero Lunæ 30 menſis Decembris, Pontif. Sanctiſſ. in Chriſto Patris & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno 1. ſupraſcriptus Motus proprius affixus & publicatus fuit ad valuas Principis Apoſtolorum beati Petri de Vrbe, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, dimiſſis ibidem eiuſdem copiis affixis, vt moris eſt per nos Ioannem Gerardi, & Chriſtianum de Monte, prælibati S. D. N. Papæ Curſores.* *Stephanus de Olea Mag. Curſ.*

XXIII. Quod fecerit maior pars Cardinalium Sanctiſſ. Inquiſitionis, vel aliquibus abſentibus, eorum duo, valet ac ſi omnes feciſſent.

Similem conſt. 69. edidit Pius IV. vt ſup. Cum nos.

Edita A. D. *P I V S P A P A Q V I N T V S*
Motu proprio, &c.

Pius IV. edidit conſt. hic enunciatam. Hic Pont. quoſdā Card. deputauit inquiſitores. CVm fel. rec. Pius IV. prædeceſſor noſter per ſuum ſpecialem Motum proprium, &c. vt ſup.

Omittur relatio quia ipſa bulla eſt in loco indicato in rubr.

§. 1. Nos poſtquam diuina prouidentia ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpti fuimus, conſiderantes eoſdem præfectos Cardinales, in variis ac diuerſis publicis negociis, ob eorum experientiam & doctrinam implicitos & occupatos eſſe, vt dictum officiū concernentes eo celerius expediri poſſint, quo illi præpoſiti aliis negotiis fuerint minus implicati, loco ipſorum, quibus etiam aliorū quorumdam negociorum ad Sedem Apoſtolicam ſpectantium curam dedimus, in eodem ſacro officio Inquiſitionis hæreticæ prauitatis deputauimus Inquiſitores dilectos filios noſtros Bernardinum Scotum tit. S. Matthæi, Scipionem tit. S. Anaſtaſiæ Rebibam, Franciſcum tit. S. Crucis in Ieruſalem Paciechum, Ioannem Franciſcum de Gambara tit. S. Pudentianæ S.R.E. Cardinales.

Et modo talē deputationem confirmat. §. 2. Ne tamen in poſterum, de eorum iuriſdictione hæſitari contingat, Motu ſimili, & ex certa noſtra ſcientia deputationem huiuſmodi tenore præſentium approbamus, & confirmamus, & quatenus opus ſit de nouo eoſdem quatuor Cardinales generales hæreticæ prauitatis in eiſdem Alma Vrbe, Curia Romana, ac tota Republica Chriſtiana creamus, confirmamus, & deputamus.

Facultates ſq; hic expreſſas eiſdē cōcedit. §. 3. Et inſuper pro faciliori earum expeditione ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, vt quicquid per maiorem partem præſentium, vel aliquibus abſentibus, per duos ex prædictis Cardinalibus deputatis, qui in Congregatione pro dicto officio interuenerint, ſeu conuenerint, dictum, geſtum, ſtatutum, ordinarum, decretum, terminatum, ſeu ſententiatum extiterit, ſit validum & firmum, ita & taliter quod nullo modo impugnari poſſit, perinde ac ſi omnes & ſinguli Cardinales prædicti in dicta Congregatione interueniſſent, & conueniſſent, & maior pars eorum conſenſiſſet; cum plena & omnimoda iuriſdictione, auctoritate & poteſtate dicto officio, ac omnibus prædictis Cardinalibus, & eorum prædeceſſoribus, per nos vel alios ſummos Pontifices alias quomodoliber conceſſis & attributis, irritum, &c. decernentes.

Decretum ſtatuta. §. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ nos & prædeceſſores noſtri voluerunt, & voluimus non obſtare; ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Signatura ſola ſufficit. §. 5. Decernentes ſolam præſentis noſtri Motus proprij ſignaturam ſufficere, & vbique in iudicio & extra fidem facere, regula contraria non obſtante.

Placet Motu proprio. M.

Papa ſubſc.

XXIV. Mitigatio conſtitutionis Pij IV. quoad appellationes condemnatorum, facto depoſito, vel data cautione, & declarato quod confeſſus non appellet.

Iſta Pij IV. conſt. 52. eſt ſupra vbi notauī.

Edita An D. *P I V S P A P A Q V I N T V S*
Motu proprio, &c.

Pius IV. poſt alios Pont. prohibuit appellationē non facto depoſito in cauſis criminalib. vt in conſt. 52. §. 1. CVm (ſicut accepimus à dilecto filio Alexandro Riario Auditore noſtro, & appellationum Iudice ordinario) ex diuerſis literis in forma Motus proprij per fel. recor. Pium Quartum, & alios Pontifices prædeceſſores noſtros, & præſertim ſub dat. Romæ apud S. Petrum, duodecimo Kal. Iunij, Anno ſexto (quorum omnium tenores hic volumus pro expreſſis haberi) emanato, de non admittendis appellationibus, neque decernendis inhibitionibus, monitoriis, & citationibus in cauſis criminalibus Fiſcum noſtrum quomodoliber concernentibus, in quibus reos contigerit condemnari, niſi prius facto actuali depoſito pœnarum, in quibus ex delicto delinquentes ipſi, aut illi qui pro eiſdem fideiuſſiſſent, vel ex contractu quoquo modo condemnandi venirent, aut eatenus condemnati fuiſſent) contingat, quod alij, etiam optimum ius fouentes, interdum ob nimiam eorum paupertatem modum talia depoſita faciendi non habentes, & ſic ſecluſo eis, ob non factum depoſitum, remedio appellationis, eorum bonum ius, quod prætendunt deducere in appellatione, remanet incognitum, & deperditum, & præſertim quoad illos, qui non ſunt confeſſi crimen.

Hic aliquā Pont. concedit appellationē datā cautione vt hic, quatenus nōniſi dines appellans. §. 2. Nos igitur more pij Paſtoris, præmiſſis omnibus obuiare volentes, ne appellationis remedium, eiuſque proſecutio pauperibus tolli videatur, Motu ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, dictas literas mitigantes, & reformantes, tenore præſentium ſtatuimus, decernimus & ordinamus, ac perpetuo obſeruari mandamus, quod in ſimilibus cauſis Fiſcalibus, & aliis de quibus in literis, & Motu proprio huiuſmodi fit mentio, omnes & ſingulæ appellationes, ac quæcumque deſuper pro tempore præſentatæ, ac præſentandæ, commiſſiones per dictum Alexandrum modernum & pro tempore exiſtentem Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditorem tamquam Iudicem talium appellationum, necnon per quemcumque alium Iudicem huiuſmodi iuriſdictionem habentem ad mittant, ac recipiant, & admitti ac recipi, libere & licite poſſint, valeant, ac debeant, illarumque vigore quaſcumque inhibitiones, citationes, ſeu monitoria decernentes, & alia facientes in præmiſſis neceſſaria, eiſdem Auditori noſtro, & Iudicibus præfatis, ad id iuriſdictionem habentibus, auctoritatem damus, ac licentiam impartimur, præſtita tamen prius cautione idonea per partem ſeu partes appellantes, non tamen confeſſos,

in

Digitized by Google

in forma depoſiti, pro pœna in qua condemnatus extitit, & ſeu reſpectiue de ſe conſtituendo in carcere, & ibidem remanendo in quacumque parte iudicij, & quatenus pars eſſet dilues facto prius actuali depoſito, arbitrio Iudicis ad quem.

Confeſſis tamen appellationem denegat.

§. 3. Quo vero ad confeſſos, liceat Iudici à quo, non obſtantibus huiuſmodi appellationibus & inhibitionibus, & abſque aliquarum pœnarum incurſu, ad vlteriorem executionem pro pœnæ huiuſmodi conſecutione procedere; & neque tam ipſi quàm partes ad literarum, ſeu Motus proprij præfati obſeruantiam, quo ad hæc, & illa quoquo modo concernentia, niſi iuxta præſentem limitationem & moderationem, vllatenus teneantur.

Decretum irritant.

§. 4. Et ita in præmiſſis omnibus & ſingulis, per quoſcumque Iudices, etiam Cam. Apoſt. Camerarium, Præſidentem, Clericos, Theſaurarios, ac Procuratores Fiſcales, & S. R. E. Cardinales, &c. ſublata, &c. debere; irritum, &c. perpetuo decernimus.

Clauſ. derog.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Sola ſignatura ſufficit.

§. 6. Volumus autem præſentis noſtri Motus proprij ſolam ſignaturam ſufficere, & fidem facere, in iudicio & extra, regula contraria non obſtante, etiam abſque eo quod per Curſores præſentetur.

Papa ſubſcri.

Placet Motu proprio. M.

XXV. Reformatio Collegij Capranicenſis, à Cardinali de Capranica, & Collegij Nardini, à Card. Nardino, in Vrbe pro Scholaribus inſtitutorum; Et confirmatio iuriſdictionis Cuſtodum Hoſpitalis S. Saluatoris, Gubernatorum vtriuſque Collegij.

Aliud ſimile Collegium inſtituit Cardinalis Matthæus, vt videre eſt in conſt. 8. Pauli V. Altitudo.

Priuilegia autem Scholarium generalis Gymnaſij Almæ Vrbis, vide ſupra in Bonif. VIII. conſtit. 9. *In ſupreme*, vbi notaui.

Edita An D.

PIVS PAPA V.
Motu proprio, &c.

Card. Capranica, inſtituit in Vrbe Collegiũ Capranicenſe, & Card. Nardinus Collegiũ Nardinum, & eorum Gubernium dederũt Cuſtodibus S. Saluatoris.

ACcepimus quòd poſtquam piæ mem. Dominicus & Angelus Cardinalis de nobili familia Capranicenſi, & Stephanus Cardinalis Nardinus Collegia Scholaſticorum in Vrbe, illud Capranicenſe, iſtud Nardinum nuncupata, fundauerunt & erexerunt, & dotauerunt, ac conſtitutiones pro vita & moribus, habitu, veſtitu, & profeſſione inibi ſtudentium ſcholariũ ediderunt, & eorumdem Collegiorum Gubernatores, dilectos filios nobiles viros Cuſtodes pro tempore pij Hoſpitalis Imaginis S. SALVATORIS ad Sancta Sanctorum de Vrbe creauerunt, & eſſe voluerunt: quibus omnimodam poteſtatem corrigendi, mulctandi, puniendi, & alias prout in dictis conſtitutionibus latiſſime continetur conceſſerunt, dictique Cuſtodes in præmiſſorum pacifica & quieta poſſeſſione extiterunt.

Sed Scholares eorum iuriſdictionẽ, euitare tentabãt.

§. 1. Iidem Scholares in prauum animum conuerſi iuramenti per eos præſtiti immemores, contra prædictarum laudabilium conſtitutionum formam quærentes ſe à iuriſdictione, protectione, & gubernio dilectorum filiorum Cuſtodum prædictorum eximere, & dicto Collegio, & pio loco abiectis, diuerſas in dies inhibitiones à diuerſis Vrbis Tribunalibus, ac diuerſas à Signatura Iuſtitiæ commiſſiones, extorquere tentabant, & extorquebãt, per quas dictorum dilectorum filiorum adminiſtrationem, gubernium, & correctionem euitare tentabant.

Paulus ideo III dictos Cuſtodes cõpetẽtes eorum Iudices eſſe declaranit.

§. 2. Cumque prædicta ad notitiam fel. record. Pauli Papæ Tertij prædeceſſoris noſtri peruenieſſent, idem prædeceſſor quærens non minus menti & voluntati dictorum piorum Cardinalium, quam animabus ipſorũ Scholarium conſulere, ſuo proprio Motu voluit, iuſſit, & mandauit, quod illicuiſque omiſſæ cauſæ ipſo iure ad eoſdem Cuſtodes redirent, quos ſolum, inſolidum Iudices eorumdem Scholarium ordinarios, iuxta earumdem conſtitutionum formam eſſe declarauit, reſeruata ſolum eiſdem Scholaribus facultate appellandi à diffinitiua, & tunc ad ſolos dilectos filios Conſeruatoris Vrbis; ac de cetero inhibuit, commiſſiones aut inhibitiones contra prædicta decerni non poſſe, & inſuper voluit & mandauit dictas conſtitutiones de cetero, vt iacent, obſeruari.

Scholareſque non ſuſtinentes concluſiones iuxta ſtatuta Collegiorum, inde expelli decreuit.

§. 3. Et quod qui è Scholaribus ſecundum ſtatuta Concluſiones infra tempus conſtitutum ſuſtinere ceſſarent, ipſo facto ſine vlla monitione priuati exiſterent, & à Collegiis expellerentur, & alij pro illis ſubſtituerentur, & ad reſtitutionem expenſarum quibus ſe indignos iudicauerant, & fecerant Collegij omnino tenerentur.

Paulus V. prædicta confirmauit.

§. 4. Et ſucceſſiue ſanctæ mem. Paulus Papa Quartus prædeceſſor noſter de præmiſſis certioratus prædicta omnia per ſuas in forma Motus proprij literas, confirmauit, & perpetuis futuris temporibus ſeruari mandauit.

Hic modo Pãt. iſta confirmat.

§. 5. Nos igitur cupientes non ſolum quæ pie & ſancte conſtituta ſunt obſeruari, ſed etiam prolapſa ad viam ſalutis reuocari, & quæ ad animarum ſalutem, & vitæ Chriſtianæ cultum conueniunt, augeri, & in ampliorem formam redigi, prædeceſſorum conſtitutiones, & ordinationes prædictas, ac dicti Collegij conſtitutiones, auctoritate Apoſtolica, & de poteſtatis plenitudine, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia confirmamus & approbamus.

Armorũ omnium vſum, & retentionẽ prohibet, non tamen enſis in Camera.

§. 6. Ac motu ſimili, & ſimili poteſtate ad augmentum quietis dicti Collegij, ſalutem animarum Scholarium prædictorum, & cultum Chriſtianæ fidei de nouo hac noſtra in perpetuum conſtitutione valitura, ſtatuimus, decernimus & mandamus, quod de cetero in dicto Collegio nullus Scholaris, nec etiã ipſũ Collegiũ poſſit retinere, aut habere, neq; publicè, neque occulte, aliquod genus armorum, tam defenſibilium, quàm offenſibilium, excepto ſolo enſe, quem ipſis Scholaribus in eorum Cameris retinere permittimus, & quæ erunt in dicto Collegio, tam ipſorum Scholarium, quàm Collegij arma cuiuſuis generis, excepto ſolo enſe, in Viſitatione per dilectum filium Franciſcum Cardinalem Alciatum tit. S. Suſannæ diaconum, & per dictos dilectos filios Cuſtodes, de mandato noſtro nuper facta reperta fuerunt, illa omnia per præfatos Cuſtodes vendi mandamus, & pretiũ ex eis prouidendum dominis ipſorum, ſiue ſint Scholares, ſiue ipſum Collegium aſſignari mandamus; conſcientiam eorumdem dilectorum filiorum Cuſtodum onerantes in hoc, videlicet vt pugiones, & quos appellant piſtoleſios, necnon & falcatos enſes, quos vulgo ſtortas, aut alio ſimili nomine appellant, vendant magiſtris qui eos fundant, & ad rudem materiam reducant. Et quia qui bonis literis operam nauare, & in ſacris initiari incipiunt, paci & quieti, ac togæ & non armis incumbere debent, volumus & mandamus quod quicumque Scholaris de cetero, de die vel de nocte, & quocumque tempore cum enſe, quem his ſolum retinendum videlicet, vt ſupra reliquimus, vel alio genere armorum per Vrbem incedere repertus fuerit, etſi licentiam à quouis ad id poteſtatem habente, excepta ſola noſtra licentia, & ſucceſſoris noſtri, legitime ſe habere aſſerant, & habeant, illico per quoſcumque executores, nullo alio expectato mandato carcerentur, & in carceribus per ſex continuos menſes detineantur, abſque eo quod aliquid de menſa dicti Collegij participent, & vlterius illico à loco dicti Collegij priuentur. Qui vero de cetero in eorum cameris, aut alio loco dicti Collegij reperti fuerint tenere aliquod genus armorum excepto enſe ſolum, vt præfertur pro prima vice priuentur expenſis vnius menſis, pro ſecunda vero vice eiiciantur ſtatim de Collegio.

Ludũ quoque aleæ & taxillorum eiſdem vetuit.

§. 7. Non minus etiam quia non ſolum in Scholaribus & viris togatis, quam in omnibus ludum aleæ, ſeu taxillorum & chartarum cuiuſcumque generis, tamquam à legibus & ſacris canonibus, ac bonis moribus abhorrentem deteſtamur, præcipimus, mandamus, & inhibemus, ne de cetero aliquis Scholarium, ſeu familiarium & ſeruientium in dicto Collegio aliquod genus chartarum, ſeu aleæ aut taxillorum, publice vel occulte retinere poſſit & valeat, quod ſi alicui chartæ, aut alea ſeu taxilli in eorum camera, aut alio loco Collegij reperti fuerint, illico pro prima vice à menſa & victu per vnum integrum menſem arceantur, & ſi iterum in tale crimen inciderint à Collegio arceantur, & tamquã incorrigibiles priuentur.

§. 8. Inſu

Digitized by Google

Habitumque & capuccium eosdem gestare debere præcipit.

§. 8. Insuper quia ex habitu mens, & animus vt plurimum & cognoscitur, & demonstratur, inhærens piæ menti testatorum volumus & mandamus quod incipiendo à proximis futuris kalendis mensis Nouembris, Scholares perpetuo quando eunt extra Collegium, quocumque eant per Vrbem incedere debeant in habitu longo & veste longa cum solito capuccio iuxta dictarum constitutionum formam. Volentes & mandantes, quod illi qui fuerint reperti extra dictum Collegium sine dicto habitu & capuccio, prima vice per quemcumque executorem etiam absque alio mandato carcerentur, & in carceribus per tres continuos menses detineantur, absque eo quod de mensa Collegij aliquid participent, secunda vero vice à dicto Collegio arceantur, & locis eiusdem Collegij priuentur.

Et Logica, Philosophiæ, ac iuri ciuili operam dare posse declarat.

§. 9. Et quia nonnumquam controuersum accepimus circa studia & professiones ipsorum Scholasticorum declaramus dictas constitutiones, ac etiam quando opus sit, supplemus & emendamus, volumus & mandamus, quod de cetero dictorum Collegiorum Scholastici Logicæ, & Philosophiæ operam eo vsque dare, quantum, & quousque eis sufficiat pro ingressu ad sacram Theologiam; & similiter possint iure ciuili eo vsque operam dare, quantum, & quousque eis sufficiet pro ingressu ad ius canonicum. Medicinæ autem eos operam dare omnino prohibemus & inhibemus.

Licentia sunt à Pio IV. concessas reuocat.

§. 10. Cassantes & irritantes ac annullantes omnem licentiam etiam per fel. record. Pium Papam Quartum eisdem concessam tamquam piæ menti fundatorum contrariam; quibuscumque in ea clausulis existentibus non obstantibus.

Constitutionesque Collegiorum circa promotionem ad sacros Ordines declarat.

§. 11. Et quamuis constitutiones Collegiorum prædictorum arctent Scholasticos ad se promoueri faciendum post triennium à die ingressus Collegij saltem ad sacrum subdiaconatus ordinem, nihilominus respicientes ad decreta sacri Concilij Tridentini, volumus quod dicti Scholares elapso triennio teneantur dumtaxat accipere quatuor ordines minores, & teneantur & obligati sint quotidie officium Sacratissimæ Virginis MARIÆ recitare, & vlterius se taliter præparare, vt in euentum quod à nobis & successoribus nostris illis, vt speramus, ecclesiastica beneficia conferentur, vel probaretur legitime habere eos sufficienter patrimonium, possint apparere habiles & idonei ad suscipiendos sacros ordines, & tunc vel ad titulum beneficij quod eis conferetur, vel patrimonij quod habere eos probabitur, teneantur omnino promoueri ad dictos ordines sacros.

Executores deputat ipsos Custodes.

§. 12. Mandantes propterea dilectis filiis Custodibus hospitalis prædicti, vt prædicta diligenter attendant, & totis viribus auctoritate nostra inuiolabiliter obseruari faciant, prout inuiolabiliter nos Motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine obseruari volumus & mandamus.

Contraria tollit.

§. 13. Contrariis non obstantibus quibuscumque; irritum quoque & inane decernentes quicquid in contrarium à quoquam super præmissis contigerit attentari.

Sign. sola sufficere iubet.

§. 14. Volumus autem quod præsentis nostri Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio & extra; & quod registretur per secretarium dicti hospitalis in libro constitutionum dicti Collegij, vt nemo de illis, ignorantiam quouis tempore prætendere possit. Placet Motu proprio. M.

Papæ subscr.

XXVI. Applicatio Reu. Cameræ Apost. fructuum beneficiorum Regni Neapolis Sedi Apost. reseruatorum seu affectorum pro tempore aliter quam per obitum vacantium, à die vacationis, vsque ad diem, quo à Rom. Pontifice prouisi, possessionem ceperint de manu Nuncij Apost. in eodem Regno.

Eamdem applicationem fecit Pius IV. die 7. Decemb. 1560. quam ideo prætermisi. Applicationem vero generalem edixit Pius ibidem IV. fructuum omnium beneficiorum Italiæ reseruatorum Sedi Apost. in alia eius constit. Cupientes. *vbi notaui.*

PIVS PAPA QVINTVS,

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1567.

CVpientes malitiis nonnullorum, qui fructus Monasteriorum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum dispositioni Apostolicæ reseruatorum vsurpare non verentur occurrere, & Cam. nostræ Apostolicæ indemnitati, quantum cum Deo possumus, consulere.

Causa applicationis.

§. 1. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulos fructus, redditus, & prouentus, ac iura, obuentiones, & emolumenta quæcumque quomodolibet, & qualitercumque nuncupata, omniū & singulorū beneficiorū ecclesiasticorum, cū cura & sine cura, secularium, & quorumuis Ordinum regulariū, & Monasteriorum, etiam Consistorialium, nobis & Sedi Apostolicæ, iuxta Cancellariæ Apostolicæ regulas, editas & edendas, seu alias quomodolibet, & ex quauis causa generaliter vel specialiter reseruatorum, seu affectorum in Regno Neapolis, & quibusuis illius Prouinciis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, & locis consistentium per obitum, & alias quouis modo, præterquam per cessum illa obtinentium pro tempore vacantium, à die ipsorum beneficiorum & Monasteriorum vacationis pro rata temporis, vsque ad diem, quo prouisi per nos de eisdem beneficiis & Monasteriis vigore literarum nostrarum sub plumbo illorum possessionem de manu dilecti filij Magistri Pauli Odescalchi Notarij, & in dicto Regno Nuncij, & collectoris nostri, per quem alias nostras literas Commissarium ad capiendum possessionem beneficiorū & Monasteriorū huiusmodi deputauimus, habuerint, & acceperint, & aliter capta possessio nullius sit roboris vel momenti, ac prouisis ipsis nullū ius per eam acquiri, neque eis vllatenus suffragari possit, eidem Cameræ Apostolicæ auctoritate Apostolica tenore præsentium applicamus, incorporamus, & appropriamus, illaque applicata, incorporata, & appropriata esse, & fore, & ad illam spectare & pertinere, nullumque præter nos & dictam Cameram, aut ipsum Paulum Nuncium & Collectorem, aut ab ipso deputatos subcollectores, ea percipere, exigere, aut alias se in illis intromittere posse, aut debere, statuimus & ordinamus.

Applicatio de qua in sub.

Ordinarij & alij non se intromittant in collatione horū beneficiorum.

§. 2. Et nihilominus ne aliquod impedimentum huic nostræ ordinationi occurrat, quibusuis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub suspensionis à diuinis, & interdicti ingressus Ecclesiæ, quoad Archiepiscopos, & Episcopos, quo vero ad alios inferiores, etiam sub excommunicationis & aliis arbitrij nostri, & quo ad omnes, sub priuationis facultatis conferendi beneficia in eorum mensibus pro tempore vacantia pœnis, districte præcipimus & inhibemus, ne beneficia dispositioni Apostolicæ reseruata seu affecta prædicta, quouis prætextu, causa, aut quæsito colore cuiquam conferre, seu de illis prouidere quoquo modo audeant vel præsumant.

Clausula subsecuta.

§. 3. Sicque in præmissis omnibus & singulis per quoscumque quauis auctoritate fungentes Iudices, Commissarios, & personas, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere; irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Facultas Thesaurarij Papæ, vt hos fructus exigat.

§. 4. Mandantes eisdem Paulo Nuncio & Collectori, vt nostro & dictæ Cam. nomine, fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones, & emolumenta huiusmodi exigat, percipiat, & leuet, sibique consignari & tradi ab omnibus, ad quorum manus peruenerint pro rata prædicta, per censuras & pœnas ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris & facti remedia quacumque appellatione postposita faciat, & curet; inuocato etiam si opus fuerit auxilio brachij secularis. Super quibus omnibus & singulis plenam & liberam illi per præsentes concedimus facultatem & potestatem.

Quibuscumque non obstan.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Monasteriorum & illorum Ordinum ac beneficiorum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis & quibuslibet aliis

Digitized by Google

perſonis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis irritantibuſque & aliis decretis, etiam motu & ſcientia ſimilibus conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus, omnibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, illaſque aduerſus præmiſſa nullatenus ſuffragari poſſe ſiue debere decernimus; ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, quod præſentium manu Notarij publici ſubſcriptis tranſumptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Curiæ eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

D. P. An. 2. 8. Ianuar.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 8. Ianuarij 1567. Pont. noſtri anno 2.

XXVII. Miſerabiles perſonæ in cauſis diſcuſſionum, ceteris aliis creditoribus præferuntur, pro eorum creditis, vſque ad ſummam ſcutorum quinquaginta in Vrbe.

Ad materiam diſcuſſionum videnda eſt conſt. 16. Clem. VII. Cum ex. *ſup. & conſt. 15. huius Pont. ſup.* Sanctiſſimus. *cum ibi nos. An autem iſti miſerabiles præferantur etiam Piſtoribus & Aromatariis attende inf. in conſt. 36. Six. V.* Cæleſtis & *conſt. 47. Clem. VIII.* Laudabilis.

Mox ampliata eſt iſta conſtitutio à Paulo V. in ſua conſtit. 81. *Vniuerſi.* §. 11. ad finem.

Edita An. D.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Cauſa conſt.

ACcepimus multos pauperes, & perſonas miſerabiles reperiri, qui cum alicuius ſint creditores, de eorum credito volentes ſibi ſatisfieri, comparent in cauſis diſcuſſionum bonorum eorum debitoris, iura ſua producentes, verum ipſi aut quia non priores, potioreſue, aut quia vt priores, nec potiores ſunt, propterea euenit quod dum eorum creditum in maximum ipſorum præiudicium conſequi non valent, ſæpiſſime fiat, quod eorum pauperrimæ familiæ in non modicum ipſorum earumque dedecus mendicare cogantur.

Miſerabiles perſonæ in cauſis diſcuſſionum præferendi ſunt, pro ſum. ſcut. 50. aliis creditoribus.

§. 1. Nos itaque huiuſmodi perſonarum miſeriis compatientes, eiſdemque in præmiſſis ſubuenire volentes, Motu ſimili, & non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſex ex mera voluntate & deliberatione, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Apoſtolica auctoritate volumus, ac perpetuo ſtatuimus & ordinamus, quod ſi in cauſis huiuſmodi in Tribunali dilecti filij Alexandri Riarij, noſtri & Cameræ Apoſtolicæ Auditoris, tam motis, quàm mouendis in futurum, comparuerint creditores vſque ad ſummam ſcutorum quinquaginta incluſiue pro quolibet, qui vere ſint miſerabiles perſonæ, iis de eorum credito, etiam quod non ſint priores aut potiores, ſatisfieri poſſit & debeat.

Iudex deputatur A. C. Ego vidi omnes Iudices Vrbis hac facultate vti.

§. 2. Mandantes propterea præfato dilecto filio Alexandro Riario Auditori noſtro, quatenus conſtito ſibi prius etiam ſummarie, & extraiudicialiter, ac quantum ſibi ſufficere videbitur, de præmiſſis paupertate & miſeria, dictos pauperes ad ſatisfactionem eorũ crediti admittat, eiſque ſatisfieri mandet, & faciat realiter & cum effectu, plenamque & liberam ac omnimodam ſibi in ſuper præmiſſis eadem Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus facultatem, Cum poteſtate quos, quibus, vbi, quando, & quoties opus fuerit, etiam per edictum publicum conſtito ſummarie & extra iudicialiter de non iuto acceſſu, ac etiam ſub eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & etiam pecuniariis pœnis, aliiſque arbitrio ſuo imponendis, moderandis, & applicandis, citandi, monendi, & inhibendi, & in euentum non paritionis declarandi, aggrauandi, reaggrauandi, & excommunicandi, interdicendi, auxiliumque brachij ſæcularis, ſi opus fuerit, inuocandi ſeu adhibendi, necnon perpetuum deſuper ſilentium, omni & quacumque appellatione & recurſu remotis, imponendi, omniaque & ſingula alia faciendi, dicendi, gerendi, mandandi, & exequendi, in præmiſſis & circa ea neceſſaria ſeu quælibet opportuna.

Decretum irritans.

§. 3. Sicque etiam in præmiſſis ab omnibus cenſeri, ac etiam per quoſcumque alios iudices, &c. ſublata, &c. iudicari, &c. debere, irritumque, &c. decernimus & declaramus de gratia ſpeciali.

Clauſula derogatoria.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac dicta noſtra de non tollendo iure quæſito, & quibuſuis aliis Apoſtolicis, vniuerſalibus, prouincialibuſque & ſynodalibus, ac municipalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ſpecialibus & generalibus, necnon etiam Vrbis & Curiæ Romanæ, etiam iuramento, &c. roboratis, ſtatutis, &c. vſibus, naturis, ſtylis, & etiam nouis reformationibus, priuilegiis, in genere, vel in ſpecie, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, &c. etiam Motu proprio & conſiſtorialiter, &c. ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, &c. in poſterumque concedendis, necnon legibus, etiam Pontificiis, & Imperialibus, &c. editis & edendis, quibus omnibus, etiam ſi de eis, &c. eorum tenores, &c. pro plene & ſufficienter expreſſis habentes, latiſſime, hac vice derogamus; ceteriſque contrariis quibuſcumque, ſtatum, &c. & merita cauſarum huiuſmodi, ac præmiſſorum omnium & aliorum neceſſariorum, tenores, &c. etiam pro plene & ſufficienter expreſſis habentes.

Sola ſufficit ſignat.

§. 5. Volumus autem præſentem noſtrum Motum proprium perpetuis temporibus durare, ac illius ſolam ſignaturam ſufficere, & vbique in iudicio & extra fidem facere, regula contraria non obſtante.

Placet Motu proprio M.

Papæ ſubſcr.

XXVIII. Declaratio, reformatio, & reuocatio plurimarum gratiarum, immunitatum, & priuilegiorum Militiæ Hoſpitalis S. Lazari Hieroſolymitani hactenus à Summis Pontif. conceſſarum.

Huic Militiæ, quæ Regulam S. Auguſtini profitetur, vt habetur ſup. in conſt. 1. Alex. IV. Cum à nobis. *multa priuilegia elargitus eſt Clem. IV. in conſt. 2.* Cum dilecti. *ſup. & conſt. 5.* Venerabilibus. *& plerique alij Pontt. necnon Pius IV. alia plurima indulta dederunt, vt in ipſius Pij IV. conſt. 95.* Inter aſſiduas.

Eamdem Militiam Greg. XIII. vniuit Militiæ S. Mauritij martyris nuper inſtitutæ per Emanuelem Philibertum Ducem Sabaudiæ, eiuſque perpetuo regimini ſubiecit, vt in ipſius Greg. conſt. 6. *Chriſtiani.* & conſt. 7. *Pro commiſſa.* Et poſtremo paucis additis hæc approbauit Clem. VIII. in conſt. 102. *Decet.*

Edita A. D. 1567.

PIVS EPISCOPVS, &c.
Ad futuram rei memoriam.

Cauſa huius reformationis priuilegiorum Militiæ S. Lazari.

SIcuti bonus agricola, qui largiorem ex agro quem colit, prouentum colligere cupit, temporum vices ſolicitus obſeruat, & poſitis in eo plantis, non ſemper irriguos riuos, aut pinguem limum admouet, ſed collectum quandoque humorẽ deducit, ac nimiam ramorum lætitiã cohibet, & ne vires fruſtra effuſæ euaneſcant, ferro comprimit. Ita nos agri Dei noſtri culturæ, ipſo fauente, fidelibus ſtudiis incumbentes, Hoſpitale S. Lazari Hieroſolymitani, eiuſque Militiam, feracem ſane, vti ſperamus, inter ceteras huius agri plantam, pridem à compluribus prædeceſſoribus noſtris, ac nobiſmetipſis indulgentiis excultam, ne forte inutili frondium ſylua luxuriet, reſectis, ac veluti putaris ramis ſterilibus, intra ordinem ponere, atque ad meliorem & vtiliorem cultum (habita horum temporum ratione) reducere cupimus, vt tãdẽ ſuis in ſe collectis viribus & tamquam radicibus ſolo altius

Digitized by Google

altius adactis, firmius perſiſtens, ſuaues, atque vberes fructus domino perferat.

Pius IV. multa d. Militiæ priuilegia approbauit, & alia conceſſit, vt in eius cõſt. eis in rubr.

§.1. Dudum etenim, poſtquam fel. rec. Pius Papa IV. prædeceſſor noſter, inſtitutionem, erectionem, necnon tranſlationem Hoſpitalis & Militiæ huiuſmodi, ac quamplurima priuilegia, indulta, facultates, licentias, exemptiones, libertates, indulgentias, gratias, & alia à diuerſis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, tunc ſuis, dicto Hoſpitali, eiuſque Magno Magiſtro, & Conuentui, ac Fratribus etiam per modum communicationis, & extenſionis, in genere & in ſpecie conceſſa, necnon ſtatuta, vſus, & conſuetudines in eiſdem Hoſpitali, & Militia edita, & introducta, Apoſtolica auctoritate, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine, confirmauerat & approbauerat, ac etiam innouauerat & inſuper alia multa conceſſerat, eaque omnia ad Hoſpitale S. Lazari, quod in ciuitate Capuana, etiam tunc conſiſtebat, extenderat, ipſumque Hoſpitale & eius membra & pertinentias, aduerſus ſuppreſſiones, extinctiones, vniones, & alias diſpoſitiones quaſcumque, de illis per rec. mem. Innocentium VIII. & Pium II. ac forſan alios Rom. Pontifices, etiam conſiſtorialiter factas, in priſtinum quo ante illas erant ſtatum reſtituerat, ac plenariè reintegrauerat, decernens inter alia, ea tamquam ex cauſa onerola conceſſa, reſtituta, & facta, reuocari, limitari, vel alterari, ac ſub reuocationibus, limitationibus, alterationibus, generalibus vel ſpecialibus ſi forte fierent, comprehendi non poſſe.

Hic etiã Pont. illa cõfirmauit in quadã eius bulla, quã hic vti etioſam non poſui.

§.2. Nos quoque in ipſo ſtatim Pontificatus, ad quem diuino afflante Spiritu vocati ſumus, initio, eadem omnia, ipſiuſque Pij IV. prædeceſſoris literas ſuper eis expeditas, paribus motu, ſcientia, plenitudine, & auctoritate confirmauimus, approbauimus, & innouauimus, ac ſimilibus clauſulis & decretis muniuimus, quibuſdam tamen limitationibus & reſtrictionibus adiectis, quas hic quoque pro repetitis eſſe volumus, provt in prædictis literis, ac quadam cedula, Motu proprio, & manu noſtra ſignata plenius continetur.

Nunc autem iuſtis de cauſis illa reformare volens.

§.3. Verum poſtea experti tam multa ſic conceſſa, non tantum ipſis Hoſpitali & Militiæ incrementum, quantum aliis cupiditatem afferre, illorum vero vſum, & diſpenſationem tum periculo iis ipſis quibus conceſſa ſunt, tum oneri nobis fore. Ac propterea volentes illis modum, & normam, ac certos demum limites ſtatuere, illorumque omnium, necnon prædictarum, & quarumcumque præterea literarum & cedularum, ſimiliumve ſcripturarum, quæ inde confectæ ſunt, tenores, continentias, & formas, pro plene & ſufficienter expreſſis habentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad Dei gloriam, & publicam vtilitatem, manentibus erectione, inſtitutione, ac tranſlatione, necnon reſtitutione, & reintegratione dictorum Hoſpitalis & Militiæ, ac illarum approbatione prædictis, quas, provt hactenus factæ ſunt, provt tamen iuris fuerit, ratas habemus in præmiſſis, vt præfertur conceſſis, confirmatis, & innouatis, & tenore præſentium ſic perpetuo ſtatuimus & ordinamus.

Firmas remanere declarat reintegratione, tranſlatione & reſtitutione d. Militiæ, & Hoſpitalis.

Conceſſiones antè Pij IV. cõfirmat, quatenus tunc eſſent in vſu & nemini præiudicarent.

§.4. Omnia & ſingula dictis Hoſpitali, Magiſtro, Conuentui, & Militibus, à prædictis & aliis quibuſcumque Romanis Pontificibus ante ipſum Pium IV. prædeceſſorem conceſſa, eatenus dumtaxat confirmata eſſe, & cenſeri, quatenus temporibus eiuſdem Pij IV. ante factam ab eo illorum confirmationem prædicta obſeruabantur, & in vſu erant, atque alienis iuribus, ſiue ex præſcriptione, ſiue alias quocumque titulo legitime quæſitis, detrimentum, aut præiudicium non inferant.

Concluſiones Pij IV. hic non cõtentas reuocat, & cõtentas limitat, &c. vt hic ſequitur.

§.5. Ex his vero, quæ ab ipſo Pio IV. conceſſa ſunt, atque ex ſtatutis ordinatis, & decretis ab eodem, erga illa quibuſcumque, non alia vlla, neque aliter omnino valida eſſe, aut ipſis Hoſpitali, Magiſtro, Conuentui, & Militiæ licere, quam infraſcripta, & cum moderationibus, reductionibus, limitationibus & imitationibus, tàm in prædicta cedula, Motu proprio, & manu noſtra ſignata poſitis, quàm infraſcriptis. Reliqua autem omnia & ſingula, necnon illa concernentia, confirmationes, literas, & alia ſupradicta, & inde ſecuta quæcumque reuocamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, ac viribus omnino euacuamus, ac reuocata, caſſata, irrita & nulla, ac ſine viribus ſemper fore, neque in iudicio aut extra iudicium attendi, vel etiam allegari, neque cuiquam ſuffragari, neque pro eis, aut ſecundum ea quicquam ſtatui, ac iudicari, neque præſentes de intentionis noſtræ, aut alio defectu impugnari, neque earum reuocationem, moderationem, vel reductionem, aut aduerſus ea reſtitutionem, aliaue iuſtitiæ, aut gratiæ remedia, impetrari, aut etiam motu, ſcientia, & plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, concedi, aut conceſſis quempiam vti poſſe; & ita per quoſcumque iudices, etiam ad id ſpecialiter delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, ſublata eorum cuilibet quauis aliter interpretandi & iudicandi auctoritate, interpretari & iudicari debere, ac quicquid ſecus quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Quibuſcumque non obſtantibus.

§.6. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis clauſulis & decretis, etiam mentes dictorum prædeceſſorum atteſtantibus, & quantumuis validis & firmis in dictis conceſſionibus, confirmationibus, & literis, ſub quauis exquiſita verborum formula appoſitis, necnon de iure quæſito non tollendo, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, dictique Hoſpitalis etiam iuramento ſimili, confirmatione, aut quauis alia firmitate roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, naturis, vſibus, ſtabilimentis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Et cum conditione quod hæc Militia obſequium S. R. E. ſemper parata eſſe debet cõtra eius hoſtes.

§.7. Volumus autem quod Magiſter & Conuentus, ac Milites præfati, nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ac Sedi Apoſtolicæ, vbi, ac quoties vocati, aut requiſiti fuerint, contra quoſcumque Romanæ Eccleſiæ hoſtes, vel rebelles armati inſeruire, atque opem & auxilium præſtare ſuis impenſis teneantur.

Eá vero quæ Magiſtro, Conuentui, & Militiæ præfatis licere, ac manere permittimus, ſunt quæ ſequuntur, videlicet.

Indulta cõceſſa ſunt infra ſcripta.

§.8. Quod dilecto filio Ioannotto Caſtilioneo moderno & pro tempore exiſtẽte magno Magiſtro, cedente, vel etiam apud eamdem Sedem decedente, ſeu magnum Magiſtratum alias quomodolibet etiam per liberam reſignationem in noſtris, vel noſtrorum ſucceſſorum pro tempore exiſtentium Romanorum Pont. manibus, dimittente, vel amittente, & illo quouis modo vacante, Conuentus eiuſdem Militiæ (ſi tamen tunc firmam Sedem in aliquo certo loco, ibi auctoritate, & de licentia dictæ Sedis, ante vacationem huiuſmodi conſtitutam habuerint, & illic reſederint) inſimul ibidem congregati, alium magnum Magiſtru[illegible], iuxta eiuſdem Religionis, & Militiæ ſtabilimenta, de conſenſu ſui Protectoris, edita vel edenda, quæ Concilio Trid. minime ſint contraria, eligant: ita tamen quod eiuſdem electionis confirmationem intra tres menſes à die quo facta fuerit, ab eadem Sede petere omnino debeant, alioquin electio ipſa nulla ſit, & electo aliquod ius non tribuat, ſed Magiſtratus ipſius omnimoda diſpoſitio ad dictam Sedem eo ipſo deuoluatur.

Electio Magni Magiſtr. ſpectat ad Relig. ſed cõfirmatio à Sede Apoſt. obtineatur infra tres menſes, alias ad eam deuoluta ſit. Hodie M. Magiſter eſt perpetuo Dux Sabaudiæ, vt in rub. notaui.

M. Magiſt. & Conuentus, de licentia Sedis Apoſt. principalem locum transferre, ac habitũ regul. & ſtatuta reformare poſſit. Hodie locus principalis eſt Ciuitas Sabaudiæ, vt in conſt. Greg. XIII. cit. in rubr.

§.9. Quodque idem Magiſter pro tempore exiſtens, & Conuentus, principalem ipſius Militiæ Sedem, ad quemcumque locum, etiam maritimum, eis viſum, conſulta prius Sede Apoſt. & ab ea licentia & facultate obtenta, transferre, habitumque ſuum regularem, ac etiam Crucem, etiam ſi de ſuis antiquis habitu, cruceque appareat, vel non appareat, in eum meliorem, qui ſibi videbitur modum (citra tamen aliarum Militiarum, & Religionum præiudicium) reformare, in toto vel in parte, immutare, vel ſtabilire, ac innouare, regulamque, ſtabilimenta, & ſtatuta dictæ Religionis & Militiæ, de conſenſu ſui Protectoris, & aliorum Fratrum, vel definitorum, inſtituere & reformare, ſeu de nouo condere, cedere, & illas ac illa corrigere & mutare (dummodo licita & honeſta, nec eidem Concilio contraria exiſtant) toties quoties voluerint,

M. Magiſter poteſt inſtituere oblata qualiacũque ſimplicia beneficia de iurepatr.

§.10. Necnon idem Ioannottus, & pro tempore exiſtens magnus Magiſter, quæcumque, quodcumque, & qualiacumque ſimplicia dumtaxat beneficia Eccleſiaſtica de iurepatronatus laicorum, ex fundatione & dotatione exiſtentia, & perſonale ſeruitium, in Cathedralibus &

Digitized by Google

laicorum in Commendas eâque ipſi Hoſpitali, & Militia incorporare, ac de eis perſonas idoneas prouidere, vt diuinus cultus exerceatur.

Collegiatis non requirentia (accedente tamen conſenſu patronorum, de quorum iuribus eis, vt præfertur, ex fundatione & dotatione competentibus, per publica documenta, non autem alia probationum genera, coram pro tempore exiſtentibus Vicario noſtro in Vrbe in ſpiritualibus generali, & Auditori Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ, vocatis quorum intereſt, legitime conſtet, & ſine præiudicio ea obtinentium, & ipſis cedentibus vel decedentibus) in Præceptorias, Commendas, Capellas, aut Eccleſias ipſorum Hoſpitalis, & Militiæ, perpetuo erigere & inſtituere, dictæque ſuæ Militiæ perpetuo incorporare, applicare, & appropriare; ac illarum fundatoribus & dotatoribus, iuſpatronatus, & præſentandi dictis Magiſtro & Conuentui, vel eorum deputato perſonas idoneas, ac Præceptorias, domos, capellas, ſeu Eccleſias, & Hoſpitalia huiuſmodi pro tempore vacantia, perpetuo præſeruare, ſeu etiam reſeruare & concedere, & ſic à patronis præſentatos, iuxta ſtabilimenta dictæ Religionis, Ordinariorum locorum, & quorumuis aliorum conſenſu minime requiſito, in illis inſtituere, ac alias illa conferre, & de eis prouidere poſſint: ita tamen, quod debitus diuinus cultus per perſonas idoneas etiam ſi dicti Ordinis fuerint, ab Ordinario approbandas in eiſdem exerceatur. Quodque confirmatio erectionis & inſtitutionis Præceptoriarum, Commendarum, Capellarum, aut Eccleſiarum pro tempore ſic erectarum, ac illarum incorporationis, applicationis, & appropriationis, necnon iuriſpatronatus ad illas reſeruationis, & conceſſionis huiuſmodi, ſi citra, infra quatuor, ſi vero vltra montes beneficia huiuſmodi conſiſtant, infra ſex menſes à die quo factæ fuerint, à Sede Apoſtolica impetrari debeat, alias illæ & inde ſecuta quæcumque, nulla & irrita, nulliuſque roboris vel momenti exiſtant; ac beneficia huiuſmodi in eorum priſtinam naturam reſtituta eſſe cenſean tur, & ab eadem Sede impetrari poſſint.

Hoſpitalia & alia loca quæcumq; Hoſpitali S. Lazari cenſeantur eſſe ſubiecta, quando per vniuerſitates aut alias Eccleſiaſt. perſonas, ſed per ipſos fratres regantur, qui eidem Hoſpitali aliquo cenſu per Magiſtrum, Conuentū & definitores imponendo ſingulis annis reſpondeant.

§. 12. Necnon quod Hoſpitalia, Leproſariæ, & alia loca quæcumque, tàm in Alma Vrbe, quàm in aliis quibuſcumque terris, dominiis, & locis, ſub inuocatione S. Lazari leproſorum hactenus fundata, conſtructa, erecta, & inſtituta, & quæ in poſterum fundari, conſtrui, erigi, & inſtitui contigerit, etiam ſi per Magiſtrum, Conuentum, & Fratres huiuſmodi recepta, aut poſſeſſa non ſint, vbi vllo vmquam tempore fuerit, ſit, vel erit Hoſpitalitas leproſorum ſeu infirmorum S. Lazari nuncupatorum, de qua legitime coram locorum Ordinariis conſter, etiam ſi iuriſpatronatus laicorum ſint, cum omnibus vnionibus, annexionibus, incorporationibus & applicationibus, illis pro tempore factis, Militiæ & Hoſpitali S. Lazari huiuſmodi, ſubiecta & incorporata, & ad ius & proprietatem, ac omnimodam diſpoſitionem, inſtitutionem, & collationem, moderni & pro tempore exiſtentis magni Magiſtri & Conuentus eorumdem, iuxta ipſius Militiæ, ſeu Religionis ſtabilimenta (ſaluo tamen iurepatronatus) pertinere cenſeantur, provt alia etiam dictæ Religionis, ſeu Militiæ Hoſpitalia, Capellæ, Oratoria, beneficia & loca, ſpectant & pertinent, illaque per d. Militiæ Fratres, (non autem per alias Eccleſiaſticas aut ſæculares perſonas, etiam ciuitatum, terrarum, oppidorum, & villarum, Communitates vel Vniuerſitates) regi & gubernari, & in ſignum recognitionis ſuperioritatis dicti Hoſpitalis de aliquo rationabili canone, ſeu cenſu per Magiſtrum & Conuentum, & Definitores generalis Capituli dicti Hoſpitalis imponendo, ſingulis annis reſpondere debeant, ſine alicuius præiudicio, & dummodo in illis hoſpitalitas debita ſeruetur, & cultus diuinus nullatenus diminuatur, ac in illorum fundatione vel dotatione ſecus non fuerit ordinatum.

Præſeruatio iuriſdictionis Ordinariorum & contributio pro Seminario.

§. 13. Saluis tamen legitimis titulis, & præſcriptionibus, & ſalua iuriſdictione Ordinariorum, tàm ea quæ de iure communi eis competit, quàm quæ ex decretis dicti Concilij Tridentini eiſdem eſt attributa; præterquam in iis caſibus, in quibus Concilium prædictum expreſſe exemit, & excepit Religionem S. Io. Hieroſolymitani, in quibus & hæc S. Lazari Religio, poſtquam tamen in aliquo certo loco firmam Sedem Conuentualem habere cœperit, & ibi Magiſter & Conuentus præfati reſederint, pariter excepta & exempta ſit & eſſe cenſeatur, excepta taxatione pro Seminariis inſtituendis.

§. 14. Et inſuper Milites, ac Preſbyteri & Capellani Hoſpitalis, & Militiæ S. Lazari huiuſmodi, nunc & pro tempore exiſtentes, ac eorum ſinguli, etiam coniugati, qui cum vnica tantum, & virgine matrimonium contraxerint, vnam vel plures penſiones annuas vſque ad ſummam quingentorum ducatorum auri de Camera nouorum ſuper quotumuis Cathedralium etiam Metropolitan. & aliarum Eccleſiarum, ac etiam Menſarum, etiam Patriarchalium, Archiepiſcopalium, & Epiſcopalium, necnon etiam Monaſteriorum, etiam Conſiſtorialium, Prioratuum Canonicatuum, & præbendarum, dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum, & officiorum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura & ſine cura, ſæcularium, & quorumuis Ordinum regularium, qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, obuentionibus, & emolumentis, ac diſtributionibus quotidianis, alias canonice ſibi aſſignatas vel aſſignandas, vel loco penſionum annuarum, omnes & ſingulos, ac quoſcumque ſimiles fructus, redditus, & prouentus, iura, obuentiones, & emolumenta quæcumque, ac etiam diſtributiones quotidianas, vſque ad dictam ſummam ſibi reſeruatos & reſeruandos, etiam ſi poſt illarum vel illorum reſeruationem, vxorem, vnicam tamen, eamque virginem, vt præfertur, duxerint, ad vitam percipere, exigere, ac leuare, ac in ſuos vſus & vtilitatem conuertere, libere & licite valeant; & quo ad hoc, atque etiam penſiones & fructus aſſignandos & reſeruandos, vnacum Prioratibus, Præceptoriis, & aliis beneficiis Hoſpitalis S. Lazari huiuſmodi percipere.

Facultas percipiendi pēſiones annuas vſque ad ſum. 500 duc. aut loco penſionū ſimiles ſ. actiuā reſeruationes eisā coniugatis, qui cū vna tantū, & virgine matrimonium contraxerint. Clem. VIII. hanc ſummam reduxit ad duc. 400. in ſua conſtit. 202. Decet.

Religio S. Lazari, ac eorum vaſſalli, coloni, & ſeruitores, etiā preſbyteri curā animarum exercentes, & eorū bona quæcumque præter patrimonialia ſub protectione Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, cū exceptione ab omni iuriſdictione, correctione, onere, dominio, &c. quorumcumq; Dominorum, tam ſpiritualium, quam temporaliū, & à ſolutione cuiuſuis alterius oneris perſonalis, realis, ordinarij, extraordinarij, &c.

§. 15. Et inſuper idem Hoſpitale S. Lazari, ac illius Prioratus, Præceptoriæ, domus, cameræ, Hoſpitalia, & loca quæcumque, necnon intra regularia dictorum Hoſpitalis, & Militiæ loca degentes, Magiſter, Priores, Præceptores, Milites, & perſonæ, ac eorum ſubditi, vaſſalli, coloni, & ſeruitores, hunc & pro tempore exiſtentes, etiam preſbyteri curam animarum exercentes, (ſeruatis tamen decretis Concilij Tridentini) quamdiu illa exercuerint, & in illorum obſequiis fuerint; ac illorum ratione beneficiorum dicti Hoſpitalis S. Lazari tantum, non autem patrimonialia, res, animalia, prædia, domus, molendina, & bona quæcumque quæ obtinent & poſſident, ac in futurum canonice obtinebunt & poſſidebunt, ſub B. Petri & dictæ Sedis, & noſtra protectione, ab omni iuriſdictione, correctione, onere, ſtatutis, bannis, dominio, ſuperioritate & poteſtate, iuxta tamen terminos Concilij Tridentini, & ſaluis eius decretis, quorumcumque Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Prælatorum, etiam locorum Ordinariorum, cum primum ſedem Conuentualem propriam habere cœperint, vt præfertur. Necnon ex nunc quorumcumque temporalium dominorum, quauis poteſtate, etiam Imperiali, Regali, & Ducali fungentium ac Vniuerſitatum, & illarum Regentium, etiam (præterquam dicti Hoſpitalis) Ordinariorum temporalium, vbicumque, tàm citra quàm vltra montes, & mare conſtitutorum, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtentium, illorumque Vicariorum, & Officialium, Locatenentium & Iudicum, nunc & pro tempore exiſtentium quorumlibet, necnon à ſolutione, & exactione paſſagij, arreragij, gabellæ, datij, tractæ, collectæ, procurationis, iocundi aduentus, iurium, etiam Synodalium, cenſuum, & decimarum, etiam noualium, etiam hortorum, ptatorum, piſcationum, & molendinorum, atque cuiuſlibet acceſſus, nullatenus directe vel indirecte prohiberi poſſint, & terrarum, quas per ſeipſos vel alios eorum nominibus, etiam colonos, arrendatarios, & emphyteutas excolent, & de quibus fructus percipient ratione beneficiorum Hoſpitalis S. Lazari huiuſmodi, & cuiuſuis alterius oneris perſonalis, realis, ſeu mixti, ordinarij vel extraordinarij, vbicumque & quacumque cauſa, impoſiti vel imponendi pro tempore, liberi & exempti, ac nobis, & dictæ Sedi immediate ſubiecti exiſtant. Ita quod Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati, Ordinarij, Vicarij, Officiales, Locatenentes, & Iudices in ſpiritualibus, etiam ratione delicti (dummodo illud non ſit de atrocioribus) vel contractus, ſeu rei de qua agetur, vbicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipſa conſiſtat,

Digitized by Google

si personæ ipsæ intra regularia loca prædicta degent, & ibi aliquis à dictis Magistro & Conuentu ad id specialiter cum iurisdictione deputatus fuerit, postquam Conuentus Hospitalis huiusmodi dictam Sedem habuerint, temporales vero Iudices, & Domini præfati, etiam ex nunc, nullam in eos, vel ea, iurisdictionem, correctionem, seu potestatem (saluis tamen decretis Concilij Tridentini) exercere, aut excommunicationis, aliasve sententias, censuras, & pœnas promulgare, aut etiam ratione personarum, vel rerum, animalium, ac bonorum (non tamen patrimonialium) ad aliquam solutionem pontium, fontium, furnorum, murorum, seu etiam aliarum Ecclesiarum, quam dictæ Religionis, etiam si forsan hactenus per abusum, seu alterius priuilegium, aut negligentiam, etiam per longissimum tempus taliter obseruatum non fuerit. Quæ omnia, etiam præscriptiones, nullo pacto, saltem in posterum obstent, quominus exemptionibus, quibus alij Regulares cuiuscumque Militiæ Milites vtuntur, & eodem modo quo illi vti possint, eos coarctare, aut alij quicumque cuiuscumque Ecclesiasticæ vel mundanæ dignitatis, aut præeminentiæ, status vel conditionis existant, etiam in locis & terris S. R. E. etiam immediate subiectis, & ad instantiam cuiuscumque Principis, seu Communitatis, sub excommunicationis latæ sententiæ, seu quadrupli, vltra damna & expensas, restitutionis pœnis per contrafacientes eo ipso incurrendis, eos in iudicio vel extra super præmissis, vel eorum vsu seu possessione vel quasi, directe vel indirecte quouis quæsito colore vel ingenio, molestare, impedire, vexare, aut alias quomodolibet impetere præsumant, debeant, seu etiam valeant. Sed Priores, Milites, & aliæ personæ Hospitalis, & Militiæ S. Lazari huiusmodi sic degentes, post firmatam dictam Sedem, de Iustitia coram solo magno Magistro, & Conuentu, vel eorum deputato (alioquin & interim, donec ipsam sedem habuerint, coram Ordinariis locorum tamquam Sedis Apostolicæ delegatis) respondere debeant. Et quicumque processus contra illos, vel eorum aliquem, per ipsos locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios, alias quam vt præmittitur, seu quosuis alios pro tempore facti, & quælibet, etiam excommunicationis vel suspensionis, aliæque sententiæ promulgatæ, nulli & inualidi, nullinsque roboris & momenti sint.

Si delictū fuerit atrocius, in eius sit iurisdictione, ad quem primo pertinuerit.

§. 16. In delictis autem atrocioribus, inter magnum Magistrum, seu deputatos ab eo, ac locorum, tàm in spiritualibus, quàm temporalibus Ordinarios ita seruetur; vt qui ex eis præuenerit, eius sit in delinquentes iurisdictio.

Exẽptio à decimis, & nonalibus, ac quartis, seu canonica portione, vel à charitatiuo subsidio, etiã concesso Regi Hispaniarum, ac quarta in Frãcia Regnis imposita.

§. 17. Nec aliqui ex Hospitalis, & Militiæ S. Lazari, Fratribus, donatis, seruitoribus, vassallis, & colonis in prioratibus, commendis, domibus, hospitalibus, leprosariis, aut aliis quibusuis beneficiis, prædiis, siue grangiis quomodocumque à dicto Hospitali dependentibus, in quibuscumque locis, sub quorumcumque Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Vniuersitatum, Hospitalium, Rectorum, Ecclesiarum, limitibus, & iurisdictione constituti, decimas, aut canonicam portionem, seu caritatiuum subsidium, aut quartas nuncupatas, seu alias quascumque collectas, seu contributiones, tàm ex antiquis Hospitalis S. Lazari, & beneficiorum huiusmodi culturis, quàm ex recenter cultis noualibus, alicui quouis modo soluere teneantur, nisi provt alij regulares cuiusuis Militiæ Milites, generalibus vel specialibus circa hoc priuilegiis pacifice gaudentes, soluere tenentur; à quibus omnibus exactionibus, atque etiam nouo subsidio, charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi in suis Regnis per quoscumque Romanos Põtifices prædecessores nostros concesso, & canonica portione, seu quarta nuncupata in Franciæ Regnis imposita, necnon à quibuscumque aliis facultatibus, Regibus huiusmodi, & aliis Principibus, concessis vel concedendis in futurum, omnia d. Hospitalis loca, necnon Ecclesiarum quomodocumque à d. Hospitali dependentium Fabricæ, ad exemplum aliarum regularium Militiarum locorum, sint libera & exempta.

Facultas extrahendi frumentum, & quoscumque

§. 18. Et insuper quod præfati Magister & Conuentus, Priores, Præceptores, aut quicumque alij ex dicti hospitalis Fratribus, per quoscumque locorum aut terrarum dominos, tàm spirituales quàm temporales, etiam si Regali dignitate præfulgeant, etiam in terris S. R. E. ab extractione frumenti, ordei, vini, olei, leguminum, & quorumcumque fructuum, atque etiam pecuniarum, ex Prioratibus, Commendis, membris, domibus, grangiis, aliisve præfati hospitalis locis prouenientium, nullo vmquam modo impediri possint quo minus præfata omnia, pro sua possessorum voluntate, in quæcumque fidelium loca, ab omni pedagio, datio, seu tracta, vt præfertur, libera & exempta valeant asportare.

alios fructus, & pecunias ex locis Militiæ & hospit. S. Lazari, illaque ad quæcumque fidelium loca sine datio & gabella asportandi.

Tu vide modũ rationẽ Pauli V. const. 20. Inter.

Exemptio etiã pro bonis patrimonialibus post emissam professionem.

§. 19. Et bona Magistri, Priorum, Præceptorum, & Fratrum, ac aliarum personarum huiusmodi, tàm acquisita quàm in posterum acquirenda, ex concessione Apostolica vel magistrali, ex die emissæ per eosdem Priores, Præceptores, Fratres & personas professionis, ab omnibus decimis, & aliis oneribus, similiter ad exemplum bonorum aliarum regularium Militiarum, libera, immunia, & exempta existant.

Iurisdictio id. Magistri & Conuentus, seu eorum delegatorũ inter personas Relig. & Militia.

§. 20. Et quod quælibet querelæ, quæstiones, lites, causæ, & controuersiæ quas ex nunc inter Fratres & subditos hospitalis & Militiæ S. Lazari, præsentes & futuras, ex quibusuis occasionibus oriri, & moueri cõtigerit, quouis modo cum omnibus suis incidentibus, emergentibus, connexis & annexis, ac omnium cuiusuis appellationis (præterquam in defectus, aut denegatæ iustitiæ; vel illati perperam contra stabilimenta, & consuetudines dicti hospitalis grauaminis casibus) remoto obstaculo per pro tempore Magistrum & Conuentum dicti hospitalis, seu illos ex Fratribus, quibus ipse Magister & Conuentus id commiserint, etiam vsque ad tertiam definitiuam sententiam inclusiue audiantur, necnon (iuxta laudabiles consuetudines, & stabilimenta hospitalis huiusmodi, & alias provt iuris fuerit) debito fine decidantur; omnesque & singuli Priores, Præceptores, Milites, & Fratres hospitalis præfati (postquam de mandato seu auctoritate Magistri, seu Conuentus præfatorum, in quibusuis ex prædictis contra eos intentandis causis, ad comparendum coram ipsis, & commissariis per eos, vt præfertur, deputatis, in locis quantumcumque ab eodem Hospitali remotis, citati fuerint) coram eisdem Magistro, Conuentu, & Commissariis, provt contigerit, legitime comparere debeant & teneantur, iuri, & iustitiæ (secundum stabilimenta, approbationes, vsus, & laudabiles consuetudines præfati hospitalis) parituri.

Militũ & aliã personæ Relig. prohibẽtur coram aliis litigare, seu cõparere pro iustitia quærenda Iudicibus Religionis.

§. 21. Quodque illi ex Prioribus, Præceptoribus, Fratribus, & subditis præfatis, qui contra eorum aliquem super quibusuis querelis, rebus, vel negotiis, (præterquam in casibus præfatis) coram alio quam præfatis Magistro & Conuentu, ac per eos pro tempore datis Commissariis, in causam traxerint, & ad alium quam ad eosdem appellationes quascumque interposuerint, causas huiusmodi prorsus perdant, neque super qua contenderint, priuati existant eo ipso.

Potestas & iurisdictio Magistri, & Conuentus super personis & rebus.

§. 22. Necnon modernus & pro tempore existens Magister & Conuentus hospitalis huiusmodi (iuxta illius stabilimenta, & laudabiles consuetudines, ac mores) in Prioratus, & Præceptorias, domos, hospitalia, membra, bona, & loca quæcumque, necnon quoscumque Priores, Præceptores, Fratres & personas hospitalis & Religionis huiusmodi, ac illorum vassallos, subditos, & seruitores vbicumque, tàm citra quàm vltra montes, nunc & pro tempore constitutos, & commorantes (qui omnes Magistro & subdelegatis ab eo, firmiter, tàm personaliter, quàm realiter, omni exceptione cessante, & quocumque à nobis vel sede prædicta obtento, vel obtinendo indulto, non obstante, parere, & obedire teneantur) plenariam & omnimodam, etiam meri & mixti imperij, iurisdictionem & superioritatem.

Procedendi in contra rebelles, & inobedientes, etiã per edicta publicã, etiam ad priuationẽ beneficiorum quomodolibet obtentorum.

§. 23. Ipseque Magister contra rebelles, & suis mandatis non obedientes, etiam vigore literarum Apostolicarum, etiam in forma breuis, à nobis & successoribus nostris pro tempore emanatarum, seruatis quatuor terminis ad docendum se paruisse & satisfeciisse in loco Conuentus hospitalis huiusmodi, post legitime executam primam citationem, ad mulctam, siue pœnam personaliter, iuxta mores & stabilimenta prædicta, seu etiam ad priuationem habitus & beneficiorum, domorum, & prædiorum per eos obtentorum procedendi; vel etiam, &

magis expedire videbitur, beneficia, domos, & prædia ipsa ad manus suas, seu receptorum dicti hospitalis reducendi, & (donec ipsi inobedientes contemaciam purgauerint, & debita onera persoluerint) pro suo arbitrio retinendi, illorum fructus, redditus, & prouentus, arrendandi & percipiendi.

Et aduocandi singulas causas, lites, & querelas, quæ inter ipsos Fratres & Milites oriuntur.

§.24. Necnon omnes & singulas causas, lites, & querelas (nondum tamen coram aliis iudicibus motas, & pendentes) super quibusuis dicti Hospitalis beneficiis, ac bonis, rebus, & pecuniis æterij, & Fratrum quorumcumque, in quibus inter seipsos inuicem, realiter, siue personaliter conuenient, seu conuenientur, atque etiam in quibus ab aliis etiam clericis sæcularibus vel regularibus, aut laicis similiter conuenientur, etiam per deputatos ab eis, in locis in quibus causæ ipsæ cognoscentur, audiendi & decidendi, eosque citandi, & quoties opus fuerit inhibendi, etiam sub censuris & pœnis Ecclesiasticis, tàm in curia prædicta quàm extra eam, facultatem habeant.

Et exequendi sententiàs, & rem iudicatam.

§.25. Necnon illorum sententiæ, & res iudicata per Priorem Ecclesiæ dicti Conuentus, etiam sub censuris & pœnis Ecclesiasticis contra condemnatos, tàm realiter quàm personaliter executioni mandentur: ita quod alibi quam in dicto hospitali, aut extra illud ex Magistri & Conuentus commissione cognosci & terminari nequeant.

Appellationes à sententiis delegator. ad M. Magist. & Conuentum, & ab eis ad Capit. gener. declarantur.

§.26. Nec à sententiis, per Iudices dicti hospitalis pro tempore latis, ad alium quam Magistrum & Conuentum prædictos, seu Iudices ab eis deputatos, in quauis instantia, neque à sententiis per ipsum Magistrum, & Concilium latis, alio quam ad generale Capitulum, siue per ipsius hospitalis Fratres, siue per ipsos subditos, & vassallos, quoquo modo appellari possit: quinimo illi vsque ad tertiam sententiam in eodem Conuentu procedere teneantur.

Omnes expeditiones, & executoriales Magistri, & Sonnent. exequantur absq; alicuius licètia, nec à quopiam possint impediri.

§.27. Et similiter, quod omnes sententiæ per eosdem Magistrum, & Conuentum latæ, omnes item commissiones, citationes, collationes, & omnia denique eorumdem rescripta, ad omnes suæ iurisdictioni subditorum, ac reliquorum etiam quorum interercrit, causas, lites, seu querelas coram ipsis pertractandas, directe exequi, & à nonnullis locorum & terrarum dominis, etiam Regali, aut Ducali dignitate fulgentibus, aliqua ratione expectandi consensus, seu alio quouis quæsito colore in eorumdem executione impediri possint, seruato tamen in eis exequendis Datæ ordine, ita quod eorum vltimæ primis anteferri nequeant.

Facultas procedendi contra clericos, seu alios indebite occupantes loca, & bona Relig. seu non soluentes annuales census & debitas responsiones vacantium mortuariorũ, annatarum, &c. communi arario.

§.28. Ac quod contra Clericos, sæculares seu laicos, Prioratus, Præceptorias, domos, cameras magistrales nuncupatas, & alia beneficia hospitalis huiusmodi, eorumque res & bona, quocumque titulo, sine tamen consensu, & expressa licentia Magistri & Conuentus præfatorum, indebite occupantes, seu illi, aut eius communi ærario, seu Fratribus, occasione responsionum annuarum, vacantium, mortuariorum, annatarum, passagiorum, arreragiorum, seu alias quomodolibet, & ex quacumque alia causa debentes, siquidem illi actores sint, & in quauis instantia ad causam venient, Magister & Conuentus præfati, modo & forma quibus contra ipsius hospitalis Fratres procedi consueuerit, pro illorum recuperatione libere procedere, & eos Prioratibus, Præceptoris, domibus, & aliis beneficiis huiusmodi, seruata forma iuris, & alias iuxta formam priuilegiorum prædictorum priuare: si vero rei fuerint, coram ipsorum competentibus Iudicibus ad recuperationem, & alia prædicta agere, & omnia iuris remedia tentare, ac demum priuatione huiusmodi legitime facta, de prioratibus, aliisque beneficiis prædictis, per priuationem eamdem vacantibus, libere disponere valeant.

Qualibet persona in dignitate Ecclesiast. possunt eligi in Conseruatores cum facultatibus necessariis.

§.29. Necnon personæ in dignitate Ecclesiastica vbilibet constitutæ, & quicumque locorum Ordinarij, ac eorum Vicarij & Officiales, per eosdem Magistrum & Conuentum, postquam dictam Sedem habuerint pro tempore eligendam seruata tamen forma Concilij Tridentini, in eorum & quorumcumque Priorum, Præceptorum, & Fratrum hospitalis huiusmodi, Conseruatores qui quamdiu exercuerint dictum officium, à nemine quo minus illud exerceant sub aliquo prætextu impediri vel molestari possint, deputati sint; ita quod ipsi electi, sub excommunicationis pœna eosdem Priores, Præceptores, & Fratres, ac eorum singulos, non tamen extra regularia dicti Hospitalis loca degentes, aduersus inferentes eis, aut eorum seruitoribus & familiaribus iniurias, seu grauamina vel damna, in personis, rebus, & bonis, seu exigentes ab eis contra ac suprascriptum est, vectigalia, datia, pedagia, gabellas, collectas, aut alia onera defendere & præseruare, ac omnem eorum iurisdictionem exercere; necnon vbi executio realis vel personalis aduersus reos fieri non poterit, & reorum contumacia id exegerit, præcedentibus legitimis monitionibus, aliisque seruandis rite seruatis, sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas contra rebelles & inobedientes, cum effectu promulgare, ac priuilegia Prioribus, Præceptoribus, & Fratribus præfatis pro tempore concessa, eis obseruari facere debeant & teneantur; in causis autem Hospitalis & Militiæ huiusmodi, eorumque bonorum & personarum, vbi aliæ probationes non existent, eorum Magister, Priores, Præceptores, Milites, Fratres, vassalli, subditi, seruitores, & aliæ personæ in testes adhiberi & recipi possint.

Obtinentes benef. hospitalis tenẽtur soluere hospitali iura mortuariorũ & vacantiũ, &c.

§.30. Ac iura mortuariorum, & vacantium, necnon arreragiorum, passagiorum, & aliorum quorumcumque, ita vt quæuis personæ cuiuscumque Ecclesiasticæ dignitatis existentes, beneficia hospitalis huiusmodi pro tempore obtinentes, illa soluere omnino teneantur, & adstricti sint, ac ad id etiam sub sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac aliis iuxta eorumdem priuilegia, priuationis, & apprehensionis bonorum ad manus suas remediis cogi possint, soluantur.

Facultas sumendi ordines etiam extra tempora, & celebrandi in quibusuis Ecclesiis, cum conditionibus quibusdam.

§.31. Necnon quod Magister, Priores, Præceptores, & dicti hospitalis Fratres Capellani, ab Ordinariis, intra quorum diœcesi. fines, eorum Prioratus, Præceptoriæ, & alia loca, in quibus eos residere oportuerit, existent, vel si ab Ordinariis præfatis legitime impeditis non potuerint, ab eis nihilominus examinati, atque idonei secundum canonicas sanctiones reperti & approbati, habitisque ab eis dimissorialibus literis, & à suis superiotibus licentia, & seruata in omnibus forma Concilij Tridentini, à quocumque catholico Antistite sub Romanæ Sedis obedientia constituto, in propria diœcesi residente, aut in aliena pro diœcesano Pontificalia exercente, diligenti præuio examine, sacros Ordines, etiam, (si id pro vtilitate aut necessitate Hospitalis, Prioratuum, Præceptoriarum, & aliorum locorum huiusmodi respectiue eisdem Ordinariis, & Superioribus videbitur expedire) extra tempora à iure statuta, tribus, nec paucioribus diebus festiuis suscipere, & in quibusuis tàm sæcularium quàm regularium Ecclesiis, cum commendatitiis sui superioris literis, absque alicuius licentia celebrare possint.

Magister Conuentus, Priores, & Præceptores intra limites suarum iurisdictionũ verũ Ordinarij existunt.

§.32. Et ipsi Magister & Conuentus, necnon Prior Ecclesiæ, aliique Priores & Præceptores, intra limites suarum iurisdictionum & administrationum, veri Ordinarij, iuxta formam stabilimentorum & priuilegiorum prædictorum, existant, & esse censeantur.

Magister, & Conuentus quoscumque delinquentes vbique capere, & ad locũ conuentus, vel alium ad id destinatum transmittere possint.

§.33. Necnon Magister, & Conuentus, quoscumque & singulos Priores & Commendatores, suorum Prioratuum & Commendarum Fratres seu Religiosos delinquentes vel inobedientes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis & præeminentiæ existentes, etiam si quauis, etiam Apostolica exemptione fungantur, in quocumque loco quantumuis priuilegiato, & quauis, etiam Imperatoris, Regum, seu aliorum Principum, etiam Ecclesiasticorum Curia, præterquam Romana, per se, aut suos Officiales & Ministros, capere & incarcerare, ac captos à se vel eorum nomine liberare, & ad Hospitale præfatum per Magistrum & Conuentum præfatos (iuxta eorum constitutiones & stabilimenta) puniendos sub debita custodia transmittere, & transmitti facere, libere & licite possint.

Officiales omnes tenentur præstare auxiliũ pro capiẽdis & transmittendis delinquentibus.

§.34. Ac tàm Ecclesiastici quàm sæculares Officiales, & locorum Potestates, ad eisdem Magistro & Conuentui, Prioribus, Commendatoribus, aliisque in præmissis assistendum, ac auxilium, consilium, fauorem, & iuuamen præstandum, sub excommunicationis, & aliis cens. & pœnis Ecclesiast. teneantur, & obligati sint.

§.35. Ac

Digitized by Google

Cassatio & annullatio quarumcumque expectatiuarū, reseruationū, antinitatum, concessionum, ac aliarum gratiarū præuentiuarum super locis Religionis absque cōsensu Magistri, & Conuentus.

§.35. Ac omnia & singula, quæ tamen suum nondum sortita sunt effectum, speciales, & generales, etiam mentales reseruationes, expectatiuæ, mandata de prouidendo, antianitates, sine consensu Coadiutoriæ, necnon præuentiuæ quæcumque gratiæ, de & super Prioratibus, Præceptoriis, Rectoriis, Domibus, Cameris Magistralibus, locis, & membris, ac aliis beneficiis Ecclesiasticis dicti Hospitalis quouis modo nuncupentur, etiam in Angliæ, Castellæ, Legionis, ac Valentiæ Regnis, ac Principatu Cathaloniæ, & Comitatu Flandriæ, quomodocumque & qualitercumque, absque Magistri & Conuentus præfatorum consensu, etiam cum quibusuis fortissimis & insolitis, etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis irritantibusque, & aliis decretis & inhibitionibus, etiam motu & scientia similibus, quibusuis etiam aliis quam dicti hospitalis personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel præeminentiæ fuerint, etiam Cardinalatus honore fungentibus & functuris, etiam per nos, & Sedem præfatam, tàm in genere quàm in specie concessa & facta, & quasuis etiam præuentiuas, & restitutorias, ac præseruatiuas, necnon derogatorias iuribus dictorum Magistri & Conuentus, etiam quoad annuam responsionem illis faciendam, clausulas in se continentia, eorumque vires & effectus, reuocata, cassa, & nulla, nulliusque roboris vel momenti sint, ac nemini suffragari possint, neque debeant, nec per ea cuiquam in Prioratibus, Præceptoriis, dignitatibus, domibus, locis, & membris, ac aliis beneficiis hospitalis huiusmodi, ius acquiri possit, neque coloratus titulus possidendi tribui, sed illis, effectum suum, vt præfertur, nondum sortitis, nequaquam obstantibus, Magister & Conuentus præfati, coniunctim vel diuisim, iuxta consuetudines & stabilimenta huiusmodi hospitalis, de Prioratibus, Præceptoriis, domibus, cameris, locis & membris, ac aliis hospitalis beneficiis huiusmodi, libere disponere.

Licētia apprehendendi propria auctoritate possessionē bonorum & locorū per alios occupatorū, & ea non restituentium.

§.36. Et interim (donec de illis disposuerint) per se, vel procuratores suos possessionem eorumdem vacantem propria auctoritate libere apprehendere, ac illorum fructus, redditus, & prouentus percipere, ac in suos & Magistralis & Conuentualis mensarum vsus & vtilitatem conuertere & retinere possint, cuiusuis licentia super his minime requisita.

Loca Religionē cōprehendantur sub reseruationib. Apostolicis, sed sint mansalia.

§.37. Præterea, quod Prioratus, Præceptoriæ, & membra, ac beneficia quæcumque dicti hospitalis, quæ pro tempore qualitercumque vacauerint extra Romanam Curiam sub quibusuis generalibus vel specialibus reseruationibus Apostolicis factis, & quas fieri contigerit de beneficiis Ecclesiasticis pro tempore vacantibus, vtpote ad hospitalitatem & fidei tuitionem ordinata, nullatenus includantur, nec reseruata vel affecta existant, sed hospitalium pauperum, quæ sub reseruationibus ipsis non includuntur, quoad id sortiantur naturam.

Loca Relig. per magnū Magistrum & Conuentū diuersa-xat, & non alios, conferri debēt personis relig. qua professionem iam emiserint, & resignationes seu cessiones fieri nequeāt, nisi in personis in d. Religione professis habitum solitum gestantibus.

§.38. Debeatque de illis per pro tempore existentem Magistrum & Conuentum prædictos dumtaxat, & non alium, iuxta stabilimenta prædicta, Fratribus dicti Hospitalis prouideri. Resignationes vero, seu cessiones de illis à pro tempore illa obtinentibus, etiam si obtinentes de dicta militia non sint, in fauorem quarumcumque personarum fieri nequeant, nisi personæ ipsæ professionem per Fratres dicti hospitalis emitti solitam iam emiserint, aut illam ex tunc intra duos menses expresse emittere, & habitum per eosdem gestari solitum suscipere & gestare paratæ existant; alioquin resignationes & cessiones ipsæ, & quas aliter fieri contigerit, per nos, aut successores nostros Rom. Pont. pro tempore existentes, ac dictam Sedem, vel eius, aut alia quacumque auctoritate de Prioratibus, Præceptoriis, membris & beneficiis huiusmodi reseruationes, prouisiones, collationes, commendæ, vniones, & quæcumque aliæ similes vel dissimiles dispositiones.

Exemptiones concessa prioribus & militibus non suffragentur aduersus debita per ipsos communi erario hospitalis, & obedientiam M. Magistri, & Conuentus.

§.39. Et exemptiones, Priorum, Præceptorum, & Fratrum, à Magistri & Conuentus præfatorum obedientia & superioritate, aut debitis per eos præfato ærario responsionibus annuis, & aliis iuribus, quacumque ratione vel causa, etiam motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, etiam cum expressa derogatione

posteriorum literarum quarumcumque, quæ etiam per nos in contrarium forsan fieri contigerit, nullius penitus sint roboris vel momenti, & habeantur prorsus pro infectis, nec censeatur in hac parte vmquam derogatum per quascumque clausulas, etiam derogatoriarum derogatorias, fortiores & efficaciores, nisi dum & quoties ipsarum posteriorum literarum de verbo ad verbum, vere & non per clausulas id importantes, inserto tenore de ipsorum S. R. E. Cardinalium consilio derogari contigerit, nec etiam tunc nisi ad id Magistri & Conuentus præfatorum expressus accedat assensus, & non aliter, nec alio modo; & semper in huiusmodi, quæ sic fient de consilio præfato, derogationibus, censeatur apposita clausula, quod effectum sortiantur de consensu Magistri & Conuentus præfatorum, & non aliter, nec alio modo.

Loca Relig. nisi in Relig. professis, ac habitū gestantibus conferri possint.

§.40. Quodque collationes, prouisiones, commendæ, vniones, reseruationes, & aliæ dispositiones quælibet, quas de eisdem Prioratibus, Præceptoriis & membris pro tempore, per cessum vel decessum, seu quamuis aliam dimissionem, præterquam apud Sedem vacantibus; alias quam in huiusmodi personis, & modo prædicto fieri contigerit, etiam si per nos & pro tempore existentem Romanum Pontificem fient, illis, quibus sic fient, nullum ius, nullumque coloratum titulum tribuant possidendi.

Alienationes non fiant, & quæ facta, viribus omnino careant.

§.41. Alienationes censuum, reddituum, iurium, iurisdictionum, & bonorum quorumcumque ad Prioratus, Præceptorias, domos, hospitalia, beneficia, & loca hospitalis huiusmodi pertinentium, sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis beneficiorum obtentorum pœnis, per contrafacientes eo ipso absque aliqua declaratione incurrendis, de cetero ne fiant; & si fiant, viribus omnino careant.

Reuocatio iurispatr. & facultas liberādi facta restitutione.

§.42. Et insuper, quod iurapatronatus, & præsentandi personas idoneas ad Prioratus, Præceptorias, hospitalia, membra, aliaque beneficia & loca hospitalis huiusmodi, à quadraginta annis citra acquisita, & in futurum acquirenda, ex quauis causa, præterquam ratione fundationis, & iuxta dispositionem Concilij Tridentini, nisi præuia diligenti cognitione per locorum Ordinarios habenda, reperta fuerint ob maxime euidentem beneficiorum, & locorum huiusmodi necessitatem constituta esse, ab eisdem Ordinariis in totum reuocentur, & restituta patronis eo quod ab ipsis propter ea datum fuerit, in pristinam libertatem reducantur, & ex tunc (sine tamen damno illa canonice possidentium) liceat Magistro & Conuentui præfatis, Prioratus, Præceptorias, Hospitalia, membra & beneficia huiusmodi conferre.

Prohibitio reseruationis pensionū super beneficiis dicti hospitalis, nisi in fauorē Fratrum eiusdem Ordinis & Religionis.

§.43. Et quod nulla pensio annua super alicuius Præceptoriæ, Commendæ, vel alterius beneficij Militiæ huiusmodi fructibus, etiam ex resignatione in manibus Romani Pontificis, aut alia quauis probabili causa, nisi in personam dictæ Religionis & Militiæ, etiam per ipsum Pontificem reseruari, neque Commendæ, & alia beneficia dictæ Religionis pensionibus huiusmodi, aliter quam vt præfertur onerari possint, & si pensiones desuper aliter assignari contingat, assignationes ipsæ nullius sint roboris vel momenti, nec titulares beneficiorum huiusmodi ad illarum solutiones teneantur, neque ad id censuris Ecclesiasticis, aliisve pœnis compelli possint.

Ad parochiales & alias d. Ord. Ecclesias deputari possunt Fratres capellani, non obstante quod per abusū aut alias per longissimum tempus presbyteris secularibus fuerint collatæ, aut conferri consueta.

§.44. Et quod liceat Magistro, singulisque Prioribus, Præceptoribus, Militibus, & Fratribus hospitalis huiusmodi, Parochiales, ac etiam sine cura Ecclesias, vel earum Vicarias, seu Capellanias perpetuas, aut Capellas, vel Altaria, seu alia beneficia simplicia ad eorum collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, seu quamuis aliam dispositionem ratione Prioratuum, Præceptoriarum, & Camerarum Magistralium nuncupatarum, domorum, & aliorum beneficiorum dicti Hospitalis per eos pro tempore obtentorum, de iure, statuto, consuetudine, fundatione, aut priuilegio, seu alias quomodolibet spectantia, & pertinentia, & ab ipsis Prioratibus, Præceptoriis, domibus, hospitalibus, & aliis beneficiis dependentia, seu illis annexa, & quæ dudum Fratribus saltem Capellanis eiusdem hospitalis ab eisdem Magistro, Prioribus, & Præceptoribus, & aliis præfatis conferebantur, à longo tamen,

Digitized by Google

& forsan longissimo tempore citra, de cuius initio memoria hominum forsan non existit, per ipsos Magistrum, Priores, Præceptores, Milites, & Fratres per abusum, aut ex defectu Fratrum Capellanorum, vel aliarum personarum eiusdem hospitalis ad id idonearum, clericis seu presbyteris sæcularibus collata, aut conferri, & per ipsos presbyteros vel clericos sæculares obtineri solita, cum primum per quamcumque dimissionem illa nunc obtinentium vacauerint, ea scilicet quibus presbyteratus ordo annexus est, non aliis quam Fratribus hospitalis huiusmodi Capellanis nuncupatis, qui à Militibus presbyteris, seu clericis, nisi quo ad gestationem Crucis, vel habitus dicti hospitalis ad pectus non differunt, dummodo si presbyteri, aut in ea ætate constituti, vt ad ordinem presbyteratus promoueri possint, & ad id alias etiam iuxta dispositionem Concilij Tridentini, idonei, & habiles sint: reliqua vero cereris Fratribus Militibus conferre, ac alias de illis prouidere, & disponere.

Fratres Milites quibus beneficia conferuntur in titulum ea quoad vixerint retinere possunt.

§.45. Ipsique Fratres, quibus Beneficia huiusmodi contigerit, si sibi canonice alias conferantur, aut eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa, & instituantur in eis, recipere, & in titulum etiam quoad vixerint retinere.

Parochialibus & aliis Eccles. nõnisi per Capellanos Ordinis, etiam non professos, in defectum professorum, deseruiatur, qui præsentati ab Ordinariis ad requisitionem Magistri, &c. admittantur.

§.46. Et quod presbyteri, qui in dicta Religione professionem non emiserint, nisi de expressa licentia, vel consensu Magistri, seu Priorum, Præceptorum, vel Fratrum, quos id tangeret, ad deseruiendum Parochialibus, & aliis Ecclesiis, ac capellis Hospitalis huiusmodi, Capellani eiusdem Religionis, vel in defectum eorum presbyteri in ea non professi, dummodo tàm hi, quàm illi (vt præfertur) idonei sint, & iuxta decreta Concilij Tridentini huiusmodi, per locorum Ordinarios ad requisitionem, seu præsentationem dictorum Priorum, Præceptorum, & Fratrum, ad quos id pertinere compertum fuerit, absque aliqua exactione & oneris impositione, recipi & admitti debeant.

Priuilegiis relig. dumtaxat gaudeant, qui habitũ susceperint, & infra certum tempus professionem emiserint.

§.47. Quodque illi dumtaxat Priuilegiis dicto hospitali concessis gaudeant, qui à præfato Magistro, seu de eius licentia habitum susceperint, & professionem emiserint, seu de habitu suscipiendo, & professione huiusmodi emittenda infra certum tempus arctati fuerint.

Qui gaudeant hu priuilegio.

§.48. Nullusque Priorum, Præceptorum, & Fratrum præfatorum, absque mandato seu licentia præfati Magistri, aut saltem sui Prioris, seu Procuratoris ipsius hospitalis in Romana Curia existentis, priuilegiis prædictis in eadem Curia vti valeat, nec illa absque huiusmodi licentia vagantibus suffragentur.

Non iniicitur manus violentæ in confugientes ad Ecclesias religionis.

§.49. Ac manus violentæ in eos qui ad Ecclesias, seu domos eiusdem Religionis pro sua salute confugerint, per quempiam iniici nequeant, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna.

Facultas deputandi Vicarium, cum facultate conferendi benefic.

§.50. Liceat etiam Ioannoto, & pro tempore existenti Magistro, & Conuentui præfatis, in singulis Prioratibus ipsius hospitalis vnum Vicarium cum facultate conferendi Præceptorias, & domos hospitalis huiusmodi, deputare, ac pensiones, seu responsiones, & onera super domibus, Præceptoriis, Leprosariis, & aliis beneficiis hospitalis huiusmodi imponi solita à quibuscumque etiam Clericis sæcularibus illa in Commendam obtinentibus, eorumque Colonis, & Inquilinis, etiam laicis, eo modo quo à Fratribus dicti hospitalis exigentur, exigere.

Et Procurat. generalem in Rom. Cur. cũ potestate conferendi benef. ad reseruata, affecta, vel deuoluta, etiã in titul. perpetui beneficij, vel ad nutũ, aut amouibiliter, etiam per viã perpetuæ vnionis.

§.51. Ac in Romana Curia Procuratorem generalem cum generali, vel speciali, aut limitata potestate, & facultate constituere, seu deputare; & in eadem Curia per se, seu dictum Procuratorem quæcumque eiusdem hospitalis beneficia cuiuscumque qualitatis existentia quomodolibet, præterquam per resignationem in manibus nostris, & successorum nostrorum Romanorum Pont. pro tempore, aut per obitum, seu alias quomodocumque apud Sedem vacantia, iuxta ipsius hospitalis, & Militiæ stabilimenta, libere conferre, & de illis, de quibus iam dispositum fuit de nouo, de aliis vero beneficiis huiusmodi, siue illa tamquam priuata prædia in titulum perpetui beneficij Ecclesiastici, seu etiam ad nutum, aut amouibiliter vni, vel diuersis personis assignari solita sint, iuxta solitum huiusmodi, pro beneficiorum eorumdem natura, aut etiam si expediuerit per viam perpetuæ vnionis, libere disponere; ita tamen, quòd beneficia presbyteris destinata, nullatenus Militibus, seu Fratribus capellanis in presbyteratus ordine, aut tali ætate qua ad illum canonice promoueri possint, constitutis, dumtaxat conferantur.

Et concedendi antianitates, ac resignationes.

§.52. Necnon Antianitates, tàm generales, quàm speciales super eisdem beneficiis Fratribus eiusdem hospitalis, quæ eo ipso Apostolica auctoritate confirmatæ, & approbatæ censeantur, concedere: ac resignationes dictorum beneficiorum recipere, & admittere.

Facultas sepeliendi in eorũ Parochialibus quoscumque, etiam interdictos, dummodo &c.

§.53. Necnon Cœmeteria in eorum Parochialibus Ecclesiis habere, & quorumcumque Christifidelium cadauera, etiam si interdicti forent, (dummodo interdicto causam non dederint) saluo iure, si quod Cathedrali Ecclesiæ, aut alteri Parochiali ratione Quartæ funeralis debitum fuerit, absque alio onere, & solutione Episcopo facienda, recipere, & sepelire.

Exigendi dotata, & legata.

§.54. Legata, & donata, tàm inter viuos, quàm qualibet vltima voluntate exigere, & percipere.

Recipiendi quæcumque Ecclesiastica sacramenta à quocumque Catholico Antistite.

§.55. Necnon Prioribus, Præceptoribus, Militibus fratribus, & personis præfatis intra Regularia dicti hospitalis loca degentibus (de suorum Superiorum licentia, aliis vero quo ad confirmationem sine Diœcesani, quo ad alia vero sine Parochialium Ecclesiarum, intra quorum limites eos degere contigerit, præiudicio, & seruatis decretis Concilij Tridentini) liceat quæcumque Ecclesiastica Sacramenta à quocumque maluerint Catholico Antistite, siue alio illa licite administrante, gratiam, & communionem dictæ Sedis habente, nihil oblato, vel soluto recipere.

Deferendi quæcumque Arma vbique locorum.

§.56. Et tàm ipsis, quàm eorum familiaribus Arma quæcumque & vbicumque locorum pro sua defensione, & hostium dictæ Sedis offensione gestare.

Audiendi cõfessiones, ministrandi sacramenta, ac celebrandi diuina pro Fratribus Capellanis, etiam tempore interdicti.

§.57. Liceat similiter Capellanis eiusdem hospitalis, Priorum, Præceptorum, Militum, Fratrum, personarum, vassallorum, subditorum, & familiarium præfatorum intra huiusmodi loca degentium, Confessiones audire, & pœnitentiam salutarem eis iniungere, ac Eucharistiæ, & alia Sacramenta Ecclesiastica ministrare, necnon tempore Interdicti, dummodo illi causam non dederint, excommunicatis & interdictis exclusis, clausis ianuis, & submissa voce, Missas, & alia diuina officia celebrare.

Erigendi præceptorias, domos, hospitalia absque licẽtia Ordinariorum locorũ, quæ gaudeant priuilegiis, & in quibus Ordinariorum nulla sit iurisdictio.

§.58. Quilibet autem Christifideles in quibusuis Ciuitatibus, locis, diœcesibus, præceptorias, domos, & hospitalia, sub dependentia & subiectione dicti hospitalis, & Militiæ, per eius Fratres, & Milites obtinenda, quæ iisdem priuilegiis, immunitatibus, indulgentiis, concessionibus & indultis, quibus aliæ dicti hospitalis, præceptoriæ, domus, & hospitalia vtentur, fruentur & gaudebunt, vtantur, potiantur & gaudeant, assignata illis congrua dote, Ordinariorum locorum, & quorumuis aliorum licentia minime requisita; & nulla præterea (nisi vsquequo Magister, & Conuentus hospitalis huiusmodi propriam Sedem Conuentualem in aliquo certo loco habuerint) in illis Ordinariis ipsis iurisdictione, aut oneris imponendi facultate reseruata, construi & erigi faciendi, plenam & liberam facultatem, & auctoritatem habeant.

Facultas testandi omnibus etiam ministris presbyt. & beneficiatis, de quibuscũque bonis & ex fructibus benefic. acquisitis, & inter quoscumq; consanguineos inhabiles dũmodo quintã partem hospitali relinquant.

§.59. Ac quod pariter liceat omnibus Prioribus, Præceptoribus, ceterisque Militibus, ac Fratribus, & Ministris etiam presbyteris & beneficiatis eiusdem Religionis, & Militiæ, de quibuscumque, tàm stabilibus quàm mobilibus bonis, pecuniarum summis, gemmis, & lapidibus pretiosis, aliisque rebus cuiuscumque qualitatis & quantitatis, ac valoris existant, per eos etiam ratione beneficiorum Ecclesiasticorum dicti hospitalis dumtaxat per eos obtentorum, ac alias vndecumque, & quomodolibet acquisitis, & ad illos quouis modo spectantibus (dummodo quintam illorum partem Conuentui præfato relinquant) inter quoscumque consanguineos, filios etiam spurios, & alios illegitimos, aliasque quantumuis incapaces personas testari, ac alias etiam per codicillos, donatione inter viuos, causa mortis, & alia quacumque via, provt sibi videbitur, disponere, ac illa in pias, & non pias, alias tamen licitas causas erogare.

In attende const. 73. huius Pont. Sacrosanctum.

§.60. Priori

Digitized by Google

Celebrandi in habitu Pont. & dandi benedictionem dummodo non sit præsens aliquis Antistes, & tunc de illius licentia.

§. 60. Priori autem Ecclesiæ dicti Couentus pro tempore existenti, quoties sibi placuerit, Missam & alia diuina Officia in præfata aliisque dictæ Religionis Ecclesiis, in habitu Pontificali cum mitra & baculo pastorali celebrare; ac post Missarum solemnia (dummodo non sit præsens aliquis Catholicus Antistes, vel de illius consensu) ibi benedictionem Christi populo impartiri.

Milites, & alij non incurrunt peccatū mort. nisi propter inobedientiam & contumaciā pluries cōmissā, & rebellionē à Religione.

§. 61. Et insuper, quod nullus ex Magistro, & Militibus, ac Fratribus pro tempore existentibus, aliisque personis dictæ Militiæ, & Religionis, propter eius Regulam, Capitula, & Statuta, nunc & pro tempore edita, non obseruata, vel minus rite adimpleta, in peccatum mortale incidat, præterquam propter inobedientiam, & contumaciam pluries commissam, & continuatam, & ab ipsa Religione rebellionem, & excommunicationis pœnæ sibi impositæ, ac alios casus, peccatum huiusmodi ex diuinis præceptis, sacrisque Canonibus generantes.

Persōa relig. tempore sumptionis habit. & professionis, atq; in artic. mortis habet facultatē eligendi Confess. à qua recipiat indulg. plenariam, &c.

§. 62. Et quod ipsi Milites, & aliæ eiusdem Militiæ personæ, qui tempore sumptionis habitus, & Professionis eorum Regularium emissionis, atque in articulo mortis constituti, de peccatis suis corde contriti, & ore confessi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem, cum facultate etiam eligendi sibi dicto tempore professionis & mortis, confessorem ab Ordinario tamen approbatum. Ac tàm Milites, & personæ præfatæ quàm quiuis alij vtriusque sexus, qui Ecclesias domorum, & aliorum locorum hospitalis huiusmodi, vbicumque existentes, singulis diebus Festiuitatum, quæ in honorem D.N. Iesu Christi, & Beatiss. Matiæ Virginis eius Matris, annuatim celebrantur, à primis Vesperis vsque ad occasum solis Festiuitatum huiusmodi, deuote visitauerint, & pro pace inter Principes Christianos confouenda ter orationem Dominicam, & totidem Angelicam salutationem recitauerint, septem annorum & totidem quadragenarum ex iniunctis eis pœnitentiis relaxationem consequantur.

Notarij tenētur sub pœna excomm. notitiam dare de legatis factis hospitali, & Militiæ.

§. 63. Necnon quòd Notarij, qui rogati fuerint de testamentis, vel vltimis aliis voluntatibus, in quibus aliquid disponi contigerit in fauorem & commodum Hospitalis, & Militiæ, sub excommunicationis pœna dispositionem huiusmodi, quanto citius commode poterunt, Magistro, & Conuentui dicti hospitalis, vel alteri, per quem id poterit ad ipsorum Magistri, & Conuentus notitiam peruenire, intimare curent.

Priores, & Præceptores in Dominica Palmarū & per eius Oct. possint de consensu Ordinariorū confess. audire, & cū confitentibus indulgentiis, &c. vti ac eisdem illis impartiri.

§. 64. Necnon quòd Priores, & Præceptores quorumcumque Hospitalium, & domorum à dicto hospitali Sancti Lazari dependentium, & illud in caput suum recognoscentium, in die festo Dominicæ Palmarum, & per eius octauam, si in sacerdotio constituti fuerint, per se in suis hospitalibus, ac domibus præfatis tantum, confessiones quorumcumque de consensu Ordinariorum locorum audire, & cum huiusmodi confitentibus quibuscumque facultatibus & indulgentiis, ad peccatorum remissionem, eis auctoritate Apostolica concessis, vti, ac easdem illis (de licentia tamen expressa Magistri pro tempore existentis, & Conuentus præfati hospitalis, singulis annis renouanda) impartiri, iidemque aut etiam si in presbyteratus ordine constituti non sint, alium, vel alios probos, & idoneos presbyt. sæculares vel cuiusuis ordinis Regulares per locorum Ordinarios approbatos, ad id deputare plene & libere possint; aliis vero temporibus sint sicut alij sacerdotes nullam à Sede prædicta facultatem habentes.

Facultas appēdendi campanas, vel subsignandi animalia S. Lazaro oblata.

§. 65. Possint etiam Nolas, seu Campanas porcis, seu aliis quibusuis animalibus, quæ eidem Sancto Lazaro offerri contigerit, appendere, seu aliqua nota subsignare.

Indulgentiæ, & gratiæ S. Lazari non intelliguntur suspensæ.

§. 66. Necnon quòd durante quacumque suspensione temporali indulgentiarum, gratiarum concessarum, vel in posterum concedendarum, Indulgentiæ prædictæ ac omnes facultates, & gratiæ eisdem Hospitali, illiusque Magistro, Conuentui, Fratribus, & Membris per Sedem præfatam concessæ, non intelligantur suspensæ; sed in suo pristino, & vero valore, & firmitate existant, & permaneant.

Facultas celebrādi diuina,

§. 67. Necnon vt liceat ipsis Fratribus in eorum Ecclesiis Missas, & alia quæcumque diuina officia legere, vel etiam alta voce celebrare, vel per alios presbyteros idoneos celebrari facere: ac omnibus, & singulis Christifidelibus, & leprosis pauperibus infirmis in dictis hospitalibus pro tempore degentibus Ecclesiastica sacramenta ministrare, ac eorum, & (sine tamen cuiuscumque præiudicio) aliorum quorumcumque fidelium corpora mortuorum id eligentium, & petentium in Cæmeteriis, & Ecclesiis dictorum Fratrum Ecclesiasticæ tradere sepulturæ.

Sacramenta ministrandi, ac corpora quorumcumque fidelium sepeliendi.

Verbum Dei prædicandi.

§. 68. Ac Verbum Dei debitis & congruis temporibus in Parochialibus quidem, Parochianis & populo, in aliis vero Ecclesiis ipsorum pauperibus ipsis, ac leprosis huiusmodi per se ipsos, si suorum Superiorum licentiam habuerint atque ab ipsis de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, petita ab Episcopis, intra quorum diœc. fines Ecclesiæ ipsæ constitutæ fuerint, benedictione, proponere: & si legitime impediti fuerint, per alios idoneos, superiorum suorum, & eorumdem Episcoporum licentiam habentes. & in omnibus iuxta formam Conc. Trid. proponi facere.

Concessio quorumcumque aliorum priuilegiorum gratiarum, exemptionum & aliarum facultatum concessarum hospitalibus, & militiis S. Io. Hieros. Sc Iacobi de Spata, S. Antonij Viennen. S. Spiritus de Vrbe, ac S. Stephani in Tuscia.

§. 69. Et insuper, quòd modernus, & pro tempore existens Magnus Magister, & Conuentus, ac singuli Milites, & aliæ personæ Hospitalis, & Militiæ huiusmodi postquam præfatam Sedem Conuentualem firmauerint, vt præmissum est, omnibus & singulis Priuilegiis, immunitatibus, iurisdictionibus, exemptionibus, etiam per viam exceptuationis in ipsa onerum impositione, dispensationibus, indultis, concessionibus, dispositionibus, honoribus, gratiis, libertatibus, fauoribus, antelationibus, restitutionibus, reintegrationibus, & aliis quibusuis gratiis hucusque Sancti Ioannis Hierosolymitani, Sancti Iacobi de Spata, Sancti Stephani Militiis, ac Sancti Spiritus in Saxia de Vrbe, & Sancti Antonij Viennensis Hospitalibus, Religionibus, & Ordinibus, eorumque locis, personis, rebus, & bonis, per quoscumque Romanos Pontifices, etiam prædecessores nostros ac etiam per Nos, & Sedem prædictam, seu Concilia generalia, vel alios quoscumque, in genere vel in specie, etiam ad Imperatorum, Regum, ac aliorum Principum instantiam, vel Motu proprio, aut alias quomodolibet hactenus concessis, quibus Hospitalia, Religiones, & Militiæ huiusmodi, eorum Magni Magistri, Conuentus, & Fratres Milites vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter, absque vlla penitus differentia (citra Indulgentias quæstuarias) vti, potiri, & gaudere, in omnibus & per omnia, libere at licite valeant, perinde ac si ea omnia & singula prout illis concessa fuerunt, eorumque omnium, & quorumcumque literarum desuper quomodolibet confectarum tenores hic de verbo ad verbum insererentur: ita quod super illis, vel occasione per ipsos Ordinarios, aut quosuis alios molestari, perturbari, vel inquietari non possint, dummodo moderationibus, & limitationibus suprascriptis, Concilio Tridentino prædicto non repugnent: & per hoc dictis Hospitalibus, & Militiis, ac iuribus cuiuslibet alterius tertij non præiudicetur, ac (quo ad exemptiones) iurisdictio Ordinariorum, tam ea quæ de iure communi eis competit, quam quæ ex decretis dicti Concilij Tridentini eisdem est attributa, semper salua existat. Præterquam in iis casibus, in quibus Concilium præfatum expresse excepit. & exemit Religionem S. Ioannis Hierosolymitani, in quibus, & hæc Sancti Lazari Religio, & Militia (præterquam quo ad Seminarij contributionem) excepta, & exempta pariter intelligatur.

Publicatio, & affixio priuilegiorum, & aliarum literarum Apost. & mandatorum Magist. & Conuentus ad effect. si personaliter facta essent. Fides adhibēda literis Magistri, & Cōuentus.

§. 70. Præterea, quòd tàm præsentium quàm aliarum quarumcumque literarum Apostolicarum, seu earum transumptorum, ac mandatorum Magistri, & Conuentus præfatorum publicatio, & affixio in singulis Prioratibus, Præceptoriis, Membris, & Beneficiis Religionis huiusmodi factæ, perinde arcent, ac si contra contentos sub eisdem personaliter factæ essent, facta tamen in præmissis diligentia de illis personaliter reperiendis in dictis locis.

§. 71. Quodque verbis, in ipsorum Magistri, & Conuentus literis, circa singulorum Fratrum Militum dicti

Digitized by Google

Hospitalis professionis emissionem, habitus susceptionem, debitorum, & obsequiorum præstationem, plena fides adhibeatur.

Magister, & Conuentus possunt priuare quemcumque inobedientem, ac iura Relig. non seruantem, præsertim si in solutione annualis census morosus fuerit.

§. 72. Et nihilominus, quod si quisquam Priorum, Præceptorum, Militum, & Fratrum dicti Hospitalis, ac quicumque alius qui professionem per Fratres dicti Hospitalis emitti solitam emiserit, quandocumque pro seruitiis Religionis, aut alias euocatus, seu in solutione iurium communis Ærarij morosus fuerit, & citatus coram dictis Magistro, & Conuentu personaliter non comparuerit, ac illis obedientiam, aliaque iura debita non præstiterit, tempore sibi ad id præfigēdo elapso, canonico impedimento cessante, habita dignitate, administratione, & beneficio, ac quocumque honore, & officio alias iuxta formam stabilimentorum, & priuilegiorum prædictorum, per Magistrum, & Conuentum præfatos priuari possit.

Nulla exemptio valet aduersus obedię tiam Magni Magistri quo minus vocati comparere teneantur. Sed Magister, & Conuen. possunt disponere de benef. vacātib. per priuationem.

§. 73. Nec vlla derogatio, aut exemptio, realis vel personalis, seu alia gratia præseruatiua, etiam Motu, Scientia, & potestatis plenitudine similibus quomodolibet pro tempore facta, seu concessa, contra præmissa valeat, nec Magister, & Conuentus præfati illis parere teneantur: sed illis non obstantibus, de Prioratu, Præceptoria Dignitate, Officio, vel beneficio sic per priuationem huiusmodi vacante, iuxta stabilimenta, & alia præmissa, libere disponi, aut illa alias per eum, vel eos, ad quem, seu quos antianitatis, vel alio iure pertinet, acceptari possit.

Clauſ. harum conceſſionum præſeruatiua.

§. 74. Necnon quod præmissis etiam per quascumque, literas Apostolicas, etiam quasuis clausulas generales, vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficacioresque, & insolitas, ac etiam irritantia decreta, sub quacumque verborum expressioue in se continentes, nullatenus derogari possit, nec quo ad illa derogatum censeatur, nisi tenor illarum de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertus, & huiusmodi derogationes Consistorialiter factæ, & per trinas distinctas literas eumdem tenorem continentes, tribus, distinctis similibus vicibus Magno Magistro, & Conuentui præfatis intimatæ, & insinuatæ fuerint, ac ipsorum Magistri, & Conuentus ad id expressus accedat assensus: & aliter factæ derogationes, nemini suffragentur, ac Magister, & Conuentus præfati ad parendum literis derogatoriis huiusmodi, & decretis super illis processibus, ac illorum executoribus, & subexecutoribus, eorumque mandatis, & monitionibus minime teneantur: sed literarum huiusmodi executionem omnino impedire, nec ratione resistentiæ censuris Ecclesiasticis per eosdem executores, vel sub executores latis innodari possint.

Decretum irritans, & clauſula ſublata, &c.

§. 75. Et sic in præmissis, omnibus & singulis per quoscumque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & cuilibet eorum quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate iudicari, & definiri debeat. Et quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane sit.

Clauſula derogatoria.

§. 76. Et quo ad præmissa non obstent ea omnia, quæ dictus Pius IV. prædecessor in dictis literis voluit non obstare.

Sanctio pœnalis.

§. 77. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum ratihabitionis, statutorum, ordinationum, reuocationis, cassationis, irritationis, annullationis, euacuationis, & decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D.P. An. 2. die 26. Ian.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1567. septimo Kal. Febr. Pontificatus nostri Anno 1.

XXIX. Reseruatio Beneficiorum propter crimen hæresis vacantium, & declaratio quod hæc beneficia non comprehenduntur in impetrationibus, in quibus modus vacationis propter crimen hæresis, non sit expressus, nisi in casibus hic nominatis.

Irritauit eaſdem impetrationes, Gregorius XIII. vt infra in eius conſtit. 66. In Ecclesiis, *vbi etiam notabo.*

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1567.*

Cauſa huius conſt.

CVm ex Apostolatus officio nobis (meritis licet imparibus) credito, cura Dominici gregis nobis immineat generalis, & exinde teneamur more vigilātis pastoris, vigilare, & attentius prouidere, vt Ecclesiis, & quibusuis aliis beneficiis Ecclesiasticis nunc & pro tempore propter crimen hæresis vacantibus, & vacaturis, tales viri eis præficiantur idonei, qui detestandas, ac nefarias hæreses diabolo disseminante contra veræ, & orthodoxæ fidei puritatem exortas, de agro Domini extirpare, & populos sibi commissos ad Catholicæ Ecclesiæ veritatem reducere, doctrina, verbo, & boni operis exemplo valeant.

Reſeruatio omnium benefic. propter crimen hæreſis vacantium.

§. 1. Præmissorum itaque consideratione inducti, & aliis ad id suadentibus rationabilibus causis, nonnullis etiam prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera nostra voluntate, & deliberatione, omnia & singula beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura, sæcularia, & quorumuis Ordinum etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, & aliarum quarumuis Militiarum regularia quæcumque & qualiacumque sint, etiam si sæcularia, canonicatus & præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in cathedralibus etiam metropolitanis, vel collegiatis, & dignitates ipsæ in cathedralibus etiam metropolitanis post Pontificales maiores seu collegiatis Ecclesiis huiusmodi principales, Regularia vero beneficia huiusmodi, Monasteria etiam consistorialia, Prioratus, Præposituræ, præpositatus, dignitates etiam conuentuales, personatus, administrationes, vel officia etiam claustralia, ac hospitalia & præceptoriæ, & alia quomodocumque qualificata fuerint, ordinationi & dispensationi nostræ, & Sedis Apostolicæ hac perpetuo constitutione valitura auctoritate Apost. tenore præsentium reseruamus.

Declaratio quod in impetrationibus benefic non cōprehendun tur beneficia propter hæreſim vacantia, niſi ſpecifice fit expreſſum, &c.

§. 2. Declarantes omnes & quascumque impetrationes de beneficiis vt præfertur, quomodocumque qualificatis certo modo in futurum faciendas, & obtinendas, beneficia huiusmodi propter hæresim vacantia, & in futurum vacatura non comprehendere, uisi specialiter, & dispositiue vacationis modus propter crimen hæresis expressus fuerit, & illum nullo modo sub quibusuis clausulis, & decretis comprehendi quantumcumque generalibus in quibusuis gratiis & concessionibus per nos & Romanos Pontifices successores nostros faciendis, etiam per fiat signatis & concessis; ac decernentes omnes & quascumque impetrationes de quibusuis beneficiis, vt præfertur qualificatis hactenus factas & obtentas, nisi earum vigore in iudicio per impetrantes crimen huiusmodi deductum fuerit, & super eo sententiam fauorabilem obtinuerint, vel dictorum beneficiorum possessionem assequuti fuerint, ad vacationem huiusmodi propter crimen hæresis se non extendere, & illum neminem comprehendere.

Decretum irritans.

§. 3. Sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes etiam S.R.E. Cardinales iudicari & interpretari debere, irritum quoque & inane si secus per quoscumque quauis dignitate & auctoritate præditos, iudicatum, fuerint, decernimus.

Forma publiç. Quamoꝛ ſequitur.

§. 4. Volumus autem quod præsentes literæ in Cancellaria nostra Apostolica, & in acie Campi Floræ de more publicentur, & inter constituriones perpetuo valituras describantur.

Fides Exemplorum.

§. 5. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus & etiam declaramus quod earum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis,

Digitized by Google

subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

D. P. An. 2. 27. Ian. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1567. sexto Kal. Febr. Pontific. nostri Anno 2.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini 1567. Indictione 10. Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij Papæ V. anno 2. die vero 17. mensis Febr. retroscripta litera affixa, & publicata fuerunt ad valuas Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Florę, per nos Antonium Clerici, & Ioannes Andream Rogerium pradicti Sanctiss. D. N. Papæ Cursores.*

Scipio de Ottauianis Mag. Curs.

XXX.

Reuocatio Indulgentiarum quomodolibet concessarum, continentium facultatem quæstuandi, & pro quibus consequendis porrigendæ sunt manus adiutrices. Prohibitioque de cetero quæstuandi, & quæstores deputandi.

Ad hæc habes etiam huius Pont. const. 99. Quam plenum. *Necnon Conc. Trid. sess. 21. cap. vlt. vbi Abolito vsu quæstarum, datur Ordinariis forma colligendi eleemosynas.*

Edita A.D. 1567. PIVS EPISCOPVS, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. ETsi Dominici gregis saluti semper intenti, singulis cum humilitate poscentibus ea benigne concedere nos & prædecessores nostri studuerint, per quæ peccatorum mole deposita salus ipsis succedat, & hostis humani generis seruitute ereptas animas lucrifaciat Altissimo, qui eas nobis sua bonitate commisit; id tamen propensiori studio nos præcauendum esse censemus, ne cuiusuis Indulgentiæ, remissionis, vel facultatis obtentu, Christifideles procliuiores ad illicita in posterum committenda reddantur, aut facilitas veniæ eis peccandi tribuat incentiuum, & exinde clauium auctoritas deducatur in contemptum, & Christideles quamplurimum scandalizentur.

Causa huius const. §. 1. Sane cum ad auditum nostrum ex diuersis mundi partibus quamplurimæ querelæ perlatæ fuerint, quod vigore diuersarum Indulgentiarum, & facultatum per prædecessores nostros, ac etiam nos vel auctoritate nostra, tam fabricæ nostræ basilicæ Principis Apostolorum, & Ecclesiæ Sancti Ioannis Lateranensis de Vrbe, ipsiusque Ecclesiæ, necnon S. Ioannis, & S. Lazari Hierosolymitan. ac S. Spiritus in Saxia, & S. Ioannis Lateranen. ac S. Iacobi Incurabilium, de eadem Vrbe, necnon S. Elemi, & S. Bouis, ac S. Gothardi, & S. Leuguzoni, necnon S. Nicolai, & Sancti Bernardi montis Iouij, necnon S. Leonardi, ac S. Marthæ, necnon Sanctiss. Crucifixi Siracusan. ac S. Mariæ de monte Serrato, hospitalibus, ac etiã S. Sebastiani prope, & extra muros dictæ vrbis, necnõ S. Antonij de S. Antonio Viennen. diœcesis & Redemptionis captiuorum nuper Neapoli instituto Monasteriis, illorumque, ac diuersis aliis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Militiis, Confraternitatibus, Societatibus, & piis locis concessarum, multi quæstores ex eisdem indulgentiis lucrum temporale tantum quærentes, nominibus fabricæ Ecclesiarum Hospitalium, Monasteriorum, Militiarum, Confraternitatum, Societatum, & piorum locorum prædictorum in diuersis Ciuitatibus, & diœcesibus quæstas facere, Confatres describere, Capellas, & Oratoria erigere, illisque erectis Indulgentias huiusmodi communicare, & in diuersis gradibus à iure prohibitis dispensare, ac plura etiam concedere, quam eis vigore facultatum prædictarum licitum sit, ipsique lucro intenti, pecuniasque potiusquam Christifidelium salutem quærentes, ac eisdem indulgentiis sic abutentes, quæstum ex illis particularem facere conantur, variosque & diuersos Quæstores, Commissarios, Procuratores, Receptores, Thesaurarios, Factores, Nuncios & alios ministros constituere, qui non solum supradicta, sed etiam plura alia eis numquam concessa, facere, & concedere, necnon locorum Ordinarios, illorumque in spiritualibus vicarios generales, & Officiales, ac Ministros, Ecclesiarumque & Ordinum Prælatos, Superiores & personas, quæstas huiusmodi impedientes censuris Ecclesiasticis innodare, & alias in pluribus grauiter excedentes in diuinæ maiestatis offensam, ac suarum & Christifidelium animarum perniciem, ac Ordinariorum perturbationem, & piarum mentium scandalum, præsumunt.

Reuocatio Indulgentiarum continentium facultatem quæstuandi, & pro quibus consequendis porrigendæ sunt manus adiutrices.

§. 2. Nos qui Deo propitio gregis Dominici meritis licet insufficientibus curam gerimus, & illum spiritualis Thesauri elargitione cupimus ipsi Deo reddere acceptabilem, ex præmissis, & aliis rationabilibus causis animum nostrum mouentibus, fel. record. Callisti Quarti, Clementis VIII Pauli III. Iulij similiter III. & diuersorum aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vestigis inhærentes, Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera nostra voluntate, & deliberatione, omnes & singulas indulgentias etiam perpetuas, & peccatorum remissiones fabricæ & Ecclesiæ huiusmodi, necnon Sancti Ioannis Hierosolymitani etiam pro constructione, & ædificatione illius nouæ Ciuitatis prædictis, in quibusuis aliis Hospitalibus, Monasteriis, Ecclesiis, domibus, militiis, Ordinibus etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, & Vniuersitatibus, & piis locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conuentibus, Magistris, Superioribus, & tam sæcularibus, quàm quorumuis etiam Mendicantium Ordinum Regularibus personis, tàm singulariter, quàm vniuersaliter per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros ac etiam nos, sub quibuscumque tenoribus. & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & ex certa scientia, ac ex quibusuis etiam vrgentissimis causis, etiam causa redemptionis captiuorum, & alias quomodolibet concessis: pro quibus consequendis manus sunt porrigendæ adiutrices, & quæ quæstuandi facultatem quomodolibet continent, illarum omnium tenores, formas, derogationes & decreta præsentibus pro expressis habentes auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo reuocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, ac viribus vacuamus.

Prohibitio deputandi quæstores, aut faciendi quæstus, nisi de speciali licentia Papæ.

§. 3. Et insuper perpetuo hac nostra valitura constitutione decernimus, quod ex nunc de cetero sub indignationis nostræ pœna, prætextu indulgentiarum & facultatum per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & Sedem Apostolicam etiam Motu simili ac Sedis Apostolicæ Legatos, & alias quomodolibet concessarum, & quas à nobis & Sede & prædicta in posterum verbo, literis, aut quauis alia scriptura etiam manu nostra signata, etiam cum clausula quod sola signatura sufficiat, etiam in fauorem fidei, aut cruciatæ sanctæ, vel cuiuscumque alterius piæ causæ, etiam priuilegiatæ concedi quomodolibet contigerit nullus quauis etiam Episcopali, Archiepiscopali, & Patriarchali, aut maiori dignitate etiam Cardinalatus honore, seu etiam regali, vel temporali excellentia præfulgeat, audeat vel præsumat quæstas facere, aut Nuncios, Quæstores, Commissarios Thesaurarios, Receptores, pro illis recipiendis in dictis Hospitalibus, Ecclesiis, Domibus, Monasteriis, Militiis & aliis supranominatis, vel pro eis aut illorum nominibus alibi constituere & deputare, nisi ex speciali licentia, & ex certa scientia nostris & Romani Pontificis pro tempore existentis, de qua per literas nostras, & eiusdem Romani Pontificis pro tempore existentis, locorum Ordinariis, vel eorum in spiritalibus Vitariis, seu Officialibus decogationem præsentis nostræ constitutionis illius tenore de verbo ad verbum inserto expresse continentes.

Decretum irritans.

§. 4. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, constare debeat.

§. 5.

Digitized by Google

Executorum deputatio.

§.5.Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ domibus, & ſingulis Venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus,Archiepiſcopis,& Epiſcopis,quatenus in ciuitatibus, & diœceſibus ſuis, præſentes noſtras literas publicare, & obſeruare debeant; rogantesque omnes, & ſingulos Principes ſæculares,& alios Dominos,& Magiſtratus temporales, eiſque per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum ſuorum iniungentes, quatenus in præmiſſis eiſdem Patriarchis,Primatibus,Archiepiſcopis,& Epiſcopis aſſiſtant,& ſuum auxilium & fauorem præſtent, cum auxilio brachij ſæcularis,

Clauſula derogatoria.

§.6. Non obſtantibus præmiſſis,ac quibuſuis Apoſtolicis, necnon in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis,generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus,necnon fabricæ Eccleſiæ, Hoſpitaliũ Monaſteriorum, Militiarum Confraternitatum, Ordinũ, Capitulorum,Conuentuum,aliorumque locorum prędictorum;& quorumuis illorum membrorum,Eccleſiarum etiam Cathedralium,& Metropolitanarum etiam iuramẽto confirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis,ſtatutis & conſuetudinibus, ſtabilimentis vſibus & naturis,priuilegiis quoque indultis,& literis Apoſtolicis,illis,& præſertim S.Io. & S. Lazari, ac S. Spiritus in Saxia,Hoſpitalibus,necnon S. Antonij de S. Antonio,& SS. Nicolai, & Bernardi Montis Iouij Monaſteriis, ipſorumque Monaſteriorum Hoſpitalibus, ſingulorumque eorum Conuentibus,Superioribus,& perſonis præfatis, per quoſcumque Rom.Pont.prædeceſſores, ac nos,& Sedem Apoſtolicam ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus,& inſolitis clauſulis, necnon irritantibus,& aliis decretis,etiam motu ſimili,& ex certa ſcientia, ac quauis etiam Imperiali, vel Regali conſideratione, vel inſtantia, & alias quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam, ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque tenoribus ſpecialis, ſpecifica,indiuidua, & expreſſa, non autẽ per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda,aut alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent præſentibus,pro ſufficienter expreſſis habentes,motu, ſcientia,& poteſtatis plenitudine ſimilibus ſpecialiter & expreſſe derogamus, & ſufficienter derogatum eſſe volumus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus, communiter vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Iuſſio public.

§.7. Volumus autem quod præſentes literæ in Cancellaria noſtra Apoſtolica, & acie Campi Floræ de more publicentur, & inter conſtitutiones perpetuo valituras deſcribantur.

Tranſumptorum fides.

§.8. Et quia difficile foret eaſdem præſentes ad ſingula quæque loca deferri,volumus,& etiam declaramus,quod earum tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius Prælati munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ſi originaliter forent exhibitæ,vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino, &c,

D. P. An. 2. die 8. Febr.

Dat.Romæ apud S.Petrum,Anno Incarnat.Dom.1567. ſexto Idus Febr.Pont.noſtri Anno 2.

Publicatio.

Anno à Nat.D.1567.indict.10.die vero 17.menſis Febr. Pont.Sanctiſſ.in Chriſto Patris,& D.N.D.Pij Papæ V. anno 2. infraſcripta litera Apoſt. affixa, ac publicata fuerunt ad valuas Cancell. Apoſt.& in acie Campi Floræ, per nos Antonium Clerici, & Io.Andream Rogerium præfati S. D N.Papæ Curſ.

Scipio de Octauianis Mag.Curſ.

XXXI. Confirmatio gratiarum & indultorum Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum, cum aliorum Priuilegiorum elargitione.

De huius Congregationis inſtitutione, & aliis eius gratiis videnda eſt conſt. 12. Clem. VII. Exponi. *ſup.& alia conſt.eiuſdem* 38.Dudum.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Edita A. D. 1567.

Proœmium.

AD immarceſcibilem vitæ æternæ coronam,ad quam fortes Chriſti athletæ non aduerſus carnem & ſanguinem præliantes, ſed contra ſpirituales antiqui hoſtis nequitias,& huius mundi tenebrarum principatus, aſſiduo fidei clypeo,& ſcuto bonæ voluntatis armati, lumbiſque præcinctis colluctantes, reiectis vanitatibus & illecebris indefeſſe aſpirant, & quo optatum finem tutius conſequantur, Religionis arcem, vnde inimicorum inſultibus, dante Domino,ſecurius reſiſtere, & hoſtilia tela propulſare queant animoſe aſcendunt, eleuantes oculos mentis noſtræ,paterna pietate & beneuolentia ex noſtri paſtoralis officij debito non abre iugiter inducimur, vt tranquillo eorum ſtatui,quantum cum Deo poſſumus prompte conſulamus,& his quæ propterea facta eſſe dignoſcuntur, auctoritatis noſtræ adiiciamus firmitatem, aliaſque deſuper opportune prouideamus prout perſonarum & temporum qualitate penſata, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Clem.VII. iſtam Cõgreg. approbauit in rubr.

§.1.Dudum ſiquidem fel.rec. Clemens Papa VII. prædeceſſor noſter ſibi pro parte,&c.

Omittitur quia hæc bulla eſt quæ citatur in rubr ſup.

Et in alia bulla ibid cit. priuilegia cõceſſit.

§.2. Et deinde pro eadem parte, eidem Clementi prædeceſſori etiam expoſito,quod ipſi,&c.

Omittitur quia ipſa bulla eſt citata in rubr ſup.

Paulus III. decreuit quod maior pars vocaliũ Capituli, vbique repræſentaret totum Capit. cum omnimoda poteſtate ſuper Præpoſitos & alios, ſed eius bullam non poſui vti hic ſufficienter relatum.

§.3.Ac poſtmodum rec.mem.Paulus Papa III. ſimiliter prædeceſſor noſter viuæ vocis oraculo eidem Paulo IV. prædeceſſori qui etiam tunc in minoribus conſtitutus tit.S.Sixti preſb.Card.erat per eumdem Paulum III. prædeceſſorem facto,eidem Congregationi Clericorum Regularium inter alia. Quod maior pars habentium vocem in Capitulo,in quocumque loco commoraretur, repræſentaret totum Capitulum Congreg. Clericorum Regularium huiuſmodi; & vbicumque vocalium maior pars foret, ſemper repræſentaret Capit.Generale,& haberet in ipſa Congreg.Clericorum Regularium ſuper Præpoſitos omnes & Superiores ſacerdotes & alios profeſſos in ſpiritualibus & temporalibus, poſt ſanctam Sedem Apoſtolicam cui immediate ſubiiciebantur, ſupremam iuriſdictionem,& poteſtatem donec Capitulum Generale ſolemniter celebraretur,

Et vocalium numero pari exiſtente,ibi eſſet Capit. vbi vocalium eſſet antiquior.

§.4.Et ſi vocales in Eccleſiis, & locis eorumdem Congregationis Regularium pares numero forent,ibi ex gratia, & priuilegio intelligeretur adeſſe Capitulum repræſentans Generale, vbi foret vocalis, qui antiquior eſſet omnibus aliis vocalibus,qui in locis particularibus pares numero forent.

Et d. Capit. ius eſſet ſupremum,quibuſcumque neceſſitatibus, & Superiorũ tranſlationibus,&c prouidendi.

§.5.Capitulumque huiuſmodi haberet in prædictis Congregatione Clericorum Regularium ius ſupremum; & quandocumque in Eccleſiis & locis prædictis, omnibus caſibus & neceſſitatibus prouidere poſſent; & maxime ſuperueniente cauſa de Superiore caſſando, tranſferendo,& de nouo creando,quocumque nomine appellaretur, vt in ſpiritualibus & temporalibus libere adminiſtraret.

Qui Superiores anno durarent.

§.6. Quodque tempus ſuæ adminiſtrationis non poſſet vltra annum prorogari, & omnibus Congregationis Clericorum Regularium gauderet priuilegiis.

Præpoſitor.q. & eorum Locatem. eadẽ eſſet auctoritas,& tempus adminiſtrationis non cõputaretur triennio Prælaturæ.

§.7.Et generaliter quicquid poſſent Præpoſiti per Priuilegia,poſſent etiam eorum Locatenentes. Et ſi ille, qui vt Superior adminiſtraſſet,in Præpoſitum erigeretur,tempus, quo ſine titulo Præpoſituræ adminiſtrauiſſet, non impediret quo minus poſſet ſicut ceteri Præpoſiti vſque ad triennium confirmari.

Et Præpoſitis vacantib. Capit. Præpoſitis Congreg. dat auctoritatem.

§.8.Ac etiam tempore quo contingeret per lapſum anni officia Præpoſitorum vacare, ſupradictum Capit. ſcribere poſſet Præpoſitis ſub hac, vel ſimili forma, Licet officium Præpoſituræ tunc tali die vacaret, tamen vt Superior non deſiſtat in ſpiritualibus & temporalibus libere, vt antea adminiſtrare, donec aliter fuerit prouiſum, prouiſioque ſuum ſortiatur effectum.

Antiquiorque in voce ſucce-

§.9.Necnon quod antiquior in voce, qui in loco eſſet, ſuccederet

Digitized by Google

deret ipſo iure Præpoſituræ vacantes per lapſum annũ.

ſuccederet ipſo iure Præpoſituræ vacanti per lapſum anni, ceſſum, vel deceſſum Præpoſiti, & gauderet omnibus priuilegiis Congregationis Clericorum Regularium huiuſmodi, donec per Capitulum Generale, vel repræſentans Generale de alio Superiore, vel aliter prouideretur, & obſeruaretur, vt dictus antiquior, vt ſupra adminiſtraret in cauſa abſentiæ, vel infirmitatis, ipſius Prepoſiti, niſi ipſe Præpoſitus aliter prouidiſſet.

Laici etiam venientes ad Relig. vtentur veſtibus clericalib. & abſque earum mutatione admitterẽtur ad profeſſionẽ, omnibuſque priuilegiis Congreg. gauderent.

§.10. Quodque laici ad Congregationem venientes, ſi videretur eos non diuino officio mancipandos, vterentur veſtibus Clericalibus, quæ tamen ſecundum conditionem locorum, & perſonarum honeſtę cenſerentur, eiſque tempore probationis ſimpliciter aſſignatæ ad profeſſionem trium votorum more eorundem Congregationis, ſine tamen veſtium mutatione, & benedictione admitti. Ac omnibus priuilegiis prædictis gaudere poſſent dicta auctoritate conceſſit, & declarauit.

Iulius III. prædicta omnia confirmauit, ſed eius bullã vti ſimpliciter confirmatoriam non poſui.

§.11. Ac poſtea pro parte quondam Bonifacij preſbyteri Alexandrini eiuſque ſociorum Congregationis Clericorum Regularium huiuſmodi, inclytæ mem. Iulio Papa etiam III. prædeceſſori noſtro, expoſito quod ipſi qui in locum Pauli prædeceſſ. & Gaietani huiuſmodi ſucceſſerant, vt literæ prædictæ, firmius permanerent, & inuiolabiliter obſeruarentur, cupiebant illas ab eodem Iulio prædeceſſore approbari & innouari, idem Iulius prædeceſſor eorum ſupplicationibus in ea parte inclinatus, conceſſiones, & ſtatuta, ac ordinationes, necnon cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis ſingulas literas prædictas, etiam per ſuas in ſimili forma breuis ſub die 10. Iunij Anno Domini 1551. Pontific. ſui Anno 2. expeditas literas approbauit, & innouauit, illiſque perpetuæ, & validæ firmitatis robur adiecit, ac illa omnia, & ſingula obſeruari, & Bonifacio, & ſociis præfatis, & eorum ſucceſſoribus Clericis regularibus ſuffragari, ipſoſque illis perpetuis futuris temporibus vti, frui, potiri, & gaudere poſſe, necnon ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari irritum & inane decreuit.

Paul. IV. bull. Iulij III. approbauit, & priuileg. Congreg. de Somaſca, & huius Cõgr. à Paulo III. vnitarum communicauit, ſed hæc bulla eſt etiam prætermiſſa quia plene hic relata.

§.12. Et deinde prædictus Paulus IV. prædeceſſor diuina fauente clementia ad Summi Apoſtolatus apicem aſſumptus, Motu proprio per eius cedulam dictas in forma breuis præfati Iulij prædeceſſoris literas præinſertas habentem, ſub Dat. videlicet 7. Idus Octob. Pontific. ſui Anno primo, quædam per cedulam ipſam declarata, & Capitula, ac ipſas literas & omnia in eis contenta, necnõ curam & adminiſtrationem Congregationis de Somaſca eidem Congregationi Clericorum Regularium per prædictum Paulum III. prædeceſſorem commiſſam, etiam ad hoc vt illorum, & de Somaſca Congregat. huiuſmodi, ac omnes illorum perſonæ omnibus & ſingulis priuilegiis, & prærogatiuis, ac aliis quibus vtebantur, potiebantur & gaudebant, ac vti, potiri & gaudere poſſent quomodolibet in futurum, ad inuicẽ & alter alterius, & è conuerſo vti, potiri, & gaudere licite poſſent & valerent, Apoſtolica auctoritate approbans, confirmans, & innouans, illiſque perpetuæ & validæ firmitatis robur adiiciens & illa omnia, & ſingula obſeruari, & eis ſuffragari, eoſque perpetuo illis frui, & gaudere, & ita iudicandum fore, ſublata quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ac irritum & inane eiſdem quicquid ſecus attentari contingeret.

Tu ſcias hanc vnionem non perſtitiſſe, & de Cõgreg. Sõmaſca vide ſup. in Pauli III. conſt. 11 Ex iniuncto.

Facultatemq; adminiſtrãdi Sacramẽta in omnib. Eccleſiis conceſſit.

§.13. Decernens Congregationi Clericorum Regularium, ac tunc, & pro tempore exiſtentibus Clericis Regularibus præfatis, vt ipſi, qui idonei forent Euchariſtiæ ſacramentum, in omnibus & ſingulis etiam ad eos non ſpectantibus Eccleſiis quibuſcumque vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus debite, etiam non per eos ſed alios confeſſis, & alias, vt moris eſt adminiſtrare.

Priuilegiaque Societatis Ieſu, dedit. Hæc vide ſup. in Pauli III. conſt. 15. Regimine, cum, ibi notatis.

§.14. Ipſiſque, vt omnibus & ſingulis priuilegiis, indulgentiis, prerogatiuis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, & indultis dilectis filiis Societatis de Ieſu Almæ Vrbis noſtræ, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus, in ſpecie vel in genere, per quoſcumque Rom. Pont. prædeceſſores noſtros; & dictam Sedem quomodolibet conceſſis, & concedendis, & quibus Societas huiuſmodi, tàm in vita, quàm mortis articulo, etiam circa peccatorum remiſſionem, & iniunctarum pœnitentiarum relaxationes, & ipſius Euchariſtiæ adminiſtrationem & alias quomodolibet vtebantur, ponebantur, & gaudebant, ac vti, potiri, & gaudere poterant, ſimiliter ipſi Congregatio, & Clerici Regulares vti, potiri, & gaudere libere & licite poſſent, & valerent, ac illorum omnium participes eſſe deberent conceſſit, & indulſit. Priuilegia quoque, indulgentias, prærogatiuas, & alia omnia eiſdem Societati, vt præfertur, etiam communicatiue conceſſa ad Congregationem, & Clericos Regulares præfatos extendit & ampliauit, ipſiſque, vt omnia, & ſingula tàm per eoſdem Clementem VII. Paulum III. quàm Iulium etiam III. prædeceſſores eis conceſſa, & per eumdem Paulum IV. etiam prædeceſſorem & alios ex tunc in poſterum concedenda priuilegia, gratiæ, indulgentiæ, prærogatiuæ, exemptiones, & indulta toties reintegrata, confirmata, & innouata, ac in priſtinum ſtatum reſtituta eſſe cenſerentur, quoties per eumdem Paulum IV. prædeceſſorem & Sedem prædictam alia quæcumque priuilegia, aliis Congregationibus, & quorumuis Ordinum Religioſis, & Monachis conceſſa, & concedenda reintegrari, confirmari, vel innouari, & in priſtinum ſtatum reſtitui contingeret etiam conceſſit & indulſit, cum decreto & clauſulis, ac alias certis modo & forma tunc expreſſis, &c.

Hic modo Pont. omnia prædicta confirmat.

§.15. Cumautem ſicut accepimus, &c. Motu proprio, &c. prædicta omnia præſentium tenore confirmamus, approbamus & innouamus, &c.

Præpoſitoque dat facultatẽ abſoluẽdi veniẽtes ad hãc Relig. à quibuſcũque caſibus non reſeruatis in Bulla Cœna Domini.

Ad hoc videnda eſt etiam conſt. 115. Clemen. VIII. Quæcumque.

§.16. Et inſuper eiſdem Congregationi Clericorum Regularium, tàm Romæ, quàm Venetiis, & Neapoli, ac alias vbique locorum degentium, ac illius nunc & pro tempore exiſtentibus Clericis præfatis, vt ipſi & eorum ſinguli, qui Præpoſiti fuerint, quorumcumque qui Congregationem huiuſmodi ingreſſi iuxta illorum ritum profeſſionem per eoſdem Clericos Regulares emitti ſolitam ſolemniter emittere voluerint, in eorum & cuiuſlibet ipſorum profeſſionis emiſſionis, ſeu alio anteriori die quocumque, eorum confeſſionibus per dictos Præpoſitos, aut eorum aliquem diligenter auditis, ipſos & eorum ſingulos ab omnibus & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, ac quacumque per eos eatenus quomodolibet contracta irregularitate, & peccatis aliis quantumcumque grauibus & enormibus, per ipſorum & eorum ſingulos vſque ad dictam diem, quomodolibet perpetratis, commiſſis, & incurſis, etiam ſi talia forent, de quibus hic ſpecialis, & expreſſa mentio habenda, & proptrea dicta Sedes merito conſulenda eſſet. Necnon priuationis, ſuſpenſionis, & interdicti, & quibuſuis aliis eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis in eos à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus profitendos ipſos tunc quomodolibet innodatos, & vt tales declaratos, & publicatos eſſe reperiri contigerit, ſine tamen alicuius præiudicio in quibuſcumque etiam prædictæ Sedi Apoſtolicæ reſeruatis caſibus, præterquam tamen contentis in Bulla die Cœnæ Domini legi conſueta, huiuſmodi Apoſtolica auctoritate prædicta alias in ſuperius dicta forma plene abſoluere, & totaliter liberare, & eis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem iniungere, ac cum ipſis, & eorum quolibet ſuper irregularitate per ipſos, & eorum quemlibet inde, ac etiam quia ſententiis, cenſuris, & pœnis prædictis ligati miſſas forſan, ac alia diuina officia, non tamen in contemptum clauium celebrauerint, aut alias ſe in eis immiſcuerint per pridem vſque tunc, ac etiam ex quocumque eorum defectu, & impedimento, non tamen ex homicidio voluntario proueniente, ac alias quomodolibet contracta. Quodque his præmiſſis, & aliis non obſtantibus in ſuis quos antea ſuſceperunt etiam preſbyteratus ſacris ordinibus, & quando in illis aut aliquo, vel aliquibus eorum adhuc non fuerint tunc promoti, ad illos omnes etiam ſacros, & preſbyteratus ordines huiuſmodi, alias tamen rite promoueri, & in eis promoti etiam in altaris miniſterio in dictis, & aliis quibuſuis Eccleſiis atque locis miniſtrare libere & licite valeant diſpenſare, & ab illis, & eorum quolibet omnem inhabilitatis & infamiæ maculã ſiue notam ex præmiſſis circa eos quomodolibet inſurgentem, & per ipſos contractam penitus abolere. Necnon eos, & quemlibet ipſorum in priſtinum, & eum in quo ante præmiſſa quomodolibet erant ſtatum, & alias iuxta ſupradictam formam reſtituere.

Quæcumque.

§.17

Digitized by Google

Clericisque auctoritatem impartitur administrãdi Sacram. omnibus intra habitationes Congreg. existentes, & etiam ceteris in casu necessitatis.

§.17. Et tam Præpositi, quam ceteri omnes Clerici, Romæ, Venetiis, Neapoli, ac alias vbique locorum degentes, Congregationis huiusmodi, nunc & pro tempore existentes, qui tamen presbyteri fuerint Eucharistiæ etiam pro viatico, ac etiam constitutis in articulo mortis, ac extremæ Vnctionis ceteris Clericis, & Fratribus Congregationis huiusmodi, ac etiam mercenariis, famulis, operariis, & seruis eorumdem Congregationis, ac quibusuis hospitibus etiam sæcularibus, & extraneis, quos in locis, vel habitationibus Congregationis huiusmodi tunc reperiri contigerit, etiam in mortis articulo, & quoties de illo dubitari contigerit, etiam diœcesan. locorum, & Sacerdotum curatorum quorumcumque, etiã in quorũ Ciuitatibus, & Diœcesibus, ac Ecclesiarũ Parochis respectiue, Ecclesiæ, & loca ipsorum Congregationis nũc & pro tempore fuerint, aut aliorum quorumcumque licentia minime petita, nec obtenta; & in casum quo non daretur spatium petendi talem licentiam propter repentinam necessitatem etiam quibuscumque aliis personis, quæ in huiusmodi necessitate intra Ecclesias, Collegia, domos, & habitationes Congregationis prædictorum reperiri contigerit, ac extra illa aliis quibusuis infirmis etiam in mortis articulo constitutis vbique in causa necessitatis supradictæ, etiam nulla ad hoc per eos petita, nec eis concessa licentia cuiusuis Sacerdotis Curati, pœnitentiæ Sacramenta ecclesiastica ministrare possint.

Ad processiones non posse cogi decernit.

§. 18. Ac etiam eisdem, & aliis Clericis Regularibus Congregationis huiusmodi, Romæ, Venetiis, Neapoli, ac alias vbique locorum degentibus, cum ipsi fere totos dies in orationibus, ac Missis, & aliis diuinis Officiis dicendis transigatur, & frequenter ipsos ab audiendis pœnitentium confessionibus esse, & verbum Dei populo prædicare oporteat. Quod de cetero perpetuis futuris tẽporibus, ipsi sicut alij qui in strictiori clausura perpetuo viuunt ad cum ceteris Vrbis nostræ, & Neapolit. prædictarum, ac aliarum Ciuitatum, Terrarum, & locorum in quibus dictæ eorum Ecclesiæ, domus & loca sunt, & erunt quomodolibet in futurum, personis Ecclesiasticis, tàm sæcularibus, quàm præfatorum, & aliorum quorumcumque Ordinum Regularium processionaliter in eorũ processionibus, publicis vel priuatis, etiã solemnibus, aut extra illas de per se incedendum minime teneantur, nec ad id etiam si ceteræ personæ huiusmodi, tam de iure, vel statuto, quàm vsu, & consuetudine, ac alias quomodolibet astringantur inuiti, quauis etiam Apostolica auctoritate cogi, moneri, vel compelli, nec propterea aliquibus ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis innodari, vel ligari possint.

Indulgentias eisdem elargitur.

Ad hoc attẽdenda est const. 16. Pauli V.

§.19. Ac etiam singulis ex ipsis, qui tàm in eorum propriis Ecclesiis & locis existentes, quàm etiam quoties, ac quamdiu pro quibusuis rebus & causis de suorum Congreg. Regularium huiusmodi Superiorum licentia, iussu Commissione vel mandato, propriis Ecclesiis vel domibus abfuerint, & ad quæuis alia Ciuitates, Oppida, Terras & loca declinare, & eos illibi esse, ac etiam permanere contigerit, quadragesimalibus, & quibusuis aliis anni tẽporibus, atque diebus stationum Basilicarum & Ecclesiarum d. Vrbis, & extra illius muros, atque dictis eorumdem Congregationis, & aliis quibuscumque Ecclesiis, & locis, illaque, & illa visitantibus concessarum indulgentiarum, propriam Ecclesiam siue Oratorium, aut vnam aliam Ciuitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum ad quæ vt præmittitur declinauerint, & vbi permanserint, aut in eis quinque vel quatuor, si tot extent, aut pauciora altaria deuote visitando, & semel Psal. Miserere, &c. & Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum pro felici statu, & conseruatione militantis Ecclesiæ, & exaltatione fidei Catholicæ, nostra quoque, & successorum nostrorum Romanorum Pontt. quorumcumque prosperitatem recitando, omnes & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones visitantibus Basilicas, & alias præfatæ Vrbis, & extra illius muros ad id deputatas ac ipsorum Congregationis, & aliorum quorumcumque, tàm in Vrbe, & Neapolit. quàm aliis Ciuitatibus, Terris, Oppidis, & locis sitas Ecclesias visitantibus concessas consequantur, quas consequerentur, & consequi possent si singulis tẽporibus, & diebus supradictis Basilicas & alias Vrbis prædictæ, ac extra illius muros, necnon in Neapolit. & aliis Ciuitatibus, Oppidis, Villis, & locis præfatis sitas Ecclesias personaliter visitarent, ac omnia & singula, quæ pro huiusmodi indulgentiis consequendis quomodolibet requiruntur adimplerent, Apostolica auctoritate prædicta concedimus, & indulgemus, ac etiam perpetuo statuimus, & ordinamus.

Clauſ. præſeruatiua huic bullæ apponit.

§. 20. Decernentes præsentes nostras literas, quæ ad plenam probationem præmissorum omnium, & singulorum, itaut nulla probatio in contrarium admittatur, sufficiant nec ad id alterius probationis adminiculum requiri debeat, ac eædem præmissæ seu earum aliqua de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ defectu notari, seu impugnari non posse, sed semper valida, & efficacia existere, ac eisdem Congreg. & illius Regularibus Clericis, & aliis personis suffragari, & sub nullis, etiam totum earumdem præsentium tenorem in se continentibus, reuocationibus, suspensionibus, derogationibus, aut aliis alterationibus, similium vel dissimilium confirmationum, concessionum & gratiarum, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis, etiam motu & scientia similibus, etiam consistorialiter etiam per nos & successores nostros Rom. Pontt. pro tempore existen. ex quibusuis causis etiam iustissimis pro tempore quomodolibet factis, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis excipi, ac quoties illæ emanabunt toties in pristinum statum restituta, & plenarie reintegrata existere & censeri, & ita per quoscumque Iudices & Commissarios, vt præfertur, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate iudicari, sententiari, & definiri debere, necnon irritum & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§.21. Quocirca Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Neapolitano Placentin. ac Amerin. Episcopis per Apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium seu alios præsentes literas, & in eis contenta, quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties super hoc pro parte Congregationis, & illius Clericorum Regularium, ac aliarum personarum prædictorum, vel alicuius eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque & cuilibet ipsorum in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra literas, & in eis contenta huiusmodi firmiter obseruari, illosque, & quemlibet illorum eis pacifice frui, & gaudere, non permittentes illos, vel eorum quempiam per quoscumque desuper quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet & rebelles per censuras & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Contrarijs omnibus derogat.

§. 22. Non obstantibus piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, qua cauetur, ne quis extra suã Ciuitatem, vel Dioc. nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ Diœc. ad iudicium euocetur, seu ne Iudices à Sede Apost. deputati extra Ciuitatem, vel Diœc. in quibus deputati fuerint contra quoscũque procedere, aut alij, vel aliis vices suas committere quoquomodo præsumant, & de duabus dietis in Cõcilio Generali edita, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur. Necnon aut regulis nostris de vnionibus, & illarum confirmationibus committendis ad partes vocatis quorum interest, ac de indulgentiis ad instar non concedendis. Necnon Lateranen. Concilij nouissime celebrati si opus sit, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon supradictis, & omnibus aliis, quæ singuli prædecessores prædicti in dictis eorum cedulis, literis & supplicatione voluerunt non obstare, & quæ reuocarunt, quibusque derogarunt cum perpetui desuper silentij impositione, & inhibitione alias prorsus similibus modo & forma supradictis. Quibus etiam omnibus & singulis; etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis

eorum que

Digitized by Google

eorumque totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, indiuidua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim à præfata ſit Sede indultum quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Tranſumptis credi iubet.

§. 23. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in Romana Curia quam extra eam vbilibet adhibeatur, & illis ſtetur etiam in iudicio & extra, quæ eiſdem literis adhiberetur, ſi in medium exhibitæ forent, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, auocationis, extinctionis perpetui ſilentij impoſitionis, approbationis, confirmationis, innouationis, adiectionis, conceſſionis, indulti, ſtatuti, ordinationis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

D. P. An. 2. die 13. Febr.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo, ſexageſimo ſeptimo ſeptimo Id. Februarij Pontificatus noſtri anno tertio.

XXXII. Forma expediendi literas Apoſtolicas ſuper gratiis reſignationum beneficiorum Eccleſiaſticorum.

Formam autem publicandi eiuſmodi reſignationes, videbis inconſt. 85. Greg. XIII. Humano. *vbi notabo, aliis tamquam minus neceſſariis, prætermiſſis.*

Edita An. D. 1567.

PIVS PAPA V.

Motu proprio, &c.

Exordium.

COgit nos neceſſitas, vt nouam futuris aliquot huius Curiæ negociis formam imponere cutemus. Quocirca dilectis filiis S. R. E. Vicecancellario, literarum Apoſtolicarum Abbreuatoribus, & in illarum expeditione dicto Vicecancellario aſſiſtentibus, Summatori, ceteriſque omnibus id expeditionis munus in Curia, & Camera Apoſtolica, & vbicumque gerentibus, tenore præſentium auctoritate Apoſtolica mandamus.

Forma prouiſionis prime.

§. 1. Vt deinceps ſuper omnibus gratiis, & conceſſionibus Apoſtolicis de quibuſuis beneficiis, cum cura & ſine cura, ſæcularibus, & quorumuis Ordinum Regularibus, etiam apud Sedem Apoſtolicam vacantibus, & diſpoſitioni Apoſtolicæ reſeruatis, in quibus addita fuerit clauſula. Et in forma dignum, literas Apoſtolicas expediant in eadem forma quæ aut ad Epiſcopum diœceſanum, aut ad Vicarium Generalem, aut ad officiales eiuſdem Epiſcopi diſiunctiue, ad electionem impetrantis dirigantur, cum limitationibus, & clauſulis infraſcriptis, videlicet, de parochialibus Eccleſiis, vel earum parochialibus Eccleſiis dumtaxat, & per reſignationem vacantibus in dictis literis poſt verbum mandamus, vt ſi ſibi conſtiterit, quod dictus N. reſignans, ſi in ſacris ordinibus conſtitutus exiſtat, aliunde commode viuere poſſit, ac per diligentem examinationem per te adhibitis examinatoribus ad hoc à Concilio Tridentino deſignatis, ſi iſthic ſint vbi eſſe debent in diœceſana ſynodo deputati, ſin autem abſque illis faciendam dictum I. reſignatarium ad hoc idoneum eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Eccleſiam prædictam, cuius, &c. & inferius poſt verba. Cum omnibus iuribus & pertinentiis ſuis, eidem Ioanni, quibuſcumque aliis ſeſe ad examen prædictum, etiam per mutuum concurſum admitti, & ſibi de dicta Eccleſia prouideri petentibus, penitus excluſis, infra triginta dies poſtquam præſentes literæ tibi præſentatæ fuerint auctoritate noſtra conferas, & aſſignes, &c.

Secunda.

In ceteris vero literis de quibuſuis aliis beneficiis per eamdem reſignationem vacantibus ſimiliter poſt verbum mandamus, inſeratur, vt ſi ſibi conſtiterit, quod ſi dictus N. quatenus in ſacris ordinibus conſtitutus exiſtat, aliunde commode viuere poſſit, ac per diligentem examinationem dictum I. idoneum eſſe repereris, ſuper quo tuam cõſcientiam oneramus, Canonicatum, & præbendam prædictam, quorum, &c. Et inferius poſt verbum, pertinentiis ſuis, eidem I. intra 30. dies poſtquam præſentes literæ tibi præſentatæ fuerint, auctoritate noſtra conferas, &c.

Tertia.

Propterea in omnibus mandatis prouiſionum, ſeu commendis de quibuſcumque beneficiis, & Monaſteriis per ſimilem reſignationem, ſeu ceſſum vacantibus, ad finem ante clauſulam decreti irritantis, addatur hæc clauſula, videlicet. Ceterum ne dum prodeſſe ſtudemus, aliquâ forte irrepat iniquitas in extium animatum, tu attente his circumſpicias, an ex prædictæ N. & I. prædictorum ſuper dicta reſignatione, vel ceſſione, vt fuerit, quam nos nullo hucuſque vitio laborare deprehendimus, interceſſerit ſimoniæ labes, aut alia illicita pactio, vel etiam corruptela, nos eum, &c.

Quarta.

In reliquis autem prouiſionibus, & commendis quorũcumque curatorum & ſimplicium beneficiorum, ſæcularium, & regularium prædictorum, etiam reſeruatorum aliter quam per reſignationem quouis modo vacantibus, videlicet quoad parochiales Eccleſias, vel earum perpetuas vicarias dumtaxat, poſt verbum mandamus, vt ſi per diligentem examinationem per te adhibitis examinatoribus ad hoc, vt ſupra vſque, oneratus, Eccleſiam prædictam cum omnibus iuribus, & pertinentiis ſuis eidem Io. intra triginta dies, &c. conferas.

Quinta.

Et ſimiliter in omnibus aliis eadem forma ſeruetur omiſſa clauſula adhibitis examinatoribus.

Sexta.

Et deinde ſuper omnibus huiuſmodi literis, etiam aliæ literæ executoriæ dari debeant, directe vel ad Metropolitanum, vel vni ex propinquioribus Epiſcopis, ſiue eorum Vicario, vel officiali diſiunctiue, aut nomine dignitatis Epiſcopi expreſſe, quando alij executores ſuper hoc à nobis dati pro tempore adfuerint videlicet pro parochialibus Eccleſiis per reſignationem vacantibus in hunc modum, videlicet, Fratri Archiepiſcopo N. ſalutem, &c. Hodie cum dilectus filius N. nuper parochialis Eccleſiæ Rector de N. & N. diœceſis dictam Eccleſiam quam tunc obtinebat, per certum Procuratorem ſuum ad id ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte, & libere reſignaſſet, noſque reſignationem huiuſmodi duxiſſemus admittendam, venerabili fratri noſtro Epiſcopo N. per alias noſtras literas dedimus in mandatis, vt ſi conſtaret, quod N. in ſacris ordinibus conſtitutus exiſteret, aliunde commode viuere poſſet, ac per diligentem examinationem per eumdem Epiſcopum adhibitis examinatoribus ad id à Concilio Tridentino deſignatis, ſi iſthic ſint, vt eſſe debent in diœceſana ſynodo deputati, ſin autem ſine illis faciendam, dilectum filium N. Clericum dictæ diœceſis ad id idoneum eſſe reperiret, clauſulam prædictam per reſignationem eamdem tunc vacantem & antea diſpoſitioni Apoſtolicæ reſeruatam, etiam ſi illa alias quouis modo, aut ex alterius cuiuſcumque perſonæ vacaret, cum illis forſan annexis, ac omnibus iuribus, & pertinentiis ſuis, prædicto Io. quibuſcumque aliis ſeſe ad examen prædictum, & per mutuum concurſum admitti; & ſibi de dicta Eccleſia prouideri petentibus penitus excluſis, intra triginta dies poſtquam dictæ literæ præſentatæ fuerint, auctoritate noſtra conferret, & aſſignaret, prout in dictis literis plenius continetur. Quocirca fraternitati tuæ, &c. mandamus, vt ſi dictus Epiſcopus eamdem Eccleſiam intra prædictos 30. dies ipſi Io. non contulerit, & aſſignauerit, tu illis elapſis poſtquam tibi conſtiterit, quod dictus Io. ſi in ſacris ordinibus conſtitutus exiſtit, aliunde commode viuere poſſit, vt præfertur, ac ſolertem examinationem à te, etiam adhibitis tribus vel pluribus aliis probis & peritis viris, quam primum faciens, prædictum N. idoneum eſſe repereris, ſuper quo tuam

Digitized by Google

conscientiam oneramus, prædictam Ecclesiam cum annexis, ac iuribus, & pertinentiis supradictis eidem N. quibuscumque aliis huiusmodi concurrentibus prorsus exclusis, dicta auctoritate conferre, & de illa etiam prouidere procures, inducens per te, vel alium, seu alios ipsum N. vel Procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Ecclesiæ, ac annexorum iurium, & pertinentiarum prædictarum, & defendens inductum amoto exinde quolibet detentore, ac faciens illi de Ecclesiæ & annexorum eorumdem fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, & obentionibus vniuersis integre responderi, contradictores, &c. Non obstantibus omnibus, quæ in dictis literis voluimus non obstare, aut si pro tempore existenti Episcopo N. vel quibusuis aliis, cõmuniter vel diuisim, ab Apostol. sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Ceterum tu attente istic circumspicias, an ex parte N. & I. prædictorum supradictæ resignationi vt fieret intercesserit simoniæ labes, aut alia illicita pactio, vel alia corruptela. Dat. &c.

Sexta. In ceteris vero beneficiis prædictis per similem resignationem vacantibus, vt supra. Venerabili Archiep. N. salutem. Hodie cum dilectus filius F. nuper Canonicus B. Canonicatum, & præbendam Ecclesiæ B. quos tunc obtinebat per certum Procuratorem suum, &c. vt supra duximus admittendum, venerabili fratri nostro Episcopo N. per alias nostras literas dedimus in mandatis, vt si ei constaret, quod dilectus F. si in sacris ordinibus constitutus esset, aliunde commode viuere posset, ac per diligentem examinationem dilectum filium N. Clericum N. diœcesis ad id idoneum esse reperiret, Canonicatum, & præbendam præfatos per resignationem eamdem tunc vacantes, & antea Apostolicæ dispositioni reseruatos, etiam si illi alio quouis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona vacaret, cum illis forsan annexis, & plenitudine iuris canonici, & omnibus iuribus & pertinentiis suis, prædicto Io. intra triginta dies postquam dictæ literæ deputatæ forent, auctoritate nostra conferret, & assignaret, prout in dictis literis plenius continetur. Quocirca fraternitati tuæ, &c. mandamus, vt si dictus Episcopus eosdem Canonicatum, & præbendam intra prædictos triginta dies ipsi Io. non contulerit, & assignauerit, tu illis elapsis, postquam tibi constiterit quod dictus F. si in sacris ordinibus constitutus sit, & aliunde cõmode viuere possit, vt præfertur, & per similem examinationem quamprimum faciendam præfatum Io. idoneum esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, Canonicatum, & præbendam prædictos cum omnibus annexis de plenitudine iuris Canonici, ac omnibus iuribus & pertinentiis prædictis, eidem Io. conferre, & de illis etiam prouidere dicta auctoritate procures, vel inducens per te, vel alium, seu alios ipsum Io. vel Procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Canonicatus, & præbendæ, ac annexorum, iuriumque & pertinentiarum prædictarum, & defendens inductum amoto exinde quolibet detentore, ac faciens illum, vel pro eo Procuratorem prædictum ad præbendam huiusmodi in dicta Ecclesia in Canonicum recipi & in fratrem, stallo in Choro, & loco in Capitulo dictæ Ecclesiæ cum iuris Canonici plenitudine assignatis, sibique de Canonicatus, & præbendæ, ac annexorum eorumdem fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, & obuentionibus vniuersis integre responderi. Contradictores, &c. Non obstantibus omnibus, quæ in dictis literis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si pro tempore existente Episcopo, & dilectis filiis Capitulo B. vel quibusuis, &c. mentionem. Ceterum tu attente isthic circumspicias, &c. Dat. &c.

Septima. Aliis autem prouisionibus, seu commendis huiusmodi beneficiorum alias vacantibus, alia forma executoria concipiatur, quæ literæ congruunt principali.

Octaua. Similiter quando Vicario, vel officiali prædicto huiusmodi literas, tam pro principali, quam pro executoria dirigi contigerit, communis eis formula seruatis aliis omnibus supradictis ordinetur.

Nona. Ceterum omnibus mandatis de præbendis, vel commendæ Monasteriorum, etiam reseruata, tam virorum, quæ extra Consistorium expediuntur, quam etiam mulierum, vetus forma commissaria sicubi desuerit, restituatur ac literæ desuper expediantur cum clausula, quod delegatus de meritis, & idoneitate promouendi se informet, & si eum ad regimen, & ad ministrationem Monasterij repererit idoneum, conscientiam illius onerando prouideat, vel commendet intra triginta dies, vt supra. & desuper forma executorialium, etiam concipiatur, quæ suis prouisionibus correspondeant.

Decima. Denique in ipsis commendis post verbum, idoneum repereris, interserantur verba, ad Monasterium vel beneficium in commendam obtinendum.

Iussio registrandi. §. 2. Volentes præsentes tam in dicto Cancellariæ libro, quinterno nuncupato, quam etiam Camera prædicta registrari, & ab omnibus inuiolabiliter custodiri. Ac decernentes irritum, &c.

Clausula derogatoria. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, stylo Cancellariæ, & Cam. Apost. quantocumque temporum seruato, ceterisque contrariis quibuscumque.

Placet, & ita Motu proprio mandamus M.

Papa subscr.

Lectus & publ. fuit supra d. Motus proprius Romæ in Cancellaria Apost. Anno Domini 1567. die 13. Martij Pont. S. D. N. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno secundo.

D. P. An. 2. die 13. Mart.

XXXIII. Damnatio cuiuscumque collationis Ecclesiarum Parochialium, non seruata forma Concilij Tridentini, hactenus factæ, vel de cetero faciendæ.

Editæ An. D. 1567.

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. IN conferendis beneficiis Ecclesiasticis, & præsertim Parochialibus Ecclesiis personis dignis & habilibus, quæ in loco residere, & per se ipsos curam exercere valeant, quantam diligentiam adhiberi oporteat, Alexandri III. Lateranen. & Gregorij X. Lugdunen. generalibus Conciliis, ac Innocentij similiter III. & aliorum Romanorum Pont. prædecessorum nostrorum editæ constitutiones testantur.

Conc. Trid. sess. 7. c. 13. & sess. 24. c. 18. de reformat. tradidit formam conferẽdi Parochiales Ecclesias, & interim est de Vicario prouidendi. §. 1. Quod vt diligentius, ac rectius perficiatur, statuit etiam Synodus Tridentina, vt occurrente vacatione parochialis Ecclesiæ etiam generaliter, vel specialiter, etiã vigore indulti in fauorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aut alias quomodolibet reseruatæ vel affectæ, debeat Episcopus habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore prouideatur. Et deinde Episcopus, & qui iuspatronatus habet, intra decem dies, aut aliud tempus ab Episcopo præscribendum, aliquos clericos ad regendum Ecclesiam idoneos Examinatoribus iuxta formam eiusdem Synodi deputatis, nominet, & nonnisi ab eisdem Exminatoribus per concursum aliorum Examinatorum, etiam tamquam magis idoneo ab Episcopo iudicato & electo de Ecclesia prouideatur. alias prouisiones, seu institutiones omnes præter formam prædictam factæ, surreptitiæ censeantur.

Quidam vero Episcopi de huiusmodi Ecclesiis prouiderunt, non seruata dicta forma. §. 2. Sed quoniam res humanæ semper in deterius prolabuntur nisi sit qui eas retineat, ac debitæ executioni demandet, & verendum sit ne propter constitutionum huiusmodi transgressionem maximi abusus oriantur. Nos, ad quorum notitiam non sine graui nostra molestia peruenit nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, occurrente vacatione Parochialium Ecclesiarum, eas nullo aut minus rite seruato examine, præsertim illo quod per concursum fieri debet ex Concilio Tridentino, vel etiam examine rite seruato, personis minus dignis, carnalitatis aut alium humanæ passionis affectum non rationis iudicium sequentes contulisse, & de eis prouidisse, volentes quantum cum Deo possumus huiusmodi ac etiam futuris periculis occurrere.

§. 3. Eo

Digitized by Google

Ideo hic Pont. collationes factas, ac fiendas contra formã d. Cõc. annullat, & beneficia vacare decernit, & Sedi Apost. reseruat.

§. 3. Eorumdem prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones præfatas etiam innouando, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium omnes & ſingulas collationes, prouiſiones, inſtitutiones, & quaſuis diſpoſitiones Parochialium Eccleſiarum ab eiſdem Epiſcopis, & Archiepiſcopis, ac quibuſuis aliis collatoribus, tam ordinariis quam delegatis, etiam S.R.E. Cardinalibus, ac Sedis Apoſtolicæ Legatis, vel Nunciis, præter & contra formam ab eodem Concilio Tridentino, præſertim in examine per concurſum faciendo, præſcriptam factas aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris vel momenti fore & eſſe, nullumque prouiſis ius aut titulum etiam coloratum poſſidendi præbere, & parochiales Eccleſias huiuſmodi, vt prius ante collationes huiuſmodi vacabant, ex nunc vacare ſtatuimus, decernimus, & declaramus, eaſque omnes pro tempore ſic vacantes noſtræ & Sedis Apoſtolicæ, ſeu eorũ quibus ius conferendi eas, præterquam Epiſcopis, & Archiepiſcopis, qui curam dicti examinis iuxta decretum Concilij habere debent competet, diſpoſitioni reſeruamus.

Immo collationes Parochialium ſpectare ad Sedē Apoſt. ſi de eis ſeruata forma dicti Cõc. Ordinarij non prouiderint, in tempore, & modo hic expreſſis.

§. 4. Inſuper ne Parochiales Eccleſiæ diu in ſuſpenſo maneant in maximum animarum periculum, quarumcumque Parochialium Eccleſiarum, quarum dum pro tempore vacant, ad Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & Patriarchas, & quoſuis alios Ordinarios collatores, in menſibus ordinariis, collatoribus etiam per noſtras regulas aſſignatis prouiſio & collatio ſpectat & pertinet, de quibus iidem Epiſcopi & Ordinarij prædicti intra ſex menſium ſpatium à die vacationis earumdem perfecto examine iuxta formam Concilij Tridentini præfati non prouiderint, ac illarum etiam quarum collationes nobis, & dictæ Sedi generaliter vel ſpecialiter & ex quauis cauſa reſeruatæ, ſeu affectæ exiſtunt, aut alias ex indulto Sedis Apoſtolicæ competunt, ad quas occurrente illarum vacatione Epiſcopi & Archiepiſcopi præfati perſonas per examen concurſu mutuo habito iuxta dicti Concilij Tridentini formam approbatas & magis idoneas non elegerint, aut electas nobis vel ſucceſſoribus noſtris, aut iis ad quos collatio ſpectabit, pro collatione obtinenda intra quatuor menſium ſpatium à die illius vacationis non ſignificauerint, necnon Parochialium Eccleſiarum, ſimilium, quæ Iuriſpatronatus eccleſiaſtici, vel aliorum ſeu clericorum & laicorum ſimul fuerint, ſi præſentatus intra tempus eiſdem patronis à iure præfixum prævio examine iuxta formam dicti Concilij approbatus petatur inſtitui, inſtitutioque ipſa per duos menſes à die præſentationis dilata fuerit, collationem prouiſionem, inſtitutionem, ac omnimodam diſpoſitionem, nobis & ipſi Sedi ac perſonis indulta huiuſmodi conferendi, prouidendi, ſeu inſtituendi obtinentibus reſpectiue reſeruamus, data tamen in Parochialibus Iuriſpatronatus optione ipſis patronis, vt ſi inſtitutio ad Ordinarios ſpectabit, ipſis Ordinariis illam facere negligentibus, & vltra dictos duos menſes deferentibus, poſſint pro huiuſmodi inſtitutione obtinenda habere recurſum ad Metropolitanum, vel viciniorem Ordinarium, aut ad Sedem Apoſtolicam.

Tirminus Cõcilij non prorogatur.

§. 5. Prohibentes etiam eiſdem Ordinariis ne tempus decem dierum eiſdem Ordinariis & patronis ab eodem Concilio Tridentino ad nominandum idoneos clericos coram deputatis Examinatoribus præfixum, vltra alios decem dies prorogare audeant, vel præſumant.

Beneficia ſic reſeruata Ordinarij non conferant.

§. 6. Diſtrictius inhibentes ne quis præter Romanos Pontifices, aut alios indulta huiuſmodi obtinentes, vt præfertur quacumque ſit ſuper hoc auctoritate munitus, de huiuſmodi beneficiis ſic reſeruatis (vt præfertur) diſponere, vel circa illa etiam per viam permutationis, vel alias innouare quoquo modo præſumat.

Collatio prædictorum fiat idoneis, & grauati appellent.

§. 7. Vt autem non ſolum dignis, ſed magis idoneis repertis iuxta eiuſdem Concilij decretum Parochiales Eccleſiæ conferantur, volumus & eadem auctoritate decernimus, quod ſi Epiſcopus minus habilem poſthabitis magis idoneis elegerit, poſſint ij qui ſelecti fuerint à mala electione huiuſmodi ad Metropolitanum, vel ſi ipſe eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorem Ordinarium vti noſtrum & Sedis huiuſmodi delegatum, aut alias ad ipſam Sedem Apoſtolicam appellare, ac præelectum ad nouum examen coram ipſo appellationis Iudice & eius Examinatoribus prouocare, & conſtito de prioris eligentis irrationibili iudicio, eoque reuocato, Parochialis, magis idoneo per eumdem iudicem appellationis auctoritate noſtra (quatenus collatio ad Epiſcopum à quo appellatum fuit ſpectaret) conferatur; alias eidem magis idoneo per Iudicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum ad quem collatio, prouiſio, vel inſtitutio ſpectabit.

Appellatio autem nõ ſuſpendit executionem electionis.

§. 8. Hæc tamen appellatio interpoſita interim non impediat aut ſuſpendat quo minus electio per Ordinarium primo loco facta interim debitæ demanderur executioni, & prouiſus ab eadem Eccleſia cauſa appellationis huiuſmodi dependente non amoueatur.

Et à Iudice appellatione ad Sedem Apoſt. appellabitur.

§. 9. Et ſi quis à ſententia per Iudicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad Sedem ipſam Apoſtolicam appellabit. Si ſecus in præmiſſis omnibus & ſingulis actum aut attentatum fuerit, irritum decernimus & inane.

Tranſumptorum fides.

§. 10. Volumus autem quod præſentium tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Formã & effectus publica.

§. 11. Quodque literæ ipſæ Cam. & Cancell. Apoſtolicarum, & Audientiæ cauſarum Palatij Apoſtolici valuis, & in acie Campi Floræ, dimiſſis inibi copiis publicatæ & affixæ, omnes ita afficiant & arctent, ac ſi illis perſonaliter intimatæ fuiſſent. Nulli ergo, &c.

D P. An. 2. die 18. Martij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, 1567. 15. Cal. Apr. Pont. noſtri anno 2.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. 1567. indictione 10. die vero 16. menſis Maij, Pontif. autem Sanctiſſ. in Chriſto patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius II. retroſcripta literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in retroſcriptis locis, vt moris eſt per nos Alexandrum Aſtancollum & Ioannem Guerardum prælibati S.D.N. Papæ Curſ.

Ant. Clerici Mag. Curſ.

XXXIV. Quod Religioſi regulares, ob defectum presbyterorum, in partibus nouarum Indiarum, officio Parochorum fungi valeant.

Has nouas Indias Alexan. VI. donauit Regi & Eliſabeth Reginæ, vt ſup. in eius conſt. 2. Inter &c.

Edita A. D. 1567.

PIVS PAPA QVINTVS Cariſſime in Chriſto fili noſter, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Philippus II. Rex Hiſpan. huic Põt. expoſuit, quod in partib. Indiarũ, ob defectũ presbyterorum religioſi Parochorum officio functi ſunt; in maximũ Chriſtianæ fidei prõpagationem. Et ideo ſupplicat pro indulto in futurum, habitã per religioſos licentia ab eorum Superioribus in Capitulis prouincialibus.

§. 1. EXponi nobis nuper fecit tua Maieſtas Regia, quod iuxta Sacri œcumenici Concilij Tridentini decreta, nulla matrimonia niſi præſente Paroco, aut de illius licentia contrahi. Nulluſque Religioſus abſque Epiſcopi licentia, verbum Dei prædicare, ac ſæcularium perſonarum confeſſiones audire. Epiſcopi vero nouas Parochias in locis ab inuicem longe diſtantibus conſtituere poſſint. Quia tamen in partibus Indiarum Maris Oceani, Religioſi, propter presbyterorum defectum, hactenus officio Parochi functi fuerunt, & id quod ad conuerſionem Indorum attinet, exercuerunt, & exercent, ex quo non modicos, ſed maximos fructus, etiam verbum Dei eiſdem Indis prædicando & explicando, ac confeſſiones audiendo, ad fidei Catholicæ propagationem fecerunt, dicta Maieſtas tua nobis humiliter ſupplicari fecit, quatenus ipſis Religioſis, vt illi ad vberiores fructus in dicta conuerſione Indorum reportandum incitentur, in locis eis aſſignatis, & aſſignandis, officium Parochi, matrimonia celebrando, ſacramenta Eccleſiaſtica miniſtrando, prout hactenus conſueuerunt, exercendi, & ab eorum Superioribus, in Capitulis Prouincialibus obtenta licentia, verbum Dei prædicandi, & ſæcularium confeſſiones de ſuorum Superiorum licentia audiendi facultatem concedere, aliaſque in præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Quare ipſe Pont. concedit dictum indultum.

§. 2. Nos igitur qui ſingulorum, præſertim Catholicorum Regum votis ad diuini cultus augumentum

Digitized by Google

tam religiosis idioma inaorum intelligensib. & eũ de licentia Superiorũ ac seruata circa matrimonia Conc. Trid. forma in reliquis solemnitatibus, absque alia licẽtia Ordinariorum.

& animarum salutem tenden. libenter annuimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus & singulis Religiosis quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum, in dictis Indiarum partibus, & in eorumdem Ordinum Monasteriis, vel de illorum Superiorum licentia extra illa commorantibus, vt in locis ipsarum partium. eis de simili licentia assignatis, & assignandis, officium Parochi, huiusmodi matrimonia celebrando, & Ecclesiastica sacramenta ministrando, prout hactenus consueuerunt (dummodo ipsi in reliquis solemnitatibus dicti Concilij formam obseruent) exercere, & verbum Dei vt præfertur, quatenus ipsi Religiosi Indorum illarum partium idioma intelligant, de suorum Superiorum licentia vt præfertur, in eorum Capitulis Prouincialibus obtenta, prędicare, ac confessiones audire, Ordinariorum locorum, & aliorum quorumcumque licentia minime requisita, libere & licite valeant, licentiam, & facultatem auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

§. 3. Et insuper, ne in locis illarum partium, in quibus sunt Monasteria Religiosorum, qui animarum curam exercent, aliquid per prędictos Episcopos innouetur, eadem auctoritate, & tenore statuimus & ordinamus.

Episcopis inhibet, ne illos molestent.

§. 4. Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere; ac quicquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Clausula sublata, &c.

§. 5. Mandantes nihilominus, dilectis filiis Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, & B. Mariæ de Mercede, ac del Carmen, extra & intra muros Hispalensium Monasteriorum, per Priores gubernari solitorum, Prioribus, quatenus ipsi, vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, eisdem Religiosis, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant eis & eorum cuilibet, concessione, indulto, statuto, & ordinatione ac aliis præmissis pacifice frui & gaudere. Non permittentes eos, per locorum Ordinarios, & alios quoscumque, contra præsentium tenorem, quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias pœnas, eorum arbitrio moderandas, & applicandas, appellatione postposita, compescendo, ac censuras ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, interdictum ponendo. inuocato ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Deputatio executorum.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis Apostolicis, ac in Prouincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac Monasteriorum, & Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, Monasteriis & Ordinibus, prædictis, eorumque Superioribus & personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc seruanda foret tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in eis tradita obseruata inserti forent præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Clausula derogatoria.

§. 7. Et quia difficile foret, præsentes literas, ad singula quæque loca, in quibus de eis fides forsan facienda foret, deferre, etiam volumus, & eadem auctoritate Apostolica decernimus, quod illarum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio & extra, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 24. Martij, anno 1567. Pont. nostri anno 2. *D.P. 4n. 1. die 24. Martii.*

XXXV.

Prohibitio alienandi & infeudandi Ciuitates & loca S.R.E. vel de eorum alienationibus & infeudationibus tractandi, quouis prætextu, etiam euidentis vtilitatis.

Hæc prohibitio ab omnibus successoribus confirmata fuit, initio Pontificatus, vt in eorum bullis, quas omnes tamquam simpliciter confirmatorias prætermisi. Quinimmo extensa est à Greg. XIII. vt notaui in eius const. 3. Inter. *& à Six. V. vt pariter notaui in eius const. 26.* Quanta. *ac ab Innoc. IX. in const. 1.* Quæ. *vbi aliarum alienationum materias indicabo. Et iterum ampliata fuit à Clem. VIII. in const. 1.* Ad Romani. *Qui Clemens huic bullæ Ducatum Ferrariæ mox ad Sedem Apostolicam deuolutum cum suis redditibus subiecit in alia const. 52.* Sanctissimus.

At scias non comprehendi Terras & loca confiscata ob delicta de quibus in Greg. XIII. constit. 65. *Tanta.* & Sixt. V. constit. 6. *Hoc nostri.* Pro vt neque comprehenduntur ea quæ Camera Apost. emit à Baronibus, iuxta constit. Clem. VIII. *Iustitiæ.*

Attende quæ addidi ad Leon. I. const. 1 sup. tom. 1.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* *Editæ An. D. 1567.*

Exordium.

ADmonet nos suscepti cura regiminis vniuersalis Ecclesiæ cui auctore Domino præsidemus, vt Ciuitates, Terræ, Oppida, & Loca, nobis & Sedi Apostolicæ in temporalibus mediate & immediate subiecta perpetuo, in iure, dominio, & proprietate ac possessione dictæ Sedis conseruentur.

Causa huius const.

§. 1. Sane licet nonnulli Romani Pontifices prædecessores nostri per eorum Constitutiones, rerum Ecclesiasticarum alienationes prohibuerint, & iam factas reuocauerint, & annullauerint; nihilominus cum retroactis temporibus nonnulli nimium ambitiosi & dominandi cupidi sub variis prætextibus, coloribus & causis, sæpe etiam falsis (quod non sine maximo animi nostri mœrore referimus) aliquibus Romanis Pontificibus suggestionibus & insinuationibus suis conati sint ostendere, & persuadere magis vtile, & expediens S. R. E. & Sedi præfatæ fore, si aliquæ Ciuitates, Terræ, Oppida, Castra, Arces, & Loca, ad ius & proprietatem eiusdem Sedis pertinentia, in feudum, gubernium, vicariatum, ducatum, aut quemuis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, seu ad vitam, aut alias ad longum tempus concederentur vel etiam ex eo quod alias in feudum data aut quouis alio titulo huiusmodi alienata fuerint, & propterea tamquam ad Sedem prædictam deuoluta, vel deuoluenda posse & debere de iure iterum infeudari, & alienari, atque inde nonnullas alienationes, infeudationes, & concessiones à Sede Apostolica emanasse, ex quibus illa non mediocrem diminutionem non solum patrimonij, sed etiam extimationis recepisse dignoscitur.

Declaratio quod Ciuitates, & loca S. R.E. tã alienata infeudata & deuoluta, quam alienanda & deuoluenda censeantur ipso iure Sedi Apost. incorporata.

§. 2. Hinc est quod nos cõsiderantes omnium Ciuitatum, & locorum prædictorum singularem fidem, & promptam deuotionem eidem Sedi exhibitam, omni tempore valde vtilem & salutarem fuisse, & esse; ac volentes non solum alienationes huiusmodi (quas tempore nostro omnino exulare intendimus) de medio tollere, & quod nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus, quos non immemores fore speramus ante Domini nostri IESV Christi in examine diei magni aduentus tribunal, villicationis nostræ rationem reddituros nos esse, sed vt omnis alienationum huiusmodi fiendarum occasio pœnitus aboleatur, quantum cum Deo possumus, per amplius prouidere, cõstitutionib. prædecessorum

Digitized by Google

rum nostrorum huiusmodi etiam inhærendo, illasque innouando; Motu proprio, & ex certa nostra scientia, non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera animi nostri deliberatione, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, habita etiam super his cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus in Consistorio nostro secreto consultatione matura, de eorum consilio, & vnanimi assensu (qui etiam iurauerunt præsenti Constitutioni non contrauenire, nec Pontificibus alienationes contra tenorem præsentium attentantibus consentire, & absolutiones à iuramento huiusmodi non petere, nec acceptare) hac nostra perpetuo valitura Constitutione decernimus & declaramus, Ciuitates, & loca prædicta etiam hactenus in feudum, aut quemuis alienationis titulum dari solita, vel consueta, ad nos & Sedem præfatam quomodolibet deuoluta, & pro tempore deuoluenda, absque alia vlteriori declaratione, & illorum possessionis apprehensione eo ipso Sedi, & Cameræ Apostolicæ incorporata, ac ad ius, & proprietatē, & dominium pristinum, ac possessionem rediisse censeri, perinde ac si per quadraginta annos & vltra, Ciuitates, & Loca præfata, à nobis & Sede præfata immediate possessa, & numquam in feudum, aut titulum concessa fuissent.

Prohibitio de cet. quauis de causa infeudādi & alienandi vel de eis tractandi.

§. 3. Statuimusque, & decernimus, quod omnes, & singulæ tam Communitates, & Vniuersitates, quam Ciues, & incolæ Ciuitatum, Terrarum, & Locorum prædictorum aliæque quæcumque personæ, tam Ecclesiasticæ quam sæculares, cuiusuis dignitatis & ordinis etiam Episcopalis, vel maioris existentes, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, tam publice in consiliis Ciuitatum, & Locorum præfatorum, quam priuatim alibi in quibusuis locis, etiam Ciuitatum, & Terrarum earumdem Gubernatores, aut & Sedis Apostolicæ Legati, vel Prolegati existant, tractantes, consulentes, aut alias verba facientes de infeudationibus, aut alienationibus de Ciuitatibus, & locis præfatis immediate ad nos & Sedem præfatam spectantibus, & pertinentibus, etiam deuolutis, etiam in feudum communiter, & pluries dati solitis, etiam ex causa permutationis, vel sub annuo censu, aut canone, aut alias quomodolibet, etiam contemplatione meritorum erga Sedem præfatam, aut sub prætextu necessitatis, vel euidentis vtilitatis faciendis, seu de postulandis à nobis, & Sede præfata quibusuis personis cuiusuis dignitatis, status, gradus, etiam nobis, & successoribus nostris secundum carnem coniunctis, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aut quauis alia, temporali vel Ecclesiastica dignitate fungentibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores, seu quemuis alium titulum, ad vitam vel in perpetuum, vel longum tempus, aut etiam Sedis Apostolicæ beneplacitum, Ciuitatum & Locorum præfatorum, ac propterea de eligendis Oratoribus ad nos, & successores nostros super præmissis, vel illorum occasione mittendis proponentes, tam ipsi quā Oratores munus huiusmodi recipientes, aut alij quicumque alienationes huiusmodi Romano Pontifici pro tempore existenti, per se vel alium seu alios, insinuantes, vel suadentes, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, à qua nisi ab ipso Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolui nequeant. Et insuper Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Sedi Apostolicæ præfatæ rebelles, etiam in primo capite læsæ maiestatis, & proditores Ciuitatum, & Locorum præfatorum, ac bona eorum fisco, & Cameræ nostræ Apostolicæ ipso iure deuoluta, & incorporata, sint, & esse censeantur omnibusque Ecclesiis, Monasteriis, & aliis per eos quomodoli et obtentis beneficiis Ecclesiasticis eo ipso priuati existant, neque ad Ciuitates, & Loca præfata vllo vmquam tempore remitti possint. Et si aliquando eos reintegrari contigerit, nihilominus infames remaneant, illisque bonorum & dignitatum portæ perpetuo claudantur.

Reuocatio priuilegiorum, de illis melioradis, & remēdis vsque ad eorū reuocationem.

§. 4. Et quoniam intelleximus aliquos etiam Cardinales, Ciuitates, Terras, Oppida, Castra, Arces, & Loca ad vitam, seu tertiam, vel aliam generationem, aut alias à dicta Sede, etiam ex causa onerosa, obtinere, habere, & possidere, cum facultate faciendi in illis melioramenta, ita quod ab eis amoueri non possint, nisi restitutis sibi prius pecuniis in melioramenta huiusmodi expositis, omnes, & singulas facultates faciendi melioramenta præfata quibusuis personis etiam Cardinalibus per eosdem prædecessores nostros aut alios ad id facultatem habentes quomodolibet concessas harum serie reuocamus, & annullamus, & nemini deinceps suffragari posse, neque debere, ac cuicumque facultatem faciendi melioramenta huiusmodi habenti illa, etiam pro munitione, & tuitione, nisi ex causa necessariæ conseruationis Locorum eorumdem facta fuerint, post publicationem præsentium facere omnino interdicimus, ac prohibemus, & si secus à quoquam factum, attentatumue fuerit, melioramenta quæcumque per eos contra tenorem præsentium facta locis ipsis cedere, & Cameram ad illorum satisfactionem minime teneri, & obligatam esse volumus, & declaramus.

Clausula præseruatiua.

§. 5. Decernentes præsentes literas sub quibusuis reuocationibus, cassationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus sub quibusuis tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis pro tempore quomodolibet factis minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, totiens in pristinum statum restitutas, & de nouo concessas esse, & censeri debere.

Decretum irritans.

§. 6. Irritum quoque & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausularum.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ciuitatum, & Locorum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Obseruantia laus.

§. 8. Sic igitur deuotionis, & fidei constantia Ciuitatum, & Locorum præfatorum erga nos, & successores, nostros, & eamdem Romanam Ecclesiam perseueret, vt merito integritatis virtus maiora beneficia ab eadem Sede consequi mereatur.

Iuramentum à Card. præstandū pro obseruantia huius constitutionis.

§. 9. Volumus autem quod sicut omnes & singuli Cardinales præsentes Constitutionem huiusmodi, quantum in eis erit, obseruare, illique non contrauenire, nec Pontificibus contrafacienti us consentire, aut absolutionem à iuramento præstito non petere, nec oblatam, aut concessam acceptare in Consistorio nostro secreto promiserunt, & iurarunt, idem per absentes Cardinales à Consistorio, in habitatione eorum, & à Romana Cu. vt quandocumque ad eamdem Curiam se contulerint, ac per futuros pro tempore Cardinales in assumptione pilei promitti, & iurari debeat, ac promissionem, & iuramentum huiusmodi in forma iuramenti per eosdem Cardinales præstari soliti adiungi, & inseri debere; ac contrafacientes pœnam periurij, & perpetuæ infamiæ iuris & facti, eo ipso incurrere decernimus. Præterea quod ipsi Cardinales, occurrente Apostolicæ Sedis vacatione, in Conclaui quando de obseruandis literis Iulij Papæ II. prædecessoris nostri super electione Romani Pontificis, & aliis constitutionibus iuramentum præstare solent, etiam de inuiolabiliter obseruanda præsenti Constitutione nostra per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, & postmodum idem ad Summi Pontificatus fastigium assumptus, post eius assumptionem hoc ipsum promittere, ac iurare, & deinde post coronationem suam, promissionem, & iuramentum huiusmodi per literas suas speciales harum confirmatorias reiterare debeat. Quod si illud à Pontifice (quod credendum non est) recusabitur, aut differetur, tunc dicti Cardinales in primo Consistorio secreto, & præcipue eorum Decanus, & capita Ordinum apud eum omni cum instantia, & instantissime pro præsentium obseruatione petere, & rogare, ac obtestari non cessent, idque vt omnino efficiat, diligentissime curare studeant, statuimus, & ordinamus.

Et etiam à Pont. electo.

Quod omnes bene obseruarunt vt dixi in rubr.

Forma publ. huius constit. Quam habes hic in fine.

§. 10. Quodque præsentes literæ in libellum rediganter, & post prædictas Iulij literas, quæ in dicto Conclaui legi solent, inter alias constitutiones nostras adiungantur, & etiam in quinterno Cancellariæ Apostolicæ cum aliis extrauagantibus nostris describantur, ac ad valuas basilicæ Beati Petri Principis Apostolorum, & in Cancellaria nostra Apostolica, ac acie Cāpi Floræ publicentur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quęque loca

Digitized by Google

loca deferri, decernimus, etiam & declaramus, quod earum transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides vbique, in iudicio & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio pœnalis. §. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, nostræ declarationis, reuocationis, decreti, statuti, & interdicti, prohibitionis, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D. P. An. 2. die 29. Mart. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo, ſexageſimo ſeptimo, quarto Cal. Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Papæ subscr. Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.

Cardd. subscriptiones.
Ego F. Card. Pisanus Episcopus Ostien.
Ego Io. Card. Moronus Episcopus Portuensis.
Ego Christoforus Card. Madrucius Episc. Præ.
Ago A. Card. Farnesius Episc. Tuscul. Vicecanc.
Ego Io. Mi. Card. Saracenus.
Ego Ful. Card. Perus.
Io. Card. Politianus.
Io. B. Cicada Card. S. Clementis.
B. Card. Tranen.
Scipio Card. Pisarum.
Io. Card. Capisuccus.
Ego Clemens Card. Aræcœli.
Ego Ia. Card. Sabellus.
Ego Io. Antonius Card. S. Georgij.
Aloysius Card. Cornelius.
Berd. Card. Saluiatus.
Ego Phi. Card. à Burdesia.
Ego Lud. Card. Simoneta.
Ego Ant. Card. Granuelanus.
Ego F. Card. Paciecco.
Ego Marcus Antonius Card. Amulius.
Ego Hieronymus Card. de Corrigia.
Ego Io. Franc. Card de Gambara.
Ego N. Card. de Sermoneta.
Ego Hipp. Card. Ferrarien.
Ego Innicus Aualos Card. Arag.
Ego Marcus Antonius Card. Columna.
Ego Io. Franciscus Card. Commendonus.
Ego Marcus Antonius Card. Bobba.
Ego Hugo Boncompagnus Card. S. Sixti.
Ego Alexander Card. Sfortia.
Ego Alexander Card. Cribellus.
Ego Franciscus Abundius Card. Castilion.
Ego Benedictus Card. Lomellinus.
Ego Gulielmus Card. Sirletus.
Ego F. M. Card. Alexandrinus.
Ego Hieroymus Card. Simoncellus.
Ego Vitellotius Card. Vitellius S.R.E. Cam.
Ego Franciscus Card. Alciatus.

Publicatio. *Anno à Natiuit. D. N. IESV Christi 1567. Indict. 10. die vero 23. mensis May, Pontificatus Sanctiss. in Christo patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius 2. retroscripta litera affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, per nos Io. Andream Rogerium, & Nicolaum de Matthæis Sanctiss. D. N. Papæ Cursores.*

Antonius Clerici Mag. Curs.

XXXVI. Quod festum S. Thomæ de Aquino, vti festum de præcepto S. R. E. in Regno Neapolis, alibi vero vti festum quatuor Catholicæ Ecclesiæ Doctorum, de cetero celebretur.

Hunc Sanctum canonizauit, & eius festum instituit Io. XXII. vt in eius const. 11. Redemptionem.

P I V S E P I S C O P V S, *Edita An. D. 1567.*
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Mirabilis Deus in Sanctis suis, qui se daturum illos in laudem & gloriam & honorem, prophetæ ore promisit: vt quos sicut Sol in conspectu suo fulgentes, ob merita sanctitatis coronat de cœlo, admirabiliter etiã honoraret in sæculo, & in eo quod illis, tribui iubet laudis & venerationis officio, debitum quoque maiestati suæ honorem & gloriam agnosceret. Quorum non modo vitam, sed mortem, sepulchra, monumenta, reliquias, & imagines, ad Catholicæ fidei confirmationem, & ad confusionem hæreticæ pauitatis, vt felicius etiam, quam in præsenti vita, doceret viuere mortuos qui in Domino moriuntur, sæpissime dignatus est decorare & illustrare miraculis.

Ioan. XXII. canonizauit S. Thomã, vt in bull. cit. in rubrica. §. 1. Ex quo sanctorum laudabili numero, qui catholicam veritatem, corde, opere, & ore roborarunt, Angelici Doctoris S. Thomæ de Aquino Ordinis Fratrum Prædicatorum in Cœlum assumptio, multis ante annis, orbi terrarum, & diuinis & propriis est comprobata testimoniis. Nam & miraculorum signis, quibus ferui sui Thomæ perpetua veræ pietatis opera nobilitare voluit inexhausta Dei benignitas, & certissima Christianæ regula doctrinæ, qua S. Doctor Apostolicam Ecclesiam infinitis confutatis hæresibus illustrauit, adductus, fel. record. Ioannes XXII. prædecessor noster, illo in Sanctorum numero relato, eius diem festum Nonis Martij, quo die nunc etiam colitur, anniuersario honore celebrare iussit.

Hic modo Pont. ex causis hic expressis, §. 2. Sed quoniam Omnipotentis Dei prouidentia factum est, vt Angelici Doctoris, vi & veritate doctrinæ, ex eo tempore, quo cœlestibus Ciuibus adscriptus fuit, multæ, quæ deinceps exortæ sunt hæreses, confusæ & conuictæ dissiparentur, quod & antea sæpe, & liquido nuper in sacris Tridentini Concilij decretis apparuit; eiusdem memoriam, cuius meritis orbis terrarum à pestiferis quotidie erroribus liberatur, maiore etiam quam antea grati & pij animi affectu colendam statuimus. Quod officium nostrum præter beneficia ex illius salutari disciplina in diem magis profecta in sacrosanctæ Ecclesiæ filios, ad quorum pastoralem, paternamque curam, Dei benignitati humilitatem nostram placuit euocare, postulat etiam aliqua ex parte eiusdem Ordinis Prædicatorum communio, & societas, vnde licet imparibus meritis nos etiam, tamquam ex fonte profluximus.

Eius festum celebrari iubet vt in rub. §. 3. Itaque primum vt in Ciuitate & Regno Neapolitano, quod in eam Prouinciam, quæ ad salutarem omnium gentium institutionem, ex nobilissima familia Aquinate, clarissimum hoc edidit Ecclesiæ Dei lumen, tantum inde laudis, decorisque diuina bonitas redundare voluerit, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio atque vnanimi assensu, ipsa die nonarum Martij, qua præstantissimus Doctor migrauit in cœlum, posthac semper vniuersi vtriusque sexus ab omnibus vetitis, ac seruilibus operibus laboribusque abstinentes, festum Diui Thomæ solemniter sub duplici maiori officio sicut ceteras eius generis solemnes festiuitates, quæ de ipsius Ecclesiæ præcepto seruantur; in aliis autem Orbis terræ partibus, quemadmodum Sanctorum quatuor Ecclesiæ Doctorum festiuitates piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri præcepto celebrantur, sic eumdem festum diem S. Thomæ in perpetuum posthac omnes item, vtriusque sexus Christifideles celebrent, & venerentur, & Apostolica auctoritate statuimus ac sancimus.

Indulg. eius altaria visitantibus. §. 4. Vt vero etiam memoriæ S. Doctoris maiori studio ac pietate cultus & debita veneratio adhibeatur, de Omnipotentis Dei, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, omnibus vtriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui in ipso S. Thomæ festiuitatis die, sacellum vel altare in Ecclesia S. Dominici Neapolitan situm, in quo scriptoris Angelici doctrina, Saluatoris Crucifixi ore (sicuti pia testatur historia) mirabiliter probata fuit, à primis eius diei vesperis, vsque ad occasum Solis deuote visitauerint, septem annos & totidem quadragenas.

Festumque celebrantibus concedit. §. 5. In ceteris autem orbis terræ partibus, iis qui eumdem festum diem, vt præfertur, solemniter celebrauerint, &

Digitized by Google

& ad Ecclesiam, quæ apud eos fuerit, vel sacellum, aut altare sub eiusdem S. Thomæ inuocatione, pie ac deuote accesserint, quoties id fecerint, toties centum dies de iniuncta ipsis pœnitentia per præsentes literas in perpetuum valituras, quas sub aliis cuiuscumque generis indulgentiarum concessionibus & illarum reuocationibus nullo modo comprehendi volumus, misericorditer in Domino relaxamus.

Exempli bulla credi iubet.

§. 6. Et quia difficile esset has ipsas literas ad singula orbis terrarum loca peruenire, volumus & auctoritate Apostolica decernimus, vt earum exemplis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis, vbique locorum & gentium, in iudicio & extra eadem prorsus fides adhibeatur, quæ iis ipsis si exhibitæ essent, iure ab omnibus adhiberetur.

Sanctio pœnalis.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, voluntatis, relaxationis, statuti, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D. P. An. 2. die 11. Apr.

Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ, 1567. tertio Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Papa subscri. Ergo Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.

Cardd. subscriptiones.

Ego F. Card. Pisanus Episc. Ostien.
Ego Io. Card. Moronus Episc. Portuen.
Ego Christophorus Card. Madrucius Episc. Prænestin.
Ego A. Card. Farnesius Episc. Tusculan. Vicecancell.
Ego Io. Mi. Card. Saracenus.
Io. Card. Politianus.
Io. B. Cicada Card. S. Clementis.
B. Card. Tranen.
Scipio Card. Pisarum.
Io. Card. Capisuccus.
Ego Clemens Card. Aræcœli.
Ego Ia. Card. Sabellus.
Ego Io. Antonius Card. S. Georgij.
Ego Aloysius Card. Cornelius.
Ber. Card. Saluiatus.
Ego Phi. Card. à Burdesia.
Ego Lud. Card. Simoneta.
Ego Ant. Card. Granuelanus.
Ego F. Card. Paciecco.
Ego Marcus Antonius Card. Amulius.
Ego Hieronymus Card. de Corrigio.
Ego Io. Franc. Card. de Gambara.
Ego Hipp. Card. Ferrarien.
Ego Innicus Aualos Card. Arag.
Ego Io. Franciscus Card. Commendonus.
Ego Marcus Antonius Card. Bobba.
Ego Hugo Boncompagnus Card. S. Sixti.
Ego Alexander Card. Sfortia.
Ego Alexander Card. Cribellus.
Ego Benedictus Card. Lomellinus.
Ego Gulielmus Card. Sirletus.
Ego F. M. Card. Alexandrinus.
Ego Hieronymus Card. Simoncellius.
Ego Vitellotius Card. Vitellius S. R. E. Cam.
Publicatio. Ego Franciscus Card. Alciatus.

Anno à Natiuit. D. N. Iesu Christi 1567 Indict. 10. die vero 30 mensis Iunij, Pontificatus Sanctiss. in Christo patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius 2 retroscripta litera lecta, publicata & affixa fuerunt in valuis Sancti Petri de Vrbe, & S. Io. Lateranen. Cancellariæ Apostolicæ, per nos Io. Andream Rogerium, & Christianum de Monte præfatæ Sanctiss. D. N. Papæ Cursores.

Camillus Cherubinus Mag. Curs.

XXXVII. Moderatio indultorum S. R. E. Cardinalium, super collatione beneficiorum.

Aliam & strictiorem moderationem fecit Greg: XIV. in sua const. 19. Sanctissimus. Et postremo Paul. V. in const. 58. Sanctissimus.

Quoad indulta Cardinalium circa dispositionem beneficiorum, quod non communicentur Capitulo, & Canonicis, cum quibus illa alias essent communia, vide S. D. N. Vrb. VIII. const. 59. *Accepto* inf. tom. 4. Quod vero Cardinales prætextu indulti etiam cum expressa facultate concedendi, non possint disponere de beneficiis Ecclesiæ, cuius regimini cesserunt, cum aliquibus exceptionibus habes eiusdem S. D. N. Vrb. VIII. const. 60. *Licet* inf. d. tom. 4.

Edita An. D. 1576. Exordium.

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Dominus Pius diuina prouidentia Papa V.

Ex tam multis S. R. E. Cardinalium super beneficiorum Ecclesiasticorum dispositione indultis, & multiplicatione aliarum super aliis facultarum, quæ quotidie literis dictorum indultorum diffuse inseruntur, sæpe numero impeditus, quo minus solitam antehac Sedis huius benignitatem erga pauperes, & benemeritos liberaliter exercere possit.

Reuocatio indultorū S. R. E. Cardinalitū circa beneficiorum collationem.

§. 1. Idcirco rationem capere volens, vt tanta dehinc eiuscemodi indultorum, & facultatum largitione præcisa, dictis personis commodius beneficandi via sibi libera recludatur, omnia & quæcumque indulta, concessiones, facultates, & alia priuilegia, conferendi quæcumque beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura, sæcularia & quorumuis Ordinum regularia qualitercumque qualificata, ad collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, & quācumque aliam dispositionem dictorum Cardinalium, ratione Patriarchalium, Metropolitan. & aliarum Cathedralium Ecclesiarum necnon monasteriorum, prioratuum, dignitatum & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ quomodolibet obtinent, & in posterum obtinebunt, ac etiam quorum collatio, prouisio, & quæuis alia dispositio, illis ex causa factæ per cessionis, regiminis, & administrationis, seu commendæ, aut resignationis, Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum huiusmodi, Apostolica auctoritate reseruata existit, vel in posterum reseruabitur, necnon quorumcumque inferiorum collatorum & collatricum, de iure, priuilegio, consuetudine, ac alias quomodolibet pertinentia, & etiam illa commendandi, ac alias de eis disponendi, omnibus & singulis Cardinalibus prædictis, etiam de dictorum inferiorum collatorum consensu, per quoscumque Rom. Pont. ac Sanctitatem suam, & dictam Sedem, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, & etiam ex pactis inter dictos Pontifices & Cardinales diuersis temporibus factis, firmatis, & iuratis, ac quibusuis onerosis, & aliis causis concessa; & etiam iteratis vicibus innouata atque extensa, quibuscumque concepta formulis, ac etiam restitutiuis, mentis attestatiuis, præseruatiuis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, necnon vim contractus inducentibus, & aliis decretis suffulta, quorum omnium tenores Sanctitas sua haberi voluit pro expressis, specialiter & expresse reuocauit, literasque Apostolicas desuper confectas, & quoad ea in quibus illa nondum erant sortita effectum, & inde secuta quæcumque, cassauit & annullauit, viresque & effectum de cetero non habere decreuit.

Declaratio & limitatio circa futuram illarum concessionem.

§. 2. Præterea voluit & ordinauit, quod omnes deinceps literæ Apostolicæ facultatum & indultorum huiusmodi pro singulis Cardinalibus prædictis, præsentibus & futuris ad vnam tantum cathedralem, vel maiorem Ecclesiam, seu illius loco, vnum vel duo monasteriū, seu monasteria, aut vnū aliud vel duo alia, beneficium seu beneficia in dictis literis exprimendam seu exprimendum vel exprimenda, quam seu quod, vel quæ ipsi Cardinales vltra illas sex Episcopales ac presbyterales, & diaconales Cardinalium Ecclesias tunc temporis obtinebunt, seu cuius vel quorum collatio eis reseruata fuerit, vt præfertur; ac etiam sublata omnino altera huiusmodi indultorum parte super consensu ipsorum Cardinalium requirendo in prouisione beneficiorum apud Sedem prædictam pro tempore vacantium, alias sub dictis indultis comprehen-

Digitized by Google

forum, de quibus omnibus Sanctitas sua posthac libere disponere intendit,& etiam citra facultates commendandi monasteria aliaque beneficia Ecclesiastica, sæcularia & regularia, necnon disponendi de monasteriis,etiam cura & conuentu carentibus,& de dignitatibus, conuentualibus,& in Metropolitan.aliisque cathedralibus post Pontificales maioribus, & in collegiatis Ecclesiis principalibus. Ac etiam disponendi de beneficiis Referendariorum causarum Palatij Apostolici Auditorum, Protonotariorum, & aliorum officialium dictæ Sedis, necnon familiarium, ceterorumque omnium, qui constitutionibus declaratoriis fel.rec.Pauli Papæ III.ad perpetuam rei memoriã editis cõtinentur. Deniq; cũ moderatione facultatũ disponendi de beneficiis familiarium ipsorum Cardinalium, ac concessionum eis per regulas Cancellariæ Apostolicæ factarum, de consensu per ipsos in prouisionibus Apostolicis præstando, ad eos solos familiares continuos commensales eorumdem, qui vera & actuali familiaritate continua commensalitate huiusmodi durante extra Romanam Cur.vel Cardinalibus ipsis in dicta Curia existẽtibus,apud d. Sedem decesserint,& ad ea sola beneficia, quæ ipsi familiares continui commensales viuentes, ad collationem dictorum Cardinalium pertinentia obtinebant, seu quæ ex collatione sibi ab eisdem Cardinalibus facta assecuti fuerant expediantur. Aliter vero etiam motu, scientia, & potestate similibus, ac etiam cum præsentium, speciali & expressa derogatione expeditæ, nullius sint prorsus roboris vel momenti. Et nihilominus huiusmodi constitutiones, & regulas super beneficiis familiarum Cardinalium editas, etiam quoad Cardinales indulta huiusmodi non habentes, ad familiares, & beneficia prædicta dumtaxat restrinxit, & moderatus fuit.

Decretum irritans.

§. 3. Decernens sic in iis, ceterisque omnibus præmissis per quoscumque &c. etiam causarum dicti Palatij Auditores, ac etiam ipsos Cardinales, sublata &c. necnon irritum & inane quicquid secus per quoscumque etiam prætextu indultorum, facultatum, & concessionum huiusmodi, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauf.derog.

§. 4. Statuto, ordinatione, decreto, & declaratione Sanctitatis in crastinum eius assumptionis ad summi Apostolatus apicem editis, quod Cardinales in constitutionibus & regulis per eam post priorum suarum constitutionum & regularum editionem & publicationem in posterum faciendis, non includantur,nisi illæ eorumdem Cardinalium fauorem concernant, vel ipsæ edendæ constitutiones de illorum, seu maioris partis eorum consilio editæ fuerint, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

PP.subscr.

Placet publicetur, & describatur. M.

Publ. Pont. An.2.die 30. Aprilu.

Lecta & publicata fuit suprascripta regula Romæ in Cancellaria Apostolica, Anno Incarnationis Dominicæ 1567. die vero Mercurij vltima mensis Aprilis, Pontific.præfati Sanctiss. D.N. Papæ anno 2.

A. Lomellinus Custos.

XXXVIII. Monasteria quorum fructus reperiuntur taxati in libris Reuer. Cam. Apost. & quæcumque beneficia piis locis vnita de cetero non vacantia, quindennia & alia iura eidem Reu.Cam.soluere tenentur. Et Capitula, Congregationes, & alia pia loca, indicare debent beneficia quæ possident, & titulum possessionis, & annuos redditus.

Eadem fere iussit Paulus IV. sup. in sua const. 17. Decens. *Et ampliauit Sixtus V. infra in const.* 33. Cameræ. *vbi de hac materia notabo.*

Edita An. D.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Exordium.

APostolicæ Sedis poscit auctoritas, vt quæ prouide per Roman.Pont.statuta fuerunt, debitæ executioni demandentur.

Cum autem, sicut accepimus, vt annatarum communium, & aliorum iurium semel tantum, vel de xv. in xv. annos,ob perpetuas beneficiorum Ecclesiasticorum vniones persoluendorum, quæ alias fel.rec. Iulius Tertius, & Paulus Quartus Rom.Pont. prædecessores nostri per eorum literas in forma Motus proprij desuper editas, ex præterito dumtaxat Cam. Apost. applicauerunt, eo celerius quo poterit exactio & executio fiat, plurimum interfit, & necessarium existat vt tam Iulij Tertij & Pauli Quarti prædecessorum literas prædictas,quam alias quascumque constitutiones, statuta, decreta, & declarationes per recol. mem. Pium Secundum, Paulum etiam Secundum, Innocentium Octauum, Iulium similiter Secundum, ac Iulium & Paulum præfatos, aliosque diuersos Rom.Pont. prædecessores nostros contra pro tempore in Camera Apostolica, aut alias ratione annatarum communium, & aliorum iurium prædictorum semel tantum, aut de xv. in xv. annos soluen. obligatos,aut alios quoscumque beneficia Ecclesiastica, absque eo quod annatas,communia, & quindennia prædicta soluissent pro tempore possidentes,editas & factas per nos innouentur, approbentur, & confirmentur.

Causa huius constit.

Cõfirmat hic Pont.cõst.prædecessorum & defectus supplet.

§. 1. Nos igitur singularum literarum, & cuiuslibet Motus proprij à prædictis Romanis Pontt. prædecessoribus nostris, vt præfertur, quam etiam forsan à nobis hactenus emanati veriores tenores, ac si de verbo ad verbum hic inserti essent pro plene sufficienter expressis & insertis haberi volentes, illas & illos, necnon omnia & quæcumque per quoscumque iudices, executores, & commissarios in illis deputatos, & ab eis subdelegatos, ac alios ministros in præmissis, & circa ea, quomodolibet gesta & executa reperiuntur, ac inde secuta quæcumque, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, approbamus & confirmamus, ac rata & grata habemus, necnon illis perpetuæ & irrefragabilis firmitatis robur adiicimus, illaque inconcusse obseruari debere decernimus & declaramus, omnesque & singulos, tam iuris quam facti, & solemnitatum forsan omissarum, & alios quoscumque defectus siqui forsan interuenerint in eisdem,& qui necessario exprimi deberent, motu,scientia, & potestatis plenitudine similibus supplemus,illasque & illa, quatenus opus sit, innouamus.

Et ex causis hic expressis.

§. 2. Et insuper quoniam sicut etiam nobis innotuit à nonnullis nimium scrupulosis, & plusquam oporteat sapere contendentibus hæsitatur, An monasteria quorum fructus,&c. in libris Cameræ Apostolicæ taxati reperiuntur, necnon Prioratus quorumuis Ordinum regularia & regulares, ceteraque beneficia Ecclesiastica quocumque titulo nuncupata, quorum fructus, redditus & prouentus in distributiones quotidianas conuertuntur, sub literis Pauli Secundi, & aliorum prædecessorum huiusmodi comprehendantur.

Declarat etiã quod Monasteria quorum fructus in libris Camer. Apost. taxati reperiũtur, & quæcũque beneficia perpetuo vnita de cetero nõ vacantia, quindennia, & alia iura soluere tenentur.

§. 3. Nos considerantes, quod annatarum communium & aliorum iurium prædictorum exactio, in recognitionem vniuersalis dominij introducta, est antiquissima, quindenniorumque vsus & solutio ideo adinuenti sunt, ne Camera prædicta ex monasteriorum, prioratuum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum vnionibus, quæ ampliusvacare non sperabãtur,detrimentum aliquod pateretur. Volentes Cameræ nostræ Apostolicæ, ac venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, necnon dilectorum filiorum Romanæ Curiæ officialium participantium iura præseruare, illorumque indemnitati consulere, ad omne dubium,omnemque disputandi & excipiendi occasionem tollendum, Motu simili, &c. omnia & singula monasteria, tam sæcularia quam quorumuis Ordinum regularia, dummodo in libris eiusdem Cameræ taxata reperiantur,reliqua vero monasteria, prioratus, præposituras, præpositatus, tam sæculares quam quorumuis Ordinum regulares, necnon dignitates, personatus, administrationes, officia, & alia quæcumque beneficia Ecclesiastica, etiam si manualia, & de iurepatronatus existant, quorum fructus, &c. summam 24. ducatorum auri de Camera se. co. æst. valorem annuum excedũt, à quocumque tempore citra etiam ante fel. record. Martinum Papam Quintum similiter prædecessorem nostrum, & per nos & successores nostros quibuscumque Cathedralibus, etiam Metropolitanis, seu Collegiatis

Digitized by Google

Collegiatis Ecclesiis,aut capitularibus mensis, etiam pro quotidianis distributionibus, aut alias vsibus, necnon Collegiis,Vniuersitatibus Congregationibus quorumuis Ordinum monasteriis, domibus,hospitalibus, fabricis,ac vtriusque sexus personarum piis locis quantumuis priuilegiatis,& exemptis,sub quibuscumque tenoribus & formis,Apostolica auctoritate vnita,seu alias quomodolibet, & quouis titulo obtenta & possessa, sub literis Pauli Secundi,& aliorum prædecessorum huiusmodi comprehendi & includi.

Ideo habentes dicta beneficia vnita debent se obligare ad solutionem quindenniorum & aliorum iurium.

§.4. Et propterea omnia & singula Cathedralium,etiam Metropolitanarum, Ecclesiarumque Collegiatarum, Capitula, Congregationes, Vniuersitates, Collegia, Hospitalia, & pia loca, & quiuis alij in quorum fauorem vniones, annexiones, incorporationes, applicationes,& submissiones huiusmodi factæ reperiuntur,quantumcumque vt præfertur, exemptæ & priuilegiatæ existant, etiam si se superinde in Camera Apostolica non obligauerint,dummodo monasteria & beneficia ipsa possideant, ad solutionem cõmunium annatarum & aliorum iurium prædictorum eidem Cameræ pro tempore præterito (saluis collegij & officialium iuribus quoad futura remanentibus) ratione vnionum, annexionum, incorporationum,applicationum,& submissionum prædictorum singulis xv. annis à die qua illæ suum sortitæ fuerũt effectum, & alias iuxta tenorem literarum in forma Motus proprij à Iulio Tertio prædecessore prædicto super applicatione quindenniorum prædictorum eidem Cameræ facta desuper emanatarum faciendam teneri, & obligatos esse, & ad id per sententias, censuras & pœnas in singulis Pauli Secundi, & aliorum prædecessorum huiusmodi literis contentas,cogi & compelli posse.

Clausula iubilæi.

§.5. Sicque & non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Iudices & Commissarios, quauis Apostolica auctoritate fungen. etiam Palatij nostri Apostolici causarum Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac venerabilem fratrem nostrum Hieronymum Episcopum Maceratnen.præfatæ Cameræ Clericum, cui omnes & singulas causas occasione præmissorum pendentes commisimus in quauis instantia, sublata eis & eorum cuilibet aliter iudicandi facultate, iudicari & definiri debere, irritumque, &c. decernimus & declaramus.

Executoris deputatio.

§. 6. Mandantes eidem Hieronymo Episcopo, vt omnes & singulas causas coram eo inter dilectum filium eiusdem Cameræ Collectorem ex vna, & quascumque Congregationes, Capitula,Collegia,& quasuis alias personas ex altera partibus,super solutione annatarum communium, & aliorum iurium quindenniorum eorumdem vel eorum occasione, nunc & pro tempore pendentes, iuxta præsentium tenorem terminet & decidat. Et pro faciliori indagatione vnionum prædictarum, omnia & singula Cathedralium etiam Metropolitanarum & Collegiatarum Ecclesiarum Capitula, Collegia, necnon tam virorum quam mulierum sæculares, & quorumuis Ordinum regulares Congregationes, seu Collegia & pia loca,eorumdemque Prælatos & procuratores,ad indicandum & profitendum medio iuramento, omnia & singula monasteria, Prioratus, Præposituras, Præpositatus, Parochiales Ecclesias,& alia quæcumque beneficia Ecclesiastica, quæ ipsa Capitula, Congregationes, & alia pia loca prædicta possideant, & quo titulo illa possideant, illorumque annuos valores, sub priuationis & aliis in literis in forma Motus proprij Pauli Quarti prædecessoris huiusmodi contentis, sententiis, censuris & pœnis in Romana Curia & extra eam moneat & requirat.

Derogatio cõtrariorum.

§.7. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon priuilegiis, exemptionibus, indultis, & literis Apostolicis Congregation. Capitulis,& aliis piis locis prædictis, sub quibuscumque tenoribus & formis,ac cum quibusuis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus & aliis decretis, etiam motu & scientia similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet concessis, ac iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda,aut alia exquisita forma seruanda esset, tenores,&c. pro expressis haben. hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, necnon omnibus illis, quæ prædecessores prædicti in singulis eorum literis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§. 8. Volentes præsentis Motus proprij solam signaturam sufficere, & vbique in iudicio & extra, regula contraria non obstante, fidem facere.

Fides trãsumptorum.

§. 9. Et nihilominus illius transumpto manu publici Notarij Cameræ Apostolicæ subscripto vbique locorum tam in iudicio quam extra,fidem adhiberi, ac si præsentes exhibitæ forent & ostensæ.

Papæ subscri.

Placet Motu proprio. M.

XXXIX. Moderatio dotium, munerum, & ornamentorum quarumcumque mulierum, etiam tempore nuptiarum in Vrbe.

Aliam moderationem, edidit Sixt. V. in constit. 52. Cum in. *vbi tamen dotes auxit ad scuta* 5500.

PIVS PAPA QVINTVS Motu proprio, &c.

Edita An. D. 1567.

Populus Romanus ad cohortationem huius Pont. super moderatione dotis condidit statutum, cuius tenor mox sequitur.

QVoniam nos pluries iustis causis moti, cohortati fuimus dilectos filios nostros Conseruatores Cameræ Almæ Vrbis, & Populi Romani, vt vellent in modum publici Statuti moderari, ac limitare quantitatem, vsque ad quam in futurum ascendere possent dotes mulieribus in ipsa Vrbe inter Romanos, seu inter eos & exteros, aliosque suprascriptos constituendæ ac dandæ, ipsiusque propterea in diuersis eorum etiam publicis Consiliis negocio tractato prius, curam faciendi moderationem & limitationem prædictam, illamque cum pœnis, capitulis & clausulis opportunis in scriptis redigendam, Conseruatoribus & aliis superius descriptis demandauerint, & præinserta scriptura sic vt supra exemplata, est in eodem publico Consilio lecta, & mature discussa, fuerit per ipsum Consilium approbata, & in modum publici statuti publicata.

Clausula præseruatiua.

§.1. Nos cupientes vt inuiolabiliter obseruetur, Motu simili statutum ipsum subscriptum prout iacet, cum omnibus suprascriptis ordinationibus, in omnibus & per omnia, etiam Apostolica nostra auctoritate ex certa nostra scientia perpetuo laudamus & approbamus & confirmamus, omnesque & singulos, tam iuris quam facti & solemnitatum etiam verbalium forsan omissarum defectus siqui in præmissis interuenerunt,eadem auctoritate Apostolica supplemus. Et pro abundantiori cautela, maiorique ipsius Statuti,omniumque suprascriptorum efficacia, etiam nos per eadem verba, statutum ipsum, ac suprascriptas omnes ordinationes de nouo facimus, atque inuiolabiliter perpetuo obseruari, & ad executionem per illos ad quos spectat inconcusse demandari volumus & mandamus.

Confirmat Pont. dictum statutum.

§.2. Volentes quod huius nostræ cedulæ sola signatura sufficiat, & clausura contraria non obstante, in iudicio & extra fidem faciat.

Sola signatura sufficit.

§. 3. Et quod præmissis, ac præinserto statuto, & huic nostræ cedulæ ac dispositioni, per nos & successores nostros numquam sufficienter derogatum esse censeatur, nisi in publica signatura proposita supplicatione cum huius nostræ cedulæ insertione, derogatio fuerit concessa.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes irritum & inane si quid in contrarium fieri contingat.

Clausulæ derogatoriæ.

§.5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, Apostolicis, aliisque dictæ Vrbis statutis,reformationibus & consuetudinibus, etiam iuramento, &c. roboratis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Placet Motu proprio. M.

Datum Romæ apud S.Petrum, Nono Kalend. Iulij, anno secundo.

D. P. An. 2. 24. Maij.

Sequitur tenor istius Statuti.

CAP. I.

Digitized by Google

CAP. I.

Statuti tenor in quo extat moderatio dotis ad scuta 4500. de carlinis.

§.1. STatuimo & ordinamo, che neſſuna perſona Romana di qualunque ſtato, grado, o preeminenza ſi ſia, etiandio chierico, ardiſca, ne preſuma conſtituire, promettere, pagare, riceuere, tanto in danari contanti, quanto in argento, oro, gioie, prouentioni, o altre coſe, etiamdio, mobili, e ſemouenti, raggioni, & attioni, dote & acconcio, in vna ò più volte, che paſſi ò ecceda, & computata etiamdio caſſa bianca, bacile, e boccale, la ſomma è quantità di ducati quatromila e cinquecento di carlini, à ragione di diece carlini per ducato. Ne ſia lecito à queſto contrauenire per alcun patto o conſentimento, etiam giurato, da farſi per li contraſcritti & altre terze perſone per cauſa ò occaſione di accreſcere ſomma dotale, conſtituir pegno, ò in qualunque modo far fraude à queſto ſtatuto, ad effetto ch'il marito, ò la donna, ò altri per eſſi vengano ad hauer più della detta ſomma di ducati quatromila e cinquecento, in alcun modo ò via diretta ò indiretta, alla pena di mille ducati ſimili da incorrerſi per ciaſcuno che contrafarà. e da applicarſi per la quarta parte all'accuſatore, qual ſarà tenuto ſecreto, l'altra quarta all'eſſecutore, & per lo reſto alla fabrica del Palazzo delli Magnifici Signori Conſeruatori della Camera di queſt'Alma Città di Roma. Et nientedimeno volemo, che pagata ò non pagata la detta pena, tutto quello che oltra la detta ſomma ſi deſſe, ouero ancora con interuento di terze perſone ſotto quale color ſi ſia di donatione, parafreno, ò altro titolo etiã in perſona della donna, qual ſimilmente prohibemo ſotto la pena predetta ipſo facto ſia applicato alla fabrica del Palazzo delli prefati Magnifici Signori Conſeruatori. Et ancora volemo, che colui che conſtituiſce, dà, ouero promette in alcun modo oltre la ſomma predetta, o ſuo herede, ò ſucceſſore, ouero la donna per la qual foſſe data per verun tempo venendo il caſo della reſtitutione, poſſa ridimandare illa ſopra più, & habbi perduta ogn'attione che in ciò & ſopra ciò li competeſſe, e detto ſopra più s'applichi ipſo iure alla fabrica predetta come di ſopra; ordinando che tutti ſimili contratti, ò priuate ſcritture, quali ſopra ciò ſi faceſſero ſtano quanto alla detta quantità eccelſa ipſo iure nulli & inualidi, e per vigore di eſſi nulla eſſecutione ſe ne poſſa fare quanto alla quantità eccedente di ducati quattromila, e cinquecento.

CAP. II.

Notariorum contra hanc prohibitionem inſtrumenta conficientium pœna.

§.2. Ancora prohibemo à tutti ſimili Notarij, che non ardiſchino ne preſumino rogar ſi d'alcun inſtrumento, qual ſia contra la prohibitione ſopraſcritta, ne far ſcrittura che ſia incerta, ò che ſi referiſca à quella cedula priuata, o qualunque altra ſcrittura, o arbitrio di huomo, ſotto la pena del falſo, e di ſcudi ducento per ciaſchedun di loro che contrafara, e d'applicarſi come di ſopra, & detti contratti non inualidi ipſo iure, & nullius fidei, & eſſi Notarij s'intendano nondimeno priuati in perpetuo del'oro officij.

CAP. III.

Mediatorum & aliorum ſcripturis huic prohibitioni contrariis interuenientium pœna.

§.3. Et ſimilmente prohibemo che neſſuna perſona poſſa in ciò come mezano intraueníre, ò altrimente preſumere farcedula priuata, ouero eſſer teſtimonio in contratto, ò cedula che foſſe contra la prohibitione predetta, alla detta pena, da incorrerſi & applicarſi come di ſopra.

CAP. IV.

Hæc prohibitio quos comprehendat.

§.4. Vogliamo ancora che nelle ſopraſcritte prohibitioni & pene ſiano compreſi Baroni, Cortigiani, ò foraſtieri, etiamdio Chierici che apparentaranno con Romani, tanto originarij, come fatti cittadini & incoli di Roma, e tanto dando, e promettendo. quanto riceuendo, e ſtipulando, ouero come mezano, notario, teſtimonio, fideiuſſore, ò promiſſore, ò in qualunque altro modo ſi intramettano, purche vno delli conſorti, cioè, ò ſpoſa, ò marito, ò ſpoſo, ò moglie, ſia Romano originario, ouero fatto cittadino, ò pur'incola in Roma.

Sponſa nõ poteſt ad pompã oſtẽdere paraphernalia.

CAP. V.

§.5. Ne ſia lecito alla ſpoſa poiche ſe ne ſarà gita à marito, ò prima, moſtrare ò far moſtrare à pompa, ò altrimente, tanto in publico, come in priuato, in preſenza di perſone, che non ſiano di caſa, le robe che ſaranno nelle caſſe, e ſponſalitio, quali vogliamo non poſſano eccedere in numero di dua, alla pena di ducati cinquecento, da incorrerſi & applicarſi comedi ſopra.

CAP. VI.

Moderatio muneris inter coniuges & affines. Ad hæc vide d. bullam Sixti V.

§.6. Non ſia medeſimamente lecito al ſpoſo donare più di vna veſte alla ſpoſa, la quale ſia conforme alli habiti liciti per le vltime reformationi ſopra ciò fatte, alla pena predetta. E non ſia lecito al padre ò madre, ò altra congionta perſona della ſpoſa, donar al ſpoſo, o ad altri per lui; dirette ouero indirette, nel tempo della ſubharratione, ò prima ò poi, alcun vaſo, bacile, boccale, coppa, nappo, catena, ò altro dono, tanto di oro, come d'argento, denari, giore, perle, drappi, ò altre coſe, etiamdio nõ ſimili, alla pena predetta di ducati 500. & perdita delle robbe, d'applicarſi come di ſopra. Non ſia lecito alli parenti dello ſpoſo nell'atto della ſubharratione donare alla ſpoſa alcun dono, eccetto che padre, madre, fratelli, e ſorerle carnali e conſobrini del ſpoſo, alla detta pena, Non ſia lecito alla ſpoſa, e ſuoi, al tempo della ſubharratione, dar fazzoletti, ò coſa ſimile ad altre perſone, che à coloro che li è permeſſo di donare, & che donaranno come di ſopra, alla pena predetta.

Nomina deputatorum

§.7. Deputati ſuper præmiſſis per Populum Romanum in publico conſilio Illuſtriſſimi Domini Conſeruatores Cameræ Almæ Vrbis D. Antonius Vellius I.V.D. Aduocatus Conſiſtorialis, D. Domitius Caualerius, D. Vincentius Nobilius, Magnificus D. Angelus Prior Dominorum Capitum Regionum, D. Marcus Antonius Burgheſius Aduocatus Conſiſtorialis, D. Marius Gabriellius Aduocatus Conſiſtorialis, D. Pirrhus Tharus I.V.D. Vincentius Parentius I.V.D. Galeatius Poggius I.V.D. Antonius Maſſa I.V.D. Dominus Lucas Petus I.V.D. Dominus Marius Frangipanus, D. Cincius Frangipanus, D. Hector Mutinus, D. Horatius Narus, D. Petrus Paulus Fabius, D. Thomas Caualerius, D. Hieronymus Picus.

XL.

Extenſio conſtitutionis Pij IV. de condemnatis & bannitis non audien. niſi in carceribus conſtitutis, & defuncti hæredibus citatis, vt procedat etiam contra condemnatos in contumaciam, & in quacumque inſtantia, pro quacumque pœna corporis afflictiua.

Hæc bulla Pij IV. eſt 52. ſup. Et ſi cuncta. *Et plene de materia bannitorum notabo inf. in conſt. 6. Sixt. V.* Hoc noſtri.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Edita An. D. 1567.

Pius IV. edidit conſt. de qua hic.

LIcet alias fel. record. Pius Papa IV. prædeceſſor noſter Motu proprio, & ex eius certa ſcientia, ſua perpetuo valitura conſtitutione ſanciuerit, &c.

Omittitur reſiduum huius narratiuæ, quia ipſam bullam habes ſup. Et ſi cuncta.

Cauſa declarationis.

§.1. Cum tamen à nonnullis in dubium reuocetur, an in literis Pij prædeceſſoris huiuſmodi, comprehendantur etiam illi qui ex aliqua criminali cauſa pro qua pœna corporis afflictiua imponenda foret, in eorum contumaciam condemnati fuerint, itaut ad purgandum contumaciam, & condemnationem hniuſmodi admitti, vel audiri non debuerint nec debeant, niſi prius ſe in carceribus conſtituerint.

Declaratio & extenſio.

§.2. Nos omnem circa præmiſſa ambiguitatem è medio tollere, & penitus amputare volentes, necnon literarum huiuſmodi tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illiſque nihil addentes vel minuentes, Motu ſimili ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine decernimus & declaramus, eos omnes & ſingulos qui ex huiuſmodi cauſis, licet in eorum meram contumaciam hactenus condemnati fuerint, & in futurum condemnabuntur, ſub eiſdem literis omnino comprehenſos fuiſſe & eſſe, ac fore, ita vt non aliter ad purgandum

Digitized by Google

putgandum dictas eorum contumaciam & condemnationem admitti debuerint, vel debeant, nisi sese prius in carceribus constituerint vel constituant. Decernentes quod in quacumque instantia, casu, & causa se absolui petant, licet forsan in aliqua se constituerint, nullo modo audiantur, nisi se prius in carceribus seruatis seruandis de nouo constituerint, & nouæ constitutioni huiusmodi ad plenum satisfecerint.

Annullatio absolutionum aliter factarum.

§. 3. Ac omnes & singulas absolutiones, remissiones, & quasuis alias gratias contra præsentium tenorem quomodolibet pro tempore impetratas, & à quibuscumque iudicibus cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existant, quouis prætextu vel causa emanatas nullatenus attendi debere, minusque cuiquam prodesse modo posse, sed tanquam nullas & inualidas, nulliusque roboris vel momenti reiiciendas esse, licereque præfatis, & aliis iudicibus quibuscumque, illis non obstan. processus huiusmodi reassumere, & prout iuris fuerit terminare.

Clausula præseruatiua.

§. 4. Præsentemque nostrum Motum proprium nullo vmquam tempore, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, notari vel impugnari nullatenus posse, sed illum semper validum & efficacem existere, suosque plenarios effectus omnimode sortiri.

Decretum irritans.

§. 5. Sicque in præmissis omnibus, etiam per S.R.E. Cardinales, ac causarum Palatij Auditores, aliosque Iudices, &c. sublata eis &c. iudicari debere, irritum quoque & inane, quicquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in futurum contigerit attentari, fuisse, esse, & fore, & vitio nullitatis penitus subiacere decernimus.

Clauſ. derog.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis quæ idem prædecessor in eisdem literis voluit non obstare ceteriisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§. 7. Volumus autem, quod præsentis Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio & extra, regula quacumque contraria non obstante, cum decreto, quod præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Papæ subscri.

Placet Motu proprio. M.

Publ. Pont. A. 2. die 12 Iulij.

Anno à Natiuitate D. 1567. indict. 10. die vero 12. mensis Iulij, Pontif. Sanctiss. in Christo patris, & D.N.D. Pij Papæ V. anno eius II. retroscripta litera affixa, & publicata fuerunt ad valuas Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Florę, vt moris est per nos Iulium Parinum, & Alexandrum Astancollum præfati S.D.N. Papæ Curs.

Camillus Cher. Mag. Curs.

XLI. Confirmatio & noua concessio plurimorum indultorum pro Ordinibus Fratrum & Monialium Mendicantium. Et declaratio atque extensio Concilij Tridentini circa ea. Et communicatio eorumdem indultorum, cum aliis Ordinibus regularibus. Necnon & iurisdictio Conseruatorum.

Hæc bulla ab istomet Pontifice reuocata est, quoad examen & approbationem Confessorum per Ordinarios facienda inf. in const. 133. Romani. *Et Greg. XIII. in const. 9.* In tanta. *omnia hæc priuilegia reduxit ad terminos iuris communis, & Concilij Tridentini. Ita quod ea tantum persistunt indulta, quæ ante huiusmodi bullas habebant Mendicantes, & Concilio Trid. non aduersantur.*

Edita An. D. 1567. & 1571. Causa huius constit.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

ETsi Mendicantium Ordines, qui sedulum in vinea Domini quotidie exhibere non cessant famulatum, summo semper, studio, etiam dum in minoribus essemus, amplexi fuimus ad summi tamen Apostolatus apicem, meritis licet imparibus, diuina fauente clementia assumpti, dum id mente recolimus, facere non possumus, quin eos propensiori charitate, & paterno affectu amplectamur, ac exinde pro illius sanctis studiis, honestisque laboribus, proque salute animarum, ab Apostolica Sede, cuius continue pacem & dignitatem Ordines ipsi fortiter tutati sunt, tam spiritualia quam temporalia subsidia ornamentaque acceperint, & accipiant, quibus & sancta sua officia, ac vitam suam regularem facilius atque expeditius exequi, & transigere possint, & ceteræ religiosæ personæ, Ordinesque alij, exemplo ipsorum promptiores, alacriores que ad sua officia persoluenda reddantur.

Episcoporum molestia ergà Mendicantes hic refertur.

§. 1. Hinc est quod nos attendentes plerosque ex venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, qui eosdem Ordines præcipue tanquam fructiferos in agro Domini palmites, & colere & adiuuare deberent, non solum id exequi negligere, verum etiam Concilij Tridentini decretis in prauum sensum retortis, eos & eorum quemlibet variis afficere incommodis & perturbationibus, eorumque priuilegiis non modicum afferre grauamen.

Hæc primâ molestia declaratur infra num. 1.

1 Quidam enim Episcopi, vt accepimus, nolunt admittere quosdam regulares ad prædicationem, etiam in suis Ecclesiis faciendam, quamuis de eorum habilitate ad huiusmodi opus exercendum, habeant bonum testimonium à suis superioribus. Alij vero volunt, vt nedum semel, sed etiam pluries in anno, coram ipsis, vel eorum Vicariis prædicatores præsententur, ac pro licentia prædicandi, quam nonnisi in scriptis dare volunt, aliquid quandoque exigunt. Alij etiam Episcopi maximam regularibus iniuriam irrogare videntur, dum præter ordinem & veterem consuetudinem, absque vlla ratione quosdam reiiciunt, & quosdam, pro eorum libito, admittunt ad prædicationem huiusmodi habendam in locis suæ diœcesis.

Hæc secundâ declaratur infra num. 2.

2 Quorumdam etiam locorum Ordinarij, quosdam religiosos probos viros, & idoneos, etiam à suis Superioribus approbatos, ad confessiones audiendas admittere nullo modo volunt. Quidam ex eis volunt, non solum singulis annis, sed etiam pluries in anno, in aliquibus partibus eosdem confessores sibi præsentari. In aliquibus vero oppidis, tam Episcopi seu eorum Vicarij, quam presbyteri Curati, nolunt vt fratres mendicantes vocati ad audiendas confessiones infirmorum, maxime si infirmitas est grauis, aut etiam sanorum, in priuatis illorum domibus, vel alibi præterquam in suis Ecclesiis, aut monasteriis possint accedere.

Hæc tertiâ declaratur infra num. 3.

3 Nonnulli etiam audent confessores monialium, qui pleno iure subsunt regularibus, examinare, cum tamen id minime per Concilium decernatur, sicut & de fratribus, qui sunt audituri confessiones aliorum fratrum.

Hæc quartâ declaratur infra num. 4.

4 Quidam etiam in aliquibus partibus nituntur asserere seu facere, ne quisquam infra annum possit sacram Eucharistiam in Ecclesiis Mendicantium recipere, neque etiam moniales tertiarias nuncupatas suorum Ordinum, vt aliqui asserunt, in aliquibus partibus fieri, cum tamen solum in Paschate, quoad sæculares dumtaxat, iuxta priuilegia Summorum Pontificum prædecessorum nostrorum eisdem Ordinibus concessa, id obseruari debeat.

Hæc quintâ declaratur infra num. 5.

5 Alij vero Episcopi, seu eorum Vicarij audent ad eorum libitum dare licentiam quibuscumque, quæcumque monasteria monialium etiam Sanctæ Claræ ingrediendi, etiam si regularium curæ subdita sunt.

Et hæc declaratur num. 6.

6 Quidam vero sub prætextu exquirendi voluntates puellarum, ante professionem eorum volunt eas extrahere à monasteriis, & per longum tempus alibi detinere, ipsasque puellas, seu nouitias de plerisque rebus interrogant, neque necessariis, neque in decreto Concilij Tridentini desuper contentis, ex quibus non modica potest oriri occasio scandali.

Et hæc declaratur num. 7

7 Alij vero plerique noluerunt quosdam regulares aliarum diœcesum sacris ordinibus initiare, ac etiam à suis Ordinis Prælatis approbatos admittere nolunt.

8 Aliqui

Et iſta declaratur num.8.

8 Aliqui vero ſingulis dominicis diebus in ſuos Parochianos ad ſonum campanæ excommunicationem promulgant vt non poſſint intereſſe miſſis, concionibus, & diuinis officiis, niſi in propria Parochia. Alij vero in aliquibus partibus in eorum Eccleſiis conciones ſacræ ſcripturæ, & ſermones pro mortuis haberi nolunt, & ſi aliquid ipſis relictum fuerit, vt ab ipſis miſſæ dicantur, vel alia officia pro mortuis celebrentur, ipſi ſibi ea vſurpant, dicentes quod ipſi ea exequi non poſſunt, quia ipſi ſunt paſtores. Alij vero ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & exilij per decennium à diœceſi, pœna inhibuerunt, ne miſſæ in eorum Eccleſiis celebrentur in diebus feſtiuis, antequam Rector Parochialis Eccleſiæ celebrauerit. Alij etiam nolunt, vt dum prædicatio in Eccleſia Cathedrali haberur, alibi prædicetur.

Et iſta declaratur num.9.

9 Ac inſuper in quibuſdam omnem ordinem & quietem perturbant, dum controuerſias iamdiu ſopitas & extinctas ſuper præcedentia excitare, & vbi nullæ erant pepererunt, dum pro arbitrio & voluntate eorum hos illis præferre noluerunt.

Et iſta declaratur nu. 10.

10 Quidam etiam Epiſcopi volunt regulares à cura animarum excludi, & illam ſolis presbyteris ſæcularibus committi.

Et iſta n. 11.

11 Quidam vero quartam funeralium extendere volunt etiam ad miſſas, legata, & alia quæcumque, quæ domibus regularium relinquuntur.

Et iſta n. 12.

12 Alij autem volunt quartam partem omnium eorum quæ etiam pro ornamento Eccleſiæ palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum, & eorum etiam quæ pro victu fratrum relinquuntur.

Et iſta n. 13.

13 Aliqui etiam in quibuſdam partibus etiam volunt, vt non ſolum ius ſepulturæ ſolui conſuetum, quod ſemper ſoluitur, neque denegatur, ſed etiam omne illud, quod Eccleſiis Ordinum ad eorum libitum partes dant quando ſepeliuntur ibidem defunctorum corpora, id totum curatis etiam de nouo ſoluatur, inſtanter conantur, impedientes ne aliter corpora defunctorum ad monaſteria fratrum deferantur, vnde in hoc maxime tam partes quam ipſos fratres grauari contingit.

Et iſta n. 14.

14 Aliqui vero etiam ex locis mendicantium, qui curam habent animarum, volunt pro ſeminario decimas exigere, ac in caſu tenitentiæ etiam pignus exigunt. Alij autem præfatos fratres, ac moniales ſub eorum cura degentes, ſubſidium regium perſoluere cogunt, cum multæ earumdem monialium vix habeant pro earum victu & veſtitu neceſſaria vitæ.

Et iſta n. 15.

15 Alij etiam in quibuſdam partibus pauperes Mendicantes, eleemoſynas petere prohibent pro eorum dumtaxat ſubſtentatione, & ſi inuenerint eos panem vel aliquid aliud ſimile amore Dei ſibi collatum portantes, quandoque ab eis auferre minantur, afficientes graui iniuria & contumelia: Nonnulli vero Epiſcopi vel Capitula Canonicorum pauperes mendicantes, tam fratres quam moniales ſuorum Ordinum, tam de redditibus bonorum ſi quæ habent, quam de poſſeſſionibus vineis, agris, & aliis ſuis bonis quibuſcumque, non ſolum largitione fidelium ſibi conceſſis, ſed etiam alias iuſtis de cauſis ab eis acquiſitis, ac pecuniis emptis, ſibi decimas, ac primitias aliis reſpectiue ſoluere cogunt.

Hæc 16. declaratur infra num.16.

16 Alij autem auſi ſunt inquirere, & proceſſus facere contra aliquos regulares, intra clauſtra delinquentes, vel de quorum delictis aliqua erat ſuſpicio, non expectata ſuorum ſuperiorum cenſura. Alij vero Epiſcopi monialium monaſteria ingredi, & illa ingrediendi licentias aliis concedere, & aduerſus illas proceſſus formare ipſorum Ordinum ſuperioribus irrequiſitis, præſumunt. Aliqui etiam dominium temporale ſuper moniales habere prætendunt. Nonnulli vero frequentiſſime regulares citant, & iuriſdictioni ſuæ ſubiicere tentant, ac eorum conuentum occupant, ipſos expellendo, ac in ipſos iuriſdictionem vel poteſtatem exercent. Aliqui vero ipſos carceribus, abſque cauſæ cognitione mancipant, ac manibus pedibuſque laborant, vt regulares mendicantes ſuæ ditioni ſubiiciant, & vſque adeo ſe intromiſerunt in gubernatione conuentuum, & in correctionibus fratrum, vt prouincialibus & generalibus nullus amplius videatur relictus locus, aut vlla iuriſdictio.

Hæc 17. declaratur infra num.17.

17 Aliqui autem, conuentuum Priores & Guardianos rationes & computa facere cum ſyndicis conuentuum huiuſmodi prohibent.

Hæc 18. declaratur infra num.18.

18 Fratres quoque qui ad Epiſcopos huiuſmodi recurſum habent, à Prioribus & Guardianis præfatis caſtigari & puniri interdicunt. Inhibent quoque Superioribus Ordinum, ne faciant proceſſus contra fratres, ac in ipſos imperium, & brachium ſæculare exercent.

Et iſta n. 19.

19 Alij vero ipſos extra clauſtra degentes ſub eorum protectione recipiunt, eoſque ſic permanere permittunt, eoſque etiam inuitis ſuis ſuperioribus detinent.

Et iſta n. 20.

20. Aliqui vero bonorum ipſorum fratrum tanquam ad eos, ſi extra clauſtra defuncti fuerint, ſpectantium poſſeſſionem occupare præſumunt, & ad habitum religionis reuerſis, ſua bona conſignare nolunt.

Et iſta n. 21.

21 Ac etiam vniones à Sede prædicta, aut alias rite factas de beneficiis Eccleſiaſticis impediunt, & ſibi relaxari debere volunt, & contradictores excommunicationis gladio feriunt.

Et iſta n. 22.

22 Alij vero regulares campanas diebus feſtiuis pulſare, vel eodem tempore, quo ipſi celebrant, miſſas celebrare nolunt.

Et iſta n. 23.

23 Aliqui etiam pro licentia danda ædificandi quamdam domum regularem, triginta vel quadraginta ducatos exigere non erubuerunt.

Et iſta n. 24.

24 Alij vero eos mortuorum corpora aſſociare, alij autem illos cum Parocho ſimilia munera ſubire non permittunt, niſi maior canonicorum pars interuenerit.

Et iſta n. 25.

25 Alij vero mortuorum officia in regularium Eccleſiis peragi nolunt, niſi cum ipſorum præſentia, & ipſorum moniales, vel alias perſonas, etiam ſi in earum funere Parochus interuenire non deberet, ſepelire prohibent, niſi ipſi Parocho prius certum quid ſolutum fuerit, & ſi aliquem ipſi ſciuerint in regularium Eccleſiis ſepulturam elegiſſe, eum, vt dicitur, non ante ad illas deferre ſinunt, quam ad Parochi Eccleſiam delatum, inibique officium peractum fuerit.

Et iſta n. 26.

26 Poſtremo vero teſtamenta ſine preſbyterorum præſentia fieri prohibent, & ſi quid ipſis regularibus relictum fuerit, id aſſerentes contra Concilij Tridentini canones eſſe, reuocare omnino procurant.

Hic ideo Pont. dictis moleſtiis hunc finē imponit.

§.2. Ac propterea volentes præmiſſis, ac aliis ſimilibus exceſſibus & grauaminibus, ex noſtri paſtoralis officij debito prouidere, attendentes etiam illos qui onus diei & æſtus, tam in prædicationibus quam in ceteris ſpiritualibus muneribus quotidie ſuſtinent, niſi etiam aliquantiſper ſubleuentur, facile fore, vt oppreſſi, à ſuis officiis omnino deſiſtant, ne in poſterum eis aliquod inferatur grauamen, Concilij Tridentini huiuſmodi decreta, quorum falſa, ſeu minus vera intelligentia præmiſſa irrepſerunt, quorumque declaratio non niſi ad nos ſpectat, & modo & forma infraſcriptis declaranda cenſuimus.

Declaratio prima moleſtiæ, de qua ſupra num.1. In hoc extat alia declaratio infra in alia bulla huic ſubſequenter annexa.

1 Nos igitur Motu proprio, non ad alicuius inſtantiam, ſed de mera deliberatione, & ex certa ſcientia noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine declaramus Canonem ſeſſionis 24. cap. 4. per quem omnibus regularibus, etiam in ſuorum Ordinum Eccleſiis contradicente Epiſcopo prædicationis officium interdicitur, Mendicantium Ordinum fratres huiuſmodi, quando à ſuis Generalibus, vel eorum Miniſtris prouincialibus ad id deputati fuerint, non comprehendere, neque eos afficere poſſe, immo volumus, quod in ſuis EEccleſiiis, quando eis placuerit, licite, & abſque vllo impedimento, vel contradictione, etiam Epiſcopi, niſi ipſe prædicauerit prædicare poſſint.

Declaratio 2. moleſtia de qua ſup. n 2. Sed hoc priuilegiū hic idē Pont. quoad approbationē Epiſcopi ſātū reuocauit in bulla 133. Romani.

2 Quod vero in ſeſſione 23. cap. 15. circa confeſſiones à regularibus non audiendas ſtatuitur, hoc etiam dictorum Ordinum fratres, à præfatis ſuis Generalibus, vel Miniſtris prouincialibus ad audiendas confeſſiones vtriuſque ſexus Chriſtifidelium approbatos, vt præmittitur, minime comprehendat, ita vt à confeſſionibus audiendis, tam intra eorum Eccleſias, domos, quam

Digitized by Google

quam extra minime prohibeantur super hoc literas fel. rec. Pauli Papæ Quarti, etiam prædecessoris nostri, concedentes eisdem fratribus mendicantibus regularis obseruantiæ posse confessiones sæcularium personarum, etiam infirmarum, etiam extra domos & monasteria sua, & vbilibet audire, approbando, & de nouo concedendo. Statuimus etiam quod ille qui semel in vna diœcesi admissus per Episcopum fuerit, semper in eadem diœcesi habeatur pro admisso, nec amplius examinari vel præsentari in dicta diœcesi debeat tam quoad prædicationes faciendas, quam quoad confessiones audiendas, nec aliquid pro prædictis exigi vel recipi debeat.

Declaratio 3 molestiæ, de qua sup. n. 3.

3 Confessiones vero monialium, quæ degunt sub cura regularium ab Ordinario examinari nolumus, quēadmodum neque etiam fratres si debeant audire confessiones aliorum fratrum examinari debent. Lectores insuper ex eisdem fratribus, & in Theologia graduati, qui cum licentia suorum superiorum ad gradum admissi fuerint, cum de ipsorum doctrina amplegendum non sit, tam confessiones audituri quam prædicationis munus subituri, ab Episcopis minime examinentur.

Sed reuocationem mox indicauit.

Declaratio 4. molestiæ, de qua sup. n. 4.

4. Ipsique Christifideles Sacramentum Eucharistiæ (Resurrectionis Dominica festiuitate dumtaxat excepta) sumere, eisque illud per fratres huiusmodi administrari valeat, nec ad illud faciendū per locorum Ordinarios, aut Ecclesiarum Rectores prefatos, seu alios quoscumque (illorum licentia minime requisita) etiam sub censuris ecclesiasticis & aliis pœnis, cogi vel compelli possint seu debeant, etiam decernimus & declaramus. Et licet in sess. 25. cap. 12. caueatur, quod censuræ & interdicta ecclesiastica, etiam à locorum Ordinariis promulgata mandante Episcopo, à regularibus in eorum Ecclesiis publicari debeant, tamen si tempore celebrationis alicuius ex festis sanctorum, Ordinum eorumdem, ac aliis festiuitatibus iuxta eorumdem Ordinum priuilegia Apostolica, interdictum huiusmodi emanauerit, illud in præfatis festiuitatibus, & earum octauis suspendimus.

Declaratio 5. molestiæ, de qua sup. n. 5.

5. Cum inhonestum sit quemlibet in alienam messem falcem inticere, cumque monialium monasteria nonnisi de Episcopi vel Superioris licentia, & in casibus necessariis, aliquis ingredi præsumat in sess. 25. cap. 5. prohibetur, hoc tantum in illis monasteriis locum habere volumus, quæ Ordinariis ipsis pleno iure subsunt, in quibus, in casibus necessariis ipsi dare licentiam possint, & non in aliis monasteriis. Ita vt in præfatis monasteriis, quæ Ordinariis ipsis pleno iure non subsunt, ipsi Ordinarij illa ingredi non possint, prout in regulis earum, seu de iure statuitur, & eis aliquos processus aduersus moniales ipsas, seu fratres huiusmodi propterea, seu alias ipsorum Ordinum superioribus requisitis, quoquomodo formare, aut facere posse omnino prohibemus, ita vt aliquam iurisdictionem, seu aliquod quodcumque dominium in moniales & fratres huiusmodi respectiue habere, exercere, aut exequi nullatenus possint aut debeant, immo illas & illos omnes ab eorum superioritate, dominio, & iurisdictione, & potestate, eximimus & liberamus, prout eis concessum est per sua priuilegia à Sede præfata obtenta, & ita præfatæ moniales, ac fratres sint excluſi à superioritate & iurisdictione Ordinariorum respectiue huiusmodi, vt etiam in illarum vel illorum Syndicis, aut procuratoribus deputandis vel in disponendis illorum facultatibus, vel alia sibi non competentia facienda, vllatenus non se intromittant, nec etiam Ordinarij ipsos regulares præfatos citare, & iurisdictioni suæ subiicere, ac eorum conuentus occupare, ipsos ab eis expellendo, ac in ipsos iurisdictionem aliquam & potestatem exercere, vt præmittitur, aut ipsos carceribus mancipare, & contra eos aliud facere possint, vt suæ ditioni subiiciantur.

Declaratio 6. molestiæ, de qua sup. n. 6.

6. Volumus etiam, quod puellarum Deo dicandarum, an scilicet coactæ vel seductæ fuerint, examen faciendum, nonnisi infra quindecim dies, postquam iuxta Concilium Tridentinum Episcopi, vel eorum Vicarij requisiti fuerint, fieri possit quibus elapsis amplius in hoc illis se intromittere non liceat, cuius occasione, nec Episcopus nec eius Vicarius intra septa monasteriorum ingrediantur, sed stent ante cratem ferream, & interrogationes alias, quam eas quæ præfatum Concilium Tridentinum iubet, eis fieri omnino prohibemus, ac similiter volumus, quod puellæ, seu nouitiæ ipsæ ad alias interrogationes respondere minime teneantur.

Declaratio 7 molestiæ, de qua sup. n. 7.

7. Sessione vero 23. cap. 8. neminem nisi à proprio Episcopo ordinari posse statuens, in regularibus locum non habere omnino declaramus, ita quod fratres huiusmodi præfatos, etiam sacros ordines à quolibet Antistite, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habente, Ordinarij loci minime requisita licentia in locis seu domibus fratrum huiusmodi, aut alibi recipere possint.

Declaratio 8. molestiæ, de qua sup. n. 8.

8. Et insuper sess. 22. decretum, quod per populum sæpe ad suas Ecclesias, saltem dominicis, & maioribus festiuis diebus, conuenire debere monet in sequendo, volumus quod fratribus mendicantibus huiusmodi, non solum prohiberi non possit, ne missas & alia diuina officia faciant in eorum Ecclesiis verumetiam in quibuscumque aliis vbi celebrari missas solitum est, etiam ipsis non vocaris seu ad id requisitis, celebrare valeant: ac etiam quod conciones & lectiones sacræ scripturæ & sermones pro mortuis, etiam in Ecclesiis facere, ac eleemosynas pro celebrandis huiusmodi missis, & aliis diuinis officiis peragendis, si eis illas donari, seu relinqui contingat, recipere, necnon missas & diuina officia huiusmodi, etiam in diebus dominicis vel festiuis, etiam antequam rector Parochialis Ecclesiæ celebrauerit, celebrare, & facere, & quando eis videtur, etiam si nunc in Ecclesia Cathedrali prædicetur, prædicare, ac etiam quicumque vtriusque sexus Christifideles, totius anni tempore, illas & illa in Ecclesiis fratrum huiusmodi audire possint. Ipsi Christifideles vllatenus desuper molestari, aut impediri per locorum Ordinarios, seu rectores parochialiū Ecclesiarum, aut alios quoscumque vllo pacto, causa vel occasione non valeant seu debeant, sed præfati Christifideles audiendo missas & alia diuina officia in Ecclesia fratrum huiusmodi diebus dominicis, aut festiuis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfeciſſe censeantur.

Declaratio 9. molestiæ, de qua sup. n. 9.

9. Controuersias autem omnes de præcedentia quæ eadem sessione 25. cap. vero 13. per Episcopum terminari mandantur, non nisi durantes per illum dirimi, finitas autem nullo pacto innouari posse statuimus.

Declaratio 10. molestiæ de qua sup. n. 10.

10. Cumque licet cap. 11. sess. 25. statuat, quod in domibus virorum, seu mulierum, quibus animarum personarum sæcularium cura imminet, nulli etiam ad nutum amouibiles, inibi deputentur, nisi de Ordinarij consensu, ac præuio examine huiusmodi præcedente, ad curam huiusmodi admitti posse omnino volumus præfatos regulares.

Declaratio 11. molestiæ, de qua sup. n. 11. Alia declaratio est in bulla huic annexa sub §. 11.

11. Quartam autem funeralium, de qua sess. 25. c. 13. nequaquam soluere teneantur monasteria, quæ à quadraginta annis citra fundata existunt, postquam Concilium ipsum loquitur tantum de monasteriis ante annos quadraginta fundatis, quæ ipsam quartam soluere consueuerunt, & vbi solui consueuit, id tantum ceræ & aliorum quæ in aliquibus partibus deferri cōtigerit, tempore quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur, non autem de missis, seu legatis, vel aliis, fratribus ipsis, seu monialibus huiusmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis, solui debet, sicque intelligi Concilij decretum, quoad quartam huiusmodi soluendam debere decernimus. Vbi vero non est consuetudo soluendi quartam huiusmodi, de nullo suprascriptorum solui debere declaramus.

Declaratio 12. molestiæ, de qua sup. n. 12.

12. Nec ad quartam, seu aliam partem omnium eorum, quæ etiam pro ornamento Ecclesiæ palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum, & aliorum quæ dictis Ecclesiis relinqui vel dari contigerit, etiam si pro victu fratrum, aut alias relinquantur, aliquid contribuere teneantur.

Digitized by Google

Declaratio 13. moleſtia, de qua ſup. n. 13. Alia declaratio eſt in bulla huic annexa ſub §. 2.

13. Ac etiam ius ſepulturæ ſolui tantum conſuetum curatis,& non aliquid aliud eis ſolui debeat, quamuis partes ad earum libitum Eccleſiis Ordinum huiuſmodi, ſeu eorum fratribus, alia quæcumque tribuant, ſeu eleemoſynas elargiantur quando ſepeliuntur ibidem corpora mortuorum huiuſmodi, nec propterea impediri debeant,quin poſſint defunctorum corpora præfata ad eorum Eccleſia s tumulanda deferri facere.

Declaratio 14. moleſtia, de qua ſup. n. 14. Alia eſt declaratio in d. bulla huic annexa.

14. Inhoneſtum quoque eſſe cenſentes ,Mendicantium Ordines ad aliquorum onerum contributionem teneri , illos illorumque loca, etiam ſi curam animarum habeant, ac quæcumque beneficia illis vnita , ad contributionem pro ſeminario,aut decimarum aliquarum ſolutionem , immo illos & eorum domos , monaſteria, beneficia & loca quæcumque,& ab illis quomodolibet dependentia eorumque poſſeſſiones , vineas,agros, & prata, ac alia bona quæcumque, tam ad ipſos , quam ad moniales præfatas, etiam largitionem fidelium , ſeu alias iuſtis de cauſis ab eis acquiſita , ac pecuniis empta , vel alias quomodolibet pertinentia minime teneri, illoſque & illas, à quibuſcumque decimis,primitiis,quartis, mediis,& aliis fructuum partibus, necnon ſubſidiis charitatiuis, etiam per nos cõceſſis, ad quorumcumque etiam Regum , Principum, & dominorum temporalium inſtantiam , quacumque etiam vrgentiſſima,& de neceſſitate exprimenda cauſa, ac etiam aliis quibuſcumque oneribus, tam ordinariis quam extraordinariis,etiam ratione fructuum,olerum, virgultorum,lignorum, beneficiorum, & aliarum quarumcumque rerum , tam pro victu quam veſtitu , aut aliàs ſibi neceſſariarum quomodolibet, etiam auctoritate Apoſt.nunc & pro tempore impoſitis,ita vt penitus & omnino ad alicuius rei contributionem minime teneantur, omnino eximimus & liberamus , illoſque & illas, ad illos & illa, etiam ſi ſæculares, & aliæ perſonæ quæcumque in eas exigendi poſſeſſione fuerint , minime teneri debere volumus , nec ſub capite 12. ſeſſionis 25. comprehendi poſſe vel debere decernimus.

Declaratio 15.moleſtia, de qua ſup.n. 15.

15. Quod vero de vſu quæſtorum eleemoſynarum auferendo loquitur ſeſſionis 21. cap. 8.id ad Mendicantium Ordines nullo modo referri poſſe,vel debere , etiam decernimus , quin potius cum eleemoſynis huiuſmodi viuere cogantur, eis id facere liberum omnino eſſe declaramus.

Declaratio 16 moleſtia, de qua ſup. n. 16. Tu ad hoc vide Clem. VIII. conſt. 39. Suſcepti.

16. Quoniam vero ex nimia Epiſcoporum ſibi irrogata auctoritate , ipſi perſonas regulares ſuæ iuriſdictioni ſubiicere omnino ſtudent , ac decreto Concilij præfati, ſeſſ.25.cap.14.edito,quo cauetur, quod ſi regularis intra clauſtra exiſtens, & extra ea , ita notorie deliquerit,vt populo ſcandaloſus ſit, termino ab Epiſcopo præfigendo,à ſuo ſuperiore omnino puniatur, ſin minus , ab Ordinario delinquens puniri poſſit, confiſi , variis indebitiſque grauaminibus regulares afficiunt,Ordinarios præfatos aliquid contra regulares in clauſtris degentes huiuſmodi , quouis prætextu, occaſione , vel cauſa innouare non poſſe vel debere, nec aliquos proceſſus contra ipſas perſonas regulares formare aut facere poſſe volumus ; niſi propter manifeſtum ſcandalum, & ſuorum Ordinum ſuperioribus prius conſultis ,& negligentibus, alioquin omnia & ſingula contra præmiſſa facta & geſta,ac facienda in futurum pro nullis & infectis habeantur.

Declaratio 17. moleſtia, de qua ſup.n. 17.

17. Neque etiam ſe intromittant vllo pacto, aut aliqua ratione in gubernatione conuentuum , tam fratrum, quam monialium huiuſmodi , & illorum correctionibus , ſed omnia iſta , & alia neceſſaria ad correctionem & gubernationem , fratrum aut monialium huiuſmodi, & eorum Generalibus , ac Miniſtris , ſeu Prouincialibus , vel aliis eorum aut earum reſpectiue ſuperioribus , etiam ratione computa faciendi cum Syndicis conuentuum huiuſmodi,omnino relinquatur, nec vllo modo in prædictis, per ſe vel alios ſe intromittant.

Declaratio 18. moleſtia. de qua ſup.n. 18.

18. Fratres quoque ſi contigerit eos ad huiuſmodi Ordinarios recurſum habere à præfatis Generalibus Miniſtris, ſeu Prouincialibus,Prioribus,Guardianis,& aliis ſuperioribus caſtigari & puniri poſſe, & debere, neque ipſos Ordinarios prefatis ſuperioribus Ordinũ huiuſmodi vllatenus inhibere. Quinimmo præfatos ſuperiores proceſſus contra fratres ſuos & moniales huiuſmodi quando opus fuerit, circa delictorum inquiſitionem , vel caſtigationem facere poſſe decernimus , inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit , auxilio brachij ſæcularis.

Declaratio 19. moleſtia, de qua ſup. n. 19

19. Inhibemus etiam ipſis Ordinariis , ne fratres extra clauſtra degentes , ſub eorum protectione recipiant, eoſque inuitis ſuis ſuperioribus detineant.

Declaratio 20. moleſtia, de qua ſup.n. 20.

20. Prohibemus quoque eiſdem Ordinariis , ne aliquo modo ſe intromittant in bonis dictorum fratrum extra clauſtra ſuorum Monaſteriorum pro tempore degentium ſiue decedentium , & quamuis in habitu, ſiue abſque habitu moriantur , volumus quod eorum bona mobilia & immobilia,ad Ordinem quem profeſſi ſunt, pertineant, diſponenda iuxta conſtitutiones ſeu ordinationes præfatorum Ordinum , neque illa Ordinarij præfati occupare præſumant, immo huiuſmodi, & ad habitum Religionis reuertentium bona omnia monaſteriis ipſis , cum ea quæ acquirit monachus de iure monaſterio acquirantur,pertinere etiam decernimus.

Declaratio 21.moleſtia, de qua ſup. n. 21.

21. Ac ipſis Ordinariis , ne quaſcumque vniones, etiam perpetuas,à Sede prædicta,vel alias,vt præfertur hactenus factas, & pro tempore faciendas , de beneficiis eccleſiaſticis,ſeu illlorũ fructibus, quin ſuum ſortiãtur effectũ impediant,omnino etiam prohibemus,& cenſuras eccleſiaſticas & alias pœnas per eos in contradictores pro tempore latas, nullius eſſe roboris vel momenti, ſimiliter decernimus & declaramus. Inſuper volumus quod præfati regulares,quibus cura animarum eſt,poſſint per ſe ipſos iuxta ſuorum Superiorum ordinationem, aut alios Vicarios,ſeu Capellanos ſæculares ipſorum regularium nutu amouibiles, ab eis deputatos, & ab Ordinario pro idoneis nominatos & approbatos, præfatam cnram exercere,neque in eorum deputatione vel amotione , neque alicuius partis fructuum conſignatione pro præfatis Cappellanis ſeu Vicariis ſæcularibus,ſi per tales curam exerceri contigerit,Epiſcopi vllo pacto ſe intromittant.

Declaratio 22 moleſtia, de qua ſup.n. 22.

22. Prohibemus inſuper eiſdem Ordinariis , ac aliis quibuſcumque perſonis, ne impediant ipſos fratres, quando eis placuerit, tam in diebus dominicis ſeu feſtiuis,aut aliis totius anni temporibus,campanas pulſare, & etiam tẽpore quo ipſi celebrauerint, miſſas celebrare, necnon mortuorum corpora aſſociare , & illa per fratres ipſos quando in Eccleſiis ſuis præfatis delata fuerint , abſque præſentia rectorum Eccleſiarum huiuſmodi ſepeliri facere , ac officia mortuorum huiuſmodi peragi poſſe , neceſſariamque præſentiam rectorum , aut aliorum clericorum , quin infimi libere ſua poſſint condere teſtamenta minime eſſe , ac ipſos regulares legata , aut quæuis alia ſibi teſtamentis relicta, exigere & obtinere poſſe , neque aliquod ius in contrarium eſſe decernimus & declaramus,

Declaratio 23 moleſtia, de qua ſup.n. 23. Tu vide bullã 99 Clem. VIII. Quoniam.

23. Licentias vero pro conſtruendis domibus regularibus, quæ 4.cap. 25. ſeſſ.niſi de Ordinarij licentia conſtrui prohibentur, gratis omnino dari ,& nonniſi legitimi ſubſiſtente cauſa , ſuperioribus explicanda illas recuſari poſſe.

Declaratio 24. moleſtia de qua ſup. n. 24.

24. Necnon fratres præfatos, etiam ſolos mortuorum corpora aſſociare , ac mandatum in die Cœnæ Domini fieri ſolitum in Eccleſiis ſeu domibus fratrum cuiuſlibet Ordinis prædictorum , ſolemniter facere , & prædicta die prædicare hora qua eis videbitur, nec per locorum Ordinarios , aut rectores Eccleſiarum , ſeu alios quoſcumque prohiberi poſſe etiam decernimus & declaramus.

Declaratio 25. moleſtia , de qua ſup.n. 25.

25. Mandantes etiam vniuerſis locorum Ordinariis, ne mortuorum officia agere rectores parochialium in Eccleſiis ipſorum fratrum contra illorum voluntatem permittant. Ac moniales dictis fratribus ſubditas vel perſonas ſepulturam in eorum Eccleſiis eligẽtes,nulla ſoluta parœcho portione, ſepelire , vel ſi fratres ad mortuorum corpora aſſocianda vocati fuerint,illa abſque fratrum huiuſmodi præſentia ſepeliri facere audeant vel præſumant.

26. Cum

Digitized by Google

Declaratio 26. molestiæ, de qua sup. n. 26.

26 Cumque maxime deceat liberam esse cuiusuis testantis voluntatem, prauum illum vsum paruo adhuc tempore, vt præfertur, introductum, per quem testamenta absque presbyterorum præsentia fieri interdicuntur, omnino abrogamus.

Declaratio quoad accessū ad processiones.

§. 3. Postremo quod cap. 13. sess. 25. cautum fuit, quod omnes, scilicet tam clerici quam regulares quicumque ad publicas processiones vocati, accedere compellantur id quoad fratres præfatos de illis tantum processionibus intelligi volumus, ad quas secundum consuetudinem antiquam locorum soliti sunt accedere, vel quæ pro bono pacis Ecclesiæ, vel pro victoria contra infideles indicuntur, quod etiam de illis conuentibus, qui Collegia nuncupantur, minime intelligi volumus, in quibus fratres sub arctiori clausura degunt, ita vt nec in choro cantent, nec ad mortuos accedant, sed tantum studiis & lectionibus vacent.

Extinctio litium desuper pendentium.

§. 4. Præterea si forte, inter Episcopos, vel Collegia, aut Capitula, vel alias quasuis personas, & præfatos fratres, seu moniales, aut eorum aliquos, super præmissis vel aliquo eorum, coram quocumque seu quibuscumque iudicibus, etiam causarum Palatij Apostolici Auditoribus, ac S.R.E. Cardinalibus, tam in Romana Curia quam extra eam vbilibet lis, seu lites respectiue pendeant, nos litem seu lites, & causam vel causas huiusmodi ad nos aduocamus, ac illam & illas, quarum statum, ac nomina & cognomina iudicum & collitigantium, præsentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, cassamus & extinguimus, ac partibus ipsis perpetuum silentium desuper imponimus.

Confirmatio omnium priuilegiorū quæ aliter quam sup. cōcessum est. Cōc. Trid. non aduersantur.

§. 5. Ac insuper vt facilius præmissa omnia illibata persistant, omnia & singula priuilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, dispensationes, fauores & gratias, quæ decretis Concilij Tridentini alias, quam vt superius est dictum, concessum & declaratum, non contrariantur expresse eisdem fratribus, necnon Monialibus quibuscumque, & Sororibus Tertij ordinis prædictorum Ordinum respectiue Ordinibus, ac illorum Ecclesiis, domibus & personis, etiam viuæ vocis oraculo, in genere vel in specie, tàm per rec. mem. Eugenium IV. Sixtum IV. Leouem X. Paulum III. ac dictum Paulum IV. & Pium etiam IV. quàm alios quoscumque Rom. Pont. etiam prædecessores nostros ac nos & Sedem eamdem quomodolibet concessa, confirmata, & innouata, necnon nostras, & prædecessorum nostrorum, ac alias quascumque desuper confectas literas; quarum omnium tenores, ac eorumdem prædecessorum nostrorum nomina, & alia de necessitate exprimenda, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, etiam præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo approbamus & confirmamus, illisque perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, eaque perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari debere, ac fratribus, superioribus, & personis Ordinum huiusmodi, necnon aliis quibuscumque quos illa concernunt, suffragari debere, seu posse volumus. Necnon priuilegia, immunitates, facultates, libertates, indulta, dispensationes, exemptiones, fauores, & gratias, tàm spirituales quàm tēporales, modo & forma quibus concessa sunt, etiam per viam communicationis & extensionis actiue & passiue, inter se & alios quoscumque Ordines respectiue, de nouo concedimus, illaque omnia & singula ad domos & loca quæcumque dictorum Mendicantium Ordinum & Monialium quarumcumque, ac sororum de tertio Ordine nuncupatarum in Congregatione viuentium dictorum Ordinum, vt præfertur hactenus recepta, & in posterum recipienda. Necnon eorum personas & bona, etiam si priuilegiorum & aliarum gratiarum præfatorum authentica originalia, propter temporis antiquitatem, vel varias Vrbis ruinas deperdita existant, dummodo de eis alias legitime constet, extendimus & ampliamus.

Decretum irritans.

§. 6. Et sic in præmissis omnibus & singulis, per quoscumque iudices & personas quauis auctoritate fungentes, etiam Card. & Auditores præfatos, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate iudicari & definiri debere, necnon quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Executorum deputatio & facultates.

§. 7. Quocirca dilectis filiis nostris, Prædicatorum Cardinali Protectori, & S. Hieronymi Generali Ordinum, ac Curiæ causarum Cameræ Apost. etiam generali Auditori, nunc & pro tempore existentibus, per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem fratrum, aut monialium, vel alicuius eorum fuerint desuper requisiti, solemniter publicātes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes, & in eis contenta huiusmodi firmiter obseruari, ac singulos quos literæ ipsæ concernunt, pacifice frui & gaudere non permutentes eos vel aliquem eorum desuper contra præsentium tenorem per quoscumque, etiam locorum Ordinarios, quomodolibet indebite molestari contradictores quoslibet & rebelles, per censuras & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis seruatis processibus, censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, & interdictum ecclesiasticum apponendo; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogatoria.

§. 8. Non obstantibus præmissis, & aliis Apostolicis, necnon in prouincialibus & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac etiam iuramento confirmatione Apost. vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis, eisdem Episcopis vel quibusuis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibusque, & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam Motu simili, ac alias quomodolibet cōcessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, nō autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus; necnon omnibus illisquæ in literis confirmationis, & innouationis priuilegiorum eorumdem, alias per eosdem Paulum IV. & Pium etiam IV. prædecessores nostros prædictos, Ordini fratrum Minorum huiusmodi concessorum, concessum est non obstare, contrariis quibuscumque, aut si locorum Ordinariis, vel quibusuis aliis communiter vel diuisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et quia difficile foret earumdem, præsentium literarum notitiam ad quascumque personas peruenire. & vbique illas præsentare, etiam motu & scientia similibus, volumus & decernimus, quod transumptis earumdem præsentium literarum etiam per impressionem factis manu alicuius notarij publici subscriptis, aut sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ sigillatis, quemadmodum adhiberetur præsentibus literis originalibus si præsentarentur, vbique adhibeatur, tàm in iudicio quàm extra illud plena & indubitata fides.

Sanctio pœnalis.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, prohibitionis, exemptionis, liberationis, inhibitionis, aduocationis, cassationis, extinctionis, impositionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, concessionis, extensionis, ampliationis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Digitized by Google

D.P. An. 2. die 16. Maij. Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, 1567. 17. Cal. Iunij, Pont. noſtri anno 2.

Sequitur extenſio iſtorum priuilegiorum Mendicantium, ad alios Ordines.

Edita An. D. PIVS EPISCOPVS, *Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. EX ſupernæ diſpoſitionis arbitrio gregi Dominico præſidentes, inter curas multiplices, quas ex miniſterio noſtri paſtoralis officij nobis incumbere cenſemus, illam per quam perſonarum quarumlibet, earum præſertim quas ſub ſuaui Religionis iugo ſedulum in dies Altiſſimo famulatum exhibere, conſpicimus, ſtatui & quieti rite conſulitur, libenter amplectimur, ac vt perſonæ ipſæ idem exoptantes à nobis, gratias & fauores reportaſſe lætentur, grato intendimus animo, ac in his noſtri paſtoralis officij partes fauorabiliter impartimur, prout temporum qualitate penſata, id perſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Conſt. huius PP. eſt præinſerta. §. 1. Nuper ſiquidem à nobis emanarunt literæ tenoris ſubſequentis. Et ſi mendicantium, &c.

Omittitur tenor. quia eſt hic ſup. inſertus.

Cauſa extenſionis priuilegiorum. §. 2. Et deinde pro parte dilectorum filiorum Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Congregationum Lateran, & S. Saluatoris, ac S. Crucis Olimbrien. & Monachorum S. Benedicti Congreg. & Ordinum Caſſinen. Montis Oliueti, Vallis Vmbroſæ, necnon etiam Congreg. Ciſtercien, & Cartuſien. necnon S. Hieronymi Hiſpaniarum, ac Camaldulen. & fratrum Militiæ Ieſu Chriſti Reformatorum nuncupatorum Regni Portugalliæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi etiam iuxta eorum cuiuſlibet regularia inſtituta, tum vita eorum exemplari tum doctrina, ac verbi Dei prædicatione, aliaſque ſummis eorum laboribus & ſtudiis, animarum ſalutem ac ſanctæ Sedis Apoſtolicæ dignitatis & auctoritatis augmentium hactenus ſemper procurauerunt, & in dies circa hoc tam laudabile miniſterium magis, ac magis verſari non ceſſantes, ſibi fauente ſuperni numinis auxilio, ſuauiſſimum cunctiſque fidelibus gratiſſimum ſuæ probitatis & diligentiæ ſatius diffundunt odorem, pariterque in vinea Domini laborare non deſinunt; ac proinde eos aliqua ratione indignos cenſeri nõ poſſe, quin ipſi quoque gratiarum, facultatum, priuilegiorum, & aliorum præfatis fratribus Mendicantibus cõceſſorum participes fieri, necnon Monaſteria, etiam Monialium, & alia loca quęcumque ad gratias, facultates, priuilegia, ac alia in eiſdem præinſertis literis contenta quæcumque extendi, ac illis gaudere debeant. Quare pro eorumdem Canonicorum, Monachorum, & Fratrum parte nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt eorum ſtatui, & tranquilitati conſulentes, eos & eorum ſingulos, necnon ſuorum Ordinum & Congregationum monaſteria, etiam Monialium, ac domos & loca alia quæcumque, ad declarationes, ſtatuta, exemptiones, voluntates, prohibitiones, approbationes, extenſiones, & decreta, ac alias gratias, facultates & priuilegia quæque prædictis fratribus Mendicantibus conceſſa pærdicta, ita vt illis omnibus & ſingulis, æque & pariformiter abſque vlla penitus differentia, frui & gaudere poſſint & debeant, extendere, & quatenus opus ſit illa eis de nono concedere, aliaſque ſibi deſuper opportune prouidere, de benignitate Apoſt. dignaremur.

Extenſio priuilegiorum. §. 3. Nos igitur qui omni qua fieri poteſt ratione commodiori perſonarum quarumlibet, præſertim Deo dicatarũ animi quietem, ſinceris exoptamus affectibus, ſingulos Canonicos, Monachos, & fratres prædictos à quibuſuis cenſuris & pœnis eccleſiaſticis, quauis occaſione latis, ſi quibus innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Canonicos, Monachos, & fratres prædictos, ſi profeſſionem regularẽ iuxta eorum ſtatuta, & laudabiles conſuetudines, ac priuilegia & indulta eis conceſſa emiſerint reſpectiue, illorũque Monaſteria, etiã Monialium necnon domos, & loca alia quæcumque ad ſingula declarationes, ſtatuta, & immunitates (à contributione atione Seminariorum pauperum clericorum iuxta ordinationem dicti Concilij Tridentini erigendorum, & inſtituendorum, necnon ſubſidiorum Apoſtolica auctoritate pro tempore impoſitorum, ac quæſtuatione eleemoſynarum dumtaxat exceptis) exemptiones, voluntates, prohibitiones, approbationes, extenſiones, decreta, & alia quæcumque, gratias, facultates, & priuilegia eiſdem fratribus Mẽdicantibus, vt præfertur conceſſa, & facta, ac alia in præinſertis literis cõtenta, & inde ſecuta quæcumque, dicta auctoritate Apoſt. tenore præſentium perpetuo extẽdimus, & ampliamus illoſque declarationibus, ſtatutis, exemptionibus, voluntatibus, prohibitionibus, approbationibus, extenſionibus, decretis, & aliis gratiis, facultatibus, & priuilegiis huiuſmodi pariformiter, & abſque vlla penitus differentia, prout dicti fratres Mendicantes vtuntur, potiuntur & gaudent, ac vti, potiri & gaudere poterunt, libere & licite vti, potiri, & gaudere poſſe, atque debere; illaque omnia & ſingula ſibi, eorumque Monaſteriis, domibus, & locis huiuſmodi, eorũque ſuperioribus, & perſonis, quibuſcumque, quas illa concernunt, & pro tempore concernent, ſuffragari, necnon modo & forma quibus prædictis fratribus Mendicantibus conceſſa & facta ſunt, conceſſa factaque eſſe; necnon ad ſingula Monaſteria, domos, & loca quæcumque dictorum Canonicorum, Monachorum, & Fratrum, necnon Monialium, Congregationum, & Ordinum prædictorum in Congregatione viuentium, extenſa & ampliata cenſeri.

Hæc extenſio fuit reſtricta à Greg. XIII. cit. in rubr.

Decretum irritans. §. 4. Sicque in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Iudices & perſonas, & S.R.E. Card. ac cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, necnon quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Executorum deputatio, & facultates. §. 5. Quocirca Venerabilibus fratribus, & dilectis filiis eiuſdem S.R.E. Cardinalibus, dictorum Ordinum & Congregationum huiuſmodi reſpectiue, nunc & pro tempore Protectoribus per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut vnus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Canonicorum, Monachorum, & Fratrũ, aut Monialium huiuſmodi, vel alicuius eorum fuerint deſuper requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes, & in eis contenta huiuſmodi firmiter obſeruari, ac ſingulos, quos literæ ipſæ concernunt, pacifice frui & gaudere, non permittentes eos vel aliquem eorum deſuper, tàm contra præſentium literarum, quàm præinſertarũ tenorem per quoſcumque, etiam locorum Ordinarios quomodolibet inde moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles, per cenſuras & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, cenſuras & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando, & interdictum eccleſiaſticum apponendo; inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Clauſula derogatoria. §. 6. Non obſtantibus præmiſſis, & aliis Apoſtolicis, necnon in prouincialibus & ſynodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac etiã iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eiſdem Epiſcopis aut quibuſuis aliis perſonis ſeu quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio, ac alias quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, præſentibus pro expreſſis

Digitized by Google

preſſis habentes,illis alias in ſuo robore permanſuris,hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque.Aut ſi locorum Ordinariis, vel quibuſuis aliis, communiter vel diuiſim à prædicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam,ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Fides Exemplorum

§.7. Et quia difficile foret earumdem præſentium notitiam ad quaſcumque perſonas peruenire,& vbique illas præſentare,etiam dicta auctoritate noſtra volumus & decernimus,quod tranſumptis illarum,etiam per impreſſionem factis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis ſiue ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillatis,prout eiſdem præſentibus adhiberetur ſi præſentarentur, vbique adhibeatur, tàm in iudicio quàm extra illud, plena & indubitata fides.

Sanctio pœnalis.

§.8.Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis,extenſionis,ampliationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei,ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

D. P. A. 2. die 26. Aug.

Dat.Romæ apud S.Petrum,Anno Incarnat.Dom.1567. 17. Kalend. Septembris Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Sequitur declaratio prainſertæ conſtitutionis.

Edita A.D. 1571.

PIVS PAPA QVINTVS, Vniuerſis & ſingulis Venerabilibus Fratribus Patriarchis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, & aliis perſonis in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis,necnon Metropolitan. & aliarum Cathedralium Eccleſiarum Canonicis, ac eorumdem Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum officialibus,ſeu Vicariis, in ſpiritualibus, generalibus, vbilibet conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Exordium.

AD hoc nos Deus prætulit in familiam domus ſuæ,vt ſingulis opportuna prouiſionis auxilia fidelis ſeruitutis, iniuncta prouidentia, pro tempore diſpenſantes, Religioſorum quorumlibet, præſertim Fratrum Ordinis Prædicatorum, in humilitatis ſpiritu, ſub Religionis iugo, Deo ſeruientium,neceſſitatibus intendamus, diſpendiis & oppreſſionibus, diuina cooperante clementia ſalubriter occurramus.

Hic Pont. & alij quam plures Ord. Fratrum S. Dominici cōceſſerunt.

§.1.Sane licet, nos, & quamplures Rom.Pont. prædeceſſores noſtri propter vberes fructus, quos dictus Ordo Fratrum Prædicatorum,multa præfulgens gloria meritorum,& gratia ſanctitatis in agro militantis Eccleſiæ, in propagationem fidei orthodoxæ, eatenus produxerat, ac in futurum producturum fore, firma ſpe ſperabatur, & vt Fratres ipſi quietius eorum ſanctis officiis, vitæque regulari, ac Verbi Dei prædicationibus, libentius & alacrius ad ipſius fidei Chriſtianæ propagationem incumbere valerent, & incumberent cum effectu, quamplura priuilegia, indulta,gratias,exemptiones, & immunitates eis conceſſerint.

Et ſignanter circa prædicationes, vt ſup. n. 11.

§. 2. Et inter cetera, per quaſdam alias noſtras literas declarauerimus,Canonem ſeſſ. 24.cap.4. Trid. Conc.per quem omnibus regularibus, etiam in ſuorum Ordinum Eccleſiis,contradicente Epiſcopo,prædicationis officium interdicitur,fratres huiuſmodi, quando à ſuis Generalibus, vel eorum Miniſtris Prouincialibus, ad id deputati fuerint non comprehendere, neque eos afficere; immo voluerimus, quod in eorum Eccleſiis, quando eis placeret licite, etiam abſque vllo impedimento, vel contradictione, etiam Epiſcopi, niſi ipſe prædicaret, licet in Cathedrali Eccleſia, tunc prædicatur, prædicare poſſent.

Et quartam funeraliū, & ſepeliendi, vt ſup. n 11. 12. & 13.

§. 3. Circa autem quartam funeralium, de qua in ſeſſion. 25. cap. 13. eiuſdem Concilij, Nequaquam domos, ſeu Conuentus, & Monaſteria, quæ à quadraginta annis citra tunc fundata exiſtebant, poſtquam Concilium ipſum loquitur tantum de Monaſteriis, ſeu domibus ante quadraginta annos fundatis, & quæ ipſam quartam ſoluere conſueuerunt, & tantum ceræ, & aliorum, quæ tempore quo defunctorum corpora ad ſepulturam deferuntur,non autem de Miſſis,ſeu Legatis, vel aliis,Fratribus ipſis, ſeu Monialibus, relictis aut aliàs quomodolibet donatis ſolui debere; ſicque decretum Concilij huiuſmodi, quoad dictam quartam funeralium ſoluendam intelligendum eſſe decreuerimus. Vbi verò non eſt conſuetudo ſoluendi quartam funeralium huiuſmodi, de nullo ſupraſcriptorum ſolui debere declarauerimus.Nec ad quartam,ſeu aliam partem eorum,quæ etiã pro ornamento Eccleſiæ palliorum,planetarum,cortinarum,pannorum,& aliorum,quæ dictis Eccleſiis, ſen Fratribus,etiam pro eorum victu;aut alias relinqui, vel dari contingeret, aliquid contribuere tenerentur, ac curatis ſeu parochialium Eccleſiarum Rectoribus,ius tantum ſepulturæ eis ſolui conſuetum,nec aliquid aliud,quamuis partes ad earum libitum Eccleſiis ipſorum Fratrum, ſeu eiſdemmet Fratribus, alia quæcumque tribuiſſent, ſeu elargiri fuiſſent,quando in eorum Eccleſiis corpora mortuorum ſepeliuntur eis ſoluere, ſeu ad aliquorum onerum contributionem eiſdem curatis faciendam teneri,nec propterea impediri poſſe Fratres ipſos,quin poſſent defunctorum corpora præfata,ad eorum eccleſias tumulanda deferri facere.

Exemptionesque à ſolutione onerum,& iuriſdictione ordin. vt ſup. n. 13.

§.4.Neque dictos Fratres,illorumque loca,etiam ſi curam animarum haberent, aut quæcumque beneficia eis vnita ad aliquam contributionem pro Seminario, aut deeimarum aliquarum ſolutionem pariter teneri,nec cogi poſſe; immo illos, & eorum domos,monaſteria, beneficia,& loca ab illis quomodolibet dependentia,eorumque bona quæumque,tam ad eos,quàm ad Moniales prefatas quomodolibet pertinentia, à quibuſcumque decimis, primitiis,quartis,mediis,& aliis fructuum partibus, necnon ſubſidiis charitatiuis, etiam per nos,ex quacumque cauſa conceſſis, ac aliis quibuſcumque oneribus,tam ordinariis quam extraordinariis,necnon ab omni iuriſdictione & ſuperioritate Ordinariorum locorum,ita vt Ordinarij ipſi aliquam iuriſdictionem, ſiue poteſtatem in eos exercere, ſiue eos eorum iuriſdictioni ſubiicere, vel aliquid contra eos facere minime poſſent, exemerimus & liberauerimus.

Nonnulli idmen Epiſcopi & alij molestabant Fratres & Moniales ſuper præmiſſis ex cauſis hic enarratis

§.5.Nihilominus,ſicut accepimus,nonnulli Epiſcopi, ſiue alij locorum Ordinarij, alijque Eccleſiarum Prælati, necnon Canonici,ſiue capitulares perſonæ,ac parochialium Eccleſiarum Rectores, & aliæ tàm eccleſiaſticæ, quàm ſæculares perſonæ,qui non ceſſant dictos Fratres, & Moniales,eorumque perſonas,ſiue œconomos,& procuratores, ſuper præmiſſis diuerſimode moleſtare, & ipſos in eorumdem quiete, & ſpiritualibus muneribus turbare.

Alij enim prætendentes, quod cum Canon Conc.huiuſmodi, ſuper quo,vt præfertur, noſtra emanauit declaratio,non loquatur niſi de vna quarta,Cathedrali ſeu parochiali Eccleſiæ ſolui conſueta,nec dictum Concilium, nec nos cogitauerimus de duabus quartis, ſcilicet vbi conſueuit ſolui,& Cathedrali,aut parochiali Eccleſiis,& ideo dictis in locis ceſſare diſpoſitionem dictæ declarationis noſtræ, & Canonis Concilij.

Alij vero etiam prætendentes, dictis noſtris declarationibus non obſtantibus, Fratres prædictos quantumcumque ab eorumdem Superioribus approbatos in eorum Eccleſiis, & locis prædicare non poſſe niſi primo ſe coram Ordinariis ipſis ſiue eorum Vicariis, & licentiam ſuorum Superiorum muneris dictæ prædicationis præſentauerint, & ab eiſdem Ordinariis, ſeu dictis eorum Vicariis benedictionem obtinuerint.

Alij etiam locorum Ordinarij, necnon Canonici, & capitulares perſonæ, tam Metropolitanarum & Cathedralium, quam Collegiatarum, necnon parochialium eccleſiarum Rectores, ſiue aliæ perſonæ eccleſiaſticæ etiã prætendentes dictos Fratres alienas parochias cum eorũ Cruce eleuata ad leuanda cadauera eorum qui in Eccleſiis domorum, & locorum eorumdem Fratrum elegerint ſepulturam, intrare, & dicta cadauera ad ipſorum Fratrum Eccleſias pro eis inibi tumulandis, recuſante ipſo loci Ordinario, ſiue Capitulo, vel Rectore, deferre ſeu deferri facere non poſſe.

Alij autem ex conſuetudine prætendentes, quod Fratres ipſi cum eorum Cruce non poſſint leuare cadauera defunctorum ex eorumdem domibus, & eorum funus exequi,

Digitized by Google

exequi, sed Capitulis, siue capitularibus personis, seu Rectoribus ipsis id tantum licere, & primo ad ipsorum Capitulorum, siue Presbyterorum Ecclesias dicta corpora deferri debere, & in eisdem Ecclesiis funus, siue funeris officium petagi, postea vero per ipsos presb. retentis funeralibus vniuersis, siue solutis sibi certis pecuniis per hæredes defuncti pro funere, & exequiis, siue Missis in eorumdem Ecclesiis celebrandis, tunc, & non alias licere Fratribus corpus, siue cadauer defuncti ad eorum ecclesiam deferre.

Alij etiam prætextu diuersarum consuetudinum, & concordatorum, etiam, cum dictis Fratribus initorum, prætendentes à dictis Fratribus, & Monialibus velle habere, & sibi exigere licere, quartam, seu aliam portionem, etiam quorumcumque legatorum, & seu aliarum piarum largitionum, ipsis Fratribus, & Monialibus, siue eorumdem domibus, Ecclesiis, & locis quoquomodo factarum.

Alij etiam prætendentes iurisdictionem, & superioritatem in dictos Fratres, & Moniales, eorumdemque domos, Conuentus, Monasteria, & loca exercere posse, & propterea ipsos Fratres, & Moniales ad solutionem diuersorum onerum, & impositionum, dictorumque subsidij, & decimarum cogunt, & compellunt.

Alíque in erectione, siue institutione, & acquisitioné nouorum locorum, siue domorum, Conuentuum, & Ecclesiarum dicti Ordinis, & alias præmissorum occasione eosdem Fratres, & Moniales molestant, & perturbant, contra nostrarum, & dictorum prædecessorum nostrorum literarum formam, & tenorem.

Hic Pont. ad tollēdum has controuersias, eas omnes ad se aduocat.

§. 6. Nos præmissis, & aliis similibus grauaminibus, perturbationibus, & molestiis Fratribus, & Monialibus præfatis illatis, eorumdemque Fratrum & Monialium quieti, & tranquillitati consulere, & vt Fratres ipsi facilius & promptius eorumdem officia, & vitam regularem, ac munus prædicationis eis iniunctum, ad summi Dei laudem, & fidei Catholicæ propagationem, exequi, & adimplere, illisque incumbere possint, & ad illa promptiores reddantur, opportune prouidere, ac omnem ambiguitatem, etiam nostræ amplioris declarationis ministerio remouere volentes; Ipsosque Fratres, & Moniales, & eorum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodati existunt, & ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes. Necnon literarum præfatarum, ac cuiusuis litis, & causæ, desuper inter quoscumque, & in quauis instantia penden. status, & merita, nominaque & cognomina Iudicum, & collitigantium, eorumque iura, & titulos, ac sententiarum desuper forsan latarum. Necnon transactionum, siue conuentionum inter eos initarum, ac instrumentorum, aliarumque scripturarum desuper quomodolibet confectorum, & inde secutorum quorumcumque tenores, præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, non ad alicuius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera deliberatione, & ex certa scientia nostra, omnes lites, causas, controuersias, & quæstionum materias, super præmissis, & eorum occasione, inter Fratres, seu etiam Moniales præfatos ex vna; necnon Episcopos, & locorum Ordinarios, ac Canonicos, siue capitulares personas, Parochialium ecclesiarum, Rectores, & alias quascumque personas ecclesiasticas, & sæculares præfatas, partibus ex altera, coram quocumque Iudice, seu quibusuis iudicibus ecclesiasticis, & sæcularibus, etiam Sedis Apostolicæ de latere Legatis, ac Vicelegatis, ac etiam ab eadem Sede delegatis, sub delegatis ac aliis quibusuis, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Sacri Palatij Apostolici causarum Auditoribus, quomodolibet in prima, seu alia quacumque etiam forsan vlteriori instantia introductas; & adhuc forsan pendentes, etiam forsan si super illis, etiam contra dictos Fratres, & Moniales, per vnam, vel plures sententias iudicatum, & inter ipsas partes concordatum, siue transactum desuper fuerit, Apostolica auctoritate, tenore præsentium ad nos auocamus, eaque omnia, & singula cassamus, & extinguimus, ac pro cassis, & penitus extinctis haberi volumus, & declaramus, eisdemque Episcopis, locorum Ordinariis, Vicariis, Canonicis, capitularibus personis, necnon parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & ceteris personis Ecclesiasticis, & sæcularibus, desuper perpetuum silentium imponimus.

Cōfirmat omnia priuilegia eisdem oratorib. & Monialib &c. concessa.

§. 7. Necnon omnia & singula priuilegia, indulta, concessiones, suppressiones, extinctiones, vniones, incorporationes, applicationes, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, communicationes, indulgentias, & alias quascumque gratias dicto Ordini fratrum Prædicatorum, & eiusdem pro tempore existentibus Magistro Generali, Prouincialibus, Superioribus, Fratribus, & Monialibus præfatis, eorumdemque domibus, Conuentibus, Monasteriis, Ecclesiis, & locis, ac membris, colonis, seruitoribus, procuratoribus, œconomis, ac aliis personis quibuscumque dicti Ordinis regulam professentibus, etiam oblatis, & tertij habitus Monialibus nuncupatis, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem præfatam, ac dictæ Sedis Legatos, Vicelegatos, Episcopos, locorum Ordinarios, & quascumque alias personas, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque quibusuis clausulis, statutis, etiam irritantibus decretis, hactenus quomodolibet concessa, approbata, & innouata, literasque desuper tàm sub plumbo, quàm in forma Breuis, & alias quomodolibet confectas, & expeditas, ac provt ea, omnia & singula per eosdem prædecessores, ac nos, & Sedem præfatam, alioque prædictos, concessa, approbata, & innouata fuerunt, quorum omnium & singulorum tenores, formas, & datas, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus haberi volumus pro expressis, eisdem auctoritate, & tenore approbamus, confirmamus, & innouamus, illaque omnia & singula, efficacia existere, & perpetuam roboris firmitatem obtinere, ac suos plenarios & integros effectus sortiri. Necnon ab omnibus, & singulis, quauis etiam de latere Legati, Vicelegati, necnon Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quauis alia Ecclesiastica, siue sæculari & temporali præfulgeant dignitate & præeminentia, etiam sub sententiis, censuris & pœnis in eisdem contentis, perpetuo inuiolabiliter obseruari debere decernimus.

Declarat indultum circa prædicationes de quibus in præinserta bulla nu. 1.

§. 8. Et insuper quod Fratres dicti Ordinis (ab eorum Superioribus tamen approbati) in eorum Ecclesiis, quando eis placuerit, etiam quod in Cathedrali Ecclesia (non tamen ab Episcopomet) prædicetur, libere, & licite absque aliquo impedimento, sine etiam ipsius Episcopi contradictione, & absque eo, quod coram dicto Episcopo se non præsentauerint, nec eidem licentiam muneris prædicationis huiusmodi exhibuerint, & ab eodem Episcopo benedictionem, vt præfertur, non obtinuerint, prædicare, & munus prædicationis huiusmodi exequi.

Iusq. sepulture de quo ibidem n. 13.

§. 9. Necnon Fratres ipsi quæcumque corpora defunctorum, qui se in eorum Ecclesiis sepeliri ordinauerint, vel si à defunctorum hæredibus, siue curam funeris habentibus, vocati fuerint, ipsorum Fratrum Cruce eleuata, etiam sine dictorum Canonicorum, ac Capitularium personarum, necnon Curatorum, vel aliorum presbyterorum interuentu, ex ipsorum defunctorum domibus leuare, eaque accipere, & associare, ac ad ipsorum Fratrum Ecclesias directe deferri, & in eorum Ecclesiis (non tamen tempore interdicti) sepeliri facere, saluo dumtaxat iure parochiali. Nec Fratres ipsi ad alterius cuiusuis contrariæ consuetudinis, vsus, siue moris obseruationem teneri, vel super præmissis à quoquam quauis auctoritate, molestari, seu perturbari possint, vel debeant.

Et quartam funeralium de qua ibi n. 11. & seqq.

§. 10. Quartam autem funeralium, quoad domos, siue Conuentus, & Monasteria ipsius Ordinis, tempore dicti Concilij Tridentini, ante quadraginta annos fundata, & erecta, & ratione illorum vbi consuetudo illam soluendi tantum extitit, ac de ceris, & aliis, quæ deferuntur iuxta cadauer dum ad sepulturam defertur, non autem de aliis quibusuis eisdem Fratribus, seu Monialibus,

Digitized by Google

nialibus, aut eorum domibus, Conuentibus, Monasteriis, Ecclesiis, & locis, etiam pro funeris siue Anniuersarij, aut Missarum celebratione donatis, legatis, siue alias quomodolibet largitis, & vbi duæ quartæ forsan solui consueuerint, vna scilicet Parochiali Ecclesiæ, alia vero Episcopo, siue Cathedrali, aut Collegiatæ Ecclesiæ, siue Canonicis, & Capitulo eiusdem, vna tantum, scilicet Episcopo, vbi vero consuetudo illam soluendi non fuit', siue domus, Conuentus, & Monasteria dictorum Fratrum, & Monialium, post quadraginta annos erecta siue fundata fuerint, nequaquam nec vllo modo soluere, seu tradere, omnem aliam præmissis contrariam consuetudinem, siue morem, harum serie cassantes, & extinguentes, ac omnibus & singulis quorum interest desuper perpetuum silentium imponentes.

Decimasq. & contributiones de quib. ibid. num. 14.

§. 11. Minusque Fratres & Moniales ipsi, ad aliquorum onerum, realium vel personalium, etiam ratione eorumdem domorum, seu Conuentuum, Monasteriorum, Ecclesiarum, & locorum, ac quorumcumque beneficiorum eisdem vnitorum, etiam si, vt præfertur curam animarum habeant, contributionem siue solutionem etiam per Seminario, & decimarum quarumcumque, aut cuiuscumque subsidij, etiam caritatiui, & Triennalis nuncupati, nunc, & pro tempore per nos, & quoscumque Romanos Pontifices, aut Sedem præfatam impositorum, & imponendorum ex quauis causa, quantumcumque vrgentissima teneantur, vel desuper aliter molestari possint, seu debeant.

Et a lificationem Monasteriorum de qua sup. n. 23 Tu videClem. vij. const. 59. Quoniam.

§. 12. Quodque Fratres, & Moniales præfati, vbique locorum nouas domos, siue Conuentus, & Monasteria, ac Ecclesias, dictorum Ordinis, cum claustris, cellulis, refectuariis, domitoriis, aliisque officiis necessariis, Ordinarij loci, siue cuiusuis alterius licentia, desuper minime requisita, construere, ædificare, erigere, & instituere, nec pariter super his molestari possint, siue debeant, eisdem auctoritate, & tenore, etiam perpetuo, statuimus, ordinamus & declaramus, eisque Fratribus, & Monialibus, super præmissis omnibus, & singulis licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur.

Exemptionēs à iurisdictione Ordinariorum.

§. 13. Ac etiam ipsos Fratres, & Moniales, eorumque domos, monasteria, beneficia, & ab illis quomodolibet dependentia loca, ac bona quæcumque, cuiuscumque qualitatis & quantitatis existant, dictorumque bonorum colonos, laboratores, & conductores, ac oblatos, & tertij habitus Moniales, aliasque personas præfatas, à quibusuis decimis, etiam prædialibus, & primitiis, quartis, mediis & aliis partibus fructuum, ac subsidiis, etiam caritatiuis præfatis, ac ab omni iurisdictione, & superioritate quorumcumque locorum Ordinariorum, etiam de nouo, quatenus opus sit, auctoritate & tenore similibus eximimus, & liberamus, ac exemptos, liberos, & immunes penitus esse volumus. Necnon, quatenus opus sit, illos eorumque singulos, in ius & proprietatem B. Petri, & Sedis Apostolicæ, ac sub eorum speciali & immediata protectione suscipimus, ac eos solum, & dumtaxat immediate Sedi præfatæ, & nobis, ac pro tempore existenti Romano Pontifici, subiacere decernimus, & declaramus.

Facultatem etiam eisdem Fratribus & Monialibus concedit, eligendi quascumque personas in Ecclesiastica dignitate constitutas, in eorum Conseruatores, & Iudices, qui hoc munus recusare non possint.

§. 14. Et vt Fratres & Moniales à præmissis molestiis, & perturbationibus subleuati, quietius Altissimo famulari, & vberiores fructus quotidie in agro Domini, pro Christianæ Religionis defensione & ampliatione perferre possint, tàm vos omnes & singulos supradictos, quàm quascumque alias personas in dignitate Ecclesiastica vbilibet, & in quibusuis Mundi partibus constitutas, & quoscumque locorum Ordinarios, ac eorum Vicarios, & officiales; necnon Canonicos Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum, per eosdem Fratres, & seu Moniales, ac dicti Ordinis fratrum Prædicatorum, Superiores, & domorum Priores, ac eorum singulos pro tempore eligendos, in eorum, & dictorum eorumdem priuilegiorum, indultorum, concessionum, & gratiarum, & singulorum aliorum præmissorum Conseruatores, & Iudices vnicos, qui, quamdiu dictum officium exercueritis, & ipsi exercuerint, à nemine, quominus illud exerceatis, & exerceant, sub aliquo prætextu, ac sub excommunicationis, siue suspensionis à diuinis latæ sententiæ quam eo ipso incurrere volumus & declaramus respectiue pœna, impediri, vel molestari possitis, & possint, dicta auctoritate deputamus. Ita quod vos, seu alij quicumque sic electi, sub excommunicationis, & seu suspensionis latæ sententiæ pœna huiusmodi, quam statim quod munus, siue officium Conseruatoris huiusmodi acceptare, & debite ac plenarie exequi neglexeritis, & neglexerint, absque alterius declarationis ministerio incurrere volumus, nec ab aliquo quam à nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) absolui posse, eosdem Priores, Superiores, & Fratres, ac Moniales, etiam tertij habitus oblatos & alios præfatos. ac eorum singulos, aduersus inferentes eis, aut eorum Procuratoribus, Agentibus, seruitoribus, & familiaribus in præmissis, & eorumdem aliquo, molestias, siue perturbationes aliquas, seu iniurias, grauamina, vel damna, in personis, rebus & bonis, seu exigendo ab eis ab eis vectigalia, datia, pedagia, gabellas, collectas, aut alia onera defendere, præsentare, ac omnem eorum iurisdictionem exercere. Necnon sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, contra rebelles, & inobedientes cum effectu promulgare, ac omnibus facultatibus Conseruatoribus dicti Ordinis fratrum Prædicatorum, illiusque Fratribus, & personis per quascumque literas Apostolicas quomodolibet concessis vti, ac priuilegia Superioribus, Prioribus, & Fratribus, ac Monialibus præfatis pro tempore concessa, eis obseruari facere debeatis, & debeant.

Declarat eisdē eosdē Fratres, & alias personas eiusdem Ordinis alibi quam coram eorum Conseruatoribus conuenire nec conuenire posse.

§. 15. Neque Superiores, Priores, Moniales, oblati, & ceteræ personæ Ordinis huiusmodi, & ab eis dependen. præfatæ coram aliis quàm vobis, & dictis Conseruatoribus, etiam vigore, seu prætextu, quarumcumque constitutionum & ordinationum aliquorum Regnorum, etiam quod non habentes Superiorem in illis Regnis, coram sæcularibus Iudicibus respondere debeant, ac teneantur ad iudicium vocari, vel alias molestari, quauis occasione vel causa, possint vel debeant. Quodque ipsi Fratres, & Moniales oblati, & aliæ personæ præfatæ, siue actores siue rei existant, coram aliquo alio Iudice ordinario vel delegato, quam prædicto suo Conseruatore (coram quo primo vnam sententiam definitiuam, antequam ipsi ad aliud iudicium euocentur, seu causa committatur, vel transferatur, obtinere debeant, & teneantur) vt præfertur, etiam quauis occasione vel causa molestari, vel in iudicium trahi, siue ad iudicium euocari, vel agere minime possint siue debeant, eisdem auctoritate & tenore, etiam statuimus, ordinamus, & decernimus.

Conseruatorū iurisdi ctiones, & facultates.

§. 16. Et insuper aduersus molestatores, inquietatores, & alios iniuriatores huiusmodi, volentes eisdem Ordini, Magistro Generali, Prioribus, Superioribus, Fratribus, Monialibus, oblatis, seruitoribus, œconomis, Procuratoribus, & aliis eorum personis præfatis illo remedio prouidere, per quod ipsorum compescatur temeritas, & aliis aditus, & voluntas committendi similia præcludatur. Discretioni vestræ per præsentes mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum, per vos vel alium, seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus estis deputati Conseruatores, & Iudices Ordini fratrum Prædicatorum, ac illius pro tempore existentibus Magistro Generali, Prioribus, Fratribus, Monialibus, oblatis, præsentibus & futuris, quibusuis aliis personis præfatis, efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eos super iis, ac eorum priuilegiis, immunitatibus, gratiis, concessionibus, facultatibus, exemptionibus, indultis, ac aliis quibusuis eisdem concessis per quoscumque Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Ecclesiarum Prælatos, necnon eorum Vicarios, Officiales, Capitula, Collegia, & Clericos, ac Ecclesiasticas personas, tàm sæculares quàm S. Benedicti, S. Augustini, Cistercien. Carthusien, Cluniacen. Præmonstraten. & aliorum quorumcumque Ordinum, & Congregationum, ac Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, & S. Iacobi de Spata, ac Iesu Christi, & quarumcumque aliarum Militiarum Religiosos, & Milites, exemptos & non exemptos, necnon Duces,

Digitized by Google

Marchiones, Comites, Barones, Milites, & Laicos, Communitates Ciuitatum, Vniuerſitates Oppidorum, Caſtrorum, Villarum & aliorum locorum, ac alia ſingulares perſonas Ciuitatum & Diœceſum, ac quarumcumque aliarum partium, ſuper præmiſſis & eorum aliquo quouis prætextu, & quæſito colore, & contra præmiſſorum ſingulorum tenorem, & formam indebite moleſtari, aut eis, vel eorum alicui, moleſtias, grauamina, damna, ſeu iniurias, & iacturas, irrogari, facturi dictis Prioribus, Superioribus, Fratribus, Monialibus, oblatis, aliiſque perſonis prædictis, cum ab eis, aut eorum aliquo fueritis requiſiti, ſuper dictorum priuilegiorum, indultorum, exemptionum, libertatum, facultatum, & aliarum gratiarum præfatarum obſeruatione, necnon ſuper quibuſuis moleſtiis, damnis, iniuriis, atque iacturis ſibi pro tempore illatis, ſeu inferri comminatis, in illis videlicet, quæ iudicialem requirunt indaginem ſummarie, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura iudicij, ſola facti veritate inſpecta, in aliis vero qualitas eorum exegerit, iuſtitiæ complementum. Moleſtatores, & iniuriatores huiuſmodi, necnon contradictores quoſlibet & rebelles, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis extiterint, quandocumque, & quotieſcumque expedierit, auctoritate noſtra, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo; inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis; & nihilominus legitimis ſuper his, per vos habendis ſeruatis proceſſibus, illos, quos cenſuras, & pœnas præfatas, ac alias per vos pro tempore latas incurriſſe vobis conſtiterit, eas incurriſſe declaretis, ac cenſuris, & pœnis prædictis, quoties opus fuerit, etiam iteratis vicibus aggrauare curetis. Ceterum ſi per ſummariam informationem, per vos ſuper iis habendam, etiam vobis conſtiterit, quod ad loca, in quibus moleſtatores, & iniuriatores huiuſmodi, necnon ceteros, quos præſentes literæ concernunt, pro tempore morari contigerit, pro monitionibus, requiſitionibus, & inhibitionibus ipſis, ac citationibus de eis faciendis tutus non pateat acceſſus. Nos vobis, monitiones, requiſitiones, & citationes, ac inhibitiones quaſlibet, tàm contra in iudicio præſentes, quàm alios quoſcumque ſua quomodolibet intereſſe putantes, & quacumque auctoritate ſiue dignitate præfulgentes, in decreto, ſiue executione dictæ citationis ſiue inhibitionis nominandos, etiam ſub eiſdem cenſuris, ac aliis arbitrio veſtro imponendis, & applicandis pœnis, etiam pecuniariis, etiam per edicta publica locis affigenda publicis, & partibus illis vicinis, de quibus ſit veriſimilis coniectura quod ad ipſorum monitorum, requiſitorum, & citatorum notitiam peruenire valeant, faciendi, & decernendi, eoſque citandi, ac eiſdem moleſtatoribus, iniuriatoribus, contradictoribus, & rebellibus, ac aliis quibus opus fuerit, etiam ſub cenſuris Eccleſiaſticis, ac aliis pœnis, etiam pecuniariis, ſuo arbitrio moderandis, inhibendi, eaſque incurriſſe modo præmiſſo declarandi, aggrauandi, & auxilium brachij ſæcularis inuocandi. Necnon cauſas, & controuerſias quaſcumque dictorum Fratrum Monialium, & dicti Ordinis Superiorum oblatorum, ac aliarum perſonarum præfatarum, ſuper quibuſuis rebus, & negotiis, motas & mouendas, actiue & paſſiue, cum omnibus & ſingulis earum incidentibus, dependentibus, & emergentibus, annexis & connexis, modo præmiſſo, & tàm coniunctim quàm diuiſim, arbitrio veſtro, audiendi, cognoſcendi, decidendi, & in ſuis ſtatu & terminis reaſſumendi, & fine debito finiendi, & terminandi; & eorumdem, necnon ſententias per vos ferendas, poſtquam tranſiuerint in rem iudicatam, vel alias de iure executioni locus fuerit, debite exequendi, & executioni demandandi, plenam & liberam, earumdem tenore præſentium concedimus facultatem, & poteſtatem. Ac volumus, & eadem Apoſtolica auctoritate decernimus, quod monitiones, requiſitiones, citationes, inhibitiones ſic factæ huiuſmodi, ipſos monitos, requiſitos, citatos, & inhibitos arctent, perinde ac ſi eis factæ, inſinuatæ, & intimatæ perſonaliter extitiſſent.

Clauſula ſubſtantiæ. §.17. Sicque in præmiſſis omnibus & ſingulis, per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere. Ac irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula derogatoria. §.18. Non obſtantibus tam fel. record. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, qua cauetur, ne quis extra ſuam Ciuitatem, vel Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis, vltra vnam dietam, à fine ſuæ Diœceſis ad iudicium euocetur, ſeu ne Iudices à Sede prædicta deputati extra Ciuitatem, & Diœceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alij, vel aliis vices ſuas committere præſumant, & de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo vltra tres dietas aliquis vigore præſentium ad iudicium non trahatur ſeu quod de aliis quam manifeſtis iniuriis, & violentiis, ac aliis, quæ iudicialem non requirunt indaginem, pœnis in eos qui ſecus egerint, & in id procurantes adiectis, Conſeruatores ſe nullatenus ſe intromittant, quam aliis quibuſcumque conſtitutionibus à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, tam de Iudicibus delegatis, quam perſonis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut alias editis, quæ veſtræ in hac parte poſſent iuriſdictioni, aut poteſtati, eiuſque libero exercitio quomodolibet obuiare. Quodque vos filij Canonici officiales, & Vicarij non ſitis de perſonis quæ deputari poſſunt in Conſeruatores. Priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis, ac exemptionibus, facultatibus, & aliis conſeruatoriis, per nos, ante eoſdem prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, quibuſuis Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, & aliis piis locis, necnon Ordinibus, Congregationibus, Militiis, Communitatibus, & aliis Collegiis, ac Vniuerſitatibus, etiam Studiorum generalium Ciuitatibus, Caſtris, Terris, & locis, ac perſonis, tam Eccleſiaſticis quam ſæcularibus, cuiuſcumque dignitatis, etiam Patriarchali, Epiſcopali, Archiepiſcopali, & alia maiori dignitate, ſeu auctoritate fungentibus, ac Capitulis, Conuentibus, Ducibus, & aliis Dominis temporalibus, etiam per modum ſtatuti perpetui, etiam Motu, & ſcientia ſimilibus ac quibuſuis aliis perſonis, cuiuſcumque qualitatis, conditionis, gradus, præeminentiæ, ſeu dignitatis, ac Vniuerſitatibus, etiam Studiorum generalium, ſeu Collegiis, etiam exemptis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, etiam de non trahendis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam Maremagnum, ſeu bulla Aurea nuncupatis, aut alias quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſa habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe pari motu derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, ſeu extra, vel vltra certa loca ad iudicium euocari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi, & eorum perſonis, locis, Ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia, generali vel ſpeciali, cuiuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam effectus huiuſmodi gratiæ impediti valeat quomodolibet, vel differri, & de qua eiuſque toto tenore habenda ſit noſtris literis mentio ſpecialis.

Declaratio facultatum, & iuriſdictionis dictorum dictorū. Conſeruatorum. §.19. Ceterum etiam volumus, & dicta Apoſtolica auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamuis idem

Digitized by Google

idem inchoans nullo fuerit impedimento Canonico impeditus. Quodque à data præsentium, sit vobis & vnicuique vestrum, in præmissis & eorum singulis, cœptis & non cœptis, præsentibus & futuris perpetuata potestas, & iurisdictio attributa, vt eo vigore, eaque firmitate possitis in præmissis omnibus, cœptis & non cœptis, præsentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia & singula coram vobis cœpta fuissent, & iurisdictio vestra & cuiuslibet vestrum, in prædictis omnibus & singulis per citationem, vel modum alium legitimum perpetuata extitisset, constitutione prædicta super Conseruatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obstante.

Fides exemplorum.

§. 20. Et quia difficile foret præsentes literas, ad singula, in quibus de eis fides forsan facienda fuerit, loca deferre, etiam voluimus, & eadem auctoritate Apostolica decernimus, quod præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut Curiæ Ecclesiasticæ munitis, in iudicio, & alibi, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

D. P. An. 6 die 23. Sept.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 23. Septembris, 1571. Pontific. nostri Anno 6.

XLII. Spoliorum nomine ad R. Cameram Apost. spectantium, non veniunt ornamenta, & paramenta Ecclesiarum, nec supellectilia domestica. Neque bona Clericorum qui beneficia aut pensiones, non excedentes summam ducatorum triginta, habuerunt.

Quæ autem comprehendantur nomine spoliorum, videbis plene apud const. 18. *Paul V.* In eminenti.

Edita A. D. 1567.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Causa huius const.

ROomani Pontificis prouidentia circumspecta ad ea solicitudinis suæ partes potissimum conuertit, per quæ singulis Ecclesiis debita obsequia, & opportuna subuentionis auxilia minime subtrahantur. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates seu Commendatarij, ac alij beneficia Ecclesiastica obtinentes, proprij honoris, & salutis immemores, etiam prætextu facultatum testandi eis per Sedem Apostolicam concessarum, in eorum vltimis voluntatibus res sacras ac vasa, ornamenta, & paramenta Ecclesiastica, aliaque cultui diuino dicara quandoque ex fructibus Ecclesiasticis per eos acquisita, non Ecclesiis, & Monasteriis, ac beneficiis quibus præfuerunt, seu à quibus prouentus Ecclesiasticos, & stipendia acceperunt, provt rationi & honestati consentaneum foret, sed aliis locis, etiam aliquando non piis, ac interdum eorum consanguineis, & affinibus relinquere, ac Cameræ Apostolicæ Collectores, prætextu quod illa sub appellatio. e spoliorum veniant, tamquam eiusdem Cameræ spolia exigere, & percipere non erubescant, in maximum religionis dedecus, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum eorumdem detrimentum, ac relinquentium animarum periculum, scandalumque plurimorum.

Ornamenta & paramenta, ac res sacræ, & alia bona ad vsum & cultū diuinum spectantia, non veniunt sub nomine spoliorum pertinentium Cam. Apost. sed spectant ad Ecclesias, tempore obitus illac obtinentium.

§. 1. Nos abusibus, scandalisque huiusmodi prouidere, ac singularum Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac beneficiorum indemnitati, animarumque quorumlibet saluti consulere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus, ordinamus, decernimus, & declaramus, quod de cetero omnia & singula ornamenta, & paramenta, ac vasa, necnon Missalia, & Gradualia, ac Cantus firmi, & Musicæ aliquæ quomodolibet nuncupati libri, & aliæ res sacræ, etiam auri, & argenti, ac quæcumque alia bona per quoscumque Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, seu Commendatarios, & alios quoscumque, quæcumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura, sæcularia, & quorumuis Ordinum regularia, in titulum vel commendam, aut alias quomodolibet obtinentes, quocumque nomine vel titulo censeantur, etiam si de illis, & eorum qualitatibus specialis, & expressa mentio habenda foret, ad vsum & cultum diuinum, etiam in eorum priuatis ædibus, & Capellis, vel Oratoriis destinata, tempore eorum obitus ex testamento vel ab intestato relicta, sub quibusuis facultatibus testandi, & alias disponendi de bonis per eos ex altari, vel alias quomodolibet acquisitis, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores, & successores nostros, ac nos sub quibusuis tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam Motu proprio, & alias quomodolibet concessis, & concedendis, minime comprehendantur, nec sub appellatione spoliorum veniant, sed ad singulas Ecclesias, Monasteria, etiam Conuentu carentia, & beneficia huiusmodi in quibus resederint, aut quibus præfuerint, seu quæ alias obtinuerint omnino spectent, & pertineant, ac spectare, & pertinere.

Successores in Ecclesiis propria auctoritate illa apprehendere possunt.

§. 2. Illaque post eorum obitum eisdem Ecclesiis, Monasteriis, & beneficiis, etiam si in Romana Curia, & procul ab illis decesserint, vel ad illa numquam accesserint, etiam si antea Ecclesiarum, & Monasteriorum regimini cesserint, vel beneficia huiusmodi renunciauerint, eo ipso applicata, & incorporata sint, & esse censeantur, ita quod liceat illis defunctis, in eisdem Ecclesiis, Monasteriis, & beneficiis successoribus, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum huiusmodi Capitulis, & Conuentibus, respectiue, illa propria auctoritate libere apprehendere, ac eorum Ecclesiis & Sacristis applicare, & incorporare.

Et de illis etiã ad pias causas disponi prohibetur.

§. 3. Ac quæcumque donationes, ac relicta, & legata, testamenta, & codicilli, & aliæ vltimæ voluntates seu spolia desuper, contra præsentis constitutionis nostræ tenorem quomodolibet pro tempore facta, quoad præmissa, nulla & inualida, nulliusque roboris & momenti existant, & personis, etiam Ecclesiasticis, seu locis, etiam piis, aut Ecclesiasticis aliis quibuscumque, in quarum seu quorum fauorem pro tempore facta fuerint, minime suffragentur, nec per ea eisdem personis, seu locis, vel aliis Ecclesiis huiusmodi aliquod ius in rebus prædictis, vel ad illas acquiri posse.

Detentores quæ illorum bonorum ad restitutionem cõpelli debent.

§. 4. Quinimo res sacras, ac alia bona prædicta quocumque nomine, vel titulo pro tempore detinentes, ad illa Ecclesiis, & Monasteriis, ac beneficiis per defunctos quomodolibet acquisitis, vt præfertur, iuxta præsentium tenorem realiter & cum effectu restituendum, & consignandum, quibusuis dispositionibus de illis in contrarium quomodolibet factis minime attentis, omnino teneantur, & ad id per censuras & pœnas, etiam furti, & sacrilegij, ac alia, iuris & facti remedia opportuna cogi & compelli possint, & debeant.

Supellectilia presbyterorum & clericorum nõ veniũt sub nomine spoliorum.

§. 5. Insuper ne deinceps contingat insolentia spoliorum Cameræ Apostolicæ Collectorum, vel subcollectorum aliquas Ecclesias, nec hominum quemquam damno, & iniuria affici, nec cuiquam de cetero vertatur in dubium, quæ res habendæ sint nomine spolij, simili modo statuimus, decernimus, & declaramus, quod quæcumque scamna, cathedræ, arcæ, & etiam ligneæ, vel lapideæ, etiam marmoreæ, mensæ, & tabulæ, ac quæcumque dolia, seu vasa vinaria vacua, & alia similia supellectilia domestica per quosuis presbyteros, seu clericos ab humanis pro tempore decedentes, tempore eorum obitus in Ecclesiis, seu eorum domibus Ecclesiarum earumdem, vel alibi vbiuis locorum relicta, etiam si ex fructibus, & prouentibus beneficiorum quæ dum viuerent obtinebant acquisita fuerint, sub spoliorum appellatione minime veniant, nec pro spoliis vllo modo reputari possint.

Spolium non potest petendi per obtinentis beneficia vel pensiones non excedẽtes 30. ducatos.

§. 6. Præterea quod nullum spolium Cameræ præfatæ fieri, nec quicquam à quibusuis spoliorum Cameræ huiusmodi Collectoribus, vel Subcollectoribus exigi possit per obitum illius, qui dum viueret, vnum vel plura beneficia Ecclesiastica obtinuerit, cuius vel quorum insimul fructus, reddit⁹, & prouentus, triginta ducatorum auri

de

de Camera ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum non exceſſerint, aut qui penſiones annuas ſuper quibuſuis fructibus Eccleſiaſticis vſque ad dictum valorem annuatim perceperit, dummodo tamen is ſe ab omni illicita negotiatione, & à ſacris canonibus prohibita abſtinuerit. Ita quod ſi quis dictorum Collectorum aliquid ex bonis quorumuis defunctorum qui ſimilia beneficia obtinuerint, ſeu ſimiles penſiones perceperint, prætextu ſpoliorum eiuſdem Cameræ percipere, aut alias contra præſentes noſtras literas, attentare præſumpſerint, ad totalem bonorum per eum perceptorum reſtitutionem teneatur, ac ad viam iuris, etiam per ſimiles cenſuras & pœnas, cogi & compelli poſſint, & debeat.

Inhibitio contra ſpoliorum collectores, ne deſuper ſe intromittant.

§.7. Diſtrictius inhibentes quibuſuis Cameræ præfatæ ſpoliorum collectoribus, nunc & pro tempore exiſtentibus ſub indignationis noſtræ, & priuationis eorum officiorum pœna, ne in ornamentis, & paramentis, ac vaſis, & libris præfato cultui diuino dicatis, ac alias in rebus ſacris, necnon ſupellectilibus præfatis quomodolibet ſe intromittant, nec in eorum inuentariis tamquam ſpolia redigant ſeu deſcribant, ſed ornamenta, & paramenta, necnon vaſa, & libros, aliaque diuino cultui dicata huiuſmodi Eccleſiis, & Monaſteriis, Capellis, & aliis beneficiis huiuſmodi, eorumque Rectoribus, & aliis præfatis libere admittant, & conſignent, ac conſignari faciant cum effectu, ac ſupellectilia prædicta in locis vbi conſtiterint relinquant.

Decretum irritans.

§.8. Ac decernentes ſic in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac irritum & inane, quicquid ſecus ſuper eis à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio & facultates.

§.9. Quocirca dilectis filiis Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, & ſingulis locorum Ordinariis, ac maiorem dignitatem poſt Pontificalem in vniuerſis Eccleſiis Cathedralibus, & Metropolitan. pro tempore obtinentibus per Apoſtolica ſcripta Motu ſimili mandamus, quatenus ipſi vel duo aut vnus eorum præſentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi & quando opus fuerit, quotiens pro parte quorumcumque in præmiſſis intereſſe habentium, vt præfertur, fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta quæcumque firmiter obſeruari, ac ſingulos quos literæ ipſæ concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eos deſuper quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo.

Clauſula derogatoria.

§.10. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon Eccleſiarum, & Monaſteriorum huiuſmodi iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, facultatibus teſtandi, aliiſque priuilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſuis conceſſis, approbatis, & innouatis, etiam ſi de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis & expreſſa mentio facienda eſſet, illorum tenores pro ſufficienter expreſſis habentes, illis in reliquis in ſuo robore permanentibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Diuiſio ornamẽtorum, &c. quando beneficiatus obtinet plura beneficia.

§.11. Volumus autem quod ſi aliquis ex Patriarchis, Epiſcopis, Abbatibus, ſeu Commendatariis, & aliis beneficiatis præfatis pluribus Eccleſiis, ſeu Monaſteriis, pro tempore ſimul, vel ſucceſſiue præfuerit, ſeu plura beneficia obtinuerit, ornamenta, & paramenta, ac res, & bona prædicta ad illa omnia, habita ratione fructuum, & temporis quo eadem beneficia poſſedit, omnino pertineant, & proportionabiliter inter ea diuidatur.

Forma publicãdæ conſtitut. Quam publ. habes in fin.

§.17. Quodque præſentes literæ in Cancellaria noſtra Apoſtolica, & acie Campi Floræ, de more publicentur, & inter conſtitutiones perpetuo valituras deſcribantur.

Fides tranſumptorum.

§.13. Et quia difficile foret præſentes ad quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus earum tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillatis, eadem prorſus fides in iudicio & extra, adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis.

§.14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ordinationis, ſtatuti, decreti, declarationis, inhibitionis, mandati, & voluntatis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

D.P. An. 2. die 30. Aug.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1567. 3. Kalend. Septembr. Pontificatus noſtri Anno 2.

Iuriſdictio Conſulum Artis Lanæ in Vrbe, cognoſcendi cauſas ad Artem ipſam ſpectantes. XLIII.

Approbatio eſt etiam in conſt. 61. Vrbem. *Gregor. XIII. & extenſio habetur in conſtit.* 14. Cum alias. *Sixti V. qui eius Mercatoribus priuilegia ibidem conceſſit.*

Edita An. D. 1567.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Cauſa huius conſt.

VT ad Artis Lanæ quæ tamquam nobilis Mediolani, Neapoli, Florentiæ, aliiſque inſignibus Ciuitatibus, in illarum decus & ornamentum, ac Ciuium, & populi vtilitatem & ſuſtentationem, quammaxime quotidie exercitatur, exercitium etiam in hac Alma Vrbe noſtra temporum iniuria iam pene collapſum reſtaurandum, & ſuo priſtino ſpendori reſtituendum, dilecti filij Collegiũ, ſeu Societas Mercatorum Artis Lanæ Vrbis noſtræ eo efficacius excitentur, illique alacrius intendant, quo vberiori Sedis Apoſtolicæ munificentia nouerint ſe confoueri, Collegium, ſeu Societatem prædictam ſpecialibus fauoribus, & gratiis proſequi volentes.

Confirmatio priuilegiorum & Statutorum Artis Lanæ Vrbis.

§.1. Omnia & ſingula ipſius Collegij, ſeu Societatis capitula, ordinationes, ſtatuta, priuilegia, indulta, immunitates, exemptiones, aliaſque gratias à quibuſcumque Romanis Põtificibus prædeceſſoribus noſtris quomodolibet conceſſa, approbata, & innouata, etiam ſi illa in vſu eſſe deſierint, illorum, omnium, necnon literarum & inſtrumenti, ſeu inſtrumentorum deſuper confectorum tenores pro expreſſis & inſertis habentes, ac provt illa concernunt in dictis literis, ſeu inſtrumentis, contenta, & inde ſecuta quæcumque, licita & honeſta, ac ſacris canonibus non contraria, Apoſtolica auctoritate perpetuo confirmamus, & approbamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, omneſque & ſingulos iuris & facti defectus, ſi qui forſan interuenerint, in eiſdem ſupplemus, quoad omnes, & ſingulas perſonas dictam Artem exercentes in perpetuum.

Iuriſdictio & facultates Cõſulum eiuſdẽ Artis cognoſcendi cauſas Artem ipſam concernen.

Vide quod notauimus hic in rubr.

§.2. Necnon quod moderni, & pro tempore exiſtentes ipſius Collegij ſeu Societatis Conſules, de omnibus & ſingulis cauſis, tàm ciuilibus quam criminalibus, ſex mixtis, etiam ratione præteritorum (quatenus inſtructæ non ſint) Lanæ Artem concernentibus iuxta præfata ſtatuta, & ordinationes in futurum cognoſcere, eaſque decidere, & terminare libere & licite valeant, ita quod cauſæ præfatæ per modernos, & pro tempore exiſtentes Vrbis præfatæ Gubernatorem, & Senatorem, & Conſeruatores alioſque Capitolinos Iudices, & ceteros etiam maiores Magiſtratus, quouis prætextu vel colore reaſſumi nõ poſſint, ipſos Conſules in ordinarios Iudices conſtituendo, & deputando perpetuo ſtatuimus, & ordinamus. Ac confirmationem, approbationem, adiectionem, ſuppletionem, exemptionem, liberationem, conſtitutionem, deputationem, ſtatutum, & ordinationem præfata ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, & inuiolabiliter obſeruari, ac eiſdem exercentibus, & Collegio ſuffragari, & illos ad omnimodam ſuorum ſtatutorum obſeruationem teneri, & efficaciter obligatos fore.

§.3. Ac

Digitized by Google

Clauſula præſeruatiua.

§.3. Ac literas ſuper præſentibus conficiendas in libris Cameræ, & Capitolij ſi videbitur regiſtrari, & nullo vmquã tempore quouis quæſito colore, vel ingenio de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ defectu notari, vel impugnari, nec ſub quibuſuis reuocationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus, vel limitationibus ſimilium vel diſſimilium gratiarum, à nobis vel dicta Sede pro tempore emanatarum, comprehendi, ſed ſemper ab illis exemptas, & quoties illæ emanabunt toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, & de nouo etiam ſub data per eoſdem Collegium, ſeu Societatem eligenda, conceſſas, ac validas, & efficaces eſſe, & cenſeri,

Decretum irritans.

§.4. Et ſic per quoſcumque Iudices, &c. etiam S.R.E. Cardinales ſublata, &c. iudicari, & definiri debere, irritum quoque, &c. decernimus.

Inhibitio contra Iudices Vrbis, ne Conſules, & alios deſuper impediant.

§.5. Necnon modernis, & pro tempore exiſtentibus Camerario, Præſidentibus, & Clericis Cameræ Apoſtolicæ, ac Senatori, Conſeruatoribus, Gubernatori, aliiſque Vbis prædictæ Magiſtratibus, Dohanerijs, Commiſſarijs, & aliis perſonis, ne Collegium, ſeu Societatem illiuſque ſingulas perſonas prædictas ſuper præmiſſis in aliquo moleſtare, perturbare, vel impedire quouis quæſito colore, vel ingenio audeant, ſeu præſumant, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, ac mille ducatorum auri de Camera per contrafacientes eo ipſo toties quoties, &c. incurrenda, partim Collegio, ſeu Societati huiuſmodi, partim Hoſpitali S. Iacobi Incurabilium de Vrbe applicanda, pœnis diſtrictius inhibemus, quinimo Collegio illiuſque perſonis præfatis quoad præmiſſa eorumque executionem quantum in eis fuerit, ac prout ad illos, communiter vel diuiſim pertinebit, faueant & aſſiſtant, ac eadem præmiſſa integre obſeruari faciant præcipimus, & mandamus.

Clauſula derogatoria.

§.6. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac præſcriptione etiam longiſſimi temporis, necnon dictæ Vrbis, etiam iuramento, &c. roboratis, ſtatutis, conſuetudinibus, inhibitionibus, declarationibus & decretis, etiam per nos, & quoſuis Rom. Pontifices prædeceſſores noſtros etiam Motu ſimili, &c. hactenus factis, & in poſterum faciendis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis etiam populo Romano, Senatori, Conſeruatoribus, Gubernatori prædictis, ac Clericis, & Gabellarijs, Dohanerijs, Commiſſarijs, aliiſque deputatis, & perſonis quocumque nomine nuncupatis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis, in genere vel in ſpecie etiam motu & ſcientia ſimilibus conceſſis, &c. quibus omnibus in literis latiſſime extenden. illorum tenores, &c. hac vice latiſſime derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque, cum clauſulis opportunis.

Fiat vt petitur M.

Repetitio clauſularum.

§.7. Et cum abſolutione à cenſuris ad effectum, &c. & quod inſtrumenta literarum, ſtatutorum, priuilegiorum, exemptionum, aliorumque prædictorum tenores habeantur pro expreſſis, ſeu in toto vel parte exprimi, aut de verbo ad verbum inſeri poſſint, & cum confirmatione, approbatione, adiectione, ſuppletione, exemptione, liberatione, ſtatuto, ordinatione, decreto, inhibitione, præcepto, mandato, & derogatione præfatis, quæ hic pro ſingulariter repetitis habeantur in forma gratioſa ad perpetuam rei memoriam latiſſime extenden. & cum opportuna ſi videbitur executorum deputatione, qui aſſiſtant etiam ſub cenſuris, &c. cum poteſtate aggrauandi, &c. interdictum Eccleſiaſticum apponendi, inuocato etiam ad hoc ſi opus ſit auxilio brachij ſæcularis, cum derogatione conſtitutionum de vna, & duabus dietis non tamen vltra tres.

Sola ſignatura ſufficit.

§.8. Et quod ſola præſentis Motus proprij ſufficiat ſignatura, & vbique etiam in iudicio fidem faciat, regula contraria non obſtan. ſuper qua literæ etiam per Breue noſtrum, cum maiori & veriori præmiſſorum expreſſione expediri poſſint.

D.P. An. 2. die 5. Mart.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Non. Septemb. Anno 2.

Fiat. M.

XLIV.

Declaratio quod Ordines tam S. Dominici, & S. Franciſci, quam Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum, ac Seruorum B. Mariæ, ſunt vere & proprie Ordines Religioſi Mendicantes, etiam ſi in communi bona quamuis immobilia poſſideant, eorumque gratiis omnibus perfruuntur.

PIVS PAPA QVINTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1567.

Exordium.

ROmanus Pontifex, tam vniuerſalis Chriſtianæ, quam ſingularum eius Religionum præcipuus defenſor, omnibus illarum incommodis pro ſui Paſtoralis officij debito libenter occurrit, & eorũ indemnitati ſalubribus, iuxta temporum morumque exigentiam, declarationibus, & aliis remediis conſulere ſolet opportunis.

Cauſa huius declarationis.

§.1. Sane licet dilecti filij omnium Mendicantium Ordinum Fratres, à contributione Seminarij Clericorum, in qualibet Ciuitate iuxta eiuſdem Concilij formã erigendi, per Tridentini Concilij decreta eximantur. Noſque inter alia eiſdem Mendicantium Ordinum Fratribus conceſſa priuilegia, eos & eorum quemlibet, tam à Seminarij huiuſmodi contributione, quam ſubſidio, quomodolibet necnon decimis quibuſcumque, & certis aliis oneribus Apoſtolica auctoritate ſimilibus exemerimus, & liberauerimus, eoſque ad illorum omnium contributionem nullo vnquam tempore cogi & compelli poſſe decreuerimus. Cum tamen non ſine animi moleſtia nuper accepimus, nonnulli locorum Ordinarij, & forſan in prouincialibus Conciliis, eo forſan ſub prætextu, quod Ordinum Mendicantium Fratres huiuſmodi bona ſtabilia ex indulto ſeu diſpenſatione Apoſtolica retinere poſſunt, & propterea Mendicantes re vera non ſint, eos ad Seminarij ſubſidij, decimarum, & aliorum onerum huiuſmodi contributionem cogere forſan præſumpſerunt, & in dies præſumunt, in graue ipſorum Ordinum grauamen, & præiudicium non modicum.

Declaratio de qua in rubr.

§.2. Nos animo reuoluentes, eos ex fructibus bonorum huiuſmodi varias Reipublicæ Chriſtianæ vtilitates afferre, cum ex ipſis varios Magiſtros, & Doctores manuteneant, ex quorum doctrina ipſorum Fratres Nouitij eruditi poſtmodum effecti, gregem Dominicum prædicationibus ſuis, conſiliis, confeſſionibus, orationibus, aliiſque innumeris pietatis operibus iuuent, & paſcant; eorumque domos non minus, imo magis, quam ea quæ per Ordinarios erecta ſunt, Seminaria, vocari poſſe, & propterea Mendicantium nomen amittere nullo modo debere: Volentes idcirco omnem dubitandi materiam amputare; omnes & ſingulos Mendicantium Ordinum Fratres huiuſmodi, ac eorum ſingulos à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, necnon quarumcumque litium, & cauſarum coram quibuſuis Iudicibus, & vbicumque quomodolibet pendentium ſtatus, & merita, nominaque & cognomina Iudicum & collitigantium, necnon quorumcumque priuilegiorum, indultorum, exemptionum, & immunitatum eorumdem Ordinum Mendicantium Fratribus hactenus quomodolibet conceſſorum, tenores præſentibus pro expreſſis habentes, lites quoque, & cauſas præfatas vt præfertur, pendentes, ad nos harum ſerie aduocantes, illaſque penitus extinguentes, & collitigantibus huiuſmodi perpetuum ſuper præmiſſis ſilentium imponentes, Motu proprio non ad ipſorum Fratrum, vel alicuius eorum nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam; ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulos Quatuor Mendicantium Ordinum, videlicet, S. Dominici, & S. Franciſci, ac Eremitarum S. Auguſtini, necnon Carmelitarum, & quos etiam recenſeri volumus Seruorum B. Mariæ nominibus comprehenſos Fratres, eorumque domus, Monaſteria, & loca etiam ſi in communi propria bona, tam mobilia quam immobilia, & ſtabilia, ac alia quæcumque poſſederint, Mendicantium vocabulo,

Digitized by Google

vocabulo, & omnibus & singulis Mendicantium priuilegiis eis quomodolibet concessis, vti posse, & debere, nec super præmissis vllo vmquam tempore molestari posse auctoritate Apostolica per præsentes statuimus, & declaramus, ac tam Concilij Tridentini, quam omnia & singula alia decreta, statuta, ordinationes, priuilegia, & iura de Mendicantibus loquentia, ad omnes & singulos Ordines præfatos, eorumque domos, & loca, etiam propria bona, in communi tamen retinentes, extendimus, & ampliamus, illaque de illis loqui etiam auctoritate præfata per easdem præsentes declaramus.

Inhibitio contra Ordinarios & alios ne de super eos molestent, & si quid exactum est restituant.

§. 3. Ac insuper eisdem Ordinariis, & quibusuis aliis tam Ecclesiasticis quam secularibus, quauis auctoritate fungentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & aliis arbitrio nostro moderandis pœnis similiter per præsentes mandamus, vt si quid per eos tam nostro quam prædecessoris nostri temporibus, tam ratione Seminarij, subsidij, & decimarum, quam aliorum onerum huiusmodi exactum fuit, id totum eisdem Fratribus, omni mora & dilatione postpositis restituant. districtius inhibentes eisdem locorum Ordinariis, ceteriisque personis tam Ecclesiasticis quam sæcularibus, quauis auctoritate fungentibus, & cuiusuis dignitatis, gradus, & conditionis existentibus, ne eosdem Mendicantium Ordinum Fratres præfatos, bona huiusmodi retinentes quouis prætextu super Seminarij, subsidij, & decimarum contributione molestare, inquietare, vel perturbare audeant, vel præsumant.

Clausula præseruatiua.

§. 4. Decernêres quoquo præsentes literas vllo vmquã tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari nullatenus posse, minusve sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, modificationibus, limitationibus, restrictionibus, & aliis contrariis dispositionibus tam per nos quam etiam successores nostros quomodolibet, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque decretis pro tempore factis & faciendis, quorumcumque tenorum existant includi, sed illis non obstantibus, in suis robore & efficacia persistere, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas & plenarie reintegratas, etiam sub Data etiam per ipsos eligenda de nouo concessas esse, & ita incommutabilis voluntatis & intentionis nostræ esse, & ad hoc vt perpetua firmitate subsistant, vim validi & efficacis contractus inter Sedem Apost. & præfatorum Ordinum Mendicantium huiusmodi Fratres habere debere. Sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Card. sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari debere, irritum quoque & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio & facultates.

§. 5. Quocirca dilectis filiis Curiæ causarum Cam. Apost. generali Auditori, necnon quarumcumque tam Cathedralium quam Collegiatarum Ecclesiarum, Decanis, Præpositis, Archipresbyteris, Archidiaconis, Thesaurariis, & quibusuis aliis in eisdem Ecclesiis dignitates obtinentibus, vbilibet & in quibuscumque regionibus, Terris, & locis existentibus per præsentes Motu simili mandamus, quatenus ipsi & eorum quilibet per se vel alium seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Fratrum, vel alicuius eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis omnibus pacifice frui & gaudere, non permittentes eos, vel eorum quempiam super illis quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet & rebelles per sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia appellatione postposita compescendo. Et nihilominus legitimis super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

Clauſ. derog.

§. 6. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas quis vigore præsentium ad iudicium non trahatur, & aliis Apostolicis, necnon in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus, ac quibusuis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu simili, & ex certa scientia ac Apostolicæ potestatis plenitudine, ac alias quomodolibet, etiam consistorialiter concessis, approbatis, confirmatis, & sæpius innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret (tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbũ nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris) hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. aut si aliquibus, communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§. 7. Volumus autem quod præsentium transumptis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, aut alicuius Prælati, vel in dignitate Ecclesiastica constituti, sigillo munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Forma expeditionis public.

§. 8. Quodque eædem præsentes in valuis Cancellariæ Apostolicæ, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, necnon in acie Campi Floræ per aliquem ex Cursoribus nostris publicentur, & inter extrauagantes constitutiones perpetuo valituras conscribantur, ac postquam publicatæ fuerint, plenam & indubiam fidem faciant, necnon omnes & singulos illas concernentes perinde ligent, ac si essent personaliter intimatæ.

D P. An 2. die 1. Octob.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 3. Octobris 1567. Pont. nostri anno 2.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1567. *Indictione* 16. *mensis Octobris, Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno eius* 2. *retroscripta litera affixa & publicata fuerunt in retroscriptis locis vt moris est, per me Alexandrum Astancollum præfati Sanctiss. D. N. Papæ Curs.*

Philippus Chappius Mag. Curs.

XLV.

Prohibitio transeundi ab Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum S. Francisci de Assisio; ad Ordinem Minimorum S. Francisci de Paula, & è contra.

Capuccinis est etiam prohibita receptio Fratrum de Obseruantia à Sixto V. in eius const. 20. Pro ea. *vbi alia indicabo.*

PIVS PAPA QVINTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1567.

Exordium.

SEdis Apostolicæ solertia, dum ad salutare quorumdam remedium extructa, in eorum detrimentum vergere conspicit, ne quod illis profuturum maturitate summa prodiisse comperitur, noxium incauto ministerio efficiatur, celeris prouisionis opem afferre consueuit, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Causa huius prohibitionis.

§. 1. Sane accepimus, quod cum aliquando contingat aliquos Fratres Religiosos tam Ordinis S. Francisci Capuccinorum, quam eiusdem S. Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum, de vno loco ad alium, etiam forsan absque suorum Superiorum licentia transferri, exinde perturbationes, & mala exempla inter eosdem Fratres sæpius oriri solent.

Prohibitio de qua in rub.

§. 2. Nos cupientes perturbationibus, & malis exemplis huiusmodi quantum cum Deo possumus obuiare, Motu proprio non ad alicuius instantiam, sed de nostra mera

Digitized by Google

mera liberalitate, & ex certa noſtra ſcientia, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, nullus ex Fratribus Capuccinis ad dictum Ordinem S. Franciſci de Paula, nec econuerſo, quod nullus Frater eiuſdem S. Franciſci de Paula ad Ordinem Fratrum Capuccinorum huiuſmodi, vllo vmquam tempore, & quacumque etiam & quantumcumque iuſtiſſima cauſa, etiam de licentia ſuorum Superiorum, ſe transferre poſſe, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo ſtatuimus, & ordinamus.

Pœna contrauenientium.

§. 3. Decernentes ſtatutum & ordinationem huiuſmodi per Fratres præfatos, ſub indignationis noſtræ pœna, inuiolabiliter obſeruari debere, ac ex nunc irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate tam ordinaria quam delegata, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio cõtrariorum.

§. 4. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides tranſumptorum.

§. 5. Cæterum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides forſitan facienda foret, deferri, volumus vt ipſarum tranſumptis manu publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, in iudicio & extra, vbi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

D. P. An. 2. die 6 Octob.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris die 6. Octobris, 1567. Pont. noſtri anno ſecundo,

---

XLVI. Quod ſpolia Monachorum Ordinis Ciſtercienſis ſpectent ad loca & Monaſteria in quibus profeſſionem emiſerunt. Et Commendatarij, aut Commiſſarij Reuer. Cameræ Apoſtolicæ in illis ſe non intromittant.

De inſtitutione & toto ſtatu eius Ordinis, notauit plene in conſt. 5. Paſch. II. ſup. Deſiderium.

Editio An. D. 1567.

PIVS PAPA QVINTVS
Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

DEcet Romanum Pontificem iuſtitiæ ſupremum aſſertorem ad ea libenter intendere, per quæ gratiæ à Sede Apoſtolica in fauorem quarumcumque præſertim Religioſarum perſonarum pro tempore emanatæ ſuum, vt par eſt, conſequantur effectum, & vt id facilius ſubſequi poſſit, dubiis & difficultatibus, quæ ſuperinde pro tempore oriuntur, aliquando per declarationis, quandoque vero per alia remedia prouidere.

Cauſa huius conſtit.

§. 1. Sane cum ſicut dilecto filio Hieronymo de la Souchiere Abbate generale, vel pro eo dilecto filio Dionyſio Laceronis Prncuratore & Vicario etiam generali Ciſtercienſis Ordinis referente accepimus, in ſtatutis & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica vel alia firmitate roboratis, dicti Ordinis, priuilegiis quoque indultis & literis Apoſtolicis eidem Ordini conceſſis, ac per fel. rec. Pium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum & Sedem Apoſtolicam confirmatis, inter alia diſponatur, quod in ſpoliis, rebus & bonis Monachorum Ordinem ipſum profeſſorum, in quibuſuis locis & Monaſteriis pro tempore decedentium, eorum Abbates, & Priores Commendatarij pro tempore exiſtentes ſe intromittere nequeant, ſed illa Monaſterij ſeu Prioratus aut loci, in quo dictum Ordinem expreſſe profeſſi fuerint, & ſeu eos decedere contigerit, conuentuali menſæ applicari & incorporari debeant, defuncto tamen ſuperioribus diebus in Monaſterio de Caſamari eiuſdem Ordinis Verulan. Diœceſ. quod dilectus filius Fuluius Philonardus Clericus, in Commendam ex conceſſione ſeu diſpenſatione Apoſtolica obtinet, quondam Antonio Pollutio ipſius Monaſterij Priore, præfatus Fuluius & quidam Cameræ Apoſtolicæ Procurator, aut Commiſſarius ipſius Antonij bona, vt ipſa forſan in proprios vſus conuertere poſſint, apprehendere & ſibi appropriare contendant, in grauem ipſius Monaſterij Conuentualis menſæ iacturam, præiudicium & grauamen.

§. 2. Nos cupientes, vt ea quæ per prædeceſſores noſtros, & Sedem præfatam roborata dicuntur, firmiter obſeruetur, ac finem huiuſmodi contentioni, futuris autem quantum cum Deo poſſumus obuiare volentes, eoſdemque Hieronymum Abbatem & Dionyſium ac ſingulos Monachos Ordinis huiuſmodi à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes & abſolutos fore cenſentes, Motu proprio non ad ipſorum ſeu alicuius alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mea liberalitate quod de cætero tam præfatus Fuluius, quam quicumque alij Commiſſarij quorumcumque Monaſteriorum & Prioratuum vel aliorum locorum dicti Ordinis, tam citra quam vltra montes, & in quibuſcumque Mundi partibus conſiſtentium, & quicumque noſtri & Cameræ præfatæ Commiſſarij & Procuratores quomodocumque in ſpoliis, bonis & rebus quæcumque ſint, tam præfati Antonij, quam aliorum quorumcumque Monachorum dicti Ordinis in ipſorum Commendatariorum Monaſteriis, Prioratibus, locis & iuriſdictionibus pro tempore decedentium, ſe intromittere non poſſunt, ſed illa ad Monachos Monaſteriorum, ſeu Prioratuum vel locorum huiuſmodi, & ſeu eorum Conuentualem menſam coniunctim vel diuiſim pleno iure ſpectare, & pertinere, ac eorumdem Monachorum, ſeu menſæ fore & eſſe, eorumque poſſeſſionem realem & actualem adipiſci & continuare, ipſoſque Monachos deſuper per quoſcumque Commendatarios etiam prætextu cuiuſuis indulti, ſeu conceſſionis ſibi deſuper facti, aut conſuetudinis antiquitus obſeruatæ, & ſeu præfatum Commiſſarium, ſeu quoſuis alios quauis auctoritate fungentes moleſtari, perturbari, vel inquietari non poſſe, hæque debere auctoritate Apoſtol. per præſentes decernimus & declaramus, illaque quatenus opus ſit, eiſdem Monachis concedimus & aſſignamus.

Quod ſpolia Monachorum Ordinis Ciſtercienſis, non ad eapũ Commendatarios aut Cam. Apoſt. ſed ad loca in quib. profeſſionem emiſerunt ſpectent.

Inhibitio contra Commendatarios & officiales Cam.

§. 3. Necnon tam Fuluio, quam quibuſuis aliis Commendatariis, & Commiſſariis præfatis, ne in ſpoliis, rebus & bonis pro tempore decedentium Monachorum huiuſmodi directe vel indirecte, quouis quæſito colore, vel ingenio ſe de cætero intromittere audeant vel præſumant, ſub excommunicationis maioris latæ ſententiæ, & aliis Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, etiam pecuniariis arbitrio infraſcriptorum Iudicum infligendis & moderandis diſtrictius inhibemus.

Deputatio executorum huius conſt.

§. 4. Ac tam venerabili fratri Epiſcopo Soranen. & dilecto filio Curiæ cauſarum Cameræ præfatæ Auditori generali, quam quibuſuis aliis Iudicibus quauis auctoritate fungentibus, per quos in præmiſſis, vt præfertur, & non alias ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi facultate iudicari debere volumus, per præſentes Motu ſimili mandamus quatenus ipſi & eorum quilibet per ſe vel alium ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit ac quoties pro parte Hieronymi & pro tempore exiſtentis eiuſdem Ordinis Abbatis, ſeu Dionyſij & Monachorum huiuſmodi fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis, ac tam dicti Antonij defuncti, quam quorumcumque aliorum Monachorum dicti Ordinis decedentium ſpoliis & bonis eorumque (cum Monachi ipſi deceſſerint) poſſeſſione adipiſcenda efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant Abbatem & Monachos ipſos ſtatutis, priuilegiis, & indultis quoad dicta ſpolia, res, & bona, necnon decreto, declaratione, conceſſione, & aſſignatione, ac inhibitione præfatis pacifice frui & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas præfatas, aliaque opportuna iuris & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo. Et nihilominus legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis.

Clauſula derogationis.

§. 5. Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifatij Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres quis vigore

Digitized by Google

præsentium ad iudicium non trahatur,& aliis Apostolicis necnon Prouincialibus & Synodalibus constitutionibus & ordinationibus ac quibusuis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis tam Ordini & Commendatariis præfatis eorumque Superioribus & personis, quam Cameræ præfatæ,ac quibusuis illius Commissariis & Procuratoribus sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in genere vel in specie, etiam consistorialiter concessis, confirmatis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis specifica & expressa mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret,tenores huiusmodi,ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso,& forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes,illis alias in suo robore permãsuris hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus,ceterisq; contrariis quibuscumque ; aut si aliquibus communiter vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam,ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Dat. P An. die 23. Octob. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 23. Octobris, 1566. Pontificatus nostri anno secundo.

XLVII. Declaratio portionum assignandarum Vicariis perpetuis Ecclesiarum Parochialium, Monasteriis, beneficiis, Ecclesiis vel locis piis perpetuo vnitarum,

Hac bulla in parte respiciente Vicarias Ecclesiarum Mendicantium, ad iuris & Concilij Tridentini terminos reducta est à Greg. XIII. in constit. 9. In tanta. *Et quoad Vicarias Vrbis hic idem Pont. assignationem præfiniuit hic infra in constit. 139.* Et si omnibus. *De eiusmodi autem vnionibus & portionibus loquitur etiam in Conc. Trid. in cap. 5. & seqq. sess. 7. & cap. 9. sess. 14. & cap. 13, sess. 24. cap. 16. sess. 25.*

Edita An D. 1567. *P I V S E P I S C O P V S, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. AD exequendum Pastoralis officij debitum,vigilantibus studiis intendentes, ad ea per quæ Cathedralium aliarumue Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, beneficiorum, seu Collegiorum,ac aliorum piorum locorum prospero profectui, diuinique cultus augmento, & opportunæ congruæq; sustentationi parochialium Ecclesiarum eisdem vnitarum statui feliciter dirigendo, & personarum in illis curam animarum exercentium vtilitati recta ratione,& prouida moderatione consuli, & salubriter prouideri valeat libenter interponimus nostræ solicitudinis partes.

Ordinarij excedebant mẽtem Concil. Trident. in assignatione portionum Vicariis perpetuis faciendis. §.1. Hinc est quod nos, ad quorum aures (quod non sine animi nostri molestia referimus) peruenit, nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis,& Episcopis,in deputandis Vicariis, ac in assignatione portionum Vicariis perpetuis parochialium dictis Ecclesiis,Monasteriis, beneficiis, Collegiis,vel locis piis perpetuo vnitarum ex Concilio Tridentino facienda, ita modum excessisse, vt parum aut nihil ex fructibus, redditibus, & prouentibus parochialium Ecclesiarum sic vnitarum Ecclesiis,Monasteriis,beneficiis, Collegiis, aliisve locis piis remanserint, ob idque multæ ortæ sint super hoc controuersiæ circa interpretationes decreti d. Concilij.

Declarat ideo Pont. hisce quantitatem ipsarum portionum. §.2. Nos ad eas tollendas animum intendentes,considerantesque vniones ipsas ideo à prædecessoribus nostris factas esse,vt ex redditibus,& emolumentis beneficiorum vnitorum, Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, beneficiis,& locis piis, quibus illa vniuntur, facilius onera eisdem incumbentia supportentur,& promptius à ministris Ecclesiasticis,in eisdem diuina officia celebrentur, hospitalitas seruetur, aliaque charitatis opera exerceantur, ac etiam vt nihilominus cura animarum dictarum parochialium laudabiliter exerceretur, Motu proprio, & ex certa nostra scientia auctoritate Apostolica hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus, & ordinamus, ac declaramus, quemadmodum etiam de ipsius Concilij mente fuisse colligimus, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos præfatos in assignatione portionis ipsis Vicariis perpetuis ex prædicto Concilio ipsorum Prælatorum arbitrio facienda, ita se continere & arbitrari debere, vt non maior centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa computatis omnibus etiam incertis emolumentis & aliis obuentionibus communiter percipi solitis eis omnino assignetur, nisi Vicariis solitum fuisset plus assignari, siue in quantitate, aut quota fructuum, pecuniaque numerata, fundo, seu alia re stabili portio huiusmodi constituatur, cuiuscumque valoris parochialis Ecclesia vnita fuerit, & habita etiam ratione reddituum & onerum loci, cui parochialis ipsa vnita fuerit, ita quod portiones vltra,vel infra dictas summas scutorum centum, & scutorum quinquaginta hactenus assignatæ,vel in posterum forsan assignandæ, quoad excessum, & defectum huiusmodi nullius roboris, & momenti existant, & ad summas prædictas reductæ & auctæ respectiue censeantur, nisi tamen valor annuus ipsius parochialis vnitæ habita ratione, vt præfertur, minor sit quinquaginta scutis. quo casu portio assignata, vel assignanda Vicario perpetuo non debeat excedere summam annuarum valoris dictæ parochialis, sed sufficiat quod omnes fructus eius dumtaxat attribuantur ipsi Vicario perpetuo.

Et ad quos spectet onus soluẽdi quindennia pro ipsis portionibus. §.3. Et quoniam iniquum esset, eos qui commodis priuantur, eadem onera quæ prius sustinebant debere sufferre, volumus & statuimus, quod Ecclesiæ, Monasteria,Collegia,beneficia, & pia loca huiusmodi, in quorum parochialibus Ecclesiis vnitis contingat Vicarias prædictas erigi, pro quantitatibus fructuum ipsis Vicariis perpetuis assignatorum, ad solutionem quindenniorum, quam nobis & Cam. Apost. soluunt,vlterius non teneantur, sed eis detractio fiat ad ratam certorum, quæ de fructibus dictarum parochialium percipiuntur. Ita tamen quod Vicarij perpetui, qui pro tempore deputabuntur, teneantur accipere à Sede Apost. nouam prouisionem suæ deputationis,& soluere annatam pro portione fructuum, reddituum & prouentuum certorum sibi assignata, & expedire literas Apost. nec alias ad possessionem dictarum Vicariarum perpetuarum, & seruitium earumdem parochialium admitti possint, nisi soluta annata, & expeditis literis Apostolicis nouæ prouisionis, vt præfertur, alioquin integrum quindennium solui debere, nec Vicarij prædicti antea tuta conscientia fructus percipere possint.

Eligendique Vicarios. §.4. Volumus insuper, & ita mandamus, quod dicti Vicarij perpetui non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis vnitis ponentur, cum ipsorum Ordinariorum, seu eorum Vicariorum præuio examine approbatione deputentur.

Facultas Mẽdicantium, quoad Vicarias locorum eis vnitas. §.5. Et si dictæ parochiales vnitæ erunt Monasteriis Regularium Mendicantium possint à Superioribus dictorum Monasteriorum nominari ex ipsis Mendicantibus,quos si Ordinarij præuio examine, per se aut eorum Vicarios faciendo idoneos ad curam animarum exercendam inuenerint,& ita pro idoneis approbauerint,teneantur in Vicarios, ad nutum tamen Superiorum suorum amouibiles,deputare. Idemque etiam seruetur in regularibus Monacis tantum,dummodo in ea parochiali,in qua vnus ex Monachis fuerit, seruata forma prædicta, Vicarius deputatus, habitent cum eo saltem quatuor alij ex dictis Monachis.

Vide not. in rub.

Decretum irritans. §.6. Sicque per quoscumque Iudices quauis auctoritate fungentes,sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi potestate iudicari & interpretari debere, necnon irritum & inane decernimus, quicquid secus à quoquam quauis auctoritate attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari.

Clausula derogatoria. Iussio publicandi. §.7. Non obstantibus constitutionibus,& ordinationibus Apostolicis,cæteris que contrariis quibuscumque.

§.8. Volumus autem quod præsentes literæ in Cancellaria

Digitized by Google

cellaria noſtra Apoſtolica, & ad valuas Principis Apoſtolorum de Vrbe de more publicentur, & inter conſtitutiones perpetuo valituras deſcribantur.

Exemplorum fides.

§. 9. Et quia difficile foret eas ad ſingula quæque loca deferri, quod earum tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 2. die 1. Nou.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1567. Kalend. Nouembr. Pontificatus noſtri Anno 2.

Publicatio.

Anno à Natiuitate 1567. Indict. 10. die vero 15. menſis Nouemb. Pontific. Sanctiſſ. in Chriſto patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius 2. retroſcripta litera Apoſt. affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ibidem dimiſſis copiis affixis per nos Io. Andream Rogerium, & Ant. Clerici Curſ. Apoſt.

Io. Guerardi Mag. Curſ.

XLVIII. Prohibitio agitationis Taurorum, aliarumque ferarum beſtiarum, cum annullatione votorum, & iuramentorum deſuper adhibitorum.

Circa vota & iuramenta illicita, generalior eſt prohibitio Gregor. XIII. inf. in eius conſtit. 93. Inter Apoſtolicas.

Edita An. D. 1567.

PIVS EPISCOPVS
Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

DE ſalute gregis Dominici noſtræ curæ diuina diſpenſatione crediti, prout ex debito Paſtoralis officij adſtringimur, ſolicite cogitantes, fideles cunctos gregis eiuſdem ab eminentibus corporum periculis etiam animarum pernicie perpetuo arcere ſtudemus.

Cauſa prohibitionis.

§. 1. Sane licet deteſtabilis duellorum vſus à diabolo introductus, vt cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex decreto Concilij Tridentini prohibitus fuerit, nihilominus adhuc in pleriſque Ciuitatibus, & aliis locis, quamplurimi ad oſtentationem virium ſuarum & audaciæ, in publicis priuatiſque ſpectaculis, cum Tauris, & aliis feris beſtiis congredi non ceſſant, vnde etiam hominum mortes, membrorum mutilationes, animarumque pericula frequenter oriuntur.

Prohibitio agitationis Taurorum & ferarum nobeſtiarum.

§. 2. Nos igitur conſiderantes hæc ſpectacula, vbi Tauri, & Feræ in circo vel foro agitantur, à pietate, & charite Chriſtiana aliena eſſe, ac volentes hæc cruenta turpiaque, dæmonum & non hominum, ſpectacula aboleri, & animarum ſaluti quantum cum Deo poſſumus prouidere, omnibus & ſingulis Principibus Chriſtianis quacumque, tam Eccleſiaſtica quam mundana etiam Imperiali, Regia, vel quauis alia dignitate fulgentibus, quouis nomine nuncupentur, vel quibuſuis Communitatibus & Rebuſpublicis, hac perpetuo noſtra conſtitutione valitura ſub excomunicationis & anathematis pœnis ipſo facto incurrendis, prohibemus & interdicimus, ne in ſuis Prouinciis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis & locis, huiuſmodi ſpectacula, vbi Taurorum aliarumque Ferarum beſtiarum agitationes exercentur, fieri permittant. Militibus quoque ceteriſque aliis perſonis, ne cum Tauris & aliis beſtiis in præfatis ſpectaculis, ipſi tam pedeſtres quam equeſtres congredi audeant, interdicimus.

Mortui ibi careat Eccleſiaſtica ſepultura.

§. 3. Quod ſi quis eorum ibi mortuus fuerit, Eccleſiaſtica careat ſepultura.

Clerici ſpectaculis non interſint neque Milites.

§. 4. Clerici quoque tam regularibus quam ſæcularibus beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, vel in ſacris ordinibus conſtitutis, ſub excommunicationis pœna ne eiſdem ſpectaculis interſint, ſimiliter prohibemus.

Contractus omnes de eiuſ. modi agitationibus irritantur.

§. 5. Omneſque obligationes, iuramenta & vota, à quibuſuis perſonis, Vniuerſitate vel Collegio de huiuſmodi Taurorum agitatione, etiam vt ipſi falſo arbitrantur, in honorem Sanctorum, ſeu quarumuis Eccleſiaſticarum ſolemnitatum, & feſtiuitatum, quæ diuinis laudibus, ſpiritualibus gaudiis, piiſque operibus, non huiuſmodi ludis celebrari & honorari debent, hactenus factas, & facta, ſeu in futurum fienda, quæ & quas omnino prohibemus, caſſamus & annullamus, ac pro caſſis, nullis & irritis haberi perpetuo decernimus atque declaramus.

Principes hâc ſanctionem ſeruari faciant.

§. 6. Mandamus autem omnibus Principibus, Comitibus & Baronibus S.R.E. feudatariis, ſub pœna priuationis feudorum, quæ ab ipſa Eccleſia Romana obtinent; Reliquos vero Principes Chriſtianos, & Terrarum dominos prædictos horramur in Domino, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, vt pro diuini nominis reuerentia & honore, præmiſſa omnia in ſuis dominiis, ac Terris huiuſmodi exactiſſime ſeruari faciant; vberrimam ab ipſo Deo mercedem tam boni operis recepturi.

Prælati ſub cenſuris eccleſiaſt. idem procurent.

§. 7. Ac vniuerſis venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub obteſtatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, quatenus in Ciuitatibus, & Diœc. propriis præſentes noſtras literas ſufficienter publicari faciant, & præmiſſa, etiam ſub pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis obſeruari procurent.

Quibuſcunque non obſtantibus.

§. 8. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac exemptionibus, priuilegiis, indultis, facultatibus, & literis Apoſtolicis, quibuſuis perſonis cuiuſcumque qualitatis, & conditionis exiſtentibus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio, ac alias quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis, quibus illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides tranſumpt. præſentium.

§. 9. Volumus autem quod præſentes literæ in Cancellaria noſtra Apoſtolica, & acie Campi Floræ de more publicentur, & inter conſtitutiones perpetuo valituras deſcribantur, & earum tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſuſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati munitis, eadem, prorſus fides vbique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino, &c.

D. P. An. 2. die 1. Nou.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ, 1567. Kalend. Nouembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1567. indict. 10. die vero 15. menſis Nouembris, Pont. Sanctiſſ. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno eius 2. retroſcripta litera Apoſtolica affixa & publicata fuerunt ad valuas Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Florę, ibidem dimiſſis copiis affixis per nos Antonium Clerici, & Ioannem Andream Rogerium prefatis S. D. N. Papæ Curſ.

Ioannes Guerardus Mag. Curſ.

XLIX. Declaratio quod Ordo Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula, inter Ordines Mendicantes comprehenditur, eorumque gratiis & priuilegiis perfruitur.

Alia de hoc Ordine, notata ſunt apud conſtit. 5. Sixt. IV. Sedes.

Edita A. D. 1567.

PIVS PAPA QVINTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

APoſtolicæ Sedis benignitas ſicut ex debito Paſtoralis officij erga omnes fideles generaliter affectum charitatis extendit, ſic eos quos ſub regularis obſeruantiæ iugo diuino cultui emancipatos eſſe cognoſcit ſpeciali tenetur patrocinio confouere.

Ordo Minimorū S. Franciſci de Paula habet omnia priuilegia Mendicantiū vt ſup in cōſt. 10. Inn. II.

§. 1. Exponi ſane nobis nuper fecerunt dilecti filij Fratres Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula iamdudum Apoſtolica auctoritate approbati, quod licet inter alia eis conceſſa priuilegia & indulta, omnia & ſingula quatuor Mendicantium Ordinum priuilegia ad Ordinem Minimorum huiuſmodi, ac illius profeſſores & domos, eorumque Eccleſias per Sedem Apoſtolicam extenſa, & ampliata fuerint, & propterea Fratres Ordinum

Digitized by Google

huiuſmodi etiam ſub Mendicantium nomine comprehendi debeant,nec ſuper præmiſſis à quoquam moleſtari poſſint. Cum tamen(ſicut eadem expoſitio ſubiungebat) ex eo quod nos nuper in quadam declaratione per nos ſub Mendicantium Fratrum Ordinibus certis tunc expreſſis de cauſis facta,præter S.Dominici, & S.Fráciſci,ac Eremitarum S.Auguſtini,necnon Carmelitarum Mendicantium Ordines etiam in illis B. Mariæ Seruorum inſeri voluerimus,ac propterea facile à quibuſdam dubitari merito poſſet,quod ſi Ordinis Minimorum Fratres huiuſmodi ſub illis comprehendi voluiſſemus, non ſpecialem etiam de illis mentionem omnino feciſſemus.Quare ne ſuper præmiſſis vmquam dubitari contingat, iidem Fratres nobis humiliter ſupplicari fecerunt, vt ſibi in præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Hic modo Pōt. idem decernit, & inter Ordines Mendicantes, iſtum comprehēdi declarat.

§. 2. Nos attendentes,eos(cum actu mendicent)nonniſi honeſta de cauſa in Mendicantium Ordinem eſſe adſcriptos,ac propterea ſua priuilegia illæſa conſeruare volentes,eoſque & eorum quemlibet à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis,& interdicti,aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis,cenſuris,& pœnis à iure vel ab homine quauis occaſione,vel cauſa latis,ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt,ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum,harum ſerie abſoluentes,& abſolutos fore cenſentes necnon quarumcumque litium,& cauſarum ſtatus,ac merita, nomina & cognomina Iudicum, coram quibus illæ pendent,ac collitigantium,aliorumque necnon quorumcumque priuilegiorum,indultorum,exemptionum,& immunitatum eis conceſſorum præſentibus pro expreſſis habentes cauſaſque huiuſmodi ad nos harum ſerie aduocantes, illaſque penitus & omnino extinguentes, ac litigantibus huiuſmodi perpetuum ſuper præmiſſis ſilentium imponentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula priuilegia, immunitates, exemptiones, facultates, gratias, libertates indulta,& alias gratias, tam per nos nuper quam quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Sedem eamdem quomodolibet Mendicantibus Ordinibus conceſſa,ad præfatum Minimorum Ordinem de nouo extendimus, & ampliamus, ipſoſque vere Mendicantes eſſe,& ſub Mendicantium Ordinibus eſſe, & comprehendi debere, necnon omnia & ſingula Concilij Tridentini decreta pro Mendicantibus Ordinibus declarata, & modificata, etiam pro Ordine Minimorum huiuſmodi declaramus, & modificamus.

Eorumq; priuilegia obſeruari præcipit.

§. 3. Diſtrictius in virtute ſanctæ obedientiæ, ac aliis arbitrio noſtro infligen. pœnis inhibentes quibuſuis locorum Ordinariis ac aliis quibuſcumque, ne eoſdem Fratres Ordinis Minimorum contra eos ſic conceſſa priuilegia moleſtare, inquietare,vel perturbare audeant,vel præſumant.

Clauſulas præſeruatiuas huic bullæ apponit.

§. 4. Decernentes quoque præſentes literas vllo vmquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari nullatenus poſſe, minuſue ſub quibuſuis ſimilium vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, modificationibus, limitationibus, reſtitutionibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, tam per nos quam etiam ſucceſſores noſtros quomodolibet, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque decretis, pro tempore factis & faciendis quorumcumque tenorum exiſtant, includi, ſed illis non obſtantibus in ſuis robore & efficacia perſiſtere, & quoties illæ emanabunt toties in priſtinum ſtatum, reſtituras, repoſitas, & plenarie reintegratas, etiam ſub data per ipſos Fratres Ordinis Minimorum eligenda, de nouo conceſſas eſſe, & ita incommutabilis voluntatis & intentionis noſtræ eſſe, & ad hoc vt perpetua firmitate ſubſiſtant, vim validi & efficacis contractus inter dictam Sedem, & præfatorum Ordinum Mendicantium Fratres huiuſmodi habere.

Clauſulam ſublata, &c. addit.

§. 5. Sicque per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Card. ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari & definiri debere, irritum quoquæ & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignorantes contigerit attentari.

Executores eius deputat.

§. 6. Quocirca venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Theatino, & Epiſcopo Amerino, ac dilecto filio Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi vel duo aut vnus eorum per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Fratrum Ordinis Minimorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes,faciant auctoritate noſtra ipſos Fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi voluntate, ſtatuto, declaratione, & aliis præmiſſis omnibus & ſingulis pacifice frui, & gaudere. Non permittentes eos per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas aliaque opportuna iuris & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo. Et nihilominus legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Contrarijs derogat.

§. 7. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna,& Concilij generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas quis vigore præſentium ad iudicium non extrahatur, & aliis necnon in prouincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus, conſtitutionibus & ordinationibus, ac quibuſuis etiam iuramento, confirmatione Apoſt.vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis aliiſque efficacioribus,& inſolitis clauſulis, irritantibus quoque & aliis decretis in genere vel in ſpecie, & quomodolibet per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros præfatos, ac nos & Sedem præfatam, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia etiam conſiſtorialiter, & de fratrum noſtrorum conſilio, necnon Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſis, confirmatis & innouatis. Quibus omnibus etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, & expreſſa mentio, ſeu aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Dat. P. A. a. die 9. Nou.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 9. Nouembris, 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

L.

Declaratio quod Congregatio Fratrum S. Hieronymi Ieſuatorum nuncupata, vere comprehendatur inter Ordines Mendicantium, eorumque perfruatur gratiis & indultis.

Recordare quod iſta Congregatio ſpecialiter gaudet omnibus gratiis & priuilegiis conceſſis & concedendis, Ordini Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, cuius Regulam profitetur, vt in 36.conſt.Clem. VII. Sacræ. *ſup. Alia autem dicam in conſt.16. Paul. V.* Religioſos.

Vide quæ addidi ad conſt.11.Piæ.Mart.V.ſup.tom.1.

Edita An. D. 1567. Exordium.

PIVS PAPA QVINTVS,
Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex priuilegia religioſis Altiſſimo famulantibus à Sede Apoſtolica conceſſa, illis nedum conſeruare,ſed aliis etiam religioſis conceſſa ad eos quandoque extendere & ampliare conſueuit,prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire.

Cauſa huius conſtit.

§. 1. Sane ſicut accepimus, licet inter alia priuilegia dilectis filiis Congregationi Fratrum Sancti Hieronymi Ieſuatorum nuncupatorum, cuius Fratres illam pro tempore

Digitized by Google

tempore ingredientes professionem per religiosos Ordinis S. Augustini emitti solitam, expresse emittere, & in communi viuere soliti sunt, concessa etiam omnia & singula priuilegia, exemptiones, immunitates, gratiæ, & indulta Ordini Eremitarum eiusdem S. Augustini, & illius professoribus, ac forsan aliis Ordinibus Mendicantium concessa, ad ipsam Congregationem, & illius Fratres, eorumque domos, & Ecclesias per Sedem Apost. extensa, & ampliata fuissent. Et propterea Congregatio huiusmodi, & illius Fratres dictis priuilegiis gaudere, & sub Mendicantium numero comprehendi debeant, nec super præmissis à quoquam molestari possint. Cumque nos nuper in quadam declaratione per nos super Mendicantium Fratrum Ordinibus, certis tunc expressis de causis facta, vltra S. Dominici, & S. Francisci, ac Eremitarum S. Augustini, necnon Carmelitarum Mendicantium Ordines, solum in illis Ordinem B. Mariæ Seruorum inseri voluerimus. Et propterea facile à quibusdam dubitari merito posset, quod si dictam Congregationem, & illius Fratres sub illis comprehendi voluissemus, non specialem etiam de illis omnino fecissemus mentionem.

Concessio indultorum Ordinib. Mendicantium elargitorum.

§. 2. Nos itaque attendentes, eos cum actu mendicent, non nisi honesta de causa in Mendicantium Ordinibus huiusmodi esse adscriptos, ac propterea sua priuilegia huiusmodi illæsa conseruare volentes, ac quarumcumque litium, & causarum status & merita, ac nomina, & cognomina Iudicum, coram quibus illæ pendent, & collitigantium, aliorumque necnon quorumcumque priuilegiorum, indultorum, exemptionum, & immunitatum ipsi Congregationi concessorum, tenores præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio non ad ipsius Congregationis, vel illius Fratrum aut alicuius ex eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, ac ex certa scientia, & de eiusdem Sedis potestatis plenitudine, omnia, & singula priuilegia, immunitates, exemptiones, facultates, gratias, libertates, indulta, & alias gratias tam per nos nuper quam quoscumque Rom. Pontifices prædecessores, & Sedem eamdem quomodolibet Mendicantibus Ordinibus concessa, eorum omnium ac desuper, & tam sub plumbo, quam in forma breuis confectarum literarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis, & insertis habentes, ad ipsam Congregationem Iesuatorum, illiusque Fratres, domos, Ecclesias, & loca quæcumque de nouo quoad ea quæ eorum Regulæ & modo viuendi repugnant tantum, auctoritate Apost. tenore præsentium extendimus & ampliamus.

Contmentatio inter Ordines Mēdicātium.

§. 3. Ipsosque vere Mendicantes, & sub Mendicantium Ordinibus esse & comprehendi debere, necnon omnia, & singula Concilij Tridentini decreta pro Mendicantibus huiusmodi declarata, & modificata, etiam pro Congregatione huiusmodi, eiusque Fratribus declaramus, & modificamus. Districtius inhibentes quibusuis locorum Ordinariis, ne dictam Congregationem, illiusque Fratres contra eis sic concessa priuilegia molestare, inquietare, vel perturbare audeant, vel præsumant.

Clausula præseruatiua.

§. 4. Decernentes quoque præsentes literas vllo vnquam tempore de subreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari nullatenus posse, minusue sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarū reuocationibus, modificationibus, limitationibus, restitutionibus, & aliis contrariis dispositionibus tam per nos, quam etiam successores nostros, quomodolibet, ac etiam cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibus decretis pro tempore factis, & faciendis, quorumcumque tenorum existant, includi, sed illis non obstantibus in suis robore, & efficacia persistere, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, & sub data etiam per ipsos eligenda de nouo concessas esse, & ita incommutabilis voluntatis, & intentionis nostræ esse. Et ad hoc, vt perpetua roboris firmitate subsistant, vim validi & efficacis contractus inter Sedem Apostolicam, & præfatos Ordines Mendicantium, & Congregationem huiusmodi illiusque, Fratres habere debere. Sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Card. sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Iudicium & executorialis deputatur.

§. 5. Quocirca venerabilibus fratribus Amerin. & Macaretan. Episcopis, ac dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, per præsentes Motu simili committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, dum & quando ac quoties opus fuerit, & pro parte Congregationis vel illius Fratrum huiusmodi, aut alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos & eorum quemlibet dictis priuilegiis, exemptionibus, facultatibus, gratiis, & indultis, dictis Ordinibus Mendicantibus concessis, pacifice frui & gaudere, ac præsentes literas obseruari, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari, Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, ipsasque censuras etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogatoria.

§. 6 Non obstantibus præmissis, & fel. rec. Bonifi. Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, ac quibusuis litis pendentiis, quas nos harum serie ad nos aduocamus, illaque extinguimus, & litigantibus huiusmodi perpetuum silentium imponimus, ac Apostolicis necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus ac quibusuis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque & aliis decretis ac clausulis, etiam motu proprio, etiam consistorialiter, & de fratrum nostrorum consilio concessis, confirmatis, & pluries innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 18. Nouembris, 1567. Pontificatus nostri anno secundo.

Dat. P. A. die 18. Nou.

Prohibitio signandi & expediendi commissiones causarum, & inhibitiones in causis spoliorum & illicitæ negociationis, non citato prius Commissario R. Cam. Apost. L. L.

De munere & auctoritate Commissarij, vide plene in constit. 87. Pij IV. Cum inter. *Et infra in constitut. 44. Sixt. V.* Ad excelsum. *vbi notabo.*

PIVS PAPA QVINTVS *Motu proprio, &c.*

Edita An. D. 1569.

ATtendentes quam frequenter contingat, quod qui bona ad Cameram Apostolicam spectan. & signanter spolia per Clericos decedentium relicta detinent, variis prætextibus, & calumniis, dilationes & subterfugia quærentes, illorum consignationem facere, & debitam satisfactionem impendere recusant, & vt se in huiusmodi

Causa huius prohibitionis.

iniusta detentione confoueant, modo friuolas appellationes configunt, modo inhibitiones summa malitia extorquent, quibus causas ad Iudices non informatos, & vbi non est qui causarum huiusmodi expeditioni vacet, trahunt in graue animarum suarum præiudicium, & Cameræ præfatæ læsionem.

Prohibitio decernendi inhibitiones per quoscunque iudices in causis spoliorum & illicitæ negotiationis, non citato Commissario Cam.

§. 1. Et propterea incommodis huiusmodi obuiare volentes, dilectis filiis Vitellotio S.R.E. Card. Camerario ac omnibus Romanæ Curiæ Iudicibus, tam ordinariis quam delegatis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ pœna præcipimus & mandamus, ne in causis spoliorum, vel illicitarum negociationum per Clericos factarum, inhibitiones aliquas, tam auctoritate sua ordinaria, quam etiam vigore rescripti extra Romanam Curiam ad quæsuis Mundi partes, & contra quosuis collectores, decernant, & relaxent, nisi prius in ipsa Romana Curia ad illas decerni videndum dilectus filius Cameræ Apostolicæ Commissarius generalis fuerit citatus, & de citatione huiusmodi in actis appareat, & de ea in inhibitione ipsa mentio fiat.

Prohibitio Commissiones causarum per Referendarios & alios expediendi non citato eodem Commissario & Annullatio inhibitionum emanatarum vigore cõmissionum, ex quibus clarè non dignoscitur, an de prædictis causis agatur.

§. 2. Porro Signaturæ nostræ tam gratiæ quam Iustitiæ Referendarij, ac Cancellariæ Apostolicæ Corrector, & Auditor contradictarum, similiter commissiones in causis huiusmodi nullo modo, nisi præuia citatione eiusdem Commissarij expediant.

§. 3. Et si quandoque contingat ita sub verborum inuolucro, vel alia narratiua commissiones concipi, vt discerni non possit, an de causis spoliorum, vel illicitarum negociationum agatur, tunc tam nuncij Apostolici in Prouinciis residentes, & de causis huiusmodi cognoscentes, quàm à dilecto filio Thesaurario nostro generali spoliorum collectore, & eisdem nunciis deputati subcollectores, quibus inhibitiones huiusmodi præsentari contingat, illis minime parere teneantur, sed absque aliquo scrupulo, aut pœnarum incursu, illis reiectis, ad vlteriora procedere possint & debeant, partibus alias iustitiam ministrando, & nihilominus irritum & inane decernimus, quicquid contra præsentium tenorem, fuerit decretum vel attentatum.

Forma & effectus public.

§. 4. Volumus autem quod Præsentis Motus proprij cedula, valuis Cancellariæ & Cameræ Apostolicæ per vnum ex cursoribus nostris, vt moris est publicata, ita omnes Romanæ Curiæ officiales, & Iudices afficiat, ac si personaliter singulis intimata foret.

Sola signatura sufficit. PP. subscr.

§. 5. Et quod illius sola signatura, etiam absque data & registratura sufficiat, & vbique fidem faciat, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Placet Motu proprio. M.

Dat. P. An. 2. 5. Ianuar.

Die 5. Ianuarij 1568. retroscripta litera affixa & publicata fuerunt in valuis Cancellariæ Apostol. per me Nicolaum de Matthæis Curs.

Franciscum Sortocasa Mag. Curs.

LII.

Quod Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Obseruantia, semper possint extra tempus Quadragesimæ & Aduentus, in feria quinta, in qua non occurrit aliquod festum, aut eius octaua, recitare officium Sanctiss. Corporis Christi.

Alia de hoc Ordine indicaui sup. in const. 23. Leo. X.

Ite.

Edita An. D. 1568.

PIVS PAPA QVINTVS

Dilectis filiis Ministro Generali, & vniuersis fratribus Ordinis Minorum de Obseruantia.

Fratres Minores de Obseruantia supplicarunt pro licentia celebrandi qualibet 5. fer. officium Corporis Christi.

§. 1. EXponi nobis nuper feciſtis, quod cum vos mente recolentes Dominũ nostrũ IESVM CHRISTVM transiturum de hoc mundo ad Patrem in vltima cœna, qua pascha cum discipulis suis manducauit admirabile Sacramentum pretiosissimi corporis & sanguinis sui instituisse, vt vniuersi Christicolæ illud tanquam suæ Charitatis, quam in Cruce ostendit, memoriale recolerent, pro ipsius Dominici corporis solemniori & specialiori veneratione, desideratis qualibet quinta feria officium de Christi corporis, prout in Breuiario Romano ipsius solemnitatis die habetur recitare, si vobis ad id Sedis Apostolicæ suffragaretur auctoritas. Quare nobis humiliter supplicare feciſtis, vt vobis in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic ergo Pont. d. licentiam concedit, præterquam in quadragesima & Aduentu & in festo vel octaua occurrente in d. 5. feria.

§. 2. Nos pium hoc vestrum desiderium plurimum in Domino collaudantes, ac huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis & vestrum cuilibet vbilibet existentibus, vt qualibet quinta feria, quæ toties Quadragesimæ, & Aduentus Domini non fuerit, aut in qua aliquod festum seu octaua non inciderit, omisso occurrenti officio, illud de corpore Christi, iuxta illud quod in præsenti Breuiario Romano, in eius solemnitatis die recitandum proponitur, recitare libere & licite valeatis, ita tamen quod illud sic recitando, debito ad quod adstricti estis, in omnibus & per omnia perinde satisfacere censeamini, ac si officium pro tempore currens, & vobis à Romana Ecclesia propositum recitaretis; nec propterea illo recitato ad occurrentes huiusmodi, vel alicuius alterius officij recitationem teneamini, nec ad id, à quoquam inuiti, cogi aut compelli possitis, minus ve aliquas sententias, censuras, & pœnas quomodolibet latas incurrentes, auctoritate Apostolica per præsentes indulgemus.

Ordinarius & aliis mandatur ne Fratres desuper molestent.

§. 3. Districtius inhibentes quibusuis locorum Ordinariis, & quibusuis aliis, quacumque auctoritate fulgentibus, vel cuiuscumque gradus existentibus, ne vos & vestrum quemlibet quouis prætextu super præmissis quomodolibet molestare, perturbare, aut inquietare sub excommunicationis sententia, aliisque arbitrio nostro moderandis & infligendis pœnis audeant vel præsumant.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis Apostolicis, necnon in Prouincialibus constitutionibus & ordinationibus generalibus ac synodalibus Conciliis editis, atque ordinis præfati, & quibusuis aliis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§. 5. Ceterum quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca in quibus expediens foret deferre, volumus & similiter Apostolica auctoritate prædicta decernimus, quod illarum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in dignitate Apostolica constitutæ munitis, eadem prorsus in iudicio & extra, ac alias vbilibet fides indubia adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annullo Piscatoris die 8. Ianuarij 1568. Pontific. nostri anno tertio.

D. P. An. 2. die 8. Ianuar.

LIII.

Vnio Fratrum Amadeorum, & Clarenorum, Ordini Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia.

Scias nonnullos de prædictis Fratribus, ad Conuentuales Fratres transiuisse, quos tandem ibi permanere posse, concessit Gregor. XIII. die 20. Decembris 1581. cuius tamen bullam vti minus necessariam prætermisi. De toto autem Ordine Franciscano plene notaui sup. ad const. 6. Honor. III. Solet.

Edita An. D. 1568.

PIVS EPISCOPVS

Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

S. Franciscus in humanis existēs multos fratres sub vnica regula collegit.

BEatus Christi Saluatoris Confessor Franciscus dum adhuc mortalis huius vitæ spatia decurreret, ardentissimo cœlestium amore captus, nec sibi tantum illa, sed quamplurimis hominum fieri potest, quæsita cupiens, totusque in idipsum incumbens, quæ Ordinis Minorum initia fuerunt, confluentes ad se veluti ad meliorem frugem vndique fratres suos in vnam familiam collegit, collectosque ipsorum omnium vitam & mores, ad vnam eamdemque regulam dirigens, iis præceptis instituit, ea disciplina formauit, quæ ad coniunctionem, atque adeo vnionem inter illos conciliandam ac tuendam maxime pertinerent, humilitatem illis præcipue amplectendam proponens, qua humana hæc omnia & fluxa, quod eiusdem Saluatoris consilium fuerat, aspernati, solidam

Digitized by Google

ſolidam ac permanentem à Deo felicitatem expectarent. Itaque hac ipſa familia ſuas operas ad præſcriptam rationem grauiter conferente, Domini Dei noſtri ager egregie cultus vberrimos & præſtantiſſimos fructus continuo protulit, & ſubinde profert, atque, vt ſperamus, proferet in dies ſuauiores & largiores.

Sed dicta regula in plures cõgregationes ſegregata fuit.

§. 1. Verum quoniam eadem familia, quæ vna ab vno conſtituta fuerat, in quaſdam quaſi partes paulatim ita conceſſit, vt iam non vna, ne ipſo quidem, quo à patre ſuo vocata eſt, nomine conſiſtat, ſed variis agnominibus cum de illa, vel illa parte agitur ſit diſtinguendum. Propterea nos ne animorum quidem, aut mentis inter eos, quos exterius ita rebus ſeiunctos cernimus, interiorem coniunctionem ſperare tuto valemus, quin etiam quando in eam de qua ſupra diximus, ſpem erecti ab eiuſdem Ordinis fratribus optima quæque, & maxima ad Dei gloriam, & militantis Eccleſiæ vtilitatẽ & optamus, & ſane pro ea, quam in hoc præcelſæ dignitatis faſtigio collocari, noſtro muneri debemus diligentia exigimus, non ſinimus carere cura, ne forte rebus ita neglectis, quod Deus Opt. Max. auertat, magna inde ſenſim incommoda ſubeamus.

Hic dignoſce ex his quæ notaui in conſtit. Hon. III. cit. in rub.

Ideo hic Pont. interdicit, omnes Congregationes diſcrepantes ab inſtitutis regulæ fratrũ Minorum de Obſeruantia.

§. 2. Id igitur qua poſſumus ope poſt petitum à Deo auxilium cauere volentes, atque hic potiſſimum incipientes, Motu proprio atque ex certa ſcientia & matura deliberatione noſtra Apoſtolica auctoritate, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Amadeorum & Clarenorum, etiam della Becca nuncuparorum S. Petri in Monte Aureo, & S. Hieronymi, ſiue S. Bartholomæi in Inſula de Vrbe, aliarumque quarumlibet prouinciarum reſpectiue fratrum Ordinis S. Franciſci eorundem inſtitutiones, congregationes, conuentus, denominationes, nomina & vocabula quæcumque, necnon quatenus regularibus inſtitutis fratrum dicti S. Franciſci Ordinis familiæ, Minorum de Obſeruantia vocatorum diſcrepant eorum regula, inſtituta, conſtitutiones, ſtatuta, conſuetudines, & ritus, modumque & normam viuendi interdicimus & prohibemus; illaque necnon illorum promiſſiones, confirmationes & approbationes Apoſtolica auctoritate factas, & illorum cauſa priuilegia, indulta, gratias, & literas, etiam à Sede Apoſtolica, & forſan occaſione concordiarum inter ipſos fratres initarum confirmatorias, ac motu, ſcientia, poteſtatiſque plenitudine ſimilibus, vel etiam conſideratione, vel ad inſtantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum conceſſa, & quibuſcumque concepta formulis, ac ſuffulta decretis, quorum omnium tenores iis literis haberi volumus pro expreſſis, extinguimus, ſupprimimus, reuocamus, caſſamus, & in perpetuum, penitus & omnino omnia tollimus.

Omneſque illas Congregationes vnit ſub ordine dictorum Minorum de Obſeruantia.

§. 3. Eos autem omnes & ſingulos fratres qui eiuſmodi ſe Congregationum, & denominationum erant, cum eorum omnibus domibus, Eccleſiis, Oratoriis, & locis quibuſcumque vbicũque conſiſtant, fratribus Ordinis Minorum familiæ de Obſeruantia vocatis, eorumque Congregationi aggregamus atque vnimus. Et ſic in poſterum ex nunc perpetuo aggregatos & vnitos eſſe, dictis de obſeruantia adhærere, & eiſdem, quibus illi vtuntur, regula, regularibus inſtitutis, profeſſione, moribus, habitu, ac viuendi forma, ac agnominibus & denominationibus vti, ac vnam familiam tantum de cetero eſſe, eiſdemque Generalibus ſeu Prouincialibus Miniſtris, ceteriſque ſuperioribus, aut officialibus, quibus illi ſubſunt, aut pro tempore ſuberunt, ſubiectos eſſe, & in eadem immediate cum illis obedientia Deo ſeruire, pure, ordinarie, & vniformiter, nullaque prorſus re, nulloque diſcrimine ſeiunctos, aut diſſimiles habere decernimus.

Et iuramẽta, vota, & promiſſiones quæ eos impedire poſſunt, remittit.

§. 4. Quinimmo vt hæc puriore conſcientia, ac tranquilliore animo præſtare valeant debeantque & non aliter, eoſdem priorum inſtitutorum, rituumque & aliorum ſupradictorum, iis ſcilicet dumtaxat, quibus ab inſtitutis, & ritibus fratrum de Obſeruantia differebant, necnon ſi quibus quauis ratione, aut modo, iureue aut facto iis tenebantur, vel etiam tenentur, aut teneri ſe opinantur, promiſſione, profeſſione, iuramento, aut voto, quorum obſeruatio ſcandalum, aut perturbationem iudicio ſuperioris ceteris allatura eſſet, abſoluimus & liberamus, mandantes ipſorum vniuerſis & ſingulis, vt præmiſſa non impediant, neque eis vlla ex parte vlla ratione, vlloque modo reſiſtant vel aduerſentur, ac nihil faciant, vel experiantur, aut tentent, quo minus plene aut celeriter, aut facile ſuos effectus conſequantur. Neque vt ea vitent, ſæcularium habitu lateant, vel tamquam Clerici ſæculares ad aliquos Ordines minores vel maiores promoueri præſumant. Neque vero ad alias religiones, aliaſue Ordines etiam paris vel arctioris regulariſque Obſeruantiæ tranſeant, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ ſpecialj, ſed præfatis fratribus de Obſeruantia, eorumque congregationi & obedientiæ adhæreant, & omnibus aliis ſupradictis quamprimum pareant, & obſequantur re ipſa.

Fratribuſque præmiſſa adimplere recuſantibus pœnas hic deſcriptas imponit.

§. 5. Quod ſi eorum quiſpiam ſecus fecerit, omnes illaſmet ſententias, cenſuras, & pœnas eo ipſo incurrat, & patiatur, quæ mere Apoſtatæ ipſi, tam iuxta canonicas ſanctiones, quam dicti Ordinis regularia inſtituta incurrant & patiantur ac perinde contra illum, ſiue ab Ordinariis locorum, ſiue ab ipſis ſuperioribus fratrum de Obſeruantia ad quos pertinet, procedatur, & ſeuere animaduertatur, atque contra vere Apoſtatam procederetur, & animaduerteretur. Et ſi quando ad obedientiam reuerſus in aliorum conſortium receptus fuerit, vocis tam actiuæ quam paſſiuæ, ſuorumque Ordinum omnium perpetuo careat.

Et fratres ſic aggregatos alio quam de Obſeruantia nomine appellari prohibet, & eorum antiquã priuilegia regulã de Obſeruãtia non contraria retinere poſſe decernit.

§. 6. Ceterum vt vniuerſa Congregatio fratrum huiuſmodi de Obſeruantia hoc additamento quaſi colonis aucta, placida ſimul perpetuaque pace fruantur, & conquieſcant, neque vno tantum nomine, ſed vna etiam mente conſiſtant, nullaque ibi altercandi occaſio ſubrepat, eiſdem Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſtatuimus & ordinamus, vt nullus ex veteribus fratribus de Obſeruantia quemquam ſic nouiter aggregatorum recordatione priorum nominum, aut vitæ, vel alias quocumque modo irritare, aut Amadæum, vel Clarenum, ſeu alia, quam de Obſeruantia nuncupatione appellare audeant. Qui contra auſus fuerit, à ſuo ſuperiore grauiter puniatur, ipſi quin etiam ſic aggregati fratres ſuos gradus, & quæ ratione ſuorum graduum priuatim habent, priuilegia, facultates, & auctoritates, inſtitutis tamen regularibus de Obſeruantia expreſſe non contraria, vt prius retineant.

Vniuerſitum autem priuilegia & præcedentiã declarat.

§. 7. Vniuerſi vero iiſdem priuilegiis, facultatibus, immunitatibus, prærogatiuis, indultis, & gratiis indiſtincte fruantur & potiantur, quibus & ipſi veteres; ac quoties prouincialia, vel generalia Capitula habebuntur, ita horum quiſque pro ea in qua ipſe fuerit, prouincia, ſi tamen alias vocem in Capitulo habiturus fuiſſet, illis interſit, quemadmodum & veterum quilibet intereſſet vel intereſſe poterit, & pariter vt illi, tam in eiſdem capitula, ſuperiorum, ad quos pro tempore pertinebit, diſpoſitione, ad quoſcumque gradus, & quæcumque officia, in quibuſliber prouinciarum, ſub quibus deget, Conuentibus & domibus regularibus, tam antiquis quam nouiter vnitis de Obſeruantia promoueri & aſſumi valeat. Denique ita vtrique ſemper inter ſe agant, vt ceteris pares, ſola antiquitate alteris præferantur. ita ſcilicet, vt inter gerentes pares gradus vel pares ordines, ſuſcepti gradus vel ordinis, inter alios vero emiſſæ profeſſionis tempore, ſiue ſit ex veteribus, ſiue ex nouiter aggregatis, loco in Choro, & Capitulo, proceſſionibus, ac quibuſcumque aliis prærogatiuis antecedat, ſeruata interim graduum & ordinum maioritate.

Loca regularia non reſeruentur abſque permiſſione Pontificia.

§. 8. Præterea nulla omnino domus, quamuis parua, & exigua, nulluſque locus regularis, vbi dicti fratres hactenus ante aggregationem de ipſis, vt ſupra factam habitare ſoliti ſunt, ad ipſos quacumque ratione pertinens, relinquatur abſque permiſſione noſtra expreſſa, ſed à tot fratribus vnaquæque continuo habitetur, quot ibi commode, eſſe, & ali poterunt, & quæ eiſdem domibus eleemoſynæ, vel alio nomine pia hominum largitione offeruntur ſubſidia, pariter ſi quæ ad reſtaurationes fulcimenta, vel alium vſum fabricarum, necnon ad Eccleſiarum lumina, & ornatum, vaſorumque ac ceteræ ſupellectilis comparationem tradita, legata, relicta, aut quocumque nomine donata ſunt, etiam conſideratione prioris inſtitutionis, quæ ibi tunc vigebat, ac contemplatione Congregationum, quarum tunc temporis erant,

Digitized by Google

illarumque nomine expresso, eadem omnia,& alia insuper quæcumque, quauis aliter donantium huiusmodi dispositione absumenda, nouis habitatoribus, in supradictos tantum, neque alios vllos conuertenda vsus, omni prorsus quantum ad vnionem præfatam pertinet, caducitate, eiusue prætensione secluſa, integre debeantur.

Gubernatio Monialiũ ad quos spectet,

§.9. Gubernatio quoque & cura quorumcumque Monasteriorum Monialium, quæ antea Conuentibus, aut Superioribus huiusmodi domorum, & locorum demandata erat, ad illos pertineat, qui ibi erant, in posterum.

Ministri Generalis facultas circa deputationem Officialiũ & Fratrum vsque ad celebrationẽ Capituli.

§. 10. Proinde possit Generalis Minister in omnibus quarumcumque Prouinciarum domibus, sicut supra, vnitis, donec Generalem, vel in ipsa Prouincia, in qua illæ sitæ fuerint, Prouinciale Capitulum celebretur, officiales & fratres, siue ex veteribus, siue ex nunc aggregatis, siue etiam ex vtrisque, quo & qui sibi visi fuerint arbitrio suo libere deputare, & ad illarum regimen & directionem mittere; interea vero temporis ipsi fratres sic nouiter aggregati, si citramontani fuerint, in illius, in qua nati sunt, si vero vltramontani, in illius, cuius maluerint Prouinciarum domibus regularibus sint, & maneant, vsquequo aliter constituatur, & ipsos ad aliam domum, aliumve locum mitti, siue Capituli, siue Generalis Ministri huiusmodi ordinatione contingat. Porro in Capitulo Prouinciali Mediol. fratrum de Obseruantia, quod Mediolani proxime celebrabitur, omnibus Prouinciæ Mediol. regularibus domibus de Obseruantia, tam antiquis quam nunc vnitis, vt præfertur, de Guardianis aliisque officialibus & superioribus, ac fratribus, qui illas regere, & in illis esse debeant, ex vtrorumque fratrum veterum scilicet, & nunc aggregatorum numero differenter, alias tamen ex more inter fratres de Obseruantia prius obseruato prouideatur. Idem deinceps in ceteris, quæ per Prouincias subinde celebrabuntur capitulis quoad ipsarum Prouinciarum domos, obseruetur, ac in Prouinciarum numero, terminisque & denominationibus ea ratio atque distinctio habeatur, quæ inter fratres de Obseruantia ante has ipsas literas habebatur.

Loca aggregata sint eius prouinciæ intra cuius fines existunt.

§.11. Nuper autem aggregatæ domus in eam Prouinciam transeant, & in ea numerentur, intra cuius fines quæque consistit; & cum pro tempore Prouinciale Capitulum celebrandum erit, ij tantum ad illud conueniant, qui ex illa Prouincia fuerint, in qua tunc capitulum celebrabitur. In ipso vero Mediolanensi, quod primum omnium post has literas propediem celebrandum est, quicumque ex fratribus aggregatis, qui ante aggregationem à nobis, vt supra factam, vbique locorum degentes erant, & Prouincia S. Petri in Monte Aureo de Vrbe, & illa comprehendebantur, & idcirco vocem in Capitulo habeant, quoniam literarum ignari illuc forte omnes se conferent, possint quidem libere omnes hac vice celebrationi adesse, sed ij tantum ex eis iam nunc ibi vocem habeant, & suffragia ferant, qui sunt ex illis domibus, quæ iuxta aggregationem prædictam intra antiquos limites, & fines prouinciæ Mediolanensis fratrum de Obseruantia sunt sitæ.

Clausula præseruatiua.

§. 12. Has porro literas, & his literis contenta, decreta, statuta, ordinationes, & alia omnia vsque adeo firma & valida, atque obseruanda esse volumus, vt numquam reuocari, aut infringi, vel suspendi, numquam de voluntatis, aut mentis nostræ defectu oppugnari possint, numquam aduersus restitutionem in integrum, & reductionem ad terminos iuris, aut aliud quodcumque gratiæ vel iustitiæ remedium quisque impetrare, vel etiam ab aliis impetrato, aut motu simili concesso vti valeat ex quauis causa quantūlibet rationabili, & ita de his omnibus & singulis, ac simul quod hæc eadem aliquibus eiusmodi statutorum, & ordinationum reuocationibus, suspensionibus, & aliis contrariis dispositionibus, generalibus vel specialibus, ab eadem Sede Apostolica pro tempore factis, non comprehendantur, sed ab aliis semper excepta sit.

Decretum irritans.

§. 13. Sicque à quibuscumque Iudicibus ordinariis & delegatis, & causarum Palatij Apostolici Auditoribus, ac S.R.E. Cardinalibus, etiam de latere Legatis, in quauis causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter interpretandi & iudicandi facultate & auctoritate, interpretari & iudicari debeat, necnon quicquid secus à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignorantes contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Executorum deputatio & facultates.

§. 14. Propterea dilectis filiis Carolo tit. S. Praxedis presbytero Card. Borrhomæo nuncupato, dicti Ordinis Protectori & correctori, necnon pro tempore existenti eiusdem Ordinis generali ministro mandamus, vt ambo, vel ipsorum alter has literas, & quicquid in proxime Prouinciali Capitulo Mediolanensi vtroque vel altero ipsorum præsidere pro suprascriptorum omnium executione & obseruatione ordinabitur, faciant per se vel alium, seu alios, ab omnibus & singulis fratribus præfatis exactissime obseruari. Cõtradictores quoslibet & non parentes ac rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, ac etiam graduum, officiorum & vocis, tam actiuæ quàm passiuæ priuationem, ac cetera quæ sibi videbuntur opportuna iuris & facti remedia, quacumque prorsus appellatione postposita, & etiam reiecta, compescendo, atque eosdem in sententias, censuras & pœnas prædictas incidisse declarando, easque sæpius aggrauando, adhibita etiam, si opus fuerit, manu militari, & inuocato auxilio brachij sæculatis.

Clauſ. derog.

§. 15. Non obstantibus præmissis, ac nostra de non tollendo iure quæsito, ac piæ mem. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis aliisque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis & Congregationum huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica, & quauis alia firmitate roboratis, statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque, & indultis Apostolicis, illis per quoscumque Romanos Pontifices, ac Sedem Apostolicam, & etiam nos sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis, in genere & in specie concessis, & quotiescumque confirmatis & innouatis, & Mare Magnum nuncupatis, ac quibuslibet aliis indulgentiis, & literis Apostolicis, per quæ his literis, non expressa vel etiam non inserta harum effectus & executio impediri valeret, vel tardari, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda esset mentio specialis.

Transumptorum fides.

§. 16. Volumus etiam quod harum literarum exempla, etiam impressa dicti Caroli Cardinalis & Protectoris, aut Generalis, seu alicuius Prouincialis Ministri fratrum sigillo, & eiusdem Caroli Cardinalis Secretarij, vel ipsiusmet Generalis, aut Prouincialis Ministri manu obsignata, eamdem fidem in iudicio & extra iudicium vbique locorum faciant, quam hæ literæ ipsæ facerent, si ostenderentur vel exhiberentur.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1568. 10. Kal. Febr. Pontificatus nostri an. 3. *D. P. An. 3. die 23. Ian.*

LIV.

Iurisdictio & facultates S.R.E. Cardinalis Protectoris, ac Iudicis causarum Monasterij S. Catherinæ de Rosa nuncupatæ, & Congregationis in Vrbe institutæ ad ibi recipiendas, pieque educandas Virgines miserabiles, in periculo amittendæ pudicitiæ commorantes.

Ordinationes circa istarum Virginum contractus, vltimasque voluntates, & alimentorum submin istrationem edixit Clem. VIII. in const. 95. Apostolici.

Edita An. Dñi 1568.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Facultas Protectoris & deputatorum, puellas in periculo amittendæ pudicitiæ existentes inuitis parentibus capiendi illasque & alios eas occultantes, &c. coercendi.

CVpientes vt Monasterium Beatæ Catharinæ della Rosa nuncupatæ de Vrbe, iamdudum pro receptandis, & aduocandis miserabilibus puellis, quæ in periculo pudicitiæ subuertendæ, in dicta Vrbe reperiuntur erectum, & Confraternitas ibidem pro gubernio dicti Monasterij canonice instituta, non solum manuteneantur, verumetiam indies incrementum suscipiant, Monasteriumque & Confraternitatem huiusmodi specialibus gratiis & fauoribus prosequi volentes, Motu simili ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, dilecto filio nostro Hippolito tit. S. Mariæ Nouæ presbyt.

Digitized by Google

presbyt.Card.Ferrarien.nuncupato,nunc & pro tempore Monasterij,& Confraternitatis huiusmõdi existen.Protectori, seu Confraternitati prædictæ, illiusque Administratoribus Gubernatoribus, & deputatis, quod quascumque puellas in periculo pudicitiæ existen. amittendæ, & si bene visum fuerit propria auctoritate, etiam inuitis parentibus capere, & in dictum Monasterium introducere, illasque tam dum in dicto Monasterio manserint, quàm etiam inde egressæ siue nuptæ, siue viduæ fuerint, necnon occultantes, & latitare facientes carcerare, punire, corrigere, & castigare, eorum arbitrio,seu alias iuxta eorum statuta & prouidas ordinationes possint & valeant, concedimus, statuimus, decernimus & mandamus.

Facultas Protectoris & Iudicis causas ciuiles & criminales, Monast. S.Catharinæ, eiusque Confrater. sit, Monialium, & puellarũ etiam è Monast. egressarum, & nuptui traditarũ in quacũque instantia summarie, &c. cognoscendi.

§. 1. Necnon pro ipsius Monasterij, Confraternitatisque Monialium, & puellarum minori dispendio, ne cogantur per diuersa tribunalia litigare, omnes & singulas causas, lites, quæstiones, & controuersias ciuiles,criminales, profanas, spirituales meras, & mixtas inter Confraternitatem, seu eius administratores, gubernatores, & deputatos huiusmodi, Moniales, seu puellas in dicto Monasterio degentes, seu quæ inde egressæ,& nuptui traditæ sunt ex vna & quascumque alias personas cuiuscumque dignitatis,gradus, ordinis,conditionis & præeminentiæ existentes, Vniuersitates, Societates, Congregationes, & Monasteria, aut alia loca pia, ex altera partibus, etiam si coram S.R.E. Camerario, Clericis, & Præsidentibus Cameræ Apostolicæ, & eiusdem Cameræ generali Auditore, necnon Vicario, Gubernatore,& Senatore dictæ Vrbis, illorum Locatenentibus, Collateralibus, & Iudicibus, ac dictæ Vrbis causarum Appellationum Capitaneo, & Sacri Palatij Apostolici Auditoribus, & eiusdem S.R.E. Cardinalibus, aliisque Iudicibus ordinariis seu delegatis, huiusmodi moras, & pendentes,& desuper statu & bonis,tam Monialium quàm puellarum, necnon quibuscumque locationibus, venditionibus, legatis, fideicommissis, testamentis, hæreditatibus, atque illorum discussionibus, atque quorumcumque iurium, & actionum cessionibus,aliisque inter viuos contractibus, etiam vigore obligationis in forma Cameræ executionibus, reuocationibus, bonis, rebus, iuribus & actionibus ad Confraternitatem prædictam, eiusque Gubernatores, Administratores, & deputatos, Moniales & puellas prædictas, tam coniunctim quàm diuisim, ac tam actiue quàm passiue spectantibus & pertinentibus, in quacumque instantia, (quarum omnium & singularum statum, & merita, necnon iudicum & collitigantium nomina & cognomina, ac qualitates ceteraque de necessitate exprimenda pro expressis haben.) in statu,& terminis in quibus nunc reperiuntur, harum serie ad nos aduocantes, illasque omnes & singulas, motas & pendentes,ac quam & quas Confraternitas gubernatores, administratores, & deputati, necnon Moniales, & puellæ ibi degentes,& illæ quæ exinde egressæ,& nuptui traditæ sunt,& pro tempore fuerint, habere volent contra easdem personas, Vniuersitates,& Collegia,Congregationes, Confraternitates,Monasteria,& alia huiusmodi pia loca, pro rebus, bonis, hæreditatibus, iuribus & actionibus huiusmodi, nunc & pro tempore Monasterij Confraternitatis præfatarum existenti Protectori præfato, vna cum illarum emergentibus,dependentibus, incidentibus, annexis & connexis, summarie, simpliciter, & de plano, & sola facti veritate inspecta, ac sine strepitu & figura iudicij, per seipsum, seu alios à se deputandos, in quacumque instantia vsque in finem audien. cognoscen.& fine debito terminandum, auctoritate Apostolica tenore præsentium committimus & mãdamus. Ipsumque Protectorem nunc & pro tempore existen. in dictis causis motis pendentibus, & in futurum mouendis, in iudicem ordinarium cum facultate easdem causas, in quacumque instantia vsque ad finem per seipsum vel alium, seu alios eius Auditores, illas cognoscen. deciden. & terminan. & aliis facultatibus prædictis, facimus, constituimus,& deputemus.

Inhibendique in Curia & extra, & inobedientes coercendi. Necnon singulis diebus & horis procedendi.

§. 2 Necnon cum potestate citandi & inhibendi,quos, quibus, & quoties, in Curia & extra eam, etiam per edictum publicum constito etiam de non tuto accessu eisdemque, quam & quibusuis aliis eiusdem Vrbis iudicibus & personis,tam ecclesiasticis quàm sæcularibus,quibus & quoties opus sit, & sub sententiis, censuris,& pœnis ecclesiasticis & pecuniariis, quibus sibi, seu ab eo pro tempore deputando Auditori videbitur inhibendi, & in euentum non paritionis contra inobedientes,contumaces, & rebelles ad declarationem incursus censurarum & pœnarum huiusmodi, illarumque aggrauationes & reggrauationes, & alias iuxta morem & stylum Curiarum Vrbis in similibus seruari solitum, & prout sibi videbitur proceden. sententiasque suas debitæ executioni demandare, siue demandari facien. auxiliumque brachij sæcularis ad hoc si opus fuerit inuocandi, omniaque & singula alia in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria & opportuna faciendi, gerendi & exercendi, ac in omnibus & singulis eis prædictis ad dictam Societatem, Moniales, & puellas, vt præmittitur, spectantes, singulis diebus & horis feriatis & non feriatis, præterquam in honorem Dei, etiam tempore feriarum ob necessitatem hominum indictarum & indicendarum procedere.

Notarium deputan.

§. 3. Ac quemcumque Notarium, sibi bene visum in causis huiusmodi deputare possit & valeat.

Mandatarij omnes citant.

§. 4. Quodque citationes & inhibitiones, quæ in eis fieri oportuerit,etiam per Curiæ Capitolij,& quoscumque alios Mandatarios fieri possint.

Executores ſq; exequantur.

§. 5. Et quicumque executores Vrbis possint & debeant effectualiter executioni demandare, omnes & singulas sententias decreta, & mandata prædicti Cardinalis Protectoris, siue ab eo deputatorum, quæ non obstan. regula Cancellariæ sub eius paruo sigillo expediri possint.

Confraternitas, Moniales, puellæ, & administrat. coram Protectore dumtaxat conuenire & conuenirí possunt.

§. 6. Ac insuper Confraternitatem prædictam,eiusque administratores, gubernatores, & deputatos, necnon Moniales, aut puellas ibidem degentes, & inde egressas nuptas, seu viduas huiusmodi ex nunc deinceps occasione præmissorum alibi quam coram prædicto Protectore conuenire, aut ad alios conuenientibus constringi non posse; ac processus, sententias, & decreta, per alium seu alios, tam ordinarios quàm delegatos Iudices, in omnibus prædictis quomodolibet pro tempore formatos latas,& facta, cum inde secutis quibuscumque nulla, irrita & inania, nulliusque roboris vel momenti fore.

Clauſula præſentium.

§. 7. Præsentemque cedulam sub quibusuis reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, seu renouationibus, similium vel dissimilium concessionum & gratiarum,etiam per nos & successores nostros Romanos Pontifices, & Sedem prædictam, vel eius Legatos, etiam per Regulas Cancellariæ Apostolicæ pro tempore factas,nullatenus, comprehendi, sed semper ab illis penitus & omnino exceptas, & quoties illæ emanabunt præsentem cedulam in pristinum statum restitutam esse, & censeri debere, nec eidem cedulæ per quascumque literas, etiam quasuis clausulas, generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, irritantiaque & alia decreta, sub quacumque verborum expressione continentes, derogari posse, etiam si illi vllo vnquam tempore ex aliqua etiam quantumuis necessaria, & vrgenti causa derogari contingat, nisi tenor eiusdem cedulæ de verbo ad verbum, nihil penitus omisso insertus, & huiusmodi derogatio per trinas distinctas literas eumdem tenorem continentes tribus similibus, distinctis vicibus, administratoribus, gubernatoribus. deputatis,& Confratribus huiusmodi, omnibus & singulis legitime insinuata & intimata fuerit,eorumque expressus ad id accesserit assensus, derogationem huiusmodi nemini suffragari, nullius esse roboris vel valoris, & sic per quoscumque Iudices quauis auctoritate fungen. etiam prædictæ Ecclesiæ Cardinales, & causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata, &c. ac irritum, &c. iudicari & definiri debere.

Clauſ. derog.

§. 8. Non obstan. præmissis, ac fel.rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis vigore præsentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe,ac Hospitalium, Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum quorumcumque locorum,& ordinum, iuramento, &c. roboratis,

Digitized by Google

boratis, ſtatutis & conſuetudinibus; priuilegiis quoque indultis Conſeruatoribus exemptionibus,& literis Apoſtolicis eiſdem, ac dilectis filiis Populo Romano,necnon Iudicibus, Curiis &|Tribunalibus, eorumque perſonis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & nos ad dictam Sedem, etiam motu,& ſcientia ſimilibus conceſſis,approbatis, & innouatis, etiam diſponentibus,& cauſæ huiuſmodi ad forum, ſeu Curiam Capitolij reaſſumi debeant, quibus omnibus & ſingulis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa,& indiuidua, ac de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma illius contenta, obſeruata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque; aut ſi præfatis, aut quibuſuis aliis communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, aut excommunicari,vel extra, aut vltra certa loca Curias & Tribunalia ad iudicium trahi non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem, & quibuſlibet aliis priuilegiis, indultis Apoſtolicis, generalibus vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſten.per quæ præſentibus non expreſſa,aut totaliter non inſerta iuriſdictionis ipſius Protectoris explicatio impediri valeat quomodoliber,vel deferri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in præſentibus mentio ſpecialis.

Sola ſignatura ſufficit.

§. 8. Volumus autem præſentium ſolam ſignaturam ſufficere, & vbique fidem facere in iudicio & extra,regula contraria non obſtante, & earumdem tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Protectoris,ſeu Confraternitatis huiuſmodi munitis, eamdem proſus fidem adhiberi, quæ adhiberetur præſentibus manu noſtra ſubſcriptis.

D. P. An. 3. 10. Februar.

Placet M. Romæ, apud S.Petrum, quarto idus Februarij, anno tertio.

LV. Reſeruatio beneficiorum omnium vacantium,Sede Epiſcopali vacante.

Edita An. D. 1568.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater,& Dominus noſter Dominus Pius diuina prouidentia Papa V.

Reſeruatio benefic. omnium,vacantiũ Sede Epiſcopali vacante.

§. 1. Cupiens pauperibus Clericis, & aliis benemeritis perſonis, de beneficiis eccleſiaſticis prouidere,omnia & ſingula beneficia eccleſiaſtica, cum cura & ſine cura, ſæcularia, & quorumuis Ordinum regularia, qualitercumque qualificata,& vbilibet exiſtentia, Sede Epiſcopali, Archiepiſcopali,Patriarchali,& primatiali quarumcumque Eccleſiarum Cathedralium, etiam Metropolitanarum, Patriarchalium, ac Primatialium pro tempore Paſtoribus deſtitutarum vacante, quomodolibet vacantia & vacatura,tàm in prædictis quàm aliis Eccleſiis,necnon Ciuitatibus & diœceſibus quibuſcumque, ad eorumdem Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Patriarcharum, & Primatum collationem, prouiſionem, præſentationem, electionem, ſeu quamuis aliam diſpoſitionem quomodolibet pertinentia, diſpoſitioni ſuæ reſeruauit.

Decretum irritans.

§. 2. Sicque in præmiſſis per quoſcumque,&c. ſublata, &c. iudicari debere, irritum quoque, &c. decreuit.

Placet, publicetur, & deſcribatur. M.

Papa ſubſcr. Publ. Pontif. An. 3. die 9. Martij.

Lecta & publicata fuit ſupraſcripta regula Romæ in Cancellaria Apoſt. anno Incarnationis Dominicæ 1568. *die vero 9.menſis Martij, Pontif. prælibati S.D.N.Papæ an.* 3.

LVI. Facultas Collegij Fabricæ S. Petri Apoſtolorum Principis de Vrbe, circa legata quæ fiunt Eccleſiæ B.MARIÆ Lauretanæ, ſi eius Miniſtri in illis exigendis, fuerint negligentes.

Hanc bullam Clem.VIII. innouauit die 16. *Martij* 1599.*ſed vti ſimpliciter confirmatiuam conſulto prætermiſi. Et alia de materia Fabricæ videbis hic infra in conſt.*96.Decet.

PIVS PAPA QVINTVS

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An.D. 1568.

AD Romani Pontificis ſpectat officium opportunis prouidere remediis, ne Eccleſiæ, & alia pia loca, præſertim Romanæ Eccleſiæ immediate ſubiecta, & in honorem Glorioſiſſimæ Dei genitricis dedicata,ſuis tàm ſpiritualibus quàm temporalibus bonis, aliquorum malitia vel negligentia fraudentur.

Exordium.

Cauſa inducens conſt.

§. 1. Sane nuper ad aures noſtras non ſine dolore peruenit, complures Chriſti fideles perſonas, diuerſarum Ciuitatum, & locorum, tàm in Italia, quàm extra eam, multas variaſque pecuniarum ſummas, & res ac bona Eccleſiæ B. MARIÆ Virginis de Laureto nuncupatæ nullius diœceſis, deuotionis cauſa reliquiſſe,donaſſe,aut alias conceſſiſſe, de quibus certa notitia propter iniuriam & negligentiam Notariorum, qui in dictis Ciuitatibus, & locis de relictis, donationibus, & conceſſionibus huiuſmodi rogati fuerunt,aut aliarum perſonarum, quæ de illis ſcripturas confecerunt,hactenus haberi non potuit, nec poteſt in præſenti, vnde dicta Eccleſia non modicum ſentit detrimentum.

Notarij infra tẽpus hic expreſſum notificens officialib.vel deputatis Eccleſiæ B. M. de Laureto omnia ei relicta.

§. 2. Nos igitur ne Eccleſia præfata, pecuniis, rebus,ac bonis huiuſmodi defraudetur, atque immodicis ſumptibus per Commiſſarios pro eorum exactione fieri ſolitis exoneretur, ipſaſque pecunias, res, & bona eadem Eccleſia facilius conſequatur, de aliquo opportuno remedio prouidere, ipſiuſque Eccleſiæ indemnitati,quantum cum Deo poſſumus, prout tenemur, conſulere volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnibus & ſingulis Ciuitatum,Terrarum,Caſtrorum,& aliorum locorum quorumcumque Notariis,aliiſque perſonis, ex quorum tam publicis, quàm priuatis ſcripturis conſtare quouis modo poteſt, aut poterit in futurum de aliquibus pecuniarum ſummis, rebus,ac bonis cuiuſcumque quantitatis, qualitatis, generis, ac valoris extiterint, quæ Eccleſiæ præfatæ, pure vel conditionaliter, aut alias quomodocumque, ſaltem à triginta annis citra,in aliqua vltima voluntate relicta,vel inter viuos donata,vel quomodolibet cõceſſa,aut promiſſa fuerint,aut in poſterum relinquentur, donabuntur, concedentur, aut promittentur, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo, & ſub priuationis ſuorum officiorum, ac ſolutionis dupli pecuniarum, rerum, ac bonorum præfatorum, pro vna videlicet ipſi Eccleſiæ, & altera medietatibus ſolutionis dicti dupli accuſatori, & executori æqualiter inter eos diuidendis & applicandis pœnis præcipimus & mandamus,& inſuper hac noſtra in perpetuum valitura, ordinatione & conſtitutione ſub eiſdem pœnis ſtatuimus & ordinamus, vt de cetero perpetuis futuris temporibus, Notarij & perſonæ præfatæ, omnes & ſingulas diſpoſitiones in fauorem dictæ Eccleſiæ à quocumque & quomodocumque faciendas,de quibus,tam per ſuas proprias,quàm per aliorum etiam defunctorum ſcripturas penes ipſos exiſtentes, quomodocumque conſtare poteſt, in Italia intra trium,extra vero eam infra octo menſium ſpatium, ſi eas per viam vltimæ voluntatis fieri contigerit, à die mortis diſponentium,ſi vero inter viuos à die ſolutionis faciendæ computandum, diſpoſitiones autem iam factas infra ſimile ſpatium, à die tamen intimationis præſentium, ſibi etiam per eárumdem præſentium, vel earum tranſumptorum,vt infra ſubſcriben.ac ſigillandorum affixionem ad valuas Cathedralium Eccleſiarum in Ciuitatibus, & inſigniorum Eccleſiarum,in terris, caſtris,& locis præfatis facien.computan.Gubernatori pro tempore exiſtenti ipſius Eccleſiæ, ſeu perſonis ab eo pro maiori commoditate eorumdem Notariorum, & aliarum perſonarum in certis præcipuis Ciuitatibus, ſeu locis eius arbitrio ad hoc deputan. reuelare ac notificare.

Deputati prædicti notificationes iſtas deſcribant, &c.

§. 3. Præfati vero deputandi, ipſum Gubernatorem notificationum & denunciationum ſibi per Notarios factarum huiuſmodi ſingulis quibuſque menſibus certiorem facere, & eaſdem notificationes, ac denunciationes in libris ſuis, etiam ad hoc ſpecialiter confectis vel conficiendis, manu propria adnotare, eoſdemque libros ad Gubernatorem præfatum, quoties ab eo ſuper hoc requiſiti fuerint, mittere, aut deferre, necnon vt idem Gubernator denunciationes, & notificationes, non ſolũ Notariorum,

Digitized by Google

riorum, & aliarum personarum, sed etiam deputandorum prædictorum adnotare, seu manu Cancellarij ipsius Ecclesiæ adnotari facere in libro ad hoc etiam specialiter confecto vel conficiendo, dictosque libros in fine sui officij, suo in officio Gubernatoris immediato successori coram Notario ad hoc specialiter vocato & rogato consignare respectiue teneantur & debeant, & vnusquisque eorum teneatur & debeat.

Fabricæ S. Petri de Vrbe, nõ potest quintã partem dictorum relictorũ prætẽdere, nisi probata negligentia Ministrorum dictæ ecclesiæ.

§. 4. Quoniam vero Commissarij Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, vigore nonnullorum priuilegiorum à diuersis Romanis Pontificibus, eidem Fabricæ super exactione certorum legatorum concessorum quintam partem legatorum ipsi Ecclesiæ de Laureto relictorum exigendi facultatem habere prætendunt, volumus, & eisdem Fabricæ prædictæ Commissariis nunc & pro tempore existentibus, Motu & scientia, ac potestate similibus, etiam districte præcipiendo mandamus, ne in posterum vigore præfatorum, aut quorumcumque aliorum priuilegiorum quintam partem præfatam, nisi postquam de Ministrorum ipsius Ecclesiæ in exigendis dictis legatis negligentia constiterit, exigere possint, audeantve aut præsumant. Quodque negligentiam prædicti Ministri non aliter, quam si infra annum in Italia, vel infra biennium extra eam, à die quo denunciationes & notificationes Gubernatori, vel deputandis prædictis factæ fuerint; vel si denunciationes & notificationes prædictæ factæ non fuerint, infra biennium in Italia, & quinquennium extra eam, à die mortis testatorum seu alias disponentium computan. legata huiusmodi non exegerint, aut desuper litem contra hæredes, seu alios eorumdem legatorum debitores non mouerint, incurrisse censeantur.

Clausſ. derog.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac priuilegiis dictæ Fabricæ concessis, quorum omnium tenores haberi volumus pro sufficienter expressis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transſumptorum fides.

§. 6. Et in quia difficile esset earumdem præsentium notitiam, ad singulos Notarios, aliasque personas Ciuitatum, Terrarum, Castrorum & locorum huiusmodi peruenire, & vbique illas affigi vel intimari, etiam motu & scientia similibus, volumus & decernimus, quod illarum transumptis, etiam per impressionem factis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo dictæ Ecclesiæ, aut alicuius Prælati, vel personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ sigillatis, ea prorsus fides indubia, in iudicio & extra, ac alias vbilibet adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 3. die 10. Mart.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die decima Martij, millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, Pontificatus nostri anno tertio.

LVII.

Fructus beneficiorum lite pendente deponendi, apud idoneam personam à Iudice eligendam, deponi debent non obstantibus quibuscumque statutis, disponentibus quod Capitula & Canonici eos recipiant.

De sequestris autem à Iudicibus decernendis super fructibus beneficiorum lite pendente, vide sup. in Pij IV. constit. 17. Sanctissimus.

Edita An. D. 1568.

P I V S E P I S C O P V S
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam

Exordium.

COrdi nobis est literis minuere, & à laboribus subditos, maxime personas ecclesiasticas diuino cultui deditas, releuare.

Beneficiorum litigiosorum fructus lite pendente percipiebantur à Capit. & Canonicis, vigore eorum ſtatutorum, vnde lites efficiebantur immortales.

§. 1. Sane cum sicut accepimus, in plerisque Cathedralibus & Collegiatis ecclesiis earum constitutionibus & statutis, etiam à Sede Apostolica approbatis & confirmatis, cautum sit, quod occurrentibus litibus, & controuersiis inter prouisos de dignitatibus, officiis, canonicatibus, & præbendis, portionibus, & præstimoniis, ceteriſque beneficiis ecclesiasticis qualitercumque qualificatis, tam ordinaria quàm Apostolica auctoritate, tam super illorum prouisione seu institutione, aut possessione, quã illorum idoneitate & habilitate, aut ex quauis causa, & eorumdem ad dignitates, canonicatus & præbendas, ceteraque beneficia ecclesiastica prædicta admissione & receptione, & Capitulum, & Canonicos, ceteraſque capitulares personas ad quos admissio & receptio, tam de iure quàm ex consuetudine spectat & pertinet, aut etiam alias personas ecclesiasticas asserentes beneficia prædicta ad se de iure spectare, ipsi sic prouisi interim beneficiorum huiusmodi fructus, ac distributiones non percipiant; sed Capitulum & Canonici illas, vel in suos vsus, & vtilitatem conuertendas, seu restituendas ei cui de iure restituendæ erunt, recipiant, prout in dictis constitutionibus & statutis, seu consuetudinibus continetur, quo factum est, vt lites huiusmodi immortales efficiantur, nec earum optatus finis videri possit.

Hic Pont. mãdo decernit eos deponi debere penes idoneam personã à Iudice eligendam.

§. 2. Hinc est quod nos hac nostra perpetuo valitura constitutione, auctoritate Apostolica statuimus atque decernimus, quod fructus, redditus, & prouentus, ac distributiones, ceteraque emolumenta, quæ vigore constitutionum, consuetudinum, & statutorum prædictorum, à Capitulo & Canonicis recipienda, vt præmittitur, erant, amplius non ab eisdem Capitulo & Canonicis recipiantur, sed penes personam, fide & facultatibus idoneam per Iudicem coram quo causæ huiusmodi pendere repertæ fuerint, eligendam & nominandam deponantur, restituenda ei cui de iure postea restituenda fuerint.

Decretum irritans.

§. 3. Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios quauis auctoritate fungentes in quauis instantia iudicari debere, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate; irritum quoque & inane decernimus, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula derogatoria.

§. 4. Non obstantibus præmissis ac quibusuis Apostolicis, necnon in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus & ordinationibus, & quarumuis ecclesiarum prædictarum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis, statutis & consuetudinibus, etiã immemorabilibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis eorumque Capitulis, & superioribus per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & Sedem Apostolicam sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac quauis etiam Imperiali, vel Regali, consideratione vel instantia, & alias quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, indiuidua, & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, perinde ac si tenores huiusmodi de verbo ad verbum nihil penitus omisso inserti, & forma in illis tradita obseruata foret, pro sufficienter expressis habentes, specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§. 5. Volumus autem quod præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ præsentib. adhiberetur si forẽt exhibitæ vel ostensæ.

Forma publicationis quæ mox ſequitur.

§. 6. Quodque literæ ipsæ in Cameræ & Cancellariæ Apostolicarum, & audientiæ causarum Palatij Apostolici valuis, & in acie Campi Floræ dimissis inibi copiis, publicatæ & affixæ, omnes ita afficiant & arctent, ac si illis personaliter initimatæ fuissent. Nulli ergo, &c.

D. P. An. 3. 30. Mart.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1568. tertio Kalen. Aprilis, Pontificatus nostri anno 3.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. 1568. Indictione 11. die vero 2. mensis Iunij. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno 3. retroscriptæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Cameræ & Cancellariæ Apostolicarum, & audientiæ causarum Palatij Apostolici, ac acie Campi Floræ, dimissis in omnibus locis præfatis earumdem retroscriptarum literarum copiis, per nos Iulium Parinum, & Io. Bornotum præfatos Sanctiss. D. N. PP. Curs.

Io. Freile Mag. Cursorum.

Quæ

Digitized by Google

LVIII. Quæ beneficiorum ecclesiasticorum resignationes per Episcopos & alios Collatores admitti possint.

De forma autem ea resignandi, attende infra Gregor. XIII. const. 85. Humano. *vbi de materia hæc notas apponam.*

Edita An. D. 1568.

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

QVanta Ecclesiæ Dei incommoda omni tempore attulerit, & nunc quotidie magis afferat, ministrorum in eam ingressio vitiosa, iam late perspiciant, & cum mœrore expendant Præsules omnes & Pastores, quando hæc pernicies ceterarum omnium maxima, tam multas Orbis ecclesias impie violarit.

Pōt ipse alias suspendit facultates admitten. resignationes benef. & de illis sic vacantibus disponēdi.

§. 1. Quia vero hoc malum cum in ceteris frequens, tum maxime in beneficiorum, & officiorum ecclesiasticorum dimissione admittitur, nemini molestum esse debet, quod perinde de reprimendis quotidianis fraudibus, quæ hac in re frequentiores internoscuntur, certam aliquam rationem tandem inituri officj nostri partes, in prohibenda omnibus interim resignationum huiusmodi acceptione paulo seuerius interposuerimus, omnesque beneficiorum interim resignandorum dispositiones quæ fierent, in irritum reuocauerimus, ac etiam decreuerimus nullum per eas in illis ius, neque titulum, vel coloratum, tam in petitorio quàm in possessorio ipsis prouisis tribuere, quin etiam eos ad illa deinceps obtinenda perpetuo inhabiles fore. Collatores vero alias in illorum dispositione, etiam tamquam deuolutionis iure sese interponere non posse, sed de eis vt vere vacantibus, siue per Romanos Pontifices, siue alios collatorum eorumdem Superiores vti præuentum esset libere prouideri.

Hic modo Pōt. ex causis hic enunciatis,

§. 2. Nunc autem intendentes institutum hoc nostrum, quo sanctuarium Domini cupimus illibatum, auctore Domino persequi, ac simul quantum in nobis est cauere, ne resignationes ipsæ dehinc pro cuiusque arbitrio, nullisque vel certe leuibus causis passim & temere admittantur, prohibitionem, & alia prædicta, ac cetera omnia nostris super his literis contenta eatenus relaxamus, vt posthac.

Declarat, quæ resignationes de cætero admitti & recipi possint.

§. 3. Episcopi & alij facultatem habentes, eorum, dumtaxat resignationes recipere & admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarij, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxij, censurisque ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent ecclesiæ vel beneficio inseruire; seu qui vnum aliud, vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoueri; religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim postea id re ipsa exequantur; denique quis ex aliis casibus acciderit, qui constit. fel. record. Innocentij Papæ Tertij de dimittendis Cathedralibus ecclesiis edita continentur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficij residere securi. Sed nec horum vllus sacro ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus valeat vllo modo beneficium vel officium ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit quo in vita possit commode sustentari. Ad hæc beneficiorum & officiorum permutationes admittere, quæ Canonicis sanctionibus, & Apostolicis constitutionibus permittuntur.

Hæc Innoc. III. const est in c. 10 de Rescriat.

Et præcipit Episcopis præsentatorib. & electorib. quæ cauere debeant.

§. 4. Caueant autem Episcopi, & alij prædicti, itemque omnes electores, præsentatores, & patroni, tam ecclesiastici, quàm laici quicumque sint, ne verbo quidem, aut nutu, vel signo, futuri in huiusmodi beneficiis & officiis successores, ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu, designentur, aut de his assumendis, promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat.

Prohibetq. beneficia resignanda non conferri consanguineis collatorum vel resignantium.

§. 5. Ceterum præcipimus atque interdicimus, ne ipsi Episcopi, aut alij collatores de beneficiis & officiis resignandis prædictis, aut suis, aut admittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem, circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant prouidere; quod si secus ac etiam quicquid præter vel contra formam prædictorum fuerit à quocumque temere attentatum, id totum ex nunc vires & effectum decernimus non habere.

Contrauenientib. pœnas infligit.

§. 6. Qui vero contrafecerint, vt in eo quo deliquerint puniantur, à beneficiorum & officiorum collatione, necnon electione, præsentatione, confirmatione & institutione, prout cuique competierit, tamdiu suspensi remaneant, donec remissionem à Romano Pontifice meruerint obtinere; & qui talia beneficia seu officia receperint, eos prædictis pœnis volumus subiacere. Et nihilominus in eos qui sic suspensi conferre, eligere, præsentare, confirmare, vel instituere, ausi fuerint, excommunicationis quo ad personas, quo vero ad Capitula & Conuentus, à diuinis suspensionis sententias ipso facto promulgamus; quibus etiam nullus alius quam ipse Romanus Pontifex, siue absolutionis, siue relaxationis gratiam (excepto mortis articulo) valeat impertire. Prohibitione, & literis nostris prædictis nihilominus in ceteris omnibus perpetuo valituris.

Contrariis derogat.

§. 7. Non obstantibus quibuscumque priuilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus & specialibus quibuscumque Episcopis & aliis Superioribus ac inferioribus ecclesiarum Prælatis, necnon Ecclesiis, Monasteriis, & Capitulis, Conuentibus, Collegiis & Vniuersitatibus, eorumque & aliis personis, etiam Regia, & Imperiali maiestate præditis, sub quacumque verborum forma & conceptione concessis, per quæ effectus præsentium impediri posset quomodocumque, vel differri, etiam si de eis, ipsorumque totis tenoribus ad verbum, ac de propriis nominibus eorum, necnon Ecclesiis, Monasteriis, locis, Ordinibus, & dignitatibus, de quibus necnon causis, propter quas illa concessa sunt, speciale & expressam, præsentibus fieri oporteret mentionem.

Publicari hāc constit. præcipit.

§. 8. Ceterum iubemus easdem præsentes ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ publicari, & earum exempla affigi. Volumusque eas sic publicatas, omnes & singulos perinde afficere & obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter intimatæ.

Exemplis etiā fidē iubet.

§. 9. Exemplis quoque prædictis, etiam impressis, manuque Notarij publici, & sigillo Prælati ecclesiastici, vel eius Curiæ obsignatis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 3. 1. Aprilis.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno incarnationis Dominicæ 1568. Kalen. Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio.

Reformatio Fratrum Ordinis Cruciferorum, præcipue circa proprietatem, administrationem, munusque Officialium. LIX.

Nonnulla de hoc Ordine scripsi sup. ad const. 1. Vrban. III. Cum antecessor.

Edita An. D. 1568.

PIVS EPISCOPVS Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Regulares in obseruātia eorum disciplinæ continuādi sunt, & ab ea exorbitantes, ad eandē reuocandi.

NIhil in Ecclesia Dei, aut præclarius, aut vtilius arbitramur, quàm optimam disciplinam eorum, qui diuini spiritus instinctui obsecuti, sese regularibus institutis deuinxerunt. Hi namque cum genere vitæ, tum doctrina, operibus & exemplis, certum directumque iter, ad cælestem beatitudinem consequendam, ceteris omnibus fidelibus in sæculo viuentibus ostendunt. Quocirca magnam vndique curam & diligentiam adhibere necesse est, vt quicumque huic sacro sunt contubernio mancipati, in suæ quisque regulæ obseruatione, pie sancteque nutriantur & confirmentur. Exorbitantes vero, salutaribus remediis ad proprium institutum reuocentur.

Huiusmodi regularis disciplina restitutioni ipse Pont. multum studuit.

§. 1. Quam quidem solicitudinem nos, ex quo fuimus ad regimen vniuersalis Ecclesiæ diuina pietate vocati, perpetuam habuimus, pluribusque Ordinibus à vetusta disciplina declinantibus, nunc nouarum constitutionum editione, nunc antiquarum restitutione vel correctione, ita profecimus, vt iam non mediocres ex labore nostro fructus late per Orbem progrediantur.

Et modo isti Ordini reformare intendit.

§. 2. Quare institutum hoc nostrum persequi, annuente Deo, intendentes, inter ceteras Religiones, quæ reformatione

Digitized by Google

matione indigere noſcuntur; Fratrum Cruciferorum Ordo nobis nunc occurrit, cuius priſtinos mores ex effuſa ſenſim licentia in multis corruptos, ad ſuam quantum poteſt integritatem referamus.

Cuius Ord. Regula ab Alexand. III. iuxta B. Cleti diſciplinã inſtituta, dum in illius obſeruantia ſtatit, multum profecit.

§.3. Quondam enim hæc regula à fel. rec. Alexandro Papa III. iuxta diſciplinam B. Cleti inſtituta, quamdiu in veterum inſtitutorum ſuorum obſeruatione permanſit, eius profeſſores, cũm integritate vitæ tum ſalubri Prioratuum, Hoſpitalium, & locorum ſuorum directione, bonorumque pia & fideli adminiſtratione, egregiis apud omnes laudibus, merito floruerunt.

Ab obſeruantia poſtea declinans, fere defecit.

§.4. Vbi vero primum Prioratuum, Hoſpitalium, & locorum prædictorum cura perpetua, certis quibuſdam id forte pro meritis, aut Religioni maxime vtilibus, de benignitate ſeu prouidentia Sedis Apoſt. demandata eſt, ea tunc demum cupido tam multorum animos inceſſit, vt illa fere omnia, aut in titulum, aut in commendam perpetuam, variis prætenſis cauſis, ſibi paulatim vſurparint; & qui illa ſic poſtea poſſederunt minus morigeri atque obedientes ſuis Superioribus effecti, fructus qui prius ad publicam vtilitatem, commoditatemque Religionis, & in alendis pauperibus diſpenſabantur, proprios ſibi fecerunt, profanis etiam vſibus applicantes.

Innocent. VIII. idas perpetuitatẽ officiorũ, ad triennium reduxit iuxta antiquum inſtitutum. Ego autẽ eius bullam vti hic plene relatam prætermiſi.

§.5. Vnde cum huius frugiferæ diſciplinæ cultus iam peruerti, ac labaſcere conſpiceretur, piæ mem. Innocentius Papa VIII. procurante Priore generali, & Definitoribus dicti Ordinis bene ac prouidenter ſtatuit, vt ipſe Generalis, ac ceteri omnes Priores, necnon Definitores, Rectores, & Adminiſtratores dicti Ordinis, deinceps non ad vitam, ſed ad triennium dumtaxat iuxta primæuam inſtitutionem aſſumerentur, & ſuum quiſque Prioratum, vel aliam adminiſtrationem ſemper in proximo Capitulo generali reſignare deberet.

Verum tamen perpetuatio officiorũ denuo reuixit.

§.6. Quod quidem etſi iam regulari diſciplinæ reintegrandæ ſpem optimam in ipſo ſtatim principio præferret, graſſante tamen non multo poſt magis magiſque huiuſmodi cupiditate, rurſus ex perpetua Prioratuum, & Hoſpitalium prædictorum, in titulum & commendam conceſſione, eadem illa, & forte deteriora incommoda ipſi Religioni ſucceſſerunt.

Clem. VIII. propterea, formam eligendi officiales edixit. Ego autem ex ſupradicta cauſa, eam bullam omiſi.

§.7. Quamobrem recol. mem. Clemens Papa VII. prædeceſſor noſter perpetuo ſtatuit & decreuit, vt in proximo, & futuris deinceps Capitulis generalibus dicti Ordinis, tres ipſius Ordinis profeſſores idonei, Priores, & Rectores annales, in ſpiritualibus & temporalibus, ad ſingulos Prioratus, & ſingula Hoſpitalia ita eligerentur, vt primo loco nominatus, primo anno, alter vero ſecundo, & tertius tertio regeret; ac ſecundus primo, tertius vero ſecundo, etiam pro reliquo illo anni tempore, quo primus vel ſecundus aliqua cauſa regere nequiret, per ſeriem ſuæ cuiuſque nominationis vſque ad ſequens Capitulum generale ſubrogaretur. Et ſi celebrato Capitulo generali, interim vſque ad celebrationem ſequentis Prioratus vel aliud beneficium eiuſdem Ordinis, in titulum vel commendam, perpetuam aut temporalem, obtentum, etiam diſpoſitioni Apoſtolicæ ratione conuentualitatis, aut alias ſpecialiter vel generaliter reſeruatum, quouis modo vacaret, nullus de illo, quam Prior generalis ſeu eius Vicarius, ſed nec ille niſi ad annum dumtaxar, & ſic deinceps vſque ad proximum generale Capitulum diſponere valeret, quemadmodum fuerat iam ab ipſo Innocentio Papa ſalubriter ordinatum.

Prioratus & Hoſpitalia vacantia, à Priore & Capit. gener. conferri iuſſit. Clem. prædictus, & Paulus III. multa alia pro d. Ord. reſtitutione decreuerant, quæ ruinis obſeruata fuerunt. At ipſorũ cõſtit. ex eadem cauſa, ponere non curaui.

§.8. Ceterum huiuſmodi Prioratus & Hoſpitalia, etiam à Sede Apoſtolica impetrari non poſſent, nec de illis cum vacarent, ex quo vlterius vacare non cenſerentur, aliter quàm Priorem generalem, & Capitulum generale, modo & forma prædictis diſponi poſſet.

§.9. Multaque præterea, tàm ab ipſo Clemente, quàm etiam fel. rec. Paulo Papa III. prædeceſſore noſtro pro conſeruatione dictæ Religionis edita & promulgata fuerunt, quibus antiquus ipſe cultus regularis facile reſtitui in ea poterat, ſi dicti Fratres illorum obſeruationi vere & ex animo incubuiſſent, ſed huiuſmodi ambitio ex multorum cordibus numquam ſatis exculſa, in tantum præualuit, vt plerique ex iis, qui aut ſeſe dimiſſuros Prioratus aſſimilauerant, aut intentionem aliquam id faciendi præſtiterant, non modo id poſtea neglexerint, ſed & aliis exemplo fuerint, eamdem viam fidentius inſequendi.

Hinc tori Ordini tanta quotidie parantur detrimenta, vt niſi efficax illi remedium tempeſtiue quæratur, verendum eſt ne illa ſit in maiorem denique perniciem ruitura.

Hic Pont. Ord. priſtinã Obſeruantia reſtituere volens, bullas Innoc. VIII. Clem. VIII. & Pauli III. approbat, in hit quæ huic cõſt. non aduerſantur.

§.10. Nos hæc mala ex ipſa perpetua rerum adminiſtrandarum facultate, vel maxime prouenire arbitrati, illis omni qua poteſt induſtria occurrere, ac ſimul dictam Religionem priſtino ſuo candori, quantum in nobis eſt, reſtituere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſingulas Innocentij, Clementis, & Pauli prædeceſſorum prædictorum literas ſuper præmiſſis confectas, ac quæcumque in eis contenta, præſentibus noſtris non contraria; harum ſerie innouamus, approbamus, & confirmamus, effectumque ſuum plenarium, in omnibus & per omnia, ſortiri debere volumus.

Præiſſioneſq; & collationes benefic. & locorũ Ord. vel eorũ fructuũ, hactenus factas, reuocat.

§.11. Vt vero hæc noſtra voluntas, inſtitutique noſtri ratio impedimentis omnibus explicita, promptos & felices ſucceſſus habeat, omnes & quaſcumque, tàm Apoſtolicas, quàm ordinarias collationes, prouiſiones, commendas, in adminiſtratorem deputationes, & alias diſpoſitiones de Prioratibus etiam Conuentualibus, Hoſpitalibus, & aliis beneficiis, cum cura & ſine cura, dicti Ordinis, & etiam ſuper illorum fructibus quarumcumque penſionum annuarum, aut aliarum rerum; vel etiam ipſorum fructuum, ſeu partis eorum reſeruationes, Fratribus ſupradictis, ac etiam ipſum Ordinem profeſſuris, perpetuo ſiue ad certum & qualecumque tempus, necnon omnia & quæcumque regreſſus, acceſſus, & ingreſſus, ac regrediendi, accedendi, & ingrediendi facultates & indulta; Coadiutorum quoque deputationes ad illos & illa; ac etiam reſeruationes ædium, & earum partium, camerarum, cœnaculorum, ædificiorum, hortorum, & quarumcumque aliarum rerum, tàm prædictorum quàm etiam omnium aliorum Prioratuum, Hoſpitalium, & locorum Conuentualium dicti Ordinis, quæ vel illorum ſeptis continentur, vel vt propinqua illorum Conuentibus, vel ad hoſpitalitatem exercendam vſui ſunt, etiam de conſenſu, ac ex reſignationis ſeu ceſſionis iuris, ac etiam litis; & cauſa, aut concordiæ Apoſtolica auctoritate confirmatæ, aliaue cauſa quantumcumque onerоſa; & conſiderabili, tàm eiſdem Fratribus, quàm quibuſcumque aliis; etiam S. R. E. Cardinalibus, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & Sedem prædictam, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, necnon conſideratione, intuitu, contemplatione; vel ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Ducum, aliorumque Principum facta & conceſſa, quibuſcumque concepta formulis, ac etiam reſtituriuis, præſeruatiuis, derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, necnon vim contractus inducentibus, & aliis decretis ſuffulta, quorum omnium tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, dicta auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſpecialiter & expreſſe reuocamus, & Apoſtolicas, ac quaſcumque alias literas, necnon proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſecuta quæcumque caſſamus, & annullamus, ac volumus illa omnia vires & effectum de cetero non habere.

Præiſſi poſſeſſione priuatos, ac inde amotos declarat.

§.12. Et nihilominus omnes & ſingulos Priores, & ceteros Fratres, illos & illa obtinentes prædictos, ac eos qui profiteri volentes, vt præfertur, receperunt, etiam quantumcumque longiſſimo tempore poſſeſſores, eiſdem omnibus ex nunc priuamus, & ab illorum poſſeſſione amouemus, amotoſque denunciamus.

Non dimittẽtibus pœnas imponit.

§.13. Iubemus quoque Generalem ac alios Priores, Commendatarios, Adminiſtratores & Rectores prædictos in vniuerſum & ſingulatim, vt quamprimum præſentes illis intimatæ fuerint, non expectata alia à nobis iuſſione, aut mentis declaratione, ab omnimoda adminiſtratione abſtineant, ac poſſeſſionem huiuſmodi vacuam, liberam, & expeditam, realiter dimittant, deque omnibus & ſingulis bonis mobilibus, necnon fructibus & rebus ab eis perceptis, etiam in pecuniis conſiſtentibus, Priori Generali, ac Viſitatoribus rationem reddant, reliqua vero locis ſuis omnino dimittere debeant. Quod ſi horum quiſquam ſecus quoquomodo contenderit, illum talem excommunicationis ſententia innodamus, ac dignitatibus, adminiſtrationibus, & officiis dicti Ordinis perpetuo indignum decernimus eo ipſo.

Digitized by Google

Dimittentibus autem, titulū nomen, & insignia retinere, electionisque tàm actiue quàm passiue votum permittit.

§.14. Ipsi tamen sic dimittentes, titulum, nomen, & insignia omnia Prioris ita retineant, vt quoad vixerint, & in vnitate fidei, atque obedientia, & obseruatione præsentium perstiterint, nec quicquam quod eos merito reddat indignos admiserint, vocem, & suffragium actiue & passiue, etiam quoad electionem dicti Prioris generalis habeant; & tam in proximo, quàm in ceteris deinceps Capitulis generalibus, ad curam & regimen aliorum Prioratuum & Hospitalium commutentur, sed annales dumtaxat, vt præscriptum est, eligi possint.

Prioris gener. officium triennio finiri, & in Cap. gen. eum eligi iubet.

§.15. Ceterum ex iis, quæ pro salubri dictæ Religionis statu, & felici directione alioqui instituta hucusque reperiuntur, quæque nec præsentibus contraria sunt, nec illorum effectum impedire possunt, nihil omnino detrahere, sed illa omnino immota custodiri; rursus, ea quæ ad ipsius regulæ conseruationem, atque ædificationem, vel deesse vel obesse possunt, præsenti pagina supplere vel emendare intendentes, ac etiam inhærentes prædictis Innocentij, Clementis, & Pauli prædecessorum literis, quarum singularum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus statuimus & ordinamus, quod futuris temporibus in perpetuum Prior generalis dicti Ordinis triennalis dumtaxat, ac tertio quoque anno, in Capitulo generali singulis trienniis celebrando, per suffragia secreta, iuxta Concilij Tridentini dispositionem, & alias secundum literas Innocentij prædecessoris huiusmodi, & regularia dicti Ordinis instituta, laudabilesque consuetudines eligatur, ita quod excurso prædicti triennij spatio, ipsum officium nequeat illi deinceps prorogari.

Aliorū Priorum eligendi formā & tempus designat.

§.16. Vt vero vniformis in dicto Ordine ratio habeatur, dehinc tres professores idonei Priores annales ad vnum quemque ceterorum omnium Prioratuum prædictorum in dicto Capitulo generali dumtaxat, ita per seriem eligantur, & instituantur, vt primus solum primo anno, secundus secundo, ac tertius tertio, regimen & administrationem eius Prioratus, ad quem sic electus fuerit, in spiritualibus & temporalibus habeat; & si horum trium quemuis cedere vel decedere, vel inde ex aliqua causa amoueri contingat, ille qui finito eo anno ei immediate successurus erit, etiã pro toto illo tempore, quod cedenti, vel decedenti, aut amoto reliquum esset, succedat. Rursus, si duo ex eisdem qualescumque in Ordine electi, vel primo anno cesserint vel decesserint, aut amoueantur, superstes in reliquum omne tempus, modo prædicto, vsque ad proximum generale Capitulum administret; omnibus vero tribus eodem interuallo quandocumque deficientibus, ei Prioratui ac etiam aliis, in titulum vel commendã, perpetuam vel temporalem obtentis prædictis cum vacabunt, etiam si, vt præfertur, aut alias reseruata fuerint, alium vel alios Fratres idoneos annales dumtaxat vsque ad proximum generale Capitulum subrogabit, quocumque priuilegio Apostolico generali vel speciali, quibusdam Prioratibus & Conuentibus dicti Ordinis concesso, & etiam multiplicatis vicibus approbato, aut statuto quacumque firmitate munito, seu consuetudine quantocumque tempore obseruata, quod ipsi non à Capit. generali electos recipiunt, sed suos sibi Priores alias iuxta formam literarum Clementis huiusmodi eligunt penitus abrogatis & annullatis. Priores autem omnes suo rite defuncti officio annali, rursus poterunt in ipso futuro Capitulo generali itidem, vt antea Priores in aliis Prioratibus & domibus dicti Ordinis, si rursus idonei iudicati fuerint, ad alium annum, & sic deinceps deputari. Ad eumdem vero Prioratum, vnde Priores exierint, nequeant ante exactum omnino triennium remeare.

Administratorum cuiusque Prioratus munus.

§.17. Ad hæc nullus omnino Priorum, curam aut administrationem bonorum, & aliarum rerum temporalium, dispensationemque reddituum sui Prioratus, seu domus, etiam nomine sui Conuentus habere, siue exercere, vel sese in iis interponere possit, sed vniuersum id onus tribus Religiosis in vnoquoque Capitulo generali ita demandetur, vt primus, rerum & bonorum mense, tàm Prioris quàm Prioratus, inferendorumque in eum reddituum curam habeat. Alter tamquam depositarius pecunias & cetera ab illo importata fideliter asseruet. Reliquus de pecuniis & rebus à Depositario captis Priori, Fratribus, & domui vniuersæ de necessariis veluti dispensator, cum Prioris auctoritate prouideat, officiorum huiusmodi inuicem confusione penitus interdicta. Sed & ij tres, tàm accepti quàm impensi singulis mensibus Priori suo, adhibitis etiam duobus vel tribus Fratribus eiusdem Prioratus probatioribus, rerumque vsu peritis, deinde ipsimet rursus præsentibus ipsis Priore & peritis, Priori Generali vel Visitatoribus quotiescumque visitationis officium fecerint. Denique Prior generalis, tàm de illis omnibus, quàm etiam suæ mensæ prouentibus, & rebus, semper in proxime sequenti Capitulo generali, & coram tribus Iudicibus ab ipso Capitulo deputatis, suæ administrationis rationem reddere teneatur.

Prioribus vitam communem & alia præcipit.

§.18. Omnes vero Priores vitam cum suis Fratribus communem ducant, nec proprium quidquam habeant; omnibus diuinis officiis, diurnis & nocturnis, in Ecclesia & Choro semper adesse debeant. In Refectorio semper comedant, vbi silentium perpetuum agatur, & lectura sacra ab initio ad finem de more aliorum Religiosorum regularem disciplinam obseruantium habeatur. Ædes separatas, neque in claustro neque alibi vsquam habeant, sed vnica cella, aut si necessitas postulauerit, duabus dumtaxat, eisdemque cum ceteris aliorum Fratrum coniunctis, contenti esse debeant.

Proprietatem omnibus interdicit.

§.19. Pari quoque ratione ceteri Fratres nil sibi proprij vendicantes, necessarium victum & vestitum à suo quisq; Conuentu, siue domo, ac per eius Ministros, provt cuique opus erit capiant, pecuniæ vsu veluti olim ad libitum abrebantur, deinceps omnibus penitus interdicto; cum tamen diligentiam Prior adhibere debebit, vti singulorum, maxime infirmorum & senum necessitatibus iuxta cuiusque exigentiam consulatur. Quicquid vero fuerit cuique priuatim & intuitu personæ vndecumque donatum, illud omne Superiori, horarum vigintiquatuor interuallo, exhibeatur, vt deposito statim committat, & inde ex eo tantum exhibitori ministrare iubeat, quantum præsens rei conuenientis vsus & necessitas videbitur postulare. Quod si quisquam donatum huiusmodi non exhibuerit, vt præfertur in censuras & pœnas, etiam per constitutiones nostras promulgatas, se nouerit incidisse.

Vestitum vniformē, purum & honestum præfinit.

§.20. Vestitus autem omnis omnino conformis, nulla exquisita arte elaboratus, sed purus & honestus in vniuersum habeatur.

Hospitalitatē & Studium in locis cōmodis restitui iubet.

§.21. In omnibus vero locis vetus Hospitalitas, quoad fieri poterit, restituatur; & in Prioratibus Ciuitatum insignium, ceteriscque locis commodis optimarum literarum studium, atque exercitium omni tempore habeatur.

Mulierum admissionem prohibet.

§.22. Nullus insuper siue Prior, siue simplex Religiosus, intra septa domus suæ, neque omnino alibi, mulieres quantumcumque prouectas, seu matres, seu sorores, seu alias propinquas, etiam infirmitatis tempore, admittat.

Numerū Fratrum in quolibet Conuentu, minorē septem prohibet.

§.23. Postremo vt in Prioratibus prædictis, iustus Ministrorum numerus perpetuo conster, numquã pauciores, quam septem Fratres in singulis educantur. Illi vero in quibus tot commode ali nequiuerint, aliis Prioratibus eiusdem Ordinis per d. Capitulum generale, seu, si id cõmode tunc fieri nequiuerit, cura Protectoris d. Ordinis, adhibitis etiam Priore generali & definitoribus prędictis, perpetuo vniantur, seu de opulentiorum Prioratuum, & locorum redditibus, ceteris angustioris prouentus Prioratibus & locis commodis rationibus prospiciatur.

Dispositiones de Prioratibus & beneficiis Ordinis sic & non aliter fieri iubet.

§.24. Districtius inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ Generali, ceteriscque omnibus & singulis Prioribus & Conuentibus supradictis, eorumque personis, ne de Prioratibus, Hospitalibus, ac aliis beneficiis dicti Ordinis sub ipsa reuocatione nostra comprehensis prædictis, aliter quam in dicto Capitulo generali, & vt illis præscriptum est, disponere quoquo modo præsumant.

Aliterque factas annullat.

§.25. Ac decernentes ex nunc quascumque præsentationes, electiones, collationes, prouisiones, commendas, & alias dispositiones, etiam à Sede prædicta, motuque, scientia & potestatis plenitudine similibus, ac cum præsentium speciali & expressa derogatione pro tempore factas, tamquam in læsionem & detrimentum reformatæ Religionis subreptas & exortas, nullius prorsus momenti fore, nec per eas ius aliquod cuiquam acquiri.

§.26. Nec

Digitized by Google

Omnem reuerſum, &c. removet.

§.26. Nec vllum ex iis,quorum collationes, prouiſiones,& commendæ Prioratuum,Hoſpitalium & beneficiorum prædictorum,ac penſionum, ceterarumque reſeruationes,necnon regreſſus,acceſſus,& ingreſſus,& Coadiutorum deputationes ad illa reuocata ſunt,vt præfertur,ar quemquam alium,quocumque tempore,quauiſque cauſa quantumlibet rationabili,reſtitutionem in integrum, reductionem ad terminos iuris, aut quodvis aliud gratiæ, vel iuſtitiæ remedium impetrare, vel etiam ab alio, vel aliis impetrato,aut motu ſimili conceſſo vti.

Harum literarum impugnationem interdicit.

§.27. Nec præſentes literas de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quopiam defectu notari nec impugnari,nec ſub vllis reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, ſimilium vel diſſimilium ordinationum ab ipſa Sede,quandocumque vel quomodocumque emanandis,comprehendi,ſed ſemper ab illis exceptas,& quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validum ſtatum reſtituras, & plenarie reintegratas eſſe, & cenſeri.

Et ſecundum eas iudicari præcipit.

§.28. Sicque per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Card.in quauis cauſa,& inſtantia,ſublata eis & eorum cuilii et quauis aliter interpretandi & iudicandi facultate & auctoritate, vbique interpretari, iudicari & definiri debere, necnon irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obſeruantiam earumdē toto Ordini iniungit.

§.29. Porro Generali, & aliis Prioribus ac Conuentibus,Fratribus,& perſonis,tàm coniunctim quàm diuiſim diſtrictius præcipimus, vt præſentes noſtras literas humiliter recipiant, & quæcumque in eis expreſſa, ac per eas decreta, ſtatuta,& mandata ſunt, alia deſuper à nobis non expectata iuſſione, aut mentis noſtræ declaratione, firmiter cuſtodiant, & in omnibus ſtudioſe obedire procurent.

Executionemque Card. Ordinis Protectori demandat.

§.30. Quin etiam dilecto filio noſtro Aloyſio tit. S.Marci preſbytero Card.Cornelio nuncupato, moderno dicti Ordinis Protectori, motu ſimili mandamus, vt ipſe eaſdem præſentes, ac quicquid pro earum executione & obſeruatione in d. Capit. generali, vel etiam extra illud ab ipſo adhibitis, ſi ei videbitur, Generali, & aliquot ex aliis Prioribus,vel Definitoribus prædictis, quos duxerit eligendos,ſtatuetur, ordinabitur, & decerneturin omnibus Prioratibus,Hoſpitalibus & beneficiis,ac ab omnibus & ſingulis Prioribus, Fratribus, & perſonis prædictis inuiolate faciat,per ſe vel alium,ſeu alios obſeruari; contradictores quoſlibet & rebelles,ac etiam proteſtantes, & reclamantes,eiſque auxilium,conſilium vel fauorem,publice vel occulte, directe vel indirecte, quouis quæſito colore vel ingenio præſtantes tàm Eccleſiaſticos quàm laicos, cuiuſcumque dignitatis,gradus, ordinis, vel conditionis fuerint,per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas,ac etiam Prioratuum, dignitatum, & adminiſtrationum priuatorias, ceteraque iuris & facti remedia opportuna, appellatione poſtpoſita compeſcendo; quin etiam contendentes prædictos, in cenſuras & pœnas ſupradictas incidiſſe declarando; inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Obſtantibus derogat.

§.31. Non obſtantibus noſtris de non tollendo iure quæſito,& de annali ac triennali poſſeſſore,aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis,necnon Ordinis prædicti,iuramento,cõfirmatione Apoſt.vel quauis firmitate alia roboratis,ſtatutis & conſuetudinibus;priuilegiis quoque,exemptionibus,& indultis Apoſtolicis,illi, eiuſque Superioribus & perſonis, ac eorum ſingulis per quoſcumque Rom. Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & Sedem Apoſtolicam,etiam per modum ſtatuti perpetui,ac initi & ſtipulati contractus, ac alias ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis, in genere & in ſpecie conceſſis, confirmatis, ac etiam aliis reformationibus, quotieſcumque & quocumque tempore factis & promulgatis, ac quibuſlibet aliis indulgentiis, & literis Apoſtolicis ſpecialibus & generalibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum, ſeu dictorum Ordinariorum iuriſdictio, ſeu executio non impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, quæ omnia contra earumdem præſentium tenorem nolumus cuiquam in aliquo ſuffragari.

Tranſumptis credi iubet.

§.32. Denique etiam volumus,quod ipſarum præſentium exempla, etiam impreſſa, dictique Aloyſij Cardinalis, & pro tempore exiſtentis Protectoris, aut Capituli, vel Prioris generalis ſigillo,& Secretarij cuiuſuis eorum, vel Notarij publici manu obſignata, eamdem illam fidem vbique locorum, in iudicio & extra illud faciat, quam ipſæ præſentes ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino, &c.

Datum Romæ apud S.Petrum anno Incarnationis Dominicæ, 1568. nono Kal. Maij, Pontificatus noſtri anno 3. *D.P. An. 3. 23. Aprilis.*

LX.

Reuocatio omnium priuilegiorum à Sede Apoſt. Officialibus, & aliis quibuſcumque conceſſorum, creandi Doctores, licentiatos & Magiſtros. Et declaratio quod ab illis iam promoti, non gaudeant prærogatiua quoad beneficia & dignitates.

De huiuſmodi prærogatiua habes etiam in Concil. Trid. ſeſſ.22.cap.2.& ſeſſ.24.cap.12.

Formam vero profeſſionis fidei quam promoti & prouiſi emittere debent, vide in Pij IV.conſt.88:*Inſacroſanct.* & in conſt.ſeq.

P I V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita A.D. 1568.*

Exordium.

QVamuis à Sede Apoſtolica ad quam negotiorum multitudo vndique confluit, curis omnino plena innumeris nonnulla interdū ex iuſtis cauſis cõcedantur, quæ ſucceſſiuis temporibus in publicum detrimentum, & alieni iuris præiudicium tendere noſcuntur,non debet reprehenſibile videri, ſi Romanus Pontifex, ad cuius prouidentiam pro debito paſtoralis officij ſpectat ſuper iis debite prouidere, illa rationabilibus & iuridicis ſuperuenientibus cauſis deinde cognitis,quandoque reuocat & annullat,ac in ſtatum redigit rationis.

Cauſa reuocationis.

§.1. Sane cum fide digna plurimorum relatione non ſine animi noſtri moleſtia intellexerimus,nonnullos Comites Palatinos, & diuerſos alios prætextu facultatum ſibi à Romanis Pontificibus,& Sede Apoſtolica conceſſarum quamplurimos, tàm laicos quàm clericos, tàm iure ciuili quàm canonico,& theologia,nullo,aut non debito examine præuio,indoctos & inhabiles, Doctores, Licentiatos,& Magiſtros, creaſſe & promouiſſe,vti ad dignitates, ceteraque beneficia Eccleſiaſtica facilius aſſumerentur, & de eis prouiderentur in animarum ſuarum iacturam, & quamplurimorum ſcandalum.

Reuocatio indulti creandi Doctores.

§.2. Nos huiuſmodi ſcandalis quantum in nobis eſt obuiare,& alias ne de cetero inhabiles ad huiuſmodi gradus admittãtur prouidere volentes.Motu proprio non ad alicuius ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam,ſed ex mera deliberatione, & ex certa ſcientia noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hac noſtra perpetuo valitura conſtitutione, omnia & ſingula facultates & indulta eiſdem Conſitibus, ac etiam quibuſuis Officialium Romanæ Curiæ Collegiis, ſinguliſque aliis perſonis cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & præeminentiæ exiſtentibus,ad Doctoratus, Licentiaturæ,& Magiſterij gradum promouendi per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros,& Sedem Apoſtolicam, ac etiam Motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus quomodolibet conceſſa, confirmata,& innouata, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo reuocamus,caſſmus,& annullamus.

Doctores iam creati nõ gaudeant prærogatiua.

§. 3. Ac decretis Conc. Trid. inhærentes. decernimus & declaramus,eos qui à Comitibus & aliis præfatis promoti fuerunt, quo ad dignitates,ceteraque beneficia eccleſiaſtica,nulla gradus prærogatiua frui & gaudere poſſe, vel debere.

Clauſula derogatoria.

§. 4. Et ſic in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Iudices, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores,

Digitized by Google

Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, interpretari, iudicari, & definiri debere, necnon irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio cõtrariorum.

§.5. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac præfatis, & quibuſuis aliis facultatibus, priuilegiis & indultis, & literis Apoſtolicis, eiſdem Comitibus & Collegiis, necnon quibuſuis aliis, etiam ex quauis cauſa, etiam vrgentiſſima, aut in vim contractus inter eos & Sedem prædictam iniri, vel ex cauſa oneroſa etiam Motu proprio, ac conſiſtorialiter, & alias quomodolibet conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innouatis, quibus omnibus illorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, quo ad hunc effectum ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Iuſſio public.

§.6. Vt autem præſentes literæ ad omnium notitiam deducantur, volumus quod in Cancellaria noſtra Apoſtolica, & in acie Campi Floræ de more publicentur, & inter conſtitutiones perpetuo valituras deſcribantur.

Exemplorum fides

§.7. Et quia difficile foret eas ad ſingula quæque loca deferri, quod earum tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius Prælati munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo &c.

D. P. An. 3. 1. Iunij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1568. Kal. Iunij, Pontificatus noſtri Anno tertio.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1568. *Indict.* 11. *die vero* 28. *Iunij, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno* 3. *retroſcripta literæ Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris eſt, dimiſſis ibidem præſentibus literis per aliquantulum temporis ſpatium affixis, & deinde amotis, per nos Iulium Parinum, & Philibertum Chappuis præfati Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſores.*

LXI. Reformatio Fratrum Minorum Conuentual. Ord. S. Franciſci.

Aliam reformationem iidem Fratres in Capitulo ediderunt, quam hic Pont. comprobauit inf. in eius conſt. 66. Illa. *Et conueniunt decreta Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 2. *& ſeqq. Et alia multa de Ord. iſto notaui ſup. in conſtit.* 5. *Honor. III.* Solet. *ſup.*

Edita An. D. 1568.

P I V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Fratres Conuentuales nihil proprium habere poſſe decernit.

AD extirpandos cupitæ proprietatis abuſus, ſummum bonum in frugifera religione fratrum Minorum Conuentualium nuncupatorum peruertentes, ſimulque frangendam peſſimam corruptelam, quæ de adminiſtrationibus & officiis huius Ordinis, per gratiam & fordes conſequendis, perperam inoleuit. De nobis attributæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulos fratres prædictos, etiam ſi Magiſtri Generales, Prouinciales, Cuſtodes, & alij quicumque ſint, priuato rerum, bonorumque omnium immobilium, mobilium, & ſe mouentium dominio, vſu, vſufructu, poſſeſſione & proprietate, quocumque per eos modo acquiſitis, & ad ipſos obuentis, perpetuo priuamus, à dictaque poſſeſſione amouemus, & amotos nunciamus, illaque omnia & ſingula in communes ſuarum cuiuſque domorum, & prædictæ Religionis vſus conuertenda concedimus.

Et diſpenſationes quaſcumque deſuper conceſſas, reuocat, & annullat.

§.2. Ac omnia & quæcumque priuilegia, diſpenſationes, licentias, permiſſiones, & indulta, eis & ipſorum ſingulis ſuper his, ac domibus, cellis, hortis, pecuniis, aliiſque rebus, etiam cauſa ſenij, infirmitatis, parentum ſubuentionis, congerendæ ſororibus dotis, & cuiuſcumque alterius pij officij intuitu habendis, retinendis, & fruendis, etiam per quoſcumque Rom. Pont. prædeceſſores noſtros, ac nos & Sedem Apoſtolicam, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia conceſſa, confirmata, & innouata, quibuſcumque concepta formulis, ac clauſulis & decretis ſuffulta (quorum omnium tenores præſentibus habemus pro expreſſis) ſpecialiter & expreſſe reuocamus, volumuſque illa omnia & ſingula vires, & effectum de cetero non habere.

Et bona quæcumque in cõmunes omniũ vſum conuerti mandat.

§.3. Et nihilominus mandamus Magiſtris & Superioribus omnibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, vt rerum & bonorum omnium prædictorum poſſeſſionem nomine domorum & locorum ſuorum capiant, vt illa, illorumque fructus in communes omnium vſus conuertantur. Statuentes vt deinceps nullus omnino fratrum dicti Ordinis, ſiue Cuſtos, ſiue Prouincialis, ſiue Generalis Magiſtri officio fungens, etiam prætextu huiuſmodi priuilegiorum, diſpenſationum, permiſſionum, & indultorum, ſeu inueteratæ conſuetudinis voto repugnantis, aut quacumque alia cauſa, proprium quicquam, aut priuatum habeat, ſed omnia vbique communia & indiuiſa omnibus religioſis eſſe.

Officiales comedere iubet cum aliis Fratribus in cenello.

§.4. Quin etiam Magiſtri, Cuſtodes, & Guardiani vitam cum fratribus ſuis communem ducere debeant, in Refectorio ſemper comedant; nullas ædes ſeparatas, ſiue in Clauſtro ſiue alibi habeant, ſed vnica cella, eademque cum ceteris aliorum fratrum coniuncta, contenti eſſe debeant. Pari quoque ratione ceteri fratres, nil ſibi proprij vendicantes, neceſſarium victum & veſtitum à ſua quiſque domo, & per eius Miniſtros capiant.

Quod ampliatur infra in conſt. 66. Illa.

Donata Superioribus conſignari.

§.5. Pecuniæ vero & quæcumque aliæ res, quæ cuique priuatim, etiam intuitu perſonæ, vndecumque donatæ, & relictæ fuerint, Superiori horarum vigintiquatuor interuallo exhibeantur, qui illas ſtatim depoſito committat, & inde tantum exhibitori miniſtrari iubeat, quantum præſens rei conuenientis neceſſitas videbitur poſtulare.

Infirmoſque curari iubet.

§.6. Eam præterea diligentiam Superior adhibere debebit, vt ſingulorum maxime infirmorum neceſſitatibus, iuxta cuiuſque exigentiam debite conſulatur.

Bonorũ adminiſtrationis, ac diſpenſationis, & rationis reddẽdæ formam ponit, vt hic.

§.7. Ad hæc nullus omnino Magiſtrorum, Cuſtodum, & Guardianorum, adminiſtrationem prædictorum bonorum, & aliarum rerum temporalium, diſpenſationemque pecuniarum, & reddituum ſuæ cuſtodiæ, vel domus, etiam nomine Conuentus habere, ſiue exercere, vel ſeſe in eis interponere poſſit, ſed vniuerſum id onus tribus religioſis à Magiſtro Generali ita demandetur, vt primus rerum & bonorum cuſtodiæ, ſiue domus, inferendorumque in eam reddituum curam habeat; alter tamquam depoſitarius, pecunias & cetera ab illo importata fideliter aſſeruet; reliquus de pecuniis, & rebus à depoſitario captis, Cuſtodi, Guardiano, & Fratribus, ac domui vniuerſæ de neceſſariis veluti diſpenſator, cum ipſius Cuſtodis, ſeu Guardiani auctoritate prouideat, officiorum huiuſmodi inuicem confuſione penitus interdicta. Sed & ij tres, tàm accepti quàm impenſi ſingulis menſibus, ſuo Cuſtodi, vel Guardiano, adhibitis etiam duobus vel tribus fratribus eiuſdem domus probatioribus, rerumque vſu peritis; deinde ipſimet, rurſus præſentibus Cuſtode, Guardiano, & peritis, Magiſtro Generali, vel Viſitatoribus, quotieſcumque Viſitationis officium fecerint. Denique ipſe Magiſter Generalis, in proxime ſequenti Capitulo generali, coram tribus Iudicibus ab ipſo Capitulo deputatis, illorum omnium & etiam vniuerſæ adminiſtrationis ſuæ publicæ & priuatæ rationem reddere teneatur.

Ad quod vide inf. conſt. 66.

Officiorumque ambitus prohibet.

§.8. Ceterum præcipimus atque interdicimus, omnibus & ſingulis, ne pro Magiſtratibus, & officiis prædictis, quæcumque ſint, vlli ambitus fiant, aut pecuniæ, etiam pro confirmationibus, ſigillo vel ſcriptura, aut quacumque alia re vel cauſa ſoluantur, aliæve pactiones, ſeu promiſſiones intercedant, ſeu munera, aut xenia quocumque modo mittantur, neve quiſquam etiam in officio exiſtens pecunias, aut aliud quicquam, de domo vel cuſtodia ſibi commiſſa, vel aliunde Generali, ſeu alij cuicumque conferat vel remittat.

Contrauenientium pœna.

§.9. Quicumque ſecus fecerint, in pœnam priuationis Magiſtratuum & officiorum ſuorum incidant, & ad futura inhabiles & infames reputentur, & pro culpis, etiam tamquam fures puniantur, prout nos illos priuatos, inhabiles & infames declaramus eo ipſo.

§.10. De

Digitized by Google

Decretum irritans. §.10. Decernentes irritum & inane, quicquid secus in præmissis, per quoscumque, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Procurationibus tamen Generali ex vniuerso ordine, ac Prouincialibus Magistris ex sua cuique Prouincia, & Visitatoribus, ex domibus & locis visitandis debitis & necessariis, nequaquam per præsentes sublatis.

Clausula derogatoria. §.11. Non obstantibus prædictis,& nostra de non tollendo iure quæsito, aliisque constitutionibus & ordinationibus Apost.ac dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apost. vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, necnon Bulla aurea, & Maremagnum nuncupatis,& quibuslibet aliis priuilegiis,indulgentiis, & literis Apost.generalibus & specialibus, quorumcumque tenorum existant,per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet,vel differri,& de quibus, quorumcumque totis tenoribus ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ omnia,contra prædicta nolumus cuiquam in aliquo suffragari.

Transumptorum fides. §.12.Ceterum quia difficile valde esset easdem præsentes ad singula loca, vbi illis opus erit transferre, volumus vt earum exemplis,etiam impressis, manuque Notarij publici, & sigillo Prælati Ecclesiastici, vel eius curiæ or signatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino, &c.

D. P. An. 3. die 8. Iunij. Datum Romæ apud S.Petrum anno Incarnationis Dominicæ, 1568. Idus Iunij, Pontificatus nostri anno 3.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini* 1568. *indict.*11. *die vero* 10. *mensis Iunij, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris & D.N.D.Pij diuina prouidentia Papæ V. retroscripta litera Apostolica lecta & publicata fuerunt in generali retroscriptorum fratrum Conuentualium, videlicet Magistri Generalis, & Prouincialium Congregatione habita in Conuentu SS. Apostolorum de Vrbe, per me Robertum Fontanam Clericum Mutinensem Archiuij Romanæ Curiæ scriptorem, præsentibus ibidem Illustriss. & Reuerendiss. D. Alexandro Card. Cribello Viceprotectore, & Reuerendiss. P. D. Episcopo S. Agathæ testibus, &c. In quorum fidem hic me subscripsi.*

Robertus Fontanus Archiuij Rom. Curiæ scriptor.

LXII. Declaratio Concilij Tridentini sess.24. cap.3. super impedimento publicæ honestatis, circa sponsalia vel matrimonia.

*Ad materiam dispensationum matrimonialium, circa exprimenda in supplicationibus, vide hic sup. in const.*13. Sanctissimus. *& const.*21. Cum sicut.

Edita An. D. 1568. *P I V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. AD Romanum spectat Pontificem sua solicitudine diligenter prouidere, vt sacrorum Conciliorum decreta ita suæ declarationis adminiculo dilucidentur, quod nulla desuper dubitandi occasio cuiquam relinquatur.

Dubium. §.1. Sane ad aures nostras peruenit, multos esse, qui dubitent, an decretum œcumenici Concil. Trid. sess.24. de reformatione matrimonij cap.3. quo cauetur, impedimentum publicæ honestatis, vbi sponsalia valida non fuerint, prorsus tolli, vbi vero valida fuerint, non excedere primum gradum, cum in vlterioribus gradibus non possit huiusmodi prohibitio seruari, de sponsalibus per verba (vt aiunt) de futuro tantum conceptis intelligatur, vel etiam matrimonia per verba de præsenti contracta, non tamen consummata, quæ interdum sponsalia appellantur, comprehendat, ita vt etiam eo casu impedimentum inde proueniens sublatum fuerit.

Declaratio d. dubij. §.2. Nos itaque vt omnis difficultas, dubitatioque tollatur, attendentes quod sponsaliorum appellatione, qua dictum Concilium vtitur, nonnisi improprie matrimonium verbis de præsenti conceptis contractum continetur, quodque agitur de correctione iuris veteris, quo casu secundum proprietatem verborum dumtaxat procedendum est, præsertim cum longe maiorem rationem prohibitionis in matrimonio per verba de præsenti contracto, quam in sponsalibus de futuro vigere à nemine dubitetur; idcirco Motu proprio auctoritate Apostolica tenore præsentium, declaramus & definimus, decretum Concilij huiusmodi omnino intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sic, vt præfertur, contracto,sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus & gradibus, quibus de iure veteri ante prædictum decretum Concilij introductum erat. Et ita ab omnibus iudicari debere, mandamus atque statuimus.

Derogatio contrariorum. §.3.Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque.

Forma publicationis. §.4.Volumus autem quod præsentes literæ in Cancell. nostra, & in acie campi Floræ de more publicentur, & inter constitutiones perpetuo valituras describantur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus & etiam declaramus, quod earum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides vbicumque adhibeatur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

D.P. An. 3. *1. Iulij.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1568.Kalend. Iulij, Pontificatus nostri Anno tertio.

LXIII. Reformatio Fratrum & Sororum Tertij Ordinis de Pœnitentia S. Francisci, in communione & sub trium substantialium votorum professione viuentium.

*Istam constitutionem moderatus est in quibusdam Sixtus V. in eius const.*28. Romani. *institutionem vero huius Tertij Ordinis notaui sup. in const.*42. *Leon. X.* Inter cætera.

Edita An. D. 1568. *P I V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. EA est officij nostri ratio, vt cum de ceteris Ecclesiæ nobis commissæ Ordinibus, vel in sua integritate continendis, vel ad institutum reuocandis, curam perpetuam capiamus, maiore tamen solicitudine eadem illa in religiosorum sodalitatibus requirimus, quos ideo Altissimus in suum sibi sanctuarium segregauit, vt ceteros fideles viam doceant, qua & ipsi æternæ salutis beatitudinem consequantur.

Causa huius reformæ. §.1. Itaque inter ceteras religiones, fratrum quoque Tertij Ordinis S. Francisci de Pœnitentia nuncupati in Congregatione viuentium,ac tribus votis substantialibus astrictorum status nos commouet, vt ad illud reformandum studia nostra conferamus,quando vel ex tam multis, quæ bonæ mem. Rodulphus Episcopus Ostiensis Cardinalis Carpensis nuncupatus, dicti Ordinis Protector, Sedis Apostolicæ auctoritate fretus in reparanda horum disciplina præclare & salubriter edidit, religionem hanc parum admodum profeciisse agnouimus.

Extinctio officij Visitatoris, Ministri, & Vicarij generalis. *Hoc reuocauit Sixt. V. cit. in rubr.* §.2. Proinde nos hac præcipua morbi causa ex propria Præsidentium, & aliorum Ministrorum negligentia, vel inscitia comperta, in communem dicti Ordinis salutem alia ratione intenti,de nobis attributæ potestatis plenitudine officia Ministratus & Visitatoris generalis dicti Ordinis perpetuo extinguimus, & abolemus, ac Ministrum, Visitatorem, & Vicarium generalem eiusdem Ordinis, officio, vsu & exercitio omnimode interdicimus, dictoque prohibemus, ne vllus posthac Minister, Vicarius,ac Visitator generalis de dicto Ordine habeatur.

Sublectio eiusdem Ord. gen. & Prouincialib. Ministris fratrum Min. de Obseru. *Hoc reuocauit Sixt.V. ibid.* §.3. Ceterum vt deinceps Ordo ipse vtiliorum Rectorum consilio, & opera dirigatur, nos diuersorum etiam prædecessorum nostrorum ordinationes sequentes, vniuersos & singulos fratres, sorores, Professos, & Conuersos, necnon domos, monasteria, & loca virorum & mulierum,ac custodias, & Prouincias per vniuersum Orbem constitutas, gregemque ipsum vniuersum Tertij Ordinis vtriusque sexus Generali, & Prouincialibus Ministris

Digitized by Google

Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum prout in eorum Prouinciis conſiſtunt ita perpetuo ſupponimus, vt Miniſter generalis in vniuerſo Ordine, Prouinciales vero Ordinis Minorum de Obſeruantia in ſuis quiſque Prouinciis plenum ius, liberamque auctoritatem, ac in ſpiritualibus & temporalibus iuriſdictionem omnimodam habeant, domos omnes, ac monaſteria & loca quæcumque, necnon perſonas vtriuſque ſexus, tàm in capite quàm in membris viſitandi, & corrigendi, vagantes & quoſcumque alios puniendi, carcerandi, mutandi, transferendi, ordinibus, officiis, & adminiſtrationibus deponendi, excommunicandi, ſuſpendendi, interdicendi, & reſtituendi, ac ſuper iis & ceteris omnibus Ordinem ipſum, illiuſque domos & perſonas vtriuſque ſexus quomodolibet concernentibus, eorum tamen regulæ prædictæ, & ſacris canonibus, ac præſentibus literis non contrariis ſtatuendi, mutandi, innouandi & exequendi, quemadmodum illis eſt in ſuo proprio Ordine attributum.

Fratres & ſorores Tertij Ord. recipiant in Superiores Fratres de Obſeru.

§.4. Præcipimus igitur in virtute ſanctæ obedientiæ vniuerſis & ſingulis fratribus & ſororibus Tertij Ordinis prædicti vbilibet conſtitutis, vt Generalem & Prouinciales Miniſtros Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia, tamquam Patres, & Superiores ſuos, eorumque monita & mandata humiliter & deuote recipiãt & re ipſa adimplere procurent, alioquin contradictores quoſlibet & rebelles, ſententiæ, cenſuræ & pœnæ quos quiſque ipſorum rite tulerint in eoſdem ipſo facto volumus ſubiacere.

Hoc renouauit Sixt. V. vt ſup.

Protectori eiidem habeant.

§.5. Pari quoque ratione eis Cardinalem Protectorem Fratrum de Obſeruantia in protectorem tribuimus, qui eam in eoſdem omnes curam & auctoritatem obtineat, quam alius quiſque pleniſſime hucuſque comperitur habuiſſe.

Sixt. V. ibid confirmauit.

In eorum Capitul. intereuenian Superiores de Obſeru.

§.6. Statuentes præterea quod futuris omnibus Capitulis Prouincialibus Fratrum Tertij Ordinis huiuſmodi pro Viſitatorum Prouincialium, & aliorum officiorum electione, Fratrum diuiſione, & ſalubri cuiuſque Prouinciæ directione annis ſingulis celebrandis, aut Generalis aut eius Commiſſarius aut in cuius Prouincia Capitulum illorum habeatur, Prouincialis Miniſter Ord. Minorum de Obſeruantia huiuſmodi ſemper præſideat, aliter vero celebrata, ac omnia in eis decreta pro irritis habeantur.

Sixt. V. immutauit ibid.

Electio Prouincialiũ fiat per vota ſecreta.

§.7. In ipſis autem Capitulis Prouincialibus Viſitatorum Prouincialium electio de idoneis Fratribus Tertij Ordinis huiuſmodi per ſecreta ſuffragia, & alias eo modo, quo de Fratrum Minorum de Obſeruantia Prouincialibus celebretur, celebrata per Miniſtrum generalem prædictum ante omnia confirmetur.

In hoc vide Clement. VIII conſtit. 33. Decet.

§.8. Hæc vero officia annalia dumtaxat eſſe, & in ſingulis Capitulis Prouincialibus prædictis reſignari debeant, ita vt lapſo primo anno illa vacare cenſeantur. Poterunt tamen ipſimet Viſitatores Prouinciales rurſus in ſequentem annum, & eo finito, etiam in tertium, ſi idonei reperientur, eodem modo eligi & confirmari, ſed omnes ſuis huiuſmodi officiis quandocumque perfuncti, denuo ad illa niſi tranſacto ſexennio nequeant reuocari.

Eorum officia quantum durent.

Viſitatorum Prouincialiũ facultates.

Tu in hoc attende d. bullã Sixt. V.

§.9. Ceterum omnes & ſinguli fratres & ſorores Tertij Ordinis huiuſmodi in ſua quiſque Prouincia Viſitatori ſuo tamquam Superiori in omnibus quæ ſuis regularibus inſtitutis non aduerſantur, obediant. Omnes vero Viſitatores Prouinciales huiuſmodi ſic electi, tamquam vices gerentes Miniſtrorum Prouincialium Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia, & illis ſubditi prædicandi, & docendi munus in ſingulis vtriuſque ſexus domibus, Conuentibus & locis ſuæ cuiuſque Prouinciæ obire, eamque in ſibi ſui ditos fratres & ſorores iuriſdictionem, quam ipſimet Miniſtri Prouinciales Ordinis Minorum de Obſeruantia obtinent, in omnibus & per omnia exercere, ac quandocumque opus erit confeſſiones omnium & ſingulorum fratrum, & ſororum Tertij Ordinis huiuſmodi per ſe vel alios ſuæ regulæ ſacerdotes idoneos audire, illóſque ab omnibus & ſingulis ſententiis, excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, necnon peccatis, criminibus & delictis, dummodo talia non ſint propter quæ Sedes Apoſtolica merito conſulenda foret, in foro conſcientiæ dumtaxat abſoluere, & pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem iniungere, ac cum Clericis, & Preſbyteris eius Ordinis ſuper irregularitate ſi quam ſententiis & cenſuris huiuſmodi illaqueati, Miſſas & alia diuina officia, non tamen in contemptum clauium, celebrauerint, vel alias ſeſe illis immiſcendo contraxerint, diſpenſare libere & licite valeant.

Fratres & ſorores huius Tertij Ord. profeſſi, nihil priuatim habere poſſint.

§.10. Ad hæc nullus omnino fratrum & ſororum Tertij Ordinis huiuſmodi, qui prædicta tria vota ſubſtantialia fecerint, etiam prætextu quorumcumque priuilegiorum, diſpenſationum, indultorum, permiſſionum Apoſtolicorum, aut etiam inueteratæ conſuetudinis voto repugnantis, ſeu quacumque alia cauſa proprium quicquam aut priuatum liceat obtinere, ſed omnia etiam priuatim, ac intuitu cuiuſcumque perſonæ donata, oblata, & conceſſa, vbique communia & indiuiſa omnibus Religioſis eſſe debeant. Quicumque vero pecuniam, aut aliam rem qualemcumque ſibi quacumque cauſa conceſſam Prælato ſuo celauerit, furti reus cenſeatur, & tamquam fur puniatur. Eam tamen diligentiam Superior cuiuſque domus adhibeat, vt communi ipſius domus ſingulis iuxta exigentiam conſulatur.

Sorores eiuſdẽ Ord. in communi & ſub clauſura viuere debeant.

§.11. Præterea ſorores dicti Tertij Ordinis in communi in domibus, monaſteriis, vel hoſpitalibus, aut alia Congregatione viuentes, & dicta tria vota ſubſtantialia Religionis emittentes ſub perpetua clauſura maneant, nulliſque Frater aut Confeſſor earum, vel quicumque Prælatus ad domos, monaſteria, vel alia loca ſororum huiuſmodi, in communi aut collegialiter viuentium, niſi quibus ex officio incumbit, & in caſibus neceſſariis à iure permiſſis, & tunc cum vno vel duobus ſociis prouectis, & honeſtis, ingredi audeat, qui ſecus fecerit carceribus mancipetur, omnibuſque adminiſtrationibus, & officiis deponatur.

Confeſſores & Concionatores approbentur.

§.12. Ipſarum vero ſororum, & omnes alij Confeſſores, & ſacri Concionatores, per Generalem vel Prouincialem Miniſtrum approbentur.

Decreta Rodulphi Card. Protect. obſeruentur.

§.13. In ceteris autem omnibus quæ ad religioſam vitam pertinent, illa prædicti fratres & ſorores Tertij Ordinis obſeruare teneantur, quæ à prædicto Rodulpho Epiſcopo, & Protectore, 28. Aprilis, Anno Domini 1549. fuerunt ordinata, ſubſtantiam totius huiuſmodi regulæ maxime continentia, quam fel. rec. Nicolaus Papa IV. prædeceſſor noſter ad incrementum fidei Catholicæ approbauit, ita tamen vt præſentibus nullatenus aduerſentur.

Dubia deſuper oriunda, à Gen. & Prouinciali declarẽtur. Tu in hoc attende d. bullã Sixt. V.

§.14. Quæcumque vero dubia in eis contigerit exoriri, illa omnia Generalis, & Prouincialis Miniſtri Ordinis Minorum huiuſmodi debeant declarare, quorum declarationi & determinationi eorum regulæ, & præſentibus non contrariæ ſtari debeat.

Clauſula præſeruatiua huius reformat.

§.15. Ac decernentes præſentes literas de ſubreptionis, vel obreptionis vitio ſeu intentionis noſtræ defectu nullo vmquam tempore notari, ſeu impugnari poſſe, aut debere, nec aduerſus eas, & in eis contenta quæcumque reſtitutionem in integrum, aut reductionem ad terminos iuris, vel aliud quodcumque gratiæ ſeu iuſtitiæ remedium quiſquam impetrare, vel etiam ab aliis impetrato, aut Motu proprio conceſſo vti valeat ex quauis cauſa quantumlibet rationabili, ac omnia & ſingula præmiſſa aliquibus eiuſmodi Ordinis ſtatutorum, ac quibuſuis aliis reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, generalibus vel ſpecialibus per quoſcumque Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros pro tempore factis non comprehendantur, ſed ſemper ab illis excepta ſint. Sicque per quoſcumque Iudices quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Card. etiam de latere Legatos, in quauis cauſa & inſtantia, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debeat, necnon irritum & inane quicquid ſecus ſuper iis per quoſcumque quauis auctoritate, etiam prætextu priuilegiorum, facultatum, diſpenſationum, & indultorum Apoſtolicorum, quæ quo ad hoc penitus abolemus, aut quouis alio quæſito colore ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.16. In

Digitized by Google

Priuilegia Minorum de Obseru. cõcedũtur huic Tertio Ordini.

§. 16. Insuper vniuersis & singulis fratribus & sororibus Tertij, Ordinis huiusmodi, eorumque domibus, monasteriis & locis omnia & singula priuilegia, indulgentias, dispensationes & indulta Apostolica, fratribus & sororibus dicti Ordinis Minorum de Obseruantia, etiam quo ad Sacramentorum Ecclesiasticorum administrationem & receptionem, quomodolibet concessa & concedenda quæcumque sint & fuerint (præsentibus tamen non repugnantia) ita vt illis omnibus & singulis pariformiter, & æque principaliter vti, potiri, & gaudere libere & licite valeant, concedimus & indulgemus.

Obseruantia huius reformationis indicitur.

§. 17. Ceterum omnibus & singulis Fratribus, & Sororibus Tertij Ordinis huiusmodi districtius iniungimus, vt præsentes nostras literas humiliter recipiant; & quæcumque eis expressa, ac per eas statuta decreta & mandata sunt, alia desuper à nobis expectata iussione, aut mentis nostræ declaratione firmiter custodiant, & in omnibus studiose obedire procurent.

Executorum deputatio & facultates.

§. 18. Quin etiam dilectis filiis nostris Carolo tit. Sanctæ Praxedis presbytero Cardinali Borrhomæo nuncupato dicti Ordinis Protectori, & illius Ministro generali per Apostolica scripta mandamus, vt ipsi vel eorum alter easdem præsentes, ac quicquid pro earum executione & obseruatione in dictis futuris Capitulis Prouincialibus, vel etiam extra illa ab Generali, & Prouincialibus Ministris Ordinis fratrum Minorum de Obseruantia huiusmodi statuetur, ordinabitur, & decernetur in omnibus domibus, monasteriis & locis virorum, & mulierum, ac ab omnibus & singulis fratribus & sororibus Tertij Ordinis huiusmodi inuiolate faciant per se vel alium, seu alios obseruari. Contradictores quoslibet & rebelles, ac etiam protestantes, & reclamantes, eisque auxilium, consilium vel fauorem, publice vel occulte, directe vel indirecte quouis quæsito colore vel ingenio præstantes; tam ecclesiasticos quàm laicos, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, per sententias, censuras & pœnas ecclesiasticas, ceteraque iuris & facti remedia opportuna appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras & pœnas prædictas, etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogatoria.

§. 19. Non obstantibus nostra de tollendo iure quæsito, & piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dictis, aliisque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon Tertij Ordinis, illiusque domorum, & etiam mulierum monasteriorum prædictorum confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis; statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus & personis, ac eorum singulis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros; ac nos & Sedem Apostolicam, etiam per modum statuti perpetui, ac initi & stipulati contractus, ac alias sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis, in genere & in specie concessis, confirmatis, ac etiam aliis reformationibus quotiescumque, ac quocumque tempore factis & promulgatis, etiam Mare magnum, & bulla Aurea nuncupatis, ac quibuslibet aliis indulgentiis, & exemptionibus Apostolicis, specialibus, & generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio. Quæ omnia contra earumdem præsentium tenorem nolumus cuiquam in aliquo suffragari.

Declaratio quod non intelligatur præiudicatum Reformationi Tertij Ordinis in Regnis Hispan.

§. 20. Per prædicta tamen non intendimus Reformationi fratrum & sororum Tertij Ordinis in Hispaniarum Regnis constitut. in aliquo præiudicare, quominus literæ nostræ desuper editæ, & quæcumque illarum vigore pro rerum, locorum, & personarum qualitate, & exigentia facta sunt præsentibus non conformia, possint quoquomodo impediri, vel retractari.

Exemplorum fides.

§. 21. Denique volumus quod ipsarum præsentium exempla etiam impressa, dictique pro tempore existentis Protectoris aut Ministri generalis vel prouincialis sigillo, & Secretarij cuiusuis eorum, vel Notarij publici manu obsignata eamdem illam fidem vbique locorum in iudicio & extra illud faciant, quam ipsæ præsentes si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1568. 5. Non. Iulij, Pontificatus nostri anno tertio. *D. P. An. 3. 3. Iulij.*

LXIV.

Breuiarij Romani, ad psallendum horas Canonicas ex decreto sacri & Oecumenici Concilij Tridentini restituti approbatio, cum prohibitione vsus aliorum Breuiariorum, præterquam à primæua institutione Ordinis à Sede Apost. vel à consuetudine supra annos ducentum approbatorum.

Hoc idem Breuiarium denuo corruptum restituit Clemen VIII. in constit. 86. Cum in Ecclesia. *Scias etiam vsque ad hæc tempora, Ordines Monachorum militantes sub regula Sancti Benedicti, diuerso Breuiario vsos fuisse, sed Pauli V. auctoritate hoc anno* 1613. *vnanimiter illud reformarunt, & eo vno pariformiter omnes vtuntur.*

Edita An. D. 1568.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Diuini Officij forma à Gelasio I. & Greg. I. instituta, & à Greg. VII. reformata sed tamen postea multis modis immutata fuit. Et ex hac varietate orandi, mala hic expressa orta sunt.

QVod à nobis postulat ratio Pastoralis officij, in curam incumbimus, vt omnes, quantum Deo adiutore fieri poterit, sacri Tridentini Concilij decreta exequantur, ac multo id etiam impensius faciendum intelligimus, cum ea quæ in mores inducenda sunt, maxime Dei gloriam, ac debitum ecclesiasticarum personarum officium complectuntur. Quo in genere existimamus in primis numerandas esse sacras preces, laudes, & gratias Deo persoluendas, quæ Romano Breuiario continentur. Quæ diuini officij formula, pie olim, ac sapienter à Summis Pontificibus, præsertim Gelasio, ac Gregorio primis constituta, à Gregorio autem Septimo reformata, cum diuturnitate temporis ab antiqua institutione deflexisset, necessaria visa res est, quæ ad pristinam orandi regulam conformata reuocaretur. Alij enim præclaram veteris Breuiarij constitutionem, multis locis mutilatam, alibi incertis, & aduenis quibusdam commutatam deformarunt. Plurimi, specie officij commodioris allecti, ad breuitatem noui Breuiarij à Francisco Quignonio tit. S. Crucis in Hierusalem Presbytero Cardinali compositi, confugerunt. Quin etiam in prouincias paulatim irrepserat praua illa consuetudo, vt Episcopi in ecclesiis, quæ ab initio communiter cum ceteris veteri Romano more horas Canonicas dicere ac psallere consueuissent, priuatum sibi quisque Breuiarium conficerent, & illam communionem vni Deo, vna & eadem formula, preces & laudes adhibendi dissimillimo inter se ac pene cuiusque Episcopatus proprio officio discerperent. Hinc illa tam multis in locis diuini cultus perturbatio, hinc summa in clero ignoratio cæremoniarum, ac rituum ecclesiasticorum, vt innumerabiles ecclesiarum ministri in suo munere indecore, non sine magna piorum offensione versarentur.

Ideo Paul. IV. id emendare tentauit, sed morte præuentus non perfecit.

§. 1. Hanc nimirum orandi varietatem grauissime ferens fel. rec. Paulus Papa IV. emendare constituerat, itaque prouisione adhibita, ne vlla in posterum noui Breuiarij licentia permitteretur, totam hanc rationem dicendi, ac psallendi horas Canonicas, ad pristinum morem, & institutum redigendam suscepit.

Pius IV. perfectionē huius operis cōmisit Patribus Cōc. Trid.

§. 2. Sed eo postea nondum iis quæ egregie inchoauerat, perfectis, de vita decente, cum à piæ mem. Pio Papa IV. Trid. Conc. antea varie intermissum reuocatum esset, Patres in illa salutari reformatione eodem Concilio constituta, Breuiarium ex ipsius Pauli Papæ ra-

Digitized by Google

tione restituere cogitarunt. Itaque quicquid ab eo in sacro opere collectum, elaboratumque fuerat, Concilij Patrnous Tridentinum à prædicto Pio Papa missum est.

Sed Concil id remisit Pont vt habet in Conc pæ. pen. sed Pius 1 V. non perfecit morte præuentus.

§. 3. Vbi cum doctis quibusdam, & piis viris à Concilio datum esset negotium, vt ad reliquam cogitationem, Breuiarij quoque curam adiungerent, instante iam conclusione Concilij, tota res ad auctoritatem, iudiciumque Romani Pontificis ex decreto eiusdem Concilij relata est, qui illis ipsis Patribus ad id munus delectis, Romam vocatis, nonnullisque in Vrbe idoneis viris ad eum numerum adiunctis, tam perficiendam curauit. Verum eo etiam in viam vniuersæ carnis ingresso,

Hic vero Pius perfecit Breuiarium & approbauit.

§ 4. Nos, ita diuina disponente clementia, licet immerito, ad Apostolatus apicem assumpti, cum sacrum opus adhibitis etiam ad illud aliis peritis viris, maxime vrgemus magna in nos Dei benegnitate. (sic enim accepimus) Romanum hoc Breuiarium vidimus absolutum. Cuius ratione dispositioni ab illis ipsis, qui negotio præpositi fuerant, non semel cognita, cum intelligeremus, eos in rei cõfectione ab antiquis Breuiariis nobilium Vrbis Ecclesiarum, ac nostræ Vaticanæ bibliothecæ non decessisse, graueisque præterea aliquot eo in genere scriptores secutos esse, ac denique remoris iis, quæ aliena, & incerta essent, de propria summa veteris diuini officij nihil omisisse, opus probauimus, & Romæ imprimi, impressumque diuulgari iussimus. Itaque vt diuini huius operis effectus re ipsa consequatur, auctoritate præsentium tollimus in primis, & abolemus Breuiarium nouum à Francisco Cardinale prædicto editum, & in quacumque Ecclesia, Monasterio, Conuentu, Ordine, Militia, & loco virorum, & mulierum, etiam exempto, tàm à primæua institutione, quam aliter ab hac Sede permissum.

Et modo prohibet aliud Breuiar. alias editũ à Frãc. Card. omniaque alia Breuiaria non approbata in primæua institutione, vel consuetudine excedente annos ducẽtum.

§. 5. Ac etiam abolemus quæcumque alia Breuiaria vel antiquiora, vel quouis priuilegio munita, vel ab Episcopis in suis diœcesibus promulgata omnemque illorum vsum de omnibus Orbis ecclesiis, monasteriis, conuentibus, militiis, ordinibus, & locis virorum, ac mulierum, etiam exemptis, in quibus alias officium diuinum Rom. Ecclesiæ ritu dici consueuit, aut debet; illis tamen exceptis, quæ ab ipsa prima institutione à Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, vel quæ ipsa institutio ducentos annos antecedat, aliis certis Breuiariis vsu fatisse constiterit, quibus, vt inueteratum illud ius dicendi, & psallendi suum officium non adimimus, sic eisdem, si forte hoc nostrum, quod modo promulgatum est, magis placet, dummodo Episcopus, & vniuersum Capitulum in eo consentiant, vt id in Choro dicere, & psallere possint, permittimus.

Reuocat etiã quacumque statuta, & facultates orandi iuxta formam antiquorum Breuiariorum.

§. 6. Omnes vero & quascumque Apostolicas, & alias permissiones, ac consuetudines, & statuta, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia firmitate munita, necnon priuilegia, licentias, & indulta precandi, & psallendi, tàm in choro quàm extra illud, more & ritu Breuiariorum sic suppressorum, prædictis Ecclesiis, monasteriis, conuentibus, militiis, ordinibus, & locis, necnon S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis ecclesiarum Prælatis, ceteriisque omnibus & singulis personis ecclesiasticis, sæcularibus, & regularibus vtriusque sexus, quacumque causa concessa approbata, & innouata, quibuscumque concepta formulis ac decretis, & clausulis roborata, omnino reuocamus volumusque illa omnia vim & effectum de cetero non habere.

Breuiariumque istud nouum recipi, & iuxta eius formam orari præcipit.

§. 7. Omni itaque alio vsu, quibuslibet, vt dictum est, interdicto, hoc nostrum Breuiarium, ac precandi, psallendique formulam in omnibus vniuersi orbis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & locis etiam exemptis, in quibus officium ex more, & ritu dictæ Romanæ Ecclesiæ dici debet, aut consueuit, salua prædicta institutione, vel consuetudine prædictos ducentos annos superante, præcipimus obseruari. Statuentes Breuiarium ipsum nullo vmquam tempore, vel in totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum esse, ac quoscumque, qui horas Canonicas ex more & ritu ipsius Romanæ Ecclesiæ, iure vel consuetudine dicere, vel psallere debent, propositis pœnis per canonicas sanctiones constitutis, in eos qui diuinum officium quotidie non dixerint; ad dicendum, & psallendum posthac in perpetuum Horas ipsas diurnas & nocturnas ex huius Romani Breuiarij præscripto & ratione omnino teneri, neminemque ex iis, quibus hoc dicendi, psallendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse.

Monet quoque ecclesiarum Prælatos, vt hoc Breuiariũ introducant.

§. 8. Iubemus igitur omnes, & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & ceteros ecclesiarum Prælatos, vt omissis quæ sic suppressimus, & abolemus, ceteris omnibus etiam priuatim per eos constitutis, Breuiarium ipsum in suis quisque ecclesiis, monasteriis, conuentibus, ordinibus, militiis, diœcesibus, & locis prædictis introducant; & tàm ipsi, quàm ceteri omnes presbyteri, & clerici, sæculares & regulares vtriusque sexus, necnon milites, & exempti, quibus officium dicendi, & psallendi quomodocumque sicut prædictum, iniunctum est, vtex huius nostri Breuiarij formula, tàm in choro quam extra illud, dicere & psallere procurent,

Indulg. dat. dicentibus Psal Pœnit. vel Gradual. vel Offic B. M. & Defũct. diebus in eis præscriptis.

§. 9. Quod vero in rubricis nostri huius officij præscribitur, quibus diebus officium B. Mariæ semper Virginis, & Defunctorum, item Septem Psalmos Pœnitentiales, & Graduales dici, ac psalli oporteat nos propter varia huius vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione remouẽdum duximus, verum debito prouidentiæ pastoralis admoniti, omnes vehementer in Domino cohortamur, vt remissionem nostram, quantum fieri poterit, sua deuotione ac diligentia præcurrentes, illis etiam precibus, suffragiis, & laudibus, suæ, & aliorum saluti consulere studeant. Atque vt fidelium voluntas, ac studium magis etiam ad salutarem hanc consuetudinem incitetur, de omnipotentis Dei misericordia, beatorumque Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, qui illis ipsis diebus, in rubricis præfinitis, B. Mariæ, vel Defunctorum officium dixerint, toties centum dies, qui vero Septem Psalmos, vel Graduales, quinquaginta, de iniuncta ipsis pœnitentia relaxamus.

Forma publ

Quæ mox sequitur.

§. 10. Ceterum vt præsentes literæ omnibus plenius innotescant mandamus illas ad valuas basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancel. Apost. & in acie Campi Floræ publicari, earumque exempla de more affigi. Volumusque & Apost. auctoritate decernimus quod post huiusmodi publicationem, qui in Romana Curia sunt præsentes, statim lapso mense, reliqui vero, qui intra montes, tribus, & qui vltra vbique locorum degunt sex mensibus excursis, vel cum primum venalium huius Breuiarij voluminum facultatem habuerint, ad precandum, & psallendum iuxta illius ritum, tàm in Choro, quàm extra illum maneant obligati. Ipsarum autem literarum exempla manu Notarij publici, & sigillo Prælati ecclesiastici, aut illius curiæ obsignata, vel etiam ipsius volumini absque prædicto, vel alio quopiam adminiculo Romæ impressa, eamdem illam vbique locorum fidem faciant, quam ipsæ præsentes, si essent exhibitæ, vel ostẽsæ,

Breuiar. Rom. tantum & non alibi sine licentia Pont. imprimi potest. Ad hoc vide Clem. cit in rub.

§. 11. Sed vt Breuiarium ipsum vbique inuiolatum, & incorruptum habeatur, prohibemus ne alibi vsquam, in toto orbe, sine nostra, vel speciali ad id Commissarij Apostolici, in singulis Christiani orbis regnis, & prouinciis deputandi, expressa licentia, imprimatur, proponatur, vel recipiatur. Quoscumque veroqui illud secus impresserint, proposuerint, vel receperint, excommunicationis sententia eo ipso innodamus,

Sanctio pœnalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hãc paginam nostræ ablationis, abolitionis, permissionis, reuocationis, iussionis, præcepti, statuti, indulti, mandati, decreti, relaxationis, cohortationis, prohibitionis, innodationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ 1568. 7. Id. Iulij, Pont. nostri anno 3.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. 1568. Indict. 11 die vero 15 mensis Iunij, Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno 3. retroscripta litera Apost. affixa & publicata fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Cancell. Apost. & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem præsentibus literis per aliquantulum temporis spatium,

Digitized by Google

ſpatium,vt moris eſt affixis & deinde amotis,per nos Iulium Parinum, & Ioannem Bornoium prælibati S. D. N. Papæ Curſores.

LXV. De reſidentia Rectorum eccleſiarum Parochialium, quibuſcumque indultis etiam Apoſtolicis non obſtantibus.

Ad hæc vide etiam Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. & ſeſſ. 24. cap. 12. de reformat. & ſup. Pij IV. conſt. 10. De ſalute. *& conſt. 91.* In ſuprema.

Edita A.D. 1568. PIVS EPISCOPVS, *Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. CVpientes pro noſtri Paſtoralis officij munere Chriſtifidelium animarum ſaluti quantum cum Deo poſſumus ſalubriter conſulere, Parochialibus Eccleſiis ab earum Parochis prout tenentur,in diuinis debite & laudabiliter deſeruiri, inhærendo etiam decretis ſacri Conc. Tridentini,

Rectores Parochialium compellantur ad reſidendũ per Ordinarios vt hic. §. 1. Motu proprio,& ex mera deliberatione, ceteroque ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hac noſtra perpetuo valitura conſtitutione,omnes & ſingulos Rectores Parochialium eccleſiarum cuiuſcumque dignitatis,ſtatus,gradus,ordinis, conditionis & præeminentiæ fuerint,in quibuſcumque Regnis,Prouinciis,Ciuitatibus, Diœceſibus,ac aliis Chriſtiani Orbis partibus conſiſtentes qui Parochialem eccleſiam, ac Canonicatũ, aut dignitatem, etiam poſt Pontificalem maiorem, ſeu principalem in quibuſuis Patriarchalibus, aut Metropolitanis vel Cathedralibus, ſeu Collegiatis Eccleſiis, ſeu aliud quodcumque beneficium eccleſiaſticum, etiam quarumcumque diſpenſationum à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, ſeu etiam à nobis hactenus quomodolibet impetratarum, ac literarũ Apoſtolicarum deſuper expeditarum titulo, quas omnes hac præſenti conſtitutione abolemus & reuocamus, ſeu quocumque alio prætextu obtinent, cum prima & præcipua debeat eſſe cura animarum, eos ad reſidendum in Eccleſia Parochiali, & ibi in diuinis deſeruiendum, debitoque eorum officio fungendum omnino teneri, & obligatos eſſe, ac ad id per Epiſcopos; & aliorum locorum Ordinarios, etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatos,ſub ſententiis & cenſuris eccleſiaſticis, ac pecuniariis, arbitrio eorum declarandis,ac etiam priuationis dictarum Parochialium, & aliorum quorumcumque beneficiorum pœnis, quacumque appellatione remota,cogi & compelli poſſe, & debere auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus,præcipimus & ordinamus.Eos tamen ſic reſidentes in Eccleſiis Parochialibus,omnes & ſingulos fructus, redditus, & prouentus,etiam Canonicatus ſui,vel dignitatis, ſeu alterius cuiuſcumque beneficij, exceptis duntaxat quotidianis diſtributionibus, & aliis qui ex iuſta cauſa abſentes percipere non ſolent,lucrari volumus.

Decretum irritans. §. 2. Sicque per quoſcumque Iudices & Commiſſarios etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores,ac S.R. Card. ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, interpretari, iudicari,& definiri debere, necnon irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari decernimus & declaramus.

Clauſula derogatoria. §. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis diſpenſationibus, & exemptionibus, literiſque Apoſtolicis deſuper confectis, necnon Apoſtolicis in Prouincialibus & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, & etiam iuramento confirmatione Apoſtolica vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus; priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis quibuſuis perſonis in genere vel in ſpecie, & alias quomodolibet conceſſis,& approbatis, in poſterumque concedendis,& approbandis quibus omnibus, etiam ſi de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis ſpecifica & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda,aut alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ad effectum præſentium ſpecialiter & expreſſe derogamus; ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod harum literarum tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis,ac ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis,eadem prorſus fides tàm in iudicio quàm extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis. §. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abolitionis,reuocationis,ſtatuti,præcepti,ordinationis,decreti,declarationis, derogationis,& voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem,&c.

D. P. An. 3. die 13. Iulij. Dat. Romæ apud S.Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1568. 8. Id Iulij, Pont.noſtri anno tertio.

Publicatio. *Anno à Natiuitate D.1568. Indict. 11. die vero 15. menſis Iulij, Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius 3. retroſcripta litera Apoſt. lecta affixa & publicata fuerunt ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, Cancell. Apoſt. & in acie Campi Flore dimiſſis ibidem præſentibus literis per aliquantulum temporis ſpatium,vt eſt moris affixis & deinde amotis per nos Ioannem Bornotum, & Iulium Parinum prælibati Sanctiſſ. D.N. Papæ Curſ.*

L. Andreas Panizza Mag. Curſ.

LXVI. Approbatio reformationis Fratrum Minorum Conuentualium Ordinis S. Franciſci, in Capitulo eiuſdem Ordinis per eos præfinitæ.

Aliam reformationem iam ediderat hic Pont. vt ſup. in conſt. 61. Ad extirpandos. *Et multa ſunt videnda quæ notaui ſupra ad conſtit. 5. Hon. III.* Solet.

Edita An. D. 1568. PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Hic Pont. edidit reformationem de qua in rubr. ILla nos cura inter cetera ſolicitat, vt optimæ diſciplinæ cultus in omnibus religioſorum Sodalitatibus nutriatur, & confirmetur.Quod quidem nos pridem in amplißimo Ordine Fratrum Minorum Conuentualium nũcupatorum magnopere expetentes, rerum omnium proprietatem illis ademimus, multaque præterea de ratione viuendi, & officiis eorumdem edidimus, literaſque noſtras ſuper iis confectas in eorum Capitulo generali,apud Baſilicam duodecim Apoſtolorum de Vrbe proxime celebrato palam omnibus iuſſimus promulgari.

Fratres in Capitulo aliâ ediderunt. §. 1. Qui illis ea quæ decuit obedientia receptis,ad tollenda,& corrigenda alia præterea intenti, quæ ad huius religionis ſtatum in ſua integritate continendum maxime obeſſe intelligebamus, nonnulla inter ſeſe ſtatuere cogitarunt. Verum inſtante iam ipſius Capituli concluſione, cum temporis anguſtia id minus pateretur, negotium vniuerſum ad arbitrium, & auctoritatem Generalis, & Prouincialium Magiſtrorum, necnon Definitorum dicti Ordinis ex voluntate noſtra demandatum eſt, qui diuerſas alias præſentibus ſubiectas conſtitutiones, ab ipſo Magiſtro Generali ſubſcriptas ordinarunt.

Quæ hic idem Pont. obſeruari præcipit. §. 1. Quas omnes (ſaluis alias literis noſtris prædictis) præſentium auctoritate approbamus, & confirmamus. Supplentes omnes & quoſcumque ſiue ſolemnitatum omiſſarum, ſiue alios iuris & facti defectus qui interuenerint in eiſdem. Quin etiam illas omnes prout conſcriptæ ſunt facimus, & ordinamus, iubemuſque ipſas æque atque noſtras in omnibus Prouinciis,cuſtodiis,domibus, & locis necnon ab omnibus, & ſingulis Fratribus dicti Ordinis firmiter obſeruari, ac quoſcumque qui illis non paruerint cenſuris & pœnis omnibus,quæ literis prædictis continentur, eo ipſo volumus ſubiacere.

Executores deputat. §. 3. Et nihilominus dilecto filio noſtro Carolo tit. S. Praxedis preſb. Card. Borrhomæo nuncupato moderno, &

Digitized by Google

& pro tempore existenti Protectori, ac etiam Magistro Generali dicti Ordinis per Apostolica scripta mandamus, vt ipsi, vel eorum alter, per se vel alium seu alios, vbi & quando opus fuerit, tam supradictas quàm præsentes literas, & eisdem insertas constitutiones omnes in omnibus & singulis Prouinciis, custodiis, domibus, & locis prædictis, ac ab omnibus & singulis Magistris, Guardianis, Fratribus, & personis in eis expressis, iuxta singularum literarum, & constitutionum huiusmodi tenorem, inuiolate obseruari. Contradictores quoslibet & rebelles per censuras, & pœnas aliis nostris literis contentas prædictas, ceteraque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, censuraſque & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Contrarijs derogat.

§. 4. Non obstantibus præmissis, & sel. rec. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, aliisque Apostolicis, constitutionibus, ac etiam dicti Ordinis statutis, & consuetudinibus, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia robotatis, contrariis quibuscumque. Aut si Magistris, Guardianis, & Fratribus prædictis, vel quibusuis aliis communiter vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, necnon Mare magnum, & Bulla aurea nuncupatis, ac quibuslibet aliis priuilegiis, exemptionibus, indulgentiis, & literis Apostolicis, generalibus & specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ omnia contra ipsarum præsentium, & constitutionum huiusmodi tenorem & effectum, nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Quin etiam, ex nunc irritum decernimus & inane, quicquid secus super his per quoscumque quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Ita igitur Constitutiones prædictæ scriptæ sunt.

Reformationis tenor.

Nouitiorum recipiendorum ætas.

§. 5. Nouitij etiam oblati, ante decimum octauum ætatis suæ annum completum ne recipiantur, neque ante decimum nonum item completum ad professionem admittantur.

Et etiam oblatorum.

§. 6. Qui hactenus recepti etiam oblati, quintumdecimum annum non expleuerint, detracto habitu Religionis, domum ad parentes, vel necessarios, etiam inuiti remittantur, vel alias omnino emittantur, nec postea in ædibus vnde exierint, aut in aliis eiusdem Ordinis domibus versari vllo modo possint.

Laicorum ætas.

§. 7. Laici qui vigesimumquintum annum non attigerunt, ad seruiendum ne recipiantur, & qui recepti etiam nunc ea ætate minores sunt, eiiciantur.

Nouiciorum recipiendorum loca.

§. 8. Nouitij ne recipiantur, aut educentur, nisi in Conuentibus insignioribus, in quibus Dormitorium, & Capitulum habeant seorsum ab aliis Fratribus.

Prouinciales eligendi ex aliena Prouincia.

§. 9. Nullus deinceps Prouinciæ præficiatur, qui eiusdē Prouinciæ sit, sed Prouinciales ex aliena Prouincia semper assumantur, qui tamen idonei sint ad id officium, & cultores regularis obseruantiæ.

Guardianatus officium quamdiu duret.

§. 10. Guardianatus insigniores & priuilegiati, vt Roman. Assisten. & huiusmodi, triennio, non priuilegiati biennio diuturniores ne sint; in quo tamen habenda est ratio Prouinciarum externarum. In illis enim locis hæc officia iusta de causa in longius tempus arbitrio Superioris protrahi poterunt.

Paternitatis titulo qui donantur.

§. 11. In paternitatibus hactenus concessis, & posthac concedendis, ea moderatio adhibeatur, vt nemo paternitatis titulo, vel priuilegio fruatur, nisi qui Prouincialatus officium obtineat, vel obtinuerit, vel quadragesimum annum agat, & alias etiam eo titulo & priuilegio dignus existat.

Fratres stent per biennium in vno Conuentu.

Fratrum numerus in quolibet Conuentu.

§. 12. Nulli in eodem Conuentu plus biennio manere liceat, exceptis sexagenario maioribus, quibus aliquid ex causa Superioris arbitrio condonari poterit.

§. 13. In Conuentu vel domo pauciores ne sint duodecim Fratribus. Si qua autem domus hunc familiæ numerum alere non possit, vel tota Prouincia victum, & quæ præterea necessaria sunt suppediter, vel Fratres cum bonis ex ea domo in aliam transferantur; prouisione tamen adhibita, ne Ecclesiæ destruantur sed ad eius populi commoditatem conseruentur. Permittimus tamen vt in Conuentibus, qui Fratribus iter facientibus commodi sint, saltem quatuor Fratres, non minores quinquaginta annis constanti & probata vita maneant, si plures ea domus alere non possit.

Regentes Studiorum quot lectiones interpretari debeant.

§. 14. In maioribus Studiis Regentes duas lectiones Theologicas interpretentur, alteram practicam, veluti de Sacramentis, vel de vita recte sancteque instituenda, ex Magistro sententiarum, ac S. Bonauentura, alteram speculatiuam ex Scoto: in minoribus vero Studiis, vna lectione ex Theologia practica contenti sint.

Fratrū exercitium quotidianum.

§. 15. Curent autem Superiores, vt in singulis Conuentibus, Fratres, maxime in conscientiæ casibus, & reliquis quæ ad audiendas confessiones pertinent, ob rei grauitatem, & necessitatem, summo studio ac diligentia exerceantur.

Proprium nihil habeant.

§. 16. Fratres etiam si Superiores sint, nihil proprium habere possint, sed omnia in commune conferantur, distribuenda singulis, vt vnicuique opus fuerit: ita vt ex communibus cuiusque Conuentus facultatibus & eleemosynis, pro viribus domus, vnicuique Fratri quæ sunt necessaria præbeantur.

In communi viuant.

§. 17. Fratres omnes & Superiores, & quomodocumque priuilegiati, ægrotis tantum exceptis, in Refectorio cibum capiant; & communi mensa vtentes, communibus epulis vescantur.

Infirmi & senes curentur.

§. 18. In primis autem ægrotorum & senum cura habeatur. Quod si propriæ facultates domui non suppetant ad subueniendum necessitati ægrotantium, vicini Conuentus ditiores suppleant, aut etiam tota Prouincia contribuat.

Bonorum custodia.

§. 19. In omnibus Conuentibus vel domibus, locus communis thesauri, vel capsa sit tribus clauibus clausa, quarum vnam habeat Guardianus, alteram Procurator, tertiam Depositarius quo in loco, vel capsa, aurea, argentea, iocalia, & quæque pretiosa, pecunia item Conuentus, cum inuentario earumdem rerum, condita custodiantur; seruata tamen distinctione sacrarum, & profanarum rerum.

Quisque vnica cella lectoque & humili mensa sit contentus.

§. 20. Nullus ex Fratribus, quamuis Magistratus, & Superioris titulo fungantur, priuatas ædes aut in claustro, aut alibi vsquam habeat, sed singuli vnica Cella, in communi Dormitorio, nullo ornatu, nudis omnino parietibus, ac lectulo, & mensa humillimis contenti sint quemadmodum pauperes Religiosos decet.

Dormitoria communia efficiantur.

§. 21. Cameræ, siue ædiculæ, quæ extra Dormitorum separatim sunt, ad officinas, vel alios vsus, toto Conuentui communes redigantur, vel si Cellæ communis Dormitorij pro Fratrum numero non sufficiant, & illæ Cameræ, vel ædiculæ, quas diximus ad formam communis Dormitorij redigi possint, in Dormitorium commune redigantur; sin minus, destruantur, ac materia, & cæmenta ad reparandam fabricam Conuentus, si opus fuerit, conuertantur; vel vendantur, & pretium ad communem vsum Conuentus conferatur.

Horti sint cōmunes exceptis hortis Nouitiorum & Infirmorum.

§. 22. Nullus ex Fratribus priuatum hortum habeat, sed horti sint totius Conuentus communes; verumtamen Nouitij, & Infirmaria, hortum, seu viridarium à communi viridario seiunctum, habere poterunt, quo ceteris ingredi nullo modo liceat.

Bona Fratrū decedent. quibus Mandanda.

§. 23. Vestes, libri, & reliqua, à Superioribus cuiquam Fratri ad vsum & necessitatem cōcessa quæcumque apud eos mortis tempore reperta fuerint, nulli Fratri priuatim assignentur, sed ita distribuantur, vt dimidia pars sit natiui Conuentus, altera eius, vbi mortuus fuerit.

Pro Officialiū deputatione vel confirmatione nihil recipiatur.

§. 24. Generalis à Prouincialibus, Custodibus, & aliis Religionis Ministris quouis illi nomine appellentur, Prouinciales item à Guardianis, aliisue Officialibus, ob eorum deputationem vel confirmationem nihil omnino, neque magnum neque paruum exigant, ac ne spōte quidem oblatum accipiant, neque Cancellario, aut scribæ, pro sigillo siue scriptura, quicquam detur sed omnia gratis fiant ac dentur. Neque Generalis, neque Prouincialis minister, neque Custos neque Guardianus, à quouis Fratre

Digitized by Google

tre sui Ordinis, aliquid etiam sponte oblatum, siue dono datum acceptet, vel recipiat.

Subsistentiones Prælatis dentur vt in alia const. cit. in rub.

§. 25. Pro communibus autem impensis, quas necessario ad commodum totius Ordinis, vel alicuius priuatæ domus, fieri contigerit, Generali, Prouinciali, & aliis eò modo consulatur, quo in literis S. D. N. Pij V. proxime editi, cautum esse constat.

Alexandrina const. seruentur vt hic.

§. 26. Quo vero ad promotiones & gradus attinet, id omnino seruetur, quod Alexandrinis Constitutionibus sancitum est, vt nihil à promouendo exigatur, aut quouismodo sponte oblatum accipiatur. Quod si promotione facta Conuentus promotorum, aliquid Religioni donare voluerit, quicquid id sit, Procuratori detur, vt ad leuationem onerum, & communium sumptuum Religionis conferatur, ac Procurator omnium acceptorum, & expensorum rationem reddat.

Habitu & vestibus vt hic vtantur.

§. 27. Fratres omnes quocumque gradu & honore sint, camisiis laneis, & reliquo vestitu, honesto ac Religioso, omnique suppellectile, & instrumento paupere, atque humili, quemadmodum aliis etiam constitutionibus cautum est, vtantur.

Constitutiones ad Ordinis reformationem edita seruantur.

§. 28. Reliquum est, vt constitutiones omnes, ad disciplinam regularem restituendam, conseruandam, & augẽdam, (quæ tamen iis contrariæ non sint) præcipuè vero ea quæ à Sanctissimo Domino nostro Pio Papa V. ad reformationem huius Ordinis proxime sunt editæ, ab omnibus sancte inuiolateque seruentur.

Iussio publican. hanc const.

§. 29. Ceterum vt præsentes literæ omnibus plenius innotescant mandamus illas ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ publicari, & earum exempla de more affigi.

Fides transumptorum.

§. 30. Volumusque & Apostolica auctoritate decernimus, quod huiusmodi exempla etiam impressa, manuque Notarij publici, & sigillo dicti Magistri Generalis, vel Prælati ecclesiastici, aut illius Curiæ obsignata, eamdem illam vbique locorum fidem faciant, quam ipsæ præsentes, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 31. Nulli ergo omnino hominum liceat hãc paginam nostræ approbationis, confirmationis, suppletionis, ordinationis, iussionis, mandati, decreti, præcepti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D P. An 3. die 23. Iulij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ 1568. decimo Cal. Augusti, Pont. nostri anno 3.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. 1568. Indict. 11. die vero 2. mensis Augusti, Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno III. retroscriptæ literæ Apost. affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apost. de Vrbe, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem earumdem retroscriptarum copiis, vt moris est affixis, per nos Iulium Parinum, & Philibertum Cappium prælibati S. D. N. Papæ Curs.

Camillus Cherubinus Mag. Curs.

LXVII. Contra Notarios & alios, responsiones reorum, depositionesque testium, quomodolibet propalantes, vel eis aut testibus, in secretis carceribus Vrbis detentis, aut aliis pro eis, nuncium deferentes.

Edita An. D. 1568.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Approbatio const. editæ contra Notarios propalãtes &c.

LIcet contra Notarios qui in causis, tam criminalibus quam ciuilibus, dicta testium, aut reorum responsiones absque Iudicis decreto partibus patefaciunt, multæ constitutiones editæ sint, eosque tamquam falsi reos & infames, ac periuros, puniri debere statutum sit, nihilominus quia magis timetur quod sæpius cauetur, & vt in futurum timore, pœnæ si non Dei timore, arceantur, omnes & singulas censuras, & pœnas cõtra eos qui talia deliquerint latas auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, confirmamus & innouamus, nec de earum rigore, propter illarum forsan inobseruantiam, aut prædecessorum nostrorum & etiam nostram, ac officialium, & ministrorum eorumdem, & nostrorum tolerantiam quicquam relaxatum, aut remissum esse, ac easdem in suo pristino robore & vigore permanere decernimus & declaramus.

Impositio aliarum pœnarum eosdem vel nuncium eis in secretis detẽtis vel aliis pro eis deferentis.

§. 1. Et vt pœnarum certitudo omnibus hic in Alma Vrbe nostra innotescat, statuimus, decernimus & declaramus omnes & singulos Notarios, tam principales quam Substitutos, Executores quoque; ac Carcerum Custodes, ceterosque quibus tam vigore sui officij quam alias quomodocumque reos, dum in Carceribus secretis detinentur, facultas alloquendi conceditur, qui reorum responsiones, ac testium in dictis causis depositiones propalare in totum vel in parte, dicto, aut facto, quibusuis personis cuiuscumque conditionis, prærogatiuæ, & dignitatis, tàm mundanæ quàm ecclesiasticæ existant; absque Iudicis coram quo causa vertitur, & Procuratoris Fiscalis licentia ausi fuerint, aut eisdem reis & testibus, donec in secretis retinentur, etiam quarumuis personarum, vt supra quomodolibet qualificatarum, vel nomine eorumdem reorũ & testium, vel aliis etiam extra carceres existentium nomine eorumdem carceratorum nuncium, epistolam, literas, vel (vt vulgo dicitur) ambasciatas ferre absque eiusdem Iudicis, & Procuratoris Fiscalis licentia, vltra pœnas eis à iure vel statuto inflictas, pœnam relegationis in perpetuum, vel ad tempus ad triremes, & si qualitas facti id exegerit, & Iudici videlicet, etiam vltimi supplicij incurrere, & puniri debere præcipimus, & mandamus: Sicque per quoscumque Iudices quauis auctoritate fungentes puniri, & condemnari, & non aliter declaramus. Irritum quoque & inane, &c. decernimus.

Derogatio cõtrariorum.

§. 2. Non obstantibus præmissis, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, stilo & consuetudine, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma & effectus publ.

§. 3. Volumus quod præsentis statuti, decreti & constitutionis cedula in acie Campi Floræ, & in Cancellaria nostra Apostolica de more publicetur, & ita omnes quos tangit afficiat, quodque illis nostra signatura sufficiat; & vbique fidem faciat, regula contraria non obstante; &c.

Placet Motu proprio. M.

Anno à Natiuitate D. 1568. Indict. 11. die vero 23. mensis Iulij, Pont. Sanctiss. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno 1. supradictæ literæ publicatæ & affixæ fuerunt in locis supradictis, per me Io. Andream Rogerium prælibati S. D. N. Papæ Curs.

Papæ subscr. Publ. Pont. A. 3. die 23. Iulij.

Camillus Cherubinus Mag. Curs.

Iurisdictio & facultates Visitatorum Carcerum Almæ Vrbis, in causis tam ciuilibus quam criminalibus carceratorum. LXVIII.

Statuta ab eisdem Visitatoribus obseruanda præscripsit Paulus III. in const. 44. Ad onus. & nouissime alia edidit Paul. V. infr. in const. 71. Vniuersi. §. 24.

Dilationes his carceratis concessas, eorum fideiussoribus non suffragari decreuit Iulius III. in const. 13. *Cum nuper.* Et de eleemosynis pro eisdem colligendis habetur hic inf. in const. 100. *Volumus.*

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Edita An. D. 1568.

Facultates Visitatorum. Concedendi dilationes carceratis ad soluendum eorum debita.

REuerendi DD. Visitatores Carcerum possint relaxare debitores à carceribus ex causis infrascriptis.

§. 1. Et primo concedendo dilationem, data cautione de soluendo infra tempus assignatum, & hoc præsertim quando visitatores considerant retentionem debitoris cedere non solum in ipsius præiudicium, verum etiam creditoris, cum debitor in Carceribus existens efficiatur deterioris conditionis, & in dies minus soluendo, vbi extra carceres facilius infra tempus assignatum, modum satisfa

satisfaciendi repertutus sit, & hoc, dummodo creditores sint ditiores,& ære alieno non onusti. Secundo, Relaxare possint debitorem, qui licet non habeat pecunias in promptu, habet tamen tot bona, ex quorum venditione potest creditoribus satisfieri, & ex tunc ipse consentit eorumdem bonorum subhastationi. Et Visitatores hoc faciant data cautione de se repræsentando in eisdem statu, & terminis, in quibus carceratus reperitur, ne contingat creditorem decipi ex aliquo impedimento præstito venditioni bonorum. Et si bona non sufficiant, nec bonis cedere velit, nec birettum viride deferre, nonnisi de omnium creditorum consensu quemquam relaxare possint. Idemque seruetur etiãsi sit clarum debitores nullum prorsus habere modum satisfaciendi creditoribus suis nisi ex sudore vultus suis. Tertio, Relaxare possint, quando creditor executionem habet realem,& est in bonis captis per executionem sibi bene cautum.

Infirmosque relaxandi. §.2. Quarto, in casu infirmitatis creditores eorum sumptibus debitoribus alimenta,& medicamenta ministrent in carceribus, quibus creditoribus recusantibus, relaxentur, habita fide à Medicis deputatis,& recepta cautione, si illam habent, sin autem, recepta iuratoria cautione.

Paupereſque non habentes alimenta à creditoribus. §.3. Quinto Relaxentur debitores, quando cognita eorum paupertate, ac pertinacia creditoris, ei mandatum fuit vt carcerato debitori subministret alimenta, & ipse hoc facere recusat.

Mulieresque honestas. §.4. Sexto, Relaxarentur à carceribus mulieres pro debito ciuili retentæ quando sunt honestæ, etiam si captæ sint pro debito publico.

Indebite carcerates. §.5, Septimo, Relaxare possint debitores, qui ex natura debiti non tenentur de iure vltra id quod facere possunt, quia tunc nec carcerari poterant,& propterea contra bona est dirigenda executio.

Suspectos de fuga. §. 6. Octauo, Relaxentur debitores capti vt suspecti de fuga, data cautione de se repræsentando sub pœna debiti.

Cedites bonis. §.7. Nono, relaxentur debitores, facta cessione bonorum prout de iure,& seruata forma Motus proprij.

Nulliter carcerates. §. 8. Decimo, Relaxentur debitores nulliter & indebite capti, de qua nullitate manifeste constat. In quibus, omnibus relaxationibus sint præsentes Iudices, qui mandata relaxarunt & vti edocti & instructi, de meritis causæ rationem reddant.

Arbitrium Visitatorum in præmissis. §. 9. Et in præmissis habeatur ratio paupertatis creditoris, & an debitor calumniose litem diu sustinuerit, fatigando creditorem expensis,& laboribus,& an aliam dilationem habuerit,& creditori non satisfecit, non constito de legitimo impedimento. Et in his omnibus DD. Visitatores arbitrio vtantur, qui pensatis qualitatibus tam creditoris quam debitoris, ac facultatibus, & natura debiti, decernant ea, quæ iuri, & æquitati, & vtilitati etiam creditorum conueniant.

Ita est M.

Papæ subscr.

Sequitur iurisdictio in causis criminalibus.

Edita An. D. 1568.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Causa huius const. CVm sicut accepimus Visitatores carcerum Almæ Vrbis nostræ, homicidij aliorumque capitalium criminum reos carceratos ad illorum absolutionem, & liberationem nimia humanitate proni atque procliues, sæpe à carceribus liberari faciunt sub cautione de se præsentando, aut alias sub aliis obligationibus, & conditionibus eis bene visis,& ita processus debilitantur, & causarum expeditiones differuntur, (vel quod molestius ferimus) eos quandoque liberant, aut leuiori pœna quam Iustitia exposcit, afficiunt, ac propterea delicta impunita remanent contra ius & vtilitatem publicam.

Declaratio facultatum Visitatorum, circa relaxationes carceratorum ex causa criminali. §.1. Nos considerantes impunitatem scelerum esse incentiuum malorum, nolentesque in futurum reos homicidij, ac aliorum delictorum capitalium, nisi in casibus à iure expressis è carceribus liberari, & extra carceres audiri, aut leuius puniri, tenore præsentium eisdem Visitatoribus sub pœna indignationis nostræ inhibemus, atq; interdicimus, ne posthac reos carceratos, vt præmittitur arbitrio suo relaxent,& liberent. In leuioribus autem delictis reos confessos aut conuictos non relaxent, neque libetent, nisi prius sententiæ, aut condemnationi, quam eis infligendam, & imponendam duxerint, paruerint, & illius executio facta fuerit. Volumus autem quotiescumque viderint æquitatem iuris rigori, attenta facti qualitate, præferendam esse, cum ad solum Principem ius decernendi inter ius & æquitatem non scriptam spectet & pertineat, tunc facti qualitas diligenter in visita consideretur, & si quid ab eis de iure relaxandum videbitur, id nobis vnus ex Visitatoribus vna cum Iudice causæ referat, præsente Procuratore Fiscali, vel Aduocato Fiscali eiusdem Cameræ, & Fisci ac etiam pauperum Aduocato, vt à nobis quid statuendum,& deliberandum sit, intelligant.

Præceptum quod Iudices non obediant Visitatoribus aliter se gerentibus. §.2. Mandantes propterea Iudicibus coram quibus causæ criminum huiusmodi pendent, aut in futurum pendere contigerit sub similis pœna indignationis nostræ ne vigore ordinationis Visitatorum prædictorum contra aut præter ordinationem & mandatum nostrum, quosuis carceratos relaxare, aut mandatum de relaxando decernere, vel subscribere audeant, vel præsumant.

Quibuscumq; non obstantibus. §.3. Non obstantibus præmissis, indultis, & priuilegiis eisdem Visitatoribus quomodolibet concessis, & innouatis latissime extendendis, quibus omnibus illorum tenores pro sufficienter expressis habentes, specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Placet Motu proprio M.

Papa subscr. Publ. P. A. 3. die 29 Iulij.

Anno à Nat. 1568. Indict. 11. die vero 19. mensis Iulij, Pont Sanctiss. D. N. Pij Papæ V. anno 2. retroscripte litere Apost. affixæ & publicate fuerunt ad valuas Cancell. Apost. & in acie Campi Flore vt moris est, per nos Philibertum Cappium, Io. Guerardi Curs.

LXIX.

Reuocatio facultatum Camerarij, Clericorum, & aliorum Officialium R. Cameræ Apost. concedendi commissiones in forma, *si in euidentem* super alienationibus bonorum Ecclesiasticorum aut locorum Piorum cuiuscumque valoris.

Iudices autem huiusmodi causarum, quid agere debeant, vide in Pauli II. const 2. Cum in omnibus. *vbi notaui, & in const. 5. eiusdem. Papæ notaui de materia eiusmodi alienationum.*

Edita An. D. 1568.

PIVS PAPA QVINTVS,
Motu proprio, &c.

Causa huius const. VOlentes indemnitati Ecclesiarum aliorumque piorum locorum quantum cum Deo possumus, consulere, ac prouidere, ne illorum bona sine nostra aut successoris nostri scientia & licentia alienentur, aut perpetuo, vel ad longum tempus, aut vnam, vel plures illa conducere volentes vitam locentur, aut de his alio titulo disponatur,

Reuocatio facultatis, & de qua in rub. §.1. Omnes & singulas facultates, & licentias concedendi commissiones alienationum vel permutationum aut affrancationum, aut illarum confirmationum quorumuis bonorum Ecclesiasticorum, aut locorum piorum cuiuscumque valoris existentium, etiam summam annuam cuiuscumque ducatorum auri de Camera non excedentium, aut alterius minoris valoris in forma quæ dicitur. *Si in euidentem*, Dilecto filio Vitellotio S. Mariæ in Via lata Diacono Card. Vitellio nuncupato S.R.E. Camerario eiusque anteceſſoribus, & clericorum Cameræ Apostolicæ Collegio tam per felic. record. Gregorium IX. Bonifacium IX. Vrbanum VI. Martinum V. Nicolaum V. Sixtum IV. Innocentium VIII. Iulium II. Leonem X. Paulum III. & Iulium similiter III. ac alios quoscumque Romanos Pontifices prędeceſſores nostros, etiam Motu proprio, ex certa scientia, & ex quauis causa etiam vrgentissima cum quibusuis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, ac quibusuis decretis, etiam irritantibus, & in vim contractus concessas, confirmatas, & innouatas, illorum omnium tenores pro sufficienter expressis habentes, perpetuo reuocamus, cassamus, & annullamus, interdicentes, & expresse prohibentes eidem

Locus restitutus.

Digitized by Google

prohibentes eidem Camerario, & Clericis, ac aliis eiusdem Cameræ Apostolicæ officialibus sub pœna indignationis nostræ, ne in futurum licentias, & facultates, ac commissiones alienationum huiusmodi sub quouis prætextu concedant. Ac commissiones, & concessiones commissionum huiusmodi contra voluntatem, ordinationem, & decretum nostrum nullas, inualidas, & irritas esse decernimus, & declaramus.

Decretum irritans.

§. 2. Sicque in præmissis omnibus & singulis, per quoscumque Iudices, & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, &c. sublata, &c. iudicari, &c, debere, necnon irritum & inane quicquid secus super his à dictis Camerario, Clericis, & aliis officialibus, & iudicibus præfatis, vel quibusuis aliis quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio cõtrariorum.

§. 3. Non obstantibus præmissis constitutionibus, & ordinationibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis prædictis, & aliis quibusuis quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, illorum tenores, &c. pro sufficienter expressis habentes, derogamus, illaque quoad præmissa cassamus, reuocamus, & annullamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§. 4. Volumus autem quod præsentis nostri Motus proprij etiam absque illius data, & registratura sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat, tam in iudicio quam extra, quacumque regula, seu constitutione Apostolica contraria non obstante.

Iussio pœnalis publ.

§. 5. Volumus autem quod præsens noster Motus proprius in Cancellaria nostra Apostolica, & in acie Campi Floræ de more publicetur, & inter constitutiones perpetuas describatur.

Fides transumptorum.

§. 6. Et quia difficile foret præsens ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quod eius transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsenti Motu proprio adhiberetur, si foret exhibitus, vel ostensus.

Placet Motu proprio. M.

Papa subscr. Publ. P. A. 3. die 17 Aug.

Lectus & publicatus fuit supradictus Motus proprius Romæ in Cancellaria Apostolica, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo sexagesimo octauo die vero Martis decimaseptima Augusti, Pont. S.D.N. Pij Papæ V. anno 3.

A. Lomellinus Custos.

LXX. Contra non reuelantes, & non restituentes scripturas ad Reu. Cam. Apost. quomodolibet spectantes.

Hæc bulla confirmatur à Six. V. in const. 56. Non sine. *vbi Commissario d. Cameræ dat facultatem contra eos procedendi. ibi notabo.*

Edita An. D. 1568.

PIVS PAPA QVINTVS Motu proprio, &c.

Causa huius const.

CVm de literis, auctoritatibus, & instrumentis omnibus siue custodiendis, & memoriæ demandandis, siue auersis requirendis, sedulam pro se quemque curam capere oporteat, hoc impensius multo pro S. R. E. ceteraque omnium matre & magistra, expedit procurare, vt ipsa non modo suis, vt par est, iuribus protegatur, & propriis munimentis subnixa, etiam nefarios insurgentium quotidie in eam impiorum conatus comprimere, eademque opera reliquo omni ordini Ecclesiastico, quandocumque venerit vsus auxilio atque præsidio promptior esse possit.

Iussio adnotãdi omnes scripturas ad R. Camer. Apost. spectantes.

§. 1. Itaque vt de scripturis, literis, instrumentis, registris & monimentis omnibus ad ipsam Romanam Ecclesiam, & hanc sanctam Sedem Cameramque Apostolicam pertinentibus certior deinceps ratio habeatur, & quæ neglecta iacent, in integrum restituantur, ac transportata vel ablata, aut interuersa, reuocentur, eorum omnium quæ in Palatio, & Vestiario nostro, Bibliotheca item Vaticana, & Arce S. Angeli asseruantur, quæque in Archiuiis, Chartophilaciis, Armariis, Ecclesiis, Monasteriis, Conuentibus, & locis publicis & priuatis Vrbis Romæ, Auinionis, ceterarumque omnium Ciuitatum, Prouinciarũ & locorum, nobis & dictæ R. E. immediate, mediateue subiectorũ reconduntur, & habentur, breuiariũ siue compendium cum indice idoneo conficiendum.

Subtractas autem & celatas recuperandi.

§. 2. Dispersa vero vel suppressa ac celata, subtracta, & euolata ad præfatam Sedem, & Cameram reuocanda & repetenda, pari quoque ratione dicto Breuiario adscribenda esse statuimus.

Executorum deputatio ad prædicta.

§. 3. Eamque curam venerabili fratri nostro Carolo Episcopo Montis Flasconen. vnum ex officiis Clericatus præfatæ Cameræ ex indulto Apostolico obtinenti, & dilecto filio Honuphrio Camaiano Clerico Aretino, ipsius Cameræ Præsiden. quorum fidem, rerum vsum, diligentiam, & animi integritatem iampridem perspectam, & exploratam habemus, auctoritate præsentium ducimus delegan. qua in re, vt instituti nostri effectus & executio ocius subsequatur.

Hodie hoc spectat ad Comissarium Camera vt in rubrica dixi.

Monitio ad reuelandum, & restituendum dictas scripturas.

§. 4. Monemus in primis, omnia & quæcumque Communia Prouinciarum, Ciuitatum, & locorum præfatorum, necnon Ecclesiarum Prælatos, Capitula, Conuentus & Collegia, omnes item alios & singulos eiusdem S. R. E. Cad. aut Comites, Duces, & quouis alio potiori titulo Illustres sint, tam dictæ Vrbis quam etiam Prouinciarum, Ciuitatum, & locorum immediate & mediate subiectorum, publice & priuatim, vt infra terminum per supradictum Carolum Episcopum & Honuphrium arbitran. postquam præsentium literarum promulgatio in Vrbe, & quaque alia Ciuitate, Prouincia, Terra & loco vbi consistunt facta fuerint, omnia & quæcumque exemplaria, libros, protocolla, scripturas, exempla instrumenta, & munimenta rerum & iurium quorumcumque R. E. ac Sedis & Cameræ prædictarum penes se existentia, siue ad ipsas legitime pertineant, siue commodato, vel depositio, aut alio quocumque iure & titulo illa obtineant, vel etiam subrepta & extorta detineant, præfatis Carolo Episcopo, & Honuphrio Præsiden. seu eorum in dictis Ciuitatibus, Prouinciis & locis Commissariis, omnino reuelare procurent, vt scilicet eorum omnium & singulorum inuentarium conficiatur. Deinde adnotatis Communitatibus, Ciuitatibus, Ecclesiis, Capitulis, Conuentibus, Archiuiis, locis, & personis vbi constant, ipsa quoque præfato breuiario, seu compendio adscribantur, exemplaribus siue exemplis, registris & instrumentis, penes eos ad quos illa iure pertinent, tamquam ipsorum fideicommissis remanentibus, ita vt numquam sine Sedis Apostolicæ speciali & expressa licentia inde amoueri, transferri, aut alias immutari possint. Subrepta vero & extorta, vel incerta ad præfatam Cameram referantur, & in dictum compendium atque Indicem conferantur.

Pœna in contrauenientes.

§. 5. Quod si forte aliqui lapso tempore prædicto non paruerint, eos & ipsorum singulos, libris, iuribus, & scripturis omnibus præfatis, eorumque omnium vsu, & commodo priuamus. Præterea Ecclesias, Capitula, Monasteria, Conuentus, & Collegia Ecclesiastica, necnon Ciuitates, Prouincias, & loca quæcumque Ecclesiastico interdicto subiicimus, singulares vero personas eorundem, ceterosque præfatos excommunicationis sententia innodamus eo ipso, qua illaqueatos nullius alius quam Romanus Pont. excepto mortis articulo, valeat liberare.

Iurisdictio dãta Iudicum in prædictis exequen.

§. 6. Ceterum, vt præfata promptius exequantur, præfatis Carolo Episcopo & Honuphrio Præsiden. Motu proprio, & ex certa nostra scientia mandamus vt ipsi ad Arcem, Palatium, Bibliothecam, Vestiarium, Capitulum, Ecclesias, Capitula, Monasteria, Conuentus, Archiuia, Domos, & loca præfata, tam publica quam priuata, itemque particularium personarum, etiam S. R. E. Cardinalium, necnon Ducum, & aliorum quorumcumque Ædes in dicta Vrbe, & eius districtu positas, & vbicumque illa esse intellexerint, vel coniecerint, adhibita etiam ad ipsos priuatos armata familia, etiam ante promulgationem præsentium, ac quamprimum se conferant, & omni cunctatione respondendi vel consulendi præcisa, vel appellatione remota, ad præfata omnia à vestigio adhibenda, etiam manu regia, ac per censuras & pœnas præfatas ac etiam pecuniarias, aliasque graniores arbitrio suo irrogandas, moderandas, & applicandas, cete-

Digitized by Google

ceteraque iuris & facti remedia opportuna, appellatione postposita compellant; exhibita, producta, & inuenta recognoscant, ac de eis inuentarium, ac breuiarium & indicem præfatum conficiant; quæque ibi relinquenda, vel deinde ad Cameram præfatam referenda erunt, statuant, & decernant eademque illa omnia per se vel alium seu alios, probos & peritos, cum simili aut limitata potestate substituendos, extra dictam Vrbem in Prouinciis, Ciuitatibus, & locis præfatis efficere, præterea Notarios descriptores, & Antigrapharios quotquot ad præfata negocia fuerint, cum salariis seu mercede cuique conuenientibus, de Cam. præfata redditibus constituendis, & de mandato ipsorum Caroli Episcopi, & Honuphrij Præsidentis vtriusque manu subscripto, arbitrio vestro persoluendis, vbique locorum præfatorum constituere & ordinare procurent. Nos enim ipsis omnia & quæcumque alia, in prædictis, & circa ea necessaria & opportuna, etiam si talia forent, quæ mandatum & facultatem exigerent magis specialem, tam coniunctim quam diuisim, per se vel alium, seu alios faciendi, & exequendi plenam & liberam ipsarum tenore præsentium concedimus facultatem. Decernentes irritum & inane quicquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§. 7. Non obstan. statutis, & consuetud. Vrbis, ac Ciuitatum, Prouinciarum, & locorum præfatorum, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, & Ordinum quorumcumque iuramento, &c. roboratis, ac quantocumque tempore obseruatis, præscriptionibus quoque, & priuilegiis, exemptionibus, indultis & literis Apostolicis, illis & eorum singulis, necnon Pop. Rom. & Card. ac quibuscumque aliis nullis prorsus exceptis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis concessis, confirmatis, &c. Quæ omnia quatenus prædictis in aliquo obstare, aut effectum præsentium quoquomodo impedire possent, illorum omnium tenores, &c. pro expressis habentes, Motu & scientia similibus reuocamus, tollimus & abrogamus; literasque omnes & scripturas desuper confectas cum inde secutis omnibus cassamus, annullamus, viribusque & effectu carere volumus eo ipso; quodque aliquibus communiter vel diuisim à dicta sit Sede indultum, quod interdici, &c. non possint per literas Apostolicas non facientes, &c. mentionem, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma publ. Hanc publ. nô habes hic sed in const. Six. V. cit. in rub

§. 8. Ceterum vt præsentes quarum solam Signaturam sufficere, & vbique tam in iudicio, quam extra illud fidem facere volumus, omnibus plenius innotescant, mandamus illas ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe & Cam. præfatæ, necnon Cancell. Apostolicæ, & in acie Campi Floræ publicari, earumque exempla de more affigiri: ac etiam volumus & Apostolica auctoritate decernimus quod huiusmodi exempla etiam impressa, manuque Notarij publici, ac sigillo Caroli Episcopi seu Honuphrij Præsiden. prædictorum obsignata, eandem illam vbique locorum fidem faciant, quam ipsæmet præsentes facerent si essent exhibitæ vel ostensæ; & nihilominus mandamus literas Apostolicas siue sub plumbo siue in forma Breuis tam coniunctim quàm diuisim, quandocumque videbitur expediri.

Placet Motu proprio. M.

Dat. P. A. 3. die 10. Aug.

Dat. Romæ apud S. Petrum 14. Cal. Septemb. anno 3.

LXXI. Declaratio quod Fratres Prædicatores Ordinis S. Dominici vbique præcedant ceteris Fratribus cuiuscumque Ordinis religiosorum Mendicantium.

Hæc declaratio, quæ circa processiones mutata videtur infra est constit. 84. *Greg. XIII.* Exposcit. *fuit postea à Clem. VIII. ampliata in eius const.* 13. Inter cetera. *vbi Fratribus Prædicatoribus præcedentiam vbique concedit, quoad omnes Religiosos tam Mendicantes quam non Mendicantes, post Canonicos, & Clericos saculares, ac antiquos Ordines Monachales. De toto autem Ordine Dominicano plene notaui supra in const. 2. Honor. III.* Religiosam.

PIVS PAPA QVINTVS
Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1568.

Exordium.

DIuina disponente clementia omnium mortalium Iudices in terris constituti, nos id potissimum curare decet, vt vnicuique quod suum est, sublatis quibusuis iurgiis & litium dispendiis, tribuatur, veritas iustitiâ, & pax inuicem se amplexentur, honorque & ordo debitus inter omnes, præsertim religiosos, nobiscum sub vno & eodem vexillo Deo militantes, seruetur.

Ordo S. Dominici ante alios Ordines Mendicantiũ à Sede Apost. approbatos, precedentiam habere debet, & tamen diuersa lites desuper exorta sunt.

§. 1. Cum itaque nuper acceperimus, quod sacer Ordo fratrum Prædicatorum præ ceteris aliis fratrum Mendicantium Ordinibus, à Sede Apostolica primo etsi approbatus, & confirmatus fuerit, illiusque professores in processionibus, & aliis actibus, ac ministeriis, publicis & priuatis tam coram Romano Pontifice in eius Capella, generaliumque Conciliorum sessionibus, & congregationibus, quam plerisque aliis Christifidelium partibus, primum locum inter alios Fratres Mendicantes obtineant, tamen si ad Religionis propagationem in Ciuitatibus & aliis locis, in quibus aliorum Ordinum Mendicantium Religiosi, Conuentus & domos prius habebant, domos, aliaue Religiosa loca pro eorum habitatione ædificarunt, seu construi fecerunt, aut iam ædificata receperunt, sæpe contingit quod aliorum Ordinum fratres Mendicantes, antiquitatis Ecclesiarum, vel suorum Conuentuum & domorum, quas in eisdem locis prius habuerunt, seu aliis prætextibus, dictos Ordinis Prædicatorum fratres in processionibus, & aliis actibus, ac ministeriis prædictis contingentibus, præcedere saragunt, præeminentiamque & locum debitum eisdem denegant, & impediunt, quo fit, vt non solum inter eos inteſtina odia & dissensiones, in eorum animarum perniciem, ac ceterorum Christifidelium scandalum non modicum, sed etiam forsan lites & controuersiæ iudiciales quandoque suborta sint, & indecisæ pendeant.

Hic ideo Pius eas extinguit.

§. 2. Nos, qui de antiquitate & præeminentia cuiuslibet Ord. fratrum Mendicantium, plenam & indubitatam notitiam habuimus & habemus, eorum honoris, & iurium conseruationem, ac pacem & quietem inter eos confouere, necnon scandala inde quomodolibet orta, quæue oriri possent, remouere paterno affectu zelantes, Motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, litem & causam quamcumque, seu quæstionis & controuersiæ materiam, si quæ desuper vbilibet in Romana Curia, vel extra eam, etiam in nostro causarum Palatij Apost. Auditorio, in quacumque instantia, inter quoscumque quomodolibet pendeant, illarum statum, & merita, & non aliqua sententia, etiam in contradictorio iudicio à quouis Iudice, ordinario vel delegato, quæ in rem transiuerit iudicatam, contra ipsos Fratres Prædicatoris super hoc prolata fuerit, ac alia etiam necessario magis exprimenda, præsentibus pro expressis habentes, ad nos aduocamus, & penitus extinguimus, ac Fratribus aliorum quorumcumque Ordinum Mendicantium super his perpetuum silentium imponimus.

Ipsis Fratribus d. præcedentiã concedit.

§. 3. Et nihilominus Fratres ipsos Ordinis Prædicatorum, primum digniorem & honorabiliorem locum inter ceterorum quorumcumque aliorum Ordinum Mendicantium Religiosos, etiam si tales essent, qui non generali sermone comprehenderentur, sed nota, & expressione speciali indigerent, tam in Sessionibus & Congregationibus quorumcumque generalium, Prouincialium, & Synodalium Conciliorum, quam Processionibus, Ministeriis, & aliis actibus publicis vel priuatis, in quibuscumque Ciuitatibus, Oppidis, Terris, Castris, & aliis locis obtinere, & speciali præeminentia omnino gaudere perpetuo debere, etiam si illic Ecclesias, Domos, aut Conuentus non habuerint, seu habeant, aut aliorum Ordinum Mendicantium Fratres, & Religiosi in eisdem Ciuitatibus, & locis antiquiores pro tempore, eorumque Ecclesiæ, Capellæ, domus & loca regularia ibi primo instituta, & fundata fuerint, eosdemve Fratres Prædicatores adhuc, etiam per centum annorum, aut diuturnius, vel alias quantumuis longe magis immemorabile

Digitized by Google

notabile tempus præcedere consueuerint, declaramus, statuimus, & etiam definimus.

Et de super nō molestari iubet.

§.4. Districte in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis maioris, eo ipso incurrenda pœna, omnibus & singulis quorumcumque aliorū Mendicantium Ordinum pro tempore Religiosis inhibentes, ne de cetero præmissorum occasione Ordinem Fratrum Prædicatorum huiusmodi, illorumque pro tempore Religiosos quoscumque molestare, inquietare, perturbare, aut quoquomodo impedire audeant vel præsumant, supplentes in hoc citationum, omnesque alios, tam iuris quam facti, & quarumcumque aliarum solemnitatum, etiam substantialium & processuum, defectus.

Clausulas præseruatiuas apponit.

§. 5. Ac decernentes, præsentes nostras literas de subreptionis vel obreptionis, intentionisve nostræ aut alio quouis vitio seu defectu, nullo vmquam tempore impugnari posse, ac constitutionem nostram de non tollendo cuiquam per quamcumque gratiam, seu concessionem, aut declarationem ius quæsitum, aduersus eas locum sibi vendicare non posse, nec debere.

Decretum irritans.

§.6. Sicque in præmissis omnibus & singulis per quoscūque Iudices, & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, & causarum dicti Palatij Apostolici Auditores, in quauis causa, & instantia, etiam per appellationem pendente, iudicari & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter interpretandi & iudicandi facultate, ac irritum & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 7. Ceterum, vt declaratio, statutum, definitio, inhibitio, aliaque omnia & singula præmissa inuiolabiliter obseruentur, vniuersis & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, ac aliis Ecclesiarum prælatis, & personis in dignitate ecclesiastica constitutis, necnon Metropolitan. & aliarum Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, eorumdem Archiepiscoporum, & Episcoporum Officialibus, seu Vicariis in spiritualibus generalibus, vbilibet constitutis per Apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ committimus, & mandamus, vt has literas nostras, & in eis contenta quæcumque inuiolabiliter obseruent, ipsique duo, aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, vbi quando & quoties opus fuerit, & pro parte dictorum Fratrum Prædicatorum, vel aliquorum ex eis fuerint requisiti eis efficaci præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos huiusmodi literis nostris, & in eis contentis quibuscumque pacifice frui & gaudere, non permittentes à Religiosis quorumcumque aliorum Ordinum Mendicantium, vel quibuslibet aliis, quacumque auctoritate fungentibus super præeminentia, & aliis antedictis contra eorumdem nostrarum tenorem, quomodolibet molestari, inquietari, perturbari, aut impediri; contradictores & rebelles quoscumque, status, gradus, ordinis, conditionis & dignitatis cuiusuis existentes, per censuras ecclesiasticas, & pœnas etiam pecuniarias arbitrio eorum moderandas & applicandas, quacumque applicatione postposita compescendo. Et nihilominus eos, qui sententiam excommunicationis antedictam, censuras, & alias pœnas per eos, aut aliquem eorum pro tempore latas incurrerint, legitimis super his habendis seruatis processibus, illas incidisse declarent, nec non aggrauare etiam iteratis vicibus curent, inuocato ad id, si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Obstantia tol. lit.

§. 8. Non obstantibus præmissis, & tam huiusmodi nostra de non tollendo cuiquam ius quæsitum, & aliis Apostolicis, quam in quibusuis generalibus, Prouinciabus vel Synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus & ordinationibus, Domorumque, Ordinum & locorum prædictorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, fundationibus, statutis, vsibus, naturis & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, Fratribus Mendicantibus aliorum Ordinum quorumuis, eorumque Ecclesiis, Capellis, Domibus, & locis & Superioribus, in specie vel in genere, tam per fel. rec Sixtum Papam IV. quam alios quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, etiam bulla Aurea, Mare Magnum nuncupata, contentis, ac per nos Motu proprio consistorialiter, etiam per modum legis & statuti perpetui, iteratis vicibus, cum quibus etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, concessa pro tempore, in contrarium forsan reuocantibus, etiam si eis expresse caueretur, quod nisi per trinas distinctas literas cum temporis interuallo competenti ternis distinctis vicibus, illis quos concernunt intimandas, derogatum esse non censeatur, aut alia forma in id seruanda sit, concessis, approbatis & innouatis, quibus omnibus & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, expressa & indiuidua mentio habenda esset, illorum, omnium & singulorum, tenores vim & effectum, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, formaque in eis tradita obseruata insererentur, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse latissime derogamus, & ceteris contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac eorum personis, locis, Ordinibus, & nominibus mentionem.

Transumpti tenor infert.

§.9. Et quoniam difficile esset præsentes literas ad singula quæcumque loca deferri; volumus & eadem Apostolica auctoritate etiam decernimus, quod illarum exemplis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis sigilloque alicuius Prælati, vel personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, seu Curiæ ecclesiasticæ munitis, in iudicio & extra vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus originalibus, si exhiberentur, vel ostenderentur.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 27. Augusti 1568. Pont. nostri anno 3.

D. P. An. 3. die 27. Aug.

LXXII.

Contra quoscumque Clericos, tam sæculares quam regulares, nefandi criminis reos.

Ad hoc habes etiam sup. Leon. X. const. 7. Supernæ *& huius Pont. const. 5.* Cum primum.

Edita A.D. 1568.

P I V S E P I S C O P V S

Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

HOrrendum illud scelus, quo pollutæ fœdatæque Ciuitates à tremendo Dei iudicio cōflagrarunt, acerbissimum nobis dolorem inurit, grauiterque animum nostrum commouet, vt ad illud quantum potest comprimendum, studia nostra conferamus.

Concilij Lateranen dispositio est in bulla Leonis cit. in rubr.

§. 1. Sane Lateranensi Concilio dignoscitur constitutum, vt quicumque Clerici, illa incontinentia quæ contra naturam est, propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, deprehensi fuerint laborare, à Clero deiiciantur, vel ad agendam in Monasteriis pœnitentiam detrudantur.

Causa huius nouæ disp.

§. 2. Verum ne tanti flagitij contagium, impunitatis spe, quæ maxima peccandi illecebra est, fidentius inualescat, Clericos huius nefarij criminis reos, grauius vlciscendos deliberauimus, vt qui animæ interitum non horrescunt, hos certe deterreat ciuilium legum vindex gladius sæcularis.

Impositio pœnæ capitalis.

§. 3. Itaque quod nos iam in ipso Pontificatus nostri principio hac de re decreuimus, plenius nunc fortiusque persequi intendentes, omnes & quoscumque presbyteros & alios clericos sæculares & regulares, cuiuscumque gradus, & dignitatis, tam dirum nefas exercentes; omni priuilegio clericali, omnique officio, dignitate & beneficio ecclesiastico præsentis canonis auctoritate priuamus. Ita quod per Iudicem Ecclesiasticum degradati; potestati statim sæculari tradantur, qui de eis illud idem capiat supplicium, quod in laicos hoc in exitio deuolutos, legitimis reperitur sanctionibus constitutum.

Nulli ergo, &c.

D. P. An. 3. die 30. Aug.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1568. tertio Cal. Septemb. Pont. nostri anno 3.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini milleſimo quinteſimo ſexageſimo octauo, Indictione vndecima, die vero vigeſima tertia menſis Septembris, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto

Digitized by Google

Patris, & D.N D. Pij Papæ V. anno 3. retroscripta litera Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ, Principis Apostolorum de Vrbe, Canc. Apostolicæ, & in acia Campi Florę, per nos Antonium Clerici, & Christianum de Monte, præfatos S.D.N. Papæ Curs.

Io. Andreas Panizza Mag. Curs.

LXXIII. Moderatio, & reuocatio priuilegiorum, Officiis Romanæ Curiæ, ac Militiis concessorum, circa pensiones obtinendas, & transferendas, ac expectatiuas concedendas, vnionesque & suppressiones beneficiorum faciendas, ac facultatem de bonis Ecclesiasticis testandi.

De vnionibus habes etiam Conc. Tridentini sess. 7. cap. 6. & sess. 14. cap. 9. & sess. 24. cap. 13. & 15. Et de facultatibus testandi, attende etiam aliam huius Pont. const. 117. Quæ ordini. *cum ibi nos.*

Militiæ varias reintegrationes circa hæc sancita obtinuerunt, quas serioſum fuisset singulas hic adnotare, ideo eas quære in Indice ver. Militiæ.

Reseruatores autem pensionum perpetuarum super Beneficiis Ecclesiasticis ad Collegiorum, & piorum locorum fauorem factarum, & Indulta imponendi pensiones etiam temporales, reuocauit S.D.N. Vrban. VIII. const. 69. *Sanctissimus.* inf. tom. 4.

PIVS PAPA QVINTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1568.

Exordium.

SAcrosanctum Ecclesiæ Dei statum, integrum & incolumem præstare officij nostri cum sit, quæcumque illi detrimentum afferre noscuntur, nostra nos decet consideratione mouere.

Causa huius const.

§. 1. Sane tantæ tamque immoderatæ de rebus dominicis, etiam extra ordinem Ecclesiasticum largitiones, his nouissimis temporibus succreuisse perhibentur, vt iam optima quæque alieni sensim exhauriant, & quod in fouendis multiplicandisque Ministris Ecclesiasticis, fundandis Seminariis, alendis pauperibus, recreandis infirmis, instaurandis Ecclesiis, fulciendis ædibus vetustate consumptis, educandis viris religione, & doctrina claris, quibus Ecclesia ipsa tantopere dignoscitur indigere, id ferè vniuersum multitudo præripiat laicorum. Hinc manifesta nos impellit necessitas, vt hac indomita cupiditate repressa, de communi Ecclesiæ salute consulamus. At quia omnia incommoda statim vbique facile subducere non valemus, ea saltem, quæ nobis proxima sunt, & ante oculos frequentius obuersantur, in primis tollere curabimus, vt ceteri omnes cum venerit vsus, æquiore animo patiantur.

Reuocatio indultorii transferendi pensiones Collegiis & Officialib. Rom. Cur. concessorum, & per laicos, vel clericos, coniugatos eas retinendi.

§. 2. Itaque de nobis attributæ potestatis plenitudine reuocamus, & abolemus omnia & quæcumque priuilegia, facultates, dispensationes, & indulta Militum S. Pauli, Sancti Georgij, Pij, de Laureto, & de Lilio, necnon Secretariorum, Cubiculariorum, & Scutiferorum Apostolicorum, ac quibuscumque aliis Romanæ Curiæ, & Apostolicæ Sedis collegiis, & officiis, tam in dicta Curia quam extra eam constitutis, ipsorumque personis, necnon Conclauistis, de pensionibus, fructibus & aliis rebus Ecclesiasticis, etiam ad certam & determinatam summam & quantitatem constitutis, per Clericos coniugatos, Bigamos, & alios Laicos, obtinendis, eisdem per ipsos, ac aliis similibus per alios Clericos in alium, vel alios transferendis, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & prædictam Sedem, tam in ipsorum officiorum institutione, quam deinceps quandocumque, & quotiescumque, etiam per modum statuti perpetui, ac initi & stipulati contractus, & alias sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis restitutionibus, præseruationibus, mentis attestationibus, derogatoriis, aliisque fortioribus efficacissimis & insolitis clausulis, necnon irritantibus & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque simili potestatis plenitudine, etiam pro defensione fidei Catholicæ, aut dictæ Sedis, & quibuslibet aliis aliis causis quantumlibet grauibus, vrgentibus, necessariis & onerosis, ac etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, aliorumque Principum, necnon S.R.E. Cardinalium, deque illorum consilio, & matura deliberatione prius desuper habita, concessa, confirmata, ac etiam multiplicatis vicibus innouata, extensa & moderata. Ita quod deinceps illorum sic reuocatorum prætextu, Laici etiam extra coniugium & in cælibatu viuentes, ac Bigami, & Clerici coniugati nullas nouas pensiones, aut fructus, aut omnino alias res ecclesiasticas habere, nec ipsi etiam qui coniugati non sunt, si ad primas, aut alias nuptias transiuerint, antiquas deinceps percipere, Clerici vero, & alij matrimonium etiam cum vnica & virgine contracturi, postquam illud contraxerint, nec antiquas retinere, nec nouas assequi possint, Sed nec vlli Laici, nec Clerici priuilegio transferendi pensiones, fructus, aut alias res huiusmodi de cetero potiantur. Decernentes omnes transferendi facultates ex nunc, Antiquas vero pensiones, & alias reseruationes, tam Laicis quam Clericis concessas, & quas ipsos Clericos habere contigerit, per futurum contractum matrimonium huiusmodi extinctas esse.

Reuocatio similis priuilegij quarumcumque Militiarum & Hospitalium obtinendis pensionibus.

§. 3. Ac etiam reuocamus, & abolemus omnia & quæcumque priuilegia, facultates, dispensationes, & indulta obtinendi & transferendi similes pensiones, fructus, & alias res Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum & officiorum ecclesiasticorum, sæcularium & regularium S. Iacobi de Spata, de Calatraua, de Alcantara, Iesu Christi, & Sancti Stephani, ceterisque Militiis, necnon Sancti Lazari Hierosolymitani, ac omnibus & singulis aliis Hospitalibus, eorumque Militibus, Fratribus & personis, tam Clericis quam coniugatis, etiam modo & forma prædictis, & ex eisdem ac quibuscumque aliis fortioribus causis concessa, approbata, & etiam à nobis moderata, & restituta; ita quod ipsi, siue coniugati siue bigami, siue clerici siue etiam presbyteri, nullas de cetero recipiant, sed eas solas quas nunc habent sine facultate ipsas transferendi retineant, & eæ quoque per futurum contractum Matrimonij extinctæ censeantur.

Declaratio priuata dispensationis, Militibus concessa prædictis.

§. 4. Omnes vero priuatas dispensationes, & gratias habendi, & retinendi pensiones, fructus, & alias res Ecclesiasticas, Militibus & Fratribus quibuscumque Militiarum, & Hospitalium prædictorum, tam à nobis quam à prædecessoribus nostris, & dicta Sede hucusq; singulatim concessa, ita moderamur, & restringimus, vt illarum vigore soli Milites, & Fratres non coniugati, nec bigami, nouas deinceps pensiones, aut fructus aliasque res Ecclesiasticas recipiant, & in cælebatu viuentes, illas & alias iam receptas dumtaxat percipiant. Alij vero, etiam cum vnica, & virgine coniugati, si rursus matrimonium contraxerint, eas omnes quas nunc habent, per huiusmodi contractum amittant, nec illæ ipsis vlterius debeantur, simili facultate transferendi tam antiquas quam futuras pensiones, fructus, & res huiusmodi omnibus prædictis, etiam non coniugatis ex nunc penitus interdicta, & suppressa. Sed nec vlli Milites, aut Fratres etiam simplices clerici, vel presbyteri prætextu huiusmodi dispensationum, & gratiarum aliqua simplicia, aut alia beneficia Ecclesiastica sæcularia, aut aliorum Ordinum regularia, etiam nullum omnino onus, aut seruitium habentia, vt præstimonia deinceps recipere, & retinere possint.

Reuocatio facultatum Militiarum concedendi expectatiuas, & reseruationes ad beneficia & vniendi, incorporandi, vel supprimendi beneficia.

§. 5. Ad hæc quoque reuocamus & abolemus omnia & quæcumque priuilegia, facultates, licentias & indulta, Magistris, & Conuentibus, aliisque personis, & locis Militiarum, & Hospitalium prædictorum, eorumque personis, etiam vt prædictum est concessa, confirmata, extensa, & moderata, concedendi expectatiuas, reseruationes, & alias gratias præuentiuas ad Prioratus, præceptorias, Hospitalia, & alia beneficia, & officia, Militiarum, & Hospitalium prædictorum. Itemque vniendi, & incorporandi perpetuo vel ad tempus, & supprimendi beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura, sæcularia & quorumuis Ordinum regularia, etiam de iurepatronatus Laicorum ex fundatione, & dotatione existentia, ac

Digitized by Google

ac etiam nullum penitus seruitium, aut ordinem annexum, seu aliud onus qualecumque habentia, etiam ruinosa, & deserta, ac etiam sponte à Patronis oblata, vel donata, illorumque fructus, res, & proprietates applicandi & appropriandi Militiis, & Hospitalibus supradictis, seu beneficia ipsa in Monasteria, Prioratus, præceptorias, beneficia, Hospitalia, & alia loca Militiarum & Hospitalium eorumdem erigendi, & instituendi, ac alias commutandi & reformandi.

Reuocatio expectatiuarū, & vnionum, & suppressionum, quæ plenarium effectum sortiri non sunt.

§. 6. Ac etiam omnes & singulas expectatiuas, reseruationes, & alias gratias præuentiuas, speciales & generales, necnon vniones, annexiones, & incorporationes perpetuas & temporales, suppressiones, applicationes, appropriationes, & alias dispositiones huiusmodi beneficiorum & fructuum, per Magistros, Conuentus, & alios prædictos hucusque factas, & concessas, ac etiam dicta Apostolica auctoritate, & ex certa scientia confirmatas, quæ plenarium nondum sunt suum sortitæ effectum.

Reuocatio facultatū testādi, & disponendi de bonis Ecclesiæ, vel fructibus. Ac testamentorū quæ hucusque non habuerunt effectum.

§. 7. Præterea omnes & quascumque licentias, & facultates testandi, & alias quomodocumque disponendi, etiam ad certam, & quantumuis modicam summam, & quantitatem, de rebus, fructibus, & bonis immobilibus, mobilibus, & se mouentibus ad Magistros, Priores, Præceptores, Milites, Fratres, & personas Militiarum, & Hospitalium prædictorum ratione illorum, necnon Præceptoriarum, Hospitalium, & beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam sæcularium, & aliorum Ordinum regularium, ac pensionum, & fructuum quorumcumque prouenientes, necnon facta hucusque, non tamen effectum sortita vigore licentiarum & facultatum prædictarum, testamenta & alias dispositiones huiusmodi, etiam si per easdem licentias & facultates disponatur, quod dimidia, vel alia pars rerum & bonorum prædictorum Militiis, Hospitalibus, Domibus, & locis, vnde illa prouenerint, aut aliis piis locis relinquantur. Decernentes omnes & singulas reseruationes, assignationes, translationes, vniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, applicationes, appropriationes, testamenta, donationes, & alias dispositiones quascumque, quas prætextu priuilegiorum, facultatum, dispensationum, & indultorum prædictorum sic reuocatorum, ac contra præsentium tenorem per quoscumque, etiam dicta Apostolica auctoritate fieri, vel factas persequi contigerit, tamquam subreptas & extortas, nullius prorsus roboris & momenti esse, nec per eas ius, titulum etiam colorarum cuiquam acquiri, nec quemquam quocumque tempore quauisque causa restitutionem in integrum, reductionem ad terminos iuris, aut quoduis aliud gratiæ remedium impetrare, aut etiam ab alio vel aliis impetratis, aut motu simili concessis vti.

Tu vide inf. const. 117. Quæ Ordini.

Clausula præseruatiua.

§. 8. Nec præsentes literas de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, vel impugnari, nec sub vllis reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus similium vel dissimilium reuocationum, & ordinationum ab ipsa Sede quandocumque emanandis comprehendi, sed semper ab illis excepras, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validum statum restitutas, & plenarie reintegratas esse & censeri.

Decretum irritans.

§. 9. Sicque in iis, ac omnibus & singulis aliis supradictis per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in quauis causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter interpretandi & iudicandi facultate & auctoritate, vbique interpretari, iudicari & definiri debere, necnon irritum & inane quicquid secus per quoscumque quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem similium priuilegiorum, dispensationum, facultatum, & indultorum concessionem nostris explodi temporibus, & quod nobis licere non patimur, nostri successoribus indicamus.

Clauſ. derog.

§. 10. Non obstantibus præmissis, & nostris de non tollendo iure quæsito, aliisque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Collegiorum, Officiorum, Militiarum, Hospitalium, Conuentuum, necnon S. Benedicti Cistercienſis, Sancti Augustini, & aliorum Ordinum, & regularum quorum Militia, & Hospitalia prædicta sunt iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis quantocumque tempore obseruatis, necnon fundationibus eorumdem, aliis quoque priuilegiis, indultis, exemptionibus, & literis Apostolicis illis omnibus ipsarumque Militiarum, & Hospitalium Magistris, Conuentibus, Prioribus, Præceptoribus, Militibus, Fratribus, & personis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & prædictam Sedem, eciam per modum statuti perpetui, ac initi & stipulati contractus, seu quasi, necnon motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, aliorumque Principum, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac de eorum consilio, & assensu etiam consistorialiter habito, tam pro Militiarum, Hospitalium, & regularum huiusmodi restitutione, & ampliatione, quam alias quomodocumque, ac sub quibuscumque tenoribus & formis, necnon cum quibusuis restitutiuis, præseruatiuis, annullatiuis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis quotiescumque concessis, confirmatis & etiam iteratis vicibus extensis, & moderatis, etiam si in eis, ac statutis, stabilimentis, & fundatione prædictis caueatur expresse, quod nunquam prædicta reuocata, vel moderata, aut immutata intelligantur, nec illis, in toto vel in parte derogatum censeatur per quascumque literas, etiam derogatoriarum derogatorias, ac alias fortiores & efficaciores clausulas in se continentes, nisi dum & quoties de illorum, ac etiam certarum specialium literarum Apostolicarum inde confectarum vere, non autem per clausulas generales vel speciales idem importantes, inserto tenore, ac de simili Cardinalium consilio, & semper in huiusmodi quæ sic fierent de consilio prædicto derogationes, & aliæ dispositiones consistorialiter factæ, & per trinas distinctas literas eumdem tenorem continentes, tribus distinctis vicibus Magistris, & Conuentibus prædictis fuerint intimatæ, eorumque pariter ad id expressus accedat assensus, alitet vero factæ viribus & effectu omnino careant, ac Magistri, & Conuentus prædicti ad parendum illis & decretis desuper processibus, eorumque executoribus, & subexecutoribus, ac ipsorum mandatis & monitionibus minime teneantur, sed literarum huiusmodi executionem omnino impedire, nec ratione resistentiæ censuris ecclesiasticis per ipsos executores vel subexecutores latis innodari possint. Quibus omnibus, etiam si alias de eis eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, harum serie specialiter & expresse derogamus. Et quatenus effectum præsentium quoquomodo impedire vel retardare, vel illis obesse possent, omnino tollimus & abrogamus. ceterisque contrariis quibuscumque.

Formā publicā hanc conſt.

§. 11. Vt autem præsentes literæ omnibus plenius innotescant, mandamus illas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in Cancellaria Apostolica, necnon in acie Campi Floræ publicari, earumque exempla de more affigi, & in dictæ Cancellariæ libro Quinterno nuncupato describi.

Exemplorum fides.

§. 12. Volumusque & decernimus ipsarum præsentium exempla etiam impressa, manuque Notarij publici, & sigillo Prælati ecclesiastici, aut illius Curiæ obsignata eamdem illam vbique locorum fidem faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino, &c.

Digitized by Google

Bull. P. 4. 31. die 9. Nou.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, nulliſimo quingenteſimo ſexageſimo-octauo, quinto Idus Septembris, Pont. noſtri anno tertio.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1568. die vero 13. menſis Septembris, indict. 11. Pont. Sanctiſſ. in Chriſto patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno III. retroſcripta litera Apoſt. affixa & publicata fuerunt ad valuas Principis Apoſt. de Vrbe, & Canc. Apoſt. & in acie Campi Floræ, ibique dimiſſis copiis affixis per nos Ioannem Andream Rogerium, & Ioannem Andream Panizzam prælibati S. D. N. Papæ, ac Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Curſ.

Iulius Parinus Mag. Curſ.

LXXIV. De dignitatibus & præbendis Eccleſiarum Inſulæ Sardiniæ, aliis Eccleſiis vnitarum, earumque ſuppreſſione, & Parochialium ad primæuum ſtatum reductione, ac Vicariorum in Parochialibus, quæ ſunt annexæ dignitatibus, &c. deputatione.

Edita A. D. 1568.

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Cauſa huius conſt.

QVantum animarum cura ceteras omnes ſuperat & excellit, tanto nos impenſius prouidere neceſſe eſt, vt id officij genus, omni vbique adhibita induſtria excolatur. Ex multis enim offenſionibus, quæ ad noſtram quotidie notitiam perferuntur, illam quoque grauiſſimam intelligimus, quod Canonici, & alij habentes dignitates, perſonatus & officia earum Inſulæ Sardiniæ Eccleſiarum, quas partim rerum inopia depreſſas, partim etiam æris inclementia deſertas, iampridem Apoſtolica Sedes proximis Metropolitanis, & aliis Cathedralibus Eccleſiis prouidenter adiunxit, quamquam perſonali in ipſis obſequio ſoluti reſidentiam detrectant atque refugiunt, apud parochiales Eccleſias, quæ ſunt, vel in præbendas ſuorum huiuſmodi canonicatuum inſtitutæ, vel prædictis dignitatibus, beneficiis, & officiis applicat, nullum habentes perpetuum Vicarium, vel alium proprium ſacerdotem, qui curam exerceat animarum. Rurſus multæ parochiales Eccleſiæ, ſiue pro præbendis habitæ, ſiue dignitatibus, beneficiis & officiis non vnitarum, nec ſuppreſſarum Eccleſiarum incorporatæ reperiuntur, quæ ſunt huiuſmodi Vicariorum ſolatio deſtitutæ.

Extinctio beneficiorū Eccleſiaſticorum Inſulæ Sardiniæ, aliis vnitorum, vel ſuppreſſorum, quæ habent parochiales vti præbendas, &c.

§. 1. Nos aduerſus periculoſam hanc negligentiam, volentes iuris proſecutione cauere, de nobis attributæ poteſtatis plenitudine extinguimus & abolemus omnes dignitates, etiam maiores & principales, necnon canonicatus, præbendas, perſonatus, adminiſtrationes, officia, ceteraque beneficia, omnium & ſingularum dictæ Inſulæ Eccleſiarum aliis vnitarum, vel etiam ſuppreſſarum, quæ parochiales Eccleſias habent vti præbendas, vel alias annexas, vbi non eſt vicaria perpetua conſtituta.

Reductio parochialiū ad primæuum ſtatum, &c.

§. 2. Ipſas vero parochiales Eccleſias ad primæuum ſtatum ſimplicem & liberum reuocamus, ita vt in earum collatione dehinc ab Ordinariis locorum facienda, Concilij Tridentini forma, quæ de parochialibus Eccleſiis ſuper hoc præſcripta eſt, omnino debeat obſeruari. Statuentes, vt quicumque dignitates, canonicatus, præbendas, beneficia, & officia prædicta ſic extincta, etiam plura, & diuerſis huiuſmodi Eccleſiis ex diſpenſatione Apoſtolica, aut alias obtinebant, ex quo iam amplius non ſunt, nullum in dictis principalibus Eccleſiis locum habere contendant, ſed ſingulas prædictas parochiales Eccleſias, vt ſimplices earum rectores retinentes, debeant ibi præſentes perpetuo reſidere, ac debita parochialia officia per ſe ipſos, vt congruit, exercere: nec vlli omnino id effugere, aut conſuetudine immemorabili, aliàue prætenſa iuris cautione defendi poſſint, etiam ſi eam cuiam ad ſolos Epiſcopos obiiciant pertinere, ſed eos qui canonica monitione præmiſſa in dictis parochialibus Eccleſiis præſentes reſidere neglexerint, cenſuris & pœnis omnibus contra non reſidentes, tam à dicto Concilio quam etiam noſtris, & aliis canonicis ſanctionibus impoſitis, volumus ſubiacere. Verum, ſi de pluribus etiam diuerſarum diœceſum parochialibus vnica dumtaxat præbenda conſtiterit, aut vnio de illis vni tantum dignitati, beneficio, vel officio ſic ſuppreſſo facta fuerit, ſinguli poſſeſſores, etiam qui plura ex ſuppreſſis prædictis obtinebant, vt præfertur, in vna parochiali Eccleſia dumtaxat perpetuo reſidentes, quam intra ſex menſes poſt publicationem præſentium eligere debeant ſi cenſuras & pœnas prædictas effugere voluerint, potuerunt, vita eis comite, in ceteris omnibus tolerari, dummodo reliquis Vicarij idonei ab Ordinariis locorum cum debito ſtipendio aſſignentur. Illis vero cedentibus & decedentibus, ſinguli rectores in ſingulis ordinentur, niſi forte loci propinquitas, rerum anguſtia, aliue legitima cauſa connexionem patiatur.

Deputatio Vicariorum in Parochialib. quæ ſūt annexa dignitatibus, &c.

§. 3. Porro Eccleſiis parochialibus, vel in præbendas canonicatuum erectis, vel dignitatibus, officiis, & beneficiis non vnitarum, nec ſuppreſſarum Metropolitanarum, Cathedralium, & aliarum dictæ Inſulæ Eccleſiarum perpetuo annexis, in quibus nullæ ſunt vicariæ hucuſque perpetuæ inſtitutæ, quoniam canonici & alij dignitates, officia & beneficia huiuſmodi obtinentes, in ipſis Metropolitanis, Cathedralibus, & aliis Eccleſiis deſeruire tenentur, prædicti Ordinarij locorum illas quàprimum ordinare, vel alias prouidere debeant, quemadmodum in generalibus, & prædicto Tridentino Conciliis dignoſcitur ordinatum portione fructuum, etiam ſuper certa re aſſignanda, ac per Vicarios propria auctoritate percipienda, quæ tamen centum annue non tranſcendat, inferior vero quam quinquaginta ſcutorum eſſe poſſit, quando ſine notabili principalis incommodo nequeat eſſe pluris, & ea ſit annonæ vtilitas, vt ſacerdos queat ex minori commode ſuſtentari.

Executorum deputatio, & facultates.

§. 4. Præcipimus igitur vniuerſis & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis per dictam Inſulam conſtitutis in virtute ſanctæ obedientiæ, vt prædicta omnia & ſingula in ſuis quiſque ciuitatibus, diœceſibus, & locis quamprimum exequantur, & inuiolate faciant ab omnibus obſeruari. Contradictores quoſlibet & rebelles per prædictas, quas viderint ipſi cenſuras & pœnas, ceteraque remedia opportuna, appellatione quacumque poſtpoſita compeſcendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Clauſula derogatoria.

§. 5. Non obſtantibus prædictis & noſtris de non tollendo iure quæſito, ac de Vicariis huiuſmodi aliter inſtituendis, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſiarum, in quibus canonicatus & præbendæ, ac dignitates, beneficia & officia prædicta conſiſtunt, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque, ſeu quod aliquibus communiter vel diuiſim, à dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut contra huiuſmodi ſtatuta & conſuetudines, ac priuilegia eis conceſſa, ad reſidentiam, & alia prædicta compelli non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de ſtatutis & conſuetudinibus, necnon Eccleſiarum, locorum, & perſonarum huiuſmodi mentionem, & quibuſlibet aliis priuilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, de quibus, quorumque totis tenoribus ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, quæ omnia contra prædicta nolumus cuiquam in aliquo ſuffragari. Quin etiam ex nunc irritum decernimus & inane, quicquid ſecus per quoſcumque quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Iuſſio publ.

§. 6. Ceterum mandamus eaſdem præſentes ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ publicari, earumque exempla de more applicari, volumuſque & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod literæ ipſæ ſic publicatæ, omnes & ſingulos abſentes, & vbique extra dictam Inſulam degentes, ac etiam monitiones, citationes, & inhibitiones per quemcumque Ordinarium edicto publico valuis ſuæ Cathedralis Eccleſiæ affigendo, vigore præſentium faciendæ, monitos, citatos, & inhibitos perinde arctent, ac ſi eis perſonaliter factæ fuiſſent.

§. 7. Quia

Digitized by Google

Transsumptorum fides.

§. 7. Quia vero difficile, & incommodum valde esset, easdem præsentes ad singula loca, vbi illis opus fuerit, transferre, similiter volumus, vt earum exemplis etiam impressis, manuque Notarij publici, & sigillo Prælati Ecclesiastici, vel eius curiæ obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum, &c.

D.P. An 3. die 1 Octob.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1568. Kalend. Octobris, Pontificatus nostri anno 3.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. 1568. Indictione 11. die vero 23. mensis Octobris. Pontificat. Sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno 3. retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem earumdem retroscriptarum literarum copiis, per nos Iulium Parinum, & Io. Bornotum præfatorum Sanctiss. D.N.PP. Curs.

LXXV. Decretum Concilij Tridentini de Clericorum sæcularium ad sacros ordines promotione, extenditur ad Clericos regulares siue sæculares more religiosorum in communi viuentes.

Contra male ad sacros, vel minores ordines, seu clericalem characterem ordinantes, & male ordinatos extat constit. Sanctiss. D. N. Vrb. VIII. 33. *Secretis.* inf. tom. 4.

Edita An. D. 1568.

IVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex sacrorum Conciliorum auctor & interpres, illa quæ in huiusmodi Conciliis à prudentibus patribus in Spiritu Sancto legitime congregatis salubriter sancita sunt, pro sui pastoralis officij debito, cum æquitas, honestas, & decus suadet, sicuti declarare, & moderari, ita etiam ad alios casus extendere consueuit.

Cõc. Trid. sess. 21 c. 2. de refor. statuit formam promouendi Clericos sæculares ad ordines sacros.

§. 1. Sane cum non deceat diuino ministerio adscriptos cum ordinis dedecore mendicante, aut sordidum aliquem quæstum exercere, sacro Tridentino Concilio inter alia decretum fuit, ne quis deinceps clericus sæcularis, quamuis alias moribus, scientia, & ætate esset idoneus, ad sacros ordines promoueretur, nisi prius legitime constaret eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficeret, pacifice possidere, vel alias ordinari non posset, nisi iuxta decreti ab ipso Concilio desuper editi formam & tenorem.

Ex casus modo hic expressis.

§. 2. Cum autem nulla in huiusmodi decreto religiosorum clericorum mentio facta fuerit, ac propterea nonnulli, vti moleste accepimus, certorum Ordinum religiosi, seu Canonici vel Clerici, intra claustra monasteriorum, seu domorum more regularium in communi viuentes, qui numquam, seu non nisi ad certum tempus professionem emittunt, & ex claustro exire, vel dimitti, ad sæculum redire libere & licite possunt, Religionis prætextu titulo sufficientis beneficij, nec iuxta dicti decreti tenorem ad sacros ordines se promoueri prætendunt, & à nonnullis Episcopis passim promoueantur, atque inde plerumque illud inconueniens eueniat, vt sic promoti, & è claustro exeuntes, & per sæculum vagantes, vel mendicare, vel sordidum quæstum exercere, non sine ipsorum dedecore, ac ordinis vilipendio, & quamplurimorum Christifidelium scandalo cogantur.

Pontifex illa extendit ad Clericos regulares more Religiosorum in communi viuentes.

§. 3. Nos igitur, qui singulorum Dei ministrorum honorem & decus, quantum in nobis est, sinceris exoptamus affectibus, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura sanctione, decretum prædictum de clericis sæcularibus loquens, ad omnes & singulos, etiam cuiuscumque ordinis Clericos religiosos, siue sæculares more religiosorum viuentes in communi, non professos, harum serie extendimus & ampliamus, ac religiosis & aliis prædictis non professis, vt ad sacros ordines promoueri, necnon omnibus & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habentibus, vt ordines ipsos huiusmodi Religiosis personis impendere, nisi obseruata forma dicti decreti nos virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ pœna, interdicimus & prohibemus, ac contrafacientes per annum à præstatione talium ordinum ipso iure suspendimus.

Promotiones; non seruata forma d. Concilij factas, nullas esse, & Ministrantes punire decernit.

§. 4. Statuentes & decernentes promotiones quarumlibet religiosarum personarum prædictarum ad ordines huiusmodi contra ipsius decreti Concilij Tridentini formam, etiam cuiusuis licentiæ illis ab Apostolica Sede vel illarum Superioribus cuiuscumque dignitatis, status, gradus, & præeminentiæ existant, si Pontificali dignitate fungantur, vel Cardinalatus honore præfulgeant concessæ, prætextu factas, executione prædictorum Ordinum omnino carere nullasque prorsus & irritas existere, sicque promotas personas in altaris ministerio ministrare non posse. Quinimo ministrantes, priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & aliis gratiis clericis concessis omnino priuari, & irregularitatis, aliasque in dicto decreto contentas pœnas eo ipso incurrere, à quibus nisi à Romano Pontifice, vel in mortis articulo minime absolui possint.

Cautula derogatoria apponit.

§. 5. Non obstantibus quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac quorumuis monasteriorum, & Ordinum, etiam iuramento, & confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis, illorumque superioribus & personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, restitutiuis & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere vel in specie, aut alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam si alias pro illorum sufficienti derogatione, de illis illorumque totis tenoribus specialis specifica & expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores, formas, datas & decreta in illis imposita, ac si de verbo ad verbum inserrentur, præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicationis formam tradit.

§. 6. Et vt præsentes literæ ad omnium notitiam perueniant, neue quis illarum ignorantia excusari possit, volumus & Apostolica auctoritate decernimus præsentes literas ad valuas Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Florę publicari, & earum exempla affigi & imprimi, illarumque exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici, & sigillo Prælati Ecclesiastici, vel eius curiæ obsignatis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 3. die 14. Octob.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, 1568. pridie idus Octobris, Pontificatus nostri anno 3.

Publicatio:

Anno à Natiuitate Domini 1568. Indictione vndecima, die vero 12. mensis Nouemb. Pontif. Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius 3. retroscripta litera Apost. affixa & publicata fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Cancell. Apost. & in acie Campi Florę, dimissis insuperius expressis locis præsentibus literis per aliquantulum temporis spatium affixis, & deinde, vt moris est, anotis per nos Thomam Gallarum, & Iulium Parinum præfatorum S.D.N. Pij Papæ V. ac Sanctæ Apostolicæ Sedis Curs.

Christianus de Monte Mag. Curs.

LXXVI. De solemni trium votorum substantialium professione regulari emittenda, & vna ex Regulis approbatis eligenda, ab omnibus qui in diuersis Congregationibus & domibus, sub voluntaria obedientia, & extra solemne votum Religionis viuunt, & habitum à sæcularibus presbyteris distinctum deferunt.

Digitized by Google

Edita An. D. 1568.

PIVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius constit.

LVbricum vitæ genus eorum veriti, qui regularium formam præ se ferentes, nec propriis renunciant, nec vllam profitentur ex regulis approbatis, quando horum plerique proprio instinctui obsequentes, alij odio incensi, alij, dum quod ambiunt minus consequuntur, alij vel dilapidatis vel interuersis rebus, & ad sese, vel propinquos translatis, vt ratiocinia effugiant, quidam etiam in suos ipsorum mores inquisitum iri præsentientes, quasi impunitatem adepturi, è sodalitio suo, vt lubet, exiliunt, ejectiſque illius insignibus, vestem recipiunt sæcularem, Hinc graues & periculosæ quotidie offensiones in populos concitantur, dum quos disciplinæ regulari perpetuo mancipatos credunt, rursus eos, etiam vbi conſueuerint, contempto post tot annos, & relicto, indignis sæpe modis, eius cui sese dediderant vitæ instituto liberos vident, & solutos in sæculum euagari. Cum igitur conueniat, vt cuius arma induit, eam miles militiam persequatur, hanc de prædictis rationem capere instituimus, vt vel permanendi, vel abscedendi facultate semel singulis proposita, certus deinceps & immobilis disciplinæ regularis cultus debeat in ipsis sodalitatibus perpetuo obseruari.

Viuentes sub obedientia voluntaria & extra solemne votum Religionis debent professionem trium votorũ emittere, sub vna ex Regulis approbatis.

§. 1. Itaque de nobis attributæ potestatis plenitudine, statuimus, vt omnes & singuli Priores, Præpositi, & alij Præsidentes Generales, Prouinciales, & Conuentuales, necnõ Canonici & Fratres S. Georgij in Alga Venetiarum ac Eremitarum S. Hieronymi, alias B. Petri Pisarum, & omnium ac quorumcumque aliarum Congregationum, necnon Ecclesiarum, domorum, & conuentuum, in communi, & sub obedientia voluntaria, & extra votum solemne Religionis viuentes, quorum habitus à sæcularibus presbyteris est distinctus, qui religionem amplecti, & professionem regularem solemnem emittere voluerint, id in suis quisque conuentibus, & domibus intra viginti quatuor horarum spatium, postquam Delegatus noster præsentes literas eis significauerit, palam & sponte deliberent & declarent; inde conuocato quamprimum per singulas huiusmodi Congregationes Generali vel alio supremo iuxta morem cuiuscumque Congregationis, Capitulo, ibique electa vna sub qua degant ex regulis approbatis, in quam maior pars vocum ipsius Capituli consenserit, trium votorum substantialium professionem regularem, intra mensem solemniter emittant, & in eam, tam ipsi quam illam deinceps ingressuri atque professuri, perpetuum ferant Altissimo famulatum. Sicque professi, vel in suis quisque prioratibus, præposituris, præsidentiis, administrationibus & officiis confirmentur, vel ad alia transferantur, prout cuique Congregationi & Superioribus suis videbitur vtilius expedire.

Cõtrauenientes coercẽãtur.

§. 2. Qui vero excurso iam anni spatio in ipsa Congregatione morati, refugerint intra tempus prædictum profiteri, detracto Religionis habitu, ac redditis etiam in vinculis, si opus sit, receptorum & administratorum omnium rationibus, eiiciantur, nec deinceps patiantur in vllis eiusdem Congregationis domibus seu conuentibus amplius conuersari. Quocirca mandamus vniuersis & singulis Prioribus, Præpositis, Generalibus, Prouincialibus, & Conuentualibus, ac aliis cuiuscumque dignitatis & nominis Ministris, necnon Conuentibus, Canonicis, Fratribus, & personis Congregationum huiusmodi, vt statutum nostrum prædictum, non expectata alia iussione, aut mentis nostræ declaratione, humiliter recipiant, & studiose obseruare procurent. Quod si forte aliqui in eo quo nunc sunt, statu, quem omnino tollimus & abolemus, contra nostrum hoc statutum persistere contenderint, singulos omni dignitate, officio, administratione & beneficio priuamus, & ad futura perpetuo indignos decernimus, excommunicationis quoque sententia innodamus eo ipso.

Clausula derogatoria.

§. 3. Non obstantibus fundationibus & institutionibus ac statutis & consuetudinibus congregationum, domorum, & conuentuum prædictorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque exemptionibus, & indultis Apostolicis, illis eorumque superioribus & personis, ac eorum singulis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & Sedem Apostolicam, etiam per modum statuti perpetui, ac initi & stipulati contractus, ac alias sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis, in genere & in specie, concessis & confirmatis, ac etiam aliis reformationibus, quotiescumque ac quocumque tempore factis & promulgatis, & quibuslibet aliis indulgentiis & literis Apostolicis, specialibus & generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ omnia tanquam abrogata, contra eorumdem præsentium tenorem nolumus cuiquam in aliquo suffragari.

Iussio publicandi.

§. 4. Ceterum mandamus præsentes ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ; ac in acie Campi Floræ publicari, & earum exempla de more applicari.

Fides transumptorum.

§. 5. Ac etiam volumus, quod ipsarum præsentium exempla etiam impressa, & Prælati Ecclesiastici, vel eius Curiæ sigillo, & Notarij publici manu obsignata, eamdem illam fidem vbique locorum, in iudicio & extra illud faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si ibi ostenderentur, aut exhiberentur.

D. P. An. 3. 17. Nouemb.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, 1568. 15. Kalend. Decembris, Pontificatus nostri anno 3.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1568. indict. 11. die vero 4. mensis Decembris, Pont. Sanctiſſ. in Christo patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno III. retroscriptæ literæ Apost. affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Basil. Principis Apost. de Vrbe, & Canc. Apost. & in acie Campi Floræ, dimiſſis in omnibus supradictis locis earundem retroscriptarum literarum copiis affixis, vt moris est, per nos Ioannem Freyle, & Iulium Parinum præfatos S. D. N. Papæ Curſ.

LXXVII. Confirmatio exemptionum Fratrum Militum Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, eorumque familiarium, &c. à solutione decimarum, & aliorum quorumcumque onerum. Et præseruatio iurisdictionis Ordinariorum quoad personas curam animarum exercentes.

Quoad exemptionem hoc idem voluit Greg. XIII. in constit. 60. Quo magis, necnon & Greg. XIV. vt in eius constit. 5. Quanta. *vbi notabo. Cætera autem de hac Malitia indicaui sup. in const. 2. Anast. IV.* Christianæ.

Quo vero ad dictam iurisdictionem Ordinariorum, attende aliam huius Pontificis sanctionem inf. in const. 136. *Exposcit.* & aliam Greg. XIII. in const. 67. *Circumspecta.*

Edita An. D. 1568.

PIVS PAPA QVINTVS
Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

ET si cuncta, quæ ex multa Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum prouidentia, in fauorem Militiarum quarumlibet in fidei Catholicæ defensionem salubriter institutarum processerunt, executioni debitæ demandanda esse censemus, illa tamen præcipue quæ ad illarum statum prospere dirigendum per eosdem Romanos Pontifices prudenter concessa comperimus, vt illibata firmaque perpetuo subsistant, libenter approbationis nostræ munimine roboramus.

Leo X. & alij concesserunt exẽptionem à decimis & aliis oneribus.

§. 1. Cum itaque sicut accepimus, licet alias felicis recordationis Leo Decimus, Clemens Septimus, Paulus Tertius, & Pius Quartus Romani Pontifices prædecessores nostri, inter alia priuilegia & indulta Dilectis filiis Magistro & Conuentui Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani à Sede Apostolica concessa, eumdem & pro tempore existentem Magistrum, Baiulinos, Castellanum Empostæ, Priores, Præceptores, Milites, aliasque personas Hospitalis huiusmodi, necnon eorum subditos, vassallos,

Digitized by Google

sallos, colonos, & seruitores, ac alios in eorum obsequiis, & dicti Hospitalis beneficiis quomodolibet nuncupatis existentes, etiam presbyteros curam animarum exercentes, quamdiu illam exercerent, & in illorum obsequiis forent, illorumque animalia, prædia, domos, molendaria, & bona quæcumque, quæ obtinebant, ac in posterum obtinerent & possiderent, à solutione & exactione decimarum, censuum, iurium etiam synodalium & canonicarum portionum, seu charitativi subsidij, aut iucundi aduentus, seu quartæ, aut alias quomodolibet, aut aliorum quorumcumque onerum, sub certis modo & forma exemerint & liberauerint, & prout in diuersis ipsorum prædecessorum desuper confectis literis plenius continetur.

Ordinarij tamen Milites desuper molestabant vigore Conc. Trid sess. 23. c. 18.

§. 2. Et licet priuilegia, exemptiones, libertates, & indulta præfata, si vmquam à primæua erectione dicti Hospitalis, nunc præcipue fauore & complemento digna sint, cum ipsi pro fide Catholica defendenda non modo facultates & fortunas, verum etiam eorum vitam & sanguinem perdere non dubitauerint: nihilominus diuersi locorum Ordinarij, & parochialium Ecclesiarum Rectores, ac multæ capitulares personæ id sibi omnino, iuxta sacri Concilij Tridentini decreta, licere asserentes, eosdem Magistrum, Baiuliuos, Castellanum Empostæ, Priores, Præceptores, Milites, & personas, diuersis oneribus contra eorum priuilegia pergrauare, illosque ad decimas, census, subsidia etiam charitatiua, congruas portiones, iucundum aduentum, pastor bonus, aut alias nuncupata onera, etiam iura synodalia cogere præsumant, in graue ipsius Hospitalis detrimentum & grauamen.

Hic ideo Pōt. eamdem exēptionē approbat, & iterato concedit.

§. 3. Nosque attendentes quod nuper inter alia Mendicantium Ordinum fratribus concessa priuilegia, eos & eorum quemlibet, tam à seminarij clericorum in qualibet ciuitate, iuxta eiusdem Concilij Tridentini decreta erecti, seu erigendi, quam decimarum, subsidij, & aliorum onerum contributione totaliter exemisse & liberasse, præfatosque Magistrum, Baiuliuos, Priores, Castellanum Empostæ, Præceptores, Milites, Fratres, & personas non minus dignos esse, vt eos paribus fauoribus & gratiis prosequamur, illosque & eorum singulos ac singulares dicti Hospitalis personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon omnium & singulorum priuilegiorum, indultorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, libertatum, & gratiarum, per præfatos, & alios quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam Hospitali, illiusque Magistro, Conuentui, & Fratribus Militibus, aliisque quibusuis personis præfatis hactenus concessorum, ac literarum desuper confectarum tenores præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, non ad Magistri & Conuentus Hospitalis huiusmodi, aut alicuius alterius super hoc pro eis nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & de mera nostra liberalitate, ac Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula priuilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates, & alias gratias, eisdem Magistro & Conuentui quomodolibet concessa, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes & singulos, tam iuris quam facti defectus, siqui forsan interuenerint in eisdem supplemus.

Clauſ. derog. apponit.

§. 4. Decernentes præsentes literas nullo vmquam tempore, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod locorum Ordinarij vocati non fuerint, notari, impugnari, vel inualidari minime posse, minusque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, limitationibus, restrictionibus, & derogationibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas esse, sicque ab omnibus censeri. Et ita per quoscumque Iudices & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac irritum & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 5. Quocirca dilectis filiis in Regnis Hispaniarum, & Neapolitano nostris & Sedis Apostolicæ pro tempore existentibus, Nunciis, aut Curiæ earum Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum per se vel alium seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Magistri & Conuentus fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eosdem Magistrum & Conuentum, confirmatione, approbatione, adiectione, suppletione, decreto, & aliis præmissis pacifice vti, frui, & gaudere, non permittentes eos per Ordinarios præfatos, aut quoscumque alios contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari, contradictores quoslibet & rebelles, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita compescendo; ac legitimis super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas huiusmodi incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggrauando, interdictum Ecclesiasticum apponendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstante piæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas auctoritate præsentium ad iudicium non extrahatur, ac aliis quibusuis Apostolicis, necnon in Prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus & ordinationibus, necnon iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibusuis personis, etiam præfatis locorum Ordinariis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam Motu & scientia similibus, etiam consistorialibus, & de fratrum nostrorum consilio, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis & innouatis, quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores; ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Concilij Tridentini obseruari.

§. 7. Volumus autem quod præsentes literæ non comprehendant neque Ecclesias, neque personas in his quæ ad curam animarum pertinent, in quibus decreta Concilij Trident. huiusmodi omnino seruari debeant.

D. P. An. 3. die 19. Nou.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 29. Nouembris 1568. Pontificatus nostri Anno tertio.

Constitutio Congregationis Clericorum regularium S. Maioli, alias de Somascha sub Regula Sancti Augustini, cum priuilegiorum elargitione. LXXVIII

De origine & aliis quæ eam concernunt, notaui sup. in const. 21. Paul. III. Ex iniuncto.

PIVS PAPA QVINTVS,
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1568

Exordium.

INiunctum nobis desuper Apostolicæ seruitutis officium, digne peragere cupientes, si ad ea per quæ Congregationes

gregationes præsertim Orphanorum causæ institutæ, facilius stabiliri,& firmius conseruari valeant,considerationis aciem extendamus.

Paul.† III.huic Congregationi caput sibi eligẽdi, facultatem dedit, & alias vt sup. in eius const. 11. Ex iuncto & ipse Paulus ac Pius IV. nonnullas gratias cõcesserit, sed Pij const. non posui, quia in ea contenta, & maiora sunt in aliis const indicatis in d. const. Paul. III. Card. Borromæus Ecclesiã S. Maioli Papien. eidem Cõgregationi cõcessit,& hic Pont.d.cõcessionem confirmauit, eius tamen bullam non posui.

§. 1. Sane exponi nobis nuper fecerunt dilecti filij, Sacerdotes Clerici & laici Congregationis loci de Somalcha Mediolanen. diœcesis dudum canonice institutæ, quod alias fel. record. Paulus Papa III. prædecessor noster Congregationi prædictæ, cuique Hieronymus Emilianus olim patricius Venetus vir eximiæ pietatis insignis, Spiritu Sancto, vt pie creditur, afflatus, omnibus sæculi curis posthabitis, initium antea dederat, quamque multi illius exemplo adducti amplexi fuerant, & in Ianuen Mediolanen Ferrarien aliisque Italiæ Ciuitatibus & Vrbibus acciti illam dilatauerant, caput sibi eligendi,constitutiones condendi facultatem concessit,eamque ab Ordinariorum superioritate, iurisdictione, & potestate exemit, ac tam ille quam deinde piæ memoriæ Pius Papa IV. etiam prædecessor noster dictam Congregationem, nonnullis aliis priuilegiis & gratiis prosecuti fuerint.

§. 2. Necnon succeſſiue dilectus filius noster Carolus tituli Sanctæ Praxedis presbyter Cardinalis Borromæus nuncupatus, sufficienti ad id facultate, vt asserebat suffultus dictæ Congregationi Ecclesiam S. Maioli Papien olim per Monachos Cluniacen Ordinis obtineri solitam, certis annuis redditibus illi assignatis donauit. Nosque postmodum donationem prædictam Apostolica auctoritate approbauimus, prout in singulis prædecessorum, & Caroli Cardinalis prædictorum patentibus, ac nostris literis desuper confectis plenius continetur.

Ideoq; d.Congreg.d. Ecclesiam caput aliarum constituit.

§. 3. Quarum literarum vigore, prædicti Sacerdotes, Clerici & laici Ecclesiam prædictam in domum patrimonialem, & tanquam aliarum Ecclesiarum dictæ Congregationis caput pro futuris Præposito qui inibi resideat,ac vna cum aliis deputandis professis, non solum illius,sed etiam aliarum Ecclesiarum eiusdem Congregationis curam,regimen & administrationem habeat,necnon professis, qui dicto Præposito reuerentiam & obedientiam præstent, sibi delegerunt.

Orphanos etiam bonis actib. erudire, curamque Seminariorum Clericorũ gerere studuit, ideoq; non est dubium quod perpetuo duratura est. Veruntamen ex causis hic expressis, eam melius stabiliri exoptatur.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, licet iidem Sacerdotes,Clerici & laici religiose admodum viuant, ac præcipue inter alia pietatis opera, Orphanorum in disciplina Christiana, bonisque artibus, & literis secundum cuiusque ingenij captum erudiendorum, ac nonnullis in locis Seminariorum Clericorum curam summo cum studio gerunt, ac propterea dubium non sit, quin hæc Congregatio perpetuo duratura sit.

§. 5. Nihilominus quia plerique illorum ob professionem non emissam, existimantes se non vere religiosos, ab illa recedunt, & ad aliquam religionem conuolant, alij pauperes,non habentes titulum beneficij,& patrimonium, repugnante Concilio Tridentino,ad ordines promoueri nequeuntes,aut aliis rationibus adducti,aliud viuendi genus eligunt, multi ipsius Congregationis Sacerdotes, Clerici& laici ad firmius stabiliẽdam huiusmodi Congregationem, & ad obuiandum hisce & aliis inconuenientibus tria Vota, videlicet Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ emittere summopere desiderant, si ad id nostra, Sedisque Apostolicæ suffragetur auctoritas. Quare iidem Sacerdotes, Clerici & laici nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus illi vota prædicta in manibus alicuius Prælati Ecclesiastici emittendi licentiam concedere, & alias perpetuæ illius Congregationi, & Orphanorum prædictorum vtilitati consulere, opportuneque prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic modo Põtifex normam emittẽda professionis & sub Clericali habitu regulã S. Augustini profitendi præscribit.

§. 6. Nos igitur qui piis, honestisque petentium votis gratum solemus præstare assensum, dictorum Sacerdotum, Clericorum & laicorum, piam vitam, optimumque viuendi modum, & instituti propositum plurimum in Domino collaudantes, ipsosque & eorum singulos, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis,à iure vel ab homine,quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon prædictarum literarum, & inde secutorum quorumcumque tenores præsentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati,prædictis Sacerdotibus,Clericis & laicis vota prædicta emittere volentibus, illa in manibus alicuius Prælati Ecclesiastici per Congregationem huiusmodi ad id eligendi donec sex ex ipsis fuerint professi,& sibi præpositum ipsius Congregationis generalem, secundum illorum Constitutiones factas seu faciendas, eligendum & confirmandum elegerint;& deinde dictis sex professis, & electo Præposito, omnibus & singulis aliis Christifidelibus, etiam in Orphanotrophiis educatis & eruditis, dictam religionem ingredi volentibus in ipsius Præpositi, seu illius Vicarij manibus emittendi & profitendi, ac sub Regula S.Augustini,in habitu tamen clericali & honesto, ac locis in quibus vixerint conformi incedendo viuendi, necnon Prælato, & Præposito, Vicarioque prædictis vota huiusmodi in manibus illorum recipiendi, liberam facultatem concedimus, ac quod infra triennium proxime futurum, hi, qui per decennium in dicta Congregatione laudabiliter vixerint, vota prædicta emittere volentes, non expectato anno probationis, triennio vero elapso huiusmodi, alij ipsa vota emittere volentes,non nisi elapso anno probationis,& completo anno decimosexto suæ ætatis in Ecclesia prædicta, aut alibi, vbi commodius Præposito seu Vicario visum fuerit, vota prædicta, ita vt non sit locus tacitæ professioni, emittere, & profiteri. Quodque præfati & pro tempore existentes Præpositus, Sacerdotes, Clerici& laici sub dicta regula, secundum constitutiones per eos factas seu faciendas viuere.

Bonaq; etiam stabilia recipiendi, & in communi possidendi facultatem elargitur.

§. 7. Omniaque & singula quæcumque, quotcumque & qualiacumque, bona mobilia seu immobilia, dictæ Congregationis, seu illius locis vel Ecclesiis, ab Vniuersitatibus, Communitatibus, & aliis etiam priuatis personis cuiusuis status, gradus, ordinis, qualitatis, & præeminentiæ existant, testamentò, vel codicillis, aut alia vltima voluntate, seu donatione, etiam inter viuos, aut alias quomodolibet, necnon oblationes sibi relicta,& relinquenda recipere, exigere,& in communi tantum possidere, libere & licite possint & valeant.

Et Congregationem istam Clericorum regularium S. Maioli siue de Somascha denominari iubet.

§. 8. Quodque de cetero Congregatio prædicta, Clericorum Regularium Sancti Maioli, siue de Somascha appelletur, similiter perpetuo statuimus & ordinamus.

Legataq; similiter relicta Ecclesiæ S. Maioli applicari posse decernit.

§. 9. Ac insuper quomodocumque relicta Congregationi prædictæ, & non aliter expresso & declarato loco, ex nunc prout ex tunc, & econtra Ecclesiæ S.Maioli, ita quod liceat pro tempore existenti Præposito, per se vel alium seu alios, dictorum relictorum fructus & emolumenta, in sibi bene visos, & necessarios vsus & vtilitatem Ecclesiæ S. Maioli, & Congregationis prædictæ, libere & licite conuertere, Diœcesani loci, vel cuiusuis alterius licentia desuper minime requisita, auctoritate & tenore præmissis etiam perpetuo applicamus & appropriamus.

Clausulas huius cõstitutionis præseruatiuas apponit.

§. 10. Decernentes præsentes literas, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis, alioue vitio seu intentionis nostræ defectu, notari, argui, & impugnari, ac reuocari, limitari, moderari, suspendi,aut illis derogari,& sub quibusuis similium gratiarum reuocatione, derogatione, limitatione, moderatione, suspensione, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi non posse. Et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum, restituta ac de nouo concessa, & perpetuo valida & efficacia esse,ac fore,suosque plenarios & integros effectus sortiri.

Clausulã subinde addit

§. 11. Ac ita per quoscumque Iudices & Commissarios quauis auctoritate fungentes, sublata eis ac eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac ex nunc irritum & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executores q; deputat.

§. 12. Quocirca Venerab. fratribus Ameriñ & Papien ac Cremonien Episcopis, per præsentes mandamus quatenus ipsi, vel duo aut vnus eorum, per se vel alium, seu alios, Congregationi, & futuro Præposito huiusmodi, ac illius singulis personis, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra, Congregationem,

Digitized by Google

gationem, illiusque Præpositum, & singulas personas concessione, indulto, statuto, ordinatione, applicatione, appropriatione, & decreto huiusmodi, pacifice frui & gaudere. Non permittentes eos, desuper per quoscumque contra præsentium tenorē quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet & rebelles, ac præmissis non parentes, per censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque iuris remedia, appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis, seruatis processibus, illos censuras & pœnas ipsas incurrisse declarando, necnon eas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Contraria tollit.

§.13. Non obstantibus præmissis, ac rec. mem. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præsentium vltra tres dietas ad iudicium nō euocetur, & aliis quibusuis constitutionib. & ordinationibus Apostolicis, necnon ipsius Congregationis, ac quorumuis Monasteriorum & Ordinum, etiam iuramento, & confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus & personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficaciorib. efficacissimis, reiteratis & insolitis clausulis, irritan. & aliis decretis, in genere vel in specie, & alias quomodolibet iteratis vicibus, concessis, confirmatis & innouatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si alias pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio seu quæuis alia expressio habenda, vel aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorū tenores præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mētionem.

D. P. An. 3. die 6. Dec.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 6. Decembris 1568. Pontificatus nostri Anno tertio.

LXXIX. Reformatio contractuum de annuis censibus creandis, alienandis, & redimendis. Et declaratio quarumdam dubitationum desuper exortarum.

Quoad quantitatem quæ ex censibus Communitatum Status Ecclesiastici percipi potest extat const. 6. Clem. VIII. Quæ ad subleuationem.

Edita An. D. 1569. & 1570.

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

CVm onus Apostolicæ seruitutis obeuntes, cognouerimus innumeros celebratos fuisse, & in dies celebrari censuum contractus, qui nedum non continentur intra limites à nostris antecessoribus eisdem contractibus statutos, verum etiam quod deterius est, contrariis omnino pactionibus, propterea ardentem auaritiæ stimulum, legum etiam diuinarum manifestum contemptum præseferunt, non potuimus animarum, prout tenemur saluti consulentes, ac piarum mentium petitionibus etiam satisfacientes, tam graui morbo, lætiferoque veneno salutari antidoto non mederi.

Causa huius reformat.

§.1. Hac igitur nostra constitutione statuimus, censum seu annuum redditum creari, constituive nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit.

Census creandus est super certo re immobili fructifera.

§.2. Rursum nisi vere in pecunia numerata, præsentibus testibus, ac Notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem prius, recepto integro iustoque pretio.

Et ubi pecunia numerata Solutiones anticipatæ prohibentur.

§.3. Solutiones quas vulgo anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus.

§.4. Conuentiones directe aut indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus.

Onerosi contra naturam contractus.

§.5. Quemadmodum nec pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam, quia volumus rem ipsam semper, & libere, ac sine solutione laudemij, seu quinquagesimæ, aut alterius quantitatis, vel rei, tam inter viuos, quam in vltima voluntate, alienari.

Et pacta auferentia facultatem alienādi.

§.6. Vbi autem vendenda sit, volumus dominum census aliis omnibus præferri, eique denunciari conditiones quibus vendenda sit, & per mensem expectari.

In re vendēda præferitur dominus census.

§.7. Pacta continentia morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas, aut certa salaria, aut ad salaria, seu expensas medio iuramento creditoris liquidandas, aut rem censui subiectam, siue aliquam eius partem amittere, aut aliud ius ex eodem contractu, siue aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita sint & nulla.

Pacta contra morosi, quæ licita, & quæ non.

§. 8. Immo & census augeri, & nouum creari super eadem, vel alia re in fauorem eiusdem, aut personæ per eum suppositæ pro censibus temporis vel præteriti vel futuri, omnino prohibemus.

Census augeri vel creari non potest de fructibus.

§. 9. Sicuti etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem alias de iure, & ex natura contractus non spectarent.

Omnia extranea prohibentur.

§.10. Postremo census omnes in futurum creandos, non solum re in totum vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui. Non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabili, immo centum & plurium annorum præscriptione, non obstantibus aliquibus pactis directe aut indirecte talem facultatem auferentibus, quibuscumque verbis, aut clausulis concepta sint.

Census perit pro rata rei censuata perempta.

§.11. Cum vero traditione pretij redditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denunciari ei, cui pretium dandum erit, & post denunciam, intra annum tamen, etiam ab inuito pretium repeti posse, & vbi pretium, nec volens intra bimestre soluat, nec ab inuito intra annum exigatur, volumus nihilominus quandocumque redditum extingui posse, præuia tamen semper denuncia de qua supra, & non obstantibus his, de quibus supra, idque obseruari mandamus etiam quod pluries ac pluries denunciatum fuisset, nec vmquam effectus secutus fuisset.

Redimi quādo possit.

§.12. Pacta etiam continentia pretium census extra casum prædictum, ab inuito, aut ob pœnam, aut ob aliam causam repeti posse, omnino prohibemus.

Repeti ab inuito non licet.

§.13. Contractusque sub alia forma posthac celebrandos fœneratitios iudicamus. Et ita illis propterea non obstantibus, quicquid, vel expresse vel tacite contra hæc nostra mandata dari, rémitti, aut dimitti contingat, à Fisco volumus posse vendicari.

Cōtractus all. ser instit fœneratitij iudicātur, & pœna Fisco soluitur.

§. 14. Hanc autem salutiferam sanctionem nedum in censu nouiter creando, verum etiam in creato quocumque tempore aliénando, modo post publicationem constitutionis creatus sit, perpetuo, & in omnibus seruari volumus.

Hæc bulla quos census capiat.

§. 15. Declarantes pretium semel censui constitutum nunquam posse, ob temporum aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, nec quoad vltimo contrahentes, minui vel augeri.

Pretium constitutum non immutādum.

§.16. Et licet legem ipsam ad contractus iam celebratos non extendamus, illos tamen omnes in quos sub alia forma peruenerunt census, hortamur in Domino, vt singulos contractus censuræ bonorum religiosorum subiiciant, & animarum saluti consulant.

Hortatio vt census aliter facti subiiciātur cēsuræ Religiosorum.

§.17. Non obstantibus quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, statutis & consuetudinibus, necnon priuilegiis & literis, etiam per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos sub quibuscumque tenor. & formis, ac cum quibusuis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, necnon irritantibus decretis, ex quauis causa etiam per modum legis vniuersalis, aut alias quomodolibet editis, siue in fauorem Vniuersitatum, Communitatum, Collegiorum, Congregationum, Ciuitatum, & locorum concessis, approbatis

Digitized by Google

approbatis & innouatis,quibus omnibus & singulis,illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, quatenus directe vel indirecte præsenti nostræ constitutioni,in toto vel in parte contrarientur,specialiter & expresse derogamus, ceteriſque contrariis quibuscumque.

Derogatio cõtrariorum.

§. 18. Volumus autem quod præsentes in Cancellaria & acie Campi Floræ publicentur, & inter constitutiones extrauagantes perpetuo valituras conscribantur.

Iussio public. & describ.

§. 19. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus & etiam declaramus, quod earum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis,ac sigillo alicuius Prelati munitis,eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prohibitionis, annullationis, statuti, mandati, hortationis, derogationis, declarationis, & voluntatis infringere,vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D.P. An 4. die 19. Iann.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quartodecimo Kaled. Februarij, Pontificatus nostri anno quarto.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1569. Indict. 12. die vero 29. mensis Ianuarij, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius quarto, retroscripta litera Apostolica affixa, & publicata fuerunt Romæ in locis retroscriptis,videlicet ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Caupi Floræ, per nos Camillum Cherubinum, & Christianum de Monte, præfatis S.D.N. Papæ Curs.

Io.Guer.Mag.Curs.

Admissio in Cam. Apost.

Lecta & publicata fuerunt retroscripta litera Romæ in Cancellaria Apostolica, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono, die vero Sabbati vigesimanona mensis Ianuarij Pontificat. S.D.N. Pij Papæ V. anno 4.

Sequuntur declarationes dubitationum desuper exortarum.

Edita An.D. 1570.

PIVS PAPA QVINTVS *Ad futuram rei memoriam.*

Proœmium.

ETsi Apostolica Sedes magna adhibita industria operam dat, omnia perspicue promulgare, vix tamen est, vt vmquam satisqueat vsquequaque cauere, quin scrupulosæ quorumdam mentes, nouos illi sensus inducant, quorum perplexitate, multi in dubium euocantur.

Relatio præcedentis constitutionis.

§. 1. Pridem enim per constitutionem nostram de censuum creatione, inter alia voluimus. Census omnes in futurum creandos, non solum re, in totum vel pro parte peremptа, aut infructuosa in totum effecta,ad ratam perire, sed etiam pro eodem pretio extingui posse. Ac pacta continentia morosum census debitorem, ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu salaria, & expensas medio creditoris iuramento liquidandas teneri, aut rem censui subiectam, siue aliquam eius partem amittere, aut aliud ius, siue ex eodem contractu, siue aliunde acquisitum perdere,aut in aliquam pœnam cadere,ex toto nulla atque irrita esse. Censum autem seu annuum redditum, non nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habetur, ex sui natura fructifera, atque nominatim certis finibus designata sit, sed nec censum ipsum, nisi vere in pecunia numerata, præsentibus Notario & testibus in actu celebrationis instrumenti, non autem prius, recepto integro, iustoque pretio, creari, constituiue nullo modo posse.

2. dubium desuper exortũ circa infructuositatem.

§. 2. Deinde per dilectum filium Octauium Spinolam Regni Siciliæ Magistrum Portulanum hac de causa ad nos destinatum, accepimus in dicto Regno Siciliæ scrupulum exoriri,an rerum prædictarum infructuositas etiam annalis, aut alias temporalis intelligatur.

2. dubiũ circa expensas.

§. 3. Et an per nullitatem pactorum, & aliorum prædictorum, etiam ius recuperandi, siue repetendi impensas, quas litigando contra morosos prædictos, aut executores ad eorum loca transmittendo, aut alias ex Iudicum mandato subire oportet, auferatur.

1. dubiũ circa cautelas.

§. 4. Præterea an tam pro ipsis expensis, quam etiam pro censu recuperando contra tertium possessorem procedi. Et etiam fideiussores dati, aliaue bona pro prædij censu grauati euictione,& ipsius census solutione hypothecari. Denique an census huiusmodi super pluribus rebus inter se diuisis constitui possint.

4. dubiũ circa census dotales.

§. 5. Postremo an id quod de pecunia numerata dicitur, prohibeat quominus in dotium assignatione census creari possit.

Solutio 1. dub.

§. 6. Nos hæc discrimina quantum in nobis est tollere cupientes,tenore præsentium declaramus,rem infructuosam, quæ tota vel ex parte infructuosa perpetuo redditur, non autem ex qua fructus vno,duobus,pluribusue annis, siue tempestate, siue alio casu non proueniunt,salua alias iuris communis dispositione, intelligi debere.

Solutio 2. dub.

§. 7. Præterea exactionem illarum expensarum prohiberi, quæ ex pacto vel conuentione tantum inter contrahentes inita, & instrumento census specialiter appositæ refici permittuntur, non autem eæ quæ ex dicti iuris dispositione repetendæ veniunt,& mandato Iudicis adiudicantur.

Solutio 3. dub.

§. 8. Ceterum fideiussores dari, aliaue bona hypothecari pro prædij census grauati euictione, aut si prædium in alium deuenerit, aut si aliquis tertius fideiussor interceſſerit, tertium possessorem, vel eius bona obligari minime prohibemus.Hæc autem omnia pro euictione dumtaxat, non autem solutione pœnæ adiudicari posse intelligimus.

Solutio 4. dub.

§. 9. Postremo in dotium assignandarum casu censuum creationem, & constitutionem prædictam respectu actualis numerationis coram Notario & testibus faciendæ, locum non habere. Sed in hoc casu census ipsos etiam pecunia ad manum non habita creari posse declaramus.

Propositio & resolutio alterius dubij,circa pecuniam præsentem & cedulam bancariam.

§. 10. Denique vt periculis quæ ex transportatione pecuniarum frequenter in dicto Regno eueniunt occurratur, permittimus, vt si in creatione census pecuniam ad manum commode haberi nequierit, illius loco, emptor apocam, siue cedulam bancariam idoneam integri pretij venditori in ipso emptionis actu debeat exhibere.

Præseruatio præced. const. in reliquis. Fides transumptorum.

§. 11. Constitutione nostra prædicta, tam in casu dotium, quam ceteris omnibus in ea contentis, in suo robore permanentibus.

§. 12. Volumus autem vt præsentium exempla etiam impressa, Notarij publici manu, & Prælati Ecclesiastici, eiusve Curiæ sigillo obsignata, eamdem illam prorsus, tam in iudicio quam extra illud, fidem faciant, quam ipsamet præsentia facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An 5 die 10. Iunij.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 10. Iunij 1570. Pont. nostri anno 5.

Iudæorum expulsio ab omnibus locis dominij S. R. E. eiusque subditorum, præterquam ab Vrbe Roma, & Ciuitate Ancone. LXXX.

De materia Iudæorum notaui sup. ad const. 3. Paul. IV. Cum nimis.

Edita An.D. 1569.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Causa huius constit.

HEbræorum gens sola quondam à Domino electa, quæ diuinis eloquiis infusa, cælestium mysteriorum particeps esset, quantum ceteris omnibus gratia & dignitate excelluit, tantum postea incredulitatis suæ merito, contempta & neglecta in præceps meruit deturbari, quod aduenientе temporis plenitudine perfida & ingrata suum Redemptorem indigna morte peremptum impie reprobarit. Amisso namque sacerdotio, legis auctoritate adempta, propriis diiecta sedibus, quas tanquam lac & mel fluentes,clementissimus & benignissimus Deus iam inde à prima ipsius gentis origine illi præparauerat, terrarum Orbem tot iam sæculis peregrans, inuisa, probris

Digitized by Google

probtis contumeliisque omnibus obiecta,fœdas, & infames quasque artes, quibus famem tolerare possit, haud secus quam vilissima mancipia, cogitur attrectare. Sed Christiana pietas hunc ineluctabilem casum in primis commiserans, illam humanius satis apud se passa est diuersari,vt scilicet crebro illius intuitu passionis Dominicæ memoria fidelium oculis frequentius obuersetur, simulque ea exemplis,doctrina, monitis, ad conuersionem & salutem,quæ reliquiis Israel, Prophetæ oraculo futura est) amplius inuitetur, à qua, si Christianorum sedibus exposa, ad eas gentes quæ Christum non norunt diuerteret,magis magisque aliena reddetur. Verumtamen illorum impietas pessimis omnibus artibus instructa, vsque eo processit, vt iam pro communi nostrorum salute expediat tanti morbi vim celeri remedio prohibere. Nam vt tam multa vsurarum genera omittamus, quibus Hebræi egentium Christianorum substantiam vsquequaque exinaniuerunt, perspicuum satis putamus eos, furum & latronum receptores, atque participes, qui quasque res ab iis subrepras, & interuersas, non modo profanas, sed etiam diuino cultui seruientes ne internoscantur, aut ad tempus supprimere,aut alio trasferre,aut omnino transformare conantur, plerique etiam specie tractandæ rei proprio exercitio conuenientis, honestarum mulierum domos ambientes, multas turpissimis lenociniis præcipitant, quodque omnium perniciosissimum est, sortilegiis, incantationibus, magicisque superstitionibus & maleficiis dediti, quamplurimos incautos atque infirmos Sataneæ præstigiis inducunt, qui credant euentura prænunciari, furta, thesauros, res abditas reuelari, multaque præterea cognosci posse, quorum ne inuestigandi quidem facultas vlli omnino mortalium est permissa. Postremo cognitum satis, & exploratum habemus, quam indigne Christi nomẽ hæc peruersa progenies ferat, quam infesta omnibus sit, qui hoc nomine censentur, quibus denique dolis illorum vitæ insidietur. His aliisque grauissimis rebus adducti & augescentium quotidie ad Ciuitatum nostrarum perniciem scelerum grauitate permoti, cogitantes præterea supradictam gentem præter mediocres ex oriente commeatus nulli Reipublicæ nostræ vsui esse, nostris vero populis, qui præsertim à nobis aliquanto temotiores sunt, conducibilius fore illius nomen, flagitia, miserias aliunde ad se relatas audire, quam vllo charitatis stimulo eam in suo deinceps sinu vt antehac confouere.

Iudæi omnes discedant de locis dominij S.R.E Romæ, & Ancona exceptis, infra tres menses à die publicationis.

§. 1. Auctoritate præsentium præcipimus, vt omnes & singuli vtriusque sexus Hebræi in omni ditione nostra temporali, & sub ea consistenti um Ciuitatum, Terrarum, & locorum domicellorum, Baronum aliorumque dominorum temporaliũ, etiam merum & mixtum imperium, ac vitæ necisque potestatem, & quamcumque aliam iurisdictionem atque exemptionem habentium, de ipsis omnino finibus intra trium mensium spatium postquam præsentes literæ hic fuerint publicatæ, omnino excedant.

Inobedientium pœna.

§. 2. Quibus præteritis quicumque, siue incolæ, siue peregrini, siue præsentes, siue futuri, in quacumque dictæ ditionis Ciuitate, Terra, vel loco, etiam Domicellorum, Baronum, Dominorum, & aliorum exemptorum prædictorum quandocumque inuenti fuerint, rebus omnibus spolientur, & Fisci iuribus applicentur, mancipia Rom. Ecclesiæ fiant, & in perpetuam seruitutem asserantur dictaque Ecclesia illud idem ius in eos quod ceteri Domini in seruos, & mancipia, sibi debeat vendicare. Vrbe Roma & Ancona dumtaxat exceptis, vbi eos solos Hebræos, qui nunc eas habitant, ad prædictã memoriam amplius excitandã persequẽdasque cum orientalibus negotiationes, mutuosque commeatus, cum eisdem permittimus tolerandos; cum eo tamen, vt nostras, & prædecessorum nostrorum, aliasque canonicas de eis constitutiones studeant obseruare; sin minus, in pœnas omnes quæ dictis constitutionibus continentur, quasque in hoc innouamus, eo ipso incidant. Futurum enim speramus, eos qui præsertim nostro, & huius Sedis conspectui proximi sunt, noxæ metu à maleficiis temperaturos, & interdum aliquos, vti antehac nostro quoque hortatu satis multis contigit, lumen veritatis cum gaudio agnituros. Sed neutri ad alteros, nec in alium dictæ dition s locum vllo tempore demigrent, nec proficiscantur, neque quempiam ex proscriptis ad se recipiant, si seruitutis iugum, & supplicia voluerint euitare. Iubemus igitur omnium Prouinciarum, Ciuitatum & locorum dictæ ditionis Legatos, Gubernatores, Præsidentes, Prætores, & Magistratus, ac etiam locorum Ordinarios, necnon Domicellos, Barones, Dominos, & exemptos supradictos, ac quoscumque alios ad quos id pertinet, vt quisque pro se, nulla alia à nobis expectata iussione, aut mentis declaratione omnia prædicta quamprimum exequantur, & caueant diligenter, vlli posthac Hebræi ad ipsas Prouincias, Ciuitates, & loca etiam Domicellorum, Baronum, & aliorum prædictorum ex quacumque causa amplius accedant. Quicumque vero, etiam de iis qui Romæ & Anconæ nunc sunt, excurso trimestri proximo inuenti in quacumque dictæ ditionis parte, etiam quæ dominij temporaliter eorumdem Domicellorum, Baronum, Dominorum, & exemptorum sit, statim Ecclesiæ prædictæ mancipati in seruitutem perpetuam conijciantur; quorum etiã ceruicibus grauiores pœnas impendere significamus, vt ceteri eorum exemplo discant quanti fuerit hanc nostram prohibitionem temere neglexisse.

Barones & Gubernatores, & alij exequantur hanc const.

Clausulæ derog.

§. 3. Non obstantibus prædictis, ac constitutionibus & ordinationibus Apost. legibus communibus & municipalibus, Prouinciarum, Ciuitatum, & locorum prædictorum, necnon Cam. Apost. iuramẽto, confirmatione Apost. vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, & conuentionibus cum Hebræorum prædictorum vniuersitate, etiam sub fide publica, pactis, priuilegiis quoque, indultis, exemptionibus, & literis Apost. illis omnibus, ac etiam prædictis Domicellis, Baronibus, & Dominis, ipsorumque Ciuitatibus, terris, locis, & populis, per quoscumque Rom. Pont. prędecessores nostros, ac nos & Sedem prędictam, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apost. potestatis plenitudine, ac alias quomodocumque, & sub quibuscumque tenoribus & formis, & ex quibusuis causis etiam onerosis, ac cum restitutionibus, præseruationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, necnon irritantibus & aliis decretis, in genere & in specie quotiescumque concessis, confirmatis, & sæpius iteratis vicibus innouatis. Quæ omnia & singula, etiam si de eis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, quatenus prædicta impedire vel differre, aut alias illis obesse possent, harum serie de simili potestatis plenitudine, specialiter & expresse reuocamus & abolemus, viribusque & effectu prorsus carere, ac quicquid secus per quoscumque scienter vel ignoranter attentari, contigerit, irritum & inane decernimus; ceteris que contrariis quibuscumque.

Fides exhibeatur.

§. 4. Volumus autem vt præsentium exempla, etiam impressa edantur, eaque Notarij publici manu, & cuiuscumque Curiæ Ecclesiasticæ, aut Prælati sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem vbique locorum faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ permissionis, præcepti, innouationis, iussionis significationis, reuocationis, abolitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. D. 1569. 4. Kal. Martij, Pont. nostri anno 4.

Dat. P. A. 4. die 26. Febr.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. 1569. Indict. 12 die vero Sabbati 26. mensis Febr. Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius 4. præsentes retroscriptæ literæ Apost. affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Cancell. Apost. & in acie Campi Flore, vt moris est, per nos Bartholomæum Sottocasa, & Io. Andream Rogerium Apost. Curs.

Christianus de Monte Mag. Curs.

Digitized by Google

LXXXI. Quod in singulis Prouinciis Fratrum Minorum Ord. S. Fr. de Obseruantia, duæ saltim domus assignentur Fratribus strictioris Obseruantiæ,à quibus absque Prælatorum licentia nullatenus ad alia loca se transferre possint.

Assignationem domorum huiusmodi hactenus præcepit Clem.VII. qui fratres istos Reformatos approbauit, vt sup. in eius const. 35. In suprema. *vbi plene de materia dixi.*

Edita An. D. 1569.

PIVS PAPA QVINTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. INiunctum nobis desuper Apostolicæ seruitutis officium crebro nos admonet & inducit, vt personis quibuslibet regularibus, vigilantiæ nostræ partes efficacius exhibentes,eos in institutorum suorum regularium candore salubriter mánu teneamus.

Iussio de qua in rub. §. 1. Accepimus sane nuper, quod in Ordine S. Fr. de Obseruantia nonnulla sunt domus & loca,recollecta nũcupata, in quibus dicti Ordinis Fratres arctiorem quam in ceteris vitam degunt,& propterea eidem Ordini commodum & opportunum esse censentes, vt in singulis dicti Ordinis Prouinciis,duæ domus & loca recollecta huiusmodi existant,auctoritate Apostolica tenore præsentiũ perpetuo decernimus atque statuimus, quod in qualibet Prouincia dicti Ordinis duæ ad minus domus & loca recollecta esse debeant. Et præfata monasteria recollecta nullatenus ab huiusmodi recollectione separari possint:& fratres in illis degentes, etiam si velint (nisi de Ministri generalis ipsius Ordinis,vel Prouincialis & Discretorum Conuentuum dictorum locorum recollectorum pro tempore existentium consilio) ad alia loca non recollecta transferri nequeant, nisi eisdem Superioribus, vt aliter fiat visum fuerit expedire.

Clausula præseruatiua. §. 2. Decernentes præsentes literas nullo vmquam tempore,de subreptionis vel obreptionis vitio,aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari vel impugnari,aut inualidari nullatenus posse,minusque sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi nullatenus posse, sicque ab omnibus censeri.

Clausula sublata. §. 3. Et ita per quoscumque Iudices & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate,iudicari debere; irritum quoque & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputat. §. 4. Et nihilominus pro maiori præmissorum occasione venerabili fratri Episcopo Conchen. & dilectis filiis causarum Curiæ Cam. Apost. generali Auditori, ac Officiali Toletan. per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque solemniter publicantes, & faciant illas ab omnibus quos illæ concernunt,inuiolabiliter obseruari, non permittentes aliquid contra præmissa quomodolibet innouari. Contradictores quoslibet & rebelles per easdem pœnas, aliaque opportuna iuris & facti remedia,appellatione postposita,compescendo.

Clausula derogatoria. §. 5. Non obstantibus præmissis quibusuis Apost. necnõ in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis,specialibus vel generalibus, constitutionibus & ordinationibus, ac quibusuis etiam iuramento & confirmatione Apost. vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab Apost. sit Sede indultũ. quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apost. non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumpti fides. §. 6. Ceterum quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca,vbi expediens foret,deferre, volumus quod illarum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis,eadem prorsus fides in iudicio & extra adhibeatur quæ ipsis originalibus literis adhiberetur,si essent exhibitæ vel ostensæ.

Dat Romæ apud S. Petrum,sub annulo Pisc. die nona Martij 1569. Pont. nostri anno 4. *D P. An. 4 die 9. Martij.*

LXXXII. Contra offendentes statum, res, & personas sanctissimi Officij Inquisitionis hæreticæ prauitatis,eorumque filios, necnon complices, & fautores.

Ad hæc habes etiam sup. const. 11. *Iulij III.* Licet à diuersis.

Edita An. D. 1569.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Forma publ SI de protegendis ceteris omnibus Ecclesiæ ministris, quos in fidem & clientelam nostram à Domino recepimus, cura nobis quotidiana insidet,quanto maiore studio eam nos solicitudinem capessere necesse est, vt qui in sacro Inquisitionis hæreticæ prauitatis officio versantur, sub tutela inuiolatæ auctoritatis huius Sedis periculorum omnium expertes,quæque munera ad exaltationem fidei Catholicæ exequantur?c

Causa huius constit. §. 1. Cum itaque eius generis impiorum vis quotidie magis inualescat, qui omnibus malis artibus prædictum officium subuertere ministrosque functionibus disturbare moliuntur, eo iam nos detrusit necessitas, vt nefariam & sceleratam illorum audaciam acerbiore castigationis verbere reprimamus.

Offendentes, seu impedientes personas Inquisitorum &c. §. 2. Hac igitur generali constitutione de fratrum nostrorum consilio sancimus, vt quicumque siue priuatus,siue cuncta ciuitas,siue populus,siue Dominus, Comes, Marchio, Dux, vel potiore titulo Illustris, quemuis ex Inquisitoribus, Aduocatis, Procuratoribus, Notariis, aliisue ministris prædicti officij, vel Episcoporum id munus in sua diœcesi aut prouincia obeuntium, seu accusatorem,denunciatorem,aut testem in causa fidei quomodocumque productum vel euocatum occiderit,verberauerit, deiecerit, seu perterrefecerit.

Bonaque diripientes. §. 3. Quiue Ecclesias, ædes, aliasve res, siue publicas, siue priuatas,officij aut ministrorũ expugnauerit, inuaserit,incenderit,expilauerit,aut libros, literas,auctoritates, exemplaria, regesta,protocolla,exempla,scripturas,aliaue instrumenta,siue publica siue priuata, vbicumque posita combusserit,diripuerit,seu interuerterit, seu ex incendio aut direptione, aut alio quocumque modo illa exportauerit,seu qui conflagratione,expugnatione,aut direptione etiam inermis, siue capiendi, siue comburendi, siue supprimendi causa fuerit,siue res aut personas seruari defendive prohibuerit.

Et carceres frangẽtes, &c. pœnas hic descriptas incurrunt. §. 4. Quive carcerem,aut aliam custodiam, seu publicã seu priuatam effregerit, vinctum extraxerit, seu emiserit, capiendum prohibuerit, captumve eripuerit, receperit, occuluerit,seu facultatem effugiendi dederit, seu iusserit id fieri,qui cœtum, concursumve fecerit, siue vt aliquid prædictorum fieret omnes accommodauerit,siue alias auxilium, consilium, aut fauorem, publice vel occulte, in quolibet prædictorum scienter præstiterit, licet nemo occisus,nemo verberatus, nemo extractus, emissus vel ereptus,nihil expugnatum,nihil effractum,succensum direptumve, nullum denique damnum reipsa sit secutum: nihilominus is sit anathemate præsentis canonis auctoritate ligatus;idem quoque læsæ maiestatis reus, dominio, dignitate, honore, feudo, ac quocumque alio beneficio temporali & perpetuo eo ipso priuatus,sæcularis Iudicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipsas pœnas exigat, quæ damnatis primo capite dictæ legis per constitutiones legitimas irrogantur, bonis, rebusque omnibus fisci iuribus applicatis,vti etiam est de damnatis hæreticis per sanctiones canonicas constitutum eius filij paterna infamia subiecti, omnis & cuiuscumque hæreditatis, successionis, donationis, & legati, siue propinquorum siue extraneorum omnino sint expertes, eisdem præterea portæ numquam pateant dignitatum.

Delinquentes clarae tantũmodo probationes in contrarium adducere possunt. §. 5. Nemo autem expurgationem habere, aut causam vllam proponere vel prætendere possit,qui tantum nefas in contemptum & odium huius officij admiserit, nisi contrarium

contrarium per claras probationes docuerit se feciſſe, Quod porro de prædictis, eorumque filiis ſtatuimus, illud idem de omnibus clericis, & presb. sæcularibus & quorumuis Ordinum etiam exemptorum regularibus, & quacumque etiam Episcopali, & maiori dignitate præditis, an etiam priuilegio quomodocumque suffultis, decernimus exequendum, ita vt ipsi beneficiis & officiis omnibus Eccleſiaſticis, præſentium auctoritate priuati, per Iudicem Eccleſiaſticum hæreticorum more degradentur, demum poteſtati sæculari traditi, pœnis prædictis laicorum instar subiiciantur.

Episcoporum tamen causa Rom. Pont reseruantur.

§. 6. Pontificum tamen cauſis, nobis & ſucceſſoribus noſtris, reſeruatis, vt re quæſita, & nobis re nunciata, contra eos ad depoſitionem & alias pœnas prædictas procedamus, vti criminis atrocitas videbitur poſtulare.

Intercedentes pro præfatis delinquentib. hæreſis pœnas incurrunt. Reuelãtes huiuſmodi delicta, impunitatem conſequuntur. Forma ſeruãda in abſolutionib. huiuſmodi criminũ à Pont. concedẽ.

§. 7. Quicumque autem pro talibus veniam petet, aut alias intercedere tentauerint, in eaſdem illas pœnas, quæ in hæreticorum fautores à ſacris conſtitutionibus inferuntur, ipſo facto ſe nouerint incidiſſe.

§. 8. Verum ſi quis etiam huiuſmodi criminum conſcius vel affinis, ſiue religionis ſtudio, ſiue pœnitentia ductus rem adhuc incognitam retexerit, ſupplicio liberetur.

§. 9. Ceterum eam omnium & quarumcumque abſolutionum rationem à prædictis criminibus, necnon habilitationum & reſtitutionum, etiam ad famam & honores, ita deinceps habendam, optamus, vt ſucceſſores noſtri nullas niſi ſaltem ſemeſtri poſt cuiuſque aſſumptionem ad huius dignitatis faſtigium excurſo, ac precibus apud ſupremum officium Inquiſitionis hic inſtitutum verificatis, concedant. Decernentes omnes & quaſcumque huiuſmodi abſolutiones, habilitationes, & reſtitutiones, quę præcibus ſic non verificatis de cetero fient nemini prorſus prodeſſe, ſed nec præſentibus niſi toto ipſarum tenore ad verbum inſerto, & gratia ex certa Rom. Pont. ſcientia facta, & propria manu ſubſignata, vlla in parte derogari nec derogatum cenſeri debere, & ſi illis ex quacumque cauſa aliter derogari contigerit, derogationes huiuſmodi nullius prorſus fore roboris & momenti.

Deputatio executorum.

§. 10. Iubemus igitur vniuerſos & ſingulos Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & ceteros Eccleſiarum Prælatos per vniuerſum Orbem conſtitutos, vt per ſe vel alium ſeu alios, præſentes literas, aut earum exempla in ſuis quiſque prouinciis, ciuitatibus, diœceſibus, & locis ſolemniter publicare, & quantum in ſe eſt, firmiter obſeruari procurent, contradictores quoſcumque, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ipſaſque cenſuras & pœnas etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Derogatio cõtrariorum. Tranſumptorum fides.

§. 11. Nonobſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſt. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 12. Volumus autem vt præſentium exempla etiam impreſſa edantur, eaque Notarij publici manu, & cuiuſcumque curiæ Eccleſiaſticæ, vel Prælati ſigillo obſignata, eamdem illam prorſus fidem vbique locorum faciant, quam ipſæ præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Obteſtatio ad Principes.

§. 13. Ceterum omnes orbis terrarum Principes, quibus gladij ſæcularis poteſtas ad malorum vindictam eſt permiſſa, per eam quam ſe tueri promiſerunt fidem, obteſtamur, ira ſuas quiſque partes, ſiue in præſtando miniſtris prædictis auxilio, ſiue in criminum poſt Eccleſiæ ſententiam animaduerſione interponere, vt eorum quoque præſidiis miniſtri ipſi tanti officij munus pro Dei æterni gloria, & religionis incremento feliciter exequantur, ampliſſimum à Domino præmium recepturi, quod fidei dictæ aſſertoribus in æternæ beatitudinis conſortio præparauit.

Sanctio pœn.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſanctionis, legationis, ſtatuti, decreti, iuſſionis obteſtationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

D. P. An. 4. die 1. Apr.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1569. Kal. Aprilis, Pont. noſtri anno 4.

Ego Pius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. *Papa ſubſcri.*

Vtinam dirigantur vię meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.

Cardd. ſubſcriptiones.

F. Card. Piſanus Epiſcopus Hoſtien.
Io. Card. Morosus Epiſcopus Portuen.
Chriſtophorus Madrucius Epiſcopus Prænestin.
Otho Card. Truchſes Epiſcopus Albanen.
A. Card. Farneſius Vicecan. Epiſcopus Tuſculan.
Io. Bapt. Cicada Epiſcopus Sab. Card. S. Clem.
Ego Ph. Card. à Burdiſeta.
Ego Antonius Card. Granuelanus.
Ego Franciſcus Card. Pacecus.
Ego Hieronymus Card. de Corrigio.
Ego Io. Franciſcus Card. de Gambara.
Ego Nicolaus Card. de Sermoneta.
Ego Ind. de Aualos Card. Aragona.
Ego M. Ant. Card. Columna.
Ego Ptolemæus Card. Comenſis.
Ego P. Card. de Sancta Cruce.
Ego Z. Card. Delphinus.
Ego Hu. Card. S. Sixti.
Ego Iulius Card. Vrbinus.
Ego Fuluius Card. Peruſinus.
Ego Io. Riccius Card. Policianus.
Ego Scipio Cardinalis Piſarum.
Ego Iacobus Cardinalis Sabellus.
Ego Aloyſius Card. Cornelius.
Ego Alexander Card. Cribellus.
Ego Guido Card. Vercellus.
Ego Gulielmus Card. Sirletus.
Ego F. Michael B. Card. Alex. Camer.
Ego Hieronymus Card. de Claraualle.
Ego Ludouic. Card. Madrut.
Ego Innocentius Card. de Monte.
Ego Hieronymus Card. Simoncellus.
Ego Ferd. Card. de Medicis.
Ego Cardinalis Alciatus.
Io. Paulus Cardinalis ab Eccleſia.
A. Cardinalis Caraffa.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. 1569. Indict. 12. die vero 2. menſis Maij, Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno 4. retroſcripta literæ Apoſt. affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, de Vrbe, Cancell. Apoſt. & in acie Campi Florę, vt moris eſt, dimiſſis in locis prefatis præſentibus literis per me aliqnantulum temporis ſpatium affixis, & deinde amotis, per nos Iulium Parinum, & Io. Bornotum præliabati S. D. N, Papæ Curſ.

Ant. Clerici Mag. Curſ.

Reformatio Pœnitentiariæ Apoſtolicæ, & eius Officialium. LXXXIII

Alia reformatio habetur ſup. in Pij IV. conſt. 53. In ſublimi. Auctoritatem vero Summi Pœnitentiarij vide ſup. in conſt. 23. Six. IV. Quoniam. vbi notaui. Et de Officialibus agitur in conſt. ſubſeq.

PIVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Editũ A. Dñi 1569. Prooemium.

IN omnibus rebus humanis nihil tam perfecte inſtitui, nihil vllis legibus, ſanctionibuſq; tam diligenter muniri poteſt, quin id lubricæ, & præceps, malorumque omnium effectrix cupiditas nouis quotidie artibus peruertere atque corrumpere moliatur. Quocirca omnes ad huius præcelſæ dignitatis faſtigium euecti, perpetua quadam neceſſitate coguntur nuſquam oculos à commiſſo ſibi grege auertere, ſed continenter vigiles circumferre; vt quandocumque vſus poſcit, nouis modo legibus ferendis, modo veteribus corrigendis, vel ad vſum reuocandis; ea quæ paulatim deprauata ſunt, in melius reformentur. Quod quidem nos iam inde ab ipſo Pontificatus noſtri principio, & libenter fecimus, & quantum in nobis eſt, illud idem ſtatutum vrgere, & perſequi annuentæ

Digitized by Google

Deo, conamur; neque quicquam nobis est, vel præclarius vel optabilius, quam vt collapsos à vetere disciplina mores, ad pristinam suam integritatem denuo erectos, & in agro Domini à prauarum consuetudinum sentibus omnia diligenter perpurgata videamus,

Causa huius reformat.

§. 1. Sed ne dum ea quæ ad communem totius corporis salutem pertinent, tantopere procurantur, quisquam nos accuset, quod eam partem, quæ nobis proxima est negligamus, neque illius vlceribus necessarium salutis remedium applicemus, diuino auxilio freti, curiæ nostræ vniuersæ reformationem iamdudum oculis nostris obuersantem aggredi decreuimus; pro qua etsi antehac nonnulli prædecessores nostri, multa sancte & salutariter ordinarunt, hominum tamen fragilitate non ita multo post, aut neglecta aut corrupta sunt, aliis atque aliis aliena suo sibi officio vsurpantibus, & dictæ Curiæ expeditiones inuicem confundentibus, quarum singulis sagax illa vetustas, proprium & distinctum, pro cuiusque diuersitate & materiæ genere officium, tanto studio assignauit. Vnde nos operæ pretium fore arbitrati illud in primis conari, vt quod cuique officio congruit, ad illud idem reuocetur, demum sapienter prouidere, & prouidenter statuere per quos viros, quibusque modis Curiæ prædictæ negotia, pro rerum, temporum, & locorum qualitate deinceps dirigantur. At quia ceteris omnibus illa anteponere necesse est, ex quibus pendere dignoscitur periculum animarum.

Reuocatio facultatis Pœnitentiaria.

§. 2. Nos huiusce reformationis exordium à Pœnitentiariæ nostræ officio capere instituimus, eiusque rei causa omnem auctoritatem, ordinariam & delegatam, omniaque priuilegia, facultates, & indulta ideo duximus reuocanda, vt habita de ministrorum qualitate, numero, functionibus & officiis ratione explicita, nouam futuris formam de integro præscribere valeamus, qua ipsum Pœnitentiariæ officium certis quibusdam facultatibus, quæ aliis officiis magis conueniunt exoneratum atque expeditum, dehinc ea quæ animarum salutem præcipue concernunt, attentiore studio prosequatur.

Amotio quorundam officiorum ab eadem.

§. 3. Primum igitur omnium de huiusmodi officio, ministris, & fūctionibus rationē prodere volentes, de Apost. potestatis plenitudine, omnia & singula loca, seu officia Referendariorum, Correctorum, & Reuisoris, necnon fūctiones & exercitia Scriptorum, qui vigintiseptem, & Procuratorum, qui vigintiquatuor sunt, quorumque Procuratorum octo officia ad dispensationem pro tempore existentis maioris Pœnitentiarij pertinere noscuntur, in eodem pœnitentiariæ officio perpetuo supprimimus & abolemus; eorumque Scriptorum & Procuratorum rationem aliorsum habituri, illos omnes iam nunc ab ipso Pœnitentiariæ officio amouemus.

Deputatio aliorum Officialium.

§. 4. Ac dictum officium dehinc maiore Pœnitentiario, Regente, Datario; vno Correctore, vno Magistro in Theologia, vno Doctore in decretis, duobus Procuratoribus, duobus Scriptoribus, & vno Sigillatore, quos pro futuris rebus & negotiis illius satis esse duximus, perpetuo constare volumus.

Quorum officia vēdibilia esse prohibet.

§. 5. Illorumque omnium officiorum in ipso Pœnitentiariæ officio constitutorum venditionem, aut quamuis aliam voluntatem, tacitam vel expressam ea dimittentium dispositionem, expresse prohibemus; sed illa omnia probis & peritis gratis omnino, & sine aliqua dimittentium, aut aliorum quorumcumque acceptione concedantur; quod si secus factum fuerit, quæcumque concessiones de illis pro tempore factæ, nullius sint roboris vel momenti.

Pœnitētiarius maior qui.

§. 6. Præterea statuimus & ordinamus, vt deinceps in perpetuum maior Pœnitentiarius officium suum per seipsum exerceat; quare sit presb. magister in Theologia, seu decretorum doctor; & si causa legitima à Romano Pontifice admissa, absens, seu impeditus fuerit, vnum alium ex S.R.E. Cardinalibus prædictis qualitatibus insignitum sibi Propœnitentiarium subroget; qui interim hoc munus etiam per seipsum prosequatur, literasque non Pœnitentiarij delegantis, sed suo proprio nomine iubeat expediri.

Regensque & Datarius qui.

§. 7. Similiter Regens, Datarius, Magister in Theologia & Decretorum Doctor, viri eximia doctrina præstantes, casuumque conscientiæ periti.

Corrector.

§. 8. Item Corrector in Decretis, stylo, ceteriisque Pœnitentiariæ rebus diligenter versatus & instructus.

Sigillator.

§. 9. Ac etiam sigillator probatæ vitæ, & vti id munus postulat omnium officij expeditionum peritus. Qui omnes maioris Pœnitentiarij cura & solicitudine delecti, & à Rom. Pont. confirmati, ad suum quisque officium admittantur.

Procuratores & Scriptores qui.

§. 10. Procuratores quoque & Scriptores prædicti, vita, moribusque integris ornati ad suum quisque officium exercendum idonei. Ad hæc omnes prædicti officij ministri, etiam procuratores & scriptores sint presb. vel certe in aliquo ex sacris ordinibus constituti, huiusmodi arcanorum continentissimi; quorum etiam de iuramento de fidelitate præstando adscribatur, quod nec occultos casus huiusmodi, nec personas vmquam cuiquam extra officium reuelabunt; qui secus fecerint, non leuius quam presb. peccatorum confessiones prodere audentes,

Et à quo eas examinandi.

puniantur.

§. 11. Procuratoriæ autem & Scriptoriæ officia ita demum à maiore Pœnitentiario illis concedantur, qui prius à Regente & Correctore, super vita, moribus, ætate, scientia, & aliis qualitatibus requisitis, diligenter ac propositis edictis, & mora sex dierum pręcedente per concursum examinati, & idonei comprobati fuerint, alioquin omnes concessiones, etiam si à Romano Pontifice ex aliqua causa pro tempore factæ fuerint, pro irritis habeantur.

Officiales per seipsos exerceant, suisque stipendiis sint contenti.

§. 12. Omnes vero supradicti officia sua per se ipsos cū diligenter, tum etiam fideliter exerceant, solique præsentes & actu exercentes, nisi legitime impediti, fructus, & emolumenta percipiāt; quorum singulis certum, statumque aliunde stipendium cuique conueniens assignare intendimus quo solo contenti esse debeant, nihilque aliud etiam sponte oblatum, à partibus, aut alias siue pro expeditionis celeritate, siue pro alio extraordinario labore, tàm procurando quam scribendo, aut recognoscendo & examinando, capere possint; quicumque secus fecerint officio suo huiusmodi priuati, excommunicationis quoque sententia innodati eo ipso censeantur, cuius absolutionis beneficium ab alio quam Rom. Pont. excepto mortis articulo, nequeat obtinere.

Regentis Pœnitentiaria munus.

§. 13. Vt autem negotia vniuersa, qua decet puritate & diligentia dirigantur, prædictus Regens, petitiones casusque omnes ad prædictum officium deductos in primis examinet diligenter; quæque perspicua, & secundum cōmunem in eodem officio cursum, absque difficultate expediri consueuerunt, eadem expediri iubeat, nihilque omnino vel ordinarium, aut clarum, nisi prius ab ipso recognitum & probatum, Procuratores expedire incipiant. Dubia vero vel obscura, vel difficultate obstructa, Regens ipse ad maiorem Pœnitentiarium referat, vt diligentius examinentur, demum in eius signatura proposita, cum maturo omnium iudicio decidantur.

Materia diuidantur.

§. 14. Ceterum materiæ omnes siue conficiendæ, siue scribendæ, inter Procuratores & Scriptores, cura Sigillatoris æqualiter diuidantur.

Correctoris officium.

§. 15. Sed vt literæ prædictæ stylo suo conscriptæ, sanæ & incorruptæ emittantur, Corrector prędictus, antequam illæ scribantur, schedulas siue minutas earum à prædictis Procuratoribus conficiendas cum supplicatione expedita diligenter recognoscat, examinet, & corrigat, vt inde literæ ipsæ mundæ & integræ, rasuriisque prorsus carentes expediantur. Itemque super omnibus materiis, tàm ordinariis quàm extraordinariis, supplicationes vbi illis opus erit, in totum expediri debeant, prius quam ad expeditionem literarum super illis quoquo pacto procedatur.

Sigillatoris officium.

§. 16. Deniq; Sigillator prædictus literas omnes eatenus recognoscat, vt manus requisitæ illis appositæ sint, & eorum datæ cum libello supplicationis concordet; deinde ipsius sigillo Pœnitētiariæ obsignatas, & in totum gratis vbique expeditas, tunc demū eas procurantibus resignet.

Pro expeditione literarū nihil solua-tur.

§. 17. Illud autem sancte & inuiolate apud officiū prædictum volumus obseruari, vt nihil prorsus pro literarum confectione & expeditione, nec alias etiam pro charta, attramento, cera, capsula, cordulis, aliisque rebus ad ipsam expeditionem pertinentibus exsoluatur, rationem aliunde habituri, vnde hæc omnia, simulque ministrorum omnium stipendia debeant comparari.

§. 18.

Digitized by Google

Sigillator custodias omnes scripturas Pœnitentiariæ officium concernen.

§. 18. Sed ne quid rerum dictæ Pœnitentiariæ lapsu temporis pereat neglectumque iacear, Sigillator ipse omnia exemplaria, literas, scripturas, & instrumenta quorumcumque priuilegiorum, facultatum, concessionum, prohibitionum, reformationum, & ceterorum omnium dictum officium Pœnitentiariæ in vniuersum & priuatim concernentium, fideliter ac cum periculo suo asseruet, deque his omnibus authenticum inuentarium, ac regestum conficiat; cui quicquid postea additum, statutum, concessum, vel veritum erit, illud totum qualecumque quamprimum adscribatur, & sic deinceps hæc omnia in futurorum Sigillatorum fidem cum eisdem conditionibus & periculis deponantur.

Officialium iuramenta.

§. 19. Ad retinendam vero in dicto officio puritatem & confirmandam singulorum fidem, districte præcipimus, vt iuramenta quæ in admissione officialium requiruntur, ad præsentem nostram reformationem accommodata, quotannis in manibus dicti maioris Pœnitentiarij debeant iterari.

Inobedientium pœna

Quas habes etiam in cõst. seq.

§. 20. Monemus insuper omnes & singulos supradictos, vt caueant diligenter, ne in officiorum suorum exercitio, fraus vel dolus quoquo pacto admittatur, vel captio inducatur, neve ipsi partibus quidquam dolose & fraudulenter suggerant, quo facilius optata impetrare possint, sed solum petitiones iustas, rationabiles, & honestas, recipiant & proponant. Quod si dolum vel fraudem fecisse, aut quidquam vel minimum pro labore, aut alias quoquomodo accepisse conuicti fuerint, præter illas censuras & pœnas, quæ contra talia admittentes quomodocumque propositæ sunt, in pœnam priuationis officiorum suorum incurrant, & ad futura inhabiles, infamesque reputentur, prout nos illos priuatos, inhabiles, & infames declaramus eo ipso.

Decretum irritans.

§. 21. Decernentes ex nunc irritum & inane, quicquid secus super prædictis, aut eorum aliquo à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§. 22. Non obstantibus nostra de non tollendo iure quæsito, & aliis Apostolicis constitutionibus, ac de certo officiorum prædictorum numero, etiam pluries à Romanis Pontificibus reducto, necnon officij Pœnitentiariæ huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, vetere stylo & consuetudinibus quantocumque tempore obseruatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iussio obseruantiæ.

§. 23. Depulsa igitur omnis auaritiæ fœditate, pro se quisque, piam castamque mentem ad impositum sibi munus pro Dei æterni gloria, & Christifidelium salute acriter intendat, & pro virili parte conetur vt cuncta prospera, & hoc tanto officio digna succedant. Sedesque Apostolica pro bene gestis condignæ laudis præconio in singulis Christiani Orbis partibus plenius celebretur.

Nulli ergo, &c.

D. P. An. 4. 18. Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnat. Dominicæ 1569. 15. Kal. Iunij, Pont. nostri anno 4.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. 1569. Indict. 12. die vero 1. mensis Augusti, Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno 4. retroscripta litera Apost. affixa & publicata fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi Flore, vt moris est, per me Io. Guerardum Curs.

Camillus Cherubinus Mag. Curs.

LXXXIV. Scriptores & Procuratores Pœnitentiariæ Apostolicæ ad Cancellariam Apostolicam transferuntur, & Scriptores & Procuratores literarum minoris gratiæ instituuntur.

De materia Pœnitentiariæ, vide in const. præced. De materia vero Cancellariæ, vide supra in Pij const. 54. Vniuersi gregis.

Edita A.D. 1569.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

IN earum rerum commutatione, quam magnis suadentibus causis facere compellimur, hoc quoque à nobis sedulo curandum est, vt ille ministrorum numerus, qui nouo ordine compositio vno in loco vsui esse desinit, in alium magis conuenientem commodis rationibus elocetur.

In const. præc. subduxit hic Pont. à Pœnitentiaria officia Correctorum, Scriptorum, & Procuratorũ, exceptis dub.

§. 1. Cum igitur in generali reformatione officij nostri Pœnitentiariæ, & quam nuper edidimus, inter talia multa duo officia Correctorum, itemque functiones & exercitia, omnium & singulorum Scriptorum, qui viginti septem, & Procuratorum literarum dictæ Pœnitentiariæ, qui vigintiquatuor sunt in prædicto Pœnitentiariæ officio, de Apostolicæ potestatis plenitudine extinxerimus & aboleuerimus, ac eorumdem Scriptorum & Procuratorum, qui tunc literarum Pœnitentiariæ erant, rationem aliorsum habituri, eos omnes ab ipso Pœnitentiariæ officio subduxerimus, quemadmodum literis nostris desuper confectis plenius continetur.

Et nũc officia Scriptor. & Procurat. ad Cancellariam transfert.

§. 2. Nos dictis officiis Scriptorum & Procuratorum, eorumque Collegij nouum statum inducere, & quantum in nobis est, singulorum ea obtinentium indemnitati consulere volentes, De simili potestatis plenitudine, omnia & singula officia & loca Scriptorum & Procuratorum prædictorum, ipsorumque personas & collegia (nouo nomine & titulo vtriusque indito, ac libera concessione, & omnimoda alia dispositione octo officiorum huiusmodi Procuratorum maiori Pœnitentiario eodem quo antea iure perpetuo remanente) ad Cancellariam Apostolicam transferimus, & cum ea perpetuo coniungimus. Ita vt quondam Scriptores literarum Pœnitentiariæ, dehinc Scriptores literarum Apostolicarum minoris gratiæ; alteri vero Procuratores literarum earumdem minoris gratiæ appellentur, & inscribantur.

Et locum illis in ea assignat.

§. 3. Quibus concedimus, & assignamus mensam, seu bancum vtriusque commune in eadem Cancellaria, post milites sanctorum Petri & Pauli, aut alio ibi loco à dilecto filio nostro S. R. E. Vicecancellario constituendo, ad quod literæ omnes hoc dehinc officio literarum minoris gratiæ expediendæ, in primis deferantur.

Formamque statuit expeditionis literarum.

§. 4. Statuentes, vt materiæ, quæ in dicto Pœnitentiariæ officio proximis ante dictam reformationem temporibus communiter habebantur, & ex ordinatione nostra in summam redactæ sunt, deinceps per nostram, ac Romani Pontificis pro tempore existentis deputatorum-ve signaturam fiant. Harum omnium libellos supplices, & idem literarum super eis conficiendarum schedulas siue minutas, soli Procuratores ad dictæ Cancellariæ stylũ conscribant. Conscriptas minutas Abbreuiatores literarum Apostolicarum de maiori præsidentia in primis examinent, & corrigant. Correctas soli Scriptores huiusmodi literarum minoris gratiæ describant, vt inde literæ ipsæ ad Cancellariam prædictam, & Defensores, aliosque Præsidentes in banco prædicto deferantur, ibique secundum regulam ad ritum dicti officij Pœnitentiariæ moderandam taxentur. Mox ab Abbreuiatoribus prædictis, instar aliarum in eadem Cancellaria recognitæ, & ad supplicationem collatæ, ad Bullariam mittantur, subiecloque plumbo protinus à sigillatore prædicti officij Pœnitẽtiariæ capiantur, qui taxa ad præscriptum nostrum recepta, eas per descriptores ad id assumendos iuxta nostras super hoc ordinationes regestari, & regestatas ad exemplum, vt in aliis moris est, conferre; denique singulis literis prædictis omnem impensam per verbum Exposuit, vti literis officij Pœnitentiariæ prædictæ moris erat subscribere, idque etiam regesto prædicto adnotare procuret.

Emolumenta Officialibus assignat.

§. 5. Percipiendorum autẽ à quoque fructuum & emolumentorum suorum ea ratio esse debeat, vt finito mense in primis salaria eorum omnium, qui ad mensam prædictam defensores, & alio officij munere ex Scriptoribus, & Procuratoribus literarum minoris gratiæ huiusmodi constituantur, & soluantur, demum Procuratores & Scriptores suam quisque portionem viritim per sua collegia, vt antea distribuendam capiant. Regens vero Cancellariæ, & Abbreuiatores prædicti, pro laboribus illud idem de singulis expeditionibus, quod olim prædicti duo Correctores, & stipendium, & emolumentum libere & licite percipient. Cetera item salaria, & emolumenta in plumbo, & vtroque regesto, videlicet supplicationum, & literarum prædictarum, & alibi necessaria iuxta

Digitized by Google

iuxta ordinationes nostras prædictas capiantur. De taxa vero à dicto Sigillatore capienda, stipendia Regentis, Datarij, Correctoris, Theologi, Doctoris, Procuratorum, Scriptorum, Sigillatoris, ceterorumque ministrorum officij Pœnitentiariæ, item impensæ omnes etiam pro charta, atramento, cera, capsula, cordulis, & alia quomodocumque ad expeditionem literarum dictæ Pœnitentiariæ necessaria, quas gratias vbique fieri & concedi iam præcipimus, ante omnia desumantur; & singulis persoluantur; quod vero his omnibus omnino deductis & persolutis, reliquum erit, maioris Pœnitentiarij prædicti esse debeat.

Sigillatoris officium.

§. 6. Ad hæc quoque prædictus Sigillator curam habeat prædictas supplicationes è manu Datarij recipiendi, & per alios ad id ordinandos describendi, in regestum ab altero distinctum referendum, & vtrumque fideliter custodiendi. Ceterum nullæ omnino supplicationes super huiusmodi materiis signandæ inter Abbreuiatores prædictos distribuantur, neque cuipiam relinquantur, neque super iis sumpta, aliáve exempla ex regestis describantur, etiam postquam literæ Apostolicæ super illis expeditæ, & partibus eas prosequentibus redditæ fuerint, sed supplicationes ipsæ apud regestum prædictum sub cura dicti Sigillatoris, qui pariter ipsi regesto præfectus sit, fideliter custodiantur.

Inhibitio contra officiales ne aliquid accipiant pro quocumque extraordinario labore, sub pœnis hic expressis.

§. 7. Præcipimus igitur atque interdicimus Abbreuiatoribus, Scriptoribus, Procuratoribus, ceterisque prædictis tàm coniunctim quàm diuisim, ne quid, vel minimum etiam sponte oblatum à partibus, siue pro expeditionis maturatione, siue alio extraordinario labore capiant, aut à famulis aliisque personis capere permittant, sed suis quisque taxis, & stipendiis vti constituta sunt contenti esse debeant, Quicumque secus fecerint, præterillas censuras & pœnas, quæ in talia perpetrantes impositæ sunt, suorum officiorum priuationem incurrant, & ad futura inhabiles, ac etiam infames censeantur, vti nos illos priuatos, inhabiles, & infames declaramus eo ipso.

Executores deputat.

§. 8. Et nihilominus mandamus prædictis Vicecancellario, & Abbreuiatoribus, necnon Rescribendario, & Scriptoribus Apostolicis, ceterisque ad quos pertinet, tàm coniunctim, quàm diuisim, vt Scriptores & Procuratores prædictos, eorumque singulos sic cum vniuerso corpore prædicto coniunctos fraterna charitate prosequantur, & ad huiusmodi officia, & ipsorum liberum exercitium, necnon honores, onera & emolumenta omnia recipiant, & admittant, ac faciant prædicta omnia & singula inuiolabiliter obseruari, non permittentes quemquam contra præsentium tenorem quomodolibet impediri. Rursus eisdem Scriptoribus, & Procuratoribus sic cooptatis, & adscriptis, vt prædicto Vicecancellario tamquam capiti aliorum dictæ Cameræ collegiorum instar, obediant, & obsequantur.

Clauſ. derog.

§. 9. Non obstantibus de certo Scriptorum literarum Apostolicarum numero, & aliis eorum ac dictæ Cancellariæ statutis, stylo, institutione, consuetudinibus, stabilimentis, & reformationibus quantocumque tempore obseruatis, ac etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c.

D. P. An. 4. 28. Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1569. 14. Kal. Iunij, Pont. nostri anno quarto.

LXXXV. Declaratio casuum, ac præsumptionum, in causis confidentiæ beneficialis, contra quoscumque, etiam S. R. E. Cardinales, cum appositione pœnarum.

Ad hæc vide sup. const. 85. Pij IV. Romanum. *vbi cetera de simoniis & confidentiis notani.*

Edita A. D. 1569.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

INtolerabilis multorum peruersitas, qui sacrosanctas constitutiones nouis quotidie fraudibus eludere nituntur, sæpe illarum auctores in necessitatem adducit cautius prouidendi, quo pertinacium animi ab improbis conatibus grauiore sanctione postposita reprimantur.

Pius IV. in rub. cit prohibuit confidentias.

§. 1. Bene quidem & prouidenter fel. rec. Pius Papa IV. prædecessor noster ad tollendam fiduciariæ mancipationis beneficiorum Ecclesiasticorum corruptelam, statuit & decreuit.

Vt in bulla cit. in rub.

Sed cognouit hic Pōt. multas fraudes adhiberi super commissis, quæ in iudicio minime probari possunt.

§. 2. Verumtamen propter improbas multorum cupiditates prædictas, quæ ad purgandam hac pernicie Ecclesiam, & animarum salutem ab ipso prædecessore edita sunt in multis deprehendimus viam aperuisse grauius delinquendi. Siquidem cum frequentibus plurium querelis pridem conciatati, quod Iudices in causis huiusmodi confidentiarum expediendis remissiores essent, omnes & singulas causas ipsas vbicumque, inter quoscumque moras ad nos aduocauissemus, ad omnimodam huiusmodi causarum, præsentium & futurarum, rerumque omnium ex ipsis resultantium cognitionem nobis & successoribus nostris reseruauissemus, & super quibusdam coram nobis processum fuisset, variis inde, nec leuibus coniecturis intelleximus vitium quidem confidentiæ occulte irrepsisse, sed plerisque cautis præsumptiones, & coniecturas, quæ ad illud probandum deducuntur, minime sufficere, eiusque rei causa plurimos qui ante literarum prædictarum editionem huiusmodi confidentias exercebant, vbi cognouerunt obstructam veritatem propter difficultates probandi in iudiciis confidentias ipsas, contepta constitutione prædicta, Ecclesias, monasteria, & beneficia sic recepta, vt prius retinere, alios fructus, pensiones, & alias res accipere, alias eorum exemplo ad similia & grauiora fidentius commoueri. Multi enim ipsa beneficia iure retinere nequeuntes, alij ne cogantur ad sacros Ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu clericali, vt ad bellum proficiscantur, vt inimicos occidant, alij vt alieno nomine lites agant, aut defendant, alij propter crimina incapaces, quidā vt purgato delicto vel absolutione consecuta, illa repetant, eadē in alios deponunt, & in plerisque fructus ipsorum aut eis ministrātur, aut quibus ipsi statuunt, sæpe laicis, & inhabilibus. Plerique vel senes, vel infirmi, vt beneficia in domibus suis perpetuent, illa renunciarunt & renunciant in alios, qui vel profanam familiam cedentium de fructibus Ecclesiasticis alant, vel illa etiamnum infantibus, aut nascituris, asseruent, sacro interdum circuitu retrocessionis, cum reseruatione fructuum, & aliarum rerum, aut accessu, præsertim ab illis qui præstandorum iurium Cam. Apost. sunt immunes; alij aut incapaces, aut aliis beneficiis Ecclesiasticis onusti, aut Ecclesiastico ordini sese mancipare refugientes, aut mere laici beneficia Ecclesiastica aliis conferenda procurant, vt de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum. Ad hæc plerique Ordinarij, & Collatores, ac etiā patroni laici curant deponenda beneficia vt fructus, seu pensiones capiant eosmdem, aliisve faciant ministrari. Alia item permulta eiuscemodi admittuntur, quibus immaculata rerum diuinarum puritas impie violatur, disciplinæ Ecclesiasticæ neruus dirumpitur, & imminens patratur exitium animarum.

Ideo certis regulis confidētias declarat. 1.

§. 3. Quare nos volentes periculosam talium audaciam noui iuris subsidio cohibere, præsentium auctoritate statuimus,

Vt si quis quacumque auctoritate, Ecclesiam vel monasterium, aut aliud beneficium Ecclesiasticum qualecumque ex resignatione, vel cessione cuiuscumque personæ, simpliciter aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu etiam sola dimittentis intentione receperit, vt illa, vel illud etiam in euentum regressus, vel accessus, eidem dimittantur, vel alteri postea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alij vel aliis concedantur, vel pensiones soluantur, ex eisdem hæc confidentia censeatur.

Itidem si Ordinarius, vel alius collator contulerit ante hac aut conferat in futurum, beneficium Ecclesiasticū quouis modo vacans, ea conditione, tacita vel expressa, vt postea in alterum pro arbitrio Collatoris, seu alterius cuiuscumque contra iuris communis ordinationem disponatur,

Digitized by Google

disponatur, siue vt de eo prouisus, fructus illius, vel partem ad vtilitatem vel libitum conferentis, vel decedentis, aut alterius relinquat, & remittat, seu pensionem illi vel illis, quem vel quos idem collator, aut cedens, vel alius per se vel alium, scripto aut verbo iusserit seu significauerit, persoluat, & pariter si à patrono etiam laico, vel alteri præsentatori, seu electori contigerit, aut contingat id fieri.

1. Adhæc si Clericus prædictæ Cameræ, aut Cardinalis, aut alius à solutione iurium ipsius Cameræ, vel etiam Cancellariæ Apostolicæ exemptus, post resignationem vel cessionem alicuius extranei, de Ecclesia, monasterio, vel alio beneficio Ecclesiastico in se, Apostolica, vel alia auctoritate factam & admissam, illam, vel illud etiam confectis literis Apostolicis, & possessione apprehensa, in eumdem resignantem vel cedentem, modico spatio interiecto, veluti duorum vel trium mensium retrocesserit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retrocessione fructus Ecclesiæ, seu monasterij, aut beneficij, vel eorum pars, seu pensio, seu quid aliud super his reseruatum, aut regressus, seu accessus, & ingressus ad illam vel illud, ipsi Clerico, vel Cardinali, aut alij exempto sit, fueritve concessus.

4. Postremo si quis crimine aliquo absolutus, aut cum quo super irregularitate dispensatum est, denuo recepcrit quacumque auctoritate Ecclesiam, monasterium, vel aliud beneficium Ecclesiasticum, quod ante, vel post commissum delictum, aut contractam irregularitatem dimiserit in quibus horum casuum confidentiæ prauitas sit contracta, casusque huiusmodi literis prædictis comprehendantur, ac si illis speciatim expressi fuissent, licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum.

Et ad probandam confidentiam, certæ præsumptiones sufficere declarat.

§. 4. Ad probandum vero plene confidentiarum abusum, inter alias etiam hæ præsumptiones, & coniecturæ habeantur legitimæ. Videlicet.

1. Si quis post cessam ab se Ecclesiam, vel monasterium, aut beneficium, & publicatam resignationem, seu cessionem, captamque à successore possessionem, sese in illa vel illo, seu rebus illius, per se vel alium seu alios, de facto ingesserit, aut fructus percepcrit, aut quicumque successor illi, vel eius propinquis, ipsos aut partem aliquam remiserit eorumdem.

2. Si recipiens beneficium constituerit dimittentem vel eius parentes aut propinquos, procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus beneficij dimissi, & illi vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit.

3. Si vel sola procuratoris depositione, vel libris rationalibus mensariorum ex parte dimittentis, expeditio quæ personam recipientis concernit, prosecuta sit, simulque expensæ pro ea necessariæ ab illo factæ fuerint.

Testes singulares qui probent.

§. 5. Denique si quis pro concessione alicui facta, quacumque auctoritate de beneficio Ecclesiastico, per se vel alium seu alios interceserit, vel alias in negotio concessionis sese immiscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis beneficij de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo percepcrit, seu de illo postmodum ad voluntatem interccssoris fuerit dispositum quandocumque.

Præsumptiones una, plene probant.

§. 6. Testes autem de quaque re singulares singulas probare valeant præsumptiones, & coniecturas, pluresque huiusmodi præsumptiones & coniecturæ plenam probationem faciant in prædictis.

Alij testes recipiendi.

§. 7. Ceterum criminosi, & ceteri omnes, qui ad perhibendum in casibus simoniæ testimonium recipi possunt, ad prædicta omnia admittantur.

Confidentiæ pœna & causarum cognitio ad quos spectet.

§. 8. Sed ne quisquam etiam vana fiducia fretus, non intendendi contra se iudicij, in crimine perseueret; vtque hoc malum grauioris censuræ stimulo vsquequaque prohibeatur, omnes & singulos qui hucusque Ecclesias, monasteria, beneficia, fructus, pensiones, aliasve res, intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reuersi, & resipiscentes celeri dimissione sibi prospexerint, & qui quid tale admiserint in futurum, etiam omnibus & singulis aliis Ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, administrationibus, officiis, & beneficiis obtentis, quæ pariter sub dicta reseruatione comprehendi volumus, necnon fructibus, pensionibus & aliis rebus Ecclesiasticis, ac etiam Romanæ Curiæ & aliis officiis temporalibus præsentium auctoritate priuamus, & ad futura inhabiles decernimus, & in iuris subsidium excommunicationis sententia innodamus, à qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quàm à Romano Pontifice, absolutionis beneficium valeat obtinere. Nos enim aduocatione causarum huiusmodi, & resetuatione cognitionis illarum, rerumque omnium inde emergentium, nobis & prædictis successoribus, vt prædictum est facta, causis illis dumtaxat exceptis, quæ iam coram nobis pendere noscuntur, ac etiam iis quas ratione Ecclesiarum & monasteriorum, quorum dispositio in Consistorio fieri consueuit aut debet, iemque contra Ordinarios Collatores Episcopos, & alios Superiores Prælatos, etiam Cardinales haberi contigerit, vti iam aliis nostris literis statutum est audiendis, decidendis, & terminandis, harum serie prorsus relaxata, decernimus, ita deinceps quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac prædictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & ipsorum cuicumque, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, interpretari, & definiri debere, necnon irritum & inane quicquid secus in prædictis per quoscumque quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Quocirca omnibus locorum Ordinariis districtius iniungimus, vt in suis quisque Ecclesiis, ciuitatibus, diœcesibus, & locis etiam exemptis, ad prædicta studiose attendat, & quatenus illis relaxauimus, in delinquentes seuere animaduertant, si diuinæ Maiestatis iudicium, dictæque Sedis censuram voluerint euitare. In ceteris vero causis, & negotiis (nobis, & prædictis successoribus exceptis) eosdem locorum Ordinarios præsentium auctoritate delegamus, vt gratia, & fauore postpositis, pro se quisque cum venerit vsus, contra prædictos omnes sub ipsa exceptione comprehensos diligenter inquirant, suasque inquisitiones omnes sigillo ol signatas ad prædictam Sedem quamprimum transferant, vt nos, & prædicti successores in causis huiusmodi procedentes, quod iustum fuerit decernamus. Nos enim singulis Ordinariis ipsis prædictos omnes, & quoscumque alios, etiam exemptos etiam per edictum publicum, constito prius summarie, & extraiudicialiter de non tuto ad illos accessu, citandi, & monendi, eisque ac Iudicibus ordinariis & delegatis, aliisque personis quibuscumque ne prædictorum executionem quoquo modo impediant, vel alias in illis sese interponant, etiam per simile edictum inhibendi, eosdem ac alios contradictores & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac omnia alia iuris & facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachij secularis quandocumque opus erit inuocandi, ceteraque in prædictis, omnibus & singulis necessaria faciendi & exequendi, plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, aliisque Apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, quodque Episcopis, Collatoribus, & prælatis prædictis, etiam Cardinalibus, vel quibusuis aliis, communiter vel diuisim à prædicta sit Sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut contra indulta huiusmodi ad iudicium trahi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, & ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, aut in totum non inserta, effectum præsentium aut attributæ prædictis Ordinariis iurisdictionis explicatio, seu exercitium, vel executio impediri valeat quomodocumque vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis; ceteriscque contrariis quibuscumque.

Digitized by Google

Confi. d Pij IV. in suo robore remanet. §.11. Literis prædecessoris huiusmodi nihilominus in suo robore duraturis.

Transumptorum fides. §.12. Volumus autem vt præsentium exempla etiam impressa edantur, eaque Notarij publici manu, & cuiuscumque curiæ Ecclesiasticæ, vel Prælati sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem, in iudicio & extra, vbique locorum faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino, &c.

D. P. An. 4. die 11. Iunij. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ, 1569. Kal. Iunij, Pontificatus nostri anno 4.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini 1569. Indictione 12. die vero Sabbati 6. Augusti, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius 4. retroscripta litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apost. & in acie Campi Florę, vt moris est, dimissis in omnibus supradictis locis earundem retroscriptarum literarum copiis affixis, per nos Iulium Parinum, & Ioannem Andream Panizzam predicti S. D. N. Pij Papæ V. Curs.*

Christianus de Monte Mag. Curs.

Sequitur extensio ad Cardinales.

Edita An D. 1569. *PIVS PAPA QVINTVS, &c.*

Dubia an præcedens cōst. liget Cardd. HOdie in Consistorio nostro secreto vt moris est accepto, quod à nonnullis prætendebatur S. R. E. Cardinales obtentu priuilegiorum sub constitutione nostra de confidentiis beneficialibus, saltem quo ad priuationem, censuras, & alias pœnas in dicta constitutione contentas, propter non factam in clausula impositionis illarum specialem & expressam de dictis Cardinalibus, & priuilegiis mentionem, minime comprehendi, licet aliter mentis & intentionis nostræ fuerit, quemadmodum & ex literis dictæ constitutionis colligi posset.

Declaratio qua eos comprehendit. §.1. Ad tollendum tam omne dubium atque impedimentum, quo minus constitutio præfata commune bonum, & salutem animarum concernens, plenarium effectum sortiatur, declarauimus, omnes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in constitutione, & literis præfatis, ac singulis earum partibus, etiam quo ad priuationes, omnesque, & singulas alias censuras, & pœnas, in ipsis literis contentas, comprehendi, ac contrafacientes, priuationes, censuras & pœnas ipsas incurrere, prout nos illos omnes includi, & incurrere volumus eo ipso.

Decretum irritans. §.2. Decernentes sic per quoscumque, &c. etiam Cardinales, in quauis causa & instantia, sublata &c. iudicari &c. debere; necnon irritum &c. attentari.

Reuocatio priuilegiorum ad effectum præsentium. §.3. Ac priuilegia præfata, necnon exemptiones, conseruatorias, & indulta omnia, per quoscumque Romanos Pontifices &c. etiam Motu proprio, & ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac etiam consistorialiter, & ex quibuscumque causis in genere vel in specie concessa, confirmata, extensa, & moderata, & quantocumque tempore obseruata, ad effectum præfatorum reuocauimus, & annullauimus, viribusque & effectu quo ad hæc prorsus carere decreuimus. Volumusque & statuimus, tenores priuilegiorum &c. qualiacumque sint, præsentibus pro plene & sufficienter expressis haberi.

Sola signatura sufficit. §.4. Solamque hanc schedulam manu nostra signatam, & in Cancellariæ Apostolicæ libro ad perpetuam rei memoriam registratam, absque alia literarum confectione, sufficere, eamque & eius exempla, vbique locorum in iudicio & extra illud fidem facere.

Derogatio cōtrariorum. §.5. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Cancellariæ præfatæ regulis, editis & edendis, ceterisque contrariis, non obstantibus quibuscumque.

Dat. P. A. 4. die 14. Nou. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 14. Nouembris 1569. Pontificatus nostri Anno quarto.

Papæ subscr. Ita est M.

LXXXVI.

Quod facultas erigendi Capellas Rosarij, sit solummodo Magistri Generalis Ordinis S. Dominici, & ab eo Deputatorum. Et Confratres Sodalitatum Rosarij ab eis institutarum, oblationes & legata in pios eius vsus conuertenda recipere valeant. Indulgentiasque hic enunciatas consequantur.

Hæc eadem facultas instituendi has Confraternitates concessa est etiam Vicario generali d. Ord. à Sixt. V. in constit. 21. Dudum ineffabilia. *Et antiquiorem Rosarij approbationem, habes in constit.* 18. *Sixti IV.* Ea quæ. *vbi notaui. Quibus adde aliam constit. Leonis X. positam in Appendice.*

Edita An. D. 1569. *PIVS PAPA QVINTVS*
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. INter desiderabilia cordis nostri, illud intensis desideriis affectamus, vt singulorum Christifidelium quorum nobis ex commissi Pastoralis officij debito cura imminet, generalis animarum salus proueniat, vnde pia & salubria fidelium vota ad hoc tendentia, & alias ex quibus diuini cultus prouenit augmentum, pij patris affectione prosequimur, ac plenis fauoribus confouemus, & vt optatum consequatur effectum, Christifideles ipsos ad illa, indulgentiis videlicet & peccatorum remissionibus libenter inuitamus.

Causa huius concessionis. §.1. Exhibita sane nobis nuper pro parte dilecti filij Magistri Prouincialis Ordinis Prædicatorum Prouinciæ Neapolitan. petitio continebat, quod cum dilectus filius Fr. Ambrosius Saluius loci de Balneolo Nutean. siue alterius diœc. ad erigendum Societates Sanctissimi Rosarij in quibuscumque Ecclesiis, per nos & Sedem Apostolicam specialiter deputatus fuerit, si aliis huiusmodi facultas, præterquam eiusdem Ordinis Magistro Generali interdiceretur, ex hoc profecto diuersis abusibus, qui in illarum erectione interuenire possent, satis consultum foret. Quare nobis pro parte eiusdem Prouincialis fuit supplicatum, vt sibi in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Facultas erigendi Capellã Rosarij spectat ad Mag. Gen. Ord. S Dominici, & ab eo deputatos tantum. §.2. Nos qui honestis quorumlibet votis libenter annuimus, eaque fauoribus prosequimur opportunis, eumdem Prouincialem à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica per præsentes statuimus, quod nulli licitum existat, minusque aliquis Capellam Sanctissimi Rosarij in quauis Ecclesia siue loco erigere, præter dictum Generalem, aut ab eo deputatos, ac præfatum Ambrosium.

Nihil ingrediētes Sodalitatem soluāt. §.3. Minusque aliquis Confrater, seu vir siue mulier, aliquid eidem Societati pro illius ingressu, vel alia quauis de causa persoluere.

Confratres ad proceſſ. accedant, & ad ſepel. mortuos inſignia deferant. §.4. Ac singuli Confratres ad quasuis processiones accedere, & in quibus corpora defunctorum ad sepeliendum deferuntur, cum eorum insignis, cuiusuis etiam Superioris licentia desuper minime requisita, etiam absque aliquo conscientiæ scrupulo, & censurarum Ecclesiasticarum incursu possint & valeant, seu eorum quilibet possit & valeat.

Prohibitio Confratres in his molestādi. §.5. Districtius inhibentes quibusuis, ne eosdem Generalem, seu deputandos, & Ambrosium, super erectione, & institutione Societatum huiusmodi in quibuscumque Ciuitatibus, terris, & locis, factis & faciendis, neque eosdem Confratres super exercitio piorum operum, & profectu ad processiones, seu incessu cum signo eorum, aut dicti signi delatione molestare, perturbare, aut inquietare audeant nec debeant, quinimo Generali, deputatis,

Digitized by Google

putatis,& Ambrosio præfatis in præmissis auxiliū, consilium, vel fauorem præbeant. Nos enim omnes præmissis contrauenientes,indulgentiis,& peccatorum remissionibus eis concessis priuamus,& priuatos esse, ac indignos effici,& quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Confirmatio indulgentiarum.

§.6. Postremo vero, vt animarum Christifidelium præsertim ex aliqua Societate huiusmodi erectarum, seu per eumdem Ambrosium erigendarum existentium, & eamdem Societatem ingredi volentium, quieti, & spirituali consolationi salubrius consulatur, & ad illam vbicumque erectam Christifideles ipsi accedentes eo feruentiores, & promptiores reddantur, quo se dono cælestis gratiæ decoratos senserint, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum auctoritate confisi,Christifidelibus præfatis de dicta Societate, vt præfertur instituta, vel instituenda existentibus, vt omnes & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones, tàm per nos quàm quoscumque alios Romanos Pontifices, & præsertim Leon. Papam X. prædecessores nostros concessas consequantur, & consequi possint, auctoritate & tenore prædictis misericorditer in Domino concedimus & indulgemus.Illaque nonnisi in Ecclesiis, in quibus, vt præfertur eadem Societas instituta erit, præterquam in casu summæ necessitatis & infirmitate grandi,seu detentione carcerum, in quibus & alio in loco consequi possint obseruando tamen illa omnia, quæ in dictis indulgentiis continentur, consequi posse decernimus. Omnesque & singulas per eumdem Ambrosium, siue Generalem, aut deputandos præfatos auctoritate nostra, modo tamen supradicto, concessas confirmamus & approbamus.

Derogatio cõstrariorum.

§.7. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceteriscque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 4. die 28. Iuny.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 28. Iunij 1569. Pontificatus nostri anno quarto.

Sequitur alia constitutio super prædictis.

Edita An. D. 1569.

PIVS PAPA QVINTVS Ad perpetuam rei memoriam.

Oratio ad Deum in vexationibus proficua.

COnsueuerunt Romani Pontifices, & alij Sancti Patres prædecessores nostri, cum bellis corporalibus vel spiritualibus premerentur, aut aliis tentationibus vexarentur, quo facilius ab illis euaderent, & tranquillitatem adepti, Deo quietius & feruentius inseruirent & vacarent, diuinam opem implorare, & Sanctorum suffragia per supplicationes, seu per Litanias deposcere, ac oculos cum Dauide in Montes leuare, certa spe confidentes, inde illis auxilia affutura.

Psalterij institutio B. Dominicus ad deprimendas hæreses.

§.1. Quorum exemplo adductus, & Spiritu sancto, vt pie creditur, afflatus Beatus Dominicus Ordinis Fratrum Prædicatorum auctor, (cuius institutum, & regulam cum in minoribus essemus expresse professi sumus) simili, qua nunc temporis occasione, quo Albigensium hæresi partes Galliarum, & Italiæ misere vexabantur, & tam multos excæcauerunt sæculares, vt in Domini sacerdotes, & clericos sæuissime furerent, leuans in cœlum oculos, & montem illum Gloriosæ Virginis Mariæ Almæ Dei Genitricis, quæ germine suo tortuosi serpentis caput obtriuit, & cunctas hæreses sola interemit, ac benedicto fructu eius ventris, Mundum primi parentis lapsu damnatum saluauit, & de quo sine humanis manibus abscissus est lapis ille, qui ligno percussus gratiarum aquas affluenter produxit, respiciens modum facilem, & omnibus perutum, ac admodum pium orandi, & precandi Deum, Rosarium seu Psalterium eiusdem B. Mariæ Virginis nuncupatum, quo eadem Beatissima Virgo Salutatione Angelica centies & quinquagesies ad numerum Dauidici Psalterij repetita, & Oratione Dominica ad quamlibet decimam cum certis meditationibus totam eiusdem D. N. IESV CHRISTI vitam demonstrantibus interposita, veneratur, excogitauit, excogitatum per S.R.E.Patres propagauit, orandique modo prædicto per assectas Beati Dominici Fratres, videlicet Ordinis prædicti diuulgato, & à nonnullis accepto, cœperunt Christifideles iis meditationibus accensi, iis precibus inflammati in alios viros repente mutari, hæresum tenebræ remitti, & lux Catholicæ fidei aperiri, & ad hanc orandi formam pro locorum diuersitate Sodalitates per Fratres eiusdem Ordinis ad hoc à suis Superioribus legitime deputatos institui, & Confratres in eis describi.

Hic Pont. ex causis hic indicatis illud seruati admonet.

§.2. Nos quoque illorum prædecessorum vestigia sequentes, militantem hanc Ecclesiam diuinitus nobis commissam, his temporibus tot hæresibus agitatam, tot bellis, prauisque hominum moribus atrociter vexatam, & afflictam cernentes, lachrymabundos, sed spei plenos oculos in montem illum, vnde omne auxilium prouenit leuamus, & singulos Christifideles ad simile faciendum benigne in Domino hortamur, & monemus.

Idemque confirmat vna cũ sua gratia & Indulgentiis.

§.3. Vtque facilius modus ille ab omnibus cum ea qua decet deuotione, & mentis Religionisque Christianæ sinceritate amplectatur, auctoritatis nostræ partes, quantum nobis ex alto conceditur, fauorabiliter impartientes, modum orandi & precandi prædictum, omniaque & singula indulta, indulgentias, peccatorum remissiones, relaxationes, immunitates, priuilegia, & alias gratias per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & dictæ Sedis, etiam de latere Legatos, ac alios Apostolica ad id auctoritate suffultos, iuxta precandi modum prædictum orantibus, & Confraternitatibus, seu Sodalitatibus, sub dicto Rosario institutis, & illarum Ecclesiis, seu Altaribus, aut Capellaniis, vel Confratribus, aut Sodalibus, tàm Motu proprio, & ex certa scientia, siue in genere, vel in specie, quàm alias quomodolibet, etiam pluries concessa, confirmata & innouata, quorum omnium & singulorum tenores & compendia, præsentibus haberi volumus pro expressis & insertis, eadem auctoritate harum serie perpetuo confirmamus & approbamus, ac illis perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus. Necnon potiori pro cautela, præmissa omnia eisdem modo & forma, quibus concessa reperiuntur, etiam perpetuo innouamus.

Et Confraternitatum Sodalitatum institutarum à Deputatis Ordinis S. Dominici omnes gratias concedit.

§.4. Ac omnibus & singulis Christifidelibus vtriusque sexus Confratribus, per dilectos filios modernos & pro tempore existentes Fratres Ordinis prædicti in suis, & tàm per eos quàm per alios Sacerdotes, etiam in aliis Ecclesiis à dilecto filio, etiam moderno & pro tempore existente ipsius Ordinis Generali Magistro, vel eius Vicario dumtaxat deputatos, in huiusmodi Sodalitatem, seu Confraternitatem Rosarij receptis, & descriptis, Ecclesias, Altaria, & Capellas huiusmodi visitantibus, necnon Deo preces iuxta Rosarij modum prædictum effundentibus, quod omnibus & singulis indultis, indulgentiis, peccatorum remissionibus, relaxationibus, priuilegiis & aliis gratiis præfatis frui, vti, potiri & gaudere.

Et etiam sepulturæ percipiendi legendæ.

§.5. Necnon eisdem Confraternitatibus, seu Sodalitatibus, quod illarum ad id deputati Confratres, omnia & singula oblationes, & legata, seu donationes, aut alias quouismodo, siue in testamento siue codicillis, aut alia vltima vel inter viuos voluntate illis relicta, & erogata, quæcumque, quotcumque, & qualiacumque, etiam si speciali nota digna sint, percipere, exigere, leuare, & in Confraternitatum huiusmodi pios vsus conuertere, etiam Ordinarij loci, aut cuiusuis alterius licentia desuper minime petita, libere & licite possint.

Indulgentiæ quæ hic describuntur.

§.6. Et insuper quo quisque ad se numero Confratrum præfatorum aggregandum, promptior & alacrior fiat, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus & singulis Confratribus prædictis per deputatos prædictos descriptis, vere pœnitentibus & confessis, qui prima vice qua descripti fuerint, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in aliqua Ecclesia, aut Capella dictæ Confraternitatis perceperint, & vnam saltem quinquagenam Rosarij recitauerint, & pro tranquillitate Sanctæ Matris Ecclesiæ orauerint, necnon qui in mortis

Digitized by Google

mortis articulo constituti salutaris pœnitentiæ, & viatici Sacramento muniti fuerint, plenariam omnium & singulorum peccatorũ suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus & elargimur. Qui vero in Resurrectionis D. N. Iesv Christi, & Annunciationis, ac Assumptionis eiusdem B. Mariæ præfatum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & partem Rosarij, vt præfertur, recitauerint, decem annos, & totidem quadragenas; eisdem autem Confratribus, qui in reliquis D. N. Iesv Christi, & B. Mariæ Virginis præfatorum festis diebus, in quibus sacra ipsius Rosarij mysteria recensentur, vnam saltem Rosarij quinquagenam recitauerint, necnon aliis omnibus & singulis vtriusque sexus Christifidelibus, etiam non Confratribus, qui in eiusdem Rosarij Processione, quæ mense quolibet fieri consueuit, deuote interfuerint, & pariter Confratribus præfatis qui ipsum Rosarium integrum qualibet hebdomada deuote recitauerint, septem annos, & totidem quadragenas de iniunctis sibi pœnitentiis, etiam misericorditer in Domino relaxamus.

Clausula præseruatiua.

§.7. Decernentes Confratres, & alios præfatos à quoquam desuper molestari, præsentesque literas de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis, aliove vitio, aut intentionis nostræ defectu notari, argui, vel impugnari, & sub quibusuis, similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, alterationibus, limitarionibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi non posse; sed quoties illæ emanauerint, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, de nouo, etiam sub posteriore data per ipsos deputatos Confratres eligenda concessas, ac perpetuo validas & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri debere.

Decretum irritans.

§.8. Et ita per quoscumque Iudices & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac ex nunc irritum & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§.9. Non obstantibus quibusuis Apostolicis, ac in Prouincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac Cancellariæ Apost. regulis, editis & edendis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§.10 Volumus autem quod præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides tàm in iudicio quàm extra adhibeatur, quæ præsentibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 4. 17. Septemb.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 17. Septembris 1569. Pontificatus nostri Anno quarto.

LXXXVII. Confirmatio & declaratio priuilegiorum & gratiarum Collegij Scriptorum Archiuij Curiæ Romanæ.

Huius Collegij institutionem, eiusque statum vide sup. in constit. 15. Iulij II. Sicut. *vbi alia notani.*

Edita An. D. 1569.

P I V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Confirmatio const. Iul. II. citata in rub. & alterius Leon. X. prætermissa, tamquam nihil releuans consentiũ.

PRidem nos anxio solicitoque animo cogitantes, &c. Collegij erectionem, & institutionem à fel. rec. Iulio Papa II. Kal. Septembr. Pontif. sui anno 5. factam, necnon omnia & quæcumque priuilegia, facultates, exemptiones, prærogatiuas, dispensationes, gratias & indulta ab eadem dicta die, & Idibus Decembr. dicti anni, necnon à Leone X. Pridie Non. Octob. Pontif. sui anno 1. aut alio veriori tempore, necnon aliorum omnium inde vsque Rom. Pont. concessiones eidem Collegio & personis, in genere & in specie, tàm coniunctim quàm diuisim factas, & super his omnibus & singulis confectas literas, scripturas, & instrumenta, ac inde secuta quæcumque, cum prohibition. clausulis, & decretis in eis conten. quæ omnia & singula æque atque ad verbum præsentibus inserta, expressa & repetita habemus, literisque super præsentibus conficiendis in totum vel in partem exprimi, totosque tenores singulorum inseri posse volumus, etiam si talia, & multa sint, quæ speciali expressione indigeant, Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus renouamus, approbamus, & confirmamus, effectumque plenarium & integrum prorsus sortiri volumus, ac omnes & singulos iuris & facti defectus si qui interuenerint in eisdem supplemus. Decernentes illa omnia, perpetuum & inuiolabile robur obtinere, ac irritum &c. attentari.

Cœtessio, quod scriptores Archiuij, sint N. tarij causarum ciuilium cuiuscumque Iudicis Commissarij.

§.1. Quin etiam in perpetuum applicamus, & appropriamus, ac etiam annectimus, vnimus & incorporamus dicto Collegio scripturas præfatas, ac omnia & quæcumque iura, fructus & emolumenta ratione officiorum Notariatuum eorum omnium Iudicum ordinariorum, & Commissariorum Curiæ & Vrbis in præfata institutione expressorum; quibus etiam S. R. E. Cardinales adiungimus, & similes etiam si ordinarij dicantur comprehendi volumus. Vt vero in habendo proborum peritorumque Notariorum delectu melior deinceps ratio capiatur, statuimus vt posthac, in omnibus & quibuscumque causis coram præfatis Iudicibus etiam Cardinalibus quomodocumque habendis & agitandis, Collegium ipsum Notarios idoneos qui in eiusmodi causis scribant constituere debeat. Nullique omnino ipsorum Iudicum etiam Cardinalium alios Notarios, etiam dicti Archiuij scriptores in causis huiusmodi pro arbitrio constituere possint, sed eos dumraxat assumere teneantur, quos Collegium præfatum suo ex gremio, in genere vel in specie duxerit eligendos. Decernentes alias quascumque constitutiones, ordinationes, & assumptiones Notariorum, etiam de dicti Collegij Scriptoribus, siue in genere siue in specie, tam per Iudices etiam Cardinales, quam etiam Sedem Apostolicam ex quibuscumque causis, etiam motu simili, & potestatis plenitudine similibus, necnon processus & alia quæcumque coram eisdem Iudicibus, etiam Cardinalibus aliter facienda, irrita & inania esse, viribusque & effectu carere, Notariosque tamquam falsi reos puniri debere. Ceterum Collegium præfatum rationes, & curas omnes huiusmodi processuum, scripturarum, & instrumentorum, etiam præteritorum omni tempore habeat, omnia & quæcumque emolumenta, ordinaria & extraordinaria inde quomodocumque prouenientia, ad communem vsum percipiat, & delegandis siue substituendis Notariis suis stipendia constituat, vel alias super hoc conueniat cum eisdem &c.

Decretum irritans.

§.2. Sicque in his & aliis præfatis omnibus & singulis per quoscumque, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Card. ac Cameram ipsam, in quauis causa & instantia, sublata &c. iudicari &c. debere &c. necnon irritum &c. attentari

Derogatio cõtrariorum.

§.3. Non obstantibus præmissis, & Pauli II. III. & IV. aliorumque Romanorum Pontificum, ac nostris de rebus Ecclesiæ non alienandis, & alienatis reuocandis, ac aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, etiam de gratiis ad instar non conceden. Cancellariæ Apostolicæ regulis editis & edendis, eiusque & dictæ Cameræ, earumque Collegiorum, & etiam Vrbis Romæ iuramento &c. roboratis, statutis &c. necnon institutione & fundatione, ac veteri stylo quantocumque tempore obseruato, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis, eorumque personis omnibus & singulis, etiam per modum statuti perpetui, ac initi & stipulati contractus, & alias quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis per præfatos, & alios quoscumque alios Romanos Pontifices, ac nos & dictam Sedem ex quibuscumque causis, etiam Motu, & scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam Consistorialiter concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, quibus omnibus, etiam si de illis &c. tenores &c. in genere

Digitized by Google

genere & in ſpecie ad effectum ſufficientis derogationis eorum latiſſime exten. Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus derogamus, necnon omnibus illis, quod in ſingulis literis prefatis conceſſum eſt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque, cum clauſulis opportunis &c.

Papa ſubſcr. Fiat Motu proprio. M.

D. P. An. 4. die 19 Iulij. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, 15. Kalen. Auguſti, Anno 4.

LXXXVIII. Coſmus Medices Reipublicæ Florentinæ Dux, eiuſque ſucceſſores Magni Duces Etruriæ creantur.

Iſte Coſmus Militiam S. Stephani, de licentia Pij IV. inſtituit, vt ſup. in eiuſdem Pij conſt. 60. His quæ. vbi de ea dixi.

Edita An. D. 1569. PIVS EPISCOPVS, *Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. ROmanus Pontifex in excelſo militantis Eccleſiæ Throno diſponente Domino ſuper gentes & Regna conſtitutus, poſt perluſtratas ſuæ indefeſſæ mentis acie Orbis Chriſtiani Prouincias, circũſpecta ſua prouidentia præclaros, ac principes viros, qui de Sancta Sede Apoſtolica, fideque Catholica benemereri videntur, ſingulari ſuæ benignitatis clementia, quantum ſibi ex alto conceditur, augere, eoſque inſignibus, ornamentis, ac ſpecioſis honorum titulis decorare, atque illuſtrare conſueuit, necnon alias diſponit, prout temporum, locorum, & perſonarum qualitate penſata, conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Etruriæ Prouinciæ commendatio. §.1. Sane cum nos his noſtris luctuoſiſſimæ tempeſtatis diebus, animo noſtro diu multumque grauiſſimo cum dolore verſaremus, quot & quantæ peſtiferarum hæreſum ſectæ quotidie vndique erumperent, diraque & exitioſa perditorum hominum à fide Catholica aberrantium ſemina paſſim ſerperent, & vſquequaque propagarentur, omnia Italiæ loca circumſpicientes, Etruria Prouincia nobilitatis decore, & antiquitatis nomine à maioribus celebrata, cuius maxima pars, quæ nobis & ipſi Apoſtolicæ Sedi ſubiecta non eſt, ab omnibus fere lateribus ditioni noſtræ Eccleſiaſticæ contermina atque coniuncta exiſtit, nobis præcipue occurrit, quam diuinæ primum bonitatis gratia, ſolicitudineque ac vigilantia noſtra, deinde præſtantiſſimi ac Religioſiſſimi eius Principis virtute, conſilio, diligentia, præ ceteris intactam & incorruptam, ab huiuſmodique pernicioſa labe & contagione, ſartam tectam conſeruatam eſſe conſpicimus.

Maxime ob eius obſequia Romanis Pont. præſtita. §.2. Huc accedit, quod profecto magnopere nos mouet, Sedem Apoſtolicam, cum ob regionis vicinitatem, tum propter loci opportunitatem gratiſſima plerumque obſequia, atque etiam commoda ſubminiſtratis ab Ethruſcis auxiliis à multis iam ante ſæculis recepiſſe, idque complures Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & præſertim fel. record. Innocentium IV. Clementem etiam IV. Gregorium X. Benedictum XI. Martinum V. & Leonem X. luculenter teſtatos fuiſſe, adeo vt tam eamdem Prouinciam, quam eius Rectores & Magiſtratus ob peculiarem eorum erga Romanam Eccleſiam deuotionem & obſeruantiam, propenſo paternoque affectu, variis gratiis, honoribus, ac priuilegiis iure cohonestandos, atque ornandos eſſe duxerint.

Quæ ſignãter Coſmus Medices præſtare ſtuduit & præſtitit. §.3. Quibus rebus debita meditatione mature conſideratis, attendentes quoque in primis, quod dilectus filius nobilis vir Coſmus Medices Reipublicæ Florentinę Dux, maiorem in dies ſuæ eximiæ virtutis ſplendorem, feruentioremque Catholicæ Religionis cultum, & in adminiſtranda iuſtitia præcellens ſtudium, ex eo tempore quo imperare cœpit, nuſquam prætermiſſum, laudabiliter præ ſe ferre non ceſſat. Quod omnibus in occaſionibus, nobis, ac prædeceſſoribus noſtris, & Apoſtolicæ Sedi, prompto ac libenti animo obſequi ſemper ſtuduerit. Quod nos & eamdem Sedem ab ipſo noſtri Pontificatus initio continuato debitæ reuerentiæ honore coluerit, mandatis noſtris filiali obedientia paruerit, honeſtis noſtris petitionibus obſequentiſſime morem geſſerit. Quod à nobis requiſitus, cœpta noſtra pecuniis, peditatu, equitatuque alacriter iuuerit, præſertim pro ferendo auxilio Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Francorum Regi Chriſtianiſſimo, aduerſus eius rebelles, & hæreticos, centum etiam aureorum millia, vltra alia; illi mutuando, hortatu noſtro id fecerit. Quod maiora, ſi vſus venerit, ad Catholicæ fidei defenſionem, & incrementum ſe præſtaturum vltro pollicetur.

Militiam S. Stephani inſtituit. §.4. Quod pro inclyta eius in Deum pietate, ſuperioribus annis, Militiam S. Stephani, ad ſanctæ fidei exaltationem ac propagationem inſtituerit; bonis ditauerit & ampliauerit.

Statum ſuum optime regit. §.5. Quod vniuerſæ prope prouinciæ Ethruſcæ imperſcrutabili Dei iudicio ad ſummæ dignitatis poteſtatem ciuium Florentinorum aſſenſu vocatus felicißime præſit ac dominetur. Quod delatum ſibi admirabiliter Principatum admirabilius regat & moderetur, illumque incomparabili prudentia ac ſapientia, in pacis ac iuſtitiæ amœnitate, ab ineunte eius ætate diligentiſſime contineat & conſeruet.

Præclara multa operatur. §.6. Quod terra marique præpotens exiſtat. Quod Piratis, facinoroſis, ſicariis, quietis, & otij turbatoribus, necnon noſtris & huius Sanctæ Sedis rebellibus, & aduerſariis hoſtis acerrimus, ſcelerumque & delictorum ſeuerus vindex ſit. Quod numeroſa ac frequenti populorum ei ſubditorum Deo benedicente multitudine, copioſis grandibuſque redditibus, & ampliſſimis prouentibus gaudeat, & fruatur. Quod validus peditum & equitum numerus in omnes vſus ei preſto ſemper eſſe poſſit. Quod quamplures florentiſſimas Vrbes, tam Cathedralium quam earum nonnullas Metropoliticarum Eccleſiarum dignitate inſignes, ac Studiorum generalium vniuerſitatibus ornatas, munitiſſimos portus, validiſſimas arces, loca tutiſſima, triremium claſſem paratam, & inſtructam tam ad Tyrrheni ſui maris, quam etiam ad noſtræ oræ maritimæ tutelam habeat. Quod rerum omnium copia, ditionis amplitudine, locorum vbertate, continua vitæ felicitate, demumque gentis celebris admodum & opulentæ viribus firmiſſime ſubnixus vigeat. Quod cuncta hæc ipſa bona per immenſam Dei omnipotentis benignitatem ſibi elargita, ad diuinum honorem & gloriam paratiſſima ſemper fore profiteatur.

Superioremque in ſuo dominio non recognoſcit. §.7. Quod abſoluta poteſtate ratione liberi & directi dominij Florentini nemini ſit ſubiectus, ita vt iuxta diſtinctionem piæ memoriæ Pelagij ſimiliter Romani Pont. prædeceſſoris noſtri, vti Rex & Magnus Dux ac Princeps merito exiſtat, & inter ceteros Magnos Duces, ac Principes re ipſa eſſe, cenſeri & connumerari poſſit, & debeat.

Creatio Coſmi Medicis, & eius ſucceſſorum in Magnos Duces Etruriæ. §.8. Nos igitur tot ac tantis rationabilibus, digniſque de cauſis, clariſſimis quoque ipſius Coſmi Ducis erga nos & Sedem eamdem meritorum, & officiorum monumentis inducti, firmaque ſpe freti, quod is, & eius ſucceſſores, collati noſtri in eos beneficij memores debitam nobis, futuriſque Romanis Pontificibus grato animo fidei ac deuotionis ſinceritatem, perpetuo exhibere, conſeruareque ſtudebunt. Attendentes etiam, quod ſane plurimi facimus, dictum Coſmum Ducem, ac dilectum filium nobilem virum Franciſcum eius filium primogenitum arctis admodum affinitatis, ſanguinis & neceſſitudinis vinculis cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Maximiliano in Imperatorem electo, & maximis Chriſtiani nominis Regibus coniunctos eſſe; eoſque à nobiliſſima ſtirpe Medicea multis honoribus & titulis decorata, & ex qua tot illuſtres proceres, ac tres Romani Pontifices prodierunt; ortum habere. Propterea eumdem Coſmum Ducem ſpecialibus fauoribus, & gratiis paterne benigneque proſequi volentes, ipſumque à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, Motu proprio non ad ipſius Coſmi Ducis, ſeu alterius pro eo nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, maturaque deliberatione, & mera liberalitate noſtris, ac de ſupremæ noſtræ Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tam dictorum prædeceſſorum, quam etiam Alexandri III. & Innocentij pariter III. ac Pauli IV. ſimiliter

Quam intelligę, vt hic infra.

Digitized by Google

liter prædeceſſorum noſtrorum, qui Portugalliæ, & Bulgarorum, ac Blancorum, necnon Hiberniæ Reges, & vt tunc Dux Bohemiæ, Rex in ſuis literis nominari poſſit, reſpectiue crearunt, conſtituerunt & conceſſerunt, aliorumque Romanorum Pontificum erga diuerſos Principes exempla ſequentes, veſtigiiſque inhærentes, vt potiſſimum ceteri Principes hoc exemplo inuitati ad bene de ſancta hac Sede promerendum incitentur, eumdem Coſmum Ducem eiuſque ſucceſſores pro tempore exiſtentes Duces perpetuis futuris temporibus in Magnos Duces, & Principes Prouinciæ Ethruriæ ſibi pro maxima illius parte ſubiectæ, & in ipſa Prouincia reſpectiue auctoritate Apoſtolica tenore præſentium creamus, conſtituimus, pronunciamus, declaramus, Magnorumque Ducum Ethruriæ Prouinciæ, vt præfertur, eius ſubiectæ nomine titulo & denominatione extollimus, & amplificamus, necnon eos dictæ Ethruriæ Pouinciæ eis ſubiectæ Magnos Duces, & Principes ab omnibus nominari, appellari, inſcribi, dici, haberi, cenſeri & tractari debere volumus, præcipimus, ac mandamus, atque Coſmum Magnum Ducem, eiuſque ſucceſſores præfatos omnibus & ſingulis exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, fauoribus, præeminentiis, prærogatiuis, indultis, priuilegiis, aliiſque quibuſlibet gratiis, & honoribus quibus alij vere liberi, & directi Domini, ac Magni Duces, & Principes etiam Ducali, aut alia quauis etiam maiori dignitate præfulgentes, ac quacumque libera, & abſoluta poteſtate fungentes, in genere vel ſpecie, in quibuſcumque locis, pompis, ſeſſionibus, celebritatibus, cæremoniis, & actibus publicis vel priuatis, tam de iure quam de conſuetudine, etiam in Aula noſtra Vaticana, & vbique Terrarum, etiam ſi aliqui alij Magni & ſimiles Duces & Principes præſentes fuerint, quoquo modo vtuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, ſeu vti, frui, potiri, & gaudere in futurum quomodolibet poterunt, & ſoliti ſunt, non quidem ad illorum inſtar, ſed pariformiter, & abſque vlla prorſus differentia vti, frui, potiri & gaudere poſſe ac debere.

Corona Regalis donatio.

§. 9. Et inſuper in euidens clarumque propenſæ noſtræ voluntatis erga dictum Coſmum Magnum Ducem teſtimonium, certamque dilectionis ſignificationē, eum amplioris quoque gratiæ, & fauoris prærogatiua, maxime dignum cenſentes, vt iuxta ſententiam Clementis IV. prædeceſſoris noſtri prædicti, ex maiori decore ornatuum, maioritas appareat dignitatis, ipſum Coſmum Magnum Ducem, & eius ſucceſſores huiuſmodi Regali Corona, vt inferius depingi mandauimus, qua ſuper eorum gentilibus inſignibus, ad illuſtrius nobiliuſque ipſorum decus & ornamentum, vti, eamque portare, ferre, & geſtare, depingique & inſculpi facere libere & licite poſſint & valeant, motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus decoramus, exornamus, & inſignimus, decoratoſque, exornatos & inſignitos fore & eſſe.

Clauſula præſeruatiua.

§. 10. Præſenteſque literas de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu quocumque alio defectu ex quauis etiam quantumlibet iuſtiſſima & vrgentiſſima, rationabilique cauſa nullo vmquam tempore à quoquam notari vel impugnari poſſe, ſed illas validas & efficaces perpetuo fore & eſſe, ſuoſque plenarios, totales & omnimodos effectus ſortiri poſſe ac debere in omnibus & per omnia, ac ſi conſiſtorialiter & de fratrum noſtrorum conſilio factæ, & in ipſo Conſiſtorio noſtro ſecreto lectæ fuiſſent.

Decretum irritans.

§. 11. Sicque per quoſcumque Iudices etiam Imperiali, Regia, Ducali, vel quauis alia excellentia, ac dignitate præditos, & alios Commiſſarios qualibet auctoritate fungentes, etiam cauſarum Sacri Palatij noſtri Auditores, & S. R. E. Card. ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, ſententiandi, definiendi, & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari, definiri & interpretari debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus & declaramus.

Clauſula derogatoria.

§. 12. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Prouinciarum, Ciuitatum, & locorum quorumlibet ſtatutis & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis, illis & quibuſuis aliis perſonis etiam Ducibus quibus forſan per Sedem Apoſtolicam conceſſum ſit, quod priuilegiis, præeminentiis, fauoribus, indultis & gratiis ad inſtar Magnorum Ducum, perinde ac ſi ipſi magni Duces realiter & cum effectu eſſent, vti & gaudere poſſint, in genere vel in ſpecie, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, & quantumcumque efficaciſſimis clauſulis, & decretis quomodolibet conceſſis, confirmatis & innouatis (quibus omnibus etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda eſſet, eorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ad effectum præſentium ſpecialiter & expreſſe derogamus, rotaliterque & latiſſime derogatum eſſe volumus & decernimus) ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Declaratio quod talis creatio non præiudicat iuriſdictioni S. R. E. nec Imperatoris, Regum, &c.

§. 13. Salua nihilominus in noſtris dictæ Prouinciæ, Ciuitatibus, & locis, noſtra & Romanæ Eccleſiæ auctoritate, Iuriſdictione, & poteſtate, necnon Imperatoris, & Regum ſuperioritate, iuriſdictione, ac quibuſuis iuribus reſpectiue in locis mediate vel immediate eis ſubiectis, ac citra aliquod præiudicium Ciuitatum, Terrarum, & locorum in eadem Ethruriæ Prouincia conſiſtentium, quæ non ſunt ditiones dicti Coſmi Ducis, nec ei quomodolibet ſubiecta ſunt, neque aliquo modo obediunt.

Sanctio pœnalis.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum abſolutionis, creationis, conſtitutionis, pronunciationis, declarationum, amplificationis, voluntatum, præcepti, mandati, decorationis, exornationis, inſignitionis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1569. 6. Kalend. Septembr. Pontificatus noſtri anno 4. *D. P. An. 4. die 27. Aug.*

Reuocatio indultorum præter iuris communis diſpoſitionem conceſſorum, recipiendi vel retinendi Religioſos alterius Ordinis, etiam laxioris. LXXXIX.

Edita An. D. 1569.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Hæc diſpoſitio Concilij Trid. habetur in ſeſſ. 14. c. 11. & ſeſſ. 25. c. 19. de Regularibus.

QVæcumque ſacrarum Religionum ſtatum offendere noſcuntur, noſtrum nos incitat officium de medio remouere. Quamquam enim de cohibendis Regularibus ad alium Ordinem tranſlatis Sancta Synodus Tridentina ſalubri conſilio decreuit, vt nemo cuiuſcumque Ordinis Prælatus, vel Superior vigore cuiuſuis facultatis, illorum quempiam ad habitum, & profeſſionem admittere poſſit, niſi vt de Ordine ad quem transfertur, ſub ſui Superioris obedientia in clauſtro perpetuo maneat, multi tamen Superiores, & Prælati, obtentu priuilegiorum, quamplurimos Apoſtatas & alios diuerſorum Ordinum ad ſe ob iurgia, contentiones, leuitatem, & malefacta, vt maxime fugientes, eo etiam conſilio receptare non deſinunt, vt illorum opera in euitandis infirmis, gerendiſque eorum locorum rebus, & negotiis vtantur, ex qua re plerique ſolutiores effecti, & quaſi impunitatem aſſecuti, non perſonas tantum eorum Ordinum, vnde animaduerſionis metu forte exierant, ſed & ipſorum Ordinum ritus moreſque maledictis inſequuntur.

Reuocatio priuilegiorum retinendi vel retinendi Regulares alterius Ordinis etiã laxioris.

§. 1. Quocirca cum eiuſmodi priuilegia veniant abroganda, quandocumque inſigniter comperiuntur nocere, vel etiam ſcandala generare, nos his, aliiſque rationabilibus cauſis adducti, & vt quibuſlibet huiuſmodi effugia præcludamus, de nobis attributæ poteſtatis plenitudine reuocamus & abolemus omnia & quæcumque priuilegia, facultates diſpenſationes, & indulta præter iuris communis diſpoſitionem emanata, recipiendi, vel retinendi Fratres, Monachos, Canonicos & alios etiam laxiorum Ordinum profeſſores, quibuſcumque Ordinibus, Monaſteriis,

Digitized by Google

Monasterlis, Hospitalibus, Militiis & piis locis, etiam S. Antonij Viennen. S. Spiritus in Saxia de Vrbe, S. Ioannis Hierosolymitani, IESV CHRISTI, S. Iacobi de Spatha, S. Lazari Hierosolymitani, eorumque Ecclesiis, membris, Superioribus, & personis, per quoscumque Rom. Pont. prædecessores nostros, ac nos, & Sedem Apostolicam, tam in ipsorum Monasteriorum Hospitalium & locorum institutione, quam deinceps quomodocumque, ac quotiescumque, etiam per modum statuti pepetui, ac initi & stipulati contractus, & alias sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis restitutionibus, præseruationibus, mentis attestationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, necnon irritantibus & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque simili potestatis plenitudine, etiam pauperum infirmorum miserabilium, & cuiuscumque alterius pij operis intuitu, ac etiam ex quibuscumque aliis causis, quantumuis grauibus, charitatiuis & necessariis, etiam consideratione, vel ad supplicationem Imperatorum, Regum, aliorumque Principum, necnon S.R.E. Cardinalium, deque illorum consilio, & matura deliberatione prius habita, concessa, confirmata, ac etiam multiplicatis vicibus innouata, extensa, vel etiam moderata. Cassamus quoque & annullamus, quoad illa, omnes Apostolicas, & alias literas super iis confectas, ac processus, & alia inde secuta quæcumque.

Prohibitio de cetero eas recipiendi.

§. 2. Ac volumus ea omnia, vires & effectum de cetero non habere, ita vt posthac illorum sic reuocatorum prætextu, Prælati & Superiores prædicti, aut alij quicumque nullum prorsus alterius, etiam laxioris Ordinis, vel obseruantiæ regularem, etiam specialem transeundi ad ipsos licentiam (iuxta huiusmodi priuilegia dumtaxat) ferentem, ad habitum & professionem regularem in suis quisque Monasteriis, domibus, locis, vel Ordinibus, etiam vt in claustro perpetuo maneat, admittant, nec omnino quemquam recipiant, vel retineant. Eos vero, quos in aliquo ex casibus supradictis (vigore huiusmodi priuilegiorum tantum, ac præter iuris communis dispositionem) iam habent translatos ad eorum Superiores, & loca eius Ordinis vnde erant profecti, quamprimum remittant.

Annullatio literarum Apost. desuper confectarum, & processuum, &c.

§. 3. Decernentes admissiones, receptiones, & retentiones huiusmodi nulla firmitate subsistere, neminemque prorsus vlli voto, vllius regulæ, vel obseruantiæ, etiam iuramento, aliaue solemnitate promissæ obligare, necnon irritum & inane quicquid secus per prædictos, aut quoscumque alios quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Excommunicationis pœna.

§. 4. Quicumque vero aliquem contra huius nostræ reuocationis tenorem admiserint, aut receperint, aut illos, aut quos iam habent, modo prædicto, translatos, aut receptos retinuerint, ipsos omnibus & singulis dignitatibus, administrationibus, beneficiis, officiis, fructibus, & pensionibus Ecclesiasticis præsentium auctoritate priuamus, & ad futura inhabiles esse volumus eo ipso.

Ordinarij contra prædictos procedant.

§. 5. Quocirca omnibus locorum Ordinariis, in quorum Diœcesibus loca prædicta consistunt, per Apostolica scripta mandamus, vt per se vel alium seu alios de translatis prædictis auctoritate nostra cognoscentes, in eos quos contra hoc præscriptum nostrum degere inuenerint, ac etiam recipientes, vel retinentes, reiecto quocumque exemptionis priuilegio animaduertant, ipsosque præterea translatos, vel retentos, ad Priores Ordines, & disciplinam remittere procurent. Contradictores quoscumque per censuras & pœnas Ecclesiasticas, ceteraque iuris & facti remedia opportuna, quacumque appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij læcularis.

Clausula derogatoria.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Monasteriorum, Hospitalium, Militiarum, Ordinum & locorum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, stat. alimentis, vsibus & naturis, quodque Prælatis, & Superioribus prædictis, vel quibusuis aliis communiter vel diuisim à prædicta sit Sede indultum, quod literis reuocationis sub quacumque formula editis nullatenus, vel nisi modis, & formis in huiusmodi indultis contentis parere, & ob non parationem aliquas censuras & pœnas incurrere, aut alias interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, necnon Monasteriis, Hospitalibus, Militiis, & Ordinibus huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, exemptionibus, indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus & specialibus, etiam Motu, scientia & potestatis plenitudine prædictis, concessis, cuiuscumque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa vel omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ omnia nolumus cuiquam contra prædicta in aliquo suffragari, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§. 7. Volumus autem, vt ipsarum præsentium exempla edantur eademque etiam impressa, Notarij publici manu, & Prælati Ecclesiastici, eiusue Curiæ sigillo obsignata, eamdem illam vbique locorum fidem in iudicio & extra illud faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis autem, &c.

D.P. An 4. die 14. Octob.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Prid. Idib. Octobris, Pontificatus nostri anno quarto.

Publicatio.

Anno à natiuitate Domini 1569. Indict. 12. die vero 1. mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno quarto, retroscripta litera Apost. lecta, affixa, & publicata fuerunt ad valuas Basilicarum Lateranen. Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Florę, dimissis in omnibus supradictis locis earumdem retroscriptarum literarum copiis affixis per nos Iulium Parinum, & Ioannem Bornotum prædicti S. D. N. Papæ Curs.

Scipio de Octauianis Mag. Curs.

Reformatio officij Correctoris Cancellariæ Apostolicæ, & literarum minoris Iustitiæ contradictarum nuncupat. XC.

Aliam reformationem fecit Pius IV. vt supra in eius const. 54. Vniuersi. Et de materia Cancellariæ, attende sup. Mart. V. const. 3. In Apostolicæ, cum ibi notatis.

Edita An. D. 1569.

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius reformat.

ROmani Pontificis circumspecta prouidentia nonnumquam gesta per Romanos Pontifices prædecessores reuocat & moderatur, prout in Domino salubriter expedire conspicit. Hinc est, quod ad reformationem literarum officij Correctoris minoris Iustitiæ contradictarum nuncupatarum Cameræ nostræ Apostolicæ attendentes, licet à fel. rec. Pio Papa IV. prædecessore nostro quamplura salubria statuta & ordinata fuerunt, tamen quia experientia compertum est propter nimias subtilitates adhuc sæpe ex dicto officio rescripta contra mentem nostram in graue partium præiudicium emanasse, quibus, prout ex debito officij nostri tenemur, prouide consulere volentes, hac nostra constitutione perpetua statuimus, decernimus atque prohibemus.

Correctores & Procuratores abstineant à commissionibus causarum &c.

§. 1. Ne Corrector & Procuratores Collegij officij literarum præfatarum ex officio, vt antea, commissiones causarum sub quacumque forma, subrogationes, & Iudicum mutationes concedant, minusque Iudicibus ordinariis, aut aliis delegatis aliquos illis adiungant, aut quorumuis testium, etiam ad perpetuam rei memoriam examen ipsi delegent, neque literas ad effectum reuelationis, aut aliquid restituendi, aut deponendi, seu testimonium veritatis perhibendi contra occultas personas in forma Significauit, concedi solitas, aut literas, quas iuris declaratorias super Religionis validitate, aut quibusuis aliis quæstionibus, causis & negociis, & quas conseruatorias appellant,

Digitized by Google

appellant, expediant, ſed omnes ad nos & futurum Rom. Pont. referantur per ſignaturam noſtram, aùt eiuſdem Rom. futuri Pont. expediendas & decidendas, prout negotiorum & perſonarum qualitas, ac rei grauitas, & neceſſitas poſtulauerit. Literas vero commiſſionum ſecundum ſupplicationes huiuſmodi, ſuper negotiis, cauſis & quæſtionibus præfatis ſignandas, Correctori, & Collegium huiuſmodi per illius officium expediat.

Correctori concedat confirmationes contractuum, & ſententiarum vt hic.

§. 2. Poſſit tamen idem Correctori, vt antea ex officio literas ſuper confirmatione contractuum ad ſupplicationem partium, & ſine alterius præiudicio, ac ſententiarum, & laudorum de conſenſu partium cum ſolitis clauſulis in forma communi expedire.

Regulas aliis non det.

§. 3. Regulas Cancellariæ non niſi de conſenſu S.R.E. Vicecancellarij, aut illius Regentis concedat.

Beneficiales materias non expediat.

§. 4. Abſtineat vero Correctori & Collegium præfatum, quibus iuſtitiæ maioris literarum expeditio commiſſa fuit, ab omnibus materiis beneficialibus, tam principalibus quam acceſſoriis, & materiis perpetuis, necnon à conceſſione abſolutionis à cenſuris, ſeu cõmiſſionibus illarum.

Licentias teſtandi quas concedat.

§. 5. Licentias teſtandi niſi pro ſumma centum ducatorum, iuxta formam in quinterno Cancellariæ noſtræ traditam, concedat, & dummodo aliam ſimilem non obtinuerit, & quod in omnibus licentiis præfatis hæc clauſula (dummodo ſimilem antea non obtinuerint) apponatur.

Statuta & priuilegia non confirmet.

§. 6. In confirmationibus ſtatutorum, conſtitutionum, ordinationum, & priuilegiorum, ſe non intromittat.

Licẽtias alienandi nõ det.

§. 7. Licentias alienandi bona Eccleſiaſtica, ſeu ad loca pia pertinentia, confirmationes alienationum huiuſmodi bonorum cuiuſcumque etiam modicæ quantitatis exiſtant, ipſe non attingat, nec expediat.

Literæ per Officiales examinentur.

§. 8. Literæ vero per Correctorem & officium præfatum expediendæ ad Bullariam non mittantur, niſi præuio examine, & cenſura Vicecancellarij, aut Regentis & in eadem Cancellaria noſtra de maiori præſidentia aſſiſtentium probatæ fuerint, poſt cuius iudicium neque Correctori, aut quiuis alius manu eas immutando, ſub pœna falſi apponat.

Materias regularium non tangat.

§. 9. Abſtineat quoque ab omnibus materiis concernentibus ſtatum & perſonas regulares vtriuſque ſexus, cuiuſcumque Ordinis.

Procuratores Collegium faciant.

§. 10. Conficiant præterea Procuratores præfati Archiuium in Palatio noſtro Apoſtolico, in loco per nos deſignando, & literas omnes extenſe & integre regiſtrent, & ad minus ſingulo quoque trimeſtri ad dictum Archiuium cuſtodiendas deferant.

Contra hanc bullã & aliã Pij IV. nihil agant.

§. 11. Inhibentes Collegio & Correctori præfatis ſub pœna priuationis officiorum ne contra declarationem, ordinationem & decretum præfatum aliquid innouare præſumant. Ceteris omnibus aliis, quæ à Pio præfato, & aliis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris ſtatuta & decreta ſunt, firmis manentibus.

Derretum irritans.

§. 12. Sicque in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, etiam ipſius Eccleſiæ Romanæ Cardinales, ſublata eis quauis aliter interpretandi & iudicandi facultate, iudicari & definiri debere. Et quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentati contigerit, irritum & inane ſimiliter decernimus.

Derogatio cõtrariorum.

§. 13. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, priuilegiis quoque & indultis eiſdem Correctori & Procuratoribus, eorumq; Collegio ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac forſan nos conceſſis, approbatis & innouatis, quibus omnibus etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa, ac indiuidua & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque.

Supplicationes commiſſionum quomodo expedien.

§. 14. Volumus autem quod liberum ſit omnibus, ſupplicationes commiſſionum cauſarum in præſentia noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis ſignatas, non ſolum per officium contradictarum, vt præfertur, ſed etiam vt antea per literas in forma Breuis expediendas obtinere, dummodo per extenſum, & non ſupplicatione introcluſa, literæ præfatæ expediantur.

Taxa non augeatur.

§. 15. Inhibentes Secretariis, & Scriptoribus dicti Collegij ſub pœnis indignationis noſtræ, & priuationis officiorum, ne propter extenſionem huiuſmodi, taxam & impenſam, etiam occaſione ſcripturæ aut laboris vel celerioris expeditionis, augeant.

Literæ regiſtrentur, &c.

§. 16. Mandantesque Collegio & Scriptoribus, quod literæ præfatæ per eoldem regiſtrentur, & in Palatio noſtro ad Archiuium, in loco ſimiliter per nos deſignando, ſingulo quoque trimeſtri ad minus, vt ſupra deferantur.

Forma & effectus public.

§. 17. Vt autem præſentes literæ ad omnium notitiam deducantur, & eos quorum intereſt, vel intereſſe poterit, omnino afficiant, volumus & mandamus illas in Palatij noſtri Apoſtolici, ac Audientiæ literarum contradictarum valuis, & acie Campi Floræ per aliquos ex Curſoribus noſtris affigi, & per aliquod temporis ſpatium relicta ibidem earum copia affixa detineri, vt ij, quos literæ ipſæ concernunt, ſeu concernere poterunt quomodolibet in futurum, nullam poſſint excuſationem prætendere, vel allegare quod ad ipſorum notitiam non peruenerint. Cum non ſit veriſimile apud eos incognitum remanere, quod tam pãtenter publicatum fuerit. Et quod in quinterno Cancellariæ præfatæ deſcribantur.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An 4. die 12. Octob.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, 12. Calendas Nouembris, Pontificatus noſtri Anno quarto.

Sequitur declaratio prædicta Reformationis.

Edita Ao. D.

PIVS PAPA QVINTVS Motu proprio, &c.

Cauſa huius declarationis.

NVper certis rationabilibus cauſis tunc ſuadentibus circa officium Correctoris literarum Cancellariæ noſtræ contradictarum nuncupatarum, ſtatuimus vt nihil omnino eorum quæ tunc expreſſa ſunt, quæ antea ex dicto officio concedi conſueuerant, deinceps abſque ſignatura noſtra, & in literarum Apoſtolicarum expeditione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellario aſſiſtentium recognitione & cenſura, à prædicto Correctore expediretur.

Declaratio dicta Reformationis, & facultatum Correctoris, & Procuratorũ.

§. 1. Nos cauſis prædictis poſtea plenius cognitis, cupientes prompriori eorum expeditione quæ iuſtitiam concernunt, minorique partium diſpendio conſulere, Motu ſimili, &c. certaque ſcientia volumus, ac dilectis filiis Correctori & Procuratoribus huiuſmodi literarum contradictarum cõcedimus, vt reſcripta & commiſſiones omnium cauſarum, tam ciuilium quam criminalium, necnon Iudicum ſubrogationes, mutationes, adiunctorum dationes, ſiue ordinariis ſiue delegatis faciendas, teſtium ad futuram rei memoriam examinandorum conceſſiones, & reliquas materias maiorem vel minorem nuncupatam Iuſtitiam more concernentes, ſuper quibus omnibus ſupplicationes noſtras ſeu Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, aut ſignaturæ noſtræ iuſtitiæ Præfecti prius ſignatæ, & non alias, abſque aſſiſtentium prædictorum recognitione vel cenſura valeant expedire. Et ſimili modo ſuper ſupplicationibus manu noſtra ſignatis, literas ad effectum reuelandi, aut aliquid reſtituendi, ac teſtimonium veritatis perhibendi, contra occultas perſonas in forma, Significauit, etiam priuatiue quoad omnes, quibus id (excepto dumtaxat noſtro in ſpiritualib. Vicario Vrbis, qui in Vrbe ipſa & ſuburbiis tantum illa expedire poſſit) omnino inhibemus. Et eos ac etiam Notarios qui contrafecerint, emolumentis omnibus ſuorum officiorum per annum integrum priuamus, locis piis applicandis, & præterea quingentorum ducatorum auri de Camera, ac aliis pœnis arbitrariis afficiendos decernimus. Quę omnia (donec aliter per nos aut Sedem Apoſtolicam reformando fuerit conſtitutum) omnino volumus obſeruari, reliquis omnibus in reformatione noſtra ſuper hoc edita contentis ſaluis remanentibus; ita tamen quod nullus alius quam prædictus Vicecancellarius ſeu eius Locumtenens literas prædictas ad Bullariam tranſmittere poſſit.

§. 2. Ceterum

Digitized by Google

Sola signatura sufficit. §.2. Ceterum volumus solam signaturam præsentibus sufficere, atque in iudicio & extra fidem facere.

Clausula derogatoria. §.3. Regulis nostris in contrarium editis, & de non tollendo iure quæsito, & aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & in reformatione prædicta contentis, etiam specialem & expressam derogationem & mentionem requirentibus, & clausulas derogatoriarum continentibus, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

PP. subscr. Placet Motu proprio M.

XCI.

Indulta, gratiæ & indulgentiæ Confraternitatis nationis Florentinæ, sub inuocatione S. Ioannis Baptistæ Decollati, de Misericordia nuncupatę, nuper in Vrbe institutæ ad charitatiue confortandum via Iustitiæ morituros, eisque Ecclesiastica Sacramenta subministrandum, & eorumdem corpora sepeliendum.

Confraternitatem istam instituit Innocentius VIII. vt sup. in eius const. 16. Inter desiderabilia. *vbi notaui. Et quoad communicationem Indulgentiarum cum aliis eiusmodi Confraternitatibus, videte formam traditam à Clemente VIII. in const.* 115. Quæcumque. *Et quoad Indulgentias ipsorum Confratrum, habetis nouam dispositionem. Pauli V. mox publicandam, firmatam die* 23. *Augusti.* 1608.

Edita An. D.

PIVS PAPA QVINTVS

Motu proprio, &c.

Innocentius VIII. erexit Sodalitatem. CVm sicut accepimus postquam alias fel. rec. Innocentius Papa VIII. prædecessor noster, venerabilem Societatem seu Confraternitatem Misericordiæ nuncupatam nationis Florentinorum de Vrbe erexerat & instituerat.

Ad cõfortandũ via Iustitia ad mortẽ damnatos ac sepeliendum. §.1. Ac Confratribus ipsius Confraternitatis quemdam locum intra Vrbem, in quo vnam Ecclesiam ædificare, & & construere, in qua vnum Capellanum presbyterum sæcularem, qui inibi Missas, & alia diuina officia celebrare, & omnes qui via iustitiæ, vltimo supplicio afficiendi essent, confortare, & eorum confessionibus auditis Ecclesiastica Sacramenta eis ministrare, ac eos in sinceritate fidei Catholicæ manutenere haberet, ad eorum dispositionem deputare & tenere, ac inibi eorumdem vltimo supplicio afficiendorum corpora, Ecclesiasticæ sepulturæ absque aliqua particulari licentia tradere & humare libere valerent, donauerat.

Confratribus ius eligendi Confessorem dedit. §.2. Quodque Confratres Confraternitatis huiusmodi pro tempore existentes, quæcumque statuta & ordinationes secundum misericordiam & charitatem, conuenientia & expedientia condere & facere.

Indulgentias concessit. §.3. Atque vnum Confessorem idoneum, & sæcularem, ac cuiusuis Ordinis regularem, qui eos in certis casibus tunc expressis absolueret, & eorum vota etiam, certis casibus tunc expressis exceptis, in alia pietatis opera commutare.

Iudicem eorũ A.C. deputauit. §.4. Eisdemque Confratribus vere pœnitentibus & confessis plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam semel in vita, & in mortis articulo impendere posset, eligere valerent.

Hereditates à condemnatis habere posse concessit. §. 5. Et quod in omnibus causis ciuilibus, non tamen criminalibus, concernentibus bona ipsius Societatis, non nisi coram Auditore Cameræ conueniri possent. Et quod casu quo aliquis vltimo supplicio afficiẽdus vellet dictam Confraternitatem instituere hæredem omnium vel partis bonorum suorum, Confratres dictæ Confraternitatis pro tempore existentes, possent absque Fisci præiudicio, & nomine dictæ Confraternitatis exigere & recuperare in iudicio & extra illud, ac vbique locorum bona prædicta sibi relicta ab omnibus illa habentibus, licet iuris solemnitates seruatæ non essent; dummodo per instrumentum, vel relationem duorum aut trium testium, siue alias legitime constaret & appareret, talem fuisse voluntatem, & loquutionem vltimo supplicio afficiendi.

Indulgentiam eorum Ecclesiam visitantium dedit. §.6. Et vltimo omnibus vtriusque sexus personis vere pœnitentibus & confessis, quæ dictam eorum Ecclesiam à primis Vesperis vsque ad secundas Vesperas festiuitatis Decollationis S. Ioannis Baptistæ deuote visitarent, & pro subuentione dictæ Confraternitatis manus porrexerint adiutrices, viginti vnius anni, & totidem quadragenarum indulgentiam & remissionem concesserat, & indulserat.

Leo X. hac omnia approbauit. §.7. Piæ mem. Leo X. etiam prædecessor noster donationem, concessionem, & indultum Innocentij prædicti, ac alia præmissa confirmauit & approbauit.

Confratres Nationis Florentinæ esse iussit. §. 8. Ac ordinauit quod Confratres prædicti aliquem voluntarie acceptare, nec ab aliquibus ad acceptandum in eadem Confraternitate aliquem qui nationis Florentinæ non esset compelli & cogi non possent.

Aliasque Indulgentias elargitus est. §.9. Et vlterius omnibus qui dictam Ecclesiam in dicta festiuitate singulis annis, aliorum viginti, & qui omnibus diebus Dominicis eamdem Ecclesiam visitarent, ac manus porrigerent adiutrices vt supra, aliorum decem, & qui vltimo supplicio dictos condemnatos associarent, & confortarent aliorum, septem annorum, & qui eorumdem vltimo supplicio affectorum corpora ad sepulturam associarent, aliorum septem annorum, & totidem quadragenas, de iniunctis eis pœnitentiis indulgentiam & remissionem concessit.

Clementi VII. præmissa confirmauit, &c. §.10. Quæ omnia per recol. mem. Clementem VII. etiam prædecessorem nostrum approbata & confirmata fuerunt, qui etiam eidem Confraternitati, quod illius Capellani in die Paschatis Resurrectionis, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, omnibus vtriusque sexus dictæ, Confraternitatis Confratribus in dicta eorum Ecclesia, absque præiudicio Rectorum in quarum Parochiis degerent, ministrare.

Missas ante diem pro carceratis celebrare permisit. §.11. Atque Missas in præsentia vltimo supplicio condemnatorum etiam ante diem, dummodo circa auroram celebrare possent.

Indulg. visitantibus Ecclesiã concessit. §.12. Necnon omnibus vere pœnitentibus & confessis, aut firmum temporibus debitis confitendi propositum habentibus, qui dictam Ecclesiam in Paschatis Resurrectionis & Decollationis S. Ioannis Baptistæ festiuitatibus & diebus, à primis Vesperis vsque ad occasum Solis earumdem festiuitatum & dierum singulis annis deuote visitarent, & pro manutentione dictæ Confraternitatis manus porrigent adiutrices, quoties id fecerint, indulgentiam plenariam, & omnium peccatorum suorum remissionem.

Legatum & vtiles condẽnatorum etiã in præiudicio Fisci haberi indulsit. §. 13. Eisdemque Confratribus quod in quocumque legato summam sex ducatorum non excedenti, per quemlibet condemnatum eis verbo vel in scriptis relicto, licet esset in præiudicium Fisci, & in eius damnum, satisfactis prius executore, & Capitaneo Carceris de expensis pro victu condemnati factis, libere succedere, & omnia indumenta, & vestimenta dictorum condemnatorum cum quibus carcerati aut ad vltimum supplicium conducti forent, à quorumcumque etiam illa auctoritate Iudicis detinentium manibus, propria auctoritate & absque alicuius personæ licentia accipere, aut accipi facere, & libere retinere, & in opera pia, aut alia sustentationi, & oneri dictæ Confraternitatis conuertere valerent & possent, similiter concessit.

Paulus III. confirmauit; & ampliauit quoad legata. §.14. Quodque claræ mem. Paulus Papa III. pariter prædecessor noster donationes, concessiones, ampliationes, ordinationes, gratias & indulgentias prædecessorum confirmando & approbando & renouando; Confratribus prædictis, quod etiam cum præiudicio Fisci, in legatis sibi, vt supra vsque ad summam decem ducatorum pro quolibet legato relictis, executore & capitaneo carceris, vt supra satisfactis per manus dictorum Confratrum, de his quæ habere deberent, etiam libere succedere.

Carceratum vnum liberare permisit. §. 15. Atque in die Decollationis S. Ioannis Baptistæ vnum carceratum ad mortem pro quocumque excessu condemnatum, ad eorum electionem singulis annis liberare, omnibusque priuilegiis, quibus suis aliæ Confraternitates in die S. Mariæ de mense Augusti gaudent, perpetuo gaudere possent, pariformiter concessit.

Iulius III. approbauit. §. 16. Quæ omnia per eiusdem claræ mem. Iulium Tertium etiam prædecessorem nostrum confirmata & approbata fuerunt. Qui etiam voluit, quod dictus carceratus liberandus, vt præfertur, absque aliquibus expensis tam suis quam dictæ Confraternitatis siue Societatis tam

Digitized by Google

ratione capturæ quam carcerationis, liberari debere.

Legata condemnatorum vsque ad fr. 25. ampliauit.

§. 17. Et quilibet condemnatus ad mortem, per viam teſtamenti, ſiue donationis, aut alio quocumque modo vſque ad ſummam vigintiquinque ducatorum, eidem Confraternitati libere relinquere valeret.

Facultatē dedit aggregandi alias Confraternitates. Tu vide quod dixi in rubr.

§. 18. Quodque Confratres dictæ Confraternitatis, omnia priuilegia, gratias & indulgentias ſibi conceſſa & concedenda, omnibus Confratribus & Societatibus Mundi, erectis aut erigendis, quæ condemnatorum vltimo ſupplicio morti interueniunt, & in ſimilibus operibus miſericordiæ exercitantur, ac ſi pari modo, priuilegia, gratiæ, & indulgentiæ prædictæ eiſdem propriis Confraternitatibus, illorumque Confratrib. conceſſa fuiſſent, communicare & concedere poſſent. Atque quod ad proceſſiones ire ſeu accedere niſi ad eorum commoditatem, non tenerentur, nec ad id compelli poſſent, omnibus in contrarium facientibus derogando.

Pius IV. confirmauit.

§. 19. Et vltimo beatæ memoriæ Pius Papa IV. prædeceſſor noſter, donationes, conceſſiones, ampliationes, gratias, indulgentias & alia præmiſſa per prædictos prædeceſſores dictæ Confraternitati illiuſque Confratribus conceſſas & conceſſa approbando & confirmando.

Confratribus infirmis domi Miſſas celebrari cōceſſit.

§. 20. Eiſdemque Confratribus quod ipſis infirmis exiſtentibus in eorum domibus miſſam per preſbyterum ſæcularem vel regularem ad eorum beneplacitum eligendum, ſingulis diebus, dum eorum infirmitas duraret, etiam ante diem in caſu neceſſitatis, & circa diurnam lucem celebrari facere libere poſſent.

Capellano dedit facultatē pro condemnatis de nocte celebrare eosque abſoluere & eiſdem Indulg. impartiri.

§. 21. Necnon quod ſi Capellano dictæ Confraternitatis conſtaret, & ſibi videretur, dictos condemnandos ad vltimum ſupplicium eſſe diſpoſitos ad recipiendum ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, poſſet in eorum præſentia etiam de nocte in caſu neceſſitatis Miſſam celebrare, & abſolutionem, ac indulgentiam plenariam in forma Iubilæi impendere, & dictum Euchariſtiæ Sacramentum eis miniſtrare ſimiliter conceſſit & indulſit, prout in ſingulis prædeceſſorum ſupplicationibus deſuper ſignatis, ſeu literis deſuper forſan expeditis latius & plenius contineri dicitur.

Hic Pontif. omnia approbat, & defectus ſupplet.

22. Nos igitur qui ea, quæ à prædeceſſoribus noſtris ita pie & charitatiue conceſſa & ordinata eſſe noſcuntur, vt firma perpetuo & illibata perſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis munimine libenter roboramus, eorum veſtigiis inhærentes Motu ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, donationem, conceſſiones, ampliationes, priuilegia, indulta, gratias, indulgentias & peccatorum remiſſiones, ac alia præmiſſa Confraternitati Miſericordiæ illiuſque Confratribus prædictis per dictos prædeceſſores noſtros quomodolibet conceſſas & conceſſa, cum omnibus ſecutis, aç omnium & ſingulorum tam iuris quam facti ſi qui in præmiſſis interuenerunt defectuum, ac ſolemnitatum etiam de iure requiſitarum forſan omiſſarum ſuppletione approbamus, confirmamus & innouamus, illiſque perpetuæ firmitatis robur adiicimus, & ab omnibus quos concernit, & in futurum concernet inuiolabiliter obſeruari debere; irritum quoque, &c. decernimus.

Contraria tollit.

§. 23. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, &c. etiam iuramento, &c. roboratis; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque; cum clauſulis opportunis & conſuetis.

Papa ſubſcr. Repetitio clauſularum.

Fiat Motu proprio M.

§. 24. Et cum abſolutione à cenſuris ad effectum, &c. pro omnibus, & quod donationum, conceſſionum, indultorum, ampliationum, gratiarum, indulgentiarum, & peccatorum remiſſionum, & aliorum præmiſſorum, per dictos prædeceſſores noſtros, & dictæ Confraternitati, & illius Confratribus conceſſorum veriores tenores, &c. habeantur pro expreſſis, ſeu in totum vel in partem exprimi poſſint in literis. Et de approbatione, confirmatione, inuocatione, ſuppletione, adiectione, indulto, extenſione, prorogatione prædictis, de & pro omnibus & ſingulis ſupradictis quæ hic pro repetitis ad partem habeātur, Motu proprio, &c. ac perpetuo in forma gratioſa. Et cum opportuna ſi opus ſit Iudicum executorum deputatione, qui aſſiſtant, &c. cum plena & libera facultate citandi etiam per edictum publicum, conſtito ſummarie, &c. de non tuto acceſſu, ac inhibendi, & ſub ſententiis, & cenſuris Eccleſiaſticis, ac etiam pecuniariis eorum arbitrio moderan. & applican. pœnis, ac aggrauandi, &c. contradictores, &c. per quaſcumque eis videbitur cenſuras & pœnas compeſcen. inuocato, &c. brachij ſæcularis, cum derogatione conſtitutionum de vna, & duabus, non tamen tribus dictis, ſi opus fuerit latiſſime extenden.

Sola ſignatura ſufficit.

§. 25. Et quod præſentis Motus proprij ſola ſignatura ſufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio & extra illud, quacumque regula contraria non obſtante, ſeu ſi videbitur literæ cum omnium ſingulorum præmiſſorum etiam nominum, cognominum, modernorum Confratrum dictæ Confraternitatis inuocationum ſituat. denominat. qualitatum, & aliorum circa præmiſſa quomodolibet neceſſariorum, maiori & veriori ſpecificatione, & expreſſione ſimul vel ad partem ſuper quolibet articulo, prout vtilius videbitur expedire poſſint & quo ad indultum celebrandi Miſſas in domibus, in Oratorio ad id à Vicario Vrbis deſignato, & per preſbyterum per dictum Vicarium approbandum tantum.

Declaratio circa liberationem condemnati.

§. 26. Volumus autem quod dicta Confraternitas dictum condemnatum liberandum, nobis & Rom. Pont. pro tempore exiſtenti, denominare debeat, & teneatur.

Fiat M.

XCII.

Confirmatio & innouatio quarumcumque gratiarum & ſignanter præcedentiæ hactenus Congregationi Canonicorum ſæcularium S. Georgij in Alga Venetiarum conceſſarum. Et conceſſio omnium priuilegiorum aliis Ordinibus etiam Mendicantium conceſſorum & concedendorū.

Quod ad præcedentiam etiam reſpectu Canonicorum regularium Lateranen. habes huiuſmet Pont. declarationem infr. in eius conſt. 127. Cum alias, *vbi notabo.*

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* Edita An. D. 1569.

Proœmium.

EX incumbenti nobis Apoſtolicæ ſeruitutis officio, quorumlibet Eccleſiaſticorum præſertim Religioſorum locorum illorumque perſonarum, in via mandatorum Domini, ad illius honorem & gloriam deambulantium, ac in pio laudabilique illarum propoſito permanentium, directioni proſperoq; ſtatui aſſidue intenti, illa propterea quę prouide ſtatuta dignoſcuntur quo firmius perſiſtant, libenter Apoſtolici muniminis præſidio ſublatis quibuſuis obſtaculis roboramus, perſonas ipſas paternis confouendo affectibus.

Congregatio acceptauit bullam huius Pont. nu. 76. Lubricū, quæ eſt ſupra, & profeſſi ſunt regulam S. Auguſtini.

§. 1. Sane cum ſicut accepimus dilecti filij Rector Generalis & Canonici Congregationis S. Georgij in Alga Venetiarum, qui in eorum Capitulo, in Monaſterio ſeu domo S. Saluatoris in Lauro de Vrbe Congregationis huiuſmodi nouiſſime celebrato tanquam noſtri, & Apoſtolicæ Sedis obedientiæ filij, præcepto per nos eis alias facto ſuper profeſſione regulari, vt eam qui in huiuſmodi Congregationem de cetero degere vellent profiterentur obtemperando, illam profeſſionem debita cum reuerentia acceptarunt, in eorum Monaſteriis ſiue domibus religioſe laudabiliter prout hactenus vixerunt de cetero viuere, & gratum Altiſſimo famulatum impendere intendant.

Hic modo Pōt. eius gratias omnes & priuilegia Cōcilio Trid. non cōtraria confirmat, & priuilegia cuicūq; alia Religioni conceſſa & concedenda communicat.

§. 2. Nos Rectoris & Canonicorum ipſorum laudabile propoſitum plurimum in Domino commendantes, & quo liberius in pace & tranquillitate iuxta eorum inſtituta viuere poſſint, impedimenta ſiquæ ſint de medio tollere, ipſoſque Rectorem & Canonicos ſpecialibus fauoribus & gratiis proſequi volentes, ac illos & eorum ſingulos à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes & abſolutos fore cenſentes, necnon conſtitutionum, regularium ſtatutorum, priuilegiorum, indultorum & aliorum conceſſionum ac gratiarum infraſcriptorum, omniumque in contrarium au præiudicium illorum, ſeu Cōgregationis huiuſmodi, ac literarū etiam in forma breuis, etiam Motu proprio, vel alias

quo

Digitized by Google

quomodolibet desuper concessorum tenores,ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso insererentur, præsentibus pro expressis habentes,Motu simili non ad ipsorum Rectoris & Canonicorum, vel alicuius eorum, aut quorumuis aliorum pro eis nobis super hoc oblatæ petionis instantiam, sed ex certa scientia, & mera deliberatione nostris, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo omnes & singulas constitutiones, ac ritus & mores, aliaque regularia ipsius Congregationis instituta, quoad ea quæ sacris canonibus, & decretis Concilij Tridentini contraria non sunt, ita quod Rector & Canonici prædicti in processionibus & actibus publicis præcedant, prout antea soliti erant; necnon concessiones, gratias, priuilegia & indulta ipsis Congregationi ac Rectori, & Canonicis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & Sedem eamdem, principaliter siue per viam communicationis, aut alias quomodolibet concessa, confirmamus, ac illa de nouo; necnon etiam omnia alia per ipsos prædecessores, ac nos quibusuis Ordinibus & Religionibus etiam Fratrum Mendicantium hactenus quomodolibet concessa, & quæ de cetero concedentur, eidem Rectori & Canonicis, ac Congregationi gratiose concedimus, ac confirmata & concessa esse volumus.

Contrarias concessiones irritat.

§.3. Necnon omnia etiam per prædecessores prædictos, & nos etiam per quascumque etiam in forma breuis literas in contrarium præmissorum, seu ipsius Congregationis,& priuilegiorum eidem concessorum præiudicium, quomodolibet etiam hactenus concessa, reuocamus, irritamus & annullamus, ac irrita & nulla esse, necnon quicquid à dicto Rectore & dilectis filiis Patribus, Capitibus Congregationis huiusmodi nuncupatis, factum seu definitum fuerit, obseruari volumus,ac perpetuo statuimus & ordinamus.

Et ita & non aliter iudicari decernit.

§.4. Et sic in præmissis omnib.& singulis per quoscumq; Iudices & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, Ac S.R.E. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus, ac ita mentis & voluntatis nostræ incommutabilis esse volumus & declaramus.

Executores huius const. deputat.

§.5. Quocirca vnecrabili fratri nostro Episcopo Amerino: & dilectis filiis S.Georgij Maioris Venetiarum, ac S. Iustinæ Paduanæ Monasteriorum Abbatibus per Apostolica scripta Motu pari mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum per se vel alium seu alios, præsentes literas & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Rectoris & Canonicorum prædictorum,fuerint requisiti,solemniter publicantes,ac illis & illorum singulis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciãt auctoritate nostra præmissa obseruari, ac Rectorem & Canonicos prædictos confirmatione, concessione, voluntatibus, statuto, ordinatione, decreto & declaratione huiusmodi pacifice frui & gaudere: non permittentes eos, & illorum singulos, desuper per quoscumque contra præsentium tenorem quomodolibet indebite molestari, perturbari aut inquietari. Contradictores quoslibet & rebelles,ac præmissis non parentes, per censuras & pœnas Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias ipsorum, vel cuiuslibet ipsorum eorum arbitrio imponen. moderan. & applican. aliaque opportuna iuris remedia compescendo; necnon legitimis ad hoc seruatis habendis processibus, illos censuras & pœnas ipsas incurrisse declarando, ac ipsas censuras & pœnas etiam iteratis vicibus aggrauando, interdictum Ecclesiasticum apponendo; inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio bra hij sæcularis.

Contrariũ derogat.

§.6. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis Apostolicis,necnon in Prouincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac dictæ Congregationis etiam iuramento, Confirmatione Apostolica vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, quibusuis Ordinibus, & illorum superioribus,ac aliis personis,sub quibuscumque tenoribus & formis,ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis,& insolitis clausulis. irritantibusque & aliis decrecretis, in genere vel in specie, ac alias quomodolibet, etiam per prædecessores nostros prædictos, ac nos & Sedem prædictam,etiam motu & scientia similibus,concessis,confirmatis, & approbatis,quibus omnibus & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione,de illis ac totis eorum tenoribus specialis, specifica, expressa,& indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis sufficienter habẽtes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, & illis derogatum esse volumus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim à dicta Sede sit indultum, quod interdici, suspendi, aut excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ, 1569. idus Decemb.Pontificatus nostri anno 4.

Dat. P. An 4. 11. Decemb.

XCIII. Constitutio Bonifacij contra offendentes S.R.E. Cardinales extenditur etiam contra scientes & non reuelantes.

Hoc idem prohibitum est in bullis quas in die Cœnæ Domini Romani Pontifices publicare consueuerunt, de quibus dicam in const. 65. Pauli V.

Eadem Bonifacij VIII. dispositio quæ est in cap. felicis. de Pœn.in 6. fuit à Leone X. extensa ad inuadentes eorum domos, vt in eius constit.16. *Temerariorum.* Alia autem de Cardinalibus indicabo in const.50. Sixt.V. *Postquam.*

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1569.

Exordium.

INfelicis sæculi pericula miserati, dolorem comprimere non valemus, quod nefarij homines, iustorum sanguinem sitientes,ad illorum quoq; perniciem infestiore animo incumbant,quos Spiritus sanctus membra constituit præcipua Ecclesiæ Dei, quam suo sibi sanguine acquisiuit.

Bonifacius 8. offendentibus Cardinales, illorumq; fautoribus pœnas hic descriptas imposuit in c. felicis de Pœn. in 6.

§.1. Magna igitur ratione post alios felicis recordationis Bonifacius Papa Octauus de fratrum suorum consilio perpetua constitutione sanciuit, vt si quis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem fuerit hostiliter insecutus, aut percusserit, aut cœperit, aut mandauerit id fieri, sociusq; fuerit facientis, factumue ratum habuerit, seu dederit consilium vel fauorem, aut receptauerit, aut defenderit scienter eumdem,tanquam læsæ maiestatis reus,perpetuo sit infamis, & præterea diffidatus, bannitus, & intestabilis: omnia eius ædificia ruinæ perpetuæ subiaceant, nullus ei debita reddere, nullus ei in iudicio respondere teneatur, bonis omnibus Fisco, vel Reipublicæ applicatis. Idem etiam feudis, beneficiis, & officiis, spiritualibus & temporalibus, sit ipso iure priuatus, sed ipse infectans excommunicationis sententiam incurrat, quam solus Romanus Pontifex excepto mortis articulo, valeat relaxare.

Sed nam non sufficere constitutionem inquit hic Pontif.

§. 2. Sed ne hæc quidem constitutio, propter abdita conscleratorum consilia, omnino satis esse noscitur ad huiusmodi sacrilegia amplius prohibenda. Qui enim alicui vim inferre sibi proponunt,id secreto,in occulto vt maxime machinantur veluti impium illud facinus indicat in personam dilecti filij nostri Caroli tituli Sanctæ Praxedis presbyteri Cardinalis Borrhomæi,Ecclesiam Mediolanẽsem sanctissimis institutis studiose informantis proxime attentatum. Quæ res nos grauius commouet, vehementiusque excitat omnia exquirere, vt nobilissimæ corporis nostri partes vndique protegantur. Quibus enim præsidio erimus, quibus suppetias afferemus, quos denique tutabimur, si templi Dei bases, si clarissima Ecclesiæ lumina, si speciales filios, qui pro animabus popu-

Digitized by Google

lorum, pro fide, pro iustitia, pro vnitate perui gilant, inultos deferamus.

Propterea eadem pœnas imponit scientibus & non reuelantibus.

§.3. Itaque sanctioni prædictæ de simili fratrum nostrorum consilio adiicientes, Statuimus, vt quisquis etiam à nudo consilio, aut simplici fauore, aut omnino à ceteris prædictis alienus, quempiam auctorum, administrorum, vel consciorum, coniurationis siue conspirationis, aut commissi, committendiue criminis in personam Cardinalis, illorumue fautorum, receptorum, vel occultatorum, siue ex renunciatione sibi protinus, vel per interpositam personam, aut literas facta, cognouerit, siue ex scripturis, cœtu, conatu, concursu, insidiis, aliisve signis & indiciis qualemcumque scientiam habuerit, vel etiam coniecerit, quive horum quicquam intellexerit, quantumcumque res alias occulta sit, quamprimum id Roman. Pontif. si in Curia fuerit, sin autem Ordinario loci, vel si Cardinalis ipse Ordinarius extiterit, propinquiori Episcopo, & si crimen nondum commissum fuerit, etiam ipsi Cardinali properet reuelare. Quicumque vero etiam non subditus, & omnino extraneus defecerit, cuiuscumque dignitatis fuerit, prædicto sit excommunicationis laqueo innodatus, pariterque maiestatis reus infamiam, & omnes pœnas prædictas eo ipso incurrat.

Pœnas aliis præsentibus.

§.4. Eadem nihilominus constitutione quoad reliquas eius partes, ac ceteris omnibus sanctionibus canonicis & ciuilibus, ad talium coercionem editis, in suo robore duraturis.

Rem deferens liberatur.

§.5. Porro si quis ad sanitatem reuertens, rem adhuc incognitam retexerit, omni noxa penitus liberetur.

Ordinarius Papæ significet.

§.6. Ceterum loci Ordinarius secreto cum casum ad se delatum, prædicto Pontifici primo quoque tempore nunciare, & interim rem omnem ab stirpe exquirere, & si necessitas tunc postulet, sæculare quoque brachium adhibere.

Iussio publica in Vrbe, & extra.

§.7. Sed ne quisquam horum ignorationem valeat excusare, iubemus præsentes valuis Ecclesiæ Sancti Ioannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, vbi publicabuntur appendi, eisque detractis earum exempla eo in loco relinqui, & eas pariter ab omnibus locorum Ordinariis, in suis Ecclesiis, locisque insignibus promulgari.

Transumptorum fides.

§.8. Quia vero difficile nimis esset ipsas præsentes, quocumq; illas opus erit perferre, Volumus earũ exẽpla etiam impressa, notarij publici manu, & Prælati Ecclesiastici ciuisue curiæ sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem, in iudicio & extra illud vbique gentium facere, quam ipsæmet præsentes facerent, si essent exhibitæ vel ostensę.

Sanctio pœnalis.

§.9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ adiectionis, statuti, iussionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D.P. An. 4 die 19. Dec.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quartodecimo Kalend. Ianuarij, Pontificatus nostri anno quarto.

Papæ subscri. Ergo Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.

Cardd. subscriptiones.

Io.Card.Moronus Episcopus Portuen.
Christophorus Madrucius Episcopus Prænestin.
Otho Card.Truchses Episcopus Albanen.
A.Card.Farnesius Vicecan.Episcopus Tusculan.
Io.Bapt.Cicada Episcopus Sab.Card.S.Clem.
Eho Iulius Card.Vrbinus.
Ego Io.Riccius Card.Policianus.
Ego Scipio Cardinalis Pisanum.
Ego Iacobus Cardinalis Sabellus.
Ego Io.Ant.Card.S.Georgij.
Ego Ph.Card.à Burdisera.
Ego Hugo Boncompag.Card.S.Sixti.
Ego Alexander Card. Sforria.
Ego Flauius Card.Vrsinus.
Ego A.Cardinalis Cribellus.
Ego Guido Card.Vercellen.
Ego B.Card.Lomellinus.
Ego Gulielmus Card.Sirletus.
Ego Antonius Card.Granuelanus.
Ego Franciscus Card.Pacecus.
Ego M.Ant.Card.Amulius.
Ego Hieronymus Card.de Corrigio.
Ego Io.Franciscus Card.de Gambara.
Ego Hip.Card Ferrarien.
Ego Ind.de Aualos Card.Aragona.
Ego P.Card.de Sancta Cruce.
Ego Z.Card.Delphinus.
Ego Io.Fran.de Card.Commendonus.
Ego Marc.Ant.Cardinalis Bobba.
Ego F.Michael B.Card.Alex.Camer.
Ego F.Cardinalis Alciatus.
Ego Hieronymus Card. Simoncellus.
Ego Ferd.Card.de Medicis.
Io.Paulus Cardinalis ab Ecclesia.
A.Cardinalis Caraffa.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1570. *indictione* 13. *die* 5. *Ianuarij, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. retroscripta litera Apost. affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Ecclesiæ S. Io. Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, & in naue Campi Flore, vt moris est, per nos Ioannem Freile & Iulium Parinum, & Ioannem Bornotum Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores dimissis in omnibus supradictis locis earumdem literarum copiis impressis affixis.*

Io.Gerardi Magister Curs.

Confirmatio constitutionis Gregor.XI. ac sententiæ latæ in Rota Romana ad fauorem sacrosanctæ Ecclesiæ Lateranen. de Vrbe, circa eius præeminentiam, & superioritatem, & prærogatiuam, supra omnes Vrbis & Orbis Ecclesias, ac Basilicam S.Petri de Vrbe. XCIV.

Aliqua de hac Lateranen. Ecclesia vide supra in const.4. Honor. III. Sedis. *Et de eius præeminentia, vide in const.1. Greg.XI. supra.*

Edita A. D. 1569.

P I V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INfirma æui conditio sæpe efficit, vt res vel maxime perspicuæ & immemorabiles, perplexi erroris caligine sensim obductæ, in grauia discrimina prolabantur.

Causa ob quam Ecclesia Lateranensis prærogatiua in dubium reuocata fuit.

§.1. Quo genere affecta sacrosancta Ecclesia nostra Lateranen. post tot insignes ruinas, quæ ei tenebrosis illis sæculis acciderant, quibus plerique omnes Rom. Pontif. aut Religionis studio, aut componendæ pacis gratia, aut bellorum periculo, longe ab Vrbe, sæpe enim in Galliis agebant, de summa quoque iuris sui, & honoris prærogatiua perperam laborauit. Etenim longo post interuallo, quam fel.rec. Leo Papa IV. parta de Saracenis spectabili victoria, Vrbem sui nominis, præsidiumque ad Vaticanum statuerat, cum reduces deinceps Pont. in aliis, atque aliis Vrbis Ecclesiis vti cuique turum aut commodũ erat considerent, prædicta Ecclesia, ex tam multis direptionibus, quasi solitudine facta, Sacerdotes Basilicæ Principis Apostolorum cum parilis vetustatis gloria, tum nomine & dignitate illustres & insignes ab ea rerum commutatione, prædictum sibi ius nixi sunt vendicare.

Gregorius XI. in rubr. citatur, eã suprema locũ tenetur definiuit. Rota etiã cui Pius IV. hunc articulum decidendum cõmisit, idem pronunciauit.

§.2. Quam rem non ferens Gregorius Papa XI. qui etiam tunc Auinione sedebat vt omnem dubitationem eximeret, declarauit & definiuit, prædictam Ecclesiam Lateranen. præcipuam Sedem suam dictæ Basilicæ, ac ceterarum omnium Vrbis & Orbis Ecclesiarum maximum supra illas omnes locum tenere.

§.3. Sed dicti Sacerdotes translato inde prorsus Pontificum domicilio, elatiores quandocumque res tulit audentius institerunt, donec Pius Papa IV. antecessor noster

Digitized by Google

noſter merito commotus quod in cleri conuentu & ſupplicationibus res turbæ intercederent, moleſtæque diſſenſiones fierent, huic tamen controuerſiæ finem conſtituere volens, cauſam vniuerſam dilecto filio Magiſtro Franciſco Sermento cauſarum Palatij Apoſtolici Auditori commiſit audiendam, & omni appellatione præciſa penitus terminan. Qui vocatis vtrimque Capitulis, in ipſa cauſa rite procedens, definitiua ſententia ex communi aliorum dicti Palatij Auditorum conſilio nuper prolata, declarauit, ius præcedendi & prærogatiuam honoris, locique nobilioris ac ſupremi, etiam ſupra canonicos, beneficiatos, clerum, & perſonas prædictæ Baſilicæ in proceſſionibus ſolemnibus, & decretis, ceteriſque omnibus actibus, publicis & priuatis, ad canonicos, beneficiatos, & clerum dictæ Eccleſiæ Lateranen. omnino pertinere. Quin etiam perpetuo ſilentio his rebus impoſito, res iudicata ita executioni mandata eſt, vt habitis poſtea Cleri Conuentibus ac ſupplicationibus, ſacerdotes omnes prædictæ Eccleſiæ Lateranen. ſupremum ibi locum etiam ſupra omnem clerum dictæ Baſilicæ re ipſa obtinuerint.

Hic Pont. omnia confirmat ſuppleq; defectus.

§. 4. Quocirca nos tuendi iuris ſtudio, hanc ſententiam atque declarationem & definitionem, & literas prædicti Gregorij Papæ, & quæcumque in literis ipſis continentur, Motu proprio, certaque quam habemus prædictorum omnium ſcientia, auctoritate Apoſtolica approbamus & confirmamus, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſupplemus omnes & quoſcumque iuris & facti defectus, ſi qui in proceſſu & actibus reperiantur in eſſe: & vti ipſe Gregorius Papa optimo iure fecit itidem definimus, iubemuſque Capitulum & Sacerdotes, perſonaſque omnes dictæ Baſilicæ vbique ſemper ſententiæ & definitioni parere.

Appellationū reiicit.

§. 5. Statuentes vt nulla omnino ipſorum prouocatio & teſtificatio, vel reclamatio, ſiue in iudicium producta, ſine clam interiecta, præterita & futura noceat, nec prorſus vim habeat, materiamve denuo tribuat litigandi.

Nihil in contrarium tentari mandat.

§. 6. Præcipimus igitur atque interdicimus eiſdem ne poſthac quicquam audeant ſuſcitare: quicumque, ſiue vniuerſi ſiue ſinguli, contrafacient, vel nitentur, eos canonicatu, præbenda, dignitate, beneficio, & officio priuamus, priuatoſq; ad futura inhabiles declaramus, eo ipſo.

Sic ſemper iudicari iubet.

§. 7. Decernentes ſic in his, & aliis omnibus ſupradictis, per eoſdem Iudices, & quoſuis alios, omni & quacumque aliter iudicandi & interpretandi facultate penitus adempta vbique iudicari debere, ac irritum & inane quicquid ſecus per quoſcumque ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus con trariis quibuſcumque.

Tranſumptis credi præcipit.

§. 8. Volumus autem, vt præſentes in Cancellariæ Apoſtolicæ libro, appellato quinterno, deſcribantur, ipſorumque exempla notarij publici manu, & Prælati Eccleſiaſtici, eiuſue Curiæ ſigillo obſignata, eamdem illam omnino fidem in iudicio & extra illud, vbique locorum faciant, quod ipſæmet præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Sanctionem pœnalē addit.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat haanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, ſuppletionis, definitionis, iuſſionis, ſtatuti, præcepti, interdicti, decreti, priuationis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

D. P. An. 4. 21. Decemb.

Datum Romæ apud S. Petrum 12. Calend. Ianuarij, Anno Domini 1569. Pontificatus noſtri anno 4.

Papa ſubſcr.

Ego Pius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

XCV. Duæ ſententiæ definitiuæ conformes latæ pro Fabrica S. Petri de Vrbe, faciunt rem iudicatam in ea parte, in qua ſunt conformes. Et commiſſiones appellationum quæ ſimpliciter concederentur à Signatura, ſemper intelliguntur cum clauſula, ſine præiudicio executionis duarum conformium.

Cetera quæ Fabricam reſpiciunt indicaui ſup. ad conſt. 3. Clem. VII. Admonet. *& in tribus ſubſeqq.*

PIVS EPISCOPVS *Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Edita An. D. 1569.

ETſi omnium litium finem ea qua poſſumus celeritate procuramus, eas tamen quæ Fabrica noſtra S. Petri pro executione legatorum ad pias cauſas relictorum recuperatione, bonorum Eccleſiaſticorum male alienatorum, & aliorum iurium ſuorum agitat, ne in nimis longum cum ipſius Fabricæ detrimento protrahantur libenter accelerare ſaragimus, & ad eas operarias manus fauorabiliter impartimur.

Exordium.

Cauſæ huius conſt.

§. 1. Accepimus ſane nuper, quod tenores bonorum, & pecuniarum ad pias cauſas relictorum, ac bonorum Eccleſiaſticorum male alienatorum, & aliorum quorumcumque iurium ad Fabricam ipſam ſpectantium, in conſignationibus huiuſmodi bonorum, & ſolutionibus faciendis adeo ſunt moroſi, vt illam quantum poſſunt ſubterfugere nitantur, Fabricam proinde expenſis & laboribus fruſtrando.

Duæ ſententia pro Fabrica faciunt rē iudicatam, & commiſſiones appellationū ſignatæ cēſentur cum clauſula, ſine præiudicio executionis duarum conformium

§. 2. Nos præmiſſis opportuna remedia adhibere volentes, ac dilectos filios Deputatos, & Collegium Fabricæ huiuſmodi, eorumque ſingulares perſonas, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes & abſolutos fore cenſentes, Motu proprio, non ad ipſorum Deputatorum & Collegij, vel alicuius eorum, aut pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera liberalitate, & ex certa ſcientia noſtris, eiſdem Deputatis & Collegio, illorumque Miniſtris, vt in huiuſmodi cauſis, duabus pro ſe repottatis ſententiis conformibus, in ea parte in qua erunt huiuſmodi ſententiæ conformes, excutionem paratam habeant, atque huiuſmodi ſententiæ executioni debitæ demandentur; parteſque proinde appellantes minime audiri, nec eorum appellationes admitti, minuſque illarum virtute, commiſſiones, preces, aut reſcripta vllo modo impetrari aut concedi, neque etiam quoquo modo impetratis aut conceſſis vti, aut ſe illis iuuari vllatenus poſſint vel præſumant, & ſi quæ etiam per nos aut ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, & manu noſtra propria, vel Cardinalem Signaturæ noſtræ Iuſtitiæ Præfectum pro tempore exiſtentem, aut officium Contradictarum, ſub quibuſuis verborum formis concepta & ſignata, etiam ſi Motu ſimili concedi contigerit, illa ſemper intelligantur eſſe cum clauſula, ſine præiudicio executionis duarum conformium, decreto irritanti etiam appoſito, nec iudicibus ad quos directæ erunt aliquam facultatem tribuant, inhibitioneſque & cenſuras earum vigore emanatas, nullas & nullius eſſe valoris & momenti, volumus atque decernimus.

Clauſula præſeruatiua.

§. 3. Decernentes præſentes literas nullo vmquam tempore, de ſubreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel inualidari, etiam ex eo capite quod intereſſe habentes vocati non fuerint, aut ad iuris terminos reduci, minuſque in ius vel controuerſiam vocari poſſe, ſed ſemper validas & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, minuſque ſub quibuſuis ſimilium vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus & derogationibus comprehendi vllatenus poſſe, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas eſſe, & cenſeri.

Decretum irritans.

§. 4. Sicque per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi facultate, iudicari debere; irritum quoque & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis Apoſtolicis;

Digitized by Google

ſtolicis, necnon in prouincialibus & ſynodalibus Conciliis editis, ſpecialibus vel generalibus, conſtitutionibus & ordinationibus, ac quibuſuis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis alia firmitate roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſuis perſonis, in genere vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus, etiam ſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, indiuidua, & expreſſa mentio, ſeu quæuis expreſſio habenda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus; ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides.

§. 6. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Secretarij, & ſigillo dictæ Fabricæ ſubſcriptis & munitis, eadem prorſus in iudicio & extra fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, voluntatum, decretorum, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis DEI, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

D. P. An. 4. 12. Decemb.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, vndecimo Calen. Ianuarij, Pontificatus noſtri anno quarto.

XCVI. Facultas Collegij Deputatorum Fabricæ Baſilicæ S. Petri de Vrbe, exequendi omnia pia legata, infra annum à die mortis teſtatorum realiter non adimpleta, cum retentione quintæ partis pro ſubuentione d. Fabricæ.

Iſtud Collegium inſtituit Clem. VII. vt ſup. in eius conſtit. 3. Admonet. *vbi plene dixi. Et de ea habes etiam in conſt. hanc præcedente, & in duabus ſubſeqq.*

Edita A.D. 1569.

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

DEcet nos qui omnium Eccleſiarum ſpecialem in Domino curam gerimus, Baſilicæ noſtræ Sancti Petri ita intendere, vt ei omnia quæ poſſumus auxilia præbeamus.

Cauſa huius conceſſionis.

§. 1. Sane ſicut accepimus, licet alias diuerſi Romani Pontifices prædecеſſores noſtri, cupientes perfectioni Fabricæ Baſilicæ huiuſmodi, quæ omnium Eccleſiarum totius Orbis mater eſt, & magiſtra, & admodum creſcit ſtructura, de neceſſariis expenſarum pecuniis opportune prouidere, pro tempore exiſtentibus eiuſdem Fabricæ Collegio Deputatis, eorumque miniſtris, diuerſas facultates, priuilegia, & indulta, per eorum literas conceſſerint, quibus, inter cetera, quod omnia & ſingula legata pia eatenus & pro tempore executioni non demandata exequi facere, & pro huiuſmodi executione ipſorum legatorum, quintam partem pro ipſa Fabrica, ſub certis modo & forma retinere poſſint expreſſe cauetur. Ipſique Collegium, tam in multis ciuitatibus iuriſdictioni noſtræ ſubiectis, quam dominiis Regni Neapolitani, & dilecti filij nobilis viri Coſmi Medices Florentiæ & Senarum Ducis paſſim huiuſmodi pia legata exequi faciant, ex quorum quinta parte maximis expenſarum oneribus Fabricæ præfatæ in magna parte ſuccurratur, dilectus filius noſter, in Alma Vrbe & eius diſtrictu Vicarius in ſpiritualibus, generalis vigore ſpecialis ſuper hoc à Sede Apoſtolica licentiæ & facultatis conceſſæ, in huiuſmodi legatis in dicta Vrbe executioni demandandis, à certis annis ſe intromiſerit in graue ipſius Fabricæ præiudicium.

Facultas data in rub.

Hoc intellige aliâ ſi legata-

§. 2. Nos qui intimis cordis deſideriis exoptamus, vt dicta Fabrica quanto citius fieri poterit, ad debitum finem perducatur, ipſaque Fabrica attenta mala temporum qualitate, ob pecuniarum defectum, magna parte ſubſtiterit, verendumque ſit, ne ſi in totum deſeratur, etiam quod iam factum eſt corruat, in diuinæ maieſtatis offenſam, & Reipublicæ Chriſtianæ dedecus, ac propterea omnibus quibus poſſumus fauoribus ſuccurrere cupientes, eoſdemque Collegium & Deputatos, eorumque Miniſtros à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harumſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, necnon facultatis eidem Vicario conceſſæ tenores præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio non ad ipſorum Deputatorum & Collegij, vel Miniſtrorum huiuſmodi, vel alicuius eorum nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiâ, ſed ex mera liberalitate & certa ſcientia noſtris, eiſdem Deputatis & Collegio Fabricæ huiuſmodi facultatem eiſdem Vicario conceſſam ad hoc vt elapſis quindecim menſibus à die obitus teſtatorum, & quomodolibet per vltimam voluntatem diſponentium computandis, Collegium & Deputati Fabricæ huiuſmodi legata, in quibus ipſe Vicarius non præuenerit, iuxta formam facultatum præfato Vicario, & aliarum ipſi Fabricæ conceſſarum exequi facere poſſit, per præſentes concedimus & impartimur, illamque ad eoſdem Deputatos extendimus & ampliamus, illoſque deſuper à quoquam impediri minime debere.

rij vellent inexacta relinquere, vt ſup. in bulla 12. Pauli 3. Dum. ad.

Clauſula præſeruatiua.

§. 3. Necnon præſentes literas nullo vmquam tempore, de ſubreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, aut inualidari, etiam ex eo capite quod intereſſe habentes vocati non fuerunt, aut ad iuris terminos reduci, minuſque in ius vel controuerſiam vocari poſſe, ſed ſemper validas & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, minuſque ſub quibuſuis ſimilium vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, & derogationibus comprehendi vllatenus poſſe, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtituras eſſe & cenſeri.

Decretum irritans.

§. 4. Sicque per quoſcumque Iudices & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi facultate, iudicari debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Clauſula derogatoria.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis ac quibuſuis Apoſtolicis, necnon in prouincialibus & ſynodalibus Conciliis editis, ſpecialibus vel generalibus, conſtitutionibus & ordinationibus, ac quibuſuis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis alia firmitate roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſuis perſonis, in genere vel in ſpecie, quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis & innouatis. Quibus omnibus, etiam ſi de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio ſeu quælibet alia expreſſio habenda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides tranſumptorum.

§. 6. Volumus autem quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Secretarij, & ſigillo Collegij dictæ Fabricæ ſubſcriptis & munitis, eadem prorſus in iudicio, & extra fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. A. 4. 12. Decemb.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, vndecimo Calend. Ianuarij, Pontificatus noſtri anno quarto.

XCVII. Facultas Collegij & Deputatorum Fabricæ Baſilicæ S. Petri de Vrbe, exequendi quæcumque legata pia, infra triennium à die obitus teſtatorum non impleta, cum retentione medietatis eorum pro d. Fabrica.

Alia

Digitized by Google

Alia de Fabrica plene indicata sunt in constit. 3. Clem. VII. sup. Admonet. *Et de ea habes etiam in duabus const. istam præcedentibus.*

Edita An. D. 1569.

P I V S E P I S C O P V S, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

EXigit incumbentis nobis Apostolicæ seruitutis officium, vt Fabricæ nostræ Basilicæ sancti Petri vtilitati prospicere satagentes, ea libenter ipsi concedamus, quæ eius vtilitati credimus expedire.

Applicatio de qua in rubric.

§. 1. Hinc est quod nos qui nuper accepimus, quod tam in Alma Vrbe nostra, quam in aliis ciuitatibus, terris, dominiis, locis & regnis, reperiuntur multa legata à piis testatoribus facta, ad effectum celebrationis Missarum, & recitationis diuinorum officiorum; necnon erogationis eleemosynarum diuersis Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, & aliis piis locis, ipsaque legata hæredum auaritia, seu alias per triennium retroactum executioni debitæ demandata non fuerint, volentesque tam super præmissis ea quæ conueniunt adhibere remedia, quam Fabricæ præfatæ vtilitatem aliqua ex parte procurare, ac dilectos filios Deputatos & Collegium Fabricæ huiusmodi, eorumque singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodoliber et innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, Motu proprio, non ad ipsorum Deputatorum & Collegij, vel alicuius eorum, aut pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Deputatis & Collegio huiusmodi, si & postquam iuxta tenorem priuilegiorum, & facultatum sibi concessorum legata huiusmodi executioni debitæ demandari fecerint, vnam illorum medietatem, reliquam vero loco cui legata fuerint, applicamus & appropriamus.

Clausula præsentium.

§. 2. Decernentes præsentes literas nullo vnquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, aut inualidari, etiam ex eo capite quod interesse habentes vocati non fuerint, aut ad iuris terminos reduci, minusque in ius vel controuersiam vocari posse, sed semper validas & efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri, minusque sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus & derogationibus comprehendi vllatenus posse, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas esse & censeri.

Decretum irritans.

§. 3. Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi facultate, iudicari debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſ. derog.

§. 4. Non obstantibus præmissis, & quibusuis Apostolicis, necnon in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus & ordinationibus, ac quibusuis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis; statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusuis personis, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis & innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio habenda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceteriſque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 5. Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis, manu Secretarij, & sigillo Collegij præfatæ Fabricæ subscriptis & munitis, eadem prorsus in iudicio & extra fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo sexagesimo nono, vndecimo Calendas, Ianuarij, Pontificatus nostri Anno quarto. D. P. An. 4. 21. Decemb.

Facultas Collegij Deputatorum Fabricæ basilicæ S. Petri de Vrbe, reuidendi & rescindendi quascumque alienationes bonorum Ecclesiasticorum male alienatorum, & eiusmodi causas cognoscendi, cum applicatione Fabricæ fructuum exinde à detentoribus indebite perceptorum, &c. XCVIII.

Alia de materia Collegij & Fabricæ, notaui sup. in constit. 3. Clem. VII. Admonet. *Et de ea habes etiam in tribus const. istam præcedentibus.*

De alienationibus autem bonorum Ecclesiasticorum, dixi sup. ad constit. 5. Pauli II. *Ambitioſæ.*

Edita An. D. 1570.

P I V S E P I S C O P V S, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

ETsi de singulis pastoralis officij cura nos admonet esse sollicitos, Fabricam tamen sancti Petri, quam speciali quadam cura nobis cognoscimus esse commissam, specialis intentionis fauore prosequimur, eamque gratiis attollimus opportunis.

Symmachi const. est in c. 6. de Reb. Eccl. non alien.

§. 1. Accepimus sane nuper quod diuersæ personæ tam Ecclesiasticæ quam sæculares, quamplura bona, possessiones & terras ad Ecclesias etiam Metropolitan. monasteria, beneficia, domos, & alia regularia, ac alia pia loca, necnon Hospitalia, pertinentia & spectantia, præ-

Pauli Secundi bulla est sup.

textu diuersarum alienationum eis contra tenorem literarum felicis record. Symmachi, & Pauli Secundi, ac aliorum Rom. Pontificum prædecessorum nostrorum, aut sine Apostolicæ Sedis licentia, seu illarum forma non seruata; aut alias in euidens damnum & præiudicium Ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum, & piorum locorum huiusmodi factorum occupauerunt, & detinuerunt; ac de præsenti occupent & detineant.

Facultas Fabricæ rescindendi alienationes bonorum Eccles. absque licentia Sedis Apostolicæ, aut non seruatis solemnitatibus; aut in damnum ecclesiarum factas.

§. 2. Nos præmissa conniuentibus oculis pertransire nequeuntes, vtpote, quæ in diuinæ maiestatis offensam, ac Ecclesiarum & Ordinis clericalis detrimentum tendant, vtque Fabricæ præfatæ maximis necessitatibus succurramus, dilectos filios Collegium, & Deputatos Fabricæ præfatæ, eorumque pro tempore Auditores & Ministros, ac eorum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, Motu proprio, non ad ipsorum Deputatorum & Collegij, ac Auditorum, & ministrorum præfatorum, vel alicuius eorum, aut pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac de mera nostra liberalitate & Apostolicæ potestatis plenitudine, eisdem Collegio & deputatis, eorumque pro tempore Auditoribus & ministris præfatis, vt omnes & singulas alienationes in emphyteusim, seu censum perpetuum, aut tertiam vel aliam generationem, seu hominis vitam, aut aliud tempus vltra triennium, locationes vel concessiones; seu permutationes, aut occupationes, de quibusuis terris, possessionibus aut aliis bonis immobilibus, seu rebus & iuribus, tam spiritualibus quã temporalibus Ecclesiarum, Monasteriorum, domorum beneficiorum, hospitalium, & aliorum piorum locorum quorumlibet sine Sedis Apostolicæ licentia, aut illius forma non seruata, in damnum Ecclesiarum, seu solemnitatibus iure requisitis, aut constitutionibus ipsorum Monasteriorum seu domorum minime seruatis, aut alias nulliter hactenus factas reuidere, & constito sibi quantum sufficere videbitur de præmissis, illas, & contractus superinde, sub quibusuis formis & verborum expressionibus habitos & celebratos, etiam si iuramento vallari existant, eorum omnium tenores, ac si de verbo

ad

ad verbum præsentibus insererentur pro expressis habentes, auctoritate Apostolica ad solius præfatæ Fabricæ procuratoris instantiam, etiam parte inuita, & contradicente, facta sibi prius intimatione per tres menses, tenore præsentium rescindere, irritare, cassare, & annullare.

Et tertiã partẽ bonorũ tractuum recuperandorum applicãdi Fabricæ.

§. 3. Ipsosque detentores & occupatores, ad terras, possessiones, & bona, res & iura præfata, vt præfertur detenta & occupata relaxandum, & de fructibus, tam hactenus perceptis, & qui percipi potuerunt, quam in posterum percipiendis, realiter satisfaciendum, cogere & compellere. Bonorumque & fructuum recuperandorum huiusmodi tertiam partem ipsi Fabricæ, reliquis duabus partibus Ecclesiis, monasteriis, beneficiis, domibus, hospitalibus, & piis locis ad quæ bona ipsa spectabunt, cum effectu consignatis, vendicare & applicare possint & valeant, facultatem & auctoritatem, concedimus & impartimur. Ita vt eisdem Collegio, deputatis, eorumque Auditoribus & ministris liceat dictæ tertiæ partis huiusmodi bonorum præfatæ Fabricæ, vt præmittitur, applicatorum corporalem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, illamque in dictæ Fabricæ vsus, & vtilitatem absque alia Sedis Apostolicæ, & Superiorum Ecclesiarum, monasteriorum, domorum, beneficiorum, hospitalium, & aliorum piorum locorum, ad quæ bona ipsa, & fructus spectabunt licentia, alienare, vendere, & conuertere, diœcesani loci, vel cuiusuis alterius licentia desuper minime requisita.

Imo loco tertia partis possunt percipere omnes fructus indebite perceptos &c. vt infra mox declaratur.

Clausula præseruatiua.

§. 4. Decernentes præsentes literas nullo vmquam tempore, de subreptionis vel obreptionis, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, aut inualidari, etiam ex eo capite quod interesse habentes vocati non fuerint, aut ad iuris terminos reduci, minusque in controuersiam vocari posse, sed semper validas & efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri, minusque sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, & derogationibus comprehendi vllatenus posse, sed ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas esse, & censeri. Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi facultate, iudicari debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis Apostolicis, necnon in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus & ordinationibus, ac quibusuis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibusuis personis, in genere vel in specie quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa mentio habenda, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceteriisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 6. Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis manu Secretarij & sigillo Collegij dictæ Fabricæ subscriptis & munitis, eadem prorsus in iudicio & extra fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. P. An. 4. 1. Ianuarij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesigmo sexagesimo nono, Cal. Ianuarij, Pontificatus nostri anno 4.

Sequitur extensio d. facultatis, etiam quo ad cognitionem causarum dd. alienationum.

Edita A.D. 1570.

P I V S E P I S C O P V S,
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EXigit incumbentis nobis Apostolicæ seruitutis officium, vt Fabricam Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, tamquam peculiari nostræ curæ commissam, specialiori cura amplectentes non modo ea quæ illi concessa reperimus conseruemus, verum etiam nouis semper concessionibus decoremus, vt exinde maioribus suffulta præsidiis celerius ad finem debitum perducatur.

Hic Pontifex facultatẽ dedit Collegio Fabricæ S. Petri rescindendi & rescindẽdi alienationes bonorum Eccles. factas absque licentia Sedis Apostolicæ aut non seruatis solemnitatibus, vel in damnum Eccles. vt hic & sup. in cõstitut. præinserta.

§. 1. Sane licet alias nos ex certis tunc expressis causis per alias nostras, Motu proprio confectas literas, dilectis filiis Collegio & Fabricæ præfatæ deputatis, eorumque pro tempore Auditoribus & ministris vt omnes & singulas alienationes, in emphiteusim seu censum perpetuum, aut ad tertiam vel aliam generationem, seu nominis vitam, vel aliud tempus, vltra triennium locationes vel concessiones, seu permutationes, aut occupationes, de quibusuis Terris, possessionibus, aut aliis bonis immobilibus, seu rebus & iuribus, tam spiritualibus quam temporalibus, Ecclesiarum, Monasteriorum, & domorum, Hospitalium, & aliorum piorum locorum quorumlibet sine Sedis Apostolicæ licentia, aut illius forma non seruata, vel in damnum Ecclesiarum, seu solemnitatibus à iure requisitis, aut constitutionibus ipsorum Monasteriorum seu domorum minime seruatis, aut alias nulliter eatenus factas reuidere, & constito sibi quantum sufficere videretur de aliquo ex præmissis, illas & contractus superinde, sub quibusuis formis & verborum expressionibus factos & celebratos, etiam si iuramento, & confirmatione Apostolica vallati existerent, ac alias sub certis modo & forma, Apostolica auctoritate, ad solius ipsius Fabricæ procuratoris instantiam, etiam parte inuita, & contradicente, facta sibi prius intimatione per tres menses, rescindere, irritare, cassare, & annullare; ipsosque detentores & occupatores ad terras, possessiones, & bona, necnon res & iura præfata, vt præfertur, detenta & occupata, relaxandum & de fructibus tam eatenus perceptis, & qui percipi potuissent, quam in posterum percipiendis realiter satisfaciendum, cogere & compellere, bonorumque & fructuum huiusmodi tertiam partem ipsi Fabricæ, reliquis duabus partibus Ecclesiis, monasteriis, beneficiis, domibus, Hospitalibus, & piis locis, ad quæ bona ipsa spectarent, cum effectu consignatis, vendicare & applicare possent & valeant, facultatem & auctoritatem concesserimus, prout in dictis literis plenius continetur.

Quid tamen multa causa corã diuersis Iudicibus pendebant super præmissis & non expediebantur, ideo Pont. dat. facultatem colligi illas ad se auocandi, & cognoscendi.

§. 2. Nuper tamen, sicut nos accepimus, in prosecutione literarum huiusmodi in hac Alma Vrbe, & multis aliis Ciuitatibus, & locis Collegium præfatum, & eius Ministri inuenerint nonnullas causas super recuperatione huiusmodi terrarum, possessionum, & aliorum bonorum immobilium, rerum & iurisdictionum diuersis iudicibus, etiam causarum Palatij Apost. Auditoribus, commissas & delegatas, vel ordinaria auctoritate agitatas, in quibus à multo tempore citra Abbatum, Priorum, & Commendatariorum, Rectorum, Administratorum, Canonicorum, Capitulorum, & aliorum beneficiatorum negligentia, seu impotentia, aut alia ex causa, aliquis iudiciarius actus releuans seruatus non extitit, & interim Monasteria, Ecclesiæ, domus, Hospitalia, & alia loca præfata detrimentum non modicum sustineant. Nos singularum causarum præfatarum status, & merita, nominaque & cognomina Iudicum & collitigantium præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, eisdem deputatis & Collegio, eorumque Commissariis, Auditoribus, & Ministris, vt omnes, & singulas causas huiusmodi, in quibus saltem per biennium aliquis iudiciarius releuans actus vltra fataliũ prorogationes seruatus non fuerit, in eisdem statu, & terminis in quibus reperiuntur, à quibuscumque Iudicibus, tam ordinariis, quam delegatis, etiam si causarum Palatij huiusmodi Auditores fuerint, ad solius præfatæ Fabricæ procuratoris instantiam, etiam Abbatibus, Prioribus, Commendatariis, Administratoribus, Rectoribus, Capellanis, Hospitalariis, & aliis beneficiatis inuitis, reassumere, & auocare, illasque postquam, vt præfertur, reassumptæ, & auocatæ fuerint, iuxta priuilegia, & facultates eidem Collegio concessas, & indultas, & prout procedere possunt contra eiusdem Fabricæ debitores, & in causis relictorum ad pias causas cognoscere, decidere,

Digitized by Google

dere, ac fine dubito terminare, facultatem concedimus.

Item, quia Episc. Bononien. & Ranennaſen. in cauſis alienationum huiuſmodi in ſua diœceſi procedebat, & ideo facultatis Fabricæ impediebantur.

§. 3. Inſuper cum ſicut etiam accepimus licet in Ciuitate noſtra Bononien. venerabilis frater noſter Epiſcopus Bononien. vigore Concilij Tridentini, & Rauennaten. nonnullos ex clero ad locationes bonorum Eccleſiaſticorum, reuidendas, & reſcindendas deputaſſet, & ipſi admodum paucas fine debito terminaſſent, tamen poſt emanatas dictarum facultatum noſtrarum in dictæ Fabricæ fauorem literas, ſub nomine ipſorum deputatorum certum edictum publicatum fuerit, per quod inter cetera omnes & ſingulæ perſonæ eccleſiaſticæ, necnon Rectores & Adminiſtratores Eccleſiarum, Monaſteriorum, & piorum locorum moniti fuerunt, vt pro adimplemento ſacrorum canonum, & conſtitutionum factarum, tam à nobis quam prædeceſſoribus noſtris omni adhibita diligentia curarent recuperationem bonorum eccleſiaſticorum per triginta annos ante Concilium Tridentinum, quocumque titulo male alienatorum, eidem iubendo, vt omni ſtudio & diligentia in officio præfatorum deputatorum, & poſſe eorum Notarij infra certum ſtatutum terminum omnium bonorum à triginta annis, vt præfertur, computandis occupatorum, eorumque occupatorum cum ipſorum nominibus, & cognominibus, & ipſorum bonorũ deſcriptionibus, & confinibus notitiam dare, ac quæcumque inſtrumenta, & ſcripturas tales cauſas concernentia exhibere deberent, ad hoc vt ipſi facilius in huiuſmodi cauſis procedere poſſent, & ſucceſſiue poſt quam Commiſſarius præfatæ Fabricæ ſuum edictum iuxta tenorem præfatarum noſtrarum literarum publicari fecerat, idem Epiſcopus à nobis quaſdam literas in forma Breuis obtinuerit, per quas eidem & pro tempore exiſtenti Epiſcopo, præſuli ſeu Adminiſtratori, aut eius, vel illius Vicario in ſpiritualibus generali, necnon dilectis filiis Iudicibus, & Reuiſoribus, ac Syndicis ad id ab eodem Epiſcopo in ſynodo diœceſana, deputatis & pro tempore deputandis conceſſimus & indulſimus, vt omnes & ſingulas, ac quaſcumque alienationes, & conceſſiones quorumcũque bonorũ Eccleſiaſticorum, factas & faciendas, Ciuitatis & diœceſis Bononien. & illarum cauſam & cauſas, reuiderent & cognoſcerent ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ac ſola facti veritate inſpecta, & in illis quæ conſtitutiones fel. record. Symmachi Secundi, & Pauli etiam Secundi Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, in damnum Eccleſiarum, Monaſteriorum, & piorum locorum facta fuiſſe comperiſſent, præhabita ſuperinde congrua reuiſione, adhibitiſque legitimis probationibus procederet, & prout iuris foret deciderent, & alia facerent, prout in edicto & literis præfatis plenius continetur, quarum literarum vigore aliud edictum ſuper ſimilibus publicatum extitit, quibus ipſæ perſonæ Eccleſiaſticæ, vt decet, obtemperantes dictas denunciationes in eorum officio detulerunt, & vt Commiſſarium præfatum deluderent, præfati deputati ab edicto per eumdem Commiſſarium facto appellarunt, & ipſum fere in omnibus cauſis præfatis præuenerunt.

Propterea Pius declarat Fabricæ deputatores cognoſcere poſſe omnes cauſas Eccleſiarũ & locorum exẽptorũ à iuriſdictione Ordinariorum & etiam omnes alias cauſas ordinariis non inſtituendas.

§. 4. Nos attendentes præmiſſa, prout in Ciuitate Bononien. hactenus occurrerunt, etiã in multis aliis Ciuitatibus & diœceſibus ſimili vel alio modo occurrere poſſe, & ſi præfata ſic impediretur, hoc non ſine graui ipſius detrimento ſuccedere poſſe volenteſque propterea eiuſdem Fabricæ vtilitati conſulere, ac edictorum & literarum præfatarum tenores ſimiliter præſentibus pro expreſſis habentes, Motu & ſcientia ſimilibus Collegio, Deputatis, Auditoribus, Commiſſariis & Miniſtris Fabricæ præfatæ, vt ipſi in omnibus & ſingulis cauſis Monaſteriorum, Abbatiarum, Prioratuum, domorum & aliorum exemptorum, ſub iuriſdictione ordinaria non comprehenſorum, necnon aliis, in quibus proceſſus nondum eſt inſtructus, etiam ſi in eis Ordinarius virtute literarum noſtrarum, vel ipſa ordinaria auctoritate præuenerit, modo & forma, quibus per præfatas literas, vel alias conceſſum extitit procedendi, eaſque cognoſcendi, & fine debito terminandi liberam & amplam facultatem concedimus per præſentes.

Facultatem eidem Collegio concedit

§. 5. Præterea cum per literas noſtras præfatas eiſdem Collegio & deputatis conceſſerimus facultatem cogendi quaſlibet perſonas ad reſtituendum bona, proprietates, & redditus Monaſteriorum, Eccleſiarum, beneficiorum, domorum, & piorum locorum, vt præmittitur alienata, ſiue detenta & occupata, vna cum eorum fructibus per poſſeſſores & alios perceptis, & de facili euenire poſſet vt plurimæ perſonæ, quæ per multos annos ipſa bona poſſederunt, & in eis plurima melioramenta fecerunt ne bonis ipſis priuentur, canones, cenſus, redditus, quæ pro bonis ipſis ſoluunt, cuperent augere, ita vt cederent in euidentem vtilitatem ipſorum Monaſteriorum, Eccleſiarum, beneficiorum, domorum, hoſpitalium, & locorum piorum. Aliique tanta premerentur neceſſitate, vt ipſis, de fructibus per eos & eorum anteceſſores, & alias perſonas perceptis, integre ſatisfaciendi nulla ſufficiat facultas, oneroſumque eis omnino videatur, cum ipſi forſan bonæ fidei poſſeſſores fuerint, talem ſummam ſoluere. Nos ſuper præmiſſis paterna pietate prouidere cupientes, Volumus Collegium & deputatos præfatos, eiuſque Commiſſarios, Auditores, & Miniſtros poſtquam bonorum partem debitam huiuſmodi iuxta formam literarum noſtrarum Monaſteriis, Eccleſiis, domibus, capitulis, capellanis, beneficiatis, & piis locis, ad ius & proprietatem Monaſteriorum, Eccleſiarum, domorum, capitulorum, rectorum, capellanorum, beneficiorum, & piorum locorum, quorum antea erant, reduxerint, poſſe & valere eiſdem poſſeſſoribus, aut aliis perſonis, de conſenſu eorum quorum intereret, ſub honeſto canone ſiue cenſu, aut alias prout iuſtum eis videbitur, in euidentem tamen vtilitatem ipſorum Monaſteriorum, Eccleſiarum, domorum, capitulorum, Eccleſiarum, capellaniarum, & beneficiorum, ac locorum piorum, de nouo in emphyteuſim ſeu cenſum perpetuum, aut ad tertiam vel aliam generationem, ſeu hominis vitam, aut aliud tempus eorum arbitrio locare & concedere, ac ſuper fructibus male perceptis huiuſmodi, ſi beneficiatorum eorumdem ad id acceſſerit aſſenſus componere. Deque tertia parte bonorum & fructuum huiuſmodi ipſi Fabricæ, per dictas noſtras literas aſſignata arbitrio ſuo, etiam ſine pro tempore exiſtentium Abbatum, Priorum, Commendatariorum, Adminiſtratorum, Canonicorum, Capitulorum, Rectorum, & beneficiatorum eorumdem conſenſu, & eis etiam inuitis, diſponere & componere, ipſoſque poſſeſſores, & alias perſonas cum eis contrahentes quietare, & abſoluere poſſe.

bona ſic pro locis piis recuperata, de nouo in euidentem illorum vtilitatẽ dare in emphyteuſim, vel ad tertiam generationem, aut aliter & ſuper fructibus componere.

Poſſeſſores ſcelerate bonorum in vtilitatẽ Eccleſiæ, ſed non ſeruatis ſolẽnitatib. alienatorũ pœnis pecuniariis, Fabricæ applicari. punire, pro tali exceſſu, & fructibus perceptis, & certum terminũ præfigere ad obtinendam confirmationẽ à Sede Apoſtolica, &c.

§. 6. Cumque vt ſimiliter accepimus inueniantur multa bona in euidentem vtilitatem Monaſteriorum, Eccleſiarum, & piorum locorum huiuſmodi, ſed conſuetis ſolemnitatibus vel aliis, de iure vel ex forma Ordinum & conſtitutionum Monaſteriorum, capitulorum, Eccleſiarum, domorum, hoſpitalium, & piorum locorum requiſitis non obſeruatis, ac ſine licentia vel confirmatione Apoſtolica alienata, Collegium, & deputatos, & eorum Commiſſarios, ac Miniſtros præfatos, poſſeſſores ipſos, pro exceſſibus & temerario auſu, ac fructibus perceptis indebite huiuſmodi, eorumdem Collegij deputatorum, Commiſſariorum, & Miniſtrorum arbitrio, pœnis pecuniariis, omni & quacumque appellatione remota, in ipſius Fabricæ vtilitatem conuertendis punire & mulctare, eiſdemque poſſeſſoribus, & detentoribus competentem terminum ſub præfatis pœnis, ad obtinendum debitam confirmationem, à nobis & Sede Apoſtolica præfigere, quod ſi neglexerint ipſo termino elapſo, ad incurſus pœnarum huiuſmodi, & ipſorum bonorum priuationem, omni appellatione poſtpoſita, procedere, etiam poſſe volumus & declaramus.

Poſſidentes quoq; monere, vt inſtrumẽta conceſſionum huiuſmodi, ac pacificam poſſeſſionem, & canonis ſolutionem oſtendãt alioquin eos bonis ipſis priuare, &c.

§. 7. Vlterius quoque cum plurima reperiantur Monaſteria, Eccleſiæ, beneficia, Hoſpitalia, & pia loca, quæ inſtrumenta alienationum bonorum ſuorum penes ſe non retineant, ſed ſolum eis canones ſeu cenſus illarum ratione perſoluuntur, licetque qui ea poſſident forſan penes ſe talia inſtrumenta habeant, illa tamen oſtendere minime volunt, ſeque tuentur, quod per multum temporis ſpatium in bonorum eorumdem ſolutionis poſſeſſione exiſtunt, eiſdem Collegio, Deputatis, Commiſſariis & Miniſtris, vt omnes & ſingulas perſonas bona Eccleſiaſtica, vt præfertur, retinentes, poſſidentes, vel detinentes, niſi legitimam cauſam habuerint ſe excuſandi, ad exhibendum per documenta & inſtrumenta publica titu-

los

los suos, quorum vigore bona huiusmodi possident, intra terminum eis præfigendum, sub pœnis & censuris sibi bene visis monere, quod facere recusantibus, aut non curantibus, iidem Collegium, & deputati, in iis in quibus dicti possidentes à quadraginta annis citra non ostẽderint dicta instrumenta, & ab inde pacifice possediſſe & soluisse, ac de canone solito ipsis beneficiatis respondisse, ad pœnarum & censurarum huiusmodi incursum, ac ipsorum bonorũ priuationem, fructuumque eorumdẽ solutionẽ procedere possint, concedimus & indulgemus.

Fructus bonorum pro quibus prima sẽtentia pro Fabrica lata fuerit, deponi faciendi penes idoneum depositarium vsque ad finẽ litis.

§. 8. Et quoniam indignum videtur, quod Monasteria, Ecclesiæ, & loca pia, ac Fabrica ipsa, dum per litium anfractus circumduci contingit, fructibus bonorum, pro quibus primam sententiam in eorum fauorem obtinuerint, priuentur, Volumus, quod Collegium & deputati præfati, necnon eorum Commissarij, Auditores, & Ministri, post primam latam sententiam, si ab ea appellari, & causam prosequi continget, fructus bonorum super quibus lis verti contigerit, sub arcto sequestro, aut penes idoneum Depositarium per ipsum Collegium, & eorum Ministros eligendũ, vsque ad eius cognitum in secunda sententia, deductis tamen his quæ alias ex forma locationum præcedentium Rectoribus, Administratoribus, Monasteriis & piis locis fuerint persoluenda, quæ minime retardari debeant, & sine litis, ac iurium Monasteriorum, Ecclesiarum, & piorum locorum ac partium præiudicio ponant, dent, & deponant.

Notarios etiã rogatos de scripturis bonorum Ecclesiasticorum & alios informatos cogere ad illas notificandum.

§. 9. At quoniam Ecclesiarum bona, confinia, canones, census, redditus, & prouentus, iura, instrumenta, scripturæ à diuersis auaritia obcæcatis occultantur, adeo quod à multis Abbatibus, Prioribus, Commendatariis, Capitulis, Canonicis, Rectoribus, Capellanis, Guardianis, & aliis beneficiatis, beneficiorum suorum bona & illorum confinia, & instrumenta ignorentur, eisdem Collegio & deputatis, eorumque Commissariis, Auditoribus, ac subdelegatis substitutis, & Ministris, vt sub pecuniariis, & in illarum subsidium Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, ac aliis iuris & facti remediis opportunis, omnes & singulos vtriusque sexus Christifideles, de præmissis informatos, ac Notarios, & Tabelliones, ac alios quoscumque de instrumentis & scripturis, ac documentis in præmissis, & circa ea necessariis rogatos in Ecclesiis dum diuina celebrantur, vel alias, etiam per edictum publicum, vel simplicem citationem, vt ea omnia ipsis Monasteriis, Ecclesiis, beneficiatis, piis locis denuncient, propalent, notificent, exhibeant, & consignent, citare, & monere, ac contra contumaces, & inobedientes ad incursus pœnarum, & censurarum huiusmodi declarationem vsque ad illam effectualem obedientiam, omnibus, & singulis iuris, & facti remediis opportunis procedere possint, & valeant, concedimus, & indulgemus.

Causasq; huiusmodi cognoscere, & terminare, & procedere, sicut in causis debitorũ Fabricæ.

§. 10. Et quoniam iustum esse censemus, vt causæ, quæ per ipsos Collegium, deputatos, eorumque Auditores, Commissarios, & Ministros cognoscuntur, tractantur, & deciduntur, celerem, & optatum finem accipiant; Volumus quod Collegium & deputati, eorumque Auditores, Commissarij, & Ministri, in omnibus causis, quas ipsos & eorum quemlibet pro tempore auocare, cognoscere, decidere, & fine debito terminare contigerit, illas iuxta priuilegia, & facultates eidem Collegio concessas, & indultas, ac prout procedere possunt contra eiusdem Fabricæ debitores, & in causis legatorum piorum vna cum illarum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, procedere, cognoscere, decidere, & similiter fine debito terminare, necnon partes in illis interesse habentes citare, & si absentes, aut sui copiã nõ facientes, aut alias non reperibiles fuerint, facta prius diligentia de eos reperiendo per vnum ex Cursoribus nostris, vel Mandatariis præfatæ Fabricæ, domi, vbi alias resederint, dimissa copia, vel per edictum in valuis Basilicæ S. Petri huiusmodi, & in acie Campi Floræ affigen. vel alias, prout in obligationibus in forma Cameræ fieri solet, arbitrio suo simili modo citare, necnon viduis, pupillis, & aliis personis de iure curatore indigentibus, curatores ipsos ex officio deputare, ac quibusuis tàm Apostolica, quàm ordinaria auctoritate deputatis etiam S. R. E. Cardinalibus, vel causarum Palatij Apostolici Auditoribus, aliisque Iudicibus, necnon quibus & quoties opus fuerit, sub pœnis pecuniariis arbitrio suo imponendis, ac censuris Ecclesiasticis inhibere, aliaque in præmissis, & circa ea necessaria, & opportuna facere possint & valeant.

Inhibitio contra molestantes Fabricam & eius deputatos supra præmissis, aut illorum executionem impedientes.

§. 11. Districtius inhibentes quibusuis locorum Ordinariis, etiam S. R. E. Cardinalibus, & aliis personis, quauis auctoritate etiam Apostolica fungentibus, etiam cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub suspensionis à diuinis, & excommunicationis latæ sententiæ, aliisque nostro arbitrio moderandis, infligendis pœnis, ne eosdem Collegium, & deputatos molestare, aut præmissorum executionem quoquomodo impedire, vel in eis se directe, vel per indirectum ingerere, vel intromittere possint, seu audeant, vel præsumãt. Decernentes quoque præsentes literas vllo vnquam tempore, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod interesse habentes vocari non fuerint, notari, in ius vel controuersiam, seu alias reuocari non posse, nec per subreptionem, vel obreptionem, obtentas præsumi, & ob id viribus carere, minusque sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus quantumuis generalibus, ac fortissimis clausulis, & decretis irritantibus roboratis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant statum, etiam sub data per Collegium, & deputatos huiusmodi eligenda plenarie restitutas esse.

Decretum irritans.

§. 12. Sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Iudices & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam Auditores & Cardinales præfatos, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi facultate, iudicari debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§. 13. Non obstantibus præmissis, ac nostra de non tollendo iure quæsito, & quibusuis Apostolicis, etiam per nos, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis etiam Collegij Cardinalium, & Auditorum, eorumdem, ac aliorum tribunalium, necnon quorumcumque Monasteriorum, Ecclesiarum, domorum, beneficiorum, ordinum, capitulorum, & piorum locorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & & literis Apostolicis, quibusuis, etiam ipsis Auditoribus, & aliis Iudicibus, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, etiam Motu simili, & ex certa scientia concessis, confirmatis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Dua partes bonorũ recuperandorũ consignentur Ecclesiis ad quas spectãt.

§. 14. Volumus autem, quod dicti Deputati retenta tertia parte bonorum, per eos pro tempore recuperatorum huiusmodi, reliquas duas partes suis quibusuis Ecclesiis pro rata consignare debeant, & teneantur.

Fides transumptorum.

§. 15. Quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Secretarij Fabricæ huiusmodi subscriptis, & sigillo eiusdem Fabricæ sigillatis, eadem prosus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ,

Nulli ergo omnino hominum, &c.

D. P. An. 5. 11. Septem.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Domi

Dominicæ 1570. tertio Id. Septembris, Pontificatus noſtri Anno 5.

Sequitur facultas Fabricæ circa applicationem fructuum.

Edita An. D. 1570.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

EX debito Paſtoralis officij, cui diſponente Domino præſidemus, ad ea libenter intendimus, per quæ quarumlibet Eccleſiarum, Fabricæ præſertim Baſilicæ noſtræ Principis Apoſtolorum de Vrbe, cuius cura nobis peculiaris eſt attributa, congruam ſuſcipiant ſubſtentationem, vtque id felicius ſubſequatur, nonnumquam ea quæ per nos ad ipſarum fauorem ordinata ſunt, quæque non ita felicem ſucceſſum habitura credimus, ad aliam formam reducimus, provt locorum, & temporum qualitate penſata conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Omittitur relatio conſtit. præced. Modo autem idem Pont. ex cauſis hic expreſſis, loco d. tertiæ partis bonorũ recuperandorũ applicat Fabricæ omnes fructus ex illis bonis, à conductoribus vel ab aliis occupatoribus indebite perceptos, ſiue fructus vnius anni percipiendos.

§. 1. Sane licet alias, &c. vt ſuprà.

§. 2. Verùm quia, vt accepimus, dictæ Fabricæ difficile foret tertiam partem proprietatis bonorum eidem Fabricæ, vt præfertur, aſſignatam vendere, & in vſum dictæ Fabricæ conuertere, cum non de facili emptores reperirentur, & plurima bona non ita commodam diuiſionem patiantur, vt tertia ab ipſis pars ſine duarum partium detrimento diſmembrari & ſeparari poſſit. Cupientes indemnitati dictæ Fabricæ conſulere, arbitranteſque, quod ſi loco dictæ tertiæ partis proprietatis bonorum recuperandorum, vt præfertur, dictæ Fabricæ aſſignatæ, omnes fructus contra leges & canones, ac conſtitutiones anteceſſorum noſtrorum per quoſuis conductores & ſucceſſores, vniuerſales vel ſingulares, quomodolibet indebite ex dictis bonis percepti, & qui percipi potuerunt, & non ſine animæ eorum periculo retineri poſſunt, quatenus exigibiles ſint, & in alienationibus, in quibus pauci, aut nulli fructus indebite percepti fuerunt, vel ex inopia debitorum, vel ex quauis cauſa, vel occaſione per ipſos deputatos arbitrãda, nullum vel modicum emolumentum reportare poſſet (cum non ſit conueniens, quod ex eius bono opere detrimentum ſentiat) omnes fructus, redditus & prouentus integri vnius anni ex huiuſmodi bonis recuperatis exigendi & percipiendi dictæ Fabricæ aſſignarentur, & appropriarentur, celeriorem vtilitatem, tàm dictæ Fabricæ, quàm Eccleſiæ ipſæ conſequerentur. Eoſdem itaque Collegium, & deputatos, ac Auditores & Miniſtros, eorumque quoſlibet à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluẽtes, & abſolutos fore cenſentes, necnon literarum præfatarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, non ad alicuius ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtãtiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa licentia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulos fructus, redditus, prouentus, canones, cenſus, afficta, & ſeu alias reſponſiones, quocumque nomine nuncupentur, quomodolibet, tàm per conductores bonorum Eccleſiaſticorũ, quam eorum ſucceſſores quoſcumque vniuerſales, vel ſingulares, aut particulares, ac alios detentores, occupatores, & debitores, ſub quouis prætextu, & inualido contractu, contra leges, canones, extrauagantes, & conſtitutiones anteceſſorum noſtrorum, aut alias indebite, nulliter, & inualide perceptos, & ob infectam radicem primi contractus inualidi, aut alias nulliter cum Eccleſia celebrati, vel occupationis, detentionis, & vſurpationis factæ indebite dictorum bonorum. Si vero, vel quia modici, aut nulli admodum fructus ſint exacti, vel ex debitorum inopia, vel quauis alia cauſa per ipſos deputatos arbitrãda, fructus prædicti non eſſent exigibiles, tunc fructus, redditus, prouentus, cenſus, & canones integros vnius anni ex dictis bonis recuperatis percipiendos, loco dictæ tertiæ partis, plenarie, & integre dictæ Fabricæ aſſignamus, & applicari mandamus. Ita quod eiſdem Collegio, & pro tempore exiſtentibus deputatis, Auditoribus, & Miniſtris prædictis liceat illos propria auctoritate recuperare, exigere, & leuare, illoſque locare, vendere, & alienare, ac in vſum & vtilitatem dictæ Fabricæ conuertere, Sedis Apoſtolicæ vel Superiorum Eccleſiarum, Monaſteriorum, & beneficiorum eorumdem, vel Ordinarij, aut cuiuſuis alterius licentia deſuper minime requiſita.

Fabricæq; deputatis facultatem concedit componẽdi & tranſigendi in caſibus dubii, ita vt qui ſe tranſegerit, ampliùs moleſtari nequeãt.

§. 3. Et vt facilius Eccleſiæ integram proprietatem, & Fabricæ fructus, vt præmittitur, ſibi aſſignatos conſequi poſſit ſine litium curſu, eiſdem Collegio, & deputatis concedimus, & elargimur, vt quoties eis videbitur opportunum, per ſeipſos tantum in cauſis prædictarum alienationum, ſiue detentionum bonorum Eccleſiaſticorum, in quibus ius Eccleſiarum, Monaſteriorum, domorum, Hoſpitalium, beneficiorum, & piorum locorum præfatorum non adeo clarum exiſtit, vt de facili bona, & fructus, pro Eccleſiis, Monaſteriis, domibus, beneficiis præfatis, & Fabricæ vendicari poſſint, ius ipſum debitum ſit cum dictis detentoribus, poſſeſſoribus, & ſucceſſoribus; vniuerſalibus vel particularibus ſub beneplacito Sedis Apoſtolicæ tranſigere, & componere de conſenſu Rectorum eorumdem arbitrio, poſſint & valeant. Quodque aucta & ſoluta parte, in qua conuenerint, ſeu pro qua compoſuerint, occupatores, poſſeſſores, vel ſucceſſores prædictos, abſoluere & liberare, ita vt de cetero à nemine ſub prætextu quarumcumque conſtitutionum, canonum, legum, extrauagantium, ac bullarum per anteceſſores noſtres prædictos, & per nos ſuper reſciſſione & recuperatione bonorum, & fructuum Eccleſiaſticorum editarum quomodolibet moleſtari, inquietari, vel perturbari poſſint & valeant, ſed facta ſolutione prædicta, ſint & eſſe intelligantur etiam liberati, tàm ab omni periculo, quàm ab omnibus pœnis & mulctis, quas occaſione dictorum fructuum indebite perceptorum incurriſſent, & contractus neceſſarios conficere, qui poſtquam celebrati fuerint idem robur obtineant, ac ſi à Sede Apoſtolica confirmati fuiſſent, & ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis perpetuum ſilentium impoſitum ſit, & eſſe cenſeatur.

Inhibitio contra moleſtantes Fabricæ Miniſtros ſuper præmiſſis.

§. 4. Diſtrictius inhibentes quibuſuis cuiuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus, & quacumque auctoritate fungentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis, aliiſque noſtro arbitrio moderandis, & imponendis pœnis, ne eoſdem Collegium & deputatos, eorumque Auditores & Miniſtros in præmiſſis moleſtare, perturbare, vel inquietare audeant vel præſumant.

Clauſula præſeruatiua.

§. 5. Ac decernentes præſentes literas nullo vmquam tempore, de ſubreptionis vel obreptionis vitio, vel intentionis noſtrę, aut quopiam alio defectu notari, impugnari, aut inualidari, etiam ex eo capite, quod intereſſe habentes vocati non fuerint, aut ad iuris terminos reduci, minuſque in ius vel controuerſiam vocari quouis modo poſſe, ſed ſemper validas & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, nec ſub quibuſuis ſimilium vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, limitationibus, & derogationibus comprehendi nullatenus poſſe, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum, etiam ſub quacumque data per ipſos eligenda reſtitutas eſſe & cenſeri.

Decretum irritans.

§. 6. Sicque per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio, & facultatis.

§. 7. Et nihilominus venerabilibus fratribus noſtris Amerin. & Maceraten. ac Aquinaten. Epiſcopis, Motu ſimili per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut vnus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quęcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Collegij deputatorũ, Auditorum, & Miniſtrorum præfatorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, ſi iique in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant prætentes literas, & in eis contenta quæcumque ab omnibus, quos illa concernunt, inuiolabiliter obſeruari, non permittentes eos, vel eorum aliquem deſuper quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna, iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper iis habendis ſeruatis proceſſibus

Digitized by Google

sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clauſ. derog.

§.8. Non obstantibus fel. record. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna,& Concilij generalis de duabus dietis dummodo vltra tres dietas quis vigore præsentium ad iudicium non extrahatur, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, nostris de non tollendo iure quæsito, ac vnionibus committendis ad partes vocatis quorum interest, & exprimendo valore, necnon Lateranensis Concilij nouissime celebrati vniones perpetuas, nisi in casibus à iure permissis fieri prohibentis, & quibusuis aliis Apostolicis, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam Motu proprio & scientia similibus, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam si de illis, ac totis eorum tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque, seu si aliquibus communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Per præsentes autem literas derogatum non esse, nec intelligi volumus, in parte vel toto, primis & secundis cedulis, Motu proprio confectis, & in fauorem dictæ Fabricæ, super bonis Ecclesiæ alienatis, nisi tantum quo ad dictos integros fructus, etiam facultatem percipiendi fructus vnius anni, vt præfertur, in omnibus vero aliis & singulis in dictis cedulis, & literis concessis omnia stent, & esse intelligantur firma & in suo robore valida, ac si præsentes à nobis non essent emanatæ.

In aliis autem firma remaneant, const. hic inserta.

§.9. Insuper quoque statuimus, vt earumdem præsentium transumptis manu Secretarij, & sigillo dictæ Fabricæ subscriptis, & munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo, &c.

Dat. P. A. 5. 1. Februar.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1571. Kalend. Februarij, Pontificatus nostri Anno sexto.

XCIX. Prohibitio ad quæstum publicandi indulgentias, & confessionalia.

Ad hæc vide etiam hic sup. const. 30. Et si dominici, cum ibi notatis.

Edita An. D. 1570.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Quidã præsules Ecclesiarũ Hispaniæ, publicabant, aliquid soluentibus Indulgentias, & facultates eligendi cõfessores, &c.

QVam plenum sit periculi noxia populis ingerere, nimium his temporibus afflicta religio testatur, quod malum cum in ceteris ministris, tum præcipuè in Ecclesiarum Prælatis animaduertendũ est, quod ab his temere profecta longe maxima Ecclesiæ Dei conferant detrimenta. Rem sane indignã audiuimus, quod non solum quondam Gometius Tello Giron temporarius administrator Ecclesiæ Toletanæ, sed etiam quidam Hispaniæ Ecclesiarum Præsules officij paterni prætextu, facultates sibi à sacris canonibus concessas excedentes, literas suas in ipsorum ciuitatibus, ac diœcesibus ausi sunt publicare, quibus inter cetera periculosa deprehenditur, quod cuicumque illas accipienti certa soluta pecunia licitum sit, quem voluerit sibi sumere Sacerdotẽ, qui confessione audita ipsum absoluere valeat, non in eis tantum casibus, in quibus simplex sacerdos absoluere potest, sed etiam in iis quæ solis Episcopis reseruata reperiuntur; aliquo præterea casu admixto veluti simoniæ reatu, qui ad examen huius sanctæ Sedis esset referendus. Non animaduertentes ipsi Præsules, & Administratores quam periculosum sit, ea passim in certis personis committere, quæ ad Episcoporum iudicium arbitriumque idcirco deferuntur, vt qui melius lepram à lepra discernere norint, causis & circumstantiis subtili indagine exploratis, salutaria cuique morbo remedia valeant adhibere. Ad hæc ipsi in dispensandis cœlestis gratiæ donis nimium prodigi, iis sic literas prædictas accipientibus, indulgentias, & pœnitentiarum iniunctarum remissiones, nulla cum re temporali conferendas, profusius & indiscrete largiuntur, quibus, & aliis licentiis prædictis non pauci fluctuantes & infirmi, veniæ facilitate inducti, ad peccandum procliuiores fiunt, quando tot & tantorum delictorum remissionem, certo & vilissimo pretio acquirere posse confidant. Indicem præterea casuum, & indulgentiarum ædibus sacris appendi iusserunt, quo palàm significatur soluentibus suprascripta concedi, & inter alia absoluendi facultatem ab esu prohibitorum tribui, itemque indulgeri Missæ sacrificium, & sepulturam tempore interdicti, assumptionem duorum, pluriumve compatrum ad sacrum Baptisma, præter eos, qui synodalibus, vt dicunt, constitutionibus asciscuntur, Reparationem Ecclesiarum, erectionem Confraternitatum, & alias pias causas prætexendo.

Ideo hic Pont. gesta per illos annullat, & publicationes huiusmodi indulgentiarum prohibet.

§.1. Cum igitur inter cetera scandala, etiam Simoniæ prauitas redoleat, ex prædictis Sacri Tridentini Concilij decretis, & aliis sanctionibus Canonicis, nostræ præterea constitutioni de indulgentiis ad quæstum non emittendis, aduersetur, clauium auctoritas euilescat, & pœnitentialis satisfactio eneruetur, Nos his malis celeri remedio occurrendum, eademque opera futuris præcauendum fore censentes, De Apostolicæ potestatis plenitudine supradicta omnia, quæ in ipsa Toletana, & quibuscumque aliis Ciuitatibus, diœcesibus, & locis, tàm Hispaniæ, quàm aliarum quarumcumque Prouinciarum & Regionum quocumque prætextu hucusque emanarunt, perpetuo abolemus, ac nulla & irrita nunciamus; iubemusque literas, & indices, necnon scripturas, & monumenta quæcumque, publica & priuata, per ipsos locorum Ordinarios, & alios Ecclesiarum Rectores vbicumque reperiuntur dilacerari, penitusque deleri. Et ne talia de cetero à quoquam fiant, publicentur vel concedantur, districtius prohibemus.

Contrauenientibus quoq; pœnas hic descriptas imponit.

§.2. Quicumque secus egerint, seu attentauerint, Antistites, etiam si Cardinalatus honore præfulgeant, ab ingressu, & perceptione fructuum suarum Ecclesiarum tamdiu suspensi iaceant, donec satisfactione præuia illis per Sedem prædictam suspensio relaxetur. Inferiores vero ab Episcopis sententiam excommunicationis incurrant, à qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes etiam irritum & inane quicquid secus per quoscumque quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Transumptis credi iubet.

§.3. Volumus autem, vt præsentium exemplis, etiam impressa, Notarij publici manu, & Prælati Ecclesiastici sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum faciant, quam ipsæmet præsentes facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctionẽ pœnalem adiicit.

§.4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, nunciationis, iussionis, prohibitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D. P. An. 4. die 2. Ian.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1570. 4. Non. Ianuarij, Pontificatus nostri Anno 4.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1570. indictione 13. die vero 23. mensis Ian. Pontific. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V anno 4. retroscripta litera affixa & publicata fuerunt ad valuas Ecclesiæ S. Io. Lateranen. & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, dimissis in supradictis locis præsentibus literis per aliquantulum temporis spatium affixis, & deinde amotis

Digitized by Google

motis per me Iulium Parinum. Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſorem.

Io. Guerardi Mag. Curſ.

C. Eleemoſynæ pro Carceratis in Vrbe colligendæ, exponantur pro ſoluendis debitis pauperum Carceratorum. Et pro debito mere ciuili infra ſeptem aureos, nemo carceretur.

De materia iſtorum Carceratorum vide ſup. in conſt. 68. Reuerendi. *vbi notaui.*

Edita A. D. PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Eleemoſyna quomodo expendenda.

§. 1. VOlumus vt omnes eleemoſynæ Carceratorum, tàm quæ per Quæſtores colliguntur, quàm quæ in capſis reponuntur, expendantur pro ſoluendis debitis pauperum Carceratorum arbitrio R. D. Cardinalis Moroni, quem confidimus præ oculis habiturum miſerabiliores perſonas, & iuſtiores cauſas.

Inſſio cõſtrun. Hoſpitalis.

§. 2. Eumdem rogamus, vt in Carceribus Turris Nonæ erigi faciat Hoſpitale aliquod ſumptibus Charitatis, in quo curentur pauperes infirmi, donec adhibeatur diligentia, quam celerem eſſe volumus, pro illis liberandis, iuxta Motum proprium ſel. rec. Pauli Papæ III. quem ſeruari prorſus volumus.

Hoc vtique conſtructum fuit.

Prohibitio carcerandi pro minori ſumma ſeptem aureorum. Papæ ſubſcr.

§. 3. Inſuper iubemus, ne infra ſeptem aureos carcerari quis poſſit pro debito, præterquam cum debitum habet annexam criminalem cauſam.

Placet, & ita mandamus. M.

CI. Damnatio & excommunicatio Eliſabeth Reginæ Angliæ, eique adhærentium, cum aliarum pœnarum adiectione.

Henricus quoque Rex eius pater itidem damnatus fuit à Paulo III. vt in eius conſt. 7. Eius.

Edita A. D. 1570. PIVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

REgnans in excelſis, cui data eſt omnis in Cœlo & in terra poteſtas, vnam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, extra quam nulla eſt ſalus, vni ſoli in terris, videlicet Apoſtolorum Principi Petro, Petrique ſucceſſori Romano Pontifici, in poteſtatis plenitudine tradidit gubernandam. Hunc vnum ſuper omnes gentes, & omnia regna Principem conſtituit, qui euellat, deſtruat, diſſipet, diſperdat, plantet, & ædificet, vt fidelem Populum mutuæ charitatis nexu conſtrictum, in vnitate Spiritus contineat, ſaluumque & incolumem ſuo exhibeat Saluatori.

Henric. VIII. Rex Angliæ, hæreſim introduxit in illo Regno, vt ſup. in Pauli III. conſt. cit. in in rub.

§. 1. Quo quidem in munere obeundo, nos ad prædictæ Eccleſiæ gubernacula Dei benignitate vocati, nullum laborem intermittimus, omni opera contendentes, vt ipſa vnitas, & Catholica Religio (quam illius auctor ad probandam ſuorum fidem, & correctionem noſtram, tantis procellis conflictari permiſit) integra conſeruetur. Sed impiorum numerus tantum potentia inualuit, vt nullus iam in Orbe locus ſit relictus, quem illi peſſimis doctrinis corrumpere non tentarint, adnitente inter ceteros flagitiorum ſerua Eliſabeth prætenſa Angliæ regina, ad quam veluti ad aſylum omnium infeſtiſſimi profugium inuenerunt. Hæc eadem, regno occupato, ſupremi Eccleſiæ capitis locum, in omni Anglia, eiuſque præcipuam auctoritatem atque iuriſdictionem monſtruoſe ſibi vſurpans, regnum ipſum iam tum ad fidem Catholicam & bonam frugem reductum, rurſus in miſerum exitium reuocauit.

Eliſabeth Reginæ hæretica, etiam fuit, & eſt, committendo multos errores, hic expreſſos.

§. 2. Vſu namque veræ Religionis, quam ab illius deſſertore Henrico VIII. olim euerſam, claræ mem. Maria regina legitima, huius Sedis præſidio reparauerat, potenti manu inhibito, ſecutiſque & amplexis Hæreticorum erroribus, regium conſilium ex Anglica nobilite confectum diremit, illudq; obſcuris hominibus hæreticis compleuit, Catholicæ fidei cultores oppreſſit, improbos concionatores, atque impietatum adminiſtros repoſuit, Miſſe ſacrificium, preces, ieiunia, ciborum delectum, cœlibatum, rituſque Catholicos aboleuit; libros manifeſtam hæreſim continentes, toto regno proponi, impia myſteria, & inſtituta ad Caluini præſcriptum à ſe ſuſcepta, & obſeruata, etiam à ſubditis ſeruari mandauit. Epiſcopos, Eccleſiarum Rectores, & alios Sacerdotes Catholicos, ſuis Eccleſiis, & beneficiis eiicere, ac de illis & aliis rebus Eccleſiaſticis, in hæreticos homines diſponere, deque Eccleſiæ cauſis decernere auſa, Prælatis, Clero, & Populo, ne Romanam Eccleſiam agnoſcerent, neve eius præceptis, ſanctionibuſque Canonicis obtemperarent, interdixit; pleroſque in nefarias leges ſuas venire, & Romani Pontificis auctoritatem atque obedientiam abiurare, ſeque ſolam, in temporalibus & ſpiritualibus dominam agnoſcere iureiurando coëgit, pœnas & ſupplicia in eos qui dicto non eſſent audientes, impoſuit, eaſdemque ab iis, qui in vnitate fidei, & prædicta obedientia perſeuerarunt, exegit. Catholicos Antiſtites, & Eccleſiarum Rectores in vincula coniecit, vbi multi diuturno languore & triſtitia confecti, extremum vitæ diem miſere finiuerunt. Quæ omnia cum apud omnes nationes perſpicua & notoria ſint, & grauiſſimo quamplurimorum teſtimonio ita comprobata, vt nullus omnino locus excuſationis, defenſionis, aut tergiuerſationis relinquatur.

Hic ideo Pont. illam eique adhærentes hæreticos declarat.

§. 3. Nos multiplicantibus aliis, atque aliis ſuper alias impietatibus, & facinoribus, & præterea fidelium perſecutione, Religioniſque afflictione, impulſu & opera d. Eliſabeth quotidie magis ingraueſcente, quoniam illius animum ita obſtirmatum atque induratum intelligimus, vt non modo pias Catholicorum Principum, de ſanitate & conuerſione preces, monitioneſque contempſerit, ſed ne huius quidem Sedis ad ipſam hac de cauſa Nuncios in Angliam traiicere permiſerit, ad arma iuſtitiæ contra eam de neceſſitate conuerſi, dolorem lenire non poſſumus; quod adducamur in vnam animaduertere, cuius maiores de Republica Chriſtiana tantopere meruere. Illius itaque auctoritate ſuffulti, qui nos in hoc ſupremo iuſtitiæ throno, licet tanto oneri impares, voluit collocare, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine declaramus prædictam Eliſabeth hæreticam, & hæreticorum fautricem, eique adhærentes in prædictis, anathematis ſententiam incurriſſe, eſſeque à Chriſti corporis vnitate præciſos.

Regno & dignitatibus priuat.

§. 4. Quin etiam ipſam prætenſo regni prædicti iure, necnon omni & quocumque dominio, dignitate, priuilegioque priuatam.

Vaſſallos liberat.

§. 5. Et item proceres, ſubditos, & populos d. Regni, ac ceteros omnes qui illi quomodocumque iurauerunt, à iuramento huiuſmodi, ac omni prorſus dominij fidelitatis, & obſequij debito, perpetuo abſolutos, provt nos illos præſentium auctoritate abſoluimus, & priuamus eamdem Eliſabeth prætenſo iure Regni, aliiſque omnibus ſupradictis. Præcipimuſque & interdicimus vniuerſis & ſingulis proceribus, ſubditis populis, & aliis prædictis; ne illi eiuſve monitis, mandatis, & legibus audeant obedire. Qui ſecus egerint, eos ſimili anathematis ſententia innodamus.

Exemplis credi iubet.

§. 6. Quia vero difficile nimis eſſet, præſentes quocumque illis opus erit perferre, volumus, vt earum exempla, Notarij publici manu, & Prælati Eccleſiaſtici, eiuſve Curiæ ſigillo obſignata, eamdem illam prorſus fidem in iudicio & extra illud, vbique gentium faciant, quam ipſæ præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1570. 5. Kalend. Maij, Pontificatus noſtri anno 5. *D. P. An. 5. 24. Febr.*

CII. Reformatio totius Ordinis Ciſtercienſis, tàm quoad ſtatum Monachorum, & diuinum cultum, quàm reſtaurationem Monaſteriorum, præſtationemque fructuum menſæ Conuentualis in locis commendatis.

Aliam reformationem iam edidit Pius IV. vt ſup. in eius conſt. 70. In eminenti. *& poſtea aliam publicauit Greg. XIII. inf. in eius conſt.* 18. Superna. *vbi alias tibi indicabo.*

De inſtitutione & aliis iſtius Ordinis, notaui ſup. in conſt. 1. *Paſchal. II.* Deſiderium.

Digitized by Google

Edita An.D. 1570

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Hic Pont. permoleſte accepit, cœnobia Ord. Ciſterc. deſtitui.

EX innumeris curis, quibus ſine intermiſſione vexamur, illa nobis duriſſima eſt, quod tot ſacrarum Religionum Conuentus, ſuis orbati iuribus paſſim intercidere conſpicentur, neque ſane quicquam inexpertum relinquimus, quantum quidem fert difficillima præſentis ſæculi conditio, quod ad illorum reſtitutionem pertinere exiſtimamus. Inter ceteros autem Ordo Ciſterc. longe lateque per orbem propagatus, nobis frequentius obſeruatur, cuius tam multa Cœnobia viris cum doctrina, tum ſanctitate claris olim florentiſſima, maligno temporum errore ad nihilum propemodum rediguntur. Quod cum aliunde ex toto orbe plus ſatis nobis iampridem innotuit, tum maxime ex recenti viſitatione, quam Commiſſarius & Procurator Capituli gener. Ciſterc. in vtraque Sicilia id nobis quoque iubentibus confecit, permoleſte iintelligimus, quamplurima eius regni monaſteria, aut debitis officiis deſtituta, aut Monachis ob non præſtitam alimoniam deſerta, aut omnino collapſa, retecta, recluſa, patentia, & vt profana habita, quæ Religionis cultrix illa vetuſtas tantis impendiis euexit.

Volenſque propterea huic malo mederi, hanc edit conſtit. in qua determinat.

§.1. Sed his incommodis tametſi pater Abbas monaſterij Ciſtercij, Cabilonen. diœc. & prædictum Capitulum generale, etiam per priuilegia & indulta illis à fel. rec. Pio II. Sixto IV. Pio etiam IV. & diuerſis aliis Rom. Pont. conceſſa & innouata in vniuerſum occurrendi, & ipſos Commendatarios, ad habendum & retinendum competentem Monachorum numerum, cum menſa ad victum & veſtitum idonea, & etiam alia ad Monaſticum cultum pertinentia cõpellendi facultatem habeant; vtile tamen & percommodum illis fore exiſtimauimus, noſtras quoque huic rei partes adſcribere, & certa quædam prædicto Ordini conuenientia, illiuſque moribus & ſtatutis magis cohærentia ſpeciatim proponere, quibus illi amplius ſuffulti poſſint ſupradicta Monaſteria ad Conuentum, diſciplinam, & bonam frugem facilius reuocare. Neque enim ſuſtinere poſſumus, quod tam multi, qui huiuſmodi Monaſteria in Commendam recipiunt, Commẽdæ conditiones à Conc. Later. præſcriptas, & eaſdem, ac alias ſingulis lit. Apoſt. de huiuſmodi Commendis confectis, ad ſpecialem cuiuſque ſignificationẽ appoſitas in animæ ſuæ periculum aduerſentur, quibus de ceteris fructibus Monaſterij ſibi commendati diſponere nemini prius permiſſum eſt, quam debitis & conſuetis eiuſdem, ac ipſius conuentus oneribus omnino ſupportatis, & Quarta vbi menſa Abbatialis ſeparata, vbi vero communis eſt, ac etiã in Monaſteriis Conuentu & cura orbatis, Tertia parte omnium fructuum eorumdem in reſtaurationem fabricæ, aut ornamentorum emptionem, aut fulcimentum, ſeu pauperum alimoniam, vbi maior exegerit, ſuaſeritque neceſſitas quotannis erogata. Quin etiam in ipſis Monaſteriis diuinus cultus, ſolicituſque Monachorum, & miniſtrorum numerus nullatenus minuatur, nec alias illa in ſpiritualibus & temporalibus vlla ſubeant detrimenta.

Monaſteria omnia etiam comendata & vnita, & de iurepatronatus laicorum reſici, & ad debitam clauſuram reduci.

§.2. Quare nos ex iis, quæ pro ſalubri d. Religionis ſtatu, & felici directione, à prædictis prædeceſſoribus, & alias quomodocumque inſtituta hucuſque reperiuntur, nec præſentibus contraria, nec effectum earum impedientia nihil omnino detrahere, ſed illa prorſus immota cuſtodiri volentes, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſtatuimus & ordinamus, vt omnia Monaſteria & loca dicti Ordinis, tàm in vtraque Sicilia, quàm ceteris omnibus orbis partibus conſtituta, etiam commendata & vnita, ac etiam de iurepatronatus laicorum quocumque modo exiſtentia, quæ conuulſa, diruta, & extenuata ſunt, reficiantur, & ad debitam clauſuram reducantur, ſtatuta pecunia conuenienti, quæ quotannis in id opus, donec abſolutum fuerit, erogetur.

Numerũ competentem Monachorum in eis reſtitui. Ad diuinum & monaſticũ vſum neceſſaria inſtrui.

§.3. In eiſdem & ceteris locis vti pro facultatum ratione idonea erunt, competens Monachorum & miniſtrorum numerus reſtituatur.

§.4. Ipſorum Eccleſiæ, ſacriſtiæ, dormitoria, & officinæ, vaſis, veſtimentis, libris, ſacra & communi ſuppellectile, ac ceteris omnibus ad diuinum cultum & Monaſticum vſum neceſſariis, conuenienter inſtruantur.

Diuina quotidie celebrari.

§.5. Miſſæ ſacrificium, & alia omnia diuina officia, diurna & nocturna quotidie in choro pſallendo, iuxta ritum dicti Ordinis ſine intermiſſione celebretur.

Menſam Conuentualem & eleemoſynas reſtitui.

§.6. Menſa Conuentualis, & ad communem victum & veſtitum, necnon eleemoſynas & viſitationes, & alia onera ſubeunda conficiatur, interciſa reparetur.

Libros ſacros haberi.

§.7. Vbi ſacra lectio iuxta Concilij Tridentini diſpoſitionem haberi non poterit, præter eos libros, qui ad diuini officij, & chori vſum neceſſarij ſunt, ſaltem Biblia & Catechiſmus ad parochos recens editus, item opera S. Bernardi, & ſi qui alij ad honeſtam monachorum occupationem poterunt, habeantur, niſi de illis in aſſignatione menſæ Conuentualis iam perſpectum reperiatur. De his omnibus necnon vaſis, veſtimentis, & cetera ſuppellectile prædicta ſemel recepta, Conuentus omnes rationem reddere debeant.

Nouitiatus conſtituti.

§.8. Et vt Nouitij qua decet diſciplina informentur, vnum aut duo monaſteria in quaque prouincia vti commode fieri poterit, ordinentur, in quibus magiſtri, etiam ceterorum monaſteriorum nouitios diuini officij rationem, & regularis obſeruantiæ inſtituta doceant; ita vt quodque monaſterium neceſſaria ſuis ſuppediret, & ſi nullos habuerit, alij pro eo, eiuſque impenſis recipiantur & inſtruantur.

Cõuentus ædificia, &c. ad certã formam reduci.

§.9. Omnia ædificia Conuentus quoquo verſus claudantur, portæ non neceſſariæ obſtruantur, clathri feneſtris vbicumque opus erit infigantur. Templa, ſacriſtiæ, capitula, dormitoria, refectoria, infirmariæ, & omnino aliæ clauſtri partes nihil profani patiantur. Nec conuentus horreum, penu, præſepia, nec prorſus vlla promercalia Abbatum, Commendatariorum, Conductorum, aut aliorum recipiant, nec à commendatariis, penſionariis, aliiſve de clauſtro non exiſtentibus occupentur, ſed illis ſolum proprij clauſtrales vtantur, provt ad diuini officij celebrationem, regularemque obſeruantiam fuerunt conſtituta.

Hoc voluit idẽ Gregor. XIII. ibid.

Mulieribus ingreſſum denegari.

§.10. Mulieribus omnibus cuiuſcumque qualitatis, dignitatis, & ætatis, ingreſſus clauſtri, ac aliorum locorum regularium, etiam ædium partis, quæ ab Abbatibus, Commendatariis, Prioribus, aliiſve miniſtris, etiam diuiſim poſſidetur, ſit penitus interdictus; quod ſi ſecus factum erit, tàm ingredientes quàm recipientes excommunicationis ſententiam incurrant.

Carcerem ad correctionem conſtitui.

§.11. Carcer ad coërctionem monachorum, vbi non eſt, conſtituatur.

Inuentaria bonorum & ſcripturarum confici. Hoc voluit etiã Gregor. XIII. cit. in rub.

§.12. In omnibus monaſteriis inuentarium omnium prædictorum, necnon inſtrumentorum, fundationum, donationum, auctoritatum, exemplarium, omniumque monimentorum, conſcribatur, & in formam authenticam redigatur, illudque & cetera omnia prædicta fideliter aſſeruentur. Sicubi vero horum quicquam producendum erit, exemplum ab archetypo deſumatur & tranſmittatur, niſi talis contigerit neceſſitas, vt ipſum exemplar producendum ſit; quod tunc in fidem alicuius probati deponatur, qui idoneè caueat illud ipſum quamprimum reportaturum.

Monaſteria non tuta, ad Ciuitates transferri.

Hoc iuſſit etiã Gregor. XIII. cit. in rub.

§.13. Illa monaſteria locis patentibus conſtituta, quæ propter Turcarum, ſeu prædonum, vel hæreticorum incurſiones tute ſeruari non poterunt, facto de ipſorum iuribus, literis, auctoritatibus, tabulis, monimentis, atque omni prorſus ſuppellectile, mobilibuſque, bonis, iocalibus, & rebus fideli inuentario, & ſi opus erit earum omnium depoſito apud perſonam fide & facultatibus idoneam, ita vt nihil omnino inde ſine conſenſu expreſſo, & ſpeciali mandato Conuentus moueri valeat, in ciuitates, oppidaue vicina transferantur.

Viſitationes prudenter fieri.

§.14. Ceterum ad reſtituendam monaſticam diſciplinam, & reſtitutam conſeruandam, Ciſtercij, & ceteri patres Abbates in Capitulo generali prouideant diligenter, vt omnes viſitationes, ſolicite & prudenter, ac cum pietate fiant, ſalutem animarum, religionis zelum, perpetuum cultum diuinum, clauſuram, obedientiam, & cetera omnia quæ ad mores, correctionem, & religioſorum ædificationem pertinent, procurando.

Neceſſaria eis ſubminiſtrari. Hæc ſtatuit etiam Gregor. XIII. cit. in rub.

§.15. Quibus in rebus vbicumque non ſunt menſæ cõuentuali aſſignati redditus qui hoc onus ferre poſſint, Abbates & Commendatarij, ac alij quicumque adminiſtrationem ſpiritualium & temporalium viſitandorũ monaſteriorum habentes, neceſſaria omnia miniſtrare, ac cõtributiones & ſumptus pro gerendis aliis communibus negotiis

Digitized by Google

negotiis Apostolicæ Sedis auctoritate impositas, ac etiam brachij sæcularis adhibitionem præstare, Visitatores, ac solitos & necessarios ipsorum famulos, & iumenta debita hospitalitate recipere, & eisdem in omnibus auxiliari omnino debeant, & ad id etiam censuris & pœnis Ecclesiasticis per Capitulum, ac etiam per ipsos Visitatores compellantur.

Commendatarios nihil de necessariis Monachis detrahere, aut numerii eorū minuere, neque eos viicere posse.

§.16. Ne porro deferendi monasterij occasio Monachis præbeatur, quod ex vagandi libertate illis à Commendatariis oblata, vt expensis parcant, plerumque euenit, præcipimus & interdicimus ne vlli omnino Commendatarij quicquam, vel minimum de mensa, & aliis necessariis detrahant, neque vllo modo numerum diminuant, aut quempiam etiam propter delictum eiiciant. Sed quotiescumque Monachi quid admiserint, quod quidem animaduersione dignum sit, id quamprimum Priori claustrali, vel, si grauius sit delictum Visitatori significent, qui correctionem iuxta Ecclesiæ, & Ordinis prædicti statuta faciat. Quod si vlterius vltra sex menses distulerit, eo ipso sit ab eo officio depositus, & ad illud ceteraque omnia Ordinis eiusdem officia triennio inhabilis censeatur, statimque Præsidentes, correctionem huiusmodi aliis committere teneantur.

Tertiam vel quartam partem redditūū omnis Monasterij, in eius refectionem, & deinde iuxta Concil. Trid. exponi.

§.17. Prædicta autem tertia vel quarta pars redditiuum omnis monasterij in Commendam concessi & concedendi, ex ipsamet proprietate, prædictorum superiorum cura & solicitudine exigatur, & ex eis prædicta pecunia conficiatur, eaque quoad ædificia omnia refecta erunt, in id opus impendatur. Eo vero perfecto ipsa tertia vel quarta pars iuxta Concilij dispositionem, & literarum prædictarum tenorem, annis singulis eadem cura conuertatur.

Archiuium in Conuentu Cistercij constitui, & ibi indicē bonorum cuiuscumque Conuentus poni.

§.18. Postremo volumus & mandamus, vt monasterium Cistercij cōstituatur, constitutumve restituatur Archiuiū, in quo index ordine compositus omnium aliorum monasteriorum, prioratuum, Ecclesiarum, & beneficiorum d. Ord. in omni parte orbis constitutorum, etiam in Commendam obtentorum vel vnitorum habeatur, & item distinctum cuiusque inuentarium siue repertorium bonorum, proprietatum, rerum, iurium & actionum omnium, necnon exemplum authenticum instrumentorum, priuilegiorum, fundationum, donationum, literarum, auctoritatum & monimentorum quorumcumque conficiatur, confectumque fideliter asseruetur.

Hoc statuit etiam Gregor. XIII. cit. in rub.

Indulta omnia quoad proprietatem irrita remanere.

§.19. Quia vero proprietas omnium malorum radix vbicumque gliscit, omne bonum in regula quamuis bene instituta peruertit, ideo ne hoc quoque sicubi habetur, ad perfectionem prædictorum obstare possit, reuocamus & abolemus omnia & quæcumque priuilegia, auctoritates, licentias, dispensationes, & indulta cuiusque priuati rerum & bonorum vsus, proprietatis, possessionis & dominij, omnibus cuiuscumque gradus & dignitatis Monachis d. Ord. per quoscumque Rom. Pontifices prædecessores nostros, ac nos & Sedem prædictam, eiusve Legatos ex quibuscumque causis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia concessa, confirmata & innouata, quibuscumque concepta formulis, ac clausulis & decretis suffulta, quorum omnium tenores præsentibus habemus pro expressis, ac volumus illa omnia vires, & effectum de cetero non habere; quin etiam Visitatores, & ceteros omnes, qui in huiusmodi proprietarios seuere non animaduerterint, ad huiusmodi officia & alia ipsius Ordinis ministeria perpetuo inhabiles esse.

Hoc statuit etiam Bened. XII. in const. 3. Fulgens. sup. lib. 1. & Greg. XIII. cit. in rub.

Obseruantiāque omnium prædictorum executioni demandari.

§.20. Quocirca Cistercien. & cæteris omnibus Patribus Abbatibus, & Visitatoribus d. Ord. edicimus, vt pro se quisque omnia prædicta studeant implere. Omnibus autem nostris, & prædictæ Sedis Legatis & Nunciis vbicumque existentibus, necnon Ord. prædicti Conseruatoribus ab ipsa Sede constituris & constituendis, ipsorumque singulis per Apostolica scripta mandamus, vt præsentes literas, vbi, & quando opus fuerit, ac quotiescumque pro parte Abbatum, Definitorum, Visitatorum, & aliorum prædictorum seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, ipsisque efficacis defensionis præsidio assistentes, prædicta omnia in omnibus Regnis & Prouinciis sedulo exequantur, & quæcumque alia quæ ad Religionis incrementum ipsis vtilia vel necessaria videbuntur, vbique locorum statuant. Et præterea Abbates & Commendatarios cuiuscumque dignitatis, gradus, & conditionis fuerint, ad prædictorum omnium præstationem etiam per subtractionem prouentuum, ac censuras & pœnas præfatas, ceteraque opportuna iuris & facti remedia, omni & quacumque appellatione postposita compellat, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Cetetum vt vicina plebs egena pro religionis consuetudine & instituto confoueri possit, ac ceteri piam & fidelem rerum administrationem collaudare possint, prædictis Commendatariis præcipimus, vt in suis monasteriis pauperes eleemosynis pro modo facultatum prosequantur. Decernentes prædicta omnia inuiolata & immutabilia perpetuo consistere, necnon irritum & inane, si secus per præfatos aut quoscumque alios quauis auctoritate fungentes, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio cōtrariorum.

§.21. Non obstantibus piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. de vna, & in concilio generali edita de duabus dietis, aliisque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac d. Ordinis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, quodque aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad præstationem prædictorum minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; & quibuslibet aliis priuilegiis, conseruatoriis, exemptionibus, indulgentiis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis irritantibusque, & aliis decretis in genere vel in specie, etiam Motu proprio, aut etiam consistorialiter, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innouatis; necnon concordiis, conuentionibus, pactis & aliis obligationibus, etiam vt prædictum est roboratis, per quæ præsentibus non expressa aut omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ omnia ad effectum omnium suprascriptorum penitus abrogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Quia vero difficile nimis esset præsentes quocumque opus illis erit perferre, volumus vt illarum exempla, etiam impressa, Notarij publici, vel Secretarij dicti Abbatis Cistertij manu, & eiusdem Abbatis, vel Capituli alteriusve Prælati Ecclesiastici, aut eius Curiæ sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem in iudicio & extra illud vbique locorum faciant, quam ipsæ præsentes facerent si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1570. 8. Idus Martij, Pontificatus nostri anno 5. *D. P. An. 5. die 8. Martij.*

Reformatio Ordinis Fratrum Seruorum B. Mariæ Virginis. CIII.

Reformationis decreta latius sunt definita, atque plenius præscripta in const. 60. Clem. VIII. Nullus. vbi omnino videat, quia in apostillis vix potuissent hic indicari.

Alia de hoc Ordine notaui ad const. 1. Benedicti XI. *Dum leuamus.* sup. tom. 1.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.* *Edita An. D. 1570.*

Congregatio huius Ord. fuit sublata.

POstquam nos Deo auctore Ordinem Fratrum B. Mariæ Seruorū, antehac in duas familias diuisum, antiquato Congregationis nomine quod altera sibi asciuerat, in vnū idemque corpus, ac in vnam eamdemque familiam, vni dumtaxat capiti subiectum sub eadem Regulari disciplina reduximus, expedit certa quædam incommoda, quæ bonū omne in Religione peruertunt, excidere, vt deinceps omnes communibus institutis, & legibus suæ professioni magis conuenientibus viuentes, salubrius dirigantur.

Reformatio ipsius Ord. subsequitur.

§.1. Quocirca cum omnis Religio priuatæ proprietatis vsu labefactetur & corruat, nos ad illam ex dicta familia exterminandam, ac simul emendandos eos qui

Digitized by Google

de officiis,& munetibus ambitiosè obtinendis iampridem inoleuerunt, & alios nocentes eius mores, nouosque inducendos ante omnia intenti.

Reuocatio omnium indultorum aliquid priuatim retinendi.

§.2. De nobis attributæ potestatis plenitudine reuocamus & abolemus omnia & quæcumque priuilegia, dispensationes, licentias, permissiones, & indulta habendi & retinendi priuatum dominium, vsumfructum, possessionem & proprietatem quorumcumque bonorum immobilium, mobilium, & se mouentium, necnon domorum, cellarum, hortorum, pecuniarum & aliarum rerum, Generali, Prouincialibus, Conuentualibus, Prioribus, ac aliis Fratribus, etiam causa senij, infirmitatis, vel cuiuscumque pij operis prætextu vel intuitu, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & Sedem Apostolicam, eiusque Legatos, vel etiam dicti Ordinis Superiores, etiam Motu proprio, & ex certa scientia concessa, confirmata & innouata, quibuscumque cõcepta formulis, ac clausulis & decretis suffulta, quorum omnium tenores habemus præsentibus pro expressis; volumusque illa omnia & singula, vires & effectum de cetero non habere. Quin etiam Fratres prædictos, quicumque sint, priuato & bonorum, & rerum omnium prædictorum, quomodocumque acquisitorum & ad eos obuentorum, dominio, vsu, vsufructu, proprietate, titulo & possessione priuamus, dictaque possessione amouemus, & amotos nunciamus, resque, & bona ipsa omnia in communes suarum cuiuscumque domorum, & prædicti Ordinis vsus conuertenda concedimus. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ Generali, Prouincialibus, & Conuentualibus Prioribus supradictis, vt rerum & bonorum omnium prædictorum possessionem, nomine domorum & locorum suorum capiant. Et illa illorumque fructus in communes Conuentuum vsus conuertantur.

Prohibitio quicquam priuatim habendi.

§.3. Ceterum præcipimus atque interdicimus, ne deinceps vllus omnino Fratrum prædictorum, siue priuatus, siue Prioris Conuentualis, siue Prouincialis, aut Generalis officio fungens, etiam prætextu huiusmodi priuilegiorum, dispensationum, permissionum & indultorum, seu inueteratæ consuetudinis, aut quacumque alia causa, proprium quicquam aut priuatum, neque ædes, siue in claustro siue alibi, separatas habeat, sed omnia vbique communia sint, & quisque vnica cella eademque cum ceteris aliorum Fratrum coniuncta, nudis omnino parietibus, ac lectulo & mensa humilibus, quemadmodum pauperes Religiosos decet, contentus esse debeat.

Cameræ redigantur in cõmune Dormitorium.

§.4. Proinde Cameræ siue ædiculæ, quæ extra Dormitorium separatim sunt, ad officinas, aut alias ad communem vsum & commoditatem cuiusque Conuentus redigantur, vel si cellæ communis Domitorij pro Fratrum numero non sufficiant, & illæ Cameræ, vel ædiculæ, ad formam communis Dormitorij aptari possint, in Dormitorium commune redigantur; sin minus destruantur, ac materia & cementa ad fabricam Conuentus, si opus fuerit, conuertantur, vel vendantur, & pretium ad communem vsum Conuentus conferatur.

Ambitus recedant & munera.

§.5. Sed nec vlli omnino ambitus fiant, aut pecuniæ etiam pro confirmationibus, sigillo, vel scriptura, aut quacumque alia re vel causa soluantur, aliæve pactiones, seu promissiones intercedant, seu munera, aut xenia quocumque modo mittantur, neve quisquam, etiam in officio existens, pecunias, aut quicquam aliud de Prouincia seu domo sibi commissa, vel aliunde Priori Generali, seu alij cuicumque conferat, vel remittat. Quicumque secus fecerint, in pœnam priuationis Prioratuum & officiorum omnium incidant, & ad futura inhabiles habeantur, & pro culpis etiam tamquam fures puniantur, prout nos illos priuatos & inhabiles declaramus eo ipso; procurationibus tamen, Generali ex vniuerso Ordine, ac Prouincialibus Prioribus ex sua cuique Prouincia, & Visitatoribus ex domibus & locis visitandis debitis, nequaquam per præsentes sui latis.

Superiores dispensare valeant Prædicatores, & Lectores, & Officiales, circa recitationẽ diuini officij in communi.

§.6. Ad reformandos autem alios dicti Ordinis mores vlterius progrediendo, ex iis quæ pro salubri huius Religionis statu, & felici directione alioqui instituta hucusque reperiuntur, quæ nec præsentibus contraria sunt, nec illorum effectum impedire possunt, nihil omnino detrahere, sed illa immota custodiri volentes, de simili potestatis plenitudine statuimus & ordinamus, vt Fratres omnes, etiam Superiores, & quicumque priuilegiati, nisi tempore Quadragesimæ & Aduentus Domini prædicationis munus obierint, omnibus diuinis officiis, diurnis & nocturnis interfint, aliis vero temporibus cum ipsis Prædicatoribus, & Lectoribus, iis diebus quibus prædicant & legunt, Superiores pro arbitrio dispensare possint. Ipsis etiam Superioribus, & aliis Officialibus, eo tantum tempore quo actu in negotiis Conuentus & Ordinis occupati sunt, aliquid remittatur.

Diuina officia iuxta institutum celebrentur.

§.7. Missæ, Matutinum, & aliæ horarum Canonicarum preces, Processiones, Anniuersaria, & Defunctorum memoriæ, integræ suo debito tempore attente cum cantu solemni, in diebus quibus conuenit, iuxta regulam a dictorum Fratrum instituta celebrentur, nec satis habeat quæque domus, Missas siue fundatione, siue statuto, siue consuetudine debitas, vel præscripto Superioris Conuentus designatas dumtaxat celebrasse, sed Fratres omnes Sacerdotes, Missam etiam non adstricti frequentissime celebrẽt.

Confessiones, communiones, & ieiunia seruentur.

§.8. Clerici & Conuersi, semel in Hebdomada peccata sua confiteantur, & singulis saltem mensibus sacram Eucharistiam sumant. Ieiunia iuxta suam regulam, & constitutiones omnino seruent.

Numerus Fratrũ cuiusque Domus præscribatur.

§.9. In quaque domo pauciores Fratres non sint duodecim. Si qua autem domus hunc familiæ numerum alere non potest, Fratres cum bonis ex ea domo in aliam transferantur, prouisione adhibita ne Ecclesiæ destruantur, sed ad eius populi commoditatem conseruentur. Permittimus tamen, vt in domibus quæ iter facientibus Fratribus commodæ sunt, saltem quatuor Fratres non minores quinquaginta annis, constanti & probata vita maneant, si plures ea domus alere potest. Nullæ porro domus supra vires onerentur.

Prædicationes habeãtur singulis diebus festiuis.

§.10. In singulis domibus omnibus Dominicis, & festis diebus prædicationes verbi Dei habeantur.

Lectiones quæ in studiis generalibus, & aliis.

§.11. In maioribus Studiis Regentes duas lectiones Theologicas interpretentur, alteram practicam veluti de Sacramentis, vel de vita sancte rectequeinstituenda, alteram vero speculatiuam, ex Catholicis & approbatis Doctoribus, Superioris arbitrio statuendis; in minoribus vero vna lectione ex Theologia practica contenti sint.

Exercitium circa casus conscientiæ.

§.12. Ceterum curent Superiores, vt in singulis Conuentibus Fratres maxime in conscientiæ casibus, & reliquis quæ ad audiendas confessiones pertinent, ob rei grauitatem & necessitatem, summo studio ac diligentia exerceantur.

Catechismus legatur diebus festiuis.

§.13. Singulis item diebus festis Romanus Catechismus ad Parochos, in singulis Conuentibus legatur.

Libri prohibiti non teneantur.

§.14. Siqui Regentes & Lectores, aut alij Fratres, libros prohibitos habere sine speciali Sedis Apostolicæ licentia fuerint deprehensi, vltra pœnas iuris communis, & quæ à Sancto Officio Inquisitionis hæreticæ prauitatis talibus imponuntur, perpetuo munere legendi, prædicandi, & confessiones audiendi priuati existant, ad omnia item officia inhabiles actiua voce careant & passiua.

Forma promouendi ad gradus, & qualitates promouendorum.

§.15. Nullus ad aliquem gradum promoueatur, nisi ætate, vitæ probitate, & literatura præstans, & in eis probatus per examen diligens à Priore Generali, seu ab aliis qui per eum huic muneri ordinabuntur faciendum, deinde in Capitulo generali publice iterandum. Ætas autem & tempus studij, ac cursus exprimatur; & præterea probetur quod promouendus nulla vnquam infamia, seu sinistra opinione fuerit maculatus. A promouendis ad gradus huiusmodi nihil omnino exigatur, nec etiam sponte oblatum accipiatur; verum tamen si promotione facta Conuentus promotorum, aliquid Religioni donare voluerit, id quicquid sit Procuratori generali Ordinis tribuatur, vt ad leuationem onerum, & omnium sumptuum Religionis conferatur; eodem Procuratore, acceptorum & expensorum rationem, Priori generali, & Definitoribus reddituro. Ceterum omnes à decem annis promori, rursus per probos & idoneos viros à Priore generali in quaque Prouincia constituendos examinentur, & qui saltem mediocri scientia in Theologia præditi reperti non fuerint, vsu, & exercitio gradus suspendantur, nec debeãt priuilegio gradus huiusmodi gaudere. Caueãt præterea Superiores licentiam vlli Fratri concedere, vt ad aliquos ordines sacros, siue maiores siue minores, promoueri possint, nisi ille in ætate legitima constitutus, &

Digitized by Google

& literatura ad eos requisita præditus sit, habeatque omnia quæ à sacris canonibus regularibusque institutis requiruntur; aliter promotus ab suorum ordinum executione suspendatur, & licentiam concedens officio deponatur, & per sexennium inhabilis ad omnia officia habeatur. Sed & nostra constitutio, qua cauetur, ne quis regularis ante emissam à se expressam professionem regularem, ad sacros ordines promoueri possit, inuiolabiliter obseruetur.

Confessorum qualitates.

§. 16. Sacerdotes ad audiendas peccatorum confessiones ordinandi, vita, moribus & literatura probati, & quoad mulieres ætatis prouectæ habeantur. In omni domo huiusmodi Sacerdotes ex prædicto Ordine constituantur, qnibus & non alij Fratres omnes peccata sua debeant confiteri.

Priorum officium durat biennio.

§. 17. Priores omnes numquam vltra biennium durent, sed biennio functo ipsorum officium vacet; nec ad illud met in eodem Conuentu in sequens protinus biennium rursus constitui possint.

Fratres non senes vltra biennium non manaant in eodem Conuentu.

§. 18. Nulli item Fratri in eodem Conuentu plus biennio manere liceat, exceptis sexagenario maioribus, quibus aliquid ex causa, Superioris arbitrio, poterit condonari.

Forma administrandi Cõuentus.

§. 19. Adhæc nullus omnino Priorum administrationem bonorum, & aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum & reddituum suæ domus, etiam nomine Conuentus, per seipsum habere siue exercere, vel sese in eis interponere possit, sed vniuersum id onus tribus Religiosis à Priori generali ita demandetur, vt primus, rerum & bonorum, inferendorumque in eam reddituum curam habeat, alter tamquam depositarius, pecunias ac cetera ab illo importata fideliter asseruet, reliquus de pecuniis & rebus à Depositario captis, Priori & Fratribus, ac domui vniuersæ de necessariis veluti dispensator prouideat, mandante tamen ipso Priore; qui vnicuique non secundum proprium affectum, sed charitatis regulam prouideri curabit officiorum huiusmodi inuicem confusione penitus interdicta.

Forma reddit. administrationis rationes.

§. 20. Ceterum ij tres tàm impensi quàm accepti singulis mẽsibus suo Priori, adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus eiusdem domus probatioribus, rerumque vsu peritis; deinde ipsemet rursus præsentibus Priore, & peritis prædictis, Priori generali, vel Prouinciali, vel Visitatoribus, quotiescumque visitationis officium fecerint. Denique ipse Prior generalis in omni proximo Capitulo generali saltem coram tribus Iudicibus ab ipso Capitulo constitutis illorum omnium, & etiam vniuersæ administrationis suæ, tàm publice quàm priuate rationem reddere teneatur.

Donata, & relicta Fratres consignent Superioribus.

§. 21. Pecuniæ omnes & quæcumque aliæ res cuicumque priuatim, etiam intuitu personæ vndecumque douatæ, siue relictæ fuerint, Superiori, horarum vigintiquatuor interuallo exhibeantur, qui illas statim Depositario committat & inde tamen exhibitori ministrari iubeat, quantum rei conuenientis præsens necessitas videbitur postulare.

Fratres omnes in Refectorio communibus epulis vescãtur.

§. 22. Fratres omnes, etiam Superiores, quomodocumque priuilegiati, ægrotis tantum exceptis, in Refectorio cibum capiant, & communi mensa vtentes communibus epulis vescantur. In primis autem senum & ægrorum, necnon Prædicatorum & locorum cura habeatur, ita vt nihil eorum necessitati & commoditati desit. Omnes prædicti, quocumque gradu & honore sint, camisiis laneis, & reliquo vestitu vniusmodi, eodemque honesto & professioni conuenienti, omni præterea supellectile, & instrumento pauperi atque humili vtantur. Nullus priuatum hortum habeat, sed omnes omnibus domus sint communes præterquam quoad imfirmariam, & nouitios, qui hortum siue viridarium seiunctum habere possint, in quo ceteri nullatenus ingrediantur.

Nouitij qui, vbi, & quãdo recipiẽdi, & quomodo instruendi sint. Ad hoc vide bullã Sixt. V. n. 71. & alias ibi indicandas.

§. 23. Nouitij etiam oblati ante decimumoctauum ætatis suæ annum completum non recipiantur, neque ante decimumnonum completum ad professionem admittantur. Qui hactenus recepti, etiam oblati, decimumquintum annum non compleuerint, dimisso habitu Religionis, domum ad parentes & necessarios etiam inuiti remittantur, vel alias omnino emittantur, nec postea in ædibus vnde exierint, aut in aliis eiusdem Ordinis domibus, vllo modo debeant conuersari. Laici, qui vigesimum quintum annum non attigerint, ad seruiendum non accipiantur, & qui recepti, etiam nunc ea ætate minores sunt, reiiciantur. Nouitij non admittantur, aut educentur nisi in Conuentibus insignioribus, in quibus dormitorium, & capitulum habeant omnino separatum, cuius ingressus aliis Fratribus sit penitus interdictus. In eisdẽ domibus sit vnus Magister ætatis prouectioris, moribus & doctrina præditus, qui diligentem habeat prædictorum Nouitiorum curam, & illis præsit. Ipsi autem in grammatica, cantu, cæremoniis, & iis quæ ad Christianam disciplinam faciunt, instruantur; nec è loco nouiciatus, nisi ad Ecclesiam, Refectorium, & ad publicas processiones, & interdiu ad aliquam honestam recreationem, cum fida custodia exire debeant.

Vestiarium Fratrũ quale esse debeat, & quarum vestes.

§. 24. In quaque domo sit vnum vestiarium commune, in quo omnia omnium Fratrum vestimenta conferantur; vniusmodi sint, eademque nulla exquisita arte laborata, sed simplicia & honesta, ita vt nec vnum ab altero distinguatur. Cui vestiario Custos præficiatur, qui munditiæ, refectionis & distributionis eorumdem vestimentorum curam gerat.

Forma seruãdi scripturas & res eccles.

§. 25. In omni domo, locus tutus cũ armariis, seu capsis habeatur, in quibus scripturæ, priuilegia, contractus, & omnia iura ad domum pertinentia, itemque res pretiosæ Ecclesiarũ, etiam sacræ, cum suo inuentario seu repertorio authẽtico asseruẽtur, præter eas, quæ quotidiano sunt Ecclesiæ vsui necessariæ, & quæ in Sacristia, & per Sacristam custodiantur; ita tamen vt res sacræ à profanis distinguantur. Huius autem loci tres sint claues, quarum vnam Prior, alteram Depositarius, tertiam Procurator domus habeat. Simili quoque modo inuentarium bonorum mobilium cuiusque Ecclesiæ & domus, necnon immobilium, & quorumcumque iurium ad Conuentum pertinentium, in forma probanti conscribatur, deque eo exemplum authenticum fiat duplicatum, vt alterum in propria domo remaneat, alterum vero in Archiuio insignioris, seu principalis domus eius Prouinciæ reponatur.

Infirmaria in quocumque Conuentu constituatur.

§. 26. In omni domo, infirmaria commodo loco constituatur pro Fratribus infirmis, cui infirmarius ordinetur, per quem domus ipsa de illis omnibus, quæ ad animæ & corporis infirmorum salutem; commoda & necessaria sunt, charitatiue prouideatur.

Prioris officia circa Eccles. & earum ornamenta.

§. 27. Postremo Prior cuiusque domus præcipuam curam gerat, vt Ecclesiæ in suis structuris conseruentur, & reparentur: mundæ præterea & expurgatæ, vti decet, contineantur, atque illis de libris, vasis, ornamentis, & aliis ad Altaris ministerium, & diuinum cultum pertinentibus prouideatur, quæ pariter munda & nitida conseruentur.

Res Sacristiæ non alienentur.

§. 28. Res Sacristiæ, cuiusuis generis sint nullo modo alienentur, nec pignori opponantur, nec vllo modo alicui accommodentur, sed solum Ecclesiæ propriæ seruiant.

Decretum irritans.

§. 29. Decernentes irritum & inane quicquid secus per quoscumque, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Fratres omnes seruent hanc reformationẽ.

§. 30. Quocirca Priori generali, ac omnibus Fratribus prædictis per Apostolica scripta mandamus, vt quisque pro se præsentes literas humiliter recipiant, & quæcumque in eis statuta, decreta, & mandata sunt, alia desuper à nobis non expectata iussione, aut mentis nostræ declaratione, firmiter custodiant, & in omnibus studiosè obedire procurent.

Prior generalis deputatus executor huius constit.

§. 31. Quinetiam eidem Priori generali cõmittimus vt ipse easdẽ præsẽtes, in proximo & deinceps futuris generalibus & prouincialibus Capitulis, & frequenter in omnibus domibus, publice legere, ac eas, & quicquid pro earum executione & obseruatione, tàm in ipsis Capitulis generalibus, vel etiam extra illa ab ipso adhibitis aliquot ex aliis Prioribus, vel Definitoribus prædictis, quos duxerit eligendos, statuetur, ordinabitur, & decernetur, in omnibus Prioratibus, ac ab omnibus & singulis Prioribus, Fratribus, & personis prædictis inuiolate faciat, per se vel alium seu alios obseruari. Contradictores quoslibet & rebelles, ac etiam protestantes, & reclamantes, eisque auxilium, consilium vel fauorem,

Digitized by Google

publice vel occulte, directe vel indirecte, quouis quæsito colore vel ingenio præstantes, tàm Ecclesiasticos, quam laicos cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, per sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas, ac etiam Prioratuum, dignitatum, & administrationum priuatorias ceteraque iuris & facti remedia opportuna, appellatione postposita compescendo. Quin etiam contendentes prædictos, in censuras & pœnas suprascriptas incidisse declarando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogatoria.

§. 32. Non obstantibus nostris de non tollendo iure quæsito, & de annali ac triennali possessore, aliisque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis prædicti iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque exemptionibus & indultis Apostolicis, illis, eiusque Superioribus & personis, eorumque singulis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & Sedem Apostolicam, etiam per modũ statuti perpetui, ac initi & stipulati contractus, ac alias, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis, in genere & in specie concessis, confirmatis, ac etiam aliis reformationibus, quotiescumque, ac quocumque tempore factis & promulgatis, ac quibuslibet aliis indulgentiis & literis Apostolicis, specialibus & generalibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum, seu dictorum Ordinariorum iurisdictio seu executio impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis. Quæ omnia contra earumdem præsentium tenorem nolumus cuiquam in aliquo suffragari.

Exemplorum fides

§. 33. Denique etiam volumus, vt ipsarum præsentium exempla etiam impressa, Capituli vel Prioris generalis, seu alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut eius Curiæ sigillo, & Secretarij cuiusuis eorum, vel Notarij publici manu obsignata, eamdem illam prorsus fidem vbique locorum, in iudicio & extra illud faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D P. An. 5. 30. Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1579. 3. Kal. Iunij, Pontificatus nostri anno quinto.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Dom. 1569. indict. 13. die vero 20. mensis Sept. Pont. Sanctiss. in Christo Patris & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno 5. retroscripta litera Apostolica affixa, & publicata fuerunt ad valuas Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apost. & in acie Campi Florę, vt moris est, per me Scipionem de Ottauianis, & Ioan. Andream Rogerium prafati S. D. N. Papæ Cursores.

Ant. Clerici Mag. Curs.

LXIV. Declaratio & ampliatio Conc. Trid. cap. 14. sess. 24. de prohibitione aliquid exigendi vel petendi, in collatione aliaue prouisione beneficiorum Ecclesiasticorum, vel ad illorum possessionem admissionem.

Ad hoc videri potest etiam Conc. Trid. sess. 21. c. 1. & sess. 24. cap. 18.

Alia ad materiam simoniæ beneficialis plene indicaui in const. 3. Iulij II. *Cum tam diuino.*

Edita An. D. 1570.

P I V S E P I S C O P V S, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

DVrum nimis & incommodum arbitramur, quod Ecclesiarum ministri in iis quæ ad ipsorum sustentationem suppeditant dispendia patiantur. Quocirca cum hanc ad rem, simulque prohibendam ab Ecclesia Dei auaritiæ prauitatem, editas ante hac sanctiones minime satis esse intelligimus, nouæ constitutionis subsidio cogimur prouidere.

Cõc. Trid. sess. 24. cap. 14. mandauit Episcopis vt prauas cõsuetudines & statuta, aliquid recipiendi in prouisionibus beneficiorum reiecerunt.

§. 1. Cum itaque alias ex plurium Ecclesiarum Cathedralium & collegiatarum constitutionibus, aut ex praua consuetudine obseruari intelligeretur, vt in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia prouisione, siue admissione ad possessionem alicuius Cathedralis Ecclesiæ, vel beneficij, canonicatuum, aut præbendarum, vel partem prouentuum, seu ad distributiones quotidianas certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus solutiones, promissiones, compensationesve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra, interponerentur, licet Sancta Synodus hæc detestata, mandauerit Episcopis, vt quæcumque huiusmodi quæ in vsus pios non conuerterentur, atque ingressus eos qui simoniacæ labis, aut sordidæ auaritiæ suspitionem haberent, fieri non permitterent, ipsique diligenter de eorum constitutionibus, siue consuetudinibus super prædictis cognoscerent, & illis tantum quas probarent exceptis, reliquas vt prauas & scandalosas reijcerent, eos vero qui aduersus prædicta quauis ratione commisissent, pœnis contra simoniacos editis teneri decreuerit, multorum tamen indomita cupiditate, tàm prædicta quàm alia ad beneficium & commodum ipsorum ministrorum edita aut omnino contemnuntur, aut in varios sensus traducta, perperam eluduntur.

Hic Pont. modo renocat cõsuetudines, &c. cõtr. huiusmodi.

§. 2. Quare nos pro diuini cultus exercitio, simulq; euocatorum ad illũ auxilio plenius euidentiusque consulendum fore rati, reuocamus & abolemus omnia & quæcumque priuilegia, consuetudines, & statuta quarumcumque Ecclesiarum Cathedralium & Metropolitanarum, ac maiorum, necnon Collegiatarum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, aut alio quouis præsidio munita, ac etiam supra hominum memoriam, & longissimo, ac quantocumque tempore etiam continuo obseruata, siue pro soluendis Ecclesiarum, vel Prælatorum debitis, siue pro supportandis illorum oneribus, siue aliis etiam maioribus, maximis & vrgentissimis causis concessa & approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innouata extensa & moderata, quod vacantibus ipsarum Ecclesiarum dignitatibus, canonicatibus, præbendis, portionibus beneficiis, & officiis, fructus ac etiam quotidianæ distributiones ex eis primo ab ipsa vacatione anno, aut longiore, vel etiam breuiore tempore prouenturi, mensæ Episcopali, seu Capitulari, aliove loco, integre vel partim remaneant, seu applicentur, aut in communes vsus cedant, seu inter alios Canonicos, & personas Ecclesiæ, seu Capituli diuidantur. Quodque nullus etiam Apostolica auctoritate prouisus in Canonicum recipi, aut ad dignitatem, seu portionem, beneficium, vel officium admitti, vel alias in eius possessionem induci possit, nisi prius de obseruandis huiusmodi priuilegiis, consuetudinibus & statutis iuramentum præstiterit, & obtentæ illorum derogationi, ac fructuum, & distributionum perceptioni renunciauerit, seu Capitulo, & personis prædictis cesserit, seu (vt appellant) dulciaria, aut quid aliud præstiterit quorum omnium tenores, causas & effectus habemus præsentibus pro expressis, quibuscumque illa concepta sint formulis, necnon irritantibus, & aliis decretis roborata. Volentes ea omnia vires & effectum de cetero non habere.

Pœnasque aliquid recipientibus imponit.

§. 3. Præcipimus igitur & interdicimus omnibus Episcopis, Capitulis Collegiis & personis ad quos id pertine, ne posthac fructus, aut distributiones huiusmodi, nec prorsus vllam eorum partem retineant, neve ipsorum cessionem, vel renunciationem, aut dulciaria, vel alia quomodocumque petant vel exigant, aut quemquam siue Ordinaria, siue Apostolica auctoritate prouisum, ad præstandum huiusmodi iuramentum inducant, aut illi prædicta non facienti possessionem impediant, vel remorentur. Quicumque cõtrafecerint, si Ecclesiarum Antistites, tamdiu à Pontificalis officij exercitio sint suspensi, donec satisfactione præuia illis per Sedem Apostolicam suspensio relaxetur. Capitula vero & Collegia quæcumque Ecclesiastico subiaceant interdicto, ac singulares personæ in excommunicationis sententiam incurrant, à qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam à Rom. Pont. absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes huiusmodi præstita iuramenta

non

Digitized by Google

non tenere, nec quemquam illis obligari, quinimmo iurantes in huiusmodi censuram incidere, necnon irritum & inane quicquid secus super his per quoscumque scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Declaratio prædictorum. §.4. Et nihilominus statuimus, vt vbicumque huiusmodi fructus & distributiones Fabricæ, vel Sacristiæ, aut alterius pij loci vsibus vltra semestre tempus reperiuntur concessi, horum dumtaxat dimidia pars ipsi Sacristiæ, vel Fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero beneficiati prædicti integre percipiant.

Derogatio cõtrariorum. §. 5. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, decreto prædictæ Synodi, ac etiam constitutione fel. rec. Io. Papæ XXII. quæ incipit, Suscepti, & aliis iuribus hac de re disponentibus nihilominus alias in suo robore duraturis.

Alia declaratio. §.6. Ceterum per prædicta non intendimus illis præiudicare Capitulis, Collegiis, mensis, aut personis, fructus & distributiones inter vacationem beneficiorum, & eorum collationem, siue possessionis apprehensionem prouenientes ex statuto, consuetudine vel priuilegio huiusmodi percipientibus, vel retinentibus, quo minus ipsi illos interim vt antea exigere valeant & habere.

Transumptorum fides. §. 7. Postremo volumus, vt præsentium exempla etiam impressa, Notarij publici manu, & Prælati Ecclesiastici, eiusve Curiæ sigillo obsignata eamdem illam prorsus fidem vbique locorum in iudicio & extra illud faciant, quam facerent ipsæmet præsentes, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio pœnalis. §. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, abolitionis, præcepti, interdicti, decreti, statuti, intentionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. P. A 5. die 31. Maij. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1570. Kal. Iunij, Pontificatus nostri anno 5.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Dom.* 1570. *indictione* 13. *die vero* 13. *Iulij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno* 5. *retroscriptæ litere Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Principis Apostolorum de Vrbe, ad valuas Ecclesiæ Sancti Ioannis Lateranensis, & ad valuas Cancellariæ Apostolicæ & in acie Campi Floræ, per nos Scipionem de Octauianis, & Antonium Clerici Cursores Apostolicos.*

Stephanus de Olea Mag. Curs.

LX.

Innouatio Officij Summatoris literarum Apostolicarum, vni ex Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus de cetero conferendi, cum indultorum, gratiarum & iurisdictionis in suos Officiales concessione.

Hoc officium perpetuum vacabile esse voluit Alexander VI. in const. 10. In eminenti. *sup.*

Edita An. D. 1570. *PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. POntifice dignum est, & Romanæ Sedis Maiestate, illius officia augere, & locupletare, vt ipsorum nobilitas, & suscipiendorum ad ea Illustrissimorum virorum splendor Romanæ Ecclesiæ dignitatem faciat ampliorem.

Officium Summatoris ab Alex. VI. erectum fuit, in perpetuum & vacabile, vt in eius bulla indicauimus in abr. §. 1. Quod nos in animo cogitantes, vnum ex omnibus magni momenti animaduertimus officium Summatoris literarum Apostolicarum à fel. rec. Alexandro Papa VI. perpetuum effectum, quod per assumptionem dilecti filij nostri Petri Donati tit. S. Vitalis in S.R.E. Presbyterum Cardinalem Cæsium nuncupatum, vacare proxime decreuimus, vnius solius arbitrio moderari, in quo dirigendo, egregij vnius viri auctoritas, peritorũ auxilio subnixa magnopere expediret. Quocirca eidem officio nouam formam, eamdemque excellentiorem, atque vtiliorem inducere, simulque ipsum ita promouere, & amplificare instituimus, vt cum ceteris officiis & muneribus, quæ supremi Ordinis viris conueniunt merito cœquetur.

Et concessit Summatori priuilegia Scriptorum literarum Apostolicarum. §. 2. Cum igitur in prædicta perpetuatione, idem Ale- Papa inter alia statuerit, vt quicumque illud obtinere de eo quemadmodum literarum prædictarum Scriptores, de officio Scriptoriæ disponeret. &c. Idem quoque omnibus priuilegiis, exemptionibus, prærogatiuis, Immunitatibus, facultatibus, graciis & indultis, Collegij dictorum Scriptorum omni tempore frueretur.

Aliaque Summatori indulta hic enũciata data fuerunt. §. 3. Ad hæc nonnullis, qui dictum officium postea habuerunt inter alia sit concessum, quod officium ipsum, etiam per alium, seu alios regere & exercere singulis Cãcellariæ Apostolicæ diebus, & quandocumque sibi videretur expeditionem extraordinariam dictarum literarum facere possent, eaque de causa Bullator ad Summatorem quotidie veniret, qui captas ab ipso literas, bullare deberet. Porro nullus alius ad exercitium, regimen, subreuisionem, aut superintendentiam dicti Officij, etiam boni publici, aut alia quacumque maiori, magisque considerabili causa à Romano Pontifice directe vel indirecte vspiam constitueretur, neque in eo sese interponere vllo modo posset, nec vllæ omnino literæ quantumcumque secretæ, nisi prius à Summatore examinatæ expediri deberent. Nullusque Secretarius, siue domesticus, siue de numero participantium, aut alius quisque literas plumbatas, nisi in Officio prædicto expeditas registraret, secus faciens crimen falsi incurreret, atque Officiorum suorum emolumenta amitteret, quæ ad Summatorem prædictum pertinerent. Ceterum pro omnibus literis per dictam Cameram expediendis merces ordinaria in dicto Summatoris officio dari solita, illis dumtaxat exceptis, quã statum Romanæ Ecclesiæ vel Catholicam fidem concerneret, integre persolueretur. A qua nullus Secretarius Papæ etiam domesticus, aut Scriptor, vel alius etiam maioris conditionis, & quocumque priuilegio fretus, exemptus censeretur. Quin etiam Summator ipse quæcumque salaria, recognitiones & iura à quibusuis Rom. Curiæ Officialibus, eorumque Collegiis præstari solita percipere, exigeret, & leuaret. Ac Officiales & Collegia ad eã soluenda, quacumque reformatione facta & facienda non obstante, compellere libere & licite valeret. Postremo idem Summator, vel ab eo in dicto Officio substitutus, mansionem, seu cameram alias solitam in Palatio Apostolico, necnon victum pro se & vno famulo in Tinello. Et præterea pro ipso Summatore panem & buccellas, singulis diebus, Prælatorum domesticorum instar, habere deberet. Ipsumque Officium, & quod ad illud dictum Summatorem ab omni onere etiam decimarum Papalium, etiam ratione fidei, & expeditionis contra infideles, aut sternendarum & reficiendarum viarum causa eximpta essent, neque ad illorum contributionem compelli possent, quemadmodum diuersis literis Apostolicis desuper confectis plenius continetur.

Hic modo Pont. insignioremstatum d. Officij induxit instituẽdo Præsidentem vnum. §. 4 Nos ad dictæ Sedis ornamentum, & salubriorem literarum prædictarum expeditionem, huius Officij statum perfectiorem, insignioremque constituere volentes. Motu proprio, & ex certa scientia nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine in ipso officio vnum Præsidentem, qui Summatoris pro tempore existentis vices gerat, ipsius Summatoris nutu, atque arbitrio sumendum, & remouendum.

Recognitores quatuor. §. 5. Item quatuor alia perpetua officia Recognitorum literarum prædictarum per proximum Summatorem dotanda perpetuo erigimus, & instituimus.

Quædam officia hic enunciata, valoris seu. 70. mill. d. officij Summatoris annuẽtis. §. 6. Ac Summatoris officio, vnum Secretariatus Apostolici de numero participantium, quod Marcellus Augustinus, & vnum præsidentis Annonæ, quod Anastasius Pozzuti, ac aliud simile, quod Hieronymus Lippomanus, & duo portionum Ripæ officia, quæ Marcus Cornelius dum viuerent obtinebant, per liberam resignationem dilecti filij Magistri Antimi Marchesani Datarij nostri in manibus

Digitized by Google

manibus noſtris ſponte factam, & per nos admiſſam, aut alias quibuſuis modis, & ex quarumcumque perſonis vacantia, necnon quæcumque, quotcumque, & qualiacumque alia dictæ Curiæ officia, ſimilia vel diſſimilia, & qualitercumque qualificata, ad diſpoſitionem Rom. Pōt. pro tempore exiſtentis, pertinentia, pretio concedi ſolita, quæ prædicta omnia, ſimul valorem ſeptuaginta millium ducatorum auri in auro conficiant, ab ipſo proximo Summatore conquirenda, & comparanda, ex nunc, & econtra perpetuo vnimus & annectimus & incorporamus. Ita vt quiſque Summator, qui pro tempore fuerit, itidem Secretarius, Præſidens, Portionarius, & omnium aliorum futurorum officiorum huiuſmodi titularius exiſtat illorumque omnium corporalem poſſeſſionem per ſe vel alium, ſeu alios propria auctoritate libere apprehendere valeat.

Recognitorib. prædictis dotē conſtituit.

§.7. Singulis vero quatuor officiis Recognitorum pro dote ipſorum decem, aut plura loca, ſeu portiones cuiuſcumque Montis, ſeu Montium in Vrbe, ſeu ditione temporali S. R. E. conſtitutorum non vacabilium, quorum fructus hic ſoluuntur, ſumptu eiuſdem proximi Summatoris conficienda & exhibenda, perpetuo applicamus, & appropriamus. Declarantes quod ſi dicto officio Summatoris tot alia, quæ ad valorem prædictum ſeptuaginta millium ſcutorum, vt prædictum eſt non aſcendant, vel ſi nulla alia quam prædicta, quæ iam vacarunt vniantur, nihilominus præſentes valere, & plenarium effectum ſortiri debere.

Indulta priuilegia, iuriſdictiones, emolumenta, &c. Summatorib. prædeceſſorib. competentia, huic Summatoris officio concedit & approbat.

§.8. Ceterum ex prædictis, & aliis quæ ad dictum Sūmatoris officium, quocumque modo pertinent, & in eo conſueuerint & obſeruantur, nihil prorſus detrahere, ſed illa ac omnia, & quæcumque priuilegia, facultates & auctoritates, exemptiones & indulta ipſi officio, & eius perſonis quomodocumque conceſſa confirmata & extēſa, quæ ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus habemus pro expreſſis, perpetuo ſtabilia & inuiolata eſſe intendentes, ac futuros omnes Summatores, & dicti officij perſonas, tàm coniunctim quàm diuiſim in illis omnibus potiri; ac etiam omnia & quæcumque iura, ſalaria, regalia, recognitiones, & emolumenta prædicta, & alias conſueta, & ab Officialibus, & Collegiis ſupradictis præſtari ſolita, quemadmodum prædictus Petrus Donatus Card. & quicumque ante eum Summatores, ampliſſime obtinuerunt, eodem modo, iure, & titulo habere & poſſidere volentes; quin etiam omnia & quicumque iura, iuriſdictiones, facultates, conſuetudines, & indulta dicti omicij, & illud, necnon expeditionem dictarum literarum concernentia, à quibuſcumque aliis, cuiuſcumque qualitatis, & conditionis, perſonis & officiis vſurpata, & quantocumque tempore vſitata, ad ius, & proprietatem ipſius reuocantes, perpetuo ſtatuimus & ordinamus, vt ad dictum officium vnus ex S.R.E. Cardinalibus aſſumatur, & dicta quatuor Recognitorum officia, cum quibuſuis aliis dictæ Curiæ officiis compatibilia ſint, & ad liberam Summatoris pro tempore exiſtentis diſpoſitionem omnino pertineant; qui etiam hac prima vice, & deinceps in perpetuum illa, ſeu per reſignationē, ſeu per obitum, ſeu quemcumque alium modum vacabunt, concedere, vendere, transferre, & de eis, ac ſuper eis cum quibuſcumque conuenire, paciſci & decernere libere & licite valeat, quemadmodum de aliis ipſius Curiæ officiis fieri conſueuit pro pretio concedantur, viros probos & peritos ad ea admittat, qui per ſuam quiſque, & alias pro materiarum qualitate. & rerum exigentia, eius vel Præſidentis arbitrio expeditioni incumbant.

Formam examinandi literas Apoſt. præſcribit.

§.9. Omnes literæ, quæ ſecundum communem in dicto officio curſum, abſque difficultate expediri conſueuerunt, ab illorum cognitore, qui tunc vicem obtinēbit, præſente Summatore, vel Præſidente, diligenter & accurate examinentur, & ipſi referantur, vt illis tunc demum ſubſcribat, & ipſas de more iubeat expediri.

Dubiaque deſuper occurrētia decidendi.

§.10. Ad ea vero dubia diſſoluenda, quæ in literis ipſis occurrere contigerit, Summator certum diem in ſingulas hebdomadas conſtituat, quo die coram ſe, ſeu Præſidente ſuo, omnes Recognitores conueniant; & præterea ſi ipſi Summatori viſum fuerit, aliquot alij egregij viri harum rerum vſum habentes ab eodem Summatore adhibeantur, vt dubia omnibus propoſita, cum maturo eorum omnium iudicio decidantur; grauioribus tamen, & obſtruſioribus dubiis, propter quæ Romanus Pontifex merito conſulendus erit, noſtræ & ſucceſſorum noſtrorum declarationi nihilominus reſeruatis.

Summatori etiam abſenti officium per ſubſtitutos exercenti facultatem concedit, & dictorum ſubſtitutorum auctoritatem deſignat.

§.11. Ad hæc omnis Summator, ſiue in dicta Curia præſens, ſiue ab ea quantocumque tempore abſens, etiam omnia officia prædicta vnita, præſentia & futura, quotcumque; & qualiacumque, ac etiam vnius & eiuſdem Collegij, per ſubſtiturum ſeu ſubſtitutos omnino exercere poſſit, qui menſtruis, ac omnibus aliis Congregationibus intereſſint, vota, vocem, & ſuffragia, tàm actiue quàm paſſiue habeant. Ad officia Refenſonatuum Menſariatuū, ceteraque omnia munera, functiones, & negocia, publica & priuata, etiam pro ſingulis eiuſdem Collegij officiis, etiam eodem tempore, & veluti principales admittantur, literis Apoſtolicis, & aliis ſcripturis, & inſtrumentis ſubſcribant, veſtibus & inſignibus Officialium cuiuſcumque Collegij in Palatio Apoſtolico, proceſſionibus, pompis, & aliis omnibus actibus, publicis & priuatis incedant, & ſedeant, & pro antiquitate præcedant, & prorſus omnia, vt principales faciant, & exequantur, pro ſingulis officiis etiam vnius, & eiuſdem Collegij quantumcumque in eo fuerint, quorum pluralitas & multitudo, nullum prorſus impedimentum ſibi inuicem, nullamque incompatibilitatem faciat, ſingula Congregationum, & munerum omnium emolumenta & ſalaria ordinaria & extraordinaria percipiant, & alias quemadmodum ipſe Summator faceret, facereque poſſet, ſi eadem officia, vt non vnita poſſidens, ibi adeſſet. Eoſdem enim ad effectum omnium prædictorum dumtaxat, Secretarios, Scriptores, & alios omnium Collegiorum huiuſmodi Officiales, & titularios creamus & inſtituimus.

Emolumenta eidem dari præcipit.

§.12. Præterea omnis Summator nullo omnino interminſſo menſium, dierum aut alterius temporis ſpatio, per conſuetudines & ſtatuta, etiam iurata & confirmata, ſeu priuilegia & indulta Secretariorum Apoſtolicorum, & aliorum Collegiorum præfinito, ſed ſtatim à principio, fructus, emolumenta, Congregationes, ſalaria & iura omnia ſingulorum Officiorum huiuſmodi, præſens & abſens integre capiat.

Statuta pro Officialib. condere.

§.13. Ad omnes autem in ſuo officio continendos, Summator quæcumque ſtatuta, proſperum officij ſtatum concernentia, condere, condita corrigere & mutare, aliaque rurſus, & quotieſcumque ſibi videbitur edere.

Iuriſdictionemque in eis corrigēdis habere declarat.

§.14. Prælatos, & quoſcumque alios Officiales, perſonas dictæ expeditionis participes, quicumque fuerint, quo ad ea quæ ad expeditionem ipſam concernunt caſtigare, corrigere & punire, ac contra eos ciuiliter & criminaliter procedere, viceſque ſuas tàm in his quàm ſupradictis omnibus & ſingulis, alij vel aliis delegare libere & licite poſſit.

Exemptionum Camerarij & Clericorum tribuit.

§.15. Itemque omnibus & quibuſcumque priuilegiis, & exemptionibus, etiam Ripæ & Ripettæ, ac Dohanæ Vrbis, quæ Camerarius noſter, Clerici, Præſidentes, & alij Camerales habent, eodem iure libere potiantur & gaudeant.

Præſidentis & Recognitorum literas Apoſt. gratis expediri decernit.

§.16. Præſidens vero & Recognitores omnes prædicti, literas Apoſtolicas etiam Monaſteriorum, & Eccleſiarum Cathedralium pro ſe gratis vbique prout literarum Apoſtolicarum Scriptores expediant. Et propterea omnibus & quibuſcumque aliis priuilegiis, facultatibus, exemptionibus & indultis eiſdem Scriptoribus, & eorum Collegio conceſſis, eodem modo quo illi gaudent, & quiſque pro ſe, ſuper his Apoſtolicas literas, tàm coniunctim, quàm diuiſim expedire poterunt,

Summatoris officium reſignari poſſe concedit.

§.17. Poſtremo omnis Summator quandocumque ei videbitur, officium ipſum Summatoris in manibus Pont. pro tempore exiſtentis in fauorem S.R.E. Card. aut alterius cuiuſcumque perſonæ per nos approbandæ; etiam pacto pretio reſignare, & alias de eo diſponere etiam libere & licite valeat, quemadmodum de ceteris dictæ Curiæ Officiis pretio receptis, cuique eſt permiſſum, &c.

Clauſula præſeruatiua.

§.18. Cecernentes omnia & ſupradicta, firma & inuiolata perpetuo conſiſtere, vimque validi & efficacis contractus, inter nos & Sedē & Cameram Apoſtolicam, necnon omnes deinceps Summatores habere. Ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his per quoſcumque ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§.19.

Digitized by Google

Iussio admittendi prædictos Officiales.

§. 19. Iubemus igitur omnium Collegiorum, & Officiorum prędictorum defensores, Mensarios Depositarios, necnon Vectigalium Redemptores, & ceteros omnes, ad quos pertinet, vt quisque pro se, alia à nobis non expectata iussione, aut mentis nostræ declaratione, prædictum Summatorem, & ab eo subsituendum & subsituendos, necnon Præsidentem, & Recognitores omnes, tam coniunctim quam diuisim ad prædicta omnia recipiant & admittant, eisque de ipsis omnibus integre respondeant, & ab aliis faciant responderi. Qui contrafecerint, eos tandiu ab Officiorum exercitio suspendimus, & ab emolumentorum perceptione priuamus, donec satisfactione præuia, meruerint à Rom. Pont. restitutionis beneficium obtinere.

Derogatio cõtrariorum.

§. 20. Non obstantibus nostra de non tollendo iure quæsito, & aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Secretariatus, Scriptoriæ, Archiuij, ceterorumque officiorum, & Collegiorum, necnon Cameræ Vrbis, & vectigalium prædictorum iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, vsibus & naturis, quantocumque tempore obseruatis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis eorumque Præsidentibus, Ministris, & personis per quoscumque Rom. Pont. prædecessores nostros, ac nos & Sedem prædictam, etiam per modum statui perpetui, ac initi & stipulati contractus, & aliter sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis restituiuis, præseruatiuis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, & motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus necnon consistorialiter, ac ex causis quantumcumque onerosis, concessis, confirmatis innouatis, extensis & moderatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de eis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus. Quodque aliquibus communiter vel diuisim, à prædicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœn.

§. 21. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ, &c. infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D. P. A. 5. die 24. Iunij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1578. Kal. Iulij, Pontificatus nostri anno 5.

CVI. Missalis Romani, ad rite Missas celebrandas ex Conc. Trid. decreto reformati, approbatio, & & aliorum abolitio.

Hoc Missale iterato restituit Clem. VIII. vt infra in eius const. 108. Cum Sanctissimum.

Edita A. D. 1570.

P I V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

QVo primum tempore ad Apostolatus apicem assumpti fuimus, ad ea libenter animum, vireſque nostras intendimus, & cogitationes omnes direximus, quæ ad Ecclesiasticum purum retinendum cultum pertinerent, eaque parare, & Deo ipso adiuuante omni adhibito studio efficere contendimus.

Ex decret. Ciuil Trid. Catechismus Missale & Breuiarium

§. 1. Cumque inter alia sacri Trid. Conc. decreta, nobis statuendum esset de sacris libris, Catechismo, Missali, & Breuiario, edendis atque emendandis, edito iam, Deo ipso annuente, ad populi eruditionem, Catechismo, & ad debitas Deo persoluendas laudes Breuiario castigato, omnino vt Breuiario Missale responderet, vti congruum est, & conueniens (cum vnum in Ecclesia Dei psallendi modum, vnum Missæ celebrandæ ritum maxime deceat) necesse iam videbatur, vt quod reliquum in hac parte esset, de ipso nempe Missali edendo, quamprimum cogitaremus.

emendata erant, & breuiarium iam fuit emendatum, & ab ipso Pont. confirmatum, vt sup. in const. 64.

§. 2. Quare eruditis delectis viris onus hoc mandandum duximus, qui quidem diligenter collatis omnibus cum vetustissimis nostræ Vaticanæ bibliothecæ, aliisque vndique conquisitis, emendatis, atque incorruptis codicibus, necnon veterum consultis ac probatorum auctorum scriptis, qui de sacro eorumdem rituum instituto monumenta nobis reliquerunt; ad pristinam Missale ipsum Sanctorum Patrum normam ac ritum restituerunt Quod recognitum iam, & castigatum matura adhibita consideratione, vt ex hoc instituto, cœptoque labore fructus omnes percipiant, Romę quamprimum imprimi, atque impressum edi mandauimus, nempe vt Sacerdotes intelligant, quibus precibus vti, quos ritus, quasue ceremonias in Missarum celebratione retinere posthac debeant. Vt autem à Sacrosancta Romana Ecclesia ceterarum Ecclesiarum matre & magistra, tradita vbique amplectantur omnes, & obseruent, ne in posterum perpetuis futuris temporibus in omnibus Christiani Orbis prouinciarum Patriarchalibus, Cathedralibus, Collegiatis, & Parochalibus, sæcularibus & quorumuis Ordinum Monasteriorum, tam virorum quam mulierum, etiam Militiarum regularibus, ac sine cura, Ecclesiis, vel Capellis, in quibus Missa Conuentualis alta voce in Choro; aut demissa celebrari iuxta Romanæ Ecclesiæ ritum consueuit, vel debet, alias quam iuxta Missalis à nobis editi formulam, decantetur aut recitetur, etiamsi eædem Ecclesiæ quouis modo exemptæ Apostolicæ Sedis indulto; consuetudine, priuilegio, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel aliis quibusuis facultatibus munitæ sint, nisi ab ipsa prima institutione à Sede Apostolica approbata, vel consuetudine quæ vel ipsa institutio supra ducentos annos Missarum celebrandarum in eisdem Ecclesiis assidue obseruata sit, à quibus, vt præfatam celebrandi constitutionem, vel consuetudinem, nequaquam auferimus, sic si Missale hoc, quod nunc in lucem edi curauimus, iisdem magis placeret, de Episcopi vel Prælati, Capitulique vniuersi consensu, vt quibusuis non obstantibus, iuxta illud Missas celebrare possint permittimus, ex aliis vero omnibus Ecclesiis præfatis eorumdem Missalium vsum tollendo, illaque penitus & omnino reiiciendo.

Et mox emendari fecit Missale, quod nunc confirmat, ac recipi & iuxta illud vbique celebrari iubet nisi alia institutio, à Sede Apost. approbata, vel consuetudo supra ducentum annos obseruata sit.

Quoad Monachos S. Benedicti hic repetit quod nouani supra in rubr. cost. 64.

§. 3. Ac huic Missali nostro nuper edito, nihil vnquam addendum, detrahendum, aut immutandum esse decernendo, sub indignationis nostræ pœna, hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus & ordinamus: Mandantes, ac districte, omnibus & singulis Ecclesiarum prædictarum Patriarchis, Administratoribus, aliisque personis quacumque Ecclesiastica dignitate fulgentibus, etiam si Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, aut cuiusuis alterius gradus & præeminentiæ fuerint, illis in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, vt ceteris omnibus rationibus & ritibus ex aliis Missalibus quantumuis vetustis hactenus obseruari consuetis, in posterum penitus omissis ac plane reiectis, Missam iuxta modum, ac normam, quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur decãtent ac legant, neque in Missæ celebratione alias cæremonias vel preces, quam quæ hoc Missali continentur; addere vel recitare præsumant. Atque vt hoc ipsum Missale in Missa decantanda aut recitanda in quibusuis Ecclesiis absque vllo conscientiæ scrupulo, aut aliquarum pœnarum, sententiarum & censurarum incursu posthac omni non sequantur, eoque libere & licite vti possint & valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, etiam perpetuo concedimus & indulgemus: Neue Præsules, Administratores, Canonici, Capellani, & alij quocumque nomine nuncupati presb. sæculares aut cuiusuis Ordinis regulares, ad Missam aliter quam à nobis statutum est, celebrandam teneantur, neque ad Missale hoc immutandum à quolibet cogi & compelli.

Illudque immutari prohibet.

§. 4.

Digitized by Google

Clausula præseruatiua.

§. 4. Præsentesue literæ vllo vmquam tempore reuocari aut moderari possint, sed firmæ semper & validæ in suo existant robore, similiter statuimus & declaramus.

Clausula derogatoria.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus & ordinationibus, necnon Ecclesiarum prædictarum invsu longissima & immemorabili præscriptione, non tamen supra ducentos annos roborata, statutis & consuetudinibus contrariis quibuscumque.

Hæc constitutio quãdo incipiat ligare.

§. 6. Volumus autem, & eadem auctoritate decernimus, vt post huius nostræ constitutionis, ac Missalis editionẽ, qui in Romana adsunt Curia presb. post mensem, qui vero intra montes, post tres; & qui vltra montes incolunt, post sex menses, aut cum primum illis Missale hoc venale propositum fuerit, iuxta illud Missam decantare vel legere teneantur.

Impressores nõ imprimant. Missale absq; licentia.

§. 7. Quod vt vbique terrarum incorruptum, ac mendis & erroribus purgatum præseruetur, omnibus in nostro & S.R.E. dominio, mediate vel immediate subiecto commorantibus Impressoribus, sub amissionis librorum ac centum ducatorum auri Cameræ Apostolicæ ipso facto applicandorum, aliis vero in quacumque orbis parte consistentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ, & aliis arbitrij nostri pœnis, ne sine nostra, vel specialis ad id Apostolici Commissarij in eisdem partibus à nobis constituendi, ac nisi per eumdem Commissarium eidem impressori Missalis exemplum, ex quo aliorum imprimendorum ab ipso impressore erit accipienda norma, cum Missali in Vrbe secundum magnam impressionem impresso collatum fuisse, & concordare, nec in nullo penitus discrepare, prius plena fides facta fuerit, imprimere vel proponere vel recipere vllo modo audeant vel præsumant auctoritate Apostolica & tenore præsentium similibus inhibemus.

Iussio publ. & Fides exemplorum.

§. 8. Verum quia difficile esset præsentes literas ad quæque Christiani Orbis loca deferri, ac primo quoque tempore in omnium notitiam perferri, illas ad Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, de more, publicari & affigi, ac earumdem literarum exemplis, etiam impressis, manu alicuius publici tabellionis subscriptis, necnon sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eamdem prorsus indubitatam fidem vbique gentium & locorum haberi præcipimus, quæ præsentibus haberetur si ostenderentur vel exhiberentur.

Nulli ergo, &c.

D. P. An. 5. 12. Iulij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicę, millesimo quingentesimo septuagesimo, pridie idus Iulij, Pont. nostri anno 5.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. 1570. Indict. 13. die vero 29. mensis Iulij, Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius 5. retroscriptæ literæ publicatæ & affixæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancell. Apost. & acie Campi Florę, vt moris est, per nos Io. Andream Rogerium, & Philibertum Cappuis Curs.

Scipio de Octauianis Mag. Curs.

CVII. Quod Gubernatori Almæ Vrbis, quicquam de mandato Papæ dicere vel facere asserenti, plene credatur.

Alias Gubernatoris iurisdictionẽ plene notaui sup. in Leon. X. const. 8. Et si pro.

Recordare, quod diuersis Tribunalibus, & Iudicibus Vrbis varia fuerunt concessa Indulta cognoscendi causas criminales super delictis quarumcumque personarum priuatiuè quoad alios, quæ S D. N. Vrban. VIII. intelligi voluit non priuatiuè quoad Gubernatorem Vrbis in eius constitut. 93. *Decet*, infra tom. 4.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Edita An. D. 1570

Exordium.

CVm Apostolica Sedes quasi lucerna super candelabrum sit constituta, ne ciuitas quæ supra montem posita est, abscondi possit, nos qui ei licet immeriti præsidemus, diligenti debemus cura satagere, vt non solum ita luceat lux nostra coram hominibus, vt videntes opera nostra glorificent patrem luminum à quo bona cuncta procedunt, verum etiam ceteri Christifideles curæ nostræ diuinitus commissi, vbique locorum, sed præcipue in Alma Vrbe nostra existentes, quos Domini timor ad virtutes non allicit, iuris rigore perterriti gressus suos in eiusdem Domini mandatorum via dirigendo impellantur.

Causa huius concessionis.

§. 1. Quod vt magis votiue nobis succedat, cum conditionis humanæ defectu omnia per nos ipsos exequi nequeamus, vices nostras aliis committimus, qui sciant, velint & valeant mandata nostra fideliter & prudenter exequi, quod profecto in dilecto filio magistro Monte de Valentibus, Vrbis prædictæ Gubernatore, notario, & familiari nostro, nos comperisse fateri audemus. Hac sane ratione allecti & adducti, facere nullo modo possumus, quin continue ei grauissima peragenda imponamus negocia, ad quorum executionem ipsi procedenti si pro vt negotiorum grauitas exigit, pro illorum singulis peculiare esset assignandum voluntatis nostrę testimonium, facile foret, vt voluntas nostra non ea qua volumus celeritate executioni demandaretur. Volentes itaque præmissis ea adhibere remedia, ne vllo vmquam tẽpore ipsius Montis Gubernatoris auctoritati & iurisdictioni iniquorum calumniis derogari contingat, aut ipse Montes Gubernator voluntati nostræ exequendæ anhelans, illius occasione molestetur, salubriter prouidere.

Gubernatori aliquid dicẽti vel facienti de ordine Papæ, plena credatur.

§. 2. Motu simili, &c. & ex certa nostra scientia, ac de Apost. potestatis plenitudine, volumus & declaramus, omnes & singulas sententias, decreta, bannimenta, proclamationes, aliaque ipsiusque hactenus gesta, & in posterum gerenda, & tam in scriptis quam alias, etiam ex sui officij mera auctoritate, in quibus ipse Montes Gubernator ex ordine nostro hactenus processisse attestatus fuerit, vel in posterum procedere attestabitur, eam prorsus vim & efficaciam, idemque robur obtinere, & ab omnibus inuiolabiliter obseruari, omnesque quos illa concernunt, ita & perinde afficere, ac si ea omnia, de speciali & expressa commissione nostra, de qua etiam per cedulam manu nostra, etiam Motu proprio signatam constaret, emanassent, ipsiusque Montis Gubernatoris assertioni absque aliqua per ipsum exhibenda probatione stari, eumque merum mentis & voluntatis nostræ executorem super sic per eum, vt præmittitur gestis, tam in iudicio quam extra, etiam per nos & successores nostros Rom. Pont. seu de eorum mandato per quoscumque molestari, inquietari, aut perturbari ex quauis causa non posse.

Præceptum quod desuper molestari non possit.

§. 3. Interdicentes quibusuis personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis, ac ordinis existentibus, & quacumque dignitate, facultate, & auctoritate fulgentibus, & in præmissis, tam de nostro quam successorum prædictorum mandato proceden. eumdem Montem Gubernatorem super præmissis, vel eorum aliquo molestandi, inquietandi, aut perturbandi facultatem.

Clausula præseruatiua.

§. 4. Decernentes quoque prædictas, & desuper conficiendas literas nullo vmquam tempore, de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ, aut quopiam alio defectu notari, impugnari, inualidari, ad terminos iuris deduci, in ius vel controuersiam vocari nullatenus posse, minusque sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus comprehendi nullatenus posse, sed ab illis excepras, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie, etiam sub quacumque data per ipsum Montem eligenda reintegratas esse, vimque validi & efficacis contractus inter nos & Sedem Apostolicam, ac eumdem Montem Gubernatorem initi sortiri.

Clausula sublata, &c.

§. 5. Sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Iudices, &c. etiam causarum Palatij Apostolici Auditores,

Digitized by Google

tores, ac S.R.E. Cardinales, ſublata, &c. iudicari debere, irritum quoque, &c. decernimus.

Clauſ. derog. §. 6. Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, necnon ſynodalibus & Prouincialibus editis conſtitutionibus & ordinationibus, ac legibus, etiam municipalibus & imperialibus, etiam in corpore iuris clauſis, ac dictæ Vrbis, & quibuſuis aliis etiam iuramento vallatis, ſtatutis & conſuetudinibus priuilegiis quoque, &c. quibus omnibus, &c. etiam ſi de illis, &c. illorum tenores, &c. hac vice latiſſime derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque cum clauſulis opportunis & conſuetis.

PP. ſubſcript. Fiat Motu proprio M.

Clauſularum repetitio. §. 7. Et cum abſolutione à cenſuris ad effectum, &c. & de declaratione, ſtatuto, mandato, decreto, reductione, atteſtatione, interdicto, & aliis præmiſſis, quæ hic pro repetitis habeãtur, & ad partem in forma gratioſa latiſſime exten. & cum opportuna, ſi videbitur, Iudicum & executorum deputatione, qui aſſiſtant, & præmiſſa obſeruari faciant ſub cenſuris, &c. cum poteſtate citandi, &c. aggrauandi, &c. inuocato, &c. ſæcularis, &c. & cum derogatione Bonifacianæ latiſſime exten.

Sola ſignatura ſufficit. §. 8. Et quod prædicti Motus proprij ſola ſignatura ſufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio & extra, regula quacumque contraria non obſtan. ſeu ſi videbitur literæ deſuper cum maiori præmiſſorum expreſſione expediri poſſint. Fiat. M.

D. P. An. 5. 9. Aug. Dat. Romæ apud S. Petrum, 5. Id Auguſti, anno quinto.

CVIII. Prohibitio à Pio IV. edita contra frumenta de Statu Eccleſiaſtico extrahentes, extenditur ad extrahentes quodcumque genus Graſciæ.

Eamdem prohibitionem extendit etiam ad recollecta ex bonis Eccleſiaſticis Greg. XIII. inf. in conſt. 50. Volentes. *vbi reuocauit licentiat etiam ex cauſa vere oneroſa conceſſas. Et ampliauit. Paul. V. in conſt.* 12. Inter.

Edita A. D. *P I V S P A P A V.*
Motu proprio, &c.

Exordium. ROmani Pontificis prouidentia circumſpecta prædeceſſorum ſuorum geſta, quæ præcipue pro annona, ad vſum viuendi neceſſaria facta ſunt, penſatis opportunis occaſionibus confirmat, innouat, atque extendit prout conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Pius IV. edidit bullã 99. ſup. §. 1. Dudum ſiquidem à fel. rec. Pio Papa IV. prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſuſequentis, videlicet, Pius Papa IV. Motu proprio, &c. Inter multiplices curas, &c.

Omittitur tenor huius conſtitutionis quia habes ſupra

Hic Pont. approbat. §. 2. Nos præmiſſa firmiter obſeruare, perpetuaque roboris firmitate ſubſiſtere ſinceris deſiderantes affectibus, reuocationem, ceſſationem, annullationem, decretum, declarationem, innouationem, voluntatem & inhibitionem præfata, ex certa noſtra ſcientia, ac de eiuſdem poteſtatis plenitudine, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo confirmamus & approbamus, illiſque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, dictamque Motus proprij cedulam innouamus.

Extenditq; ad omne genus Graſcia. §. 3. Ac illam ad licentias & facultates quodcumque genus Graſciæ etiam in carnibus, ouibus, agnis, & aliis animalibus, necnon oleo, ac rebus aliis quibuſcumque conſiſtentis quomodocumque, & qualitercumque nuncupatis concernentes, quibuſcumque (præterquam ex cauſa oneroſa à præfata) quomodocumque conceſſas, ita vt illæ ſimiliter reuocatæ, caſſæ & irritæ ſint, & eſſe cenſeantur, auctoritate, poteſtatis plenitudine, & Motu ſimilibus extendimus & ampliamus.

Executores, deputat. §. 4. Necnon eidem Vitellotio Cardinali præter ordinariam ſui facultatem quoad extenſionem, & ampliationem huiuſmodi, eamdem exequendi, publicandi & notificandi ac declarandi poteſtatem, facultatem & auctoritatem, quæ illi quoad contenta in præinſerta Motus proprij cedula ab eodem prædeceſſore conceſſa, data, & attributa extitit, damus, concedimus & impartimur.

Quibuſcũque non obſtan. ib. §. 5. Non obſtantibus omnibus quæ dictus prædeceſſor voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Prohibitio vtendi licentiis vel induitis abſque patentibus Camerarii. §. 5. Volumus autem vt deinceps perpetuis futuris temporibus nulli quarumcumque licentiarum etiam ex cauſa oneroſa, etiam ſi propria auctoritate extractio illis permiſſa ſit conceſſarum & concedendarum vigore extractiones granorum, bladorum & leguminum, necnon carnium, olei, & aliorum vt ſupra ſpecificatorum, etiam cuiuſcumque alterius generis, etiam vt præfertur ſpecificatæ Graſciæ huiuſmodi abſque eiuſdem Camerarij Cardinalis patentib. deſuper concedendis literis, aliquo pacto in toto Statu Eccleſiaſtico facere poſſint, aut valeant. Necnon quoſcumque contrafacientes in præfatas pœnas incidiſſe & incurriſſe declaramus, & ab eodem Cardinali Camerario declarandos eſſe decernimus, &c.

Ita vide ampliatione Greg. XIII. cit. in rubr.

Sola ſignatura ſufficit. §. 7. Quodque ſola præſentis Motus proprij ſignatura ſufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio & extra, quacumque regula ſeu conſtitutione Apoſtolica contraria non obſtante.

Papa ſubſcr. Placet Motu proprio M.

CIX. Moniales Ordinis S. Dominici in articulo mortis conſtitutæ profeſſionem emittere poſſunt, ante annum probationis expletum, dummodo ſint legitimæ ætatis.

De Monialibus huius Ordinis abſoluendis à Prælatis d. Ordinis, & de quibus, vide inf. in conſt. 124. Debitum. *De toto autem Ordine materiam vide ſup. in conſt.* 2. *Honor. III.* Religioſam.

Edita An. D. 1570. *P I V S P A P A Q V I N T V S*
Motu proprio, &c.

Exordium. SVmmi Sacerdotij cura, meritis licet imparibus, nobis ex alto commiſſa, requirit vt votis illius, per quæ animarum Chriſti fidelium, præſertim Sanctimonialium virtutum Domino ſub ſuaui Religionis iugo virgineaque perpetuæ caſtitatis laureola famulantium, ſaluti ſpiritualique conſolationi conſulitur, libentes annuamus, illaque fauoribus proſequamur opportunis.

Cauſa conſt. §. 1. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Monialium Nouitiarum nuncupatarum, ad Regulam profitendam S. Dominici Fratrum Prædicatorum petitio continebat. Quod quoniam aliquando accidit, vt illæ, durante tempore probationis illarum ad emittendum profeſſionem Regularem & ante illius emiſſionem, ab hac vita migrant, & in dicto tempore probationis obſtantibus conſtitutionibus, ſiue ſtatutis, & ordinationibus dicti Ordinis, non valentes dictam profeſſionem emittere, carent cæleſti merito, quo ex dono, benignitate Sedis Apoſtolicæ ceteræ dicti Ordinis Moniales profeſſæ in dicta profeſſione, & Regula decedentes, gaudent. Quare nobis humiliter ſupplicari fecerunt, vt ſibi in præmiſſis opportune prouidere ex benignitate Apoſtolica dignaremur.

Declaratio de qua in rub. §. 2. Nos igitur (qui ſalutem animarum dictarum Monialium Nouitiarum, ſic ante profeſſionis emiſſionem, & durante tempore probationis earumdem decedentium ſyncero deſideramus affectu (ipſaſque Moniales Nouitias, & earum ſingulas, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes & abſolutas fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Monialibus Nouitiis, nunc & pro tempore exiſtentibus, & earum ſingulis, vt quando & quoties aliqua ex eis nondum profeſſa de alicuius Medici conſilio, ab hoc ſæculo tranſitura conſpicitur, ipſa pro conſolatione animæ ſuæ, profeſſionẽ prædictam ante tempus requiſitum (quatenus tamen ætate legitima conſtituta ſit) ad illam emittendam, in manibus Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, vel alterius Superioris Nouitiarum ipſius Monaſterij, ſeu Domus, ita tamen, quod ipſæ Moniales Nouitiæ ſic decedentes, indulgentiam & alias gratias, quas Moniales vere profeſſæ

Digitized by Google

decedentes consequuntur, consequi possint, emittere in articulo mortis libere & licite valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo concedimus, & indulgemus. Necnon eisdem Monialibus Nouitiis ita tunc professis decedentibus, plenariam peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem in forma Iubilæi misericorditer in Domino eisdem auctoritate & tenore largimur.

Clausula præseruatiua. §. 3. Ac concessionem, indultum, & elargitionem huiusmodi, ac præsentes literas sub quibusuis similium vel dissimilium indulgentiarum & gratiarum suspensionibus, reuocationibus, & limitationibus etiam in fauorem quorumcumque factis & faciendis, nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restitutas, repositas & de nouo concessas existere, ipsisque Monialibus, & professionem emittentibus suffragari posse.

Clausula sublatæ, &c. §. 4. Et sic per quoscumque Iudices & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, & sacri Palatij Apostolici causarum Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac quicquid secus super his, à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Clauſ. derog. §. 5. Non obstantibus constitutionibus, &c. ordinationibus Apostolicis, ac Monasterij, seu Domus & Ordinis huiusmodi etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis, illis eorumque Superioribus & personis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis & innouatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A 5 die 23. Aug. Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 23. Augusti, 1570. Pont. nostri anno quinto.

CX. Confirmatio priuilegiorum & gratiarum Societatis Cruce Signatorum, pro Sanctæ Inquisitionis contra hæreticos præsidio, antiquitus institutæ.

Huiusmodi gratias & indulta, vide supra in const. 17. Innoc. IV. Vt nihil. *& const. 19.* Malitia. *& constit. 2. Vrb. IV. §. 13. & Clem. VII. const. 27.* Cum sicut.

Edita An. D. 1570. *PIVS PAPA QVINTVS*
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. SAcrosanctæ Romanæ, & vniuersali Ecclesiæ diuina disponente clementia, meritis licet sufficientibus præsidentes, omnem pastoralis nostri officij curam, atque vigilantiam in id potissimum adhibere debemus, vt fides Catholica vbique Terrarum, quantum in nobis est, integra inuiolataque conseruetur, & impij ac detestandi Hæreticorum conatus, ipsam vnam fidem violare satagentium, omnibus rationibus comprimantur. Vnde si quæ ad iuuandum huiusmodi nostrum propositum, ac debitum, alias pie institutа, ac concessa fuisse à prædecessoribus nostris comperimus, libenter approbamus, & alias desuper disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Societas Crucesignatorum instituta fuit pro Inquisitorum præsidio, & à prædecessorib. varia priuilegia ei concessa fuerunt. §. 1. Cum itaque inter ceteras, quæ in Ecclesia Dei hactenus institutæ sunt Christifidelium Societates, illa satis vberes, Christianæ Religionis fructus afferre videatur, quæ sub Cruce Signatorum vocabulo ad assistendum Hæreticæ prauitatis Inquisitoribus, auxiliumque quando & quoties opus sit, in Catholicæ fidei negociis aduersus Hæreticos, etiam vita ipsa præstandum, institutа existit, vt non immerito à diuersis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris specialibus gratiis, & priuilegiis fuerit decorata.

Et hic Pont. dictam instituit, ac priuilegia, quæ sunt in vsu, & Concilio Trident. non repugnantia confirmat. §. 2. Nos attendentes, quod ea maiorem obtinent roboris firmitatem, quæ pluries Apostolicæ confirmationis præsidio sint communita, vtque paternum nostrum erga ipsam Societatem charitatis affectum ostendamus, eiusdem Societatis Cruce signatorum creationem & institutionem, ac priuilegia, quæ sunt in vsu, necnon indulgentias, prærogatiuas, facultates, gratias & indulta quæcumque, eidem Societati, & illius vtriusque sexus Confratribus Cruce Signatis pro tempore existentes, tam per Innocentium IV. Innocentium VIII. Iulium II. Leonem X. Clementem VII. quam quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis hactenus quomodolibet concessa & confirmata, decretis tamen Concilij Tridentini non repugnantia, necnon literas desuper emanatas, illorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, approbamus & innouamus, illisque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque & singulos iuris & facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem supplemus.

Clausula derogatoria. §. 3. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum fides. §. 4. Volumus autem quod præsentium transumptis, etiam impressis manù Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem vbique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. A. 5 die 13. Oct. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 13. Octobris 1570. Pont. nostri anno quinto.

CXI. Tonsores mõnetæ tam aureæ quam argenteæ in Vrbe aliisque locis S.R.E. mediate & immediate subiectis, vltimo supplicio plectuntur.

Aduersus autem falsificantes monetam Regis Francia in eius Regno & locis circumuicinis, habemus constit. Ioann. XXII. in suis extrauag. *cap. 1. de crim. falsi.*

Edita A. D. 1570. *PIVS PAPA QVINTVS,*
Motu proprio, &c.

Proœmium. CVm nil magis humanæ vitæ commercio sit necessarium, quam pecuniarum vsus, quæ hominibus cuncta humano victui necessaria præbent, decet Romanum Pontificem ad ea libenter intendere, per quæ pecuniæ ipsæ non solum non adulterentur, verum etiam in primæuo illarum statu ab omnibus illæsæ conseruentur. Quod & si cunctis in locis, præcipue tamen in hac Alma Vrbe nostra, quam glorioſi Apostolorum Principes martyrio suo consecrarunt, & ad quam veluti communem omnium matrem gentes vndequaque concurrunt, singulisque aliis dominiis, Terris & locis, nobis & Sedi Apostolicæ mediate vel immediate subiectis, curandum est, vt & ad illam venientibus vitiorum exempla non proponantur, & quibusuis peccandi materies succidatur.

Causa constitutionis ex l. quicumque D. de Falſ. §. 1. Attendentes itaque, quod licet monetarum aurearum tonsoribus vltimi supplicij de iure sit inflicta pœna, argenteas tamen monetas tondentibus, satis minor pœna imposita sit. Ac animo reuoluentes, quam par sit vtriusque delictum, cum ij qui argenteas minuunt, nulla alia de causa ab aurearum mutilatione, nisi ob earum defectum subsistant, ac propterea eodem iuris rigore, in vtroque sæuiendum esse æquum reputantes.

Sanctio de qua in rub. §. 2. Motu simili, &c. hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus, eos qui argenteas tondent moneras, vltimi supplicij, & ea qua aureorum tonsores hactenus puniti sunt, & de iure puniri debent, pœna puniendos esse, & ita ab omnibus, quibus Iudicis officium tam in Vrbe nostra quam alibi in toto Statu Ecclesiastico commissum est, quouis nomine censeantur, & quauis auctoritate præfulgeant, iniunctum est, puniri volumus & mandamus.

Barones non impedirit Iudices in hoc. §. 3. Districtius inhibentes singulis Terrarum, loco

rum -

Digitized by Google

rum & Ciuitatum dominis in temporalibus, ne Iudices præfatos in præmissis hoc modo sæuientes, sub excommunicationis, &c. impedire, molestare, vel inquietare audeant vel præsumant.

Clausula sublata.

§. 4. Decernentes quoque, sic & non aliter, per præfatos & quoscumque alios Iudices, &c. etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata, &c. iudicari debere irritum quoque, &c.

Claus. derog.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis Apostolicis, necnon in Prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus & ordinationibus, ac legibus etiam Imperialibus, etiam in corpore iuris clausis, ac tam municipalibus & particularibus, quam quibusuis aliis etiam iuramento, &c. roboratis, statutis, &c. priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Motu simili, &c. etiam consistorialiter, &c. concessis, &c. quibus omnibus illorum tenores, &c. hac vice latissime derogamus, ceteriqsque contrariis quibuscumque, cũ clausulis opportunis & consuetis.

Fiat Motu proprio M.

Clausularum repetitio.

§. 6. Et quod quorumcumque priuilegiorum, stabilimentorum, pœnarum, statutorum, legum, & aliorum necessariorum tenores habeantur pro expressis, seu in toto vel in parte exprimi, ac de verbo ad verbum inseri possint. Et de declaratione, sanctione, mandato, inhibitione, decreto, & aliis præmissis, quæ hic pro repetitis habeantur, & ad partem perpetuo in forma gratiosa. Et cum deputatione, quatenus opus sit iudicum, qui assistant, &c. nuocato, &c. sæcularis cum derogatione dictarum latissime extenden.

Iussio public.

§. 7. Et cum decreto opportuno, quod vt præsentes ad omnium quorum interest notitiam deducantur, nullusque deinceps aduersus eas aliquam excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare queat, quod illæ imprimantur, & in valuis Basilicæ Principis Apostolorum, & S. Ioannis Lateranensis, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon acie Campi Floræ affigantur, & inibi earum copiæ dimittantur, quodque affixio huiusmodi omnes perinde afficiat, ac si fuissent personaliter exhibitæ, intimatæ, & ostensæ.

Fides exemplorum.

§. 8. Quodque earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Sola signatura sufficit.

§. 9. Et quod præsentis Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio & extra, regula quacumque contraria non obstante, seu literæ super illis cum maiori præmissorum expressione, per Breue expediri possint.

Fiat. M.

D. P. An. 5. die 25 Octob.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, octauo Cal. Nouemb. anno quinto.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Dom. 1570. *indictione* 13. *die vero* 3 *mensis Nouembris, Pont. Sanctiss. in Christo patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno V. retroscriptus Motus proprius affixus & publicatus fuit ad valuas Principis Apostol. de Vrbe, & S. Io. Lateranensis & Canc. Apost. & in acie Campi Floræ, per nos Ioannem Guerardi, & Io. Freyle S. D. N. Papæ Curs.*

Ioannes Bornotus Mag. Curs.

CXII. Contra fraudulentos, & dolosos decoctores, capitali pœna plectendos.

De materia autem Cessionis bonorum & dilationum, vide supra Pij IV. const. 39. Cupientes. *vbi notaui.*

Edita A. D. 1570.

PIVS PAPA QVINTVS

Motu proprio, &c.

Causa huius constit.

POstquam eousque humana processit intemperantia, vt Christifideles qui in sacri baptismatis susceptione, diabolo, ac omnibus vanitatibus eius, sponte ac solemniter renunciarunt, diabolica fraude seducti, ita mundi huius illecebras expetant, vt pro illis assequendis, non modo filij prodigi in Euangelio per Dominum demonstrati exempla sequentes, sua luxuriose viuendo profundant, verum etiam illis absumptis, aliena appetant, grande æs alienum à proximis suis, qui id eis, prout mutuum fert hominum commercium, sub variis instrumentorum obligationibus liberaliter mutuant, extorquendo, ac deinde dum id eis sub paupertatis specie restituere negligunt, proximos suos vna cum tota familia aliquando mendicare cogunt, facere nullo modo possumus, quin & Pastoralis officij nostri debito, cui disponente Domino præsidemus, moniti, & ea qua Christus prior dilexit nos charitate impulsi, clementiæ & misericordiæ reiectis viis, iustitiam & iudicium in tales acriter insurgendo assumamus, iurisque rigorem acriorem reddamus, vt saltem per hoc eos quos timor Domini à malo non retrahit, vltimi supplicij pœna exterreat, sicque vniuersas Dominici gregis oues ad ouile ad quod, dante Domino, omnes dirigi cupimus, salubre perducamus.

Paul. IV. statuit debitores obtinentes alternatiuas, vel dilationes teneri deferre birretum viride.

§. 1. Sane licet alias fel. recor. Paulus Papa Quartus prædecessor noster inter cetera dilectis filiis Populo Romano concessa priuilegia per quasdã suas literas, voluerat, quod dilationes quæcumque nisi iuxta dispositionem iuris ac formam statutorum Almæ Vrbis concedi nullatenus possent, & qui illas obtinerent, semper birretum viride portare tenerentur, ac alias prout in dictis literis plenius continetur.

Multi autem eorum bona, prodigalitate, & luxu, dilapidant, & tandem cessione bonorum, creditores deludebant.

§. 2. Nihilominus diuersi iniquitatis filij, præmissis non attentis, propriaque temeritate confisi, postquam propriis eorum bonis, non aduersa fortuna aut fortuitis casibus, siue hostium incursu, vel ventorum, marisque iniuria (quod quidem vel certe ferendum esset, cum ab iis facile caueri nequeat humana prouidentia) sed sua ipsorum met incuria, negligentia, prodigalitate, atque luxu in explendis propriis voluptatibus, penitus dilapidatis, proximos suos ad varia eorum bona sibi mutuanda sub spe restitutionis compulerunt, illis similiter profusis, creditores suos, cessione bonorum deludentes, ac tam literas præfatas, quam alia per nos contra huiusmodi decoctores, fallitos nuncupatos, edita statuta deridere audent, in graue Apostolicæ auctoritatis vilipendium, proximorum suorum detrimentum & grauamen, ac animæ suæ periculum non modicum.

Hic igitur Pont. decreuit huiusmodi personas nedũ ad cessionem bonorum nõ esse admittendas, sed vltimo supplicio plectí debere.

§. 3. Nos præmissa conniuentibus oculis pertranfire nequeuntes, & attente considerantes nulla alia de causa in fures vltimi supplicij pœnam esse impositam, nisi vt talia perpetrandi hominibus via intercluſa, lit erum esset vnicuique sua absque periculo possidere & vti, hos autem adeo furibus & latronibus similes esse, vt ab illis in nihilo differant, nisi vt quod eis nisi cum vitæ suæ periculo agitur, hoc decoctoribus impune liceat, volentesque propterea, vt par, immo grauius delictum, parem etiam sortiatur pœnam, iurisque rigorem in hos grauiorem reddere, ac genus hoc hominum tamquam humano generi infestum, è ceterorum cætu segregandum merito esse diiudicantes, omnium & singularum legùm & constitutionum, tã Imperialium quam Apostolicarum, etiam in corpore iuris descriptarum, tenores & formas, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, sine illarum aliquo præiudicio, quinimmo illas roualidantes & confirmantes, Motu proprio hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, statuimus, & declaramus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus quæcumque persona, tam sæcularis quam Ecclesiastica, etiam si clericali & Ecclesiastico foro gaudeat, cuiuscumque status, gradus, ordinis & conditionis existat, & quacumque dignitate, tam mundana, etiam si Domicellus, Comes, aut aliter Nobilis aliquando fuerit, quam Ecclesiastica, non tamen Episcopali, præfulgeat, qui omnem eorum substantiam non præmissis de casibus fortuitis, sed incuria, negligentia, prodigalitate, & luxu suis, proprias voluptates explendo, & cupiditatibus non mediocri intemperantia seruientes subuerterint & dilapidauerint, necnon qui se bona sua decoxisse simulantes, illa in fraudem creditorum suorum occultant, & eorum pecuniam toram in eorum vtilitatem forsan conuerterint, vt eorum creditores ad secum componendum facilius alliciant, vltimi supplicij, & ea qua fures ipsi, de iure vel consuetudine, aut particulari vel municipali statuto plecti solent, puniri debeant,

Executorum deputatio.

§. 4. Mandantes tam Vrbis præfatæ Gubernatori, & Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, quam omnibus & singulis nostris & Sedis Apostolicæ in quibuscumque prouinciis Legatis & Vicelegatis, necnon quarumcumque ciuitatum, terrarum, oppidorum & locorum, nobis & eidem Sedi, tam mediate quam immediate subiectarum Gubernatoribus, Prætoribus, Capitaneis, Commissariis, & aliis quibuscumque iudicibus, quauis etiam subdelegata potestate fungentibus, vt præsentes nostras inuiolabiliter in eorum iudiciis obseruent, nec contra tales, nisi illarum forma seruata, procedere audeant vel præsumant.

Inhibitio contra impedientes eos, qui ita super præmissis iudicauerint.

§. 5. Districtius quoque inhibentes quibuscumque terrarum, oppidorum, & locorum dominis in temporalibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis, &c. pœnis, ne sic in præmissis iudicantes, eorum sæculari auctoritate molestare, inquietare, perturbare, vel impedire, audeant vel præsumant.

Forma & effectus public.

§. 6. Decernentes postremo præsentes, & desuper conficiendas literas nullo vmquam tempore, de subreptionis vel obreptionis, vitio aut intentionis nostræ defectu notari, minusque sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus comprehendi, vel illis derogari nullo modo tacite vel expresse posse, nisi de illis, eorumque totis tenoribus, ac eorum Datum de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio & expressio facta fuerit, aliterque factas derogationes, nullus roboris vel momenti fore, & tamquam tales à nemine attendi, nec vlli suffragari posse.

Decretum irritans.

§. 7. Sicque per quoscumque Iudices, &c. etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, eorumque Collegium, sublata, &c. irritum quoque, &c.

Clausula derogatoria.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis Apostolicis, necnon in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus ac legibus, etiam imperialibus, etiam in corpore iuris, vt præfertur, clausis, ac quibusuis etiam municipalibus & particularibus, etiam iuramento, &c. roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, &c. sub quibuscumque tenoribus, &c. etiam Motu simili, &c. etiam consistorialiter, &c. ac sub quibusuis verborum formis concessis, &c. Quibus omnibus, etiam si de illis, &c. illorum tenores, &c. illis alias, &c. latissime, specialiter & expresse derogamus, ceteriscque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis & consuetis. Fiat Motu proprio M.

Forma & effectus public.

§. 9. Et quod quorumcumque statutorum, constitutionum, & legum, &c. tenores habeantur pro expressis, seu in toto vel in parte exprimi, ac de verbo ad verbum inseri possint. Et de sanctione, statuto, declaratione, decreto, inhibitione, mandato, & aliis præmissis quæ hic pro repetitis habeantur, & ad partem perpetuo in forma gratiosa, & cum opportuna, si videbitur iudicum deputatione qui assistant, &c. inuocato, &c. sæcularis, & cum opportuno decreto, quod vt præsentes ad omnium quorum interest notitiam deducantur, nullusque deinceps aduersus eas aliquam excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare queat, quod illæ imprimantur, & in valuis Basilicæ Principis Apostolorum, & S. Ioannis Lateranensis, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ affigantur, & inibi earum copiæ dimittantur. Quodque affixio huiusmodi omnes perinde afficiat, ac si fuissent personaliter exhibitæ, intimatæ, & ostensæ. Quodque earum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Sola signatura sufficit.

§. 10. Et quod præsentis Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio & extra, regula quacumque contraria non obstante, seu literæ super illis cum maiori præmissorum expressione per Breue expediri possint.

Fiat. M.

Datum Romæ apud S. Petrum, Calen. Nouemb. anno quinto.

D. P. An. 5. die 1 Nouēb.

Anno à natiuitate Domini 1570. Indict. 13. die vero 3. mensis Nouemb. Pontificatus Sanctiss. in Christo patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno 5. retroscriptus Motus proprius affixus & publicatus fuit ad valuas Principis Apostolorum de Vrbe, S. Ioannis Lateranensis, & Cancellariæ Apost. & in acie Campi Florę, vt moris est, per nos Ioan. Guerardi, & Ioannem Freyle prælibati S. D. N. Papæ Curs. *Publicatio.*

Reformatio Tribunalis Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Auditoris, vna cum taxa expeditionum. CXIII.

Aliam eiusdem Tribunalis reformationem præfinuit Pius IV. sup. in const. 56. Inter multiplices. *Et alteram Paul. V. in const.* 28. Eximiæ. *vbi de hac iurisdictione plene notabo. Et postremo in alia eius const.* 71. Vniuersi. §. 4.

PIVS PAPA V. Motu proprio, &c. *Edita An. D. 1570*

INter illa, quæ in singulis in Vrbe curiis, & officiis emendanda, seu rectius disponenda decreuimus, hæc de Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generalis Auditoris officio, ac Tribunali seorsum ab vniuersali reformatione, Apostolica auctoritate perpetuo statuimus & ordinamus, quæ & ab Auditore, & ab eis Locumtenentibus, Curiæque ipsius Iudicibus & Notarijs exactissime seruari præcipiuus. *Proœmium.*

§. 1. In primis, ne quisquam ex confessione debita procuratore suo ad id in ipsamet obligatione in posterū constituto, in iudicio vel alibi facta, condemnetur, nisi idem etiam procurator ad defendendum in iudicio fuerit constitutus, & ipse cum constitueretur, defendendi onus huiusmodi sponte præsens acceptauerit. *Debitor ex confessione procuratoris non condemnetur.*

§. 2. Neue quisquam ratione sui consensus in contractu, seu quasi contractu, aut alias in iudicio vel extra iudicium, per se vel alium quocumque modo, etiam in susceptione, quam vocant, censurarum, de cetero præstiti, pure, aut sub conditione, aut in diem, censuris Ecclesiasticis innodetur, aut innodatus declaretur. *Neque excōmunicetur.*

§. 3. Quinimmo nec procuratoris, ad confitendum debitum, constitutio, in ipsa debiti obligatione, nisi & ad defendendum vna constituatur, & ipse defendendi onus accepter, vt præfertur, nec censurarum consensus, aut susceptio huiusmodi vsquam recipiatur vel admittatur, siue etiam describatur, neque de his quisquam rogetur etiam in Cameralis obligationis formula, siue principaliter, siue incidenter; neque iudicium vllum, aut vlla executio inde fiat, aut decernatur. *Procuratoris constituire, aut censurarū susceptio, in oblig. non apponatur.*

§. 4. Excipimus autem ab his, quæ de confessione debiti, & procuratoris ad id constitutione, supra statuimus, obligationes quæ de rebus ac iuribus ad Cameram Apostolicam pertinentibus factæ iam sunt, aut in posterum fieri oportuerit, in quibus quoad huiusmodi confessionem & constitutionem, liceat illud idem fieri, quod hactenus est obseruatum. *Nisi de rebus Camera agatur.*

§. 5. Quod si quando aliqui seipsos in Vrbe efficacius obligare voluerint, vt in exactionibus laborandum non sit, quas pro commodiori hominum commercio faciles esse expedit, poterit Iudex parti præsenti, & se obliganti præcipere, vt die certa tunc statuenda soluat; monens, quod si ea die sponte non soluerit, nulla exinde facta personali citatione, sed præuia tantum vnica dilatione, quæ per affixionem locis consuetis intimabitur, ad executionem contra ipsum procedet, & in subsidium, vbi executio realis, personalisve facile fieri non poterit; in ipsum tamquam contumacem, contemptoremque sui præcepti, excommunicationem decernet. Hæc tamen, quoad excommunicationem monitio, vbicumque facilis futura esset executio, non adhibeatur. *Forma strictioris obligationis hic traditur.*

§. 6. Cum autem præscripta dies cesserit, ea distinctio seruetur, vt si obligatio, vel in Vrbe erit contracta, vel in Vrbe sit soluenda, sola intimationis affixio prædicta sufficiat. *Obligati in Curia quomodo citandi.*

§. 7. Si vero extra Vrbem & obligatio contracta, & solutio destinata fuerit, non aliter ad executionem procedatur, nisi facta legitime debitori intimatione dilationis huiusmo- *Obligati extra Curiam vt citandi.*

Digitized by Google

huiusmodi, Rursus, vbi in obligatione extra Vrbem facta, pariter solutio extra Vrbem destinata fuerit, præterdictam dilationem, detur etiam alia pro loci distantia, intra quam docere possit & debeat debitor se soluisse.

Confitentes debitū quam dilationē habere possint.

§. 8. Quod si parti petenti, ac debitum agnoscenti, danda videbitur aliquando longior aliqua dilatio ad soluendum (intra quam nullum omnino mandatum, aliudque executionis genus relaxari poterit) ea erit dierum triginta, aut saltem viginti, arbitrio Iudicis, qui pro debitoris qualitate, & debiti summa, vtrum voluerit de prædictis terminis eliget.

Dilatione finita, mandatum antea relaxatū suffi ciat.

§. 9. Qua in re illud obseruetur, vt si forte post decretum & relaxatum, atque etiam actori à Notario traditum, mandatum executiuum, visum fuerit Iudici dilationem hanc concedere, non alio postea iudicio, aut etiam mandato, opus sit actori, si reus intra dilationem ipsam non soluerit, sed eodem illo quod antea traditum aut relaxatum, siue decretum fuerat executionem suam prosequatur.

Excommunicatio quando sit danda cōtra obligatos.

§. 10. Sed & in omnibus, quæ aliter quam cum supradictis præcepto & monitione vbicumque locorum factæ fuerint obligationibus, & alias semper, illud omnino seruetur, vt ad excommunicationem cuiusquam non deueniatur, nisi cuius fuerit erga Iudicem contumacia, ipso etiam, nec tantum procuratore suo, quamuis specialiter constituto, prius legitime citato.

Causæ obligationis Cameralis sint A. C. tantū, nisi contra Romanos laicos in Capitolio.

§. 11. Verum sicuti antea, earum quæ in forma Cameræ erant obligationum, ita & harum quæ futuræ sunt, pro illis iudicium, siue cognitio & executio in Vrbe ad Auditorem Cameræ solum spectet in vniuersum, iuxta suas facultates; Romanos tamen debitores laicos, liceat creditoribus etiam in Curia Capitolij conuenire, iuxta priuilegia Populo Romano concessa.

Vel contra Clericos in Curia Vicarij.

§. 12. Quo vero ad Clericos, ratione originis, vel beneficij Romanos, locus sit præuentioni inter ipsum Auditorem, & nostrum in Vrbe Vicarium.

Appellationes à sententiis extra Curiam latis, quando & quomodo recipi debeāt.

§. 13. Ceterum idem Auditor appellationes non aliter audiat, siue admittat, quam si exhibita fuerit Notario in actis ab appellante fides publica, seu publicum instrumentum sententiæ à qua extitit appellatum, eaque sit definitiua, vel vim habeat definitiuæ, neque aliter earum ratione inhibeat, quam inserto in literis inhibitionis toto fidei, seu instrumenti huiusmodi tenore. Quare Iudices à quibus appellari continget, eorumque Notarij, fidem seu instrumentum huiusmodi partibus petentibus, & debitam Notariis mercedem soluentibus tradent in tempore, alioquin Iudices officio iudicandi, Notarij exercitio notariatus tamdiu suspensi sint, donec appellāti omnia damna & interesse propterea passa, ab ipso Auditore extraiudicialiter æstimanda, refarserint. Et nihilominus facta ab appellante fide de sua petitione, & Iudicis siue Notarij derogatione, idem Auditor inhibere, & in causa procedere possit.

Literas Apostolicas quando & quomodo exequi possit A.C.

§. 14. Literas Apostolicas, quibus certus, qui per se ipsum procedat, executor præscriptus est, nullo modo exequatur, sed & omnes præterea, in quarum executione pars vocanda fuerit, non aliter exequatur, quam seruatis, pro rerum contingentia, constitutionibus fel. recor. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, nisi ipsis constitutionibus derogatum fuerit expresse in literis, quæ fuerint exequendæ, sed & tunc, ne quemquam extra diœcesim vltra tot dietas euocet quot in ipsis literis expressum erit, neue alij vices suas committat vel subdeleget, quam constitutis in dignitate Ecclesiastica, aut Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, exceptis literis pensionum quarum solutio in Romana Curia destinatur, & his omnibus, quibus ipse nominatim executor præscriptus fuerit; his enim casibus possit ad se vndecumque & quotcumque partes euocare.

Monitoria generalia non dentur.

§. 15. Monitoria generalia, vulgo Significauit appellata, quæ scilicet, vt aliquid reueletur, seu restituatur vel probetur, cum censuris Ecclesiasticis publicari solent, nullo modo decernat siue expediat.

Episcopi & alij non impediātur in executione Concil. Trid.

§. 16. Similiter nihil sine speciali nostra commissione decernat, aut faciat, aut mandet, quod Episcopos aut alios locorum Ordinarios impedire possit, ne ad executionem decretorum sacri Concilij Tridentini, correctionemque morum libere procedant.

Expeditiones non dentur in his, quæ non pertinent ad iurisdictionē.

§. 17. Ab omnibus autem & singulis iis, quæ ad eius iurisdictionem secundum præmissa pertinere nolumus, vsque adeo abstineat, vt neque monitoria, neque citationes, neque inhibitiones, neque sequestra, neque mandata de manutenendo, neque aliud quicquam quocumque sub prætextu, super iis aut ipse decernat, aut ab aliis decreta reuocet, &; pariter eius Notarij nihil omnino expediant, aut etiā scribant, sub pœna amissionis officij.

Nihil in contumaciā expediatur in causis ciuilibus.

§. 18. In causis vero sui fori ciuilibus, etiam in quibus summarie, & ad instar beneficialium procedendi ei concessa est facultas, numquam omnino ad pœnas contumaciales deueniat; sed potius receptis probationibus ad negotium principale spectantibus, datoq; competenti termino parti absenti, demum super his seruatis seruandis definitiue pronunciet, etiam sine litis contestatione.

Mandata de manutenendo nō dētur parte non citata.

§. 19. Mandata de manutenendo, numquam nisi parte legitime citata, & compendiosa ac summaria causæ cognitione adhibita, decernat.

Sequestra etiam.

§. 20. Idem & in sequestris seruetur, nisi aliqua ratione timendum sit, Iudicis arbitrio, de suspicione fugæ, vel bonorum dilapidatione.

Absentes extra Italiam non citentur ad comparēdum instio Papa.

§. 21. Ne autem contingat, vt absentes, & in remotissimis ab Vrbe partibus degentes, si ob prætensum aliquod crimen moneantur ad personaliter comparendum, deinde inculpabiles reperti, maxima itineris incommoda, & dispendia nulla sua culpa passi sint, neminem posthac extra Italiam existentem ad comparendum personaliter moneat, nisi facto verbo nobiscum, de quo verbo habito fiat mentio in literis monitoriis.

Expeditiones extra Curiam subscribantur ab A.C.

§. 22. Postremo Notarij nihil vmquam cuiusuis generis scripturæ ad iudicium pertinentis, quod extra curiam mittendum sit, expediant, & parti tradant, nisi cum subscriptione Auditoris, vel eius Locumtenentis.

Reformatio circa expensas.

§. 23. Circa impensas autem, quæ à partibus, pro scripturis & expeditionibus faciendæ sunt, vltra ea, quæ in vniuersum in omnibus curiis obseruari volumus, infrascripta specialiter in eadem Curia Auditoris, etiam in causis pendentibus obseruentur.

Causæ ordinariæ non efficiuntur cōmissariæ per superuenientē commissionē.

§. 24. In causis quæ ordinarie secundum Auditoris facultates in eius Tribunali introductæ fuerint, vel introduci potuerint, siue post cœptam causam superueniat commissio, siue ante impetrata sit, siue in prima, siue in vlteriori instantia, nulla in re augeat impensam, sed quoad hoc habeatur semper causa per ordinaria, ita vt etiam ratione sententiæ, neque Notarij, neque Iudices quicquam propterea accipiant, vltra id quod accipere potuissent, si commissio non adesset.

Siue igitur adsit commissio, siue non, in causis ordinarie ad hunc forum pertinentibus exigatur, vt infra, & non amplius.

Sit itaque pretium perfectæ expeditionis taxæ, & aliis omnibus comprehensis.

Taxa expeditionū in causis ciuilibus Tribunalis A. C.

§. 25. PRo monitorio speciali ad partes iul. nouem.
Pro monitorio speciali per edictum iul. duodecim.
Pro monitorio in vim bullæ Eugenianæ iul. duodecim.
Pro Eugeniana per edictum iul. quindecim.
Pro monitorio in vim bullæ Cœnæ Domini iul. duodecim.
Pro citatione cum inhibitione, vigore appellationis extra Curiam, cum insertione, instrumenti sententiæ à qua appellatur iul. decem.
Pro instrumento remissoriæ iul. nouem.
Pro instrumento litis pendentiæ extra curiam iul. nouem.
Pro transumpto simplici vnius bullæ, seu instrumenti, aut cedulæ, vel etiam plurium similium, vel aliorum iurium in eodem transumpto descriptorum, si fuerint in forma probanti iul. duodecim.
Si vero in forma Vidimus, iul. nouem. habita tamen ratione excessus scripturarum arbitrio Iudicis, quoad laborem Notarij.
Pro sequestro extra curiam iul. nouem.
Pro literis superuiuentiæ, quæ non taxentur iul. quatuor vna cum sigillo.

Digitized by Google

Pro fide legalitatis apponendæ in inſtrumentis Notariorum in totum vna cum ſigillo iul. duos.
Pro mandato de exequendo iul. nouem.
Pro nota ſententiæ nihil exigatur.
Pro ſportulis etiam nihil.

Taxa expeditionũ in cauſis Commiſſariis Cur. A.C.

§. 26. At in cauſis quæ per commiſſionem introducuntur, & ab initio ſunt commiſſariæ, neque alias ad huius fori cognitionem ſpectant ſoluatur vt ſequitur.
Pro citatione vigore commiſſionis abſque inhibitione extra curiam iul. nouem.
Pro citatione cum inhibitione ſimplici iul. vndecim.
Pro citatione cum inhibitione ſub cenſuris iul. quatuordecim.
Pro citatione cum inhibitione ſub cenſuris per edictum, etiam pro neceſſario examine iul. decem & octo.
Pro inhibitione ſimplici extra curiam iul. nouem.
Pro inhibitione extra curiam ſub cenſuris iul. duodecim.
Pro inhibitione in curia iul. tres cum dimidio.
Pro monitorio ſpeciali iul. quindecim.
Pro notis ſententiarum definitiuarum, quæ in ſcriptis proferuntur, in prima inſtantia iul. quadraginta, in ſecunda iul. triginta, in tertia iul. viginti.
Pro nota abſolutoria ab obſeruatione iudicij iul. quindecim.
Po nota interlocutoriæ iul. quindecim.
Pro nota declaratoriæ iul. octo.
Pro mandato de exquendo iul. quindecim.
Pro ſequeſtro iul. quindecim.
Pro ſportulis Iudicum pro ſententiis definitiuis ex ſcripto proferendis, non vltra id quod in aliis curiæ Tribunalibus ordinariis à fel. recor. Pio Papa Quarto præſcriptum eſt.

Taxa expeditionũ, actorũ, ac ſcripturarum in cauſis Ordinarijs & Commiſſarijs Cur. A.C.

§. 27. De ceteris vero actis, ſcripturis, & expeditionibus infracriptis, ſiue cauſæ ſint ordinariæ, ſiue commiſſariæ, ſoluatur tantummodo infraſcriptum precium, videlicet.
Pro compulſorialibus generalibus, ſiue ſpecialibus iul. duodecim.
Pro palmo rotuli remiſſoriæ iul. tres. Sit autem palmus linearum triginta, & linea ſyllabarum decem & octo.
Pro inſtrumento remiſſoriæ iul. duodecim.
Pro inſtrumento litis pendentiæ in curia iul. quatuor cum dimid.
Pro interdicto ſpeciali iul. quindecim.
Pro inſtrumento relaxationis interdicti iul. quindecim.
Pro executorialibus iul. triginta ſex.
Pro mandato de immittendo in poſſeſſionem vigore literarum Apoſtolicarum, ſeu in forma breuis iul. decem.
Pro abſolutione, ſiue abſolutionis commiſſione, pro vno iul. nouem.
Pro duobus litis conſortibus iul. quatuordecim.
Pro tribus litis conſortibus iul. decem & octo.
Pro quatuor litis conſortibus iul. viginti tres.
Vltra quatuor quotcumque addantur perſonæ litis conſortes, nihil augeatur precium expeditionis.
Pro Capitulo, Collegio, Confraternitate, aut Vniuerſitate iul. quinquaginta.
Pro inſtrumento abſolutionis iul. duodecim.
Pro decretis à Iudice prolatis non ex ſcripto, etiam vim definitiuæ habentibus, eorumve nota & ſportulis, nihil.
Pro ſimplici fide etiam plurium actorum iul. duos.
Pro examine teſtium, cum articulis & interrogatoriis in cauſa, quæ ſit æſtimationis à quinquaginta ſcutis ſupra vſque ad quamcumque ſummam, ſi articuli non excedant numerum vigintiquinque; interrogatoria numerum triginta quinque, in domo vel officio Notarij, iul. quatuor, extra vero officium, non vltra duplum.
In cauſa æſtimationis à quinquaginta ſcutis infra ſoluatur tantum pro dimidia. Quod ſi articuli excedant numerum vigintiquinque, & interrogatoria triginta quinque, ſoluatur merces Notarij abitrio Iudicis.
Pro inſtrumento ſententiæ, ſi extrahatur iul. quindecim.
Pro inſtrumento declaratoriæ non tamen vigore obligationis in forma Cameræ iul. duodecim.
Pro brachio ſæculari ob non paritionem monitorij, aut literarum Apoſtolicarum, vel executorialium iul. triginta.
Pro mandato ſuſpicionis fugæ, vſque ad quamcumque ſummam, etiam in vim obligationis Cameralis decreto iul. quatuor cum dimidio.
Pro mandato de conſignando vigore ſequeſtri, etiam vbi pro illius verificatione debitor prius fuiſſet conuentus via executiua, vigore obligationis Cameralis iul. quatuor cum dimidio.
Pro mandato de conſignandis pignoribus ſubhaſtandis, aut deliberandis iul. quatuor cum dimidio.
Pro mandato de relexando pro debito ciuili iul. quatuor cum dimidio.
Pro mandato in cauſis ciuilibus loco literarum, pro parua ſumma iul. quatuor cum dimidio.
Computato in his omnibus mandatis, iulio ſigilli.

Diuiſio premij dictarum expeditionum.

§. 28. De pretio autem ſic præſcripto, in omnibus ſupradictis expeditionibus, ſiue ordinariis ſiue commiſſariis, dentur Auditori & Maſſæ Notariorum, item (quoad ordinarias) Camerario eædem portiones, quæ, & prout antea pro eiſdem expeditionibus dabantur, nulla ex parte diminutæ. Reliquum quod iis portionibus detractis ſupererit, ſit Notarij expeditionis, præterquam in expeditione abſolutionis, ſiue commiſſionis abſoluendi, in qua ſingulis detrahatur pro rata, ita vt non tantum portio Notarij, ſed cuiuſque aliorum minuatur ad eam rationem, vt tantum vnicuique portioni pro eius modo decreſcat, quantum omnibus in vniuerſum detraximus.

§. 29. Pro mandato executiuo, ſiue brachio, vbi inuocatione opus fuerit ſæculari, per omnia expedito, omnibuſque comprehenſis, pretium ſit vt infra, videlicet.
Ab vno ſcuto vſque ad quindecim iul. quatuor cum dimidio.
A ſcutis quindecim vſque ad vigintiquinque iul. viginti duo.
A ſcutis vigintiquinque vſque ad quingentos iul. triginta tres.
A ſcutis quingentis vſque ad mille iul. ſexaginta ſex.
A ſcutis mille vſque ad quamcumque ſummam iul. centum & decem.

Taxa mandatorum executiuorum.

§. 30. Hoc autem pretium ita diuidatur, vt ex iuliis viginti duobus, Auditor habeat iulios ſex, Camerarius pro ſigillo habeat iulios quatuor cum dimidio, Maſſa Notariorum habeat iul. quatuor cum dimidio, Reliquum habeat Notarius expeditionis.

Ex iuliis triginta tribus, Auditor habeat iulios octo & baiochos duos cum dimidio, Sigillum iulios quinque cum dimidio, Maſſa habeat iul. octo, & baiochos duos cum dimidio, Reſiduum Notarius.

Ex iuliis ſexaginta ſex, Auditor habeat iulios ſexdecim cum dimidio, Sigillum iulios vndecim, Maſſa iulios ſexdecim cum dimidio, Notarius quod ſupereſt.

Ex iuliis centum & decem, Auditor habeat iulios vigintiquatuor, & baiochos ſeptem cum dimidio, Sigillum iulios ſexdecim cum dimidio, Maſſa iulios viginti duos, Notarius reliquum.

Ad conſtituendas autem ſupradictas ſummas, computentur iulij vndecim pro ſingulo ſcuto, quilibet vero iulius ſit decem baiochorum.

Taxa expeditionum cenſurarum Eccleſiaſticarum.

§. 31. Cenſurarum Eccleſiaſticarum nomine, nihil accipiatur, vel in expeditione mandati executiui ſeu brachij ſæcularis, vel ſeorſum ab eo, neque vſquam alias, niſi vbi ad illas rite proceſſum fuerit re ipſa.

Cum vero ad illas procedi contigerit, tunc pro declaratoria, aggrauatoria, & reaggrauatoria ſimul iunctis, & totali earum omnium expeditione, tantumdem exigatur, quantum pro brachio ſæculari, habita ratione prædictæ diſtinctionis ſummarum; ita vt omnis impenſa vtriuſque expeditionis, mandati ſcilicet vel brachij ſæcularis, & cenſurarum ſimul collecta, duplum nõ excedat eius pretij, quod mandato ſeu brachio ſæculari ſupra taxatũ eſt, pro qualibet ſupradictarum ſummarum. Excepta vltima maiori ſumma, videlicet à mille ſupra. In ea enim ſumma etiam ſi contingat vltra, vel poſt mandatum executiuum, ſeu brachium ſæculare, cenſuras quoque relaxari, nihil tamen earum nomine exigatur, ſed tantum prætet id pretium, quo pro ſolo mandato ſeu brachio ſæculari

Digitized by Google

culari ſupra taxatum eſt, accipi poſſit iuſta merces pro ſcriptura.

Numquam tamen cogantur partes inuitæ, vna cum mandato executiuo, ſeu brachio ſæculari, cenſurarum quoque expeditionem accipere, aut earum expeditionis pretium ſoluere, etiam ſi ad cenſuras ipſas in ſubſidium contra contumacem Iudex comminando rite proceſſerit, & extra loca temporali dominio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubiecta, vel etiam extra Italiam expeditio mittenda foret.

Quod ſi forte quiſquam legitime ſeruatis proceſſibus vtramque expeditionem, mandati ſcilicet ſeu brachij ſæcularis, & cenſurarum eodem tempore habere voluerit, tunc apponatur verbis expreſſis in ipſa expeditione, quoad cenſuras, ne is pretium quod illarum ratione expendit, vllo modo repetere poſſit ab iis contra quos decretæ, & prolatæ fuerunt, niſi aduerſus eoſdem, vigore mandati executiui, ſeu brachij ſæcularis non ſatisfacientes, aut aliàs non parentes, cenſuris ipſis neceſſe fuerit vti.

Diuiſio pretij expeditionū.

§. 32. Ipſius vero expeditionis cenſuratum pretium prædictum eadem ratione, & eiſdem portionibus diuidatur quibus pretium mandati executiui, ſeu brachij ſæcularis, vt ſupra dictum eſt.

Duplicata dentur ſoluta mercede ſcripturæ.

§. 33. Pro duplicatis etiam poſt quodcumque tempus expeditis, nihil exigatur præter ſcripturæ mercedem.

Sigilli iul. 1.

§. 34. Pro ſigillo paruo appenſo in qualibet expeditione ſoluatur iulius vnus tantum, vbi non adeſt minor taxa.

Mãdata non expedita non ſoluuntur.

§. 35. Pro mandatis executiuis, vel aliis quibuſcumque expeditionibus, Notarij nihil recipiant, niſi illis effectualiter partibus conſignatis.

Nemo cogatur accipere expedit.

§. 36. Nec partes ipſæ cogantur accipere aliquam expeditionem, niſi eam quam voluerint.

Pauperes, & miſerabiles habeantur vt hic.

§. 37. Pauperibus item expeditiones in forma pauperum, miſerabilibus vero gratis omnino tradant etiam ſcripturæ mercedem, diſtinctio vero iſtarum perſonarum Iudicis arbitrio remittitur.

Gratis hic indicata fiant.

§. 38. Pro terminis coram Iudice ſeruandis, iudicibus informandis, ſcripturis ad eos deferendis, ſeu etiam in officio perquirendis, regeſtis, ſeu extractibus tranſportandis, & aliis huiuſmodi, Notarij vel eorum ſubſtituti, & in eorum officiis ſcribæ, & copiſtæ, etiam nomine regalium, ſeu bibaliorum, nihil prorſus, etiam à ſponte dantibus accipiant.

Taxa in cauſis criminalibus ſit tertiæ partis vltra, in prædictis, & in aliis ſeruetur taxa Pij IV.

§. 39. In cauſis criminalibus expeditionum, quæ erunt eiuſdem generis, ſeu nominis, cuius ſunt ſupraſcriptæ, pretium augeri non poſſit vltra tertiam partem eius, quod ſupra in ciuilibus, præſcriptum eſt, in regeſtis, extractibus, copiis iudiciorum, & alterius quam ſupradicti generis ſeu nominis, expeditionibus criminalibus, ſeruetur taxa ab eodem Pio prædeceſſore aliis Tribunalibus ordinariis Vrbis præſcripta.

Expenſa notetur in calce exped.

§. 40. In omnibus expeditionibus ima earum parte Notarius apponat integram ſummam eius, quod vere expoſitum fuit ſub his verbis, videlicet. Expoſuit in totum tantum, idemque etiam in libro expeditionum ipſius Notarij deſcribatur.

Tabella retineatur.

§. 41. Et vt præmiſſa omnibus pateant, ſciatque quilibet quid, & quantum in præmiſſis exponere debeat, quilibet Notarius Auditoris teneatur poſthac tabulam ſupradictorum pretiorum expeditionum literis maiuſculis, ordinate & diſtincte ſcriptam, in eius officio palam loco eminenti, & cognito proponere, & ſemper retinere.

Alia reformationes non contraria confirmantur.

§. 42. Conſtitutiones item, quæ tàm à nobis quam ab aliis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, ad reformationem huius Curiæ pertinentes emanarunt, & in futurum emanabunt, modo his contrariæ non ſint, omnino in eadem Curia obſeruentur.

Pœna contrauenientium.

§. 43. Diſtrictius inhibentes Auditori ſub indignationis noſtræ, & Locumtenentibus, ſiue Iudicibus, ac Notariis prædictis, ſub priuationis officiorum ſuorum huiuſmodi, & aliis etiam grauioribus, noſtro & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis arbitrio, infligendis & applicandis pœnis, ne de expeditionibus, & aliis ſibi per præſentem interdictis, ac contra præſentis formam & tenorem, etiam quorumuis priuilegiorum & indultorum, ac literarum eis quomodolibet conceſſarum, aut conſuetudinis & ſtyli immemorabiliter obſeruari, vel alio quouis prætextu ſe intromittere quoquomodo audeant ſeu præſumant.

Annullatio in contrarium geſtorum.

§. 44. Decernentes quæcumque decreta & acta, ab eiſdem Auditore, Iudicibus, Notariis pro tempore contra præſentis formam & tenorem emanata & facta, nulla & inualida, ac extorta, ſubreptitia, nulliuſque roboris vel momenti fore & cenſeri, neminique propterea ſuffragari poſſe vel debere.

Decretum irritans.

§. 45. Et ita per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, in quauis cauſa & inſtantia, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula derogatoria.

§. 46. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtylo, conſuetudine, ac quocumque temporis curſu, etiam immemorabili roboratis; priuilegiis quoque, indultis, eidem Trib unali, ac illius Auditoriatus officio, & Auditori etiam in eiuſdem officij erectione & inſtitutione, ac Iudicibus & Notariis ipſis, illorumque Collegio, etiam ſimili Motu, etiam conſiſtorialiter, &c. ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis, in genere vel in ſpecie, & alias quomodolibet, etiam per nos conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, indiuidua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi præſenti, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque, & quibuſlibet aliis priuilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſenti non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus præſentis impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus ſpecifica, & indiuidua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum hab enda eſſet mentio ſpecialis.

Forma public.

§. 47. Vt autem præſens Motus proprius ad omnium notitiam deducatur, ac omnes quorum intereſt, vel intereſſe poterit afficiat, volumus & mandamus, illius copiam in Palatij noſtri Apoſtolici, ac domus, ſeu curiæ prædicti Auditoris valuis, necnon in acie Campi Floræ affigi, & ibidem relicta eius copia aliquamdiu detineri.

Sola ſignatura ſufficit.

§. 48. Volumus item, quod præſentis noſtri Motus proprij ſola ſignatura ſufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio & extra, regula contraria non obſtante.

Fides exemplorum.

§. 49. Quodque eius tranſumptis Notarij publici manu ſubſcriptis, & perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ ſigillo ſignatis, plena & indubia fides, eaque prorſus adhibeatur, ſi foret exhibitus & oſtenſus.

PP. ſul ſer.

Placet, & ita Motu proprio ſtatuimus & mandamus. M.

Dat. Romæ apud S. Petrum, duodecimo Kal. Decemb. anno quinto.

Dat. P. An. 5. die 20. Nou.

Anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo, Ind. ct. 13. die vero 4. menſis Decembris, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius 5. retroſcripta litera affixa, & publicata fuerunt in locis retroſcriptis.

Publicatio.

Prohibitio diſputandi in publicis Prædicationibus de Conceptione B. Mariæ Virginis, aut de ea vulgari ſermone ſcribendi vel dictandi.

CXIV.

De Prædicatorum autem officio, & approbatione,

Digitized by Google

vide sup. in Leon X. constit. 21. Supernæ. vbi notaui. De Conceptione B. Mariæ habes in Conc. Trid. sess. 5. De peccato originali. in fin.

Paul.V. postea prohibuit, quod in actibus publicis asseratur Beatissimam Virginem Mariam fuisse conceptam in peccato originali, in constit.105. *Sanctissimus.* inf. tom.3. Quam ampliauit, & respectiuè declarauit Greg. XV. in constit.29. *Sanctissimus.* inf.tom 4.

Edita An. D. 1570.

PIVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius constit.

SVper speculam Domini, viribus licet exiguis, constituti, prophetæ solicitudinem imitantes, die noctuque ad diuersos Ecclesiæ status nostræ mentis aciem intendimus, studiosè prouidentes vt communi Domino ab omnibus gradibus fideliter seruiatur, ac illis maxime, quibus digniora ministeria diuini Spiritus fauore credita sunt, inter quos diuini verbi prædicatores adnumerandos esse nemo dubitare poterit, qui eorum munus ab ipso Domino consecratum, Apostolis præcipue iniunctum fuisse animaduerterit, qui si adepto gradu digne fungerentur, euangelizantes pacem, annunciantes bona, prædicantes salutem, non solum vox eorum dulcis, verum & specioſi pedes viderentur, & fraternæ salutis vberes fructus referentes, multam fiduciam haberent in die Domini. Verum quod neque sine animi dolore accepimus, nec referre possumus, quidam diuersorum Ordinum Regulares, Clericique sæculares, omissis quæ diuinæ maiestatis gloriam, & Sanctissimæ Dei Genitricis, aliorumque diuinorum venerationem, atque fidelium pietatem promouere poterant, quod Apostolus in quibusdam arguit, languent circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, & contentiones, ceteraque vitiorum monstra, potissimum vero cum de Glorioſæ Virginis Mariæ Conceptione sermo inciderit, tam pertinaciter pro alterutra parte contendunt, ac si de illis dogmatibus esset, quæ corde credere ad iustitiam, ore confiteri ad salutem necessarium est. Quibus illud Prophetæ cõuenire videtur, dicunt, ait Dominus cum ego non sim locutus, cum Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum magistra, & doctrix disciplinæ de ea re hucusque non definierit, nemo absque temeritate præiudicare, vel alterius partis sententiam damnare potest, & quasi desint præclarissima inuentricis gratiæ merita, quæ nec Angelica quidem lingua satis digne referri possunt, & cum ex illo vberrimo fonte, puteoque aquarum viuentium non possint saluberrimas haurire aquas, quibus fidelis populus, magna cum vtilitate atque dulcedine, reficeretur, ad dissipatas cisternas occurrunt, stultas scilicet, & sine disciplina quæstiones, quæ generant lites, quas nec frequens multitudo intelligere, nec viri sapientes, qui capiunt, vtiliter percipere valeant, præsertim quoniam, vt experimento didicimus ipsorum concionatorum, qui ad quæstiones huiusmodi proponendas facilius erumpere solent, maior numerus materiæ difficultatem prorsus ignorantes, neque intelligentes quæ loquuntur, aut de quibus affirmant, simplicium animos, indiscretæ deuotionis obtentu, vel potius loquacitatis, & ostentationis effectu, ad tumultus & simultates concitant, quos, tumultuantes atque dissidentes, componere sedareque potius oportebat. Cumque paruulis in Christo lac infundere, prouectis solidum cibum apponere deberent, dum in huiusmodi controuersiis interminatis versantur, omnibus vbera proferunt arentia, quod non absque maledictionis nota legimus in Propheta.

Confirmatio decreti Sixti IV. approbati à Conc. Trid. sess. 5. de peccato orig. in fin.

§. 1. Nos igitur qui prædecessorum nostrorum saluberrima decreta pro viribus salua esse cupimus, potissimum illa, quæ à sacrosancta Synodo Tridentina denuo sunt confirmata, liberam cuique facultatem relinquentes opinandi huius controuersiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile esse iudicauerit. Prædictorum igitur concionatorum, aliorumque contentioni, atque temeritati, populorumque scandalis occurrere studentes, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, statutum fel. record. Sixti Quarti prædecessoris nostri, super ea re, quod à præfata synodo innouatum est (illud præsentibus, ac si de verbo ad verbum esset insertum, pro plene & sufficienter expresso & inserto habentes) Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus & approbamus.

Prohibitio disputãdi in popularib. concionib. de Conceptione B. Mariæ Virginis, aut de ea vulgari sermone scribendi, vel dictandi.

§. 2. Atque vt deinceps efficacius à cunctis obseruetur perpetuo statuimus & ordinamus, ac per Apostolica scripta mandamus, quatenus nemo cuiuscumque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis existat, in popularibus concionibus, vel vbicumque promiscua virorum & mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuersiæ alterutra parte disputare, rationibus vel doctorum auctoritate asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo aut impugnando, vel de hac ipsa quæstione, cuiusuis pietatis, aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere vel dictare præsumant. Qui contra fecerit suspensionis pœnam à diuinis absque noua declaratione ipso facto incurrat, si modo fuerit in sacris constitutus, & quocumque præterea gradu, siue dignitate, vel administratione fungatur, illis omnibus sit ipso iure priuatus, & ad eadem, vel similia munera obtinenda vel obeunda perpetuæ inhabilitatis censuræ ipso etiam facto sit obnoxius, super quibus nisi à Romano Pontifice pro tempore existente dispensari siue absolui non possit. Et nihilominus aliis pœnis, si opus fuerit, à proprio Prælato pro delicti mensura infligendis subiiciatur, prout subiicimus.

Permissio differendi de Cõceptione, in disputationib. cessante scrupulo scandali.

§. 3. Ceterum quamdiu per Apostolicam Sedem, altera pars definita non fuerit, oppositaque sententia condemnata, liceat viris doctis, in publicis Academiæ disputationibus, siue generalium, aut Prouincialium Capitulorum, vel vbi alias interſunt, qui rem capere possunt, nec scandali vlla subest occasio, de illa quæstione disserere, & argumentis vtramlibet partem, vel asserere, vel impugnare, dum tamen neutra, veluti erronea prædicetur, seruenturque illa omnia, quæ à dicto Sixto prædecessore nostro statuta sunt, quorum singula, vt præfertur, etiam quantum ad alias pœnas, duximus innouanda, & innouamus per præsentes.

Iussio publicãdi hanc bullã vbique.

§. 4. Vt autem hæc nostra constitutio, & præmissa omnia, ad eorum omnium quorum interest, notitiam congruentius peruenire possint, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna priuationis ab ingressu Ecclesiæ, etiam eo ipso incurrenda, si in his quæ mandamus exequendis se negligentes exhibuerint, præcipimus & mandamus omnibus & singulis locorum Ordinariis, ac eorumdem Vicariis suffraganeis, & officialibus quibuscumque, & aliis singulis ad quos quomodolibet spectat, & pertinet, quatenus huiusmodi nostram constitutionem singulis suæ diœcesis, vel districtus Prædicatoribus, & aliis quibus expedire iudicauerint opportune insinuent, & publicent, ac insinuari & publicari faciant. Et ne quis in posterum quoquomodo ignorantiam de præmissis possit prætendere, aut se contra præmissa valeat excusare.

Forma & effectus publicationis in Vrbe.

§. 5. Volumus, & similiter eadem auctoritate decernimus & mandamus, quod præsentes literæ per aliquos ex nostris Cursoribus in Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ valuis, ac in acie Campi Floræ de Vrbe de more publicentur, & affigantur, & illis inde amotis remaneant in eisdem locis earumdem exempla affixa: quæ publicatio & affixio, ita omnes ad quos spectat, afficiat, & arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Clausula derogatoria.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus, ac quibusuis indultis & literis Apostolicis, quibusuis personis, etiam quãtumcumque qualificatis, & in quacumque etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quauis alia dignitate & honore constitutis, etiam quod interdici, suspendi vel excommunicari nequeant quomodolibet concessis, quæ eis contra præmissa in aliquo suffragari non posse decernimus, ceteriſque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus insuper & decernimus, quod præsentes vim perpetuæ & irrefragabilis constitutionis obtineant, & quod illarum transumptis impressis manu alicuius Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur,

Digitized by Google

adhibeatur, quæ præsentibus literis adhiberetur, si ostensæ vel exhibitæ forent, Regula Cancellariæ nostræ Apostolicæ quacumque in contrarium disponente, non obstante.

Sanctio pœnalis.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, statuti, ordinationis, mandati, subiectionis, innouationis, præcepti voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. P. An 5. die 30. Nou.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo Prid. Kalend. Decembris, Pontificatus nostri anno quinto.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi 1570. indict. 13. die vero 7. mensis Decembris, Pont. Sanctiss. in Christo patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno 5. retroscriptæ litere Apostolice affixæ & publicate fuerunt in Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostol. de Vrbe, ac Cancell. Apostol. valuis, & in acie Campi Flore, dimissis illarum copiis affixis per nos Ioannem Andream Pamphilum, & Petrum Aloysium Gaitam pralibati S. D. N. Papæ Curs.

Camillus Cher. Mag. Curs.

CXV. Facultas Canonicorum regularium Congregationis Lateranen. Ordinis S. Augustini, festum illius celebrandi, etiam in die Dominico, si in ea illud vel illius octaua occurrerit, & celebrandi etiam festa nonnullorum Sanctorum sui Ordinis iuxta antiquum ritum.

De materia autem huius Congregationis vide à me dicta sup. in const. 2. Paschal. II. Quanto.

Edita An. D. 1570.

PIVS PAPA QVINTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Præmium.

LIcet Ecclesia Dei sponsa tunc veræ iubilationis suæ fructum reportet, cum Christifideles omnes ad precum effundendarum exercitium excitat, eumdemque orandi, psallendique ritum & morem omnibus proponit, alienum tamen à ratione minime censendum erit, si aliquos sanctorum quorumdam patrocinio specialius suffultos, ad eorumdem particularem venerationem, etiam per crebras illorum commemorationes sese excitare permiserit, vt peculiare ipsorum meritum agnoscentes, eorum quoque vestigia sequi quam maxime studeant.

Hic Pont. Breuiarii edidit, & iuxta illud sacra celebrari iussit, vt in sua constit. 6. Quod à nobis. sup.

§. 1. Hinc est, quod nos licet alias ex certis tunc expressis causis omni alio Breuiarij vsu interdicto, Breuiarium, quod imprimi curauimus, ac psallendi, precandique formulam in omnibus vniuersi Orbis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & locis etiam exemptis, in quibus iuxta ritum Romanæ Ecclesiæ dici debet, aut consueuit, sub certis modo & forma seruari mandauerimus, statuentes Breuiarium ipsum nullo vmquam tempore, in toto vel in parte mutandum, aut ei aliquid detrahendum, ac alia fecerimus, prout in ipsis literis, quas in cuiuslibet Breuiarij prædicti principio imprimi voluimus, plenius continentur.

Nunc autem dat licentiam Congregationi Festa de quib. hic, celebrädi iuxta Ordinis ritum, &c.

§. 2. Attendentes tamen dilectos filios Canonicos Regulares Congregationis Lateranen. Ordinis S. Augustini, eorum Patrem, ac primum Apostolici illius Ordinis Reformatorem S. Augustinum prædictum, ac præterea insigniores eiusdem Ordinis Sanctos Martyres, ac Confessores, quorum meritis eadem Congregatio per orbem propagata, & illustrata extitit, & in dies eiusdem Congregationis personæ adiuuantur, atque proteguntur, debita, vt par est, veneratione cupere, in eorum præsertim diebus, quibus in Domino obdormire eisdem obtigit celebrare. Nos propterea pium eorum desiderium plurimum in Domino commendantes, Motu proprio, non ad dictorum Canonicorum, seu alicuius eorum super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, Congregationi dictorum Canonicorum concedimus primum, quod vltra consuetas Saluatoris Lateranensis, & S. Augustini prædicti eorum Patris, ad Vesperas & Laudes commemorationes, eiusdem S. Augustini festum, die vegesimaoctaua Augusti occurrens, per totam illius octauam, tam in canonicis horis, quam in Missæ celebratione, prout hactenus, celebrare possint, videlicet in ipsa quidem die, & octaua sub duplici, infra octauas autem sub semiduplici, cum commemoratione festorum simplicium occurrentium. De Decollatione autem S. Ioannis Baptistæ fiat suo die cum commemoratione octauæ. De Dominica autem si occurrat infra octauas, fiat de ea cum commemoratione octauæ, sin autem in ipsa die, vel octaua Dominica occurrerit, fiat de Sancto cum Dominicæ commemoratione, cum Antiphonis videlicet, Hymnis, Responsoriis, ac reliquis ipsorum Canonicorum propriis, ordinatis à Diuo Thoma Aquinate, iuxta eorum antiquum morem, seu & prout, melius ac congruentius videbitur, ab ipsis reformandis, dum tamen tres primæ lectiones sint de Scriptura, intra octauas quidem de occurrente, in ipso autem die, & octaua de scriptura assignata ab ipsis Canonicis, atque congruentius eidem festo aptata. Mediæ tres, partim de vita eiusdem Patris, collecta è dictis eiusdem, in libris præcipue confessionum, necnon & Possidonij eius contemporanei, ac locij, qui cum per annos quadraginta cum eo familiarissime vixisset, vitam etiam eius veriori & integriori modo descripsit, partim de sermonibus eiusdem Patris de communi vita Clericorum. Tres vero postremæ lectiones de Homilia S. Ioannis Chrysostomi super Euangelium Matthæi: Vos estis sal terræ: pariter & eius conuersionem die quinta Maij, cum lectionibus vt supra authenticis ex ipso S. Augustino, & Possidonio, necnon & cum lectionibus in vltimo nocturno Diui Gregorij Papæ, super Euangelio Lucæ: Erant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores. Primam quoque eius, quæ vndecima Octobris, & secundam, quæ vltima die Februarij occurrit, translationes, necnon & quolibet mense semel ipsius commemorationis festum, die in quo festum alicuius Sancti non occurrerit, sub duplici possint celebrare. Et similiter Sanctorum Aniani Episcopi die Decembris secunda. Sancti Thomæ Cantuarien. Episcopi & Martyris, vigesimanona Decembris. Aquilini martyris, Ianuarij vigesimanona. Guarini Episcopi, Februarij sexta die. Theotoni Confessoris, decima octaua die Februarij. Albini Episcopi, prima Martij. Herculani Episcopi & martyris, Martij secunda. Patricij Episcopi, Martij decimasexta. Monicæ Viduæ, Maij quarta. Vbaldi Episcopi, Maij decimasexta. Iuonis Episcopi, Maij vigesima. Bernardi Confessoris, Iunij decimaquinta. Ioannis, Octobris decima. Frigdiani Episcopi, Nouembris decimanona. Gelasij Papæ, Nouembris vigesima prima. Prosperi Episcopi, Nouembris vigesima quarta. Omnium quoque aliorum d. Congregationis, & Ordinis Sanctorum festa, etiam sub duplici officio celebrare, atque iis omnibus & singulis, proprias eorum, atque authenticas lectiones, seu & orationes, seruata prædicta Breuiarij forma accommodare valeant, officiaque prædicta recitantes, debito suo perinde censeantur satisfeciisse, ac si ea quæ in Breuiario assignantur recitassent, nec ad aliam vlterius recitationem vllo vmquam tempore possint compelli; prædictaque eorum particularia officia seorsum & separatim à Breuiario, vbicumque illis placuerit, absque alia nostra, vel Commissarij nostri in illis partibus licentia imprimi facere, libere & licite valeant.

Inhibitio contra molestantes Canonicos sup. præmissis.

§. 3. Districtius inhibentes, tam locorum Ordinariis quam quibusuis librorum impressoribus, ceteriisque quauis auctoritate fungentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis maioris, necnon indignationis nostræ pœnis, ne eosdem Canonicos super recitatione horarum, aut impressione officiorum huiusmodi impedire, molestare, vel inquietare, audeant vel præsumant.

Clausula præseruatiua huius cæssionis.

§. 4. Ac decernentes præsentes literas nullo vmquam tempore subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, inualidari nullatenus posse, minusque sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus comprehendi vllatenus posse, sed quoties illa emanabunt

Digitized by Google

nabunt, toties in priſtinum ſtatum, etiam ſub quacumque Data per ipſos eligenda reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas eſſe, ſicque ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcumque Iudices & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum huius bullæ deputatio.

§. 5. Quocirca dilectis filiis noſtris Flauio Vrſino, & Paulo ab Eccleſia, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ preſbyteris Cardinalibus, & cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, per præſentes Motu ſimili mandamus, quatenus ipſi vel duo aut vnus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Canonicorum, ſeu alicuius eorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta quæcumque firmiter obſeruari, non permittentes eos, ſeu eorum aliquem deſuper contra earumdem præſentium tenorem quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoſlibet & rebelles, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Necnon legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Clauſula contrariorum derogatoria.

§. 6. Non obſtantibus fel. recordat. Bonifacij Papæ Octaui prædeceſſoris noſtri de vna, & Conciliis generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præſentium vltra tres dietas ad iudicium non trahatur, ac literis noſtris prædictis, quas eoſdem Canonicos ligare nullatenus poſſe volumus, ac quibuſuis aliis Apoſtolicis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſuis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis, in genere vel in ſpecie, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam ſi de eis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, eiſdem præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus, communiter vel diuiſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Tranſumptorum fides.

§. 7. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu tamen alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

D. P. An. 5. 18. Decemb.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 18. Decemb. milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo, Pontificatus noſtri anno 5.

CXVI. Priuilegium præcedentiæ Canonicorum regularium Congregationis Lateranenſis, Ordinis S. Auguſtini, ante alios quoſcumque Regulares, poſt clerum ſæcularem.

Hic Pont. poſtea, ante iſtos Canonicos, præcedere iuſſit Canonicos ſæculares S. Georgij in Alga vt infra in eius conſt. 127. Cum alias nos.

Alia quæ hanc reſpiciunt Congregationem notaui ſupra in conſt. 2. Paſchal. II. *Quanto.* Et de præcedentia cum Monachis S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis extat ſup. declaratio Pij IV. in eius conſtitut. 75. *Sedis.*

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1570.

CVm ex Ordinum vniuerſitate, qui in Dei Eccleſia reperiuntur, illa caſtrorum aciei comparetur, illius autem gubernium Rom. Pontif. B. Petri vero ſucceſſori ſit demandatum, mirum nemini videri debet, ſi ille curæ ſibi diuinitus commiſſæ inuigilans, cuilibet quod ſuum eſt benigne concedendo, & quæ clara etiam ſui ipſorum natura ſunt, ne in recidiuæ contentionis ſcrupulum relabantur, opportunæ declarationis, ac nouæ conceſſionis remedio conſolidat; vt quibuſuis ſublatis obſtaculis, quilibet pacis amœnitate frui libere poſſit, ac ſcandalorum occaſio penitus tollatur.

Proœmium.

Canonici regulares ab Apoſtolis originem traxerunt.

§. 1. Cum itaque ſicut accepimus dilecti filij vniuerſi Canonici Regulares Ordinis S. Auguſtini Congregationis Lateranenſis, qui ab Apoſtolis originem traxerunt, quique ab eodem S. Auguſtino eorum reformatore, iterum per reformationis viam mundo geniti, merito prætendere poſſunt, ſe, omnes alias perſonas Eccleſiaſticas, tam ſæculares quam regulares, in proceſſionibus, & aliis actibus publicis præcedere debere.

Præcedentia itaque eis datur immediate poſt clerum ſæcularem.

§. 2. Cum tamen non liceat membra à capite ſeparare; ſed tamen eis locum debitum aſſignare, ipſorumque indemnitati, vt ſine populi ſcandalo in publicum prodire, exemploque potius ceteris Chriſti fidelibus eſſe poſſint, conſulere volentes, ac omnium & ſingularum litium, quæ forſan ſuper præmiſſis exortæ ſint, aut exoriri quoquomodo poſſint, ſtatus & merita, nominaque & cognomina Iudicum & collitigantium, præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, non ad dictorum Canonicorum, vel alicuius alterius pro eis ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia noſtra, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulos Canonicos prædictos, vbicumque locorum exiſtentes, quos deinceps proceſſionibus, & aliis actibus, publicis vel priuatis, intereſſe contigerit, ſtatim ipſum clerum ſæcularem non exemptum ſubſequi, dum ipſi ſubſequendo præcedunt, dum vero præcedendo præcedunt, illum immediate ſequi debere, auctoritate Apoſtolica per præſentes declaramus. Ac inſuper in omnibus locis, in quibus talis viget conſueto in proceſſionibus, vt dicti Clerici non exempti, præcipue quando Canonici alicuius Eccleſiæ Cathedralis, paramenta Eccleſiaſtica induunt, vt cultus diuinus magis vigeat, ac vt Sanctiſſimum Corpus Chriſti, ſeu aliæ reliquiæ, quæ proceſſionaliter deferuntur, decentius & honorificentius aſſocientur, aut quando hoc ipſius Ordinarij mandato continget, ipſi Canonici ſimiliter ac illi, Pluuialia, Planetas, Tunicellas, & alia paramenta ſuper eorum clericalem habitum deferre, necnon pro cruce aſſocianda quæcumque luminaria deferre, libere & licite poſſint, ſtatuimus & ordinamus.

Tu aduerte quod nouum in rub.

Inhibitio ne perturbentur.

§. 3. Diſtrictius inhibentes quibuſuis locorum Ordinariis, etiamſi Patriarchali, Prouinciali, Archiepiſcopali, aut alia dignitate perfulgeant, ſub excommunicationis maioris, & indignationis noſtræ pœna, ne eoſdem Canonicos, ſeu aliquem eorum moleſtare, aut præmiſſa quouis modo declarare, vel interpretari audeant.

Clauſula huius priuilegij præſeruatiua.

§. 4. Decernentes præſentes literas nullo vmquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod locorum Ordinarij, aut alij forſan intereſſe habentes, vocati non fuerint, aut nullitate notari, imputari, inualidari, ad terminos iuris deduci, in ius vel controuerſiam vocari, cauſamque vel cauſas quare præmiſſa à nobis emanauerint verificandum nullatenus teneri, nec ob id viribus carere; minuſque ſub quibuſuis ſimilium vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſubſtentationibus, limitationibus aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi; ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, ac plenarie reintegratas, etiam ſub Data per ipſos Canonicos erigenda eſſe; ſicque ab omnibus cenſeri. Et ita per

Digitized by Google

per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & ipſoſmet Ordinarios, ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quocumque quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§. 5. Quo circa dilectis filiis dictæ Congregationis Protectori, ſeu eius Viceprotectori, & cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, ac Vicario ven. Fratris noſtri Epiſcopi Laudeñ in ſpiritualibus generali, per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut vnus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Canonicorum prædictorum, vel alicuius eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eoſdem Canonicos, illorumque ſingulos, præmiſſis omnibus & ſingulis vi præſentium continentia & tenore pacifice frui & gaudere. Non permittentes eos, ſeu eorum aliquem deſuper per quoſcumque indebite moleſtari, perturbari, & inquietari, contradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis, ſeruatis proceſſibus, illos cenſuras & pœnas ipſas incurriſſe declarando, necnon eas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Clauſula derogatoria.

§. 6. Non obſtantibus fel. rec. Papæ Bonifacij prædeceſſoris noſtri, etiam qua caueatur, ne quis extra Ciuitatem vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & illis vltra vnam dietam à fine ſuæ diœceſis ad iudicium euocetur, ſeu ne Iudices à Sede Apoſtolica deput. extra Ciuitatem vel diœceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alij vel aliis vices ſuas committere præſumant, ac de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo vltra tres dietas quis vigore præſentium ad iudicium non trahatur; ac aliis Apoſtolicis in prouincialibus ac ſynodalibus Conciliis editis, ſpecialiter vel generaliter, conſtitutionibus & ordinationibus, ac etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſuis Eccleſiis, Congregationibus, Capitulis, Collegiis, Monaſteriis, & aliis locis, eorumque ſuperioribus & perſonis, ſub quibuſuis tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibuſque, & aliis decretis, motu, ſcientia & poteſtate ſimilibus, etiam conſiſtorialiter conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut alia aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores hniuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nil penitus omiſſo, ac forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, eiſdem præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Dat. P. An. 5. die 23. Dec.

Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1570. 10. Kalend. Ianuarij, Pontificatus noſtri anno 5.

CXVII. Reuocatio facultatum teſtandi, & quouis alio modo diſponendi de acquiſitis ex bonis Eccleſiaſticis, ac de aliis rebus, etiam proprio labore partis, aut patrimonialibus, ad commodum illegitimorum, etiam legitimatorum, non tamen Hoſpitalibus expoſitorum, & Orphanorum.

Et abrogatio habilitationum eorumdem illegitimorum ſuccedendi in dictis bonis, aut rebus feudalibus, & emphyteuticis à piis locis profectis.

De huiuſmodi facultatibus, vide pro Curialibus indultum Paul. V. in conſt. 18. In eminenti. *vbi plene notabo. Et attende etiam reintegrationem Militiarum Hiſpaniarum in conſt. 30. Greg. XIII.* Romani. *Quod autem generaliter bona illegitimis relicta, vti ſpolia deueniant ad Reu. Cameram Apoſt. habetur in Six. V. conſt. 100.* In conferendis *cum ibi indicatis.*

De facultate autem legitimandi, vide ſup. in Iul. II. conſt. 15. *Sicut.* ac Pij IV. conſt. 45. *Quamuis* Et etiam vide priuilegium Protonotariis Apoſtolicis conceſſum à Six. V. in conſt. 12. *Romanus.*

Edita An. D. 1571. & 1471. Exordium.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus ſeruorum Dei Ad perpetuam rei memoriam.*

QVæ Ordini Eccleſiaſtico noxia eſſe, & ſcandala obiicere perhibentur, neceſſe eſt è medio ſubmouere.

Reuocatio indultorum teſtandi & diſponendi de acquiſitu, ex bonis Eccleſiaſticis, ac de aliis rebus in fauorē illegitimorum etiā legitimatorū nō tamen Hoſpitalibus expoſitorum, & Orphanorum.

Hæc declarantur mox hic inf.

§. 1. Quod nos pro noſtri muneris officio, inter alia incommoda quæ in oculos noſtros incurrunt, de Chriſti peculio, neab indignis & reiectis ignominioſe conſumatur, neue illorum cauſa, Eccleſiis & pauperibus prætipiatur, curam præcipuam habere volentes, de nobis attributæ poteſtatis plenitudine, reuocamus & abolemus omnia & quæcumque priuilegia, licentias, diſpenſationes, & indulta faciendi teſtamenta, donationes, ſiue inter viuos ſine cauſa mortis, legata & quaſcumque alias diſpoſitiones, de dominiis, terris, caſtris, domibus, & quibuſlibet aliis bonis & rebus, immobilibus, mobilibus, & ſe mouentibus, necnon pecuniis, iuribus & actionibus, ex beneficiis, fructibus, penſionibus, & aliis rebus Eccleſiaſticis qualibuſcumque confectis, acquiſitis, & alias quomodocumque prouenientibus, necnon de peculio, & aliis etiam ſola induſtria, labore, muneribus, aut quocumque alio modo partis, cuiuſcumque qualitatis, quantitatis, ſpeciei, naturæ, & valoris exiſtentibus, in quoſcumque illegitimos, ſiue ſuos, ſiue extraneos, etiam legitimatos, eoſdemque ex toto vel in parte hæredes inſtituendi, & ſubſtituendi, ſeu quod ipſi in prædictis ab inteſtato ſuccedant, ceteraſque huiuſmodi facultates, & permiſſiones ac etiam habilitationes & capacitates ſuccedendi in bonis & rebus feudalibus, & emphyteuticis, ab Eccleſiis, Monaſteriis & piis locis profectis, quibuſcumque perſonis ſæcularibus, & quorumcumque Ordinum, necnon Militiarum & Hoſpitalium regularibus, ac Romanæ Curiæ officialibus, & aliis Curialibus Curiamque ipſam ſequentibus, & etiam Vrbis Romæ Ciuibus, ac Palatia, ædes, cenſus, aliaque bona, in ea eiuſque diſtrictu habentibus, noſtris quoque & aliorum Romanorum Pontificum familiaribus, Eccleſiarum Prælatis, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & aliis cuiuſcumque dignitatis, ordinis, & conditionis exiſtentibus, illorumque & aliis Eccleſiis, Capitulis, Conuentibus, Ordinibus, Militiis, Hoſpitalibus, Collegiis, officiis, & locis, ac prædictæ Vrbi, aliiſque Ciuitatibus, Prouinciis, & dominiis, eorumque dominis, populis, ciuibus, & incolis, tam per fel. record. Sixtum Quartum, Innocentium Octauum, Alexandrum Sextum, Iulium Secundum, Leonem Decimum, Clementem Septimum, Paulum Tertium, Iulium Tertium, Paulum Quartum, Pium Quartum, & qui ante illos fuerunt alios quoſcumque Romanos Pontifices, ac nos & Sedem Apoſtolicam, eiuſque Legaros, etiam de latere, Nuncios, Notarios, Comites, Collegia, officia, & loca, etiam per modum ſtatuti perpetui, generalis legis, initi & ſtipulati contractus, ſeu quaſi & alias ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis reſtitutiuis, præſeruatiuis, mentis atteſtatiuis, derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque ſimili poteſtatis plenitudine, ac prædictorum Cardinalium conſilio, & matura deliberatione in Conſiſtorio habita,

Digitized by Google

habita, necnon consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, etiam ob remunerationem laborum, & obsequiorum, in nobis & dictæ Sedi impensorum, refectionem damnorum, compensationem iurium cessorum, vel ablatorum, nauatæ Militiæ contra Hæreticos & infideles, seu pro prædictæ Vrbis ornatu, & frequentatione, ac quibuscumque aliis vsibus, ac etiam necessariis & piis causis concessa, & multiplicatis vicibus confirmata, innouata, extensa, & moderata, & quantocumque tempore pacifice obseruata, quoad eam partem, quæ illegitimos prædictos tangit dumtaxat, etiam si illa contineant, quod omnes Curiales Curiam sequentes, & alij, siue Ecclesiastici, etiam Cardinales, siue mundani, qui Palatia, domos, & prædia, vrbana vel rustica, ædificauerint, aut census, aliaue bona acquisiuerint, aut alias acquisita habuerint in d. Vrbe, & circum eam ad milliaria decem, ex bonis, seu fructibus Ecclesiasticis, hi tales de illis, necnon iuribus, & iurisdictionibus omnibus, in fauorem illegitimorum, ac quomodolibet inhabilium, & incapacium, siue inter viuos siue causa mortis disponere, eosque hæredes & successores, vniuersales vel particulares instituere, & substituere, & si intestati decesserint, ipsi illegitimi & incapaces, in illis succedere possint, quodque per quascumque reuocationes, derogationes, aut alias contrarias dispositiones, illis quorum interest præiudicari nequeat, & si vllo vmquam tempore præiudicatum, aut derogatum quoquomodo apparuerit, ius quæsitum ablatum, & literæ reuocationum & derogationum huiusmodi, iuris quæsiti ablata censeantur. Sicque per quoscumque Iudices iudicari debeat, & etiam definiri.

Reuocatio facultatū Legatorū, Nunciorum & aliorū similia concedendi.

§. 2. Ac pariter tollimus & abrogamus omnes & quascumque facultates similia concedendi, Legatis, Nunciis, Notariis, Comitibus, Collegiis, officiis, & aliis, supradictis, quorum omnium tenores, ac si ad verbum inserentur, habemus præsentibus pro expressis. Ita vt priuilegiorum, dispensationum, facultatum, habilitationum, capacitatum, indultorum, & aliorum supradictorum sic reuocatorum, aut etiam literarum, legitimationis prætextu, nullus omnino de huiusmodi bonis, rebus, pecuniis, iuribus, iurisdictionibus, & actionibus, in commodum & fauorem illegitimorum vtriusuis sexus, siue eorum filiorum, siue consanguineorum, affiniumve, siue extraneorum etiam in statu sæculari procreatorum, ac legitimati quacumque auctoritate donatorum, & ad huiusmodi res & bona, eiusque successionem, testato vel intestato, idoneorum & capacium effectorum, siue testamento, siue donatione, siue legato, siue eleemosyna, siue alio quocumque titulo, & pio opere (exceptis in communi, ac omni fraude, conuentione, seu compositione cessante, Hospitalibus expositorum & Orphanorum) disponere, nec illegitimi ipsi in eis ab intestato, siue protinus siue per interpositas personas, ac quomodocumque succedere, aut illa alias ad eos, etiam per quemcumque circuitum multiplicatarum in alios capaces successionum, vllo tempore deuenire possint.

Annullatio contrariarum dispositionū, qua non sunt sortita effectū.

§. 3. Ac etiam nulla esse, & pro infectis habere volumus, omnia & quæcumque facta hucusque testamenta, legata, donationes, & alia disposita huiusmodi, quę viuentibus adhuc testatoribus, aut alias locum non habuerunt, ac pariter ab intestato successiones, non tamen litigiosas, quæ plenarium non sunt effectum sortitæ.

Prohibitio disponendi, vt aliquid ipsis illegitimis cedatur.

§. 4. Deinc vero districtius prohibemus, ne talia siue in prædictos illegitimos vtriuslibet sexus, siue in illorum coniuges, siue ipsorum parentes, filios, descendentes, ascendentes, vel alios cognatos, siue viuentibus, siue defunctis illegitimis, etiam paupertatis, dotis, aut alterius cuiuscumque pij operis intuitu fiant, neue ipsi vmquam in rebus, bonis, pecuniis, iuribus, iurisdictionibus, & actionibus prædictis, siue totis, siue in parte succedant, aut illa ad ipsos, quauis dispensatione suffultos, etiam per prædictum circuitum deueniant, neue de eis vlla in alium seu alios concessio, donatio, translatio, aliaue dispositio fiat, vt alia bona similia, vel dissimilia, illegitimis aut aliis supradictis concedantur.

Annullatio dispositionum aliter fien. & pœna dispositionum.

§. 5. Quod si prædictorum quispiam fuerit præsentium violator, testamentum, donatio, legatum, & dispositio omnino non teneat, nec etiam quoad alios capaces, & res alias valeat. sicque disponens, priuilegio, dispensatione, facultate, & indulto prædicto, eiusque vsu, & commodo, etiam in ceteris omnibus ipso iure sit priuatus. Nemo quantumuis capax illius prætextu, fructus, res, pecunias, aut prorsus alia bona sua faciat, nec illa detinens præscriptione, aut vllo alio iuris præsidio adiuuetur, sed ad integram illorum restitutionem quocumque temporis lapsu non obstante, debeat coerceri.

Successores in beneficiis, bona de quibus aliter prouisum esset, recuperare possint, & eu ni insistentibus idem faciant locorum Ordinarij pro Sede Apost.

§. 6. Ita vt omnes in Ecclesiis, Monasteriis, & beneficiis successores, tam coniunctim quam diuisim, quisque videlicet pro rata parte sua, illa omni tempore recuperare possint, & qui primus ceteris ab eo monitis, & negligentibus, iudicium intenderit, ei soli res tota merito vendicetur. Nullis vero huiusmodi successoribus, pro prædictis insistentibus, ac etiam de peculio alias quam ex rebus Ecclesiasticis confecto, locorum Ordinarij, tam concessorum, & relictorum illegitimis, eorumue causa, quam quorumcumque aliorum bonorum immobilium, mobilium, & se mouatium, necnon pecuniarum, fructuum, rerum, & iurium, alias sub dictis testamentis, donationibus, legatis, & dispositionibus comprehensorum, corporalem possessionem, amotis inde & expulsis quibuscumque detentoribus, siue incapacibus siue capacibus, per se vel alium, seu alios, libere apprehendant, & apprehensam huius Sedis nomine custodiant, donec ipsa Sedes de illis, vti tum tulerit piorum operum necessitas, duxerit prouidendum.

Bona Ecclesiastica feudalia ne existentibus legitimis, ad Eccles. deuoluun. tur. Vide quod notauī in rub.

§. 7. Bona vero, res, & iura, feudalia vel emphyteutica (aliis legitimis ad ea forte vocatis non existentibus) eo ipso deuoluta, & iuri, ac proprietati suarum Ecclesiarum & locorum restituta, & cum reliquis eorum bonis consolidata esse declaramus.

Decretum irritans.

§. 8. Decernentes irritum & inane, quicquid secus per quoscumque, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac statutis & consuetudinib. Ecclesiarum, Capitulorum, Conuentuum, Ordinum, Militiarum, Hospitalium, Vrbium, Prouinciarum, Collegiorum, etiam Cardinalium, & officiorum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia communitis, & in Consistorio prædicto, seu Conclaui habitis, aliisque priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis generalibus, & specialibus, illis, eorumque & aliis quibuscumque personis, cum quibusuis clausulis & decretis, etiam supradictis, fortioribus, ac etiam disponentibus, quod prædicta per quascumque literas numquam, aut sine consensu illorum, quorum interest, reuocata, aut sublata intelligantur, & alias cuiuscumque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, aut omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodoliber, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus, ad verbum habenda esset nostris literis mentio specialis, quæ omnia, quatenus prædictis aduersentur, illorumve executionem disturbare possint, viribus prorsus, & effectu carere decernimus, ceteriscque contrariis quibuscumque. Quia vero difficile nimis esset præsentes quocumque illis opus erit perferre.

Clauſ. derog.

§. 10. Volumus, vt earum exempla, etiam impressa, Notarij publici manu, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, eiusve Curiæ sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem in iudicio & extra illud, vbique gentium faciant, quam ipsæmet præsentes facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo, &c.

D.P. An. 6. die 27. Ianu.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, 1571. 6. Kal. Februarij, Pont. nostri anno 6.

Publicatio.

Anno Incarnationis Dominicæ 1571. Indict. 14. die vero 2. mensis Martij, Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius sexto, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranen. Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancell. Apost. & acie Campi Florę, dimissæque fuerunt in eisdem locis per aliquod temporis spatium, per nos Petrum Sprengerium, & Petrum Aloysium Gaitam S. D. N. Papæ Curs.

Scipio de Octauianis Mag. Curs.

Sequitur

Digitized by Google

Sequitur extenſio dictæ conſtitutionis, etiam ad bona patrimonialia.

Edita An. D. 1571.

PIVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD Rom. ſpectat Pont. ſua ſolicitudine indefeſſa diligenter prouidere, vt ea quæ ab eo emanata ſunt, ita ſuæ declarationis adminiculo dilucidentur, quod nulla deſuper dubitandi occaſio ei relinquatur.

Pius IV. edidit conſt. de qua hic.

§.1. Licet etenim, &c.
Omittitur hic relatio bullæ Pij IV. quia ipſam totam habes ſup Quamuis

Hic autem Pont. edidit prænſeriam hic bullam. Dubitatum eſt an conſtitutio intelligatur etiam quoad bona patrimonialia.

§.2. Nos deinde per quaſdam noſtras ſub dat. ſexto Calend. Febr. Pont. noſtri Anno ſexto, confectas in forma Motus proprij literas, &c.
vt ſup. in bulla quæ præcedit.

§. 3. Quia tamen ſicut poſtea accepimus, lite & cauſa in partibus coram dilecto filio Guber. Ciuitatis noſtræ Fauentinæ inter dilectum filium Bartholomæum de Lanzonibus laicum Fauentinum ex vna, & quemdam Sanctum filium ſpuriumque Barnabæ etiam de Lanzonibus preſbyteri, ipſius Bartholomæi proximiori, de & ſuper hæreditate, & bonis dicti Barnabæ preſb. defuncti, quam & quæ Bartholomæus tanquam proximior, ſeu alias quomodolibet de iure, Sanctus vero præfatus tamquam aſſertus hæres teſtamentarius, & prius legitimatus eiuſdē Barnabæ, ad ſe ſpectare reſpectiue contendunt, ac dictus Sanctus de eodem Barnaba tunc preſb. illegitime natus fuit, & defectum natalium patitur, rebuſque aliis in actis cauſæ, & cauſarum huiuſmodi deductis, & illorum occaſione deducendis in Rom. Curia pendentibus, partibus, ex altera, contingit dubitari, an contra tales illegitimos dictæ noſtræ literæ editæ loquantur, & intelligantur etiam de bonis patrimonialibus, ipſeque Bartholomæus ſit pauper, eius facultates ad ſuſtinendum litem non ſuppetāt, ac propterea dictus Bartholomæus cupiat mentem & intentionem noſtram ſuper præmiſſis expreſſe declarari.

Declarat modo idem Pont. eamdem conſtitutionē procedere etiam quoad bona patrimonialia.

§.4. Nos huiuſmodi dubium elucidare, & voluntatem noſtram patefacere volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſt. poteſtatis plenitudine, tenore præſentium declaramus, dictas literas noſtras loqui & intelligi etiam de quibuſcumque bonis patrimonialibus, tam mobilibus quam immobilibus, & ſe mouentibus, iuribus & actionibus quibuſcumque, ſicque etiam ab initio intentionis & incommutabilis mentis noſtræ, fuiſſe & eſſe, atteſtamur.

Decretum irritans.

§.5. Ac ita in præmiſſis ab omnibus cenſeri, ac per præfatos, & quoſcumque alios Iudices, etiam Curiæ, & Palatij Apoſt. Auditores, & S.R.E. Card. & de latere Legatos ſublata ipſis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, & ſi ſecus ſuper iis à quoquam ſquauis auctoritate ſcientet vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Clauſula derogatoria.

§.6. Non obſtantibus præmiſſis, & quacumque alia litis pendentia, necnon conſtitutionibus & ordinationibus Apoſt, ac regula noſtra de non tollendo iure quæſito in Cancell. Apoſt. edita, ac legibus & ſtatutis, iuramento, confirmatione Apoſt. vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſt. in contrarium quomodolibet conceſſis, necnon omnibus aliis, quę in dictis literis noſtris volumus non obſtare, ceteriſque contrariis non obſtan. quibuſcumque.

Dat. P. A. 7. 5. Martij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſc. die quinta Martij 1572. Pont. noſtri anno 7.

CXVIII. Cambiorum illicitorum declaratio; & prohibitio.

De pœnis eiuſmodi cambiorum, attende ſup. Pij IV. conſt. 1. Cum ſicut. *Sed pretextu vſurariæ prauitatis non retardatur exactio creditorum ad inſtantiam Fiſci coram A. C. vt in eiuſdem Pij IV. conſt. 56.* Inter multiplices. *16. Qui Auditor has Cambiorum cauſas cognoſcit, vt habetur infra in conſt. 28. Paul. V.* Eximiæ.

Edita An. D. 1571.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

INeam pro noſtro paſtorali officio curam diligenter incumbimus, vt Domini noſtri ouibus opportuna pro animarum ſalute remedia adhibere minime differamus.

Cauſa conſt.

§.1. Cum itaque ad aures noſtras peruenerit, legitimū cambiorum vſum, quem neceſſitas, publicaque vtilitas induxit, ſæpe numero ob illiciti quæſtus cupiditatem deprauari, vt ſub illius prætextu vſuraria prauitas à nonnullis exerceatur, Nos petitionibus, quæ ſuper his nobis nuper factæ ſunt, hac perpetuo valitura decretali, reſpondendum eſſe duximus, vt neque doloſis ſua fraus ſuffragetur, neque ignaros perdat inſcitia: ſic enim Paſtoris officium exequimur, dum gregem nobis commiſſum ab æternæ damnationis periculo eripere modis omnibus ſtudemus.

Cambiorum illiciterum declaratio, & prohibitio.

§. 2. Primum igitur damnamus ea omnia cambia, quæ ſicca nominantur, & ita confinguntur; vt contrahentes ad certas nundinas, ſeu ad alia loca cambia celebrare ſimulant, ad quæ loca ij qui pecuniam recipiunt, literas, quidem ſuas cambij tradunt, ſed non mittuntur, vel ita mittuntur, vt tranſacto tempore vnde proceſſerant, inanes referantur, aut etiam nullis huiuſmodi literis traditis pecunia ibi denique cum intereſſe repoſcitur, vbi contractus fuerat celebratus, nam inter dantes & recipientes, vſque à principio ita conuenerat, vel certe talis intentio erat, neque quiſquam eſt, qui in nundinis, aut locis ſupradictis huiuſmodi literis receptis ſolutionem faciat. Cui malo ſimile etiam illud eſt, cum pecuniæ, ſiue depoſiti, ſiue alio nomine ficti cambij traduntur, vt poſtea eodem in loco, vel alibi cum lucro reſtituantur. Sed, & in ipſis cambiis, quæ realia appellantur, interdum, vt ad nos præfertur, campſores præſtitutum ſolutionis terminum, lucro ex tacita vel expreſſa conuentione recepto, ſeu etiam tantummodo promiſſo, differunt. Quæ omnia nos vſuraria eſſe declaramus, & ne fiant diſtrictius prohibemus. Porrò ad tollendas quoque in cābiis, quantum cum Deo poſſumus, occaſiones peccandi, fraudeſque fœneratorum, ſtatuimus, ne deinceps quiſquam audeat, ſiue à principio ſiue alias, certum & determinatum intereſſe, etiam in caſum non ſolutionis paciſci, neque realia cambia aliter quam pro primis nundinis, vbi illæ celebrantur, vbi vero non celebrantur, pro primis terminis iuxta receptum locorum vſum exercere, abuſu illo prorſus reiecto, cambia pro ſecundis, & deinceps nundinis, ſiue terminis exercendi.

Curandum autem erit in terminis, vt ratio habeatur longinquitatis & vicinitatis locorum, in quibus ſolutio deſtinatur nedum longiores præfiguntur, quam loca deſtinatæ ſolutionis deſiderant, fœnerandi detur occaſio.

Contrauenientium pœna.

§.3. Quicumque contra hanc noſtram conſtitutionem commiſerit, pœnis à ſacris Canonibus contra vſurarios inflictis, ſe nouerit ſubiacere. Eos vero, qui conſpirationes fecerint, vel congeſtam vndique pecuniam ita ad ſe redegerint vt quaſi monopolium pecuniæ facere videantur, pœnis quæ à iure contra exercentes monopolia, conſtitutæ ſunt, retineri ſancimus.

Forma publ.

§. 4. Volumus autem quod præſentes literæ in Camera Apoſt. & ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe & Cancell. etiam Apoſt. publicentur, & in ipſa Camera deſcribantur.

Fides tranſſumptorum.

§. 5. Et quia difficile foret eas ad ſingula quæque loca deferri, quod earum tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius eiuſdem Cameræ, vel alterius Notarij ſubſcriptis, & ſigillo dictæ Cameræ, vel Prælati Eccleſiaſtici munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. D. 1671. 5. Kal. Febr. Pont. noſtri anno ſexto.

D. P. An 6. die 28. Ianu.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1571. Indict. 14. die vero 7. menſis Februarij, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno V I. retroſcripta litera affixa & publicata fuerunt ad valuas Cameræ Apoſtolicæ Principis Apoſtolorū Baſilicæ de Vrbe,

Digitized by Google

ac Cancell. Apost. vt moris est, per nos Bartholomæum Sottocasa, & M. Antonium Brutum, præfati S. D. N. Papæ Curs.

Scipio de Ottauianis MagCurs.

CXIX. Extinctio Ordinis Fratrum Humiliatorum, cum reseruatione Sedi Apost. beneficiorum & bonorum propterea vacantium.

Alia de exinde secutis vide in const subsequenti.

Edita An. D. 1571.

PIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius extinctionis.

QVemadmodum solicitus pater quem vnice carum educauit filium, via salutis egressum reuocare cupiens primum hortatur, indulget, prætermittit, increpat, alia præterea atque alia tentare non desinit, dum quod expetit modo aliquo consequatur, omnia denique expertus, cum nihil iam proficere intelligit, desperata prorsus salute, omnem de illo parentis animum eiicit, domo expellit, indignum existimans qui parta hæreditate fruatur; Sic Romanus Pontifex, quem diuina Maiestas patrem, & Pastorem omnium Ecclesiæ suæ Ordinum constituit, sicubi quampiam sacrarum Congregationum à Regula, & vitæ præscripto aberrare percipit, modo admonendo, modo concedendo, modo corripiendo, conniti tur, eam vel primis institutis restituere, vel certe quo pacto emendatam in aliquo statu illis magis cohærenti continere, omnibus tandem ad illius sanitatem conquisitis, vbi salutaria remedia fastidire, & in viam iniquitatis obstinatius procedere, atque adeo in prauum indurescere animaduertit, vt potius confringi, quam corrigi possit, omni curatione reiecta, de ipsa remouenda decernit, ne inueterati atque indomiti mali vis in alias insurgat, eisque exitio sit futura. Quod (vt nostrum hac in re studium flagrat) cum in plurimis, tum maxime in fratrum Humiliatorum familia enixe curauimus, nihil inexpertum relinquentes, quin illa multis iam pridem modis affecta, etsi non protinus, certe accommoda rerum moderatione directa, ad pristinum institutum paulatim regrederetur.

Card. Borromæum statuit pro emendatione Fratrum Humiliatorum. Iste Card. in Sanctorum numerum relatus, est à S. D. N. Paul. V. vt in eius const. 43.

§. 1. Etenim postquam dilectus filius noster Carolus Tit. S. Praxedis presb. Card. Borromæus huius Ordinis Protector, & Apost. Sedis delegatus, animaduertens dictos Fratres in luxum iampridem effusos esse, multa de ratione cultus diuini, de obedientia, & vita, vt antea communi, deque modo recipiendorum & educandorum Religiosorum, prouidenter statuerat, cum intelligeremus, eos illa ceteraque omnia Regulæ suæ instituta, omnino aspernari, vitamque omnium voluptatum varietate confertam ducere, ac Præpositos, & qui ex eo Ordine rerum administrationem habebant, bonam magnamque fructuum partem veluti propriam in vanitatibus mundanis, turpitudinibusque flagitiose profundere, innumeraque scelera committere.

Et hic Pont. alia decreuit pro eorundem reformatione.

§. 2. Nos vias omnes, quæ illos in aperta huiusmodi pericula atque incommoda coniecerant, excindere conati, pleraque alia de ipsorum vita, moribus, & proprietate Regulæ inimica, deque modo, & tempore gubernandæ cuiusque Præpositurae, necnon ratione administrationis bonorum, & dispensatione prouentuum, aliisque muneribus & officiis, ad prolapsi huius status, & disciplinæ regularis reparationem maxime conferentibus, edidimus sperantes illa prosperos tandem successus dicto Ordini allatura.

Sed tamè iidem Fratres flagitiosam vitam retinuerunt, & multos excessus commiserunt, necnon Hieronymus Lignagna, & quidam alij Fratres necem Card. Borromæi Protectoris procurarunt.

§. 3. Sed obsistente bonarum rerum perturbatore, plerique omnes (quoniam otio & desidia nimium assueuerant) regulæ instituta, & emendationem abhorrentes, etsi statuta & præcepta nostra communi consensu palam acceptarunt, clam tamen quibus illa modis supprimerent comminiscentes, nefarias protestationes in occulto fecerunt, necessarios suos, & alios potentiores laicos ad intestinas seditiones concitarunt, suasores præterea, & impulsores ad intimos summorum Principum Ministros dimiserunt, qui magnis præmiis & pollicitationibus eos pellicerent, in animos prædictorum Principum inducere, vt nos ad illam rescindendam inclinarent, multaque alia de ea tollenda prauis artibus sunt conati, vt turpem illam & flagitiosam vitam suam retinerent, lætalesque mundi voluptates sequerentur. Inter quos non defuit, qui altius præcipitatus, etiam à Catholica fide ad Hæreticos, & impia illorum dogmata declinarit. Quibus cognitis, omnium grauissimum impœnitentiæ peccatum in eis animaduertimus, qui toties frustra correpti, in eadem obstinatione perdurare contendunt, non satis habētes talia attentare, nisi & ij, qui inter ipsos qui posse putant, illis in primis qui saluti eorum sedulo inuigilant, exitium machinentur, illius stimulis concitati, qui scelestum Iudam in funestum auaritiæ morbum iniecisse non contētus, etiam ad prodendum Dominum suum pecunia impulit. Huius nimirū spiritus nequissimi ductu, quondā Hieronym. Lignana Præpositus Præpositurae S. Christofori Vercellen. & plures alij conscelerati huius Ordinis, in necem dicti Caroli Cardinalis propitiatoris sui conspirantes, vt pecuniam ad tantum nefas expetitam conficerent, de trucidando in primis dilecto filio Fabio Simoneta fratre dicti Ordinis prouentuum præpositurae Bredæ Mediolanensis depositario, apud quem nummos inuenire credebant, secreto conuenerunt, inde ad Ecclesiam dictæ præpositurae, in qua ipsum orantem laqueo suffocare decreuerant, profecti, sed inter se de modo aggrediendi misericordia Saluatoris nostri, discordes, hoc conatu destiterunt, mutatoque consilio sacra aurea & argentea furati sunt. Quibus clam venditis, seu pignori datis, prædictus Hieronymus quondam Donatum Farinam comprofessorem suum, apostatam, pacta pecunia induxit, vt ipsum Carolum Cardinalem occideret; qui nacta loci & temporis opportunitate, in eum vesperi de more in sacello cum familia precantem, vt transuerberaret, sclopum glandibus confertum, igne admoto exonerauerit, se telorum parte ad vestes orantis exinanita, aliis vtrimque in proximo violentia ictus defixis, innocentem diuina pietas, saluum & incolumem conseruauit. Quare ambo, & quidam alij huius nefandi criminis participes, postea capti pœnas debitas persoluerunt.

Ideo Hic Pōt. Ord. Fratrum Humiliatorū extinguit.

§. 4. Quando igitur familiam prædictam nulli studio ad Ecclesiæ Dei vtilitatem proficienti incumbentem nulli disciplinæ Ecclesiasticæ deditam, nullum omnino futuræ virtutis specimen ostendentem, tam detestandis facinoribus infectam, tam atroci sacrilegio contaminatam, & præterea impœnitentem atque incorrigibilem agnoscimus, omni de illa spe prorsus excluſa, ipsā tandem tollere constituimus, tamquam malam arborem fructus pessimos proferentem. Habita itaque cum fratribus nostris deliberatione matura, de illorum consilio & nobis attributæ potestatis plenitudine, extinguimus & abolemus Ordinem prædictorum fratrum Humiliatorum, & officiū Præpositi Generalis, ac Prouincialium, & quæcumque alia ministeria Ordinis sic suppressi, necnon omnia & quæcumque statuta, consuetudines, & decreta eiusdem, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quacumque firmitate munita, & pariter priuilegia & indulta, generalia & specialia, quorum omnium tenores, ac si ad verbum inserērentur, præsentibus habemus pro expressis, quibuscumque illa concepta sint formulis, necnon irritantibus aliis decretis & vinculis roborata.

Generalem & alios omnibus officiis & beneficiis, & bonis priuat.

§. 5. Priuamusque Generalem, ac ceteros omnes Præpositos, & fratres omnibus Præposituris, dignitatibus, administrationibus, officiis & beneficiis Ecclesiasticis, cum cura & sine cura, necnon domibus, Conuentibus, & locis immobilibus, mobilibus & se mouentibus, in Italia, & vbicumque gentium constitutis, sacra quoque & communi suppellectile, ac ipsorum omnium vsu, vsu fructu, administratione ac possessione, spirituali & temporali, ac etiam iure & actione, siue per statuta nostra, siue alias quomodolibet pertinente. Ac tollimus eis omnimodam facultatem, vsum, & auctoritatem, generalia, prouincialia, & alia capitula de cetero celebrandi.

Et professos in locis eis assignandis, regularem vitam ducere, aut ad pares vel strictiores Ordines transire præcipit.

§. 6. Volumus tamen, vt omnes fratres qui nunc sunt, qui professionem regularem emiserunt, deinceps in domibus & locis, quos eis cum victu & aliis necessariis proxime assignandos curabimus, omnino redigantur, vt

Digitized by Google

vt ibi vitam ducant regulatem, ſuæ profeſſioni conformem, ſub cura & viſitatione Ordinariorum locorum, aut alterius, vel aliorum quos eis duxerimus delegandos, vel iuxta iuris communis diſpoſitionem tranſeant, ad pares vel ſtrictiores Ordines approbatos.

Nouitioſque & non profeſſos expelli mandat.

§. 7. Nouitij vero & alij quicumque non profeſſi, detracto Religionis habitu, ex profeſſorum conſortio, & domibus expellantur.

Alioſque ad hunc Ordinē recipi, & alia loca acquiri prohibet.

§. 8. Quibus profeſſoribus nominatim præcipimus, atque interdicimus, ne poſthoc quemquam expulſorum, aut omnino alium, etiam vouentem ad profeſſionem, vel habitum admittant; nec nouas domos vel loca, recipiant, vel acquirant; quod ſi ſecus fiat profeſſio ſit inanis, neminemque obliget, neque in ſpecie neque in genere, ſic profeſſum. Nouarum domorum, ſeu locorum receptiones vel acquiſitiones, viribus & effectu careant, & contrafacientes, excommunicationis ſint ſententia eo ipſo innodati à qua nullus, niſi in mortis articulo conſtitutus abſolui poſſit, abſque Rom. Pontificis licentia ſpeciali.

Reſeruatque Sedis Apoſt. beneficia ſecularia ob huiuſmodi priuationem vacantia & loca, & bona huius ord.

§. 9. Ceterum intendentes, & cultui diuino, & Eccleſiæ miniſtris quamprimum proſpicere, omnes præpoſituras, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, officia ceteraque beneficia Eccleſiaſtica, cum cura & ſine cura, quæ deinceps ſæcularia ſint, per priuationem prædictam, apud Sedem Apoſtolicam vacantia, necnon domos, Conuentus, loca, ſuppellectilem, bona, res, actiones, & iura ſupradicta, eorumque proprietatem & dominium, noſtræ & dictæ Sedis liberæ diſpoſitioni, ſpecialiter & expreſſe reſeruamus. Decernentes irritum & inane quicquid ſecus per prædictos, aut quoſcumque alios, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Fides exemplorum.

§. 10. Volumus autem vt præſentium exempla, Notarij publici manu, & perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę ſigillo obſignata, eamdem illam prorſus fidem, in iudicio & extra illud, vbique locorum fe ciant, quam ipſæmet præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. A. 6. die 8. Febr. Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, 1570. 7. Idus Febr. Pontificatus noſtri anno ſexto.

PP. Subſcrip. Ego Pius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.

Cardd. ſubſcriptiones.

Io. Card. Motonus Epiſcopus Oſtien.
Ego Otho Card. Auguſtanus Epiſc. Prænestin.
Ego A. Cardinalis Farneſius Vicecanc, Epiſcopus Tuſculan.
Ego Io. Card. Politianus Epiſcopus Albanen.
Ego Fuluius Card. Peruſinus.
Ego Scipio Card. Piſarum.
Ego Iacobus Card. Sabellus.
Ego Io. Fr. Card. de Gambara.
Ego Ind. de Aualos Card. Aragona.
Ego M. Ant. Card. Columna.
Ego P. Card. de Sancta Cruce.
Ego Io. Fran. de Card. Commendonus.
Ego M. Ant. Card. Bobba.
Ego Hugo Boncompag. Card. S. Sixti.
Ego Flauius Card. Vrſinus.
Ego A. Cardinalis Cribellus.
Ego B. Card. Lomellinus.
Ego Guillelmus Card. Sirletus.
Ego F. Michael B. Card. Alex.
Ego F. Hieronymus Card de Claraualle.
Ego F. Card. Alciatus.
Io. Paulus Card. ab Eccleſia.
Ego Io. Ant. Card. S. Georgij.
Ego Aloyſius Card. Camerarius.
Ego Ant. Card. Granuelanus.
Stan. Card. Vuarmien.
Ego F. Card. Pacieccus.
Ego M. Ant. Card. Amulius.
Ego Hieronymus Card. de Corrigio.

Ego M. Ant. Card. Maffæus.
Ego Iul. Ant. Card. S. Seuerinæ.
Ego C. Card. de Graſſis.
Ego C. Card. Rambullietus.
Ego F. A. Card. Theanen.
Ego F. Fœlix Card. de Montealto.
Ego P. Card. Placentin.
Ego I. Card. Aldobrandin.
Ego F. Vincentius Card. Iuſtinianus.
Ego Hier. Card. Ruſticuccius.
Ego Io. Hier. Card. Albanus.
Ego Hier. Card. Simoncellus.
Ego Ferd. Card. de Medicis.
Iul. Card. de Aquauiua.

Publicatio. *Anno Incarnationis D. 1570. Indict. 14. die vero 2. menſis Martij, Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno 6. retroſcriptæ litera Apoſt. affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Baſilicarum S. Ioan. Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, de Vrbe, ac Cancell. Apoſt. & acie Campi Floræ, dimiſſaque fuerunt in eiſdem locis per aliquod temporis ſpatium, per nos Marcum, & Antonium Clerici Sancti Domini Noſtri PP. Curſores.*

Scipio de Octauianis Mag. Curſ.

Præpoſiturarum nuper extincti Ordinis Fratrum Humiliatorū diſtributio & applicatio, ipſorumque Fratrum diuiſio, cum locorum & alimentorum aſſignatione. Et cum earumdem dignitatum & beneficiorum ſæcularium d. Ordinis, reſeruatione diſpoſitioni Sedis Apoſt. CXX.

Hanc extinctionem habes, cum ſimili reſeruatione; in præced. conſt.

PIVS EPISCOPVS; Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita A. D. 1572.*

Conſt. præced. ſummam refert.

QVoniam per extinctionem Ordinis Fratrum Humiliatorum, & priuationem Generalis, ac ceterorum omnium Præpoſitorum, & Fratrum illius, omnibus Præpoſituris, dignitatibus, officiis, & beneficiis Eccleſiaſticis, cum cura & ſine cura nuper à nobis de fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine factas, intendentes, & cultui diuino, & miniſtris Eccleſiaſticis, quamprimum proſpicere, præpoſituras, dignitates, officia, & beneficia prædicta, quæ deinceps ſæcularia eſſent necnon bona, domos, redditus, res, actiones, & iura Ordinis ſic ſuppreſſi, noſtræ & Apoſt. Sedis diſpoſitioni ſpecialiter & expreſſe reſeruauimus. Præterea voluimus, vt omnes Fratres, qui profeſſionem emiſerant regularem, deinceps in domibus & locis, quæ eis cum victu, & aliis neceſſariis aſſignandos curaremus, omnino redigerentur, vt ibi vitam ducerent regularem ſuæ profeſſioni conformem, ſub cura & viſitatione Ordinariorum locorum, aut alterius vel aliorum, quos eis delegaremus, vel iuxta iuris communis diſpoſitionem tranſirent ad pares vel arctiores Ordines approbatos.

Et modō diſſolui vniones Præpoſiturarū d. Ordinis.

§. 1. Nunc autem ad inducendum nouum in dictis præpoſituris & locis ſtatum cuique quantum poteſt cōuenientem, & item ſubueniendum aliis Eccleſiis, Conuentibus, piis locis, officiis, & miniſtris ad Religionis cultum, & fidei Catholicæ propagationem, & tutelam vtilibus & neceſſariis, ſimulque ad prædictorum Fratrum diſtributionem, & diuini officij celebrationem paterna charitate intenti, vt ea quæ facere inſtituimus, omni impedimento ſoluta plenarium conſequantur effectum, De ſimili poteſtatis plenitudine, diſſoluimus omnes & quaſcumque vniones, annexiones, & incorporationes, perpetuas & temporales, præpoſiturarum S. Mariæ Eliſabeth de Buſto paruo Mediolanenſis diœceſis, & Sanctæ Catharinæ Cremonenſis, ac forſan aliarum quæ nominatim præſentibus exprimuntur, ſiue vt aliæ aliis, ſiue vt inuicem, aut alias quacumque cauſa antehac factas, reſtituentes eas in liberum & ſolutum ſtatum

Digitized by Google

quantocumque ipſæ tempore vt vnitæ pacifice ſint poſſeſſæ.

Quarum aliquas diſtribuit & applicat.

§.2. Rurſus, verum annuum valorem fructuum,redditu um, & Prouentuum ſingularum præpoſiturarum, necnon Eccleſiarum,Capitulorum,domorum, Conuentuum, Collegiorum,Hoſpitalium,& aliorum locorum omnium præſentibus comprehenſorum, ſecundum communem illorum æſtimationem, & quanticumque ſint, necnon fructuum reſeruationes, & penſionum aſſignationes, quos & quas perpetuo vel ad tempus ſeorſum facere intendimus, præſentibus pro expreſſis habentes, perpetuo vnimus, annectimus, & incorporamus præpoſituram S.Petri Bergomenſis cum omnibus rebus & iuribus ſuis, & quæ ei competunt actionibus, præpoſituræ SS. Simonis & Iudæ; Ac ſimili modo præpoſituram S.Mariæ Ticini Nouarienſis diuerſis,præpoſituræ S.Crucis Nouarienſis, & præpoſituram S. Iacobi Moncaletij, præpoſituræ SS.Trinitatis Auilliani Taurinenſis diœceſis;Et præpoſituram S. Io.Baptiſtæ de Damaſo,præpoſituræ S.Vrſulæ de Surrigo; Et præpoſituras S. Michaelis de Paganica, & S. Corpetis præpoſituræ S.Mariæ Cigoli; Et præpoſituram S.Bartholomæi Aquenſis,menſæ Epiſcopali Aquenſi; Et præpoſituram S.Georgij Canturij, menſæ Capitulari Eccleſiæ S.Vincentij plebis Galliani ad Canturium;Et præpoſituram S.Siri Alexandrin.cui cura parochianorum imminet animarum,Hoſpitali pauperum SS.Blaſij & Antonij,cura & parochianis omnibus ad viciniorem parochialem Eccleſiam quam Oedinarius loci aptiorem, commodioremque viderit tranſlatis; Et præpoſituram S. Bartholomæi Veronenſis, officio Inquiſitionis hæreticæ prauitatis. Apoſt. auctoritate ibi ſtatuto. Ad hæc in ſingulis domibus, de Canonica, & S.Io.Euuangeliſtæ,& SS. Trinitatis Mediolanenſis,& S.Bartholomæi Bergomenſis, & S.Fr.Paduan.& S.Marci Terdonæ,& S. Odorici,& omniũ Sanctorum Papien. & etiam omnium Sanctorum Modoëtiæ ſupprimimus perpetuo & extinguimus nomen, titulum,dignitatem,& eſſentiam præpoſituræ,omniaque inſignia veteris inſtituti diuidimus & ſeparamus, omnia harum ſic ſuppreſſarum præpoſiturarum bona,res, actiones,& iura à ſua quaque Eccleſia & domo, necnõ hortis, viridariis, & pertinentiis intra clauſuram cuiuſque domus conſiſtentibus,in hos qui ſequuntur vſus perpetuo aſſignatis. Siquidem concedimus Eccleſias, ædes, hortos, viridaria, & pertinentias intra prædictam clauſuram exiſtentes ipſarum ſuppreſſarum præpoſiturarum, videlicet de canonica S.Io. Euangeliſtæ, & Sanctiſſimæ Trinitatis Mediolanen.ad vſum Seminarij, ſeu aliorum Collegiorũ, Congregationum,& Hoſpitalium,prout dilecto filio Carolo Card.Borrhomæo Eccleſiæ Mediolanen. præſuli videbitur vtilius expedire. S. Fr. vero Paduani ad eumdem vſum Seminarij arbitrio Epiſcopi ſtatuendi; & omnium SS. Papien. Ordini, & Fratribus Carthuſien. necnon S. Odorici Collegio Ghiſleriorũ, quod in vniuerſitate Studij generalis Papien.nuper inſtituimus;& S.Bartholomæi Bergomenſis, tàm cum hortis, viridariis, & pertinentiis intra ſuam clauſuram exiſtentibus, quàm etiam ei contiguis terrenis, pratis,& vineis ſuis,Fratribus Ordinis Prædicatorum regularis Obſeruantiæ,prouinciæ Lombardiæ, iuxta morem eius Ordinis, qui illam ad mores ſuos reforment;& S.Marci Terdonen.fratribus domus S.Fr. Ordinis Minorum qui hac ſua domo, & eius Eccleſia Epiſcopo,& Capitulo Terdonen.pro illorum futura loco occupatæ cathedrali relicta in dictam Eccleſiam S.Marci debeant demigrare;ac etiam concedimus Congregationi regularium S.Pauli decollati Barnabitorum nuncupatæ,Eccleſiam & domum præpoſituræ ſuppreſſæ omnium SS. Modoëtiæ,cum omnibus bonis,rebus,iuribus,& actionibus ſuis vbicumque conſtitutis, vt illas habeant & inſtituant quemadmodum aliæ ſuæ Congreg. diriguntur.

Aliarum diſtributionem committit Card. Borromæo.

§.3.De præpoſituris autem Lugani,Lucarni,S.Laurentij de Canobio, & S. Catharinæ de Pallenza, earumque bonis, rebus, iuribus, & actionibus hac vice diſponendis prædicto Carolo Card. qui in ipſarum Lugani, & Lucarni, erectione & reſtitutione qualicumque, laborioſam operam præſtitit, delegamus vices noſtras, vt vel ipſas Societati Ieſu, vel alteri Congregationi, aut Ordini approbato,vel Seminario ad vſum Collegiorum, ſeu etiam Hoſpitalium, aut aliorum piorum operum tribuat, ſiue illas vniat,appropriet,& applicet,vel alias de illis eorumque bonis & proprietatibus prædictis,aliiſve modis libere diſponat,vti temporis, rerum & temporum qualitate conditione,& neceſſitate perſpecta nouerit commodius conuenire.

Aliis ipſe Pont. applicat bona de Ordinis.

§.4. Poſtremo applicamus & appropriamus perpetuo, omnia & quæcumque alia bona,res,actiones, & iura, diuiſa & ſeparata prædictarum præpoſiturarum ſuppreſſarum,videlicet de Canonica S.Io.Euangeliſtæ, & Sanctiſſ. Trinitatis,præpoſituræ SS. Bredæ Mediolanen. & alia S. Bartholomæi Bergomenſis, præpoſituræ SS. Simonis & Iudæ;& alia S.Fr.domui & Fratribus B.Mariæ Paduan.dicti Ord.Prædicatorum; & alia S. Odorici, & omnium SS. etiam domui, & Fratribus S.Thomæ Papien. ſuper quibus, videlicet S. Odorici, & omnium SS. penſionem annuam, omnino liberam & exemptam,centum ducatorum auri in auro de Camera infirmariæ domus à nobis conſtitutæ S.Crucis,& omnium SS. ad oppidum Boſchi ipſius Ord. annis ſingulis integre perſoluendam, ſeu per Priorem, & Fratres d.domus ad Boſchum, ſi & quoties maluerint,ſuper pinguioribus & liquidioribus prouentibus illorum propria auctoritate exigendam, & in prædictæ Infirmariæ vſus penitus conuertendam perpetuo reſeruamus; & alia S.Marci pro dimidia in dotem vnius Archidiaconatus, & vnius Cantoriæ dignitatum prædictæ Eccleſiæ Terdonen.& pro alia dimidia parte domui S.Martini Terdonæ,conſtitutæ ad vſum fratrum d. Ord. Prædicatorum in ea ſuperioribus annis introductorum. Ita vt liceat tam futuris omnibus principalium præpoſiturarũ Præpoſitis,necnon Aquenſi Capitulo Eccleſiæ Canturij, Rectoribus hoſpitalis SS.Blaſij,& Ant. ac miniſtris officij Inquiſitionis Veronen. vnitarum præpoſiturarum, prout cuique tangit, quam etiam aliis omnibus, quibus Eccleſiæ,domus & aliarum ſuppreſſarum prepoſiturarum conceduntur, quorumque præpoſituris, domibus, collegiis & locis, bona, res,& proprietates, actiones, & iura prædicta appropriantur,per ſe vel alium ſeu alios corporalem poſſeſſionem illorum, necnon iurium & pertinentiarum ſuorum omnium, propria auctoritate libere apprehendere,& perpetuo retinere,ac fructus,redditus & prouentus, iura, obuentiones, & emolumenta omnia eorumdem in ſuos, necnon præpoſiturarum,domorum,menſarum,collegiorum,hoſpitalium,officij & locorum prædictorũ vſus & vtilitatem conuertere, diœceſanorum locorum aut quorumuis aliorum licentia ſuper his minime requiſita.

Fratreſque diſtribuit cum alimentorum & locorum aſſignatione.

§.5.Hanc autem de diſtributione,& alimentis fratrum extincti Ordinis prædicti rationem futuram eſſe volentes, ſtatuimus, vt de iis qui nunc ſunt Eccleſia Bredæ viginti octo preſbyteros,& ſeptem ſeruientes, aliæ vero ſequentes Eccleſiæ,videlicet Sancti Abundij Cremonenſis,ſexdecim preſb.& quatuor ſeruientes;B.Mariæ de Glarea Veronen. octo preſbyteros, & duos ſeruientes, S. Catharinæ,Cremonen.tres preſbyteros & vnum ſeruientem, S. Mariæ de Ronderario, cum Eccleſia S. Martini in ſuburbiis, Comen. alios tres & vnum ſeruientem, Sanctorum Petri & Pauli cum Eccleſia S. Mariæ Carauagij, quatuor preſbyteros & vnum ſeruientem; S.Agathæ de Vrbe,duos preſbyteros & vnum ſeruientem; Sanctorum Simonis & Iudæ Bergomen. tres preſbyteros; Sanctiſſimæ Trinitatis Auillianæ alios tres; Sanctæ Crucis Nouarien.duos; Sanctæ Vrſulæ de Surrigo cum illi vnita prædicta, duos; ſingulæ Eccleſiæ S.Mariæ Veteris Vareſij, Sanctorum Iacobi & Philippi Brixienſis,S.Nicolai Ballani, S. Ioannis Euangeliſtæ Appiani,Sanctæ Eliſabeth de Buſto, S. Pauli Conilliani, S. Pauli Soncini, S. Marini Cremæ, S. Mariæ Cigoli, & S. Thomæ Senen. ſingulos preſbyteros recipiant & retineant ad deſeruiendum ibidem in diuinis; quibus, vt ibi plures aſſignantur, in commune viuant, pro ſuis alimentis prædictis reſeruamus, conſtituimus, & aſſignamus penſiones annuas prorſus liberas & exemptas, videlicet triginta quinque perſonis Eccleſiæ Bredæ mille & quadringentorum ſcutorum auri & viginti; S. Abundij, octingentorum & decem, B.Mariæ de Glarea, quadringentorum & quinque, Sanctorum Petri & Pauli, ac Sanctæ Mariæ Carauagij ducentorum; & vbi quatuor perſonæ,centum ſexaginta, vbi tres, centum viginti vbi duo, octoginta; & denique vbi ſinguli deſtinati ſunt, quadraginta ſcutorum ſimilium

Digitized by Google

lium ſuper earum præpoſiturarum, & ipſarum annexorum fructibus, redditibus, & prouentibus, etiam ſi ſuper illis aliæ penſiones annuæ aliis aſſignatæ, aut illorum reſeruationes factæ ſint, eorumque dimidiam partem longe excedant, per omnes deinceps præpoſitos ſuos, quos & etiam ſuarum præpoſiturarum fructus, & bona omnia ad id efficaciter obligamus, annis ſingulis pro vna, videlicet in B. Io. Baptiſtæ à proxime futura incipiendo pro rata temporis, & altera medietatibus ſingularum penſionum huiuſmodi in Domini N. Ieſu Chriſti Natiuitatem feſtiuitatibus integre perſoluendas; ita tamen, vt dictis triginta quinque perſonis Eccleſiæ Bredæ, ſiue ſingulis ſiue ſimul pluribus decedentibus, aut ad alios Ordines tranſeuntibus, pariter rata dictæ penſionis mille & quadringentorũ ſcutorum eo ipſo extincta ſit, Præpoſitoque accreſcat, donec hi omnes ad numerum viginti, & inter eos omnes ſexdecim Sacerdotes deueniant; ac tunc demũ eis octingenta dumtaxat ſcuta ſimilia quotannis modo prædicto perſoluantur; quibus ad dictum numerum redactis, poſtea diminuentibus, ac etiam aliis aliarum Eccleſiarum prædictarum dehinc quandocumque deficientibus, ſtatim alius vel alij, eiuſve vel eorum vſque ad præſcriptum in quaque Eccleſia numerum, ac totidem Sacerdotes ſiue regulares ſiue ſæculares ſubrogentur, donec omnibus de medio ſublatis, vel alio tranſlatis, Eccleſiæ ipſæ de aliis ad eumdem numerum preſb. huiuſmodi regularibus, vel ibi perpetuis beneficiatis ſæcularibus idoneis, à ſuo quoque Præpoſito libere aſſumendis & inſtituendis illico reformentur; qui cum ſuis vbi ſtatuuntur ſeruientibus deinceps loco ſuæ penſionis annuum eiuſdem quantitatis redditum de bonis præpoſituræ pro menſa communi, vbi quantitas & numerus perſonarum id poſtulauerit, conficiendum, ſin autem in ſingulos ſtatuendum, futuris deinceps temporibus perpetuis habeant; & ex eo foueantur: Volentes ſupradicta omnia omni tempore inuiolata fore, & ab omnibus firmiter cuſtodiri.

Executorum deputatio.

§. 6. Quocirca omnibus locorum Ordinariis, præſertim in quorum ciuitatibus & diœceſibus præpoſituræ diſtributos fratres prædictos habentes conſiſtunt, per Apoſtolica ſcripta mãdamus, vt quiſquis per ſe vel alium ſeu alios, vbi, & quandocumque opus fuerit, prædictis omnibus efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra numerum præfinitum preſbyterorum, & aliorum prædictorum in ſingulis Eccleſiis & locis in quibus ſic à nobis diſponuntur, integrum conſeruari, omnes penſiones ſupradictas omnibus illis quibus aſſignantur integre perſolui, res, quibus Eccleſiæ, domus, ædes, bona, res, iura, actiones, & alia prædicta concedũtur, ac prorſus vniuerſos & ſingulos alios quos præſentes literæ concernunt, illis & earum effectu pacifice frui & gaudere, menſas, & redditus annuos, inſtitui & aſſignari, ceteraque omnia eiſdem præſentibus contenta, ſemper & vbique obſeruari, non permittẽtes quemquam contra ipſarum tenorem per quoſcumque moleſtari, vel alias quomodolibet impediri. Contradictores quoſlibet, ac prædictis non parentes, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ceteraque iuris & facti remedia opportuna, appellatione poſtpoſita compeſcendo, cenſuraſque & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc auxilio brachij ſæcularis.

Contrarijs derogat.

§. 7. Non obſtantibus noſtris de vnionibus ad partes tommittendis, & valore fructuum vtrimque exprimendo, ac etiam de fructibus beneficiorum in omnibus gratiis etiam Motu proprio factis, ſecundum verum annuum valorem exprimendis, alioquin gratiæ ipſæ non valeant, & de non tollendo iure quæſito, necnon Lateranenſis Conc. nouiſſime celebrati vniones perpetuas, niſi in caſibus à iure permiſſis fieri prohibentis, ac etiam de vnionibus beneficiorum in diuerſis diœceſibus conſiſtentium non faciendis, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſiarum, Ordinum & locorum prædictorum iuramento, confirmatione Apoſt. vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ac quod cauſæ propter quas prædictas vniones, & applicationes facimus, prius coram locorum Ordinariis examinatæ & approbatæ non fuerint, quæ propterea per ſubreptionem obtentæ, numquam intelligantur, & quibuſlibet aliis priuilegiis, indulgentiis; & literis Apoſt. generalibus vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel omnino non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, quæ omnia, & quæcumque alia prædictis impedimentum præſtantia, aut præſtare valentia omnino tollimus & abrogamus, ac nemini contraipſas præſentes, & earum executionem atque effectum ſuffragari poſſe decernimus; ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Concedit Fabricæ Eccleſ. Terdonen. ius redimendi nonnulla bona dd. Præpoſitorum vſque ad valorem decem millium ſcut. pro neceſſitatibus Sed. Apoſt.

§. 8. Cum autem alias pro neceſſitatibus huius Sedis quædam bona, ſeu cenſus vel liuelli nonnullarum præpoſiturarum prædictarum vſque ad valorem decem millium ſcutorum auri in auro diuerſis perſonis, cum pacto illos reluendi intra certum tempus tunc expreſſum, & nondum elapſum, auctoritate noſtra venditi fuerint, Nos nouæ Fabricæ Eccleſiæ prædictæ Terdonen. ſuadente iampridem illius Ciuitatis tutela occupatæ, quantum in nobis eſt ſubuenire cupientes, ius reluendi, ſiue redimendi, omnia bona ſeu cenſus, aut liuellos prædictos, omnemque actionem olim dicto extincto Ordini, & illius Præpoſitis competentia, pro vſu & commodo dictæ Fabricæ, vti poſtea ſtatuemus, & declarabimus, nobis & dictæ Sedi retinemus.

Reſeruatque Sed. Apoſt. beneficia d. Ord. vacantia & vacatura.

§. 9. Demum pio ſtudio inducti, vt ſancta & ſalubris huius noui ſtatus ratio per peculiarem ſolicitudinem omni tempore capiatur, tàm prædictas quàm omnes alias præpoſituras, ac cetera beneficia Eccleſiaſtica, tum cura & ſine cura ſuppreſſi Ordinis prædicti, extra Romanam curiam quibuſuis modis, & ex quorumcumque perſonis vacantia, & deinceps quandocumque ac quotieſcumque vacatura, noſtræ, & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, ac dictæ Sedis dumtaxat collationi & diſpoſitioni, ſpecialiter & expreſſe in perpetuum reſeruamus: Decernentes irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his ac aliis ſupradictis per quoſcumque etiam S.R.E. Card. & de latere Legatos, etiam prætextu facultatum, priuilegiorum & indultorum, ac alias quomodocumque ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Exemplorum fides.

§. 10. Quia vero difficile nimis eſſet præſentes in quinterno Cancell. Apoſt. deſcribendas quocumque illis opus erit perferre, volumus, vt eorum exempla pro ſingulis quorum intereſt edantur, eaque Prælati Eccleſiaſtici, eiuſve curiæ ſigillo, & Notarij publici manu obſignata, eamdem illam prorſus fidem vbique locorum, in iudicio & extra illud faciant, quam ipſæmet præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. D. 1571. 6. Idus Februarij, Pont. noſtri anno ſexto.

Dat. P. A. 6. 8. Februarij.

Epiſcopi regni Siciliæ quotannis inuentarium actorum criminalium conficere & cuſtodire tenentur. CXXI.

Edita A. D. 1571.

PIVS EPISCOPVS, Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Cauſa huius conſt.

MVneris noſtri eſt, aditum prohibere, per quem ſalubris delictorum animaduerſio perperam diſturbatur. Nefarium etenim facinus in pleriſque Epiſcopatibus Regni Siciliæ citra & vltra Farũ audiuimus exoriri, quod Cathedralibus Eccleſiis præſule viduatis Vicarij à Capitulis conſtituti, gratia, timore, odio, vel ſordibus, quas volunt inquiſitiones & teſtimonia rerum & cauſarum criminalium violant, ſubripiunt, & lacerant, ne delictorum cognitio vel vindicta vſpiam conſequatur.

Præceptum quod Epiſcopi conficiant inuentarium actorum criminalium quolibet anno, & confectum cuſtodiant.

§. 1. Nos ad hoc malum, qua poteſt induſtria, coercendum, pro noſtro officio intenti, præcipimus omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis dicti Regni, præſentibus & futuris, vt deinceps, inuentarium authenticum, omnium & quarumcumque ſuæ Curiæ querelarum, accuſationum, inquiſitionum, denunciationum, teſtificationum, inſtrumentorum, proceſſuum, ceterorumque actorum, cauſarum, & negociorum criminalium, etiam mixtorum, quæ apud Curiæ ſuæ Notarium fuerint, quotannis in per-

Digitized by Google

petuum conficiant; confectum, & dicti Notarij manu subscriptum, penes se custodiant, donec super iis fuerit iudicatum. Et si eos de vita decedere interim contigerit, illud vniuersum sigillo suo obsignatum, fidei Sacerdotis cui peccata confitentur, morte impendente committant, qui ea secuta protinus ipsum Prælato, ac domui, seu Cõuentui digniori regularium illius Ciuitatis, debeat resignare, vt ab eis tute & fideliter asseruetur, donec futurus aduenerit præsul, cui illud itidem clausum & integrum tribuatur, quod ipsimet per se faciant, si quando necesse habuerint peregre proficisci, ita vt illud ipsum statim cum præsentes redierint, recipiant ab eisdem.

Pœnarũ impositio contra subtrahentes, aut corrumpentes ipsa acta, & scripturas.

§. 2. Quicumque autem testimonia, processus, scripturas, & instrumenta huiusmodi quocumque modo violauerit, corruperit, subtraxerit, combusserit, suppresserit, ac iusserit id fieri, seu auxilium, consilium vel fauorem præstiterit, omni sit dignitate, officio, & beneficio præsentium auctoritate priuatus, & ad futura inhabilis eo ipso. Idem quoque & pariter Notarius, cui quid prædictorum defuerit, aut alias deliquerit in prædictis, tamquam falsi reus declaretur, pœnasque omnes subeat, quæ sunt in huiusmodi rerum falsarios per sanctiones canonicas, & constitutiones legitimas irrogatæ.

Nulli ergo omnino, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1571. Kal. Martij, Pontificatus nostri anno sexto.

D. P. An. 6. 1. Martij.

Publicatio.

Anno Incarnationis Dominicæ 1571. indictione 14. die vero vltima mensis Martij, Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij Papæ V. anno eius 6. retroscriptæ literæ Apost. affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum Ecclesiarum S. Io. Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe, Cancell. Apost. & in acie Campi Florę, vt moris est, dimissis illis in eisdem locis affixis per multum temporis spatium, per nos Scipionem de Octauianis, & Ioannem de Soya Apostolicos Curs.

Petrus Aloysius Gayla Mag. Curs.

CXXII. Officij B. Mariæ nuper reformati approbatio, cum indulgentiarum elargitione pro illud recitantibus, & aliorum eius Officiorum abolitione.

Edita An. D. 157..

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Conc. Trid. emendari iussit Catechismum, Breuiarium & Missale, & emẽdata fuerunt, vt habes supr. in consti. 64. & const. 106. Hic Pont. emendari postea fecit officium B. Mariæ vt hic.

SVperni Omnipotentis Dei prouidentiæ, ac benignitatis exemplo excitati, qui vt humanum genus ab errorum tenebris vendicaret, & in veritatis semitam perduceret, suæ gloriæ splendorem è cœlis in terram demittere, lucisque æternæ radiis bonos pariter & malos perfundere dignatus est, meditatio cordis nostri ad id potissimum tendit, vt fides Catholica non solum vbique augeatur, & floreat, sed etiam ne errorum tenebræ, atque superstitionum abusus piis Christifidelium mentibus inducantur, & si quæ irrepserunt protinus euellantur.

§. 2. Cum itaque in executionem decretorum sacri Conc. Trid. gratia diuina assistente, Catechismo ad populi eruditionem edito, Breuiario ad sacras preces, laudes, & gratias Deo Optimo Maximo ab vtriusque sexus Ecclesiasticis persoluẽdas reformato, atque Missali, vt sacerdotes intelligerent, quibus precibus vti, qui ritus, quæve cæremoniæ in Missarum celebratione obseruandæ sint, ad pristinam SS. Patrum normam restituto, eamdem curam & operam adhiberi mandauerimus, in emendando ac corrigendo glorioſissimæ Dei genitricis B. Mariæ Virginis officio: cuius recitatio sicut pusillis, & rudibus Christifidelibus peculiaris esse dignoscitur, ita multis superfluis non sine legentium etiam scandalo, & quæ ad varias superstitiones facile rudes ipsos inducere possunt, auaritia impressorum fuit refertum, qui vt Christifideles ad emendum eiusdem officij libros à se impressos facile allicerent, multa sub colore pietatis, & animarum spiritualis consolationis, ex eorum capite addiderunt, iamque ad antedicti Breuiarij vniformitatem eiusdem Dei genitricis, vt credimus intercessione, eruditorum & piorum virorum, quos ad hoc delegimus, studio officium ipsum, resecatis quæ aliena & incerta erant, correctum fuerit, & à nobis probatum, Romæ imprimi, & impressum diuulgari iusserimus, vt inde spiritualis quam optamus Christifidelium animabus proueniat consolatio.

Et modo illud obseruari præcipit.

§. 3. Motu proprio, &c. & ex certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, officia quæcumque, in primis Italico, seu quouis alio vulgari idiomate & sermone quomodolibet composita, atque officium anno proxime præterito millesimo quingentesimo septuagesimo Venetiis apud Iunctas impressum his verbis, licet falso, inscriptum, Officium B. Mariæ Virginis per Conc. Trid. Pio Quinto Pontifice Maximo reformatum, denique omnia & singula alia officia huiusmodi, etiam Latino sermone sub Hortuli animæ, seu Thesauri spiritualis compendij, aut quouis alio titulo & nomine quomodolibet peruulgata, omnemque illorum vsum approbatione Apostolica, ac consuetudine, & institutione (inueteratis infra dicendis semper saluis) harum nostrarum serie perpetuo, ab omnibus & singulis vtriusque sexus Christifidelibus, sæcularibus vel Ecclesiasticis, etiã quorumuis Ordinum regularium, & militiarum religiosis, qui de iure, consuetudine, vsu, statuto, institutione, ac constitutionibus etiam eorumdem Ordinum militiarum & regulæ, seu alias quomodolibet ad recitationem officij B. Mariæ tenentur, & obligati sunt, tollimus & abolemus.

Aliaque officia tollit & abolet nisi in primæua institutione, vel à consuetudine supra 100 annos approbata fuerint, & non sint vulgari sermone composita.

§. 4. Ipsisque in virtute sanctæ obedientiæ interdicimus, ne aliud quam hoc de mandato nostro emendatum B. Mariæ Virginis officium, & in impressoria officina Populi Rom. pro fideliter & incorrupte imprimendis libris sacris in Alma Vrbe nostra erecta impressum, quouis prætextu dicere, recitare, legere, seu tenere quoquo modo audeant vel præsumant; omni vero alio vsu ipsis (vt vniformiter ab omnibus sic astrictis & obligatis recitetur, nec inter eos diuersitas illud recitandi vllo vmquam tempore oriatur) interdicto, præfatum hoc nostrum Officium, ac precandi, psallendique formulam per vniuersum Orbem in priuatis domibus, ac Ecclesiis, Monasteriis, Conuentibus, Capellis, Oratoriis, Ordinibus, Militiis, & locis etiam exemptis, tàm virorum quàm mulierũ, in quibus Officiũ ipsum B. Mariæ Vrginis recitari (vt præmittitur quomodolibet debet, præcipimus legi, dici, & obseruari; illis tamen officiis exceptis (dummodo vulgari sermone, vt præfertur, non sint composita) quæ ab ipsa eorum institutione à Sede Apost. expresse approbata fuerunt, vel quorum officiorum certum vsum consuetudine, aut ipsa institutione, supra tamen ducentos, annos, assidue in Ecclesiis, monasteriis, domibus, & locis vtriusque sexus Ecclesiasticorum obseruatum fuisse constiterit. Quibus sic adstrictis & obligatis, vt inueteratum illum ritum dicendi & psallendi suum officium (dummodo vt præmittitur, vulgari sermone non sit compositum) non adimimus, sic eisdem si forte hoc nostrum, quod modo peruulgatum est, magis placet (dummodo Episcopus, vel Prælatus, & vniuersum capitulum in eo consentiant,) vt illud etiam in choro dicere & psallere possint permittimus.

Hortatur omnes ædios non obligatos recitare offic. B. Mariæ vt officio isto reformato vti velint.

§. 5. Ab eis vero qui ad eiusdem officij B. Mariæ Virginis recitationem non aliqua obligatione tenentur, omnem eorumdem officiorum vulgari sermone quomodolibet compositorum, atque similis idiomatis vulgaris orationum, etiam aliis officiis Latini sermonis insertarũ, vsum penitus etiam auferimus, illos nihilominus, ne vanis inuoluantur superstitionum erroribus, quibus alia fere omnia huiusmodi officia etiam Latino sermone referta esse deprehensum fuit, in Domino hortantes, vt ab aliorum B. Mariæ quam huius nostri officij lectione, ac vsu abstineant, firmiterque credãt eisdem aliis officiis multas sub falsis & confictis Sanctorum nominibus confictas orationes fuisse insertas, de quibus, sicut de indulgentiis, peccatorumque remissionibus, quæ recitantibus plerasque ex orationibus aliis officiis huiusmodi insertis, pro vt rubricis ibidem appositis designatur, conceduntur, nullam certam extare apud Ecclesiam rationem, propterea ritui & ordinationi huius Officij recitatione sic à nobis in vniuersali Ecclesia instituti se conformantes, aliud eiusdem B. Mariæ quam hoc nostrum officium non perlegant vel recitent.

§. 6.

Digitized by Google

Officiaque antiqua Inquisitoribus consignari mandat.

§.6. Ac vt ipsorum officiorum vulgaris idomatis & sermonis abusus ac ipsa penitus aboleatur, eadem omnia per omnes & singulos sæculares vel Ecclesiasticos, etiam ad recitationem antedictam nequaquam adstrictos, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis absque spe illorum vmquam recuperationis, alia vero Latino sermone, & aliis libris inserta, ad effectum emendandi, & à maculis seu erroribus expurgandi, sibi postmodum, cum sic per eosdem Inquisitores expurgata fuerint, restituenda, consignari quamprimum iubemus.

Officium vero reformatum, immutari non posse statuit.

§.7. Statuentes huic nostro Officio nuper edito nihil vllo vmquam tempore per quemcumque quauis auctoritate fungentem, quouis prætextu addi, detrahi, vel immutari debere. Ac omnes & singulos, qui ipsum beatæ Mariæ Officium, vt præfertur, dicere, psallere, & recitare tenentur, ex huius nostri Romani Officij præscripto, & ratione ad id omnino obligatos esse, & neminem muneri suo nisi hac formula satisfacere posse.

Indulgentias illud recitantibus concedit.

§.8. Ac vt fidelium omnium voluntas & studium magis ad salutarem huius nostri Officij B. Mariæ Virginis, & orationum in eo reductarum lectionem & vsum inuiteretur, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus & singulis, qui ad recitationem huiusmodi non tenentur, quoties istud sic de mandato nostro reformatum, quinquaginta dies, qui vero Defunctorum officium, eodem volumine insertum, alios quinquaginta, qui septem Psalmos, aut Graduales, etiam eodem volumine insertos, alios quinquaginta, & qui aliquam ex orationibus ibidem pariter insertis deuote recitauerint, alios quindecim dies de iniunctis sibi pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus: obligatis vero, eas dumtaxat indulgentias concedimus, quæ literis nostris super reformatione noui Breuiarij editis designantur, & huiusmodi B. Mariæ Virginis, aut Defunctorum officium, vel septem Psalmos, aut Graduales recitantibus concedantur.

Prælatis etiã præcipit, vt illud introducant.

§.9. Mandantes omnibus & singulis Venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & ceteris Ecclesiarum Prælatis, vt reliqua omnia B. Mariæ Virginis, etiam per nos priuatim constituta, ab omnibus ad recitationem huiusmodi quomodolibet adstrictis, ipsa vero vulgaris idiomatis & sermonis officia etiam ab his qui nullo pacto ad id adstricti sunt, penitus omitti, reiici, atque vulgari; sic & pariter alia etiam latino sermone composita, etiam aliis libris inserta, Inquisitoribus prædictis ad effectum antedictum tradi & consignari iuris opportunis remediis curent. Officium vero istud nostrum beatæ Mariæ Virginis in omnibus & singulis suarum ciuitatum & diœcesum Ecclesiis, Monasteriis, Conuentibus, Ordinibus, Militiis, Oratoriis, domibus, & locis etiam laicorum introducant, & tàm ipsis quàm ceteris omnibus Presbyteris, Clericis, & aliis vtriusque sexus sæcularibus & regularibus personis Ecclesiasticis, necnon militibus etiam exemptis, quibus dicendi, recitandi, psallendique officium huiusmodi quomodolibet, vt præfertur, iniunctum est, vt ex huiusmodi formula vbique illud recitare, & psallere procurent, prædicta institutione vel consuetudine ducentos annos superante (non tamen quod ad vulgaris sermonis officia) semper salua.

Concionatoribus & Confessoribus idem præcipit.

§.10. Concionatoribus quoque verbi Dei, atque Confessoribus, vt in eorum prædicationibus atque confessionibus omnibus vtriusque sexus Christifidelibus prohibitionem & abolitionem dictorum officiorum vulgari idiomate, & sermone compositorum, quodque Inquisitoribus hæreticæ prauitatis quamprimum consignari debeant, insuper alterius quam huius nostri Officij vsum & lectionem periculo superstitionum non carere, ac illud & alia eo inserta, vt præfertur, recitantibus supradictam de iniunctis sibi pœnitentiis relaxationem nostram significare, & eos ad conformandum se in hoc prompta deuotione, ritui, & ordinationi à nobis institutis excitare, ad vsumque & recitationem huiusmodi nostri officij pietatis zelo hortari studeant. Ceterum hæreticæ prauitatis Inquisitorum, quibus officia hæc & libros, tradi & consignari continget, munus & officium præcipuum erit omnia, superstitiones & errores in fide Catholica redolentia, omnino delere.

Illudq; Roma tantũ imprimi posse declarat.

§.11. Quod nostrum B. Mariæ Virginis Officium, vt vbique terrarum incorruptum, ac mendis & erroribus purgatum præseruetur, omnibus in nostro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dominio, mediate vel immediate subiecto commorantibus, vel ad illud quouis prætextu aduenientibus impressoribus, & aliis quibuscumque, sub amissionis librorum, ac quingentorum ducatorum auri de Camera ipso facto quoties contrauenerint officio Sanctiss. Inquisitionis applican. reliquis vero in quacumque Orbis parte constisten. sub excommunicationis latæ sententiæ, & aliis arbitrij nostri pœnis inhibemus, ne illud infra sex annos proximos separatim, vel aliis libris insertum, sub prædictis Horruli animæ, Thesauri spiritualis, compendij, vel aliis quibusuis nominibus, & titulis imprimere, aut alibi quam in Alma Vrbe nostra, & antedicta Pontificis Romani officina impressum tenere, recipere, donare, aut venundare publice vel occulte audeant vel præsumant. Dictis vero sex annis elapsis, id etiam aliter non liceat, nisi cum nostra, & Romani Pontificis pro tempore, vel specialis ad id Commissarij Apostolici in singulis Christiani orbis Regnis, & Prouinciis deputandi, expressa licentia.

Clausula præseruatiua.

§.12. Quas quidem nostra perpetua roboris firmitate subsistere, & nullo vmquam tempore reuocari, alterari, suspendi, limitari, aut moderari posse.

Forma publicandi constit.

§.13. In valuisque Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ de more publicari & affigi, per huiusmodique publicationem & affixionem, omnes & singulos in eis comprehensos, videlicet qui in Rom. Cur. adsunt lapso mense, qui vero alia loca intra montes, post tres, qui vltra incolunt, post sex menses, aut cum primum sibi officium hoc nostrum venale propositum fuerit, ita volumus obligatos esse, & adstrictos, ac si ipsismet illæ coram lectæ, & intimatæ essent; ipsarum quoque exemplа manu Notarij publici, & sigillo Prælati Ecclesiastici, aut illius curiæ obsignata, vel etiam dicti Officij nostri B. Mariæ Virginis voluminibus absque prædicto vel alio quopiam adminiculo, Romæ tamen, & in Officina antedicta impressa, eamdem prorsus vbique fidem facere, quæ præsentibus adhiberetur si essent ostensæ vel exhibitæ.

De rebus iudicand.

§.14. Et sic in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Iudices & Commissarios, etiam S.R.E. Cardinales, & causarum Palatij Apostolici Auditores in quauis causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & interpretari debere, necnon irritum & inane decernimus, quicquid secus super iis à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſ. derog.

§.15. Non obstantibus præmissis, ac in quibusuis synodalibus, prouincialibus, vel generalibus, ac vniuersalibus Conciliis editis, aliisque etiam Apostolicis constitutionibus & ordinationibus, necnon Ecclesiarum, militiarum, & Ordinum quorumcumque statutis, vsibus, naturis, & consuetudinibus, etiam iuramento roboratis, quibus omnibus & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, expressa, & indiuidua mentio habenda esset, illis alias in suo robore permansuris, specialiter & expresse derogamus, ceteriisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§.16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ abolitionis, interdicti, præcepti, permissionis, ablationis, iussionis, statuti, mandati, voluntatis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1571. 5. Idus Martij, Pontificatus nostri Anno 6. *D. P. An. 6. 11. Martij.*

Digitized by Google

Publicatio. *Anno Incarnationis Dominicæ 1571. indictione 14. die vero 5. mensis Aprilis, Pontificatus Sanctiss. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno 6. retroscriptæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis spatium dimissæ in valuis, seu portis Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon acie Campi Florę, per nos Ioannem Freile, & Scipionem de Octauianis, præfibati eiusdem Sanctissimi D.N. Papæ Cursores.*

Petrus Aloysius Gayta Mag. Curs.

CXXIII. Iurisdictio S. R. E. Cardinalis protectoris & Iudicis causarum Archiconfraternitatis Trinitatis nuncupatæ ad pauperes Peregrinos, atque Conualescentes recipiendos, piéque alendos in Vrbe institutæ.

Iustitutionem habes in const. Pij IV. num. 6. Illius. *vbi alia notaui.*

Editæ A. D. 1571.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Causa huius constit. CVm sicut accepimus, Archiconfraternitas, seu Societas sub inuocatione Sanctiss. Trinitatis Conualescentium, & Peregrinorum Regionis Arenulæ de Vrbe, eiusque Custodes, & Confratres, ob lites, quæstiones, controuersias ciuiles, criminales, profanas, spirituales meras, & annexas, inter Archiconfraternitatem, seu Societatem, eiusque Administratores, Gubernatores, & deputatos huiusmodi, per diuersa Vrbis Tribunalia litigan. occasione locationum, censuum, donationum, hæreditatum, legatorum, domorum, & diuersarum aliarum rerum, tàm agendo quàm defendendo, pro ipsius Archiconfraternitatis, seu Societatis iuribus defenden. & consequen. iugiter implicita existat, ex quo sæpissime quamplurima damna & interesse patiatur, ac impensa litis valorem rei de qua ex tempore agitur sæpenumero exuperet.

Commendatio Confraternit. SS. Trinitatis. §. 1. Nos Archiconfraternitatem, seu Societatem prædictam, in qua piissima charitatis & misericordiæ opera, tàm pauperes, & alias quasuis personas vtriusque sexus Christifideles, ex quibusuis mundi partibus ad Vrbem peregrinantes ad hospitale huiusmodi deuotionis causa confluentes recipiendo, & eos tribus, ac quandocumque pluribus diebus hospitando, & nutriendo, ac caritatiue tractando, quàm pauperes conualescentes, qui dum ab infirmitate liberi, sed debiles, ex aliis hospitalibus emissi, quo se recipiant non habentes, in eodem suo hospitali similiter excipiendo, ac eos non solum corporaliter donec robustiores euadant pie alendo, verum etiam rudes & ignaros interim dum ibidem morantur, in mandatis Domini audiendo, in diuini nominis obsequium, & S.R.E. exaltationem exercere noscuntur, quantum cum Deo possumus subleuare volentes.

Facultas Protectoris, & iudicis Archiconfratern. cognoscendi quascumque causas illius interesse concernentes, & ab aliis Iudicibus reassumendas. §. 2. Motu simili, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine; Venerabili fratri nostro Othoni S.R.E. Cardinali Augustano nuncupato, nunc, & pro tempore Archiconfraternitatis, seu Societatis huiusmodi existenti, & ab eadem Confraternitate eligendo Protectori, omnes, & singulas causas, quæstiones, lites, & controuersias inter dictam Archiconfraternitatem, seu Societatem, seu eiusdem dilectos filios Custodes, Officiales, & Ministros, & quascumque alias personas, laicas seu Ecclesiasticas, cuiuscumque gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ existentes, etiam Cardinalatus dignitate fulgentes, Vniuersitates, Societates, Congregationes, Monasteria, & alia loca pia huiusmodi, etiam si coram S.R.E. Camerario, Clericis, & Præsidentibus Cameræ Apost. & eiusdem Cameræ causarum Auditori generali, necnon Vicario, Gubernatore, ac Senatore Vrbis prædictæ, eorumque Locumtenentibus, Collateralibus, & Iudicibus, ac dictæ Vrbis causarum appellationum Capitaneo, & Sacri Palatij, etiam causarum Auditoribus, & eiusdem S.R.E. Cardinalibus aliisque Iudicibus, ordinariis seu delegatis, hucusque motas penden. & quomodolibet mouendas, de, & super quibuscumque locationibus, venditionibus, legatis, fideicommissis, testamentis, hæreditatibus, ac illarum distributionibus, ac quorumcumque iurium, & actionum certioribus, aliisque quibuscumque, inter viuos & causa mortis, & quasi contractibus, etiam vigore, obligationis in forma Cameræ execution. reuocationibus, bonis, rebusque, iuribus, & actionibus ad Archiconfraternitatem, seu Societatem prædictam eiusque Custodes, Gubernatores, Administratores, Officiales, & deputatos Ministros eorumque litis consortes, tàm coniunctim quàm diuisim, ac tàm actiue quàm passiue, tàm secundario quàm principaliter interesse concernentes spectantibus, & pertinentibus ad Archiconfraternitatem, seu Societatem ipsam in quacumque instantia (quorum omnium, & singulorum statum, & merita, necnon Iudicum, & collitigantium, nomina, & cognomina, & qualitates, ceteraque etiam de necessitate exprimenda pro expressis habentes) in statu & terminis in quibus reperiuntur, nunc harum serie ad nos auocantes, illasque omnes & singulas, motas & penden. ac quam, & quas Archiconfraternitas, seu Societas, Gubernatores, Officiales, Administratores, & Deputati, necnon pauperes ibi degentes, habere velint contra easdem personas, Vniuersitates, Monasteria, & alia huiusmodi pia loca, pro rebus, bonis, hæreditatibus, iuribus, actionibus huiusmodi, nunc & pro tempore Archiconfraternitatis, seu Societatis prædictæ existenti Protectori, vna cum illarum dependen. emergen. inciden. annexis.

Summaricque & c. procedi. §. 3. Summarie, simpliciter, & de plano, & sola facti veritate inspecta, ac sine strepitu, & figura iudicij, per seipsum, seu alios à se deputan. in quacumque instantia, vsque ad finem audien. cognoscen. & fine debito terminan. ac etiam alibi introducen. seu committen. reassumen. auctoritate Apostolica tenore præsentium committimus, & mandamus. Ipsumque Protectorem nunc & pro tempore existentem in dictis causis motis penden. ac in futurum mouendis, in Iudicem ordinarium cum facultate easdem causas in quacumque instantia, vsque ad finem, & per seipsum, seu alium, vel alios eius Auditores deciden. & terminan. & aliis facultatibus prædictis, facimus, constituimus & deputamus.

In Curia & extra inhibendi. §. 4. Necnon cum potestate citan. & inhiben. quos, quibus, & quoties opus fuerit, in Curia & extra eam, etiã per edictum publicum, constito summarie & extraiudicialiter de non tuto accessu; eidemque, ac quibusuis aliis eiusdem Vrbis Iudicibus, ac personis, tàm Ecclesiasticis quàm sæcularibus, quibus, & quoties opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis, & pecuniariis, quibus sibi, seu ab eo pro tempore deputando Auditori videbitur inhiben. & in euentum non paritionis contra inobedientes, contumaces & rebelles ad declarationem incursus pœnarum, & censurarum huiusmodi exactionem, illarumque aggrauationes, & reaggrauationes, & alias iuxta morem & stylum Curiarum Vrbis in similibus seruari solitum, & provt sibi videbitur procedendi, sententiasque suas debitæ executioni demandandi, siue demandari faciendi, auxiliumque brachij sæcularis ad hoc si opus fuerit inuocan. omniaque alia, & singula, in præmissis & circa ea quomodolibet necessaria & opportuna, facien. geren. & exequen.

Et singulis diebus, & horis præterquã in honorẽ Dei feriatis procedendi. §. 5. Ac in omnibus, & singulis causis prædictis singulis diebus, & locis, feriatis & non feriatis, præterquam in honorem Dei, etiam tempore feriarum ob necessitatem hominum indictarum, & indicendarum procedendi.

Notariosque deputandi. §. 6. Ac quemcumque Notarium sibi bene visum in causis huiusmodi deputandi.

Mandatarij huic Iudici seruiant omnes. Executoresque omnium Curiarum. §. 7. Volumus etiam, quod citationes, monitiones, & intimationes, quæ in dictis causis fieri oportuerit, etiam per Curiæ Almæ Vrbis Vicarij, & quoscumque alios mandatarios fieri possint.

§. 8. Et quicumque executores Vrbis, possint & debeant effectualiter executioni demandare omnes & singulas sententias, decreta, & mandata prædicti Cardinalis Protectoris, siue ab eo deputatorum, quique non obstante regula Cãcellariæ sub eius paruo sigillo expediri possint.

Sententiæ aliorum Iudicum nullæ sint. §. 9. Et insuper Archiconfraternitatem, seu Societatem prædictam eiusque Priores, Administratores, & Gubernatores, ac Deputatos huiusmodi ex nunc deinceps occasione præmissorum, principaliter seu secundario alibi quam

Digitized by Google

quam coram prædicto Cardinali Protectore conuenit,aut ad alios conuenien. constringi non posse; ac processus, sententias, & decreta per alium, seu alios,tàm ordinarios quàm delegatos Iudices in causis prędictis quomodolibet pro tempore formata,lata, & facta, cum inde secutis quibuscumque, nulla,irrita,& inania,nulliusque roboris,vel momenti fore.

Clausula præseruatiua. §.10.Præsentemque cedulam sub quibusuis reuocationibus, suspensionibus, & exemptionibus & limitationibus, seu renouationibus, similium vel dissimilium concessorum,& gratiarum,etiã per nos,& successores nostros Romanos Pontifices, & Sedem prædictam,vel eius Legatos, etiam per regulas Cancellariæ Apostolicæ pro tempore factas,nullatenus comprehendi, sed semper ab illis pœnitus & omnino exceptas,ac quoties illæ emanabunt præsentem cedulam in pristinum robur restitutam esse,& censeri debere,nec eidem cedulæ per quascumque literas, etiam quasuis regulas generales & speciales, etiam derogatoriarum derogatorias,irritantiaque,& alia decreta,sub quacumque verborum expressione continentes posse, & si illi vllo vmquam tempore,ex aliqua etiam quantumuis necessaria & vrgenti causa derogari contingat, nisi tenor cedulæ de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertus, & huiusmodi derogatio per trinas distinctas literas eumdem tenorem continentes tribus similibus distinctis vicibus,Administratoribus, Primiceriis, Gubernatoribus,Deputatis, & Confratribus huiusmodi, omnibus & singulis legitime intimata,& insinuata fuerit,eorumque ad id accesserit assensus,derogationem huiusmodi nemini suffragari, & nullius esse roboris, vel valoris.

Clausula sublata. §.11. Et sic per quoscumque Iudices quauis auctoritate fungen. etiam S.R.E. Cardinales,ac causarum Palatij Apostolici Auditores sublata,&c. ac irritum iudicari, & definiri debere.

Clausula derogatoria. §.8. Non obstantibus fel. record.Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna,& Concilij generalis de duabus dietis dummodo non vltra tres dies aliquis vigore præsentium ad iudicium non trahatur,aliisque constitutionibus & ordinationibus Apost.necnon Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe,ac hospitalium, Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum quorumcumque piorum locorum, & Ordinum iuramento, corroboratis statutis, & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis Conseruatorique, exemptionibus, & literis Apostolicis eisdem, ac dilectis filiis Populo Romano, eorum Iudicibus, Notariis,& Tribunalibus,eorumque personis, per quoscumque etiam Romanos Pontifices prædecessores nostros, & nos, ac dictam Sedem, etiam motu & scientia similibus concess. approbat. & innouat. etiam disponen. quod causæ huiusmodi ad forum, seu Curiam Capitolij reassumi debeant. Quibus omnibus & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione,alias de illis illorumque totis tenoribus specialis specifica expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis haben. illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus,contrariis quibuscumque,etiam in vim contractus concessi & concedendi, vel si prædictis, aut quibusuis aliis communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel vltra certa loca, Curias,& Tribunalia, ad iudicium trahi non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem,& quibuslibet aliis priuilegiis, indultis Apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, proque præsentibus non expressa aut totaliter non inserta, iurisdictionis ipsius Protectoris explicatio impediri valeat quomodolibet,vel differri,& de quibus eorumque totis tenoribus, specialis specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per regulas generales idem importantes,mentio seu quæuis alia expeditio habenda sit,in præsentibus literis mentio specialis.

Fides exemplorum. §.13. Volumus autem præsentium solam signaturam sufficere,& vbique fidem facere,in iudicio & extra,regula contraria non obstante,& earumdem transumptis, etiam impressis manu Notarij publici subscriptis,& sigillo Protectoris, seu Archiconfraternitatis, seu Societatis huiusmodi munitis,eamdem prorsus fidem adhiberi,quæ adhiberetur præsentibus manu nostra subscriptis,ac etiam literas ad partem expediri posse.

Placet Motu proprio. M.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, 12.Kal. Aprilis, Anno 6. *D.P. An 6.* 21. *Martij.*

CXXIV. Facultas Magistri Generalis, & Prælatorum Ordinis Fratrum Prædicatorum Sancti Dominici, creandi, & deputandi Fratres ipsius Ord. in Notarios,pro executione mandatorum Apostolicorum.

De hoc Ordine alia notaui sup. in const.2.Honor.III.

Religiosam.

PIVS PAPA QVINTVS *Edita An. D.* 1571.
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. DEbitum pastoralis officij nobis,meritis licet imparibus, ex alto commissi, nos admonet & inducit, vt circa Religionum quarumlibet, præsertim Ordinis Fratrum Prædicatorum S.Dominici,ad quem patrio quodam iure peculiarem gerimus paternæ charitatis affectum,statum prospere dirigendum,& rescripta Apost.quęcumque publicam,ac alias priuatam dicti Ordinis & Fratrum, siue Monialium eiusdem,vtilitatem concernentia,per probos & idoneos eiusdem Ord. Religiosos, personis quibus opus fuerit intimanda & insinuanda, ac debite exequenda, studiis inuigilemus assiduis, ac alias omnibus illorum incommodis,& necessitatibus consulamus, provt in Domino conspicimus salubriter expedire.

Causa huius const. §.1.Cum itaque sicut nobis dum in minoribus constituti essemus, satis comprobatum fuit,quod fratres Religiosi, & Moniales d. Ord. fratrum Prædicatorum S. Dominici,siue Ordinem ipsum,vel illius Regulam profitentes,quem quidem Ordinem expresse professi fuimus, tàm vniuersaliter quàm particulariter quamplura damna, incommoda,& detrimenta patiuntur,& impensas sustinent ex eo, quod Notarij tàm clerici quàm laici sæculares, etiam Apostolica, Imperiali, Regali, aut alia auctoritate creati & constituti,in plerisque mundi partibus,regionibus,regnis,prouinciis,dominiis,& locis existentes, & eis oriundi, siue alias inibi commorantes, mandata, concessiones, gratias, priuilegia & indulta, aliaque rescripta Apost. tàm ad publicam, quàm priuatam vtilitatem emanata, siue concessa, & bonum siue commodum,publicum siue priuatum concernentia, dominis temporalibus, siue Potestatibus, Regibus, Ducibus,Principibus,Marchionibus, ac aliis dominis & personis, quibus intimanda, siue insinuanda veniunt,ac intimare & insinuare oportet, intimare,notificare,siue insinuare, variis confictis respectibus recusant, siue non audent contra eorumdem officij liberum & publicum exercitium, debitamque Sedi Apostolicæ obedientiam, ac in non modicum publicæ & priuatæ vtilitatis & commodi, præiudicium & detrimentum.

Priuilegiũ dũ quo in rubr. §.2. Nos igitur cupientes, quantum cum Deo possumus in præmissis, Ordini & Fratribus præfatis, ac etiam Monialibus ipsis de opportuno remedio prouidere, & incommodis, detrimentis, expensis, & damnis eorum obuiare, neque mandata, priuilegia, gratias, concessiones, indulta,& rescripta Apostolica,in genere vel in specie dicto Ordini, seu ipsius Ordinis Magistro generali Prouincialibus, aliisque Superioribus, Prioribus,& Fratribus, & eorum singulis, dictisque Monialibus, siue earumdem Abbatissis,Prioribus,& earumdem etiam singulis eiusdem Ordinis,siue dictum Ordinem,& illius regulam profitentibus,quomodolibet,in genere vel in specie concessa,aliaque mandata & rescripta Apostolica, publicam vel priuatam ipsius Ordinis vtilitatem quomodolibet concernentia,& emanata,ob id debito careant effectu,& vacua remaneant, prouidere volentes,ipsosque Ordinem, ac illius Magistrum generalem, Vicarium,Procuratorem, & Fratres,ac Abbatissas,Prioressas,& Moniales,eorumque singulos specialibus fauoribus & gratiis prosequentes,& à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti,

Hoc idem concesserat Iul. III. die 27. Febr. 1554. sed eius bullã, stante hac pleniori, consulto prætermissa

Digitized by Google

dicti,aliisque Ecclesiasticis sententiis,censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon nomina, cognomina Magistri generalis, Prouincialium, Vicariorum, Procuratorum, & aliorum Superiorum,ac dictarum Abbatissarum,Priorissarum,& Monialium, inuocationesque denominationes, & dependentias Monasteriorum, Domorum, Conuentuum, & aliorum Regularium locorum,tàm virorum quàm mulierum dicti Ordinis,ac etiam mandatorum, concessionum, indultorum, & rescriptorum,aliarumque gratiarum tenores, præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam,sed ex certa nostra scientia,ac de Apostolicæ potestatis plenitudine,modernis, & pro tempore existentibus dicti Ordinis Magistro generali,Vicariis,& Prouincialibus,tàm citra quàm vltra, ac alias vbilibet constitutis. Quod in vnaquaque eorum Prouincia, vnum, duos, tres, quatuor, vel quinque, aut plures eis bene visos dicti Ordinis Religiosos, seu Fratres, probatos tamen, ac fide & doctrina idoneos, & ab ipsis approbatos,in notarios creare, constituere & deputare. Qui sic creati,constituti, & deputati, sine aliquo respectu,& omni cessante recusatione,libere quoties requisiti fuerint, omnia & singula mandata, priuilegia, concessiones, gratias, & indulta Apostolica, aliaque tàm vniuersalia, quàm particularia dicti Ordinis, ac quibusuis aliis, quæ de obseruantia sunt tantum locis,domibus, Conuentibus, Monasteriis,& Ecclesiis,tàm virorum quàm mulierum, & seu eiusdem Ordinis Magistro generali, Prouincialibus,Vicariis, Prioribus,& aliis superioribus Fratribus, ac Abbatissis, Priorissis,Monialibus,& aliis personis sub Regula dictorum Fratrum degentibus, & quæ sunt obseruantiæ tantum,in genere vel in specie,vt ad vniuersam siue priuatam vtilitatem concessa & emanata rescripta Apostolica eisdem Regibus,Ducibus,Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Dominis,aliisque personis Ecclesiasticis,& sæcularibus quibuscumque, vbi, & quoties opus fuerit,ac ad id requisiti fuerint, notificare, & intimare. Ac eosdem iuxta mandatorum, concessionum, indultorum, priuilegiorum, & rescriptorum huiusmodi formam, continentiam, & tenorem monere, & requirere, aliaque omnia & singula circa ea requisita & opportuna facere,agere,exercere,& exequi, ac de eisdem omnibus & singulis, publicos & publica, actus & instrumẽta coram testibus ad hoc requisitis conficere,& stipulari,ac in notã redigere, & exinde semel vel pluries,provt ad id requisiti fuerint, vnum vel plures, ac plura, publicos & publica,actus, & instrumenta quibus eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio & extra,ac vbique, ac si per alios quoscumque publicos & authenticos rogatos notarios stipulata, confecta & publicata, & authenticata fuissent conficere,& debitis signis & characteribus subscribere, publicare, & authenticare, libere & licite possint & valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam & facultatem impartimur, concedimus & indulgemus; eisdemque actis, notis, instrumentis, & scripturis per dictos Religiosos vt præfertur, Notarios deputatos stipularis, confectis, & vt præfertur authenticatis, plenam & indebitatam fidem vbique,tàm in iudicio quam extra adhibere, ac eosdem sic intimatos, monitos,& requisitos eis affici & arctari debere volumus, statuimus, & ordinamus.

Iussio quod predicti notarij non impediantur.

§.3. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, & indignationis nostræ, ac suspensionis à diuinis, quo ad Archiepiscopos, & Episcopos, quo ad alios vero inferiores sub maioris excommunicationis latæ sententiæ pœnis, locorum Ordinariis, & aliis quibusuis personis, cuiuscumque status,gradus, ordinis, & conditionis existentibus, & quacumque etiam dictæ Sedis auctoritate, facultate, seu potestate, etiam Legati de latere, ac Cardinalatus honore fungentibus, ne ipsos Notarios, vt præfertur deputatos & electos, siue eorum aliquem in executione supradictorum omnium quouis modo impediant, seu impedire aut perturbare audeant vel præsumant.

Clausula præseruatiua huius priuilegij.

§.4. Ac decernentes præsentes literas nullo vmquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis, seu intentionis nostræ vitio seu defectu, notari seu impugnari, ac sub quibusuis reuocationibus, derogationibus,& aliis contrariis dispositionibus,à nobis vel successoribus nostris emanandis, comprehensas, sed semper ab illis exceptas existere, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum, & validissimum, etiam sub data per eosdem Magistrum generalem, Prouinciales, & alios supra nominatos eligenda, concessas, restitutas, & plenarie redintegratas existere. Et sic per quoscumque Iudices,& Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate,iudicari, & definiri debere, ac irritum & inane, quicquid secùs super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§.5. Quocirca dilectis filiis Iacobo tit. S. Mariæ in Cosmedin presb. Card. de Sabellis nuncupato, nostro in Alma Vrbe Vicario, & curiæ causarum Cam. Apost. generali Auditori, & Cancellariæ Apost. Regenti, nunc, & pro tempore existentibus, per præsentes motu simili mandamus,quatenus ipsi, vel duo aut vnus eorum, per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Magistri Gener. Procur. Prouincialium, & aliorum prædictorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos, & eorum singulos, indulto, concessione, voluntate, statuto, ordinatione, mandato, & decreto nostris huiusmodi, iuxta eorumdem præsentium tenorem, pacifice frui, & gaudere. Non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet, & rebelles, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiast. ac alia iuris remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus sententiam, censuras, & pœnas prædictas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Derogatio cõtrariorum.

§.6. Non obstan. fel. rec. Bonif. PP. VIII. prædecessoris nostri de vna, & Concilio generali de duabus dietis, dummodo quis auctoritate præsentium vltra tres dietas ad iudicium non trahatur, aliisque quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus ac etiam iuramento, confirmatione Apost. vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, etiam dictæ Sedis de latere Legatis, Nuntiis, locorum Ordinariis,& aliis quibusuis personis in præiudicium præmissorum per quemcumque Rom. Pont. etiam prædecessores nostros, ac nos & Sedem præfatam tam sub plumbo, quam in forma breuis, & etiam motu & scientia similibus concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua,non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata,inserti forent presentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter,& expresse derogamus,contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicati non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam,ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§.7. Volumus autem, quod transumptis præsentium manu alicuius Notarij publici subscriptis,& sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis,eadem prorsus fides in iudicio,& extra vbique locorum adhibeatur, & adhiberi debeat, quæ literis ipsis originalibus adhiberetur si exhibitæ forent vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 21. Martij 1571. Pontificatus nostri Anno 6. *D. P. An. 6. 21. Martij.*

Quod

Digitized by Google

CXXV.

Quod Fratres Eremitæ S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis, regulam S. Augustini dudum professi, vltra gratias d. Congregationis, perfruantur priuilegiis omnibus ab isto Pontifice Mendicantium Ordinibus elargitis.

De his Fratribus notaui sup. in const. 12. Eugen. IV.

Prouenit.

Edita An. D. 1571.

PIVS PAPA QVINTVS.

Dilectis filiis Congregationis Fratrum Eremitarum B. Petri de Pisis Ordinis S. Hieronymi.

Exordium.

REligionis zelus, eximiumque regularis obseruantiæ desiderium, ac illibatus sinceræ deuotionis erga nos & Sedem Apostolicam affectus, quibus in Domino flagrare comprobamini, promerentur vt nostram quoque & Sedis prædictæ paternam sentiatis benignitatem; & & clementiam.

Confirmatio omnium gratiarum Ordinis, cum clausula, quatenus.

§.1. Hinc est quod nos Congregationem vestram fratrum Eremitarum B. Petri de Pisis Ordinis S. Hieronymi, dictosque fratres, & alias eiusdem Congregationis personas, aliqua nostra, & dictæ Sedis benevolentia amplecti, ac specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, Motu proprio, non ad vestram, aut alicuius vestrum, seu alterius pro vobis super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula priuilegia, facultates, libertates, immunitates, exemptiones, prærogatiuas, indulta, & alias gratias vniuersas, spirituales, & temporales, vobis, & dictæ vestræ Congregationi, illiusque capitulo, & personis, ac monasteriis, & locis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & etiam forsan nos ac Sedem prædictam & etiam illius Legatos, necnon etiam locorum Ordinarios quorumlibet hactenus, & in præsentem vsque diem, ac etiam à quantumvis antiquo tempore concessa (quatenus sacri Tridentini Concilij decretis, & regulari obseruantiæ contraria non sint, & quoad ea quæ decretis Concilij, & regulari obseruantiæ huiusmodi non contrariantur) necnon desuper confectas literas, instrumenta, documenta, & scripturas quascumque & in eis contenta, ac inde secuta, & sequenda quæcumque, illarum, & illorum, ac præmissorum omnium, & aliorum necessariorum tenores, & etiam datas cum inde secutis, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, & haberi decernentes, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, ac innouamus, & etiam de nouo perpetuo concedimus, necnon illis plenariæ, inuiolabilis, & perpetuæ firmitatis Apostolicæ robur adiicimus, omnesque & singulos, tam iuris quam facti, & quoscumque alios defectus, si qui forsan intenuenerint quomodolibet in eisdem supplemus, illaque valida, & efficacia fuisse, esse, & perpetuo fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, necnon vobis, & Congregationi vestræ prædictæ, illiusque fratribus, personis, monasteriis, & locis suffragari, ac ab omnibus, & singulis, quos ea quomodolibet concernunt, & pro tempore concernent, inuiolabiliter perpetuo obseruari debere, vosque & Congregationem vestram, ac illius fratres, personas, monasteria, & loca super præmissis, & infrascriptis per quoscumque quauis auctoritate quomodolibet molestari vel impediri non posse, decernimus & declaramus.

Inhibitio contra perturbatores.

§.2. Districtius etiam inhibentes omnibus, & singulis personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis vbilibet existentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac aliis arbitrij nostri pœnis, ne vos aut aliquem vestrum super præmissis, per se vel alium seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, quouis quæsito colore vel ingenio quomodolibet molestare, inquietare, impedire, vel perturbare audeant seu præsumant.

Indulgentia pro Congregatione.

§.3. Ac insuper de Omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, vobis & dictæ vestræ Congregationi, illius fratribus, & personis, ac vestrum & eorum singulis plenariam omnium peccatorum vestrorum indulgentiam, & remissionem à culpa, & pœna in forma Iubilæi amplissima, 4. die Dominico cuiuslibet quadragesimæ, in perpetuam rei memoriam professionis trium votorum, quam vos fratres dictæ Congregationis, præeunte dilecto filio fratre Ioanne Baptista de Monselice, vestro, & huius Congregationis generali, prompto, & libenti animo in manibus nostris solemniter sub regula S. Augustini, & sub constitutionibus dictæ Congregationis, Romæ in Ecclesia monasterij S. Honuphrij die 18. mensis Martij, Anni Domini 1569. emisistis, eisdem auctoritate, & tenore misericorditer in Domino perpetuo concedimus, & impartimur. *Tu ad hoc attende bullam S.D.N. Pauli V. n.16. Romanus.*

Communicatio omnium gratiarum ab isto Pont. Ordinibus Mendicantium concessarum. Tu eas vide sup. in const. 41. Et si.

§.4. Et præterea vos, & eamdem Congregationem vestram, illiusque fratres, & personas, ac monasteria & loca, bullæ confirmationis, nouæque concessionis priuilegiorum; omnium Ordinum Mendicantium per nos nuper, seu dudum editæ, illius etiam tenores, & datam cum inde secutis præsentibus pro plene & sufficienter expressis & insertis habentes, in omnibus, & per omnia, ac ad instar dictorum Ordinum, & æque principaliter, ex nunc, & perpetuo, auctoritate & tenore prædictis aggregamus, ac pro aggregatis haberi, censeri, & teneri, in iudicio, & extra iudicium vbilibet, volumus, declaramus, & mandamus.

Clausula præseruatiua.

§.5. Præsentes quoque de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quouis alio defectu notari vel impugnari, seu alias quomodolibet infringi, vel retractari, suspendi vel reuocari, seu eis in aliquo derogari nullatenus vmquam posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, necnon in omnibus, & singulis, quos ea quomodolibet concernunt, & pro tempore concernent, inuiolabiliter vt præfertur, obseruari, sicque etiam in præmissis, & supradictis omnibus, & singulis ab omnibus censeri.

Clausula sublata, &c.

§.6. Ac ita per quoscumque Iudices, & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam locorum Ordinarios, etiam tamquam à Sede Apostolica delegatos, necnon etiam Rotæ Auditores, seu Locatenentes, ac S.R.E.Card. etiam de latere Legatos, seu Nuntios, eorumque Vicelegatos, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in quauis causa, & instantia, iudicari, sententiari, & definiri debere, necnon quicquid super his à quocumque quauis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus, & declaramus.

Executorum deputatio.

§.7. Quocirca dilectis filiis curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, ac Sedis Apostolicæ Legatis etiam de latere & Nunciis vbilibet, nunc, & pro tempore existentibus, præsentibus, & futuris, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, si & postquam præsentes nostræ literæ eis præsentatæ fuerint, per se vel alium, seu alios literas ipsas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties super hoc pro parte vestra, aut alicuius vestrum fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque & cuilibet vestrũ in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi, firmiter obseruari, vosque, & quemlibet vestrum illis pacifice frui, & gaudere. Non permittentes vos aut vestrum quempiam per quoscumque contra earumdem præsentium tenorem desuper quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogatoria.

§.8. Non obstantibus fel. record. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, qua cauetur, ne quis extra suam ciuitatem vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne iudices à Sede Apostolica deputati, extra ciuitatem vel diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, seu alij vel aliis vices suas committere

committere præſumant, ac in Concilio generali edita de duabus dictis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur, & quibuſuis aliis Apoſtolicis, ac vniuerſalibus prouincialibuſque & ſynodalibus, ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon etiam iuramento, confirmatione Apoſt. vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam quibuſuis perſonis, & locis, in genere vel in ſpecie ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, ac etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & etiam conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, indiuidua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus. Aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

D.P. A. 6. 30 Martij. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annnulo Piſcatoris, die 30. Martij, 1571. Pontificatus noſtri Anno 6.

CXXVI. Reductio ad terminos iuris communis, conſtitutionum à Sixto IV. Leo. X. & Pio IV. ac aliis Pontificibus editarum, ſuper Iure congrui, & ſuper nouis (exceptis tamen ſacris aut publicis) ædificiis conſtruendis, aut ampliandis in Vrbe.

Hanc reductionem reuocauit Greg. XIII. & ampliſſimam deſuper edidit conſtitutionem nu. 22. Quæ publice. *vbi videas ſupradictorum Pont. conſtitutiones indicatas.*

Edita An. D. 1571.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Proœmium.

AD hoc nos Deus militanti Eccleſiæ præficere dignatus eſt, vt ſingulorum prædeceſſorum noſtrorum geſta (eo inſpirante qui dat ſpiritum bonum petentibus ſe) reuoluentes, ea quæ certis tunc ſuadentibus rationabilibus cauſis emanarunt, ex aliis non minus attendendis rationibus ad rationis tramitem reducamus, provt rerum, & temporum qualitate digeſta ſalubriter in Domino conſpicimus expedire.

Sixtus IV. citatus in rubr. iuſſit vicinos domos vēdere vicinis ad ornatum Vrbis.

§. 1. Sane licet alias fel. rec. Sixtus Papa IV. Motu proprio, & ex eius certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſtatuerit, & ordinauerit, quod tunc & pro tempore exiſtentes Romanæ Eccleſiæ Camerarius, & Magiſtri ædificiorum, & ſtratarum dictæ Vrbis, ad requiſitionem dominorum quorumcumque domorum & aliorum bonorum, tenerentur in certis expreſſis caſibus compellere vicinos ac domos, & alia bona expreſſa vendendum, pro pretio per peritos extimando, quodque vicini vendere volentes nonniſi vicinis emere volentibus vendere poſſent, & alias ac latius provt in dicti prædeceſſoris literis continetur ſub dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicę milleſimo quadringenteſimo ſepruageſimo, prid. Kalend. Iulij, Pontificatus noſtri Anno 9.

Leo etiam X. ut in rub.

§. 2. Et ſucceſſiue Leo X. ſub dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis prædictæ 1516. quarto nonas Nouembris Pontificatus ſui Anno 4.

Pius IV. eorū conſt. ampliauit, vt in bulla indicata in rubr.

§. 3. Ac Pius IV. ſub dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis prædictæ, 1565. 10. Kal. Septemb. Pont. ſui anno 6. & alij Romani Pontifices prædeceſſores noſtri literas prædictas Sixti confirmauerint, innouauerint, declarauerint, ampliauerint, & extenderint, & alias provt latius in dictis literis continetur.

Hic modo Pōtif. ad tollendum lites deſuper ortas.

§. 4. Cum autem ſicut accepimus, occaſione literarum prædictarum diuerſæ lites, quæſtiones, & controuerſiæ ortæ, ac diuerſa grauamina, & læſiones, perturbationes, & incommoda diuerſis perſonis generata, & illata, ac literæ huiuſmodi, quæ correctoriæ iuris communis exiſtunt, ſecundum propriam ſignificationem ſtricte interpretari deberent, rigoroſæ executioni, etiam in caſibus in illis forſan non expreſſis demandatæ fuerint, & in dies demandentur, in earumdem perſonarum animorum moleſtiam non modicam, ac propterea plurimorum ad nos querelæ delatæ fuerint, & in dies deferantur, conquerentium potiſſimum de rigore, vel potius iniuſtitia literarum prædictarum.

Eas reducit ad terminos iuris communis.

§. 5. Nos attendentes quod ea quæ iuri communi, & ſacris Canonibus contrariantur, & ex certis neceſſitatibus imminentibns, & ita forſan requirentibus, ſtatuta, & admiſſa ſunt, perpetua eſſe non debent, & quod ſi legi ciuili multa rigoroſa admittēdi grauis viſa eſt iniuria quæ inani honeſtatis colore velatur, vt homines de rebus ſuis facere aliquid cogantur inuiti, neque ſuo arbitratu vendenda diſtrahere poſſint, & propterea conſtitutiones caſſauerit, quæ liberum arbitrium diſtrahendi res proprias impedirent, multo grauior nobis eſſe videtur, qui Sanctorum patrum decretis inhærentes, nitimur vt nonniſi ea quæ ad pietatem, & æquitatem, ac liberam diſponendi de rebus ſuis facultatem, & ad quietem, & tranquillitatem ſubditorum noſtrorum, & querelarum, ac litium præfatarum amputationem tendunt, admittamus. Literarum omnium præfatarum veriores, necnon proceſſuum deſuper formatorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, necnon quarumcumque litium deſuper forſan motarum, & in quacumque inſtantia, etiam ſuper iuſtitiæ vel iniuſtitiæ reuiſione pendēn. ſtatus, merita, ac nomina, & cognomina iudicum, & collitigantium præſentibus pro expreſſis haben. illaſque ad nos harum ſerie aduocantes, & extinguentes, perpetuumque ſuper præmiſſis ſilentium imponentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, non ad alicuius ſuper, hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera animi noſtri deliberatione, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine literas, & conſtitutiones Sixti, Leonis, Pij, & aliorum prædeceſſorum noſtrorum huiuſmodi, quoad pendentes in quacumque inſtantia, refectis tamen expenſis, illis qui ſub prætextu dictarum bullarum iuſtam hucuſque habuerunt cauſam litigandi, & futuras cauſas ac ſi numquam emanaſſent, ad ius commune, & terminos, & viam iuris communis omnino reducimus, reuocamus, caſſamus, & annullamus, ac viribus vacuamus. Ita quod in cauſis huiuſmodi ſecundum iuris communis diſpoſitionem, poſthabitis literis præfatis, procedi, ſententiari, & definiri debeat.

Præterquam in ſacris vel publicis ædificiis, vt hic.

§. 6. Excipimus tamen à præſenti noſtra reductione, & caſſatione, quod ſi pro vna vel pluribus ædibus ſactis, ædificiis, viis, & plateis publicis conſtruendis, ampliandis, vel dirigendis, aliquæ domus vel alia ædificia, & bona eſſent in totum vel in parte incorporanda, demolienda, vel reſtringenda, quod in caſibus præfatis, & non in aliis poſſint vicini, & habentes domos, ſedimina, plateolas, & alia quæcumque bona, etiam ſi aliter vendituri non eſſent, compelli ad ea vendendum. Ita tamen quod compulſi præfati vltra æſtimationem domus, ſediminis, plateolæ, & aliorum bonorum prædictorum faciendam per duos peritos communiter eligendos, & in caſu diſcordiæ, per Magiſtros viarum loco tertij, quartam partem pretij vltra valorem, vt ſupra æſtimandum conſequantur.

Iuſſio ſic & non aliter iudicandi.

§. 7. Diſtrictius inhibentes quibuſuis &c. ne aliter quam vt præmittitur iudicare, vel contra præmiſſa ſententiare, aut lites prædictas proſequi quouis quæſito colore, audeant vel præſumant. Decernentes quoque omnes, & ſingulas aliter quam vt præfertur ferendas ſententias nullas, irritas, inanes, nulliuſque roboris vel momenti, & tamquam tales nemini ſuffragari, nec à quoquam excqui quouis prætextu deberi.

§. 8. Præ

Digitized by Google

Clauſula præſeruatiua.

§.8. Præſentes vero vim perpetuæ conſtitutionis,& legis habere, & inter extrauagantes conſtitutiones noſtras regiſtrari, ac publicari debere, nec vllo vmquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis vitio notari,impugnari, inualidari, ad terminos iuris reduci, in ius vel controuerſiam vocari, quacumque occaſione vel cauſa minime poſſe, minúſque ſub quibuſuis ſimilium vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, & limitationibus comprehendi nullatenus poſſe, ſed ſemper ab illis exceptas,& quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum in quo ante præmiſſa quomodolibet erant ſtatum, reſtituras, repoſitas,& plenarie reintegratas eſſe. Sicque ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcumque Iudices quacumque auctoritate fungentes,etiam cauſarum ſacri Palatij Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, ſublata eis aliter iudicandi poteſtate, iudicari, & definiri debere,irritum quoque & inane,ſi ſecus à quoquam quauis auctoritate contigerit attentari.

Mandamuſque propterea dilectis filiis, &c.

Non obſtantibus literis Sixti, Leonis,& Pij præfatis,& aliis Apoſtolicis, necnon, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, quarto Idus Aprilis, anno 6.

Placet Motu proprio. M.

Sequitur extenſio ſupradictæ reductionis, etiam ad inquilinos.

Edita An. D. 1571.

PIVS PAPA QVINTVS,
Motu proprio, &c.

Exordium.

TAnta eſt præſentis ſæculi deprauata malitia, vt dum vni inconuenienti, &c. vt ſup.

Cauſa huius extenſionis.

§.1. Cum tamen nuper ad notitiam noſtram deuenerit, alias in Camera Apoſtolica inter alia decretum fuiſſe,quod exinde in poſterum nullæ venditiones de domibus aliis locatis per earumdem domorũ Dominos ſiue illi Romani eſſènt, ſiue Curiales, etiam ſi pupilli vel vigintiquinque annis iuniores, vel mulieres, laici vel clerici, ſeu etiam Religioſi, ſeu alias quarumcumque Eccleſiarum Rectores, ſiue earumdem domorum iure, quorumuis beneficiorum per eos obtentorum ius/aut dominium habentes, etiam pro eorum quauis neceſſitate vel cauſa, etiam ſi cum iuramento, & quauis etiam obligatione in ampliori forma Cam. Apoſt. ſeu alias quibuſcumque excogitari poſſent cautelis & modis contractæ eſſent, valerent, ſeu alicuius roboris vel momenti exiſterent, niſi primitus & ante omnia iiſdem domorum Domini earumdem inquilinis, per authentica inſtrumenta, & in præſentia notarij publici, & teſtium fide dignorum,bis,cum interuallo decem dierum requiſitis, ſi pro iuſtis conditionibus, & eiſdem pretiis, pactis, & conuentionibus eaſdem domos in eamdem emptionem habere vellent, alias dictæ venditiones exinde nullius eſſent roboris vel momenti, ac alias prout in dicto decreto Camerali plenius dicitur contineri.Quod ſi profecto remaneret, eadem inconuenientia ſequerentur, quæ ex dictis prædeceſſorum noſtrorum literis orta fuerunt.

Hoc decretum Camera eſt in viridi obſeruantia.ſitã. to d. conſtit. Greg. cit. in rubr.

Extenſio d. reductionis etiã ad inquilinos.

§.2. Licetque non immerito cenſeri poſſet in dictarum literarum reuocatione, etiam decretum Camerale præfatum ſaltem ex identitate rationis, ne quis de rebus ſuis diſponere arbitrio ſuo prohibitus videatur, comprehenſum fuiſſe & eſſe, vt tamen ſcrupuloſis omnibus, qui varia litium ſemina ſubminiſtrare non ceſſant, cauillandi materiam ſuccidamus, decreti præfati tenorem præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſo habentes, Motu ſimili, &c. declaramus atque decernimus, decretum præfatum ſub eadem cedula noſtra comprehenſum fuiſſe, & comprehendi debere quo ad liberas domorum venditiones earumdem,inquilinis irrequiſitis per earum Dominos factas (dummodo ſuper earum retractione lis mota per inquilinos,& plenarie hucuſque finita non fuerit) & in futurum contrahendas,perinde ac ſi de dicto decreto ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio facta fuiſſet. Et nihilominus pro præmiſſorum maiori cautela & firmitate, omnia & ſingula, quæ in dicta cedula contra prædeceſſorum literas præfatas, ſtatuimus & ordinamus & obſeruari volumus, eadem omnia, cum omnibus & ſingulis clauſulis & derogationibus in dicta noſtra cedula contentis, ac ſi de verbo ad verbum hic expreſſa eſſent, quo ad huiuſmodi decretum & liberam vendendi facultatem inquilinis domorum non requiſitis, ſtatuimus & ordinamus, & obſeruari volumus & mandamus.

Decretum irritans.

§.3. Sicque per quoſcumque Iudices & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores,ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſubla eis, &c. iudicari debere, irritum quoque, &c. decernimus.

Clauſ. derog.

§.4. Non obſtantibus dicto decreto Camerali huiuſmodi, etiam pluries confirmato, ac aliis præmiſſis, ac quatenus opus ſit, noſtra de non tollendo iure quæſito, etiam quibuſuis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon iuramento, &c. roboratis, ſtatutis, conſuetudinibus,necnon legibus etiam municipalibus,priuilegiis quoque,&c.ſub quibuſcumque tenoribus,&c.conceſſis,&c. ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque, ſtatum & merita cauſarum præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis habentes.

PP. ſubſcript.

Placet Motu proprio. M.

D.P. An. 6. 9. Iunij.

Datum Romæ apud S. Petrum, Quinto Nonas Iulij anno 6.

CXXVII.

Declaratio quod Canonici ſæculares Congregationis S. Georgij in Alga Venetiarum, præcedant etiam Canonicis regularibus Congregationis Lateranenſis, Ordinis S. Auguſtini.

Hoc priuilegium præcedentiæ, quo ad alios regulares, conceſſit hic idem Pont. d. Congreg. S. Georgij vt ſup. in conſt. 92. Ex incumbenti.

Inſtitutionem vero huius Congregationis vide ſup. in conſt. 1. Greg. XII. *Illis.* vbi alia indicani.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Edita An. D. 1571.

Hic Pont. iſtis Canonicis ſæcularibus dedit præcedentiam vt ſupra in cõſt. 92. Et deinde præcedentiam etiã dedit Canonicis regularib. Lateran. vt in alia eius cõſt. 116. ideo dubitari poſſet, an hæc poſterior bulla præcedenti deroget.

CVm alias nos poſtquam dilecti filij Rector generalis & Canonici Congregationis S. Georgij in Alga Venetiarum, mandatis noſtris obtemperando,profeſſionem regularem emiſerant. Noſque propterea ipſos ſub noſtra & Sedis Apoſt. protectione receperamus, ac inter alia per quaſdam volueramus, quod Rector & Canonici prædicti in proceſſionibus, & actionibus publicis,prout antea ſoliti erant præcederent,ex certis cauſis tunc expreſſis,omnes ac ſingulos Canonicos regulares Ord. S. Auguſt. Congregat. Lateranen. vbique locorum exiſtentes, quod deinceps proceſſionib.& aliis actibus publicis vel priuatis intereſſe contigiſſet, ſtatim ipſum Clerum ſæcularem non exemptum ſubſequi, dum ipſi ſubſequendo præcedunt, dum vero præcedendo præcedunt, illud immediate ſequi debere per alias noſtras literas declarauerimus, prout in ſingulis literis prædictis plenius continetur, à nonnullis non immerito dubitari poſſet, an per poſteriores literas prædictas prioribus ita derogatum ſit,vt Canonici regulares prædicti, Canonicos Congregationis S. Georgij prædicti præcedere debeant, quod profecto, ſi ita declaretur, non ſine maximo ipſius Rectoris & Canonicorum S. Georgij præiudicio & grauamine eſſe poſſet.

Hic modo Pius non derogare declarat ea præcedentiam Canonicorũ ſæcularium præſeruat.

§.1. Nos præmiſſa declaratione debita dilucidare ſatagentes, nolenteſque literas noſtras, quæ non ſine cauſæ cognitione prodierunt, in alienum ſenſum, ac aliorum præiudicium diſtrahi,literarum noſtrarum vltimo datarum id, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent,præſentib. pro expreſſis haben. ſeu exprimi & inſeri poſſe decernen. motu ſimili declaramus, & in verbo Rom. Pont. atteſtamur, intentionis noſtræ numquam fuiſſe nec eſſe,quod ſecundo datas literas prioribus ita præiudicare, vt ipſi Canonici Congreg. S. Georgij locum mutare debere cenſeantur, aut cenſeri poſſint, ſed locum ipſis Canonicis regularibus aſſignatum, citra ipſorum Canonicorum Congregationis S. Georgij præiudicium, conceſſum fuiſſe ac eſſe intelligatur,ipſique Canonici Congreg. S. Georgij deinceps & perpetuis temporibus ſub nomine clerici ſæcularis venire, & ita ab omnibus cenſeri, nec ſuper eo à quoquam moleſtari poſſe vel debere.

Digitized by Google

Obtrectatiq; huius bullæ præcipit.

§.2. Districtius inhibentes omnibus & singulis tam Ecclesiasticis quam sęcularibus iudicibus cuiuscumq; dignitatis, status, gradus, ordinis ac conditionis existentibus, & quacumque auctoritate etiam Apostolica fungen. & præsertim secundo dictis literis deputatis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis maioris, aliisque arbitrio nostro moderan. & infligen. pœnis, ne contra prędicta quouis quæsito colore venire, aut quominus illa suum plenarium ac integrum sortiantur effectum, impedire audeant vel præsumăt, quinimo eos & alios quoscũq; pœnas in eis appositas incurrere minime posse volumus.

Causa huius declarationis præseruatiuas apponit.

§.3. Decernentes quoq; præsentes, & desuper conficiendas literas, nullo vnquam tempore, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod d. Canonici Regulares, aut alij forsan interesse habentes, vocati non fuerint, notari, impugnari, inualidari, aut contra illas de nullitate opponi, ad terminos iuris reduci, in ius vel controuersiam vocari, causamque vel causas, propter quas à nobis præsentes emanauerint verificare nullatenus teneri, nec ob id vitibus carere minusq; sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarũ, reuocationum suspensionum, limitationum, aut aliis cõtrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restrictę, repositę, & plenarie reintegratę esse, etiam sub quacumq: data per ipsos Canonicos d. Congregationis S. Georgij eligenda, vimque validi & efficacis contractus, inter nos & Sedem Apostolicam ac eosdem Canonicos, etiam cum iuramento initi ac stipulati, sortiri, sicq; ab omnib. censeri. Et ita per quoscumq; Iudices etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, &c. iudicari debere, irritum quoque, &c.

Cõtrariis omnib. derogat.

§.4. Non obstan. literis nostris præfatis, quas quo ad huiusmodi effectum, & in ea parte, quæ præsentibus contrariantur, reuocamus & annullamus, ac cum quibuscumque litium pendentiis (quas ad nos harum serie auocamus & extinguimus, perpetuum super illis silẽtium imponimus, illarumque status & merita, nominaq; & cognomina Iudicum, præsentibus pro expressis habentes, ac quibusuis Apostolicis, necnon in prouincialib. & synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus ac quibuuis etiam iuramento, confirmatione Apost. vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apost. dictis Canonicis Regularib. & quibusuis aliis, sub quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritum, &c. hac vice latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis & consuetis.

PP. subscript.

Fiat Motu proptio. M.

Repetitio clausularum

§.5. Et cum absolutione à censuris, &c. & quod singularum literarum præfatarum tenores habeantur pro expressis, seu in toto vel in parte exprimi, ac de verbo ad verbum inseri possint. Et de declaratione, attestatione, voluntate, deliberatione, decreto, & aliis prædictis pro repetitis habeantur, & ad partem perpetuo in forma gratiosa, &c. & cum deputatione iudicum & executorum, qui assistant, & præmissa obseruari faciant, etiam sub censuris, &c. cum potestate citandi, inhiben. &c. aggrauandi & reaggrauandi, ac interdicen. &c. & cum derogatione, &c. de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo non vltra tres, ac prædictorum & singulorum præsentibus quomodolibet contrariorum. Quorum, &c. latissime extenden. & quod præmissorum omnium, &c. & per breue literæ expediri possint.

Dat. P. An. 6. 15. Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, 11. Kal. Iunij, Pont. nostri anno 6.

CXXVIII De electione & officio Ministri generalis, & aliorum Superiorum Ord. Minorum S. Francisci de Obseruantia. Et de modo recipiendi Nouitios.

Hæc reformatio his quo ad primam eius partem declarata fuit à Greg. XIII. inf. in eius constitut. 13. Consuecuit *Et quo ad secundam partem, tam ab ipso Greg. quam à Sixt. V. innouata est, vt inf. in eius const. 71.* Cum de omnibus. *vbi notabo.*

PIVS PAPA QVINTVS,
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1571.

PAstoralis officij nobis diuinitus iniuncti assidua sollicitudo nos admonet, vt omni cura ac vigilantia ad ea semper intendamus, per quæ omnes personæ regulares sub suaui Religionis iugo Altissimo famulantes, in regularium ac salutarium institutorum obseruatione non modo conseruentur, sed ad alia obseruanda modis, & rationibus congruentibus admoneantur & impellantur. Considerantes autem quam vberes fructus Ordo Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia, qui in humilitate & patientia potissimum fundatus existit, hactenus in agro Domini attulerit, & in dies magis cooperante eo, à quo bona cuncta & procedunt, afferre non cesset, nonnulla ordinanda, & à fratribus prædictis obseruanda censuimus, per quæ Deo Omnipotente auctore, dictus Ordo per nostræ prouidentiæ ministerium, felicia in Domino suscipere possit incrementa. Motu igitur proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, maturaque deliberatione nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura sanctione statuimus & ordinamus.

Præmium.

Qui & quomodo eligi possint in Superiores huius Ordinis.

§.1. Quod illi Fratres eiusdem Ordinis posthac in generalem ministrum, & reliquos superiores solum eligantur, qui regulam ipsius B. Patris Seraphici bene obseruare, & qui in choro, victu & vestitu, quantum officij necessitas concesserit, cum aliis se conformare soleant ac debeant, super quo Barchinonenses constitutiones harum serie innouamus, omnesque, tam superiorum quorumcumque, quam Definitorum, Custodum, & Discretorum electiones, per vota secreta fiant, iuxta sacri Concilij Tridentini decreta, aliter electiones factæ pro tempore nullæ, & penitus irritæ sint, & inanes, electique pœnas in dictis decretis contentas incurrant eo ipso.

Et illi quando vocem habeãt in Capit. Tu vide Greg. XIII. cit. in rubr.

§. 2. Quodque Minister generalis, Commissarius, vel Procurator generales & prouinciales, in eo Capitulo quo absolui debent, definitores non sint, neque vocem habeant, sed facta successoris electione discedant, vt si quis eos accusare velit, libere agat.

Ministrorum Prouincialiũ electio fiat per vota secreta.

§.3. Quod prouincialium Ministrorum electio libere per vota secreta, vt supra fiat, ita vt commissarius generalis, vel qui electioni præsederit, si fomam prædictam transgredi, seu electores quo minus libere eligant, quouis modo impedire conuictus fuerit, officio priuatus existat.

Subornãtes & subornati in electi excõm.

§.4. Qui vero in electionibus omnibus, vel ante eas per sex menses, pro se vel pro alio subornauerit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, à qua nisi à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo absolui non possit, ac voce actiua & passiua perpetuo careat, subornatus vel alius, etiam pro quo subornatio fiet, qui subornantem non detulerit, eamdem pœnam incurrere censeatur.

Tu vide dictã bullã Greg.

Fauorem procurantes extra Regulam coercentur.

§.5. Qui autem ad officium obtinendum quorumuis fauorem extra Religionem procurauerit, vltra prædictas pœnas per mensem carceri mancipetur.

Hoc declarat Greg. ibid.

§.6. Quod officium generalis Ministri octo annos duret, Commissarij & Procuratores generalis ac prouincialis, quatuor, ipsique semel officio functi, ad idem eligi non possint, nisi post sexdecim annos, nec Minister generalis in commissarium vel Procuratorem generales, nec Commissarius generalis in Ministrum seu Procuratorem generales, nec Procurator generalis in Ministrum vel Commissarium generales, nisi post dictos sexdecim annos vt munus sibi iniunctum cum maiori fructu exercere valeant. Possit tamen Minister prouincialis in alia prouincia prouincialis esse. Et Capitulum quód dicitur intermedium, post quatuor annos ab electione Generalis celebrari debeat.

Prælatorum officiũ quãdo expletur.

Tu vide dictã bullam Greg.

Discretorum officiũ & præcedentia.

§.7. Quod generalis Minister habeat duos discretos secum, vnum ex qualibet familia, quorum consilio vti debeat in grauioribus, sintque immediate subditi Ministro generali, ac in generali & Prouincialibus Capitulis habeant vocem, & præcedant omnes alios, tam in loco, quam in voce, nisi illos dumtaxat qui Ministri Generalis munus obierint, Vnaquæque autem familia suum eligat post electionem Ministri generalis & definitorum. Si moriantur aut occupentur à nobis seu Romano Pontifice

Hoc officium tollit Greg. ibid.

pro

Digitized by Google

pro tempore existente occupatione longa, arbitrio Ministri generalis, vel ab ipso Ministro generali legitime priuentur, alium seu alios eligat Minister generalis præcedente voto Prouincialium eiusdem familiæ, eorumque officium cum ipso Ministro generali expiret, tametsi in Capitulis generalibus officio Discretorum huiusmodi functi vocem habere possint.

Secretariorum officium & numerus.

§. 8. Quod generalis Minister duos Secretarios habeat, alterum videlicet ex altera familia, quo cum negotia cuiuslibet familiæ expediat, eisque arbitrio suo vti possit.

Theologiæ lectores quando habeant vocē in Capitulo prouinciali.

§. 9. Quod sacræ Theologiæ lector qui quatuor cursus absoluerit, actiua & passiua voce vtatur in prouinciali Capitulo.

Officiales, seruent paupertatem.

§. 10. Quod Magister generalis, Commissarius, Prouinciales, & alij Visitatores, & domi & foris ita parce & modeste in expensis se gerant, vt sanctæ paupertatis memores, tam Conuentus, releuare, quam proximos ædificare procurent. Qui tamen hoc non seruabit, si Generalis fuerit, à Definitoribus Capituli generalis, reliqui à Superioribus condigne puniantur.

Nouitiorum recipiendorū forma. Ita vide Sixt. V & Greg. in rubr. citatos.

§. 11. Postremo quod in Nouitiis recipiendis fiat inquisitio de moribus & vita eorum iuxta regulam eiusdem B. Francisci, quæ ait, Diligenter examinent eos de fide catholica, & de Ecclesiasticis sacramentis, &c. Et fiat inquisitio de progenitorum suorum defectu: volentes quod iis, qui ex Mahumethanorum vel Iudæorum genere descendunt, cum post susceptum ab eis sacrum baptisma, Græci & Iudæi distinctio esse non debeat, nullatenus defectus generis huiusmodi quo minus in Ordinem prædictum recipiantur, & ad consequendas in dicto Ordine dignitates, gradus, & officia Religionis, vel cuipiam alteri nocere possit vel debeat. Et quo ad descendentes ex hæreticis, videlicet conuersis, pariter minime circa præmissa quicquam obstet.

Qui recipiantur descendētes ab hæreticis.

§. 12. Quo ad vero illos qui ex hæreticis damnatis, & non conuersis, vel quorum statutæ combustæ fuerint, originem ducunt, per lineam paternam vsque ad secundam generationem, per lineam autem maternam vsque ad primam tantum in præmissis obesse decernimus, & idem seruetur in fratribus, qui ad sacros etiam presbyteratus ordines admittuntur.

Clausula derogatoria.

§. 13. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & quibusuis dicti Ordinis, statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis Ordini & Superioribus huiusmodi per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos & Sedem Apost. etiam motu, scientia, ac potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus & efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis; in genere vel in specie quomodolibet concessis, confirmatis, & sæpius innouatis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & indiuidua, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 6. 28. Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo primo, die 28. Maij, Pont. nostri anno 6.

Publicatio in generali congregatione.

Anno Incarnationis Dominicæ 1571. indict. 13. die vero vltima mensis Maij, Pont. Sanctiss. in Christo patris & D N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno 6. retroscriptæ literæ Apostolicæ lectæ & publicatæ fuerunt in generali retroscriptorum Fratrum Minorum de Obseruantia, videlicet Ministrorum generalis & prouincialium, ac vocalium congregatione, habita in Conuentu S. Mariæ de Araceli de Vrbe, per me Robertum Fontanum Archiuij Curs. scriptorem Clericorum Mutinen. præsentibus Illustriss. & Reuerendiss. D. Alexandro Card. Cribello Viceprotectore, & R. P. D. Hieronymo Albernoz electo Tucumanen. Episcopo testibus, &c. in quorum fidem hic me subscripsi.

Robertus Fontanus Archiuij Rom. Curs. Scriptor.

Facultas Prælatorum Congregationis Cassinensis, alias S. Iustinæ, Monachorum Ordinis S. Benedicti, Monachos à quibuscumque reatibus, censuris & pœnis absoluendi, & cum eisdem dispensandi. CXXIX.

Circa vsum huius facultatis, aduertenda est sanctio 115. Clem. VIII. Quæcumque.

Institutionem huius Congregationis, & alia quæ ad eam spectant, notaui sup. in Iulij II. const. 1. *Super Cathedram.* Et adde quod circa eius priuilegia extat alia constit. 41. huius Pontif. *Et si mendicantium.* in fin.

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Edita An. D. 1571.

Proœmium.

DVm ad Congregationem Cassinen. in qua dilecti filij illius professores mortui mundo, sed Christo, qui est vera vita, sub Regula & Ordine S. Benedicti, transitoriis & caducis huius labilis sæculi illecebris abdicatis, viuentes, pro vniuersali salute fidelium preces ad Dominum incessanter fundunt, oculos nostræ pietatis dirigimus, dignum, quin potius debitum reputamus, vt illius monasteriorum pro tempore existentibus Abbatibus & Prælatis, ea liberaliter concedamus, quæ pro eiusdem Congregationis, & aliarum personarum illius regularibus institutis se conformare volentium, conscientiarum emundatione & securitate, & irregularitatis, & quarumcumque aliarum macularum per easdem personas pro tempore contractarum abolitione credimus profutura.

Facultas de qua in rubr.

§. 1. Motu itaque proprio, non ad ipsorum Abbatum & & Prælatorum, seu alicuius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & de mera liberalitate nostris, Apostolicæque potestatis plenitudine, omnibus & singulis modernis & pro tempore existentibus Abbatibus & Prælatis Congregationis huiusmodi, quoscumque illius pro tempore existentes Monachos, conuersos, commissos, & oblatos, & tam professos quam nouitios, in ea tamen perseuerantes, à quibusuis criminibus, reatibus, culpis, censuris & pœnis, per eos & eorum quemlibet, tam antequam post illorum in Congregationem huiusmodi, ac monasteria sub illius obedientia existentia ingressum, seu professionem regularem ibidem, per eos emissam, ex quauis causa, & ob quemuis excessum & delictum, publicum vel occultum, casu, seu data opera quomodolibet ab eis & singulis, etiam si homicidium voluntarium, seu membri mutilatio, non tamen post ingressum huiusmodi, pro tempore subsecutum, seu subsecuta fuerit, incursis, & in futurum incurrendis, etiam si de casibus reseruatis Sedi Apostolicæ, vel de comprehensis in bulla quæ die Cœnæ Domini singulis annis legi consueuit, fuerint, plenarie toties quoties opus fuerit, iniuncta sibi pro modo culpæ pœnitentia salutari, quo ad reatum homicidij tantum, in foro conscientiæ tantum absoluendi & liberandi, ac in pristinum & eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant & fuerant statum reintegrandi, omnemque inhabilitatis & infamiæ maculam siue notam inde quomodolibet insurgen. ab eis & eorum quolibet prorsus abolen. secumque quod præmissis non obstan. non promoti ad omnes etiam sacros & presbyteratus Ordines promoueri, atque monasteriis eiusdem Congreg. in Abbates, Priores, & Prælatos præfici, necnon ad quascumque alias dictæ Congregationis prælaturas eligi & assumi, munusque benedictionis suscipere, & tam illi, quam qui iam ante vel post præmissa, sint vel fuerint promoti, præfecti & electi, etiam si munus benedictionis huiusmodi scienter susceperint, irregularitatibus, inhabilitatibus, reatibus, censuris & pœnis huiusmodi, vel aliis quibuscumque criminibus irretiti & innodati, scienter missas & alia diuina officia celebrassent, simulve seu alias munere benedictionis huiusmodi quomodolibet vsi essent, in altaris ministerio ministrare, & dicto munere vti, necnon omnes & quascumque Prælaturas, obedientias, administrationes & officia, Ordinis & Cōgregationis huiusmodi, retinere, recipere, gerere, & exercere libere & licite possint & valeant,

Ad quæ vide quid requirat Clem VIII. in eius cōst. 115. Quæcūque.

Digitized by Google

nullamque de præmiſſis in quibuſuis priuilegiis, facultatibus, diſpenſationibus & conceſſionibus, etiam gratiam vel iuſtitiam, ſeu mixtam concernentibus, etiam per Sedem Apoſt. ſibi pro tempore conceſſis, mentionem facere teneantur, miſericorditer in Domino diſpenſandi, licentiam & facultatem liberam, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo concedimus & elargimur.

Declaratio d. conceſſionis.

§. 2. Statuentes, abſolutiones, liberationes, reintegrationes, diſpenſationes, necnon omnia alia & ſingula, quæ harum vigore fient, & inde perpetuo ſequentur, valida & efficacia fore, omnibuſque & ſingulis, nunc & pro tempore exiſtentibus Monachis, conuerſis commiſſis, oblatis, donatis, & aliis perſonis Congregationis huiuſmodi, ita demum ſuffragari, ſi & dummodo donec vixerint in habitu & profeſſione regulari eiuſdem Congregationis virtutum Altiſſimo famulati fuerint, ſub obedientiaque Prælatorum & Superiorum dictæ Congregationis permanſerint.

Clauſula præſeruatiua.

§. 3. Decernentes quoque præſentes literas perpetua roboris firmitate ſubſiſtere, & nullo vmquam tempore ſub quibuſuis, ſimilium vel diſſimilium facultatum vel licentiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, prohibitionibus, moderationibus, aliiſve contrariis diſpoſitionibus, & in dicta bulla Cœnæ Domini pro tempore contentis minime comprehenſas eſſe, aut comprehendi debere, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe & cenſeri, & quoties contraria huiuſmodi emanabunt, toties eaſdem præſentes, & in eis contenta in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtituta, & perpetuo reintegrata eſſe. Sicque in præmiſſis omnibus & ſingulis, per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſ. derog.

§. 4. Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, ac in prouincialibus & ſynodalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus; & ordinationibus, ac Congregationis & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſuis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & indiuidua mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis haben. illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Sanctio pœnalis.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ, &c. infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

D. P. An. 6. 13. Iunij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1571. Idus Iulij Pontificatus noſtri anno ſexto.

CXXX. Quod Confraternitates Sanctiſſimi Nominis Dei in Eccleſiis Ordinis Fratrum S. Dominici, ſi extant, ſin autem de licentia Prioris eiuſdem Ordinis, in aliis Eccleſiis inſtituantur.

Ad hæc vide etiam ſup. conſtit. 78. Pij IV.

Edita An. D. 1571.

PIVS PAPA QVINTVS Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium:

DEcet Romanum Pontificem æqui, & boni ſupremum aſſertorem, ita cuncta prouido ſuo indicio diſponere, vt ſcandalis quibuſlibet obuietur, & ea quæ in diuini nominis gloriam ſunt ſtabilita, votiuum ſuſcipiant incrementum.

Sodalitas iſt. ab Ordine S. Dominici proceſſit.

§. 1. Accepimus ſane nuper quod Societas nominis Dei, ſiue Iuramentorum, originem & ortum habuerit ab Ordine Prædicatorum, eo quod ab eiuſdem Ordinis profeſſoribus fuerit inſtituta & aucta, necnon interuentu dilectorum filiorum Fratrum dicti Ordinis multæ Indulgentiæ, aliaque priuilegia, & fauores dictæ Societati, ab Apoſtolica Sede fuerunt conceſſa, tamen multi Clerici, & Parochi in ſuis Eccleſiis dictam Societatem erigere ſtudent, ita vt aliquando ſint plures in eadem Ciuitate Societates, ſeu Confraternitates dictæ inuocationis Nominis Dei, ſeu Iuramentorum, in diminutionem obſeruantiæ, & deuotionis, quæ ex frequentia conuenientium oriri ſolet, & non ſine aliqua confuſione, quæ ob præfatam cauſam in die Circumciſionis Domini, quando feſtum prædictæ Societatis, ſeu Confraternitatis celebrari debet, accedere conſueuit.

Hic idem Pont. ad in Eccleſia Ordinis, &c. erigi mandat.

§. 2. Nos in præmiſſis pro noſtri Paſtoralis officij debito opportune prouidere volentes, Motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera deliberatione, & certa ſcientia noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Quod in Ciuitatibus, oppidis, & locis totius orbis Chriſtiani in quibus fuerint Eccleſiæ Ordinis Prædicatorum, ibi tantum, vel in huiuſmodi Ciuitatibus, oppidis, & locis, in dictis Eccleſiis Prædicatorum dumtaxat, dicta Societas, ſeu Confraternitas huiuſmodi inſtituatur in ciuitatibus oppidis, aut locis, in quibus non fuerit dicti Ordinis domus, aut in finitimis Eccleſiis, abſque licentia Prioris Prouincialis, ſeu Conuentualis dicti Ordinis, in cuius diſtrictu ſita fuerit Eccleſia in qua dicta Confraternitas, ſeu Societas eſt, vel erit erigenda.

Confrat. reſque aliter admiſſos Indulgentias non conſequi decernit.

§. 3. Quod ſi ſecus factum fuerit, Confratres taliter admiſſi, dictæ Confraternitatis ſeu Societatis indulgentias non conſequantur, nec fauoribus, aut priuilegiis gaudeant, quæ Confratribus legitime adſcriptis per Sedem præfatam conceduntur, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, ac etiam diſtrictius inhibemus, ſicque volumus, & præcipimus.

Et contrauenientes reuerteri mandat per conſeruatores eiuſdem Ordinis.

§. 4. Et nihilominus dilectis filiis Conſeruatoribus dicti Ordinis per præſentes Motu ſimili mandamus, vt contradictores, ſeu attentantes auctoritate noſtra prohibeant, ac etiam per cenſuras aliaſque pœnas etiam pecuniarias, ac cetera iuris & facti remedia opportuna, appellatione poſtpoſita compeſcant, & reprimant, ſuper quibus illis facultatem, poteſtatem, & auctoritatem eiſdem auctoritate & tenore concedimus, & impartimur.

Clauſula præſeruatiua.

§. 5. Decernentes præſentes literas de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari, ſeu aliàs quomodolibet infringi, vel retractari nullatenus vmquam poſſe, ſed eas ſemper validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, & obtinere, necnon ab omnibus quos illæ concernunt inuiolabiliter perpetuo obſeruari.

Decretum irritans.

§. 6. Sicque in præmiſſis ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios, etiam S. R. E. Cardinales, ac Palatij noſtri Apoſtolici cauſarum Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſ. derog.

§. 7. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo non vltra tres ad iudicium vigore præſentium non trahatur, & Apoſtolicis conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, etiam motu, & ſcientia ſimilibus etiam conſiſtorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiam ſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica,

Digitized by Google

ſpecifica, indiuidua,& expreſſa mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque,aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim, à prædicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Fides exemplorum.

§. 8. Ceterum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca vbi neceſſarium fuerit deferre,volumus quod illarum tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſingulo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtituræ munitis, eadem prorſus fides, in iudicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat.P.An.6. 21.Iulij.

Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 21.Iunij, Pont.noſtri anno 6.

CXXXI. Declaratio, quod Religio Clericorum Regularium Societatis Ieſu, eſt vere de Ordinibus Mendicantibus,eorumque gratiis & priuilegiis tam conceſſis quam concedendis perfruitur.

Alia de hac Religione vide ſup.in conſt.25.Pauli III. Regimini. *vbi plene notaui.*

Edita An. D. 1571.

PIVS PAPA QVINTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

DVm indefeſſæ conſiderationis intuitu perſcrutamur, quantam Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatem attulerint Dilecti filij preſbyteri Societatis Ieſu, ac plane conſpicimus eos vere mundi huius relictis illecebris, adeo Seruatori ſuo ſe dedicaſſe, vt conculcatis theſauris, quos ærugo & tinea comedit, lumbiſque paupertate & humilitate præcinctis, non contenti terrarum finibus, vſque ad Orientales, & Occidentales Indias penetrauerint, ac eorum aliquos ita Domini amor perſtrinxerit, vt etiam proprij ſanguinis prodigi, vt verbum Dei inibi efficacius plantarent, martyrio voluntario ſe ſuppoſuerint, perque eorum ſpiritualia exercitia,etiam regna ipſa fidem Chriſti agnouerint, ac tam inibi, quam vbique terrarum charitatis, & miſericordiæ opera exercere ſtudeant, facere nullo modo poſſumus, quin eos tanquam veros palmites in Chriſto per charitatem coniunctos, & benigne amplectamur, & ea ſibi ſpecialiter concedamus, quæ & paupertatis per eos emiſſæ voto, & eorum inſtituto, ac commoditati credimus profutura.

Cauſa huius declarationis

§.1. Hinc eſt quod Nos attendentes, quod licet dilecti filij Præpoſitus generalis, & preſbyteri Societatis huiuſmodi, tum quia ipſa Societas mendicans exiſtit, quippe quæ ex eius inſtituto, & conſtitutionibus Apoſtolica auctoritate confirmatis, bona ſtabilia poſſidere nequit, ſed incertis eleemoſynis fideliumq; largitionibus,& ſubuentionibus viuit; tum quia non minus quam ceteri mendicantes in excolenda vinea Domini aſſidue laborant, fructuſque ingentes & ſalutiferos producunt, & propterea eiſdem priuilegiis, indultis,& gratiis Fratribus Mendicantibus hactenus conceſſis, vti, frui, potiri, & gaudere merito poſſint ac debeant. Cum tamen illud aliquando in controuerſiam deduci poſſet, & ex eo quod dicta Societas Collegia habeat ſecum adiuncta.

Declaratio quod Societas eſt de Ordinibus Mendicantibus.

§. 2. Nos ambiguitatem huiuſmodi omnino amputare volentes eoſdemque Præpoſitum, & Societatem, eorumque ſingulos à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris,& pœnis,à iure vel ab homine,quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes; necnon dictæ Societatis inſtituti, conſtitutionum, & diſpoſitionum, tam de iure, quam ab homine prouenientium,necnecnon Priuilegiorum,immunitatum,indulgentiarum,& gratiarum mendicantibus fratribus huiuſmodi quomodolibet conceſſorum, ac literarum deliper confectarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes. Motu proprio non ad ipſorum Præpoſiti Generalis, & Societatis, vel alicuius eorum, aut alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera liberalitate, & certa ſcientia noſtris,illam,& illius Præpoſitum,ac ſingulas perſonas Societatis huiuſmodi vere,& non ficte mendicantes fuiſſe, eſſe, & fore; & inter aliorum fratrum, & religioſorum Mendicantium ordines, alioſque Fratres, & Religioſos Mendicantes,prout illos nos connumeramus, & connumerari debere; ac omnes & ſingulas tàm iuris, quam hominum diſpoſitiones,in fauorem Religioſorum, ſeu fratrum Mendicantium nunc & pro tempore emanatas, etiam in Societate, illiuſque Domibus, Collegiis, Præpoſito, & aliis Religioſis locum habere.

Eorumq; omnibus gaudet gratiis & priuilegiis.

§.3. Necnon omnia, & ſingula quæcumque,quotcumque, & qualiacumque ſint,etiam ſpeciali nota digna Priuilegia, immunitates, exemptiones, facultates,conceſſiones, indulta, indulgentias, peccatorum remiſſiones, & gratias,tam ſpirituales,quam temporales, literaſque Apoſtolicas, etiam iuſtitiam ſiue mixtim concernentia,hactenus per Nos, & quoſcumque alios Romanos Pontifices, tàm prædeceſſores, quam ſucceſſores noſtros, & denique Sedem Apoſtolicam, & illius Legatos de latere,ſiue Nuncios, & quauis auctoritate fungentes, etiam motu, & ſcientia ſimilibus, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam conſiſtorialiter tàm in genere, quam in ſpecie, & tam communiter, & coniunctim, quàm particulariter,& diuiſim,etiam per modum extenſionis,ſeu communicationis, & alias quomodolibet, quibuſuis Ordinibus fratrum, & ſororum Mendicantium quocumque nomine nuncupentur, illorumque Congregationibus, Conuentibus, & Capitulis, ac vtriuſque ſexus perſonis, ac illorum Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, Hoſpitalibus, & aliis piis locis hactenus conceſſa, & in poſterum concedenda; quorum omnium & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, præſentibus pro expreſſis, & inſertis haberi volumus, eiſdem Præpoſito, ac Societati, & omnibus illius perſonis, Domibus ac Collegiis vbique terrarum ſitis, ita quod Societas, Domus, Collegia, Præpoſitus, & perſonæ huiuſmodi omnibus, & ſingulis prædictis Priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, conceſſionibus, indultis, Indulgentiis, remiſſionibus, gratiis, & literis, eiſdem fratrum, & ſororum Mendicantium Ordinibus, Congregationibus, Conuentibus, Capitulis, perſonis, Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, Hoſpitalibus, & aliis piis locis, vt præfertur conceſſis &.concedendis, antea potuerint, & nunc ac in futurum, dummodo inſtituto Societatis, & Præpoſiti, ſeu deputatarum perſonarum huiuſmodi voluntati, & beneplacito non refragentur, poſſint libere, & licite vti, frui, potiri, & gaudere in omnibus & per omnia, non ſolum ad illorum inſtar, ſed pariformiter, & æque principaliter, abſque vlla prorſus differentia, perinde ac ſi Societati, Præpoſito, perſonis, Domibus, & Collegiis prædictis nominatim, & ſpecialiter & generaliter conceſſa fuiſſent, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo ſancimus, volumus, & declaramus, ac pariter concedimus, indulgemus, & elargimur.

Clauſula præſeruatiua.

§.4.Decernentes præſentes literas nullo vmquam tempore per Nos,aut Sedem prædictam reuocari,aut limitari, vel illis derogari poſſe,neque ſub vllis ſimilium,vel diſſimilium gratiarum,reuocationibus, alterationibus,limitationibus,derogationibus,aut aliis contrariis diſpoſitionibus,nunc & pro tempore emanatis,comprehẽdi,ſed ſemper ab illis excipi,& quoties reuocari,alterari,limitari,vel derogari contingat,toties in priſtinum,& eum in quo ante præmiſſa erant,ſtatum reſtituras,& de nouo,etiam ſub poſteriori,data per pro tempore exiſtentem Societatis huiuſmodi Præpoſitum Generalem eligenda, conceſſas eſſe, & fore,ac ita,& non aliter per quoſcumque Iudices,tam ordinaria, quam delegata, & mixta auctoritate fungentes, etiam S.R.E.Card.etiam Sedis Apoſtolicæ Legatos de latere, & Nuncios, ac cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis,& eorum cuilibet quauis aliter iudicandi facultate, vbique, & in quauis inſtantia interpretari, cenſeri, iudicari, cogноſci, & decidi debere. Irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam,quauis auctoritate,ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Digitized by Google

Deputatio executorum.

§. 5. Quocirca venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, ac dilectis filiis eorum Vicariis in ſpiritualibus, aut officialibus generalibus, & curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, necnon Abbatibus Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, & Capitulis, ac aliis ad quos id quomodolibet ſpectat, & ſpectabit, per præſentes Motu ſimili, mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Præpoſiti, & perſonarum Societatis huiuſmodi, vel alicuius eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos præmiſſis omnibus, & ſingulis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari: contradictores quoſlibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna, iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggrauãdo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Clauſula derogatoria.

§. 6. Non obſtantibus noſtra de non expediendis literis ſuper indulgentiis ad inſtar, ac fel. rec Bonifacij PP. VIII. Prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij Generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas quis vigore præſentium ad iudicium non trahatur, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ac quibuſuis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus. Priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſuis perſonis per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem Apoſtolicam, etiam Motu & ſcientia ſimilibus, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cum quibuſuis irritatiuis, annullatiuis, caſſatiuis, reuocatiuis, modificatiuis, præſeruatiuis, exceptiuis, declaratiuis, mentis atteſtatiuis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, ac alias quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi in eis caueatur expreſſe, quod illis nullatenus derogari poſſit, pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda, ſeu aliqua alia forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus contrariis quibuſcumque: aut ſi aliquibus, communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Fides tranſumptorum.

§. 7. Volumus autem quod præſentium tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigno alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. P An. 6. 7. Iulij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 7. Iulij. milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo Pontificatus noſtri anno 6.

CXXXII. Facultas Prælatorum Ordinis Fratrum Prædicatorum S. Dominici, abſoluendi ſuos Fratres & Moniales, & cum eis diſpenſandi, ſicut Epiſcopi cum Clericis, interdicto eis vſu Cruciatæ vel alterius priuilegij ad eligen. confeſſores, & obtinendas eiuſmodi abſolutiones, & diſpenſationes.

Alia de his fratribus vide ſup. in conſt. 2. Hon. 3. Religioſam. *& de Sororibus vide itidem ſup. in conſt. 1. Innoc. VIII.* Sedis. *Et ad hanc bullam, neceſſarium puto videndam quoque eſſe conſt. 115. Clem. VIII.* Quæcumque.

PIVS EPISCOPVS,
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1571.

ROm. Pont. circumſpecta benignitas, honeſtis petentium votis quæ perſonarum ſub Religionis iugo Altiſſimo famulantium ſtatum, & ſalubrem directionem reſpiciunt, ad exauditionis gratiam libenter admittit, & fauoribus proſequitur opportunis.

Exordium:

Petitio Ordinis.

§. 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Prior Prouincialis Prouinciæ Hiſpaniæ Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod cum in Bulla Cruciatæ Sanctæ, & aliis priuilegiis, quæ ab Apoſtolica Sede concedi ſolent, detur facultas eligendi confeſſorem idoneum, ab Ordinario approbatum, qui poſſit Chriſti fideles abſoluere à caſibus Ordinario reſeruatis, & à quibuſdam etiam quæ dictæ Sedi reſeruata ſunt; Religioſi dicti Ordinis, ſeu eorum nonnulli etiam his facultatibus vti præſumunt, & illarum prætextu eligunt confeſſorem aliquando, præter eos, qui à ſuis Prælatis, pro audiendis eorum confeſſionibus deputati ſunt, quod aliquando in ſpeciale eorum vergit detrimentum. Quare prædictus Prior nobis humiliter ſupplicari fecit, quatenus in præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Declaratio Papæ quod iſti Fratres & Sorores non vtantur Cruciata aut alio priuilegio quoad electionem Confeſſorum, & abſolutionem à caſibus reſeruatis.

§. 2. Nos igitur huiuſmodi obuiare volentes, ac eumdem Priorem à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pœnis à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati talem conceſſionem Cruciatæ Sanctæ, & aliorum indultorum particularium, quantum ad prædictum articulum eligendi Confeſſorem, & abſoluendi à caſibus reſeruatis, cum Fratribus, & Sororibus Monialibus totius Ordinis prædicti, tam Prouinciæ Hiſpaniæ huiuſmodi, quam extra eam vbilibet locum minime habere nec cenſeri, ſed noſtræ intentionis exiſtere, quod iidem Fratres, & Moniales, quantum ad Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis adminiſtrationem, diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti ſint, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo declaramus: eiſdem tamen Prælatis, vt in vſu huius poteſtatis, ſe cum ſubditis benignos & facíles exhibeant præcipientes, & mandantes.

Conceſſio facultatis Prælatis huius Ordinis abſoluendi Fratres & Sorores & cum eis diſpẽſandi ſicut Epiſcopi cũ Clericis.

§. 3. Et inſuper, quia Sacrum œcumenicum Generale Trident. Concil. conceſſit Epiſcopis, vt abſoluere poſſint in foro animæ, ſeu conſcientiæ ab omnibus peccatis, & diſpenſare in irregularitatibus pront ſeſſ. 24. cap. 6. habetur, ne Prior Conuentualis, & ſuperiores Prælati dicti totius Ordinis, tam in dicta Prouincia, quam extra eam vbilibet, in hac parte deterioris conditionis quam Clerici, aut ſæculares exiſtant, eiſdem Priori Conuentuali, & ſuperioribus Prælatis, vt ipſi per ſe ipſos idem omnino poſſint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis ſibi ſubditos quod poſſunt Epiſcopi in Clericos & laicos ſibi ſubiectos, tam quo ad abſoluendi, & diſpenſandi huiuſmodi, quam alias quaſcumque facultates, eadem auctoritate, & tenore, etiam perpetuo concedimus, & indulgemus, ac etiam declaramus.

Clauſula præſentium.

§. 4. Decernentes præſentes literas perpetuo durare, & valere, & ſub quibuſuis illarum conſimilium, vel diſſimilium conceſſionum, indulgentiarum, & gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, alterationibus, derogationibus, vel aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per nos, & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, aut Sedem Apoſtolicam, etiam ex quauis cauſa, aut alias quomodolibet, canonice vel de facto, nunc, & pro tempore factis & faciendis nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, & de nouo conceſſas exiſtere, & fore, ac cenſeri, & ſuffragari debere. Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula derogatoria.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, & quibuſuis Apoſtolicis, ac Vniuerſalibus, Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, ſpecialibus vel generalibus, Conſtitutionibus,

Digitized by Google

tutionibus, & Ordinationibus. Necnon quibuſuis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſuis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac alias quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, indiuidua, & expreſſa mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenorem ſuum, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in eis tradita obſeruata inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

D. P. An. 6. 21. Iuly. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 21. Iulij 1571. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

CXXXIII. Regulares cuiuſcumque Ordinis, etiam Mendicantes, Lectores, aut in Theologia graduati, non poſſint ſæcularium confeſſiones audire, niſi fuerint ab Ordinariis prævio examine approbati.

Hoc idem habetur in Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. & infra in Greg. XIII. conſtit. 9. In tanta, *& Clem. VIII. conſt. 115.* Quæcumque.

Priuilegia, & Indulta omnia, etiam per modum communicationis conceſſa Militiis, Hoſpitalibus, Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus, Congregationibus, & Ordinibus tam Mendicantibus, quam non Mendicantibus, ceteriſque locis piis, & eorum, ſiue earum reſpectiuè perſonis, ſæcularium perſonarum Confeſſiones audiendi abſque Ordinarij examine, & approbatione, reuocauit S.D.N. Vrban. VIII. Conſt. 92. *Cum ſicut* inf. tom. 4.

Edita An. D. 1571. P I V S E P I S C O P V S, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. ROmani Pontificis prouidentia circumſpecta nonnunquam geſta per eum, rationabilibus & honeſtis ſuadentibus cauſis, moderatur & commutat in melius, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire.

He declarationes Concilij, habentur ſupra in conſtit. 41. §. 1. Nuper ſiquidem quaſdam declarationes & moderationes circa nonnulla Concilij Tridentini decreta regulares perſonas Ordinum Mendicantium eorumque inſtituta concernentia edidimus & promulgauimus: Et quia vti accepimus illarum vigore ſacerdotes regulares prædictorum Ordinum quandoque minus idonei, & inhabiles confeſſionibus ſæcularium audiendis ab eorum ſuperioribus præpoſiti, abſque aliqua Epiſcoporum, ſed ſola Magiſtri Ordinis Generalis, aut Prouincialium miniſtrorum approbatione admittuntur.

Regulares nõ audiant confeſſiones ſæcularium niſi ab Ordinariis ſint approbati, vt habet etiam Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. §. 2. Nos ſuper his pro debito paſtoralis officij prout tenemur ſalubriter prouidere volentes, tenore præſentium hac noſtra conſtitutione perpetua ſancimus, & declaramus, decretum Concilij Tridentini de approbatione Regularium audiendis confeſſionibus ſæcularium præpoſitorum ab Epiſcopis facienda, obſeruari debere etiam in omnibus Regularibus, quorumuis Ordinum etiam Mendicantium, etiam ſub regulari diſciplina viuentibus, etiam ſi ſint lectores, aut in Theologia etiam de ſuperiorum ſuorum licentia, graduati, vel promoti, vel à ſuis Magiſtris Generalibus, vel Prouincialibus Miniſtris, ſæcularium confeſſionibus audiendis expoſiti. Volumus tamen eos qui ſemel ab Epiſcopo in Ciuitate & diœceſibus ſuis prævio examine approbati fuerint, ab eodem Epiſcopo iterum non examinari. Ab Epiſcopo autem ſucceſſore pro maiori conſcientiæ ſuæ quiete examinari de nouo poterunt.

Inhibitio contra inobſeruantes. §. 3. Inhibentes quibuſcumque Regularibus quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium vt præfertur, ne vigore deputationis, & approbationis ab eiſdem Magiſtris, & Miniſtris prouincialibus, etiam quod illarum occaſione ab Ordinariis hucuſque tolerati fuerint, abſque ſpeciali in poſterum licentia, & approbatione ab Ordinariis obtinenda, ſæcularium confeſſiones audire præſumant. Decernentes irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio cõtrariorum. §. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac noſtris literis prædictis, & aliis poſtea quibuſcumque regularibus conceſſis, & forſan extenſis, quas quo ad ea quæ præſentibus aduerſantur & contrariantur, penitus & omnino reuocamus, caſſamus, & irritamus, necnon Monaſteriorum, & aliorum Regularium locorum, ac Ordinum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu bulla aurea, aut alias nuncupatis, quibuſuis Monaſteriis, Regularibus locis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis, etiam Motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innouatis, quibus omnibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbo ad verbum nihil penitus omiſſo & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus contrariis quibuſcumque.

Forma publ. §. 5. Vt autem præſentes literæ ad omnium quorum intereſt notitiam deducantur, nec aliquis earum ignorantiam prætendere, aut contra eas ſe excuſare valeat, dicta auctoritate ſtatuimus & decernimus, vt ipſæmet literæ, vel earum tranſumptum in baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe, ſancti Ioannis Lateranenſis, ac Cancellariæ Apoſtolicæ valuis, ac in acie Campi Floræ per aliquos ex Curſoribus noſtris publicentur, earum exemplo in ſingulis valuis & acie prædictis affixo & dimiſſo.

Fides tranſumpti. §. 6. Verum qua difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus & dicta auctoritate decernimus, quod earumdem literarum tranſumptis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, in iudicio & extra illud, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

D. P. An. 6. 6. Auguſti. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo, octauo id. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno ſexto.

Publicatio. *Anno à natiuitate D. 1571. indictione 14. die vero 12. menſis Auguſti Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno eius ſexto, retroſcripta litera affixæ & publicatæ fuerunt in locis retroſcriptis, per nos Ioannem Guerardum, & Alamanum de Alamanis Curſores.*

Philibertus Chapius Mag. Curſ.

CXXXIV. Reuocatio regreſſuum, acceſſuum, & coadiutoriarum quibuſcumque ad beneficia Eccleſiaſtica conceſſarum.

Prohibitionem vero de cetero acceſſus & regreſſus concedendi, extendendi, aut transferendi, habes in Conc. Trident. ſeſſ. 25. cap. 7.

Digitized by Google

Edita A. D. 1571.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

ROmani Pontificis prouidentia circumspecta nonnumquam gesta per prædecessores suos rationabilibus & honestis suadentibus causis, moderatur & reuocat, prout id Ecclesiarum indemnitati, conspicit in Domino expedire.

Renocatio regressuum, & coadiutoriarum ab beneficia concessarum, super quibus litera Apost. integraliter, expedire non fuerunt.

§. 1. Hinc est quod nos volentes omnem hæreditariam beneficiorum Ecclesiasticorum successionem de Ecclesia Dei tollere, ac libertati beneficiorum huiusmodi prouidere, & vt de persona magis vtili & idonea, prout requiritur, facilius prouidere valeat, Omnes & singulos regressus, accessus & ingressus, etiam euentuales, aut pœnales, ac coadiutorias etiam de consensu, aut alias quomodolibet sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis efficacissimis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, clausulis irritantibus, & aliis decretis quomodolibet per quosuis Romanos Pontifices prædecessores nostros ad beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura, sæcularia, & quorumuis Ordinum regularia, etiam si sæcularia, Canonicatus, & præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in Cathedralibus etiã Metropolitanis aut collegiatis Ecclesiis, & dignitates ipsæ in Cathedralibus etiam Metropolitanas post Pontificales maiores, seu Collegiatis Ecclesiæ huiusmodi principales, Regularia vero beneficia huiusmodi, Monasteria etiam consistorialia, prioratus, præposituræ, dignitates etiam conuentuales, personatus, administrationes, vel officia etiam claustralia, ac hospitalia & præceptorias etiam hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, etiam quarumuis aliarum militiarum quibusuis personis cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, etiam Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali dignitate, aut Cardinalatus honore pollentibus concessos, super quibus literæ Apostolicæ integraliter hactenus expeditæ non fuerunt, etiam si in Plumbaria nostra aut penes Summatorem nostrum reperiantur, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, auctoritate Apostolica tenore præsentium reuocamus, cassamus, & abolemus.

Cancellarius, & Camera Apost. officiales literas de super non expediant.

§. 2. Mandantes dilectis filiis nostris Vicecancellario, & dilecto Summatori, ceterisque officialibus tam Cancellariæ Apostolicæ, quam Cameræ nostræ ad quos spectat in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ pœna, ne in futurum super dictis gratiis regressus, accessus, & ingressus, necnon coadiutoriarum literas expediant aut relaxent.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes ex nunc irritum & inane quicquid illlorum prætextu contra præmissa scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac etiam nostra de non tollendo iure quæsito regula, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma publ. hanc constit.

§. 5. Vt autem præsentes literæ ad omnium, quorum interest, notitiam deducantur, nec aliquis earum ignorantiam prætendere, aut contra eas se excusare valeat, dicta auctoritate statuimus & decernimus vt ipsæmet literæ vel earum transumptum, in Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, sancti Ioannis Lateranen. ac Cancellariæ Apostolicæ valuis, ac acie Campi Floræ per aliquem ex cursoribus nostris publice ntur, earum exemplo in singulis valuis, & acie prædictis affixo & dimisso.

Transumptorum fides.

§. 6. Verum quia difficile foret præsentes literas, ad singula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus quod earumdem literarum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio & extra illud, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

D. P. A. 6. 11 Septemb.

Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimoprimo, prid. Id. Septembris, Pont. noſtri Anno ſexto.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini noſtri IESV CHRISTI 1571. *indict.* 14. *Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris, & Domini noſtri, D. Pij Papæ V. Anno Sexto, die vero mercurij* 19. *menſis Septembris, Retroſcripta litera Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, ſancti Ioannis Lateranenſis, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, dimiſſis illarum copiis in ſupradictis locis affixis per nos Ioannem de Soya, & Petrum Sprengerium Sanctiſſ. Domini Noſtri Papæ Curſores.*

Antonius Clerici pro Domino Magiſtro Curſorum.

Contra habentes beneficium Eccleſiaſticum, non recitantes horas Canonicas. CXXXV.

Edita An. D. 1571.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Leo X. decreuit nõ recitãtes horas Canonicas, amittere fructus benefic. pro rata, vt ſup. in conſt. 7. §. 38.

EX proximo Lateranen. Concilio, ea salubris sanctio emanauit vt quicumque habens beneficium Ecclesiasticum, cum cura, & sine cura, si post sex menses, quam illud obtinuerit, diuinum officium, legitimo ceſſante impedimento non dixerit beneficiorum suorum fructus, pro rata omissionis officij, & temporis, suos non faciat, sed eos tamquam iniuste perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Verumtamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda.

Hic modo Pont. hanc ratam declarat

§. 1. Nos huic rei euidentius atque expressius prouidere volentes, statuimus, vt qui horas omnes Canonicas vno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, siquoti die diuiderentur, qui vero Matutinum tantum, dimidiam, qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat; tametsi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis Canonicis cum aliis præsens adsit, fructusque, & distributiones forte aliter assignatas, sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi luctificesse prætendat etiam præter fructuum, & distributionum amissionem. Item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit, graue peccatum intelligat admisisse. Declarantes præstimonia, præstimoniales, portiones, & qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omnino seruitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter conueniri. At quicumque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, vt Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium paruum Beatæ MARIÆ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.

Sanctio pœn.

§. 2. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, declarationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D. P. An. 6. 10. Septemb.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimoſeptuageſimo primo, duodecimo Calend. Octob. Pontificatus nostri Anno sexto.

Iurisdictio Episcoporum visitandi parochiales Ecclesias Fratrum Militum S. Ioannis Hierosolymitani, quoad animarum curam, & administrationem Sacramentorum. CXXXVI

Hæc iurisdictio à Pontt. successoribus semper præseruata fuit, vt liquet ex lectura const. 5. Greg. XIV. Quanta, *& aliarum Bullarum quas ibi indicabo. Cetera autem de hac Militia plene notaui sup. in const. 2. Anast. IV.* Christianæ.

De priuilegiis exemptorum circa animarum curam & alia vide Greg. XV. Const. 18. *inscrutabili* inf. tom. 4.

Edita An. D. 1571.

PIVS PAPA QVINTVS, *Ad futuram rei memoriam.*

Exordium.

EXposcit pastoralis officij debitum, cui disponente Domino præsidemus, vt ad ea sollicite intẽdamus, per quæ

Digitized by Google

quæ discordiarum & litium, ac controuersiarum quarumlibet materia tollatur.

Orta erunt lites inter Episcopos & Militiam istam super iure visitandi.

§. 1. Sane cum nonnulli ex venerabilibus fratribus Episcopis dilectos filios Magistrum, Baliuos, Castellanum Empostæ, Priores, Donatos, Capellanos, Fratres, Milites, & alias quascumque personas Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani ratione Ecclesiarum curam animarum habentium, illarumque Rectores & Ministros ad ipsum Magistrum spectan. & pertinen. iuxta Sacri œcuminici Concilij Tridentini visitare, dictus vero Magister, & alij prædicti, ipsos illorumque Ecclesias, capellanos, & Ministros dictis decretis minime comprehendi, sed ab illis exemptos esse prætenderent, materia quæstionis orta.

Hic Pont. eas extinguit.

§. 2. Nos igitur eorum paci & quieti consulere volentes, omnes lites, & controuersias huiusmodi tam in Romana Curia, quam alibi coram quibuscumque Iudicibus in quacumque instantia penden. illarumque status, & merita pro sufficienter expressis habentes ad nos auocantes, eas cassamus, extinguimus, & super illis perpetuum silentium imponimus, ac omnes dictæ Militiæ personas à quibusuis censuris harum controuersiarum occasione, contra eas per quoscumque latis & incursis absoluimus.

Iurisdictio Episcoporum de qua in rubr.

§. 3. Et ne in futurum aliqua amplius controuersia oriri possit, decernimus, declaramus, statuimus, omnes, & singulos locorum Episcopos, & alios Superiores tamquam Apostolicæ Sedis delegatos, omnes & quascumque Parochiales Ecclesias, ceteraque beneficia Ecclesiastica suarum Ciuitatum & diœc. quibus animarum cura imminet, ad dictam Religionem, eiusque Milites, Capellanos, Ministros, Rectores quomodolibet pertinen. etiam quod in eis Episcopalem, & temporalem iurisdictionem Religio & Milites prædicti haberent, eorumque Ecclesias, Rectores, Vicarios, & Ministros quoscumque (in his tamen dumtaxat, quæ animarum curam illiusque exercitium, & Sacramentorum administrationem respiciunt) visitare, omnesque actus visitationem concernentes exercere posse, & debere, ac Rectores, ceteroscque huiusmodi Ministros curam animarum exercentes minus idoneos repertos, siquidem ad nutum amouibiles sint, statim amouere, sin vero titulares sint, illico suspendere, ac Superiores eorum monere, vt intra aliquem breuem terminum in locum amotorum subrogent alios idoneos, prius tamen per ipsos Episcopos, & alios Superiores examinatos, & approbatos, titularibus vero suspensis deputent alios idoneos pariter examinatos, & approbatos, vt supra in coadiutores, seu Vicarios iuxta decretum Concilij, sessione vigesimaprima, capite sexto. Interea vero dum hæc subrogatio, seu deputatio fiat, ipsi Episcopi, & alij Superiores pro necessitate curæ animarum prouideant arbitrio suo, quod si Superiores dictorum Rectorum, & Ministrorum intra tempus præfixum non subrogauerint, aut deputauerint vt supra, tunc dicto termino elapso ipsi Episcopi, & alij Superiores alios præuio examine iuxta eiusdem Concilij formam idoneos repertos in locum amotorum subrogent. Titularibus vero suspensis coadiutores deputent iuxta dictum capitulum sextum, sessione vigesima, qui tamen in dictis parochialibus perinde inseruiant, ac si subrogati, aut deputati ab ipsis Superioribus Religionis, & Militum prædictorum fuissent.

1. *Declaratio circa d. iurisdictionem.*

§. 4. Volumus autem, quod Episcopi, & alij Superiores prædicti visitationem huiusmodi, & prædicta omnia solum tamquam delegati Apostolicæ Sedis, & gratis, & absque vllis dictæ Religionis Rectorum, & Ministrorum impensa, & onere faciant.

2. *Declaratio.*

§. 5. In collatione item ordinum, necnon consecratione Ecclesiarum, & sacrorum vasorum, ac benedictionibus, & aliis actibus spiritualitatem concernentibus, ac institutione præsentatorum ab eisdem Militibus ad beneficia, aut approbatione, seu confirmatione, quas ab eisdem fieri harum præsentium vigore contigerit, gratis omnia faciant, & diligenter attendant, vt nullos admittant, qui qualitates à Concilio requisitas non habeant, ac præuio examine iuxta eiusdem Concilij decreta idonei non existant.

3. *Declaratio.*

§. 6. Nolumus autem Episcopos, & alios Superiores locorum suprascripta facultate visitandi vti, qui cum eadē Religione, & Militibus super iurisdictione Episcopali in locis visitan. coram quibuscumque Iudicibus litigant, nisi ipsi Episcopi, & alij superiores in quasi possessione antiqua exercitij iurisdictionis huiusmodi existerent; saluo tunc iure vtrique illæso in petitorio, sed quod Episcopi, & alij Superiores viciniores ius aliquod in iurisdictione huiusmodi non habentes nullumque interesse prorsus prætendentes, facultate prædicta vtantur.

4. *Declaratio.*

§. 7. Nolumus item per præsentes vllum afferri præiudicium iuri visitandi dictas parochiales Ecclesias, & alia beneficia curam animarum habentia, quod antea Religioni, & Militibus prædictis competebat.

5. *Declaratio.*

§. 8. Inhibemusque expresse dictis Episcopis, & aliis Superioribus, ne hac visitan. facultate eis per præsentes concessa alio vtantur modo, quam præscripto.

Clausula subl. lata, &c.

§. 9. Sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungen. sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Clauſ. derog.

§. 10. Non obstan. præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, in Prouincialibusque, & synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus, necnon quibusuis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium forsan quomodolibet concessis, & confirmatis, quibus omnibus, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserērentur, præsentibus pro sufficienter expressis haben. illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum præsentium specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transsumptorum.

§. 11. Volumus autem, quod præsentium transumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum sub Annulo piscatoris, die vigesimosecundo Septembris, millesimo quingentesimo septuagesimo primo, Pontificatus nostri Anno Sexto.

D. P. An 6 11. Septemb.

CXXXVII.

Iussio instituendi ab Ordinariis locorum Confraternitates Doctrinæ Christianæ, ad pueros alioſque diuinæ legis expertes, bonis moribus, sanaque doctrina instruendum, Et indulgentiarum tam pro Confratribus, quam per eos instruendis elagitio.

Consonat Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 4. In cuius, nec non istius bullæ executionem, statim ferè in Vrbe Congregatio Doctrinæ instituta fuit; Et postea nonnulli ex dictis Confratribus Clerici in communi viuere cæperunt; Ac postremo ex eisdem Clericis, atque aliis, vnam Doctrinæ Christianæ in Vrbe Congregationem constituentibus Paulus V. eam in Archiconfraternitatem erexit in basilica S. Petri, & suum Vicarium eius Protectorem deputauit, ampliſſimaſque indulgentias concessit, vt in eius const. 36. Et credito.

Clerici Congregationis Doctrinæ Christianæ de Vrbe, elapso Nouitiarus anno emittebant votum cum iuramento sponte de manendo in Congregatione, quod Greg. XV. Romano Pontifici referuauit in Const. 12: *Ex incumbenti* inf. tom. 4.

PIVS PAPA QVINTVS *Edita An. D. 1571.*

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX debito pastoralis officij, nobis, meritis licet impa- ribus, ex alto commissi, ad ea libenter intendimus, per

per quæ diuinus cultus, fideliumque deuotio vbique ſuſcipiat incrementum, ac ipſos fideles ad id indulgentiis, & remiſſionibus inuitamus, vt Chriſtifideles ipſi per temporalia quæ egerint, conſequi valeant præmia felicitatis æternæ.

Commendatio operis docendi Doctrinam Chriſtianam.

§. 1. Nos igitur attendentes, quod infantes & pueri bonis moribus & exercitiis educati, quaſi ſemper vitam pudicam, honeſtam, & exemplarem, ac aliquando ſanctam agunt, è conuerſo autem qui parentum carentia, ſeu paupertate, aut incuria, vel ignauia, non ſic educati, perſæpe ducuntur in exitium, & quod peius eſt, ſecum ducunt plures in interitum, vnde ſi diligenter educati, & in doctrina Chriſtiana inſtructi fuerint à vitiis, & multis aliis erroribus retraherentur: Conſiderantes etiam, prout ex fide dignis relatibus intelleximus, quod nonnulli approbatæ vitæ Chriſtifideles, charitate omnium ſuprema virtute, circa hoc tam pium, tamque Reipublicæ ſaluberrimum opus accerſiti, in ſingulis feſtiuitatibus & Dominicis diebus in diuerſis Eccleſiis & locis, hoc opus ſanctiſſimum amplexi ſunt, & ibi eoſdem infantes & pueros, ac alias miſerabiles perſonas Chriſtianæ veritatis ignaras, congregari faciunt, & eos bonis moribus, & ſana doctrina inſtruunt, ac diligenter in via mandatorum Domini dirigunt, ex quo ſalutiferi fructus hactenus prouenerunt, & in dies magis auxiliante Domino ſperamus: Et quod ſi ad hoc opus ſanctiſſimum vbique locorum exercendum, præfatos Chriſtifideles paternis fauoribus & indulgentiarum muneribus inuitaremus, procul dubio non ſolum eorumdem infantium & puerorum ac perſonarum aliarum ſaluti conſuleretur, verum etiam deuotio Chriſtifidelium omnium ad præfatum opus amplectendum multo magis augeretur.

Iuſſio inſtituendi Cõfraternitates doctrinæ Chriſtianæ ab Ordinariis in eorum diœceſibus.

§. 2. Cupientes igitur tam pio tamque laudabili operi viribus totis fauere, & animas lucrifacere Creatori, ex certa noſtra ſcientia vniuerſos & ſingulos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, ceteroſque Eccleſiarum Prælatos, & locorum quorumcumque ordinarios, vbilibet conſtitutos præſentes & futuros rogamus & hortamur attente, eis, ac eorum in ſpiritualibus & temporalibus Vicariis ſeu Officialibus generalibus per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus hoc opus ſanctiſſimum toto pectore amplectentes, aliquas Eccleſias in ſuis Ciuitatibus, & diœceſibus reſpectiue, ſeu loca honeſta, in quibus præfati infantes & pueri ad audiendum doctrinam Chriſtianam conuenire poſſint, deputent, & viros ad id idoneos, vita & moribus approbatos, qui diebus ſaltem Dominicis eoſdem infantes & pueros, ac alias perſonas diuinæ legis expertes, in articulis fidei, & præceptis ſanctæ matris Eccleſiæ inſtruant, confirment, & eligant, atque tot Societates, ſeu Confraternitates quot ad hoc tam ſanctiſſimum opus exercendum eis opportunæ videbuntur, inibi auctoritate noſtra erigant & inſtituant.

Conceſſio Indulgentiarum pro Confratribus, & etiam pro inſtruendis per eos.

§. 3. Nos enim vt promptius & alacrius ad hanc curam ſubeundam omnes Chriſtifideles alliciantur, & eo libentius curam ipſam ſuſcipiant, quo ex hoc dono cæleſtis gratiæ conſpexerint ſe vberius refectos: De omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, ſeu ſtatutis à iure temporibus firmum confitendi propoſitum habentibus, qui in aliqua dictarum Societatum, ſeu Confraternitatum vbilibet conſtitutarum intrauerint, & adſcripti fuerint, illis videlicet tam qui alios docuerint, quam qui ab aliis in articulis fidei & præceptis Eccleſiæ huiuſmodi inſtructi fuerint, quotieſcumque in præfato ſanctiſſimo exercitio ſe occupauerint, quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentiis auctoritate Apoſtolica tenore præſentium miſericorditer in Domino relaxamus, præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides tranſumptorum.

§. 4. Ceterum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides forſan facienda foret deferri, volumus quod ipſarum tranſumptis manu publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in iudicio & extra, vbi opus fuerit eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 6. Octob. 1571. Pontificatus noſtri Anno Sexto. *D. P. An. 6. 6. Oct.*

Appellationum cauſæ, in quibus rei ad fauorem Fiſci R. Cameræ Apoſt. in pœnam pecuniam condemnantur, infra ſex menſes expediri debent per appellantem, alioquin Iudex à quo ſententiam exequi tenetur. CXXXVIII.

De hac materia appellationum plene notaui in conſt. 52. Pij IV. Et ſi cuncta *ſup.*

PIVS PAPA QVINTVS, Motu proprio, &c. *Edita A. D. 1571.*

Exordium.

LIcet iuri maxime conſentaneum, nobiſque præcipue cordi ſit, vt delinquentes condignis pœnis afficiantur, tamen re ipſa, experiendoque cognouimus, quamplures ſubterfugiis & cauillationibus legum diſciplinam euitare.

Cauſa conſt.

§. 1. Siquidem compertum eſt, eos qui tam in Alma Vrbe noſtra, quam in prouinciis ditionis Eccleſiæ in pœnis pecuniaris condemnantur, clypeo appellationum ſuffultos, ab aliis Iudicibus inhibitiones obtinere. Cumque tam dicti Iudices appellationum, quam qui coram eis iura Fiſci & Cameræ ſunt promoturi, de rei & cauſæ qualitate minus informati exiſtant, ac ipſi appellantes non modo appellationem ſuam proſequi non curant, quinimmo illius expeditionem totis viribus fatagunt retardare, quo fit, vt modo officialium mutatione, quæ interim contingit, modo alio quouis prætextu, condemnatio obliuioni tradatur, & ſic delictum impunitatem, & exinde ditionis noſtræ tranquillitas perturbationem, ac ipſa etiam Camera Apoſtolica detrimentum non modicum conſequatur. Quibus malis prouidere volentes cum remedium appellationis contra Iudicum iniuriam à legibus introductum minime tollere intendamus, ſaltem cum eo homines abuti, & illud in calumniam verſum proſpiciamus, illius tempus limitandum, & reſtringendum duximus, vt eo magis hominum malitiis occurratur, & bene viuere volentium quieti & ſecuritati conſulatur.

Appellationum cauſa in criminalibus infra ſex menſes expediri.

§. 2. Hac igitur perpetuo valitura conſtitutione decernimus, vt lata in cauſis criminalibus ſententia continente pœnam pecuniariam Fiſco noſtro applicandam, appellantes ab ea (in caſibus tamen, quibus alias de iure communi permiſſa eſt appellatio, & ſeruatis iis quæ ex forma conſtitutionum Apoſtolicarum circa depoſitum facien. ſeu cautionem præſtan. ſunt ſeruanda) teneantur infra ſex menſes à die ipſius interpoſitæ appellationis computandos, ita coram Iudice appellationis cauſam ſuam proſequi, vt etiam expeditionem reportent, quibus elapſis & expeditione coram Iudice à quo non reproducta, teneatur præfatus Iudex à quo ad quamcumque Fiſci inſtantiam, etiam ſi acta fuerint tranſportata, ſententiam præfatam debitæ executioni omni mora poſtpoſita demandare, ita vt effectualis incameratio ſubſequatur.

Iudices tradi faciant acta appellantibus.

§. 3. Verum ne malitia Iudicis ius litigatorum efficiatur deterius, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ ac priuationis officiorum, etiam ſi illa ex cauſa onerosa obtineant, ac refectionis omnium damnorum & intereſſe, quibuſcumque Iudicicibus totius ſtatus noſtri Eccleſiaſtici quacumque dignitate & præeminentia fulgentibus, etiam ſi Legati, Vicelegati, ac prouinciarum Gubernatores exiſtant, committimus & mandamus, vt appellantibus ſine mora acta & proceſſus quoſcumque effectualiter tradi curent & faciant.

Iudices ad quos, cauſam appellationis expediant.

§. 4. Et ipſi Iudices ad quos reſpectiue, bona fide & omni verſutia remota ad cauſarum legitimam expeditionem procedant, ſcituri nos acriter vindicaturos, ſi per eorum quempiam in præmiſſis fuerit appellantibus ipſis præiudicium generatum.

Clauſ. derog.

§. 5. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis legibus, & ſtatutis ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

Placet Motu proprio M. *Papa ſubſcr.*

Anno à Natiuitate Domini Noſtri IESV CHRISTI, 1571. indict. 14. die vero 16. menſis Octobris Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N. Domini Pij diuina proui *Publicatio. Pōt. an. 6. die 16. Octobru.*

Digitized by Google

prouidentia Papæ Quinti Anno Sexto, suprascripta litera affixæ fuerunt ad valuas Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per me Ioannem de Soya Cursorem.

Antonius Clerici Magister Cursorum.

CXXXIX. **Institutio vndecim Vicariarum perpetuarum in totidem Basilicis & Ecclesiis Almæ Vrbis, cum assignatione portionum & obuentionum pro singulis earum.**

Ad hæc omnino vide aliam huius Pontificis const. 47. Ad exequendum *sup. vbi notaui.*

Edita An. D. 1571.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Exordium.

ET si omnibus vniuersi Orbis Ecclesiis diuina dispositione præsidemus, propius tamen Ecclesiarum Vrbis cura nos tangit, ac de illis potissimum, quibus animarum cura imminet solliciti sumus, vtque illa in eis congrue exerceatur quantum cum Deo possumus, sedulo prouidemus.

Causa huius constit.

§. 1. Vnde nos attente considerantes, quod Basilica S. Ioannis Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe: Item Sanctæ MARIÆ in via lata, & eiusdem S. MARIÆ Transtiberim, & S. Laurentij in Damaso, & S. Marci, & S. Angeli in foro Piscium, necnon S. Quirici in Montibus, & S. Nicolai in Carcere Collegiatæ, necnon S. Blasij della Pagnotta, & S. Catherinæ della Rota nuncupatæ, quæ eiusdem Basilicæ Principis Apostolorum, ac S. Pantaleonis, quæ Ecclesiæ S. Eustachij mensis Capitularibus perpetuo vnitæ sunt, Parochiales Ecclesiæ eiusdem Vrbis curam animarum, & satis amplas Parochias habent, quodque animarum cura ab iis ad quos ea communiter spectat, sæpe negligi solet.

Institutio vndecim Vicariarum de qua in rub.

§. 2. Idcirco expediens, imò & necessarium fore duximus, vt in singulis Basilicis, & Ecclesiis prædictis singuli Vicarij perpetui, congrua fructuum & prouentuum portione, qua honeste substentari valeant eis assignata, prout in Sacro Concilio Tridentino, & alias à nobis per nostras literas statutum est, ponantur, & deputentur, qui animarum curam huiusmodi eo diligentius, ac vigilantius gerant, quo magis eam proprie ad se pertinere, & sibi incumbere nouerint. Quapropter & eiusdem Concilij, & nostris huiusmodi statutis inhærentes, Motuproprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, in singulis ex Basilicis, & Ecclesiis supradictis, singulas Vicarias perpetuas pro singulis Vicariis perpetuis, qui curam animarum Basilicis & Ecclesiis respectiue incumbentem gerere, ac Sacramenta Ecclesiastica ibi ministrare, Missas celebrare, & alia iuxta prouidam ordinationem pro tempore existent. in Vrbe Vicarij nostri in Spiritualibus Generalis, cuique assignanda onera subire debeant, ad nominationem dictorum filiorum Capituli cuiuslibet ex eisdem Basilicis, & Ecclesiis, quæ nominatio sit ex numero approbatorum, ab eodem Vicario, præuio illorum examine coram examinatoribus ad id in ipsa Vrbe deputatis per dictum Vicarium, seu Vicarij Vicegerentem, instituen. ponen. & deputan. perpetuo erigimus, & constituimus.

Assignatio portionum pro Vicariis.

§. 3. Singulisque Vicariis huiusmodi singulas portiones, videlicet in qualibet Basilicarum prædictarum centum & viginti, in Sancti Blasij vero septuaginta, in S. Catherinæ sexaginta, in S. Pantaleonis aliorum sexaginta, in S. MARIÆ in Via lata, octuaginta, in S. MARIÆ Transtiberim aliorum octuaginta, in S. Laurentij centum, in S. Angeli sexaginta, in S. Quirici quinquaginta, in Sancti Nicolai Ecclesiis prædictis similiter quinquaginta scutorum monetæ annuatim ex fructibus, redditibus, & prouentibus earumdem Basilicarum, & Ecclesiarum, eisdem Vicariis per Capitula Basilicarum, & Ecclesiarum, in quibus Vicariæ huiusmodi consistunt, vel quarum mensis Capitularibus Ecclesiæ ipsæ vnitæ sunt, vt præfertur, quorum Capitulorum ad hæc expressus accedit assensus, pro vna in Sancti Ioannis Baptistæ, & altera medietatibus portionum huiusmodi in Domini Nostri IESV Christi Natiuitatum Festiuitatibus integre persoluen. Item omnia & singula emolumenta, & obuentiones, quæ ratione exercitij, curæ, & administrationis Sacramentorum huiusmodi, ac officiorum funeralium, quæ ipsa die humationis cadauerum celebrabuntur, non autem ratione anniuersariorum, & ad ipsas Ecclesias, & Basilicas in posterum pertinebunt, per ipsos Vicarios propria auctoritate percipien. exigen. & leuandi, ac in suos vsus & vtilitatem conuerten. & conuertenda loco pensionum annuarum pro congrua ipsorum Vicariorum substentatione perpetuo assignamus, & applicamus.

Deputatio Vicarij Vrbis in executorem.

§. 4. Mandantes Motu simili tenore præsentium Dilecto Filo nostro Iacobo tituli Sanctæ MARIÆ in Cosmedin, Præsbytero Cardinali Sabello nuncupato, nostro in Alma Vrbe Vicario in Spiritualibus Generali, quatenus per se vel alium seu alios, dictos Vicarios ad nominationem & institutionem huiusmodi, in Vicariarum prædictarum possessionem corporalem inducat auctoritate nostra, & defendat inductos, amotis ab illis quibuslibet illicitis detentoribus, ac faciens singulis eisdem Vicariis de portionibus eis debitis prædictis integre responderi, eosque portionum ipsarum, necnon emolumentorum, & obuentionum eis vt supra assignatorum perceptione, & perceptionis pacifica possessione seu quasi pacifice frui, & gaudere. Non permittens eos desuper à quoquam quauis occasione indebite molestari, præmissaque omnia & singula efficaciter adimpleri; & ab omnibus inuiolabiliter obseruari curet; Contradictores quoslibet & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescen

Derogatio clausularum.

§. 5. Non obstante nostra, qua statuimus & ordinauimus, & declarauimus, non maiorem centum, nec minorem quinquaginta scutorum annuorum summam computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obuentionibus communiter percipi solitis, Vicariis perpetuis ex præfato Concilio erigen. omnino assignari; nisi Vicariis temporariis solitum fuisset plus assignari, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Basilicarum, & Ecclesiarum præfatarum etiam iuramento, &c. priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis Basilicis & Ecclesiis præfatis, earumque Capitulis, Archipresbyteris, Titularibus, Cardinalibus, & personis, ac dilectis filiis Po. Rom. de non conferen. beneficiis d. Vrbis aliis quam originariis, &c. ac quibusuis aliis in genere vel in specie, & alias in contrarium quomodolibet, etiam per Leon. X. & alios Roman. Pontifices etiam pluries concessis, &c. Quibus omnibus, &c. illorum tenores, &c. latissime derogantes, ceterisque contrariis quibuscumque.

PP. Subscrip.

Fiat Motu proprio M.

Clausularum repetitio.

§. 6. Et cum absolutione à cens. ad effectum, &c. Et de erectione, constitutione, assignatione, & applicatione, ac derogatione aliisque præmissis, quæ hic pro sufficienter repetitis habeantur ad partem etiam seperatim, & in vna, nulla facta mentione, ac aliis, & quod sola signatura præsentis nostri Motus proprij sufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio & extra illud, non obstan. quibuscūque.

Fiat M.

D. P. An. 6. 5. Nouemb.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum nonis Nouembris Anno Sexto.

CXXXX. **Contra ambientes dignitates, & officia iurisdictionis administrationem habentia, eaque pretio, seu promissione procurantes vel assequentes, aut assecuta manutenentes, in Statu Ecclesiastico.**

Edita An. D. 1571. 1572.

PIVS PAPA QVINTVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ETsi Romani Pontificis continua indefessaque meditatio circa subditorum suorum commodum, & vtilitatem continue implicatur, ac quæ iis, quos vt filios tenere diligit, obesse posse credit, de medio tollit; negociorum tamen multitudine pressa, singula in dies singulos considerans, illorum executionem, etiam dietim disponit, vt & negocia ipsa salubrius dirigantur, ac ipsi subditi paulatim sui in eos amoris cognoscant indicia.

§. 1. Sane

Digitized by Google

Iure ciuili cauetur, iudices, & alios iustitiæ ministros: sine quoquâ suffragio eligi debere, vt in auth. vt iudices, sine, &c.

§. 1. Sane licet alias ne ordo iustitiæ peruerteretur, & ex certis aliis inibi expressis causis per ciuiles constitutiones salubriter fuerit statutum, vt iudices, & alij iustitiæ Administratores sine quoquo suffragio fieri debeant, grauissimis etiam iniunctis pœnis, qui præmissam constitutionem transgredi ausi quoquomodo fuissent, accepimus tamen nuper, non sine animi nostri displicentia, nonnullos pro consequendis officiis, & dignitatibus iurisdictionis exercitium habentibus, pecunias & alias res soluere, & promittere aliquibus Curialibus, quorum interceſſionibus & fauoribus talia officia, & dignitates obtinent. Licetque nos pro nostri Pastoralis officij debito præmissa conniuentibus oculis pertransire nequeuntes omnem adhibuerimus diligentiam, vt tam ambitiosi huiusmodi, quam pecuniarum huiusmodi receptores, & stipulatores, tam publice quam secrete reperirentur; nihilominus exinde nihil certi expiscari hactenus potuimus.

Hic autem Pontif pœnas omnes in trãsgressores inflictas innouat, & confirmat.

§. 2. Cupientes igitur præmissis modum aliquem imponere, ac eos quos ciuilium pœnarum timor à similibus non coercet, per Canonicas sanctiones auctoritate Apost. omnino deterreri, & auaritiæ huiusmodi genus iuri & iustitiæ huiusmodi tam obnoxium de medio tollere, constitutionis ciuilis, ac pœnarum per illa statutarum tenorem & formam præsentibus pro expressis habentes, Motu simili, &c. & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas leges, constitutiones, statuta, & decreta contra delinquentes huiusmodi; tam à iure ciuili, quam à sacris Canonibus facta, ac in illis contenta, punitiones, & pœnas quascumque in tales inflictas, harum serie innouamus, easque idem robur, eamdemque vim obtinere volumus atque statuimus, quod & quam habuissent, & haberent, si hactenus ad vnguem obseruatæ fuissent, vel à nobis per præsentes emanarent.

Quinimo alias Pœnas hic expressas imponit procurantibus, vel obtinentibus mendicata pecunia, &c. dignitates, & officia.

§. 3. Insuper quoque, vt earum vsus pœnarum multiplicatione stabilior efficiatur, hac nostra perpetuo valitura constitutione quamque vim legis, etiam inuiolabilis habere sancimus, legibus, constitutionibus, statutis, & decretis prædictis præiudicium non inferendo, quinimo illis addendo, decernimus & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus nemini cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis fuerit, liceat mediante pecunia, vel solutione, & traditione, ac promissione aliarum rerum, etiam per interpositas personas, aut alias quouis modo faciendas, aliquas dignitates, & officia, exercitium & administrationem iurisdictionis habentia procurare, assequi, vel obtinere, ac si quis his præsentibus contrauenisse quoquomodo dici, aut censeri potuerit, ipsum contrauenientem eo ipso confiscationis omnium bonorum, degradationis, & amissionis tam priuilegij doctoratus, quam quorumcumque per eum obtentorum officiorum, tam sæcularium quam Ecclesiasticorum; ac demum vltimi supplicij pœnas irremissibiliter incurrere volumus.

Et exceptionem ignorantiæ, non admitti decernit.

§. 4. Ceterum, vt fraudibus, quæ circa præmissa exoriri possent facilius occurratur, pari modo statuimus, quòd vbicumque & quandocumque compertum fuerit per interpositam personam aliquas pecunias, seu alias res traditas seu promissas fuisse alicui Curiali familiari, vel cuicumque alteri personæ pro officiis, & dignitatibus iurisdictionis administrationem habentibus, is qui officium huiusmodi obtinuerit se à præmissis, attenta interpositione personæ huiusmodi nullatenus excusare queat: quinimo nulla admissa ignorantiæ excusatione ipso iure præsumatur solutionem, & promissionem huiusmodi de eorum qui officia & dignitates similia obtinuerint consensu, & mandato penitus esse facta, iisdemque propterea pœnis subiacere omnino intelligatur. Postremo ne ij qui in præteritum talia officia, seu dignitates solutionibus, seu promissionibus mediantibus impetrauerint, credant se per præsentes absolutos esse; eisdem Motu, scientia, & potestatis plenitudine perpetuo declaramus, eos pœnas in tales à iure communi inflictas incurrisse, & contra eos ad pœnarum huiusmodi prosecutionem procedi posse.

Solutionibusq; aliquid ex causa mandatorum.

§. 5. Eos vero qui similibus mediis aliqua officia, & dignitates similiter iurisdictionis administrationem habentia obtinent, si in futurum quippiam vmquam vigore præcedentium promissionum in assecutione officij huiusmodi factarum soluerint, ipso iure, & facto pœnas in hac nostra constitutione contentas incurrere, præsentesque nostras, tam eos qui in futurum officia similia, & dignitates solutionibus, & promissionibus præcedentibus obtinebunt, quam eos qui iam obtinuerunt, si in futurum aliquid manutentionis in eis, aut alia causa soluerint ligare volumus. *tentionis officiorum iam obtentorum, eosdem pœnas infligit.*

§. 6. Decernentes contra præmissa quoduis pactum, etiam iuramento vallatum, ac instrumenta, & alias forsan desuper editas scripturas minime in causa esse posse quo minus soluere habentes, si pro præmissis soluerint, pœnas præsentibus contentas incurrant. Nos enim pacta, conuentiones, promissiones, & scripturas, ac alia quæcumque quomodolibet vt præfertur inita exinde cassamus, irritamus, & annullamus, eosque à iuramentis, & aliis nexibus prædictis absoluimus. *Promissioneſque desuper factas annullat.*

§. 7. Necnon præsentes, & desuper forsan conficiendas literas perpetuis futuris temporibus durare, ac omnes & singulos à data præsentium irremissibiliter ligare volumus, illasque nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, aut sub quibusuis reuocationibus, & derogationibus comprehendi nullatenus posse. *Clauſula præſeruatiua.*

§. 8. Sicque per quoscumque iudices, &c. & causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata, &c. iudicari debere, irritum quoque, &c. decernimus. *Decretum irritans.*

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis etiam Almæ Vrbis, & aliarum Ciuitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum, etiam iuramento, &c. roboratis, ac Prouincialibus, municipalibus, & particularibus statutis, ac legibus, etiam Imperialibus, & in corpore iuris scriptis, priuilegiis quoque, &c. hac vice latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. *Clauſ. derog.*

§. 10. Vt autem præsentium tenor omnibus innotescat, nullusque earum ignorantiam allegare queat, eas in valuis Basilicæ principis Apostolorum, ac Sancti Ioannis Lateranensis, in acie Campi Floræ de Vrbe publicari mandamus, ipsasque sic publicatas, omnes & singulos quos illæ concernunt ita afficere volumus, ac si essent omnibus, personaliter intimatæ. Decernentes quoque præsentium earumdem solam signaturam sufficere, & vbique fidem facere in iudicio & extra, regula quacumque contraria non obstante. *Forma publ. huius conſtit.*

§. 11. Ac illarum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo Almæ Vrbis Gubernatoris, aut alicuius alterius iudicis munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. *Fides exemplorum.*

Placet Motu proprio M.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Non. Decembris An. sexto. *Anno à Natiuitate Dñi Nostri IESV CHRISTI, 1571. indict. 14. Pontificatus vero Sanctiſsimi in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno sexto, die vero 8. mensis Decembris, supradicta litera affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum Principis Apostolorum de Vrbe, Sancti Ioannis Lateranen. & in acie Campi Floræ, per nos Scipionem de Octauianis, & Alamanum de Alamanis præfatos Sanctiſsimi D. N. Papæ Cursores. Io. And. Pantiza Magister Cursorum.* *Dat. P. A. 6. 5. Decembr. Publicatio.*

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1577.*

CVm nuper ne ordo iustitiæ peruerteretur, & ex certis aliis causis animum nostrum mouentibus fuerunt &c. vt sup. *Exordium.*

§. 1. Attendentesque quod forte probabiliter dubitari contingat, an dicta nostra constitutio comprehendat recipientes huiusmodi pecunias, ac res, ac promissiones sibi factas stipulantes vt officia prædicta exercitium ac iurisdictionis administrationem habentia conferri faciat, ac mediatores & interpositas personas: Propterea nos motu simili & ex certa scientia, & de potestatis plenitudine *Declaratio, quod dicta conſtitutio obligat, etiam recipientes pecunias, pro impetratura officiorum, ac mediatores,*

Digitized by Google

motu simili & ex certa scientia, & de potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura constitutione declaramus, & quatenus opus sit addendo prædictæ nostræ constitutioni decernimus, quod dicta nostra constitutio, ac omnes & singulæ pœnæ in ea expressæ, perinde ligent & afficiant omnes & quoscumque cuiusuis dignitatis, gradus, conditionis, ac præeminentiæ existant, qui pro huiusmodi officiis iurisdictionis administrationem habentibus conferendis, ac mediatores & interpositas personas quascumque pecunias vel alias res vt supra receperint, ac si supradicti in dicta nostra constitutione comprehensi essent, & de illis in ea expressa mentio facta esset.

Clausula præsentium. §.2. Necnon præsentes, & desuper conficiendas forsan literas perpetuis futuris temporibus durare, ac omnes & singulos à data præsentium irremissibiliter ligare volumus, illasque nullo vmquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, aut sub quibusuis reuocationibus & derogationibus comprehendi nullatenus posse.

Decretum irritans. §.3. Sicque per quoscumque Iudices, &c. causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Card. sublata, &c. iudicari debere, irritum quoque, &c. decernimus.

Clauſ. derog. §.4. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis etiam Almæ Vrbis, & aliarum Ciuitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum etiam iuramento, &c. roboratis, ac prouincialibus, municipalibus, ac particularibus statutis, ac legibus, etiam imperialibus, & in corpore iuris scriptis, priuilegiis quoque, &c. etiam motu simili, &c. etiam consistorialiter, &c. quibus omnibus illorum tenores, &c. hac vice latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma publ. hanc constit. §.5. Vt autem præsentium tenor omnibus innotescat, nullusque earum ignorantiam allegare queat, eas in valuis Basilicæ Principis Apostolorum S. Ioannis Lateranen. & in acie Campi Floræ de Vrbe publicari mandamus, ipsasque sic publicatas omnes & singulos quos illæ concernunt ita afficere volumus, ac si essent omnibus personaliter intimatæ. Decernentes quoque præsentium earumdem solam signaturam sufficere, & vbique fidem facere, in iudicio & extra, regula quacumque contraria non obstante.

Fides exemplorum. §.6. Ac illarum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo Almæ Vrbis Gubernatoris, aut alterius alij Iudicis sigillatis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Placet Motu proprio. M.

D P. An. 7. die 12. Febr. Datum Romæ apud S. Petrum, pridie idus Februarij, Anno 7.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini 1572. Indict. 15. die vero 13. Mensis Februarij, Pontificatus S.D.N. Domini Pij Papæ V. Anno 7. retroscripta litera Apostolica affixæ, & publicatæ fuerunt Romæ in locis retroscriptis per me P. Paulum de Matthæis prafati S.D.N. Papæ Curs.*

Philibertus Magister Cursorum.

De electione Prioris Generalis, & aliorum Prælatorum Congregationis Canonicorum Regularium S. Saluatoris, Ordinis Sancti Augustini, bonorumque temporalium administratione.

Hæc bulla paucis immutatis confirmata est à Gregor. XIII. in eius constit. 59. Quæ inter. *ac Sixto V. in constit.* 98. Ex varietate. *ibi videas.*

Edita An. D. 1571. *P I V S P A P A Q V I N T V S*
Ad futuram rei memoriam.

Exordium. INter ceteras Pastoralis officij nostri curas, illa nos præcipue vrget, per quam Regularium Congregationum, illarumque personarum commoditati, & felici directioni consulitur, ac Monasteria, domos, Ecclesias, & loca, tam in spiritualibus quam temporalibus, prudentia, & vigilantia Prælatorum canonice electorum incrementum suscipere posse arbitramur.

Hic Pont. iustit de causis Priorem generalem Congregationis deputauit. §.1. Sane cum nos nuper per alias nostras in forma breuis literas, iustis de causis animum nostrum mouentibus, dilectum filium Stephanum tunc Congregationis S. Saluatoris, Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium Priorem generalem, in Capitulo generali Bononiæ proxime celebrato electum, ab onere sui Generalatus officij absoluerimus, & liberauerimus, ac in ipsius locum dilectum etiam filium Ambrosium de Lamis Eugubinum ipsius Congregationis Priorem Generalem substituerimus, & deputauerimus, prout in dictis literis plenius continetur.

Visitatores modo & Procuratorem generalem deputat. §.2. Et arbitrantes pro negotio reformationis Congregationis prædictæ expedire, quod etiam Visitatores, & Procurator generalis eiusdem Congregationis à nobis deputentur, idcirco dilectos filios modernos prædictæ Congregationis Visitatores, & Procuratorem generalem in prædicto Capitulo Bononiæ electos, ab onere suorum officiorum etiam absoluimus, & liberamus, & in ipsorum locum, quo ad prædicta officia, in Visitatores videlicet, N. N. N. in Procuratorem vero generalem N. dilectos filios, ipsius Congregationis canonicos, cum honoribus, oneribus, potestatibus, facultatibus, iurisdictionibus, & prærogatiuis solitis & consuetis substituimus; & subrogamus.

Canonici in sacris constituti tantum; vocē actiuā, & passiuam habeant. §.3. Cumque per alias nostras literas statuerimus & ordinauerimus, quòd nullus ex dicta Congregatione Canonicus in Capitulis, tam generalibus quam conuentualibus pro tempore celebrandis, vocem, actiuam, seu passiuam in electionibus faciendis obtineat, nisi sit in sacris ordinibus constitutus, & post per eum legitime emissam professionem in eadem Congregatione, quoad electiones in capitulo generali, per septennium, quo vero ad alias electiones in capitulis conuentualibus faciendas, per quadriennium laudabiliter vixerit.

Absentes non eligant. §.4. Et quoad vocem actiuam in capitulo actu præsens fuerit.

Electio generalis requirit duas partes votorum. §.5. Eligendique in Priorem generalem, duas ex tribus partibus.

§.6. Alij vero suffragiorum maiorem partem obtinuerint

Aliorum ausis sit pro maiori parte votorū. §.7. Quodque in Capitulo generali, Prior, & Procurator Ordinis generales, necnon Visitatores, eorumque substituti, pro casibus necessitatis dumtaxat eligantur.

Electio Prioris, Visitatorū & Procuratoris spectat ad Cap. generale eorum qualitates designatur. §.8. Et eligendi in Priorem, & Procuratorem generales, necnon in Visitatores, scientia, prudentia, vitæ integritate, ac pietate præditi existant.

Generalis in quibusdā Monasteriis Priores eligit, in aliis vero capitula conuentualia. §.9. Factaque ipsorum Canonica electione iuxta hoc nostrum statutum, & ordinem, ac Congregationis præfatæ regularia instituta, Prior generalis sic electus, vna cum Definitoribus eligat Priores pro Monasteriis, in quibus non adsunt plures quam sex Canonici, ac disponat & ordinet familias solitas & necessarias pro quolibet Monasterio, ita quòd in qualibet familia sint aliquæ personæ idoneæ, quæ possint eligi in Priores, aut Abbates, siue Præpositos iuxta cuiuslibet Monasterij titulum, ipsorumque Vicarios, & Discretos mittendos ad Capitulum generale. Quorum Prælatorum Conuentualium, & Vicariorum electiones, non amplius in Capitulo generali fiant, sed illi, sicut discreti, in Capitulis conuentualibus cuiuslibet Monasterij, cuius Canonici excedent numero sex Canonicorum, modo infrascripto eligantur, videlicet.

Hoc tamē non fuit vsu receptū, vt percipitur ex bulla Greg. XIII. cit. in rub.

Formā d. electionis in Capitulis Cōuentualibus præfinit. §.10. Postquam familiæ omnes in Capitulo generali (vt præmittitur) pro quolibet Monasterio dispositę & ordinatæ, ad locum sibi destinatum statuto tempore peruenerint, antiquior Canonicus in quolibet Monasterio existens, deputet diem & horam ad celebrandum Capitulum, & ad sonum campanellæ conuocari faciat omnes Canonicos habentes vocem actiuam & passiuam. Illisque conuocatis & residentibus, præfatus antiquior Canonicus aduertat an sint omnes præsentes, deinde eos interroget, an eis placeat dies & hora ad futuram electionem, & illis annuentibus, præmissa generali confessione à capitulo recitanda, eos absoluat dicens. Misereatur vestri, &c. Et si teneamini aliquo vinculo excommunicationis, &c.

Digitized by Google

Et dispenso vobiscum super irregularitate, &c. Postea dicatur Hymnus Veni creator Spiritus,&c. Kyrie eleison, &c. Pater noster, &c. Oratio. Deus, qui corda, &c. Quibus peractis in conspectu omnium cum duobus aliis de capitulo, qui primitus habitum Religionis susceperunt, ipsum concomitantibus, simulque cum eo residentibus ad mensam decenter præparatam cum capsula, seu vrna, vbi schedulæ suffragiorum poni debent, & papyro, & atramento ad scribendum processum electionis, accedat. Et quoniam vota, seu suffragia iuxta decreta Concilij Tridentini, debent esse secreta, ita quod eligentium nomina numquam publicentur, singuli electores schedulas accipiant omnino similes, & vnusquisque in sua schedula nomen eligendi inscribat, vel dicat, Eligo N. in Priorem: & antiquior Canonicus, & alij duo capitulares prædicti, postquam ipsi schedulas, ordine antiquitatis inter eos seruato, in vrnam seu capsulam demiserint, aliorum schedulas accipiant & in vrnam, seu capsulam præfatam inferant, & inspiciant an schedulæ sint numero pares cum electoribus ibi præsentibus, & si inuenerint esse in maiori, vel in minori numero, quam sint capitulariter ibidem præsentes, illas comburant, rursusque ad scrutinium modo præmisso procedant donec inuenerint scrutinium esse canonice factum, & tunc legant schedulas, & si electio numero suffragiorum secuta fuerit, schedulæ etiam comburantur, factaque electione, antiquior Canonicus, & alij duo scrutatores prædicti publicent electorum nomina, exprimendo numerum suffragiorum quæ quisque habuerit, quod faciendum est, licet aliquis non habuerit vota, vel suffragia ad sufficientiam, vt ad secundum scrutinium (sicut præmittitur) deueniri possit. Decretum vero electionis ab illo, qui inter scrutatores primus fuerit, licet electo suum suffragium non contulerit, per hæc verba formetur. Ego N vice præsentium capitularium eligo (Fin Priorem, Vicarium, seu) Discretum nostri Monasterij, quòd si primus scrutator fuerit electus ad aliquod officium, secundus scrutator ad publicandum scrutinium, & formandum decretum succedat, completaque electione, & decreto (vt præmittitur) formato, scrutatores processum electionis compleant, atque subscribant, subiungendo: Inuenimus quod N. in Priorem, seu Vicarium, aut Discretum nominatus habuit tot suffragia, & ego N. decreta electionum formaui: In quorum fidem manibus nostris subscripsimus, & sigillo Monasterij præfati roborauimus, die vt supra. His peractis, antiquior Canonicus dicat sine cantu Psalmum, Laudate Dominum omnes gentes, cum versu, Saluos fac seruos tuos, &c. Et Oratione, Prætende Domine famulis tuis, &c. deinde dicat Adiutorium nostrum, &c. & dicto responso ab omnibus; Qui fecit cœlum, &c. terminetur capitulum, & scrutinium, seu processum, ac decretum electionis modo præmisso factum transmittitur ad Priorem generalem pro confirmatione obtinenda, qui Prior generalis cum voto Visitatorum, quatenus electio fuerit canonice facta, & personæ electæ nullam patiantur exceptionem, ipsam electionem confirmare, & approbare debeat, alioquin legitima causa subsistente mandet ad aliam electionem (vt præmittitur) deueniri, & idem seruetur, quoties officium Prælati conuentualis quouis modo vacare contigerit: & hanc formam & ordinem in singulis electionibus; in reliquis vero omnibus, & singulis casibus constitutiones, statuta, & consuetudines ipsius Congregationis inuiolabiliter obseruari volumus, & mandamus, & aliter factæ electiones, nullius sint roboris, vel momenti. Et si quis alias quam vt præmittitur, quouis modo, aut quæsito colore se intromiserit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrisse censeatur. Et acceperimus, quòd nonnulli Priores, Abbates, seu Præpositi conuentuales dictæ Congregationis, illorumque Vicarij in Capitulo prædicto, præter vel contra dictarum nostrarum literarum formam electi fuerunt, uosque cupiamus huiusmodi formã inuiolabiliter obseruari, eosdem Priores, Abbates, seu Præpositos, eorumque Vicarios conuentuales in eodem Capitulo electos, & deputatos, ab eorum & cuiusque ipsorum officiis similiter absoluimus, eximimus, & liberamus, volumus tamen quòd singuli eiusdē Congregationis conuentus, vbi adsunt plures quam sex Canonici, cum primum sibi per Priorem Generalem, & Visitatores prædictos iunctum & ordinatum fuerit, ad nouam electionem Priorum, Abbatum, vel Præpositorum, necnon Vicariorum in vnoquoque Monasterio, Abbatia, seu præpositura iuxta prædictum nostrum statutum deueniant, & deuenire debeant, quodque interea Abbates, Priores, seu præpositi, eorumque Vicarij Conuentuales per nos (vt præmittitur) ab eorum officiis absolui, donec nouæ electiones, & confirmationes Prælatorum conuentualium huiusmodi fiant, eorum officia, vt prius, exerceant ac si ab eis absoluti non fuissent.

Capitulum generale quolibet triennio celebrandum est.

Hoc approbat & amplius non immutari iubet Gregor. XIII & Sixt. V. citati in rubrica.

§. 11. Et insuper considerantes, quòd prædicta Congregatio pro electione Prioris generalis, Visitatorum, Procuratoris etiam generalis, & aliis huiusmodi peragendis negotiis, Capitulum generale singulo quoque anno maxima cum impensa, & non minore Canonicorum incommodo celebrare soleat, ac propterea magna inde euagandi, & sese dissoluendi Canonicis ipsis occasio præbeatur; cumque Prioris ipsius Generalis, Visitatorum, Procuratoris etiam Generalis, necnon Prælatorum Conuentualium, Vicariorumque prædictorum officia annalia tantum sint, id plerumque vsu venire solet, vt Prior ipse generalis, & Visitatores vix omnia ipsius Congregationis Monasteria, & loca, provt eorum officio incumbit, visitare, & operam suam illis pro re nata impendere, Procurator vero generalis similiter officij sui munus agnoscere, negotia, & causas Congregationis pertractandas percipere, vsum Curiæ Romanæ apprehendere, atque alia ad officium suum spectantia prouidere; Prælati autem conuentuales, eorumque Vicarij, & ministri Monasteriorum & locorum, Curiæ, & regimini suo commissorum statum intelligere, res, & bona agnoscere, consuetudines percipere, negotia obire, vix tam breui temporis spatio possint, quin etiam quando rerum, & personarum vel Congregationis, aut Monasteriorum, & locorum aliquam, vel mediocrem notitiam, & cognitionem habere incipiunt, tum maxime temporis exclusi angustia eorum officia dimittere, negotia tam spiritualia quam temporalia aut intacta aut certe inchoata, atque interrupta nouis successoribus relinquere cogantur. Volentes igitur desuper opportunum adhibere remedium, ac vt electiones Prælatorum, & Ministrorum ipsius Congregationis canonice, rite, & recte fiant, quod de cetero eiusdem Congregationis Capitulum generale quolibet triennio tantum celebretur, vbi Prior generalis, Visitatores, & Procurator generalis eligantur, & cetera eiusdem Congregationis negotia iuxta infrascriptum nostrum statutum, & ipsius Congregationis regularia instituta pertractentur & disponantur.

Dicta autem quolibet anno.

§. 12. Quodque quolibet anno Prior generalis, & Visitatores, vna cum tribus aliis ex maioribus Prælatis conuẽtualibus ipsius Congregationis eiusdem Prioris generalis arbitrio eligendis die ad id statuta in aliquo loco commodo ad tractandum negotia Congregationis iuxta eorum exigentiam conueniant, significando prius omnibus & singulis Prælatis conuentualibus diem, & locum, ita vt si aliquis ipsorum haberet aliquid in huiusmodi Congregatione proponendum, commode vel ipsemet personaliter ad prædictum locum accedere, vel per nuntium, aut epistolam ea de re Priorem generalem, & alios prædictos certiores reddere, ipsosque consulere possit.

Generalis, Visitatorum, & Procuratoris officia triennio explẽtur, aliorum vero biennio.

§. 13. Necnon quòd Prioris generalis, Visitatorum, Procuratoris etiam generalis in posterum triennalia, Prælatorum vero conuentualiũ officia biennalia sint, & esse censeantur; ita tamen vt hac vice Prior generalis, Visitatores, & Procurator etiam generalis (vt præmittitur) per nos deputati, vsque ad Capitulũ generale de anno futuro 1574. Dominica tertia post festum Resurrectionis D. N. Iesv Christi, in loco opportuno iuxta prædicta regularia instituta celebrandum, Prælati vero conuentuales iuxta præmissum nostrum statutum iam electi, & postmodum eligendi vsque ad nouam electionem, & confirmationem in Capitulis conuentualibus de anno 1573. tempore congruo celebrandis faciendas, eorum officiis fungi possint, & valeant, atque omnino fungantur. Et si deinceps perpetuis futuris temporibus Capitulum generale de triennio in triennium celebretur, ac Prior generalis, Visitatores, & Procurator etiam generalis per triennium, Prælati vero conuentuales ipsius Congregationis per biennium eorum officia, cum honoribus, oneri-

Cõfirmat hoc idem Gregor. XIII. cit. in rub. vbi etiam omnia officia ad triennium extendit, & etiam Sixt. V. ibid. cit.

bus,

Digitized by Google

oneribus, facultatibus, & iurisdictionibus solitis, & consuetis, provt antea cum annalia erant, exerceant, & exercere possint, ac valeant.

Et si interim vacat, prouideatur vt hic.

§.14. Quodque si triennio, vel biennio huiusmodi durantibus, Prioris generalis, Visitatorum, Procuratoris etiam generalis, aut Prælatorum, seu Vicariorum conuentualium præfatorum, vel alicuius eorum officia per priuationem, dimissionem, vel obitum, aut alio quouis modo vacarent, Prælati conuentuales iuxta suprascriptum statutum, Prior vero generalis, Visitatores, & Procurator etiam generalis præfati, iuxta dictæ Congregationis regularia instituta eligantur, & eligi debeant.

Hoc nō seruari circumferur. Ideo vide cōst. Sixt. V. mox indicatam.

Administratio bonorū temporalium præscribitur.

§.15. Ac vt res, & bona temporalia Congregationis prædictæ, ipsiusque Monasteriorum, & locorum huiusmodi, non solum conseruentur, verum etiam augeantur, quòd in vnoquoque Conuentu tres probi Canonici per Prælatum conuentualem eligendi constituantur, quorum vnus Depositarius, alter Procurator, reliquus Oeconomus existat, ita vt Procurator pecunias omnes Monasterij capiat, easque deinceps Depositario tradat, & asseruandas committat. Depositarius vero illas in ærarium, siue arcam, ad hoc destinatam reponat, & Oeconomo, vbi opus fuerit, de expresso Prælati mandato præbeat. Oeconomus autem acceptas, vt præfertur, pecunias pro communibus Monasterij vsibus, ac necessitatibus, & provt Prælatus iusserit, fideliter eroget, ac expēdat. Dictaque arca duabus sit clauibus munita, quarum altera penes Prælatum, altera vero penes Depositarium custodiatur; arca vero vbi tutus apud Depositarium locus non existat, apud Prælatum tutiore in loco statuatur, & quam diligentissime asseruetur; præfatique Procurator, Depositarius, & Oeconomus vno quoque mense collatis inuicem ratiociniis Prælato, astantibus duobus aliis Monasterij discretis Canonicis, eligendis ab ipso Prælato, rationem pro suo quisque officio accurate reddere teneantur, sub pœna illis Prælati arbitrio imponenda, ipsis vero Prælatis priuationis officij sui, si id facere neglexerint, hac in perpetuum valitura lege statuimus & ordinamus, irritum & inane decernentes quicquid secus à quoquam quouis modo scienter, vel ignoranter attentari contigerit.

Contrariis derogat.

§.16. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Congregationis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Congregationi, illiusque superioribus, & personis in contrarium quomodolibet concessis, innouatis, & approbatis, quibus omnibus & singulis, illorum tenores, etiam si de illis specialis, specifica, ac de verbo ad verbum mentio habenda esset, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 6. die 6. Decēbr.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 7. Decemb. 1571. Pontificatus nostri anno sexto.

CXLII. Turcæ, qui in bello contra eos peracto, captiui sunt effecti, durante bello non dimittantur, neque distrahantur.

Adiuuantibus hoc bellum indulgentias elargitus est hic Pontif. inf. in const. 146. Cum nos. *Deoque auxiliante, victoriam Christiani reportarunt die 7. Octobris* 1571. *Ideo sub illa die, quotannis celebratur festum S. Mariæ de Victoria, sub inuotione Rosarij, vt videre est, infra in const.* 11. *Greg. XIII.* Monet.

Christianis autem apud Turcas in captiuitate repertis, hic Pontifex libertatem concessit infra in const. 149. *Licet omnibus.*

Edita An. D. 1572.

PIVS PAPA QVINTVS

Motu proprio, &c.

Hic Pont. cum Rege Hispan. & R. pub. Venet. bellū fecit

POstquam nuper inter nos, & Sedem Apostolicam, ac charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum Regem Catholicum, necnon dilectum filium nobilem virum Aloysium Mocenicum Venet. Ducem, & eius Reipub. dominium, inito fœdere, & classe communibus viribus comparata, dilecto filio nobili viro Io. ab Austria, eius generali Præfecto, & ductori, commissum fuit prælium omni posteritati commemorandum, initio illud quidem, quatenus poteramus nobis ab humanis viribus polliceri periculosissimum, ipso autem exitu fœlicissimum, hostibus maximam partem cæsis, fugatis, reliquis captiuis factis, (causam nimirum suam Domino Deo nostro iuuante, proque suo Israële pugnante,) perlatum fuit ad nos plerosque Christianorum, partim captiuos illos sibi ipsis retinuisse, partim vendidisse, alios donasse, nonnullos etiam pacta pecunia in spem redemptionis adduxisse.

contra Turcas & Victoriam reportarunt. & ex classe Turcarum captiui multi effecti sunt.

Ipse modo Pont. ex causis hic relatis.

§.1. Quod sane grauiter, vt debuimus, accepimus, ab ipsa enim superiorum temporum experientia edocti sumus, quanto semper hæc cum Christianorum damno facta fuerint; plerosque enim ipsorum captiuorum esse nauigandi peritissimos, ad classem adornandam, instruendam, ducendam, propter multam Maris tempestatum orarumque peritiam, atque ad bellandum vtilissimos, & si vnquam alias, certe hoc tempore ceteris suis similibus cæsis esse hostibus perneccessarios, ex quorum missione, vt magna decessio, cum etiam ab omni ratione, & iure belli alieniissimum sit, vt ipso bello durante mittantur illi qui possunt aliquando ipsis mittentibus bellum instaurare, & contra eos venire.

Prohibet captiuos huiusmodi relaxari durante bello.

§.2. Quod quidem malum, tametsi dilectum filium nobilem virum Ioannem ab Austria pro eius singulari prudentia præuidisse, eique prouidisse non dubitemus, tamen, vt ad eius cautionem Apostolicæ etiam auctoritatis robur accedat, præcipimus & mandamus omnibus, & singulis quocumque sint gradu, conditione, statu, nomine, honore, apud quos captiui aliqui ex classe Turcarum, vel nunc sunt, vel in posterum erunt, siue ipsi eos receperint, siue ab aliis emptione, donatione, permutatione, vel alia quacumque ratione acceperint, ne illos hoc fœdere, & bello durante, quocumque nomine, ratione, colore, mittere, alienare, liberare, fugere, atque abire permittere audeant, sed eos debeant omni cura, & diligentia custodire, & eorum numerum, nomina, patriam, parentes, ætatem, dignitatem, siue conditionem, & alias si quæ extant magis certæ, & particulares demonstrationes, nobis, aut nostris Nuntiis si ibi præsentes fuerint, si vero absentes, ipsarum Ciuitatum, & locorum in quibus dictos captiuos habentes reperiuntur, Rectoribus, Gubernatoribus, Iudicibus, Locatenentibus, aut alio nomine nuncupatis, in ipsa vero classe existentes, nostris aut nostrorum fœderatorum ductoribus, præfectis, iudicibus, quam primum à publicatione præsentium indicare. Illi autem quibus captiui prædicti fuerint indicati, debeant similiter eorum numerum, & ceteras omnes circumstantias supradictas, provt eas acceperint, nobis quanto citius significare.

Et contrauenientibus pœnas hic descriptas imponit.

§.3. Si qui vero ex prædictis contrauenerint; eos excommunicationis maioris latæ sententiæ, à qua nisi à nobis, ac successoribus nostris canonice intrantibus absolui nequeant, necnon amissionis omnium, & singulorum feudorum, dominiorum, & aliorum quorumcumque bonorum, tàm mobilium quàm immobilium; quo ad eos qui Ecclesiasticæ iurisdictionis fuerint, nobis, & Fisco nostro, qui vero aliarum ditionum suæ cuiusque ditionis Fisco applicandorum, & læsæ etiam Maiestatis criminis pœnas eo ipso incurrisse declaramus; sperantes etiam quod dicti nostri fœderati huiusmodi nostrum præceptum in suis quisque locis inuiolabiliter obseruari curabunt.

Executorum deputatio: & facultates.

§.4. Et propterea omnibus, & singulis locorum Ordinariis, illorumque Vicariis in spiritualibus generalibus, ac Gubernatoribus, Iudicibus, Locatenentibus, Barisellis, & aliis executoribus quarumcumque Ciuitatum, Oppidorum, terrarum, & locorum contra præcepti, & mandati nostri huiusmodi transgressores ad executionem pœnarum prædictarum irremissibiliter, etiam executiue, & sine figura iudicij, ac absque alio à nobis vel confœderatis nostris expectato mandato procedendi, plenam & liberam licentiam, auctoritatem, & facultatem concedimus, & impartimur.

Sola signa tura sufficit.

§.5. Volumus autem vt præsentis nostri Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio & extra, quacumque regula, seu constitutione Apostolica contraria non obstante.

Exemplorum fides.

§.6. Quodque illius exempla, etiam impressa edantur, eaque Notarij publici manu, & cuiuscumque Curiæ Ecclesiasticæ, aut Prælati sigillo obsignata, eamdem prorsus fidem vbique faciant, quam ipse præsens Motus proprius faceret si esset exhibitus vel ostensus.

Clausula derogatoria.

§.7. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis, & consuetudinibus, etiam confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis; ac etiam legibus, etiam Castrensibus, priuilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis, quibusuis Communitatibus, Vniuersitatibus, aliisque particularibus personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam Motu proprio, &c. & alias quomodolibet concessis, quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fiat Motu proprio. M.

D P. An. 6 21. Decemb.

Datum Romæ apud S. Petrum, 12. Kalend. Ianuarij, Anno 6.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1571. *Indict.* 4. *die vero* 22. *Decembr. Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno* 6. *supradicta litera affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis Principis Apostolorum de Vrbe, necnon in valuis Cancellariæ Apostolicæ, & acie Campi Flore, vt moris est, per nos Camillum Cherubinum, & Ioannem Sprengerium prælibati S. D. N. Papæ Cursores.*

CXLIII. Approbatio Congregationis Fratrum Ioannis Dei nuncupatæ, ad regimen Hospitalium pro curandis pauperibus infirmis nuper institutæ, sub Ordinariorum correctione, & Regula S. Augustini.

Reformauit istam Congregationem Clem. VIII. infra in const. 44. Romani. *Et quoad Sacerdotes nouam dispositionem edidit Paulus V. in eius const.* 36. Inter.

Hanc Congregationem Italiæ, Hospitalia Germaniæ, Galliæ, & Poloniæ comprehendentem, in veram Religionem sub tribus Votis substantialibus, & quarto de iuuandis Infirmis, ac sub Regula S. Augustini, erexit Paul. V. in const. 100. *Romanus.* inf. tom. 3. Eius constitutiones approbauit idem ibidem const. 103. *Ea quæ.* Iurisdictionemque Ordinariorum in eam præfiniuit idem Paul. in const. 113. *Romanus.* Priuilegia aliorum Ordinum & Clericorum ministrantium Infirmis communicauit Sanctiss. D. N. Vrban. VIII. const. 18. *Sacrosanctum.* inf. tom. 4. Qui etiam declarauit eorum præcedentiam cum Ordinibus Mendicatium in const. 76. *Commissi.* Et de fratribus Sacerdotibus, eorumque officiis alia decreuit in const. 84. *Circumspecta.* d. tom. 4.

Edita An. D. 1572.

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

LIcet ex debito Summi Pontificatus officij nobis desuper iniuncti, circa piorum locorum quorumlibet profectus nos deceat intentos existere, hospitalium tamen ac in eis degentium pro tempore miserabilium personarum commodo, vtilitati, & subuentioni, tanto nos potioribus studiis insistere conuenit, quanto ipsorum miserabili conditione pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Hospitalium quædã in Hispan. cõstructa sunt sub inuocatione Ioãnis Dei, pro infirmorũ pauperũ curatione. Et circa eleemosynarum collectionem impedimentũ præstabatur, Fratribus ipsa Hospitalia regentibus.

§.1. Exhibita siquidẽ nobis nuper pro parte dilecti filij Roderici Seguenza moderni Confratris maioris nuncupati, hospitalis Ioãnis Dei nuncupati ciuitatis Granaten. petitio continebat, quod licet in d. hospitali ipsius Ciuitatis, in qua adest Cancellaria Regia, & ad eam maximus extraneorũ numerus pro suis negotiis ibidem pertractandis affluere solet, & vnus Maior nuncupatus, & alij decẽ, vel octo confratres dicto Confratri maiori nuncupato, obedientiam præstantes reperiantur, qui in eleemosynis pro ipso hospitali, in quo diuersi Christi pauperes, vtpote incurabiles, senes, mente capti, & membris impotentes, ad numerum quadringentorum, & vltra ascendentes, continue suis infirmitatibus curantur, & aluntur, & pro quorum curatione & alimento, summam sexdecim millium ducatorũ & vltra, ex eleemosynis à piis Christifidelibus ipsis confratribus erogari solitis prouenientem, singulis annis exponitur quæritandis, ipsisque Christi pauperibus gubernandis sua charitate impendant opera, & in eodem Hospitali dictorum Christi pauperum numerus, propter bellum superiori anno in Regno Granaten. contra Mauros gestum, admodũ auctus existat, & eleemosynæ minus frequenter quam antea hodie fieri soleant, ipsique confratres maximo cum labore, & pro eorum cœpto opere minime retardentur, sed maximo cum feruore opus ipsum adeo laudabile assidue prosequantur. Nihilominus hominum malitia crescente, nonnulli laici, auaritia ducti, Deique timore postposito, habitu Capotto nuncupato panni vulgaritet Layal in illis partibus nuncupati, quo ipsi confratres indui solent, accepto, sub falso nomine, tam dicti quam ciuitatis Corduben. necnon de Madrid. Toletan. ac de Lucerna Oppidorum Corduben. respectiue diœcesibus hospitalium, ad instar dicti hospitalis Granaten. fundatorum, & in quibus similia charitatis opera, quę à confratribus dicti hospitalis Granaten. exerceri solent, eleemosynas quæritare, illasque in prauos & damnabiles eorum vsus conuertere ausi sunt, in maximum pauperum Christifidelium in eisdem Hospitalibus pro tempore existentium necessariæ subuentionis detrimentum.

Supplicat propterea huic Pontifici pro opportuna prouisione.

§.2. Cum autẽ, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Rodericus ad præmissa è medio facilius rollenda, sibi, aliisque tàm Granaten. quàm Corduben. & de Lucerna Oppidorum huiusmodi Hospitalium, aliorumque ad illorum instar de cetero erigendorum confratribus, nunc & pro tempore existentibus, scapularium eiusdem panni Layal nuncupati super veste, seu capotto per eos gestari solito, ad genua, vsque, vt ipsi ab omnibus Christifidelibus eis eleemosynas pro præmissis porrigendas, ab aliis ex eorum confratribus non existentibus, & sub falso nomine dictorum hospitalium, vel alicuius eorum eleemosynas dolose & malitiose petentibus, facilius internosci valeant, deferendi, necnon in quolibet ebrumdem hospitalium, & aliorum ad eorum instar erigendorum, inter eos confratrem vnum Sacerdotem similem habitum & scapularium qui missas, aliaque diuina officia ibidem celebrare, necnon sacramenta Ecclesiastica, tàm ipsis confratribus, quàm Christi pauperibus eisdem hospitalibus pro tempore existentibus ministrare, illosque in Dei mandatis pie obseruandis instruere & confortare debeat, habendi & retinendi, necnon eleemosynas pro eorumdem hospitalium Christi pauperum subuentione, non solum in Ciuitatibus & Oppidis, in quibus hospitalia ipsa consistunt, verum & etiam in toto districtu, diœcesi, & prouincia earum, de loci Ordinarij licentia, petendi & recipiendi licentiam & facultatem impetrari summopere desideret, nobis humiliter supplicari fecit, quatenus pio desiderio, ac dictorum Hospitalium, & Christi pauperum in eis, nunc & pro tempore existentium statui consulere, aliasque in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic ideo Pũt. eisdẽ Confratribus (dummodo sub reg. S. Augustini viuant) concedit habitum & facultatem colligẽdi eleemosynas pro Hospitalibus infirmorum.

Ad hæc vide etiã const. 44. Clem. VIII. Romani.

§.3. Nos qui Christi pauperum consolationem & subuentionem sinceris desideramus affectibus, volentes Rodericum ac confratres, in tam pio & laudabili proposito confouere, necnon eumdem Rodericum à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Roderico, ac omnibus & singulis aliis dictorum hospitalium, nunc & pro tempore existentibus confratribus, dummodo sub regulâ S. Augustini viuant, vt super eorum veste seu caporto per eos gestari solito, scapularium ad genus vsque eiusdem panni Layal nuncupati, continue deferre, necnon sacerdotem vnum in quolibet eorum hospitalium, qui confrater existat, simi-

Digitized by Google

similemque habitum eiusdem panni, maiorem tamen & latiorem, ac dignitate sacerdotali decentiorem, loci Ordinarij arbitrio pro prima vice designandum deferat, habere possit, necnon eleemosynas pro præfatis hospitalibus, eorumque Christi pauperibus, tàm in Ciuitatibus, & Oppidis, in quibus ipsa hospitalia, vt præfertur consistunt, quàm totis eorum districtibus, diœcesibus & prouinciis ab omnibus Christifidelibus petere & recipere, illasque in dictorum hospitalium, & eorum Christi pauperum vsus & subuentiones, conuertere debere & licite possint & valeant, licentiam & facultatem Apostolica auctoritate tenore præsentium, perpetuo concedimus & elargimur.

Ordinarierũ iurisdictioni, & correctioni suppo nit.

§.4. Necnon tàm ipsum Sacerdotem, quàm Maiorem nuncupatum, & alios confratres huiusmodi sub loci Ordinarij iurisdictione, correctione, visitatione, & obedientia, etiam perpetuo supponimus & subiicimus, ipsosque Maiorem, & alios confratres de eleemosynarum huiusmodi administratione singulis annis, in tempore eidem Ordinario bene viso, legale computum eidem Ordinario loci tantum, & nulli alteri reddere debere.

Hoc habetiã in d. const. Clem. VIII.

Habitum dimittere prohibet.

§.5. Necnon quod prædicti moderni & pro tempore existentes eorumdem hospitalium confratres, & postquam habitum prædictum susceperint, illum dimittere, minusve eum alicui exhibere, nisi de consensu omnium aliorum confratrum hospitalis, in quo habitum ipsum exhiberi contigerit, sub maioris excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrenda pœna, audeant vel præsumant, perpetuo statuimus & ordinamus.

Declarat Clem. VIII in d. eius const.

Ordinarius tãtum de Hospitalium regimine, rationem reddendam esse præcipit.

§.6. Necnon omnibus & singulis personis cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, præterquam locorum Ordinariis, ne quouis prætextu, in regimine, gubernio, aut administratione eorumdem hospitalium, aut aliorum ad ipsorum instar erigendorum, sub dicta pœna per contrauenientes, similiter ipso facto incurrenda, quomodolibet se intromittere audeant seu præsumant districtius inhibemus. Decernentes Maiorem nuncupatum, & alios hospitalium huiusmodi, nunc & pro tempore existentes confratres super libera administratione, gubernio, & regimine dictorum hospitalium, à quibusuis personis cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, etiam sub prætextu illorum, in toto vel parte fabricationum, etiam ex quocumque pio legato, vel alias quomodolibet factorum molestari, perturbari, vexari, aut inquietari nullatenus posse.

Clausulas præseruatiuas huic const. apponit.

§.7. Præsentesque literas nullo vmquam tempore, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrę, vel quopiã alio defectu notari, impugnari, vel inualidari, aut in ius vel controuersiam quacumque ratione vel causa vocari, aut ad terminos iuris reduci, vel quoduis aliud iuris, seu gratiæ remedium, contra illa impetrari posse, causamque vel causas propter quas præsentes ipsæ à nobis emanarunt coram loci Ordinario, aut quocumque alio Iudice, etiam delegato, ac facultate quacumque fungente, verificare non debere, nec ob id viribus carere, aut per obreptionem obtentas, nec minus dictum Rodericum ad verificandum præmissa teneri, minusque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum, tàm per nos, quàm Romanos Pontifices successores nostros quomodolibet, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis pro tempore factis quoruncumque tenorum existant includi, sed illis non obstantibus in suis robore vigere, & efficacia persistere, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restituras, & plenarie reintegratas, & sub dat. per dictum Rodericum, & pro tempore existentem, Maiorem nuncupatum confratrem d. Hospitalis Granaten. eligenda, de nouo concessas esse, & ita incommutabilis voluntatis & intentionis nostræ esse. Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet quauis alia iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Exemptorum deputat.

§.8. Quocirca Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Granaten. ac Amerin. & Corduben. Episcopis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte d. Roderici, seu Maioris nuncupati pro tempore existentis ipsius Hospitalis Granaten. Confratres fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra prædicta, Rodericum & pro tempore existentem Maiorem nuncupatum, aliosque Confratres prædictos, præmissis omnibus & singulis, inxta præsentium continentiam & tenorem pacifice frui & gaudere, non permittentes eos, seu eorum quemlibet, à quoquam quomodolibet indebite molestari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet & rebelles, ac præmissis non parentes, per censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo; ac legitimis super his habendis seruatis processibus, illos censuras & pœnas ipsas incurrisse declarando, necnon eas etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Contrariis omnibus derogat.

§.9. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præsentium, vltra tres dietas ad iudicium non trahatur, ac aliis quibusuis Apostolicis, necnon in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus & ordinationibus, ac statutis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboraris, statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibusuis Ordinibus & locis, illorumque superioribus ac personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eisdem præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1572. Kal. Ianuarij, Pontificatus nostri Anno 6.

D. P. An 6. die 1. Ianu.

CXLIV.

Iurisdictio & facultates S.R.E. Cardinalis, Protectoris & Iudicis causarum Confraternitatis Annunciationis B. Mariæ Virginis, in Ecclesia supra Mineruam de Vrbe dudum institutæ, ad miserabilibus puellis dotes elargiendas, pupillosque & egenos subleuandos.

Quoad Confraternitatis Indulgentias attende in Pauli V. const. mox edenda, *quam iam vide firmatam sub die 6. August.* 1608.

Edita A. D.

PIVS PAPA QVINTVS

Motu proprio, &c.

Causa huius const.

CVm sicut accepimus, Confraternitas, seu Societas sub inuocatione Annunciationis B. Mariæ Virginis, in Ecclesia domus eiusdem B. Mariæ supra Mineruam de Vrbe, eiusque Priores, Custodes, Officiales & Confratres, ob lites, quæstiones, controuersias ciuiles, criminales, prophanas, spirituales, metas & mixtas infra Confraternitatem seu Societatem, eiusque Priores, Administratores, Gubernatores, ac Deputatos huiusmodi, per diuersa Vrbis Tribunalia litigare, occasione locationum, censuum, donationum, hæreditatum, legatorum, dotium, & diuersarum aliarum rerum eiusdem, tàm agendo

Digitized by Google

quàm defendendo pro ipſius Confraternitatis ſeu Societatis iuribus defendendis; iugiter implicita exiſtat, ex quo ſæpiſſime quamplurima damna & intereſſe patiatur, ac impenſa litis valorem tei, de qua ex tempore agitur, ſæpenumero exuperet.

Confraternit. piorum operã enarratio.

§.1. Nos Confraternitatem ſeu Societatem prædictam, in qua piiſſima charitatis & miſericordiæ opera, tàm pauperibus & miſerabilibus puellis annuatim dotes elargiendo, quàm aliis pupillis, viduis, & egenis ſubleuandis, Miſſiſque & aliis diuinis officiis in ſua Capella ibi fundata dictim celebrandis, in diuini numinis obſequium, Sanctæque Matris Eccleſiæ exaltationem exercere noſcuntur, quantum cum Deo poſſumus ſubleuare volentes.

Iuriſdictio Iudicis d. Confratern. cognoſcendi omnes eius cauſas, cũ facultate.

§.2. Motu ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Venerabili fratri noſtro Alexãdro Epiſcopo Tuſculano Cardinali de Farneſio nũcupato, S.R.E. Vicecancellario, nunc & pro tempore Confraternitatis ſeu Societatis huiuſmodi exiſtenti Protectori, omnes & ſingulas cauſas, quæſtiones, lites, & cõtrouerſias, inter dictam Confraternitatem ſeu Societatem, ſiue eiuſdem dilectos filios Priores, Cuſtodes, Officiales, & Miniſtros, & quaſcumque alias perſonas cuiuſcumque gradus, ordinis, dignitatis, conditionis, & præeminentiæ exiſtentes, etiam Cardinalatus dignitate fulgentes, Vniuerſitates, Societates, Congregationes, Monaſteria, aut alia loca pia huiuſmodi, etiam ſi coram S.R.E. Camerario, Clericis, & Præſidentibus Cameræ Apoſtolicæ, & eiuſdem Cameræ cauſarum Auditore generali, necnon Vicario, Gubernatore ac Senatore Vrbis prædictæ, illorumque Locatenentibus, Collateralibus, & Iudicibus, ac dictæ Vrbis cauſarum appellationum Capitaneo, & ſacri Palatij etiam cauſarum Auditoribus, & eiuſdem S. R. E. Cardinalibus, aliiſque Iudicibus Ordinariis ſeu delegatis hucuſque motas, pendentes, & quomodolibet mouendas, de & ſuper quibuſcumque location. vendition. legatis, fideicommiſſis, teſtamentis, hæreditatibus, ac illarum diſcuſſionibus, atque quorumcumque iurium & actionum ceſſionibus, aliiſque inter viuos contractibus, etiam vigore obligationis in forma Cameræ, executionibus, reuocationibus, bonis, rebuſque, iuribus & actionibus, ad Confraternitatem ſeu Societatem præfatam, eiuſque Priores, Cuſtodes, Gubernatores, Adminiſtratores, Officiales, & deputatos Miniſtros, eorumque litis conſortes, tàm coniunctim quàm diuiſim, ac tàm paſſiue quàm actiue concernentibus, ſpectantibus, & pertinentibus, ad Confraternitatem, ſeu Societatem ipſam, in quacumque inſtantia, quorum omnium & ſingulorum ſtatum & merita, necnon iudicum & collitigantium nomina & cognomina, ac qualitates, ceteraque etiam de neceſſitate exprimenda, pro expreſſis habentes, in ſtatu & terminis in quibus nunc reperiuntur, harum ſerie ad nos aduocantes, illaſque omnes & ſingulas, motas & pendentes, ac quam & quas Confraternitas ſeu Societas, Priores, Gubernatores, Officiales, Adminiſtratores, & Deputati, necnon pauperes puellæ, ac pupilli, & viduæ ibi degentes, ac illæ quæ nuptui traditæ ſunt, & pro tempore fuerint, habere volent, contra eaſdem perſonas, Vniuerſitates, Monaſteria, & alia huiuſmodi pia loca, pro rebus, bonis, hæreditatibus, iuribus, actionibus, & dotibus huiuſmodi, nunc & pro tempore Confraternitatis ſeu Societatis prædictorum exiſtenti Protectori, vna cum illarum emergentibus, dependentibus, incidentibus, annexis & connexis, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, & ſola facti veritate inſpecta, ac ſine ſtrepitu & figura iudicij, per ſeipſum, ſeu alios à ſe deputan. in quacumque inſtantia, vſque ad finem audien. cognoſcen. & fine debito terminan. auctoritate Apoſtolica tenore præſentium committimus & mandamus. Ipſumque Protectorem nunc & pro tempore exiſten. in dictis cauſis motis penden. ac in futurum mouendis, in Iudicem ordinarium, cum facultate eaſdem cauſas, in quacumque inſtantia, vſque ad finem, per ſeipſum, ſeu alium vel alios eius Auditores illas cognoſcen. & deciden. & terminan. & aliis facultatibus prædictis facimus, conſtituimus, & deputamus.

In curia & extra citandi & inhibendi.

§.3. Necnon cum poteſtate citandi & inhibendi, quos, quibus, & quoties opus fuerit, in curia & extra eam, etiam ſi per edictum publicum, conſtito etiam ſummarie, de non tuto acceſſu, eiſdemque ac quibuſuis aliis eiuſdem Vrbis Iudicibus ac perſonis, tàm Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, quibus & quoties opus fuerit, etiam ſub ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis & pecuniariis, quibus ſibi, ſeu ab eo pro tempore deputando Auditori, videbitur inhiben.

Inobedientes coërcendi.

§.4. Et in euentum non paritionis contra inobedientes, contumaces & rebelles, ad declarationem incurſus cenſurarum & pœnarum huiuſmodi, illarumque aggrauationes, & reaggrauationes, ac alias iuxta morem & ſtylum curiarum Vrbis in ſimilibus ſeruari ſolitum, & provt ſibi videbitur procedendi.

Sententias ſuas exequẽdi, &c

§.5. Sententiaſque ſuas debitæ executioni demandandi, ſiue demandari faciendi, auxiliumque brachij ſæcularis ad hoc ſi opus fuerit inuocandi, omniaque alia & ſingula, in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria & opportuna facien. geren. & exequen.

Singulis diebus & horis procedendi.

§ 6. Ac in omnibus & ſingulis cauſis prædictis ad dictam Confraternitatem, ſeu Societatem, vt præmittitur, ſpectan. ſingulis diebus & horis, feriatis, non feriatis, præterquam in honorem Dei, etiam tempore feriarum, ob neceſſitatem hominum indictarum ſeu indicendarum procedere.

Notarium deputandi.

§.7. Ac quemcumque Notarium ſibi beneuiſum, in cauſis huiuſmodi deputan.

Per quoſcumque Mandatarios & executores citãdi & exequendi.

§.8. Volumus etiam, quod citationes, monitiones, & intimationes, quæ in dictis cauſis fieri opportuerit, etiam per curiæ Capitolij, & quoſcumque alios Mandatarios fieri poſſint. Et quicumque executores Vrbis poſſint & debeant effectualiter executioni demandare omnes & ſingulas ſententias, decreta, & mandata præfati Cardinalis Protectoris, ſiue ab eo deputatorum; quæ non obſtanta regula Cancellariæ ſub eius paruo ſigillo expediri poſſint.

Priuatiue quo ad alios Iudices.

§.9. Ac inſuper Confraternitatem ſeu Societatem prædictã, eiuſque Priores, Adminiſtratores, Gubernatores, & Deputatos huiuſmodi, ex nunc deinceps occaſione præmiſſorum, alibi quam coram præfato Cardinali Protectore conuenire, aut ad alios conuenien. conſtringi non poſſe; ac proceſſus, ſententias & decreta, per alium ſeu alios, tàm ordinarios quàm delegatos Iudices, in cauſis prædictis quomodolibet pro tempore formatos, lat. & fact. cum inde ſecutis quibuſcumque, nulla, irrita, & inania, nulliuſque roboris vel momenti fore.

Clauſula preſeruatiua.

§.10. Præſentemque cedulam ſub quibuſuis reuocationibus, ſuſpenſionibus & exemptionibus, limitationibus, ſeu reuocationibus, ſimilium vel diſſimilium conceſſionum & gratiarum, etiam per nos & ſucceſſores noſtros. Romanos Pontifices, & Sedem prædictam, vel eius Legatos, etiam per regulas Cancellariæ Apoſtolicæ pro tempore factas, nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis penitus & omnino exceptas, & quoties illæ emanabunt, præſentem cedulam in priſtinum robur reſtitutam eſſe, & cenſeri debere, nec eidem cedulæ, per quaſcumque literas, & quaſuis clauſulas generales vel ſpeciales, etiam derogatoriarum derogatorias, irritantiaque & alia decreta, ſub quacumque verborum expreſſione continentes, derogari poſſe, etiam ſi illi, vllo vmquam tempore, ex aliqua, etiam quantumuis neceſſaria & vrgenti cauſa derogari contingat, niſi tenor cedulæ de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo inſertus, & huiuſmodi derogatio per trinas diſtinctas literas eumdem tenorem continentes, tribus ſimilibus diſtinctis vicibus, Adminiſtratoribus, Prioribus, Gubernatoribus, Deputatis, & Confratribus huiuſmodi, omnibus & ſingulis legitime intimata & inſinuata fuerit, eorumque expreſſus ad id acceſſerit aſſenſus, derogationem huiuſmodi nemini ſuffragari, & nullius eſſe roboris vel valoris.

Clauſula ſublata.

§.11. Et ſic per quoſcumque Iudices, quauis auctoritate fungentes etiam præfatæ Eccleſiæ Cardinales, & cauſarum palatij Apoſtolici Auditores, ſublata &c. ac irritum &c. iudicari & definiri debere.

Clauſula derogatoria.

§.12. Non obſtan. fel. record. Bonifacij Papæ VIII. pcædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis vigore præſentium ad iudicium non trahatur, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac Hoſpitalium,

Eccleſia

Digitized by Google

Ecclesiarum,Monasteriorum,& aliorum quorumcumque piorum locorum & Ordinum iuramento roboratis,statutis & consuetudinibus ; priuilegiis quoque , indultis, conseruatoriis, exemptionibus,& literis Apostolicis eisdem, ac dilectis filiis Populo Romano,necnon Iudicibus, Curiis, & Tribunalibus,eorumque personis per quoscũque etiam Rom. Pont prædecessores nostros , & nos ac dictem Sedem,etiau motu & scientia similibus,concessis, approbatis,& innouatis,etiam disponentibus quod causæ huiusmodi, ad forum , seu Curiam Capitolij reassumi debeant;quibus omnibus & singulis,etiam si pro illorum sufficienti derogatione, alias, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua , ac de verbo ad verbũ nihil penitus omisso,& forma in illis tradita obseruata, inserti forent,præsentibus pro sufficienter expressis habentes,illis alias in suo robore permansuris,hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque ; aut si prædictis , vel quibusvis aliis communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici , suspendi , vel excommunicari, aut extra, vel vltra certa loca, Curias, & Tribunalia , ad iudicium trahi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem , & quibuslibet aliis priuilegiis , & indultis Apostolicis , generalibus vel specialibus , quorumcumque tenorum existant , per quæ præsentibus non expressa, aut totaliter non inserta iurisdictionis ipsius Protectoris explicatio impediri valeat quomodolibet , vel differri , & de quibus , quorumque totis tenoribus specialis , specifica & expressa, ac de verbo ad verbum , non autem per clausulas generales idem importantes mentio , seu quæuis alia expressio habenda sit in præsentibus literis mentio specialis.

Sola signatura sufficit.

§. 13. Volumus autem præsentium solam signaturam sufficere , & vbique fidem facere, in iudicio & extra, regula contraria non obstante.

Transumptorum fides.

§. 14. Et earumdem transumptis etiam impressis,manu Notarij publici subscriptis , & sigillo Protectoris seu Confraternitatis,seu Societatis huiusmodi munitis,eamdem prorsus fidem adhiberi , quæ adhiberetur præsentibus manu nostra subscriptis, ac etiam literas ad partem expediri posse.

Papa subscr.

Placet Motu proprio. M.

CXLV. Prohibitio deferendi pugiones, cultellos, & aliud genus armorum breuioris mensuræ trium palmorum, in Statu Ecclesiastico.

Edita A. D. 1572.

PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio , &c.

Exordium.

CVm vices eius licet immeriti geramus in terris , qui de cœlo ad ima descendens , pro salute humani generis seipsum ad crucis patibulum obtulit , omni quo possumus studio inuigilare debemus , vt omnis prorsus occasio homicidia tamquam in eiusdem humani generis perniciem tendentia committendi quantum in nobis est, submoueatur.

Pius IV. prohibuit delationem & retentionem Archibusettorum breuioris mẽsura duorum palmorũ, vt in eius const. Cum vices.

§. 1. Et quia experientia cognouimus quamplura ex armis breuioribus, quæ occultè deferri possint, & ad necem inferendam aptiora,& fere ineuitabilia esse videntur, in dies committi & perpetrari , in hærentes vestigiis fel. mem. Pij papæ Quarti prædecessoris nostri , qui volens proditorium , & abominabile , & detestandum armorum genus huiusmodi penitus & omnino destruere & ab Alma Vrbe, aliisque terris status nostri Ecclesiastici in totum eliminare, Motu suo proprio,& in perpetuum valitura constitutione sanciuit, nemini cuiuscumque dignitatis, gradus,ordinis , conditionis , aut præeminentiæ licere tormenta ignea , archibusetta vulgariter nuncupata breuioris mensuræ duorum palmorum, modo & forma & sub grauissimis pœnis , etiam quæ pro crimine læsæ maiestatis à iure inflictæ sunt,& prout latius in dicta constitutione editæ pridie nonas Martij , Anno Incarnationis D.1561.quam & eius totum tenorem hic pro inserto haberi volumus,continetur.

Hic Pont. extendit eamdẽ const. ad pugiones, cultellos, &c. breuioris mensuræ trium palmorum; & easdem pœnas imponit.

§. 2. Nos proterea attententes,quod eadem ratio militat etiam in aliis armis, veluti pugionibus , & aliis armorum generibus, quæ occulte deferri possunt, cupientes quod metu eiusdem pœnæ à similium armorum delatione, & eorum vsu quilibet abstineat, Motu nostro proprio & ex certa nostra scientia, & potestatis plenitudine, dictæ constitutioni fel. mem. Pij Papæ IV. prædecessoris nostri addentes,hac nostra in perpetuum valitura constitutione sancimus, nemini cuiuscumque dignitatis gradus, ordinis, conditionis,aut præeminentiæ existat,licere pugiones , cultellos , nec aliud quoduis genus armorum breuioris mensuræ trium palmorum(exceptis tamen cultellis aptis ad incidendum panem,qui tamen esse non possint maioris longitudinis vnius palmi , & sine cuspide, & vt vulgo dicitur spontati) in Vrbe nostra , Ciuitatibus & locis Status nostri Ecclesiastici , & suburbiis quouis modo, aut etiam quouis militiæ, aut executionis iustitiæ prætextu deferre. Qui vero contrafecerint , dictumque genus armorum detulerint , pœnas in constitutione prædicta expressas incurrant.

Inhibet Officialibus ne desuper licentias concedant.

§. 3. Inhibentes prout tenore præsentium inhibemus, omnibus & singulis , etiam de latere nostro Legatis , ne sub indignationis nostræ & quibuscumque Vicelegatis, Gubernatoribus, Rectoribus, Præsidentibus , ac aliis ministris, & Sedis Apost.seu ciuitatum , & terrarum præfatarum Officialibus, ne sub suspensionis à diuinis , ac excommunicationis latæ sententiæ , aliisque arbitrio nostro pœnis cuiquam tale genus armorum sub quouis colore deferendi , licentiam & facultatem ad quodcumque etiam breuissimum tempus concedere audeant vel præsumant.

Licentias autem dandas annullat.

§. 4. Decernentes nihilominus licentias, ac facultates, sic concedendas, nullas penitus & inualidas existere , ac illis non obstantibus, eos qui sub illarum clypeo dictum genus armorum detulerint , pœnam præfatam omnino incursuros ; illosque irremissibiliter puniendos fore , & contra omnes & singulos huic nostræ constitutioni contrauenientes, ad Fisci nostri instantiam , & etiam ex officio procedi & inquiri posse, ac ad pœnarum præfatarum executionem deueniri omnino debere.

Iussio publicandi.

§. 5. Vt autem præmissa ad omnium notitiam deducantur, nec aliquis prætextu ignorantiæ excusari possit, volumus quod præsentes nostræ per aliquos nostros Curiæ nostræ Cursores ad Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Ecclesiæ Lateranensis , necnon Cancell. Apost. valuas , ac in acie Campi Floræ , affigantur & publicentur.

Fides transumptorum.

§. 6. Quodque earum trãsumptis manu Notarij publici, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis,certa & indubitata fides adhibeatur,prout ipsis literis originalibus adhiberetur , si forent exhibitæ vel ostensæ.Et transumpta huiusmodi Legati,Vicelegati, Rectores, vel Præsidentes, aut Gubernatores,seu alij superiores Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum , Oppidorum , locorum prædictorum per publicum præconem publicari , & valuis cathedralis seu matricis Ecclesiæ loci , ac Palatij eorum residentiæ affigi faciant, publicationemque & affixionem præfatas lapsis viginti diebus perinde omnes arctare, ac si personaliter intimatæ forent.

Clauſ. derog.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ; priuilegiis quoque , & indultis quibuscumque personis forsan concessis & innouatis, assertis consuetudinibus , quas siquæ forent per præsentes improbamus , nullasque & inualidas esse declaramus, & quæ omnia , illorum tenores pro sufficienter expressis habentes reuocamus & annullamus , nullaque & irrita esse decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum , &c.

Placet Motu proprio. M.

Papa subscr. D. P. An. 7. 12. Febr. Publicatio.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, pridie idus Febr. anno 7.

Anno à Natiuitate Dom. 1572. Indictione 15. die vero 13. mensis Februarij , Pontificatus Sanctissimi D. N. D. Pij Papæ V. anno 7. retroscripta litera Apostolica affixa, & publicata fuerunt Romæ in locis retroscriptis , per me Petrum Paulum de Matthæis Sancti Domini N. Papæ Curs.

Philibertus Mag. Curs.

Digitized by Google

CXLVI. Indulgentiæ & gratiæ pro adiuuantibus bellum contra Turcas.

Similes indulgentiarum & gratiarum conceſſiones, adiuuantibus eiuſmodi bellum pro recuperatione Sanctæ dederunt Innoc. III. & alij Pontt. à me indicati ſupra in ipſius Innoc. conſt. 12. Ad liberandam. *Et de hoc bello habes etiam hic ſupra conſt.* 142. *& infra conſt.* 149.

Edita An. D. 1572.

PIVS PAPA QVINTVS,

Vniuerſis & ſingulis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Hic Pont. fœdus contraxit cum Rege Hiſpaniarũ, & Venetis, contra Turcas, & victoriam reportauit.

CVm nos pro paſtoralis officij diuinitus nobis iniuncti, cura ac ſolicitudine diuino auxilio adiuti pro vniuerſæ Chriſtianæ Reipub. bono ac tutela, cum cariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Hiſpaniarum Rege Catholico, ac dilectis filiis nobile viro Duce, & Senatu Venetorum, aduerſus perfidiſſimum, importuniſſimumque Turcarum tyrannum efferata rabie cuncta Chriſtianæ ditionis regna, prouincias, & alia loca incendiis, ferro, cædibus expugnantem, atque vaſtantem, non minus ſalutare quàm neceſſarium fœdus iniuerimus, iamque admirabili Dei clementia, & beneficio nauale m glorioſiſſimamque victoriam feliciſſime conſecuti fuerimus, modoque à nobis Principibus fœderatis copiæ, tàm maritimæ quàm terreſtres, vt cœptam contra teterrimum hoſtem expeditionem monſtrante Deo, perſequamur, ſummis viribus, ſummo ſtudio, ſumma diligentia comparentur atque inſtruantur.

Et modo pro feliciori proſecutione hortatur omnes, vt hoc bellum perſonis vel facultatibus adiuuent.

§. 1. Attamen conſiderantes immanem Turcarum potentiam, infinitamque multitudinem, qua potiſſimum res Chriſtianorum omni tempore miſerabiliter perculiſſe, atque afflixiſſe non ignoramus, magnopere idoneum & opportunum eſſe cenſemus, ſi Chriſtiani maiori quo fieri poterit militum numero, bellicoque apparatu contra hoſtilem ferociam inſurgere conabuntur, ſic enim facilius ſperandum eſt felicia noſtra cœpta, adiuuante Domino fore in dies feliciora, atque optatum exitum graui cum hoſtium formidine, ac pernicie habitura. Itaque decreuimus omnes & ſingulos fideles ad piiſſimum iuſtiſſimumque bellum, vbi de Ieſu Chriſti Domini, & Saluatoris noſtri cauſa, & gloria, Chriſtianique nominis ſalute, (ſicut omnes aperte vident) in primis agitur monere, requirere, & enixe hortari, prout monemus, requirimus, & hortamur per præſentes, vt vnuſquiſque ſanctiſſimum hoc bellum, vel perſonis, vel facultatibus adiuuare velit. Negabit enim ſeruus Domino opes temporales largiter exhibere, cum Dominus ſeruum viuere faciat, & habere ipſique demum diuitias largiatur æternas; & ſi Deus ſubiit mortem pro homine, dubitabit homo mortem ſubire pro Deo? Quod vt eo libentius & alacrius cuncti facere ſtudeant, quo ex hoc ſpiritualibus muneribus, & temporalibus quoque gratiis à nobis ſe refectos pariter & munitos eſſe cognouerint, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi, ex illa quam nobis Deus licet indignis ligandi & ſoluendi contulit, poteſtate, omnibus qui ad ſubueniendum huic ſacro bello in perſonis propriis & expenſis ſeſe contulerint. Necnon eis, qui non in perſonis propriis illuc acceſſerint, ſed ſuis tantum expenſis iuxta facultatem & qualitatem ſuam viros idoneos deſtinauerint, donec milites noſtri ibi fuerint, commoraturos. Et illis ſimiliter, qui licet alienis expenſis, propriis tamen perſonis belli laborem & pericula ſuſtinuerint. Ac demum eis, qui de bonis ſibi à Deo collatis congruam ad id portionem benigne eroganerint, pleniſſimam & ampliſſimam omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, & eamdemmet, quam Rom. Pont. prædeceſſores noſtri Crucefignatis proficiſcentibus ad ſubſidium Terræ Sanctæ concedere ſoliti fuerunt, veniam, remiſſionem, & abſolutionem tenore præſentium indulgemus & elargimur. Bona inſuper proficiſcentium ad bellum huiuſmodi, ex quo profecti fuerint, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, necnon vt talia ſub Archiepiſcoporum, & omnium Prælatorum Eccleſiæ Dei tutela conſiſtant, & nullam de iis, quæ dum fuerint in dicto bello quiete poſſident, ſuſtineant quæſtionem, ſed integra maneant & quieta.

Plenißimamque peccatorũ indulgentiam eis concedit, &c.

Tu vide indulta Crucefignatorum in bulla Innoc. III cit. in rub.

Superſeſſoria quæ aliã concedit in eorũ cauſis.

§. 2. Quinimmo in quibuſuis eorum cauſis & litibus à Iudicibus, coram quibus verſantur, omnino ſuperſederi debere donec de eorum obitu vel reditu certiſſime cognoſcatur, ſtatuimus & mandamus,

Et ab vſurarum ſolutione liberat.

§. 3. Ad vſuras quoque ſi iuramento teneantur alicui, non cogantur, verum abſoluti maneant & quieti. Quod ſi quiſquam contra attentare præſumpſerit, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcatur. Si quis autem creditorum contra tenorem præſentium ipſos ad ſolutionem coegerit vſurarum, cum ad illarum reſtitutionem appellatione etiam remota ſimili cenſura compelli volumus. Iudæos vero ad remittendas ipſis, vt præfertur, vſuras etiam per Principes, & ſæcularem compelli præcipimus poteſtatem, & donec eis remiſerint, tàm in mercimoniis quàm aliis rebus & commerciis, ſub excommunicationis ſententia per Ordinarios promulganda, vniuerſis Chriſtifidelibus iubemus communionem omnimodam ipſis Hebræis denegari.

Iuſſio publicandi hanc bullam.

§. 4. Mandantes quibuſcumque locorum Ordinariis in virtute ſanctæ obedientiæ, vt ſtatim præſentes literas vel earum tranſumpta per ſuas quiſque diœceſes publicari, & etiam per Prædicatores ad populi notitiam abſque vllo quæſtu deuenire quamprimum curent & faciant.

Clauſ. derog.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Exemplorum fides.

§. 6. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur originalibus literis, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

D.P. A. 7. 12. Martij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 12. Martij 1572. Pont. noſtri anno 7.

CXLVII. Contra ſcribentes, dictantes, retinentes, tranſmittentes, & non lacerantes libellos famoſos, & literas nuncupatas de Auiſi, continentes alicuius famæ læſionem, futurorumque ſucceſſuum, & eorum quæ pro regimine Status Eccleſiaſtici ſecreto tractantur reuelationem.

Conſonat Gregor. XIII. conſt. 4. Ea eſt rerum.

PIVS PAPA QVINTVS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1572.

ROmani Pontificis prouidentia circumſpecta, ad ea ſolitudinis ſuæ partes potiſſimum conuertit, per quæ inter ſingulos gregis eiuſdem fideles, præſertim vero nobis, & Romanæ Eccleſiæ ſubditos, pax, & concordia confouentur, ſeditiones euitantur, ſcandalis obuiatur, & animarum ſalus procuratur.

Exordium.

§. 1. Cum itaque iracundia ſit perturbatio immanis, affectione dura, violenta potentia, cædium cauſa, calamitatis ſocia iacturam cũcilians & dedecus, pecuniarũ, pernicies atque perditionis origo, eaque potiſſimũ ex iniuriis, verbo, vel ſcripris, vel facto illatis naſcatur. Nos qui non ſine maxima mentis noſtræ perturbatione ſæpe numero accepimus, quod licet tàm per factas leges quàm canonicas ſanctiones, ſub certis etiam grauiſſimis pœnis prohibitum fuerit, ne quis famoſum libellum componere audeat & repertum ſiue domi, ſiue in publico, vel in quocumque loco, aut corrumpere, vel igne conſumere teneatur prius quam alter inueniat, & nulli fateatur inuentum, & qui ſecus fecerit quaſi auctor huiuſmodi delicti eiſdem pœnis ſubiaceat. Nihilominus conſiderantes, quod in dies creſcente malitia, quamplures iniquitatis filij, perditionis alumni, & pœnas prædictas paruipendentes, eaſque variis fraudibus euitare ſatagentes, auſu temerario non erubeſcunt variis modis nonnullos Principes, Prælatos, nobiles, publicas & priuatas perſonas variis iniuriis & conuitiis afficere, eorumque famæ & honori

Imperatores l. 1. C. de libel. fam impoſuerat pœnam Capitis componentibus libellos famoſos, & ſacri Canones eoſdem flagellari & excõmunicari decreuerunt. vt in cauſa v. q. 1. per tot.

Digitized by Google

honori detrahere, ſub quodam ficto colore quarumdam literarum incerto ſauctore ſcriptarum, nedum ab Vrbe noſtra, ſed etiam ex diuerſis prouinciis, in quibus nedum ea quæ in vnaquaque regione ſucceſſerunt narrantur, ſed ea etiam quæ in futurum quodam eorum temerario iudicio fore opinantur, adeo vt plerumque odia, inimicitiæ, ſeditiones, rixæ, & homicidia permulta oriantur in diuinæ maieſtatis offenſam, animarum periculum, & pernicioſum quoque exemplum, & ſcandalum plurimorum.

Et hic Pont. eaſdem pœnas confirmat, & extendit ad ſcribãtes &c. literas, nuncupatas d'Auiſi. Aliaſque pœnas hic expreſſas impoſuit.

§. 2. Volentes præmiſſis quantum poſſumus obuiare, conſiderantes attentius quod plures pœnarum grauitas, quam Dei timor arcere ſolet à voluntate delinquendi, & propterea tanto periculo occurrere volentes, at tam nefarios præſumptores, & facinoroſos homines, atrocibus pœnis torpeſcere, vt metus pœnæ meta huiuſmodi præſumptionis exiſtat: huius perpetuæ & irrefragabilis conſtitutionis edicto, pœnas omnes, tàm temporales quàm Eccleſiaſticas in talia præſumentes per ſacras leges, & canonicas ſanctiones latas & promulgatas, auctoritate Apoſtolica approbantes & innouantes, ac ad omnes & ſingulos prædictos, qui forſan ſub illis comprehenſi nõ eſſent, extendentes & ampliantes, ſtatuimus & ordinamus quod deinceps perpetuis futuris temporibus nemo cuiuſuis qualitatis, dignitatis, etiam Eccleſiaſticæ, ſtatus gradus, ordinis, & præeminentiæ fuerit, audeat nec præſumat libellos famoſos, nec literas monitorum vulgo appellatas, Lettere d'Auiſi, continentes conuicia, iniurias, vel famæ & honoris alicuius læſionem, nec aliquam ſcripturam in qua de futuris ſucceſſibus differatur, vel ea quæ coram nobis vel aliis ad vniuerſalis Eccleſiæ ſtatus regimen deputatis ſecreto tractantur, reuelentur, componere, dictare, ſcribere, exemplari, retinere, nec ad aliquem tranſmittere, etiam ſi aliunde ab aliis prouinciis, ciuitatibus, terris & locis ad eorum manus peruenerint, ſed ſtatim quod aliqui ſimiles libelli, literæ, ſiue ſcripturæ, alicui delatæ fuerint, ſtatim quod illos, ſeu illas habuerit, antequam vim earum manifeſtauerit, corrumpere, ſeu igni tradere, vel dilecto filio noſtro Card. Ruſticuccio cõſignare teneatur, ſub pœnis prædictis quas hic pro expreſſis haberi volumus, ac aliis etiam grauioribus, etiam vltimi ſupplicij, & confiſcationis bonorum, ſecundum qualitatem facti, & perſonarum, arbitrio noſtro irremiſſibiliter infligendis, quibus pœnis etiam eos ligari volumus, qui in huiuſmodi libellis, literis, ſeu ſcripturis de aliquo oblocuti fuerint, alicuiuſque famæ & honori, vera etiam exprimendo, detraxerint, ac ea quæ coram nobis vel aliis vt ſupra, ſecreto tractantur, reuelauerint; ex hoc equidem animus deprehenditur prauus, iniuriandi & nocendi, atque ideo eos eadem pœna teneri conuenit.

Clauſula præſeruatiua.

§. 3. Necnon præſentes, & deſuper conficiendas forſan literas perpetuis futuris temporibus durare, ac omnes & ſingulos à data præſentium irremiſſibiliter ligari volumus illaſque nullo vmquam tempore, de ſubreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ vel quopiam alio defectu notari, aut ſub quibuſuis reuocationibus, & derogationibus comprehendi nullatenus poſſe.

Decretum irritans.

§. 4. Sicque per quoſcumque Iudices, &c. etiam cauſarum palatij Apoſt Auditores, ac S.R.E. Card. ſublata, &c. iudicari debere, &c. irritum quoque, &c. decernimus.

Clauſ. derog.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſt. ac quibuſuis etiam Almæ Vrbis, & illarum ciuitatum, oppidorum, terrarum, & locorum, etiam iuramento, &c. roboratis, ac prouincialibus, municipalibus, ac particularibus, ſtatutis ac legibus, etiam imperialibus, & in corpore iuris ſcriptis; priuilegiis quoque, &c. etiam Motu ſimili &c. etiã conſiſtorialiter &c. quibus omnibus illorum tenores, &c. hac vice latiſſime derogamus? ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Forma & efficius public.

§. 6. Vt autem præſentium tenor omnibus innoteſcat, nulliſque earum ignorantiam allegare queat, in valuis Principis Apoſtolorum, ac S. Io. Lateranenſis, & in acie Campi Floræ de Vrbe publicari mandamus, ipſaſque ſic publicatas, omnes & ſingulos quos illæ concernunt ita afficere volumus, ac ſi eſſent omnibus perſonaliter intimatæ. Decernentes quoque præſentium earumdem ſolam ſignaturam ſufficere, & vbique fidem facere, in iudicio & extra, regula quacumque contraria non obſtante. Ac illarum tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Almæ Vrbis Gubernatoris, aut alterius alij Iudicis ſigillatis eamdem prorſus fidem adhiberi, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Placet Motu proprio. M. *Papa ſubſcr.*

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, 16. Kal. Aprilis, anno 7.

Anno à Natiuitate Dom. 1572. Indictione 15. die verò 19. menſis Martij, Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno 7. retroſcripta litera Apoſt. affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Baſilicarum Principis Apoſtolorum, ac S. Io. Lateranen. & in acie Campi Floræ de Vrbe, per me Antoninum Clericis S.D.N. PP. Curſ. *Publicatio.*

Michaelangelus Piranus Mag. Curſ.

Exemptio Monaſteriorum, omniumque locorum piorum ab onere Hoſpitandi Milites. CXLVIII.

Hanc exemptionem pro Ordinibus Mendicantium habes etiam ſup. in conſt. 11. Dum ad vberes.

PIVS PAPA QVINTVS, *Motu proprio, &c.* *Edict. An. D.*

Cauſa huius conſtit.

CVm ſicut non ſine graui dolore nobis innotuit, omnia & ſingula, ſeu quamplurima huius Almæ Vrbis, ac etiam Status noſtri Eccleſiaſtici Conuentus, & Monaſteria, & alia Eccleſiaſtica, & pia loca, tàm ſæcularia quàm regularia, & à perſonis religioſis quomodolibet inhabitata, eo tẽpore, quo equites, & milites eiuſdẽ Almæ Vrbis, ac Status Eccleſiaſtici præfati pro defẽſione ipſius Vrbis & ſtatus aduerſus infeſtiſſimum Turcarum tyrannum, vel ob alias quæ pro tempore ſeſe offerunt cauſas expediri, & ad diuerſa eiuſdem ſtatus loca tranſmitti contingit, ab eiſdem equitibus & militibus perturbentur & moleſtentur, ipſique Conuentus, Monaſteria, & alia Eccleſiaſtica & pia loca in eorumdem equitum, ſeu militum diſtributione nonnullos eorumdem equitum & militum intra eorum domos & monaſteria hoſpitio excipere & recipere cogantur, in maximum eorum detrimentum, diuini cultus perturbationem, grauiſſimum religionis dedecus, Dei optimi offenſam, & non ſolum præter omnem noſtram intentionem, verumetiam intolerabilem animi noſtri amaritudinem.

Impoſitio pœnarum contrà aſſignantes Milites in monaſteriis & locis pijs:

§. 1. Quapropter nos in præmiſſis, quantum cum Deo poſſumus de optimo remedio celeri manu prouidere, ac monaſteriorum & aliorum Eccleſiaſticorum & piorum locorum huiuſmodi perſonarum Deo Altiſſimo, die, noctuque famulantium quieti, integritati, & decori conſulere volentes, Motu ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſt. poteſtatis plenitudine, vniuerſis & ſingulis tàm dictæ Almæ Vrbis, qaam totius Status præfati Gubernatoribus, Poteſtatibus, Ducibus, & Capitaneis, Communitatibuſque & Vniuerſitatibus, & aliis ad quos ſpectat, & pertinet, ac ſpectabit & pertinebit quomodolibet in futurum, ne deinceps perpetuis futuris temporibus in eorumdem militum & equorum diſtributione, tàm in tranſeundo, quàm inibi commorando, Communitatibus, & Vniuerſitatibus videlicet ne dictos equites, ac milites in eiſdem monaſteriiis, cœnobiis, domibus, & aliis Eccleſiaſticis & piis locis, ſub duorum millium ducatorum auri Cam. Apoſt. ipſo facto applicandi, & aliis arbitrij noſtri pœnis quouis quæſito colore, cauſa, ingenio, ſiue prætextu diſtribuere, ſiue aſſignare, vel ad illos recipiendum, & hoſpitio excipiendum cogere.

Et contrà Capitaneos, & alios diſtribuentes ibi milites,

§. 2. Ipſis vero Capitaneis & Ducibus ne eoſdem ſuos equites & milites, ſub indignationis noſtræ, ac priuationis officiorum ſuorum, aliiſque etiam arbitrij noſtri pœnis in dictis monaſteriis, cœnobiis, domibus, & aliis Eccleſiaſticis & piis locis, etſi Communitates & Vniuerſitates ipſæ eadem loca eiſdem aſſignaſſent, diſtribuant.

Et Gubernatores locorum, & alios Officiales hac fieri permittentes,

§. 3. Gubernatoribus vero & ipſarum ciuitatum & locorum Pærtoribus, ac aliis Officialibus quibuſcumque, quominus præmiſſa ab ipſis Communitatibus & Vniuerſitatibus, ac Capitaneis & Ducibus fiant, ſub eiuſdem indignationis, noſtræ, ac etiam priuationis officiorum ſuorum

Digitized by Google

ſuorum præfatorum reſpectiue pœnis, auctoritate Apoſtolica, ſinant vel permittant, inhibemus, præcipimus, committimus & mandamus.

Exemptio de qua in rub. §. 4. Et inſuper tàm illis quam equitibus & militibus præfatis ne monaſteria, cœnobia, & loca pia huiuſmodi in perſonis, rebus, & bonis, aut alias deſuper quomodolibet moleſtare, perturbare, impedire & inquietare, ſeu moleſtari, perturbari, vel alias inquietari facere audeant ſeu præſumant, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub iam dictis pœnis eadem auctoritate inhibemus, præcimus, committimus & mandamus, ipſa monaſteria, cœnobia, domos, & alia eccleſiaſtica & pia loca ex nunc ab eiſdem militibus, & equitibus, ab onere illos hoſpitio excipiendi, Motu & auctoritate ſimilibus eximendo, & totaliter liberando, ac libera & immunia faciendi.

Deputatio executorum. §. 5. Necnon dilectis filiis noſtris Vitellotio Cardinali Vitellio nuncupato, & pro tempore exiſtenti Sanctæ Romæ Eccleſiæ Camerario, ac Præſidentibus & Clericis Cameræ Apoſtolicæ, vt eiſdem monaſterijs & piis locis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidij aſſiſtentes, non permittant, illa ſeu eorum perſonas, à prædictis militibus & equitibus, illorumque hoſpitio grauari contra præſentium tenorem, ſed literas, & exemptiones huiuſmodi eis deſuper concedant, ac fauorabiliter defendant, etiam præcipimus & mandamus. Et ſic per quoſcumque Iudices ſublata, &c. iudicari, &c. debere; irritum quoque, &c. decernimus.

Clauſula derogatoria. §. 6. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis, etiam iuramento, &c. roboratis; priuilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis, quibuſuis etiam prædictis, ac aliis quibuſuis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis & concedendis. Quibus omnibus illorum tenores, &c. latiſſimè derogamus; ceteriſque contrariis quibuſcumque, cum clauſulis opportunis.

Repetitio clauſularum. §. 7. Et cum abſolutione ad effectum, &c. de commiſſione, mandato, inhibitione, præcepto, exemptione, liberatione, decreto, derogatione, aliiſque præmiſſis extendendis perpetuo in forma gratioſa; & ſi videbitur cum opportuna executorum deputatione qui aſſiſtant, ac ſub cenſuris & pœnis etiam pecuniariis, &c. cum facultate grauandi, &c. inuocato &c. ſæcularis; cum opportuna dictarum derogatione latiſſimè extendenda, & quod præmiſſorum omnium & ſingulorum etiam maior & verior ſpecificatio & expreſſio fieri poſſit in literis etiam ad partem pro quolibet monaſterio & pio loco, ſi videbitur per breue noſtrum expediendis, ſeu ſi videbitur præſentis noſtri Motus proprij ſola ſignatura ſufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio extraque, regula contraria non obſtante.

PP. ſubſcript. Placet Motu proprio, & ita mandamus. M.

CXLIX. Quod Chriſtiani apud Turcas ſclaui reperti in bello contra eos parato, liberi cum ſuis bonis dimittantur ab Officialibus claſſis Chriſtianæ.

Adiuuantibus hoc bellum, hic Pontifex indulgentias conceſſit in conſt. 142. Poſtquam. *vbi de hoc bello dixi.*

Edita An. D. PIVS PAPA QVINTVS
Motu proprio, &c.

Cauſa declarationis. LIcet omnibus notiſſimum ſit, bellum hoc, quod cum impio Turcarum tyranno geritur, non ea tantum de cauſa geri, vt imminens ab illius viribus nobis periculum dimoueamus, ſed vt etiam plurima Chriſtianorum millia, quæ ſub dira illius tyrannide, ſeruilem ac miſerabilem vitam ducunt, in libertatem, ad CHRISTI nomen liberè confitendum, ac excolendum vindicemus: non defuerunt tamen qui Chriſtianæ fraternitatis obliti, loca Turcarum hoſtium noſtrorum inuadentes, Chriſtianos ibidem repertos in ſeruitutem redegerunt, bonis ac fortunis ſpoliarunt, tritemibus illigarunt, ac talleam impoſuerunt; quo fit, vt CHRISTI ſanguine redempti, qui cumulatis votis Chriſtianorum aduentum, & victoriam exoptauerunt, ea à victoribus fratribus ſuis patiantur, quibus paulo peiora à Turcis expectare potuiſſent.

Declaratio de qua in rubr. §. 1. Nos igitur eius locum, licet immerito, tenentes in terris, qui de Cœlo ad liberandum nos venit, vt de manu inimicorum noſtrorum liberati deinceps ſine timore ſeruiamus illi, verentes ne ſi iniunctæ nobis ab eo erga filios noſtros charitatis & dilectionis immemores ſimus, omnipotentis Dei contra nos, claſſémque noſtram iram prouocemus, malis huiuſmodi obuiare cupientes, tenore præſentium decernimus & mandamus, vt nullus deinceps ſiue ſacri fœderis miles, ſiue alius Chriſtianos capiat, aut præter eorum voluntatem, etiam data mercede remigare cogat, talleam imponat, aut eius bona diripiat, quinimmo fraterne & amicabiliter, vt Chriſtianam pietatem decet, tractet, ac liberis ſuis, coniugibus & bonis abire permittat.

Iuſſio eam ſeruandi. §. 2. Illos autem omnes & ſingulos, qui huic conſtitutioni contraire præſumpſerint, declaramus ipſo facto in pœnam excõmunicationis latæ ſententiæ incidiſſe, à qua non poſſint niſi à nobis & ſucceſſoribus noſtris præterquam in mortis articulo, abſolui; & vlteriùs volumus eos à ſuperioribus ſuis ad quos ſpectabit, ſeuere & grauiter iuxta contrauentionis qualitatem puniri.

Iuſſio eam publicandi. §. 3. Mandantes omnibus & ſingulis, tàm ipſius claſſis, quam locorum ipſorum ſuperioribus quibus ſpectat, & in futurum ſpectabit, vt pro quanto ſtudent diuinam gratiã, noſtramq; beneuolentiam promereri, hoc noſtrũ, immo vero potius Dominicum præceptum & mandatum in locis ſuæ iuriſdictionis, ſiue iis ad quæ Chriſtian. Principum fœderatorum præfectos, tam generales quam particulares appellare contigerit, ea lingua cuius eius loci habitatores intelligentes fuerint, & in ipſa etiã claſſe, publicè editæ, affigi, & ſub pœnis ſibi bene viſis faciant ab omnibus inuiolabiliter obſeruari, vt à Deo Opt. Max. præmia æterna, & à nobis de re diligenter geſta laudem reportare mereantur.

Sola ſignatura ſufficit. §. 4. Volumus autem, vt præſentis noſtri Motus proprij ſola ſignatura ſufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio & extra, quacumque regula ſeu conſtitutione Apoſtolica contraria non obſtante.

Exemplorum fides. §. 5. Quodque illius exempla etiam impreſſa edantur, eaque Notarij publici manu, & cuiuſcumque curiæ eccleſiaſticæ, aut prælati ſigillo obſignata, eamdem prorſus fidem vbique faciant, quam ipſe præſens Motus proprius faceret, ſi eſſet exhibitus vel oſtenſus; non obſtantibus quibuſcumque.

Placet Motu proprio. M. *Papa ſubſcr.*

CL. Forma expediendi literas Apoſtolicas monitoriales, de excommunicandis his, qui bona deperdita vel ſubtracta reſtituere, aut reuelare recuſant.

Quid autem ſeruare debeant Epiſcopi, cum eiuſmodi literas monitoriales ipſi decernunt, docuit Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 3.

Edita A. D. 1570. SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter D. Pius diuina prouidentia Papa V.

Mandata excommunicandi dentur ad inſtantiam quorum ciuiliter intereſt. §. 1. Volens ſuper expeditione mandatorum, quæ fiunt in forma Significauit, pro rerum ſubtractarum aut deperditarum reſtitutione, ſeu illarum & illas ſubtrahentium reuelatione, modum & formam ſtatuere (manente in aliis reformatione officij Correctoris literarum contradictarum à Sanctitate ſua edita) præſenti quod perpetuo obſeruari vult ſcripto, ordinat, vt mandata, pro reſtitutione ſeu reuelatione huiuſmodi, dentur (modo ſuper illis ſupplicationes in preſẽtia ſuæ Sãctitatis ſignatæ fuerint) ad eorum dumtaxat inſtantiam quorum ciuiliter intereſt.

Res & bona exprimantur. §. 2. Quæ ſupplicationes rem ipſam de qua agitur, reique valorẽ nominatim & ſpecifice exprimãt, niſi forte ſint pro eccleſiis, locis piis, Communitatibus, Vniuerſitatibus, Collegiis, aut vniuerſalibus ſucceſſorib. quos veriſimile eſt certã rerũ notitiã non habere; tunc etenim hac ipſa perſonarum qualitate expreſſa, ita demum fieri poterit quædam in genere deſignatio rerum, ſi deſignatio neque nimis vaga, & incerta, atque adeo inueriſimilis ſit, & tamen oſtendat res ipſas (id quod præcipue in omnibus attendendum eſt) minime vulgares exiſtere.

§. 3. Com

Digitized by Google

Mandata dicta Episcopis aut eorum Vicariis committantur, sub forma Conc. Trid. sess. 25. cap. 3. Decretum irritans.

§. 3. Committantur autem Episcopo ordinario loci, vel eius Vicario in spiritualibus generali, sub hac forma verborum; quæ est ex Concilio Tridentino videlicet, Si causa diligenter & magna maturitate per ipsum examinata pro rei, loci, temporis, & personæ qualitatibus, sibi pro sua conscientia videbitur expedire.

§. 4. Decernentes irritum, &c.

Placet publicetur, & describatur, M.

Papa subscr. Publicat. An. Pont. die 27. Iunii.

Lecta & publicata fuit suprascripta Regula Romæ in Cancell. Apostolica, Anno Incarnationis Dominicæ 1570. *die vero Martis* 27. *mensis Iunij, Pontificatus præfati Sanctissimi D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno quinto.*

Io. Lomellinus Custos.

CLI. Oppidi Ripæ Transonis in Prouincia Picena, in Ciuitatem sublimatio, eiusque parochialis ecclesiæ S. Benigni, in Cathedralem & Episcopalem erectio.

Edita An. D. 1571.

PIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium.

ILlius fulciti præsidio, cuius sunt terræ cardines, & cui cogitationes hominum præparantur, ac cuius prouidentia ordinationem suscipiunt vniuersa, vt Christifideles Nobis & Sedi Apostolicæ, etiam temporali dominio subditi, ob eorum erga nos & eandem Sedem, fidem & deuotionem specialem; consolationem cum diuini cultus augmento suscipiant, & in Oppidis insignibus & populosis nouæ Sedes Episcopales plantentur, libenter cum à Nobis petitur opem & operas nostras impendimus efficaces.

Oppidi Ripæ Transon qualitates enuntiantur.

§. 1. Sane cum Oppidum Ripæ Transonis Firmanæ diœcesis situm in agro Piceno, inter Asculum, & Firmum, in conspectu Adriatici sinus, muro & fossa vallatum, mille & vltra familiis constans, & à quatuor viris Antianis nuncupatis in Palatio Communis cum honesta familia residentibus gubernatur, ac multis & variis mercium apothecis, & officinis refertum, & diuersorum Ordinum virorum & mulierum Monasteriis, Conuentibus, seu domibus, & in quibus multa pia & charitatis opera exercentur, quatuor Confraternitatibus, & vno Hospitali, necnon quatuordecim parochialibus Ecclesiis, & honorificis incolis decoratum, habens amplum Territorium, vbi familiæ tercentum, vel circa inhabitant, & decem & octo sine cura ecclesiæ, quarum quælibet suum habet Rectorem, adsint, inter cetera Prouinciæ nostræ Marchiæ Anconitatæ oppida admodum insignia existat, nouerimúsque incolas eidem Sedi semper fidelissimos ac deuotissimos extitisse, dignum, quin potius debitum reputamus, vt in ea Sedes Episcopalis collocetur.

Eiusque Vniuersit. supplicatio, pro obtinenda erectione in Sedem Episcopalem, cui dos assignata fuit.

§. 2. Cumque præsertim ipsius Oppidi Vniuersitas, quæ pluries Nobis desuper supplicauit propriis impensis ecclesiam S. Benigni ipsius Oppidi, quæ parochialis existit, si in Cathedralem erigatur, cum eius domo pro Episcopi habitatione ampliare & ornare pollicita est, & validis obligationibus spopondit, necnon ipsam Cathedralem erigendam in sentis annuis sexcentum, & fructibus, & redditibus, seu terrarum, tenimentorum ipsi ecclesiæ erigendorum solemniter consignatorum, vnius videlicet septuaginta sex in Contrada dicta di Coco, & alterius capacitatum centum & triginta salmatum, mensuræ illarum partium, in Contrada Guardianæ, & territorio dicti oppidi, ad ipsam Vniuersitatem spectantium & pertinentium dotauit, & vna cum Consiliariis dicti Oppidi, qui vt singuli ad id se obligauerunt, mensæ Episcopali erigendæ ecclesiæ huiusmodi in proprietatem & in perpetuum assignauit.

Erectio d. Oppidi in ciuitatem, & eccles. S. Benigni in Sedem Episcopalem pro Episcopo Ripano nuncupando. vna cum Archidiaconatu, Archipresbyteratu, & duodecim Canonicatibus.

§. 3. Nos qui dudum inter alia voluimus, quòd petentes beneficia ecclesiastica aliis vniri, teneretur exprimere annuum valorem etiã beneficij cui aliud vniri peteretur, & semper in vnionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, habita super his cum Venerabilibus fratribus nostra S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione, de illorum consilio & assensu, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Oppidum præfatum cum toto illius territorio; Ecclesiis & personis, tam secularibus quam Ecclesiasticis, à diœcesi Firmana, necnon à iurisdictione & superioritate Firmani, Aprutini, & Asculani Episcoporum, necnon Abbatis vel Commendatarij, Monasterij Campifellonis Ordinis S. Benedicti nullius diœcesis pro tempore existentium, vel alterius Episcopi, Capituli, Abbatis, & Monasterij, quibus in totum vel in parte subesse dignoscitur, perpetuo segregamus, dismembramus, & separamus, & eximimus: ipsumque Oppidum in Ciuitatem Ripæ Transonis nuncupandam; cum iuribus, honoribus, & præeminentiis, quibus aliæ Ciuitates, & earum Ciues vtuntur, potiuntur, & gaudent; ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, & Ecclesiam S. Benigni huiusmodi in Cathedralem Sedi præfatæ immediatè subiectam sub eadem inuocatione S. Benigni, & in ea Sedem Episcopalem pro vno Episcopo Ripano nuncupando, qui eidem Ecclesiæ, illiusque Ciuitati, & diœcesi præsit, illamque in perfectam Cathedralis Ecclesiæ formam ordinet & redigat; Abbates, Prælatos, & alios ad Synodum conuocet, euellat; destruat, ædificet, plantet, ac omnia & singula officia, & iura Episcopalia habeat, & exerciteat, cum suis Capitulo Episcopali & Capitulari mensis, ceterisque omnibus Cathedralibus, & Pontificalibus insignibus, necnon iuribus; iurisdictionibus, facultatibus, prærogatiuis, priuilegiis; honoribus, gratiis, fauoribus & indultis, realibus, personalibus & mixtis, quibus aliæ Cathedrales Ecclesiæ, earumque Præsules, Capitula, & personæ quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti potiri, & gaudere poterunt in futurum, necnon vt ipsa Cathedralis Ecclesia Ripana ex omni parte reddatur perfecta, in illa duas dignitates, videlicet vnum Archipresbyteratum, dignitatem inibi post Pontificalem maiorem, pro vno Archipresbytero qui curam animarum parochianorum Ecclesiæ S. Benigni in Cathedralem erectæ huiusmodi exerceat, & vnum Archidiaconatum pro vno Archidiacono, necnon duodecim Canonicatus cum totidem præbendis pro duodecim Canonicis, qui eidem Ecclesiæ in diuinis deseruiant, & insimul vnum Capitulum constituant, moderni quo ad Ecclesiam S. Benigni prædictam illius Rectoris ad hoc accedente consensu, ad Omnipotentis Dei laudem & gloriam, ac eius gloriosissimæ Genitricis Virginis Mariæ totiusque Curiæ cælestis honorem, & fidei Catholicæ exaltationem perpetuo erigimus & instituimus.

Assignatio emolumentorum, & prouentuũ.

§. 4. Oppidumque prædictum Ciuitatis, ipsiusque incolas Ciuium, necnon Ecclesiam S. Benigni prædictam Cathedralis Ecclesiæ honore, nomine, titulo, & insigniis decoramus, ac dictæ Ecclesiæ Ripanæ, & illius mensæ Episcopali pro dote dicta, duo petia terrarum, vt præfertur consignatarum, necnon Archipresbyteratui Ecclesiæ Ripanæ, huiusmodi res, bona, fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones, & emolumenta quæcumque Ecclesiæ S. Benigni præfatæ perpetuo applicamus & appropriamus. Archidiaconatui vero B. Mariæ Annunciationis de Agello cum suis ruralibus, & vni & vnæ SS. Nicolai, Rustici, & Eleutherij plebaniæ, ac alia, & aliæ S. Angeli de Colle, & alio, & aliæ S. Mariæ de Valle, & alio & aliæ S. Thomæ in Cletis, & alio & aliæ S. Blasij de Platea, & & alio & aliæ SS. Hippolyti, & Cassiani, & alio & aliæ SS. Gregorij, & Margaritæ prioratus, & alio & aliæ S. Angeli de Rofflano, & alio & aliæ S. Rocchi, & Pastoris, & alio & aliæ S. Eumerij præposituræ nuncupatæ, necnon reliquo & reliquæ Canonicatibus & præbendis prædictis, reliquam S. Saluatoris de Agello parochiales Ecclesiæ in dicta Ciuitate Ripæ Transonis sitas, & fundatas, vacantes ex nunc, reliquas vero ex nunc prout ex tunc cum primum illas seu ipsarum aliquas, per cessum vel decessum, aut priuationem illas nunc obtinentium, aut alias quouis modo vacare contigerit, etiam si nunc vacantes per liberas resignationes quorumuis de illis in Romana Curia vel extra eam, etiam coram Notario publico & testibus sponte factas, aut constitutionibus fel. rec. Ioannis Papæ XXII. prædecessoris nostri, quæ incipit; Execrabilis, vel assecutionem alterius beneficij Ecclesiastici quauis auctoritate collati vacent, etiamsi tanto tempore vacauerint quod earum collatio, iuxta Lateranen. statuta Concilij, ad Sedem eamdem legitime deuoluta, ipsæque Ecclesiæ dispositioni

Digitized by Google

dispositioni Apostolicæ specialiter vel generaliter collatæ existant,& super eis inter aliquos lites,quarum status præsentibus haberi volumus pro expressis pendeant indecisæ, dummodo earum dispositio ad nos hac vice pertineat, cum omnibus & singulis illarum,& earum cuiuslibet annexis,ita quod liceat eisdem Archipresbytero,Archidiacono,& Canonicis pro tempore existentibus, illarum corporalem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illarumque fructus,redditus & prouentus, propria auctoritate percipere,exigere & leuare,& in suos & cuiuslibet ipsorum vsus & vtilitatem conuertere, perpetuo vnimus,annectimus, & incorporamus.

Facultas Episcopi & Canonicorum edendi statuta pro felici successu Cathedralis Ecclesiæ.

§. 5. Ac Episcopo & Canonicis prædictis, vt pro salubri directione & prospero statu, felicique successu Cathedralis ecclesiæ erectæ huiusmodi,& illius personarum prædictarum, diuinorumque officiorum in ea celebratione, fructuumque, reddituum, prouentuum, iurium, obuentionum & emolumentorum,ac distributionum quotidianarum perceptione, & inter eos diuisione,& repartitione, ac quibuslibet rebus,& concurrentiis suis quæcũque statuta, ordintiones,& capitula (rationabilia tamen & honesta, ac sacris Canonibus non contraria)condere, & condita quoties opportunũ fuerit immutare, limitare, corrigere,& interpretari secundum rerum & temporum qualitates & loco illorum,alias ordinationes,capitula,& statuta, quoties eis expedire visum fuerit, de nouo edere & facere,quæ omnia postquã edita & facta fuerint,ex nũc prout ex tunc,& è contra(si licita & honesta ac sacris Canonibus non contraria fuerint) eadem auctoritate etiam cum defectuum suppletione confirmata sint,& esse censeantur,eo ipso concedimus & indulgemus.

Constitutio quatuor ecclesiarum parochialium in quatuor regionibus d. Ciuitatis.

§.6.Cũque Ciuitas Ripæ Transonis præfata,in quatuor regiones diuisa existat,itaut in qualibet regione vna tantum parochialis ecclesia pro vno parocho,qui curam parochianorum inibi habitantium exercere possit, videlicet in Agelli, S.Benigni in Cathedralem erectæ,in S.Dominici S.Angeli de Rofflano; in montis Antiqui SS.Nicolai,Rustici, & Eleutherij ; & in Capitis Montis nuncupatis regionibus,SS.Georgij & Margaritæ ecclesiæ sufficere videantur, parochianos,& vicinos,& omnes & singulos vtriusque sexus ab aliis parochialibus ecclesiis Ciuitatis Ripæ Transonis & iura parochialium ecclesiarum huiusmodi separamus & dismembramus , & curam animarum in illis perpetuo supprimimus, illosque & illam, ac iura præfata quoad Agelli ad S. Benigni in Cathedralem erectam;quoad S.Dominici ad S.Angeli de Rofflano, quoad Montis antiqui, ad SS. Nicolai, Rustici, & Eleutherij ; quo vero ad parochianos , & vicinos Capitis Montis regionem huiusmodi, ad SS.Gregorij & Margaritæ parochiales ecclesias præfatas, itaut quælibet regio proprium habeat sacerdotem , & pastorem , perpetuo transferimus.

Facultas Rectorum dictarum parochialium habendi in illis Vicarios perpetuos.

§. 7. Necnon eorumdem S. Angeli & SS.Nicolai, Rustici & Eleutherij,ac SS. Gregorij & Margaritæ parochialium ecclesiarum Rectoribus , dictæ Cathedralis ecclesiæ Canonicis, vt illis per Vicarios perpetuos ab Ordinario loci approbandos,in diuinis deseruire facere illorumque parochianorum animarum curam gerere possint indulgemus.

Constitutio Archipresbyteratus, Archidiaconatus, & Canonicarum prædictorum.

§. 8. Necnon Archipresbyteratus,Archidiaconatus,ac duodecim canonicatus cum præbendis à primæua erectione huiusmodi vacantes , ecclesiæ videlicet S. Benigni in Cathedralem erectæ,qui sit Archipresbiter dictæ ecclesiæ Ripanæ,& in ea post Pontificalem, dignitatem maiorem obtineat ; & ecclesia S. Mariæ Annunciationis de Agello,qui sit Archidiaconus eiusdem Ecclesiæ Ripanæ, & dignitatem , non tamen post Pontificalem maiorem, obtineat ; alias vero parochiales ecclesias vt præmittitur vnitas,quarum cuiuslibet fructus,redditus,& prouentus, vigintiquatuor ducatorum auri de Camera secundum communem, extimationem, valorem annuum non excedunt, eorumdem Rectoribus , qui Canonici eiusdem ecclesiæ Ripanæ existant conferimus, & de illis etiam cum plenitudine iuris canonici prouidemus.

Seruanque præcedentia.

§. 9. Volumusque quod deinceps perpetuis futuris temporibus, in Choro, Capitulo, processionibus & aliis actibus, publicis seu priuatis, Archipresbyter primum, Archidiaconus secundum locum , Canonici vero nuper creati post Archipresbyterum & Archidiaconum prædictos , iuxta illorum receptionem & admissionem, si ad id consenserint vnusquisque illorum loca habeant.

Vnio beneficij S. Angeli, ad d. Ecclesiam Cathedralem.

§. 10. Cumque fructus , redditus, & prouentus, Canonicatuum & præbendarum dictæ Ecclesiæ Ripanæ satis tenues videantur, perpetuum simplex beneficium Ecclesiasticum sub inuocatione S. Angeli Villesmagnæ intus dictam Ciuitatem Ripæ Trasonis, de consensu illius Rectoris perpetuo supprimimus, & extinguimus, illiusque,& illi annexorum fructus, iura,& obuentiones quæcumque, necnon decimas fructuum, reddituum, & prouentuum quorumcumque ex noualibus dictæ Vniuersitatis de Fulgdia nuncupatis, de eiusdem Vniuersitatis consensu singulis annis eidem Capitulo, & illius mensæ Capitulari in distributionibus quotidianis iuxta prouidam Episcopi Ripæ Transonis ordinationem, inter dignitates obtinentes , & Canonicos præfatos distribuendas, perpetuo applicamus & appropriamus.

Multorumque locorũ, & personarum ad alias diœceses vel Ecclesias spectantium , pro Clero , & diœcesi d. Ecclesiæ Ripanæ.

§. 11. Necnon pro maiori Christifidelium illarum partium commoditate & spirituali consolatione,Columnellæ, Aquæuiuæ,S.Benedicti,Marani, S.Andræ, Grottarum ad Mare , Gissi, Quinzani, Montis Prandoni , Furcanum, Montis Alti, Montis de nouem, Rotellæ, Porculæ , Cossignani , & Passignani loca Castra & Oppida Asculanæ, Firmanæ, & nullius respectiue diœcesis in Prouincia Marchiæ prædictæ & vbiuis consistentia , & quæ nunc & pro tempore existentibus, Monasterij Farfensis Abbatibus , seu Commendatariis , & Firmanis, & Asculanis Episcopis, ratione Monasterij, & Firmanæ, & Asculanæ Ecclesiarum huiusmodi,mediate vel immediate subiectæ reperiuntur, necnon in eis consistentia , Collegiatas , Parochiales, & alias Ecclesias, Monasteria, Præposituras,Præpositatus, Prioratus,& alia quæcumque, quotcumque,& qualiacumque, cum cura & sine cura,sæcularia & quorumuis Ordinum regularia beneficia Ecclesiastica, etiamsi sæcularia Canonicatus & præbendæ personatus , administrationes, officia, etiam curata & electiua etiam in Collegiatis Ecclesiis , regularia vero beneficia huiusmodi , præpositatus, præposituræ dignitates etiam Conuentuales , personatus , administrationes & officia etiam claustralia, Capellaniæ,Capellæ, Hospitalia,& alia loca fuerint , & ad dignitates,Prioratus, Præposituras, & Præpositatus huiusmodi consueuerit,qui per electionem assumi , ac eorumdem locorum, Castrorum & Oppidorum vtriusque sexus personas habitatores & incolas,tam laicos quam clericos,presbyteros,beneficiatos & religiosos quoscumque, cuiuscumque status, ordinis & conditionis existant, à iurisdictione, potestate, dominio & quauis alia superioritate Firmanæ,& Asculanæ Ecclesiarum,ac Farfensis Monasterij,& illorum nunc & pro tempore existentium Episcoporum,Abbatum, seu Commendatariorum, quibus nunc loca, Castra,& Oppida huiusmodi earumque Ecclesiæ & personæ præfatæ subiectæ dignoscuntur, etiam perpetuo dismembramus , separamus, & eximimus,locaque , Castra, & Oppida huiusmodi , illorumque personas tàm sæculares quàm Ecclesiasticas , & quorumuis Ordinum regulares Ecclesias, Monasteria , Prioratus , præposituras , Præpositatus, & alia beneficia Ecclesiastica , Hospitalia , & loca pia huiusmodi, cum ipsorum iuribus & pertinentiis vniuersis , Ecclesiæ Ripianæ prædictæ , pro diœcesi , Clero , & Populo, ita quod liceat Episcopo eidem Ecclesiæ Ripanæ , tàm hac prima vice quàm in posterum præficiendo, per se vel alium seu alios eius nomine , corporalem possessionem, seu quasi administrationis spiritualitatis , & omnimodi iuris diœcesani, propria auctoritate, Firmani & Asculani Episcoporum, ac eiusdem Monasterij Farfensis Abbatis, seu Commendatarij nunc & pro tempore existentium licentia desuper minime requisita, libere apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere de eiusdem potestatis plenitudine similiter perpetuo concedimus & assignamus, ac eiusdem Ecclesiæ Ripanæ illiusque Præsuli pro tempore existenti, iurisdictioni, dominio, potestati & superioritati, eisdem modo & forma quibus Firmanis & Asculanis Ecclesiis ac Monasterio Farfensi, illorumque Episcopis, Abbati vel Commendatario huiusmodi respectiue suberant, subiicimus & supponimus.

§.12.Non

Digitized by Google

Derogatio extrauagantium.

§. 12. Non obstantibus priori voluntate nostra, ac de non tollendo iure quæsito, Concilij Lateranensis nouissime celebrati, vniones perpetuas nisi in casibus à iure permissis fieri prohibentis, necnon piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, aliisque Apostolicis, ac in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus, ac Firmanæ & Asculanæ Ecclesiarum, & Farfensis Monasterij, & ordinis huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, Firmanis, & Asculanis Ecclesiis, & Farfensi Monasterio, illorumque capitulis, Conuentibus, Superioribus & personis, sub quibusuis tenoribus ac quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis etiam consistorialiter, in genere vel in specie concessis, quibus omnibus & singulis, illorum causas & effectus præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Præseruatio iurium aliarum Ecclesiarum & Monasteriorum quo ad bona séperalia, & Monasteria in locis dismembratis existétia.

§. 13. Volumus autem, quod Firmanæ, Aprutin. & Asculan Ecclesiis, ac Farfensi, & Campi Fellonis Monasteriis, illorumque præsulibus, Abbatibus, seu Commendatariis, nunc & pro tempore existentibus prædictis, per separationem, disinembrationem, & exemptionem huiusmodi, quoad bona temporalia, siquæ in dictis locis ab eis separatis, dismembratis, & exemptis huiusmodi habeant, & quoad superioritatem qua Farfense, & Campi Fellonis Monasteria, & illorum Abbates seu Commendatarij huiusmodi, in Monasteriis seu Prioratibus regularibus dicti Ordinis, in locis separatis prædictis existentibus habent, nullum præiudicium inferatur, sed Episcopus Ripæ Transonis, in Monasteriis prædictis eam tantum habeat & exerceat iurisdictionem, quam ceteri Episcopi in similibus habere & exercere solent.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. P. An 6. die 10. Iuly.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimoprimo, tertio Cal. Augusti, Pont. nostri anno sexto.

GREGORIVS XIII. PONT. CCXXX.
ANNO DOMINI MDCLXXI.



GRegorius Decimus tertius, Italus, ex Ciuitate Bononiæ, Hugo antea dictus, Christophori de Boncompagnis filius, S.R.E. presbyter Cardinalis tt. S. Sixti, Creatus tertio Idus Martij anno 1572. Coronatus in festiuitate Pentecostes. Vixit annos duodecim, menses 10. dies decem & octo. Creauit Cardinales triginta quatuor. Obiit die 10. Aprilis anno Domini 1585. eius cadauer ad Basilicam S. Petri in sacello, quod ipse construxerat, & de suo nomine Gregoriarium muncupauerat, conditum fuit. Vacauit Sedes dies duos.

Facultas Religiosorum Societatis IESV, eligendi Conseruatores in eius causis, ac iurisdictio ipsorum Conseruatorum ex indulto Pij V. I.

Hanc religionem primo loco approbauit Paulus III. sup. in eius const. 25. Regimini. *vbi alia de ea tibi indicani.*

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1572.

Exordium.

EQVVM reputamus, & rationi consonum vt ea quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licet eius superueniente obitu literæ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum sortiantur effectum.

Ad supplicationem Societatis Iesu.

§. 1. Dudum siquidem fel. recor. Pio Papæ V. prædecessori nostro pro parte dilectorum Præpositi Generalis, & Religiosorum Societatis IESV exposito, quod cum dicta Societas benedicente Domino, longe lateque esset propagata ac ad Dei laudem & honorem, militantisque Ecclesiæ profectum in dies augeretur, & propter diuersa bona temporalia, quæ Collegia scholarium sub eorum cura instituta possidebant, conseruanda & recuperanda, lites aliaque forensia frequenter subire necessario cogeretur, exindeque fieret, vt eius personæ, quæ animarum saluti implicitæ litium anfractus, qui ab eorum institutis valde dissonabant, euitare cupiebant, ab earum ministerio, non sine animi sui dolore, cum animarum huiusmodi dispendio distraherentur, & eidem prædecessori pro parte eorumdem Præpositi Generalis & Religiosorum asserentium, eorum bona à quorumcumque locorum Ordinariorum iurisdictione libera & exempta, ac sub Romani Pontificis, & Sedis Apostolicæ protectione alias recepta fuisse, humiliter supplicato, vt eorum quieti more pij Patris, ac alias in præmissis opportune consulere, de benignitate Apostolica dignaretur.

Pius V. ei concessit, vt in omnib. causis Conseruatores & Iudices eligere possint.

§. 2. Idem prædecessor, qui ad gratos Deo, & vniuersæ Reipublicæ Christianæ vtiles & necessarios fructus, quos Societatis prædictæ personæ in vinea Domini semper proferebant, debitum respectum habebat, facere nullo modo poterat, quin ipsis ea concederet, per quæ ipsi, eorumque res & bona à noxiis, iustitiæ ministerio, præseruarentur, eosdem Præpositum generalem & Religiosos, ac eorum singulos, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodati existebant, ad effectum infrascriptorum dumtaxat consequendum absoluens, & absolutos fore censens, huiusmodi supplicationibus inclinatus, sub dat. videlicet octauo Calen. Iunij, Pontificatus sui anno tertio, eidem Societati, singulisque illius personis, ac eorum familiaribus clericali caractere tamen insignitis, vt in quibuscumque causis, tam ciuilibus quam criminalibus ac mixtis, etiam in eis in quibus actores vel conuenti rei forent, ipsis contra quascumque Communitates, & Collegia huiusmodi, omnes & singulos Archiepiscopos & Episcopos, ac Abbates, necnon alias personas in dignitate Ecclesiastica constitutas, ac Metropolitanarum & aliarum Cathedralium Ecclesiarum Canonicos, ac eorumdem Archiepiscoporum & Episcoporum Vicarios in spiritualibus, & officiales generales vbilibet constitutos, in suos possent assumere Conseruatores & Iudices ordinarios indulsit.

Ipsique Iudices & Conseruatores amplã de quo hic iurisdictionem habeant.

§. 3. Ipsis vero sic electis, vel duobus, aut vni eorum, vt per se vel alium seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus Conseruatores & Iudices deputati forent, eidem Societati efficacis defensionis præsidio assistentes, non permitterent Societatem, Collegiaque huiusmodi super terris, locis, domibus, possessionibus, & iuribus, necnon fructibus, censibus, redditibus, & prouentibus,

Digitized by Google

ac quibuſcumque aliis bonis mobilibus & immobilibus, ſpiritualibus & temporalibus, necnon priuilegiis & indultis, eis & dictæ Societati, tam Apoſtolica quam ordinaria & alias rite Regia auctoritatibus conceſſis,& aliis rebus ad dictam Societatem,communiter vel diuiſim ſpectantibus, à quibuſcumque perſonis, tam ſæcularibus quam Eccleſiaſticis, ac quacumque auctoritate & ſuperioritate fungentibus, quoquomodo indebite moleſtari, vel eis grauamina, damna,aut iniurias irrogari, facerentque cum ab eiſdem Societate, aut perſonis, vel procuratoribus ſuis, ſeu aliquo ex eis forent requiſiti, ſuper reſtitutione locorum, terrarum, domorum, poſſeſſionum, iurium, & bonorum mobilium & immobilium, reddituum quoque & prouentuum, ac aliorum quorumcumque bonorum, necnon priuilegiorum & indultorum, eis tunc & pro tempore conceſſorum obſeruatione, necnon de quibuſlibet moleſtiis, iniuriis, damnis, tunc præſentibus & futuris, in illis videlicet quæ iudicialem requirerent indaginem ſummarie, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura iudicij, in aliis vero prout eorum qualitas exegiſſet, iuſtitiæ complementum, occupatores, ſeu detentores, præſumptores, & iniuriatores huiuſmodi, necnon contradictores quoſlibet & rebelles,etiam ſi alias quâ vt præfertur qualificati exiſterent, quandocumq; & quotieſcumque expediſſet, auctoritate Apoſtolica, per ſententias, cenſuras,& pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna, iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis, ſeruatis proceſſibus, eos, quos ſententias, cenſuras, & pœnas, per eoſdem Conſeruatores ſeu Iudices pro tempore latas incurriſſe, eis conſtitiſſet, eas incurriſſe declararent, & quoties opus fuiſſet, etiam iteratis vicibus aggrauarent,necnon auxilium brachij ſæcularis inuocarent,commiſit & mandauit. Ac inſuper ſi per ſummariam informationem, per eos ſuper his habendam, ipſis conſtitiſſet quod ad loca,in quibus occupatores, præſumptores,moleſtatores, & iniuriatores huiuſmodi,ac alios quos literæ tunc deſuper conficiendæ concernerent, pro tempore morari contigiſſet, pro monitionibus & inhibitionibus ipſis, ac citationibus eis faciendis, tutus non pateret acceſſus, Iudicibus & Conſeruatoribus huiuſmodi monitiones & citationes præfatas, ac inhibitiones quaſlibet, per edicta publica locis publicis affigenda, de quibus eſſet veriſimilis coniectura, quod ad ipſorum monitorum citatorum, & inhibitorum notitiam peruenire valerent, faciendi, necnon eiſdem occupatoribus, detentoribus, præſumptoribus, moleſtatoribus, iniuriatoribus,contradictoribus, & rebellibus, etiam ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, ac etiam pecuniariis eorum arbitrio moderandis, inhibendi, ac quibuſuis inhibitionibus, eis pro tempore,etiam prætextu quarumcumque literarum Conſeruatoriarum,ſeu priuilegiorum Apoſtolicorum quibuſliber conceſſorum concedendorum, pro tempore factis non obſtantibus, eorum iuriſdictionem libere exercendi, loca ad quæ eos declinare contigerit, & in quibus ſcienter ſtare permiſſi forent, Eccleſiaſtico interdicto ſubiiciendi, plenam & liberam facultatem conceſſit. Ac monitiones, requiſitiones, inhibitiones & citationes ſic factas, perinde ipſos monitos, requiſitos, inhibitos, & citatos arctarent, ac ſi eis perſonaliter factæ, inſinuatæ, & intimatæ forent.

Et iſtam conceſſionem per quaſcumque derogationes non ablatam nec diminutã cenſeri decreuit.

§. 4. Ac tunc deſuper conficiendis literis, & in eis contentis diſpoſitionibus, per quaſcumque derogationes, in quibuſuis aliis literis Apoſtolicis gratiã vel iuſtitiã, & mixtim continentibus, per eumdẽ prædeceſſorem & Sedem Apoſtolicam, etiam cum derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, & per quas earumdem literarum tunc deſuper conficiendarum tenor, ac ſi de verbo ad verbum in eis inſertus foret, pro expreſſo haberetur, quibuſcumque perſonis, ſeu in eorum fauorem, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, conceſſas & factas, ac faciendas & concedendas, nullatenus derogatum cenſeretur, aut derogari poſſet, niſi tenor earumdem tunc deſuper conficiendarum literarum,de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, foret in illis inſertus, & derogatio pro tempore facta huiuſmodi per trinas diſtinctas literas eumdem tenorem continentes,tribus ſimiliter diſtinctis vicibus, eidem Societati intimata, & inſinuata foret,& quod aliter earumdem literarum tunc deſuper conficiendarum pro tempore factæ derogationes nemini ſuffragarentur.

Vnumque ex ipſis Iudicibus articulũ per aliũ inchoatum proſequi poſſe declarauit.

§. 5. Quodque quilibet Iudicum & Conſeruatorum præfatorum valere proſequi articulum etiam per alium inchoatum, quamuis idem inchoans nullo foret canonico impedimento præpeditus, quodque cuilibet Conſeruatorum, & Iudicum eorumdem, ab eodem die octauo Cal.Iunij eſſet in præmiſſis omnibus, ac eorum ſingulis, cœptis & non cœptis, tunc præſentibus & futuris, perpetua poteſtas & iuriſdictio attributa, vt eo vigore, eaque firmitate poſſent in præmiſſis omnibus, cœptis & non cœptis, tunc præſentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ac ſi prædicta omnia & ſingula coram eis cœpta fuiſſent, & eorum ac cuiuſlibet ipſorum iuriſdictio de præmiſſis omnibus & ſingulis per citationem,vel modum alium pepetuata legitime extitiſſet, ſicque per quoſcumque Iudices & Commiſſarios,& cauſarum Palatij Apoſt. Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet,quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentari contingeret, irritum & inane decreuit.

Cõtrariis omnib.derogat.

§.6.Non obſtantibus piæ mem. Bonifacij Papæ Octaui etiam prædeceſſoris noſtri, qua cauebatur, ne quis extra ſuam Ciuitatem vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis vltra vnam dietam à fine ſuæ diœceſis ad iudicium euocaretur; ſeu ne Iudices à Sede prædicta deputati extra Ciuitatem vel diœceſim, in quibus deputati forent, contra quoſcumque procedere præſumerent: & de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo non vltra tres dietas aliquis, vigore earumdem literarum tunc deſuper conficiendarum extraheretur,& quibuſuis aliis Apoſtolicis,ac in prouincialibus & ſynodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus, conſtitutionibus & ordinationibus, ac quibuſuis iuramento, confirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus;priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſuis Regibus, Ducibus,Comitibus,ceteriſque cuiuſcũque dignitatis, qualitatis, & præeminentiæ, ac Ordinis etiam Mendicantium, & cõditionis,exiſtentibus perſonis, in genere vel in ſpecie,ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis,quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis & innouatis. Quibus omnibus idẽ Pius prædeceſſor, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis,eorumque totis tenoribus ſpecialis,ſpecifica, expreſſa & indiuidua, ac de verbo ad verbum,non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad id ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo,& forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ea vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogauit, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptis ſua bulla credi voluit.

§. 7. Voluit inſuper idem Pius prædeceſſor, quod literarum tunc deſuper conficiendarum tranſumptis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis,ac ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhiberetur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Sed quia ipſius Pij obitu ſuperueniente bulla non fuit expedita, ideo hic Pont. de eius validitate nõ dubitans decernit.

§.8.Ne autem de abſolutione, indulto,& aliis præmiſſis, pro eo quod ſuper illis ipſius Pij prædeceſſoris, eius ſuperueniente obitu,literæ confectæ non fuerunt,valeat quomodolibet hæſitari,ipſaque Societas illorum fruſtretur effectu, volumus & ſimiliter Apoſtolica auctoritate decernimus, quod indultum & alia præmiſſa perinde à dicta die octauo Calen. Iunij, ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Pij prædeceſſoris literæ confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur. Quodque præſentes literæ ad probandum plene abſolutionem, indultum,& alia præmiſſa vbique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo,&c.

D. P. An. 1. die 25. Mart.

Dat. Romæ apud S.Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, octauo Kalen.Iunij,Pont.noſtri anno primo.

Prohi

Digitized by Google

II. Prohibitio depingendi siue miniandi, aut venales proponendi, Agnus Dei à Romano Pontifice benedictos.

Munus autem Agnus Dei, iuxta ritum S.R.E. in cera signandi, & fractos renouandi, Pauli V. demandauit Congregationi Monachorum B. MARIÆ *Fulienſis de Vrbe, Ordinis Ciſtercienſis S. Benedicti, vt inf. in eius conſt.* 43. Romanum.

Edita A. D. 1572.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Cauſa huius prohibitionis.

OMni certe ſtudio, & opera à nobis procurandum eſt, vt ea tollantur, quæ non conueniant, ac noſtrum & aliorum bonorum, piorumque Chriſtifidelium animos offendunt. Itaque prouide conſiderantes certas formas innocentiſſimi Agni imagine figuratas, & per Romanos Pontifices ſtatutis temporibus conſecrari ſolitas, ſicut agni puri & mundi à ſummo Pontifice benedicuntur, ita ab omnibus poſtmodum immaculatas, non autem auro & coloribus vllis depictas, ſed in ſua albedinis mundicie ſanctificatas congruenti cum reuerentia teneri & conſeruari debere.

Prohibitio depingendi, aut miniandi, ſeu venales habendi Agnus Dei à Pont. benedictos.

§. 1. Statuimus & ordinamus, ac ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, prohibemus & interdicimus, ne quiſquam ſiue vir ſiue mulier, ſæcularis aut Eccleſiaſtici, etiam regularis Ordinis ille ſit, & quocumque gradu, conditione, ſtatu, nomine, dignitate & honore præcellat, poſthac in perpetuum Agnus Dei per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem benedictos, depingere, inficere, minio notare, vel aurum aut colorem aliquē illis imponere, aut quidquam aliud ſuperinducere, neque depingi, aut miniari facere, nec illos venales proponere, ſeu tenere quouis prætextu qualibetue de cauſa audeat. Verum eos albos & mundos Agnū illum putum, & innocentem repræſentantes, qui occiſus pretioſiſſimo ſanguine ſuo nos redemit, decenter, ac reuerenter à cunctis haberi, deferri, & cuſtodiri præcipimus, & ita ab omnibus fieri, & cēſeri debere decernimus.

Ordinarij hāc prohib. publicent.

§. 2. Mandantes omnibus & ſingulis locorum Ordinariis per vniuerſum Chriſtianum Orbem conſtitutis, eorumque Vicariis in ſpiritualibus generalibus, vt præſentem noſtram conſtitutionem & prohibitionem in ſuis quiſque ciuitatibus & diœceſibus ſtatim publicare procurent, ita vt ad omnium notitiam quamprimum peruenire poſſit.

Contrauenit. tium pœna.

§. 3. Quicumque vero inobedientes fuerint, præter excommunicationis pœnam, quam, vt præfertur, incurrent, etiam aliis pœnis ipſorum Ordinariorum ſeu Vicariorum plecti & mulctari volumus & iubemus.

Clauſula derogatoria.

§. 4. Non obſtan. conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides tranſumptorum.

§. 5. Volumus etiam, quod præſentium literarum exemplis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati Eccleſiaſtici obſignatis, plena eademque prorſus fides vbique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. P. A. 1. die 25. Maij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1572. 8. Cal. Iunij, Pontificatus noſtri anno 1.

Publicatio.

Anno Incarnationis Dominicæ 1572. *indict.* 15. *die vero* 11. *menſis Iunij, Pontif. Sanctiſſ. in Chriſto patris, & D. N. D. Greg. diuina prouidentia Papæ XIII. Anno I. retroſcripta litera Apoſtolica affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtol. de Vrbe. & Cancell. Apoſtol. ac in acie Campi Flora, per nos Scipionem de Octauianis & Ant. Clerici Curſ.*

Camillus Cher. Mag. Mag. Curſ.

III. Confirmatio conſtitutionis Pij V. de non alienandis, & infeudandis Terris & locis S.R.E.

Hanc conſtit. Pij V. habes ſup. num. 35. Admonet. *& ibi eius extenſiones indicaui. Quibus addo, quod hic Pontif. die* 3. *Aprilis* 1581. *in Conſiſtorio declarauit ſub d. bulla Pij V. comprehendi etiam conceſſiones gubernatorum, quæ vltra triennium, de locis S.R.E. fieri contingeret.*

Addidi alia ad Leon. I. conſt. 1. ſup. lib. 1.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1571.*

Exordium.

INter cetera, quæ ad Romani Pontificis curam ac ſolicitudinem pertinent, illud quoque non mediocri ſtudio prouidendum eſt, vt res Eccleſiaſtica ſarta tecta vſquequaque conſeruetur; quod cum de aliis omnibus, tum præcipue de iis quæ ſpecialis iuriſdictionis Romanæ Eccleſiæ ſunt, curare debet, ne vlla vſquam illorum imminutio fiat.

Pius V. prohibuit alienari, vel infeudari loca S. R. E.

§. 1. Cuius rei cauſa fel. record. Pius Papa V. prædeceſſor noſter, vt talium diſtractionibus omnem viam, quantum in ipſo erat, in perpetuum peæcluderet, literas edidit in hæc verba: Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Admonet nos ſuſcepti.

Omittitur tenor, quia habes ſup. in Pij V. conſt. cit. in rub.

Hic Pont. modo confirmat illius cōſtitut.

§. 2. Cum autem eæ literæ ad retinendam Sedis Apoſtolicæ dignitatem valde pertineant, nobis nihil optabilius fuit cum primum ad Summi Apoſtolatus apicem, diuina nos clementia euocauit, quam vt ipſis primo quoque tempore præſentium noſtrarum robur adiungeremus. Quocirca prædictas literas, & omnia in eis contenta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium comprobamus, confirmamus, & innouamus, volumuſque ea perpetuo obſeruari.

Sanctio pœn.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ comprobationis, confirmationis, innouationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

D. P. An. 1. 27. Maij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, ſexto Cal. Auguſti, Pont. noſtri anno primo.

IV. Contra Famigeratores nuncupatos Menantes, eorumque ſcripta recipientes, & famoſos libellos ſcribentes & mittentes.

Conſonat conſtit. 147. *Pij V. quæ eſt ſupra.*

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita An. D. 1572.*

Proœmium.

EA eſt rerum humanarum infelicitas, vt non vetera tantum vitia pertinaciter aduerſus omnem legum latarum ſolertiam luctentur, & quamuis acribus compreſſa ſuppliciis renaſcantur, ſed noua etiam indies, & ſuperioribus ſæculis ignota ſuccreſcant. Quo nos pro iniuncto nobis diuinitus munere diligentius adiuti, par eſt, vt & illa coerceamus, & horum, quæ ſe nunc primum offerunt, antequam ſe corroborent, radices ipſas, ſi qua ratione poſſumus, amputemus.

Famigeratorū mala.

§. 1. Cum igitur haud ita pridem in Vrbe noſtra, ſecta quædam emerſerit hominum improbe curioſorum, qui quoſcumque de publicis priuatiſque negociis, vel aliunde rimari poſſunt, vel ipſi etiam pro ſua libidine comminiſcuntur, domi, foriſque facta, infecta, vera, falſa, nullo diſcrimine proponunt, recipiunt & ſcriptitant; ita vt huius rei iam artem quaſi quamdam inſtituerint, ac plerique eorum, etiam vili mercedula conducti, harum rerum commentariolos, ex falſis plerumque vulgi rumoribus incerto auctore collectos, hunc illuc miſſitent, aut etiam tamquam primum ex Vrbe ad diuerſa loca miſſos, deinde iiſdem ex locis in Vrbem remiſſos circumferant ac venditent, quibus non tantum de præteritis arbitratu ſuo nugantur, ſed etiam quid ex hac aut illa re, euenturum ſit, ſtolide vaticinantur.

Prohibitio eū impoſitione pœnarum.

§. 2. Nos qui & facile proſpicimus, & rerum experimentis edocti ſumus, quæ quantaque mala ex eo proueniant, cū & ſæpius ſpargantur falſa pro veris, ſeu directe

Digitized by Google

seu oblique, ac quodam quasi colore quæsito, multorum existimatio & fama violatur, his ac talibus incommodis occurrere cupientes, huius constitutionis auctoritate prohibemus, ne quis in posterum, tales commentarios conficere, neue ab aliis confectos recipere, describere, spargere, aut ad alios mittere audeat. Qui horum quid fecerit, ipso facto perpetua ignominiæ nota affectus, sine vlla spe veniæ ad triremes, aut perpetuo aut ad tempus pro admissi qualitate damnetur. Qui vero huiusmodi commentariorum, aut scriptorum quicquam vndecumque & à quocumque receperit, id quam primum Vrbis nostræ Gubernatori significare, & eidem omnia consignare debeat. Quod si non fecerit, ipsum pœnis prædictis decernimus subiacere. Antiquis iuribus contra scribentes aut mittentes libellos famosos editis, nihilominus in suo robore duraturis.

Confirmatio legũ de famosis libellis.

§. 3. Voluntes præsentium exemplis, etiam non impressis, Notarij publici manu, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eamdem illam vbique fidem, in iudicio & extra adhiberi, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Exemplorum fides.

D. P. An. 1. 1. Septemb. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimosecundo, Calend. Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

Publicatio. *Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimosecundo, Indictione 15. die vero Sabbati sexta mensis Septembris Pontificatus Sanctiss. in Christo patris, & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno primo, affixæ & publicatæ fuerunt Romæ, ad valuas S. Ioannis Lateranen. & S. Petri, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Florę, vt moris est, per nos Ioannem della Guardia, & Scipionem de Octauianis S.D.N.Pap. Curs.*

Philibertus Mag. Curs.

V. Facultas Ordinis tam Fratrum quam Monialium Eremitarum S. Augustini, permutandi & alienandi bona cuiuscumque Monasterij in euidentem eius vtilitatem, cum licentia vel approbatione Prioris generalis d. Ordinis.

Alia extabant Pontificia dispositiones circa hanc facultatem sed eas prætermisi, hac contentus vti pleniore. Catera autem de hoc Ordine dixi sup. ad const. 6. Alexan. IV. Licet.

Edita A. D. 1572.

GREGORIVS PAPA XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. DVm ad vberes salutiferosque fructus, quos benedicente Domino facer dilectorum filiorum Fratrum Eremitarum S. Augustini Ordo in vinea Domini protulit, & in dies proferre non cessat, debitum respectum habemus, ac plane agnoscimus quod ij tamquam huius Sedis speciales filij, tam verbum Dei per Vrbes & Regiones disseminando, quam vbique varia charitatis opera adimplendo, nos in huius Pastoralis officij onere coadiuuare non cessant, facere nullo modo possumus, quin eos speciali quadam huius Sedis benevolentia prosequentes, ea sibi fauorabiliter concedamus, per quæ eorum indemnitati, Monasteriorumque suorum vtilitati potest salubriter prouideri.

Causæ huius concessionis. §. 1. Exponi sane nobis nuper fecerunt iidem Fratres Eremitæ, quod sæpenumero accidit, vt pro aliqua vrgenti necessitate vel vtilitate Monasteriorum, domorum & locorum dicti Ordinis, tam virorum quam mulierum, illorum bona locare, alienare, permutare, vel in emphyteusim seu liuellum dare expediret, ac quandoque contingit, vt conditio semel oblata, si prætermittatur, maximam afferat iacturam, præterquam quod difficile admodum existit pro singulis minimis commutationibus, & aliis contractibus ad Sedem præfatam recurrere, ac id non sine ipsius Ordinis in paupertate fundati inquietudine esse potest. Quare iidem Fratres Eremitæ nobis humiliter supplicari fecerunt, vt in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concessio facultatis alienandi bona Ordinis, cum licentia vel approbatione Prioris generalis, & dummodo fiat in euidentem vtilitatẽ dicti Ordinis.

§. 2. Nos fel. record. Sixti Quarti & Leonis Decimi, ac aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorũ vestigiis inhærere volentes, ipsosque Fratres Eremitas, & eorum quemlibet à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem Fratribus Eremitis, vt ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus Fratres & Moniales dicti totius Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, omnium & quorumcumque monasteriorum, domorum & locorum eiusdem Ordinis vbilibet nunc & pro tempore consistentium, libere & licite possint & valeant, quæcumque bona stabilia & immobilia, seu quasi stabilia cuiuscumque qualitatis & quantitatis, & valoris, & in quocumque loco existentia eorumdem monasteriorum, domorum & locorum vendere, alienare, & permutare, & etiam in emphyteusim, seu ad liuellum, etiam ad longum tempus concedere, & pro pretio, affictu, pactis, modis, & formis hinc inde conueniendis, licentiam & facultatem Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus. Prouiso tamen quod fiant pro commoditate vel vtilitate ipsorum Monasteriorum, domorum & locorum, & quod consensus duarum partium ex tribus partibus Fratrum vel monialium illius Monasterij, domus, vel loci, cuius dicta bona erunt, accedat & interueniat, & quoad concessionem in emphyteusim, dummodo illa non fiat vltra duas generationes vel nominationes, absque alia à nobis vel successoribus nostris Roman. Pontificibus pro tempore existentibus, aut Sede Apostolica, vel illius de latere Legatis, seu Nunciis, aut etiam locorum Ordinariis, petenda vel obtinenda licentia, seu confirmatione; ita tamen quod loco consensus Sedis Apostolicæ, dilectus filius Prior generalis dicti Ordinis, nunc & pro tempore existens, & diligenter examinata, & euidenter vtili comprobata habeat, prout sibi ex nunc perpetuo concedimus potestatem ratificandi huiusmodi location. concession. venditionum. & alienation. ac contractus. Sic quod vbi talis ordo non fuerit seruatus, locatio, concessio, venditio, & alienatio, ac contractus aliter facta, nulla & inualida, nulliusque roboris ac momenti existant; & donec præfatus Prior generalis modo præfato non ratificauerit, possessio remaneat, & remanere intelligatur penes ipsos Fratres seu Moniales dicti Monasterij seu domus, aut loci sic locantis & alienantis, ac ita in præmissis sic perpetuo declaramus & decernimus. Et nihilominus ex nunc prout ex tunc & à contra, postquam locationes, concessiones, venditiones, & alienationes, ac contractus, seruatis supra narratis, pro tempore facti, & per dictum Priorem generalem ratificati fuerint, vt præfertur, seu consensus eiusdem Prioris generalis interuenerit, easdem locationes, concessiones, venditiones, alienationes, & contractus, ac inde secuta quæcumque, necnon instrumenta & scripturas desuper pro tempore confecta, approbamus & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debere. statuimus, omnesque & singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem quomodolibet supplemus. Decernentes quoad vtilitatem seu commoditatem Monasteriorum, domorum, & locorum prædictorum, assertioni duarum partium ex tribus partibus Fratrum vel Monialium illius loci cuius bona erunt, postquam ratificatio facta fuerit, illasque & illa, necnon præsentes, & in eis contenta, validas & efficaces, ac valida & efficacia perpetuo fore, necnon ab omnibus obseruari debere, ipsosque & cum eis contrahentes præfatos, super præmissis, & inde secutis quibuscumque, per quoscumque quauis auctoritate quomodolibet molestari vel impediri non posse; necnon irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio & facultas executorum. §. 3. Quocirca Venerabilibus fratribus nostris Ioanni Episc. Albanen Cardinali de Montepolitiano nuncupato, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, Protectori, & Alexandro Patriarchæ Alexandrino curiæ causarum

Digitized by Google

rum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, ac Bartholomæo Episcopo Amerino Cancellariæ Apostolicæ Regenti, nunc & pro tempore existentibus, per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit requisiti, solemniter publicantes, eisque & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant easdem præsentes, & in eis contenta, quæcumque ab omnibus quos illa concernunt, integre & inuiolabiliter obseruari. Non permittentes eos, aut eorum aliquem desuper contra earumdem præsentium tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet & rebelles, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Derogatio citrariorum.

§. 4. Non obstantibus fel. record. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri de vna, & Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas quis vigore præsentium ad iudicium non trahatur, & aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon quibusuis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibusuis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam Motu proprio, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis & innouatis, quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, ac totis eorum tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus; ceteriisque contrariis quibuscumque; seu si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Dat. P. A. 1. die 5. Septēb.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die quinta Septemb. millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Pont. nostri anno primo.

V I.

Institutio Militiæ S. Mauritij Martyris, sub regula Cistercienſi, ac sub regimine Emanuelis Philiberti Sabaudiæ Ducis, suorumque Successorum, qui d. Militiæ Magni Magistri perpetuo sint.

Huic Militiæ hic idem Pontifex vniuit postea aliam Militiam S. Lazari Hierosolymitani, vt in constit. seq. De qua S. Lazari Militia, *vide plene notata sup. in const. 28. Pij V.* Sicuti.

Edita A. D. 1572.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Christiana Reipublicæ vexatio.

CHristiani populi corpus, sic summa Dei prouidentia cernitur constitutum, vt quemadmodum Ecclesiasticis personis propria est operatio attributa, ita strenuis & fortibus viris, tamquam Christi Athletis, sua benemerendi occasio sit oblata. Cum ad eum quoque finem Deus sæcularem Principibus potestatem dederit, vt debitum sanctæ Religioni præstent famulatum, atque his inter se cohærentibus, & militiæ præsidio Sacerdotum pietas in suo officio protegatur, & militum virtus amore Religionis augeatur, vnde illius fides, & gloria sit propaganda; id vero summo conatu pro tempore esse agendum, vt quam maxima Christianæ & Catholicæ fidei adiumenta comparentur, Reipublicæ Christianæ grauissima vulnera ab hæreticis sathanæ ministris inflicta, & ab eisdem, ac infidelibus in posterum impendentia mala, satis aperte nos admonent: ac inter ceteras Christiani populi partes, his præcipue malis hæreticorum venenis, dolis, insidiis, atque oppressionibus obnoxiæ conspiciuntur Sabaudiæ & finitimæ Regiones, ob vicinitatem adiacentium quorumdam locorum, præsertim Geneuæ, à quo ipsa hæresum contagio, & pestis circumquaque serpsit, atque manauit.

Ducis Sabaudia propositio, de instituenda militia; S. Mauritij. & petitio licentiæ.

§. 1. Itaque cum dilectus filius nobilis vir Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux, pro sua præstanti pietate, ac prudentia, hæc diligenter considerans in animum induxerit, ad alia quæ ipse consueuit; tuendæ & augendæ Catholicæ Religionis causa, in locis ditioni suæ subiectis adhibere remedia illa, & adiungere, vt ex delectis omnis generis Christiani populi militibus, vnam Sanctæ Sedis auctoritate conficiat militiam, Beati Mauritij Martyris nuncupandam, quem idem Emanuel Philibertus Dux, & eius antecessores, vt præcipuum suum, ac rerum suarum protectorem, eximio ac perpetuo studio & veneratione sunt prosecuti, idque nobis exponi fecerit, ac simul supplicari, vt hoc ei impartire dignaremur.

Pontificis collaudatio de d. propositione, & concessu d. licentiæ.

§. 2. Nos optimum illius consilium, ac ipso maioribusque eius clarissimis & præstantissimis Principibus dignum animum, meritis in Domino laudibus commendantes, ac prospicientes ipsam sic constituendam militiam, maximo sui & præsidio fore non solum ipsis Sabaudiæ, & Pedemontium Prouinciis, sed tori etiam Italiæ ad sustinendos & propulsandos quosuis hæreticorum, & infidelium impetus, ac opportunissimum ibi propugnaculum, munimentum & auxilium habituros esse, Nos; Ecclesiamque Romanam, ac vniuersam Christianam Rempublicam in ipso militiæ robore, ac talis Ducis maxima virtute, rerumque bellicarum summa, & sæpe cognita peritia, illi super hac re, prompto ac libenti animo annuendum, piosque eius conatus speciali fauore, & gratia duximus prosequendos.

Ipsaque institutio Militiæ S. Mauritij sub regula Cisterciensi, & sub Duce Sabaudiæ, qui dotem 25. millescutorum de propriis bonis tribuere debeat.

§. 3. Quare ipsum Emanuelem Philibertum Ducem à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, eius supplicationibus inclinati, vnam Militiam, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, qui Dominus est exercituum, & per quē Reges regnant, ac Principes imperant; & Fidei Catholicæ in dictis Sabaudiæ & Pedemontis Regionibus defensionem, ac vniuersæ Italiæ, totiusque Christianæ Reipublicæ salutem & commodum, sub inuocatione S. Mauritij Martyris, & regula Cisterciensi nuncupandam per vniuersum Christianum orbem, cuius suprema Sedes, & militum Conuentus in loco ab eodem Emanuele Philiberto Duce in Sabaudia statuendo & assignando, perpetuo sit; & in ipsa Militia vnum Magistrum Magnum vocandum, supremam eiusdem Militiæ dignitatem pro vno Magistro, qui illius caput existat, cum eo quo sibi expedire videbitur militum & ministrorum numero. Qui Milites cum vnica tantum; & virgine coniugati; ad habitum & professionem regularem admitti, seu qui pro tempore admissi fuerint matrimonium, cum simili virgine & vnica dumtaxat contrahere possint, alias vero ipsi castitatem coniugalem, & obedientiam expresse profiteantur, cum mensa Magistrali, officiis, iuribus, iurisdictionibus, & insignibus consuetis aliarum huiusmodi Militiarum instar, ex nunc prout postquam ipse Emanuel Philibertus Dux dotem annui redditus quindecim millium scutorum de propriis & patrimonialibus bonis suis illi constituerit, & è contra auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo erigimus & instituimus. Ac illi sic erectæ, eiusque mensæ dictam dotem quindecim millium scutorum, etiam perpetuo applicamus & appropriamus, ita vt liceat eidem Emanueli Philiberto Duci, & pro tempore existenti Magno Magistro, bonorum dictæ dotis corporalem possessionem, seu quasi libere apprehendere, ac perpetuo retinere, fructusque & prouentus, in suos & dictæ Militiæ vsus, & vtilitatem conuertere, cuiusuis licentia minime requisita. Et nihilominus Magistratum prædictum, cuius fructus redditus, & prouentus nulli sunt ab hac eius primæua

erectione vacantem, cum omnibus iuribus & pertinentiis suis, prædicto Emanueli Philiberto Duci, eiusque successoribus omnibus Sabaudiæ Ducibus, qui pariter Magni Magistri esse debeant, & perpetuum concedimus & assignamus.

Facultas M. Mag. milites ad habitum recipiendi.

§. 4. Ipsisque præterea, & ipsorum singulis liberam facultatem tribuimus, vt quotquot illis visi fuerint milites nobiles, aut optima virtute cognitos, vel alias pro eorum arbitrio vel statuto qualificatos, ex omnibus nationibus post factam ab ipsis, iuxta formam præsentibus adnotatam Catholicæ fidei professionem, ad habitum, & regularem professionem admittere.

Beneficia erigendi.

§. 5. Ac & in quibuscumque mundi partibus Prioratus, Baiuliuatus, Præceptorias, & alia beneficia dictæ militiæ erigere.

Bona laicalia pro dote assignandi.

§. 6. Eisque sic erectis Patrimonialia & laicalia bona eorum qui illa relinquere voluerint, dotis nomine assignare.

Ius patronatus fundatoribus reseruãdi.

§. 7. Ius patronatus fundatoribus, seu dotatoribus id petentibus valide reseruare, quod sic reseruatum idem robur, eamdemque vim & efficaciam obtineat, quod obtineret si per nos concessum foret.

Prouincias, & Nationes separandi.

§. 8. Necnon Prouincias & nationes diuidere, ac ex erigendis dictæ militiæ beneficiis quæ Prioratus, quæ Præceptoriæ, quæ superiora vel inferiora beneficia esse, eaque & eorum singula quos fructus habere, & tam ipsa quam illa obtinentes, quæ onera supportare adilla quoque admittendi, quibus qualitatibus suffulti esse, & quibus legibus subiacere debeant, aliaque ad vsum militiæ huius necessaria decernere & declarare.

Statuta condendi.

§. 9. Atque tam de prædictis, quam aliis quibuscumque rebus & negociis occurrentibus, quæcumque statuta condere, facere, & ordinare, illaque postquam condita & ordinata fuerint quotiescumque visum fuerit, pro eorum arbitrio & voluntate interpretari, mutare, alterare, limitare, corrigere, seu in meliorem formam reducere, aut in totum delere, aliaque de nouo edere, ac quascumque pœnas apponere, & ad illorum executionem procedere valeant.

Decretum irritans.

§. 10. Decernentes supradicta, firmitate perpetua consistere, ac irritum & inane, quicquid secus super illis per quoscumque, scienter vel ignotanter contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§. 11. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma vero professionis Fidei per singulos Milites præstanda hæc est, videlicet.

Forma professionis fidei ipsorum Militũ.

§. 12. EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia & singula quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Et in vnũ Dominum IESVM CHRISTVM Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis. Et incarnatus est Spiritu Sancto, ex MARIA Virgine, & Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes & constitutiones firmissime admitto, & amplector. Item sacram scripturam iuxta eum sensum quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione sacrarum scripturarum admitto, nec eam vmquam, nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere & proprie Sacramenta nouæ legis à IESV CHRISTO Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio & admitto. Omnia & singula quæ de peccato originali, & de iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio; profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorum sacrificium, pro viuis & defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, ac substantialiter, corpus & sanguinem, vna cum anima & diuinitate Domini nostri IESV Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum, summeque constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuuari, similiter & Sanctos vna cum Christo regnantes, venerandos, atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmiter asseró Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem atque venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram agnosco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac IESV CHRISTI Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro. Cetera itẽ omnia à sacris Canonibus, œcumenicis Conciliis, ac præcipue à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram & immaculatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissime, Deo adiuuante, retinere & confiteri, atque à meis subditis, seu illis quorum cura ad me, in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum. Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro, sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Sanctio pœn.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, concessionis, assignationis, tributionis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostorum eius, se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis, Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, 16. Kal. Octob. Pontificatus nostri anno primo. *D. P. An. 1. 16. Septemb.*

VII.

Vnio Militiæ S. Mauritij Martyris, & Militiæ S. Lazari Hierosolymitani, sub denominatione SS. Mauritij & Lazari, & regimine Sabaudiæ Ducis Magni Magistri perpetui.

Institutionem Militiæ S. Mauritij nuper erectam, vide in const. præced. Et de Militia S. Lazari, *plene notaui sup. in const. 27. Pij V.* Sicuti.

Edita A. D. 1572.

GREGORIVS EPISCOPVS *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Solicitudo pastoralis.

PRo commissa nobis nullis nostris exigentibus meritis, sed sola Dei benignitate, Ecclesiarum omnium, ac piorum

piorum religioſorumque locorum cura & ſolicitudine, in eam nos cogitationem aſſidue incumbere decet, qua potiſſimum ratione prouidere poſſimus, vt ex eis quam maxima & quam vbertrima, ad ſanctam Dei religionem, & fidem Catholicam, atque vniuerſum populum Chriſtianum commoda proueniant, ordine etiam & conſuetudine in illis murata, ſicut rerum vſus & euentus, ac ipſa temporum ratio, & qualitas docuerit expedire.

Recitatur inſtitutio Militiæ S. Mauritij de qua ſup. in conſt. præcedente.

§. 1. Cum autem nos pridem ad Dei omnipotentis laudem, & fidei Catholicæ gloriam, in Sabaudiæ & Pedemontis Regionibus defenſionem, totiuſque Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem & commodum, militiam S. Mauritij Martyris, ſub regula Ciſtercien. per vniuerſum Chriſtianum Orbem, cuius ſuprema Sedes, & Militum Conuentus in loco à dilecto filio nobili viro Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce in ipſa Regione Sabaudiæ aſſignando & ſtatuendo perpetuo ſit, & in eadem Militia vnum Magiſtratum, Magnum vocandum, ſupremam eiuſdem Militiæ dignitatem, pro vno Magiſtro qui illius caput exiſtat, cum eo qui ſibi expedire videbitur, Militum & Miniſtrorum numero, qui Milites etiam cum vnica, & virgine tantum coniugati ad habitum & profeſſionem regularem admitti, ſeu qui pro tempore admiſſi fuerint ſic dumtaxat contrahere poſſint, & alias caſtitatem coniugalem & obedientiam expreſſe profiteantur, cum mensa magiſtrali, officiis, iuribus, iuriſdictionibus & inſignibus conſuetis aliarum huiuſmodi Militiarum inſtar ex tunc, prout poſtquam dictus Emanuel Philibertus Dux, dotem annui redditus quindecim millium ſcutorum de propriis & patrimonialibus bonis illi conſtituiſſet, & è contra, ereximus & inſtituerimus, ac illi ſic erectæ dictã dotem perpetuo applicauerimus & appropriauerimus, Magiſtrumque prædictum à primæua ipſius erectione vacantem eidem Emanueli Philiberto Duci, eiuſque ſucceſſoribus omnibus Sabaudiæ Ducibus, qui Duces pariter & Magni Magiſtri eſſent, conceſſerimus & aſſignauerimus. Ac præterea ipſis, vt quos ſibi viderentur nobiles, aut optima virtute cognitos, vel alias pro ipſorum arbitrio vel ſtatuto qualificatos ex omnibus nationibus, ad habitum & regularem profeſſionem admittendi, ac etiam in quibuſcumque mundi partibus dictæ Militiæ, Prioratus, Baiuliuatus, Præceptorias, & alia beneficia erigendi, Prouincias & nationes diuidendi, aliaque tunc expreſſa faciendi, liberam licentiam tribuerimus, ſicut literis noſtris ſuper his confectis latius continetur.

Enarrantur fructus prouenturi ſi dicta noua Militia S. Mauritij antiquæ vniatur Militiæ S. Lazari.

§. 2. Nos poſtea diligenti meditatione conſiderantes ipſam de nouo erectam & conficiendam Militiam, magnos abſque dubio fructus, tali præſertim ductore, atque Magiſtro fidei Catholicæ eſſe allaturam; ſed multo tamen maiores ſi aliis adiumentis & auxiliis fulcita, atque munita fuerit, ac præterea cernentes Militiam Hoſpitalis S. Lazari Hieroſolymitani ſub regula S. Auguſtini iampridem Magiſtri regimine deſtitutam, nobilem illam quidem & antiquam, ſed ipſa veruſtate, ac temporum iniuria valde dejectam & prolapſam eſſe, optimum nobis viſum eſt, ſi hanc veterem illi nouæ, & nunc naſcenti adiungeremus, vt quod hæc in ipſo initio per ſe agere perfecte non poſſet, id alterius adiuta auxilio, & viribus geminatis fortior ſit ad agendum, atque citius & facilius hæ ſimul iunctæ, optatos Eccleſiæ Dei & Chriſtiano populo fructus afferre poſſint.

Maximequod Dux Sabaudiæ duas triremes pro Sede Apoſt. promptas tenere debeat.

§. 3. Id vero facere inſtituimus, cum eo quod Emanuel Philibertus, & pro tempore exiſtens Dux & Magiſter prædictus annexionis huiuſmodi ratione duas Triremes dictis Militibus inſtructas pro Sedis Apoſtolicæ defenſione contra hæreticos, infideles, piratas, & quoſcumque alios eius hoſtes continue de ſuo manutenere debeat.

Vnio itaque vtriuſq; Militiæ firmatur ſub denominatione SS. Mauritij & Lazari.

§. 4. Quare eumdem Emanuelem Philibertum Ducem & Magnum Magiſtrum, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, Motu proprio non ad ipſius Emanuelis Philiberti Ducis, vel alterius pro eo nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera liberalitate, & certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Militiam S. Lazari prædictam cum illius Magiſtratu, ac omnibus & quibuſcumque illius Prioratibus, Præceptoriis, Hoſpitalibus, & aliis beneficiis regularibus, eorumque membris, grangiis, caſtris, villis, domibus, poſſeſſionibus, proprietatibus, fructibus & bonis, tam mobilibus quam immobilibus, ac ſe mouentibus, iuribus, & actionibus vniuerſis. Necnon Eccleſiis, Capellis, terminis & pertinentiis quibuſcumque ad dictam Militiam S. Lazari ſpectantibus, quæcumque, quorcumque, qualiacumque, & vbicumque ſint, non tamen aliis Eccleſiis, piis locis, & Militiis canonice vnita, quæ ab his quibus vnita ſunt auocari, aut illorum ratione quemquam moleſtari nolumus, ac etiam exceptis iis quæ in Regnis & Dominiis chariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici exiſtunt, eidem Militiæ S. Mauritij quæ in poſterum Militia SS. Mauritij & Lazari nuncupetur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ita perpetuo vnimus, annectimus, & incorporamus, vt poſt hac in perpetuum prædictus Emanuel Philibertus, & pro tempore exiſtens Sabaudiæ Dux Militiæ Sanctorum Mauritij & Lazari Magiſter ſit, & appelletur.

Tu quoad loca hic excepta vide cõſt. 102 Clem. VIII. Decet.

§. 5. Ac Prioratus, Præceptoriæ, & alia beneficia Militiæ S. Lazari, & ea obtinentes, aliique milites, ſeruientes, Capellani, & perſonæ, curæ, gubernationi, & iuriſdictioni ipſius Ducis, & Magni Magiſtri, in omnibus & per omnia ſubſint, prout ſuo antea Magiſtro ſuberant, eique tanquam membra capiti obediant & obſequantur; liceatque eidem Duci & Magiſtro corporalem poſſeſſionem Militiæ S. Lazari, eiuſque Magiſtratus, & aliorum vnitorum prædictorum per ſe vel alium ſeu alios, propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuò retinere, fructuſque redditus, & prouentus, in ſuos & dictæ Militiæ vſus & vtilitatem conuertere, diœceſani loci, vel cuiuſuis alterius licentia minime requiſita.

Militiamq; S. Lazari ſubiicit Duci Sabaudiæ Mag. Magiſtro in perpetuum.

§. 6. Inſuper his, qui præceptorias S. Lazari, in titulum ſeu commendam, vel aliter quouis modo obtinent habitum per dictum Ducem, & Magiſtrum Militibus SS. Mauritij & Lazari, deſignandum ſuſcipiendi, & eidem Emanueli Philiberto Duci, & Magno Magiſtro, hiſque qui habitum S. Lazari iam ſuſceperunt, & deſerunt, nouum, dimiſſo antiquo volentibus tradendi; eos vero qui dictum S. Lazari habitum nondum ſuſceperunt, ad nouum habitum, vt præfertur deſignandum, ſuſcipiendum, & deferendum oppoſitionis remediis compellendi, auctoritate & tenore prædictis facultatem concedimus.

Quæ duas triremes paratas vt ſupra tenere debeat.

§. 7. Volentes, & dicta auctoritate ſtatuentes eumdem Emanuelem Philibertum, & pro tempore exiſtentem Ducem, & Magnum Magiſtrum in perpetuum, vnionis huius ratione, ad duas triremes dictis Militibus inſtructas, pro noſtra & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, ac Sedis Apoſtolicæ contra prædictos & quoſcumque alios defenſione continua manutenendas teneri, & ad id efficaciter obligatum exiſtere.

Principes nè impediat executionem hortatur.

§. 8. Vt autem prædicta omnia certiorem conſequantur effectum, omnes & quoſcumque Reges, Reſpublicas Duces, Marchiones, Principes, & quoluis Ciuitatum & locorum Dominos, hortamur & rogamus, attente, ac eorum ſubditis, in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, vt prædictis, quantum in ſe eſt faueant, & quo minus illa ſuum ſortiantur effectum, impedire, perturbare, vel moleſtare quouis quæſito colore non audeant.

Clauſulam ſublata, & ſi opponit.

§. 9. Decernentes irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executoriũ deputat.

§. 10. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopo Taurinen. & Niceñ. & Montis Regalis Epiſcopis, per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, vt ipſi vel duo, aut vnus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Emanuelis Philiberti, & pro tempore exiſtentis Ducis, & Magni Magiſtri fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eique in prædictis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra literas ipſas ab omnibus

Digitized by Google

quos illæ concernunt, inuiolabiliter obſeruari, non permittentes eos per quoſcumque quomodolibet indebite molęſtari, contradictores quoſlibet & rebelles, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, cenſuras & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Contrarijs derogat.

§. 11. Non obſtantibus fel. record. Bonifacij Papæ Octaui prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas quis vigore præſentium ad iudicium non trahatur, ac noſtra de vnionibus committendis, ad partes, & valore exprimendo. Necnon Lateranenſis Concilij nouiſſime celebrati, vniones perpetuas, niſi in caſibus à iure permiſſis fieri prohibentis, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Hoſpitalis prædicti S. Lazari iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſuis Militiæ prædictæ, illiuſque Magiſtris, Conuentibus, Militibus, & adminiſtratoribus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, & motu, & ſcientia ſimilibus, ac alias quomodolibet, & iteratis vicibus, conceſſis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus, etiam ſi de illis, ac totis eorum tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & indiuidua mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro ſufficiẽter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrarijs quibuſcumque; aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra vel vltra certa loca ad iudicium trahi non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Sanctionem pœnale addit.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, vnionis, annexionis, incorporationis, conceſſionis, voluntatis, ſtatuti, hortationis, rogationis, decreti, mandatorum, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

D. P. An. 1. 13. Nouemb.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Idibus Nouemb. Pontificatus noſtri anno primo.

VIII. Declaratio circa eleemoſynas Monialibus ſeruantibus clauſuram præſtandas.

Ad hæc vide etiam ſupra conſtit. Pij V. Circa *num. 8. Et ante eam, Concilij Trid. diſpoſitionem in cap. 5. ſeſſ. 15.*

Edita An. D. 1572.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

DEo ſacris virginibus, quæ contemptis illecebris ſæculi diuinis ſe obſequis manciparunt, æquiſſimum eſt præcipua quadam à nobis, ac ſingulari ſolicitudine prouideri, tum vt ab eis omnia, quæ ſanctum ipſarum propoſitum impedire poſſent, remoueantur, tum etiam vt eis in cultu Dei caſte ac religioſe permanentibus, quæ ad victum neceſſaria ſunt, ſubminiſtrentur.

Conc. Trident. decretũ iſtud habet in ſeſſ. 25. c. 5. Pij V. conſtit. iſtam habet ſup.

§. 1. Et quidem poſt ſacri Conc. Trident. decretum, quo conſtitutio fel. record. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Periculoſo, renouatur, prohibens ne aut ipſis monialibus ex monaſteriis ſuis egredi, aut vlli cuiuſcumque ſexus, aut ordinis perſonæ ad eas ingredi liceat. Et præterea vniuerſis Epiſcopis præcipitur, vt in omnibus monaſteriis ſibi ſubiectis, in aliis vero Sedis Apoſt. auctoritate clauſuram ſanctimonialium vbi violata, diligenter reſtitui, vbi vero inuiolata, conſeruari maxime procurent, piæ mem. Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter, victui quoque & neceſſitatibus ipſarum proſpicere cupiens, cum ſuperiora illa approbaſſet atque innouaſſet, eademque omnia etiam in monialibus quarumcumque militiarum etiam Hieroſolymitanæ, omnibuſque aliis tacite vel expreſſe religionem profeſſis, quocumque nomine cenſerentur locum habere decreuiſſet; ne illæ quicquam detrimenti in neceſſitatibus ſuis hac occaſione paterentur, etiam præcepit locorum Ordinariis, & ſuperioribus earum, vt fidelium eleemoſynas per conuerſas non profeſſas, vel profeſſas quidem, ſed ætatis ſaltem quadraginta annorum, & iampridem conuerſas, quæ in domibus contiguis, extra tamen Monaſterium degerent, colligendas curarent; ita tamen vt prædictæ conuerſæ neque clauſuram aliarum Monialium, niſi in caſibus permiſſis ingrederentur, nec ex illis ipſis habitationibus ſuis ad tales eleemoſynas colligendas ſine permiſſu Ordinariorum, aut ſuperiorum ſuorum exire poſſent. Quod ſi ne hoc quidem ſufficere videretur, idem Pius prædeceſſor mandauit ipſis Ordinariis & ſuperioribus vt negotium darent aliquibus perſonis piis tales eleemoſynas colligendi, aliaque arbitratu ſuo proſpicerent, quæ ad ſubleuandam monialium inopiam expedire iudicarent.

Cauſa huius conſt.

§. 2. Cum autem, ſicut accepimus, multæ Moniales, etiam quæ tertiariæ vocantur, ſub ſolemni Religionis voto, perpetuaque clauſura degentes, aliæque talibus literis comprehenſæ, & in ipſa clauſura permanentes, multis præterea ad ſe ſuſtentandas neceſſariis egeant, neque vſque ad hoc tempus vllo ſufficienti remedio earum neceſſitatibus ſubuentum ſit. Quin etiam aliæ tertiariæ citra vllum ſolemne hucuſque votum viuant, quæ ad ſuas ſuorumve domos neutiquam redituræ eſſent, ſed ſub ſolemni religionis voto, & clauſura prædictis permanerent, ſi earum congruæ ſuſtentationi prouideretur, nos, qui illas neceſſariis rebus deſtitui nolumus, certioreſque facti ſumus in multis Ciuitatibus, oppidis, villis, aut aliis locis tam in Eccleſiis, & Monaſteriis, quam hoſpitalibus, collegiis, confraternitatibus, & aliis locis piis, etiam quæ à priuatis hominibus, tum Eccleſiaſticis tum laicis multas ac diuerſas eleemoſynas Chriſti pauperibus erogari, conſiderantes in eiuſmodi perſonas vel in primis exercendam eſſe charitatem, quæ voluntaria paupertate ſuſcepta ab omni hominum commercio ſegregatæ Deo ſeruiunt, & aſſiduis precibus iram ipſius ob peccata conceptam, Chriſtiano populo deprecantur: illud quoque cogitantes, ſi eis ad tales eleemoſynas petendas ad loca prædicta conferre ſe liceret, via fore, vt prædicta Monaſteria, Eccleſiæ, loca, ac perſonæ eis ſingulis non tantum ſaltem tribuerent, quantum ſingulis aliis pauperibus eodem concurrentibus ſolent, vniuerſo illi Deo deuotarum mulierum generi de opportunæ ac ſufficientis ſubuentionis auxilio prouidere cupientes.

Et modo ab iſto Pont. applicatur Monialib. clauſuram ſeruantibus, meditatæ eleemoſynarum.

§. 3. De nobis attributæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus, & ordinamus, vt omnes, & quicumque Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alij Eccleſiarum Prælati, necnon Abbates, Priores, Præpoſiti, & alij Eccleſias Patriarchales, Primatiales, Metropolitanas, cathedrales, & alias Eccleſias, necnon Monaſteria, prioratus, præpoſituras, canonicatus, præbendas, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, officia, ceteraque beneficia Eccleſiaſtica, cum cura & ſine cura, ſæcularia & S. Benedicti, S. Auguſtini, Ciſtercien. Cluniacen. Præmonſtraten. Carthuſien. Camaldulen. S. Baſilij, Caſſinen. alias S. Iuſtinæ, Montis Oliueti, S. Saluatoris, ac Lateranen. & Crucigerorum, ſeu fratrum S. Hieronymi, necnon Prædicatorum, Minorum, Minimorum, & Carmelitarum, Eremitarum eiuſdem S. Auguſtini, Seruorum B. Mariæ, S. Clarę, & quorumcumque aliorum tam virorum, quam mulierum etiam Mendicantium Ordinum, & Congregationum, & Militiarum regularia, etiam de iure patronatus laicorum, etiam Nobilium, Ducum, Regum, & aliorum Principum exiſtentia, in titulum, commendam, adminiſtrationem, & alias quomodocumque obtinentes, necnon Rectores, Gubernatores, Confratres, Adminiſtratores, ceterique omnes, qui ratione illorum, necnon Capitulorum, Conuentuum,

Digitized by Google

Conuentuum, mensarum, hospitalium etiam laicorum, & per laicos administrari solitorum, Christi fidelium confraternitatum, scholarum, collegiorum, ac aliorum piorum locorum quocumque nomine nuncupatorum, & in quibusuis mundi partibus consistentium, quæ singulis annis, mensibus, hebdomadis, vel diebus ex Ecclesiarum, Monasteriorum, prioratuum, officiorum, dignitatum, & beneficiorum, ac congregationum, hospitalium, confraternitatum, scholarum, collegiorum, piorum & & aliorum locorum prædictorum fructibus, redditibus, & prouentibus, pauperibus Christi aliquas eleemosynas in pane, frumento, farina, vino, eduliis, pecunia, seu aliis ad victum vel vestitum pertinentibus, etiam supplicationem & preces, & per cedulas & bolettina, aut alias distribuere, & elargiri ab immemorabili tempore consueuerunt, aut alio quocumque iure tenentur ex dictis fructibus, redditibus, & prouentibus, & quoad hospitalia prædicta ex iis quæ seruata in illis actuali hospitalitate supersunt seu supererint, necnon quæcumque personæ particulares etiam laicæ, vel vniuersitates etiam laicorum, quod testamento, vltima voluntate, vel alia dispositione, etiam inter viuos, aliquales tales eleemosynas facere tenentur, dimidiam partem omnium, & quarumcumque eleemosynarum, & largitionum huiusmodi, quocumque nomine nuncupatarum, quocumque tempore, & modo distribui solitarum, etiam si speciali nota dignæ, & secundum pias defunctorum, aut aliorum voluntates sub certa forma ab eis in testamento, vel alia quacumque dispositione distribuendæ sint (dummodo non in certas personas, nec ad certos vsus pios alios quam victus, & alimenta pauperum distribuantur) quibuslibet prædictarum Monialium etiã Tertiariarum sub solemni Religionis voto, & perpetua clausura de cetero viuentibus, & in terris, & locis quorum pauperibus huiusmodi eleemosynæ distribuuntur, consistentibus, vere, realiter, & cum effectu, & absque vlla eleemosynarum, & largitionum huiusmodi petitione, exactione, & conquisitione, aut alia desuper à nobis expectata iussione, aut mentis nostræ declaratione, ac quibusuis mora, subterfugio, ac exceptione cessantibus, & ejectis, dare atque distribuere omnino teneantur, & quam dimidiam partem nos illis applicamus.

Ordinarij locorum exigãt, & applicent, & distribuãt huiusmodi eleemosynas.

§. 4. Vt autem præmissa omnia, cum charitate, & pietate procedant, & efficaciter suum effectum sortiantur, vniuersis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis per Apostolica scripta mandamus, vt quisque per se, vel alium seu alios ad præsentium executionem in suis ciuitatibus, & diœcesibus procedens, ab Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Confraternitatibus, Scholis, Collegiis, & locis, & Ecclesiasticis, ac laicis personis prædictis, etiam quomodolibet exemptis, dimidium eleemosynarum huiusmodi exigant, ac pro portione, vt Ordinariis ipsis locorum æquum esse videbitur, singulis pauperum Monialium etiam Tertiariarum Monasteriis huiusmodi suarum Ciuitatum, & diœcesum, etiam si aliis superioribus subiectæ sint, cum effectu distribuant. Nos enim eisdem locorum Ordinariis etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegatis, ac cuilibet illorum tam per se quam alium, vel alios, præmissa faciendi, ac etiam contradictores quoslibet, & rebelles per pœnas pecuniarias eorumdem Ordinariorum, & cuiuslibet illorum arbitrio infligendas, & applicandas, ac in subsidium sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas aliaque opportuna iuris, & facti remedia, quacumque appellatione postposita respectiue compescendi, auxiliumque brachij sæcularis inuocandi, aliaque in præmissis, & circa ea necessaria, & opportuna faciendi, gerendi, mandandi, & exequendi; plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur.

Consanguineosque Monialium, & alios hortẽtur vt eisdem Monialibus charitatiue subueniant.

§. 5. Insuper, quia valde rationi consonum est, vt etiam ij, qui ipsis Monialibus etiam tertiariis indigentibus præfatis consanguinitate aliqua sunt coniuncti, aliquod in præmissis subsidium conferant, cum ratio sanguinis, & debitum charitatis, & honestatis id postulet, singulis locorum Ordinariis committimus, vt omni eos officio, & diligentia monere, eisque persuadere studeant, parentes vero, & fratres ac alios, ad quos illas, si in sæculo permansissent, dotare pertinebat, vel ad quos bona, & successiones deuenerunt, & qui si eas nuptui tradidissent, multo amplius, quam ingredientibus Monasterium dedissent, vel qui si eas nunc domi retinerent, vel si ad illorum domos redirent, eas alere tenerentur, quibuscumque viis ipsis beneuisis inducant, vt Monialibus etiam tertiariis prædictis iuxta eorum facultates charitatiue subueniant, scituri id sibi etiam ad animarum salutem plurimum profuturum.

Declaratio constitutionis Pij V. edita circa conuersas professas & non professas. Quam habes sup. eit. in rub.

§ 6. Ceterum quod attinet ad Conuersas professas, quas prædictus Pius prædecessor per prædictas literas sub certis conditionibus ibi contentis permisit posse manere extra Monasteria pro colligendis eleemosynis, eisdem locorum Ordinariis iniungimus, vt quibus Monasteriis prædictarum Monialium quotidianis laboribus computatis, supradicta vel alia qualibet ratione de sufficienti subuentione, & sustentatione prouisum esse cognouerint, easdem Conuersas sub eadem clausura cum aliis Monialibus reducant, neque à suis Monasteriis amplius exire permittant. Conuersas verò non professas, & profiteri nolentes, dimisso habitu domum remittant; neque alias in futurum, nisi professionem suo tempore emissuras, atque sub perpetua clausura mansuras in Monasteria huiusmodi recipi permittatur. Quod autem id Pius prædecessor statuit de cetero nullas alias Conuersas professas recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum posse, ita esse intelligendum declaramus, præter illas Conuersas, quæ extra Monasterium in domibus contiguis degerent. Eleemosynarum verò prædictarum contributionem, & applicationem durare, & valere decernimus, ac suos effectus ad plenum sortiri debere, donec numerus Monialium etiã tertiariarum huiusmodi (quem per ipsos locorum Ordinarios etiam in Monasteriis ab eorum cura, & regimine quomodocumque exemptis, cum illarum Superiorum interuentu stabiliri, & ordinari, neque supra illum numerum alias recipi posse, etiam de consensu Superiorum suorum, volumus, & mandamus) ita imminutus fuerit, vt reliquæ Moniales, & tertiariæ ex propriis redditibus Monasteriorum ipsorum, vel consuetis eleemosynis se commode sustentare queant: super quo eorumdem Ordinariorum conscientiam oneramus, ita tamen vt, decedentibus singulis ex tribus earumdem Monialium partibus, tertiæ quoque earumdem eleemosynarum partis distributio, & sic successiue in totum extinguatur atque in pristinum statum sub debitis aut solitis oneribus reuertantur, & remaneant. Declaramus præterea nullis Monialibus etiam tertiariis licere habere ostium, per quod ex Monasterio introiri possit ipsarum Monialium Ecclesiam exteriorem, in quam sæcularibus ad Missas, & diuina officia patere solet accessus; sed omnino muro obstruendum, neque itidem licere Monialibus etiam tertiariis egredi à ianua Monasterij, quæ est pro clausura ipsius Monasterij etiam ad claudendum aliam vlteriorem ianuam, qua patere solet aditus sæcularibus venientibus, vel ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquiis destinata, quæ vulgo parlatoria vocantur, vel ad pulsandum ipsam ianuam clausuræ; quæ loca, cum saltem pro causis prædictis patere soleant sæcularibus, extra clausuram censeri debent, etiam pro tempore clausa sunt.

Domini temporales fauedt in præmissis, Ordinarius.

§. 7. Insuper quoscumque dominos, & magistratus temporales in Domino hortamur, monemus, & requirimus, vt ad omnem ipsorum Ordinariorum, aut alicuius ipsorum petitionem, vel simplicem requisitionem, illis in præmissis, assistentes, omnes opportunum fauorem, & auxilium præstent, & exhibeant.

Ordinarij faciant publicari & obseruari hanc constit.

§. 8. Ipsis denique Patriarchis, Archiepiscopis, & aliis locorum Ordinariis præcipimus, & mandamus, vt has præsentes nostras literas (quarum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eamdem vbique fidem, in iudicio, & extra adhiberi debere volumus, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ) singuli in sua Ciuitate, & diœcesi publicent, ac publicari, easque iuxta earum continentiam, & tenorem, vna cum prædictis, ac aliis prædicti Pij V. & aliorum prædecessorum nostrorum literis, & constitutionibus, & iussionibus pro integra clausuræ instauratione, custodia & firmitate editis;

Digitized by Google

editis, inuiolabiliter obseruent, & obseruari faciant.

Derogatio cõtrariorum.

§. 9. Non obstantibus testatorum, & aliorum voluntatibus, ac fundationibus, & Bonifacij prædicti de vna, & Concilij generalis de duabus, non tamen tribus dictis, ac quibusuis aliis Apostolicis, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis Ecclesiarum, Monasteriorum, & illorum Ordinum, hospitalium, militiarum, confraternitatum, collegiorum, & aliorum, piorum locorum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegiis quoque indultis, exemptionibus, libertatibus, gratiis, & literis Apostolicis, Ecclesiis, Monasteriis, & Ordinibus, hospitalibus, confraternitatibus, collegiis, & piis locis, ac eorum superioribus, & personis quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet concessis confirmatis, approbatis, & pluries innouatis, etiam si in eis caueatur expresse quod illis nisi sub certa inibi expressa forma, aut alias derogari non possit: quibus omnibus, & singulis etiam si de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserterentur præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si supradictis vel quibusuis aliis ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 1. 30. Decemb.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, 3. Kalend. Ianuarij Pontificatus nostri anno primo.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1573. indict. 1., die vero 21. mensis Ianuar. Pont. Sanctissimi in Christo patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno 1. retroscripta litera affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Principis Apostolorum de Vrbe, S. Ioannis Lateranensis, Cancellariæ Apostolicæ & in acie Campi Florę, vt moris est, per nos Scipionem de Octauianis & Alexandrum Astancollum Cursores Apostolicos.

Petrus Sprengerius Mag. Curs.

IX. Reductio ad terminos iuris communis, & Concilij Tridentini, trium constitutionum à Pio V. pro Ordinibus Mendicantium, aliisque editarum.

Edita An. D. 1573.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

IN tanta rerum, & negotiorum mole, qua Rom. Pont. ex omnibus mundi partibus assidue premitur, vix vitari potest, ne aliqua interdum exiliant, quibus postea recognitis necesse est moderationis remedium adhibere.

Pius V. priuilegia multa mendicantib. concessit, vt sup. in trib. constit. 41. Et si.

§. 1. Cum itaque alias fel. record. Pius Papa V. prædecessor noster, auditis grauaminibus, quæ fratribus Ordinum Mendicantium ac Ordinariis locorum, & parochialium Ecclesiarum Rectoribus, multis modis inferri dicebantur, super sacris concionibus, & lectionibus habendis, confessionibus audiendis, pœnitentiis iniungendis, fratribus ad ordines promouendis, celebratione Missarum, cura animarum, sacramentorum ministratione, sepulturis, quarta funeralium, legatis, oonationibus, eleemosynis collectionibus, aliisque huiusmodi iuribus, necnon decimis, & diuersis oneribus, ac etiam super statu & regimine sanctimonialium ipsis fratribus subiectarum, formatione processuum, censurarum publicatione, processionibus, præcedentia, locorum acquisitione, certisque aliis rebus tunc expressis, multa per quasdam suas literas pro dictis Fratribus non modo statuerit, sed & quæ iam in Concilio Tridentino decreta fuerant ad hæc pertinentia declarauerit, multaque præterea priuilegia eisdem decimo septimo Kal. Iunij, Pontificatus sui anno secundo.

Et illa extendit ad alios ordines vt ibid. in fin. Et alia decreuit circa parochias vt sup. in bull. 47. Ad exequẽdum.

§. 2. Et deinde ea omnia diuersis aliis Ordinibus, & Congregationibus regularium non mendicantium, etiam per modum communicationis, concesserit.

§. 3. Postea per quamdam suam constitutionem de Vicariis perpetuis parochialibus Ecclesiis vnitis per Ordinarios locorum instituendis, & portione illarum Vicariis assignanda editam, alia super constitutione Fratrum eorumdem ad exercitium curæ animarum in eis parochialibus Ecclesiis, quæ domibus & locis suis vnita sunt, decreuerit.

Postea alia statuit.

§. 4. Demum animaduerso quod ea omnia multis dubitationibus inuoluta, magnisque difficultatibus obstructa, multas magnasque dissensiones, altercationes, & lites inter prædictos locorum Ordinarios, & fratrum ipsorum Ordines, non sine graui diuini cultus, & animarum detrimento, ac populorum scandalo concitauerant, contra ac ipse sperabat, & præter suam expectationem, vt qui interdum coquereretur multa aliter alioque sensu à se prolata fuisse, quam literis expressa essent: Cupiens his mederi incommodis, primum illa omnia quæ Regularibus aliorum Ordinum quàm Mendicantium communicauerat, & secundum præmissa concesserat, Motu proprio restrinxerit. Deinde plenius prouidere volens, prioribus literis à se quoad ipsos Mendicantes magna in parte moderatis, omnes, & quascumque alias literas quæ de aliis Ordinibus, & Congregationibus extra Mendicantium ordines de obseruantia nuncupatos emanauerant, omnino aboleuerit, causas omnes iam de his etiam in Romana Curia pendentes ad se aduocando, lites extinguendo, ac formatos super illis processus latasque sententias annullando, quemadmodum aliis suis literis in registro proxime compertis, numquam tamen publicatis, plenius continetur.

Deinde circa Confessiones aliam edidit bullam sup. num. 133.

§. 5. Postremo circa confessariorum Regularium etiam Mendicantium approbationem iuxta Concilij prædicti decretum faciendam, etiam lectores in Theologia graduatos, & certos alios tunc expressos comprehendi debere declarauerit.

Hæc Pont. omnes prædictas constit. Pij V. reducit ad terminos iuris, & Conc. Triden.

§. 6. Nos hac tanta varietate cognita, quæ etiam ex multiplici literarum, & constitutionum editione procedit, præsentibus & futuris discriminibus occurrere volentes, de nobis attributæ potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus, de prædictis & aliis omnibus literis & constitutionibus, quæ ab eodem prædecessore eisdem de rebus pro quorumcumque Regularium, etiam Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus, & quibuscumque in eis contentis, eam deinceps dispositionem atque decisionem pro subiecta materia futuram esse, quæ siue ex iure veteri, siue ex sacris dicti Concilij decretis, siue alias legitime ante dictarum literarum & constitutionum editionem erat, & si ipsæ non emanassent, futura fuisset, ad quam dispositionem & decisionem, suumque pristinum, & integrum statum, ac terminum illa omnia reducimus. Quin etiam tollimus, & abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, necnõ prohibitiones, declarationes, mãdata, & quæcumq; alia ipsis literis, & cõstitutionibus appositа, & alia & alias eorum occasione vel causa factis, his nostris statuto, ordinationi, & reductioni aduersantia, quibuscumque illa sint concepta formulis, ac præseruationibus, declarationibus, modificationibus, restitutionibus, mentis attestationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortissimis, efficacissimis, & inuiolabilibus clausulis, etiam motu & potestatis plenitudine similibus & ex certa scientia, etiam pro conseruatione status regularis, & ex quibuscumque aliis vrgentissimis causis quotiescumque roborata. Decernentes illa omnia pro nullis & infectis haberi, omnesque supradictos, illarum vsu, commodo & effectu carere.

Lites secundũ hanc bullam decidi valet.

§. 7. Ac omnes lites, & controuersias, quæ coram quibusuis iudicibus, siue Ordinariis siue Commissariis, etiam causarum Palatij Apostolici Auditoribus, & S.R.E. Cardinalibus,

Digitized by Google

Cardinalibus, etiam de latere Legatis prædictarum literarum & constitutionum occasione, super præmissis iam motæ sunt, necdum decisæ aut finitæ, vel etiam quæ iam decisæ sunt, si modo tractum habeant successiuum, easque rursus, & inter quoscumque excitari in posterum contingat, secundum prædictam dispositionem nec aliter decidendas.

Dubiorúque futurorũ declarationes Sedi Apost. reseruat.

§. 8. Futura verò dubia & difficultates, quandocumque & vbicumque orientur, ad nos & Sedem Apostolicam, vbi & cetera quæ ad decreta dicti Concilij pertinent quotidie declarantur, omnino referenda esse.

Decretum irritans.

§. 9. Necnon irritum & inane quicquid secus super his per quoscumque scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Præceptum obseruantiæ.

§. 10. Mandamus itaque in virtute sanctæ obedientiæ præsentes ab omnibus vbique Episcopis, & locorum Ordinariis, necnon Ecclesiarum [illegible]tis, Rectoribus, Fratribusque prædictis ac ceteris ad quos pertinet, semper inuiolata obseruari.

Derogatio cõtrariorum.

§. 11. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum Monasteriorum, Conuentuum, Domorum, locorum & Ordinum quorumcumque iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate aliaroboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Maremagnum, & bulla aurea nuncupatis, dictis Ecclesiis, Ordinibus, & Congregationibus quomodolibet concessis & confirmatis: quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, expressa, individua, & ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserrentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iussio public.

§. 12. Vt autem præsentes omnibus plenius innotescant, volumus earum exempla fieri, & etiam imprimi, illisque Notarij publici manu, & Curiæ Ecclesiasticæ, vel Prælati, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo obsignatis, eamdem illam prorsus fidem, in iudicio & extra illud vbique locorum adhiberi, quæ adhiberetur eisdem præsentibus si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino, &c.

D.P. An. 1. die 1. Martij. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, 1573. Kalend. Martij Pont. nostri anno primo.

Publicatio. *Anno à Natiuit. D. N. Iesu Christi 1573. indict. 1. die vero 23. mensis Martij, Pont. Sanctiss. D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno 1. retroscripta litera affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum Principis Apostolorum, & S. Ioannis Lateranensis, de Vrbe, & Cancell. Apostolica & in acie Campi Flore, per nos Ioannem de Soya, & Marcum Antonium Brutum, eiusdem S.D.N. Pap. Curs.*

Antonius Ladouicus Mag. Curs.

X.

Quod omnibus liceat, in quacumque die infra octauam Sanctissimi Corporis Christi, processionem solemniter facere, in honorem suæ festiuitatis.

De huius festiuitatis institutione, & aliis eam concernentibus, dixi apud constit. 1. Vrb. IV. Transiturus.

Edita An. D. 1577. GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. CVm interdum contingat Romanum Pontificem aliquas concessiones & gratias elargiri, quas postmodum experientia rerum magistra, docet in alterius præiudicium resultare, mirum nemini videri debet, si tandem præiudicio cognito gratiæ ipsæ sic concessæ in melius reformentur, prout & populi deuotio exposcit, ac rerum, & temporum qualitate pensata conspicitur in Domino salubriter expedire.

Pius V. iussit ordini Fratrũ Prædicatorum solummodo licere solemnem processionem Corporis Christi facere, in die Dominica infra octauã.

§. 1. Dudum siquidem fel. record. Pio Papæ V. prædecessori nostro pro parte dilecti Ioannis Gallo Ordinis Prædicatorum, & Theologiæ professoris exposito, quod licet in omnibus fere conuentibus prouinciæ Hispaniæ Ordinis prædicti, solemniter fieri consueuisset processio Sanctissimi Sacramenti Corporis Christi die Dominica infra octauam illius festiuitatis, idque ab immemorabili consuetudine, propterea quod dicti ordinis religio, vtpote à B. Thoma de Aquino docta peculiarem semper gesserat deuotionem erga Sanctissimam Eucharistiam, vnde cum magno apparatu, & frequentia populi eadem festiuitas à fratribus Ordinis huiusmodi celebrari solebat. Nihilominus ante aliquot annos aliqui alij partium illarum Religiosi, præsertim in Ciuitate Salamantina contendebant eisdem die & hora festiuitatem seu processionem huiusmodi celebrare, populum ad se trahentes, & ornamenta quæ ipsis fratribus Ordinis huiusmodi concedi solebant conquirentes, vnde & populi deuotio minuebatur; & aliquando viri timorati videntes religiosos pro huiusmodi rebus inter se contendere, offendebantur, eiusdem Ioannis supplicationibus inclinatus eidem Ordini Prædicatorum, vt in omnibus, & singulis Ciuitatibus, terris, oppidis, & locis, tam dictæ Prouinciæ, quam extra, & alij vbiliber, in quibus ab immemorabili consuetudine fratres dicti Ordinis processionem huiusmodi dicta die Dominica infra octauam eiusdem Corporis Christi solemniter celebrari soliti fuerant, eisdem fratribus Ordinis Prædicatorum dumtaxat, eadem die Dominica solemnem processionem eiusdem Corporis Christi celebrare liceret, ita vt nulli super eo, illos impedire, seu eodem tempore vel die eamdem processionem facere possent, & deberent, perpetuo concessit, & indulsit; ac aliis prædictis desuper districtius inhibuit, aliaque fecit, prout in dictis literis plenius continetur.

Hic modo vt: omnib. licere decernit d. processionem celebrare; in quacumq; die inf. octauam d. festiuitatis.

§. 2. Nos tamen attendentes id non sine diuini cultus diminutione esse aliquo modo posse, cum omnes ad vnam, & eamdem dumtaxat Ecclesiam confluentes, in ea commode recipi, sicque processioni huiusmodi interesse nequeant, præter id quod inibi sæpe contingit, vt propter populi frequentiam sic confluentem, varia scandala, & iurgia oriantur, & populus ipse spirituali veneration Sacramenti huiusmodi multiplici fructu priuetur. Neque propterea diutius discussa honestum esse censentes, literis prædictis modum aliquem præbere, illarum tenorem, ac si de verbo ad verbum, præsentibus insertus foret, pro plene & sufficienter expresso habentes, Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, & certa scientia, nostris vniuersis & singulis, clero & clericis, ac personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus quam quorumuis Ordinum, religionum, & Militiarum Regularibus, vt literis Pij prædecessoris huiusmodi non obstantibus, liceat ipsis, tam die ipsa Dominica infra octauas Corporis Christi, quam aliis totius octauæ prædictæ diebus processiones suas celebrare, nec super eo tam ab Ordinis Prædicatorum huiusmodi, quam aliis quibuscumque personis, etiam prædictarum, aut quorumuis aliarum literarum priuilegiorum, vel concessionum prætextu, seu alias quomodolibet molestari, inquietari, vel perturbari, nec etiam aliquibus censuris, vel pœnis, etiam Ecclesiasticis innodari, seu illas incurrere possint, tenore præsentium concedimus, & permittimus.

Et bullam Pij V. reuocat.

§. 3. Et Nihilominus, pro potiori præmissorum cautela, literas Pij prædecessoris huiusmodi harum serie penitus & omnino, quo ad effectum prohibitionis celebrandi processiones huiusmodi cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque & effectu euacuamus, & tanquam tales minime attendi, vel eisdem fratribus Prædicatoribus suffragari posse volumus.

Obseruãtiam huius constit. cuicumque præcipit.

§. 4. Districtius inhibentes eisdem fratribus Ordinis Prædicatorum, & quibusuis aliis personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis maioris latæ sententiæ, necnon suspensionis, & interdicti, aliisque arbitrio nostro moderandis, infligendis, & imponendis pœnis, ne contra præsentium literarum tenorem venire, aut suprascriptos, vel quoscumque alios, quorum interest, intererit, aut interesse poterit quomodolibet

Digitized by Google

dolibet in futurum, quo minus præmissa libere fieri possint, per se vel alium, seu alios publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse, quouis quæsito colore vel ingenio, impedire audeant, vel præsumant.

Eamq; clausulis præseruatiuis ornat.

§. 5. Decernentes quoque præsentes literas nullo vnquam tempore de subreptionis, aut obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod interesse habentes vocati non fuerint notari, impugnari, inualidari, ad terminos iuris reduci nullatenus posse, minusque sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas & de nouo concessas esse.

Decretum irritans apponit.

§. 6. Sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscumque iudices, Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi facultate, iudicari debere, irritum quoque & inane si secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 7. Et nihilominus vniuersis & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis ceteris locorum Ordinariis, necnon illorum, & eorum Vicariis, seu Officialibus, in spiritualibus, & cuilibet ipsorum insolidum, motu simili per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte alicuius, seu aliquorum, & quorumcumque in præmissis interesse habentis, vel habentium fuerint requisiti, solemniter publicari, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant præmissa omnia, & singula, ab omnibus quos illa concernunt inuiolabiliter obseruari, ac prædictos interesse habentes, illis pacifice frui, & gaudere. Non permittentes eos desuper prædictos fratres Ordinis Prædicatorum, vel eorum conseruatores, iudices, defensores, seu protectores, aut quoscumque alios quauis auctoritate, quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet & rebelles per sententias, censuras & pœnas aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his haberi seruatis processibus sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Contraria tollit.

§. 8. Non obstantibus literis prædecessoris huiusmodi cum inde secutis & aliis prædictis, necnon piæ memoriæ Bonifacij Papæ Octaui etiam prædecessoris nostris de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas quis vigore præsentium ad iudicium non extrahatur, & aliis Apostolicis, necnon in prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus, ac quibusuis etiam dicti Ordinis Prædicatorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, Priuilegiis, quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, illiusque superioribus, & personis, ac quibusuis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innouatis, & Bulla Aurea, ac Maremagnum nuncupatis, quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum prædictum specialiter & expresse derogamus, cæteris que contrariis quibuscumque; aut si fratribus Ordinis Prædicatorum, eorumque conseruatoribus, ceteris que prædictis, & quibusuis aliis, communiter vel diuisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem: ceterum quia difficile foret, præsentes literas ad quæque loca in quibus publicatio huiusmodi facienda erit deferri.

Transumptis credi iubet.

§. 9. Volumus & similiter Apostolica auctoritate decernimus quod præsentium transumptis, etiam impressis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeaatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 11. Martij 1573. Pontificatus nostri anno primo.

Dat. P. An. 1. 11. Martij.

Institutio festiuitatis sub inuocatione Rosarij B. Mariæ Virginis, prima Dominica die mensis Octobris, in Ecclesiis vel Capellis Rosarij duplici maiori officio celebrandæ, pro gratiarum actione de Victoria die 7. d. mensis Octobris parta contra T[illegible]

XI.

Hoc bellum parauit Pius V. & aliqua statuit sup. in const. 142. 146. & 149. De Sodalitate autem Rosarij dixi sup. ad const. 18. Sixt. IV. Ea quæ.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1573.

MOnet Apostolus in omnibus gratias agere, monent quoque Sacrarum literarum historiæ, insignia Dei beneficia, tum vt ei, à quo accepta sint, meritæ referantur gratiæ, cum vt fideles, quibus collata sunt, illarum memores ad diuinum cultum magis in dies excitentur, solemnibus annuis festiuitatibus celebranda esse. Quod cum multoties institutum fuerit, tum vero maxime, cum Deus patrum nostrorum populum suum à seruitute Ægyptiaca per manum fortem liberauit.

Festiuitates celebrātur ad Deo gratias referendas, præsertim pro aliqua populi liberatione.

§. 1. Nos itaque qui non minora beneficia quotidie à Deo optimo Maximo accipimus, inter quæ illud singularissimum superiore anno ab ineffabili ipsius clementia nobis concessum fuit vt Turcarum Classis, & numero longe superior, & præteritis elata victoriis à Christianorum classe in vitute Domini Dei Sabaoth decertante, die 7. Octobris, non longe à Corinthiaco sinu penitus deuicta, & quassata fuerit, qua nempe victoria vniuersum Populum Christianum, ab impiissimi Tyranni faucibus, & diuino munere ereptum fuisse inficiari nemo potest Apostoli præcepto parere, & Sanctorum Patrum exempla sequi volentes, vt huius ingentissimi beneficij anniuersaria habeatur memoria instituere omnino decreuimus.

Et quia die 7. Octobris anni præteriti Populus Christianus contra Turcas victoriam habuit. Ideo hic Pont. anniuersariā memoriā ad gratiarum actiones instituere decreuit.

§. 2. Quia vero preces ad Deum oblatæ, eo gratiores ad illius conspectum ascendunt, quo dignioribus intercessoribus, & pro aliquo orandi modo offerentur, memores Beatum Dominicum Ordinis Prædicatorum institutorem, cum & Gallia, & Italia à perniciosis premeretur hæresibus, ad iram Dei placandam, & Beatissimæ Virginis intercessionem implorandam, piissimum illum orandi modum instituisse, quod Rosarium seu Psalterium Beatissimæ Virginis Mariæ nuncupatur.

Memor quod B. Dominicus ad iram Dei placandam, Rosarij orandi modum instituit.

§. 3. Animaduertentes quoque eadem die septima, quæ tunc fuit dies Dominica prima dicti mensis Octobris, Fraternitates omnes sub dicti Rosarij nuncupatione militantes per vniuersum Orbem iuxta earum laudabilia instituta & consuetudines, processionaliter incedentes, pias ad Deum preces effudisse, quas per intercessionem Beatissimæ Virginis ad dictam Victoriam consequendam multum profuisse pie credendum est, operæ pretium nos facturos esse existimauimus, si ad tantæ victoriæ cœlitus proculdubio concessæ memoriam conseruandam, & ad gratias Deo, & Beatissimæ Virgini agendas, festum solemne sub nuncupatione Rosarij, prima Dominica mensis Octobris singulis annis celebrandum institueremus.

Et quia d. die 7. Confraternitates Rosarij, quæ erāt prima mensis Dominica processiones de more fecerant quas d. victoria multum profuisse, piè credi potest.

Hic idem Pont. Festū sub inuocatione Rosarij, qualibet prima Dominica d. mensis Octobris in Ecclesiis vbi sit altare Rosarij celebrari iubet.

§. 4. Quocirca Motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, ad laudem Dei, & Domini nostri Iesu Christi, eiusque gloriosæ Virginis Matris, tenore præsentium decernimus, vt de cetero perpetuis futuris temporibus, qualibet prima die Dominica mensis Octob. per vniuersi Orbis partes, in iis videlicet Ecclesiis, in quibus

Digitized by Google

quibus altare, vel Capella Rosarij fuerit, ab omnibus & singulis vtriusque sexus Christifidelibus, festum solemne sub nuncupatione Rosarij prædicti, sub duplici maiori officio ad instar aliarum solemnium festiuitatum celebretur, & sanctificetur, eademque die officium de Beatissima Virgine nouem lectionum more Ecclesiastico persoluatur, & recitetur.

Hoc festum communiter S. Maria de Victoria nuncupatur.

Clausula præseruatiua.

§. 5. Decernentes præsentes, quas perpetuo valere volumus, nullo vmquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis, seu alio vitio intentionis nostræ, aut alio defectu notari, argui, vel impugnari posse, sed plenarios effectus sortiri debere.

Clausula sublata, &c.

§. 6. Et ita per quoscumque Iudices quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, aut interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & interpretari, & definiri debere, ac ex nunc irritum & inane, &c.

§. 7. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Quibuscunque non obstantib. Exemplorum fides.

§. 8. Volumus autem quod præsentium transumptis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio quam extra adhibeatur, quæ præsentibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 1. 1. April.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1. Aprilis 1573. Pont. nostri anno primo.

XII. Confirmatio constitutionis Pij Quarti, contra acclamantes, aut habentes Franchitias in Vrbe, vel sub illarum prætextu, Iustitiæ ministros impedientes, exacte ab omnibus obseruandæ.

Hanc bullam auctis pœnis, innouauit Sixtus V. vt inf. in eius const. 6. Hoc nostri. *Et ante omnes prohibitionem non tamen sic generalem in hoc publicauit Iul. III. sup. in eius const. 17.* Cum ciuitates.

Edita An. D. 1573.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

ET ipsa ratio, & vsus docet, nihil perniciosius in Ciuitate contingere posse, quam legum, iudiciorumque impedimentum.

Iul. III. edidit const. cit. in rubr. & eam approbauit, &c. Pius IV. sup. in const 47. Inter.

§. 1. Quod malum satis opportune prohibere volens fel. Rec. Pius Papa IV. prædecessor noster, cui post alias hac de re præsertim à piæ mem. Iulio Papa Tertio promulgatas constitutiones, innotuerat, quamplurimos adhuc esse in Vrbe, qui vel ob commissa crimina, vel ob æs alienum contractum, sibi à Ministris, Iustitiæque executoribus timentes, ad ædes primatum, etiam S. R. E. Cardinalium, ac Oratorum Principum, vti loca tuta, quas franchitias appellabant, confugerent, eaque ratione impuniri euaderent, & creditores eluderent, aliam edidit constitutionem qua etiam sub arbitrariis pœnis sanxit, ne vllus post id tempus cuiuscumque dignitatis, ac præeminentiæ foret, ædes prædictas, aut alia quæcumque loca franchitias appellare audeat: néue Cardinales, Oratores, ac Primates prædicti, etiam si sui, & Romani Pontificis pro tempore existentis nepotes, aut alio consanguinitatis vel affinitatis vinculo coniuncti essent, eorumque familiares, aut in ipsorum domibus commorantes, in eisdem domibus, seu locis circumuicinis maleficos quosuis etiam indemnatos, aut ære alieno obstrictos (contra quos tamen mandata executiua instantibus creditoribus iam decreta, & relaxata essent) vt è potestate Curiæ sæcularis sic eximerentur, receptare, vel prætextu franchitiæ securos reddere, aut iustitiæ executores, quo minus libere officio suo contra eosdem fungi possent, quocumque modo impedire auderent: alioquin receptates huiusmodi, aut securitatem præstantes, seu executores Iustitiæ impedientes, vel excitatis clamoribus, Cardinalium, Oratorum, seu Primatum quorumlibet nomen, auxilij causa inuocantes, aut quoscumque alios in ipsos Iustitiæ Ministros concitantes, velut crimiuis læsæ Majestatis rei dignis pœnis afficerentur: contra quos etiam ad alias pœnas, quibus malefici ipsi puniti fuissent, vel quas promeruissent, necnon ad satisfactionem creditorum, etiam ex officio, & ad Fisci, partiumque instantiam inquiri, procedi, & condemnari debere, voluit atque decreuit. Sed cum hæc ipsa Pij prædecessoris constitutio propter nimiam corruptelam, minime postea sit eum, quem decuit effectum consecuta.

§. 2. Nos volentes omnino in Alma Vrbe nostra, ita Iustitiæ debito ab omnibus satisfieri, vt perpetua subditis nostris quies & salus inde pariatur, & cæteris præbeatur exemplum, constitutionem prædictam exactè ab omnibus, & omni tempore præcipimus obseruari.

Hic vero Pōr. mandat eōst. Pij IV. ab omnib. obseruari.

§. 3. Mandantes Gubernatori, Magistratibus, Iudicibus, & executoribus dictæ Vrbis, ac cæteris omnibus ad quos spectat, vt gratia & fraude postpositis, illam, & contrafacientes, iuxta illius tenorem afficiant, & alioqui in prohibendis vsquequaque his incommodis inuigilent, si nostram, & Appostolicæ Sedis vltionem voluerint euitare. Nulli ergo omnino, &c.

Executores deputat.

Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1573. Non. Septembris, Pontificatus nostri anno secundo.

D. P. An. 2. die 5. Sept.

Anno à Natiuitate Domini, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimotertio, Indictione 1. die veto 24. menſis Septembris Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno 2. retroſcripta litera Apoſtolica affixa & publicata fuerunt ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum de vrbe, & in acie Campi Flora, vt moris eſt, per nos Ioannem Guerardum, & Ioannem de Soya Apoſt. Curſ.

Publicatio.

Alexander Aſtancollus Mag. Curſ.

XIII. Declarationes Constitutionis à Pio V. editæ, circa electionem & munus Ministri generalis allorumque Prælatorum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia, ac formam & qualitatem Nouitiorum recipiendorum, &c.

De toto Ordine Franciſcano, notaui ſup. conſt. 5. Honor. III. Solet. *& ſignanter de his Fratribus de Obſeruantia ſcripſi ad conſt. 23. Leon. X.* Ite.

Edita An. D. 1573. 1579.

GREGORIVS PAPA XIII. *Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

CONsueuit Romanus Pontifex cui vniuersi Christifideles curæ sunt, de religioni adscriptis viris, vt in regularis obseruantiæ candore iidem conseruentur, specialem cogitationem suscipere, quod si aliqua per prædecessores suos ad eum finem statuta sunt, quæ experientia docente minime expedire cognoscit, declarationibus, aliisque rationibus non desinit prospicere.

Pij V. ordinatio circa electionem Prælatorum, eſt ſup. in conſt. 128. Paſtoralis vbi notaui.

§. 1. Accepimus nupet fel. rec. Pium Papam V. prædecessorem nostrum per suas in forma Breuis literas, quarum seriem præsentibus pro expressis habemus, circa Ordinem Fratrum Minorum de obseruantia salubriter in via Domini dirigendum, inter alia de Ministro generali, Commissario, & procuratore, etiam generalibus, & prouincialibus, vt eo in Capitulo, quo absolui debent, definitores non essent, neque vocem haberent, statuisse.

Huius Pont. declaratio circa d. electionem.

Tu vide hic inf. aliam declarat.

§. 2. Nos eam prædecessoris ordinationem, nonnullis de causis, quæ rationi maximè consonæ sunt, adducti, ad eum actum coarctamus, dum in officio quod gesserunt, successor eligitur.

Pij V. ordinatio de diſceſſu Prælatorum à Capit.

§. 3. Dictarum vero literarum partem, quæ ante dictæ proxima est, in qua cauetur, vt iidem omnes Minister generalis, & alij prædicti, facta successoris electione discedant.

Huius Pōt. declaratio circa hunc diſceſſū.

§. 4. Nos ita declaramus, vt statim facta renunciatione officij discedere debeant, vt si qui eos accusare velint, durante tempore Sindicatus, libere id facere possint; eo autem finito, iuxta seriem dicti Ordinis generalium statutorum, in definitorio recipiantur.

Aliam fecit declarationē hic inf.

§. 5. Ac dum per easdem literas præcipiebatur, quod Prouincialium Ministrorum electio, libere per vota secreta fieret, ita vt Commissarius generalis, vel qui electioni

Pij V. ordinatio circa, ſubornantes, & ſubornatos, pro electionibus.

Digitized by Google

præsideret, si formam prædictam transgredi, seu electores, quominus libere eligerent, quouis modo impedire conuictus fuisset, officio priuatus existeret. Qui vero in electionibus omnibus, vel ante eas, per sex menses, pro se vel pro alio subornasset, excommunicationis sententiam à qua nonnisi per Rom. Pontificem pro tempore existentem, præterquam in mortis articulo absolui posset, & voce actiua & passiua perpetuo careret.

Huius Pont. declaratio quoad excommunicationē dictorum subordinantium & subornatorum.

§. 6. Facultatem quoad casus prædictos Rom. Pontifici dumtaxat per dictum prædecessorem reseruatam, etiam Ministro & Commissario generalibus, quando de ipsis non agitur, in omnes euentus prædictos, impartimur. Quod autem de subornato, & eo pro quo subornatio fieret, qui subornantem non detulisset, vt eamdem excommunicationis pœnam incurreret, per dictum prædecessorem statutum fuit, penitus abolemus.

Pij V. ordinatio circa tempus quo Prælati durarent in officio, & ad illud reeligi nō possent.

§. 7. Et quòd disponebatur de officio generalis Ministri, quod per octo annos duraret; Commissarij vero, ac procuratoris generalis, necnon Prouincialis per quatuor, ipsique semel officio functi, ad idem eligi non possent, nisi post sexdecim annos.

Huius Pont. declaratio circa tempus reelectionis.

§. 8. Nos ad Statutorum generalium dicti Ordinis seriem & formam reducimus, quibus dicitur expresse quod officia semel exercentes, ab eis quæ gesserunt, per duplum temporis vacare debent, ita vt duæ electiones celebrentur, antequam ad eadem officia iterum eligantur.

Hodie circa tempus seruatur bulla 22. Leon. X. sup. Huius Pont. correctio d. bullæ Pij V. circa electionem Ministri gen. in Procuratorem, &c.

§. 9. Corrigimus etiam literarum prædictarum eam partem, in qua statuitur, quod nec Commissarius generalis in Ministrum, seu Procuratorem generales, nec Procurator generalis in Ministrum seu Commissarium generales, nec Minister generalis in Procuratorem vel Commissarium generales, nisi post dictos sexdecim annos eligi possint, dantes, & concedentes eis ad quos spectat facultatem, Commissarium generalem in Ministrum seu Procuratorem generales, & è conuerso etiam immediate postquam aliquo ex dictis officiis functi fuerint, etiam lapsu temporis prædicto non expectato pro tempore eligendi.

Ad hoc vide aliam declarationem quæ mox subsequitur.

Et circa Custodes & Theologia lectores.

§. 10. Præterea ex eisdem literis quod de duobus Discretis quorum consilio generalis Minister vti deberet, mandatum fuerat, cum expertum sit, dictos Discretos habere, nequaquam Ordini prædicto expedire, quodque de Sacræ Theologiæ lectore, qui quatuor cursus absoluisset, vt actiua & passiua voce in Prouinciali Capitulo vteretur, in eisdem statuebatur, tollimus.

Confirmatio bullæ Paul. IV circa descendentes ab hæretica, &c.

§. 11. Decernentes de nouo, quod quo ad illos, qui ex Mahometanorum, Iudæorum, vel Hæreticorum damnatorum descendunt origine, seruetur quod piæ mem. Paulus Papa IV. prædecessor noster per suas in forma Breuis literas sub Dat. videlicet 24. Aprilis 1559. Pontificatus sui anno 4. statuit.

Clauſ. derog

§. 12. Non obstan. literis prædictis in partibus per nos alias declaratis & reformatis, quas in reliquis firmas esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 2. 8. Septemb.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 8. Septemb. 1573. Pontificatus nostri anno 2.

Sequitur alia declaratio præinserta const. & alterius Pij V. de qua ibidem.

Edita An. D. 1579.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

COnsuevit Romanus Pontifex, &c.

Omittitur hæc narratiua, quia ipsa bulla est, quæ præcedit.

Declaratio dictarum ordinationum, circa vocem Prælatorum, & discessum eorumdem à Definitorio.

§. 1. Ad tollendam autem omnem ambiguitatem & difficultatem, quæ super istis nostris, vel prædecessoris nostri verbis oriri inter fratres prædictos possent, ita vt sequitur, quid circa prædicta seruari velimus, expressius declaramus; Volentes omnes prædictos scilicet generalem Ministrum, Commissarium, & Procuratorem generales, vel Commissarium Curiæ non debere admitti in definitorio Capituli generalis, in quo à suis officiis absoluuntur, neque in eo loco vocem habere, dum is actus agitur, in quo syndicatus sui rationem reddere tenentur, sic quod Minister generalis facta officij renunciatione antequam successor eligatur discedat ex definitorio, vt eo absente libere agere possint contra eum, si qui ex Prouinciis accusare eum velint, & vllas habeant aduersus eum querelas; quo actu finito, in omnibus aliis actibus, & electionibus & definitoriis adesse possit, & vocem habere, in quibus secundum generalia Ordinis prædicti statuta adesse, & vocem habere possit. Idem de Commissario generali respectiue seruetur; sic quod Commissarius generalis post redditam syndicatus sui rationem, in aliis actibus, & electionibus, vocem habere possit, in quibus secundum statuta generalia vocem habere Commissarij generales hactenus potuere. Prouinciales quoque Ministri post redditam syndicatus sui rationem, possint & debeant in definitorio admitti, & vocem in reliquis actibus Capituli Prouincialis electionibusque habere. Idem de Procuratore generali, Commissarioque Curiæ obseruetur, respectu Capituli generalis; quod scilicet sint de definitorio, vocemque in omnibus actibus, & electionibus Capituli generalis habeant, præterquam dum is actus agitur, in quo syndicatus sui rationem reddere tenentur. Neque enim æquum censemus, vt iis qui negotiorum Ordinis habent experientiam & notitiam exclusis, per solos Generalem, & Definitores nouos, rerum Religionis non ita gnaros aut expertos, atque opus esset, de illis pronuntietur, statuatur, & definiatur. Declarantes etiam, non esse mentis nostræ aut voluntatis, generalem Ministrum, aut Commissarium generalem Ordinis, concessa illis per statuta generalia voce priuare, aut à Capituli generalis definitorio excludere, nisi tum, dum de particulari vniuscuiusque eorum accusatione & correctione agitur, & deliberatur.

Alia declaratio.

§. 2. Eam autem partem literarum nostrarum qua dicimus, corrigimus etiam literarum prædictarum eam partem in qua statuitur, (quod nec Commissarius generalis in Ministrum seu Procuratorem generales, nec Procurator generalis in Ministrum vel Commissarium generales, nec Minister generalis in Procuratorem vel Commissarium generales, nisi post sexdecim annos eligi possunt, dantes & concedentes eis ad quos spectat facultatem Commissarium generalem in Ministrum seu Procuratorem generales, & è conuerso, etiam immediate postquam aliquo ex dictis officiis functi fuerint, etiam lapsu temporis prædicto non expectato, pro tempore eligendi) pariter mutandum decreuimus, vt omnino iuxta prædecessoris nostri decretum illi qui Ministri fuerint, Commissarij, aut Procuratores generales vel Curiæ Commissarij, non possint nisi post sexdecim à sua ab officiis prædictis absolutione, finitos annos in generales Ministros, Commissarios, aut Procuratores, vel Curiæ Commissarios eligi aut assumi, quatenus dum in officiis prædictis fuerint ablata illis omni ambitionis occasione, totos se ad ea, quæ suarum partium esse dignoscuntur, sincere diligenterque agenda conuertant, & intendant, omni ambitus cogitatione abiecta. Ministri autem Prouinciales per duplum temporis officij ministeriatus, postquam absoluti à tali officio fuerint, in Ministros Prouinciales reeligi non possint. In reliquis literas nostras prædictas firmas esse volumus atque in suo permanere robore.

Declaratio const. Pij V. circa procurationem fauorum extra Relig.

§. 3. Ad ea autem, quæ in prædictis prædecessoris nostri literis, contra recurrentes ad sæcularium, & aliquatū extra dictum Ordinem personarum fauores, ad aliquod officium in Ordine habendum statuta sunt, aliquid addendum censuimus. Nam dum aliquæ extra dictum Ordinem personæ pro aliquo fratre officium quodpiam, vel per se ipsos, vel per nuncios suos aut per literas petebant, negare dicti fratres consueuerunt, se vllo modo dictas personas ad prædicta sollicitasse. Idem quoque dictæ personæ facere solitæ erant, negantes se à dictis in simile fratribus solicitatas ad tale pro eis faciendum officium, sicque ad eorum correctionem, qui contra prædictam prædecessoris nostri ordinationem faciebant, procedi nullo modo poterat. Vnde vt huic malo obuiam conuenienti eatur remedio, statuimus & decernimus, quod is frater, pro quo sæcularis aliquis, cuiuscumque gradus aut conditionis fuerit, & quæcumque alia extra dictum Ordinem persona rogauerit, & petierit, verbo, literisve, aut nūciis, seu alias quomodocumque per se vel alios, vt aliquod illi officium in Ordine prædicto detur, ipso facto actiua, passiuaque voce priuatus sit, ad omniaque Ordinis Officia inhabilis habeatur; nisi legitime constiterit, aliquem

Digitized by Google

aliquem ex malitia rogatores huiuſmodi ſubornaſſe, vt illi pro quo rogarent, aut ſcriberent, occaſione huiuſmodi ſtatuti nocerent, & præiudicarent, vt pro eo quod amicos ſuos extra Ordinem fratres prædicti ſolicitare conſueuerant, ad aliquod in Ordine officium eorum fauore aſſequendum, maiori vtantur de cetero diligentia, ad eos hortandos & rogandos, ne vllum pro ipſis officium petant, aut ad aliquod pro illis habendum officium ſuum interponant fauorem.

Clauſ. derog. §. 4. Non obſtantibus præmiſſis, necnon omnibus illis, quæ in literis prædictis conceſſum fuerit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die *D. P. An. 7. 29. Aprili.* 29. Aprilis 1579. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

XIV.

Noua inſtitutio Collegij Germanici in Vrbe, pro Scholaribus nationis Germanicæ, pie ibidem educandis & inſtruendis, cum aſſignatione annui redditus, priuilegioque exemptionis à decimis & pedagiis.

Huic Collegio hic idem Pontifex, Protectores, ac Iudices ſuarum cauſarum deputauit, vt infra in conſt. 20.

Edita An. D. 1573. & 1574. *GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Cauſa conſt. POſtquam Deo placuit omnipotenti, qui ex ſumma miſericordia, & bonitate ſua, vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, humilitatem noſtram ad vniuerſalis Eccleſię regimen vocare, ex eo tempore nos, eiuſdem adiuuante gratia, ea cogitare, & vrgere non deſtitimus, quæ, ſicut officij noſtri ratio poſtulat, ad diuinum vbique cultum & eccleſiaſticam diſciplinam reſtaurandam, & augendam, animarumque ſalutem procurandam maxime cognouimus pertinere. In primis vero animo recolentes ampliſſimam Germaniæ Prouinciam, quæ perpetuis ſuperioribus ſæculis inter ceteras fortiſſimæ ipſius nationis laudes atque virtutes, tanto ſynceræ fidei, Chriſtianæ Religionis cultu eminere ſolebat, vt reliquis Chriſtianæ Reipublicæ partibus non minori exemplo, quàm ornamento, atque decori eſſet, nunc tot tantiſque in ea inſtincta Satanæ excitatis de religione diſſidiis, ita miſerandum in modum afflictam & deformatam eſſe, vt nemo vel mediocri pietate præditus ſine lacrymis tam grauem animarum iacturam recordari, nedum intueri queat, eam præcipue curam ſuſcepimus, vt quibuſcumque poſſimus modis, nullis laboribus, nulliſve ſumptibus parcentes, apta ſanandis illius vulneribus remedia adhibeamus.

Iul. III. erexit in Vrbe Colleg Germanicum, ad alendum, & inſtruendum pueros nation. Germanicæ, ſed quaſi deſtitutum remanſit. §. 1 Ac præter alia, quæ, & literis ſcribendis, & Nunciis in quaſdam Germaniæ partes hac ipſa de cauſa mittendis, agere aggreſſi ſumus, conſiderantes fel. recor. Iulium Papam III. prædeceſſorem noſtrum, optimo quidem conſilio Collegium in Vrbe alendorum, & latinis, græcis, hebraiciſque literis, Logica, Phyſica, aliiſque liberalibus diſciplinis, & ſacra demum Theologia, ac piis & Chriſtiano homine dignis moribus inſtruendorum Germanicæ nationis puerorum cauſa erexiſſe, vt ij non per ſe ſolum boni doctique euaderent, ſed ad patriam remeantes habendis concionibus, ac diſputationibus, refellendis hæreſibus, fideique orthodoxæ veritati dilucidandæ, ac præterea exercendæ animarum curæ, aliiſque piis, & ſanctis operibus apti, & idonei eſſent, & quam maximum in Eccleſia Dei fructum ex ſe proferrent; tamen id eius cœptum atque conatum, tum propter obitum ipſius, tum ob varias quæ poſtea ſequutæ ſunt temporum & rerum difficultates, parum proceſſiſſe, nullumque incrementum ſuſcepiſſe, quin potius quaſi deſtitutum, ac prætermiſſum eſſe, quoniam nec redditus vllus, nec quicquam fere certi attributum ei Collegio fuerat, & ob id exiguum admodum puerorum huiuſmodi numerum præ magnitudine Prouinciæ, & meſſis quæ in ea eſt, hoc tempore ali & inſtitui.

Hic igitur Pont. de noua illius inſtit. §. 2. Nos propterea ad opus hoc eidem nationi adeo vtile & ſalutare, totis viribus promouendum, animum & mentem noſtram conuertimus. Quocirca ad Dei omnipotentis laudem, ſanctæque ipſius Eccleſiæ incrementum, præcipuamque Germanicæ nationis ſalutem & commodum, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, auctoritate Apoſtolica Collegium prædictum Germanicum appellandum renouantes, illud rurſus de integro in alma Vrbe noſtra erigimus & inſtituimus; Volumuſque in eo poſthac non minus quam centum pueros ex vniuerſa Germania, Septentrionalibuſque illi adiacentibus regionibus colligendos, dictis ſcientiis ac diſciplinis, necnon ſacris Canonibus, inſtitui atque erudiri.

Et pro illius ſubſtentatione, applicat annuos duc. decem mille. §. 3. Ac quorum ſubſtentationem redditus annuos decem millium aureorum ipſi Collegio attribuimus, quos ex Cam. Apoſt. pecuniis quotannis volumus numerari, diſtribuenda in menſes ſingulos pro rata ſolutione, quoad de totidem reddituum ſumma in bonis ſtabilibus eidem Collegio à nobis fuerit prouiſum. Ceterum cum Societatis preſbyterorum IESV, in hoc educandorum inſtituendorumque puerorum munere, diligentia, fides, integritas, & in aliis huiuſmodi Collegiis, & in hoc ipſo ſatis cognita ſit, atque perſpecta; volumus idem Collegium atque ſcholares ipſorum, ſicut adhuc fuit, regimine, inſtitutione, doctrina atque obedientia eſſe.

Eiuſque gubernium concedi preſbyt. Societ. Ieſu. §. 4. Necnon Collegium ipſum illiuſque Rectores, Gubernatores, Magiſtros, præceptores, atque Scholares pro tempore in eo exiſtentes, eorumque, bona, mobilia & immobilia cuiuſcumque qualitatis & quantitatis, in dicta Vrbe vel extra, ac alias vbique locorum conſiſtentia, ab omni iuriſdictione, correctione, viſitatione, dominio, ſuperioritate, & poteſtate pro tempore exiſtentis Senatoris, & Conſulum, ac Conſeruatorum, & Reformatorum dictæ Vrbis, necnon Rectoris ſtudij generalis; aliorumve quorumcumque Iudicum & Officialium in ipſa Vrbe, vel alias vbilibet conſtitutorum.

Exẽptionemque à decimis, & gabellis concedit. Quod melius declarat infr. §. 5. Illaque ac in propriis eorum rebus & bonis cum eis contrahentes, à ſolutione & exactione quorumcumque pedagij, gabellæ, bollettini, decimarum, & cuiuſuis alterius tàm ordinarij quàm extraordinarij oneris, ex quacumque cauſa impoſitorum & imponendorum, eximimus & prorſus liberamus, ac ſub beati Petri & Sedis Apoſtolicæ, atque noſtra protectione ſuſcipimus, nobiſque, & dictæ Sedi immediate ſubiicimus, ac liberos immunes & exemptos declaramus.

Priuilegia Studij Vrbis tribuit. Qua vide ſup. in conſt. 9 Bonif. VIII. §. 6. Atque inſuper eidem Collegio, & Scholaribus, Rectoribus, & Gubernatoribus, vt omnibus & quibuſcumque priuilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus & indultis, quibus ſtudium generale Almæ Vrbis, & illius rector, Doctoreſque, & in eo legentes quouis modo vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non ſolum ad eorum inſtar, ſed æqualiter & pariter vti, potiri, & gaudere valeant, in omnibus & per omnia concedimus & indulgemus, illaque eis communicamus.

Inhibetque omnibus Officialib. ne Collegium deſuper moleſtent. §. 7. Necnon Senatori, Conſulibus, Conſeruatoribus, Reformatoribus, Rectorique, & aliis Iudicibus, Officialibus, & perſonis prædictis, ac pro tempore exiſtenti S. R. E. Camerario, Præſidentibuſque, & Clericis Cameræ Apoſtolicæ, ac quibuſuis Commiſſariis ad exactionem onerum præfatorum pro tempore deputatis, ne quarumcumque literarum eis ſub quibuſcumque tenoribus & formis conceſſarum prætextu, Collegium, Scholares, Rectores, & Gubernatores prædictos, ſeu eorum aliquem in præmiſſis quomodolibet moleſtent, ſeu moleſtari permittant, diſtrictius inhibemus.

Regentibus, & Superioribus Collegij concedit facultatem, vt una cum Protectoribus poſſint ſcholares ad gradus promouere, &c. §. 8. Et præterea Regentibus, ac Superioribus dicti Collegij, cum aſſiſtentia tamen Cardinalium Protectorũ qui pro tempore conſtituti fuerint, ſeu alicuius eorum, vel de ipſorum conſilio, & expreſſo conſenſu, illos quos in dicto Collegio, & alibi per debitum tempus ſtuduiſſe, ac ſcientia, & moribus idoneos eſſe reperierint, in prędictis facultatibus ad Baccalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratuſque, & Magiſterij gradus, ſeruata forma Concilij Viennen. iuxta Vniuerſitatis eiuſdem Vrbis conſuetudinem, ſeu alias promouendi, & ipſorum graduum ſolita inſignia eis exhibendi. Quodque in facultatibus ſupradictis ſic promoti, illas legere & interpretari, ac de eis diſputare, & quoſcumque gradui ſeu gradibus huiuſmodi conuenientes actus exercere, ac omnibus & ſingulis

Digitized by Google

priuilegiis, gratiis, fauoribus, prærogatiuis & indultis, quibus alij in prædicta seu aliis vniuersitatibus, & alibi iuxta illius, & aliarum vniuersitatum huiusmodi constitutiones & mores, ad gradus prædictos promoti, de iure vel consuetudine vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, vti, potiri, & gaudere possint, ac debeant, perinde, ac si gradus prædictos in ipsa vniuersitate, iuxta consuetudines & mores prædictos suscepissent, concedendi, & indulgendi, liberam eadem auctoritate damus facultatem & potestatem.

Deputatque Collegij Protectores pro eius regimine.

§. 9. Præterea, vt eiusdem Collegij conseruationi, bonoque regimini, tàm in his quæ ad scholarium institutionem & disciplinam, quam quæ ad victum, aliaque huiusmodi necessaria pertinent, opportunius consulatur, & promptum eis paratumque auxilium sit, Venerabiles fratres nostros Ioannem Moronum Ostien. & Alexandrum Farnesium Prænestinen. Episcopos, ac dilectos filios Marcum S. Georgij ab Altaemps, Ptolemæum Comen. S. Agathæ, ac Ludouicum Madruccium S. Honuphrij titulorum S. R.E. presbyteros Cardinales, eiusdem Collegij protectores & defensores constituimus, & deputamus, quorum consilio, & ope, tàm supradicta, quàm quæcumque alia ad eosdem in Collegio admittendos scholares, retinendosve, atque de beneficiis ecclesiasticis prouidendos spectantia agantur, statuantur, & ordinentur. Dantes eisdem, & pro tempore existentibus Protectoribus, plenam & liberam facultatem, & auctoritatem pro salubri directione & conseruatione dicti Collegij, illiusque bonorum & rerum, ac iurium tam temporalium quàm spiritualium, Oeconomos, Aduocatos, Procuratores, aliosque Ministros, & Officiales in eo deputandi, amouendique, & alios eorum loco sufficiendi: ordinationes præterea, & statuta (æqua tamen, & honesta, sacrisque Canonibus, & Conc. Trident. non repugnantia) faciendi, & edendi eaque cum opus visum fuerit, reuocandi, immutandi, corrigendi, aliaque de nouo condendi, quæ postquam facta, edita, reuocata, immutata, & correcta fuerint, perinde haberi volumus, ac si auctoritate Apostolica approbata & confirmata essent, illaque ab omnibus Rectoribus, Magistris, Scholaribus, aliisue personis in Collegio seruientibus & ministrantibus inuiolabiliter obseruari, ac iuxta eorumdem dispositionem à quibusuis Iudicibus, sublata quauis aliter iudicandi facultate, iudicari & definiri debere: & si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Contrariis derogat.

§. 10. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & dictæ Vrbis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolis eisdem Senatori, Consulibus, Conseruatoribus, Reformatoribus, Camerario, Vniuersitatibus, ac earum Collegiis, Rectoribus, & personis aliisque prædictis, necnon prædictæ Vrbi, & populo Romano sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis & innouatis, quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus; ceteriisque contrariis quibuscumque.

Indulgentiae Scholaribus d. Collegij elargiuntur.

§. 11. Vt vero etiam temporalibus commodis spiritualia munera addamus, quibus fidelium deuotio, & merita crescere magis, & augeri possint, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate, nostraque confisi, omnibus & singulis scholaribus, qui in id Collegium recepti fuerint, in ipso ingressu, ac deinde in exitu, si quidem confessi & contriti sacrã communionem deuote perceperint, atque etiam si eodem in Collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem concedimus & elargimur.

Transumptis credi iubet.

§. 12. Volumus insuper, vt præsentium transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo communi dicti Collegij, aut alicuius Curiæ ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio & extra, ac alias vbicumque opus fuerit, habeatur, quæ haberetur eisdem præsentibus, si exhibitæ forent, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum, &c.

Datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1573. octauo id. Augusti, Pontificatus nostri Anno 2. *D.P. Aug. 8. Aug.*

Sequitur amplior concessio exemptionis à Datijs, &c.

Edita An. D. 1574.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

VT ceteri de Republ. bemeriti immunitate interdum iuuandi sunt, ita maximè eorum ratio hac in re habenda est, quos ad fidei catholicæ incrementum in sinu nostro confouemus.

Amplior exemptio à datijs & gabellis.

§. 1. Quocirca vt Collegium Germanicum pridem à nobis in Vrbe nostea de integro institutum, in quo non minus quàm centum pueros ex vniuersa Germania, septentrionalibusque illi adiacentibus regionibus colligendos, liberalibus scientiis at disciplinis, necnon sacris Canonibus & Theologia institui atque eruditi volumus, & ad illorum sustentationem redditus annuos decem millium aureorum ipsi Collegio perpetuo attribuimus, speciali priuilegio prosequi volentes, Motu proprio deque nostra mera liberalitate, Collegum præfatum eiusque res & bona quæcumque, præsentia & futura, ac ipsius Collegij scholares, & alios in eo degentes ab omnibus & singulis Portarum, Molendinorum Farinæ trium pro centenario, ac quatuor iuliorum pro quolibet vegete vini solui solitorum, aliisque datiis, vectigalibus, angariis, ac terræ, marisque gabellis & dohanis, ordinariis, & extraordinariis hactenus quomodolibet impositis, & in posterũ quandocumque quauis occasione vel causa etiam de necessitate exprimenda imponendis, etiam ad instar exemptionis dilectorum filiorum Cameræ Apostolicæ Clericorum, etiam ratione Ripæ & Ripettæ dohanæ terræ, ac etiam Grasciæ nuncupatæ Vrbis prædictæ, necnon carnium, vinorum, pannorum, lini, lanæ, serici, & quarumcumq; aliarum rerum ad humanum victum & vestitũ necessariarũ, ex toto statu nostro eccleſiastico & quibuscumque aliis locis extra dictum statum consistentibus, ad Collegium præfatum, tàm per terram quàm per mare & aquam dulcem, ac alias quomodolibet conducendorum, ac etiam iam ad dictam Vrbem quomodolibet conductorum, ac in ea existentium, & pro eodem Collegio in magna seu parua quantitate tàm in barchis, quàm in magazenis, & alias vbilibet emẽdorum, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo eximimus & liberamus, liberaque, immunia & exempta esse volumus.

Inhibitio ne Collegium desuper molestetur.

§. 2. Districtius inhibentes omnibus & singulis tam Vrbis, quàm status prædictorum gabellarum, datiorum, & vectigalium eorumdem Datiariis, Conductoribus, seu Appaltatoribus; ceteriisque ad quos speciat & spectare poterit quomodolibet in futurum, ne Collegium præfatum, illiusque Scholares & personas, vel pro eis agentes, & eorum bona quæcumque, aut eorum quemlibet directe vel indirecte, qmouis quæsito colore vel ingenio molestare, impedire, vel perturbare audeant seu præsumant. Quinimmo eis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant ipsos, & eorum quemlibet immunitate, exemptione, & aliis præmissis pacifice frui, & gaudere. Ac decernentes irritum & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Vrbis & dohanarum prædictarum, ac quorumcumque Tribunalium & Curiarum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis eisdem Tribunalibus & Curiis, illorumque Iudicibus, necnon Appaltatoribus & Dohaneriis prædictis, ac quibuscumque aliis personis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere vel in specie, etiam Motu & scientia similibus, ac alias

quomo

Digitized by Google

quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis,& innouatis. Quibus omnibus etiam ſi pro ſufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa, indiuidua, ac de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo,& forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habētes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides tranſumptorum.

§. 4. Volumus autem quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarij publici eiuſdem Collegij Secretarij ſubſcriptis, & ſigillo communi eiuſdem Collegij munitis, eadem prorſus fides in iudicio & extra, ac alias vbicumque opus fuerit adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo,&c.

D. P. An. 3. 13. Iulij.

Datum Romæ apud S. Marcum, anno incarnationis Dom. 1574. Idibus Iulij, Pontificatus noſtri anno 3.

XV. Forma obſeruanda in electione Abbatiſſarum Monaſteriorum Monialium Congregationis Caſſinenſis Ord. S. Benedicti.

De ætate & qualitate Abbatiſſarum, habes Conc. Trid. ſeſſ. 15. cap. 7. de Regularib. Et de iſta Congregatione vide etiam conſt. ſubſeq. cum ibi indicandis.

Quo vero ad facultates ordinariorum in electione Abbatiſſarum Monaſteriorum, quæ Regularibus ſubiiciuntur, habes Greg. XV. conſt. 18. *Inſcrutabili*, inf. tom. 4.

Edita An. D. 1574.

GREGORIVS PAPA XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX noſtri paſtoralis officij debito ad ea libenter attendimus, per quæ Monaſteriorum quorumlibet, præſertim vero Sanctimonialium, quæ relictis huius mundi illecebris, ſeſe earum ſponſo IESV CHRISTO Saluatori,& Domino noſtro perpetuo manciparunt, proſpero ſtatui, & felici directioni conſulitur; quod potiſſimum ex animi noſtri voto ſucceſſurum conſpicitur, ſi in Abbatiſſarum ipſorum Monaſteriorum Monialium dum pro tempore vacant electionibus omnis dilatio, & tergiuerſatio, quantum fieri poſſit, remoueatur, & ad electionem ipſam quanto citius procedatur, ne alias Monaſteria ipſa diutinæ vacationi Abbatiſſarum ſentiant incommoda.

Cauſa huius conſtit.

§. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, in electionibus Abbatiſſarum Monaſteriorum Monialium ſub cura, regimine,& gubernio Congregationis Caſſinen. alias S. Iuſtinæ de Padua Ordinis S. Benedicti exiſtentium, dum eorum vacatio pro tempore occurrit, duæ partes ex tribus partibus vocum, ſeu votorum, vel ſuffragiorum Monialium ipſorum Monaſteriorum requirantur, & ea de cauſa ſæpenumero multæ difficultates,& diſcrepantiæ,ac ſcandala oriantur, priuſquam vota, ſeu ſuffragia vnita & concordantia vſque ad dictum numerum requiſitum inueniri, & haberi poſſint.

Forma eligendi Abbatiſſas Monialium regimini Congreg. Caſſinen. ſubiectarum.

§. 2. Nos in præmiſſis opportunum remedium adhibere volentes, Motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc factæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod ex nūc deinceps perpetuis futuris temporibus, dilecti filij, nunc & pro tempore exiſtentes dictæ Congregationis Viſitatores, ac Abbates, ſeu Prælati reſpectiue, quibus moniales ipſorum recommendatæ, ſeu ſub quorum regimine, gubernio, & cura, vt præfertur, exiſtunt, toties quoties faciendarum electionum Abbatiſſarum huiuſmodi pro tempore caſus euenerit, in euentum quòd dictæ Moniales prædictorum Monaſteriorum in electionibus ipſarum faciendis per duo ſcrutinia non conuenerint, poſſint, valeant & debeant ipſorum Monaſteriorum Monialibus proponere duas vel tres eiuſdem Monaſterij Moniales, quas ad regimen & gubernium aptiores eſſe iudicauerint grauantes in hoc eorum conſcientiam, & illa ex dictis duabus vel tribus Monialibus ſic propoſitis, quæ plura Monialium vota ſiue ſuffragia in ſui fauorem habuerit, ſit,& eſſe cenſeatur legitime & canonice electa in Abbatiſſam ipſius Monaſterij, & tamquam talis in Abbatiſſam Monaſterij huiuſmodi, per eos ad quos ſpectabit omnino inſtitui ſeu confirmari debeat: neque de cetero electiones dictarum Abbatiſſarum, alias quam vt præfertur,& per præſentes diſponitur, fieri poſſint, nec debeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo ſtatuimus & ordinamus.

Scias autē vota ſecreta eſſa debere ex Cōc. Trid ſeſſ. 25. de Regularib. cap. 6.

Prælatorū d. Congreg. facultas, circa eiuſmodi Abbatiſſarum electionem.

§. 3. Necnon etiam Viſitatoribus, & Abbatibus, ſeu Prælatis præfatis, vt duas, vel tres Moniales, modo & forma præmiſſis, ac ad effectum prædictum proponere, necnon Moniales dictorum Monaſteriorum ad eaſdem duas vel tres Moniales ſic pro tempore eis propoſitas acceptandum, & vnam ex ipſis duabus vel tribus, vt præfertur eligendum, aliqua præmiſſa omnia & ſingula, necnon per præſentes diſpoſita obſeruandum, etiam ſub excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis etiam ſæpius aggrauandis, ceteriſque iuris & facti remediis opportunis, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis, etiam quacumque appellatione, reclamatione poſtpoſitis penitus, & ſemotis, auctoritate noſtra cogere, & compellere, aliaque in præmiſſis, & infraſcriptis, ac circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna facere & exercere libere & licite poſſint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis etiam perpetuo concedimus, & indulgemus, ac plenam, liberam & omnimodam deſuper licentiam, poteſtatem, facultatem,& auctoritatem impartimur; necnon etiam dictis Monialibus ipſorum Monaſteriorum, vt præſentibus noſtris, ac Viſitatoribus, Abbatibus, & Prælatis prædictis in præmiſſis omnino pareant, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, necnon aliis pœnis diſtricte præcipiendo mandamus.

Clauſula præſeruatiua huius conſtit.

§. 4. Præſentes quoque de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quouis alio defectu notari, vel impugnari, aut alias quomodolibet infringi, vel retractari, nullatenus vmquam poſſe, ſed eas ſemper validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri & obtinere; necnon ab omnibus quos præmiſſa concernunt, & in futurum concernent, perpetuo inuiolabiliter & ad vnguem obſeruari, ſicque in præmiſſis ab omnibus cenſeri, ac ita per quoſcumque iudices & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus & declaramus.

Clauſ. derog. omnium contrariorum.

§. 5. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. præceſſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo quis vltra tres dietas vigore præſentium ad iudicium non trahatur, & quibuſuis aliis Apoſtolicis, prouincialibuſque & ſynodalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Monaſteriorum, & Ordinum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, illis, illorumque ſuperioribus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus & formis ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, & decretis, in genere vel in ſpecie, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, & innouatis. Quibus omnibus etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, ac expreſſa, & indiuidua mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus; aut ſi aliquibus, communiter vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Dat. P. A. 2. die 16. April.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 16. Aprilis 1574. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Digitized by Google

XVI. Innouatio constitutionum Eugenij IV. circa potestatem Definitorum, & Visitatorum Congregationis Cassinen. alias S. Iustinæ Monachorum Ordinis S. Benedicti; & prohibitio Ambitus, necnon appellationis à Prælatis eiusdem Congregat.

Quæ respiciunt istam Congregationem notaui supra ad const. 1. Iulij II.

Edita An. D. 1574.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoam.

In Religione nihil vtilius obedientia ergo Superiores.

NIhil in vnaquaque religiosa familia, in qua obedientia firmissime iactis fundamentis, plerique fideles in claustris Altissimo famulari student, æque arbitramur esse vtile, quam supremam in eisdem auctoritatem gerentibus omni contentione exclusam, ea qua decet reuerentia, vniuersos parere, eorumque dictis audientes esse, necnon à regularis obseruantiæ professorum pectoribus, bonorum assequendorum nimiam cupiditatem exulare.

Hæc vt vigeat in Congr. Cassinensi hic Pont. exoptat.

§. 1. Vtque hæc diuina assistente gratia, maxime in Congregatione Monachorum de obseruantia Congregationis Cassinen. alias S. Iustinæ de Padua Ordinis S. Benedicti, quæ vitæ sanctitate claruit, ex sententia nostra succedant, antiquas constitutiones approbandas, & in illarum transgressores duriores pœnas proponendas, & alias opportune prouidendum esse censemus, prout in Domino conspicimus expedire.

Eugen. IV. decreuit. Definitorib. generalib. hanc obedientiã præstari, & ad eos electionem & destitutionem Abbatuũ spectare, vt sup. in eius cõst. 5. sup.

§. 2. Accepimus enim, quod licet alias felicis recordationis Eugen. Papa Quartus prædecessor noster, sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo secundo nono Kalend. Decembris Pontificatus sui anno secundo. Inter alia voluerit, in Capitulo generali eiusdem Congregat. singulis annis celebrando, nouem Definitores ex Monachis dictæ Congregationis eligi, qui vocem in Capitulo haberent, sicque electos totum Capitulum præfatum repræsentare, eorumdemque Definitorum statutis, constitutionibus, ordinationibus, definitionibus, & correctionibus, singulos Congregationis eiusdem Monachos, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, siue conditionis existerent, in omnibus efficaciter parere, ac huiusmodi Definitores de Monasteriis, & locis, illorumque bonis (prout viderent expedire) disponere. Necnon ex Monachis tunc præsentibus, & futuris, quos ad id idoneos iudicauissent, in Abbates pro tempore vacantium Monasteriorum, ac Prioratuum huiusmodi, alias iuxta dictæ Congregationis constitutiones, ordinationes, & statuta eligere, & nominare. Necnon ad eorum beneplacitum taliter electos absque aliqua etiam causæ cognitione, à regimine etiam dictorum Monasteriorum, & Prioratuum, quibus tunc præfuerint, & quæ tunc propterea vacare censerentur, absoluere, & amouere posse.

Voluitque seruari, etiam si Abbatia vacaret apud Sedem Apost. sed eius const. non posui.

§. 3. Idemque per alias literas Datas Florentiæ, Pont. sui anno quarto, decreuerit, dum occurrente vacatione Monasteriorum & Prioratuum dictæ Congregationis, etiam apud Sedem Apostolicam vacantium, qua illis ratione prouidendum esset ordinauit, prout in singulis eiusdem prædecessoris literis plenius continetur.

Hæc autẽ decreta non obseruantur.

§. 4. Nihilominus nonnullos dictæ Congregationis Monachos, eius, quam Deo vouerunt obedientiæ plane oblitos, præfatis Superioribus in electione, & amotione Abbatum, & aliorum ad eorumdem nutum, & beneplacitum Monasteriis & aliis officiis absoluendis, & liberandis, aut ad illa eligendis, & nominandis, aduersari, & contradicere, & cum illis ad contentiones deuenire; alios vero, ne contra eos veluti inobedientes, vel alia etiam ex causa, aut ex quantumuis graui crimine & excessu procedi possit, contra eiusdem Congregationis statuta & ordinationes varias appositiones & subterfugia, aut alia impedimenta afferre vel interponere; necnon absque eorumdem Superiorum licentia, in his quæ ad morum correctionem & regimen, administrationemque Congreg. eiusdem pertinent, iurisperitos & alios consulere temere autos fuisse, & nunc præsumere; quosdam etiam professionis & regulæ quam sub humilitatis habitu professi sunt immemores reperiri, qui sic ambitione dignitatum, & officiorum ecclesiasticorum, in dicta Congregatione cõsequendorum, quò facilius de Congregationis rebus, & personis ad eorum libitum disponant, se efferri patiuntur, vt ad ecclesiasticorum & sæcularium Principum auxilia, vel occultè vel palam recurrant, & à S. R. E. Cardinalibus, aliisque Prælatis commendatitias literas propterea expetant, & noui aliquid semper, vt optati cõpotes fiant, in eorum animæ perniciem parando, ac moliendo, eiusdem Congreg. quietem cum animarum illorum periculo modico perturbent.

Hic idem Pont. ea iterato decernit.

§. 5. Nos igitur præmissis occurrere, ac eiusdem Congregat. Monachorum honori & quieti, quos in visceribus gerimus charitatis; necnon ad deterrẽda maleficia grauioribus etiam etiam pœnis propositis, consulere cupientes, ac dictarum prædecessoris literarum seriem, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, singulas prædecessoris præfati literas, ea in parte qua illæ auctoritatem illorum, qui pro tempore regendæ Congregationi deputati erunt, respiciunt quod ad eorum nutum & beneplacitum, Abbates & alios quouis nomine nuncupatos dictæ Congregationis Prælatos, vel Officiales eligere, & electos similiter absque aliqua causæ cognitione, seruatis alias ipsius Congregationis constitutionibus, ab officio amouere & absoluere possint, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus & confirmamus, & quatenus etiam opus sit, easdem quoad præmissa dumtaxat innouamus; quodque contra eos, qui in præmissis eisdem Superioribus, in electionibus vel amotionibus huiusmodi contradicere, vel se opponere, aut cum illis contendere præsumpserint, per pœnam priuationis officiorum quæ obtinuerint, ac personæ coercionem & carcerationem animaduertatur, statuimus.

Iudicia cõtra Monachos summarie & appellatione remota agi, &c. delere declaras.

§. 6. Cumque idem prædecessor districtius inhibuerit, ne cui Prælatorum vel Monachorum dictæ Cõgregationis, ab institutis, ordinationibus, correctionibus & mandatis Capituli generalis, siue Præsidentis, aut Visitatorum vel Rectorum eiusdem Congreg. ad quemcumque etiam Sedem Apostolicam, nisi de speciali indulto Summi Pontificis liceret appellare, quamcumque appellationem, si aliquam quandoque interponi contingeret, cum inde secutis irritam decernendo. Si autem contra aliquem Prælatum vel Monachum dictæ Cõgregationis ciuiliter aut criminaliter ageretur, secundum statuta & consuetudines Congreg. præfatæ iuris communis apicibus, dilationibus, terminis & litium anfractibus omissis procedi debere mandauerit, eiusdem prædecessoris exemplo adducti, quod quandocumque contra Monacos iudicium ex quauis causa institui contigerit, summarie, simpliciter, & de plano, ac sola facti veritate inspecta, necnon omni & quacumque appellatione remota agi.

Appellantes coerceri mandat, cum eorũ consulturis.

§. 7. Appellantes vero, aut de nullitatibus sententiarum, processuum, & aliorum quorumcumque cõtra se decretorum vel actorum dicẽtes, vel aliquod aliud impedimentum interponentes, illis non obstan. priuatione officiorum, & carceris pœnis itidem affici, & ad vlteriora in causis, quas pro tempore agitari continget, priuationisque carceris, & aliarum pœnarum propterea inflictarum executionem procedi posse volumus, easdemq; pœnas ad eos etiam Monachos, qui à iurisperitis, aut aliis quibuscumque personis extra dictam Congregationem, absque eorum Superiorum licentia, in his quæ ad obedientiam, aut correctionem, eiusdemve Congregationis regimen pertinebunt, consilium capient extendimus.

Ambientibus & eorũ complicibus pœnas imponit.

§. 8. Ac omnes & singulos Monachos Congregationis præfatæ cuiuscumque ætatis, gradus, conditionis, præeminentiæ, & literaturæ existentes, & quacumque dignitate præfulgentes, qui ad Prælaturas, & alia officia dictæ Congregationis assequenda intenti, ad Principum & Prælatorum de gremio dictæ Congregationis non existẽtium fauores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis directe vel indirecte, palam vel occulte, ad dignitates seu officia in Congregatione præfata obtinenda aspirauerint, vel aliis minus legitimis & honestis rationibus ea obtinere quæsiuerint, illorumque complices & fautores, ad quascumque Prælaturas dignitates, &

Digitized by Google

& officia ſpiritualia vel temporalia, & præſertim in ipſa Congregatione, obtenta & obtinenda, perpetuo inhabiles declaramus, ac obtentis Prælaturis, dignitatibus, adminiſtrationibus vel officiis, eo ipſo priuamus, ac priuatos voce tum actiua tum paſſiua carere decernimus, & declaramus.

Promotiones canonice fieri iubet.

§.9. Et in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ omnibus dictæ Congregationis Monachis qui pro tempore regimini dictæ Congregationis deputati erunt, præcipientes, diſtricteque mandantes, ne aliquos precibus, literis, vel fauoribus Principum vel Prælatorum, aut aliorum extra dictum gremium exiſtentium adducti, ad cuiuſuis generis prælaturas, dignitates, officia, adminiſtrationes & gradus promouere præſumant; immo promouendorum meritis & virtutibus tantum inſpectis, quod Dei cauſam agant, memores ſint, quo magis puro & ſincero corde, nulla priuata aut mundana affectione commoti, in electionum negotio procedant. Decernentes electiones & promotiones ad Monaſteria, ſic literis, aut aliis fauoribus Principum & Prælatorum, vel aliorum extra gremium, vt præfertur, exiſtentium, eorumque precibus aut pollicitationibus, iniuſte ac indebite extortas, nullas, inualidaſque eſſe, & aduerſus eos qui his minus legitimis rationibus ad regenda Monaſteria vel Prioratus, aut alia officia ſe eligi, aut aſſumi obtinuerint, per eiuſdem Congregationis Superiores quandocumque procedi, & rei veritate cognita, condignis pœnis tamquam publicæ dictæ Congregationis quietis perturbatores aſſici poſſe & debere. Et ita per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi auctoritate & facultate, iudicari & definiri debere; irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarijs derogat.

§.10. Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, ac in prouincialibus & ſynodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac dictorum Congregationis & ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis & illorum Superioribus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis, conceſſis & confirmatis. Quibus omnibus etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice, Motu, & ſcientia ſimilibus latiſſime derogamus, ac derogatum eſſe volumus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi præfatis Congregationi & Monachis, vel quibuſuis aliis communiter vel diuiſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Tranſumptis credi iubet.

§.11. Ac vt harum literarum notitia ad omnes dictæ Congregationis Monachos facilius deueniat, volumus illas in generali dictæ Congregationis Capitulo ſingulo quoque anno publice legi, illaſque in dicto Capitulo lectas ſic arctare, ac ſi legitime vnicuique intimatæ fuiſſent, illarumque exemplis, vel impreſſis, manu Scribæ dicti Capituli, vel Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Præſidentis ipſius Congregationis vel alterius in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti obſignatis, eamdem prorſus fidem haberi, quæ præſentibus haberetur ſi eædem exhiberentur.

D. P. An. 2. 17. Aprilis.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 17. Aprilis, 1574. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Ordinationes circa electionem Præpoſiti generalis, & aliorum Prælatorum Congregationis Monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi de Obſeruantia, eorumque ſtudia, & acceſſus ad Vrbem. XVII.

Ad hæc vide quæ immutauit hic idem Pont. in ſuâ conſt. 90. Ea quæ. *vbi notabo.*

GREGORIVS PAPA XIII. *Ad futuram rei memoriam.*

Edita A. D. 1574.

Exordium.

PRo noſtri muneris officio & charitate paterna, qua omnes religioſorum Ordines proſequimur, quæcumque ad illorum ſtatum, ſalutaremque tranquillitatem pertinere arbitramur, ea adiuuante Domino inſtituere nitimur, atque ſtudemus;

Congregatio Monachorum S. Hieronymi ex eius inſtituto habet Priores annales, & ij per tres annos in Priores eligi poſſunt, & poſtea per annum vacare debent.

§.1. Inter eos autem ad Congregationem Monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi reſpeximus, quæ paucorum numero continetur, vtpote cuius Monachi & Fratres ad centum ſexaginta vix aſcendunt, & ex antiquis conſtitutionibus & conſuetudinibus Priores habet annales; necnon in eodem Monaſterio in quo Prioratus officium aliquem gerere contigerit, vel aliis eiuſdem Congregationis Monaſteriis, poſſunt ſingulis annis vſque ad tres annos tantum, in Priores de nouo eligi, ita tamen vt triennio elapſo quo rurſus in Priores eligi valeant, ab huiuſmodi officio ſaltem per annum vacare debeant.

Ex quâ frequenti mutatione, ambitio occaſio præbetur.

§.2. Hæc autem aſſidua mutatio, plurium deſideria ita excitat, vt nonnulli profeſſionis quam in habitu ſinceritatis & humilitatis Deo vouerunt, immemores, ambiendis illius dignitatibus & officiis aſſidue incumbant; quo magis pro eorum libito de rebus & bonis ad eamdem Congregationem pertinentibus diſponere poſſint, effrænata vero hac cupiditate ſic nonnulli efferri patiuntur; vt Principum ſæcularium & aliorum auxilia & fauores plerumque occulte, quandoque etiam palam expetant, illoſque implorare non vereantur, diuerſa ſuper his pacta ineundo, ſeditiones excitando, præſentationes quas practicas vocant exercendo, in maximum Chriſtifidelium ſcandalum, ac publicam dictæ Congregationis perturbationem, quæ ad labefactandum religioſorum ſtatum apertiſſime tendunt.

Hic ideo Pont. præſentes Priores amouet & alios deputat, eiſque Prioratus à futuro Capit. aſſignari mandat.

§.3. Nos igitur his incommodis per nouas editas ordinationes occurrendum eſſe cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, modernos dictæ Congregationis Priores, ab officiis Prioratuum huiuſmodi abſoluimus & amouemus; necnon dilectos filios Hieronymum Cremaſcum modernum Præpoſitum generalem, Martinum, Iulium, Conſtantinum, Deodatum, Vrbanum, Aloyſium Comenſem, Hippolytum, Euſebium, Leandrum, Angelicum Locatum, Felicem & Stephanum, Dominicum & Timotheum in Priores Monaſteriorum eorumdem loco prædictorum eligimus. Aſſignationem autem eorumdem prioratuum vnicuique Priori per nos electo, à generali Capitulo faciendam remittimus.

Definitores à Capit. aliquot dd. Priorum conſtituit.

Priores poſſint eligendos perpetuo Priorâ remanere decernit.

§.4. Ac ex ipſis Prioribus, Hieronymum, Deodatum, Vrbanum, Aloyſium, Euſebium, Leandrum, Angelicum Locatum, Felicem & Stephanum pro hac vice dumtaxat in eiuſdem Congregationis Definitores conſtituimus & deputamus.

Sed eodem in Monaſt. triennio tantùm permanere, & poſtea alios præfici iubet. Confirmat hic Clem. VIII. conſt. 21.

§.5. Priores vero huiuſmodi in poſterum perpetuo Priores durare decernimus, niſi aliquis ſic eius exigentibus demeritis Priorali dignitate priuandus eſſet; qui priuati ad dicta officia in poſterum exercenda inhabiles poſtmodum exiſtant.

§.6. Vltra autem tres annos Priores in adminiſtratione eiuſdem Monaſterij non permaneant, ſed illi aliis Monaſteriis adminiſtrandis præficiantur, & ad illa transferantur; ac triennium huiuſmodi à Capitulo generali proximis temporibus celebrando numeretur.

Capit. tamen ſingulis annis eos transferre valet. Hoc approbat inſ. in conſt. 90.

§.7. Poſſit tamen idem generale Capitulum quos iudicauerit expedire, de vno ad aliud Monaſterium regendum ſingulis annis transferre.

Digitized by Google

§.8. Quod si aliqui ex supranominatis, qui in Priores per nos, vt præfertur, electi fuerunt, Prioratus sibi delatos acceptare recusauerint, aut eos vel statim, vel paulo post dimittere voluerint, tunc & eo casu liceat Capitulo generali proxime celebrando hac vice dumtaxat eorum loco alios dictæ Congregationis professores, etiam si de numero Vicariorum, vt infra dicetur, non extiterint, in Priores eligere, ac illos subrogare, & ad Prioratus huiusmodi officia exercenda per tempus prædictum deputare.

Capit. proximū loco Priorum vt supra deputatorum vacantium alios subrogare potest.

§.9. Præterea cum antea liceret quemcumque Monachum in presbyteratus ordinem constitutum, in Præpositum generalem, Visitatorem & Consultorem eligere, & dummodo vocem haberet in generali Capitulo prædicto, etiam in Definitores illi omnes assumi valerent, & multitudo vocem & suffragium in electione habentium, & eligendorum maximam pareret confusionem, propter varias, illicitasque pactiones & pollicitationes quæ præmissorum occasione ineunt. Nos huiusmodi malo obuiare volentes, quod iidem omnes, Præpositus videlicet generalis, Visitatores, Consultores, & Definitores, ex numero Priorum, ab ipsismet Prioribus tantum eligantur mandamus, præterquam in S. Alexij de Vrbe, & S. Pauli Ciuitatis Albanen. Monasteriis, in quibus pro euitandis expensis & incommodis duos ex illis Monachis qui ad ibi degendum, aut eorum alter constituentur, pro tempore etiam si Priores non essent, Visitatores deputari posse permittitur. Qui tamen vti eorumdem Monasteriorum Visitatores in generali Præposito vel Definitoribus eligendis, vocem non habeant, quo ad reliqua autem concessa sibi per generale Capitulum auctoritate fungantur.

Præpositū gen. Visitatores, Consultores, & Definitores ex numero Priorū eligen. esse decernit.

Imo ex omnibus subditis eligi possunt Præpositus & Definitores, vt in d. const. Clem. VIII. num. 21.

§.10. Insuper ex causis prædictis, vitandique ambitus gratia, eos procuratores qui ab vnoquoque Monasterio ad generale Capitulum destinantur, vt de statu Monasteriorum à quo missi fuerint, generale Capitulum prædictum plane edoceant, & ea omnia quæ ad illud pertinent postmodum referant, necnon vocem in electione Præpositi generalis, & Definitorum, tàm activam quàm passiuam habeant, illa in posterum volumus carere.

Procuratores à Monast. missos ad Capit. gen. voce electiua carere declarat.

Hoc corrigit inf. in Clem. VIII. in const. 21.

§.11. Ad hæc si medio tempore à celebrato Capitulo generali vsque ad aliud celebran. alicuius Monasterij Prioratum, quomodocumque, & ex quauis causa vacare contigerit, noui Prioris electio vsque ad Capitulum generale proxime celebrandum, nec vltra differenda erit. Et interim Monasterij Vicarium, vel quemuis alterum per Præpositum generalem, cum voto Consultorum per modum prouisionis dumtaxat deputandum.

Electio Prioris vacantis ad Capit. deferenda est, &c.

§.12. Nec aliquis ad Prioratum assumendus erit, nisi & tempore vacationis, & tempore electionis sit alicuius Monasterij Vicarius.

Priores ex Vicariis eligendi sint.

Imo etiam ex non Vicariis, vt in d. bulla 21. Clem VIII.

§.13. Vicariorum autem electio per Capitulum generale facienda erit, vt est moris. Quod si medio tempore aliqua Vicariatuum officia quomodocumque, vacare contigerit, cum voto Consultorum generalis Præpositus poterit Monachos in Vicarios eligere, prout ea in re duxerit expedire.

Vicariorū electio ad quos spectet.

§.14. Ad euitandam etiam extra claustra Monasteriorum Monachis præfatis vagandi ac discurrendi occasionem, Monachos ad quodcumque gymnasium vel publicam academiam quibusuis ampliſſimis priuilegiis suffultam, ad audiendas cuiusuis facultatis lectiones accedere, aut illas publice, vel priuatim profiteri prohibemus. In propriis autem Monasteriis dummodo in facultatibus, vel in Theologia Magisterij, vel Licentiaturæ, aut alios gradus suscipere non audeant, ipsis arbitrio Præpositi generalis dumtaxat literarum studiis à iure permissis, operam dare concedimus.

Monachis extra Claustra lectiones audire vel profiteri vetat. Et in Monasteriis certe modo permittit.

§.15. Monachorum prædictorum nullus absque expressa licentia à Venerabili fratre nostro Ioanne Episcopo Ostiensi Cardinale Morono nuncupato, nunc dictæ Congregationis, & pro tempore existente apud nos Sedemque Apostolicam Protectore, aut à Præposito generali in scriptis obtenta, ad Almam Vrbem nostram sub quouis prætextu se conferre audebit; si secus fecerit, carceris, à quo per integrum annum ad pœnam inobedien-

Accessum ad Vrbem, absque Protectoris, vel Præpositi gen. licentia prohibet.

tiæ luendam detinebitur, ac vocis tàm activæ, quàm passiuæ priuationis, aliisque etiam grauioribus arbitrio pro tempore generalis Præpositi imponendis pœnis plectendus erit.

§.16. Sub eisdem pœnis edicimus, ne aliquis dictæ Congregationis Ordinem expresse professus, in Vrbe, vel alibi procuratores, aut negotiorum gestores, aut alio nomine nuncupatos, circa causas & negotia ad dictam Congregationem vniuersam, vel illius Monasteria, aut regularia loca quomodolibet directe vel indirecte spectantia vel pertinentia, constituere audeat.

Constit. Procurat. ad negotia vel causas Congreg. vel eius locorum, omnibus interdicit.

§.17. Demum Præpositum generalem ex Prioribus in posterum eligi debere, & Capituli generalis auctoritate electum, vltra annum in Generalatus officio minime perseuerare posse.

Præpositū gen. ex Priorib. & ad annū eligi mandat.

Imo ex omnib. vt inf. in cōst. 21. Cle. VIII.

§.18. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari, definirique debere, prædictaque omnia firma & inuiolabilia fore & esse, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Aliter gesta irritat.

§.19. Quocirca moderno & pro tempore existenti Præposito generali, ac vniuersis & singulis dictæ Congregationis Monachis per Apostolica scripta, illis etiam in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, vt præsentes literas humiliter recipiant, & quæcumque in ipsis continentur, alia desuper à nobis non expectata iussione aut mentis nostræ declaratione, firmiter custodiant, & in omnibus illis studiose ac reuerenter obedire procurent.

Omnes prædicta obseruare præcipit.

§.20. Quin etiam ipsi Præposito generali præcipimus, vt easdem præsentes in omnibus eiusdem Congregationis Monasteriis, necnon ab omnibus Monachis prædictis inuiolabiliter faciat per se vel alium obseruari, quoscumque contradictores & rebelles, ac etiam reclamantes, eisque auxilium vel fauorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quouis quæsito colore vel ingenio præstantes, tàm Ecclesiasticos quàm laicos cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, per censuras & pœnas Ecclesiasticas, ceteraque iuris & facti remedia opportuna, appellatione postposita compescendo, censurasque & pœnas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Public. huius constit. & eius execut. Præposito gen. demandat.

§.21. Non obstantibus fel. record. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis edita de duabus dietis, & quibusuis Apostolicis, ac prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinibus, ac dictorum Congregationis & Ordinis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis & illorum superioribus, super quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, ac alias quomodolibet concessis, ac etiam pluries confirmatis & innouatis; quibus omnibus, etiam si pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quæuis alia expressio seu aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores, formas datas, ac si de verbo ad verbum inscererentur, præsentibus pro expressis habentes & insertis, illis alias in suo robore permansuris, hac vice, motu & scientia, ac potestatis plenitudine paribus, latissime derogamus, ac derogatum esse volumus, contrariis quibuscumque aut si prædictis Congregationi & Monachis, vel quibusuis aliis communiter vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionē.

Contrariis derogat.

§.22. Per

Constit. Ord. quo ad casus hic nõ expressos, & deputationē Prapositi gen. factā à Pio V. præfernat.

§.22. Per hæc autem antiquis d. Congr. constitutionibus, & laudabilibus consuetudinibus more vtentium in dicta Congregatione comprobatis, aut statutis, etiam forsan iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, vel priuilegiis, indultis, vel literis Apostolicis super præmissis forsan emanatis, nisi quo ad casus expressos, in nihilo penitus derrahere, aut literis piæ mem. Pij Papæ Quinti circa deputationem moderni Præpositi generalis derogare non intendimus; quinimo tempore deputationis expleto Capitulo generali minime ademptam esse volumus facultatem, quo minus idem ad officium generalis Præpositi eligi possit.

D. P. An. 3. 26. Maij.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 26. Maij, 1574. Pontificatus nostri anno tertio.

XVIII. Confirmatio & extensio gratiarum, priuilegiorum, & indultorum Ordinis Cistercienſis Monachorum S. Benedicti, nouæque ordinationes pro feliciori eius regimine.

Alias ordinationes ad eumdem finem, statuerunt Eugen. III. in const. 2. Sacrosancta, *sup. Clement. IV. in const. 3.* Paruus. *sup. Bened. XII. in constit. 3.* Fulgens. *Pius IV. constit. 70.* In eminenti. *ac Pius V. in constit. 102.* Ex innumeris.

De institutione autem huius Ordinis, ac aliis eum concernentibus, notaui sup. in Paschal. II. const. 1. *Desiderium.*

Edita An. D. 1574.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

SVperna dispositione, cuius inscrutabili prouidentia ordinationem suscipiunt vniuersa, in supereminenti Apostolicæ dignitatis specula meritis licet imparibus constituti, ad ea; per quæ sacræ religionis Cistercien. Ordinis, nobis, & Sedi Apostolicæ immediate subiecti, status feliciter dirigatur, & regularis vitæ institutio iamdiu à Sanctis viris, tam pie & religiose tradita & constituta conseruetur, & si quid deperire incœperit, Domino concedente reformationem suscipiat, & in suum pristinum statum refloreſcat, ac denique personæ sub suaui Religionis huiusmodi iugo, Domino secundum regulæ suæ puritatem famulantes, sua in pacis quietis suauitate vota reddere, & fructus in Dei Ecclesia vberiores proferre valeant, libenter intendimus, & his quæ per Rom. Pontifices prædecessores nostros propterea concessa & ordinata fuisse reperiuntur, etiam nostræ approbationis robur adiicimus, ac alias desuper statuimus, ordinamus, moderamur & reformamus, provt in Domino conspicimus salubriter expedire.

Pius IV. confirmauit antiquas ordinatio. & indulta Ord. & alia statuit vt sup. in eius cõst 70 In eminenti.

§.1. Dudum siquidem fel. record. Pio Papa IV. prædecessori nostro, pro parte bonæ mem. Ludouici olim Abbatis Monasterij Cistercij, Cabilonen. diœcesis exposito, quod licet sacer Cistercien. Ordo in summa puritatis & deuotionis perfectione, per multa retroactorum annorum sæcula, ac tamdiu exemplari Religiosorum suorum vita atque sanctimonia, non solum in Regno Franciæ, vbi supremum eius caput videlicet, Cistercij præfatum, cum aliis quatuor illius præcipuis nempe Firmitatis, Pontigniaci, Claretuallis, & Morimondi, Cabilonen. prædictæ, & Antisiodoren. ac Lingonen. respectiue diœc. Monasteriis, filiabus Cistercij nuncupatis, sed etiam per alia fere vniuersa Christiani Orbis climata cum bonæ famæ, & virtutum odore, eximioque Religionis decore, ad ædificationem militantis Ecclesiæ quamdiu iuxta Sanctorum Patrum institutiones, & regularia illius institura, præfatis aliisque Monasteriis de Monachorum dicti Ordinis personis prouisum, eiusque laudabilia institura, ritus, consuetudines & priuilegia firmiter obseruata fuerant, Domino cooperante floruisset. Nihilominus tunc à pluribus annis citra, præsertim postquam pleraque Monasteriorum, ac Prioratuum suorum, aliis quam dicti Ordinis personis commendari, ac ab eorum Superioris obedientia per exemptionum, vnionum, aliasque diuersas vias tamquam membra à suo corpore diuelli, abstrahi, & dismembrari cœperant, speciosо illo regularis disciplinæ candore paulatim offuscato, vniuersi Ordinis status in miserabilem dispersionem, & desolationem prolapsus erat, & in eadem expositione subiuncto, quòd tantis huius olim Deo, mortalibusque gratiæ Religonis incommodis aliter quam per antiquorum statutorum, consuetudinum, rituum & priuilegiorum prædictorum vndique conuulsorum, & diuersimode oppressorum restitutionem mederi non posse videbatur præfatus prædecessor supplicationibus ipsius Ludouici Abbatis in ea parte tunc inclinatus, antiqua priuilegia per quoscumque Rom. Pontifices prædecessores suos eidem Cistercien. Ordini; & eius Capitulo generali indulta & concessa, per suas literas approbauit, confirmauit & innouauit, & alia desuper statuit & ordinauit.

Pius V. cit. ib. nub. eadē confirmauit, & quadam alia de nouo concessit pro reformat eiusdem Ord.

§.2. Et deinde piæ mem. Pius Papa Quintus etiam prædecessor noster eodem erga præfati Cistercien. Ordinis bonum statum, & reformationem, zelo & animi propensione affectus, antiqua illa eidem Ordini, vt præfertur, concessa priuilegia & indulta, per suas literas, etiam approbauit & confirmauit; ac literis Pij Quarti prædecessoris eiusmodi, etiam suæ approbationis robur adiecit. Necnon nonnulla alia opportuna pro temporis conditione præfati Cistercien. Ordinis reformationem concernentia, de nouo eidem Ordini & Capitulo generali concessit & indulsit, provt in singulis literis præfatis plenius continetur. Cum autem firmiora sint ea, quibus Sedis prædictæ sæpius intercedit auctoritas.

Hic modo Pij. eorum bullas approbat, & omnes ordinationes & statuta d. Ord. confirmat, volens quòd Abbas & Prælati loci, & personæ visitent & corripiant.

§.3. Nos cupientes, vt illa, quæ pro dicti Ordinis, cuius decus & integritatem, ac pristini candoris restitutionem non minori quam prædicti prædecessores nostri zelo affectamus, salubri directione, tam pie ac sancte statuta sunt, inconcussa perpetuo remaneant, omnium & singulorum immunitatum, libertatum, exemptionum, conseruationum, facultatum, ordinationum, statutorum, priuilegiorum, indultorum, & aliarum gratiarum, necnon literarum Pij Quarti & Pij Quinti prædecessorum huiusmodi tenores præsentibus pro sufficienter expressis & insertis haben. Motu proprio non ad Abbatis generalis, & Superiorum Ordinis huiusmodi, vel quorumuis aliorum instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia, omnes & singulas ab Abbate Monasterij Cistercij, aliisque Superioribus & Capitulo generali Ordinis huiusmodi, eiusque deputatis, immunitates, libertates, & exemptiones quibuslibet, tàm virorum, quàm S. Catharinæ Caietan. & S. Mariæ de Cœlestia nuncupatę Venetiarum, aliisque Monialium Monasteriis, ac Prioratibus, & aliis regularibus locis dicti Ordinis, ac dilectis filiis Abbatibus, & Prioribus, dilectisque in Christo filiabus, Abbatissis & Priorissis, necnon Conuentibus, Capitulis, & personis eorumdem; tàm in Gallia, Italia, Hispania, Portugallia, Germania, Anglia & Scotia, quàm alibi vbilibet consistentibus, ita quod immunitatibus, libertatibus & exemptionibus huiusmodi non obstantibus, pro tempore existentes Abbas generalis nuncupatus, & alij Superiores dicti Ordinis, eorumque Vicarij, iuxta ipsius Ordinis instituta; Monasteria, Prioratus, & loca prædicta, ac illorum personas, tàm in capitibus quàm in membris visitare libere & licite valeant.

Indulta Apost. Episcopis, & aliis concessa visitandi eadem loca; limitantur ita vt Abbas præfatus, & Superiores illa amplius visitare possint.

Hoc idem statuit Pius IV. ibid.

§.4. Ac quæcumque priuilegia & indulta Apostolica visitandi Monasteria, tàm virorum quàm mulierum Ordinis huiusmodi quibuslibet Venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filiis aliis locorum Ordinariis, Abbatibus & aliis, quàm Generali Cistercien. prædicto, ac aliis quatuor primis nuncupatis quatuor Monasteriorum filiarum Cistercij nuncupatorum præfatorum Abbatibus, ceterisque Superioribus eiusdem Ord. ad id ab ipso generali Capitulo deputatis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis & præeminentiæ existentibus, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & dictam Sedem,

Digitized by Google

Sedem, etiam ad quorumvis Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum instantiam, vel etiam Motu proprio, & ex certa scientia, etiam consistorialiter, & cum causæ cognitione, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, hactenus quomodolibet concessa, & etiam iteratis vicibus approbata, & Apostolicas, & alias literas desuper confectas, & inde secuta quæcumque, ad hoc dumtaxat vt Abbati generali & aliis Superioribus Ordinis, eorumque Vicariis, Monasteria huiusmodi, vt præfertur, visitare liceat, Apostolica auctoritate tenore præsentium moderamur & limitamus.

Inhibitio contra Episc. & alios impedientes illos in visitationibus.

§.5. Inhiben, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis superioribus Prælatis, videlicet sub interdicti ingressus Ecclesiæ, ac suspensionis à diuinis, Abbatibus vero, & aliis inferioribus præfatis, ceterisque quibuscumque personis sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, ne Abbatem generalem, & alios superiores Ordinis, eorumque Vicarios præfatos quo minus visitationes, iuxta regularia Ordinis instituta huiusmodi, libere facere possint, per se vel per interpositas personas, directe vel indirecte, aut alias quoquo modo impedire audeant vel præsumant.

Hoc idem voluit Pius IV. ibid.

Monachi & Moniales omnes, admittãt Abb. & alios Superiores, visitan. sub pœnis hic expressis.

§.6. Ipsis autem Monasteriorum, & aliorum locorum prædictorum Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Conuentibus, Monachis, Monialibus, & personis, vt Generalem, aliosque Abbates, Superiores, & Vicarios præfatos, vt præfertur, visitare volentes, benigne recipiant, eisque & eorum mandatis, in concernentibus eorum visitandi officium huiusmodi pareant, & humiliter obediant, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub similis excommunicationis pœna districte præcipiendo mandamus.

Confirmatio omnium gratiarum Ord.

Hoc habetur etiam in d. const. Pij IV.

§.7. Et insuper vniuersa & singula priuilegia, prærogatiuas, immunitates, exemptiones, libertates, conseruatorias, facultates, indulta, & alias gratias Cistercij, & quatuor filiabus nuncupatis Monasteriis, ac Ordini, eiusque Capitulo generali, Definitoribus, & aliis Superioribus præfatis per piæ mem. Paschalem Secundum, Callistum etiam Secundum, Eugenium Tertium, Alexandrum etiam Tertium, Lucium similiter Tertium, Honorium pariter Tertium, Gregorium Nonum, Innocentium Quartum, Sixtum etiam Quartum, præsertim commendas, & Commendatarios Monasteriorum, & aliorum locorum Ordinis huiusmodi concernentia, & quod Commendatarij pro tempore existentes nullam in Monasteria dicti Ordinis sibi commendata, & eorum Monachos iurisdictionem exerceant, & quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, & Sedem huiusmodi hactenus quomodolibet concessa.

Confirmatio ordinationũ, & statutorum d. Ord.

Hoc habetur etiam in d. const. Pij IV.

§.8. Necnon ordinationes & statuta ab exordio fundationis eiusdem Ordinis vsque in præsentem diem in dicto Capitulo concorditer edita, etiam si in vsu esse desierint, dummodo per lapsum temporis immemorabilis, videlicet centum annorum in desuetudinem non abierint. Ac præterea super contributionibus, per omnia & singula eiusdem Ordinis Monasteria Abbati Cistercij seu Capitulo generali prædictis, faciendis & soluendis, ac provt illa concernunt omnia & singula alia in literis Apostolicis, aliisque documentis desuper confectis contenta, & inde secuta quæcumque, licita tamen & honesta, ac decretis Concilij Tridentini non aduersantia, eisdem auctoritate & tenore ex certa scientia confirmamus & approbamus, ac illis perpetuæ & inuiolabilis firmitatis, & nostræ approbationis robur adiicimus, omnesque & singulos, iuris & facti defectus, si qui forsan intreuenerint in eisdem supplemus. Necnon potiori pro cautela eadem omnia & singula priuilegia, prærogatiuas, facultates, exemptiones, quatenus sint in vsu, conseruatorias, indulta, & alias gratias eisdem modo & forma, quibus Ordini, eiusque Abbatibus, Capitulo generali, & Superioribus prædictis per dictos prædecessores concessa sunt, illis de nouo auctoritate & tenore prædictis concedimus & innouamus.

In Monast. Commendatis alia persona, quam ipsius Ord. institui debet mensa Conuent. distincta ab Abbatia & sufficiens pro Monachis.

§.9. Et præterea quod in Monasteriis dicti Ordinis, quæ diuersis personis, etiam si Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, & S. R. E. Cardinales existant. de præsenti commendata, etiam reperiuntur, & in futurum commendari, seu alias quoquo modo aliis quam Ordinis ipsius personis concedi contingeret, vbi non fuerit, instituatur mensa Conuentualis, ab Abbatiali mensa distincta & separata, cum annuis fructibus, redditibus, & prouentibus, iuxta Monasteriorum ipsorum facultates competentibus, & honestis, pro sufficienti Conuentus & Monachorum, aliorumque Religiosorum eiusdem Ordinis numero in vnoquoque ex ipsis Monasteriis per ipsos Generalem, & ceteros Ordinis ipsius Superiores, aut eorum Vicarios ordinando, quam quidem mensam quia etiam ædificiorum, & locorum ad disciplinæ monasticæ obseruationem pertinentium, scilicet templorum, ornamentorum, iocalium, librorum Ecclesiasticorum, dormitorij, refectorij, aliorumque locorum regularium, necnon Monasteriorum clausuræ necessariis, & ordinariis reparationibus faciendis obligatam & obstrictam esse volumus, vt in ea instituenda expensarum annuarum ad hæc necessariarum ratio habeatur, statuimus, & mandamus, ac ad eamdem mensam sic instituendam, congruosque redditus assignandos ipsi Commendatarij omnino teneantur, & ad id etiam per censuras Ecclesiasticas, fructuum, reddituum, & prouentuum sequestrationes, & alia opportuna iuris remedia cogi possint, & debeant.

Religiosi alterius Ord. intrusi in locis huius Ordin. aut inde eiiciantur, aut eiusdem Ord. professionem faciant.

§.10. Et quia sicut accepimus in multis dicti Ordinis tam virorum quam mulierum Monasteriis quamplures mendicantium alioium Ordinum Religiosi vtriusque sexus ab immemorabili tempore citra se intruserunt, & persæpe intrudere præsumunt, quod illi vel inde realiter, & cum effectu eiiciantur, vel saltem habitum infra annum suscipiant, ac professionem regularem eiusdem Cistercien. Ordinis expresse emittant, debitamque obedientiam, & reuerentiam illius Abbati generali, & reliquis Superioribus prædictis præstent, ac diuinum officium secundum ipsius Ordinis morem celebrent, seque regularibus eius institutis omnino conforment. Quodque Monachi in Monasteriis, & Prioratibus eiusdem Ordinis, aliis piis locis pro tempore vnitis, annexis, & incorporatis degentes, sint & remaneant sub obedientia, & correctione Abbatis generalis, aliorumque Superiorum Ordinis Cistercien. præfatorum, & suorum Vicariorum in omnibus, & per omnia, perinde ac si vniones, annexiones, & incorporationes huiusmodi non emanassent, etiam si in illis aliter caueretur, & vsus, non tamen à tempore immemorabili, vt præfertur, contrarium obtineat, quæ contra statuti huiusmodi tenorem nemini suffragentur.

Moniales alterius Ordinis quando recipi possint in Abbatissas.

§.11. Quod nullæ alterius Ordinis Moniales nisi causa legitima subsistente, in Abbatissas Monasteriorum Monialium dicti Ordinis assumi, vel si assumantur in eisdem Monasteriis recipi possint, nisi immediato Patre Superiore præsente, qui habitum illis exhibeat, & ab eis tria substantialia vota, necnon iuramenta obseruandi statuta dicti Ordinis, ac secundum ea viuendi recipiat.

Monast. omnia tenentur ad contributiones soluendas Abbati & Capitulo.

§.12. Quodque omnia & singula Monasteria Ordinis huiusmodi, tam virorum quam mulierum vbicumque existen. seu eorum Abbates vel Priores, etiam Commendatarij, Abbatissæque vel Prioriss in signum obedientiæ & superioritatis solita regalia, videlicet, contributiones solitas Abbati Monasterij Cistercij, & Capitulo generali prædictis, omnibus exceptione, recusatione, præscriptione, & alia excusatione penitus cessan. annuatim soluere teneantur, & ad id compelli possint sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, eadem auctoritate statuimus, & ordinamus.

Monast. eiũ commendata, & de iurepatronatus laicorũ, destituta reficiantur & reducãtur, ad clausuram.

§.13. Et insuper vt Monasteria Cistercien. Ordinis huiusmodi, quorum quamplurima, vt accepimus præsertim in vtraque Sicilia consistentia, aut debitis officiis destituta, aut Monachis ob non præstitam alimoniam deserta, aut omnino collapsa, retecta, recluſa, patentia reperiuntur, & vt prophana habentur, ad Conuentum, disciplinam, & bonam frugem reuocentur, de Apostolicæ potestatis plenitudine etiam statuimus, & ordinamus, vt omnia Monasteria, & loca dicti Ordinis, tam in vtraque Sicilia, quam ceteris omnibus Orbis partibus constituta, etiam commendata, ac etiam de iurepatronatus laicorum quocumque modo existen. quæ

Digitized by Google

conuulsa, diruta, & extenuata existunt, reficiantur, & ad debitam clausuram reducantur. Ac pro faciliori præmissorum executione conueniens pecunia statuatur, & quotannis in id opus donec absolutum fuerit, erogetur, ac in eisdem, & ceteris locis, quemadmodum eorum facultates ad id fuerint sufficientes, competens Monachorum & Ministrorum numerus restituatur.

In Ecclesiis prouideantur necessaria ad vsum Monachorũ, & cultum diuinum Missaque & alia officia in eisdem quotidie celebrentur.

§.14. Ipsorumque quoque Ecclesiæ, sacristiæ, dormitoria, & officinæ vasis, vestimentis, libris, sacra, & cõmuni suppellectile ac ceteris omnibus ad diuinum cultum, & monasticum vsum necessariis conuenienter instruantur. Missæ præterea sacrificium, & alia diuina officia nocturna, & diurna quotidie in choro psallendo iuxta ritum dicti Ordinis sine intermissione celebrentur. Insuper vbi sacra lectio iuxta Concilij Tridentini dispositionem haberi non poterit, præter eos libros, qui ad diuini officij & chori vsum necessarij sunt, saltem Biblia & Catechismus ad Parochos ante aliquot annos editus, item opera S. Bernardi, & si qui alij ad honestam Monachorum occupationem haberi poterunt, habeantur, nisi de illis in assignatione mensæ Conuentualis iam prospectum reperiatur, ita tamen, vt de his omnibus, necnon vasis, vestimentis, & cetera suppellectile præfata semel receptis, omnes Conuentus rationem reddere debeant.

Nouitij instruantur in duobus Monasteriis cuiuscumque Prouincia.

§.15. Et vt Nouitij ea qua decet disciplina informentur, vnum aut duo Monasteria in quacumque Prouincia vbi commode fieri poterit, ordinentur, in quibus Magistri etiam ceterorum Monasteriorum Nouitios diuini officij rationem, & regularis obseruantiæ instituta doceant, ita vt quodlibet Monasterium suis necessaria suppediter, & si nullos habuerit, alij pro eo eiusque impensis recipiantur, & instruantur.

Conuentus claudãtur, & nullo modo impediantur à Commendatario vel aliis.

§.16. Omnia ædificia Conuentus quoquo versus claudantur, portæ non necessariæ obstruantur, clathri fenestris, vbicumque opus fuerit infigantur. Templa, Sacristiæ Capitula, Dormitoria, Refectoria, Infirmariæ, & omnino aliæ Claustri partes nihil prophani patiantur, nec Conuentus horreum, penu, prælepia, nec prorsus vlla promercalia Abbatum, Commendatariorum, conductorum aut aliorum recipiant, nec illa à Commendatariis, pensionariis, aliisve de Claustro non existen. occupentur, sed illis solum proprij claustrales vtantur, provt ad diuini officij celebrationem, regularemque obseruantiam fuerunt constituta.

Mulieres loca Ordinis non ingrediantur. Hoc strictius vetuit Pius V. in eius bulla 20. Regularium.

§.17. Mulieribus omnibus cuiuscumque qualitatis, dignitatis, & ætatis, ingressus claustri, & aliorum locorum regularium, etiam ædium partis, quæ ab Abbatibus, Commendatariis, Prioribus, aliisve ministris, etiam diuisim possidentur, sit penitus interdictus, & si secus factum erit, tam ingredientes quam recipientes excommunicationis sententiam incurrant, carcer quoque ad correctionem monachorum, vbi non est, constituatur.

Inuentarium fiat in quolibet Monasterio omnium iurium & bonorum.

§.18. Et in omnibus Monasteriis inuentarium omnium præfatorum, necnon instrumentorum fundationum, dotationum, auctoritatum, exemplarium, omniumque munimentorum conscribatur, & in formam authenticam redigatur, illudque & cetera omnia præfata fideliter asseruentur, sicubi vero locorum quicquam producendum erit, exemplum ab Archetypo desumatur & transmittatur, nisi talis contigerit necessitas, vt ipsum exemplar producendum sit, quod tunc in fidem alicuius probati deponatur, qui idoneè caueat illud ipsum quam primum re portandum.

Monasteria existentia in locis non tutis transferantur ad loca vicina.

§.19. Illa quoque Monasteria locis patentibus constituta, quæ propter Turcarum, seu Prædonum, vel hæreticorum incursiones tute seruari non poterunt, facto de ipsorum iuribus, literis, auctoritatibus, tabulis, monumentis, atque omni prorsus suppellectile, mobilibusque bonis, iocalibus, & rebus fideli inuentario, & si opus erit earum omnium depositio fiat apud personam fide & facultatibus idoneam, ita vt nihil omnino inde sine consensu expresso, & speciali mandato Conuentus moueri valeat, in Ciuitates, oppidaue vicina transferantur.

Visitationes fiant sollicite & prudenter.

§.20. Ceterum ad restituendam monasticam disciplinam, & restitutam conseruandam, Cistercij, & ceteri patres Abbates, in Capitulo generali prouideant diligenter, vt omnes visitationes sollicite, & prudenter, ac cum pietate fiant, salutem animarum, Religionis zelum, perpetuum cultum diuinum, clausuram, obedientiam, & cetera omnia, quæ ad mores, correctionem, & Religiosorum ædificationem pertinent, procurando, Quibus in rebus vbicumque non sunt mensæ Conuentuali assignati redditus, qui hoc onus ferre possint, Abbates, & Commendatarij, ac alij quicumque administrationem spiritualium, & temporalium visitandorum Monasteriorum habentes, necessaria omnia ministrare, ac contributiones, & sumptus pro gerendis aliis communibus negotiis dictæ Sedis auctoritate impositas, ac etiam ad brachij secularis adhibitionem præstare.

Visitatores hospitari debent à commendatariis.

§.21. Visitatores, ac solitos & necessarios ipsorum famulos, & iumenta debita Hospitalitate recipere, & eisdem in omnibus auxiliari omnino debeant, & ad id etiam censuris & pœnis Ecclesiasticis per Capitulum, ac etiam per ipsos Visitatores compellantur.

Commendatarij nihil detrahant de necessariis Monachorum, & eos ob delicta non eiiciant, sed ad superiores deferant.

§.22. Ne porro deserendi Monasterij occasio Monachis præbeatur, quod ex vagandi libertate illis à Commendatariis oblata, vt expensis parcant, plerumque euenit, præcipimus, & interdicimus, ne vlli omnino Commendatarij quicquam, vel minimum, de mensa, & aliis necessariis detrahant, neque vllo modo diminuant, aut quempiam etiam propter delictum eiiciant, sed quotiescumque Monachi quid admiserint, quod quidem animaduersione dignum sit, id quamprimum Priori Claustrali, vel si grauius sit delictum Visitatori significent, qui correctionem iuxta Ecclesiæ & dicti Ordinis statuta faciat, qui si vltra sex menses distulerit, eo ipso sit ab officio depositus, & ad illud, ceteraque omnia Ordinis eiusdem officia triennio inhaabilis censeatur, statimque Præsidentes correctionem huiusmodi aliis committere teneantur.

Archiuiũ fiat Cistercij cum indice cuiuscumque Monast. & beneficiorum ac bonorum & iurium eorũ.

§. 23. Ad hæc volumus, & mandamus, vt apud dictum Monasterium Cistercij constituatur, constitutumve restituatur Archiuium in quo Index ordine compositus omnium aliorum Monasteriorum, Prioratuum Ecclesiarum, & beneficiorum dicti Ordinis in omni parte Orbis constitutorum, etiam in commendam obtentorum, vel vnitorum habeatur, & item distinctum cuiusque inuentarium siue repertorium bonorum, proprietatum, rerum, iurium & actionum omnium, necnon exemplum authenticum instrumentorum, priuilegiorum, fundationum, donationum, literarum, auctoritatum &, monumentorum quorumcumque conficiatur, confectumque fideliter asseruetur.

Reuocatio indultorum & licentiarum habendi aliquid proprium.

§.24. Reuocamus quoque, & abolemus omnia & quæcumque priuilegia, auctoritates, licentias, dispensationes, & indulta cuiusque priuati rerum, & bonorum vsus proprietatis, possessionis, & dominij, omnibus cuiuscumque gradus, & dignitatis Monachis dicti Ordinis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & dictam Sedem eiusque Legatos ex quibuscumque causis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia concessa, confirmata, & innouata, quibuscumque concepta formulis, ac clausulis, & decretis suffulta, quorum omnium tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, ac volumus illa omnia vires, & effectum de cetero non habere; quin etiam Visitatores, & ceteros omnes, qui in huiusmodi proprietarios seuere non animaduerterint ad officia huiusmodi, & alia ipsius Ordinis ministeria perpetuo inhabiles esse.

Eleemosynæ pauperibus subministrent Commendatarij.

§.25. Ceterum, vt vicina plebs egena, pro Religionis consuetudine, & instituto confoueri, ac ceteri piam, & fidelem rerum administrationem collaudare possint, eisdem Commendatariis præcipimus, vt in suis Monasteriis pauperes eleemosynis pro modo facultatum prosequantur.

Appellatio nõ detur ad Legatos, vel Nuncios Apostolicos à sententia Abbatis, & aliorũ Superiorum huius Ord.

§.26. Quia verò nihil æque dissolute, & indisciplinate viuendi licentiam adfert, quam impunitatis spes, eamque non ita pridem, tam nonnulla eiusdem Ordinis Monasteria, quam illorum personæ ex eo nanciscí cœperint, quod à sententiis, & decretis per ipsius Ordinis Generalem, aut eius Vicarios in Prouinciis deputatos, contra se latis, ad nostros, & dictæ Sedis Legatos, & Nuncios prouocando, pœnas in se constitutas eludere satagunt, in antiquorum statutorum, consuetudinum, rituum, & priuilegiorum

Digitized by Google

legiorum præfatorum præiudicium,& ipſius Ordinis Superiorum contemptum, ideo ne abuſus, & incommoda huiuſmodi tractu temporis altius irrepant, prouidere volentes, Motu,ſcientia,& poteſtate ſimilibus,ſtatuimus, & ordinamus,ac diſtricte præcipimus,& interdicimus,ne vlli omnino dictæ Sedis Legati,vel Nuncij appellationes à ſententiis, & decretis per Abbatem generalem, vel eius Vicarios, aut Superiores præfatos, latis vel promulgatis, vt præfertur, pro tempore interpoſitas, vllo modo recipiant, aut admittant, neque de illis cognoſcant, ſeu illarum, vel quocumque alio prætextu, Monaſteria, Prioratus, aut alia loca eiuſdem Ordinis viſitent, ſed quotieſcumque ad illos aliquid in Monachos, aut perſonas huiuſmodi animaduerſione dignum deferri contigerit,iuxta formam Commendatarij circa delicta Monachorum, & perſonarum earumdem per nos, vt præfertur, præſcriptam, Vicarium ipſius Ordinis in illa Prouincia inſtitutum monendum curent, qui delinquentes ſub pœna ſuperius ad id conſtituta exemplariter corrigere, & punire teneatur. Decernen. appellationes, prouocationes, aut quaſcumque alias reclamationes à Monachis, & perſonis huiuſmodi ad dictos Legatos, ſeu Nuncios, vel locorum Ordinarios, vt præfertur, pro tempore interpoſitas, vel interponendas, ac proceſſus deſuper habitos, vel habendos, necnon inde ſecuta, vel ſequenda quæcumque, nullius fore roboris, vel momenti, ac generalem Abbatem, & Vicarios, necnon Superiores præfatos, ad correctionem,& punitionem delinquentium Monachorum, & perſonarum Ordinis huiuſmodi, appellationibus, prouocationibus,& reclamationibus huiuſmodi nequaquam obſtan. procedere poſſe, & debere.

Clauſula præſeruatiua huius conſt.

§.27. Præſentes quoque literas, de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ defectu, quouis prætextu, quæſitove colore,vel ingenio nullatenus notari, argui, vel impugnari poſſe, neminemque illas quauis de cauſa etiam iuſtiſſima impugnantem in iudicio, vel extra audiendum eſſe, nec illas ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium conceſſionum, gratiarumque reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per nos, & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, ac Sedem prædictam, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum intuitu, & contemplatione, aut in eorum, vel etiam nullius fauorem ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, ac etiam vim contractus, aut legis, ſeu ſtatuti perpetui inducentibus decretis, & alias quomodolibet conceſſis, & concedendis, ac quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis deſuper quomodolibet editis,& edendis aliquatenus comprehendi,neque illis aliquo vmquam tempore, etiam per Sedem præfatam derogari poſſe, nec derogatum cenſeri, niſi de toto tenore,& dat.præſentium expreſſa mentio habita,& derogatio, ſuſpenſio, reuocatio, limitatio, modificatio, aliaque premiſſa de Ciſtercij,aliorumque quatuor primorum nuncupatorum Abbatum prędictorum expreſſo conſenſu facta fuerint,& ſi aliter derogari,reuocati,ſuſpendi, limitari, aut emendari contigerit, huiuſmodi derogationem, reuocationem, ſuſpenſionem, limitationem, correctionem, & emendationem nullius eſſe roboris, vel momenti,& quoties illæ,vel illa emanabunt,toties in priſtinum,& validiſſimum ſtatum reſtituta,& de nouo,etiã ſub quacumque dat.per ipſum Abbatem Monaſterij Ciſtercij pro tempore exiſten. eligen. conceſſa eſſe, & cenſeri.

Decretum irritans.

§.28. Sicque per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungen. etiam S.R.E. Card. aut cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate,& auctoritate,iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter,vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio executorii & facultates.

§.29. Et nihilominus omnibus noſtris, & dictæ Sedis Legatis, & Nunciis, vbicumque exiſten. ac locorum Ordinariis, necnon Ordinis præfati Conſeruatoribus,ipſorumque ſingulis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præſentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi,& quando opus fuerit,ac quoties pro parte Abbatum, Vicariorum,Viſitatorum, & aliorum præfatorum, ſeu alicuius eorum deſuper fuerint requiſiti ſolemniter publican.ipſiſque efficacis defenſionis præſidio aſſiſten.faciant auctoritate noſtra Abbates, Vicarios, Viſitatores, & alios præfatos, confirmatione, approbatione, adiectione, ſuppletione, conceſſione, ſtatuto, ordinatione, innouatioue, præcepto, interdicto, renouatione, abolitione, ac ſui generalis voluntatis mandatis,decretis noſtris,aliiſque præmiſſis pacifice frui,& gaudere,ac præſentes literas ab omnibus,quos illæ concernunt,inuiolabiliter, & inconcuſſe obſeruari, non permittentes Abbates, Vicarios,Viſitatores, Superiores, ac alios præfatos deſuper contra earumdem præſentium tenorem quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoſlibet, & rebelles per præfatas, ac alias ſententias,cenſuras,& pœnas,aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo,ac legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Clauſ. derog.

§.30. Non obſtantibus præmiſſis, & ſanctæ memoriæ Bonifacij Papæ Octaui pariter prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, aliiſque Apoſtolicis, ac in prouincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus, conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon quibuſlibet etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, declarationibus, inhibitionibus, & decretis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, Legatis, Nunciis, & Ordinariis præfatis, ac aliis quibuſuis perſonis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam Motu ſimili, etiam conſiſtorialiter, aut alias quomodolibet conceſſis ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis; quibus omnibus,etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum veriores tenores, formas, datas, & decreta in eis appoſita, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumraxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, & ſufficienter derogatum eſſe decernimus, necnon omnibus illis, quæ in literis Pij IV. & Pij V. ac aliorum prædeceſſorum præfatorum expreſſum fuit non obſtare, contrariis quibuſcumque aut ſi aliquibus communiter,vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Fides danda tranſumptis huius bullæ.

§.31.Ceterum quia difficile foret eaſdem præſentes ad diuerſa loca,Prouinciaſque circumferre,volumus,& dicta auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam formis impreſſis manu alicuius publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo Abbatis generalis, aut alicuius ex aliis Superioribus Ordinis huiuſmodi munitis, plena, & indubia, ac ea prorſus fides vbique etiam in iudicio adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 12. Iulij, 1574. Pontificatus noſtri anno tertio.

D.P An. 12. Iulij.

XIX.

Declaratio ſuper executione breuium ſeu literarum Apoſtolicarum de capienda poſſeſſione beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum interpretatione Concil. Trid. ſeſſ.24. cap.20.

Contra impedientes executionem literarum Apoſtolicarum, vide conſt.39. Clem. VII. Romanus. *ſup. & Pauli V. conſt. 63. §. 24. cum ibidem notatis.*

GREGO

Digitized by Google

Edita A. D. 1571.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

AD Romani Pontificis prouidentiam circumspectam pertinere dignoscitur, dubia super sacrorum Conciliorum decretis pro tempore insurgentia, sic suæ declarationis oraculo dilucidari, & interpretari, vt exinde litium dispendia inter fideles quoslibet valeant submoueri.

Exordium. Rom. Pont. solet quandoq; præcipere, vt possessio, & fructus beneficiorū Sedi Ap. reseruatorum, nomine eiusdē Sedis apprehendātur, donec litera Apost. expediātur, & quandoque etiam mādat, prouisos ipsos in possessionem induci, &c.

§. 1. Accepimus sane nuper, quod licet multoties Romanus Pontifex, vt prouisiones, & gratiæ per eum de beneficiis pro tempore vacantibus, ac suæ, & Sedis Apostolicæ dispositioni, & ordinationi reseruatis, in fauorem diuersarum personarum sibi gratarum & acceptarum factæ, executioni debitæ demandentur, &, ne (dum literæ Apostolicæ sub plumbo desuper expediuntur) beneficia ipsa ab aliquibus indebite occupentur, aut aliqua in spiritualibus, & temporalibus detrimenta sustineant, nonnumquam corporalem possessionem ipsorum beneficiorum, & illis annexorum, iuriumque & pertinentiarum quomodocumque Sedis, & Cameræ Apostolicarum nominibus apprehendi, ac omnes, & quoscumque fructus, redditus, & prouentus beneficiorum, & annexorum eorumdem percipi, exigi, eosq; integros personis prædictis, postquam ipsæ literas sub plumbo expeditas haberent, vna cum dicta possessione consignari, quandoque vero, dum literæ sub plumbo huiusmodi expeditæ existūt, vt ius suum vnicuique illorum conseruetur, & temerariorum audacia debita castigatione compescatur, ac ipsæ literæ Apostolicæ facilius debitæ executioni, vt par est, demandentur, prouisos de beneficiis in corporalem, realem, & actualem possessionem, beneficiorum, & annexorum, iuriumque & pertinentiarum prædictorum induci, & inductos in ea manuteneri amotis quibuslibet intrusis detentoribus ab eisdem, aliaque fieri, & exequi per diuersas suas in forma breuis, & sub annulo Piscatoris confectas literas mandet, & præcipiat, certis inibi modo, & forma tunc præscriptis, dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, seu aliis executoribus desuper deputatis, quibus omnino parendum esset.

Multi tamen ad impedien. executionē dictarū literarum Ap. dicebant causas omnes in prima instantia spectare ad Ordinarios, exceptis causis à Pont. per speciale rescriptum commissendis.

§ 2. Nihilominus nonnulli beneficiis prædictis inhiantes, ac gratias prædictas eludere, eorumque intrusiones, & detentiones improbe rueri satagentes, executionem literarum in forma breuis huiusmodi, & facultatem per eas ipsis executoribus attributam, diuersis dubiis, & cauillationibus remorentur, & processus per eosdem executores desuper habitos, & formatos, ac inde secuta quæcumque nulla, & inualida, nulliusque roboris, vel momenti esse, neque attendi debere contendunt, sub prætextu quod in decreto sacri Concilij Tridentini sessione vigesimaquarta, capitulo vigesimo, dispositum fuerit, quod causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, exceptis his, quæ iuxta Canonicas sanctiones apud Sedem prædictā sunt tractādæ, vel quas ex vrgenti, rationabilique causa iudicauerit Summus Pontifex Romanus, per speciale rescriptum Signaturæ suæ eius manu propria subscribendum committere, aut auocare. Verum cum decretum huiusmodi Concilij concessionem prædictarum literarum in forma breuis & illarum executionem nihil efficiat, neque per illos causa, seu instantia introducatur, sed mere executiue procedi mandetur, literæ quoque in forma breuis annulo Piscatoris munitæ non minoris sint efficaciæ, & auctoritatis quam rescripta Signaturæ Romani Pont. eius manu propria subscripta.

Ideo hic Pont. declarat executionem huiusmodi literarū Apostolicarū impediri non posse ex prædictis.

§. 3. Nos in his nostræ debitæ declarationis cautelam adhibentes, ac prouisorum prædictorum ius aduersus dubia, & cauillationes huiusmodi, æquitate, & iustitia suadentibus præseruare volentes, necnon prædictarum, & quarumcumque literarum in forma breuis super capienda possessione nomine Cameræ huiusmodi, aut in fauorem literarum sub plumbo expeditarum, tàm à prædecessoribus nostris, quam nobis, & dicta Sede hactenus concessarum tenores, ac litis, & causæ si quæ desuper executæ sint statum, & merita, nominaque & cognomina iudicum, executorum, & collitigantium præsentibus pro sufficienter expressis habentes, Motu proprio non ad ipsorum prouisorum, aut aliorum nobis pro eis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac de mera nostra deliberatione declaramus, per concessionem literarum in forma breuis, & sub annulo Piscatoris super capienda possessione quorumcumque beneficiorum dispositioni Apostolicæ reseruatorum seu affectorum, Sedis, & Cam. Apostolicarum nominibus apprehendenda, & in eiusdem possessionis in fauorem prouisorum ab ipsa Sede de eisdem beneficiis, postquā literas sub plūbo super prouisionis huiusmodi habuerunt expeditas relaxatione, necnon assistentia ipsis prouisis literis desuper sub plumbo expeditas habentibus præstanda, & aliorum inibi expressorum executione facienda, quæ mandata executiua sunt, & summariam dumtaxat causarum propter quas illæ emanarunt cognitionem requirunt, decretis Concilij huiusmodi non contraueniri, nihilque præiudicij illis inferri, vel eorum formam in aliquo violari, neque id dici, aut censeri, vel executionem literarum earumdem propterea in aliquo suspendi siue remorari, aut facultatem litterarum executoribus concessam impediri, sed executores ipsos, & ab eis deputatos subexecutores facultates sibi per easdem literas, vt præfertur concessas, vti, frui, gaudere, & contra illis non parentes ad declarationem incursus pœnarum, & censurarum in eisdem literis in forma breuis contentarum, ac innouationem brachij secularis procedere, ac alia omnia, & singula eisdem literis contenta (illarum tamen forma seruata) facere, & exequi, libere, & licite potuisse, & posse, necnon processus desuper habitos, & formatos, habendosque & formandos, ac inde secuta, & sequenda quæcumque firma, valida, & efficacia fuisse, & esse, & fore, suosque integros, & plenarios effectus sortiri debere in omnibus, & per omnia.

Exécutorum deputatio, & facultates.

§. 4. Præsentes quoque literas, de subreptionis, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel inualidari nullatenus posse.

Clausul. præseruatiua.

§. 5. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices, & Commissarios quacumque auctoritate fungentes, etiam Palatij Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 6. Districtius inhibentes, in virtute sanctæ obedientiæ omnibus & singulis cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existentibus, & quauis etiam Episcopali, Archiepiscopali, vel alia maiori dignitate, & ecclesiastica, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, & quauis sæculari potestate fungentibus, ne decreto, & declarationi nostris prædictis, quouis quæsito colore directe, vel indirectè contrauenire audeant, vel præsumant.

Contrafacientium pœnæ.

§. 7. Et nihilominus vniuersis, & singulis nostris, & Sedis dictæ Nuntiis, ac locorum Ordinariis, eorumque officialibus, quatenus ipsi & eorum singuli, per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, & quoties pro parte prouisorum, & executorum, & sub executorū prædictorū, seu quarumcumq; aliarū personarū in præmissis interesse habentium, vel alicuius ex eis fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra prædictos prouisos, & executores, & subexecutores, seu alios in præmissis interesse habētes, eorūq; singulos, decreto, declaratione, inhibitione, & aliis præmissis pacifice frui, & gaudere, ac præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi ab omnibus quos illa concernunt, & concernent quomodolibet in futurum inuiolabiliter obseruari. Non permittentes aliquem desuper contra illarum tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausē derog.

§. 8. Non obstan. fel. rec. Bonifacij PP. VIII. prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de

Digitized by Google

duabus dietis (dummodo non vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur) aliisque Apostolicis, necnon prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Exemplorum fides.

§. 9. Ceterum quia difficile foret præsentes literas ad singula loca vbi opus fuerit deferre, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod earum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D.P. An. 3. 10. Iulij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 10. Iulij, 1574. Pont. nostri anno 3.

XX. Iurisdictio, & facultates S.R.E. Cardd. Protectorum Collegij Germanici in Vrbe.

De institutione, & priuilegiis eius, attende sup. const. 14. Postquam.

Edita An. D. 1574.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

Exordium.

PRo nostri muneris officio æquum est prouidere, vt qui in scholis bonarum disciplinarum operam dant, à perturbationibus quantum potest liberentur.

Iurisdictio Cardd. Protectorũ Collegij cognoscendi eius causas summarie, &c.

§. 1. Quocirca Collegium Germanicum pridem à nobis in Vrbe nostra institutum, in quo non minus quam centum pueros, ex vniuersa Germania Septentrionalibusque illi adiacentibus regionibus colligendos, liberalibus scientiis, ac disciplinis, necnon sacris Canonibus, & Theologia instrui, atque erudiri volumus, & ad illorum sustentationem, redditus annuos decem millium aureorum ipsi Collegio perpetuo attribuimus, speciali priuilegio prosequi volentes, Motu proprio Venerabilibus fratribus nostris Io. Ostien. Morono, & Alexandro Prænestino Episcopis, Farnesio, ac dilectis filiis nostris Marco S. Georgij ab Altaemps, & Ptolomæo S. Agathæ Comen. ac Ludouico S. Onuphrij titulorum Madrucio nuncupatis, presbyteris Cardd. eiusdem Collegij Protectoribus, & Defensoribus à nobis constitutis, ac eorum cuilibet, omnes, & singulas causas ciuiles, criminales, & mixtas d. Collegij, illiusque Collegialium, Scholarium, Rectorũ, Magistrorum, Oeconomorum, Aduocatorum, Procuratorumque, aliorumque Ministrorum, & Officialium pro tẽpore existentium, Collegium prædictum, illiusq; res, iura, actiones, & bona concernentes dumtaxat, tam actiue, quam passiue, per se ipsos, aut quemlibet ipsorum vel eorum, aut cuiuslibet ipsorum Auditorum, seu Auditores, aut alium vel alios qui eis videbuntur, etiam summarie, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij, necnon manu regia, nullaque tela iudiciaria seruata, sed sola facti veritate inspecta, atq; etiam omni, & quacumque appellatione remota, audiendi, cognoscendi, decidendi, & fine debito terminandi, vel etiam delegandi, & ad hunc effectum quoscumq; citandi, ac quibus, & quoties inhibendum fuerit, etiam sub pœnis pecuniariis, & aliis eorum arbitrio, ac in subsidium iuris, censuris Ecclesiasticis, inhibendi, ceteraque omnia in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna faciendi, & exequendi, liberam auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus facultatem.

Decretum Irritans.

§. 2. Decernentes irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio cõtrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac stylo Palatij, & Romanæ Curiæ, necnon quorumcumque tribunalium Vrbis prædictæ iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoq; indultis, & literis Apostolicis eisdem Tribunalibus & Curiis, illorumq; Iudicibus etiam eiusdem Palatij Auditoribus, ac quibusuis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in specie, etiam motu, & scientia similibus, aut alias quomodolibet in genere, vel in specie, ac alias cõcessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam si pro sufficienti eorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque aut si aliquibus cõmuniter vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides danda transumpto & Sanctio pœnalis.

§. 4. Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarij publici, dictique Collegij Secretarij subscriptis & sigillo communi eiusdem Collegij munitis, eadem prorsus fides, in iudicio, & extra illud, ac alias vbicumque opus fuerit adhibeatur, quæ adhiberetur, eisdem præsentibus si exhibitæ forent, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis autem hoc attentare, &c.

Dat. Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1574. Idibus Iulij, Pont. nostri anno 3.

D. P. An. 3. 15. Iulij.

XXI. Iurisdictio Inquisitorum hæreticæ prauitatis, in eos qui ad ordinem presbyteratus minime promoti, Missas celebrant, & Pœnitentiæ Sacramentum ministrant.

Hoc idem supponunt Paulus IV. Six. V. atque Clemens VIII. dum ab Inquisitoribus eiusmodi reos præuia degradatione, Curiæ seculari tradendos esse decreuerunt, vt videre est in d. Clem. const. 81. Et si alias.

Hanc Clem. VIII. const. contra non promotos ad sacrum Presbyteratus Ordinem, Sacramentales confessiones audientes, aut Missam celebrantes, eosque præuia degradatione Curiæ sæculari tradendos, editam, extendit, & ampliauit ad omnes etiam minores, vigintiquinque annis, dummodo vigesimum ætatis annum compleuerint. S. D. N. Vrban. VIII. in const. 79. *Apostolatus.* inf. tom. 4.

GREGORIVS PAPA XIII. *Ad perpetuam rei memoam.*

Edita A. D. 1574.

Exordium.

OFficij nostri partes sedulo præstare tenemur, vt dubia quæ variis doctorum opinionibus hinc inde diuersa sentientibus agitantur, ad iurisdictionem Sanctissimi Officij Inquisitionis hæreticæ prauitatis pertinent, nostræ declarationis oraculo (prout ratio ipsa suadere videtur) dilucidentur, vt nulla cuiquam dubitandi occasio in posterum relinquatur.

Dubium, an qui non sunt in Ordine presbyteratus & missas celebrãt, &c. possint ab Inquisitoribus hæretica prauitatis puniri.

§. 1. Ad aures nostras siquidem nuper peruenit, multos esse qui dubitent, an contra eos, qui in sacrio presbyteratus ordine non constituti, Missas celebrare, confessiones, ac absolutionem impartiri, ausi fuerint, per officium Sanctissimæ Inquisitionis hæreticæ prauitatis in Hispaniarum Regnis institutum, & illius Inquisitores procedendum, vel etiam animaduertendum sit, ac hi, qui talia patrauerint, per Inquisitores prædictos puniri debeant. Nam etsi multorum sententia affirmetur, prædictum delictum ab Inquisitoribus plectendum esse, hisce præsertim temporibus, quibus hæretici temere audent proferre, etiam sæculares eorum sacramentorum ministros esse posse, non desunt tamen hi, qui contrariæ adhærent opinioni, vnde plerumque per eorumdem Regnorum Inquisitores diuersa feruntur in huiusmodi causis suffragia.

Declaratio quod possint.

§. 2. Nos itaque, vt omnis difficultas dubitatioq; tollatur, animaduertentes, eos qui presbyteratus ordine

non

non sunt insignari, & se in administrandis dictis Sacramentis ingerunt, facto catholicam veritatem impugnare, quæ solos presbyteros ministros eorumdem sacramentorum constituendo, illis dumtaxat quibus eadem munera congruere existimauit, committi voluit, eorum qui in presbyteratus ordine non constituti Missas celebrant, ac confessiones audiunt, vt præfertur, cognitionem, & punitionem, etiam ad Inquisitionis officium, & Inquisitores ante dictos pertinere, & quod huiusmodi delicti ratione aduersus eos inquirere, procedere, ac culpabiles repertos punire, officium, & Inquisitores prædicti valeant, Apostolica auctoritate præsentium tenore perpetuo declaramus, & definimus.

Et ita & non aliter iudicetur.

§. 3. Et ita ab omnibus, & singulis Ordinariis, & delegatis iudicibus, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Quibuscumq; non obstan.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon iuribus municipalibus, legibus regnorum prædictorum pragmaticisque sanctionibus, ac statutis, & consuetudinibus Ciuitatum, & locorum quorumcumque dictorum regnorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis forsan per nos, ac quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros sub quibusuis verborum formis, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, seu de Apostolicæ potestatis plenitudine, vel ad supplicationem Regum, Ducum, & aliorum Principum concessis, & confirmatis, quibus omnibus illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 3. 6. Augusti.

Dat. Romæ apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die 6. Augusti, 1574. anno à Natiuitate Domini, Pont. autem nostri anno 3.

XXII. De Ædificiis, & Iure congrui, ac iurisdictione, & facultatibus S.R.E. Camerarij, & Magistrorum Viarum Vrbis.

Hoc officium in Vrbe antiquissimum reintegrauit Martinus V. in const. 9. Et si in cunctarum. *Et eius iurisdictionem ampliauit Sixt. IV. in const.* 20. Et si de. *Leo X. in const.* 19. Inter. *ac Pius IV. in const.* 102. Inter. *ac Pius V. omnes eorum dispositiones ad terminos iuris reduxit in const.* 126. Ad hoc nos. *Et idcirco iste Pont. d. officium innouat, & facultates, iurisdictionemque præscribit, ampliat, & declarat.*

Ad hæc omnia vide etiam nouum Stat. Vrbis lib. 3. cap. 39.

Edita An. D 1574.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

QVæ publice vtilia, & decora esse huic Almæ Vrbi ratio ipsa atque vsus docuit, ea priuatis cupiditatibus ac commodis præferenda censemus.

Causa huius const.

§. 1. Cum itaque fel. mem. Pius Papa V. prædecessor noster nonnullas per fel. record. Sixtum IV. Leonem X. & Pium etiam IV. similiter prædecessores nostros ad ornatum Vrbis editas constitutiones, vna cum decreto Cameræ Apostolicæ de inquilinis in emptionibus domorum præferendis, tanquam iuris communis correctorias, & quæ nimis late à Iudicibus interpretatæ causam iniuriæ quamplurimis pauperibus inferendæ præberent, duobus editis scriptis, quorum solam signaturam sufficere voluit, Motu proprio abrogasset, & ad viam iuris communis reduxisset, Dilecti filij Senatus Populusque Romanus abrogationem, & reductionem huiusmodi ægre ferentes, initio Pontificatus nostri, & alias persæpe publico decreto à nobis enixe postularũt supplices, vt literas præfatas Pij V. vti decori publico, ac multorum ciuium commoditati insensas tollere pro nostro erga hanc Almam Vrbem paterno amore dignaremur. Quam rem dum nos diutius differimus, plurimorum eamdem ob causam querimonias expostulantium sustinuimus, quin etiã intelleximus publicum ipsius Vrbis ornatum deseri, & magnifica ædificia iampridem inchoata, propter nimiam quorumdam cupiditatem interrupta pendere, plurimosque ea de causa ædificandi consilium abiecisse. Quibus malis, quoad minimò Ciuium nostrorum, ac Curialium detrimento fieri possit, mederi cupientes, cum etiam in literis Sixti, ac Leonis, ac Pij Quarti huiusmodi multa addenda, & minuenda, ac alias animaduersione digna apparerent, opportunum arbitrati sumus, omnibus prædictis Sixti, Leonis, & Piorum literis antiquatis, & abrogatis, quæ ab illis ad publicum Vrbis, illiusque districtus ornatum, aeris salubritatem, ac priuatorum etiam commoditatem prouide tunc ordinata fuerant, ea magis commoda his temporibus ratione moderata, simulque ea quæ nos de nouo statuenda duximus, vna complecti omnia, ne publicum bonum, ac decus iacere diutius pateremur.

Abrogatio constitutionum Apostolicarũ circa dispositã in hac cõstit. & facultas Camerarij & Magistrorũ cogendi dominos locorũ ad ea vendendum pro viis, & locis publicis dirigenda.

§. 2. Itaque dictas ac quascumque alias prædecessorum literas, quatenus ad aliquod eorum, quæ his nostris literis cõtinebuntur, pertinent, deque aliquo eorum statuunt, aut disponunt antiquantes, & abrogantes, atque penitus reuocantes, & tollentes, de potestatis nobis tributæ plenitudine statuimus, quod qui pro tempore fuerint S.R.E. Camerarius, atque ædificiorum, & viarum Vrbis Magistri, quacumque Vrbis parte necessarium atque vtile fore cognouerint, possint pro viis, areis, plateis, aliisque locis publicis, siue veteribus dirigendis, & ampliandis, siue nouis ducendis, & constituendis, cogere dominos domorum, & locorum quorumlibet, tam Ecclesiasticos quam sæculares quacumque dignitate præditos, vt vendant Conseruatoribus, aut Sindico eiusdem Vrbis domos, & loca, quæ Camerarius, & Magistri prædicti ad id necessaria duxerint, siue illa domini ipsi habitent, siue aliis locare soliti sint, pretio à Magistris prædictis statuendo.

Domosque dirutas, areas, aliaque loca vacua existentia penes vias publicas claudendi.

§. 3. Vbi vero aliquas ruinas esse perceperint, locaue aperta viis publicis hærentia, ne laceræ atque inhabitatæ domus, interruptaq; spatiis interiacentibus viarum septa, Vrbi deformitatem atque incommoditatem afferant, curent ipsi Camerarius, & Magistri eas celeriter sarciri, itaque quoscumque dominos, siue directos, siue vtiles domorum dirutarum, vel arearum, aliorumue locorum vacuorum secus vias publicas iacentium grauibus pœnis propositis, breuique ipsorum arbitrio præfinito tempore, cogant domos dirutas, vel areas, aliaue loca huiusmodi ab eis possessa, muro saltem claudere, murumque ipsum ad eam altitudinem, quæ proxima ædificia, proximosque muros æquet, vel ad aliam, quam ipsi præscripserint, attollere. Eamque ob causam iidem Camerarius, & Magistri, si ipsis visum fuerit, interdicant interim inde dominis exactionem, ac conductoribus, si qui forte fuerint, solutionem pensionum seu canonum, aut censuum, easque faciant in huiusmodi opus ipsosmet conductores impendere, quas cum conductores ita impenderint, domini acceptas ferre debeant, cum vero impendere iussi neglexerint, opus quod in tempore iuxtà huiusmodi præscriptum factum non fuerit, sua ipsi impensa perficient. Quod si vel nulli sint conductores, vel pensiones interea temporis debitæ satis operi non sint, neque tamen domini possidentes domos dirutas aut areas locaue aperta huiusmodi sic clauserint, ex tunc præfinito tempore, elapso si vtiles tantum domini sint ab vtili eorum dominio, omnique iure quod inde eis competebat, cecidisse intelligantur, locaque ipsa ad directos dominos libere, cum onere tamen illa ita claudendi, deuoluta sint eo ipso. Si vero etiam directum dominium, siue per proxime dictam deuolutionem siue alias habeant, liceat prædictis Camerario & Magistris, postquam sic præfinitum ipsis dominis tempus affluxerit, tum exigendis propositis pœnis, tum aliis crescente contumacia etiã grauioribus, & sæpius incutiendis eos plectere, tum vero etiã captis ex aliis illorum bonis pignoribus, eisq; per subhastationem de more distractis, pecuniam cogere, vnde murus, & præscriptum opus omnino perficiatur. Vel si hac quoque ratione non profecerint, loca eadem, modo domini ipsi illa non incolãt, propositis ad hoc semel vel pluries

edictis quibuſcumque perſonis illa nouis ædificiis inſtaurare, vel ſaltem ſic claudere volentibus locare, aut emphyteuſim, etiam ad longum tempus, vel ad vnius aut plurium perſonarum ſiue ſucceſſiuarum ſiue nominandarum vitas, atque etiam perpetuo concedere, vel etiam vendere, aut alias alienare, pro penſione aut canone, aut pretio quod reperiri poterit, ita quidem vt ex pluribus hoc caſu, oblatoribus, ſi quis rei particeps, aut conſors fuerit, is præ omnibus obtineat, niſi forſan, & ipſe in claudendo negligens fuerit, præter hunc autē, vicinis ceteris, & inter vicinos qui magis indiget, vel qui vicinus eſt à pluribus partibus, inter ceteros vero qui plus, quique ad maiorem Vrbis ornatum ædificare voluerit, præferatur, iudicio eorumdem Camerarij & Magiſtrorum.

Ædificantes poſſunt muro propinquo vti ſoluta pretio.

§. 4. Pro priuatis autem ædificiis ſimiliter, aut nouis conſtruendis, aut veteribus ampliandis, liceat cuicumque quouis muro ſibi propinquo libere vti, eique tigna, lapides, aliamque materiam ædificij ſui, totumque ipſum ædificium iniungere & annectere, etiam ſi murus is ad vicinum ſuum totus pertineat, perſoluto tamen eiuſdem muri dimidio pretio, ad eam æſtimationem, quam duo periti, quorum ſingulos ſingulæ partes elegerint; vel illis diſcordibus, ipſi viarum Magiſtri declarauerint.

Viculoſque intermedios, eorum domibus adiungere.

§. 5. Et ſi inter duas domos viculus forte ſiue intercapedo trium circiter, vt ſolet palmorum interſit, liceat ei qui primus in altera earumdem domorum ædificare cœperit, habita tamen ab ipſis Magiſtris licentia, totum ſibi viculum nullo perſoluto pretio occupare, ac domui ſuæ adiungere, domumque ad vicini murum producere, muroque vt ſupra dictum eſt, communiter vti.

Vicinos etiam cogere ad eis vendendū loca vicina aliis locata vel etiam ab eis inhabitata, aucto pretio, ad 12. vel 5. partem reſtellius.

§. 6. At ſi quis domum, fundum, ſolumue habens, ibi ædificare voluerit, illi Camerarius & Magiſtri præfati cogant vendi domos, aliaque loca eidem domui, fundo, ſolo vicina, quæ eorum domini non incolunt, ſed locare ſolent, quæq; iidem Camerarius, & Magiſtri huiuſmodi ædificio vtilia & neceſſaria putauerint, pretio tamen aucto duodecima eius parte, vltra æſtimationem modo prædicto faciendam. Et nihilominus ſi ædificium ipſum inſigne futurum ſit, eique perficiendo aliqua domus etiam à domino habitata, vel hortus, aliuſue locus muris clauſus opportunus cohæreat, eo caſu (dummodo ædificium iam cœptū ſit, idque à duobus ſaltem lateribus cohęreat domui, horto, vel loco huiuſmodi, illiuſque eſtimationem quadruplo ſit exceſſurum) cogant dominum etiam ſic habitantem, vt domum, hortum, vel locum vendat aucto tamen dicto pretio ad quintam eius partem, dataque ipſi domino ſex menſium dilatione poſt factam venditionem, quo interim ibidem permanens aliam ſibi habitationem parare poſſit.

Domini domus, Partem diruta ob ornatum Vrbis, cogant vicinos contiguos domus, non habitantes, eis vendere. Et ſi plures ſint domini, electio datur ei qui minorē iacturā paſſus eſt, vel qui domū ſuam ſarſit.

§. 7. Præterea cum ob ducendam ſiue dirigendam viam vel ob aliud opus publicum, aliqua pars alicuius domus quam dominus ſine vlla fraude tunc habitaret, mandato dictorum Magiſtrorum diruta fuerit, vnde domus habitationi domini incommoda efficiatur vt familiam non capiat, ſi iuxta illam fuerit alia domus annua penſione vel alias locari ſolita cuius coniunctione huiuſmodi incommoditati ſubueniri poſſit, vt id fiat cogant eam domino domus dirutæ, ſi ibi deinceps habitaturus ſit, vendi pretio quod ſupradicto modo æſtimatum fuerit. Quod ſi diuerſorum dominorum domus huiuſmodi iacturam paſſæ locari ſolebant, non autem habitari, alio ipſorum dominorum petente, cogatur alius domum ſuam ſic dirutam vel exciſam vendere, conſtituto pretio ad æſtimationem prædictam, hac tamen diſtinctione habita vt detur optio illi, qui minorem iacturam in ſua paſſus fuerit, an ipſe velit aliam emere. Quin etiam, ſi quis poſt huiuſmodi ruinas, propter publicum aliquod opus factas propriam domum, ea de cauſa aliqua parte dirutam vel exciſam, quam ipſe habitare ſolebat ſarſerit, eique alia domus ſimilem paſſā iacturam contigua ſit, quam dominus ſimiliter habitans intra tempus à Magiſtris præfinitum neque ſarſerit neque muro clauſerit, ſed deformem reliquerit, velitque is, qui ſuam ſarſit, truncam illam ſibi contiguam ſuæ coniungere & ædificare, ac propterea pretio, vt ſupra dictum eſt, æſtimando, & amplius addita eiuſdem pretij quinta parte emere, cogatur eius dominus, licet habitans, ita vendere.

Vendere volentes fundos, de

§. 8. Sed & cum aliqua domus, ſiue fundus, aut ſolum volente ſua ſponte domino vendendum erit, teneatur venditor perquirere à vicinis, quorquot erunt, qui rem aliquam immobilem illi contiguam habuerint (etiam ſi ſe empturos nullo modo antea profeſſi ſint) an aliquis eorum velit rem vendendam emere, eiſque pretium atque omnia pacta & conditiones, quibus cum alio vere, omnique procul fictione contraxit, intimare, perquiſitio autem, & intimatio fiat per vnum ex Curſoribus ſeu mandatariis perſonaliter quidem ſi reperti fuerint, ſin autem, duorum Curſorum, ſeu mandatariorum diligentia reperiri commode non poterint, fiant domi dimiſſa copia, abſentibus autem ab Vrbe, docto extraiudicialiter & ſummariè coram eiſdem Camerario & Magiſtris eos abeſſe, fiant per publicum edictum locis, quibus in Vrbe conſuetum eſt, affigendum. Quibus ita factis iurent tam venditor quam emptor apud acta Notarij dictorum Magiſtrorum, venditionem de huiuſmodi re iam factam, & intimatam, eſſe veram, & in ea eiuſque pretio non interceſſiſſe dolum, fraudem, ſimulationemve aliquam.

bent vicini intimare, iſſque accepiens iurare venditionē eſſe veram, alioquin vicini retrahunt inf. annum à d. ſcientia.

Imo debent, intimare etiā Inquilino, vt mox ſequitur.

Vicini aut quib. venditiones intimatæ fuerint, ſi emere voluerint, debent hoc declarare, &c. Imo Inquilini præferuntur vicinis nolentibus ædificare vt mox ſequitur.

§. 9. Poſt hæc ſi vicini prædicti ſe eiſdem pretio, ac pactis, & conditionibus empturos non deliberauerint, & ibi ædificaturos non promiſerint, præſentes ſcilicet intra quindecim dies, abſentes vero intra triginta, à die præſtitorum huiuſmodi iuramentorum, rurſus tam præſentes quam abſentes intra alios quindecim dies ab huiuſmodi declaratione, & promiſſione, ſi fiat, omnia iuxta ea quæ in venditione intimata continebuntur, non præſtiterint pretiumque ſi quod in illa ſolutum fuerat, non perſoluerint, & de ædificando ibi ad certam ſummam, certumque tempus, ac ſub certa pœna, prout ab eiſdem Magiſtris præſcriptum fuerit, ſe non obligauerint, illis poſthabitis, venditio cuicumque alij facta maneat, & rata ſit. Qui vero intra vtrumque dictorum terminorum prædicta impleuerit, ei ceteris excluſis venditio ſic fieri debeat. At ſi perquiſitio, & intimatio ita factæ, iuramentaque ita præſtita non fuerint, quæcumque venditio de ea domo, ſiue ſolo cuicumque alij facta, nullum ius emptori tribuat, & quoad illum pro infecta ſit, quamdiu vicini intra annum à die quo illam reſciuerint, ſe oppoſuerint. Si quidem aliquo ipſorum intra dictum annum petente, ſeque, vt prædictum eſt, obligante ad ædificandum, & pretium emptori (ſi is illud accipere, & emptioni ſuæ renunciare, ac ratione illius, prout Camerarius & Magiſtri mandauerint, cauere voluerit,) reſtituente, alioquin pretium ipſum deponente, venditio ei facta cenſeatur, & perinde ex illa in rei poſſeſſione inducatur, expulſo inde dicto primo emptore, ac ſi cum eo & ad eius commodum celebrata eſſet. Reſciuiſſe autem, quoad hoc attinet, intelligatur quocumque modo perceperint, vel hoc ſolum, rem ſcilicet, fuiſſe venditam, licet neque pretium neque alias conditiones aut qualitates perceperint. Poſt dictum vero annum maneat prima venditio, neque hac de cauſa à quoquam amplius impetatur.

Simulatores ſuę huiuſmodi venditionum pœnas hic expreſſas incurrunt.

§. 10. Ceterum eo caſu quo perquiſitio, & intimatio prædictæ fient, ſi in illa venditione aliqua ſimulatio, præſertim circa pretium augendum, admiſta fuerit, tum venditio nulla ſit, tum ſimulatores ipſi alter re, alter pretio priuati ſint, ipſumque pretium ipſaque res Cameræ Apoſtolicæ applicentur eo ipſo. Et præterea iidem ſimulatores pœnis falſi, &, ſi iurauerint, etiam periurij puniantur.

Inquilinis etiā intimatio præfata fieri debet, & ipſi præſtare tenētur contenta in venditione non autē ædificare, vicini autē eis præſtare tenentur ſi ædificare velint.

§. 11. Eadem omnia & in inquilino locum habeant, cum domus volente domino venalis erit, videlicet vt etiā ipſius domus inquilino, ſi quis erit, perquiſitio, & intimatio fiant modo prædicto, ipſeque, ſi emere voluerit, tum intra eoſdem terminos, tum deinceps eadem faciat, quæ vicini facere debent, excepta dumtaxat oblatione & obligatione de ædificando. Etenim inter inquilinum, & vicinos ea ſit diſtinctio, vt volentibus ædificare vicinis, inquilini nulla ratio habeatur, ſed tantum vicinorum. At illis non promittentibus ædificare, inquilino, etiam ſi ędificaturus non ſit, idem ius in emptionem competat, quod vicinis, ſi ædificare vellent, ſecundum prædicta competeret.

Vicinisq; plurib. concurrētib quis præferri debeat.

§. 12. Verumtamen quando in ſingulis caſibus prędictis, ſiue coactę ſiue ſpontaneę venditionis, duo vicini fuerint, quorum ædificiis vendenda res opportuna exiſtat, & propterea illā ſibi quiſque ex hac conſtitutione vendi poſtulet, is obtineat qui magis illa indiguerit, aut ſi vterque æque indigeat, inter vtrūque diuidatur, quatenus vtrique

commoda

Digitized by Google

commoda portio tribuatur. At si huiusmodi portiones vtrique forent inutiles, tota illi detur, cuius ædificio à pluribus partibus, vel alias magis adhæserit. Si vero alteri tantum diuisio inutilis futura sit, nihil illi, sed tota alteri detur. Quod si nulla fuerit ædificantium indigentia, is præferatur, qui magis fuerit vicinus, vel in vicinitate pari, is qui plus, quique ad maiorem Vrbis ornatum, iudicio eorumdē Camerarij & Magistrorū, ædificare voluerit.

Ædificare volentes in re stabili in emphyteusim, & cet. concessis obtinebunt à Camerario & Magistris eorum liberationem, præstita alia re stabili eiusdem pretij & redditus cum oneribus qua erunt in re sic liberata

§. 13. Præter supradictos autem vicinitatis casus, si quis domum aliumve fundum aut solū in emphyteusim, aliumve titulum, perpetuo vel ab vnius aut plurium personarum vitam, pro annuo canone aliave responsione concessum habeat, ibique ædificare velit, liceat eisdem Camerario & Magistris, eo petente, domum, fundum, aut solum huiusmodi ab eius directi domini, licet, nolentis, proprietate, dominio, ac iure, necnon à canonis seu responsionis præstatione eximere & liberare, alia re stabili prius constituta, pretij, commoditatis, redditus, ac bonitatis, saltem paris, quæ loco illius liberatæ sit quoad omnia, & ad eumdem directum dominum ratione proprietatis, dominij, deuolutionis & aliàs cuiuscumque iuris & oneris, eisdem modo & forma pertineat, quibus illa pertinebat, translato quoque ad istam huiusmodi canone siue responsione, cum augmento quintæ illius partis, & insuper præstita idonea cautione & etiam facta per illum qui ædificaturus est, obligatione omnium suorum bonorum, tum quod res in quam facta est huiusmodi translatio libera est, tum etiam de euictione in ea forma, qua in Vrbe præstari solet.

Vineæ aut cannetum intra milliaria tria ab Vrbe existentia & locari solita vendenda sunt vicinis habentibus ibi vineas maiores & nobiliores.

§. 14. In rusticis quoque prædiis, vt illorum nitori ad honestam in illis hominum commoditatem, salutemque siue animi, siue corporis refectionem, aliqua ratione consulatur, illud obseruetur, vt qui vineas aut canneta intra tria ab Vrbe milliaria, siue partiariis colonis aliqua parte fructuum, siue aliis pecunia solent locare, cogi possint eadem vendere, pretio æstimando vt supra dictum est, & amplius duodecima ipsius pretij parte, iis qui prope illa vineas possident, quas colunt sua impensa, dummodo emptorum vineæ sint non solum maioris pretij & mensuræ, sed magis etiam & cultæ, & ædificiorum structuris conspicuæ, hisque omnibus illa tantopere superent, vt magna inter vtraque adsit inæqualitas, iudicio eorumdem Camerarij, & Magistrorum. Non possint autem cogi vt partem tantummodo earum vendant.

Prædicta decem rubrorum intra 12. milliaria ab Vrbe existentia & maiorib. prædia contigua vel ea intersecantia, vicinis vendenda sunt.

§. 15. Ij vero qui vsque ad duodecim ab Vrbe milliaria habent prædiola mensuræ decem dumtaxat, vel pauciorum rubrorum, quas linguas seu pedicas dicunt, contigua maioribus aliorum prædiis, quæ casalia appellantur. Item ij quoque ex quorum casalibus similes linguæ seu pedicæ eiusdem mensuræ, in aliorum intra idem spatium duodecim milliarium constituta casalia excurrunt, eaque intersecant, vt à duobus, vt minus, lateribus linguæ ipsæ à vicinis casalibus circundentur, cogi possint, siue ipsi colant siue aliis locent, illas vendere, constituto pretio ad æstimationem de qua supra dictum est, adiectaque eiusdem pretij quinta parte.

Declaratio quod dispositio circa prædictas venditiones sponte vel coactè fiendas, locū habent etiam in bonis ad pia loca spectantibus, aut fideicommisso subiectis.

§. 16. Quæcumque autem supra statuta sunt, tum de Vrbanis tum de rusticis prædiis, aut sponte aut coacte vendendis, vel etiam à directis dominis liberandis, ea locum habeant omnino, siue prædia ipsa sint ecclesiastica, & ad quascumque Ecclesias, & basilicas etiam dictæ Vrbis etiam Patriarchales, aut cuiusuis Ordinis monasteria, & etiam mendicantium domos, aliaque loca religiosa, necnon hospitalia, etiam nationum, aut regularium, militiarum, sodalitatesque aut confraternitates, ceteraque pia loca pertinentia, dummodo neque contigua Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, religiosisque ac piis locis huiusmodi, neque intra illorum septa constant, siue sint priuatarum personarum capellæ, & oratoria, vel domus aut loca seruandæ hospitalitati destinata, modo hospitalitas inibi iam neq; exerceatur actu, neque amplius exerceri debeat, siue sint laicalia, & cuicumq; fideicommisso, substitutioni, successioni vel dispositioni obnoxia, & tam hæc laicalia, quam illa Ecclesiastica, eorum qui illa reliquerunt seu dederunt, vltima vel alia voluntate alienari prohibita, ac quocumque onere grauata.

Facultas Camerarij & Magistrorum, & forma pre-

§. 17. Sed quoties casus euenerit, quo res aliqua hac cōstitutione vendi debeat, si is ad quem pertinet eam vendere, bis monitus à Camerario & Magistris, cum assigna-

cedēdi in casibus in quibus recusat quis vendere aliqua bona, iuxta formā huius constitutionis.

tione conuenientis termini ad vendendum, id recusauerit, vel malitiose distulerit, tunc Camerarius, & Magistri vice ac nomine recusantis, vel differentis rem ipsam vendant, cum promissionibus, obligationibus, renunciationibus, pactis etiam pœnalibus, & clausulis consuetis, pretiumque quod inde cum eius augmento proueniet apud ædem sacram, vel personam fide & facultatibus idoneam deponant. Deinde si res Ecclesiastica erat, vel etiam si laicalis, sed quod sciatur, fideicommisso, similiue dispositioni subiecta, alienatiue prohibita, aut onere grauata, antequam emptor eius possessionem assequatur, pretium ipsum totum in aliquorum bonorum immobilium emptionem vtiliter conuertatur, cauente de euictione etiam ipso emptore & ad id omnia bona obligante denturque bona inde empta domino rei venditæ. Quo facto, venditio rei illius nequaquam rescindi, aut etiam impugnari possit, prætextu quarumuis obstantium dispositionum, siue etiam inutilitatis Ecclesiæ, aut loci vel personæ cuiusquam. Et insuper res illa vendita libera sit, & exempta ab omnibus huiusmodi dispositionibus, prohibitionibus, & oneribus eaque ad bona, in quæ illius pretium conuersum est, sint translata. Et exinde bona ipsa dictæ venditæ rei loco maneant, eisdemque prorsus dispositionibus, prohibitionibus, & oneribus subiaceant, quibus illa subiacebat, sintque nihilominus de euictione illius emptori obligata eo ipso.

Et procedendū etiam quando quis consensit vēdere iuxta hanc dispositionem.

§. 18. Sin autem res vendita neque Ecclesiastica erat, atque eiusmodi vinculis obnoxia habeatur, & qui eius dominus fuerat, venditioni ita factæ consentire velit, ac fideiussores de euictione præstare, pretium illi soluatur. Quod si huiusmodi fideiussores præstare noluerit, vel etiam non potuerit, emantur ex ipso pretio, arbitrio eorumdem Camerarij & Magistrorum, vel loca montium non vacabilium, vel alia bona immobilia, de quorum euictione idoneis fideiussoribus sit cautum, eaque dicto domino tradita sint loco similis cautionis pro re vendita, donec aliter emptori idonee caueatur, & interim vendi, aut alias alienari nullo modo possint. Verum vsqueque pretium, vel ex pretio alia res empta, vt præfertur, domino tradatur, pensio quæ ex ipsius rei venditæ locatione percipi solebat, vel percipi verisimiliter potuisset, eidem ab emptore persoluatur.

Facultas cōcludē præscribendi tempus ad ædificādū & summā ibi exponendā à volentib. vti fauore huius constitutionis ex causa ædificandi.

§. 19. Curent autem Camerarius, & Magistri, vt quisquis per causam ædificandi huius constitutionis fauore vti voluerit, ei ante omnia, consideratis tum ipsius loci qualitatibus, summam quam ædificando, vt minimum, impendere, ac tempus quo inchoasse, quoque perfeciisse debeat, propositis quas voluerint pœnis præscribant. Isque ad præscriptum huiusmodi promittat, & se bonaque sua omnia arctissime obliget, subiturus omnino pœnas ipsas nisi promissa præstiterit, omni purgatione moræ ex quocumque iure, & etiam canonica æquitate competenti penitus sublata. Et nihilominus compellendus ab eisdem Camerario, & Magistris, vel promissa perficere, vel quæ propterea emit, & etiam illis vicina, quorum occasione emit, & in quibus se ædificaturum proposuerat, loca, & domos aliis ædificare volentibus, iusto pretio, sicut supradictum est æstimando, absque vllo augmento vendere.

Qui emerunt bona vigore dictarū literarū Sixti IV. Leonis X. ac Pij IV. & ædificare promiserunt, debent ea adimplere infra sex mēses.

§. 20. Sed ne aliquorum impunitas, qui vt accepimus, beneficio literarum Sixti & Leonis, ac Pij Quarti dum illæ vigerent abusi, domos, & loca ex illarum depositione acquisita, infabricata adhuc retinent, aliis admittendi similia audaciam præbeat, iidem Camerarius & Magistri, illos omnes qui à viginti annis citra loca aliqua ex dictarum literarum dispositione emerunt, seque in illis ædificaturos promiserunt, nec præstiterunt, cogant ea omnia quæ tunc facere debebant, intra spatium sex mensium à die præcepti eis hac de re faciendi implete, alioquin pœnas præmissas ab iis exigant omnino. Et præter illas, loca eadem dominis quibus ablata fuerunt, si ipsi velint, eodem pretio quod tunc solutum fuit restitui, vel illis nolentibus aliis qui ibi ædificaturi sint pretio, vt supradictum est, æstimando, vendi compellant.

Applicatio locis piis pœnarū incurrēdarū ob cōtrauentiones.

§. 21. Ceterum pœnæ omnes quas incurrent, qui aduersus constitutionem hanc, seu Camerarij & Magistrorum pro ipsius constitutionis executione mandata vel decreta admiserint, piis locis dictæ Vrbis ita applicata

Digitized by Google

sint, vt illi ex ipsis locis irreuocabiliter debeantur, pro quo primum pœnæ ipsæ post illarum incursum petitæ fuerint, ad quam petitionem, lapsis ab huiusmodi incursu triginta diebus, nisi dicti Camerarius, & Magistri illas iam pro eorum debito exegerint, quilibet in dicta Vrbe, vel in Romana Curia iudex ad illarum exactionem indesinenter procedat, donec eidem loco vere & integre persolutæ fuerint. Nullo autem dictorum locorum petente, noster in Vrbe Vicarius eas de manu dictorum Camerarij & Magistrorum acceptas, vel eis ab ipso interpellatis negligentibus, ab eorum debitoribus exactas, inter dicta loca, iuxta eorum indigentiam arbitrio suo distribuat.

Facultas Camerarij, & Magistrorum procedendi summarie, &c. pro executione prædictorum.

§. 22. Nos enim ad supradicta omnia & singula faciendum, & exequendum, inque illis, & pro illis summarie, simpliciter, & de plano, solaque veritate inspecta, ac manu regia, etiam ex officio procedendum plenam, expeditam, liberamque auctoritatem, & potestatem, Camerario scilicet in Ecclesiasticas, eidemque & Magistris viarum prædictis in laicas, ac quoad pœnas prædictas Vicario ac singulis Vrbis, vel Curiæ Iudicibus huiusmodi, in quascumque personas, de eadem potestatis plenitudine præsentis constitutionis auctoritate tribuimus & demandamus.

Decretum irritans.

§. 23. Decernentes eadem omnia, & singula quæ supra statuta sunt, si quando in aliquo casu de eorum sensu controuersia continget, in eam partem interpretanda esse, quæ ad Vrbis ornatum magis facere videbitur. Ac semper, & vbique, siue in iudicio siue extra iudicium fauorabilia censeri. Et ita ab omnibus iudicibus etiam Palatij Apostolici Auditoribus, & Cardinalibus, sublata quauis aliter interpretandi, & iudicandi potestate, interpretari & iudicari debere. Et si secus fiat, fore irritum & inane.

Clausula derogatoria.

§. 24. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Symmachi, & Pauli II. de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, legibus etiam Imperialibus, dictæque Vrbis, atque Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum religiosorum siue piorum, Ordinumque, quorum bona huiusmodi fuerint, statutis & consuetudinibus necnon testatium voluntatibus, aliisque dispositionib. etiam iuramẽto, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque & literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, Monasteriis & locis, eorumque Superioribus, Capitulis, & Conuentibus, seu Populo Romano, aliisque quibuscumque concessis, & quibusuis aliis Sedis Apostolicæ indulgentiis, per quæ præsentium executio, & per eas tributæ iurisdictionis explicatio posset quomodolibet impediri vel retardari, quibus omnibus eorum tenores pro plene & integre expressis habentes, de potestatis plenitudine prædicta derogamus, ceteriisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D.P. An. 3. 1. Octobris.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ, 1574. Kal. Octobris, Pont. nostri anno tertio.

XXIII. Priuilegium Doctorum Romanorum, publice legendi in quacumque facultate, in generali Studio Almæ Vrbis.

Huius studij erectionem, & alia quæ ipsum concernunt, vide sup. in const. 9. Bonif. VIII. In supremæ. *& Leon. X. const. 4.* Dum suauissimos. *& inf. in const. 74. Sixt. V.* Immensa. *in Congreg. x. cum aliis quæ ad eas notaui.*

Edita A. D. 1574.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Causa const.

CVpientes vniuersos Almæ Vrbis nostræ origine Ciuium filios ad bonarum literarum cognitionem & doctrinam, pro communi, & publica vtilitate, dictæque Vrbis ornamento, & honore, paterna charitate & Sedis Apostolicæ munificentia, atque liberalitate allicere, vt ipsis, & etiam ceteris ad virtutem calcar honorificum, & fructuosum addatur; Motu proprio non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de mera nostra liberalitate dilectis filiis Senatui, & Populo Romano.

Doctores ex patre & auo Romæ nati, admittantur ad legendum in hoc Studio.

§. 1. Quod ex nunc deinceps, & perpetuis futuris temporibus omnes, & singulos adolescentes & iuuenes Doctores ex patre & auo Romæ natis Romani, excedentes vigesimum secundum suæ ætatis annum, qui in studio seu Gymnasio publico dictæ Vrbis in quacumq; facultate pro tempore legere voluerint, ad lecturam huiusmodi, facta tamen prius per eos corã dilectis filiis nostris S.R.E. Cardinalibus super eodem Studio, seu Gymnasio deputatis, ac illius Rectore, & Reformatoribus pro tempore existentibus, vna lectione, admitti debeant cum salario vigintiquinque scutorum quolibet anno pro vnoquoque qui vt præfertur legere voluerit, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo concedimus, & elargimur. Necnon eisdem Doctoribus, vt præfertur, qui in eodem Gymnasio munus legendi subibunt, dictum salarium annuum vigintiquinque scutorum, ipsis, & eorum cuilibet debitis, & consuetis in eodem Studio seu Gymnasio temporibus, ac de, & ex eiusdem Studij, seu Gymnasij redditibus, prouentibus, vectigalibus, & aliis emolumentis vniuersis per eos, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, persoluendum, Motu, & auctoritate similibus constituimus, & assignamus, ipsosque ad lecturam huiusmodi recipi, & admitti, & salarium eis, & eorum singulis persolui debere, vt præfertur, decernimus.

Executorum deputatio.

§. 2. Mandantes propterea dilectis filiis Conseruatoribus Cameræ dictæ Vrbis, ac Rectori, & Reformatoribus dicti Studij seu Gymnasij, præsentibus, & futuris, aliisque omnibus, & singulis, ad quos id quomodolibet spectat, & pro tempore spectabit, quatenus præsentes nostras literas recipiant, & admittant, ac inuiolabiliter obseruent, & ab omnibus quos ea quomodolibet concernunt & concernent obseruari mandent, & faciant: necnon Doctoribus legentibus huiusmodi de dicto salario, debitis vt præfertur temporibus annuatim respondeant, & etiam faciant ab aliis responderi realiter & cum effectu. Et si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Derogatio ctrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostol. ac Studij, seu Gymnasij, necnon Vrbis huiusmodi iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibusuis superioribus, & personis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenorib. & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam motu simili, ac consistorialiter & alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceteriisque contrariis quibuscumque.

Pont. an. 3. die 12. Octobris.

Dat. Romæ apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris die 12. Octobris 1574. Pont. nostri anno tertio.

XXIV. Confirmatio, & extensio constitutionis Bonifacij VIII. editæ contra dantes aliquid vel promittentes, vel recipientes, pro obtinenda gratia, vel iustitia apud Sedem Apostolicam.

Hæ bullæ à Clem. VIII. approbatæ & extensæ fuerunt, ad quoquomodo aliquid dantes vel recipientes de rebus Communitatum Status Ecclesiastici in const. 10. Pro commissa. *vbi notabo.*

Edita An. D. 1574.

GREGORIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AB ipso Pontificatus nostri principio quàm maxime possumus enitimur atque contendimus, vt domus & curia nostra à sordibus expurgetur.

Bonif. VIII. excommunicauit dantes vel recipientes vt in eius const. 1.

§. 1. Cui salubri consilio incumbens fel. record. Bonifacius Papa VIII. excommunicauit, & anathematizauit omnes Clericos, religiosos, & laicos vtriusque sexus, siue

Digitized by Google

siue familiares Curiæ, siue vndecumque alios, qui aliquod pactum facerent, seu quid paruum vel magnum promitterent, &c.

Residuum prætermittitur quia est sup.

Hic Pont. eã confirmat & ad fautores extendit.

§. 1. Sed hoc scelus ita hodie in mores inductum est, vt plerique cupiditate improbi quæstus, potentiorum suffragationibus adnixi, huiusmodi negotiorum expeditiones hac illac conquirentes turpissime nundinentur. Alij alios, quos gratia præstare arbitrantur, donis, & pollicitationibus ambiant. Quidam etiam se talium operam atque industriam pretio, & muneribus quæsisse affingant. Quæ cum pessima sint, & Curiæ prædictæ existimationem grauissime offendant, in eos qui talia agunt animaduertendum fore arbitrati, Constitutionem prædictam cum suis censuris & pœnis omnibus innouamus, easdemque omnes extendimus ad audentes qualecumque horum facinorum quæ adscripsimus, dantesque illis, & aliis supradictis auxilium, consilium, vel fauorem.

Aliasque pœnas imponit.

§. 3. Quin etiam eos omnes, omni beneficio & officio Ecclesiastico, & sæculari, siue temporali siue perpetuo ipso iure priuamus, ac priuatos esse declaramus, & præterea infamiæ subiectos perpetuo, ac inhabiles ad illa & alia esse volumus. A quibus etiam, prout quæque res erit, tales pœnæ exigantur, quæ ceteris sint exemplo.

Reuelantibus eas condonat.

§. 4. Illis tamen qui rẽ adhuc incognitam, complicesque fautores, & socios retexerint, impunitas cõcedatur.

D. P. An 3. 9. Nouembr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimoquarto, Nonis Nouembris, Pont. nostri Anno tertio.

Anno à natiuitate D. 1574. indictione 2. die vero 8. mensis Nouembris, Pont. Sanctissimi in Christo patris & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno tertio, Retroscripta litera Apostolica affixa, & publicata fuerunt ad valuas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ & in acie Campi Flore, per nos Alexandrum Astancollum, & Antonium Clerici S. D. N. Papæ Cursores.

Petrus Aloysius Gayta Mag. Curs.

XXV. Quod Subcollectores, & Commissarij Nuntij Apostolici in Regno Neapolitano, eius dumtaxat iurisdictioni subiaceant, in causis criminalibus contra eos promouendis.

Edita An. D. 1575.

GREGORIVS PAPA XIII. Dilecto filio Magistro Antonio Saulio vtriusque Signaturæ nostræ Referendario, moderno, & pro tempore existenti in Regno Neapolitano Nuncio, & Collectori nostro Generali.

Exordium.

CVpientes pro nostri officij cura indemnitati dilectorum filiorum Cameræ nostræ Apostolicæ Ministrorum, ne illi molestiis, litibus vel incommodis fatigentur, quantum cum Deo possumus opportune prouidere, Motu proprio & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostra, tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Priuilegium fori pro subcollectoribus & Commissariis Nuncij Apost. in Regno Neapolis.

§. 1. Quod omnes, & singulæ causæ nunc motæ, & pro tempore mouendæ, quorumuis prætensorum excessuum, criminum, & delictorum per quoscumque subcollectores, & Commissarios, tam generales quam particulares in quibusliber prouinciis, & Ciuitatibus, & diœcesibus istius Regni Neapolitani, per te, & pro tempore isthic existentem nostrum, & Sedis Apostolicæ Nuncium & Collectorem generalem deputatos commissorum, à te, & pro tempore existente Nuncio solum, non autem à quibusuis aliis Iudicibus, etiam locorum Ordinariis deinceps in futurum non modo durante eorum officio, sed etiam post ipsum dimissum, donec vixerint, audiri, cognosci, & decidi possint, & debeant. Aliisque Iudicibus, & locorum Ordinariis, ne illis sese quouis prætextu, seu quæsito colore intromittere quoquomodo vllatenus audeant vel præsumant, districtius inhibemus.

Clausula sublata & deorsum irrigans.

§. 2 Sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, sublatacis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere. Necnon irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Facultas Nũtij in contrauenientes.

§. 3. Quocirca tibi & pro tempore existenti Nuncio, contradictores quoslibet & rebelles, etiãsi Episcopali, aut Archiepiscopali dignitate fungentes fuerint, sub interdicti ingressus Ecclesiæ, ac suspensionis à diuinis quoad Episcopos, & Archiepiscopos, quo vero ad inferiores, sub pecuniariis arbitrio vestro declarandis, & applicandis pœnis, & demum sub sententiis, & censuris Ecclesiasticis, & per alia iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendi, brachiumque sæculare ad hoc si opus fuerit inuocandi, ceteraque ad id necessaria faciendi, & exequendi, plenam & liberam per easdem præsentes facultatem concedimus, & potestatem.

Derogatio cõtrariorum.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium forsan concessis, & confirmatis, quibus omnibus eorum tenores ac si de verbo ad verbum inserrerentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum præsentium specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, seu si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 4. Ianuarij 1575. Pont. nostri anno tertio.

D. P. An 3. 4 Ianuarij.

XXVI. Reformatio Curiæ de Sabellis, Marescalli Almæ Vrbis.

Marescalli officium antiquissimum est, eiusque curæ Conclauis custodia demandata est, vt vidi in quadam constitutione Innoc. VI. sub die 26. Iulij 1352. quam sine mendo habere non potui. Et de eius iurisdictione, & reformatione, vide etiam sup. in const. 28. Iulij II. Decet. *& in constit. 58. Pij IV. & infr. in const. 71. Pauli V.* vniuersi, *in tit. 8.*

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1575.

Exordium.

DVm recte administrandæ vbique iustitiæ rationes omnes bene constitutas, & cupimus, & pro nostro munere veterique studio, quo possumus enitimur, haud postrema esse debet minorum huius Vrbis Tribunalium cura, in quibus quicquid delinquitur, eo deterius contingit, quo pauperiores afficit, quibus in re tenui, & acrius ex iniuria damnum, & difficilius remedium afferri solet.

Causa reformationis.

§. 1. Dum igitur nuper officium Marescallatus Sedis Apostolicæ dilecto filio nobili viro Bernardino de Sabellis Marescallo dictæ Sedis concesserimus, volentes eidem officio non minus de legum præstantia, quàm de viri solertia esse prospectum, vt in illius Curia de Sabellis nuncupata, tum iudicia, tum cetera ad id munus pertinentia, ad iusti, & recti normam directa, sine sorde peragantur, infrascripta hæc, quorum aliqua pridem à Iulio II. & à Pio IV. fel. rec. prædecessoribus nostris, licet prudenter constituta, iam in vsu non erant, ibi deinceps inuiolate seruanda perpetuo statuimus, & ordinamus, atque etiam innouamus.

Iudex gratuito deputetur. Hoc idẽ voluit eius Pr. cit. in rubr.

§. 2. Iudex ibi ius dicturus, gratuito à Marescallo deputetur, adeo, vt neque Iudici dare, neque Marescallo accipere propter hoc quidquam liceat, etiam mutui alioue nomine quauis de causa vel ante, vel post deputationem, etiam auctoritate, siue prætextu cuiuscumque consuetudinis, aut indulti à Sede Apostolica concessi, illam enim improbamus, hoc autem reuocamus expresse.

Et ad annum & ex rationabili causa ad biennium.

§. 3. Deputatio vero fiat ad annum dumtaxat, quo finito finitum etiam sit eius Iudicis officium, nisi propter aliquam rationabilem causam prorogandum visum fuerit,

Digitized by Google

rit, sed prorogatio alium annum omnino non excedat, semel tantum fieri possit.

Sindicatuiq; stare cauent.

§. 4. Antequam incipiat exercere officium, caueat idoneis fideiussoribus de stando sindicatui. Finito officio, etiam si nec querelatus, nec requisitus fuerit, offerat se sindicatui coram Gubernatore Vrbis, & Auditore Cameræ, illi vero quadraginta diebus sindicatum absoluant, Iudicemque, prout iure faciendum erit, vel liberent, vel condemnent, & puniant, quod si intra dictorum dierum numerum non fecerint, Camerarius S. R.E. qui tunc erit, duos viros deputet, qui intra alios viginti dies huiusmodi sindicatum peragant. Lapsis autem dictis terminis pro absoluto habeatur.

Commentarienses, & Capitanei, ad Executoris, officia non vendantur nec locentur.

§. 5. Commentarienses, & Capitanei, necnon executoris eiusdem Curiæ munia, peridoneos, & fidos ministros gerantur, & neque vendantur, neque locentur vllo modo, neque quidquam pro illis habendis, aut exercendis quouis nomine, & prætextu soluatur, siue respondeatur, qui aliquid soluerint, siue responderint, officio priuati sint, & publice fustigentur.

Notarij sint duo tantum, Hoc idem decreuit idem Pius I P.

§. 6. Notariorum officia ibi duo tantummodo habeantur, quodque soli Notarij sint, neque hic numerus aliquo prætextu augeri vnquam possit.

Iudex non cognoscat causas pro quibus statuta est Pœna corporalis.

§. 7. Ceterum de causis criminum capitalium, item de illis criminibus pro quibus pœna corporis afflictiua, vel iure, vel statutis, vel bannimentis à maioribus magistratibus promulgatis est imposita, neque Marescallus, neque iudex ab eo deputatus cognoscant.

Neque alias si alibi sit præsentium.

§. 8. Sed de aliis minoribus delictis, nisi iam in alio Tribunali iudicium de illis finitum, aut prius cœptum fuerit, cognoscere possint.

Significationesque non concedat.

§. 9. Numquam tamen saluũ conductum, aut significationem, vt vocant, vel in leuissimis delictis, & prætextu cuiusuis dependentiæ concedant, nisi forte reus data fideiussione relaxatus esset: aliter concessum, vel concessam, ceteri Iudices non seruent.

Fiscus citetur in causis criminalibus eiusdem Curiæ.

§. 10. In quacumque autem causa criminali, quæ in hac Curia cœpta fuerit, citetur Procurator Fisci in omnibus illis terminis, & actis, in quibus solet in aliis Curiis Vrbis citari.

Pœnarum solutiones adnotentur vt hic.

§. 11. Præterea in quacumque causa ibi cœpta, proferatur omnino sententia, siue absoluendo, siue condemnando. Et si quæ solutiones pœnarum, in eadem Curia recipientur, scribantur in libro ad hoc ordinato, singulisque solutionibus subscribat ipsemet reus, vel si is nesciuerit, ipsius Procurator, vel alius in causa defensor.

App. detur in Ciuilibus causis ab A. G.

§. 12. In ciuilibus vero causis, à grauaminibus in dicta Curia illatis, appelletur ad Auditorem.

Tributum non exigatur ab inhonestis mulieribus.

§. 13. Postremo exactiones illas, quæ à mulieribus inhonestis singulis annis singulisque sex mensibus, aut alias sub nomine tributi fieri solebant, omnino prohibemus, proposita Marescallo illas attentanti pœna priuationis officij ipso facto incurrenda.

Clausf. derog

§. 14. Non obstantibus dictæ Curiæ, etiam longissimi, & immemorabilis temporis obseruantia, ac confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboraris, statutis consuetudinibus, & stylo, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis illi vel pro tempore existenti Marescallo ex quauis causa concessis, & etiam sæpius confirmatis, quibus omnibus, illorum tenores hic pro integre expressis habentes, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino, &c.

Dat. P. A 3. 27. Ianuarij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimoquinto, sexto Kal. Februarij, Pont. Nostri anno tertio.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1575. indict. 3. die vero vltima mensis Ianuar. Pont. Sanctissimi in Christo patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII Anno 3. retroscripta litera Apostolica originaliter affixæ & publicatæ fuerunt in valuis Ecclesiæ sancti Ioannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apost. ac in acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Camillum Cherubinum, & Guglielmum Marchs Cursores.

M. Antonius Brutus Mag. Cursorum.

Prohibitio appellandi per Religiosos Ordinis S. Francisci de Obseruantia, à Prælatis eiusdem Ordinis ad Tribunalia sæcularia vel mutandi ordinationes Ministri Generalis. Permissioque habendi recursum ad ipsum Ministrum, vel Protectorem, aut Rom. Pont. XXVII.

Alia de hoc Ordine attende sup. in const. 23. Leon. X.

Ite.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1575.

Exordium.

QVoniam nostro Pastorali potissimum incumbit officio, vt ea quæ ausu temerario ab Ecclesiasticis, præsertim regularibus personis plerumque attentantur, quantum nobis ex alto conceditur, opportunis remediis compescamus, & remoueamus.

Causæ huius prohibitionis.

§. 1. Idcirco cum referente dilecto filio fratre Christophoro de Capite fontium, Fratrum Minorum de Obseruantia ordinis S. Francisci Generali Ministro, non sine animi nostri molestia, nuper intellexerimus nonnumquam quosdam Religiosos, & Religiosas Ordinis sui huiusmodi, Dei timore postposito, & suæ professionis immemores, vt in eorum malefactis & inobedientia se diutius confoueant, ab iis quæ per Prælatos eiusdem Ordinis, etiam Guardianos, siue Prouinciales, vel Commissarios ab ipso Generali Ministro pro tempore deputatos acta sunt, & decreta, ac Tribunalia sæcularia appellare, & ad ea temere confugere.

Prohibitio appellandi à Præfectis huius Ordinis ad sæcularia Tribunalia.

§. 2. Auctoritate Apostolica, tenore præsentium præcipimus, & inhibemus sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, à qua non nisi à nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo absolui possint, necnon priuationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque dicti Ordinis officia exercenda, ac vocis, tam actiuæ, quam passiuæ eo ipso incurrendis pœnis, ne quis Prouincialis, aut alius cuiuscumque dignitatis, status, gradus & conditionis Ordinis huiusmodi Religiosus aut Religiosa ad ipsa Tribunalia sæcularia quouis prætextu, aut quæsito colore, vt præfertur, appellare, vel illa propterea quoquo modo adire audeant vel præsumant, sed si se à Prælatis suis grauari prætendent, ad Generalem Ministrum ipsius Ordinis, seu illius Protectorem, aut Viceprotectorem in Romana Curia, vel ad nos, siue Romanum Pontificem successorem nostrum supremum in Ecclesia D. I. Iudicem sicut antiquitus semper consuetum fuit, recursum habeant, vnde illis breui manu Iustitia ministrabitur.

Contrauenientium eorumque fautorum pœna.

§. 3. Declarantes nihilominus non modo eorumdẽ Religiosos & Religiosas cõtrafacientes, in dictas pœnas incidere, verumetiam eorum quomodolibet directe vel indirecte fautores, & consultores, illas quoque incurrere.

Prohibitio resistendi Commissariis missis pro visitandis Prouinciis sub eisdem pœnis.

§. 4. Præterea sub pœnis prædictis prohibemus, ne quis Prouincialis, aut Guardianus, vel cuiuscumque alterius gradus Religiosus aut Religiosa eiusdem Ordinis ab ipso Ministro generali missis pro visitandis Prouinciis, Commissariis, resistere, nec eis se opponere aut contradicere, seu se rebellem exhibere, ipsos quacumque de causa, vel quæsito colore non recipiendo audeat, neque debeat.

Facultas Ministri generalis mittendi Cõmissarios.

§. 5. Volentes eumdem Ministrum generalem quotiescumque sit i expedire videbitur, quos voluerit Commissarios ad quascumque sui Ordinis vtriusque familiæ Prouincias, quibuluis consuetudinibus ac statutis per quaslibet personas in contrarium factis, non obstan. libere mittere posse.

Ministri Prouinciales non immutent ordinata ab ipsis Commissariis.

§. 6. Insuper, quia, vt etiam accepimus, aliquando nonnulli Ministri ex visitatis Prouinciis, per Commissarios ad hoc ab ipso Generali Ministro deputatos, quæ à dictis Commissariis recte, & salubriter ordinata, & gesta fuerunt, rescindere, mutare, aut contemnere solent, sub omnibus, & singulis pœnis supradictis expresse prohibemus, ne quisquam ab eisdem Commissariis facta, & ordinata, mutare, alterare, aut peruertere sine

expressa

Digitized by Google

expreſſa licentia,& permiſſione ipſius Miniſtri generalis, qui ſolus ea mutare valeat, vllo modo præſumant. Decernentes irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula derogatoria.

§. 7. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, & confirmatis, quibus omnibus eorum tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ad effectum præſentium ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

D. P. An. 3. 8. Aprilis.

Datum Romæ apud S. Petrum, &c. die octaua Aprilis 1575. Pont. noſtri Anno tertio.

XXVIII. Reuocatio licentiarum & indultorum quibuſcumque mulieribus conceſſorum ingrediendi Monaſteria cuiuſcumque Ordinis Regularium. Prohibitioque vtendi eiuſmodi licentiis pro caſibus neceſſaris, concedendis, præterquam ipſis neceſſitatibus vrgentibus. Et declaratio quod Prælati Monialium, in caſibus neceſſariis, & paucis comitati religioſis ea ingredi poſſint.

Aliam declarationem circa vſum eiuſmodi licentiarum mulieribus ſecularibus concedendarum, vide conſt. 52. Paul. V. Facultatum. *Et poſtremo reuocationem generalem omnium conceſſarum edidit idem Paul. in alia conſt. 74.* Monialium.

Edita A. D. 1575 & 1581

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

VBi gratiæ, & indulta ab hac Sede conceſſa, ſucceſſu temporis incommodum afferre noſcuntur, expedit illa ſalubri præſidentis conſilio ſubmoueri.

Reuocatio licentiarum ingrediẽdi Monaſteria Monialium, & virorum cuiuſcumque ordinis.

§. 1. Proinde Sanctimonialium quieti & tranquillitati conſulere, ac omnia quæ illas à ſpiritualium rerum cogitatione & exercitio auocant, impedimenta tollere, periculaque, & ſcandala ab eis remouere cupientes, auctoritate præſentium reuocamus, & abolemus omnes, & quaſcumque licentias, ac facultates ingrediendi Monaſteria, Domos, & loca Monialium, ac etiam virorum quorumuis Ordinum, quibuſuis etiam Comitiſſis, Marchioniſſis, Duciſſis, & aliis cuiuſcumque ſtatus & conditionis mulieribus, ac etiam omnes, & quaſcumque licentias ingrediendi Monaſteria, Domos & loca ipſarum Sanctimonialium, quibuſcumque viris, etiam eiuſdem ſtatus, & dignitatis tam à prædeceſſoribus noſtris, quam etiam nobis, & Sedis Apoſtolicæ Legatis, aut aliis ex quibuſuis quantumcumque vrgentibus cauſis ſub quibuſcumque tenoribus, & etiam derogatoriarum derogatoriis, reuocatorum reſtitutoriis, aliiſque efficacioribus clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, atque ad Imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumue principum contemplationem, vel ſupplicationem conceſſas, confirmatas, & etiam iteratis vicibus renouatas. Caſſamuſque & annullamus literas deſuper confectas, & proceſſus habitos per eaſdem.

Prohibitio, & pœna Monaſteria ingredientium vigore licentiarum.

§. 2. Inhibentes eiſdem qui illas obtinuerunt, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, ſuper qua à nemine niſi à Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) abſolutionis beneficium poſſit impertiri, ne ipſarum licentiarum prætextu Monaſteria huiuſmodi quouis modo ingredi audeant.

Pœna Religioſorum eos admittentiũ.

§. 3. Abbatiſſis vero necnon Abbatibus, Conuentibus, ac aliis Monaſteriorum vtriuſque ſexus ſuperioribus, & perſonis quocumque nomine vocentur, diſtricte præcipimus ſub eadem excommunicationis pœna, necnon priuationis dignitatum, beneficiorum & officiorum ſuorum, ac inhabilitatis ad illa & alia in poſterum obtinenda, ne in Monaſteria, Domos, & loca ſua, quemquam prætextu huiuſmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant vel permittant.

Prohibitio vtendi licentiis in caſibus neceſſariis cãcedendis, niſi ipſa neceſſitates vrgeant.

§. 4. Quin etiam ſub eiſdem pœnis ipſo facto incurrendis prohibemus atque interdicimus omnibus, & quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, ac etiam Ordinum quorumcumque etiam Mendicantium Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Epiſcopis, vel Superiorib. quibus illas concedendi in caſib. neceſſariis tantum ex decreto Concilij Tridentini tribuitur, ne Monaſteria ipſa Monialium pro libito, ſed neceſſitatibus vrgentibus dumtaxat ingredi, neue Moniales ſub eiſdem pœnis illos aliter admittere præſumant.

Clauſ. derog.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, Monaſteriorumque, & Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, exemptionibus, & indultis Apoſtolicis illis eorumque ſuperioribus prædictis, ac aliis quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, conceſſis, & confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innouatis, quibus omnibus, eorum tenores, perinde ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides tranſumptorum.

§. 6. Quoniam autem difficile eſſet præſentes ad omnia loca perferri, volumus earum exemplis etiam impreſſis manu notarij publici, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eamdem fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

D. P. An 4. 24. Iunij.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, idibus Iunij, Pont. noſtri Anno 4.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1575. indict. 3. die vero 24. menſis Iunij Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto patris, & D. N. Domini Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno 4. retroſcripta literæ Apoſtolicæ publicatæ & affixæ fuerunt in valuis Eccleſiæ S. Ioannis Lateranen. ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Scipionem de Ottavianis, & Io. Andream Panizzam Apoſt. Curſores.

Ioannes Freile Mag. Curſorum.

Sequitur declaratio d. Conſtitutionis quoad Prælatos Monialium.

Edita A. D. 1581.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus ſeruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Cauſa conſt.

DVbiis, quæ emergunt, declarationis remedium expedit adhibere. Cum igitur ſuper eo quod optima primum ratione Concilium ſanxit Tridentinum, deinde in conſtitutione fe. re. Pij Papæ V. prædeceſſoris noſtri nonis Iulij Pontificatus ſui Anno tertio, atque item noſtra idibus Iunij Pontificatus noſtri anno quarto editis, fuit prouiſum, ne cui in poſterum, niſi in caſibus neceſſariis ſepta Monaſteriorum monialium ingrediendi concederetur licentia, à nonnullis dubitatum fuiſſe ſciamus circa perſonas, quæ alterius ad id licentia non indigent, ſed ſui auctoritate officij nituntur, an liceat eis pro libito ſuæ voluntatis huiuſmodi ſepta ingredi, vel potius ſeruare debeant ipſi quoque regulam à Concilio præſcriptam.

Declaratio quod Prælati Monaſteriorũ Monialium in caſibus tã. tummodo neceſſariis eã ingredi poſſint.

§. 1. Nos omnem hæſitationis materiam tollere, & viam ſcandalis præcidere, ac ſanctimonialium, quieti conſulere volentes, harum tenore auctoritate Apoſtolica declaramus, Prælatos omnes tam ſæculares quam regulares, quibus cura & regimen Monaſteriorum Monialium quouis modo incumbit, facultate ſibi ex officio attributa ingrediendi Monaſteria prædicta ita demum vti poſſe, ſi id faciant in caſibus neceſſariis, & à paucis iiſque ſenioribus, ac Religioſis perſonis comitati. Quocirca vniuerſos & ſingulos Epiſcopali, ſeu maiori, ac etiam Cardinalatus, dignitate præditos necnon quorumuis Ordinum Abbates

Digitized by Google

Abbates, Priores, Miniſtros, & alios, quoſcumque Superiores regulares ſerio monemus, vt facultate huiuſmodi, qui eam habent, præterquam in caſibus, vt præfertur, neceſſariis neutiquam vtantur.

Contrauenientium pœna.

§. 2. Quod ſi contrafecerint, eadem auctoritate Apoſtolica ſtatuimus atque decernimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint eos pro prima vice, qua contrafecerint, ingreſſu Eccleſiæ interdictos, pro ſecunda à munere Pontificali, & à diuinis ſuſpenſos, ac deinceps ipſo facto abſque alia declaratione excommunicatos exiſtere, regulares vero omni officio ac miniſterio priuatos excommunicationi ſimiliter ſubiacere.

Derogatio cõtrariorum.

§. 3. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in generalibus & Prouincialibus conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis quibuſuis Eccleſiis earumve Prælatis, aut Ordinibus, in genere vel in ſpecie ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis quouis modo conceſſis, approbatis, & innouatis, etiam ſi illis caueretur expreſſe, quod nemo interdici, ſuſpendi, vel excommunicari poſſet per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam de indulto huiuſmodi mentionem, quibus eorumque totis tenoribus, perinde ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, ſpecialiter & expreſſe derogamus ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides tranſumptorum.

§. 4. Quoniam vero difficile eſſet præſentes ad ſingula loca perferri, volumus earum exemplis, etiam impreſſis, manuque Notarij publici, ac ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eamdem fidem adhiberi, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. P. A. 10. die 23. Dec.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annullo Piſcatoris die 23. Decembris 1581. Pont. noſtri Anno decimo.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1582. *Ind.* 11. *die vero Sabbati* 30. *Menſis Decembris, Pontificatus S.D.N. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno Decimo, Retroſcriptæ literæ in forma breuis publicatæ, & affixæ fuerunt in acie Campi Florę vt moris eſt, per me Scipionem de Octauianis Apoſtolicum Curſorem.*

Caliſtus Brunettus Magiſter Curſorum.

XXIX. Ordinationes à Collegio Phyſicorum, necnon à Collegio Aromatariorum Vrbis, obſeruandæ, eorumque, in prima, & Auditoris Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ in ſecunda inſtantia iuriſdictiones.

Quoad prædictam Phyſicorum iuriſdictionem vide Pauli V. reformationem infra in conſt. 71. Vniuerſi, *in vlt. tit. & ibi habetur etiam de Collegij Aromatariorum reformatione.*

Edita An. D. 1575.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

CVm officio Paſtorali incumbat gregem ſibi commiſſum ſecundum iuris tramites, ac etiam iuxta facti exigentiam vigili cura gubernare, ac abuſus, & prauas corruptelas introductas, liteſque, & controuerſias ex quibus maxime reſultant diſpendia partium, & totius populi damnum, maximaque iactura non ſine vitæ periculo pro viribus tollere, acceperimus autem inter Collegiũ Medicorum Almæ Vrbis noſtræ, & Collegium Aromatariorũ circa modum viſitationis Apothecarum, iuriſdictione, pœnarum applicatione, ac rebus aliis diu controuerſum fuiſſe, & quotidie hinc inde querelæ ad aures noſtras deferantur.

Prima definitio ſuum non ſortita effectum.

§. 1. Ac volentes has controuerſias, & differentias omnino & in perpetuum extinguere, viuæ vocis oraculo dilecto filio noſtro, Franciſco Tituli S. MARIÆ in Portricu Alciato, ac bo. me. Ioanni Paulo Tituli Sancti Prancratij Preſbyteris Cardinalibus ab Eccleſia nuncupatis, vt tam Collegium Medicorum, quàm Collegium Aromatariorum, ac ſeparatim, & in contradictorio audirent, iura ipſa viderent, nobiſque referrent, & cum pluries hoc feciſſent & deinde re imperfecta ab eadem Vrbe dictum Ioannem Paulum Cardinalem recedere contigiſſet, in locum illius ſimilis me. Iulium S. Theodori, Diaconum Cardinalem de Aquauiua nuncupatum deputauimus, qui ſimul cum prædicto Franciſco Cardinali differentias prædictas & iura Medicorum, & Aromatariorum audiuerunt, & cognouerunt, nobiſque retulerunt, & relatione facta quædam Capitula ab ipſis concepta, Motu proprio confirmauimus, & obſeruari mandauimus, prout in ſchedula dicti Motus proprij manu noſtra ſignata, ſub datum videlicet Romæ apud Sanctum Petrum Kalendis Decembris, Pontificatus Noſtri Anno ſecundo, apparet.

Poſtrema definitio nunc firmata ſuper.

§. 2. Cumque deinde pro parte Collegij Medicorum prædictorum, iterum fuerit ſupplicatum ſuper nouis rationibus, & iuribus audiri nos, vt omnis materia, & occaſio conquerendi, & reclamandi in perpetuum tolleretur, commiſimus eidem Franciſco, & Iulio Cardinalibus, vt Medicorum, & Aromatariorum Collegia iterum audirent, & cum differentiæ iam fere ſopitæ eſſent, ab humanis, ſicut Altiſſimo placuit dictus Iulius Cardinalis receſſit, vnde nos cupientes has differentias quantocitius terminari, commiſimus dicto Franciſco Cardinali informato, vt iterum (ſi opus eſſet) audiret Collegium Medicorum, & deinde nobis referret, qui Franciſcus Cardinalis iterum de nouo Medicorum, & Aromatariorum Collegiis huiuſmodi auditis, nobis retulit Medicos, & Aromatarios huiuſmodi ad infraſcripta Capitula conueniſſe, & concordaſſe, videlicet.

Aromatariorum punitione, ſi aromataria non approbati exerceat, ad hæc vide conſt. Pauli Vendicatã in rubr.

§. 3. Quod nemini liceat artem Aromatariam Magiſtri Inſtitoris, ſiue apothecæ præpoſiti, aut quouis alio nomine, ac titulo exercere, niſi antea à Protomedico, eiuſque Conſiliariis, & ab Aromatariorum Conſulibus examinatus, probatuſque erit, qui ſecus fecerit, viginti quinque ducatorum pœna mulctetur, eaque de re ſoli protomedicus, & Conſiliarij eius in ſuo ſolo Tribunali, vocatis etiam Aromatariorum Conſulibus inquirant, procedant, cognoſcant, decidant, puniant, ſed in ſingulis actibus cum dictorum Conſulum Aromatariorum conſilio, quod ſi à Protomedico, & Conſiliariis non probabitur, tunc recta via ad pro tempore exiſtentem Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generalem Auditorem, pro eius deciſione eatur, & deciſo eo articulo, in quo Protomedicus & Conſiliarij non probabunt Conſilium Conſulum Aromatariorum, reuertatur in reliquis cognitio, & deciſio ad ipſos ſolos Protomedicum, & Conſiliarios, qui in aliis ſequentibus actibus idem obſeruare teneantur.

Patentium expeditione.

§. 4. Patentes autem approbationis iuxta ſtylum, & ſolitum fiant.

Aromatariorum coërcitione, quando ex ſimplicib. cõpoſita medicamenta cõficiunt, non ſeruata forma hic tradita. Ad hoc etiã vide d. conſt. Pauli.

§. 5. Nullus Aromatarius ex Simplicibus compoſita medicamenta conficiat, eadem vigintiquinque ducatorum pœna propoſita niſi prius Simplicia huiuſmodi inſpecta, & probata ſint à Protomedico, & Conſiliariis, aut certe ab aliis idoneis perſonis Protomedici iuſſu, præſente etiam vno aliquo ex Collegij Medicis, qui ſemper intereſſe debeat, donec omnis inſpectio abſoluatur, qui contrafecerit in eum Prothomedicus, & Conſiliarij inquirant, & animaduertant de conſilio Conſulum Aromatariorum ſeruata forma, & modo expreſſo in proximo præcedenti Capitulo, & non alias aliter, nec alio modo. Quod ſi Protomedicus, & Conſiliarij Simplicia inſpicere, aut alios ad hanc inſpectionem, vt ſupra deligere rogati prætermittent, mulctentur arbitrio Collegij Medicorum, quod ſi iterum lapſo triduo rogati negligant, liceat Aromatariis ſolis ſua compoſita facere.

Viſitatione Aromatariorum. Hoc tempore viſitationis iuramentum Aromatariis præſtari iuſſit Paul. V. in d. eius conſt.

§. 6. Protomedicus, ſemel, iterum, ac ſæpius in eodem anno, & deinde quoties id expedire iudicauerit, per ſe aut per alios à ſe eligendos, vt ſupra dictum eſt, vna cum Conſulibus Aromatariorum, omnia ſimplicia, & compoſita medicamenta inſpiciet, eaque oſtendere Aromatarij ſine recuſatione debeant, vt quæ proba, & idonea videbuntur probari poſſint, quæ vero tamquam mala, & vitioſa reiiciantur, ea in Capitulo, legitimo die, quo ius dicetur publice comburantur, iique apud quos inuenta fuerint, luant pœnas contentas in Motu proprio fe. re. Pauli Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, cui nolumus in hac parte

Digitized by Google

parte derogare. Qui non obtemperauerit, à Protomedico, & Consiliariis, de consilio Consulum Aromatariorum, seruata semper forma, de qua in primo Capitulo, & non alias, vt supra, eadem pœna coerceatur, vt multis incommodis, & periculis, quæ facile oriri possunt occurratur.

Venditione medicamentorum.

§. 7. Nulli Aromatario liceat rem medicinalem in medicamentum redactam electiue euacuantem, neque Scamoneatam, aut valde opiatam vendere, donare, aut nullo modo cuiquam viro, vel mulieri capiendam dare, nisi id ei verbo, aut scripto imperarit Medicus Physicus, qui ex alicuius probati Collegij auctoritate doctor, aut Licentiatus, aut denique is sit, cui in Vrbe medicinam exercere sit permissum. Qui deliquerit, à Protomedico, & Consiliariis eius eadem pœna puniatur.

Rerumq; venenatarum.

§. 8. Nemini venena, aut res venenatas dent, nisi eis constet ad quem vsum expetantur. Qui contrafecerit eadem vigintiquinque ducatorum pœna Protomedici, & Consiliariorum sententia mulctetur.

Libro receptarum.

§. 9. Librum habeat, in quo diligenter medicinas omnes à Medicis imperatas, quas vulgo receptas vocant, nec vsque alibi describant, qui secus fecerit à Protomed.co, & Consiliariis quinque ducatorum pœna plectatur.

Rebus retinendis.

§. 10. Res omnes, quæ vsu quotidiano, & more ad medicinam pertinent, Aromatarij in suis apothecis habeant, atque asseruent, quænam vero res illæ sint Protomedicus, & Collegium Medicorum, & Consules Aromatariorum declarabunt, easque in Indice notatas, & descriptas singulis Aromatariis dabunt. Teneantur autem Aromatarij infra mensem à die declarationis huiusmodi, siue intra aliud certum tempus, Protomedici, & Consiliariorum suorum arbitrio præfiniendum, res illas sibi, siue parce siue copiose pro cuiusque facultate emere, qui neglexerint, decem ducatorum pœnam subeant, deque eo Protomedicus, & Consiliarij, de consilio Consulum Aromatariorum, & seruata forma, de qua in primo Capitulo, & non alias, vt supra cognoscant, & puniant, citent, inquirant, procedant, seu cognosci, puniri, citari, inquiri, & procedi, ac alia faciant, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna.

Vendendisque

§. 11. Ne cui det Aromatarius rem medicinalem à Medico præscriptam, nisi ad pondus, quod quidem in pagella, quam receptam dicunt, diserte expressum sit, rem ipsam appendent, delinquenti protomedicus, & Consiliarij quinque ducatorum pœnam irrogent.

Pretio rerum Aromatariæ præscribendo.

§. 12. Singulis annis Protomedicus, Consiliarij, & Consules Aromatariorum, coram dictæ Cameræ præsidentibus, rebus artis Aromatariæ certum pretium constituant, ne quis de iniusto pretio, iure queri possit, quod si quo minus id fiat per Consules steterit, quiuis ex ipsis, & quoties in eo peccarit, ducatos vigintiquinque pendat pœnæ nomine. Cognitio autem constitutionis pretij ad Protomedicum, & Consiliarios, de consilio Consulum Aromatariorum, seruata semper forma, de qua in primo Capitulo, & non alias, aliter, nec alio modo pertineant, animaduersio autem in Consules ad solum Protomedicum, & eius Consiliarios, à quibus si Consules se grauari putauerint; adeant dictum Auditorem Cameræ, qui quod iuris erit præcipiat, exequatur.

Societate inter Medicos & Aromatarios interdicta.

§. 13. Neque Medico, siue Physico, sine Chirurgo cum Aromatario, neque Aromatario cum Medico, societatem vllo modo inire liceat, qui aliter fecerit vigintiquinque ducatorum pœna à Collegio Medicorum si Medicus fuerit, si vero Aromatarius à Consulibus Aromatariorum afficiatur.

Taxatione pretij.

§. 14. Si in rebus medicinalibus à taxatione Consulum, eorumque calculis appellatum sit, & Protomedicus, & Reuisores, ex forma Constitutionum artis Aromatariorum adeantur, qui si discordes intra se fuerint, de eo dictus Auditor cognoscat, & decidat.

Medicinis per Aromatarios subministrandis.

§. 15. Nulli Physico, nulli Chirugo, aut cuiuis alteri medicinam, aut rem ad medicamentum pertinentem cuipiam, præterquam ex iusta aliqua causa à Protomedico, & eius Consiliariis in scriptis probanda, vendere liceat, nisi prius ea res in Aromataria sit consignata, & per ipsum Aromatarium subministrata, qui secus fecerit à Collegio Medicorum, si Medicus fuerit, si vero Aromatarius, vel extraneus ab Aromatariorum Consulibus viginti-quinque ducatorum pœna plectatur.

Protomedici visitatione aromatariarum.

§. 16. Protomedicus, per se aut per alium à se electum vno præterea aliquo ex Medicorum Collegio adhibito, vt supra explicatum est, quoties ei libuerit etiam extra ordinationem, apothecas Aromatariorum visitare, inspicere, & perquirere libere quidem possit, nihil vero absque Consiliariis, & Consulibus Aromatariorum damnare, aut improbare possit, liceat ei tantum arbitratu suo quæ voluerit obsignare; & ne quisquam iis vtatur interdicere, quoad ipsius Protomedici & Consiliariorum iudicio de consilio, vt supra Consulum de tota re definiatur, seruata forma, de qua in primo Capitulo, & non alias aliter, nec alio modo.

Librorū Aromatariorum fides.

§. 17. Quod autem ad fraudum occasiones tollendas facit, Aromatariorum libri vltra tres annos fides in iudiciis ne habeatur, nisi aut instrumentum publicum, aut syngrapha exhibeatur, quæ fidem faciat, quæque cum nominibus, & rationibus in eisdem libris descriptis consentiat, aut certe constet de diligentia ab Aromatariis infra dictum tempus adhibita, aduersus debitores ob causas in libris notatas, planumque sit per debitores ipsos stetisse, quo minus soluerent, aut aliter Aromatariis cauerent, vt postremo nomina, & partitæ, vt appellant, in libris descriptæ à debitoribus recognitæ, earumdem subscriptione comprobentur, non obstante dispositione dicti Pauli, & aliorum forsan prædecessorum contrarium determinante.

Consulum aromatariorum iurisdictione.

§. 18. Quiuis etiam Ecclesiasticus quantumad medicamenta, & cetera ad artem Aromatariam spectantia Consulibus Aromatariorum subiectus sit, atque apud illos, & non alibi querelæ de huiusmodi rebus habeantur, & decidantur, seruatis seruandis. Hi vero ex præscripto Statutorum, tam dictæ Vrbis quam artis suæ cognoscant, & procedant.

Moratoriarū prohibitione.

§. 19. Nemo cuiusuis conditionis sit ob res medicinales, & Aromatarias solutionis dilationem, quam moratoriam, aut cinquinam vocant impetrare possit.

Visitatione aromatariarum extra Vrbem.

§. 20. Quotiescumque ad visitandas tabernas Aromatarias, quæ extra Vrbem sunt, Medicus ex Vrbe mittendus erit, ne is forsan artis Aromatariæ imperitum sibi comitem adiungat, Protomedicus, qui visitatoris designandi ius obtinet, Vrbanis Aromatariis id denūtiet, atque ab eis exquirat habeant ne aliquem peritum, & idoneum hominem, qui Medico illi in huiusmodi visitationis munere comes, & Minister esse velit, quo inuento Protomedicus vtrisque eam visitandi Prouinciam delegabit, curabitque Aromatario viaticum competens præstari, quod si Aromatarij negligentes ea in re fuerint, solus Protomedicus hunc etiam eligat. Si autem Protomedicus non adnunciauerit, in vigintiquinque ducatorum à Sindicis, tempore sindicatus mulctetur.

Ad hoc vide etiam Paul. V. const. 16. in mot.

Medico ad visitandum aromatarium destinato.

§. 21. Medicus vero ad visitandum destinatus, singulas apothecas, & officinas Aromatarias, non ficte aut fallaciter, sed vere visitet, atque inspiciat, & debitis pœnis puniat, idque se fecisse testimonio publico allato doceat, si contrafecerit, Protomedici, & Consiliariorum communi decreto, vigintiquinque ducatorum pœnam subeat, quæ pœna pro numero apothecarum, quas non inspexerit toties ab eo exigatur.

Pœnarū exactione ac ratione.

§. 22. Vt autem pecuniæ, quæ ab iis qui his decretis non obtemprauerint pœnæ nomine exigentur ratio constet, singulis annis à Protomedico & Consulibus vnus Depositarius ex Aromatariis coniunctim eligatur, penes quem pecunia omnis ex huiusmodi mulctatione collecta deponatur, eique ex pœnis exigendis certum stipendiū protomedici & Consulum arbitrio statuatur, ita tamē vt antea de reliqua summa restituenda idoneam cautionem præbeat. Is autem in fine cuiuslibet anni, de pœnis exactis protomedico, & Consuli Aromatariorum rationem reddat. Duo autem libri rationum fiant, quorum alter apud Protomedicum, alter vero apud Consules sit.

Extractus petitione.

§. 23. In partiendis vero pœnis, & mulctis, quæ ex delictis, & contrauentionibus Vrbanorum Aromatariorum, siue alias, & ex quacumque causa, etiam extra visitationem, à quibuscomque exigerentur, piæ me. Pij Papæ V. etiam prædecessoris nostri Motus proprius seruetur, qui

Digitized by Google

qui datus est die duodecima Augusti, Pontificatus sui anno quinto. Ita videlicet, vt quarta pars Medicorum Collegio attribuatur, reliquæ Hospitali S. Laurentij in Miranda, non obstan. altero posteriore eiusdem Pij V. Motu proprio, quo pecuniæ omnes pœnæ nomine colligendæ, domui dicti Hospitalis attribui videbantur.

Earumdique applicatione.

§. 24. Si ex cuiusuis accusatione, aut denunciatione aliquem ex Aromatariorum, vel medicorum numero aduersus hæc decreta deliquisse constiterit, tunc ex integra summa, qua reus mulctabitur, quarta pars à Protomedico & Consiliariis, eidem accusatori, aut denunciatori, statim adiudicetur, quod reliquum erit à Depositario conseruetur, vt in fine anni inter Collegium Medicorum, & Hospitale Aromatariorum, ratione paulo ante dicta diuidatur.

Cognitionem quoq; ac declarationem transgressionum.

§. 25. Cognitio, & declaratio an aliquis aduersus supradicta decreta deliquerit, & in pœnam inciderit, necne, eiusque pœnæ exigendæ iussio ad eos solos, & in ea forma pertineat, quibus in ipsis singulis Capitulis Decretorum expressis verbis definitum est, quoties autem his Decretis Protomedico, & eius Consiliariis, de consilio Consulum Aromatariorum, vt supra aliquod mandatum est, ita semper intelligatur, vt tam in inquirendo quàm in procedendo, citando, cognoscendo, declarando, decidendo, & puniendo, & in quoscumque alios actus similes faciendo, ipsorum Consulum Aromatariorum consilium petere teneantur, quod si Protomedicus, & Consiliarij minus probauerint, neque cum iis consenserint, tunc eatur recta ad Auditorem prædictum, qui manu regia, omni, & quacumque appellatione remota cognoscat, & decidat; & deinceps seruetur forma supra in primo Capitulo expressa.

A. C. iurisdictione.

§. 26. Idem Auditor his omnibus decretis exequendis præsit, ac quibus in rebus solis Protomedico, & Consiliariis cognoscendi, & decidendi, puniendi que facultas absque alio consilio Consulum Aromatariorum data est, liceat Aromatariis, si quando se iniuste lædi conquerantur, coram eodem Auditore, de eorum iniuriis agere, qui pariter manu regia, omni & quacumque appellatione remota eos audiat, & prout iuris erit præcipiat, & exequatur, & quos calumniose conquestos esse repererit, arbitrio suo mulctet, mulctasque hac ex causa exactas, physicorum Collegio, & Hospitali prædicto in totum applicet.

Protomedici & Consiliariorum Conuentus.

§. 27. Consules Aromatariorum ex eorum Decretorum facultate cum Protomedico & Consiliariis de re aliqua in consilium venire debent, Protomedici domum adeant, quoties ab eo fuerint vocati, facta prius præcedenti die intimatione, & quod si venire neglexerint, Protomedicus, & Consiliarij absque consulibus omnia agere, & decernere possint.

Supplicatio pro approbatione Papæ.

§. 28. Quare pro parte Medicorum, & Aromatariorum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, vt Capitulis prædictis pro illorum subsistentia firmiori robur Apostolicæ confirmationis adiicere, aliasque in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Approbatio Papæ.

§. 29. Nos igitur eosdem Medicos, & Aromatarios, illorumque singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, ac statum, & merita causarum huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati dicta Statuta, & Decreta, de Medicorum & Aromatariorum prædictorum consensu, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac illa inuiolabiliter in perpetuum, & singulis futuris temporibus, per Protomedicum, & Collegium Medicorum, ac consules, & Collegium Aromatariorum, pro tempore existen. & alios quoscumque inuiolabiliter obseruari, processusque & acta quæcumque in causis huiusmodi facta cassari, & annullari, ac Medicis & Aromatariis perpetuum silentium imponi, & impositum esse volumus, prout cassamus, & silentium imponimus.

Clauſ. ſublata, &c.

§. 30. Et ita tam per dictum Auditorem, & eius in ciuilibus Locumtenentem pro tempore existentem, quâ etiam per alios quoscumque Iudices, etiam Rotæ Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales decerni, & iudicari debere, irritumque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Clauſ. præſumatiua.

§. 31. Et ita perpetuæ sententiæ, & voluntatis incommutabilis nostræ esse dicimus, neque has nostras literas de subreptionis, vel obreptionis, vel intentionis nostræ fraudatæ, vel alio quoquam vitio notari, impugnari, reuocari, moderari, vel annullari posse, & quoties illas annullari, moderari, reuocari, impugnari, vel notari contigerit, toties in pristinum statum repositas, reintegratas, & restitutas esse, & illis nullatenus derogari, nisi Consistorialiter, de trina derogatione separatim intercedente vno anno inter vnam & aliam, etiam Consistorialiter, & accedente consensu amborum Collegiorum, & cum insertione præsentium, volumus, & mandamus.

Clauſ. derog.

§. 32. Non obstantibus rescriptis fe. re. Iulij III. & Pauli IV. ac Pij V. & aliorum Prædecessorum nostrorum, ac Capitulis factis per quondam Cæsarem Brancatium, & Cardinalem de Saluiatis, dictæque Cameræ decretis, vel confirmationibus, seu declarationibus, Statutis dicti Collegij Medicorum, etiam iuramento, & auctoritate Apostolica cofirmatis, quorum tenores, & formas, acsi de verbo ad verbum præsentibus insererentur, haberi volumus pro expressis, consuetudinibus, & vsibus quibuscumque, quibus omnibus, & singulis, ad effectum præsentium dumtaxat derogamus, & derogatum esse intendimus, ac præcipimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima Iulij, millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Pont. nostri anno 4.

D. P. An. 4. Iulij.

XXX. Reintegratio licentiarum, & facultatum, Fratrum, & militum Hospitalium, & Militiarum, tam S. Iacobi de Spatha, quam de Calatraua, & etiam de Alcantara testandi, & disponendi de eorum bonis.

Vide de huiusmodi Militiis, quæ tibi indicaui sup. ad constit. 1. Adriani VI. Dum intra.

GREGORIVS PAPA XIII. *Ad perpetuam rei memoriam.*

Editio An. D. 1575.

Exordium.

ROmani Pontificis prouidentiæ & benignitatis proprium est, vbi æquitas suadet ac Catholicorum vota expoſcunt, quæ generaliter à prædecessoribus suis statuta sunt, moderari, illaque interdum tollere, quæ facultatem testandi & disponendi de bonis quæ sub regulari habitu militiarum degentes personæ possident, adimunt.

Pius V. facultatem testandi, Militum S. Iacobi de Spatha, seu Calatraua & de Alcantara renouauit, vt sup. in eius const. 74 sacrosanctum.

§. 1. Licet enim fel. recordationis Pius Quintus prædecessor noster, per suam perpetuo valituram constitutionem, inter alias omnes & quascumque licentias, & facultates testandi, & alias quomodolibet disponendi, & ad certam quantumuis modicam summam, & quantitatem, de rebus, fructibus, & bonis immobilibus, mobilibus, & se mouentibus, inter alios, ad Magistros, Priores, Præceptores, milites, fratres, & personas militiarum, & Hospitalium videlicet Sancti Iacobi de Spatha, de Calatraua, & Alcantara militiarum Hispaniarum, ratione præceptoriarum, hospitalium & beneficiorum Ecclesiasticorum etiam sæcularium, & aliorum Ordinum Regularium, ac pensionum, ac fructuum quorumcumque prouenientium, necnon facta vsque tunc non tamen effectum sortita licentiarum, & facultatum prædictarum testamenta, & alias dispositiones huiusmodi, etiamsi per easdem licentias & facultates disponeretur, quod dimidia, vel alia pars rerum, & bonorum prædictorum militiis, Hospitalibus, domibus & locis, vnde illa prouenirent, vel aliis piis locis relinquerentur, reuocauerit, & aboleuerit, decernens testamenta, donationes, & alias dispositiones, quas prætextu priuilegiorum, facultatum dispensationum, & indultorum prædictorum sic reuocatorum, ac contra dictarum literarum tenorem, per quemcumque etiam Apostolica auctoritate, fieri, vel factas

Digitized by Google

qui contigerit, tamquam subreptitie extortas nullius prorsus roboris vel momenti esse, nec per eas, ius, aut titulum etiam coloratum cuiquam acquiri posse, & alias prout in eiusdem prædecessoris nostri literis latius explicatur.

Philippus Hispaniarū Rex huic Pōt. exponit hanc reuocationem dictis Militibus damnosam esse, & supplicatur pro opportuna prouisione.

§. 2. Nihilominus carissimus in Christo filius noster Philippus Hispianarū Rex Catholicus, Sancti Iacobi de Spatha, de Calatraua, & de Alcantara militiarum perpetuus administrator Apost. auctoritate deputatus, animaduertens, plerosque ex militibus militiarum prædictarum pro fide Catholica tuenda, & conseruanda, arma induere, & ei rei plerumque perpetuam operam (vt veros Christi athletas decet) nauare, alios vero grauibus negociis pertractandis esse distentos, & ex earumdem militiarum stabilimentis, aut etiam Apostolicis indultis, libere vxores ducere posse, & in habitu militari, quamdam Religiosorum imaginem referre, nihilque hominibus præsertim militibus prædictis gratius euenire posse intelligens, quam vt libera eis sit de bonis quæ viuentes possident, tam in vltima voluntate (quando amplius velle non possunt,) quam alias disponendi tributa potestas, Propterea nobis humiliter supplicari fecit, vt ex consueta Sedis Apostolicæ benignitate opportune circa præmissa prouidere dignaremur.

Qui Pontifex dat facultatē.

§. 7. Nos igitur commodis Militum Militiarum prædictarum quibus idem Philippus Rex præest consulere, ac Philippi Regis voluntati hac in parte satisfacere volentes, constitutioniſque prædictæ seriem, ac si de verbo ad verbum inſereretur, præsentibus pro expressa habentes, illam, necnon omnes illius effectus quoad hoc, vt Sancti Iacobi de Spatha, & de Calatraua, & de Alcantara prioribus, præceptoribus, & aliis ipsarum Militiarum obtinentibus beneficia, & quouis nomine nuncupatis Militibus, quæcumque licentiæ & facultates testandi, & & alias quomodolibet disponendi de rebus, fructibus, & bonis mobilibus, immobilibus & se mouentibus vt præfertur suffragentur, eædemque licentiæ & facultates in posterum valeant, ac perpetuam roboris firmitatem obtineant, suosque effectus plene sortiantur penitus, & omnino Apostolica auctoritate tenore præsentium tollimus, & abolemus.

Testamenta quæ eorumdē quorum causa integrum est plenarium effectū sortiri decernit.

§. 4. Necnon testamenta, & alias dispositiones in vim licentiarum facultatum, & consuetudinum prædictarum iam condita, disposita, & ordinata, quæ prædicta edita Constitutione, iuxta testatoris, vel disponentis voluntatem, effectum minime sortiri potuerunt, & quorum causa adhuc integra est, & medio hoc tempore nihil noui acciderit, aduersus eiusdem Constitutionis dispositionem, omniaque & singula quæ in ea continentur, in eum in quem antequam à dicto Pio prædecessore constitutio prædicta edita fuisset, quomodolibet erant, statum restituimus, & reponimus, & plenarie reintegramus, suosque plenarios & integros effectus, impedimentis omnibus sublatis, quæ ex dicta Constitutione prouenerunt, sortiri debere volumus, statuimus, & ordinamus, omnesque, & singulos earumdem trium Militiarum militibus præsentibus, & futuris testandi, & alias disponendi de bonis prædictis concessas facultates & consuetudines, potiori pro cautela approbamus, & firmamus, illisque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus.

Clausula sublata.

§. 5. Sicque in præmissis omnibus & singulis quoscumque Iudices Ordinarios earumdem Militiarum, & delegatos, & quoscumque alios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales (sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate) vbique iudicari, & definiri debere, irritumque & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio cōtrariorum.

§. 6. Non obstantibus præmissis, aliisque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, tam per dictum, quam per quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, sub quibuscumque tenoribus ac formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu proprio, & certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, Quibus omnibus, etiam si de eis eorumque totis tenoribus specialis specifica, & indiuidua mentio, aut quæuis alia expressio habenda esset, illorum tenores præsentibus pro expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 7. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiā impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus haberetur exhibitis, vel ostensis.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 6. Octobris, 1575. Pont. nostri anno 4.

D. P. An. 4. 6. Octobris.

XXXI.

Quod Prælati Ordinis Fratrum Sanctissimæ Trinitatis redemptionis Captiuorum benedicere possint vasa, vestimenta & ornamenta Ecclesiastica.

Hanc facultatem specialiter concessit Paul. V. istis Fratribus se transferentibus ad partes Infidelium pro illorum conuersione inf. in eius const. 40. Ex omnibus: *Alia autem de Ordine notaui sup. ad const. 1. Innoc. III.* Operante.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1575.

Exordium.

EXposcit pastoralis officij cura nobis exalto commissa, vt singulorum Christifidelium, præsertim sub suaui Religionis iugo Altissimo famulantium votis rationi non contradicentibus, fauorabiliter annuamus.

Causa huius constit.

§. 1. Sane pro parte dilecti filij Fratris Francisci Bochet in Theologia Magistri Parisiensis, Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, Vicarij Generalis in Romana Curia residentis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet dilecti Prouinciales, Vicarij, & Ministri prædicti Ordinis in Hispaniarum Regnis consistentes, qui Triennales dumtaxat existunt, casulas, tunicas, albas, & mappas, & alia vestimenta, & ornamenta, ac etiam vasa Ecclesiastica ad diuinum officium peragendum necessaria, ac solita, & consueta, benedicendi à Sede Apostolicam licentiā habeant, nihilominus Prouinciales, Vicarij, & Ministri Ordinis prædicti in Galliis, Flandria ac Prouincia Prouinciæ, aliisque Galliarum Regnis, & dominiis consistentes, qui ad vitam eligi, & deputari consueuerunt, eadem licentia hactenus minime vsi sunt, nec in futurum absque speciali indulto nostro vti possunt, cuperet idem Franciscus sibi à Prouincialibus, & aliis Vicariis, & Ministris eiusdem Ordinis in Galliis, Flandria, & Prouincia Prouinciæ huiusmodi, aliisque Galliarum Regnis, & dominis, nunc & pro tempore existentibus licentiam prædictam per nos concedi: Quare nobis humiliter supplicari fecit, vt in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Concessio facultatis de qua in rubrica.

§. 2. Nos igitur honestis eiusdem Francisci postulatis grato concurrentes affectu, ipsumque à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, ac licentiæ huiusmodi, & literarum desuper expeditarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati eidem Francisco, ac aliis Vicariis generalibus, Prouincialibus, & Ministris dicti Ordinis in Galliis, Flandria, & Prouincia Prouinciæ huiusmodi, aliisque Galliarum Regnis, & dominiis, nunc & pro tempore existentibus, casulas, tunicas, albas, zonas, mappas corporalia, & alia quæcumque ornamenta, ac vasa Ecclesiastica (illis tamen exceptis, quibus Sanctum Chrisma applicandum est) benedicendi iuxta tenorem licentiæ Vicariis, Ministris, & aliis prædictis Regnorum Hispaniarum concessum tantum, licentiam Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo concedimus, & indulgemus, illamque ad eosdem Galliæ

Digitized by Google

Flandriæ Prouinciæque huiusmodi, ac aliorum Galliarum Dominiorum, & Regnorum Vicarios, Prouinciales & alios prædictos, nunc, & pro tempore existentes, etiam perpetuo extendimus, & ampliamus: Ipsosque, vt de cetero, illa vti, frui, & gaudere libere, & licite valeant, in omnibus, & per omnia, perinde ac si illis principaliter eadem licentia Apostolica auctoritate concessa fuisset, decernimus.

Derogatio cõtrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ in literis eiusdem licentiæ expressa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 4. 7. Octob.

Dat. Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 7. Octobris, 1575. Pont. nostri anno 4.

XXXII. Quod omnes gratiæ, priuilegia Militiis S. Iacobi de Spatha, & de Calatraua, ac de Alcantara in Regnis Castellæ & Legionis existentium concessa, & concedenda, sint communia Militiis S. Iacobi de Spatha, & de Auis, Regni Portugalliæ, & Algarbiorum.

De his Militiis, dixi sup. ad const. 1. Adrian. VI. Dum intra, *ad eate remitto.*

Edita An. D. 1575.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

EX Apostolicæ Sedis, in qua meritis licet insufficientibus diuina disponente clementia constituti sumus, benignitate procedit, vt super eis, quæ personis sub regulari habitu contra Christi nominis æmulos pro orthodoxæ fidei ampliatione, & conseruatione continue militantibus, per eiusdem Sedis clementiam circumspectam pro tempore concessa reperiuntur, an ad alias eiusdem professionis extendantur personas, ambiguitatis scrupulos pro tempore exercentes, declarationis nostræ ministerio dilucidamus, ac in his officij nostri partes fauorabiliter impartiamur.

Militiæ S. Iacobi de Spatha, & Militiæ de Auis Regni Portugallia à Sede Apost. institutæ gaudent omnibus gratiis, & priuilegiis Militiarum S. Iacobi, & de Alcantara in Regnis Castellæ & Legionis.

§. 1. Sane carissimus in Christo filius noster Sebastianus Portugalliæ, & Algarbiorum Rex Illustris, qui militiarum S. Iacobi de Spatha S. Augustini, & de Auis Cistercien sis Ordinum Regni Portugalliæ magnus magister, seu perpetuus administrator per Sedem Apostolicam deputatus existit, tam suo, quam dilectorum filiorum Magistrorum, Conuentus, Priorum, Commendatorum, Præceptorum, Fratrum militum, & aliorum Religiosorum, ac personarum militiarum prædictarum nominibus, nobis nuper exponi fecit, quod licet ex diuersis Romanorum Pontificum, & præsertim fel. record. Nicolai V. & Iulij Secundi, & Pauli Tertij, prædecessorum nostrorum priuilegiis & concessionibus, prædictæ militiæ in eodem Regno aduersus Mauros, aliosque fidei Catholicæ hostes antiquitus per Sedem prædictam institutæ salubriter, illarumque tũc & pro tempore existentes magistri, seu administratores, Conuentus Priores, Commendatores, præceptores, fratres, & milites, eorumque singuli, necnon personæ & loca domus ac Ecclesiæ militiarum earumdem, perpetuis futuris temporibus omnibus, & singulis priuilegiis, prærogatiuis, concessionibus, indultis, libertatibus conseruatoris, indulgentiis, exemptionibus, honoribus, literis Apostolicis, & aliis gratiis, Magistris seu administratoribus, Conuentibus, Prioribus, commendatariis, præceptoribus, fratribus, & militibus eiusdem S. Iacobi, & de Calatraua ac de Alcantara Militiarũ in Castellæ, & Legionis Regnis institutarum, in genere quouis modo ab ipsis Romanis Pontificibus & Sede prædicta concessis, & in posterum concedendis, ac quibus illi vtebantur, potiebantur, & gaudebant, ac vti, potiri, & gaudere possent quomodolibet in futurum, vti, potiri, & gaudere, ac si eis in genere concessa fuissent, & loco Iudicum in literis Apostolicis Regnorum Castellæ, & Legionis Militiis huiusmodi pro tempore concessis deputatorum alios Iudices in dignitate tamen Ecclesiastica similiter constitutos, in dicto Regno Portugalliæ, qui eamdem potestatem haberent, quam Iudices in eisdem literis deputati habebant, seu habere possent quomodolibet in futurum, deputare libere, & licite possint & valeant.

Quidam tamen Ordinarij dubitarunt an litere Pij V. emanate ad fauorem distarũ Militarum in Regnis Castella & Legionis suffragentur Militiis ante dictis Regni Portugallie.

§. 2. Nihilominus ac nimium forsan scrupulosis locorum Ordinariis eiusdem Regni Portugalliæ, certis prætensionibus dubitari contingit, an literæ per piæ memoriæ Pium Papam V. prædecessorem nostrum sub Dat. videlicet quinto Idus Ianuarij Pontificatus sui anno primo procurare Christianissimo filio Philippo Rege Catholico, qui militiarum in Castellæ, & Legionis Regnis institutarum qui huiusmodi perpetuus administrator per eamdem Sedem deputatus existit concessæ, priuilegiorum, indultorum conseruatoriarum & aliarum gratiarum, ipsis Militiis Regnorũ Castellæ, & Legionis concessorũ præseruatione, innouatione, militiis Regni Portugalliæ, & Sebastiano Regi ac pro tẽpore existentib. magnis Magistris, Conuentibus, Prioribus, Commendatoribus, præceptoribus, fratribus, militibus, personis, Ecclesiis, domibus, locis, bonis, possessionibus, iuribus, & iurisdictionibus militiarum Regni Portugalliæ huiusmodi suffragari, & illis gaudere possint vel debeant, & exinde effectus literarum Pij prædecessoris huiusmodi, quoad Regni Portugalliæ Militias, illarumque singulas personas prædictas frequenter impeditur, & retardarur, militiæque Regni Portugalliæ & illarum personæ huiusmodi sæpenumero grauamina, iniurias, & incommoda sustinent, in earum detrimentum, ac priuilegiorum, indultorum & facultatum sibi concessarum læsione.

Et quia nulla est fere differentia inter prædictas Militias.

§. 3. Cum autem sicuti eadem petitio subiungebat, Magistri, Conuentus, Priores commendatarij, præceptores, fratres, milites & aliæ personæ eiusdem S. Iacobi de Spatha, siue in Legionis, Castellæ & Aragonum, siue in Portugalliæ & Algarbiorum Regnis constituti, siue eiusdem professionis existant, & sub eisdem regularibus institutis militent, neque alia inter eos differentia, quam quod in diuersis Regnis consistunt fore dignoscantur, ac in fauorem ipsius militiæ de Spatha, & de Auis in genenere concessa appareant, & neutiquam conueniens videatur, vt militiæ prædictæ etiam si in diuersis Regnis institutæ diuerso iure fulciri, aut inniti debeant; præsertim, quod illæ semper in omnibus & per omnia per alios Romanos Pontifices prædictos æquiparatæ fuerunt.

Rex Portugallie petiit d. dubiũ sibi moueri.

§. 4. Ac propterea, idem Sebastianus Rex nominibus prædictis nobis humiliter supplicari fecerit, quatenus ambiguitatis prædictæ scrupulis antequam altius irrepant, ac iugiorum & litigiorum materiam parturiant, declarationis nostræ ministerio summouere, & alias in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic ideo Pontifex omnia priuilegia dictarum Militiarum in Regnis Castellæ & Legionis existen. concessa & concedẽda, Militiis antedicti Regni Portugallia & Algarbiorum, communicat.

§. 5. Nos igitur qui præter commune debitum quo ex Apostolatus officio cereris fidelibus debitores existimus, Militias Regni Portugalliæ, illarumque personas huiusmodi, eo specialius paterna dilectione complectimur, quo pro tuitione prædictæ fidei eiusque propagatione atque præsidio, contra immanissimos Christi nominis hostes, Mauros scilicet, & alias barbaras nationes, cum proprij effusione cruoris, & vitæ periculo, continue decertari, facti euidentia cognoscimus, eumdem Sebastianũ Regem à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis & censuris à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eorumdem Nicolai, Iulij & Pauli prædecessorum prædictorum vestigiis inhærentes, omnemque dubitationẽ in præmissis remouere volentes, necnon omniũ & singulorum priuilegiorum, concessionum, indultorum, conseruatoriarum & aliarum gratiarum per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & Sedem prædictam eisdem militiis, tam in Legionis, & Castellæ, quam Portugalliæ Regnis prædictis institutis, illorumque magnis Magistris, seu administratoribus, Conuentibus, Prioribus, Commendatoribus, Præceptoribus, fratrib. Militibus & personis prædictis ac desuper confectarum, & dictarum Pij prædecessoris literarum tenores præsentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia & singula priuilegia, prærogatiuas, immunitates, exemptiones, libertates, facultates, indulgentias, conseruatorias, indulta & alias gratias, militiis Castellæ & Legionis & Regnorum huiusmodi, ac prædicto

Philippo

Digitized by Google

Philippo Regi, & pro tempore existentibus administratoribus, Conuentibus, Prioribus, Commendatoribus, Præceptoribus, fratribus Militibus, & aliis personis Ecclesiis, domibus, locis, bonis, possessionibus iuribus iurisdictionibus Militiarum, Castellæ, & Legioni Regnis institutarum huiusmodi, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & Sedem eamdem, hactenus quomodolibet tam in genere quam in specie concessa, & in posterum concedenda, eisdem modo & forma quibus concessa sunt, & in posterum concedentur, ad Militias Regni Portugalliæ, ac Sebastianum Regem, & pro tempore existentes magnos Magistros, seu administratores, Conuentus, Priores, Commendatores præceptores, fratres, Milites, personas, & Ecclesias, domos, loca, bona, possessiones, iura, iurisdictiones militiarum in Regno Portugalliæ institutarum huiusmodi extendi, & illa eis in omnibus & per omnia ac pariformiter & æque principaliter absque vlla prorsus differentia acsi militiis Regni Portugalliæ, & Sebastiano Regi, ac pro tempore existentibus magnis Magistris, seu administratoribus, conuentibus, Prioribus, Commendatoribus, præceptoribus, fratribus, militibus personis & Ecclesiis domibus, locis, bonis, possessionibus, iuribus, iurisdictionibus, Militiarum Regni Portugalliæ huiusmodi, specifice & expresse concessa fuissent & concederentur, perpetuo suffragari, ac illis vti potiri, nec non loco Iudicum in priuilegiis & aliis literis Apostolicis Regnorum Castellæ & Legionis, Militiis huiusmodi, pro tempore concessis deputatorum, dilectos filios Cappellanum maiorem prædicti Regis, & successorum Regum Portugalliæ, Archidiaconos Dolicierua, Brancheren. & Electoren. Ecclesiarum nunc & pro tempore existen. in dicto Regno Portugalliæ, qui eamdem potestatem habeant, quam Iudices in eiusdem literis & priuilegiis deputati habent, seu habere potuerunt quomodolibet in futurum, deputatos esse, nec desuper prædictos Ordinarios seu alios cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, præeminentiæ & qualitatis existentes, etiam Cardinalatus honore fulgentes, molestari perturbari vel inquietari posse. Ipsasque militias Regni Portugalliæ illarumque singulares personas, in eodem statu, quo militiæ Regnorum Castellæ & Legionis, illarumque personæ huiusmodi, quomodolibet existunt & pro tempore reperiuntur, & perpetuo conseruari debere & ita intentionis prædecessorum prædictorum fuisse, & etiam nostræ esse, & perpetuo fore Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus & declaramus. Et nihilominus pro potiori cautela eadem, omnia & singula, priuilegia & prærogatiuas, exemptiones, facultates indulgentias, conseruatorias, indulta, & alias gratias eisdem modo & forma quibus, militiis Castellæ ac Legionis Regnorum, earumque superioribus & personis huiusmodi, vt præfertur concessa sunt, & in posterum concedentur, ad militias Regni Portugalliæ illarumque Superiores & personas huiusmodi similiter perpetuo extendimus, eisque auctoritate & tenore prædictis, modo tamen & forma in literis Pij prædecessoris huiusmodi contentis, concedimus & indulgemus.

Clausulæ huius bullæ præseruatiuæ.

§. 6. Decernentes præsentes literas, nullo vnquam tempore, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ vel quoquam alio defectu notari vel impugnari posse, nec illas sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, modificationibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi.

Clausula sublata.

§. 7. Sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam S.R.E.Card.ac causarum Palatij Apost. Auditores, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & diffiniri debere, ex nunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§. 8. Quocirca venerabili fratri Episcopo Amerinen. & dilectis filiis Capellano maiori prædicti Sebastiani Regis moderno & pro tempore existenti, ac Archidiacono Eli oren. per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut vnus eorum per se vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte prædicti Regis moderni & pro tempore existentis Magni Magistri seu administratoris Conuentuum, Priorum, Commendatorum, præceptorum, fratrum, militum, personarum, Ecclesiarum, domorum, locorum, bonorum, possessionum, iurium, iurisdictionum militiæ Regni Portugalliæ huiusmodi, seu alicuius eorum desuper requisiti fuerint, solemniter publicantes eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra, literas huiusmodi, & in eis contenta quæcumque firmiter obseruari, ac singulos quos eædem literæ concernunt illis pacifice gaudere non permittant eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Clauſ. derog.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac militiarum prædictarum iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis, necnon quibuscumque declarationibus, inhibitionibus & decretis, priuilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus & aliis decretis, in genere vel in specie & Motu proprio & ex certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine etiam consistorialiter ac alias quomodolibet concessis approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides instrumentorum.

§. 10. Volumus autem quod priuilegiorum, indultorum & aliarum gratiarum præfatarum, ac etiam præsentium literarum transumptis, manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, plena, & integra, ac eadem fides prorsus adhibeatur, in iudicio & extra, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si originaliter forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 4. die 8.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die octaua Mensis Millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Pontificatus nostri anno 4.

Professio Orthodoxæ fidei à Græcis emittenda. XXXIII.

De materia Græcorum indicani in constit. 14. Innocen. IV. Sub Catholicæ.

Forma professionis Fidei.

SAnctissimus Dominus Noster Dominus Gregorius &c.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet.

Artic. 1.

§. 1. Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Et in vnum Dominum IESVM Christum, Filium DEI vnigenitum. Et ex patre natum ante omnia omnia sęcula. DEVM de DEO, lumen de lumine; DEVM verum de DEO vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt. Qui ptopter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu S. ex MARIA Virgine; & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum; sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur: qui loquutus est per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam & Apostolicam

Digitized by Google

Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi. sæculi. Amen.

Artic. 2. §. 2. Credo etiam, suscipio, atque profitor ea omnia, quæ sacra œcumenica Synodus Florentina super vnione Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ definiuit & declarauit, videlicet, quòd Spiritus Sanctus à Patre, & Filio æternaliter est; & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex vtroque æternaliter, tamquam ab vno principio, & vnica Spiratione procedit. Cum id quod Sancti Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendat, vt per hoc significetur Filium quoque esse, secundum Græcos quidem, causam, secundum Latinos vero, principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrē. Cumque omnia quæ Patris sunt ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dederit, præter esse Patrem; hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est. Illamque verborum illorum. Filioque explicationem, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

Artic. 3. §. 3. Item in azymo, siue fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici. Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere vnumquemque scilicet iuxta suæ Ecclesiæ, siue Occidentalis, siue Orientalis consuetudinem.

Artic. 4. §. 4. Item si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis Purgatorij post mortem purgari vt & à pœnis huiusmodi releuentur, prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueuerunt secundum Ecclesiæ instituta. Illorumque animas qui post Baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum trinum & vnum sicuti est, meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

Artic. 5. §. 5. Item Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesv Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.

Artic. 6. §. 6. Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quæ ex decretis sacræ œcumenicæ Generalis Synodi Tridentinæ, sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, etiam vltra contenta in supradicto fidei Symbolo, profitenda ac recipienda proposuit atque præscripsit, vt sequitur.

Artic. 7. §. 7. Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & Constitutiones firmissime admitto & amplector.

Artic. 8. §. 8. Item sacram scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione sacrarum scripturarum, admitto; nec eam vnquam nisi iuxta vnanimem consensum patrum accipiam, & interpretabor.

Artic 9. §. 9. Profiteor quoque septem esse vere & proprie sacramenta nouæ legis à Iesv Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre: & ex his Baptismum, Confirmationem & Ordinem, sine Sacrilegio reiterari non posse.

Artic. 10. §. 10. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione, recipio & admitto.

Artic. 11. §. 11. Omnia & singula, quæ de peccato Originali, & de Iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Artic 12. §. 12. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro viuis, & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinē, vna cum anima, & diuinitate D. N. Iesv Christi; fierique conuersionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.

Artic. 13. §. 13. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Artic. 14. §. 14. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuuari. Similiter, & Sanctos vna cum Christo regnantes, venerandos atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Artic. 15. §. 15. Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac veneration impartiendam.

Artic. 16. §. 16. Indulgentiarum etiam potestatem, à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Artic. 17. §. 17. Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco Romanoque Pontifici, Beati Petri Apost. Principis successori, ac Iesv Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac iuro.

Artic. 18. §. 18. Cetera item omnia à sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipue à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia & schismata atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, anathematizo & abiuro.

Iterata sponsio. §. 19. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum, constantissime Deo adiuuante, retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri & prædicari, quantum in me erit, curaturum, Ego idem N. Spondeo.

Iuramentum. §. 20. Voueo, ac iuro: Sic me Deus adiuuet; & hæc Sancta Dei Euangelia.

XXXIV. Quod liceat Fratribus & Monialibus Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, bona etiam stabilia pro necessitate vel vtilitate Monasteriorum alienare.

Alia quæ hunc Ordinem respiciunt indicaui tibi sup. in const. 8. Hon. III. Vt viuendi.

GREGORIVS PAPA XIII. *Ad perpetuam rei memoriam.*

Edita An. D. 1576.

Exordium. EX incumbenti nobis Apostolicæ seruitutis officio, ad ea libenter animum nostrum conuertimus, per quæ religiosam vitam ducentibus personis, quæ assiduos labores pro fide Catholica constanter tuenda & defendenda, sustinent, inter quas familia fratrum Ordinis gloriosissimæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmelo, iure enumerari potest, commodis, & vtilitati opportune consulatur.

Ordo Carmelitarū supplicat Papa pro prouisione alienandi sua bona occurrente aliqua necessitate vel vtilitate. §. 1. Exponi si quidem nobis nuper fecerunt fratres dicti Ordinis, quod sæpenumero accidit, vt pro aliqua vrgenti necessitate, vel vtilitate Monasteriorum, domorum, & locorum dicti Ordinis, tam virorum, quam mulierum illorum bona alienare vel permutare expediret, ac quandoque contingit vt conditio semel oblata, si prætermittatur, maximam afferat iacturam, præterquam quod difficile

Digitized by Google

difficile admodum existit, pro singulis faciendis permutationibus, & aliis contractibus, ad Sedem Apostolicam recurrere, ac id non sine Fratrum ipsius Ordinis molestia fieri potest. Quare iidem fratres nobis humiliter supplicare fecerunt, vt in præmissis prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic ideo Pōt. dar. Ordi. facultatē alienandi bona etiā stabilia absq; aliqua. Sedis Apost. vel alterius licentia.

§. 2. Nos, ipsos fratres, & eorum quemlibet à quibuscuis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa, latis, siquibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluētes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati eisdem fratribus, vt ex nunc de cetero, perpetuis futuris temporibus, fratres, & moniales dicti totius Ordinis Carmelitarum, omnium & quorumcumque Monasteriorum, Domorum, & locorum eiusdem Ordinis vbilibet nunc & pro tempore consistentium, libere & licite possint, & valeant quæcumque bona, stabilia & immobilia, seu quasi stabilia, cuiuscumque qualitatis, & quantitatis, & valoris, & in quocumque loco existentia eorumdem Monasteriorum, Domorum, & locorum, vendere, alienare, & permutare pro pretio, pactis, modis, & formis, hinc inde conueniendis, licentiam, & facultatem Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus: Prouiso tamen quod præmissa omnia fiant pro commoditate, vel vtilitate ipsorum Monasteriorum, Domorum & locorum & quod consensus duarum partium, ex tribus partibus fratrum, vel monialium ipsius Monasterij, Domus, vel loci, cuius dicta bona erunt, accedat, & interueniat absque aliàs à nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus, pro tempore existentibus, aut Sede Apost. vel illius de latere Legatis, seu Nunciis, aut etiam locorum Ordinariis petenda vel obtinenda licentia seu confirmatione.

Dummodo alienationes fiant pro vtilitate vel cōmoditate Monasteriorum & accedat cōsensus duarum ex tribus partiū Fratrū vel Monialiū loci, & accedat consensus vel ratificatio Generalis, imo requiritur, quod fiat inuestimentū vt hic infra ad fi.

§. 3. Ita tamen, quod loco consensus Sedis Apost. dilectus filius Prior Generalis dicti Ordinis nunc & pro tempore existens, & diligenter examinata, & re euidenter vtili comprobata habeat, prout sibi ex nunc perpetuo concedimus, potestatem ratificandi huiusmodi permutationes, & alienationes, ac contractus, sicque vbi talis ordo non fuit seruatus, concessio, venditio, alienatio, ac contractus, desuper aliter facti, nulli, & inualidi, nulliusque roboris, ac momenti existant, & donec prædictus Prior Generalis, modo prædicto non ratificauerit, possessio remaneat & remanere intelligatur penes ipsos fratres, seu moniales dicti Monasterij, seu domus, aut loci, seu permutantis, & alienantis, ac ita in præmissis perpetuo declaramus, & decernimus. Et nihilominus ex nūc prout ex tunc, & è contra, postquam permutationes, alienationesque, necnon contractus, seruatis enarratis pro tempore facti, & per dictum Priorem Generalem ratificati fuerint, vt præfertur, seu consensus eiusdem Prioris Generalis interuenerit, easdem permutationes, & alienationes, ac contractus, & deinde sequuta quæcumque, necnon instrumenta, & scripturas desuper pro tempore confecta, approbamus, & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debere statuimus.

Vtilitas aut& & necessitas probata sit assertione dictarum duarum partium Fratrum vel Monialium alienantium.

§. 4. Decernentes, quod ad vtilitatem, seu commoditatem Monasteriorum, Domorum, & locorum prædictorum assertioni duarum partium ex tribus partibus fratrum, vel Monialium illius loci, cuius bona erunt, postquam ratificatio facta fuit illasque, & illa, necnon præsentes, & in eis contenta, validas, & efficaces, ac valida & efficacia perpetuo fore, necnon ab omnibus obseruari deb ere, ipsique, & cum eis contrahentes prædictos super præmissis, & inde sequutis quibuscumque, per quoscumque quauis auctoritate, quomodolibet molestari, vel impedire non posse, necnon irritum & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Ad hoc vide quod hic infra sequitur ad fi.

Executores huius cōcessionis deputat.

§. 5. Quocirca Vener. fratri Episcopo Marceratensi & dilectis filiis causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, & Cancellariæ Apostolicæ Regenti, nunc & pro tempore existentibus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium, seu alios præsentes literas & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorum fratrum Carmelitarum, vel monialium, aut alicuius eorum super his fuerint requisiti, solmniter publicantes, eisque & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant easdem præsentes, & in eis contenta quæcumque ab omnibus, quos illa concernunt integre & inuiolabiliter obseruari. Non permittentes, eos aut eorum aliquem desuper contra earumdem præsentium tenorem, quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet, & rebelles, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas aliaque opportuna Iuris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis, seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Clausulæ, & contrariorum derogatorias apponit.

§. 6. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui de vna & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas, quis vigore præsentiū ad iudiciū non trahatur, & piæ mem. Symmachi, ac Pauli Papæ Secundi, prædecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiæ non alienandis, vel alienatis recuperandis, ac aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis: Nec non quibusuis etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate alia roboratis, Monasteriorum, Domorum, & Ordinis prædictorum statutis & consuetudinibus, Priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusuis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & irritantibus, ac aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, ac totis eorum tenoribus specialis, specifica, indiuidua, & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum præsentibus inserrentur pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, ceteriisque contrariis quibuscumque, seu si aliquibus communiter, vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Alienationes nō antea fieri permittit, quā si reperiū inuestimentum Ordi. vtilium.

§. 7. Volumus autem, quòd si ad alienationem bonorum stabilium, ex causa maioris vtilitatis, aut alia ratione suadente deueniendum erit, alienationes bonorum ad Monasteria, & domos eiusdem Ordinis spectantium, non antea fiant, quam cum reperta fuerint bona, eisdem Monasteriis, & Domibus vtiliora, in quibus pretium rerum huiusmodi alienatarum vnico contextu realiter & cum effectu inuestiatur, vel conuertatur, alias alienatio ipsa sit ipso iure nulla.

Transumptis credi iubet.

§. 8. Volumus autem, quod præsentium transumptis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ muniris, etiam impressis, eadem prorsus fides in Iudicio & extra adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris die tertia Februarij, millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, Pontificatus nostri anno quarto. *D.P An. 4. 3. Febr.*

Iurisdictio & facultates Præfecti Annonæ Vrbis, & totius Status Ecclesiastici. XXXV.

Pro regimine Annonæ Congregationem nonnullorum S.R.E. Cardinalium instituit Sixtus V. in const. 74. Immensa *in 4. Congreg. Et subsidium ducentorum millium scutorum parauit pro eius subuentione, in alia const. 78.* Abundantes. *Et iste Præfectus cognoscit etiam causas Pōstorum Vrbis, vt in eiusdem Six. const. 36.* Cœlestis §. 6. *Et procedit etiam contra mercantes frumenta, &c. vt in const. 49. Clem. VIII.* Frumenti.

Digitized by Google

Edita An. D. 1576.

GREGORIVS PAPA XIII.
Motu proprio, &c.

Exordium.

INter ceteras Paſtoralis officij noſtri curas, quibus aſſidue premimur, libenti illam fouemus animo, per quam in ſtatu noſtro Eccleſiaſtico Annona, & abunde inueniri, & communi haberi pretio poſſit, noſtrique ex hoc ſubditi, quoad fieri poſſit ſubleuentur.

Deputatio Andreæ Spinolæ Præfecti Annonæ, cum facultatibus & priuilegiis conſuetis, & maximis infraſcriptis.

§.1. Quare cupientes inſignem probitate, & experientia virum, qui prout res expoſtulat ipſa, nos adire quotidie cuncta ad Annonam huiuſmodi pertinentia collaturus commode poſſit, de dilectorum tamen filiorum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Clericorum Præſiden. numero iuxta antiquam hactenus obſeruatam conſuetudinem præficere, ac de fide, probitate, integritate, prudentia, & multiplici rerum gerendarum experientia Dilecti filij Andreæ Spinolæ in vtraque ſignatura noſtra Referendarij, dictæque Cameræ Clerici Præſiden. nobis affatim perſpectis, plurimum in Domino confiſi, ſperanteſque ea quę eius curæ demandauerimus, omni cum laude geſturum, & executurum fore, Motu ſimili, &c. eumdem Andream frumentariæ Annonæ Almæ Vrbis, & reliqui ſtatus noſtri Eccleſiaſtici generalem Præfectum, ad noſtrum & dictæ Sedis beneplacitum, cum honoribus, oneribus, facultatibus, & auctoritatibus, iuriſdictione, priuilegiis, exemptionibus, & prærogatiuis ſolitis & conſuetis, ac dilecto filio noſtro Cæſari Brumano tunc eiuſdem Cameræ Clerico præſiden. & dictæ Annonæ nuper Præfecto, & quibuſuis aliis ad huiuſmodi Præfecturæ officium Annonæ hactenus deputatis quomodolibet in hunc vſque diem conceſſis, Apoſtolica, auctoritate harum ſerie approbantes & ratificantes, omnia & quæcumque per eum hactenus geſta, facta, & ordinata hucuſque de nouo conſtituimus, facimus, & deputamus.

Facultas cogendi quaſcũque ad notifican. eorum frumenta & legumina.

§.2. Dantes illi in præmiſſis omnibus & ſingulis plenam facultatem & auctoritatem, tam in præfata Alma Vrbe, quam quibuſuis aliis nobis, & S.R.E. mediate vel immediate ſubiectis Prouinciis, Ciuitatibus, oppidis, & locis, frumenta ac legumina cuiuſuis generis, ſeu ſpeciei adnotandi & deſcribendi, ſeu adnotari & deſcribi faciendi, ac vniuerſas & ſingulas vtriuſque ſexus perſonas cuiuſuis ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis & præeminentiæ exiſtentes, eidem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubiectas, tam Eccleſiaſticas quam ſæculares, etiam ſi perſonæ ſæculares huiuſmodi Ducali, Marchionali, & Comitis, vel alia maiori; Eccleſiaſticæ vero, Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, Primatiali, vel alia maiori dignitate, ſeu dignitatibus præfulgeant, ac etiam ſi Cardinalatus fungantur honore, vel etiam maiores exiſtant, ad veram frumentorum & leguminum, quæ ipſos tempore deſuper publicandorum edictorum ſeu bannimentorum habere continget quantitatem, etiam in ſcriptis medio iuramento denunciandi, quarum denunciationum notulam etiam ad dilectum filium Aloyſium Card. Cornelium, nechon pro tempore Camerarium noſtrum deferri volumus, ſub cenſuris Eccleſiaſticis, ac pecuniariis, necnon manifeſtæ rebellionis, læſæque Maieſtatis, ac dominiorum & aliorum bonorum ſuorum confiſcationis, aliiſque eius arbitrio imponendis & applicandis, ceteriſque pœnis etiam quibuſuis eidem Andreæ videbitur, etiam per publicum edictum in locis ſibi beneuiſis affigendum, vel alias publicandum monendi & requirendi.

Et prohibendi ne illa aſportentur de loco ad locum ſine eius licentia.

§.3. Eiſque ne frumenta & legumina huiuſmodi extra dictum Statum Eccleſiaſticum, neque de loco ad locum, etiam loca eiuſdem ſtatus ſine eiuſdem Andreæ licentia aſportare vllo modo audeant, ſub ſimilibus pœnis inhiben. inobedientes, ſeu contrauenientes quoſlibet, cenſuras & pœnas prædicta, incidiſſe & incurriſſe declarandi, aggrauandi, & reaggrauandi, inuocato etiam auxilio brachij ſæcularis, necnon executiones quaſlibet, tam reales quam perſonales fieri mandandi.

Frandeſque deſuper committẽtes coercendi.

§.4. Præterea quoſcumque in præmiſſis fraudes committentes, vel alias noxios, & delinquentes mulctandi, ac quibuſuis etiam vltimi ſupplicij, vel aliis corporis afflictiuis pœnis condemnandi, & ſeu ipſos ac prædictos inobedientes, ſeu non parẽtes à quibuſuis cenſuris & mulctis, ac vt præfertur afflictiuis, etiam vltimi ſupplicij pœnis abſoluendi & liberandi, deſuperque cum eis concordandi & accordandi, componendi & tranſigendi, ac quaſcumque ſibi beneuiſas concordias, compoſitiones, & tranſactiones faciendi.

Frumẽta quæque & legumina vndique cogendi, & emendi pro pretiis ſibi bene viſis.

§.5. Item quaſcumque frumentorum & leguminum huiuſmodi quantitates cogendi, ac emptionis & mutui, vel alio quouis titulo pro pretiis, & modis de quibus ſibi videbitur acquirendi, proptereaque quaſuis pecuniarum ſummas mutuo, vel aliter capiendi, ac ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis cum quibuſuis Mercatoribus, & aliis perſonis quibuſlibet conuentiones & partitas quaſcumque etiam cum quorumuis donatiuo, cum mutuantibus dandorum promiſſione & donatione faciendi, ac deſuper contractus, & inſtrumenta quælibet, cum pactis, conditionibus, capitulis & clauſulis ſibi beneuiſis celebrandi & ineundi, ac pro illorum obſeruatione præfatam Cameram, & omnia illius bona præſentia & futura, in quauis, etiam pleniori ipſius Cameræ forma obligandi.

Miniſtros deſuper deputãdi cum ſalariis ab eo declarandis.

§.6. Necnon quoſcumque Commiſſarios, Officiales, & Miniſtros opportunos, aut alias ſibi beneuiſos deputandi, & hactenus quomodolibet deputatos reuocandi & remouendi, prout nos harum ſerie quoſcumque Commiſſarios, Officiales, & Miniſtros ſuper huiuſmodi frumentorum negotio hactenus etiam per nos quomodolibet deputatos reuocamus & remouemus, eorumque prouiſiones & ſalaria declarandi, eiſque illas & illa, ac aliis, quibus opus fuerit quaſuis pecuniarum ſummas & quantitates ex frumentorum & leguminum huiuſmodi venditione conuentionibuſque ſeu partitis ineundis, vel alias huiuſmodi rei frumentariæ negotio quomodolibet prouenientes, ſolui & exburſari mandandi, omneſque & ſingulos quarumuis Ciuitatum Annonæ Præfectorum à nobis hactenus quomodolibet deputatorum miniſtros, quouis nomine nuncupatos, quos circa huiuſmodi Annonæ negotium ſe quomodolibet ingeſſiſſe conſtabit, ad ſibi, ſeu à ſe deputandis de à ſe geſtis & adminiſtratis rationes & computa redden. & reliqua ſi quæ ſint reſtituendi per ſimiles cenſuras & pœnas, aliaque iuris & facti remedia opportuna cogendi & compellendi, cogique & compellendi faciendi.

Ceteraque omnia neceſſaria & opportuna faciendi.

§.7. Ac denique cetera omnia & ſingula ad huiuſmodi rei frumentariæ negotium quomodolibet pertinentia gerendi, exercendi, & exequendi, ac edicendi, ſeu edici & proclamari faciendi, neceſſaria & opportuna, quæque omnes Clerici præſiden. Cameræ huiuſmodi, dum ſimul coadunati & congregati ipſam Cameram faciunt & repræſentant, facere, gerere, exercere, & exequi, ac edicere, ſeu edici & proclamari facere poſſint & valeant. Vnumque vel plures loco ſui cum ſimili, vel limitata poteſtate ſubſtituen. & eius arbitrio remouendi.

Officiales ſtatus, & alij omnes obedire Præfecto.

§.8. Mandantes propterea dilectis filiis Camerario & Theſaurario generali noſtris, necnon Clericis præſidentibus dictæ Cameræ, ceteriſque ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, vt has noſtras in præfata Camera admittant, & in illius libris deſcribi & regiſtrari faciant, deſuperque patentes literas, & alias ſcripturas opportunas expediant & expediri mandent, auctoritate noſtra & Sedis Apoſtolicæ, & Legatis de latere, eorumque Vicelegatis, ac tàm dictæ Vrbis, quàm aliarum Prouinciarum, Ciuitatum, & locorum nobis & S.R.E. mediate vel immediate ſubiectorum quorumcumque Gubernatoribus, Locatenentibus, Prætoribus, Vicariis, & aliis quouis nomine nuncupatis, officialibus, & iuſtitiæ miniſtris, necnon Communitatibus & Vniuerſitatibus, eorumque Magiſtratibus & perſonis publicis & priuatis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ pœna, etiam ſtrictius inhibendo ne eumdem Andream, aut eius pro tempore Miniſtros in præmiſſis, vel aliis ad dictum rei frumentariæ negotium pertinentibus vllo modo, vel obtemptu impediant, vel remorentur aut moleſtent, immo eius & eorum nomine requiſiti, illi & illis deſuper opportune faueant & aſſiſtant, eiuſque & eorum mandata, edicta, ſeu proclamationes, aut alias ordinationes exequi mandent & faciant, realiter & cum effectu.

Clauſ. derog.

§.9. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus, etiam Apoſtolicis, necnon ſtatutis & reformationibus, etiam iuramento, &c.

roboratis,

Digitized by Google

foboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam eisdem personis, & earumdem Vrbis Ciuitatum, Prouinciarum, Oppidorum, & locorum populis, Communitatibus, seu Vniuersitatibus, necnon tàm Ecclesiasticis quàm sæcularibus, ceteriſque supra designatis & aliis quibusuis personis, etiam super extractione frumentorum & leguminum, etiam per Sedem Apostolicam & Cameram præfatam, in genere vel in specie, tam ex causa onerosa, ac sub quibuscumque tenoribus & formis, ac alias quomodolibet concessis, & concedendis; quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, &c. eorum tenores, &c. illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse harum serie latissime derogamus, illaque aduersus præmissa nullatenus sinffragari posse seu debere decernimus; ceteriſque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§.10. Decernentes præsentium nostram solam signaturam sufficere, & vbique in iudicio & extra, in Romana Curia & extra, plenam fidem facere, regula contraria non obstante, seu si eidem Andreæ videbitur desuper literas, etiam per breue nostrum, etiam cum omnium & singulorum præmissorum pleniori specificatione & expressione, ac quarumcumque scripturarum desuper necessariarum ad verbum si videbitur insertione, aliisque clausulis & cautelis necessariis & opportunis, adeo quod contraria quæcumque prorsus tollantur, & non obstent, simul vel separatim expedire posse.

Fides transumptorum.

§.11. Ipsarumque præsentium, & etiam dictarum literarum transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ eisdem præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

PP. Subscrip.

Placet Motu proprio. V.

Admissio in Camera Pont. An. 4. die 7. Maij.

Die 7. Maij 1576. admissa fuit in Camera Apost. & per RR. PP. DD. Clericos registrari mandata, quam ego Not. infrascriptus in lib. diuers. registrani.

XXXVI. Quod religiosi & personæ Societatis Iesv ad publicas processiones accedere non cogantur.

Alia de hac Societate vide sup. apud constit. 25. Pauli III. Regimini. *sup.*

Edita An. D. 1576.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

QVæcumque sacrarum Religionum instituta offendere, & illarum personarum functiones, & salutaria ministeria retardare noscuntur, nostrum nos incitat officium de medio remouere.

Hic Societas ex eius instituto non cogitur ire ad publicas supplicationes.

§.1. Sane licet sicut accepimus dilecti filij Præpositus Generalis, & alij presbyteri religiosi Societatis Iesv, ab illius primæua erectione, à Sede hac Apostolica iuxta diuinæ vocationis directionem emanata, & per Nos etiam confirmata, ad diuinum officium priuatim tantum, & non in communi seu in choro recitandum teneantur, ac propter ipsius Societatis, tam multa Collegia & Seminaria, quæ specialem postulant instituti religiosi modum, necnon ministeriorum illius amplitudinem, ac difficultatem, & in Ecclesia Dei vtilitatem, ex antiqua consuetudine iam inde ab huiusmodi erectione recepta obseruatum; decretoque etiam generalis eorum Congregationis desuper edito, ne ad publicas supplicationes, seu processiones quiuis ex illius personis accederet, nisi vbi propter hæreticorum vel gentilium conuersionem, aut alias expediens esse pro tempore existens Generalis ipsius Societatis Præpositus iudicaret, ordinatum fuerit.

Ordinarij tamen cogebant vigore Concil. Trid. sess 25. cap. 13. Hic modo Pont. huius de causis, eâ eximit ab huiusmodi publicis supplicationibus.

§.2. Nihilominus nonnulli locorum Ordinarij, forsan Concilij Tridentini auctoritate & decreto moti, dictos presbyteros ad supplicationes prædictas procedere nuper coegerunt, non sine illorum functionum, ac ministeriorum retardatione.

§.3. Nos igitur, qui præfatos presbyteros & religiosos dictæ Societatis à studiis, lectionibus, prædicationibus, confessionibus audiendis, & aliis verbi Dei ministeriis, ac pietatis operibus, quibus continue laudabiliter incubuerunt, & incumbere non desistunt, quauis ex causa distrahi nolumus; Considerantes in Ecclesia Dei non deesse alios Ordines religionum qui vel ex instituto, vel absque propriarum functionum impedimento, supplicationibus huiusmodi interesse, aliaque publica diuina officia exercere, sancte, continenterque valeant, in præmissis opportune prouidere, ipsosque Præpositum, presbyteros, & eorum singulos specialibus fauoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes; Motu proprio, non ad dictorum Præpositi, & presbyterorum, vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, Præpositum, ac omnes & singulos presbyteros ac religiosos & personas alias omnes dictæ Societatis, vbique locorum existentes, ab interessentia supplicationum seu precum, aut processionum huiusmodi, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuo eximimus & liberamus.

Nulli igitur eam desuper molestans.

§.4. Districtius inhibentes quibusuis locorum Ordinariis, etiam Patriarchali, vel Archiepiscopali dignitate, ac etiam Cardinalatus & Legationis Sedis Apostolicæ honore præfulgentibus, & aliis personis quacumque auctoritate fungentibus, ne modernos, & pro tempore existentes Præpositum & alios presbyteros & Religiosos Societatis huiusmodi ad processionibus præfatis interessendum, quauis occasione, causa, seu quouis prætextu, ingenio vel colore, directe vel indirecte, mediate vel immediate cogere, aut eos desuper præmissis molestare, perturbare, vel inquietare seu molestari, perturbari, aut inquietari facere, audeant vel præsumant seu permittant.

Executorij & defensorum Societatis deputatio.

§.5. Quocirca Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis eorum Vicariis in spiritualibus, aut officialibus generalibus, & Curiæ causarum Cam. Apost. generali Auditori, necnon Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, & Capitulis, ac aliis ad quos id quomodolibet spectat & spectabit, per easdem præsentes mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum per se vel alium seu alios, præsentes literas & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Præpositi, quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Præpositi, presbyterorum & religiosorum Societatis huiusmodi, vel alicuius eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant eos, præmissis omnibus & singulis pacifice frui & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet & rebelles, per sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Derogatio contrariorum.

§.6. Non obstantibus felic. record. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo non vltra tres dietas quis vigore præsentium, ad iudicium trahatur, & aliis Apostolicis, necnon in generalibus, prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§.7. Volumus autem quod earumdem præsentium transumptis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu etiam Præpositi ipsius Societatis munitis,

Digitized by Google

nitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio quam extra adhibeatur, quæ præsentibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D.P. An. 5. 16. Iulij. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 16. Iulij, 1576. Pontificatus nostri anno quinto.

XXXVII. Quod Confessores in vim priuilegiorum Cruciatę sanctæ eligendi; neminem ab incursu & lapsu in hæresim absoluere possint.

Edita An. D. 1574.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad futuram rei memoriam.

Exordium. OFficij nostri partes sedulo præstare tenemur, ne gratiæ & priuilegia à Sede Apostolica ad animarum salutem emanata, in illarum detrimentum interpretentur aut extendantur.

Causa huius declarationis. §.1. Nuper siquidem accepimus, nonnullos curiosa & subtili magis quam vera interpretatione prætendere, in vim priuilegiorum Cruciatæ sanctæ ab eadem Sede concessorum eligendi confessores, qui à nonnullis criminibus & excessibus absoluere possint, à lapsu, & incursu in hæresim absoluendi facultatem & auctoritatem, saltem in foro conscientiæ habere.

Declaratio de qua in rubr. §.2. Nos autem omnem dubitandi occasionem in præmissis remouendam esse existimantes, ne circa id vllo tempore hæsitari contingat, Motu proprio & ex certa nostra scientia fel. record. Pij Papæ V. prædecessoris nostri, ac nostræ intentionis numquam fuisse vel esse, dictis confessoribus aliquo modo absoluendi ab incursu & lapsu in hæresim, quod crimen vti ceteris grauissimum speciali nota est dignum, facultatem concedere, nec illam per dictum prædecessorem, & nos vmquam concessam fuisse vel esse censeri, aut ipsis confessoribus dictorum priuilegiorum auctoritate electis absolutionem impartiri licuisse, neque in posterum licere, aut absolutiones; quæ iam forsan eo casu sub datorum priuilegiorum prætextu per confessores impensæ, nemini suffragari potuisse siue posse, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus & declaramus.

Facultas Commissarij Cruciatæ, illam in vulgare idioma redigendi, &c. §.3. Et vt Christifideles supradictæ declarationis commodius notitiam habere possint, licentiam & facultatem concedimus Commissario generali dictæ Cruciatæ, illam de latino sermone in vulgari iuxta linguam prouinciæ, vbi publicatio ipsius Cruciatæ facienda erit redactam; vna cum facultatibus dictæ Cruciatæ, & per modum exceptionis, in suo loco, siue ad partem imprimi posse facere, in contrarium facientibus quibuscumque non obstantibus.

Fides transumptorum. §.4. Ceterum quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus & dicta auctoritate decernimus, quod illarum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij Apostolici subscriptis, & sigillo dicti Commissarij, seu alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

D.P. An. 5. die 23. Sept. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 22. Septembris, 1576. Pontificatus nostri anno quinto.

XXXVIII. De Confraternitate Recommendatorum B. Mariæ Virginis, Confalonis postea nuncupata, Romæ anno 1264. à nonnullis Patritiis Romanis instituta. Ac de modo orandi, siue Corona à S. Bonauentura eius Confratribus præscripta, indulgentiarumque elargitione.

Hanc sodalitatem, in Archiconfraternitatem hic idem Pont. postea erexit, cum potestate alias sibi Confraternitates aggregandi, cum indulgentiarum communicatione, die 26. Aprilis 1579. sed eius bullam prætermisi. Extat etenim de forma aggregandi noua dispositio Clem. VIII. in sua const. 115. Quæcumque. Et de d. erectione habetur in omnibus bullis mox cit.

Eidem Archiconfraternitati opus captiuos Sedis Apost. subditos ab infidelibus redimendi delegauit hic idem Pontif. in const. 69. *Christiane.* vbi etiam priuilegium duos incarceratos liberandi concessit. Et pro operę d. redemptionis annuos redditus elargitus est Sixtus V. in sua const. 27. *Cum benigna.* Iudicemque specialem causarum Archiconfraternitatis delegauit in alia const. 37. *Cum sicut.* Et circa indulgentias videnda erit noua dispositio Pauli V. firmata sub die 23. Octobr. 1606. mox in lucem edenda.

Edita An. D. 1576.

GREGORIVS PAPA XIII.
Vniuersis Christifidelibus præsentes literas inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium. PAstoris æterni, qui non vult mortem sed conuersionem peccatoris, vices licet immeriti gerentes in terris, Christifideles singulos, præsertim piis sodalitatibus, ad charitatis & misericordiæ opera exercenda sub gloriosissimæ Virginis Mariæ nomine & vexillo institutis adscriptos, ad deuotionis sinceritatem erga Saluatorem, & Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, cui pro ipsis ab æterna morte redimendis in ara Crucis immolato, nulla condigna reuerentia, nullusque satis congruus honor, vlla ratione posset vmquam exhiberi, per amplius augendum, frequentesque & efficaces orationes sibi, tam pro eorum, quam aliorum Christifidelium etiam defunctorum animarum salute deuote effundendum, esca spiritualium alimentorum, indulgentiis videlicet, & peccatorum remissionibus libenter inuitamus, vt exinde suorum abolita macula delictorum, promissæ redemptionis fructum facilius consequi, & ad sempiternæ gloriæ beatitudinem feliciter peruenire mereantur.

Sodalitas B. Mariæ Confalonis de anno 1264. in Vrbe instituta fuit & à Pontificibus decorata diuersis priuilegiis. §.1. Cum itaque sicut accepimus, superioribus temporibus, videlicet de Anno Domini 1264. in Alma Vrbe nostra admodum insignis Societas Regulæ Recommendatorum eiusdem B. Mariæ Virginis primo, & deinde Confalonis nuncupata, per nonnullos patritios Romanos, & alios eximios ac egregios viros ex reuelatione ipsius Mariæ Virginis, vt pie creditur, canonice instituta, ac insignibus, & præclaris priuilegiis, indulgentiis, aliisque peccatorum remissionibus per diuersos Romanos Pontifices prædecessores nostros decorata.

Et quadā Corona pro modo orandi à S. Bonauentura Confratribus data fuit. §.2. Et inter cetera pro illius felici directione, & animarum dilectorum filiorum ipsius Societatis Confratrum, tunc & pro tempore existentium salute, eorumque deuotionis incremento, diuini nominis, ac eiusdem B. Mariæ Virginis honore & gloria per S. Bonauenturam tunc in humanis agentem, & Ordinis Fratrum Minorum de Obseruantia nuncupatorum professorem, pie statuta & ordinata, eisdem Confratribus, certa, facilis, commoda, & omnibus peruia orandi, & Altissimo preces effundendi ratio, & forma, Corona nuncupata, præscripta fuerit, videlicet quod ipsi Confratres loco horarum canonicarum, viginti quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam, cum versu incipiente Gloria Patri, in fine psalmorum recitari solito, necnon septies orationem, salutationemque huiusmodi, cum versiculo Defunctorum nuncupato, qui incipit, Requiem æternam, & eius responsorio recitare tenerentur.

Confratribus sic orantibus varia indulgentia cōcessa fuerunt. §.3. Ipsis autem Confratribus sub huiusmodi forma pie orantibus varias indulgentias, & peccatorum remissiones concessas fuisse, multorum fide dignorum testimonia à suis maioribus quasi per manus tradita & accepta comprobent. Ceterum propter diuturni temporis huiusmodi lapsum, illiusque varias calamitates ac iniurias, de concessionibus indulgentiarum, & remissionum huiusmodi, aliter quam vt præfertur non constet.

Hic modo Pōtif. vt illi seruantius d. formā orandi obseruēt, & alii Fiis operibus ardentius studeant. §.4. Nos cupientes vt ipsa Societas; cuius Confratres prædicti, vt etiam accepimus, in Virginibus pauperibus nuptui singulis annis tradendis, Missis & aliis diuinis Officiis in eorum Oratorio celebrandis, aliisque piis operibus, non sine summo religionis, & charitatis Christianæ feruore intenti, laudabiles effectus producere non cessant, & ad quam dilectus filius noster Alexander tituli S. Mariæ in Via presbyter Cardinalis Sfortia nuncupatus, Vice-protector,

Digitized by Google

protector,& Angelus Capranica,ac Horteſinus Francipanis,necnon Ioannes Dominicus Guelphus,& Valerius de Valle Patritij Romani moderni Cuſtodes eiuſdem Societatis dilecti filij ſingularem gerunt deuotionis affectum, proſperis incrementis iugiter proficiat,& in debita veneratione habeatur, ac non ſolum illius,ſed etiam quarumcumque aliarum ei nunc aggregatarum, & deinceps aggregandarum Societatum Confratres pro tempore exiſtentes, eo feruentius & libentius formam orandi huiuſmodi cum deuotionis incremento obſeruent, & recitationi Coronæ præfatæ intendant, quo exinde maioribus donis ſpiritualibus ſe refectos fore conſpexerint, de omnipotentis Dei miſericordia,ac BB.Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi.

Indulgentias hic enunciatas elargitur. Quænd indulgentiæ vide quod hic notaui in rubr.

§.5. Omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus in confratres,tam Confalonis quam aliarum ei aggregatarum & aggregandarum Societatum huiuſmodi pro tempore receptis, qui forma præſcripta huiuſmodi orauerint, & dictam Coronam deuote recitauerint, Dominicis & aliis feſtiuis viginti, ceteris vero non feriatis diebus decem annos de eis iniunctis,vel alias quomodolibet debitis pœnitentiis, quo die prædictorum id fecerint,Apoſtolica auctoritate tenore præſentium miſericorditer in Domino relaxamus. Dictis vero Confratribus in Natiuitatis & Reſurrectionis, ac Pentecoſtes Domini noſtri IESV CHRISTI, ceteriſque tam in illius, quam eiuſdem B. Mariæ Virginis honorem celebrari ſolitis feſtiuitatibus,eamdem Coronam etiam recitantibus, quo die feſtiuitatum id fecerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum, de quibus ore confeſſi, & corde contriti fuerint, indulgentiam & remiſſionem auctoritate & tenore prædictis concedimus & elargimur. Declarantes eamdem indulgentiam aſſequi etiam illos ex Confratribus prædictis, qui eorum vita durante ſingulis diebus ceſſante legitimo impedimento, eamdem Coronam ſimiliter recitauerint, & in mortis articulo confeſſi & contriti deceſſerint, ſeu id facere nequeuntes, contritionis ſigna exhibuerint & oſtenderint, vel ad minus ter in hebdomada eamdem Coronam recitantes, & in illorum mortis articulo dictam Coronam ſupra ſe habentes, ſanctiſſimum nomen IESVS ore,ſeu ſaltem corde inuocauerint. Et inſuper vt animarũ Chriſtifidelium,tam viuorum quam defunctorum ſaluti peramplius conſulatur,eiſdem Confratribus nunc & pro tempore exiſtentibus, vt Coronam prædictam quadrageſimalibus, & aliis anni temporibus ac diebus, quibus in Eccleſiis dictæ Vrbis & extra illius muros exiſtentibus ſtationes ſunt indictæ recitando,omnes & ſingulas indulgentias, peccatorumque remiſſiones, tam pro ſe, quam per modum ſuffragij pro Confratribus in Chriſti charitate defunctis,pro quibus illam recitauerint, conſequantur,quas conſequerentur,ſi eiſdem temporibus & diebus,Eccleſias ipſas pro eiſdem ſtationibus & indulgentiis deputatas perſonaliter viſitarent. Et poſtremo vt ſi ipſi Confratres, pariter confeſſi & contriti ſingulis ſecundis feriis cuiuſlibet menſis, ac etiam die Commemorationis defunctorum Coronam ipſam cum verſiculo & reſponſorio prædictis incipien. Requiem æternam, genibus flexis, pro cuiuſcumque Confratris anima, quæ Deo in charitate coniuncta ab hac luce migrauerit, pariter recitauerint, per huiuſmodi recitationem anima ipſa, eorumdem Domini noſtri IESV CHRISTI, & beatiſſimæ Virginis Mariæ, ac beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, aliorumque Sanctorum meritis ſuffragantibus, à Purgatorij pœnis liberari valeat, eiſdem auctoritate & tenore etiam concedimus & indulgemus.

Clauſ. præſeruatiua.

§.6. Præſentibus literis quas ſub quibuſuis ſimilium vel diſſimilium indulgentiarum reuocationibus, limitationibus, ſuſpenſionibus, ac aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi, quauis etiam dicta auctoritate, etiam per nos & pro tempore exiſtentes Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam, aut alias ex quacumque quantumuis vrgentiſſima,ac neceſſaria cauſa, etiam in fauorem Baſilicæ eiuſdem S.Petri de dicta Vrbe, Cruciatæ ſanctæ, vel expeditionis contra infideles, ac etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, in genere vel in ſpecie, & alias quomodolibet factis & emanatis nullatenus vmquam comprehenſas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas, ac de nouo, etiam ſub quacumque etiam poſteriori data per pro tempore exiſtentes ipſius Societatis Confalonis Cuſtodes eligenda, conceſſas, reſtitutas, & plenarie reintegratas eſſe, fore & cenſeri, ac Confratribus & aliis prædictis ſuffragari debere decernimus, perpetuis futuris temporibus valituris, etiam ſi Societati & illius Confratribus prædictis aliqua alia indulgentia, perpetuo vel ad tempus nondum elapſum duratura,per nos vel Sedem eamdem conceſſa fuerit.

Fides illis ſumptorum.

§.7. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo dictæ Societatis, ſeu alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis,eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. P. An. 12. Octob.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 12. Octobris, 1576. Pontificatus noſtri anno quinto.

XXXIX. Quod pro Religione Clericorum Regularium Societatis IESV, vbique Eccleſiæ & domus ædificari poſſint, non obſtan. priuilegio aliis Ordinibus conceſſo & concedendo, quod prope eorum loca noua Monaſteria conſtrui nequeant.

Hoc priuilegium quod omnibus fere Mendicantibus ob communicationem priuilegiorum prodeſſe puto, ſpecifice Sedes Apoſt. dedit Ordini S. Franciſci, & Ordini S. Dominici, vt videre eſt ſup. in conſt.21. Iul. II. Exponi. *vbi notaui. Ac Ordini Eremitarum Sancti Auguſtini, vt in conſtit.2. Bonifacij VIII. Alia autem de hac ſocietate indicabo hic inf. in conſtit.* 89. Aſcendente.

GREGORIVS PAPA XIII. Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1578.

Exordium.

SAluatoris Domini noſtri IESV CHRISTI qui charitas eſt, & Deus Pacis, his in terris vices licet immeriti gerentes, ea quæ pacis ſunt, præſertim cum militantis Eccleſiæ firmamentum, omniſque filiæ Sion decor, in animorum coniunctione,pace, & tranquillitate verſetur, noſque vnum in Chriſto corpus ſimus, pro noſtri debiti officio, tamquam ipſius myſtici corporis caput quærentes, litium quarumuis quæ fraternam dilectionem lacerant, maxime vero, quæ inter religioſas perſonas ventilantur, occaſionibus obuiamus, exortaſque quantum cum Deo poſſumus conſopimus.

Soc. Ieſu multa ſunt pia onera & fructus.

§.1. Sane, vt accepimus, licet dilecti filij preſbyteri venerabilis Societatis IESV in vinea Domini, tamquam fructiferi palmites, in toto fere orbe, tam in continendis in via mandatorum Chriſti fidelibus, infirmis in fide conſolidandis, ægrotiſque ſanandis, confractis alligandis; & abiectis reducendis, ouibuſque diſperſis, & lupis veſpertinis, leonumque famelicis catulis, in deuorationem expoſitis, reclamandis & defendendis, quam etiam iis, quæ extra ouile Chriſti, ſacroſanctique Imperij noſtri tutelam, ſub ignorantiæ iugo in obſcuris & tenebricoſis lucis, ac deſertis, per montuoſas ac difficiles vias aberrant,conuertendis,& ad nationes catholicæ religione imbutas, & ad immanes,barbaraſque diuini cultus,politicique ornatus ignaras gentes, ferino potius quam humano more viuentes,ſeſe extendentes, optimum & vberrimum fructum attulerint, & in dies maiori cum ſolicitudine afferre,zizania extirpare,bonum ſemen renouare,plantare, terraſque incultas Euangelico ſulco, ac Eccleſiaſticæ diſciplinæ vomere eruderare non ceſſent.

Ideoque Paul. III eius inſtitutum confirmauit ſupra in conſt. 2 5 4 Regimini.

§.2. Ac dudum propter ipſius Societatis, tam vtiles, tamque neceſſarias functiones,quæ tum in domibus per frequentem Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſacramentorum adminiſtrationem, & ad eorum frequentationem ſectandam exhortationem, prædicationemque & ſpiritualia exercitia,

Digitized by Google

exercitia,ac alia verbi Dei miniſteria,tum in Collegiis per lectiones, tam bonarum literarum quam Philoſophiæ etiam & Theologiæ ad iuuentutem bonis moribus & literis imbuendam, ex ipſius Societatis primæua inſtituti erectione, ac diuina vocatione, magno Dei beneficio, & Eccleſiæ ſpirituali emolumento exercet,fel.record.Paulus Papa III. ſpeciali priuilegio,vt quæcumque domos,Eccleſias, & Collegia ædificare, vel conceſſa recipere & inhabitare poſſet indulſerit.

Iul.III. etiam conſt. 9.

§.3. Et deinde piæ memoriæ Iulius etiam Papa III. indultum huiuſmodi confirmauerit.

Pius IV. conceſſit indultũ cum. 142. vt hic, ſed eius bullam non poſui. Hic Pont.confirmauit.

§.4. Et ſucceſſiue recolendæ memoriæ Pius IV. prædeceſſores noſtri idem indultum, etiam intra centum quadraginta cannas Ordinum Mendicantium, de nouo conceſſerit.

§.5. Neque poſtremo cum lis & cauſa, ſeu controuerſia, aut quæſtionis materia deſuper occaſione certæ domus per ipſos preſbyteros à dilecto filio Comite de Orgaz Toleti emptæ,conceſſionem eiuſdem Pij prædeceſſoris confirmantes,emptionem dictæ domus recte factam,& in ea preſbyteros ipſos habitare poſſe & debere declarauerimus, & alias provt in ſingulis literis Apoſtolicis deſuper confectis plenius continetur.

Quia tamen Societas adhuc moleſtatur.

§.6. Nihilominus præfati preſbyteri, à diuerſis dictorum Ordinum religioſis diuerſimode,vigore ſeu prætextu priuilegiorum huiuſmodi cannarum adhuc, provt de facto,tam in Mexicana quam in Guaxicana nouæ Hiſpaniæ ciuitatibus, non ſine animi noſtri diſplicentia, moleſtantur, immo & excommunicationis ſententia interdum feriuntur, in Chriſtiani populi ſcandalum non modicum.

Hic propterea Pont.ex inſtis cauſis hic relatu.

§.7. Nos igitur attendentes dictam Societatem, quæ quamuis Collegia habeat annexa, & hæc redditus pro ſtudentium neceſſitate habere poſſint, inter Mendicantium Ordinum religiones, per ſanctæ memoriæ Pium Papam Quintum ſimiliter prędeceſſorem noſtrum per quaſdam ſuas in forma breuis literas, ſub die 7. menſis Iulij, Pontificatus ſui Anno 6.expeditas, adſcripta & declarata, ac priuilegiorum Ordinum Mendicantium particeps effecta fuit,ex eius inſtituto & conſtitutionibus,Apoſtolica auctoritate confirmatis, bona ſtabilia poſſidere non poſſe,ſed incertis eleemoſynis,fideliumque largitionibus & ſubuentionibus viuere, nec minus quam ceteros Mendicantes Ordines,in excolenda vinea Domini, aſſidue laborare, immo nec alios iuxta ſe, domos, & monaſteria ædificare prohibere,neve vllum aut certe quam minimum præiudicium aliis religioſorum monaſteriis ex Societatis, Domorum,Collegiorum,& Eccleſiarum vicinitate prouenire,ex eo quod propter diuerſam ſanctionum & inſtituti rationem, Societas ipſa nec chori vſum habet,nec ad funerales aſſociationes accedit, nec defunctorum funera, niſi rara,nulla item miſſarum, vel ſepulchralia ſtipendia, nullas ſepulchrorum, vel capellaniarum fundationes, nullam denique prorſus eleemoſynam, quæ ad quoduis ipſius Societatis miniſterium, vel opus dirigi intelligatur, admittit. Ac, provt noſtrum Nos inuitat officium,inconuenientibus huiuſmodi obuiare,ac ſcandala quæcumque & contentionum,præcipue inter religioſas perſonas, occaſiones remouere,necnon tam ſalubris dictæ Societatis miniſteriis, quæ pro eorum dignitate, ac maiori fidelium fructu,in locis aptis,vbi maior ſeges,& frequentior populi conſuetudo viget, exerceri & miniſtrari debent, viam potius aperire, quam impedimenta vlla obiici permittere volentes.

Priuilegium cannarũ quibuſcumq; Ordinib. conceſſum, reſpectu huius Societatis reuocat, non obſtan. noua conceſſione per eos obtinenda. Tu vide notũ priuilegium Carmelitis Diſcalceatis clargitum à S.D.N. Paulo V.in ſua conſt. 8. Ad Eccleſiæ.

§.8. Motu proprio, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, eoſdem preſbyteros, eorumque ſingulos à quibuſuis excommunicationis,ſuſpenſionis,& interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt,ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, ac ſupradictarum literarum, necnon & aliorum Ordinum, priuilegiorum, & in eis contentarum clauſularum tenores, ac alia etiam forſan circa præmiſſa de neceſſitate exprimenda, præſentibus pro expreſſis habentes, ac priuilegia dictorum,Ordinum ſuper non ædificatione infra dictas cannas, quo ad dictam Societatem tantum, ſuſpendentes, reuocantes ac inualidantes, ſilentium perpetuum quibuſuis ſuper præmiſſis, aut eorum aliquo vigore cuiuſuis confirmationis aut ampliationis, & de nouo conceſſionis dictarum cannarum à Sede Apoſtolica quomodolibet, & pari motu, etiam conſiſtorialiter, ac cum quibuſuis præſentium derogationibus, ſpecifice factis, obtentarum, & in futurum obtinendarum contra præſentium tenorem venientibus imponentes.

Et facultatem Eccleſias & domos abſque fabricandi concedit. Tu ad hoc vide conſt.99. Clem. PVII. Quoniam.

§.9. Eiſdem preſbyteris & Societati, vt, quæcumque Domos, Collegia, Eccleſias & alia ædificia erigere, ac per eos vbiuis locorum erecta inhabitare,ac quæcumque loca, Domos, Eccleſias, Oratoria, & alia cuiuſcumque ſtructuræ ædificia, ſibi quomodolibet relicta vel oblata recipere, acceptare, emere, poſſidere & retinere, ac in eis omnia & ſingula, functiones, lectiones & miniſteria, in aliis eiuſdem Societatis, Domibus, Collegiis, Eccleſiis, & aliis locis fieri & exerceri ſolita, habere, facere, & exercere libere & licite poſſint & valeant, earumdem præſentium tenore de ſpecialis dono gratiæ concedimus & indulgemus. Eoſque à quibuſuis cenſuris & pœnis, in illos præmiſſorum occaſione forſan latis, abſoluimus.

Priuilegia Societatis omnia confirmat.

§.10. Necnon indulta per Paulum, Iulium, & Pium prædeceſſores noſtros prædictos,& Nos eis,vt præfertur, conceſſa & confirmata, cum omnibus & ſingulis in eis contentis conceſſionibus, priuilegiis, facultatibus, prærogatiuis,& aliis gratiis,declarationibus,derogationibus, aliiſque quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibuſque, & aliis decretis& clauſulis,approbamus & confirmamus,illiſque perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus.

Clauſulas præſeruatiuas apponit.

§.11. Necnon oppoſitionem & contradictionem quorumcumque quouis titulo, vigore, prætextu, colore ipſis preſbyteris præiudicium afferre, ac præſentes literas de obreptionis ſeu ſubreptionis vitio,aut intentionis noſtrę defectu, notari vel impugnari, ſuſpendi, reuocari, annullari, inualidari, aut ad viam iuris reduci, vel contra illas attentari non poſſe neque debere, ſed illas perpetuo validas, efficaces, & illibatas exiſtere, & vbi aliquid contra eas extorqueri & obtineri cõtigerit, illas nihilominus in ſuo pleno & integro robore,abſque eo quod deſuper impetranda ſit à Sede prædicta illarum confirmatio, reſtitutio, reualidatio, vel noua conceſſio, permanere; irritumque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter in poſterum contigerit attentari decernimus. Ac quaſuis excommunicationis ſententias, vigore talium priuilegiorum cannarum, contra dictos preſbyteros vel Societatem, latas & ferendas, eos vel eorum aliquem nullatenus afficere poſſe declaramus.

Executores deputat.

§.12. Quocirca vniuerſis & ſingulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis,per præſentes,pari motu,mandamus, quatenus ipſi vel eorum quilibet, per ſe vel alium ſeu alios, præſentes literas & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum preſbyterorum,aut alterius eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes,faciant auctoritate noſtra eos decreto,confirmatione,indulto,aliiſque præmiſſis pacifice gaudere,ac eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque perpetuo inuiolabiliter obſeruari.Non permittentes eos ſuper eiſdem præmiſſis, vel eorum aliquo,per quorumcumque Ordinum etiam Mendicantium religioſos ſeu locorum Ordinarios, aut alios quoſcumque Iudices & perſonas cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtant, & quacumque,etiam Pontificali; regia, vel alia auctoritate fungantur, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expreſſe, quouis quæſito colore vel ingenio impediri, moleſtari, perturbari, vel alias quomodolibet inquietari. Contradictores quoſlibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna iuris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

§.13.Non

Digitized by Google

Contrariis derogat.

§. 13. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ memoriæ Bonifacij Papæ Octaui etiam prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali de duabus dietis, dummodo non vltra tres dietas quis auctoritate præſentium ad iudicium trahatur, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, illorumque ſuperioribus, & perſonis, etiam ſuper non ædificandis Eccleſiis, Domibus, Collegiis, & aliis ædificiis aliarum Religionum intra centum quadraginta cannas ab eorum cœnobiis & conuentibus, vel monaſteriis & domibus, ac alias ſub quibuſcumque tenoribus & formis, per quoſcumque Romanos Pontifices conceſſis, confirmatis, & innouatis, ac omnibus aliis quæ Nos & prædicti prædeceſſores noſtri in ſingulis literis prædictis voluimus non obſtare. Quibus omnibus etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non tamen per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda foret, tenores illorum, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, motu ſimili, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Tranſumptis credi iubet.

§. 7. Volumus autem, & eadem auctoritate decernimus, quod ipſarum tranſumptis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut Curiæ Eccleſiaſticæ, vel etiam Generalis Præpoſiti ipſius Societatis munitis in iudicio & alibi vbi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

D. P. An. 5. 30. Octobris.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 30. Octobris, 1576. Pontificatus noſtri anno quinto.

XL. Iuriſdictio Protomedici & Collegij Phyſicorum Almæ Vrbis, quoſcumque Medicos in ea medentes examinandi, & non repertos idoneos, ab exercitio medicinæ expellendi atque coërcendi.

Eiuſdem. Collegij & Protomedici auctoritatem in Vrbe doctorandi, & iuriſdictionem cauſas ad Artem ſpectantes cognoſcendi habes ſup. in conſt. 19. Iul. III. Meritis. *& latius infra in Clem. VIII. in eius conſt. 12. Et aliquid circa viſitationem Aromatariarum in Paul. V. conſt. 71. §. 25.*

Edita An. D. 1576.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

IN Apoſtolicæ dignitatis culmine, meritis licet impariibus, diuina diſpoſitione conſtituti, ad ea noſtræ conſiderationis aciem libenter dirigimus, per quæ prouiſionis noſtræ auxilio Artis Medicinæ miniſterium, recte & fideliter exerceatur, & ne in eo nonnullorum imperitia errores in alterius iacturam fiant, noſtri paſtoralis officij partes libenter impartimur, provt temporum qualitate penſata id perſpicimus ſalubriter expedire.

Cauſa huius conſt.

§. 1. Cum itaque ſicut accepimus in Vrbe noſtra à diuerſis Medicis & Artem Medicinæ exercentibus, etiam publice Doctoratis, & priuilegium Doctoratus, etiam à publicis & generalibus Studiorum Vniuerſitatibus habentibus quamplurimi & grauiſſimi errores medendo, & Artem Medicinæ exercendo, etiam in hominum perniciem, & graue damnum committantur, dum nempe dicti Medici non admodum experti ea remedia, & præſidia, quæ non conueniunt, quinimmo contraria & diuerſa vecumque præſcribant, adhibeant, & conſulant, etiam interdum, vel ſæpius experientiam & periculum dictæ Artis in rebus dubiis, & ipſis incognitis, cum maximo & euidenti hominum vitæ diſcrimine faciendo.

Conceſſio Iuriſdictionis de qua in rubr.

§. 2. Nos pro noſtri Paſtoralis officii debito, huic graui malo occurrere, & in præmiſſis opportune prouidere volentes, dictorum filiorum Protomedici & Collegij Phyſicorum dictæ Vrbis in hac parte ſupplicationibus inclinati, eiſdem Protomedico nunc & pro tempore exiſtenti, ac Collegio Phyſicorum dictæ Vrbis, in eadem Vrbe, omnes & ſingulos, ac quoſcumque Artem Medicinæ exercentes, etiam Medicos publice, & in publicis Gymnaſiis, vel Vniuerſitatibus quibuſcumque doctoratos, & promotos, exceptis tamen illis Medicis, qui longo vſu, tam in ſtationibus Medicorum, ſiue Collegiis habitis, quam alias in exercitio Medicinæ probi & periti communiter exiſtimantur, ad ſe examini ſubiiciendum, & per interdictionem exercitij medicinæ compellere, & per ipſum Protomedicum, & duos alios de eodem Collegio examinare, & illos quos ad Medicinam exercendam non idoneos, nec ſufficientes repererint, exercitio Medicinæ huiuſmodi in ipſa Vrbe prorſus interdicere, ſeu ab ipſo exercitio, ad tempus, & donec & quouſque ſtudio mediante ad melius profecerint, ſuſpendere, aut eis ne dictam Artem niſi cum præſentia, vel conſilio alterius, vel aliorum Medicorum idoneorum, & à dictis Protomedico, & duobus de Collegio huiuſmodi approbatorum vllatenus exercere audeant, nec debeant, prohibere. Ac in contrafacientes, aut contradicentes quoſliber, quaſuis pœnas ipſi Collegio bene viſas, & arbitrio eiuſdem Collegij, piis vſibus applicandas infligere, illaſque ab eis exigere, omniaque & ſingula alia in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna facere & exercere libere & licite valeant, ac etiam debeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus & mandamus, ſicque etiam perpetuo ſtatuimus & ordinamus. Necnon eiſdem Protomedico & Collegio, in & ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis plenam, liberam, amplam, & omnimodam facultatem, licentiam, poteſtatem, & auctoritatem impartimur,

Inhibitio contra omnes impedientes.

§. 3. Ac etiam Protomedicum & Collegium huiuſmodi, eorumque deputatos & deputandos, ſuper præmiſſis omnibus & in ſingulis, ac illorum executione, per quoſcumque quauis auctoritate, & quocumque quæſito colore, ingenio, vel prætextu quomodolibet moleſtari, vel impediri non poſſe decernimus. Mandantes præterea dictis Medicis, qui vt præfertur non idonei, nec ſufficientes pro tempore reperti fuerint, vt in virtute ſanctæ obedientiæ, & etiam ſibi per Collegium prædictum comminandis & infligendis pœnis, eiuſdem Collegij mandatis pareant & obediant.

Officiales ciuitatis, & huius bullæ obſeruantiam quarant.

§. 4. Nec non dilectis filiis Curiæ cauſarum generali Auditori, Gubernatori, Vicario, & Senatori, ac Conſeruatoribus Cameræ dictæ Vrbis, ceteriſque ius dicentibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus, quauis auctoritate, fungentibus & functuris, ac iuſtitiæ miniſtris dictæ Vrbis, & quibuſuis aliis perſonis cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtentibus, quatenus ipſi & eorum quilibet eiſdem Protomedico & Collegio in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes præſentes noſtras recipiant & admittant, ac inuiolabiliter obſeruent, & ab omnibus ad quos ſpectat & ſpectabit, obſeruari mandent & præcipiant, faciantque Protomedicum & Collegium huiuſmodi præmiſſis omnibus pacifice & quiete vti, frui & gaudere, nec permittant eos, per quemlibet contra eorumdem præſentium tenorem, quoquomodo moleſtari aut impediri, contradictores quoſlibet & rebelles, per ſententias, cenſuras, & pœnas etiam pecuniarias, aliaque opportuna iuris & facti remedia, quacumque appellatione remota compeſcendo, ac cenſuras ipſas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Quibuſcumque non obſtantibus.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac priuilegiis doctoratus in Medicina dictis Medicis, qui, vt præfertur non idonei,

Digitized by Google

idonei, nec ſufficientes pro tempore reperti fuerint quomodolibet, & etiam per quæcumque Gymnaſia, Collegia & Vniuerſitates, etiam generales, ac etiam præuio rigoroſo examine, etiam publice facto, conceſſis & concedendis, necnon quacumque præſcriptione etiam longiſſimi temporis, quo ipſi tales Medici, etiam abſque aliqua contradictione medicati fuerint, & artem prædictam etiam palam, & publice nemine contradicente exercuerint, ac regula noſtra de non tollendo iure quæſito, ſi opus ſit, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus, dictæque Vrbis & quorumcumque Gymnaſiorum, Collegiorum, & Vniuerſitatum, Studiorum, etiam generalium, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, legibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam illis eorumque ſuperioribus, & perſonis, ac etiam dictis Medicis, qui pro tempore non idonei, nec ſufficientes, vt præfertur reperti fuerint, in genere vel in ſpecie, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis, etiam Motu proprio, & conſiſtorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis, ac in poſterum concedendis, confirmandis, & innouandis. Quibus omnibus etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad id ſeruanda eſſet, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Fides tranſumptorum.

§. 6. Volumus inſuper quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut dicti Collegij munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, in iudicio & extra illud, quæ ipſis originalibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

D. P. An. 5 1. Nouemb.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 1. Nouembris, 1576. Pontificatus noſtri anno quinto.

XLI. Declaratio concordatorum inter Sedem Apoſtolicam & nationem Germanicam, circa collationes beneficiorum Eccleſiaſticorum, in menſibus reſeruatis.

Iſta concordata firmauit Nicolaus V. in conſt. 1. Ad ſacram. vbi notaui.

Edita An. D. 1576.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus ſeruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

QVæ in Eccleſiam Dei incommoda inferunt, noſtra nos expedit animaduerſione remouere.

Nicol. V. ſtatuit Ordinarios poſſe diſponere de beneficiis vacatibus in menſibus Sedi Apoſt. reſeruatis, niſi fuerit à dicta Sede prouiſum, vt ſup. in eius conſtit. tenor tub.

§. 1. Cum itaque per literas fel. record. Nicolai Papæ Quinti nationi Germaniæ pro illius vnione & concordia cum Sede Apoſtolica inter alia concederetur, vt quoties aliquo vacante beneficio Eccleſiaſtico, in menſibus Ianuarij, Martij, Maij, Iulij, Septembris, & Nouembris, in quibus vacantium Germaniæ beneficiorum Eccleſiaſticorum diſpoſitio dictæ Sedi ſpecialiter reſeruata eſt, non apparuerit intra tres menſes à die notæ vacationis in loco beneficij, quod alicui de illo Apoſtolica auctoritate prouiſum fuerit, ex tunc & non antea, Ordinarius, vel alius ad quem illius diſpoſitio pertinet, de illo diſponere poſſit, & ſæpenumero contingat, vt antequam inquiſitio, quam plerumque etiam in concurſu plurium, ſiue in partibus ſiue apud dictam Sedem, fieri oporteat in vitam, mores & doctrinam eorum, quibus de dictis beneficiis per Sedem eamdem prouidendum eſt, compleri poſſit, aut antequam de ipſis prouiſionibus, ſeu de mandatis, quæ ad inquiſitiones & prouiſiones huiuſmodi faciendas ab eadem Sede impetrantur, vel Motu proprio procedunt, literæ Apoſtolicæ conficiantur, vel etiam antequam mandata ipſa à Iudicibus ad quos directa ſunt, recipiantur, vel recepta expediantur, interdum quoque literis Apoſtolicis expeditis, & gratia purificata, ſeu mandatis prædictis receptis, & inquiſitione completa, antequam omnimoda executio perficiatur, propter diuerſa impedimenta, quæ frequenter ſuccedunt, tempus trium menſium, ex quo vacatio beneficij in loco ipſius nota eſt, expiret, ac proinde Ordinarij locorum, aut alij ad quos talium beneficiorum diſpoſitio, ceſſantibus Apoſtolicis reſeruationibus, pertinet, lapſo tempore prædicto licet priuſquam illud laberetur, prouiſionis ſiue alterius diſpoſitionis de illis à dicta Sede iam gratia facta fuerit (quod ipſum ad tribuendum, & quærendum ius ſatis ſuperque eſſe certa iuris interpretatione frequenter declaratum eſt) illa tamen conferre contendant. Qua de cauſa multis Religione & pietate inſignibus, quando ij poſt oſtenſum virtutis & doctrinæ ſuæ ſpecimen, atque inde emenſos labores, & ſumptus beneficiis potiri deberent, alij præoccupatores obtentu ordinariæ collationis huiuſmodi contra aduerſantur.

Hic Pōt. modo declarat dictā conſt. Nicol. V.

§. 2. Nos indignum rati, quod temporis mora, quam ad perſcrutandum accuratius talium probitatem, induſtriam, & alia requiſita intercedere pro vtilitate Eccleſiæ neceſſe eſt, locum iniuriis aperiat, attendenteſque verba prædicta, in loco beneficij, cum verbis, notæ vacationis, quæ protinus antecedunt coniungi, & ad illa dumtaxat referri, ac voluntatem concedentis, ſenſumque conceſſionis, & literarum prædictarum ſic eſſe, vt diſpoſitio beneficij intra tres menſes à die notæ vacationis à Sede prædicta fieri, deque gratia facta alicubi apparere debeat, quemadmodum re inter vtriuſque iuris interpretes iampridem controuerſa ſumma ratione iudicatum apparet, vix enim eſt, vt itineribus non modo infeſtis, aut prohibitis, quod fere ſemper aliquo contingit, ſed etiam expeditis, quis ex tam longinquis regionibus ad dictam Sedem profectus, & in ea ad expediendum negotium, vel pauliſper moratus, in eaſdem ſe recipere tanta temporis anguſtia poſſit. Quocirca æquitate & iuſtitia ſuadentibus, præſentium auctoritate declaramus, conceſſionem Nicolai Papæ, & literas prædictas locum omnino non habere, quod Ordinarij, aut alij collatores prædicti, poſt lapſum trium menſium ex die notæ vacationis in loco beneficij diſponere poſſint de vllis beneficiis prædictis, alias ſub conceſſione & literis prædictis comprehenſis extra Rom. Cur. in menſibus prædictis quoquomodo vacantibus vel vacaturis, de quibus intra dictum tempus trium menſium per Romanum Pontificem, ac dictam Sedem qualiſcumque gratia, vel diſpoſitio, aut conceſſio facta fuerit. Ne tamen cuiquam licitum ſit factam à Sede prædicta diſpoſitionem huiuſmodi in longum obtegere, illi quibus deinceps gratiæ huiuſmodi concedentur, etiam conceſſionum fidem & teſtimonium, intra tres menſes à die notæ vacationis in loco beneficij huiuſmodi, vel dictis collatoribus ſignificare, vel in ipſo beneficij loco publicare quoquomodo teneantur.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes omnes & quaſcumque diſpoſitiones de dictis beneficiis ab eiſdem collatoribus poſt ſignificationem, ſeu publicationem huiuſmodi pro tempore factas, nullas & inualidas, nulliuſque roboris vel momenti fore. Sicque in quibuſuis cauſis pendentibus, & futuris iudicari debere; necnon irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his ab eiſdem collatoribus, aut quibuſcumque aliis ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Collatorum inobedientium pœna.

§. 4. Quod ſi forte quiſquam collatorum prædictorum fuerit præſentium violator, eum à beneficiorum & officiorum collatione tamdiu ſuſpendimus, donec ipſe veniam petens reſtitutionis gratiam à Sede prædicta meruerit obtinere.

Fides tranſumptorum.

§. 5. Ceterum volumus vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis Notarij publici manu, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides in iudicio & extra illud vbique locorum adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

§. 12. Nulli

Digitized by Google

Sanctio pœnalis.

§.12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, decreti, suspensionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P An. 5. 1. Nouemb.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1576. Kalend. Nouembr. Pontificatus nostri anno 5.

Publicatio

Anno à Natiuitate Domini 1576. indict. 4. die vero 29. mensis Nouemb. Pontif. Sanctiss. in Christo patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno 5. retroscriptæ literæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis spatium dimissæ in valuis S. Io. Lateranen. & Principis Apostol. de Vrbe & in acie Campi Floræ, per nos Ioannem Freyle, & Claudium Mongeat eiusdem S. D. N. Pap. Curs.

Ant. Ludouicus Mag. Curs.

XLII. Institutio Collegij Græcorum in Vrbe, pro Scholaribus Nationis Græcæ piè alendis & instruendis, cum annuorum reddituum assignatione, & indultorum concessione.

Ad materiam Græcorum plene notani sup. in const. 14. Innoc. IV. Sub Catholicæ. *ibi videas.*

Edita An. D. 1577.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium.

IN Apostolicæ Sedis specula disponente Domino, meritis licet imparibus constituti, ad vniuersarum gentium, populorumque Christi fidem colentium salutem procurandam, ita nos esse agnoscimus debitores, vt non minus longe quam iuxta positis, charitatis & vigilantiæ nostræ studium impartientes, quod expedire censemus, hucusque pro viribus exequamur.

Græci imperio & scientia erant sublimes, sed ad præsens inmaxima sunt calamitate, & ignorantia & à fide Catholica deuiarunt.

§.1. Itaque cum Christiani Orbis partes mentis nostræ oculis perlustramus, inter varias horum temporum ærumnas animum nostrum iubet miseratio Græcæ Nationis, quæ diu olim literarum scientiarumque eruditi. præstant. & imperij floruerit sublimitate, postea Turcarum subiecta tyrannidi, ad extremam fuit redacta calamitatem, & quod miserrimum est, corporum seruitutem secuta est captiuitas animorum, quia in tantam scientiarum omnium ignorantiam Græciæ populi deuenerunt, vt vix vllus inter eos reperiatur, qui illas profiteri, & alios docere possit, atque adeo omnes, qui Episcoporum, presbyterorum, alteriusque Ecclesiastici Ordinis gradum inter eos obtinent fœdissimis ignorantiæ tenebris obuoluti, sacræ theologiæ rudes, Catholicorum dogmatum ignari, & ab orthodoxorum religionis semita, & S. R. E. omnium matris & magistræ obedientia, recedentes, in varios errores, & schismata prolapsi sunt, & laicos in eamdem erroris foueam secum pertraxerunt.

Hic igitur Pont. volens eos ad salutis viã & lumen reducere, in Vrbe Collegiũ Græcorũ erigit, cum assignatione reddituum.

§.2. Quocirca cupientes antiquam & celebrem Nationem ab huiusmodi ignorantiæ, & eorum caligine ad veritatis lucem, & salutis viam reuocare, nullum ad id aptius remedium à nobis existimauimus posse adhiberi, quàm si in Alma hac Vrbe nostra Collegium erigatur, in quo pueri & adolescentes Græci ex ipsa Græcia, & aliis Prouinciis ac locis, vbi commorantur inquisiti, alantur, & Græcis literis, liberalibus disciplinis ac scientiis, sacra præsertim Theologia, Ecclesiasticis præterea ritibus, à viris probatæ fidei & doctrinæ sedulo instituantur, & postquam in Catholicæ fidei firmitate solidati fuerint, & in huiusmodi studiis profecerint, ad eorum Prouinciam & loca redeuntes alij, qui monasticam vitam maluerint profiteri, ceteros Monachos & Religiosos Catholicæ instruere, & ad monasticam disciplinam, regularemque obseruantiam à qua penitus declinare videntur, iuxta Sanctorum Patrum instituta reuocare studeant. Alij autem qui in clerum adscribentur, Nationis suæ populis prodesse, & præesse, animarum curam exercere, verbum Dei sincere prædicare, Populos ab erroribus & schismate remouere, & ad salutarem orthodoxæ fidei veritatem reducere possint. Reliqui vero qui in laicali vita permanserint, publice per Ciuitates aliorum Græcorum filios, eiusdem fidei rudimenta & veritatem, literasque & artes liberales edocere, ac similiter in orthodoxæ religionis cultu continere valeant. Atque ita diuina fauente gratia sperari possit, vt sana & integra fidei prædicatio & doctrina in ipsa Græcia, & totius præterea Orientis partibus, aliquando restituatur. Priscorumque gentis eiusdem patrum lumina clarescant. Proinde ad Omnipotentis Dei gloriam, sanctæ fidei Catholicæ exaltationem, animarum eorumdem Græcorum salutem, ac perpetuam ipsorum cum Ecclesia Romana vnionem, Motu proprio, certaque scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, vnũ Collegium Græcorum puerorum, & adolescentum in eadem Vrbe nostra, loco ad id statuendo auctoritate Apostolica tenore præsentium erigimus & instituimus, eique dotis nomine centum scuta auri, ex nostris & Cam. Apost. pecuniis, donec aliter opportune prouideatur in singulos menses soluenda assignamus. Præterea cum Cathedralis Ecclesia Chisamen. Insulæ Cretæ certo modo vacauerit, & vacet ad præsens, nos considerantes Ecclesiam ipsam, Clero populoque Latino, exceptis paucis quibusdam Canonicis, qui tamen ab immemorabili tempore, siue ob tenuitatem præbendarum, siue alias ob causas ibi numquam resederunt, sed Cydoniæ ibi propinquæ habitare soliti sunt; omnino carere conuenire iudicauimus, subsidium aliquod Collegio prædicto in sustentationem Scholarium ex huius Ecclesiæ fructibus applicare, donec Deo dante talis constitui possit Episcopus, qui etiam clero & populo Græco sacramenta, & quæ sunt Pontificalis ordinis valeat ministrare; quare omnes dictæ Chisamen. Ecclesiæ fructus, redditus, & prouentus, omniaque iura, obuentiones, & emolumenta, exceptis ducentis scutis, annue administratori seu Vicario, qui à nobis eidem Ecclesiæ deputabitur persoluendis, & annua pensione centum scutorum auri similium, quàm Venerabili fratri nunc Episcopo Milouien. vt commodius substentari possit, assignari decernimus, ipsi Græcorum Collegio à nobis erecto ad annos quindecim eadem auctoritate Apostolica applicamus, attribuimus, & assignamus, ita vt ab ipsius Collegij procuratoribus, propria auctoritate ea omnia exigi, percipi, & leuari, prædiaque, domus, & bona quæcumque locari, aliaque ad id opportuna & necessaria fieri possint.

Exemptionẽ à superioritate Ordinariorũ, & aliorum concedit.

§.3. Volumus autem idem Collegium, illiusque Rectores, Oeconomos, Magistros, Præceptores, atque Scholares pro tempore in eo existentes, & eorum domesticos Officiales & Ministros, ipsiusque Collegij bona mobilia & immobilia cuiuscumque qualitatis & quantitatis, in dicta Vrbe & extra, ac alias vbique locorum consistentia, exempta esse ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate & potestate pro tempore existentis Senatoris, Conseruatorum, Reformatorumque dictæ Vrbis, necnon Rectoris studij generalis, Vicarij Vrbis, & Ordinariorum locorum, aliorumve quorumcumque Iudicum & Officialium in ipsa Vrbe, vel alias vbilibet constitutorum. Collegiumque ipsum etiam propriis eius rebus, & bonis cum ipso, & eius nomine supradicta contrahentes à solutione & exactione omnis & cuiuscumque pedagij, gabellæ, bullettini, decimarum, & cuiuscumque alterius, tàm ordinarij quam extraordinarij oneris ex quacumque causa impositorum & imponendorum eximimus, & prorsus liberamus, ac sub beati Petri & Sedis Apostolicæ, atque nostra protectione suscipimus, Nobisque & dictæ Sedi immediate subiicimus, ac liberos, immunes, & exemptos declaramus.

Priuilegia Studij Vrbis, eiusque Doctorum elargitur.

Qua vide sup. in Bonif. VIII. const. 9.

§.4. Eidemque quoque Collegio, & Scholaribus, Rectoribusque & Oeconomis, omnibus & quibuscumque priuilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus & indultis, quibus studium generale Almæ Vrbis, & illius Rector, Doctoresque in eo etiam actu legentes, quouis modo vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere valeant, in omnibus & per omnia concedimus & indulgemus, illaque eis communicamus.

Officialibus obseruantiam prædictorũ demandat.

§.5. Necnon Senatori, Conseruatoribus, Reformatoribus, Rectorique & aliis Iudicibus, officialibus, & personis prædictis, ac pro tempore existenti S. R. E. Camerario, Præsidentibusque & Clericis Cameræ Apostolicæ, ac quibusuis Commissariis ad exactionem decimarum, & aliorum onerum præfatorum pro tempore deputatis, ne quarumcumque literarum eis sub quibuscumque

Digitized by Google

tenoribus & formis conceſſarum prætextu, Collegium, Scholares, Rectores, Oeconomos, Officiales & Miniſtros prædictos, ſeu eorum aliquem in præmiſſis quouis modo moleſtent, ſeu moleſtari permittant diſtrictius inhibemus.

Facultatem promouendi Scholares Collegij ad gradus tribuit.

§. 6. Et præterea Regentibus, ac Superioribus dicti Collegij, cum aſſiſtentia tamen Cardinalium Protectorum qui pro tempore fuerint, ſiue alicuius eorum, vel de ipſorum conſilio & expreſſo conſenſu, illos, quos in dicto Collegio, & alibi per debitum tempus ſtuduiſſe, ac ſcientia & moribus idoneos eſſe repererint, ad Baccalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratuſque Magiſterij gradus, ſeruata Concilij Viennen. iuxta Vniuerſitatis eiuſdem Vrbis conſuetudinem, ſeu alias promouendi, & ipſorum graduum ſolita inſignia eis exhibendi, quodque ſic promoti facultates in quibus ſtuduerunt legere & interpretari, & de eis diſputare, & quoſcumque gradui, ſeu gradibus huiuſmodi concernentes actus exercere, ac omnibus & ſingulis gratiis, fauoribus, prærogatiuis, & indultis, quibus alij in prædicta, ſeu aliis Vniuerſitatibus, & alibi iuxta illius, & aliarum Vniuerſitatum huiuſmodi conſtitutiones & mores, ad gradus prædictos promoti, de iure vel conſuetudine vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, vti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant, perinde ac ſi gradus prædictos in ipſa Vniuerſitate iuxta conſuetudinem & mores prædictos ſuſcepiſſent, concedendi & indulgendi liberam eadem auctoritate tribuimus facultatem.

Cardinalem Protectorem Collegij deputat.

§. 7. Inſuper vt ipſius Collegij conſeruationi, bonoque regimini, tàm in his quæ ad inſtitutionem & diſciplinam, quam quæ ad victum & veſtitum, aliaque huiuſmodi neceſſaria pertinent opportunius conſulatur, Dilectos filios noſtros Iacobum S. Mariæ in Tranſtiberim Sabellum, & Guglielmum S. Laurentij in Paniſperna Sirletum, ac Iulium Antonium S. Bartholomæi in Inſula Sanctæ Seuerinæ titulorum preſbyteros, necnon Antonium S. Mariæ in Coſmedin Diaconum Carafam, nuncupatos Cardinales eiuſdem Collegij Protectores & Defenſores conſtituimus & deputamus, quorum conſilio & ſpe ſupradicta, & alia quæcumque ad eoſdem in Collegio admittendos Scholares, retinendoſve, ac admittendos ſpectantia agant & ordinent. Dantes eiſdem & pro tempore exiſtentibus Protectoribus, plenam & liberam facultatem & auctoritatem pro ſalubri directione & conſeruatione dicti Collegij, illiuſque bonorum & rerum, ac iurium tàm ſpiritualium quàm temporalium Oeconomos, Aduocatos, Procuratores, alioſque miniſtros & officiales in eo deputandi, amouendique, & alios eorum loco ſufficiendi, ordinationeſque & ſtatuta, licita tamen & honeſta, ſacriſque Canonibus & Concilio Tridentino non repugnantia, faciendi & edendi, eaque cum viſum fuerit reuocandi, immutandi, corrigendi, aliaque de nouo condendi, quæ poſtquam facta, edita, reuocata, immutata & correcta fuerint, perinde haberi volumus, ac ſi auctoritate Apoſtolica approbata, & confirmata eſſent, illaque ab omnibus Rectoribus, Magiſtris, Scholaribus, aliiſve perſonis in Collegio ſeruientibus & miniſtrantibus inuiolabiliter obſeruari, ac iuxta eorumdem diſpoſitionem, & quibuſuis Iudicibus, ſublata eis quauis aliter iudicandi facultate, iudicari ac definiri debere. Et ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Clauſula derogat.

§. 8. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & dictæ Vrbis iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Senatori, Conſeruatoribus, Reformatoribus, Camerario, Vniuerſitatibus, ac earum Collegiis, Rectoribus, & perſonis, aliiſque prædictis, necnon præfatæ Vrbi & Populo Romano ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innouatis: quibus omnibus illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omnino hominum, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, 1577. Idus Ianuarij, Pontificatus noſtri anno quinto. *Dat. P. An. die 13. Ianu.*

Die 28. Martij 1577. præſentes litera Apoſtolicæ præſentatæ fuerunt in Cam. Apoſt. & ex decreto in eo facto, admiſſæ, & regiſtratæ fuerunt libro ſignaturarum diuerſorum Pontificum penes me infraſcriptum dictæ Cameræ Notarium exiſtentem. *Admiſſio, & regiſtratio in Cam. Apoſt.*

Tydeus de Marchis Not.

XLIII.

Declaratio quod ſpolia Regularium extra clauſtra vagantium, ſpectant ad R. Cameram Apoſtolicam, iuxta conſtitutiones Pauli III. & aliorum prædeceſſorum.

De materia Spoliorum notas Inſpice infra in conſt. 18. Pauli V. In eminenti.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1577.

OFficij noſtri partes ſedulo præſtare tenemur, vt dubia, quæ ab aliquibus falſo ſub prætextu, vel nimis ſubtiliter excitata, in Cameræ noſtræ Apoſt. præiudicium tendunt, declaratione noſtra dilucidentur. *Exordium.*

§. 1. Nuper accepimus quod etſi fel. rec. Pius Papa IV. prædeceſſor noſter conſtitutionem, & quæcumque in illa continerentur per piæ mem. Paulum Papam IV. etiam prædeceſſorem noſtrum contra Apoſtatas editam, per quam inter ceteta decreuit bona quæcumque mobilia & immobilia ac cenſus, redditus, & prouentus, iura, & actiones per regularem Ordinem profeſſos, extra clauſtra ſuorum regularium locorum, etiam de licentia ſuorum Superiorum degentes, tempore quo extra clauſtra huiuſmodi fuiſſent acquiſita, etiam ſi acquiſitiones huiuſmodi ab ipſis profeſſis ex redditibus beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura vel ſine cura per eos obtentorum ſeu detentorum, aut ex propria induſtria ſeu artificio, mercatura, vel ex teſtamento, ſiue ſucceſſione ab inteſtato quorumuis conſanguineorum, affinium, vel amicorum ſuorum, aut quorumcumque aliorum factæ eſſent, non Fiſco, aut Cameræ Apoſtolicæ, ſed Religioni, aut Monaſteriis, in quo ſeu quibus primo profeſſi fuiſſent, eo ipſo applicata eſſe, & cenſeri debere, ad iuris & ſacrarum conſtitutionum formam reduxerit. *Pius IV. in conſt. ad terminos iuris & ſacrarū conſt. reduxit bullā 14. Paul. IV. quæ eſt ſupra in qua applicauerat bona regulariū degentium extra clauſtra Monaſteriis in quibus illi primo profeſſi fuerant.*

§. 2. Necnon præfata bona regularium extra clauſtra vt præfertur degentium, ſiue mendicantium ſiue non mendicantium, aut militiarum profeſſorum, etiam ſi loca, & canonicales portiones, aut dignitates, in cathedralibus vel collegiatis Eccleſiis cuiuſuis Ordinis regularibus obtinuerint, ac Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, Primitiali, vel quauis alia præfulſerint dignitate, poſt eorum obitum ad eamdem Cameram Apoſtolicam, & iuxta conſtitutionem fel. record. Pauli Papæ III. ſuper ſpoliis ſub Dat. videlicet, tertio nonas Ianuarij, Pontificatus ſui anno tertio promulgatam, legitime ſpectent & pertineant, idque per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, dum Collector generalis ad recuperandum ſpolia regularium ſpecifice deputatus fuit, aperte demonſtratum extiterit, ac in poſſeſſione illa exigendi, ac recuperandi eadem Camera merito ſemper fuerit, nihilominus nonnulli vano ſub dictæ conſtitutionis Pauli IV. prædeceſſoris præfati prætextu contrarium aliquando aſſerere non dubitarint. *Sed ex conſt. 29 Paul III. quæ eſt ſup. iſta ſpolia ſpectabant ad Cam. Ap. multi contrarium dicebāt.*

§. 3. Nos omnem circa prædicta dubitandi occaſionem dimouere, ſimulque æquitate & iuſtitia ſuadentibus eiuſdem Cameræ indemnitati, ne in dies moleſtiis & incommodis afficiatur, conſulere volentes, præſentium auctoritate, declaramus, res & bona quæcumque per dictos regulares extra clauſtra Eccleſiarum, monaſteriorum, domorum, & quorumcumque regularium locorum degentes, quocumque iure & actione, ſiue ex cauſa teſtati ſiue inteſtati acquiſita, & in poſterum acquirenda, vel ad eos delata in quibuſuis prouinciis, dominiis, regnis, & locis conſiſtant, niſi iidem ad quos illa ſpectauerint, ſufficienti fuerint teſtandi, aut de illis diſponendi facultate ſuffulti, eaque legitime vſi fuerint, ad eamdem Cameram pleno iure pertinuiſſe & ſpectare ac bona quæcumque *Ideo Pont. declarat bona eorumdem ad Cam. Apoſt. ſpectaſſe & ſpectare pleno iure iuxta bullas Pauli III. & aliorū prædeceſſorū.*

Digitized by Google

que eorumdem sub spoliorum nomine comprehensa per ipsam Cameram, eiusque nomine à quibuscumque illa quandoque occupantibus & detinentibus recuperari ac vindicari potuisse & posse, ac iuxta Pauli Tertij & aliorum prædecessorum nostrorum literas eadem Camera Apostolica in huiusmodi bonis spolia nuncupatis vere vniuersaliter succedente, quod ipsa Camera præ ceteris hæredibus & successoribus ampliori est priuilegio munita, cuique merito magis fauendum est, dum in eam rerum & bonorum dominium, ac possessio nulla traditione præcedente transeat, in quacumque bonorum & spoliorum, siue ad regulares dum viuerent spectantium successione, quibuscumque in rebus siue pecuniis illa consistant, etiam si nominatim, aut alia speciali nota illa designanda essent, quæ ad eamdem Cameram iure spoliorum pertinuerunt & pertinebunt in posterum, omni prorsus fictione penitus cessante, ius & nomen veri hæredis in eisdem spoliis habere, illiusque natutam sortiri, ac veri hæredis priuilegiis & iuribus in quibuscumque bonis, pecuniis, iuribus & actionibus, vti antehac potuisse & nunc posse, idque eorumdem prædecessorum ac nostræ etiam intentionis semper fuisse & esse auctoritate præsentium declaramus.

Decretum irritans.

§.4. Sicque per quoscumque Iudices in quibusuis causis, etiam per appellationem aut alias pendentibus & futuris, ac in quacumque causa vel instantia, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari & definiri debere, necnon quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter attentarum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Executor deputatur Thesaurarius generalis.

§.5. Mandantes dilecto filio Magistro Ludouico Tabernæ Notario & Thesaurario, necnon spoliorum ad dictam Cameram pertinentium in vniuersa Italia Collectori generali nostro, eiusque in dictis officiis successoribus, quatenus præsentem nostram declarationem, & in ea contenta quæcumque inuiolabiliter obseruari curet & faciat, non permittendo eamdem Cameram contra illius seriem, quacumque ratione vel causa, aut quouis quæsito colore vel ingenio, directe vel indirecte, molestari aut perturbari, contradictores quoslibet & rebelles, per opportuna iuris & facti remedia, ac demum per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

Clauſ. derog.

§.6. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, & Ordinum, vel Militiarum, cuius illæ fuerint, monasteriorumque vel regularium locorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis earumdem Ecclesiarum præsulibus, capitulis, ac monasteriorum, regulariumque locorum conuentibus, illorumque Ordinibus, Superioribus, & personis, necnon ciuitatibus, prouinciis, dominiis & regnis, in quibus bona vel pecuniæ collocatæ, aut illarum redditus percipiendi forsan fuerint, sub quibuscumque tenoribus & formis ac cum quibusuis clausulis & decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & ad fauorem religionis concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio aut quæuis alia expressio habenda esset, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibusuis aliis priuilegiis & indulgentiis, generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus præsentium impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ quoad hoc volumus eis nullatenus suffragari.

Fides transumptorum.

§.7. Ceterum præcipimus præsentium exemplis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & dicti Thesaurarij, seu alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, eamdem prorsus fidem adhibendam in iudicio & extra, quæ præsentibus adhiberetur si exhiberentur vel ostenderentur.

Dat. P. An 5. die 21. Ianu.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 21. Ianuarij 1577.

Confirmatio gratiarum & priuilegiorum Archihospitali S. Spiritus in Saxia de Vrbe concessorum, quatenus Concilio Tridentino, & sacris canonibus non sint contraria. Illorumque communicatio inter omnia loca Ordinis. XLIV.

Priuilegia vide sup. in const. 22. Six. IV. Religionis. *vbi notaui. Et cetera quæ Hospitale respiciunt, indicaui sup. in const. 7. Innoc. III.* Inter.

GREGORIVS PAPA XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1577.

Exordium.

SI inter præcipuas virtutes, quas Theologicas dicimus, charitas principem locum obtinet, iactis fidei & spei fundamentis, vt cuius virtutis effectus, qui insignes nobis ante oculos obuersantur, ac præsertim in Archihospitali nostro S. Spiritus in Saxia de Vrbe elucent, dum in cuiusuis generis languentes, vulneratos, infirmosque curando infantibus expositis alendis, puellis nubilibus in matrimonium collocandis, summo Christianæ pietatis studio officia exercentur, illa non solum eo in Archihospitali conseruari, verum etiam in dies augeri, summa ope curandum nobis est, eamque ob causam facile inducimur, vt quæ à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, & ad eius Archihospitalis, & ab illo dependentium locorum decus & ornamentum, & pauperum subuentionem concessa sunt, Apostolicæ firmitatis robur adiiciamus, aliasque desuper disponamus, prout in Domino conspicimus expedire.

Innoc. III. erexit in Vrbe Hospitale Sancti Spiritus, & Sixt. IV illud ampliauit vt sup. in eius const. cit. in rub.

§.1. Dudum siquidem Innocentius Papa Tertius, qui dictum Archihospitale fundauit & instituit, ac deinde successiue plerique Romani Pontifices prædecessores nostri, inter quos Sixtus Papa Quartus idem Archihospitale maxime auxit, cupien. illud, ac eius bona & iura perpetuo conseruari, defendi, & protegi, idem Archihospitale, illiusque præceptoriam, quæ conuentualis, aut caput aliarum præceptoriarum Hospitalis & Ordinis prædictorum existit, & à qua omnes aliæ præceptoriæ per fratres eiusdem Archihospitalis teneri solitæ dependent, ac personas, quæ eius curam gerent ab eodem Archihospitali dependen. prædictas præceptorias, Prioratus, Oratoria, Ecclesias, Capellas, membra, grangias, ac in eis respective institutas & erectas Confraternitates, illarumque Confratres variis indulgentiis etiam plenariis, ac facultatibus priuilegiis, immunitatibus exemptionibus, libertatibus, & gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, etiam per solam signaturam, aut viuæ vocis oraculo, in genere & in specie, tam per viam communicationis, siue extensionis priuilegiorum, tam mendicantium quam non mendicantium Ordinibus concessorum, ornarunt & decorarunt, ac locupletarunt, illaque antea concessa confirmarunt & approbarunt, ad omnia loca prædicta abipso Archihospitali dependentia extenderunt & ampliarunt, & alias prout in singulis dictorum prædecessorum literis desuper confectis plenius continetur.

Confirmat hic Pont. indulgentias, & priuilegia d. Hospitalis, cū clausula quatenus sint in v, n, & sacrū canonibus & Cōc. Trid. non contraria.

§.2. Cum autem ea firmius subsistere, ac maiorem vim & robur obtinere noscantur, quo sæpius fuerint Apostolica auctoritate communita. Propterea dilectus filius Theseus Aldrouandus modernus eius Archihospitalis Præceptor nobis humiliter supplicari fecit, vt in præmissis eiusdem Thesei Præceptoris honesto desiderio satisfacere aliasque in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur grauium onerum

Digitized by Google

quæ dicto Archihoſpitali incumbunt, dum facultas reddituſque omnes in pauperum, miſerabiliumque ſubuentionem erogantur, rationem haberi eſſe cenſeri, & propterea nedum priuilegia & facultates, & alia eidem Archihoſpitali, & ab eo dependentibus locis, illorumque perſonis, ac quibuſuis intuitu dicti Archihoſpitalis cõceſſa conſeruanda, verum etiam quantum cum Deo nobis licet, augenda eſſe exiſtimantes, ac quarumcumque indulgentiarum, priuilegiorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, indultorum, & cuiuſuis generis gratiarum cum quibuſuis clauſulis & decretis, tam per dictos quam quoſcumque Romanos Pontifices quibuſuis prædictis, ac aliis forſan rationibus conceſſarum tenores, & prout illa concernunt omnia & ſingula in eis contenta præſentibus pro expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, omnia & ſingula priuilegia, facultates, gratias, exemptiones, immunitates, libertates, indulgentias, peccatorum remiſſiones, conceſſiones, & indulta ſupradicta, & alia quæcumque, ſiue dicto Archihoſpitali, ſiue eius Præceptori, ac ab eodem Archihoſpitali dependen. Prioratibus, Præceptoriis, Oratoriis, Capellaniis, membris, grangiis, & locis, necnon illorum reſpectiue miniſtris & officialibus, ac tam in dicto Archihoſpitali, quam alibi inſtitutis Confraternitatibus, & Confratribus, quandocumque & qualitercumque conceſſa, indulta, & approbata, quatenus ſint in vſu, ac ſacris Canonibus, & Concilio Tridentino non contraria, ex certa noſtra ſcientia denuo Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus ac innouamus, illiſque perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, omneſque & ſingulos, tam iuris quam facti defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem ſupplemus, eademque omnia & ſingula, quæ per dictos prædeceſſores conceſſa fuerunt, prout per illos conceſſa, indulta, & elargita extiterunt, quatenus, vt præfertur ſint in vſu, aduerſus quaſcumque contrarias diſpoſitiones reſtituimus, reponimus, & plenarie reintegramus.

Loriſq; omnib. d. Ordinis communicat.

§. 3. Illaque omnia & ſingula dicto Archihoſpitali, aut in eo inſtitutæ Confraternitati, aut quibuſuis certis & deſignatis locis dumtaxat forſan conceſſa, vniuerſis & ſingulis, quæ ab eodem Archihoſpitali dependent Prioratibus, Præceptoriis, Eccleſiis, Capellaniis, Hoſpitalibus, Oratoriis, Eremitoriis, grangiis, membris, & locis, ac Confraternitatibus, illarumque Confratribus, & quæ illis in vim priuilegiorum prædictorum iam fuerunt, & in poſterum vnirì contigerit, illorumque miniſtris ac ſeruientibus communicamus, concedimus, & impartimur, eademque omnia ad illa extendimus & ampliamus.

Clauſul. præſeruatiua.

§4. Decernentes præſentes literas ſub quibuſuis ſimilium vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, aut derogationibus ſimilium gratiarum, indulgentiarum, conceſſionum, & aliorum quorumcumque nullatenus comprehẽdi, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe, cenſerique debere, ac de ſubreptionis vel obreptionis vitio, ſeu intentionis defectu, notari aut impugnari non poſſe, ſed validas ſemper & efficaces exiſtere, ac perpetuo ſuffragari.

Decretum irritans.

§.5. Sicque & non aliter in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari & definiri debere; irritumque & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Executorum deputatio & facultates.

§. 6. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris ſacri Concilij Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Decano, ac Cancellariæ Apoſtolicæ Regenti, & cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Auditori generali nunc & pro tempore exiſtentibus, per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ipſi vel duo aut vnus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dicti Theſei, & pro tempore dicti Archihoſpitalis Præceptoris, aut aliorum in præmiſſis ius & intereſſe quomodolibet habentium vel dependentium, fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, illique in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra Theſeum, & pro tempore Præceptorem prædictum, & alios quoſcumque confirmatione, approbatione, aliiſque præmiſſis iuxta præſentium continentiam & tenorem pacifice frui & gaudere, non permittentes illos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, & inquietari. Contradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras & pœnas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo; necnon legitimis ſuper his habendis, ſeruatis proceſſibus, illos ſententias, cenſuras & pœnas incurriſſe declaran. necnon etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

§.7. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præſentium vltra tres dietas ad iudicium non trahatur, ac piæ memoriæ Pij Papæ V. etiam prædeceſſorum noſtrorum reuocatione dictarum indulgentiarum cum clauſula manus adiutrices porrigentibus, quas dempta ea clauſula, nec alias ſuffragari volumus, in prouincialibuſque & ſynodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon aliorum Hoſpitalium, Monaſteriorum, Eccleſiarum etiam Cathedralium, vel Metropolitanarum, tam mendicantium quam non mendicantium Ordinum, Confraternitatum, piorumque locorum quorumcumque, ſtatutis & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtabilimentis, vſibus, & naturis; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem vel alicui eorum, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis, etiam Motu proprio, ac ex ſimili ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam forſan conſiſtorialiter conceſſis, confirmatis & innouatis; quibus omnibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, indiuidua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque; aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Clauſ. derog.

§. 8. Cetetum quia difficile foret præſentes literas ad quæcumque loca, ad quæ neceſſe fuerit deferri, volumus præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij ſeu Secretarij prædicti Archihoſpitalis ſubſcriptis, ac ſigillo dicti & pro tempore Archihoſpitalis prædicti Præceptoris munitis, eamdem fidem in iudicio & extra adhiberi, quæ præſentibus exhibitis vel oſtenſis vbique gentium & locorum haberetur.

Fides tranſumptorum.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 15. Martij, 1577. Pont. noſtri anno 5.

D.P. An. 5. 15. Mart.

Iuriſdictio S.R.E. Cardinalis Archipresbyteri & & Iudicis, cauſarum Capituli Canonicorum & aliarum perſonarum, ſacroſanctæ Lateranenſis Eccleſiæ. XLV.

Declarata & extenſa fuit hæc iuriſdictio à Paulo V. in eius conſt. 29. Adea.

Hanc Baſilicam Greg. XI. & Pius V. & alij, ceteris Vrbis & Orbis Eccleſiis maiorem eſſe declararunt, vt notaui in ipſius Greg. XI. conſtit. 1. *Super.* & conſtit. 94. Pij V. *Infirma.*

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1577.

CVm ſicut accepimus, ſæpe contingat dilectos filios Capitulum, Canonicos, Beneficiatos, Clericos, Capellanos,

Cauſa huius conſt.

Digitized by Google

Capellanos, Cantores, Sacriſtas, Miniſtros, & alias perſonas Eccleſiæ Lateranen. pro ſuis ratione Archipreſbyteratus, & dictæ Eccleſiæ negotiis, rebus, & bonis per diuerſa Tribunalia diſtrahi, & exinde variis ſumptibus, & expenſis, & moleſtiis defatigari.

Auocatio quarumcũque cauſarum tãgen. Eccleſiã, Capitulũ &c. S. Io. Lateran. coram quocũque Iudice Bo. C. vertẽt.

§. 1. Nos cupientes eorum indemnitatibus hac in parte opportune prouidere, ac illorum intuitu perſonas ipſas à ſimilibus, ſumptibus, expenſis, & moleſtiis eximere, ac fauore proſequi gratiæ ſpecialis, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulas cauſas ciuiles, & beneficiales, ſpirituales, profanas, meras & mixtas, ac etiam criminales inter ipſoſmet Capitulum, Canonicos, Beneficiatos, Clericos, Capellanos, Cantores, Sacriſtas, Miniſtros, & perſonas huiuſmodi, earumdemque litium conſortes, ſeu quomodolibet ab eis cauſam habentes in Romana Curia coram quibuſcumque Iudicibus ordinariis vel delegatis, ſeu executoribus quauis auctoritate fungentes, etiam Almæ Vrbis Vicario, Gubernatore, Senatore, & Conſeruatoribus, ac aliis Iudicibus, necnon Cameræ Apoſtolicæ Clericis, cauſarum Curiæ eiuſdem Cameræ, ſeu Palatij Apoſtolici Auditoribus, vel eorum Locatenen. ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ſuper quibuſcumque bonis etiam emphyteoticis, cenſibus, canonibus, reſponſionibus, fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, actionibus, creditis, debitis, pecuniarum ſummis, & aliis rebus Capitulum & Eccleſiam huiuſmodi tangentibus, etiam in vim Cameralium, & aliarum quarumcumque obligationum, etiam cum iuramento, & quibuſcumque renunciationibus factarum, in prima vel ſecunda, aut alia vlteriori inſtantia indeciſas pendentes, in eiſdem ſtatu & terminis in quibus reperiuntur, ab ipſis Iudibus ad ſuos harum ſerie auocamus.

Deputatio Archipreſbyteri eiuſdẽ Eccleſiæ ad audiẽn. omnes cauſas ipſius Eccleſiæ & Capituli ſũmarie, &c.

§. 2. Illaſque etiam, quatenus de nouo inchoandas, & quaſcumque alias ſimiles vel diſſimiles cauſas ciuiles, & beneficiales, ſeu Ipirituales & profanas, meras & mixtas, ac etiam criminales, citra tamen pœnam ſanguinis, & corporis afflictiuam, quas de cetero perpetuis futuris temporibus, inter Capitulum, Canonicos, & ſingulos alios prædictos, ac eorum quemlibet litis conſortes, & cauſam habentes prædictos ſuper bonis, cenſibus, reſponſionibus, fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, actionibus, creditis, debitis, pecuniarum ſummis, obligationibus etiam Cameralibus, ceteriſque rebus prædictis, etiam in actis cauſarum huiuſmodi latius deductis & deducendis, cuiuſcumque qualitatis, quantitatis, & annui valoris, & illorum occaſione moueri & exoriri contigerit, cum omnibus & ſingulis ſuis inciden. dependen. emergen. annexis, & connexis Dilecto filio Marco tituli S. Georgij in Velabro preſbytero Cardinali Altaemps nuncupato, & aliis pro tempore exiſtentibus Archipreſbyteris dictæ Eccleſiæ, tam coniunctim quam diuiſim, per ſe ſeu Vicarium ſeu Vicarios ad id ab eis deputatos ſeu deputandos ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu & figura iudicij, ſed ſola facti veritate inſpecta, & quatenus opus ſit, executiue, & manu regia abſque terminorum ſubſtantialium, & alicuius telæ iudiciariæ obſeruatione, ſine confectione regeſtri, ſeu extractus, etiam ſingulis diebus & horis, ac etiam quarumcumque feriarum, præterquam in honorem Dei indictarum vel indicendarum temporibus audiendas, cognoſcendas, decidendas, & ſine debito terminandas committimus & mandamus.

Facultas eiuſdem in Curia & extra citan. & inhiben. & inobedientes coercendi.

§. 3. Sibique dictas partes reſpectiue ſua, communiter vel diuiſim intereſſe putantes, etiam in executione citationis, ſeu citationum deſuper decernendarum nominandos, in dicta Curia vel extra, docto tamen etiam extraiudicialiter de non tuto acceſſu, citandi, ac quibus & quoties oportuerit, ſub cenſuris Eccleſiaſticis & pecuniariis pœnis ſuo arbitrio moderan. & amplian. etiam per ſimile edictum inhibendi, & in euentum non paritionis pœnas & cenſuras prædictas incurriſſe declarandi, aggrauandi, reaggrauandi, & brachij ſæcularis auxilium inuocandi, vel loco ſententiæ, ſeu ſententiarum per eum ferendarum, mandatum ſeu mandata executiua, in forma ſolita & conſueta decernendi, illudque & illa, ac quicquid per eum iudicatum fuerit exequendi, expenſas quaſcumque taxandi & moderandi.

Canonicoſque & alios ab excommun. abſoluen.

§. 4. Necnon capitulum, Canonicos, & alias dictæ Eccleſiæ perſonas ab excommunicationis, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pœnis, ſimpliciter vel ad cautelam, prout iuſtum fuerit abſoluendi.

Fataliaque prorogan. & aduerſus lapſum reſtituen.

§. 5. Necnon aduerſus lapſum temporis, & fatalium ſi neceſſe fuerit reſtituendi, & quatenus lapſa non ſint, eorum arbitrio prorogandi.

Attentata reuocan. &c.

§. 6. Attentaque & innouata quæcumque, prout iuris fuerint reuocandi, omniaque alia & ſingula in præmiſſis neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi & exequendi.

In cauſis appellationũ non obſtan ferijs procedẽ.

§. 7. Necnon Iudici ſeu Iudicibus coram quibus cauſas huiuſmodi per viam appellationum à ſententiis dictæ Eccleſiæ latis interpoſitarum introduci contigerit dictis feriis indicendis, ac modo & forma præmiſſis ad illarum totalem & celerem expeditionem procedere poſſint, plenam, liberam, & omnimodam facultatem & poteſtatem & auctoritatem concedimus & elargimur.

Cauſæ ab Archipreſbytero auocari non poſſint niſi à Pontifice illo citato.

§. 8. Decernentes cauſas huiuſmodi à dicto Cardinali & pro tempore Archipreſbytero exiſtente, vel eius Vicario prædicto nullo vnquam tempore auocari poſſe, & quaſcumque illarum auocationes, nullius roboris vel momenti fore, niſi illa per ſpeciale reſcriptum, noſtra vel pro tempore exiſtentis Rom. Pontificis manu ſignatum, etiam cum præſentium literatum de verbo ad verbum facienda inſertione, Motu ſimili, vocatis & citatis Marco Cardinali, & pro tempore exiſtente Archipreſbytero & Capitulo prædictis factæ fuerint.

Decretum irritans.

§. 9. Irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula derogatoria.

§. 10. Non obſtantibus feriis, & aliis præmiſſis, ac Regula Cancellariæ Apoſtolicæ prohibente mandata executiua alias quam ſub plumbo expediri, necnon aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtylo Palatij, & aliarum dictæ Vrbis Curiarum & Tribunalium, ac Vniuerſitatum, Collegiorum, & locorum, ſtatutis, & conſuetudinibus, iuramento, roboratis priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, illorumque Iudicibus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, vel alias quomodolibet conceſſis, approbatis & innouatis. Quibus omnibus etiam ſi de illis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. P. An 6. die 13. Iunij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 13. Iunij, 1577. Pont. noſtri anno 6.

Erectio Eremitorij del Tardon, in Monaſterium Ordinis S. Baſilij, eiuſque & aliorum Monaſteriorum d. Ordinis in Regnis Hiſpaniarum aggregatio eidem Ordini, cum priuilegiorum conceſſione. XLVI.

In hoc poſtea Monaſterio præfinita eſt inſtitutio Monachorum reformatorum, vt habetur infra in Clem. VIII. conſt. 103. Altiſſimi. *vbi videas alia indicanda.*

Edita A. D. 1576.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Præmium.

COgit muneris Apoſtolici ratio de omnium Religioſorum ſtatu nos eſſe ſolicitos, atque eorum curam

Digitized by Google

ſuſcipere diligentem, qui reiectis mundi deliciis & illecebris, antiquorum ſanctorum Patrum exemplo in ſolitudines conceſſerunt, ieiunijs, orationibus, &cœleſtium contemplationi aſſidue inſiſtentes, vt cum talium numerum alicubi auctum intelligimus, ipſorum vitam, & mores ſub certa alicuius approbatæ regulæ norma ad Dei gloriam & eorumdem ſalutem prouide dirigamus.

Matthæus de la Fuente certam religiosã vitam degit & multi eum ſancti ſunt.

§. 1. Ad noſtram ſiquidem peruenit notitiam, quod cum viginti ab hinc, vel circiter annis quondam Matthęus de la Fuẽte de Halmiruete Toletañ. diœc. dum ſoli Deo placere ſtuderet, vna cum duobus, vel tribus ſociis in Eremum del Tardon Cordubeñ. diœc. ſe recepiſſet, & in ea proprio labore victum parans pauperem vitam duceret, nonnulli alij eius exemplo, & religioſæ vitæ fama commoti, ſæculi curis poſthabitis eamdem viuendi rationem amplexi ſunt, & ſe illis ſocios adiunxerunt, ipſum præterea Matthæum per loci Ordinarium ad ſacros, & preſbyteratus ordines fuiſſe promotum.

Qui habitu noſtro conſt. Pij V. 76. quæ eſt ſup. regula S. Baſilij perfecti ſunt.

§. 2. Et licet Eremi cultores inter ſe diſtinctas cellulas inhabitarent, eos tamen conſueuiſſe ad eumdem Matthæum tanquam eorum Patrem, & ſuperiorem, à quo in via Domini inſtruerentur recurrere, ſtatutiſque horis in quodam Oratorio ad pie orandum ſimul conuenire, ac ſub dicti Matthæi voluntaria obedientia degere; huncque viuendi morem eo vſque fuiſſe ſeruatum, donec ad eorum notitiam conſtitutio fel. rec. Pij Papæ V. prædeceſſoris noſtri deducta fuit, qua ſancitum eſt, ab iis, qui in Congregationibus ſub obedientia voluntaria viuerent, quorum habitus à preſbyteris ſæcularibus eſſet diſtinctus, prout ipſorum erat, profeſſionem omnino eſſe emittendam, electa, ab ipſis vna ſub qua degerent ex Regulis approbatis.

Et domos in ipſo Eremo, habitare cœperunt Monachorum more viuendo, & diuina conuẽtualiter recitando, neceſſariaque ad victum propriis laboribus parando.

§. 3. Nam poſtquam idem Matthæus, & ſocij conſtitutionis huius certiores facti fuerunt, Regulam S. Baſilij eorum viuendi inſtituto, vt cenſuerint magis accommodatam, ad cuius præſcriptũ Altiſſimo pium exhiberent in habitu humilitatis obſequium, delegerunt. Et deinde Matthæus profeſſionem iuxta dictam Regulam emittere volens, preſbyterum ex ſuis ſociis Eremitis, in cuius manibus profiteretur, ſuo arbitrio elegit, & in eius manibus tria vota iuxta regulam prædictam quantum in ſe fuit, profeſſus eſt. Reliqui vero omnes Eremitæ in dicti Matthæi manibus ſimilem profeſſionem emiſerunt, & derelicto cellularum vſu in domos apud Eremum del Tardon, vt præfertur, & Vallis del Galleguillos Iſpaleñ. diœc. propriis eorum manibus ad Monaſterij formam conſtructas, clauſuraque munitas numero quadraginta, & vltra demigrarunt, vbi Religioſorum, & Monachorum more viuerent, prout de præſenti viuunt, horaſque canonicas in Choro, & Miſſas conuentualiter quemadmodum in aliis Monaſteriis fieri conſueuit, iuxta Romanum vſum celebrarunt, neceſſariaque ad vitam propriis manuum laboribus iuxta eorum inſtitutum parando, nec eleemoſynas petierunt, nec oblatas acceperunt.

Ipſeq; Matth. Abbatis munere functus fuit. Eoque mortuo Didacus Vidal Abbas creatus fuit.

§. 4. Religioſiſque in prædictis locis, ſic vt præfertur, redactis, idem Matthæus in vtriuſque domibus quaſi illæ in Monaſteria iam erectæ eſſent, nonnullorum qui periti habebantur conſilium ſequutus, Abbatis munere donec vixit ſine canonica prouiſione functus fuit, & poſt eius obitum credentes Religioſi prædicti Monaſteria veri, & legitimi Abbatis regimine eſſe deſtituta, alium Religioſum ex eo numero, videlicet dilectum filium Didacum Vidal in eiuſdem Matthæi locum elegerunt.

Quia tamen eorum profeſſio nulliter emiſſa erat & dicta Eremitoria canonice non erant erecta in Monaſteria Ordinis.

§. 5. Cum autem iidem Eremitæ prædictam profeſſionem in manibus eius, qui illam recipiendi facultatem non habebat emiſerint, eademque profeſſio nulla, & inualida reddatur, ac del Tardon, & Vallis de Galleguillos Domus, & Eremitoria huiuſmodi in Monaſteria Ordinis S. Baſilij adhuc canonice erecta non fuiſſe, nec eſſe conſtet.

Ideo hic Pontifex Monaſteria erigit in illis dignitatẽ Abbatialem & alia officia inſtituit.

§. 6. Nos dictorum Eremitarum ſtatui opportune conſulendum eſſe exiſtimantes, ipſoſque, & eorum ſingulos à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes. Ad omnipotentis Dei gloriam, & Religionis Chriſtianæ propagationem prædicta, del Tardon, & Vallis de Galleguillos Eremitoria, ſeu Domos in Monaſteria dicti Ordinis S. Baſilij, cum ſuis Eccleſiis, & Conuentibus, necnon Menſis, Sigillis, Arcis, aliiſque omnibus inſignibus ad id requiſitis, & conſuetis, ac in ſingulis dignitatem Abbatialem, adminiſtrationes, & officia, in aliis Monaſteriis ipſius Ordinis haberi ſolita pro Abbatibus, Monachis ad iuſtum numerum Conuentus, cultum, & regularem diſciplinam ibidem obſeruaturis, perpetuo erigimus, & inſtituimus. Ac illis ſic erectis, eorumque Menſis, bona, cenſus, actiones, & iura omnia ſuarum cuiuſque domorum, ſeu Eremitoriorum ſic in Monaſteria erectorum perpetuo applicamus, & appropriamus.

Illiſque dat facultatem, in eorum Eccl. Euchariſtiam retinendi & alia officia celebrãdi, iuxta Miſſale & Breuiarium nuper reſtitutũ.

§. 7. Ac ipſorum Monaſteriorum ſic erectorum, Abbatibus, Conuentibus in ſuis quiſque Eccleſiis prædictis ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum cum debitis honore, & reuerentia habendi & retinendi, Miſſas, & alia diuina Officia latina lingua ſecundum cõſuetudinem, ſeu ritum Romanæ Eccleſiæ, & iuxta Breuiarium, & Miſſale Roman. ex decreto Concilij Tridentini nouiſſime reſtituta, & iuſſu prædicti Pij Papæ edita, donec aliud Sedi Apoſtolicæ expedire videbitur celebrandi, recitandi, & cantandi licentiam tribuimus.

Monaſteriaq; prædicta, & alia in Regnis Hiſpaniarum conſtruenda ſubijcit Ordini S Baſilij, & ſub protectione Sedis Apoſt. recipit, & ab Ordinariorum iuriſdict. liberat.

§. 8. Ipſaque ſic erecta Monaſteria del Tardon, & de Galleguillos, ac etiam Monaſteriorum S. Mariæ de Quiedo eiuſdem Ordinis S. Baſilij Giennen. diœc. à fel. rec. Pio Papa IV. erectum, & inſtitutum & à nobis per noſtras literas in forma Breuis Monachis eiuſdem Ordinis in Italia exiſtentibus, ſub vnius Abbatis, ſeu Præſidentis generalis in toto Ordine eligendi obedientia ſubiectum, ac perpetuo coniunctum, & quæcumque alia Monaſteria eiuſdem Ordinis Sancti Baſilij in Hiſpaniarum Regnis in poſterum conſtruenda, & erigenda, dicto Ordini S. Baſilij, ſub obedientia futuri, & pro tempore exiſtentis Abbatis; ſeu Vicarij generalis eiuſdem Ordinis aggregamus, annectimus, & incorporamus, eademque ſic erecta, & erigenda Monaſteria, eorumque Abbates, & Monachos ſub immediata noſtra, & Sedis Apoſtolicæ protectione recipimus, illaque & illos ab omni Ordinarij iuriſdictione, auctoritate, & poteſtate eximimus penitus, & liberamus.

Eadem Monaſteria conſtituant inter ſe vnã prouinciam nuncupandã Hiſpaniarum, in qua prouinciale Capitulum fiat quolibet triennio.

§. 9. Ita tamen, vt tam del Tardon, & Galleguillos, quam de Quiedo, & alia in dictis Regnis ſub eadem Regula in futurum conſtruenda, & erigenda Monaſteria, vt præfertur, poſtquam conſtructa, & erecta fuerint, vnam faciant, & inter ſe conſtituant Prouinciam Hiſpaniarum nuncupandam, in qua prouinciale Capitulum vnoquoque triennio per Abbates, & Monachos, à Conuentibus ſingulorum Monaſteriorum ſuorum deputandos celebretur, & in eo vnus Viſitator eligatur, qui cum primum electus fuerit, eo ipſo Apoſtolica auctoritate confirmatus cenſeatur nulla alia requiſita confirmatione, niſi eidem Capitulo Abbatem, vel Vicarium eiuſdem Ordinis generalem contigerit præſidere, vel eſſe præſentem, cuius auctoritate eo caſu omnino debeat confirmari, dictæque Prouinciæ Monachi ſecundum Regulam eiuſdem S. Baſilij quam profitentur de cetero viuere.

Habitu nigro Monachi vtantur.

§. 10. Atque vt Monachi prædicti del Tardon, & Galleguillos in habitu cum reliquis dicti Ordinis Monachis etiam in Italia exiſtentibus conueniant, loco habitus Griſei, ſeu Brunei coloris cuiuſmodi in præſentiarum gerunt, monaſticum habitum nigrum, prout etiam alias Monachis dicti Monaſterij de Quiedo per dictas noſtras literas conceſſimus deferre, & ita in poſterum reliqui omnes eiuſdem Ordinis, & Prouinciæ Monachi futuri, eodem habitu regulari vti debeant.

Forma autem habitus declaratur inf.

Priuilegia quoque Ordinis S. Baſilij, & Congreg. Caſſinen. conceditur.

§. 11. Præterea eiſdem, ac Prouinciæ Hiſpaniarum Monaſteriis quibuſcumque, ac aliis membris, & locis ab ea dependentibus, illorumque Abbatibus, Prælatis, Monachis & perſonis, omnia priuilegia, indulta, immunitates, prærogatiuas, exemptiones, libertates, gratias, & indulgentias Ordini S. Baſilij prædicti, necnon Congregationi Montis Caſſineñ. alias Sanctæ Iuſtinæ de Padua Ordinis S. Benedicti, tam per nos, quam per alios Roman. Pontifices prædeceſſores noſtros, Sedemque prædictam alias in genere vel in ſpecie quomodolibet conceſſa (quatenus vſu recepta ſint, & Concilij Tridentini decretis, aliiſque

Digitized by Google

aliisque sacris canonibus, & ipsius Ordinis Sancti Basilij institutis non aduersentur) concedimus & communicamus.

Monachi celebrēt quāto citius Capitulū prouinciale.

§. 12. Ac insuper vt eadem Monasteria feliciter in via Domini dirigantur, prædictorum omnium Monasteriorum dictæ Prouinciæ Cōuentibus, & Monachis præcipimus, vt quamprimum prouinciale Capitulum eorumdem Monasteriorum Prouinciæ Hispaniarum celebrent, in quo vsque ad numerum viginti eorum Abbates, & Conuentuum discreti, seu Procuratores, & Monachi habitu, vel professione in eisdem Monasteriis, tam de Ouiedo, quam del Tardon, & Galleguillos antiquiores, donec tot Monasteria dicti Ordinis S. Basilij in eadem Prouincia erecta fuerint, quod illorum Abbates, & Conuentuum Discreti, seu Procuratores in eodem Capitulo congregandi eumdem numerum viginti constituant, conueniant.

Visitatoremq; ad Triennium eligāt ex Monachis prouincia Hisp.

§. 13. Atque in eo ex Monachis eiusdem Prouinciæ vnum, quem magis ad id habilem & idoneum duxerint eligendum, in eorum Visitatorem ad Triennij tempus, & eo completo successiue in prouinciali Capitulo tertio quoque anno, vt præmittitur, celebrando eligant.

Visitatores prouincia Hispan. facultates.

§. 14. Qui omnem in quibuscumque Monasteriis prædictæ Prouinciæ iurisdictionem habeat, & exerceat, ipsorumque Monasteriorum Monachos, tam in capite, quam in membris visitet, corrigat, & reformet, salua semper & reseruata dicti Abbatis, seu Vicarij eiusdem Ordinis generalis pro tempore existentis etiam in præmissis obedientia, auctoritate, & superioritate, ac Capitulis prouincialibus huiusmodi præsit, & electioni Abbatum, quorum munus etiam triennale erit, per Monachos singulorum Monasteriorum faciendæ assistat, vel ad assistendum electioni huiusmodi alium ex dictæ Prouinciæ Monachis specialiter deputet.

Visitator Abbates, & cæteri d. Prouincia Hisp. subiecti sint Abbati seu Vicario generali Ordinis.

§. 15. Prædictus autem Visitator Prouinciæ Hispaniarum huiusmodi, necnon Monasteria, Abbates, Monachi, & personæ dictæ prouinciæ Hispaniarum prædicto Abbati, seu Vicario generali vniuersi Ordinis Sancti Basilij in Italia, pro tempore eligendo, constituendo, vel deputando subiecti existant, & ab eo dependeant. Ita vt idem Abbas, seu Vicarius generalis pro tempore existentes tam in dictum eiusdem Prouinciæ Hispaniarum pro tempore Visitatorem, quam in prædicta, & alia omnia eiusdem prouinciæ erecta & erigenda Monasteria, Abbates, Priores, & alios Prælatos, ac Monachos, & personas pro tempore existentes, plenam & omnimodam iurisdictionem, auctoritatem, & superioritatem habeat, dictumque Visitatorem, Monasteria, Abbates, Priores, & Prælatos, ac Monachos, & personas, tam in capite, quam in membris visitare, corrigere, & reformare, simul vel ad partem valeat, ipsique Visitator, Abbates, Priores, & Prælati, ac Monachi, & personæ dicto Abbati, seu Vicario generali pro tempore existenti tanquam membra capiti subiaceant, eiusque monitis, & mandatis in præmissis, & aliis omnibus, omni prorsus appellatione, reclamatione, & recursu postpositis, parere & obedire, illumque cum ad eos, vel dicta Monasteria diuertere, seu pro visitatione huiusmodi, aut alias accedere contigerit, honorifice & benigne recipere, & pertractare teneantur.

Visitator conuenire debet in electione Abbatis generalis, &c.

§. 16. Idemque Visitator Prouinciæ Hispaniarum in eiusdem Abbatis generalis electione pro tempore faciendā, ac aliis rebus ad vniuersum Ordinem S. Basilij pertinentibus, pro quibus pertractandis aliarum prouinciarum Visitatores, & Superiores euocabuntur, conuenire debeat.

Et habet vocē actiuam & passiuam.

§. 17. Ac in electione Abbatis generalis huiusmodi idem Visitator actiuam, & passiuam vocem habeat.

In Capitulo prouinciali fieri possint ordinationes Conc. Trid. & Ordinis cōstitutionibus, & sacris Canonib. non contraria.

§. 18. Necnon eidem Visitatori, & aliis in Capitulo prouinciali congregatis, tam hac prima vice, quam in posterum singulis Trienniis quæcumque statuta, & ordinationes, licita & honesta, sacris Canonibus, ac prædicto Concilio Tridentino, dictique Ordinis regularibus institutis, ac generalibus illius ordinationibus, & constitutionibus non contraria condendi, & postquam condita fuerint illa in toto vel in parte, iuxta rerum & temporum qualitates mutandi, reformandi, illaque in toto vel in parte tollendi, & abrogandi, aliaque de nouo statuendi, quæ tamen ab Abbate, seu Vicario dicti Ordinis generali, & in eius defectum à Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinale eiusdem Ordinis Protectore, qui tunc erit, approbari debeant, licentiam, & facultatem concedimus.

Degentes in dicti Eremitoriis, si professionem Ordinis S. Basilij emittere voluerint recipiantur in Monachos.

§. 19. Ceterum personis Eremitoriorum, seu Domorum, del Tardon, & de Galleguillos sic in Monasteria erectorum; & earum statui, quamprimum consulendum esse rati, Dilectis filiis prædicti S. Mariæ, & S. Benedicti Ispalesi. Ordinis eiusdem S. Benedicti Monasteriorum Abbatibus, per Apostolica scripta mandamus, vt ipsi, vel aliter eorum illos singulos in Monachos, & in fratres suorum quemque Monasteriorum del Tardon, & Galleguillos admittant, & ab eis professionem regularem dicti Ordinis S. Basilij, si illam sponte emittere voluerint, recipiant; facientes eos sincera ibi in Domino charitate tractari.

Et post annū professionem emittant.

§. 20. Sed & eos qui in prædictis Domibus, seu Eremitoriis del Tardon, & de Gualleguillos sub voluntaria obedientia per annum & vltra iam permanserint, statim vbi præsentium noritiam habuerint, ad profitendum, vt præfertur, omnino teneantur quod vt faciant præcipimus per præsentes.

Exemptio à decimis.

§. 21. Postremo animaduertentes eosdem del Tardon, & de Gallegnillos post prætensam professionem in dicti Matthæi manibus sic vt præfertur emissam pro vere professis habitos fuisse, decernimus, & declaramus illos iuxta exemptiones, ac priuilegia Ordinis S. Basilij, vel alias concessa, ad solutionem decimarum frugum, & animalium ac aliarum rerum, quæ ex suarum manuum labore à die professionis prætensæ huiusmodi vsque ad hæc tempora collegerunt, ac in posterum vsque ad nouæ professionis tempora colligent, vel administrabunt, minime teneri, nec obligatos fuisse, aut esse, nec ad id per locorum Ordinarios aut alios quoscumque ad quos decimarum earumdem collectio spectat, cogi siue compelli posse.

Decretum irritans.

§. 22. Irritumque, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quin etiam eos vniuersos & singulos à solutione prædicta absoluimus, & liberamus.

Executorum deput. & facultates.

§. 23. Quocirca venerabili fratri nostro Patriarchæ Alexandrino, & dilectis filiis Archidiacono Ispalen. ac Abbati Sanctæ Fidei in Ecclesia Granaten. per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte prædictorum, & aliorum quorum interest, intererit, aut interesse poterit, aut præsentes literæ quomodolibet concernent, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem literas, & quæcumque in illis continentur firmiter obseruari Non permittentes eos, vel eorum aliquem desuper à quibuscumque in debite molestari, contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per iuris & facti remedia opportuna, ac demum per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo. Ac legitimis super his habendis seruatis seruandis processibus illos sententias, censuras, & pœnas huiusmodi incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis.

Clauſ. diuerſ.

§. 24. Non obstantibus piæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis vigore præsentium ad iudicium non trahatur, & quibusuis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis prædicti, illiusque Monasteriorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis cum quibusuis clausulis & decretis, in genere vel in specie, ac cum quibusuis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis: quibus omnibus, etiam si de illis,

Digitized by Google

eorumque totis tenoribus habenda esset mentio specialis, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides exemplorum.

§. 25. Volumus autem, præsentium exemplis manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem in iudicio & extra haberi, quæ eisdem præsentibus haberetur exhibitis, vel ostensis.

Nulli ergo omnino, &c.

D.P. An. 6. 24. Iunij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1577. octauo Kalend. Iunij, Pontificatus nostri anno 6.

XLVII. Confirmatio gratiarum, exemptionum atque Indulgentiarum Congreg. Fratrum Iesuatorum S. Hieronymi.

De hac Congregatione plene notabo infra Paul. V. constitut. 16. Religiosos. *Et quoad Indulgentias attende eiusdem Sanctiss. constitut.* 21. Romanus.

Edita A. D. 1577.

GREGORIVS PAPA XIII.
Dilecti filij salutem, & Apostolic. benedictionem.

Causa huius const.

SPectatus, qui in castitatis, paupertatis & obedientiæ præceptis, diligenter & exacte custodiendis, in vobis elucet, religionis zelus, quo duce celestis beatitudinis assidua contemplatione, siue corporis afflictione, siue orationis sanctæ studio, contra humani generis aduersarium vos communitis, nos inducunt, vt his, quæ à prædecessoribus nostris ad vestræ Congregationis decus, commodum, & ornamentum, ac animarum salutem concessa sunt, Apostolicæ firmitatis robur adiiciamus, aliasque desuper disponamus, prout in Domino conspicimus expedire.

Martin V. approbauit hanc Congregationē sup. in eius cōstitut. 11. Piæ. tom. 1.

§. 1 Dudum siquidem fel. rec. Martinus Papa V. prædecessor noster vestræ Congregationis, qui tunc essent, & in posterum forent personas, oratoria, domos, atque loca constructa, & construenda vbicumque forent constituta, cum personis, iuribus, & pertinentiis, necnon possessionibus, rebus, & bonis sub Sedis Apostolicæ protectione suscepit.

Alij Pontt. alias gratias ei dederunt, sed hic habes solū bull. 9. Alex. VI sup. tom. 1. & Clem. VII. const 36. Sacræ. ibid.

§. 2. Ac deinde piæ memoriæ Eugenius Papa Quartus, Nicolaus Quintus, Pius Secundus, Sixtus Quartus, Innocentius Octauus, Alexander Sextus, Iulius Secundus, Leo Decimus, Adrianus etiam Sextus, Clemens Septimus, Paulus Tertius, & Iulius etiam Tertius, ac Paulus Quartus, & Pius Quartus, & forsan alij Romani Pontifices prædecessores nostri, Congregationis eiusdem vtriusque sexus personas, variis indulgentiis etiam plenariis, ac peccatorum remissionibus, & facultatibus, priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, & gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, etiam per solam signaturam, ac viuæ vocis oraculo, ac alias per literas sub plumbo, & sub annulo Piscatoris concessas in genere, vel in specie, tam principaliter eidem Congregationi, quam per viam communicationis, siue extensionis priuilegiorum, tam in Mari magno nuncupatis, quam aliis literis quibuscumque, tam Mendicantium Ordinibus concessorum contentis, ornarunt, & decorarunt, ac locupletarunt, illaque antea concessa confirmarunt, & approbarunt, ac perpetua roboris firmitate consistere voluerunt.

Pius V. Ordinum Mendicātium priuilegia cōmunicauit, sup. in const. 50 Romanus. to. 2.

§. 3. Necnon vltimo loco recol. mem. Pius Papa Quintus etiam prædecessor noster, omnia & singula priuilegia, facultates, immunitates, exemptiones, gratias, libertates, indulta, tam tunc per ipsum, quam quoscumque alios Rom. Pont. prædecessores nostros, & Sedem Apost. quomodolibet Mendicantibus Ordinibus concessa, ad vos, vestramque Congregationem fratres, domos, Ecclesias, & loca quæcumque, quoad ea quæ vestræ regulæ, & modo viuendi non repugnarent, extendit & ampliauit, vosque vere Mendicantes, & sub Mendicantium Ordinibus esse, & comprehendi debere; necnon omnia & singula Conc. Trid. decreta pro Mendicantibus huiusmodi declarata & modificata, etiam pro vestra Congregatione huiusmodi declarauit & modificatus fuit, & alias prout in singulis sprædictorum prædeceff. literis desuper confectis plenius continetur.

Quæ omnia hic Pont. confirmat.

§. 4. Cum autem ea maiorem vim & robur obtinere noscantur, quæ sæpius fuerint auctoritate nostra communita, ac pro parte vestra, qui prædicta auctoritate nostra communiri, & approbari mirum in modum desideratis, nobis fuit humiliter supplicatum, vt in præmissis petitiones ad exauditionis nostræ gratiam admittere, vobisque satisfacere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur vos specialibus fauoribus & gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, priuilegiorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, indultorum, & cuiusuis generis gratiarum per dictos, & quoscumque alios Romanos Pontifices, quibusuis etiam specialibus rationibus concessorum tenores præsentibus pro expressis habentes, omnia & singula priuilegia, facultates, gratias, exemptiones, immunitates, libertates, indulgentias, ac peccatorum remissiones (citra tamen clausulam porrigendi manus adiutrices) & cōcessiones etiam per vos sufficienti ad id facultate suffultos, ad vestræ Congregationis aggregatos, infraternatos, nuncupatos, extensas, ac indulta supradicta quomodocumque, & qualitercumque concessa & approbata (quatenus sint in vsu, ac sacris Canonibus, & Conc. Trid. non contraria) ex certa nostra scientia denuo in perpetuum Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus & confirmamus: illisque perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, præsentisque scripti patrocinio communimus: omnesque & singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intercenerint in eisdem supplemus.

Clausul. præseruatiuæ, & decretum irritans.

§. 5. Decernentes præsentes literas sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, aut derogationibus, indulgentiarum, concessionum, & aliorum quorumcumque nullatenus comprehendi; sed semper ab illis exceptas esse, &c. Sicque, & non aliter, &c.

Executores deputat.

§. 6. Quocirca Venerabilibus fratribus Patriarchæ Venetiarum, Archiepiscopo Mediolanen. ac Episcopo Bononien. siue eorum in spiritualibus Vicariis generalibus per præsentes mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra, aut alicuius ex vobis, & pro tempore dictæ Congregationis fratribus, nunc, & in futurum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra vos, & pro tempore dictæ Congregationis fratres, & alios quoscumque confirmatione, approbatione, suppletione, decreto aliisque præmissis iuxta præsentium continentiam & tenorem pacifice frui & gaudere: Non permittentes vos & vestræ Cōgregationis pro tempore fratres per quoscumq; indebite molestari, perturbari, aut inquietari: Cōtradictores quoslibet, ac rebelles, & in iis, quæ præmissa concernunt, non parentes per opportuna iuris & facti remedia, ac demum per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo. Necnon legitimis super his habendis, seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausulas derogatorias adiungit.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac similis mem. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præsentium vltra tres dietas ad iudicium non trahatur, ac quibusuis aliis Apostolicis, necnon in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon dictæ Congregationis, & Ordinis S. Hieronymi, ac Regulæ S. Augustini,

Digitized by Google

guſtini, ſub qua militatis, necnon aliorum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium Ordinum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem, vel alicui eorum ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, irritãtibuſque & aliis decretis etiam Motu proprio, & ex ſimili ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam ſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, necnon omnibus illis quæ dicti prædeceſſores in eorum literis voluerunt non obſtare, contrariis quibuſcumque.

Tranſumptis credi iubet. §. 8. Ceterum quia difficile foret præſentes literas, &c.

D. P. An 6. 1. Febr. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris die 1. Februarij, 1577. Pontificatus noſtri anno 6.

XLVIII. Quod Clerici Regulares Congregationis S. Pauli Decollati, abſque licentia eius Præpoſiti generalis, ad alium quemcumque Ordinem, præter Carthuſianum, tranſire nequeant.

Huius Congregationis inſtitutionem, & alia eam tangentia notani ſup. apud Clem. VII. conſt. 37. Vota. Quibus adde, quod poſtmodum Paul. V. huic Congregationi indulſit, quod noua Monaſteria de ſola Ordinariorum licentia fundare valeat, inf. in ſua conſtit. 64. Eccleſiæ. Et in recipiendis Nouitiis formam præſcripſit in alia conſt. 84. In ſupereminenti.

Edita A. D. 1575. GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. IN ſpecula ſupremæ dignitatis diſpoſitione diuina meritis licet inſufficientibus conſtituti, inter multiplices curas quibus rerum negotiorumque varietatibus obruimur, ad ea ex debito paſtoralis officij nobis commiſſi ſolicite nos intendere decet, per quæ perſonæ religioſæ in regularis vitæ ac Eccleſiaſticæ diſciplinæ norma coadiuuante Domino ſalubriter conſeruari valeant, & quæ his contraria eſſe noſcuntur, pet noſtræ prouidentiæ ſtudium penitus euellantur.

Cauſa huius conſtit. §. 1. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Præpoſiti generalis, & Clericorum Regularium Congregationis S. Pauli Decollati Barnabinorum nuncupatorum petitio continebat, quod licet ipſi ad animas pretioſiſſimo Domini IESV CHRISTI ſanguine redemptas eidem Domino lucrifaciendas, ſemper dictæ Congregationis religioſos, ab eorum adoleſcentia bonis moribus, ac literis imbuere, omni ratione ſtuduerint, & ea in re nullis vmquam ſumptibus, neque laboribus pepercerint, nihilominus nonnulli ex dictis religioſis ob ſcientiam per eos Congregationis prædictæ auſpiciis acquiſitam, tumidiores effecti, immemoreſque officij ſui ac beneficiorum ab ipſa Congregatione acceptorum, cum primum in literis ita verſati, & eruditi reperiuntur, vt & proximorum ſaluti, & dictæ Congregationi adminiculo eſſe poſſent, libertatem appetentes, tanquam ingrati filij Congregationem ipſam ad effugiendam obedientiam, & obſeruantiam, quæ in ea arctiſſime cuſtodiuntur, ſub arctioris vitæ prætextu deſerunt, ac quod grauius eſt, etiam ipſius Congregationis perſonas ritus & mores maledictis inſequentes, alios quoque variis multiſque laxioris vitæ pollicitationibus ſubuertere non ceſſant. Quare pro parte Præpoſiti, & Clericorum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus incommodis huiuſmodi occurrere, aliaſque in præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Prohibitio tranſeundi ad alios Ordines, excepto Carthuſiano, &c. §. 2. Nos igitur qui religioſos quoſlibet in ſuis regularibus inſtitutis laudabiliter continere, omni ſtudio affectamus, Præpoſitum & Clericos prædictos, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à iure vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, ac ſub excommunicationis ſententia per contrafacientes, eiſque conſilium, auxilium, vel fauorem præſtantes ipſo facto incurrenda, & à qua præterquam in mortis articulo conſtituti ab alio quam Roman. Pontif. vel ipſius Congregationis Præpoſito generali pro tempore exiſtente abſolui non poſſint, diſtricte præcipiendo interdicimus, quod de cetero nullus dictæ Congregationis religioſus cuiuſcumque conditionis, ſiue clericus ſiue laicus fuerit, ipſam Congregationem poſt vota per eum ſecundum illius inſtitutiones emiſſa, prætextu cuiuſuis indulti ab eodem Romano Pont. pro tempore exiſtente ſeu illius Maiori Pœnitentiario, aut aliquos Sedis Apoſtolicæ Nuncio, vel Legato, etiam de latere, impetrati vel impetrandi, abſque ſpeciali & expreſſa pro tempore exiſtentis Præpoſiti prædicti licentia deſuper obtenta, exire, aut ab ea recedere, etiam ob frugem melioris vitæ, aut ſtrictioris obſeruantiæ, aut alio quæſito colore, ad quemuis alium, etiam Minorum, vel aliorum Fratrum Mendicantium, aut Ciſtercien. vel Sancti Benedicti, aut aliorum Monachorum Ordinem tranſire, vel etiam per Superiores Ordinum, & Monaſteriorum huiuſmodi (Carthuſienſi Ordine duntaxat excepto) recipi ſeu admitti poſſit, ſeu præſumat.

Formam; et fundi prohibitio. §. 3. Quodque is qui pro tempore ab ipſa Congregatione ad Carthuſien. vel de licentia prædicta ad alium Ordinem huiuſmodi tranſite voluerit, ad Carthuſien. videlicet infra tres menſes, à die quo ab ipſa Congregatione receſſerit, ad alium vero Ordinem huiuſmodi infra tempus, & à pro tempore exiſtente Præpoſito prædicto præfigendum, accedere, ac illorum Monaſteria, ſeu domos, & loca actu ingredi. Et ſi in eis permanere noluerit, aut non poſſit, abſque vlla mora ad dictam Congregationem redire teneatur.

Pœna contrà eneuntibus infligantur. §. 4. Et nihilominus ſi quis ex Clericis dictæ Congregationis animo indurato contrarium tenere præſumpſerit, vel à dicta Congregatione poſt emiſſionem votorum huiuſmodi abſque licentia prædicta exire, & in ſæculo, vel alio etiam ſæculari loco degere præſumpſerit, liceat præfato Generali, ſeu aliis dictæ Congregationis Præpoſitis, & Superioribus, eoſdem tranſgreſſores & exeuntes tanquam apoſtatas, etiam inuocato ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura iudicij, ſola facti veritate inſpecta, ad dictam Congregationem reuocare, eoſque capere, & carcerare ac debitis pœnitentiis ſubiicere. Decernentes ex nunc irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum huius conſtit. deputatio, & facultates. §. 5. Quocirca Venerabilibus fratribus noſtris Patriarchæ Alexandrino, & Archiepiſcopo Mediolanen. ac Archipreſbytero Eccleſiæ Mediolanen. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, præſentes literas & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Præpoſiti, & Clericorum prædictorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, in illis præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, præſentes literas, & in eis contenta huiuſmodi ab omnibus ad quos ſpectat inuiolabiliter obſeruari, ac Præpoſitum, & Clericos præfatos illis omnibus pacifice frui, & gaudere. Non permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari: Contradictores quoſlibet, ac rebelles, & præmiſſis non parentes, per prædictas, ac alias ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ceteraque opportuna iuris & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, ac pœnas ipſas etiam iteratis vicibus

Digitized by Google

vicibus aggrauando. Inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis.

Contrariis omnibus derogatur.

§.6. Non obſtantibus fel. record. Bonifacij Papæ Octaui prædeceſſoris noſtri qua cauetur ne quis extra ſuam Ciuitatem vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis vltra vnam dietam à fine ſuæ diœceſis ad iudicium euocetur, ſeu ne Iudices qui à dicta Sede deputati fuerint contra quoſcumque procedere, vel alij ſeu aliis vices ſuas committere præſumant; & de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis, ac in prouincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis conſtitutionibus, & odinationibus, necnon quorũcumque Monaſteriorum, Hoſpitalium, Militiarum, & Ordinum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ac exemptionibus ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis reſtitutionibus, præſentationibus, ac mentis atteſtatiuis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliis fortioribus, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam intuitu, conſideratione & ad ſupplicationem Imperatoris, Regum, Ducum, aliorumque Principum, necnon S. R. E. Cardinalium & de illorum conſilio, ac matura deliberatione prius habita, ſeu etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſis, confirmatis, ac etiam multiplicatis vicibus innouatis, quorumcumque tenorum exiſtant, contrariis quibuſcumque; aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Exemplis fides datur.

§. 7. Ceterum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca vbi neceſſe fuerit deferre, volumus & dicta auctoritate decernimus, quod præſentium literarum exemplis ſeu tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati Eccleſiaſtici Romanæ Curiæ munitis, eadem fides tam in iudicio quam extra illud vbilibet adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c.

D. P. An 6 die 13. Septb.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimoſeptimo, Idibus Septembris, Pont. noſtri anno ſexto.

XLIX. Prohibitio Sal extetum mercandi, in locis Sedi Apoſtolicæ mediate & immediate ſubiectis.

Hac prohibitio prodiit à Calixt. III. ſub die 1. Maij 1455. ſed hac ſtante conſulto à me fuit illa prætermiſſa. Extenditur autem à Clemente VIII. inf. in conſt. 49. Frumenti.

Edita A. D. 1567 & 1582

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX incumbenti nobis Apoſtolicæ ſeruituris officio, ad ea libenter intendimus, per quæ ſubditorum noſtrorum commoditati, & Cameræ Apoſtolicæ indemnitati opportune conſulatur.

Cauſa huius conſtit.

§. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, quantitas ſalis, quod in ſalinis Ciuitatis noſtræ Ceruiæ ob neceſſariam dilectorum filiorum illius Ciuium, & incolarum ſubſtentationem quotannis conficitur, & à Camera Apoſtolica certo conuento pretio emi conſueuit, adeo aucta ſit, vt nonniſi congrui temporis ſpatio diſtrahi poſſit, & ex hoc niſi remedium opportunum adhibeatur, vel ipſos Ciues, & incolas ab vlteriori eiuſdem ſalis fabrica non ſine graui eorum diſpendio ceſſare, vel ipſam Cameram pecuniarum recuperatione, quas pro dicto pretio erogat, fruſtrari oporteat.

Prohibitio mercandi ſal exterum in locis S.R.E.

§. 2. Nos cupientes, vt par eſt, non ſolum eorumdem Ciuium & incolarum, quos paterna beneuolentia proſequimur, verum etiam indemnitati eiuſdem Cameræ opportune proſpicere, ac fel. rec. Iulij Papæ III. prædeceſſoris noſtri veſtigiis inhærentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, quòd de cetero in Ciuitatibus, Terris, & locis ſanctæ Sedi Apoſtolicæ immediate ſubiectis, nulli prorſus locorum Vniuerſitati, Collegio, Communitati, vel priuatis perſonis quauis dignitate etiam Archiepiſcopali, Cardinalatus, vel maiori Eccleſiaſtica vel laicali dignitate fulgentibus, ſal exterum, & illud præſertim, quod ab oris Dalmatiæ, ſeu Orientalibus vel Meridionalibus, & aliis mundi regionibus aduehitur, in publicos, vel priuatos vſus mercari liceat, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & quoad Communitates aut Vniuerſitates mille, & quoad reliquas priuatas perſonas, & collegia perſonarum Eccleſiaſticarum, centum ducatorum auri de Camera, & amiſſionis ſalis exteri huiuſmodi, Cameræ præfatæ applican. ipſo facto per quemlibet contrauenientem, & pro qualibet contrauentione incurrendis pœnis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, & decernimus.

Executorum deputatio & facultates.

§. 3. Mandantes dilectis filiis Legatis, Præſidentibus, & Gubernatoribus Prouinciarum, & illorum Locatenentibus, ac locorum Gubernatoribus, & aliis officialibus ad quos pertinebit, in virtute ſanctæ obedientiæ, vt ſtatutum, & decretum noſtra huiuſmodi inuiolabiliter obſeruari faciant; contemptores & inobedientes, per opportuna facti & iuris remedia compeſcendo.

Clauſula derogatoria.

§. 4. Non obſtan. præmiſſis, ac fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus tam Apoſtolicis generalibus, quàm prouincialibus, necnon etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis, quomodolibet conceſſis; ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides.

§. 5. Volumus autem atque decernimus, quod præſentium tranſumptis manu alicuius Cameræ Apoſtolicæ Notarij ſubſcriptis, & ſigillo dilecti filij noſtri & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarij munitis, ea prorſus fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

D. P. An. 6. die 17. Decēb.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 17. Decembris, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Sequitur extenſio præcedentis Conſtitutionis.

Edita An. D. 1582.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad futuram rei memoriam.

Refertur conſtit. præcedēs.

ALias emanarunt à nobis literæ tenoris ſubſequentis, videlicet. Ex incumbenti, &c. vt ſupra.

Declaratio & extēſio d. prohibitionis.

§. 1. Cum autem mentis, ac voluntatis noſtræ fuerit, non modo immediate, ſed etiam mediate nobis & Apoſt. Sedis ſubiectos in præmiſſis literis comprehendi, Idcirco Motu proprio, & certa noſtra ſcientia ſimilibus tenore præſentium decernimus, & declaramus, etiam mediate nobis, & dictæ Sedi ſubiectos, in dictis literis fuiſſe comprehenſos, eaſque etiam ad hoc validas, & efficaces fuiſſe, eſſe, & fore, ac illos qui poſt earum datam hactenus quomodolibet eis contrauenerunt, & ex nunc in futurum contrauenient, pœnas prædictas incurriſſe & incurrere in omnibus & per omnia, perinde ac ſi in eiſdem literis de mediate & immediate ſubiectis ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio facta fuiſſet. Sicque ab omnibus cenſeri, & iudicari debere, necnon irritum, & inane quicquid ſecus à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſ. derog.

§. 2. Non obſtantibus omnibus, quæ in dictis literis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides tranſumptorum.

§. 3. Volumus etiam quod præſentium tranſumptis manu Notarij Cameræ Apoſtolicæ ſubſcriptis, & ſigillo noſtri, & S. R. E. Camerarij munitis, plena vbique fides adhibeatur, ac ſi originales literæ exhiberentur.

Dat. P. A. 11. Decemb.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris die 3. Decembris, 1582. Pontificatus noſtri anno Vndecimo.

Prohi

L. Prohibitio extrahendi de locis Status Ecclesiastici, triticum, hordeum, legumina, animalia & omnis generis fruges & frumenta, etiam ex bonis Ecclesiasticis collecta, vel impediendi illa afferentes ad Vrbem, aut ea emendi, præterquam pro vsu suo, suarumque familiarum vnius anni. Necnon reuocatio licentiarum & indultorum extrahendi, etiam ex causa onerosa concessorum.

Has constitutiones approbauit Clemens VIII. & alias pœnas (sublata excommunicatione) imposuit in const. 49. Frumenti. *Et ampliauit Paulus V. in const.* 12. Inter. *vbi excommunicationis pœnam contra extrahentes tantum innouauit, & supradicta indulta declarauit, & latius reuocauit.*

Pauli V. constit. mitigauit, & extrahentes non incurrere censuras Ecclesiasticas certis casibus declarauit Greg. XV. in const. 30. *Romani.* inf. tom 4.

Edita An. D. 1577. & 1578.

GREGORIVS PAPA XIII. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

VOlentes pro nostra pastorali solicitudine prouidere, vt ea quæ communem vitæ vsum & sustentationem concernunt, in statu nostro Ecclesiastico, honesto pretio habeantur, vestigiis quoque fel. record. Pij Papæ Quarti prædecessoris nostri inhærentes.

Prohibitio extrahendi frumenta, &c.

§. 1. Motu proprio & ex certa scientia nostra omnibus & singulis Communitatibus, Vniuersitatibus, ac personis, tam laicis quam Ecclesiasticis, etiam quorumuis Ordinum Regularibus, cuiusuis status, conditionis, & ordinis existentibus, etiam Archiepiscopali & Episcopali, vel alia maiori dignitate fungentibus, ac etiam Baronibus, Domicellis & Dominis temporalibus Status nostri Ecclesiastici, ac sanctæ Sedi Apostolicæ immediate subiectis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac excommunicationis latæ sententiæ pœnis, tenore præsentium inhibemus, ne quouis prætextu directe vel indirecte cuiusuis generis frumenta, blada, & legumina, atque animalia quæcumque, extra statum Ecclesiasticum extrahere & asportare audeant seu præsumant. Eos vero, qui contra inhibitionem nostram huiusmodi commiserint, vltra prædictas, etiam amissionis frumentorum, bladorum, leguminum, & animalium præfatorum, necnon quinque scutorum pro qualibet salma frumenti, bladorum, & leguminum huiusmodi, & duorum scutorum pro quolibet capite animalis, pœnas Fisco & Cameræ nostræ Apostolicæ applicandas, ipso facto incurrere volumus ac decernimus.

Executorum deputatio & facultates.

§. 2. Mandantes dilectis filiis Aloysio tituli S. Marci presbytero Cardinali Cornelio nuncupato, nostro & S.R.E. Camerario, necnon Magistro Andreę Spinolę dictę Cameræ Clerico, & Annonæ Præfecto, quatenus ipsi præcipuam in præmissis curam habentes, præsentes nostras literas, & in eis contenta quæcumque ab omnibus, quos illa concernunt, firmiter obseruari, executioniquedebitæ demandari, necnon in Prouinciis, ciuitatibus, terris, & locis Status Ecclesiastici præfati, vbi opus fuerit publicari & notificari curent, ac ad exactionem pœnarum prædictarum, quacumque appellatione remota, quibusuis opportunis, iuris & facti remediis procedant, & procedi faciant. Contradictores ac præmissorum executionem quomolibet impedientes per prædictas alias pecuniarias, ac sibi visas pœnas, etiam omni appellatione cessante, compescant. Super quibus omnibus, aliisque circa ea necessariis & opportunis plenam, & liberam per easdem præsentes ipsis concedimus facultatem.

Clausulæ derogatoriæ.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis & consuetudinibus, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis; priuilegiis, quoque, indultis & literis Apostolicis communitatibus, vniuersitatibus, ac personis quibuscumque, etiam vt præfertur qualificatis, etiam Motu simili, vel alias quomodocumque & qualitercumque concessis, confirmatis & innouatis, quibus omnibus, eorum tenores ac si ad verbum inserererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, ad effectum præsentium specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fidei exemplorum.

§. 4. Volumus autem præsentium transumptis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An 5. 18. Decemb.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 18. Decemb. 1577. Pontificatus nostri anno 6.

Sequitur latior Prohibitio extrahendi frumenta, &c. extra Statum Ecclesiasticum, & impediendi afferentes illa ad Vrbem, & emendi vltra vsum vnius anni, & reuocatio Indultorum.

GREGORIVS PAPA XIII. Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1578.

Exordium.

INter multiplices nobis ex alto commissi pastoralis officij curas, ad eam libenter intendimus, per quam in Statu nostro Ecclesiastico annonæ abundantia habeatur, & subditi nostri in rerum humano victui necessariarum copiosa affluentia late viuant; neque illarum penuria opprimantur. Quod vt fiat experientia rerum magistra docente, id maxime necessarium esse cognouimus, vt ne ipsa annona è Statu nostro prædicto extrahatur, vtque ad Almam Vrbem nostram vndique libere afferatur, neque afferentibus vllum impedimentum præstetur, neque aliqui propriis commodis studentes, contra publicam vtilitatem de his rebus monopolia facere valeant, omni studio prouideamus.

Prohibitio extrahendi vt in rubr.

§. 1. Idcirco nos pro nostri officij debito in præmissis opportune prouidere volentes, Motu proprio & ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, quòd nulli nobis & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate subiecti, cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existant, etiam si Barones, Domicelli, Comites, Marchiones, vel Duces, & Domini temporales, aut Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, vel etiam S. R. E. Cardinales extiterint, sub excommunicationis maioris, ac læsæ maiestatis criminis, dominiorum, & bonorum suorum confiscationis, feudorum amissionis, & quorumuis priuilegiorum suspensionis, & aliis etiam pecuniariis arbitrio nostro imponendis, & applicandis, ac etiam in publicis edictis, & proclamatibus per Præfectos Annonæ pro tempore tam hactenus editis & emissis, quam in futurum edendis & emittendis, quæ nos ex nunc prout ex tunc Apostoliça auctoritate approbamus & confirmamus; contentis censuris, & pœnis, triticum, hordeum, legumina, ac omnis generis frumenta, & fruges etiam ex bonis Ecclesiasticis collecta, à terris, & locis dicti status nostri Ecclesiastici, absque expressa nostra, & à nobis obtenta in scriptis, & manu nostra signata licentia, extrahere, vel extrahi facere.

Prohibitio impediendi vt in rubr.

§. 2. Nullique ex prædictis eorum subditos & vassallos, aut alias quascumque personas quo minus triticum, hordeum, legumina, frumenta, & fruges præfata, à quibusuis locis eis subiectis, quouis prætextu, etiam molituræ, aut cuiusuis alterius oneris solutionis ad Almam Vrbem nostram afferant, prohibere, aut per se vel alium seu alios, directe vel indirecte impedire audeant, quin potius illis sic afferentibus omnem opem, & fauorem præstent.

Prohibitio emendi vltra vsum vnius anni.

§. 3. Ac insuper nulli aliquam triticici, hordei, leguminum, omnisque generis frumentorum & frugum quantitatem, nisi pro suo suarumque familiarum vnius anni duntaxat vsu emere valeant, & contrafacientes, pœnas prædictas incurrisse declarentur, & aggrauentur ipso facto, statuimus atque decernimus.

Deputatio, & facultates executorii.

§. 4. Mandantes dilecto filio Aloysio tituli S. Marci presbytero

Digitized by Google

presbytero Cardinali Cornelio nuncupato, nostro & S.R.E. Camerario, ac dictæ Annonæ Præfectis, vt contra eos, qui statuto, & decreto nostro huiusmodi in aliquo contrauenerint, manu regia, & nulla tela iudiciaria seruata procedant, ac eos pœnas prædictas incurrisse declarent, aggrauent, reaggrauent, interdicant, & brachium sæculare in eos adhibeant.

Licentia etiã ex causa onerosa reuocantur.

Declarat & ampliat Paul. V eius in rub.

§.5. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis statutis & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis, ac gratiis Apostolicis, eisdem personis, ac Ciuitatibus, terris, & locis, ac quibusuis aliis per Cameram, aut per nos, & prædecessores nostros nostros, in genere vel in specie, etiam ex causa onerosa, ac sub quibuscumque tenoribus & formis forsan concessis, confirmatis & sæpius innouatis, quibus omnibus etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat latissime derogamus, & ad effectum prædictum ad beneplacitum nostrum suspensa esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma & effectus public.

§.6. Et vt præmissa omnia ad notitiam omnium deducantur, ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit, volumus quod præsentes literæ per aliquos Curiæ nostræ Cursores ad Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe & Cancellariæ Apostolicæ valuas, & in acie Campi Floræ affigantur, & cum inde amouebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa remaneant. Mandantes quoque Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus & aliis dictorum locorum Officialibus, quatenus præsentes publicent, & publicari faciant. Et quod earum transumptis, etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D.P. An. 6. 1. Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1. Maij 1578. Pontificatus nostri Anno 6.

Admissio in Cam. Apost.

Die 12. Maij 1578. præsentes literæ Apostolicæ exhibitæ, & præsentatæ in plena Camera Apostolica, instante magnifico D. Rodulpho Bonsiolo, illius Commissario generali, & ex decreto in eadem Camera facto admissæ, & registratæ fuerunt lib. 3. Signaturarum S. D. N. apud me infrascriptum dictæ Cameræ Notarium.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1578. Indict. 6. die vero 7. mensis Maij, Pontif. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno eius 6. affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem copiis affixis earum, per me Petrum Aloysium Gaytam eiusdem S. D. N. Papæ Curs.

Claudius Mongeat. Mag. Curs.

L. I. Exemptio Religionis Clericorum Regularium Societatis IESV, à solutione & præstatione decimarum, & aliorum onerum quorumcumque.

Istam exemptionem iam concesserat Paul. III. sup. in eius const. 48. Licet. *& etiam Pius IV. hic relatus. Sed iste Pontifex eam declarat & ampliat. Cetera autem de hac Societate notata sunt sup. in eiusdem Pauli III. const.* 25. Regimini.

Edita A. D. 1578.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis officij cura nobis meritis licet imparibus ex alto commissa, nos admonet, vt nostræ prouisionis efficiatur ministerio, quod ea quæ Religiosis quibuslibet, præsertim sub Sacratissimi Nominis IESV, totius humani generis Redemptoris vexillo, ad illius honorem & gloriam, proximorumque spiritualem profectum, ac orthodoxæ fidei defensionem, & propagationem in terris militantibus, ab Apostolica Sede prouide concessa reperiuntur, sublatis quibuslibet impedimentis, suos, vt par est, debitos effectus perpetuis futuris temporibus sortiantur.

Paul. III. dedit exemptionẽ à decimis.

§.1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Euerardus Mercurianus, &c.

Omittitur hæc narratiua, quia ipsa bulla est loco cit. in rub.

Pius IV. eam ampliauit, sed eius bullã non posui vti hic sufficienter relatam.

§.2. Et successiue piæ memoriæ Pius Papa IV. etiam prædecessor noster, exemptionem, ac cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis literas ipsius Pauli prædecessoris desuper confectas, necnon inde secuta quæcumque, per suas literas ex certa scientia confirmauerit, approbauerit, & etiam plenarie innouauerit. Ac pro potiori cautela vniuersam Societatem prædictam, omniaque & singula eius Domos, etiam probationis, & Collegia vbilibet consistentia, præsentia, & futura, eorumque personas, fructus, redditus, & prouentus, etiam bonorum Ecclesiasticorum, sæcularium & regularium quorumcumque, illis pro tempore vnitorum, aliasque res, & bona quæcumque à quibuslibet decimis, etiam Papalibus, prædialibus, personalibus, quartis, medietatibus, & aliis fructuum partibus, subsidiis, etiam charitatiuis & aliis ordinariis oneribus etiam prõ expeditione contra infideles, defensione patriæ, ac alias quomodolibet, etiam ad Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum Principum instantiam, pro tempore impositis, etiam si in illorum impositione caueretur, quod nulla prorsus exemptio cuiquam, aduersus illa suffragaretur. Ita quod Societas, eiusque Domus, etiam probationis, Collegia, fructus, res, & bona præfata semper ab illis absque declaratione desuper facienda, excepta essent, & esse censerentur, perpetuo liberauerit, & exemerit, prout in singulis literis prædecessorum huiusmodi plenius continetur.

Sed dubium faciebat quod non erat derogatũ cap. nuper de decim.

§.3. Nihilominus quia in illis nulla de constitutione recol. memor. Innocentij Papæ III. similiter prædecessoris nostri, in Concilio generali super decimis edita, quæ incipit. Nuper, expressa, & specifica mentio facta, nec ei specialiter & expresse derogatum fuit, idem Præpositus dubitat, singulas literas prædictas de subreptionis, seu nullitatis vitio notari, ac Societati, illiusque Domibus, Collegiis & personis prædictis minus vtiles reddi, aut illa super exemptione huiusmodi molestari, vel perturbari posse tempore procedente.

Hic ideo Pont. eamdem exẽptionẽ iterato concedit & ampliat.

§.4. Nos igitur, qui votiuum ipsius Societatis profectum syncero paternæ charitatis affectu libenter amplectimur, eisdem Societati, illiusque Domibus, etiam probationis, Collegiis, & personis, ne propterea dictarum literarum frustrentur effectu opportune prouidere volentes, ipsumque Præpositum, & singulares personas Societatis huiusmodi à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absoluros fore censentes; necnon singularum literarum prædictarum veriores tenores, ac quarumcumque litium, & causarum super præmissis iam forsan motarum, statum, & merita, nominaque & cognomina Iudicum, & collitigantium, ac titulos, & iura eorum, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, ipsius Præpositi supplicationibus in hac parte inclinati, volumus, ac Societati, illiusque Domibus, etiam probationum, Collegiis, & personis prædictis eadem auctoritate concedimus, quod singulæ literæ prædictæ cum exemptionis ceteriisque, omnibus & singulis in eis contentis clausulis, & decretis, processusque habiti per eadem, ac inde secuta quæcumque valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, & eis quibus concessæ existunt, perpetuo suffragentur in omnibus & per omnia, perinde ac si in illis de constitutione Innocentij prædecessoris, & seu Concilij generalis huiusmodi specifica, & expressa mentio facta, eique specialiter, & expresse derogatum fuisset, prout Nos eidem constitutioni ad effectum præmissum specialiter & expresse harum serie derogamus. Decernentes ita in quibuscumque causis, pendentibus & futuris, per quoscumque Iudices & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, iudicari, & definiri debere, irritum quoque & inane quicquid secus super his

à

à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§. 5. Non obstantibus litis pendentiis, si quæ sint, & aliis præmissis, ac Innocentij prædecessoris, & seu generalis Concilij huiusmodi, aliisque Apostolicis, necnon prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus & ordinationibus, ac omnibus illis, quæ in singulis literis prædictis expressum fuit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fidem transūptis tribuit.

§. 6. Volumus autem quod earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu etiam pro tempore existentis Præpositi Generalis dictæ Societatis, munitis, eadem prorsus fides, in iudicio & extra vbicumque adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D.P. An. 6. 8. Ianuar.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1. Ianuarij, 1578. Pontificatus nostri anno 6.

LII.

Iurisdictio S. R. E. Cardinalium Protectorum & Iudicum causarum Domus Piæ, ad recipiendas, & pie alendas mulieres peccatrices pœnitentes, in Vrbe institutæ.

Erecta fuit hac Domus Pia tempore Pij IV. & eius regimen spectabat ad Sodalitatem duodecim SS. Apostolorum nuncupatam, vt in eius constit. 90. In Apostolicæ. Hodie autem gubernatur & regitur à Cardd. pro tempore Protectoribus, & à Congregatione desuper instituta quamplurium piorum hominum, inter quos ego Laertius spatio multorum annorum licet minimus, non modicum insudaui.

Edita An. D. 1578.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

CVpientes, Domum Piam nuncupatã in Vrbe nostra per fel. record. Pium Papam IV. prædecessorem nostrum pro mulieribus peccatricibus & conuersis ac pœnitentibus institutam, in qua eædem cognoscentes se à via salutis aberrare se recipere possent, ibidemque deliberare valerent, an vellent nubere, seu moniales effici, ac pro eiusdem Domus regimine & gubernio erectam Confraternitatem illarumque personas, specialibus gratiis & fauoribus prosequi, & iuxta debitum pastoralis officij eorum occurrere dispendiis, quærimus & vt in via Domini molestiis quibuscumque quàm primum sublatis, proficiant, salubriter intendimus.

Causæ concessionu.

§. 1. Ne igitur Domus & Confraternitatis huiusmodi personæ grauibus incommodis & dispendiis affici contingat, dum per diuersa Vrbis nostræ Tribunalia, pro variis causis, rebus & negotiis litigare cogerentur.

Deputatio Cardinalium Protectorum Domus Pia cũ facultatib. infrascriptis, & primo cognoscendi causas ad Domum Piam eiusque Congregationẽ, Moniales, Mulieresq; ibi degentes vel inde egressas spectantes sũmarieq; &c. procedendi.

§. 2. Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas causas, lites, quæstiones, & controuersias, ciuiles, criminales, profanas, spirituales, meras, & mistas nomine dictæ Domus vel in ea degentium personarum ac Confraternitatis, seu eius administratorum, Gubernatorum, & Deputatorum, ac monialium, seu mulierum in eadem domo degentium, seu quæ inde egressæ & nuptui traditæ vel Monasticam vitam amplexę fuerint, contra alias quascumque personas cuiuscumque gradus, dignitatis, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existentes, Vniuersitates, Societates, Congregationes, Monasteria aut alia loca pia in quibus Domus siue personæ prædictæ Rei vel Actoris partes sustinuerint, etiam si coram Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, Clericis, & Præsidentibus Cameræ Apostolicæ, ac Curiæ causarum dictæ Cameræ Generali Auditore, necnon Vicario, Gubernatore, & Senatore dictæ Vrbis, illorumq; Locatenentibus, Collateralibus, Iudicibus, ac dictæ Vrbis Causarum Appellationum Capitaneo, & Causarum Palatij Apostolici Auditoribus, & eiusdem S.R.E. Cardinalibus, aliisque Iudicibus, ordinariis seu delegatis, hucusque motas & pendentes, de & super statu ac bonis tam dictæ Domus, quam Mulierum in illa degentium, necnon quibuscumque locationibus, venditionibus, legatis, fideicommissis, testamentis, hæreditatibus, ac illarum discussionibus, necnon quorumcumque iurium & actionum cessionibus, aliisque inter viuos contractibus, etiam vigore obligationis in forma Cameræ, executionibus, reuocationibus, bonis, rebus, iuribus & actionibus ad dictam domum, siue eius nomine Confraternitatem, eiusque Gubernatores, Administratores & Deputatos, Moniales, ac mulieres huiusmodi, tam coniunctim quam diuisim, ac tam actiue quam passiue, spectantibus & pertinentibus, in quacumque instantia, quorum omnium & singulorum statum & merita, necnon Iudicum & collitigantium nomina & cognomina, ac qualitates, ceteraque etiam de necessitate exprimenda, præsentibus pro expressis habentes, in statu & terminis in quibus nunc reperiuntur quatenus instructæ non sint, harum serie ad nos aduocantes, illasque omnes & singulas, moras & pendentes, ac quam & quas Domus & Confraternitas ac Gubernatores, Administratores & Deputati, necnon Moniales & Mulieres ibidem degentes, penitus & omnino contra easdem personas, Vniuersitates, Collegia, Congregationes, Confraternitates, Monasteria, & alia huiusmodi pia loca, pro rebus, bonis, hæreditatibus, iuribus, & actionibus huiusmodi, dilectis filiis nostris Marco Sitico S. Georgij in Velabro de Altaemps, & Ptolomæo S. Agathæ Titulorum Comẽ. nuncupatis Cardinalibus Presbyteris eiusdem Domus, ac Confraternitatis apud nos Sedemque Apostolicam Protectoribus vna cum illarum emergentibus, dependentibus, incidentibus, annexis & connexis, summarie, simpliciter & de plano, ac sola facti veritate inspecta, ac sine strepitu & figura iudicij, per se ipsos aut alios ab eis deputandos, in quacumque instantia, vsque ad finem audiendas, cognoscendas, & fine debito terminandas, committimus, & mandamus.

Iudicii dispensandi.

§. 3. Ipsosque Marcum & Ptolomæum Cardinales, ac nunc & pro tempore existentes Protectores Domus & Confraternitatis prædictarum, in dictis causis motis & mouendis, pendentibus, & in futurum mouendis, in Iudices ordinarios, cum facultate easdem causas in quacumque instantia vsque ad finem, per se ipsos vel alios eorum Auditores, illas cognoscendi, decidendi & terminandi, facimus, constituimus & deputamus.

Citãdi & inhibẽdi in Curia & extrà.

§. 4. Ac cum potestate citandi & inhibendi quos & quibus, ac quoties opus fuerit, in Curia & extra eam, etiam per Edictum publicum, constito etiam summarie de non tuto accessu, eisdemque ac quibusuis aliis eiusdem Vrbis Iudicibus ac personis, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, etiam sub sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac pecuniariis, inhibendi, & in euentum non parationis contra inobedientes contumaces & rebelles, ad declarationem incursus pœnarum & censurarum huiusmodi illarumque aggrauationes, & reaggrauationes, alias iuxta morem & stylum Curiarum dictæ Vrbis in similibus seruari solitum, & prout eis videbitur procedendi, sententiasque suas debitę executioni demandandi siue demandari faciendi, auxiliumque brachij sæcularis ad hoc si opus fuerit inuocandi, omniaque & singula alia in præmissis & circa ea quomodolibet necessaria & opportuna faciendi, gerendi, & exequendi.

Diebus etiam feriatis procedendi.

§. 5. Ac in omnibus & singulis causis prædictis, ad Domum Confraternitatem, Monjales, & Mulieres huiusmodi, vt præfertur spectantes, singulis diebus, & horis, feriatis & non feriatis, præterquam in honorem Dei, etiam tempore feriarum ob necessitatem hominum indictarum & indicendarum, procedere.

Notarium deputandi

§. 6. Ac quemcumque Notarium eis beneuisum in causis huiusmodi deputare possint.

Mandatarij & executores omnes eis seruiant.

§. 7. Quodq; citationes, monitiones, & intimationes, quæ in dictis causis fieri oportuerit, etiam per Curiæ Capitolinæ & quoscumque alios Mandatarios fieri possint. Et quicumque Executores Vrbis possint & debeant effectualiter executioni demandare omnes & singulas sententias, decreta & mandata dictorum Marci & Ptolomæi Cardinalium prædictorum & pro tempore existentium Protectorum, siue ab eis Deputatorum; quæ non obstante Regula Cancellariæ, sub eorum paruis sigillis expediri possint.

Digitized by Google

Alij Iudices in hac causis non procedãt.

§.8. Et insuper Domum, ac Confraternitatẽ prædictas, eiusque Administratores, Gubern. & Deputatos, necnon Moniales & Mulieres huiusmodi, in eadem Domo degentes, & inde egressas, nuptas, seu viduas, ex nunc deinceps occasione præmissorum alibi quam coram dictis Protectoribus conueniri, aut ad alios conueniendum constringi non posse, ac processus, sententias & decreta per alios tam ordinarios quam delegatos Iudices in causis prædictis quomodolibet pro tempore formatos, latas, & facta, cum inde secutis quibuscumque nulla irrita, & inania, nulliusque roboris vel momenti fore.

Clausula præseruatiua.

§.9. Præsentes literas sub quibusuis reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, seu reuocationibus similium vel dissimilium gratiarum, etiam per Nos & successores nostros Romanos Pontifices, vel Sedem Apostolicam, aut eius Legatos, etiam Cancellariæ Apostolicæ regulas, pro tempore factas, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas esse & censeri debere, necnon per quascumque literas, etiam quasuis clausulas generales vel speciales etiam derogatoriarum derogatorias, irritantiaque & alia decreta, sub quacumque verborum expressione continentes, derogari posse, & si illis vllo vmquam tempore ex aliqua etiam quantumuis necessaria & vrgenti causa derogari contingat, nisi tenor earumdem præsentium de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertus & huiusmodi derogatio per trinas distinctas literas, eumdem tenorem continentes, tribus similibus distinctis vicibus, Administratoribus, Gubernatoribus, Deputatis & Confratribus huiusmodi omnibus & singulis legitime insinuata & intimata fuerint, eorumque expressus ad id accesserit assensus, derogationem huiusmodi nemini suffragari, & nullius esse roboris vel momenti.

Decretum irritans.

§.10. Sicque per quoscumque Iudices quauis auctoritate fungentes, etiam Auditores, & Cardinales prædictos, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Clausula derogat.

§.11. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, & aliorum Piorum locorum & Ordinum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, dilectis filiis Populo Romano, necnon Iudicibus, Curiis & Tribunalibus, eorumque personis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & dictam Sedem, etiam motu & scientia similibus concessis, approbatis & innouatis, etiam disponentibus, quod causæ huiusmodi ad forum seu Curiam Capitolinam reassumi debeant. Quibus omnibus & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis illorumque totis tenoribus specialis mentio habenda esset, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, seu si prædictis vel quibusuis aliis, communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel vltra certa loca, Curias, & Tribunalia, ad iudicium trahi non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, & indultis Apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa aut totaliter non inserta iurisdictiones dictorum Protectorum impediri valeant quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in præsentibus mentio specialis.

Fides adhibẽda transumpto.

§.12. Volumus autem, quod præsentium transumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo Protectorum, seu alterius eorum, seu Confraternitatis huiusmodi munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ adhiberetur

D. P. An. 6. 11. Febr.

præsentibus exhibitis vel ostensis.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die duodecima Februarij, 1578. Pontificatus nostri anno 6.

LIII.

Institutio Collegij Anglici in Vrbe, pro Scholaribus Nationis Anglicæ pie ibi educandis, & instruendis, cum annuorum reddituum assignatione, Exemptionumque & Indultorum concessione, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Protectoris & Iudicis in cognoscen. eorum causis iurisdictione.

Multa de Regni Anglia calamitate & hæresum labe, videri possunt supra in Pauli III. constitutione 7. Eius qui, *& Pij V. constitutione* 101. Regnans, *& infra Sixti V. constitutione* 39. Afflictæ.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1579.

Proœmium.

QVoniam Diuinæ bonitati visum est, humilitatem nostram turbulentissimis Christianæ Reipul. temporibus, ad excelsum vniuersalis Ecclesiæ culmen subleuare, hæreditatisque, quam pretioso sanguine suo quæsiuit, administrationem curæ nostræ commendare, ea nostrum perpetua sollicitudo exacuit animum ad pie meditandum, quo pacto, & Dei misericordiæ à qua tantum accepimus nos gratos exhibemus, & nostram Ecclesiæ tuæ operam, quantum diuina benignitate adiuti possumus, non inutilem faciamus.

Causa huius erectionis.

§.1. Quare cum quotidie, non sine graui animi nostri dolore, Sanctam Domini Nostri IESV CHRISTI Sponsam diuersorum eius hostium conspiratione, & violento ex multis partibus incursu oppugnari cernamus, antiquisque hostibus Infidelibus Turcis, Iudæis, nouosque Hæreticos, & Schismaticos accessisse, qui omni impietate & scelere imbuti, ac veluti aduersarij nostri furiis exagitati, in piæ Matris exitium feruntur, quod officij nostri ratio à nobis ex postulat ad hominum impetus, quo maxime opus esse videmus vires nobis à Domino traditas opponimus, populosque imbecillitati nostræ à diuina benignitate concreditos præsidiis contra hostium oppugnationes paratis communimus. Cumque nullum firmius præsidium, aut remedium certius inueniri possit, quam vt regionum ab hac peste oppressarum iuuentus, cuius teneros animos facile est ad virtutem flectere, Catholica Religione imbuatur, ab initio vsque nostri Pont. operam dedimus, vt diuersarum nationum Collegia, veluti Catholicæ Religionis & sinceræ ad eam institutionis seminaria, nostris sumptibus in Vrbe erigerentur.

Greg. I. induxit Anglorum nationẽ ad fidem Catholicam.

Angli vero, qui tunc erga Rom. Pont. obedientes & Cath. fuerunt, in hæresim postea prolapsi sunt.

§.2. Quæ interea dum sedulo agimus, ad Angliæ Regnum magnis quondam opibus, & Catholicæ fidei Studio florentissimũ, nunc vero à teterrima Hæresis labe, quæ omnes fere eius partes comprehendit, deuastatum, pictatis oculos dirigentes, eiusque calamitatem, vt sæpe alios, miseranter reperimus Anglorum nationem ad CHRISTI fidem à Beato Gregorio Pontifice, conuersam, ex eo tempore singularem fidem reuerentiam, atque obedientiam contra Romanos Pontifices, Sanctamque Sedem Apostolicam præstitisse, quæ etiam in tanta nostrorum caligine, in aliquibus insignibus illis quidem & Illustribus viris refulsere, qui pro huius Sedis dignitate, & Orthodoxæ fidei veritate, vitas suas cum sanguine ponere non dubitarunt, versanturque quotidie ante oculos nostros, iuuenes, ex illo miserrimo Regno huc profugientes, qui diuino spiritu ducti, patria, parentibus, & bonis relictis, sese nobis ad Catholicæ Religionis, in qua nati sunt institutionem suscipiendam miserabiliter offerunt, eo animo, vt salutem sibi primum comparent, deinde vero, vt post adeptam diuinarum rerum scientiam in Angliam ad alios, qui à via veritatis declinarunt erudiendos reuertantur.

Hic igitur Põt. ad imitationẽ d. Greg. I. pro Anglorum ab hæresi reuocatione Collegiũ Anglicum in Vrbe erigen.

§.3. Nos igitur Gregorij eius nominis Primi pia in Anglos officia, eiusque erga illos benitatem imitari cupientes, vt quemadmodum ipsi concessionis, sic, & nobis ab errore reuocationis beneficium accepisse in Domino lætentur, ac propensam eorum erga Sedem prædictam

deuotionem

deuotionem adoleſcentium, item Catholicæ doctrinæ adipiſcendæ ſtudium amplectentes, Motu proprio,& ex certa ſcientia noſtra deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ad Omnipotentis Dei laudem,& fidei Catholicæ incrementum, dilectæque nobis nationis Anglicanæ commodum & ſalutem, in ædibus hoſpitalis Anglorum de Vrbe,vnum Collegium Anglicanum nuncupandum perpetuo erigimus & inſtituimus, in quo non minus, quàm quinquaginta Scolaſtici,ex omni natione,& linguæ idiomate Regni Angliæ cum ſuo Rectore,& miniſtris neceſſariis alantur, qui inibi,in Philoſophia, ac Theologia ſe exerceant, Græcis item, Hebraiciſque literis pro captu, cuiuſque operam dent, in eiſque tantum proficere ſtudeant, quantum ſatis eſſe videatur.

Annuos reditus eis aſſignat.

§.4. His porro omnes ij ſtudiis operam nauabunt, ad quæ,à Superiorib.dirigentur,ſeque præterea in pietate,& deuotione,Cantibus Eccleſiaſt. Cæremoniis,& ſacris officiis,vt melius ipſis Superioribus viſum fuerit exercebunt. Ad eorum autem omnium ſubſtentationem nos annuos redditus trium millium ſcutorum auri in auro ex Apoſt. Cam.ſeu Datariatus rationibus ſingulis menſibus pro rata, donec eis aliunde nobis, aut ſucceſſoribus noſtris de ſimili annuo redditu, proſpectum fuerit, libere, & integre præſtandos conſtituimus.

Locum pro Collegio concedit, &c.

§.5. Et præterea eis perpetuo concedimus, & aſſignamus pro eorum habitatione & vſu, ædes prædictas, in quibus Capellani Angli habitabant, nunc vero dicti Scolaſtici iuſſu noſtri habitant, cum duabus domibus dicto hoſpitali contiguis ad ſiniſtram partem verſus Eccleſiam S. Brigidæ Suetiorum, & quæcumque illis circumcedunt. Ac pro diuini cultus exercitio Eccleſiam Sanctiſſimæ Trinitatis, & S. Thomæ martyris Anglorum, necnon pro dote dicti Collegij, ac Rectoris, Scolaſticorum, & miniſtrorum prædictorum ſuſtentatione, omnes, & quaſcumque alias domos, tabernas, ſiue apothecas,ſtabula, hoſpitia, hortos, areas, proprietates, cenſus, fructus, ceteraque omnia bona mobilia, immobilia, & ſe mouentia,necnon res, actiones, & iura dicti Hoſpitalis, tàm in Vrbe, quàm extra eam vbicumque exiſtentia, cuiuſcumque qualitatis, ſpeciei, naturæ,pretij, quantitatis, ac etiam annui valoris exiſtentia, quæ omnia,eorumque ſituationes, nuncupationes, confinia, & latera, acſi nominatim,& in ſpecie deſcriberentur, præſentibus pro expreſſis haberi, & ædes, ac cetera quæ ſignari poſſunt, vt à ceteris internoſcantur,quamprimum armis,& ſignis dicti Collegij forinſecus notari volumus, eaque omnia à dicto hoſpitali omnino ſeparamus, & ad ipſum Collegium transferimus,ita vt Protector, & Scolaſtici prædicti corporalem illorum omnium poſſeſſionem per ſe vel alium, ſeu alios propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, & prouentus,iura,obuentiones, ac emolumenta omnia percipere, exigere, & leuare, ac ſuos dicti Collegij communes vſus & vtilitatem conuertere, libere & licite valeant, Vic. Vr. aut cuiuſuis alterius licentia deſuper minime requiſita. Oeconomus vero, & alij Miniſtri, ac ſeruientes dicti Collegij, ipſius Rectori ſubſint, & ad eius præſcriptum & mandatum omnino obſequantur, nihilque contra illius voluntatem faciant, vel attentent; ipſeque Oeconomus Protectori dicti Collegij pro tempore exiſtenti, vel etiam ipſi Protectori volenti & requirenti, aut ab eorum quolibet deputatis, bis in anno, vel quotieſcumque ei vel eis viſum fuerit, rationem reddere teneantur. Cum eo tamen, quod ſi aliquo tempore prædictum Collegium, ex quacumque cauſa diſſolui contingat, ædes, Eccleſias, domus, cenſus, ceteraque omnia prædicta perinde prædicti hoſpitalis ſint, acſi erectio Collegij, & alia præſcripta, numquam emanaſſent, provt nos ex nunc in eum euentum hoſpitale ipſum, quoad illa omnia in integrum reſtituimus.

Miniſtris d. Hoſp. ne moleſtet Collegium & eius perſonas ſuper prædictis præcipit.

§.6. Eo ipſo diſtrictius inhibentes Capellanis prædictis, necnon dicti hoſpitalis Gubernatoribus, & Adminiſtratoribus cuiuſcumque nominis, & dignitatis, ac deinceps in ædibus,Eccleſia, domibus,apothecis, cenſibus, fructibus, aliiſque rebus, iuribus,& action. prædictis,directe vel indirecte, quouis quæſito colore ſeſe interponere, aut Collegium,Rectorem, Scolaſticos, & miniſtros, præſentes & futuros moleſtare audeant, vel perturbare.

Ac decernentes ex nunc irritum & inane quidquid contra præmiſſa, & etiam præſentibus contenta per eoſdem, aut quoſuis alios, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Collegiũ à iuriſd. Ordinariorũ, & quorumcumque iud eximit.

§.7. Præterea Collegium, eiuſque Rectorem, Scolaſticos, & miniſtros in perpetuum, ac prædicta, ceteraque omnia eorum bona,mobilia, & immobilia, cuiuſcumque qualitatis & quantitatis, in dicta Vrbe, & extra, & alios vbique locorum conſiſtentia, ſub noſtra, beatique Petri, & huius Sedis protectione ſuſcipientes, ac nobis, & eidem Sedi protinus ſubiicientes, illa omnia in vniuerſum & ſingulatim ab omni iuriſdictione, correctione, viſitatione, dominio, ſuperioritate, & poteſtate pro tempore exiſtentis Vicarij, Gubernatoris, Senatoris, Conſulum, Conſeruatorum,& Reformatorum dictæ Vrbis,cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditoris, necnon Rectoris Studij generalis, & aliorum quorumcumque Tribunalium, & Iudicum, & Officialium, necnon Ordinariorum locorum Rectorum,parochialium Eccleſiarum, & quorumcumque aliorum in dicta Vrbe,vel alibi conſtitutorum.

Et à ſolutione pedagiorũ & gabellarum.

§.8.Illoque,ac etiam in propriis eorum rebus,& bonis, cum eis contrahentes,à ſolutione,& exactione quorumcumque pedagij, gabellæ, bollettini, etiam ratione vini Ripæ, & Ripertæ, necnon grani, olei, pannorum cuiuſcumque generis,& quarumcumque aliarum rerum, necnon decimarum,& cuiuſuis,tàm Ordinarij quam extraordinarij oneris ex quacumque cauſa impoſitorum, & imponendorum perpetuo eximimus, & prorſus liberamus.

Indulta ſtudij Vrbis cõcedit. Tu ea vidpas in conſt. 9. Bonif. VIII.

§.9. Inſuper eiſdem Collegio, & Scholaſticis,Rectoribus, & Gubernatoribus, vt omnibus, & quibuſcumque priuilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, & & indultis,quibus Studium generale dictæ Vrbis,& illius Rectores,Doctoreſque in eo exegerint quomodocumque vtuntur, potiuntur, & gaudent, aut vti,potiri,& gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non ſolum ad eorum inſtar,ſed pariformiter,& æque principaliter,vti,potiri, & gaudere valeant, in omnibus & per omnia concedimus, illaque eis communicamus.

Inhibitio contra omnes Officiales ne Collegium, & eius perſonas ſuper præmiſſis moleſtent.

§.10. Præcipimuſque,& interdicimus Vicario, Gubernatori,Auditori,Senatori, Conſulibus, Conſeruatoribus, Reformatoribus, Rectorique, Iudicibus, Officialibus, & aliis prædictis,necnon S.R.E. Camerario, Præſidentibuſque & Clericis Cameræ Apoſtolicæ ac quibuſuis Camerariis ad exactionẽ vectigalium portoriorum,decimarum, & aliorum onerum prædictorum pro tempore deputatis, vniuerſe, & ſingulatim, ne quarumcumque facultatum, priuilegiorum, & literarum eis ſub quibuſcumq; tenoribus & formis conceſſarum occaſione, vel prætextu, Collegium, Scholaſticos, Rectorem, Miniſtros, & Gubernatores prædictos, ſeu eorum aliquem, etiam ſuper vſu, & perceptione prædictorum, & aliis præmiſſis impediant, vel moleſtent, nec impediri, vel moleſtari permittant.

Facult. Superiorũ Collegij, promouẽdi eũ conſenſu Protectoris ſcholares ad gradus, &c.

§.11.Ad hæc,Superioribus dicti Collegij cum conſenſu tamen Protectoris prædicti illos,quos in dicto Collegio, & alibi per debitum tempus ſtuduiſſe,ac ſcientia & moribus idoneos eſſe repererint, in prædictis facultatibus artium,& Theologiæ Baccalaureatus,licentiaturę,doctoratuſque &; Magiſterij gradus, ſeruata forma Concilij Viennen.& alias iuxta vniuerſitatis Studij eiuſdem Vrbis conſuetudinem promouendi, & ipſorum graduum ſolita inſignia eis exhibendi, vtque in facultatibus ſupradictis ſic promoti illas publice & priuatim, etiam in omnibus Vniuerſitatibus Studiorum generalium interpretari, & alios docere, ac de eis diſputare, gradui ſeu gradibus huiuſmodi conuenientes actus exercere, ac omnib.priuilegiis, gratiis, fauoribus, prærogatiuis, & indultis, quibus alij in prædicta, ſeu aliis Vniuerſitatibus, & alibi iuxta illius,& aliarum Vniuerſitatum huiuſmodi conſtitutiones, & mores ad gradus prædictos promoti de iure, vel conſuetudine vtuntur, potiuntur,& gaudent,ac vti,potiri,& gaudere poterunt, quomodolibet in futurum vti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant, perinde ac ſi gradus prædictos in ipſa Vniuerſitate iuxta ſtatuta, conſuetudines, & mores prædictos ſuſcepiſſent, concedendi licentiam tribuimus.

Digitized by Google

Scholares, & alumni eiusdē Collegij promoueri possint extra tēpora, & absque Ordinariorū lit. dimissoriis, & sine titulo, & nō obstan. defectu natalium.

§.13. Postremo cum eosdem Scolares huius Collegij alumnos post longos studiorum, vel cœptorum, vel consummatorum labores, sacerdotali Militiæ pro temporis, vel loci necessitate adscribere conducat, vt ministeriis, & pensionibus sacris assuescant dictæ Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis officia præstent, seu, vt operarij mittantur, eisdem Alumnis vt de licentia Protectoris, ac dicti Collegij Rectoris consensu, & examine præcedente etiam extra tempora à iure statuta, interstitiisque temporum à Concil. Trid. præstitutis non expectatis, & etiam absque suorum Ordinariorum literis dimissorialibus, ac sine aliquo beneficij, vel patrimonij titulo, & non obstante quouis natalium defectu, super quo cum talibus per easdem præsentes dispensamus, ad omnes, etiam sacros & presbyteratus ordines promoueri, postquam promoti fuerint, in illis etiam in altaris ministeriis ministrare, ac etiam tàm ipsi, quàm ceteri omnes in dicto Collegio degentes, vel Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ, etiam die Paschatis, & Extremæ vnctionis sacramenta à Confessario, aut alio sacerdote ipsius Collegij à Rectore, vel illius constituendo, suscipere libere & licite valeant indulgemus.

Protectoris deputatio, & facultates.

§.14. Vt vero eiusdem Collegij conseruationi, bonoque regimini, tàm iis, quàm ad alumnorum ipsorum institutionem, & disciplinam, quam ad victum & vestitum, aliaque huiusmodi necessaria pertinent opportunius consulatur, vtque promptum, paratumque sit eis auxilium, venerabilem fratrem nostrum Episcopum Ostiensem Cardinalem Moronum nuncupatum, eiusdem Collegij Protectorem, & defensorem constituimus & deputamus, cuius consilio & opera, tàm supradicta, quàm quæcumque alia ad Scholasticos in eodem Collegio admittendos, & retinendos, & ab eo admittentes spectantia agantur, statuantur, & ordinentur; dantes eidem, & pro tempore Protectori existenti prædicti Collegij pro salubri illius conseruatione, & directione Scholasticorum, bonorum & rerum, ac iurium temporalium & spiritualium eiusdem plenam & liberam facultatem, & auctoritatem, Oeconomos, Aduocatos, & Procuratores in eo deputandos, & amouendos, & alios eorum loco sufficiendos, differentias, lites, & controuersias inter quascumque personas, tàm alumnorum, quam ministrantium clericorum, & laicorum, non tamen presbyterorum ipsius Societatis exortas, summarie, simpliciter, & de plano, sine figura aut strepitu iudicij, appellatione quacumque remota decidendi, definiendi, terminandi, & exequendi, statutaque ordinationes, sacrisque Canonibus, & Concil. Trid. prædicto non contraria faciendi, & accedendi, eaque cum opus fuerit reuocandi, immutandi, & corrigendi, aliaque de nouo condendi, quæ postquam facta, edita, reuocata, immutata, & correcta fuerint, perinde habeantur, & obseruentur, acsi auctoritate Apostolica approbata & confirmata essent, provt eos illa ab omnibus dicti Collegij alumnis, ita haberi, & inuiolabiliter obseruari mandamus.

Forma recipiēdi alumnos Collegij.

§.15. Quod autem ad dictorum alumnorum admissionis modum, & formam deinceps habendam attinet, statuimus, & ordinamus, eos qui admittendi erunt, prius ab examinatoribus per dictum Protectorem in Gallia, etiam Belgia, aut alibi, provt illi conuenientius videbitur designatis & designandis, iuxta formam ab ipso Protectore præscribendam examinate, & præhabito huiusmodi examine, si constiterit ipsi Protectori prædictorum examinatorum significatione sibi verbo vel scripto facienda, eos ingenio aptos, & moribus probatos, & tales, qui recipi debeant tum illos admittant.

Forma probationis fien. ab ipsis antequā admittantur, & forma iurā. præstandi post admissionem Rectori Collegii Facultas absoluen. ipsos alumnos à quibusuis excessibus, etiam reseruatis in bulla Cœnæ Dom. vt hic.

§.16. Postquam vero in Collegio recepti fuerint, non statim Collegij alumni censeantur, sed per quatuor, & sex menses, plus vel minus, provt Superioribus, & Collegij moderatoribus visum fuerit eorum conuersatio probetur, deinde si Collegio digni videbuntur, iuramentum præstetur se vitam Ecclesiasticam perducturos, seque omni tempore ad iussum Superiorum in patriam reuertendum, & ad animas quantum in Domino potuerit adiuuandas paratos fore.

§.17. Ceterum Rectori presbytero dicti Collegij pro tempore existen. vt per se, vel Confessarium idoneum, quem duxerit eligendum, singulos alumnos prædictos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quauis occasione vel causa latis, quas ipsi pro tempore quomodolibet incurrerint, & à quibusuis peccatis, excessibus, & delictis, quantumcumque grauibus, & enormibus, etiam in casibus in literis die Cœnæ Domini legi solitis, contentis, conspirationis in personam, vel statum Rom. Pont. falsitatis scripturarum, & literarum Apost. delationis armorum, vel aliorum prohibitorum ad partes infidelium, iniectionis manuum violentarum in Prælatos dumtaxat exceptis, dispensare, libere, & licite valeat, liberam tribuimus facultatem.

Clausula præseruatiua.

§.18. Decernentes prædicta omnia perpetuo subsistere, sicque in illis vniuersis & singulis per quoscumque Iudices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Card. in quauis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudican. & interpretan. facultate & auctoritate, vbique iudicari, & definiri debere, necnon irritum & inane quicquid secus super his per quoscumque quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogat.

§.19. Non obstantibus nostris de non tollendo iure quæsito, & de vero valore fructuum exprimendo, ac de commission. in huiusmodi vnionibus facienda, & vocandis quorum interest, necnon Lateran. Conc. nouissime celebrati, vniones perpetuas, nisi in casibus à iure permissis fieri prohibentis, aliisque Apost. constitut. ac hospit. Vrbis, & Cam. prædictorum iuramento confirmatione Apost. vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis illis, & eisdem Senatori, Consul. Reformat. Cam. Vniuersitatibus, ac eorum Collegiis, Rectoribus, & personis, aliisque prædictis, necnon Pop. Rom. vectigalibus, Redemptoribus, & aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam iteratis vicibus, aut etiam in fauorem hospitalium concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Indulgentiar. concessio pro Scolast. Rectoribus & ministris Collegij.

§.20. Vt vero temporalibus commodis spiritualia quoque munera coniungamus, quibus fidelium deuotio eis munita crescere magis, & augeri possit, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, omnibus Scholasticis, Rectoribus, & Ministris, qui in hoc Collegio recepti fuerint in ipso ingressu, ac etiam quos in eodem Collegio decedere ab humanis contigerit, si pœnitentes & confessi vere ipsi fuerint, in mortis articulo plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem in perpetuum concedimus. Nulli ergo, &c.

D. P. An. 7. die 23. April.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, 1579. nono Kal. Maij, Pontificatus nostri anno septimo.

Admissio, & publ. in Cam. Apost.

Die 9. Ianuarij 1580. præsentes literæ Apostolicæ præsentatæ fuerunt in Cam. Apost. & ex decreto in eadem facto admissæ, & illius libris resignatæ in lib. 4. signaturarum diuers. Pont. penes me infrascriptum dictæ Camerę Notarium.

Tydeus de Marchis Not.

De munere & electione Prælatorum Congregat. S. Bernardi in Italia Monachorum Ord. Cistercien. Regularis obseruantiæ. LIV.

Constitutionem istam quo ad viros ad Prælaturas eligendos reuocauit & in ceteris approbauit Sixt. V. in const. 10. Nuper.

Congregationem istam erexit Alex. VI. vt sup. in eius const. 7. *Plantatur*, vbi plene notaui.

Edita An. D. 1578.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

ROmanus Pontifex ex commisso sibi desuper Apostolicæ seruituris officio, circa felicem Statum Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac piorum locorum omnium ex visceribus charitatis intendens, ea per quæ Ecclesiæ, Monasteria, & loca ipsa cum Dei honore, in spiritualibus & temporalibus, salubribus proficiant incrementis, ac sub latis

Digitized by Google

ſublatis diſſenſionum diſcordiarumque fomentis,& aliis contrariis quibuſlibet in eis regularis obſeruantia, diuinuſque cultus inuiolabiliter obſeruetur, perſonæque religioſæ ſub ſuaui religionis iugo in pace,& quietis manſuetudine Altiſſimo vota reddere,& fructus in Dei Eccleſia proferre valeant ampliores,ac Chriſtifidelium animarum ſaluti conſulatur, ſtatuit & ordinat, & iam deſuper ſtatuta,& ordinata approbat,& confirmat,aliaque facit & diſponit, provt penſaris circumſtantiis vniuerſis id conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Petitio Card. Moroni Protectoris, circa mutationem Capituli Gen. & electionem Prælatorum.

§.1. Sane venerabilis frater noſter Ioannes Epiſcopus Oſtien. Card. Moronus nuncupatus, nobis nuper expoſuit quod licet olim ſalubri vt tunc ſperabatur conſilio, de Capitulis per Abbates, Prælatos,& Conuentus monaſteriorum Ciſtercien.Ordinis Congregationis S.Bernardi in Italia, Tuſciæ, & Lombardiæ Prouinciarum inſimul vnitatum regularis obſeruantiæ,ſtatuto ad id loco & tempore, quotannis celebrandis, lata decreta etiam Apoſtolica auctoritate per fel. record. Alexandrum VI. & Iulium II.Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros confirmata fuerint, longe tamen aliter euenire, & cum vbique pauci vix reperiantur ad dignitates, & officia, ac illis ingruentia munera rite obeunda ſufficientes & idonei, nihilominus pleroſque nullius meriti, & inhabiles Monachos, inter frequentes Capitulorum huiuſmodi celebrationes, & crebras inde prouenientes dignitatum, & officiorum ac munerum attributiones, & tranſlationes, illas hac opportunitate dumtaxat ſibi patefactas ambire, & ad illas adminiſtrandas, non mediocri totius Vniuerſitatis & Congregationis huiuſmodi diſcrimine, & dedecore peruenire, immenſis præterea ſumptibus qui pro continenter commigrantium in hæc Capitula annua delectarum perſonarum viatico ſuppeditantur,rem familiarem monaſteriorum prædictorum exhauriri, multiplici hactenus documento compertum eſt; & ſicut ipſius Congregationis decreta & ſtatuta, quæ perpetuam illius Vniuerſitatis vtilitatem continent immutata manere, & omni peræque tempore obſeruari, ſimiliter illa quæ aut vſus coarguit, aut ſtatus ipſius Ordinis inutilia fecit, vel oſtendit, pro rerum & temporum conditione, meliorem accipere formam, & provt conducit illa accommodari conuenit. Ac propterea dictus Ioannes Epiſcopus, & Cardinalis qui totius Ciſtercien. Ordinis Protector exiſtit, re mature perſpecta ac ex nouiſſima monaſteriorum, & locorum eiuſdem Congregationis de mandato noſtro facta viſitatione, de illorum, & perſonarum in eis reſidentium ſtatu debite informatus, tàm Capitulorum huiuſmodi celebrationem differri, quàm de nonnullis aliis ipſius Congregationis ordinationibus conuenienter, & ex vtilitate communi ſtatui ſummopere deſiderat. Quare idem Ioannes Epiſcopus, & Cardinalis nobis humiliter ſupplicauit, quatenus in præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Pontificis inſſio ad Capitulũ celebrãdi quolibet triennio.

§.2.Nos igitur qui cunctarum præſertim Religioſarum perſonarum pacem, quietem, ac ſalubrem directionem ſinceris exoptamus affectibus, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vt deinceps Capitulum prædictum ſingulo quoque triennio tantum,in loco vbi ſingulis annis celebrari antea conſueuerat celebrari.

Viſitatoreſque ſingulis annis deſtinandi.

§.3. Et ne dilatio temporis huiuſmodi efficiat, quod aſſumpti ad nouas dignitates, arbitrio ſuo, non ſeruatis conſtitutionibus, res & negotia dictæ Congregationis, illiuſque monaſteriorum adminiſtrent, ſingulis annis loco Capituli annuatim celebrari antea ſoliti, Viſitatores deſtinari.

Diſcretos vt hic eligendi.

§.4. Ac quod ſocij Prælati Diſcreti nuncupati, vnus videlicet iſque ſacerdos pro quolibet monaſterio per ſortes ſine fraude, ac ſeruatis ſolemnitatibus in nouis deſuper conficiendis, & renouandis conſtitutionibus eligi, & ex conſuetudine per burſas monaſteriorum ad arbitrium Patrum Regiminis diſtribui. Ad fraudes autem in ſortibus ponendis, illiſque diſtribuendis contingentes euitandas, Superiores vtriuſque Prouinciæ prædictarum & anno in quo Capitulum celebrandum fuerit, omnes Monachos vocales in eodem monaſterio in quo eligendi ſunt Diſcreti infra totam Dominicam Septuageſimæ diſtribuere, dictaſque diſtributiones ad ſingula monaſteria ad hoc vt à Prælatis illorum monaſteriorum pro extrahendis poſtea in vna ex tribus proximis feriis Paſchalis Sãctiſſimæ Reſurrectionis, ex eis Diſcretis,qui ſacerdotes vocales exiſtant,ad Capituli celebrationem mittendis imburſentur mittere; ſin autem in aliquo monaſterio quatuor ſacerdotes vocales vt ſupra reperti non fuerint,vnus vel plures provt opus fuerit ad ſupplendum talem numerum ex alio viciniori monaſterio,in quo vltra quatuor extiterint aſſumi, & imburſatio in ipſo monaſterio, præſentibus & interueniẽtibus pro veritatis teſtimonio ceterisaliis in illo monaſterio cõmorãtibus inter ſaltim quatuor ſacerdotes interueniant ex alio monaſterio vocandi; ſi in eo haberi non poterunt fieri,ſicque electi Diſcreti ad Capitulum acceſſuri, literas teſtimoniales fidem facientes, de legitima eorum electione, ab omnibus ſacerdotibus, ſeu ſaltem à quatuor eorum qui interuenerint electioni, omni inuidia, & maleuolentia ceſſantibus, ſub vtriuſque vocis per ſexennium priuatione omnino, niſi aliqua iuſta de cauſa Patribus Capitularibus notificanda, & ab eis iudicanda recuſarent, ſubſcribendas, & coram Prælato ſtatim ſecuta electione ſubſcriptas, aliter ſine literis huiuſmodi ad Capitulum non admittendi, ſecum deferre, & habere, ac comitia deinde Capitularia tertia Dominica poſt Paſcha Reſurrectionis huiuſmodi celebrari. Ad dictum autem Capitulum Viſitatores, & ſinguli Prælati Monaſteriorum ſeu locorum cum ſuo Diſcreto, vt præfertur electo accedere.

Præſidentem etiam totius Cõgreg. caput conſtituendi.

§.5.Præſidens autem ætate non minor annis triginta-quinque, qui per decennium ſacerdotis officio functus fuerit,& non minus ſexennio in Prælaturis honorifice ſe geſſerit,qui etiam per Definitores Prælatus alicuius monaſterij Prouinciæ in qua Regimen commoratur, videlicet pro Prouincia Tuſciæ in partibus Florentiæ, & pro Prouincia Lombardiæ in partibus Mediolani, auctoritatem tàm in ſpiritualibus,quàm in temporalibus in omnibus monaſteriis dictæ Congregationis,& tàm in Capitibus,quàm in membris habiturus,ſuper huiuſmodi Congregatione ſimiliter eligatur eligi, & dictus Præſidens omnes Prælatos dictæ Congregationis pro emergentibus cauſis intra ſuum triennium conuocare, & omnia vtilia vniuerſæ Congregationi de conſenſu maioris partis,aſſiſtentibus etiam Viſitatoribus decernere debeat, ac in Regimine vtriuſque Prouinciæ quoties & vbicumque ipſe Præſidens interfuerit,ſi quid agendum erit ipſe idem licet ex ea Prouincia non exiſtat,nihilominus aſſiſtat,& vocem habeat,& tamquam caput vniuerſæ Congregationis Monachos de loco ad locũ mutare,& ex Prouincia ad Prouinciam legitimis interuenientibus cauſis auctoritate etiam propria mittere poſſit; illoſque ſic mutatos,& mittendos Superiores locorum perinde recipere,ac ſi à Definitoribus factum foret teneantur. Ipſique ſoli Præſidenti ad Romanam Curiam, etiam non habita à Regimine licentia, ſed tantum notificato prius ſuo receſſu accedendi ſit auctoritas; & ſingulis annis cum Viſitatoribus ad viſitationem ſe conferre, etiam cauſas terminare,ac decidere, necnon congregatis omnibus Capitularibus æqualiter vocem & ſuffragium habentibus,ordinem conſuetum omnes Officiales,& ſe ipſum abſoluendi ſeruare debeat.

Eoque infrà triennii,decedẽte.aliũ eius loco,vſque ad Capitulũ ſufficiendi.

§.6. Et ſi prædictum Præſidentem intra ſuum triennium decedere contingat,alius Præſidens,in illius locum cum ſimili poteſtate ad proxime futurum vſque Capitulum tunc duraturus per duodecim Patres Regiminis vtriuſque Prouinciæ inſimul congregatos & de conſenſu illorum omnium ſeu ſaltim octo ex illis eligi.

Scrutatores duos cũ facultate hic enunciata deputandi.

§.7.Præterea duo Scrutatores qui vota ſcripta in ſchedulis ſingulorum vocalium de Definitoribus eligendis aperiant, & ſuper illis ſcrutinium faciant, præſtito prius coram omnibus iuramento de veritate referenda & ſeruanda fidelitate pro qualibet Prouincia iuxta ſolitum ab omnibus Capitularibus eligi, qui caſu quo fefellerint ipſo facto excommunicationis ſententiam,à qua nonniſi in mortis articulo à Præſidente, vel ab eo cui ipſe Præſidens ſuam auctoritatem ſubdelegauerit abſolui poſſint in foro conſcientiæ, incurrant. Et ſi fraus manifeſta erit & probata, ſint etiam priuati in perpetuum voce actiua & paſſiua,& inhabiles ad quæcumque officia exercenda, niſi ex diſpenſatione Apoſtolica,& de conſenſu Definitorum aliter fuerit decretum.Ipſique Scrutatores vtriuſque Prouinciæ inſimul ſchedulas ipſas vt legitime adnotentur:

Definitores videre debeant; & si ipsi Scrutatores in aliquam fraudem inuicem consenserint, eamdem pœnam incurrant.

Definitores septem pro qualibet Prouincia eligendi.

§.8. Præterea septem Definitores per schedulas pro qualibet Prouincia, ac vnoquoque vocali, vt moris est sigillatas prius sigillo Præsidentis, & subscriptas à duobus senioribus maioribus qui astiterint, vt recognoscantur in quibus schedulis nomina omnium vocalium habeantur, ex quibus nomina illorum qui in illo Capitulo Prælati accesserint signata sint in margine paginæ signo Crucis, & ex ipsis signatis eligi, & reliqui in dictis schedulis ad minus quinque, & reliqui duo numerum septenarium conficientes, pro Definitoribus cuiusque Prouinciæ arbitrio, & secundum conscientiam eligentium eligi; & si aliqua ex illis schedulis à Scrutatoribus reperta fuerit non habens septem nomina relicta pro Definitoribus, & non fuerint in ea quinque signati dicto signo Crucis, schedula illa pro nulla habeatur, & vt inualida reiiciatur, ita etiam quod nullus in sui fauorem votum dare, aut se ipsum eligere possit.

Qui Definitores Præsidentē Capituli ex se ipsis eligant.

§.9. Vtque electiones faciendæ à Definitoribus mature & considerate, & non casualiter fiant. In primis prædicti Definitores vnum ex ipsis Præsidentem Capituli, qui tamen non sit illius Prouinciæ in qua Capitulum tunc celebratur, ætatis & qualitatis in Præsidente triennali supradicto requisitæ eligere, vt si contingat postea illum eligi in Præsidentem triennalem, nulla in electione occurrat alia inquisitio.

Vt in primo Capit. in qualibet Prouincia tot approbent Sacerdot. quot sunt Prælaturæ, & alios quatuor.

§.10. Et deinde in isto primo Capitulo pro qualibet Prouincia tot sacerdotes, quot sunt Prælaturæ in Prouincia, & vltra alios sacerdotes quatuor habiles ad Prælaturam exercendam approbare debeant; qui etiam ad Visitatoris maioris officium similiter approbati intelligantur; quodque ij tantum ad Prælaturam, & ad Visitatoris maioris officium approbentur, qui officia minora digne gradatim saltem biennio in quolibet officio fideliter exercuerit; semel autem approbati semper habiles intelligantur.

Deficiente quo approbatorum numero, alij in futuris Capit. sufficiantur.

§.11. In futuris vero Capitulis numero approbatorum, per obitum aut ratione perpetrati per aliquem delicti priuationem deficiente, & non aliter, alij in illorum locum approbentur. Ita quod semper numerus quatuor tantum extra Prælaturas à quolibet Capitulo habeatur.

Prælato infra triennii decedente vel priuato, alius de numero approbatorum eligatur.

§.12. Et si intra triennium aliquem Prælatorum decedere vel à Visitatoribus, vel à Capitulo ob aliqua demerita priuari contigerit, alius extra numerum approbatorum assumi minime possit, aliterque facta irrita sit & nulla, & à Capitulo non recipiatur electio, necnon talem Prælaturam acceptans se non probatum, nec in electione sua fuisse seruatam formam electionis supra traditam sciens, ipso iure vtraque voce per decennium priuatus censeatur, sua electione huiusmodi propterea nulla & inualida remanente.

Ex eisdē Definitores & Visitatores eligantur.

§.13. Ex illis autem approbatis, & prius publicatis Definitores Prouinciarum Prælatos & Visitatores maiores per schedulas, vt moris est eligere.

Præsidens qs à Definitoribus eligatur.

§.14. Præsidens vero triennalis à Definitoribus vtriusque Prouinciæ, seu saltem à decem ex ipsis per suffragia fabarum eligi, & nullus Prælatus eodem tempore & anno, præterquam in isto primo Capitulo approbari & eligi. Itemque præfati Definitores omnimodam auctoritatem habeant super tota Congregatione;

Definitores auctoritatem habent super tota Congreg. durante eorum officio.

§.15. Ita quod ab eorum sententiis nemini appellare liceat, quinimmo eorum decretis & terminationibus quorum acta per Scribam deputatum in libro perpetuo seruando à prædicto Præsidente pro tempore existente adnotentur, omnes acquiescere teneantur, habere; ipsorum tamen officio vltra decem dies minime, nec minus quinque duraturo.

Taxam Præsidentis præfiniunt.

§.16. Ac iidem in isto primo Capitulo taxam viatici pro Præsidente ordinare.

Prælatos ad firmandas nouas constitut. deputant.

§.17. Necnon duos ex qualibet Prouincia Prælatos, qui infra sex menses constitutiones & reformationes ipsius Congregationis quæ necessariæ fuerint ex antiquis & nouis colligere, illasque ad prædictum Ioannem Episcopum & Cardinalem Apostolica auctoritate postea confirmandas vel reiiciendas mittere, & postquam confirmatæ fuerint, typis cum præsentibus literis excudi, & ab omnibus & singulis prædictæ Congregationis personis inuiolabiliter obseruari, nec in posterum quidquam desuper maximè in his quæ statum publicum ipsius Congregationis concernunt, immutari debeant, eligere.

Vota in electionibus Prælatis, alteri per modum consilij communicare liceat.

§.18. In faciendis autem electionibus Capitularium, Scrutatorum, Definitorum, Visitatorum, Prælatorum, & Præsidentis, quoniam difficillimum est, & quasi impossibile foret votum aliquando non communicari, liceat vnicuique pro exoneratione suæ conscientiæ ante votum sutum ferendum, aliquem magis instructum consulere, & per modum informationis, & consilij vocem suam si ita videbitur accommodare, absque alicuius censuræ, aut pœnarum incursu.

Visitat. quatuor eligātur, quorū maiores professione tantum sint vt hic.

§.19. Quatuor autem Visitatores, duo ex vna Prouincia, & duo ex altera eligi, ac maiores professione tantum ex ipsis Visitatoribus vocem capitularem habere, qui maiores quolibet non autem illo quo Capitulum generale celebratum fuerit anno, de mense Maij assumpto Præsidente, & pro Scriba Visitatore minore illius Prouinciæ cuius fuerit Præsidens sese ad visitandum Monasteria dictæ Congregationis cum eadem quam habet Abbas Cistercij, & alij quatuor primi Abbates dicti Ordinis auctoritate conferre, ac illorum visitatio singulis vicibus per totum mensem Iunij absolui.

Acta Visitationis ad Capit. referātur.

§.20. Acta autem Visitationis quæ facta fuerint in duobus annis præcedentibus singula ad Capitulum generale celebrandum, vt etiam ipsi Visitatores rationem illorum visitationis reddere possint, deferri debeant.

Prælato aliquo priuato, Vicarius deputetur vsquequo, &c.

§.21. Et si contigerit Prælatum aliquem priuari suo officio, vnus Vicarius tantum à Visitatoribus vsquequo à Patribus regiminis illius Prouinciæ alter ex probatis Prælatus in illius locum eligatur, eligi.

Electiones minores permittuntur Visitatoribus.

§.22. Electiones autem minores, videlicet aliquorum officialium Prælaturis exceptis in capsa priuationis huiusmodi ab ipsis Visitatoribus fieri.

Visitationes qs Monialiū, & deputatio Cōfessorum. Hoc renouauit idem Pont. in sua const. quā amisi nihil aliud continente.

§.23. Moniales à Visitatoribus illius Prouinciæ cuius erunt, visitari, & in illarum Monasteriis confessores, provt opus fuerit, per triennium deputari, dictoque triennio elapso in aliud triennium prorogari, ita tamen quod quamdiu confessores extiterint, neque Prælaturam exercere, neque inter Patres regiminis adnumerari possint, eligi.

Prælati quādo possint à Visitatoribus vel Definitoribus deponi.

§.24. Prælati autem neque ab ipsis Visitatoribus, neque à Definitoribus, nisi ob notoria demerita, & seu ob incursum alicuius ex infrascriptis erroribus videlicet. In diuinorum officiorum & missarum celebratione notabili negligentia, & Ecclesiæ sibi commissæ, ita quod eius culpa horæ canonicæ & alia diuina officia non recitentur, semel saltem à visitatoribus desuper admonitus neglectu, aut de hæresis incursu vel suspicione vehementi, necnon pro falsi testimonij, aut calumniæ, detractionis crimine conuicto, aut iudicum & Principum sæcularium, vel non habentium iurisdictionem super Congregationem & Ordinem ad impediendum Ordinis obseruationes, & tuenda sua crimina imploratione, & refugio petito, vel contagione carnis, ordine iuris prius seruato verificata, aut enormium suorum subditorum criminum notabili post præcedentem monitionem dissimulatione, vel blasphemiæ, & percussionis consuetudine, vel bonorum Monasterij notabili dissipatione, & contemptu, seu libelli infamatorij editione vel scriptura, necnon mercaturarum propriarum exercitio, ac notabili absentia, aut non residentia in Monasterio cum commisso sibi grege sine Superiorum permissione, monitione etiam præcedente. Ex quibus omnibus casibus priuatus, amplius nisi à Capitulo, & tunc visa eius humiliatione approbari debeat, nec præter hos casus priuari vel amoueri, nisi eum ad maiorem dignitatem ob superuenientem alicuius mortem assumendi causa non possit.

Et vltra triēnium confirmari.

§.25. Ac non modo triennium eidem monasterio integrum præesse, sed si administratio eius laudabilis in eo triennio reperta fuerit, & vtilis suo monasterio, à Capitulo in eodem monasterio per aliud triennium confirmari possit; quod quidem institutum, initium à proxime futuro Capitulo, nulla adhibita temporis præteriti, neque Prælaturarum antea obtentarum consideratione sumere.

Et à Prælatura postea vacare.

§.26. Talis autem per sexennium monasterio præfectus, tempore

tempore sex annorum à prælatura illius monasterij per triennium tantum vacare, & postea de nouo eidem monasterio præfici valeat.

Regimen vtriusque Prouinciæ in quibus Prælatis de Capit. ad Capit. consistat.

§. 27. Regimen vero vtriusque Prouinciæ prædictarum de vno Capitulo ad aliud spectet, prout in nostris reformatione, & diuisione per quam Capitulo dictæ Congregationis, licentiam & facultatem concessimus, vt duo regimina singulis annis constituat, quorum vnum Lombardiæ, alterum vero Tusciæ prouinciis præsit, & quorum quodlibet sex Monachis constet; in hunc videlicet modum, vt quando Præsidens qui eligitur erit ex prouincia Lombardiæ, tunc regimen ipsius prouinciæ Lombardiæ consistat ex dicto Præsidente, & duobus visitatoribus Lombardiæ, necnon tribus Abbatibus etiam Lombardis à Capitulo nominandis. Regimen vero Tusciæ eo anno sit penes Abbatem monasterij Septimi dicti Ordinis, Florentinæ diœcesis, ac duos visitatores Tuscos, necnon tres Abbates etiam Tuscos à Capitulo pariter nominandos. Cum vero contigerit Præsidentem eligi vnum ex prouincia Tusciæ, tunc regimen illius prouinciæ sit penes ipsum Præsidentẽ, ac duos visitatores Tuscos, necnon tres alios Abbates etiam Tuscos à Capitulo, vt supra constituendos. Regimen vero prouinciæ Lombardiæ eo anno habeant Abbas Clareuallen. Mediolan. & duo Visitatores Lombardi, necnon tres alij Prælati etiam Lombardi à Capitulo, vt præfertur eligendi. In quorum omniũ electione forma in eligendis dictæ Congregationis Prælatis obseruari solita omnino obseruetur, & Superiores electi vltra triennium non durent; & si contingeret vnum ex Superioribus electis suo durante officio decedere, & alium in eius locum subrogatum in proximo sequenti Capitulo confirmari, seu de nouo eligi, declarauimus, tempus triennij ad obtinendas Prælaturas concessi, non à die subrogationis, sed à die confirmationis, seu electionis in Capitulo generali factæ incipere debere.

Eorũ acta ad Capit. deferantur.

§. 28. Et acta omnia dictorum Patrum regiminis, fideliter à Scriba notata, ad Capitulum in libro deputato deferantur.

Monasteria reformanda, viciniori Prouincia annexa censeantur.

§. 29. Et si contigerit aliquem Commendatarium monasteriorum Ordinis prædicti, monasterium sibi commendatum reformare, & mensas peculiares & separatas in bonis assignare per literas Apostolicas iuxta consuetudinem Congregationis, talia monasteria sub regulari obseruantia esse per totam Italiam prædictæ Congregationis, & annexa prouinciæ viciniori censeantur, prout in literis Alexandri, & Iulij prædecessorum prædictorum desuper confectis continetur.

Prælati Cistelli & Bonisolatij sint proprie Abbates cum iurisdictione solita.

§. 30. Ac quod Prælati Cistelli & Bonisolatij ad Capitulum cum Discreto accedere, vt moris est. Et quamquam sint monasteria subiecta Abbati dicti monasterij Septimi, nihilominus etiam ipsi Abbates cum iurisdictione solita & consueta ceteris Abbatibus vocari, & illis per Definitores in primo celebrando Capitulo pro Monachorum in eis existentium faciliori sustentatione; & ne diuinus cultus in eis negligatur bona aliqua ex d. monasterio Septimi per ipsos Cistelli & Bonisolatij Prælatos ad instar aliorum Prælatorum eiusdem Congregationis regenda & gubernanda assignare debeant; Ac eisdem monasteriis Cistelli & Bonisolatij, idem pro tempore existens Abbas dicti monasterij Septimi in spiritualibus tantum præesse, & in Septimi huiusmodi monasterio residere teneatur.

Prior Morimundi titulo Abbatis vtatur.

§. 31. Liceatque Priori nunc & pro tempore existenti monasterij Morimundi eiusdem Congregat. cuius titulus Abbatialis per bonorum illius mensæ abbatialis per piæ mem. Piũ Papã IV. et am prædecess. nostrũ hospitali maiori Mediolan. suppresso d. titulo Abbatiali applicatæ separationem à mensa monachis assignata factam vacat, & in quo studium existit, ac in eo Nouitij ab Abbate benedicendi ad professionem admittuntur titulo Abbatis monachorum sui monasterij & suæ mensæ vti Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus & ordinamus.

Constitutiones Alex. VI. & Iul. II. confirmantur.

§. 32. Ad hæc literis piæ mem. Alexandri Sexti, & Leonis, ac Iulij Secundi, per quas inter alia voluerunt quod Monachus professus vnius monasterij, intelligatur professus aliorum monasteriorum dictæ Congregationis & professus vnius prouinciæ non possit ad aliam prouinciam nisi ob demerita, vel ex gratia transmitti. Et procuratores in Curia ad Capitulum tamquam Prælati accedere, ibique vocem actiuam & passiuam, quatenus per Patres Definitores decretum ita foret habere possint, ac priuilegia & indulta in suo robore remanere, & omnibus monasteriis communia esse, æqualitasque in negociis prouinciarum administrandis seruari debeat.

Constit. Leonis X. approbatur.

§. 33. Necnon tecol. mem. Leonis Decimi similiter prædecessoris nostri per quas quod nullis dictæ Congregationis personis sub excommunicationis latæ sententiæ, ac inhabilitatis ad vocem actiuam & passiuam, necnon ea quam fugitiui ex d. cta Congregatione iuxta illius institutа, & Sedi Apostolicæ ordinationem incurrunt pœnas ipso facto si contrauenirent incurrentibus, districte præcipiendo mandauit, ne de cetero quispiam eorum, per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, quouis quæsito colore, quoduis ex his quæ circa dictæ Congregationis, & illius locorum regimen, & bene viuendi normam, siue per dictam Sedem, siue per generale Capitulum Congregationis eiusdem prouide essent disposita, & disponerentur in posterum impugnare quoquo modo præsumerent; & si quæ controuersiæ inter eos dum Capitulum generale huiusmodi celebraretur pro tempore suscitarentur, per illius Capituli Definitores, si vero extra Capitulum orirentur, per Præsidem & Visitatores d. Congregationis, qui pro tempore forent, componi eas & terminari libere permitterent, & dictorum Definitorum ac Præsidentis, ac Visitatorum decreta & ordinationes desuper facienda inuiolabiliter obseruarent.

Constit. Pauli II. innouatur.

§. 34. Postremo sanctæ mem. Pauli Tertij itidem prædecessoris nostri per quas statuit, quod de cetero omnes & singuli Prælati & Superiores, ac etiam dictæ Congregationis Monachi cuiuscumque gradus existentes, qui bona seu fructus monasteriorum Congregationis huiusmodi sibi sub quocumque prætextu sine ipsius generalis Capituli expressa, vel omnium Definitorum huiusmodi Congregationis licentia vsurpare præsumerent, vltra pœnas & censuras in tales per regularia instituta Ordinis & Congregationis huiusmodi latas, regimine & administratione omnium Prælaturarum & officiorum Ordinis & Congregationis prædictorum, ac voce actiua & passiua eo ipso priuati, & ad illa & alia quæcumque Prælaturas & officia in posterum habenda & exercenda perpetuo inhabiles censerentur. Quodque ipsi Prælati & Superiores eorum Monachis de victu & vestitu, ac aliis necessariis iuxta eadem instituta prouidere, ipsosque Monachos & alios eorum subditos errantes corrigere, ac singuli eorum de gestis & administratis per eos visitatoribus dictæ Congregationis seu Deputatis ab eis rationem reddere tenerentur; necnon monasteria Monialium nisi illarum Confessores per ipsius Congregationis Definitores pro tempore existentes deputati forent ingredi, ac cum ipsis Monialibus conuersari nequirent, ac electiones Prælatorum, & Superiorum eorumdem, rite & sine ambitione ac corruptela celebrarentur, nec in huiusmodi electionibus libertas quoquo modo directe vel indirecte impediretur, sed vnicuique animi sui sententiam exprimere liceret robur Apostolicæ confirmationis adiicimus.

Definitores possint in vnaquaque prouincia creare tres tit. Abbatiales.

§. 35. Postremo dictis Definitoribus, creandi tres titulos Abbatiales ex vnaquaque prouincia pro illis distribuendis inter senes effectos & inhabiles ob maturam eorum ætatem nominandos quorumdam locorum annexorum aliis monasteriis maioribus dictæ Congregationis. Et Abbates titulares huiusmodi, priuilegiis aliorum Abbatum gaudeant, sed vocẽ Capitularem non habeant, & locum suum teneant post Prælatum illius loci in quo resederint, & seruitus, ac honor debitus illis exhibeatur. De quibus titulis Abbatialibus vnus seruetur, & detur illi, qui fuerit electus Visitator maior dictarum prouinciarum, qui Visitatoris, non tituli Abbatialis, sed Visitatoriatus causa & respectu ad Capitulum accedat sicut antea, absque tamen socio discreto, sed tantum retineat huiusmodi dignitatem maioris honoris causa, & ad conseruandum dicti Ordinis decus, licentiam & facultatem concedimus ac impartimur.

Imposito perpetuo silentio circa quæstiones omnes, non detegendas in futuro capit.

§. 36. Decernentes quod causarum seu quæstionum & differentiarum quæ non fuerint motæ in nouissima visi-

Digitized by Google

tatione, de mandato præfati Ioannis Episcopi & Cardinalis, Apostolica tamen auctoritate per Præsidentem dictæ Congregationis facta, & in proximo futuro Capitulo non deregentur, & iustificatæ non fuerint, nulla in posterum actio habeatur, sed de eis ac rebus elapsis annis præteritis censeri impositum perpetuum silentium ad effectum post celebrationem Capituli proxime futuri nemini liceat improperare alicui defectus præteritos verbo vel in scriptis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, à qua nonnisi per Sedem prædictam, & præterquam in mortis articulo absolui possit, & priuationis vtriusque vocis per decennium; quæ vero cognitæ fuerint, & punitæ in dicta visitatione, & quæ forsan cognoscentur & punientur, in proximo Capitulo obseruentur, sed nulli liceat eas alteri improperare sub eisdem pœnis teneanturque Prælati intimare Monachis suis, vt si quis aliquam aduersus quempiam habeat querelam, notificet Capitulo proxime celebrando, alioquin amplius non audiantur, & silentium imponatur, sub eisdem pœnis, finito Capitulo ordinario.

Deputatio executorum huius bullæ.

§. 37. Quocirca dilectis filiis Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, & Venerabilium fratrum nostrorum Mediolanen. ac Floren. Archiepiscoporum, in spiritualibus Vicariis generalibus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando expedierit solēniter publicantes, faciant easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque inuiolabiliter obseruari, contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Derogatio cōtrariorum.

§. 38. Non obstantibus similis mem. Bonifacij Papæ Octaui pariter prædecessoris nostri, illa præsertim qua inter alia cauetur, ne quis extra suas ciuitatem & diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne Iudices à Sede prædicta deputati extra ciuitatem & diœcesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alij vel aliis vices suas committere audeant vel præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo vltra duas dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, ac aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & monasteriorum, ac locorum huiusmodi, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis Ordini & monasteriis, ac locis prædictis, illorumque Abbatibus, Prioribus, Prælatis, ac aliis Superioribus & personis quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & efficacissimis ac insolitis clausulis, necnon irritantibus & aliis decretis, in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innouatis; quibus omnibus etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia, generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis. Nulli ergo, &c.

D.P. An. 7. 21. May.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1578. decimo Kal. Iunij, Pontificatus nostri anno 7.

LX. Ordinationes pro bono regimine Fratrum Minorum S. Francisci strictioris Obseruantiæ.

Congregationem istorum Fratrum tempore Clem. VII. institutam, approbauit ipse, & nonnulla pro eius gubernio statuit vt supra in eius const. 35. In suprema. vbi plene, notaui de his Fratribus, & remissiue de toto Ordine Sancti Francisci.

Hanc autem constitutionem declarauit Clem. VIII. inf. in eius const. 45. *Pro iniunctis.* Vltra quam, vide etiam const. 31. Pauli V. *Postulat.*

GREGORIVS PAPA XIII. *Edita An. D. 1579.*

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CVm illius vicem, meritis licet minime suffragantibus, geramus in terris, qui pacem in terras intulit, caritatemque ad inuicem præ ceteris omnibus eius fidelibus præcipit, officij nostri debitam prosequimur actionem, si regularium personarum, quæ relicto sæculo, sub suaui voluntariæ paupertatis iugo, Dei obsequio se dedicarunt, pro commisso nobis officio, concordiæ, ac quieti consulere cupientes, pacem & charitatem inter ipsos inducere, inductamque confouere, & quæ iis contraria sunt, falce vigilantiæ pastoralis ad radicem posita, prout rerum & temporum qualitas requirit, quantum nobis ex alto conceditur, totis viribus curamus.

Clem. VII. approbauit istā Congreg. Reformatorū & nōnullas edidit ordinationes in const. de qua in rubr.

§. 1. Sane licet alias per fel. record. Clem. VII. prædecessorem nostrum multa ad quietum & tranquillum statum pertinentia dilectorum filiorum professorum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de strictiori Obseruantia Reformatorum nuncupatorum (vt qui Regulam ipsam Beati Francisci pure & plene iuxta illius literam, & declarationes Nicolai Tertij, ac Clementis Quinti Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, vt veri Beati Francisci filij & alumni obseruare contendant) edita & statuta fuerint, vt in literis Clementis VII. sub Datum Romæ apud S. Petrum 16. Kal. Decembris, Pontificatus sui anno nono, latius continetur.

Fratres de Obseruantia illos desuper molestabant.

§. 2. Nihilominus quidam ex Reformatis supradictis nobis detulerunt, quod ipsis Reformatis, quamplures perturbationes, damnaque non mediocria à dilectis filiis Fratribus Minoribus de Obseruantia nuncupatis, sub quibusdam prætextibus, etiam contra dictarum literarum Clem. VII. formam, inferebantur.

Hic ideo Pōt. aliqua addit circa.

§. 3. Nos igitur eorumdem Fratrum Reformatorum nuncupatorum quieti & indemnitati, eiusdemque Ordinis prosperitati ac propagationi consulere volentes, Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus super causis Episcoporum & Regularium deputatis, atque etiā eiusdem Ordinis prædicti Protectori, causam huiusmodi audiendam & cognoscendam commisimus. Qui re mature discussa, necnon quorum interest, aut intererat partibus auditis, literisque Clementis Septimi prædictis plene consideratis, nobis retulerunt, quæ reformationem huiusmodi magis prospere dirigere visa sunt. Quare de eorumdem Cardinalium consilio, literis Clementis Septimi prædictis addenda quædam decernimus.

Nouitiorum professionem.

§. 4. Itaque volumus & Apostolica auctoritate statuimus & ordinamus, vt Nouitij Reformatorum præsentes & futuri annum continuum inter dictos Reformatos agant, ad deliberandum an inter Reformatos prædictos permanere velint à die ingressus in Custodias, seu loca Reformatorum. Si vero in familia Fratrum de Obseruantia professionem emiserint, & ad Reformatos de strictiori Obseruantia transierint, vel in futurum transire voluerint, habeant itidem annum continuum à die ingressus ad deliberandum, an remanere in hac strictiori Obseruantia voluerint.

Eorum recessū post professionem.

§. 5. Post præsentium autem nostrarum publicationem, & dictum annum completum, declaramus prædictos professos extra Reformatos, haberi vt professos inter custodias Reformatorum, nec ipsos, sicut nec alios inter easdem custodias professos, ab iis, sine speciali Apostolicæ Sedis licentia, recedere posse, sine Apostasiæ nota. Quo etiam anno peracto, tam Nouitios in Custodiis expresse professos, quam professos in Familia, & in Custodiis annum continuum agentes, volumus ad puram & plenam Regulæ S. Francisci Obseruantiam, iuxta ipsius literam, ac Nicolai Tertij, & Clementis Quinti Romanorum Pontificum declarationes, & Clementis Septimi

literas

literas prædictas teneri; nec ab ea, Reformatorumque ipsorum obedientia recedere, minusque à Reformatis ipsis expelli valeant, nisi incorrigibiles, iuxta antiqua eorum instituta hactenus obseruata, & nisi qui ad Capuccinos transeundi licentiam in scriptis, iuxta Pauli III. & Iulij Tertij literas, à proprio Custode obtinuerint.

Custodis munus in recipiēdis Nouitiis & Fratribus de Obseruantia.

§. 6. Liberum vero sit eidem Custodi, etiam nullo Ministri Prouincialis, vel aliorum suorum Prælatorum habito vel requisito consensu vel licentia, nūlloque cum iisdem verbo facto, per se vel alium iuxta Tridentini Concilij formam, atque Ordinis consuetudinem, Nouitios, necnon & Fratres Ordinis prædicti de Obseruantia, tam propriæ quam alienæ Prouinciæ reformandos, ad Ordinem ac professionem & reformationem pro sua Custodia, absque vllo penitus impedimento, de consilio tamen & consensu Fratrum illius loci, pro quo recipiuntur admittere.

Loca Reformatis assignāda. Ad hoc extat etiam const Clem. VII. cit. in rubr.

§. 7. Teneantur autem Minister Prouincialis, vel illo absente Præsidens Capituli vel Congregationis & Definitores in Capitulis & Congregationibus Prouincialibus, quando familiæ mutari solent, ad petitionem dictorum Reformatorum, alia etiam Prouinciæ loca siue Monasteria, alias Reformatorum locis, quantum fieri poterit contigua vel commoda, iuxta eiusdem Clementis Septimi literas, dare & assignare, & Prioribus eorum locis addere; nec Fratrum Reformatorum paucitatem, (dūmodo ad decem Fratres recipiendos sint idonea, vel breui tempore in ea illos introduci posse sperandum sit) nec aliam quampiam excusationem quo minus id faciant, obiicere possint.

Minister Generalis Fratrū de Obseruātia & nō alij, facultatem habet, visitandi & corrigendi Reformatos vt hic.

Tu vide const 21. Paul. V. Postulat.

§. 8. Generalis Minister dictorum Fratrum de Obseruantia tantum, minime autem Prouincialis, siue alij dictorum Fratrum de Obseruantia Prælati aut Commissarij, in dictos Fratres Reformatos, siue illorum Custodias iurisdictionem, visitandique & corrigendi facultatem, siue per seipsum, siue per eiusdem Ordinis, etiam alienæ custodiæ reformatos ipsos habeat; minime tamen possit aliquem ad Prælationem vel officia, etiam in Custodia promouere, aut correctionis, vel quouis prætextu, statutis, censuris, casibus, reseruationibus proprijs vel Ordinis, Reformatos subiugare, aut Custodiæ, Custodes, vel Fratrum Reformatorum respectiue potestatem, facultatem, immunitatem, concessiones, gratias, statuta, & pacem, quouis prætextu, modo, & quæsito colore, directe vel indirecte annullare, suspendere, arctare, alterare, immutare, impedire, contrafacere, aut inquietare; nec etiam de propria eorum Custodia, domibusque & locis, nisi pro aliarum custodiarum dicta visitatione, dictos Reformatos, vel eorum aliquem amouere, extrahere, mittere, vel transferre, nec illos ad quascumque alias partes, Prouincias vel Custodias & alia propriæ ipsorummet Custodiæ loca, etiam sub specie prædicationis, mittere, collocare, vel retinere, nisi prout in singularum Custodiarum Capitulis, vel ab ipso Custode fuerit ordinatum, locaque huiusmodi eisdem Reformatis fuerint assignata; & multo minus ad Reformatorum vel Custodiarum loca non Reformatos, etiam Nouitios, vel Monialium confessores, aut alios quoscumque etiam reformandos à Reformatis non receptos mittere, aut in eisdem collocare vel retinere.

Reformati nō retineant aliquem non reformandum nisi Lectores & Predicatores cum suorum Superiorum licentia.

§. 9. Nec etiam Reformati ipsi aliquem prædictorum non reformandum recipere, vel ad conuiuendum, siue de familia in eorum locis retinere vllo modo possint, exceptis lectoribus à Prælatis ipsorum licentiatis, propriæ Custodiæ necessariis. Qui tamen in Custodia vocem actiuam vel passiuam habere non possint, sed illa ad Reformatos tantum in Custodia pertineat; exceptis quoque opportunis Prædicatoribus similiter licentiatis, vel impetratis, & hæc pro tempore tantum necessitatis, sed sine consensu Custodis in scriptis, non possint quicumque dicti Ordinis Prælati, fratres non Reformatos in auditorijs ad ipsorum locorum confines, iuxta morem Ordinis pertinentibus ad prædicandum, nec eisdem confinibus quoscumque fratres ad eleemosynas colligen. destinare.

Custos potest mittere fratres etiam ad loca extra Reformatorū custodias pro negotijs necessarijs & piis causis.

§. 10. Pro necessariis autem negocijs & aliis piis causis, possint Custodes ad quæcumque Ordinis, & aliorum loca, etiam extra Reformatorum Custodias, maxime ad Sedem Apostolicam, & ad totius Ordinis Protectorem; & pro prædicatione ire, ac fratres suos mittere, sed causa manendi de familia in locis Ordinis extra Reformatos, pro studio vel alia causa, nullo modo Custodes vel Custodiæ mittere, vel licentiam dare, nec fratres ire vel manere, nec Prælati Ordinis eos recipere vel retinere possint.

Capitula custodialia singulis annis in locis custodia ad electionem Custodu firi debeant.

§. 11. Capitula Custodialia singulis annis in propriis Custodiæ locis distincte, & non extra custodiam per Reformatos, quando, & vbi per proprium Custodem, vel Custodiam fuerit constitutum, fiant, eant tamen & ipsi Reformati ad Capitula etiam prouincialia, vt in dictis literis Clementis Septimi statuitur, & in illis vocem non actiuam tantum, sed passiuam posthac habeant. Huiusmodi autem Custodiarum Capitulis, solus Custos qui erit pro tempore, vel eo decedente Commissarius Custodiæ; vel ipse Generalis Minister, si personaliter tantum interesse voluerit, præsidere posthac valeat.

Capitulo præesse possint Custos, vel eo mortuo Commissarius, vel ipse Minister generalis fratrū de Obseruantia.

Custodes ad triennium eligantur, & cōfirmationem petant à Ministro prouinciali.

§. 12. In iis autem Capitulis vnaquæque Reformatorum Custodia plenam & absolutam habeat potestatem quæcumque statuta & ordinationes, dummodo contra Deum, animam, ac regulam, & decreta Concilij Tridentini non sint, iuxta literas Clementis Septimi prædictas, condendi & statuendi, nec in eo per Ministros generales vel prouinciales, vel eorum Commissarios, aut alios dicti Ordinis Prælatos quomodolibet impediri valeat. Electione Custodum per Reformatos ad triennium facta, Custodes per se, vel per literas in signum humilitatis confirmationem tantum infra mensem petere teneantur à Ministro prouinciali, quandocumque statim facto exhibendam. Possint autem Custodes, etiam dum expectatur, & antequam petatur confirmatio prædicta, cum plena auctoritate libere officio suo fungi, quod si confirmationem huiusmodi intra tres dies non obtinuerint, à Sede Apostolica ipso facto tenore præsentium confirmati censeantur. Guardiani vero in Capitulis electi, vel à Custodibus instituti, à Ministro, vel alio quopiam confirmari deinceps non egeant, sed eorum institutio, in Capitulis vel extra ab ipsis Custodibus facta sufficiat. Custos pro tempore electus vel eligendus in suo officio à prima electione continuet ad triennium, videlicet vsque ad Capitulum Custodiale, siue citra, siue vltra triennium fiat; absque eo, quod singulis annis rursus eligatur. Custodis autem successoris electio à Custode prædecessore, Guardianis, & Discretis locorum Custodiæ fiat, si tamen etiam intra triennium in singulis annalibus Capitulis vniuersitati electorum videretur custodem minime idoneum esse, & vniuersitati Reformatorum non vtilem, alium sibi Custodem ex regulæ ipsius præscripto eligere possint & teneantur.

Custode decedente, eligatur Commissarius vsque ad Capitulum Custodiale.

§. 13. Ipso autem Custode decedente, alius Custos extra Capitulum posthac non eligatur, sed aliquis erit custodiæ Commissarius, vsque ad proximum Capitulum custodiale, prout Reformati in suis Capitulis ordinauerint.

Custodum facultates.

§. 14. Potestatem vero eamdē habeant singuli Custodes in suas custodias, & fratres, quam Ministri prouinciales in suas prouincias, & fratres habent, tam ex vigore regulæ, quam ex Romanorum Pontificum concessis gratiis, dummodo huiusmodi strictiori Obseruantiæ reformatorum non sint contrariæ. Præsertim vero custodes possint loca ipsa iuxta eorum exigentiam refarcire & augere locis quæ Guardianum habere non solent, ipsum Guardianum in Capitulis custodialibus constituere, & in eisdem capitulis, siue prout in illis fuerit ordinatum, prædicatores & confessarios sæcularium, seruata forma Concilij Tridentini examinare & approbare, & illis officium prædicationis, & confessionum audiendarum concedere, & ad illa promouere, atque à casibus & censuris, Prælatis Ordinis reseruatis & reseruandis, per se absoluere, vel per alium absolui curare, eos quoque, qui idonei sunt, pro suo arbitrio ad sacros ordines recipiendos approbare & mittere.

Constit. non cōtraria huic Reformat. seruentur.

§. 15. Volumus tamen, quod si in capitulis generalibus constitutiones aliquæ vel decreta, præsentibus literis & huic Obseruantiæ strictiori non contraria, sed quæ magis ei fauere videantur, ordinata fuerint, Reformati ea obseruare omnino teneantur.

§. 16. Quo

Digitized by Google

Vestes non designantur.

§. 16. Quo vero ad vestitum induantur prædicti Reformati vilioribus indumentis, & despecto colore, & possint ea repetiare secundum B. Francisci regulam.

Confit. Clem. VII. in ceteris approbatur.

§. 17. Literas vero prædictas Clementis Septimi, quatenus supradictis non aduersentur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, illisque perpetuæ firmitatis robur adiicimus.

Clauſ. præſeruatiua.

§. 18. Decernentes præsentes literas nullo vmquam tempore, de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ defectu, etiam ex eo quod omnes interesse habentes, vel fratres de Obseruantia prædicti, aut quicumque alij vocati non fuerint, notari, argui, seu impugnari, aut sub quibusuis reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam ab eadem Sede Apostolica emanatis, & in posterũ emanandis comprehendi posse, sed illas pro omnibus & singulis prædictorum Reformatorum custodiis, custodibus & fratribus Reformatis, præsentibus & futuris, semper validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri debere.

Clausula sublata.

§. 19. Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari ac definiri debere, necnon irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Districtius inhibentes generali & prouincialibus ministris dictorum Fratrum de Obseruantia nuncupatorum, & eorum Commissariis nunc & in perpetuum pro tempore existentibus, & illorum generalibus & prouincialibus Capitulis, personisque quibuscumque in illis congregandis, ac omnibus & quibuscumcumque quos præmissa concernunt, aut in posterum quomodolibet concernent, & quibusuis aliis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, ne sub indignationis nostræ, & excommunicationis latæ sententiæ eo ipso si contrafecerint incurrendæ pœnis, Reformatos prædictos, illorumque Custodias, Custodes, Discretos, Officiales, & Fratres, aut alios quoscumque, quos præmissa quomodolibet concernunt, aut in posterum concernent, quominus prædictis omnibus & singulis pacifice fruantur, seu prædicta omnia, & singula suum debitum sortiantur effectum impedire, retardare, aut perturbare audeant, vel præsumant.

Executorũ deputatio & facultates.

§. 20. Quocirca Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Mediolanensi, & Episcopo Laudensi, ac dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, necnon vniuersis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque in dignitate Ecclesiastica constitutis per præsentes mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut vnus eorum, per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum Reformatorum prædictorum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in præmissis omnibus & singulis, iuxta præsentium continentiam & tenorem, pacifice frui & gaudere. Non permittentes eos desuper per Ministrum generalem, aliosque prædictos quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet ac rebelles, & præmissis non parentes, per sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, omni appellatione postposita compescendo; necnon legitimis super his habendis seruatis pro cessibus, illos sententias, cẽsuras & pœnas prædictas incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

Clauſula derogat.

§ 21. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, præsertim fel. record. Leonis X. prædecessoris nostri super vnione omnium Fratrum Minorum de Obseruantia, & nuncupatione eorumdem, & aliis in dictis literis Clementis Septimi contentis, & quæ eidem Clementi placuit non obstare, necnon dicti Clementis Septimi literis prædictis pro Reformatis, & Bonifacij Octaui de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præsentium ad iudicium vltra tres dietas non trahatur, Bulla aurea, Mari magno, aliisque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis quibuscumque, dictique Ordinis statutis, consuetudinibus, priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate etiam roboratis, etiam in forma Breuis, vel quibuscumque verborum formis, solemnitatibus, clausulis etiam insolitis, & quantumcumque fortissimis dicto Ordini, vel quibuscumque Prælatis eiusdem in contrarium concessis, approbatis, & innouatis, & in futurum concedendis, approbandis, & innouandis, etiam si talia forent, quod pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio habenda foret. Quibus omnibus eorum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, pro plene & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§. 22. Ceterum quia difficile foret præsentes literas nostras & literas Clementis VII. prædecessoris nostri, dictis Reformatis, vt præfertur, concessas, ad singula quæque loca, vbi necesse fuerit, deferri, volumus & auctoritate Apostolica decernimus, quod transumptis præsentiũ literarum, & transumptis dictarum literarum Clementis Septimi, etiam impressis, sigillo alicuius in dignitate Ecclesiastica constituti munitis, & manu Notarij publici subscriptis, eadem fides tàm in iudicio quàm extra illud vbilibet adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D.P An. 3. Iunij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die tertia Iunij, millesimo quingentesimo septuagesimo septuagesimo nono, Pontificatus nostri anno octauo.

LVI.

Institutio Archiconfraternitatis Pietatis Carceratorum in Alma Vrbe, ad eos visitandos, consolandos, & adiuuandos. Cum Indulgentiarum concessione.

Alias indulgentias concessit hic idem Pontifex, sed eius bullas prætermisi, quia Paulus V. nouam desuper dispositionem fecit mox publicandam, quam formatam vidi sub die decima Martij 1608. *Et circa facultatem alias Confraternitates aggregandi, formam nouam tradidit Clemens Octauus in const.* 115. Quæcumque.

Eidem Archiconfraternitati, nonnulla priuilegia, quo ad Carcerum Vrbis visitationem, & condemnatorum ad Triremes prouisionem, & vnius carcerati singulis annis liberationem, concessit Sixtus V. in const. 97. *Ex debito.* Et postremo annuum subsidium ad liberandos pauperes pro debito ciuili carceratos, eidem commisit die 30. Iulij 1590. in altera eius constit. quam hic indicasse sufficiat.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D 1579.

Proœmium.

PIj Patris Altissimi, qui antequam ineffabili pietatis & charitatis suæ exuberantia, pro peccatorum nostrorum expiatione, acerbissimum Crucis tormentum subiret, opera pietatis & charitatis huiusmodi fidelibus suis instanter commendauit, vices licet immeriti, gerentes in terris, ad ea, per quæ opera ipsa vbique, præsertim in Alma Vrbe nostra, quæ ceteris illustre exemplar præstãre debet, ad pauperum Carceris incommodis, ac miseriis afflictorum subuentionem, & spiritualem consolationem valeant propagari, libenter intendimus, & ad id fideles quoslibet spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, & peccatorum remissionibus inuitamus, ac alias desuper officij nostri partes interponimus, prout

rerum

rerum & personarum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Quidã Christi fideles, Societatem Pietatis Carceratorũ in Vrbe ad pia cum eis opera exercenda instituere prope suenjne Papa accedente licentia.

§. 1. Sane exhibita nobis nuper, pro parte quamplurium piorum dictæ Vrbis Christifidelium petitio continebat. Quod ipsi pia atque sincera deuotione ducti, ac de proximi sui salute inuamineque recogitantes, ac re ipsa comperientes, diuersos in dies in dicta Vrbe varias ob causas carceratos, tempore eorum carcerationis, tamquam ab amicis, propriisque consanguineis derelictos, vel illis in eadem Vrbe carentes, & præcipue extraneos diuersarum Orbis Christiani Nationum, quorum maxima in eadem Vrbe, tam pro locis sanctis dictæ Vrbis visitandis, quàm etiam variis negociis apud nos, Sanctamque Sedem Apostolicam, & alias peragendis commorari solet, copia qui illis in suis necessitatibus tam spiritualibus quàm temporalibus subueniant, eorumque causas, & liberationem procurent, in varios miserrimosque incidere casus. Vnde, vt his casibus, infortuniis, & calamitatibus in futurum remedium aliquod salubre adhiberi possit, præfati Christifideles vnam vtriusque sexus Christ. fidelium sub denominatione Pietatis Carceratorum Archiconfraternitatem in eadem Vrbe, ac quodam ad id congruo & decenti loco, sub nostra & dictæ Sedis beneplacito instituendam proposuerunt, cuius Confratrum pro tempore existentium præcipuum sit institutum, pauperes in quouis Carcere dictæ Vrbis, tàm pro ciuili quàm pro criminali causis, pro tempore detentos, quibus cum collequi permissum sit, omni cum humanitate & charitate, ac spirituali consolatione per ipsos ordinatim visitare, & ad patientiam in suis aduersitatibus fortiter & animose pro CHRISTO habendam, necnon confessionem sacramentalem eorum peccatorum faciendam exhortari & consolari, eleemosynisque pauperibus subuenire, & qui ex eisdem Confratribus sacerdotes, & ad confessiones audiendas approbati fuerint, eorumdem carceratorum confessiones audire, ipsisque carceratis diuersos spirituales libros, in quibus legendis, & legere ignorantes alios legentes audiendis, occupentur, elargiri; ac vt eisdem carceratis, Dominicis & aliis diebus Festiuis de præcepto Ecclesiæ seruari solitis, vbi Dei conciones, & exhortationes fiant, & his præcipue diebus, ipsi carcerati ab illicitis ludis, blasphemiis, aliisque Christiana pietate indignis abstineant, ad Dei laudem, ipsorumque carceratorum spiritualem consolationem procurare, pacemque & concordiam inter ipsos carceratos, & eorum inimicos inire & componere, aliaque pietatis opera circa eosdem carceratos indies occurrentia pro viribus exercere. Quare pro parte eorumdem piorum Christifidelium nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus præmissis annuere, ac alias desuper opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic inaq; Pöt. d. Archiconfraternitatem erigit.

§. 2. Nos igitur, qui honestis petentium votis, per quæ opera pietatis & charitatis huiusmodi in dies, nostris potissimum temporibus, incrementum suscipiant, & ad ceteras nationes huiusmodi dilatentur, libenter annuimus, eaque fauoribus prosequimur opportunis, pium, rectumque eorumdem Christifidelium animum & voluntatem tam laudabili proposito, quantum cum Deo possumus, confouere & adiuuare volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in d. Vrbe Archiconfraternitatem Pietatis Carceratorum huiusmodi ad munera prædicta & alia charitatis & misericordiæ officia erga dictos carceratos exercenda, Apostolica auctoritate tenore præsentium sine alicuius præiudicio, erigimus & instituimus, eamque Archiconfraternitatem Pietatis Carceratorum denominari volumus. Ac illi sic erectæ & institutæ quæcumque bona mobilia & immobilia, legata, relicta, & alia iura eidem Archiconfraternitati, tam per illius Confratres pro tempore existentes, quàm alias quascumque personas cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existentes pro tempore quomodolibet elargienda, donanda, & relinquenda, auctoritate & tenore prædictis perpetuo applicamus & appropriamus.

Statutaq; condendi facultate concedit.

§. 3. Necnon eisdem confratribus pro tempore existentibus quæcumque statuta, & ordinationes, felix regimen & prosperum statum, Archiconfraternitatis, ac pia opera huiusmodi, circa eosdem carceratos, vt præfertur, exercenda, concernentia (sacris tamen canonibus, Decretisque concilij Tridentini minime contraria, nec iurisdictionem, officium, & executionem Iudicum, aliorumve ministrorum dictæ Vrbis, circa ipsos carceratos impedientia, & per dictæ Vrbis Vicarium dicta auctoritate approbanda) condendi & faciendi, ac condita toties quoties opus fuerit corrigendi, mutandi, alterandi, & alia de nouo faciendi.

Carceres non secretos intrandi. & eã carceratis erandi, auctoritatem impartitur.

§. 4. Necnon quemlibet dictæ Vrbis carcerem, non tamen eis loca, quæ Secreta dicuntur, nisi permissu Iudicum, toties quoties, eis & eorum cuilibet visum fuerit ad effectum præmissum ingrediendi, & in eo ad tempus beneuisum præmissa opera exercendo commorandi, licentiam eisdem auctoritate & tenore etiam perpetuo concedimus. Districtius præcipientes, & mandantes cuiusdictæ Vrbis carceris custodi, & quibuscumque aliis personis, cuiuscumque status, gradus, conditionis, & præeminentiæ existentibus, vt eisdem confratribus, & & ab eis constitutis quemuis dictæ Vrbis, & illius Burgi carcerem non tamen Secretum, toties quoties fuerit requisitus, ingredi permittat.

Indulgentiæ Confratribus elargitur.

Quoad hoc vide bullam S.D.N. Pauli V. citatam. infr.

§. 5. Et insuper cupientes, vt Christi fideles, eo libentius dictam Archiconfraternitatem ingrediantur, & piis operibus huiusmodi intendant, quo ex hoc dono cœlestis gratiæ se vberius refectos esse cognouerint, de omnipotentis DEI misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam Archiconfraternitatem pro tempore ingredientur, die eorum ingressus, si tunc vere pœnitentes & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac in cuiusliber eorum mortis articulo, si etiam vere pœnitentes & confessi, Sanctissimum nomen IESV ore vel corde inuocauerint, necnon eisdem confratribus similiter vere pœnitentibus, & confessis, qui prima quaque die Dominica mensis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum huiusmodi sumpserint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, auctoritate & tenore prædictis, misericorditer in Domino concedimus. Præterea eisdem confratribus, quoties se inuicem aggregauerint, eleemosynam elargiti fuerint, ipsos carceratos visitauerint, & circa eos aliqua alia pia opera exercuerint, centum diesde eis iniunctis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, auctoritate, & tenore prædictis etiam misericorditer in Domino relaxamus.

A'ias Cõfraternitates aggregandi & Indulgentias communicandi, auctoritatem tribuit. Tu vide reformationẽ Clẽ. 8. cit. in rubr.

§. 6. Postremo ipsis confratribus, vt quascumque alias similes confraternitates, vbique locorum pro similibus piis operibus exercendis, sub eadem denominatione Pietatis carceratorum erigendas dictæ Archiconfraternitati tamquam membra capiti aggregate, ac in eorum numerum, seu dependentiam recipere, illisque & earum Confratribus, indulgentias, aliaque priuilegia, & indulta eidẽ Archiconfraternitati per præsentes concessa, prædicta communicare, eosque de illis participes facere, libere & licite valeant, eisdem auctoritate, & tenore pariter perpetuo indulgemus.

Clausula præseruatiua

§. 7. Decernentes præsentes literas sub quibuscumque reuocationibus, suspensionibus, & modificationibus, similium indulgentiarum, etiam per nos, & successores nostros Rom. Pontifices pro tempore existentes factis, ac Cancellariæ Apostolicæ regulis pro tempore editis, etiam in fauorem Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de eadem Vrbe, ac Cruciatæ sanctæ, nullo vnquam tempore comprehendi, sed ab illis omnino exceptas esse, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum ac validissimum statum restituras, & de nouo, etiam sub data per eosdem Confratres eligenda, concessas fore & censeri, ac perpetuis futuris temporibus durare.

Clausula sublata.

§. 8. Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauf. derog:

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ erectionis, institutionis, voluntatis, applicationis, appropriationis, concessionis, præcepti, mandati,

Digitized by Google

mandati, relaxationis, indulti, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D.P. An. 8. 28. Iunij. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimonono, 4. Kal. Iulij Pon. nostri anno octauo.

LVII. Vsus altaris portatilis Religiosis Societatis IESV restituitur, non obstante Concilij Tridentini dispositione, vt in eo inter missiones quæ à Superioribus de ipsis fiunt vbique in loco tuto Missam celebrare, & Eucharistiam ministrare possint.

Alia de hac Societate notani sup. ad const. 25. Pauli III. Regimini.

Edita An. D. 1579. *GREGORIVS PAPA XIII. Dilectis filiis Præposito generali, & Presbyteris Soc. IESV.*

Restitutio de qua in rubr. VSum altaris viatici Societati vestræ à fel. record. Paulo Papa Tertio concessum, deinde à Concilio Tridentino vniuerse sublatum, vobis eatenus restituimus, vt intermissiones, quæ à Superioribus fiunt, presbyteri vestri, seruata alias forma dictæ concessionis, Missæ sacrificium licite valeant celebrare super huiusmodi Altari vbique gentium, etiam in castris militum, modo loca & si communia & profana, tuta & honesta sint, & Generalis, aut per eum Prouinciales Præpositi, eo tum vtendum fore iudicauerint. Itidemque possint ibi presbyteri ipsi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ministrare fidelibus ad illud sumendum debite præparatis.

Contrariorum derogatio. §. 2. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Eadem porro fides vbique detur præsentium exemplis, eo quo solent alia in vestra Societate transumpta modo, munitis, quæ daretur ipsis præsentibus, si exhiberentur vel ostenderentur.

D. P. An 8. die 1. Octobris. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 1. Octobris, millesimo quingentesimo septuagesimo nono, Pont. nostri anno octauo.

LVIII. Reductio Monachorum Ordinis S. Basilij in vnam Congregationem, & sub regimine vnius Abbatis, cum priuilegiorum, & gratiarum elargitione, pro dicti Ordinis reformatione.

Hanc reductionem approbauit etiam Clem. VIII. inf. in const. 103. Altissimi. Et Abbatis auctoritatem etiam quoad Monachos reformatos consistere voluit ipse Clem. ibi, vbi alia indicabo.

Edita An. D. 1579. *GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

S. Basilius Magnus Monachorũ Ordinẽ erexit. BEnedictus Dominus Deus noster, à quo Sancti sui intelligentiæ spiritu repleti, tamquam imbres sapientiæ suæ eloquia emiserunt, eumque in oratione confessi sunt. Quo gratiæ munere B. Basilius cognomẽto Magnus, à diuina benignitate locupletatus, omnis bonitatis tantæque in se beneficentiæ auctori, quod recepit fertilissimi agri more, cum centesimo reddidit incremento. Nam præter ea quæ effudit Theologicæ scientiæ, eloquentiæque flumina, quæque edidit continentiæ, abstinentiæ, & susceptorum pro CHRISTO laborũ tolerantiæ documenta, adoptatos sibi nouæ sobolis fœtus, in cœnobiaque procul à communi viuendi ratione segregatos in compositum Ordinem redegit, & salutaribus præceptis instituit, vt perpetua futurorum temporum successione verbo, & opere à se instructi, Deum confiterentur, Catholicæque Ecclesiæ ornamento essent, atque in dubiis rebus adiumento.

Cuius Ordinis Monachi in sanctitate, & doctrina olim floruerũt nunc autem qui si defecerunt.

§. 1. Qui vitæ sanctitate, & doctrina insignes toto terrarum Orbe, maxime vero in Asia, Palestina, Thracia, Græcia, & Italia multis sæculis floruerunt, Postea vero, (quod nõ sine maximo animi nostri mœrore recensemus) temporum iniuria, totiusque Orientis à dira Turcarum Tyrannide oppressi calamitate, crebrisque ita hominum exigentibus culpis, exorientium schismatum dissensionibus, Ordo ille alibi penitus corruit, alibi ita fuit imminutus, vt disciplina regulari laxata, charitas illa pristina deferbuerit, Monachique alij alio dispersi sine capite sicuti oues sine pastore errauerint, in aliquibus autem ne vestigium quidem Monastici remanserit instituti, monasteria euersa & bona fuerint dissipata.

Ideo hic Põt. pro reformatione dicti Ordinis, præcipit fieri Capitulũ eligiq; Abbatem generalẽ & alios officiales inhærendo constitutioni Innoc. 3. qua est in cap. 7. de Stat. Monac.

§. 2. Cui incommodo, quod à nobis nostri Apostolatus ratio exposcit, prouidere, ipsumque Ordinem pristinæ dignitati, regularique obseruantiæ, quantum Domino adiuuante possumus, restituere volentes, vt quam primum in agro Domini vberes fructus maiorum suorum, & præcipue tanti Patris, & Magistri exemplo edere valeant, maxime expedire duximus à Monasteriis, quæ in Italia, & in vtriusque Siciliæ Regnis consistunt, quorum plagas propius inspeximus, huiusmodi Ordinis instaurationem inchoare, ipsaque Monasteria in vnam Congregationem iuxta constitutionem felicis recordationis Innocentij Papæ III. prædecessoris nostri in Concilio generali editam quæ incipit, In singulis, ac Concilij Tridentini decreta redigere. Et vt hæc facilius optatũ consequi possent effectum, primum Generale Capitulum dicti Ordinis celebrari mandauimus, in quo Abbas generalis, qui in singula prædicta & alia eius Ordinis Monasteria Conuentus, & regularia loca vbicumque sub obedientia nostra, & S.R.E. illa fuerint, illorumque personas absoluta sit auctoritate præditus. Ac præterea Visitatores, Procurator generalis & alij officiales, quorum electio in Capitulo generali facienda esset, in Monasterio sancti Philareti eiusdem Ordinis, Militensis diœcesis, in festo Pentecostes proxime præterito eligerentur, illo prius de more indicto per dilectum filium nostrum Guielmum tit. Sancti Laurentij in Panisperna presbyterum Cardinalem Sirletum nuncupatum, dicti apud nos Ordinis, Sedemque Apostolicam Protectorem, dilecto filio Paulo Abbate Monasterij Castri Villariis Ordinis S. Benedicti Cassinensis diœc. Congregationis Cassinensis, eidem Capitulo eiusdem Guilelmi Cardinalis nomine præsidente, ac in eius manibus, antequam ad electionis negocium procederetur, per Priores & alios Monachos Monasteriorum dicti Ordinis Sancti Basilij præsentes, vocemque in Capitulo generali habere debentes, professione regulari quæ per Monachos eiusdem Ordinis S. Basilij emitti debet, expresse emissa,

In quo Capit. Abbas, Visitatores & alij Officiales electi fuerunt.

§. 3. Et tamdem cum pro electionibus, vt præfertur celebrandis iam in vnum conuenissent, vocatis omnibus, qui voluerunt, poterunt, & debuerunt electionibus huiusmodi commode interesse, die ad eligendum præstituta, vt mos est, dilectum filium Nicolaum Antonium Abbatem monasterij S. Nicolai de Butramo dicti Ordinis S. Basilij, Hieracensis diœcesis in Abbatem generalem, ac duos Visitatores, & vnum Procuratorem generalem, aliosque Officiales per secreta suffragia elegerunt.

Et modo hic Pont. d. Capit. celebrationem & dd. Officialiũ electiones confirmat.

§. 4. Nos autem reductionem eorumdem monasteriorum, Priorum, & Monachorum in Congregationem & Capitulum dictique Capituli indictionem & præsidentiam ac electiones huiusmodi ratas & gratas habentes, Motu proprio & ex certa scientia nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, easdem tenore præsentium approbamus & confirmamus, omnesque tam iuris quàm facti, ac omissarum solemnitarum etiam substantialium, vel ex Ordinis prædicti S. Basilij statutis requisitarum defectus, siqui interuenerint in eisdem, supplemus.

Abbatemque gen. in eo electum, de nouo ipse Põt. eligit, illique curam & administrationem cõcedit, omniũ Monachorum & monasteriorum Ord. S. Basilij.

§. 5. Et nihilominus prædictum Nicolaum Antonium Abbatem eidem Congregationi vniuersæ in Abbatem generalem præficimus, curam illius vniuersam, & in spiritualibus & temporalibus plenissime committendo, ita vt ipse & Abbas generalis pro tempore electus, æque vt alij aliorum Ordinum in Congregationes reductorum Abbates generales, & præsidentes, in suisque Capitulis, Congregationibus & ordinationibus, de iure, & priuilegio, & consuetudine habent & exercent, habereque & exercere possunt, plenam & omnimodam superioritatem, iurisdictionem & auctoritatem habeat & exerceat, tam

Hãc reductionem probat. Clem. VIII. in const. 14.

Digitized by Google

tam in ea omnia quæ in Italia & Regnis prædictis sunt, quàm etiam in S. Mariæ de Ouiedo Genuensis, & del Tardon Cordubensis, ac Vallis del Galleguillos Ispalensis diœcesis, eiusdem Ordinis S. Basilij prouinciæ Hispaniæ, dudum à nobis in Regnis Hispaniarum institutæ, & prorsus in alia quæcumque monasteria, domos & loca in eadem prouincia sub regula S. Basilij hactenus erecta, & in posterum erigenda, eorumque Abbates, Conuentus, Monachos & personas, quæ nos pridem cum Monachis eiusdem Ordinis S. Basilij in Italia existentibus, & eorum Congregationis prædictæ sub obedientia inde futuri Abbatis seu Vicarij generalis eiusdem Congregationis perpetuò coniunximus: eaque, necnon Visitatorem eiusdem prouinciæ Hispaniæ Abbati seu Vicario generali Congregationis huiusmodi in Italia pro tempore eligendo subiecimus, & ab eo dependere decreuimus inter alia, quemadmodum nostris diuersis literis prioribus, videlicet Kalen. Maij secundo, posterioribus vero octauo Kal. Iulij, sexto Pontificatus nostri annis dat. plenius continetur.

Eiqua omnes Monachos subiicit.

§. 6. Iubemus itaque vniuersos & singulos eiusdem Congregationis S. Basilij Abbates, Priores, & Prælatos, necnon Monachos, & alias quascumque personas, ipsi Abbati generali, tamquam membra capiti, & eorum legitimo Superiori, in omnibus quæ ad officium Abbatis generalis pertinent, eorumque animæ salurem, regularisque obseruantiæ rationem concernunt, prompte & humiliter obedire.

Habitum præscribit.

§. 7. Et vt habitus qui exterius geritur, religiosis mentis affectibus pariter respondeat, statuimus, vt omnes Congregationis eiusdem professores eumdem habitum à Nouitiis distinctum ex panno nigri coloris cum caputio siue cuculla Monachali omnino deferant, veluti ex antiquo eiusdem Ordinis instituto prisci Patres & Monachi gestare solebant.

Professionē regularem per omnes emitti mandat.

§. 8. Vtque omnes eiusdem Ordinis S. Basilij Monachi & Religiosi, qui in dicto Ordine iam admissi sunt, ad professionem regularem eiusdem Ordinis in manibus Abbatis, si ibi fuerit, vel Prioris monasterij in quo reperientur, expresse emittant. Deinceps vero nemo in dicto Ordine, illiusque monasteriis ad eiusdem Ordinis habitum regularem, siue tacitè siue expresè admittatur, nisi in ætate legitima constitutus, anno demum integro in probatione iuxta eiusdem Concilij Tridentini decreta perstiterit.

Capit. gen. quolibet triēnio cogi iubet.

§. 9. Generale autem Capitulum in quo de Ordinis prædicti reformatione, & regulari obseruantia agendum erit, tertio quoque anno celebretur.

Officia sint triennalia.

§. 10. Eorumdem, siue Abbatis generalis, siue Visitatorum, siue Procuratoris item generalis munera, siue officia triennalia sint; licebit tamen in eodem Capitulo generali, vbi manifeste cognitum fuerit expedire, eosdem omnes aut eorum aliquos ad aliud triennium in eodem quod gesserint officio, nec vltra confirmare; qui tamdem ab eisdem mulieribus absoluti, saltem per aliud simile triennij spacium officio vacent.

Capit. præsidant eligēdus à Card. Protector.

§. 11. Ceterum si dicto Guilelmo Cardinali, & pro tempore dicti Ordinis Protectori videbitur opportunum, ac quousque ille id expedire censuerit, consilium, & auxilium alicuius Abbatis Congregationis Cassinensis, in huiusmodi Capitulis celebrandis, ex longa consuetudine & experientia plenius instructi, ad ipsum Capitulum generale poterit adhiberi, qui eiusdem Protectoris auctoritate etiam eidem Capitulo præsideat generali.

Locus futuri Capit. designetur.

§. 12. In singulis vero Capitulis generalibus locus in quo proxime futurum Capitulum generale celebrandum sit designetur.

Electiones per suffragia secreta fiant.

§. 13. Electiones autem per suffragia secreta fiant, prout Concilij Tridentini prædicti decretis est statutum.

In monast. cōmendatis, mēsa Conuentualis sit distincta ab Abbatiali & Commendatarij assignē bona, quæ pro Monachorū subsentatione sufficiant.

§. 14. Ad hæc, vt ipsi Monachi degentes in monasteriis in quibus mensa Conuentualis non est ab Abbatiali separata, quæque clericis sæcularibus, & aliis cuiuscumque gradus & dignitatis, etiam si Cardinalatus honore præfulgeant commendata sunt, obsequiis Altissimi liberius vacare possint, mensam Conuentualem à mensa Abbatiali distinguimus, & ab eisdem monasteriis quousque illa commendata fuerint, eam bonorum stabiliū, proprietatum, iuriumque partem, quæ tamen inter immobilia censeantur, perpetuo dismembramus atque diuidimus, quæ ad alendum solitum Monachorum & ministrorum numerum, ac victum & vestitum, aliaque ad eorū sustentationem necessaria comparanda sufficiant, eosdemque Commendatarios ad assignandum totidem bona, proprietates, & iura prædicta intra tempus per eumdem Gulielmum Cardinalem protectorem præfigendum omnino teneri volumus. Hæc autem bona stabilia, proprietates & iura sic per nos dismembrata, necnon omnia alia mobilia & immobilia, quæ ex piorum fidelium testamentis, legatis, largitionibus, aut alias quomodocumque ipsis Conuentibus, & Monachis in posterum donata concessa, & relicta fuerint, pro quorum consecutione Monachi Conuentuum eorumdem nomine, etiam in iudicio agere, & experiri, ac illo interuenire valeant, sed & oblationes atque eleemosynas in eorumdem monasteriorum Ecclesiis erogandas pro constituenda mensa Conuentuali in singulis monasteriis prædictis, ac pro augmento earumdem mensarum Conuentualium etiam perpetuo applicamus & appropriamus.

Cōmendatarij monasteria reparent, necessaria ad cultum diuinum assignēt.

§. 15. Nihilominus tamen Commendatariis incumbat prout tenentur, in eisdem monasteriis quæ Conuentum habent, monasteriorum & Ecclesiarum eorumdem reparationi, ac aliis ad diuinum cultū necessariis prouidere; quorum monasteriorum claustra & ædificia pro vsu Monachorum constructa ad Monachos prædictos in eis permanere contigerit, eorum liberi atque absoluti iuris esse decernimus.

Et Monachi possessionē capiant.

§. 16. Liceat porro Abbatibus, Prioribus, ceteriisque dicti Ordinis Monachis & Religiosis, corporalem possessionem bonorum sic dismembratorum & applicatorum; ac vt præfertur assignandorum, cum primum illa per Commendatarios assignata fuerint, & claustrorum ac ædificiorum monasteriorum prædictorum Conuentuum habentium, per se vel alium seu alios, propria auctoritate absque alicuius Iudicis ministerio libere apprehendere & apprehensam retinere, ac eorumdem bonorum, siue proprietatum & iurium fructus in communes eorumdem Monachorum & ministrorum vsus & vtilitatem conuertere, ipsorumque claustrorum & ædificiorum libero vsu pacifice frui & gaudere, quorumuis licentia super his minime requisita.

Monast etiam commendata huic Congreg. aggregata cēseantur saluis remanentibus dignitatibus Abbatialib. de quibus Sedes Apost. libere disponere possit.

§. 17. Vt autem prædicta monasteria Ordinis S. Basilij sic in vnam Congregationem redacta, eliminatis omnibus abusibus, in via Domini quotidie magis proficiant; Conuentus omnium monasteriorum virorum Conuentum habentium dicti Ordinis S. Basilij, quæ tam in Italia & prædictis Regnis erecta sunt, quæcumque, quorcumque, & qualiacumque sint, & per quoscumque etiam S. R. E. Cardinales, in titulum, commendam, vel administrationem, aut alias obtineantur, dignitatibus Abbatialibus eorumdem semper saluis, ita vt de eis quotiescumque vacabunt per Romanum Pontificem & Sedem prædictam omni tempore disponi libere debeat, & sine præiudicio iurium eiusdem Sedis, quæ inuiolata permanere volumus, ac etiam de Ouiedo, & del Tardon, ac Vallis del Galleguillos prædictorum, necnon omnium & quorumcumque aliorum, quæ deinceps à Congregatione & Monachis prædictis, Deo adiuuante, erigentur & construentur in eisdem Italia & Regnis, ac Prouincia Hispaniæ, ipsi Congregationi in perpetuum aggregamus.

Hic Ordo priuilegiis Congreg. Cassinen. gaudeat.

§. 18. Ac Monasteriis, Conuentibus, Prioribus & Monachis prædictis, necnon Conuersis & Oblatis, aliisque etiam dictorum monasteriorum S. Basilij Religiosis & personis, vt de cetero omnibus & quibuscumque priuilegiis, prærogatiuis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indulgentiis, fauoribus, gratiis, & indultis; tam spiritualibus quàm temporalibus, Congregationi prædictæ Cassinensi, illiusque personis & locis per quoscūque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & dictam Sedem, in genere & in specie concessis, confirmatis, & innouatis, ac etiam per viam communicationis ad eamdem Congregationem Cassinen. extensis, quibusilli vtuntur, potiuntur, & gaudent, & vti, potiri, gaudere poterunt quomodolibet in futurum (quæ tamen vsu recepta sint, & sacris Canonibus ac dicti Conc. Trid. decretis, ipsiusque Ordi. S. Basilij non aduersentur)

Digitized by Google

vti, potiri, & gaudere libere & licite valeant, concedimus & indulgemus.

Exemptio à iurisdictione Ordinariorū & Cōmendatariorū, qui regulam S. Basilij profeſſi non ſint

§. 19. Eamdemque Congregationem S. Baſilij, illiuſque Conuentus, Monachos & perſonas quaſcumque, ab omni Ordinariorum locorum, ac etiam eorum, qui monaſteria dicti Ordinis etiam Archimandritatus appellata, in commendam vel alias quomodolibet obtinuerint, eumdemque Ordinem S. Baſilij expreſſe profeſſi non fuerint iuriſdictione, auctoritate & poteſtate penitus eximimus, & liberamus, ac ſub noſtra & Beati Petri protectione immediate ſuſcipimus. Ita tamen vt omnes ſub dicta exemptione comprehenſi, Abbatis generalis, Viſitatorum, Abbatū, Priorum, & aliorum officialium, tam in dicto generali Capitulo quàm extra illud canonice electorum, & aliorum, qui pro tempore eligentur, iuriſdictoni, viſitationi, morumque correctioni iuxta eamdem regulam S. Baſilij, ac eius Ordinis inſtituta omnino, prout eorum incumbit muneri ſint ſubiecti.

Abb. & Viſitat. viſitēt & reformēt Monachos & inobediētes corrigant, &c.

§. 20. Inſuper Abbati generali & Viſitatoribus in Capitulo generali deputatis, vt monaſteria, Prioratus, & alia loca, ac Abbates, Priores, Conuentus, & perſonas Congreg. prædictæ, iuxta dicti Concilij decreta, & regularia inſtituta prædicta viſitare, & tam in capite quàm in membris reformare, delinquentes, inobedientes, & rebelles corrigere, punire, & caſtigare, regularia dicti Ordinis S. Baſilij inſtituta in illis exacte cuſtodienda introducere, ac in dicto Capitulo generali pro tempore congregatis eiuſdem Congregationis Monachis, quæcumque ſtatuta & ordinationes ad ſalutare ipſius Congregationis regimen, & ad regularem obſeruantiam pertinentia (licita tamen & honeſta, ac ſacris Canonibus, & Concilij Tridentini decretis, necnon regulæ S. Baſilij prædictis minime contraria) ab ipſo tamen Gulielmo Cardinale & pro tempore exiſtente dictæ Congregationis Protectore antequam promulgentur examinanda & approbanda, condere valeant, licentiam tribuimus.

Decretum irritans.

§. 21. Decernentes ſupradicta omnia perpetuo inuiolata fore, ſicque per quoſcumque Iudices, ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, in quauis cauſa & inſtantia, ſublata cuique aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate vbique iudicari debere, necnon irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Gulielmus Sirletus Card. Protector, deputatur executor huius conſtit. cum facultatibus hic expreſſis.

§. 22. Sed ne præſentium literarum effectus in longum prorrahatur, Gulielmo Cardinali prædicto præcipimus, vt per ſe vel alium ſeu alios ipſas præſentes literas, & quicquid in eis continetur, ab vniuerſis & ſingulis Ordinis & Congregationis S. Baſilij prædicti Abbatibus, Prioribus, & Monachis, aliiſque prædictis, & dictorum monaſteriorum & Archimandritatuum prædictorum Cōmendatariis, etiam vt præfertur qualificatis inuiolate faciat obſeruari, & ad aſſignandum, & cum effectu tradendum pro Monachorum & miniſtrorum numero alendo, ac menſa Conuentuali in his monaſteriis, quibus eorum Conuentus exiſtunt, partem bonorum & proprietatum ac iurium, clauſtraque & ædificia prædicta libere conſignandum intra duos menſes à die publicationis earumdem literarum, hic de more conſtitutionum & literarum Apoſtolicarum faciendæ numerandos, etiam per priuationem monaſteriorum & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum ab eis obtentorum, ceteraque omnia iuris & facti remedia opportuna compellat. Nos enim illi & pro tempore exiſtenti Protectori, per ſe vel alium ſeu alios, contra Commendatarios omnes monaſteriorum & locorum Conuentuum prædictorum ſic in Congregationem reductorum, qui congruam aſſignationem bonorum, proprietatum, ac iurium diſmembratorum prædictorum præſtituto tempore facere diſtulerint, recuſauerint, negauerint, vel etiam quouis modo impediuerint, ceteroſque omnes ſua in præmiſſis quomodolibet intereſſe putantes, etiam per edictum locis publicis affigendum citandi & monendi, ac contra eos, & prorſus contra quoſcumque alios contradictores & rebelles, eiſque auxilium, conſiliū & fauorem, publice vel occulte præſtantes, etiam ſummarie, ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura iudicij, ſed ſola facti veritate inſpecta, omni & quacumque appellatione remota, procedendi, & ad hunc aliorumque præmiſſorum omnium executionem & effectum, tam eiſdem quàm etiam quibuſcumque Iudicibus & perſonis, etiam ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, ac etiam per ſimile edictum inhibendi, cenſuras & pœnas etiam ſæpius aggrauandi, interdictum Eccleſiaſticum apponendi, auxiliumque brachij ſæcularis vbicumque opus fuerit inuocandi, necnon partem proprietatum & poſſeſſionū menſarum Abbatialium prædictarum, quæ ad redditum annuum pro victu & aliis ad vſum ſoliti Monachorum & miniſtrorum numeri ſatis ſint arbitrio eiuſdem Gulielmi Cardinalis, & pro tempore Protectoris, vel eorum qui ab eo deputabuntur, eligendorum, pro menſa Conuentuali, etiam per ſubtractionem & alias prout ei viſum erit, perpetuo conſtituendi & aſſignandi, ceteraque in præmiſſis & circa ea neceſſaria & opportuna faciendi & exequendi, etiamſi talia fuerint, quæ mandatum requirāt magis ſpeciale quàm præſentibus eſt expreſſum, plenam & liberam tenore præſentium concedimus facultatem.

Clauſula derogatoria.

§. 23. Non obſtantibus præmiſſis, ac noſtris de vnionibus committendis ad partes, ac valore fructuum exprimendo, necnon de non tollendo iure quæſito, ac generalis, & vniones perpetuas niſi in caſibus à iure permiſſis fieri prohibentis nouiſſime celebrati Lateranenſium Conciliorum, ac piæ mem. Innocentij Quarti, quæ incipit; Volentes, & Bonifacij Octaui Romanorum Pontificum de vna, & in eodem Concilio Generali edita de duabus dietis, aliiſque Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon monaſteriorum & Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem monaſteriis, & Ordinibus, eorumque Superioribus & perſonis, etiam monaſteria & Archimandritatus eiuſdem Ordinis in Commendam obtinentibus, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & eamdem Sedem, etiam per modum ſtatuti perpetui, ac initi & ſtipulati contractus, ac alias, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſcumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere & ſpecie, etiam ab immemorabili tempore quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis, ac etiam vſu receptis, ac quocumque tempore factis & promulgatis, & quibuſcumque aliis indulgentiis & literis Apoſtolicis, ſpecialibus vel generalibus quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa aut omnino non inſerta, effectus earum impediri valeant quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, quæ omnia contra earumdem præſentium tenorem nolumus cuiquam in aliquo ſuffragari, contrariis quibuſcumque; aut ſi Commendatariis & perſonis prædictis, vel quibuſuis aliis communiter vel diuiſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, & ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Hæc confr. ligat poſt duos menſes à die publicationis.

§. 24. Poſtremo volumus vt lapſis ſtatim duobus menſibus à publicatione prædicta, literæ prædictæ ita vnumquemque ſupradictorum arctent, acſi ſingulatim intimatæ fuiſſent; earum quoque exempla etiam impreſſa, Notarij publici manu, & Prælati Eccleſiaſtici ſigillo obſignata, eamdem illam prorſus fidem vbique locorum, in iudicio & extra illud faciant, quam ipſæmet præſentes facerent, exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino, &c.

Dat. P. An. 8. 2. Nouemb.

Dat. Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1579. Kal. Nouemb. Pontificatus noſtri anno 8.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. 1580. Indict. 8. die vero 8. menſis Ian. Pont. Sanctiſſ. D. N. D. Gregorij diuina prouidentia P P. XIII. anno 8. præſentes literæ Apoſt. affixæ & publicatæ fuerunt in valuis Principis Apoſtolorum de Vrbe, & acie Campi Flōræ, & Cancell. Apoſt. & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ per me Io. Freile S. D. N. Papæ Curſorem.

Io. Andreas Paniz̃a Mag. Curſ.

De

Digitized by Google

LIX. De electione quolibet triennio in Capitulo generali fienda Prioris Generalis, & aliorum Prælatorum Congregationis Canonicorum Regularium S.Saluatoris,Ordinis S.Augustini, eiusque bonorum temporalium administratione.

*Omnia hic disposita, approbat Six.V.inf. in eius constit.*98.Ex varietate.*vbi videas quæ indicabo.*

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An.D. 1579.

Dilectis filiis Priori Generali, Visitatoribus, Abbatibus, Præpositis, Prioribus, Vicariis, Prælatis, Procuratoribus, ac officialibus quibuscumque, nunc & pro tempore existentibus, quocumque titulo nuncupatis, necnon Canonicis, Nouitiis, Conuersis, Commissis, ac quibuslibet aliis personis in Congregatione Canonicorum regularium S.Saluatoris, Ordinis S. Augustini degentibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

Pius V. decreuit quolibet triennio celebrari Capit. gen. & ibi eligi Priorē gen. & alios Prælatos, vt in illius cōst.141.

QVę inter religiosorum cœtus dissidia excitant, ea ne altius expullulent, sunt à nobis radicitus extirpanda. Cum igitur fel.rec. Pius Papa V. prædecessor noster per suas in forma breuis literas, super reformatione Congregationis vestræ S.Saluatoris Ordinis S.Augustini emanatas, sub dat. sexta Decemb.1571. Pontif.vero sui anno sexto; iustis & grauibus de causis inter alia statuisset, ordinasset, & decreuisset, vt de cetero Capitulum gen. eiusdem Congregat. in quo Prior Generalis, Visitatores, ceterique Prælati, ac etiam Procurator gen. eligerentur, quolibet triennio tantum, non autem vt antea singulis annis celebraretur.

Et hic Pont. hoc confirmauit, ac officiū omnium Prælatorum triēnio durare iussit.

§. 1. Nosque per alias nostras literas sub dat. 23.Martij 1574. licet quo ad rationem eligendi Priores, alios que Prælatos Conuentuales tantum prædictas literas, ita ratione & nouo rerum euentu suadente immutauerimus, ac modificati fuerimus, ceteris tamen omnibus in eisdem literis contentis & ordinatis, ac præsertim triennali electioni huiuscemodi non solum non aliqua alia ex parte detrahere, aut vllatenus derogare velle professi expresse fuerimus, vt ipsa quoque Conuentualium prælatorum officia ad triennium extendentes, ea omnia confirmauerimus atque approbauerimus, quemadmodum in dictis nostris literis plenius continetur.

Quidā tamen in his dubiū excitabant.

§. 2. Nihilominus quia nuper nobis est insinuatum, nonnullos vestræ Congregat. huiuscemodi ordinationi ac statuto à prædecessore nostro, prouida ac matura deliberatione inuento, à nobis confirmato, & in vestro generali Capit. acceptato, & iam in vsu recepto, non solum acquiescere velle, sed colore quodam de huiusmodi literarum nostrarū validitate dubitandi, ȳre autem vera temeritatis, & ambitionis stimulis agitatos de illa immutāda, infirmanda, vel etiā reuocanda, verba facere ausos fuisse.

Ideo hic Pont. denuo eadem statuit.

§. 3. Nos ad tollendum omne dubium, & huiusmodi audaciam compescendam, & pacem tranquillitatemque in dicta Congregatione vestra perpetuo confouendam, & retinendam, Apostolica auctoritate tenore præsentiū hac nostra declaratione, determinatione, ac definitione, supradictam de triennali electione & administratione, ordinationem, constitutionem, & decretum, iterum & de nouo, quatenus opus sit, approbamus, confirmamus, eique perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, ac super eo specialiter & expresse perpetuum silentium imponimus.

Inhiberq; sub pœnis hic expressis ne de cetero tractetur de immutando hoc decreto eiusque cōfirmatione.

§. 4. Mandantes propterea vobis omnibus & singulis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub priuationis perpetuæ tam officiorum, dignitatum, & administrationum quarumcumque, quàm vocis activæ & passiuæ, aliisque Ecclesiasticis censuris arbitrio nostro moderandis & infligendis pœnis districte præcipientes & inhibentes, ne quis vestrum publice vel priuatim, secreto vel palam, in Capit.generalibus vel conuentualibus, intra monasteriorum sepia vel extra, ac tamdem vsque vel vmquam de supradicto triennio corrigendo vel mutando amplius loqui, seu tractare præsumant.

Clausula derrogat.

§. 5. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Fides tranſumptorum.

§. 6. Volumus autem ad huius declarationis & prohibitionis nostræ faciliorem notificationem, præsentium exemplis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel etiam Prioris generalis pro tempore existentis vestræ Congregationis munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ præsentibus haberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S.Petrum, sub annulo Piscatoris, die 16. Decemb.1579. Pontificatus nostri anno octauo. D.P. An.8. 16.Decemb.

LX. Declaratio quorumdam statutorum priuilegiorum Militiæ & Religionis S. Ioannis Hierosolymitani, circa professionem emittendam, habitumque suscipiendum. Et confirmatio exemptionis à solutione decimarum, & aliorum onerum quorumcumque.

Quo ad primam partem videri potest const.9.Pij IV. Circumspecta. *sup.Et quo ad secundam partem, attende const.77. Pij V.* Et si cuncta. *vbi etiam cetera de hac Militia indicaui.*

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1580.

Exordium.

QVo magis ac firmius Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, Ordini, sanctæ Sedi Apostolicæ, & nobis acceptissimi, ac de Christiano nomine, fideique Catholicæ defensione optime merito, illiusque Magno Magistro, Præceptoribus, & Commendatariis hactenus per Sedē Apostolicam concessa priuilegia præseruentur, quo eumdem Ordinem complectimur, æquum est prouidere.

Clem.VII. statuit beneficiū & pēsion. habentes, habitū suscipere debere, & profess. emittere infra sex mēses, vt in Pij IV. const. 3.

§. 1. Dudum siquidem fel. record. Pius Papa IV. prædecessor noster, dum fauore eiusdem Hospitalis & Religionis, priuilegia eidem antea concessa confirmauit atque approbauit, vel etiam ampliauit, animaduertens piæ mem. Clementem Papam VII. etiam prædecessorem nostrum statuisse, quod omnes & singuli Baiuliuarum, Prioratuum, Præceptoriarum, domorum & beneficiorum in vim collationum eis factarum possessores, sæculares aut alterius Ordinis regulares, seu pensiones super illorum fructibus. redditibus, & prouentibus huiusmodi, eatenus etiam per Sedem eamdem reseruatas, percipientes, illas & illa infra sex menses à die intimationis dictarum literarum in manibus Magistri & Conuentus prædictorum iuxta formam stabilimentorum dictæ Religionis dimittere & transferre, seu illarum cassationi consentire tenerentur, alioquin beneficia & pēsiones huiusmodi nisi illa possidentes, & illas percipientes infra dictum tempus habitum susciperent, & professionem Regularem ipsius Religionis emitterent, lapsis mensibus ipsis vacarēt, ac cassæ & extinctæ essent, & esse censerentur eo ipso.

Paul.III. statuit Capellanos præsidere posse de Eccl. huius Ord. vt habetur in d. const. Pij IV.

§. 2. Ac deinde recol. mem. Paulum Papam III. etiam prædecessorem nostrum, vt Magister, & singuli Priores, Baiuliui, Præceptores, Milites, & Fratres Hospitalis huiusmodi pro eorum libito parochiales, ac etiam sine cura Ecclesias, seu earum Vicarias, seu Capellanias perpetuas, aut Capellas vel Altaria, seu alia beneficia simplicia ad eorum collationem, præsentationem, electionem, seu quamuis aliam dispositionem ratione Prioratuum, Baiuliuatuū, Præceptoriarum, etiam Camerarum magistralium nuncupatarum, hospitalium, domorum, & aliorum beneficiorum dicti hospitalis per eos pro tempore obtentorum de iure, statuto, consuetudine, fundatione, aut priuilegio, vel alias quomodolibet spectantia & pertinentia, ab ipsis Baiuliuis, Præceptoriis, domibus, hospitalibus, & aliis beneficiis dependen. seu illis annexa, quæ dudum forsan Fratribus saltem Capellanis eiusdem hospitalis, & ab eisdem Magistro, Prioribus, Baiuliuis, ac Præceptoribus, & aliis prædictis conferebantur, à longo tamē & forsan longissimo tempore citra, de cuius initio memoria hominum forsan non existebat, per ipsos Magistrum, Priores, Baiuliuos, Præceptores, Milites, & Fratres, per abusum aut ex defectu huiusmodi Capellanorum, vel aliarum personarum eiusdem hospitalis ad id idonearum clericis seu presbyteris sæcularibus collata, aut conferri, & per ipsos presbyteros vel clericos sæculares obtineri solita,

Digitized by Google

solita, etiam Fratribus huiusmodi, præsertim Capellanis nuncupatis, qui vt asseritur, à presbyteris seu clericis, nisi quo ad gestationem Crucis vel habitus dicti hospitalis ad pectus non defrebant, immo priuilegiis clericorum sæcularium, iuxta forsan eorum priuilegia & consuetudines gaudere solebant, si ad id alias idonei & habiles reperirentur, conferre, ac alias de illis prouidere, & disponere, ipsique Fratres, quibus beneficia huiusmodi conferri contigerit, illa si sibi alias canonice conferrentur, aut ipsi eligerentur, præsentarentur, vel alias assumerentur ad illa, & instituerentur in eis, recipere, & in titulum, etiam quo ad viuerent retinere, respectiue libere & licite valerent, statuta & ordinationes extendisse & ampliauisse, eisque desuper indulsisse.

Pius IV. statuit clericos sæculares non posse cedere benefic. nisi certo modo de quo in ipsa Pij const. 9.

§. 3. Idem Pius IV. concessiones & priuilegia dictorum prædecessorum confirmans, ipsos Magistrum & Conuentum, necnon priorem Ecclesiæ, aliosque Priores & Præceptores intra limites suarum iurisdictionum & administrationum veros ordinarios, iuxta formam suorum stabilimentorum & priuilegiorum existere, & esse censeri decreuit, ac beneficia Ecclesiastica, ad præsentationem seu collationem Baiuliuorum, Priorum, & Præceptorum hospitalis huiusmodi suffragari debere, ita quod presbyteri sæculares illa tunc temporis in Commendam, seu alias quomodolibet obtinen. Commendæ huiusmodi cedere, aut illa alias dimittere non possent, nisi de consensu eorum ad quos præsentatio seu collatio spectaret, & in fauorem dicti hospitalis, seu personarum, quæ habitum per fratres Capellanos eiusdem hospitalis deferri solitum susciperent, & professionem per eos emitti solitam emitterent, nec illa deinceps ipsi nisi infra sex menses à die intimationis habitum ipsius Religionis suscepissent, & regularem professionem infra alios sex menses emisissent, possidere possent, & si secus fieret, aut cessionem seu resignationem huiusmodi, aut de d. Ordinis beneficiis, etiam in manibus suis in futurum fieri contigerit, huiusmodi cessiones, resignationes, & prouisiones nullius essent roboris vel momenti, nisi in illis expresse diceretur, & de consensu Magni Magistri, & de illis iuxta formam priuilegiorum dictæ Religionis prouideretur.

Paul III. confirmauit quædam Statuta Relig. circa prouisiones beneficiorum.

§. 4. Inter statuta etiam eiusdem Religionis per similis mem. Paulum Papam Tertium similiter prædecessorem nostrum, approbata & confirmata, ita cautum reperitur. Priores in suis Cameris, Prioratibus, Baiuliui, & Commendatarij in suis commendis habeant prouisionem, vel præsentationem beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura animarum vel sine, à suis commendis dependen. nisi id priuilegio vel consuetudine ad alios pertineat. Item frater Claudius de la Sengle Magister statuit, vt omnia beneficia Ecclesiastica eiusdem Ordinis, quorum collatio aut præsentatio ad dictum Ordinem pertinet, nullis cõferrentur, aut nulli ad ea præsentarentur, nisi essent Fratres ipsum Ordinem expresse professi, & alias prout in eiusdem Pij Quarti prædecessoris præfati literis, ac statutis & stabilimentis, vel priuilegiis dicti hospitalis plenius continetur. Quæ omnia cum dispositione iuris communis maxime congruunt, tum auctoritati sacrosancti Conc. Tridentini nituntur.

Hinc quæstiones aliquæ ortæ sunt.

§. 4. Verum cum, sicut accepimus, clerici sæculares possessores, cum cura & sine cura beneficiorum eorumdem ad collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, seu quamuis aliam dispositionem Priorum, Baiuliuorum, Commendatariorum & possessorum aliorum dictæ Religionis bonorum, iure eorumdem Prioratuum, Baiuliatuum, Commendarum, & aliorum bonorum eiusdem Religionis habitum suscipere, & professionem regularem, prout in eadem Religione consueuit emittere negligant ac recusent, in statutorum eiusdem Religionis contemptum, ac iuris communis dispositioni, & Concilij præfati decretis, priuilegiis quæ ab hac sancta Sede Apost. vt præmittitur, concessis, contraueniendo, ac prætendant eiusdem Pij IV. prædecessoris nostri, mentis & intentionis non fuisse ad habitus susceptionem, & professionis emissionem eos teneri qui post ab eodem prædecessore obtentam priuilegiorum confirmationem & ampliationem, de eisdem siue similibus beneficiis cõcessiones fieri quomodocumque obtinuerunt, cum de illis qui tunc temporis in commendam seu alias obtinerent, eumdem Pium Quartum prædecessorem sub isto verbo ad præsens statuisse dumtaxat prætendatur. Allegantes quod commendæ, prouisiones, siue alias quomodocũque concessiones de similibus beneficiis eisdem factæ post datã eiusdem Pij Quarti prædecessoris literarum, siue mentio fiat, siue reticeatur beneficia esse dictæ Religionis, sunt loco absolutionis, ac derogationis tacitæ, statutorum & priuilegiorum eiusdem Ordinis, ita vt ad suscipiendum illius habitum, ac professionem emittendam minime teneantur, cum susceptio habitus, & professio ab eis emittenda ex ipsarum literarum serie expresse iniunctæ fuisse non appareant; ex quibus eidem Ordini, illiusque Magistro, Prioribus, Baiuliuis, & Commendatariis, maxima in dies exoriuntur incommoda, atque perturbationes, præsertim dum eorumdem beneficiorum status ponitur in incerto.

Hic modo Pont. inhærẽdo Conc. Trid. suprædictorũ Pontif. gratias confirmat.

§. 6. Quare Nos, vt par est, debito pastoralis officij omnium Christifidelium, præsertim vero eiusdem Ord. præfatarum regularium personarum pro IESV CHRISTI nomine, ac Catholicæ fidei tuitione ad interitum vsque iugiter laborantium, commodis & indemnitati, quantum in nobis est, prospicere cupientes, simulque de communi eiusdem Ord. ac Religionis bono vehementer soliciti, ne quid ei indebite detrahatur, sacrorum Canonum ac decretorum d. Concilij, eorumdemque statutorum & priuilegiorum auctoritati, & tenoribus innitentes, eademque priuilegia, statuta & ordinationes, ac dictorum prædecessorum nostrorum literarum tenores præsentibus pro expressis habentes, illaque omnia approbantes & confirmantes, præsentisque nostri scripti patrocinio communientes, ac rata & grata habentes, ac quatenus opus sit, innouantes, & de nouo concedentes.

Declarat etiã prouisos per Sedem Apost. teneri habitũ suscipere.

§. 7. Motu proprio, & ex certa nostra scientia, auctoritate præsentium declaramus, numquam intentionis prædecessorum nostrorum, vel nostræ fuisse, in prouisionibus, siue commendis, aut quibusuis aliis concessionibus beneficiorum Ordinis & Religionis huiusmodi, siue illa curata siue sine cura sint, per eosdẽ prædecessores nostros, vel per hos & eamdem Sedem forsan etiam cum simplici derogatione priuilegiorum & stabilimentorum religionis prædictæ non tamen speciali, de non suscipiẽdo habitum, & non emittendo professionem mentione, seu per Magistrum, Conuentum, Priores, Baiuliuos, ac Commendatarios, vel alios, quibuscumque personis cuiuscumque status & dignitatis, factis & concessis, tacite illos absoluendi, quo minus iuxta eiusdem Ordinis statuta & priuilegia infra tempus præfixum habitum suscipere, & professionem per Fratres eiusdem Ordinis emitti solitam emittere debeant regularem, etiam si hoc explicite in eorumdem prædecessorum, aut nostris literis adiectum, vel iniunctum his ad quorum fauorem huiusmodi beneficia concessa extiterint, nequaquam fuerit.

Et nõ suscipiẽtes infra sex menses pœnas hic enunciatas incurrunt.

§. 8. Ac quo nostra hæc intentio singulis apertius innotescat, statuimus, vt omnes & singuli, qui vel per Sedem præfatam, vel per nos aut Romanos Pontifices prædecessores nostros, etiam cum simplici derogatione priuilegiorum, seu per Priores, Baiuliuos, & Commendatarios fuerunt de beneficiis huiusmodi prouisi, siue hi, quibus eadem commendata, aut quomodolibet concessa extiterunt, etiamsi super his in Curia vel extra aliqua lis pendeat, ac de eisdem in posterum perpetuis futuris tẽporibus prouidebuntur, aut demum quibus eadem commendabuntur, vel concedentur, etiam per Sedem Apostolicam si post sex menses, à die quo id eis legitime indictum atque denunciatum fuerit, illico numerandos, professionem non emiserint, & habitum non susceperint Ordinis prædicti, absque alia desuper facienda declaratione & citatione, omni & quocumque iure in dictis beneficiis vel ad illa competente, careant eo ipso, ipsique tãquam illiciti detentores & occupatores, & intrusi ab eisdẽ amoueantur, deque illis tamquam de iure atque de facto vacantibus, Magistrum, ac Conuentum, Priores, Baiuliuos, & Commendatarios, & alios ad quos spectat, libere prouidere, ac illis iuxta Magistri & Religionis præfatæ stabilimenta & consuetudines exequi posse, eorumdemque possessores ab eorumdem beneficiorum possessione vel potius, detentione & occupatione amouendos esse, prout nos in dictum casum & euentum amouemus, ac regulis

Digitized by Google

gulis de annali & triennali possessore,& aliis priuilegiis, remediisque quibuscumque, etiam in corpore iuris clausis, quibus diutini beneficiorum possessores vtuntur,potiuntur, & gaudent,vti,potiri, & gaudere non posse,quauis etiam longissimi temporis præscriptione minime obstante, verum eosdem pro amotis & expulsis habendos esse, & censeri; amotisque & expulsis actionem spolij, nec vnde vi vel aliud quoduis remedium possessorium siue petitorium competere, seu desuper propterea agere non valere.

Suscipientes autem spolia consequi possunt.

§.9.Et quo facilius siqui ad præsens reperiuntur quomodolibet prouisi de beneficiis à Prioratibus, Baiuliuatibus,& Commendis huiusmodi dependentibus, seu ad illorum collationem, prouisionem, præsentationem, seu quamuis aliam dispositionem spectantibus, etiam habitum dictæ Religionis non susceperunt,ad habitus ipsius susceptionem, & professionis emissionem inducantur, eisdem Prioribus, Baiuliuis, & Commendatariis, licentiam & facultatem concedimus,ipsis condonandi & relaxandi eorum spolia, quæ ad dictos Priores,Baiuliuos,& Commendatarios spectant, ita vt de illis disponere possint, tàm in vita quam in mortis articulo, condonationemque ac relaxationem huiusmodi eiusdem roboris ac momenti esse, ac si ab eadem Sede emanassent.

Confirmat Pij V. exemptionē à decimis & aliis oneribus.

Hanc constit. Pij V. indicauit in rubr.

§. 10. Necnon fel.record. Pij Papæ Quinti etiam præcessoris nostri literis inhærentes, illasque approbantes & confirmantes, omnes & singulas personas in dicti Ordinis beneficiis quomodolibet existentes, à seminarij clericorum in qualibet ciuitate, iuxta dicti Concilij decreta erecti seu erigendi, ac decimarum, subsidij, & aliorum onerum contributione totaliter eximimus & liberamus, ac liberos & exemptos esse volumus.Sicque in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Iudices, ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac dicti Ordinis apud nos dictamque Sedem Protectores, & alios S.R.E. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Deputat. executores huius bullæ.

§.11. Quocirca dilectis filiis in Regnis Hispaniarum, & Neapolitani, nostris & Sedis Apostolicæ pro tempore existentibus Nunciis, aut Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, & quibuscumque Conseruatoribus per eosdem Magistrum, Baiuliuos, Priores, & Commendatarios iuxta formam priuilegiorum Ordinis prædicti in dignitate Ecclesiastica constitutis, electis & eligendis, per præsentes Motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios præsentes literas,& in eis contenta quæcumque,vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Magistri & Conuentus, siue Priorum, Baiuliuorum, Præceptorum, & Commendatariorum præfatorum, & aliarum personarum, & possessorum præfatorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos præmissis omnibus & singulis, iuxta præsentium continentiam & tenorem,pacifice frui & gaudere,non permittentes eos desuper à quoquam quomolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet rebelles, & præmissis non parentes per opportuna iuris & facti remedia, ac demum per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita compescendo; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Contrarijs derogat.

§. 12. Non obstantibus commendis & prouisionibus, aliisque dispositionibus,vel concessionibus,quibuscumque verborum formulis illa concessa fuerint, ac fel. record. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo non vltra tres aliquis auctoritate præsentium ad iudicium trahatur, aliisque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Clausulas præseruandas apponit.

§. 13. Decementes præsentibus, & in eis contentis omnibus per quasuis literarum concessiones, prouisiones, & alias quaslibet dispositiones, aliter quam vt præmittitur, per nos, vel eamdem Sedem factas, vel forte quomodolibet faciendas aut concedendas, etiam Motu proprio & ex certa scientia derogari non posse,nec derogatum censeri, cuiuscumque tenoris & formæ emanauerint, & cum quibuscumque decretis & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis fortioribus & insolitis, etiã si causas quascumque legitimas & fauorabiles continerent,quinimmo per præsentes illis omnibus expresse derogamus, earum tenores pro sufficienter expressis habentes, præsentibus semper in suo robore permansuris, nisi harum tenor de verbo ad verbum in illis esset insertus, & Magistri & Conuentus consensus accederet.

Transumptis credi iubet.

§. 14. Volumus autem quod præsentium transumptis manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An. 8. 23. Martij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 23.Martij 1580. Pontificatus nostri anno octauo.

Statutorum Almæ Vrbis confirmatio,cum declaratione quod Statuta ordinatoria in Curia Capitolina obseruentur, decisoria vero in omnibus Tribunalibus Vrbis, eiusque districtus,vbi non extent particularia statuta, de eisdem casibus disponentia. LXI.

Scias autem in causis criminalibus, Senatorem hæc Statuta quo ad processum non seruare, sed iuxta facultates Gubernatoris Vrbis procedere posse, vt consueuit à Summis Pontificibus explicari in breui,quod pro Senatore expeditur in eius electione. Et quo ad Vniuersitates Artium ponitur hic reintegratio huiusmet Pontificis quo ad earum iurisdictionem.

Edita An. D. 1578.

GREGORIVS EPISCOPVS *Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

Exordium.

VRbem Romam, ex qua, veluti à capite, iuris ciuilis prudentia defluxit,atque indein alias nationes,longe lateque est diffusa, legibus semper atque optimis abundare oportet institutis, vt quæ tot donis, prærogatiuisque excellit,seipsam in primis optime regat,aliisque deinde Vrbibus,exemplo Reipublicæ recta ratione administrandæ antecedat. Quod cum nobis, pro eo quo illam Principis Apostolorum, eius successorum, nostrique & Christianæ Religionis Sedem, prosequimur, veræ dilectionis affectu,debito qua nostræ seruitutis officio maxime semper curæ fuerit, plurimum in Domino lætati sumus,dilectos filios Populum Romanum,iustitiæ colendæ studio,solicitudini huic nostræ respondisse.Illi enim,cum Vrbis mores, consuetudines & pleraque omnia negocia, ita viderent esse confusa, vt ius sibi, cum ab antiquis tum à iunioribus traditum, & denique ipsæmet canonicæ sanctiones, in controuersiis, quæ quotidie in iudicium vocantur, dirimendis, aliisque rebus explicandis, prout tempus moresque postulant, non ita conueniant, ne quid ab eis in concessa sibi facultate,desiderari contingat; priuatas leges siue statuta præsentibus temporibus ac negociis congruentia,sibi condere, nostris auctoritate & præsidiis freti, instituerunt.

Pop. Rom. instituit reformare antiquã Vrbis & noua condere Statuta.

§. 1. Id vero, dum serio agunt,nouiterque in iuris huiusmodi compositionem,nobis annuentibus incumbunt, Statuta Vrbis, quæ sibi à maioribus suis relicta habeant; satis perplexa & confusa inuenerunt, in quorum libris, ob temporum vetustatem, Magistratuum fortasse negligentiam, multiplicesque superiorum ætatum editas reformationes sæpe, quæ adhuc vigebant, constitutiones, vna cum abrogatis & obsoletis, aliæque aliis contrariæ promiscue continebantur.

Lucas Patus à Pop. vna cum aliis deputatus, in tres libros Statuta redegit, & huic Pont. exhibuit.

§.2. Cupientes itaque iidem Populus, vt eius propriũ in certam formam, & quasi non dissentientium inter se Statutorum consonantiam redigeretur, ad præsentiumque temporum mores & negocia accommodaretur,

Digitized by Google

prouinciam hanc dilecto filio Lucæ Pæto vtriusque iuris doctori nonnulliſque aliis Ciuibus Romanis demandandam curarunt; eorum vero aliquibus vita functis, aliis diuerſorum negociorum occupatione diſtrictis, idem Lucas Statuta prædicta in quinque libros prius diſtributa ſuperuacaneis amputatis, necnon inuicem pugnantibus, & iis quæ vel deſuetudine antiquata, vel contraria lege abrogata erant ſublatis, additiſque nonnullis reformationibus, ad dilectorum filiorum Conſeruatorum, Populique Romani Officialium regimen & directionem ſpectantibus, quæ nobis Populi eiuſdem nomine obtulerant, in tres breues admodum libros, certo diſtinctoque ordine redegit, nobiſque ſuperioribus annis exhibuit.

Pontif. autem deputauit Cardinalem S. Seuerinæ, & alios hic nominatos, ad illa examinandum & corrigendum, prout mandarit & correxerunt.

§. 3. Qui intelligentes multa in Populum Romanum prædictum commoda, ex noua huiuſmodi Statutorum compilatione eſſe profectura, Dilecto filio noſtro Iulio Antonio tituli Sancti Bartholomæi in Inſula presbytero Cardinali, Sanctæ Seuerinæ nuncupato, mandauimus, vt conuocatis dilectis filiis Conſeruatoribus Cameræ Vrbis, & Prioribus Capitum Regionum, qui pro tempore fuiſſent, necnon Hortenſio Frangipanio Vrbis Cancellario, Antonio Vellio, Fabricio Lazaro, & qui eiuſdem Populi Romani Aduocatus eſt, Horatio Burgheſio, & Vincentio Parentio Aulæ noſtræ Conſiſtorij, necnon Bernardino, Biſcia, & Horatio de Arrigonibus in Romana Curia Aduocatis, Stephano Creſcentio, Marcello Alberino, Petro Paulo Fabio, Hieronymo Altetino, Auguſtino Palonio, Valerio de Valle, Proſpero Cafarello, & Ricardo Mazzatoſta, Romanis Ciuibus, à dicto Populo in ſuis Conſiliis ad hanc rem, diuerſis & ſucceſſiuis temporibus, vna cum prædicto Luca delectis, cõgregatis quoque dilectis filiis noſtris Alexandro tituli S. MARIÆ in Aracœli preſbytero Cardinali Riario nuncupato, tunc Cameræ Apoſtolicæ generali Auditore, deinde magiſtro Hieronymo Matthæio, in eiuſdem Alexandri Cardinalis locum ad munus Auditoris ſuffecto, necnon venerabili fratre Hieronymo Epiſcopo Maceranenſi, locum vnius ex officiis Clericatus Cameræ Apoſt. ex indulto Apoſtolico obtinente, ac dilectis item filiis, Magiſtris Alexandro Frumento, & Pyrrho Tharo, Notariis noſtris in vtraque Signatura noſtra Referendariis, ac etiam Matio Gabrielio eiuſdem Aulæ noſtræ Conſiſtorij Aduocato, à nobis ad hoc ſpecialiter deputatis, Statuta huiuſmodi, ac per dictum Lucam compilata, diligenter excuterent atque examinarent, & quæ eis viderentur ſupplerent, corrigerent, delerent, & emendarent. Qui frequentiſſime per plures annos in vnum congregati, eiſdemque Statutis diligenter viſis, & ſig.llatim examinatis, matureque diſcuſſis, alia emendauerunt, alia explanauerunt, nonnulla addiderunt, nonnullaque etiam ſuſtulerunt. Denique Iulius Antonius & Alexander, Cardinales, ac Hieronymus Epiſcopus, necnon Marius Gabrielius, & Lucas Pætus prædicti, eorumdem Statutorum relectione & recognitione, omni ſtudio & diligentia ab ipſis, de mandato noſtro facta, poſtremam illis manum adhibuerunt.

Antiqua igitur Statuta abrogat hic Pont.

§. 4. Nos volentes, ea quæ tanto labore & maturitate ad publicam vtilitatem digeſta ſunt, inuiolabiliter obſeruari, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia & quæcumque antiqua Vrbis Statuta, etiam reformata & innouata, ac quibuſuis approbationibus & confirmationibus Apoſtolicis roborata, præſentium auctoritate abrogamus, tollimus, & & penitus abolemus, neminemque ad illa deinceps obligari volumus.

Nouaq; cõfirmat.

§. 5. Nouiſſime vero compilata Statuta, prædicta, etiam certis in eis expreſſis caſibus, iuramenti validitatem reſtringentia, ſicuti prædictis tribus libris digeſta ſunt, approbamus, & confirmamus.

Obſeruari etiã præcipit in Curia Capitolina generaliter, & in aliis Curiis Vrbis, & diſtrictus quoad deciſoria tantum.

§. 6. Et vt approbatio huiuſmodi amplius innoteſcat, has præſentes, in principio omnium librorum eorumdem voluminum, quæ vel manu ſcribentur vel imprimentur, omnino deſcribi volentes, ſtatuimus & Apoſtolica auctoritate decernimus, vt de cetero, poſt triginta dies à publicatione præſentium nulla alia Statuta quam hæc noua ad futurarum cauſarum deciſionem, ac negociorum expeditionem allegari poſſint, nec quiſquam illi allegans, audiri debeat, ſed tantum, ſecundum prædicta noua, à nobis confirmata, in Curia Capitolina, & apud eam in futuris omnibus cauſis, in ipſa Curia Capitolina, videlicet, etiam quoad cauſarum proceſſum, & quoad alia vbique in ipſa Vrbe, illiuſque diſtrictu, vbi particularia Statuta, de eiſdem cauſis & earum caſibus diſponentia, non habentur, quauis alia ſiniſtra, doloſa, vel captioſa interpretatione ſublata, in quacumque inſtantia, inuiolate, ac perpetuo obſeruentur, ac iuxta illa lites & controuerſiæ omnes in futurum iudicari, decidi & definiri debeant.

Derogationem quæ Statutis ſibi reſeruauit.

§. 7. Nec illis niſi per Signaturam noſtram & pro tempore exiſtentis Rom. Pont. manu factam, nequeat derogari. Sitque irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula derogat.

§. 8. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus, necnon priuilegiis & indultis Apoſt. ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis conceſſis, confirmatis & innouatis, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, aut omnino non inſerta, effectus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides exemplorum.

§. 9. Volumus autem vt præſentium exemplis etiam impreſſis, Notarij publici manu, & perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo obſignatis, ac etiam prædictis voluminibus deſcriptis eamdem prorſus fidem vbique in iudicio & extra illud adhiberi, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi exhibitæ eſſent vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

D. P. An. 9. 25. May.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimoſeptimo, octauo Cal. Iunij Pont. noſtri anno nono.

Sequitur reintegratio iuriſdictionis & indultorum Vniuerſitatum Artium Vrbis, præſeruata ſuperioritate Gubernatoris, & aliorum Iudicum.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1581.

Cauſa huius conſtit.

ALmam Vrbem noſtram, dilectoſque filios illius ciues & incolas, eos præſertim quorum laboribus & induſtria, bona & merces ad vſum quotidianum neceſſariæ & vtiles ad Vrbem ipſam, ex diuerſis mundi partibus conuehũntur & conſeruantur, ac onera ipſi Vrbi incumbentia, cura & labore aſſidùo ſuſtinent, paterno affectu proſequentes, in ea libenter intendimus, per quæ priuilegia & gratiæ illis à prædeceſſoribus noſtris, nobiſque ipſis conceſſæ, & conſuetudine confirmatæ & approbatæ fuerunt, Appſtolica auctoritate roborantur, & hæſitationes circa ea ſuborꝛe elucidantur, & de medio tolluntur.

Plures Artif. diuerſis Artibus dederunt cognitionem cauſarũ ſuæ Artis inter quoſcumque.

§. 1. Cum itaque dilecti filij Mercatores, Merciarij Aromatarij, & quamplurimi alij diuerſi generis Artifices, quorum omnium & ſingulorum artes, exercitia, denominationes, ac alia hic forſan latius, vel de neceſſitate exprimenda, ac ſpeciali nota digna, pro expreſſis, ac de verbo ad verbum pro inſertis haberi volumus, perinde ac ſi ſpecialiter ac ſeriatim exprimerentur, ad Vrbem ipſam confluentes, illius neceſſitati & vtilitati ac decori & ornamento, Altiſſimo cooperante maxime proſpexerint. Et propterea felicis recordationis Martinus Quintus, Paulus Tertius, Iulius etiam Tertius, Pius Quartus, & nonnulli alij Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, ac etiam Nos ipſi, conſiderantes Artes huiuſmodi, illarumque Artifices ipſi Vrbi admodum neceſſarias & vtiles exiſtere, ſinguloſque ipſos Artifices ſine Rectoribus & Ducibus ac ſine certis Iudicibus degentes, ipſi Vrbi parum vtiles, ſibique ipſis non admodum proficuos futuros, dum pro ſuorum creditorum conſecutione, ad diuerſa Tribunalia, & quod peius eſt, ad Iudices de artificio, & minus pretio ipſarum artium omnino inexpertos & ignaros diſtracti, propria eorum negocia, & artes ipſas deſerere cogerentur, Artificibus ipſis Collegia habere, & Conſules, Officiales, ac Iudices ex ipſorum corpore creare, & de mercibus & mercedibus, aliiſque rebus, cauſis, & negociis cuiuſque

Digitized by Google

cuiusque artis, & ad artem quomodolibet respectiue spectantibus vsque ad certas, in singulis literis & priuilegiis huiusmodi comprehensas & expressas summas, agnoscere & iudicare concesserunt & indulserunt.

Consuetudo etiam Artib. tribuit eamdē iurisdictionē.

§.2. Ac insuper ex antiqua consuetudine, quæ vim legis habere dignoscitur, vt etiam Collegia specialibus priuilegiis non munita causas easdem de rebus ad Artes ipsas spectantibus, etiam inter homines extra ipsa Collegia constitutos cognoscere & decidere consueuerint, inductum & obseruatum fuerit, eademque priuilegia, indulta & consuetudo vsu ipso approbata, in ipsius Vrbis, Artificumque prædictorum vtilitatem non paruam cedere comperta sunt. Quo factum est, vt Vrbs ipsa ciuibus & incolis, omnisque generis artis excellentium virorum copia redundauerit, & redundet de præsenti.

Sed Statuta Vrbis nouiter edita lib. 3. c. 42. tollem Cōsulum iurisdictionem limitarum ad homines de Arte.

§.3. Cum autem elapsis mensibus antiqua Statuta ipsius Vrbis de mandato nostro reformata & innouata, & inter cetera eorumdem Statutorum lib. 3. cap. 12. statutum & decretum fuerit, vt Consules Artium huiusmodi causas tantummodo inter ipsos homines de arte, & de rebus spectantibus ad artem ipsam cognoscere & iudicare possent; eapropter à nonnullis nimium scrupulosis, priuilegiis, indultis, & consuetudine cuiuslibet artis & Collelegij, circa cognitionem & decisionem causarum & negotiorum quæ licet de rebus ad artes ipsas spectantibus, contra homines extra artes & Collegia degentes pro tempore oriuntur & agitantur, maxima ex parte derogatum & præiudicatum exitisse hæsitatum fuerit, & hæsiretur adhuc. Vnde aliqua ex ipsis Collegiis pene dissoluta & dilapsa reperiuntur, Consulum iurisdictione pene, præter & contra mentem & intentionem nostram sublata. Quapropter dilecti filij Angelus Clauarius, Franciscus Caluus & Curtius Sergardius Cameræ dictæ Vrbis Conseruatores, necnon Baldasar Cincius Prior Capitum regionum, nobis ex dubietate & hæsitatione huiusmodi maximum ipsi Vrbi, illiusque incolis & præcipue iurisdictioni ipsius Curiæ Capitolij prouenisse, ac in futurum prouenire posse damnum & incommodum, non sine animi nostri displicentia suggesserunt.

Hic modo Pōt. declarat hæc statuta eorum iurisdictioni non præiudicare.

§.4. Malis igitur & incōmodis huiusmodi quanto citius occurrere, quantum cum Deo possumus satagentes, Motu proprio, non ad ipsorum Conseruatorum & Prioris, nec Consulum aut Artificum prędictorū, seu alicuius eorum, vel pro eis, aut eorum aliquo, nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex nostra mera & deliberata voluntate, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hæsitationem & dubitationem prædictam de medio tollentes, intentionis & voluntatis nostræ minime fuisse nec esse, priuilegiis, indultis, statutis, & consuetudinibus singularum artium, earumque Collegiorum, Consulum & Iudicum quorumcumque, circa cognitionem & decisionem omnium & singularum causarum, de rebus & bonis ad artes singulas respectiue spectantibus, etiam inter & contra homines, qui de ipsis Artificibus & Collegiis non sunt, nec pro tempore erunt, vertentes, & quæ futuris perpetuis temporibus verti contigerit, in aliquo derogare, aut derogatum fuisse declaramus & attestamur, decernimus & definimus præsentium per tenorem.

Iurisdictionesque eorūdem reintegrat.

§.5. Et nihilominus pro potiori eorumdem Corporum & Collegiorum, omnium & singulorum, ipsorumque & cuiuslibet eorum priuilegiorum, indultorum, statutorum & consuetudinum circa cognitionem & decisionem causarum similium, denuo, quatenus opus sit, priuilegia, indulta, & consuetudines, Apostolica auctoritate eorumdem tenore præsentium, confirmamus & approbamus, illisque omnibus & singulis perpetuæ firmitatis robur adiicimus. Decernentes omnes & singulos Consules, & alios quoscumque officiales & Iudices omnium & singularum artium & Collegiorum huiusmodi, de negotiis & causis ad singulas quasque Artes respectiue spectantibus, etiam inter & contra homines qui de Corporibus & Collegiis Artium ipsarum pro tempore non sint, cognoscere & iudicare potuisse & debuisse, possequе & debere, prout & quemadmodum ipsi omnes & singuli Consules & Iudices singularum Artium ante dictorum statutorum, publicationem & confirmationem per nos, vt præfertur, editam & promulgatam, & iuxta cuiusque ipsorum priuilegia, indulta, & consuetudines cognoscere, decidere, & iudicare poterant & consueuerant, de rebus tamen ad singulas artes ipses respectiue spectantibus, cognoscere & iudicare in prima instantia, dummodo in articulis iuris, Consultorem, seu Assessorem adhibeant, auctoritate & tenore præmissis concedimus & indulgemus.

Hoc idem fecit Sixt. V in cōst. 36 Cœlestis. & Clem. VIII. in const. 47. Laudabilis.

Appellarij ab eorum sententiis permittit, vt hic. Sed hæc mox infra est immutatum.

§.6. Declarantes à sententiis, declarationibus & decretis Consulum & Iudicum prædictorum infra terminum octo dierum à die latæ sententiæ, seu facti decreti, ad Conseruatores, & non alios quoscumque Iudices appellari & recurri posse & debere, & aliter, seu ab aliis factæ inhibitiones & significationes prætextu appellationum & recursuum, nemini suffragari.

Clauſ. præſignatiua.

§.7. Præsentesque literas de subreptionis & obreptionis vitio, mentisque aut intentionis nostræ defectu, notari aut impugnari nullatenus posse, sicque per quoscumque Iudices, etiam S.R.E. Cardinales iudicari & definiri debere; irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula derogatoria.

§.8. Non obstantibus præmissis statutis, ipsius Vrbis, vt præfertur, per nos editis, promulgatis & confirmatis, ac constitutionibus, & ordinationit. Apostolicis, & Cancellariæ nostræ regulis, etiam de non tollendo iure quæsito; priuilegiis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roborati, per nos & prædecessores nostros quibusuis dictæ Vrbis Iudicibus & Tribunalibus quomodolibet concessis & innouatis, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes; ceteris quе contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die prima Maij, millesimo quingentesimo octuagesimo primo. *D. P. An. 9. 1. Maij.*

Publicatio in Vrbe.

Anno à Natiuitate Domini 1581 Indict. 9. die vero 22. mensis Maij tempore Pontif. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno eius 9. retroscriptæ literæ Apostolicæ in forma Breuium affixæ, & publicatæ fuerunt in acie Campi Florę, Cancellariæ Apostolicæ, & Curiæ Capitolij valuis, cum dimissione copiæ illarum, vt moris est, per me Alamanum de Alemanis Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

Admiſſio apud Conſeruatores.

Die 23. eiusdem mensis Maij 1581. Illustrissimi D. Conseruatores Camerę Almę Vrbis, existentes in Camera noua eorum Palatij, dictum breue admiserunt & mandauerunt registrari mihi scriptori infrascripto, prout registratum apparet libro rubeo, præsentibus &c. dd. Iacobo de Orlandis, & Nicolao Pirotto testibus, &c.

Petrus Paulus Mutianus scriptor Illustrissimorum DD. Conseruatorum rogatus, &c.

Sequitur declaratio, quod conſtitutio præinſerta non præiudicat facultatibus Gubernatoris Vrbis, Capitanei Appellationum, & aliorum Iudicum.

Edita A. D. 1581.

GREGORIVS PAPA XIII. Motu proprio, &c.

Conſtitutiō præinſerta nō præiudicat facultatib. Gubernatoris & Capitanei Appellationū Vrbis.

§.1. NE per præinsertas literas in forma Breuis nostri aliquod præiudicium bono & pacifico regimini Almæ Vrbis nostræ, & illius Gubernatori, ac aliis Iudicibus ordinariis ipsius Vrbis inferatur, Dicimus & declaramus intentionis nostræ minime fuisse nec esse, quod per præinsertas literas in aliquo iurisdictionibus & facultatibus, ac superintendentiæ eiusdem moderni ac pro tempore existentis eiusdem Vrbis nostræ Gubernatoris, ac aliorum Iudicum ordinariorum dictæ Vrbis, circa causarum cognitiones in præinsertis literis expressas, perinde acsi præinsertæ literæ à nobis emanatæ non fuissent, minime præiudicetur. Nec vllo vnquam tempore eisdem Gubernatori & Iudicibus, ac eorum Locatenentibus, & eorum cuilibet, præiudicatum esse intelligatur, prout præiudicare nolumus, sed quod eorumdem Gubernatoris, & Iudicum, & Capitanei Appellationum iurisdictiones & facultates, quas per prius habebant, saluas & illæsas circa præmissa perpetuo maneant, & illis præinsertas eis non obstare volumus, appellationesque & prouocationes omnes ad eos, ceterosque Vrbis, & Curiæ ordinarios, & eorum tribunalia, sicut

Digitized by Google

prius, videlicet ante dicta statuta, sine vllo impedimento deferantur.

Decretum irritans. §. 2. Decernentes, &c. & sic per quoscumque etiam S.R.E.Cardinales ac alios Iudices,&c. iudicari, &c. debere; sublata, &c. irritum quoque, &c. scienter contigerit attentari, &c. ac solam præsentium signaturam, in iudicio & extra sufficere,& plenam fidem facere, regula contraria non obstante.

Papæ subscr. D. P. An.10. 7.Iulij. Fiat Motu proprio. V.
Dat.Romæ apud S.Petrum, Non.Iulij anno 10.

LXII. Quod Fratres Prædicatores Ordinis S.Dominici, ad instantiam cuiuscumque personæ extra ipsum Ordinem, aliquam gratiam facere, aut pœnam remittere non possint, neque conquisitis fauoribus & suffragiis officia procurare.

*Quoad secundam partem Clem. VIII. declarauit hanc prohibitionem & ampliauit,vt infra in eius const.7.*Religiosos. *Quo vero ad primam partem confirmauit,vt ibidem. Alia autem de his fratribus, & eorum Ordine, plene scripsi sup. apud const.2. Honor.III.* Religiosam.

Edita An. D. 1580. *GREGORIVS PAPA XIII.*
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. CVm nihil magis religiosorum statum perturbet,quam fauorum & suffragiorum sæcularium aucupatio, & conquisitio, quibus Superiorum æqua mens, quæ pro meritis suorum vnicuique subditorum tribui debet peruertatur.

Prohibitio faciẽdi gratiam aut remittẽdi pœnam ad instantiam personæ extra Ordinem. §. 1. Nos malum hoc ab Ordine Fratrum Prædicatorum, cuius prosperum regimen & incrementum ad Ecclesiæ sanctæ vtilitatem, sinceris exoptamus affectibus, pro nostra pastorali solicitudine propellere summopere cupientes, Dilectis filiis Magistro Generali,ac prouincialibus, & reliquis eiusdem Ordinis Prælatis nunc & pro tempore existentibus, per Apostolica scripta, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, ne ad instantiam, & requisitionem quarumcumq; personarum, tam laicarum quam Ecclesiasticarum, extra supradictum Ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus honore, ac quacumque sæculari dignitate & excellentia, etiam Ducali & Regali, & Imperiali fulgentium, cuiuis dicti Ordinis religioso vllam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere audeant seu præsumant.

Et conquisitis fauoribus & suffragiis officia procurãd:. §. 2. Quinimo quoscumque eiusdem Ordinis Fratres & Religiosos,qui contra decreta suarum constitutionum hac via, & iis mediis per mendicatos fauores & suffragia, aliquid sibi procurauerint, ad alia & similia, & etiam maiora in eodem Ordine consequenda,Apostolica auctoritate, tenore præsentium inhabilitamus,ac inhabiles perpetuo fore & esse, neque per quoscumque, nisi per Sedem Apostolicam rehabilitari, aut cum ipsis desuper dispensari posse.

Sublata aliter iudicandi potestate. §.3. Sicque per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane quicquid contra præmissa aliquibus concessum fuerit, aut super iis à quoquam contigerit attentari, auctoritate & tenore prædictis decernimus & declaramus.

Quibuscumq; non obstantib. §.4 Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, & confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis,statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis,& literis Apostolicis quomodolibet concessis,confirmatis, & innouatis; quibus omnibus eorum tenores, acsi de verbo ad verbum inserrentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, ad earumdem præsentium effectum specialiter & expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 5. Volumus autem quod præsentium transumptis, etiam non impressis manu alicuius publici Notarij subscriptis, & sigillo dicti Magistri Generalis obsignatis, eadem vbique fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S.Petrum, sub annulo Piscatoris die primo Iunij, millesimo quingentesimo octuagesimo, Pontificatus nostri anno 9. *D.P. An.9. 1. Iunij.*

Contra non soluentes in Festo SS. Petri & Pauli, census, canones, & alia iura Reu. Cameræ Apostolicæ debita. LXIII.

Contra non soluentes hos census primam sanctionem edixit Innoc.VIII. vt supra in eius const.3. Apostolicæ. *Et deinde latiorem constitutionem firmauit Paul.IV. sup.in const.*11. Incumbentia.*vbi etiam notaui.*

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1580.*

Exordium. AD Roman. Pontificis spectat officium boni patris familias exemplo curare sedulo ac prouidere,ne Sedis & Cameræ Apostolicæ dominia, proprietates, & iura depereant, neue contra ius fasque ab aliis occupentur,ac si qua ex eis vel temporum iniuria, vel hominum malitia & cupiditate, vel aliquo alio casu detineri, & vsurpari contingat, illorum recuperationi decenter instare, quo & ipsius Sedis, ac aliorum Christianorum Principum, atque adeo vniuersæ Christianæ Reipublicæ necessitatibus & opportunitatibus valeat subuenire.

Plerique Pontt. pœnas impositas fuerunt non soluentib. annatas Cameræ Apost. §. 1. Hoc sane consilio, & animo complures Romani Pontifices prædecessores nostri,& in his piæ mem.Innocentius VIII. sexto non. Maij, octauo, Alexander VI. quintodecimo Kalend. Ianuarij, sexto, & Paulus Quartus octauo Kalend. Nouembris, secundo Pontificatuum suorum annis editis constitutionibus, & literis, aduersus omnes, & quoscumque S.R.E. & Cameræ Apostolicæ feudatarios, vicarios, gubernatores, censuarios, emphyteutas, & alios Cameræ Apostolicæ debitores, eisdem Sedi, & Cameræ debitas solutiones, certis die, & loco statutis re ipsa non facientes, pactaque, & conuentiones in eorum inuestituris, & aliis concessionibus,necnon modos, & formas,aliaq; omnia in eisdem prædecessorum literis contenta non adimplentes, sententias, censuras,& pœnas,tam Ecclesiasticas quam priuationis,& caducitati feudorum, vicariatuum, gubernionum, locationum, censuum, & aliorum bonorum, & iurium per eos à Sede & Camera prædictis quomodolibet obtentorum imposuerunt.

Fiscus quolibet anno in vigilia & festo SS. Petri & Pauli, acceptauit caducitates, & deuolutiones & non solutes morosos & cõtumaces declarari à Cameralibus obtinuit. §.2. Quarum deinde constitutionum, & literarum vigore, ac etiam iuxta antiquam & laudabilem consuetudinem, singulis annis in vigilia, & festo BB.Apostolorum Petri,& Pauli hactenus in Camera Apost.seruatam coram eiusdem S.R.E. Camerario, & Cam.prædictæ Præsidentibus, Clericis, & aliis Cameram prædictam facientibus,& repræsentantibus, pro recipiendis censibus, & aliis prædictis ibidem congregatis, eiusdem Cameræ & Fisci Procurator pro tempore existens, acceptando prius omnes & quascumque dictarum concessionum, & inuestiturarum caducitates, deuolutiones, & priuationes, necnon contractuum, & instrumentorum resolutiones, extinctionesque & alias pœnas, legales seu conuentionales, ac aliter per eos incursas, eosdem non soluentes, seu non adimplentes promissa, ac in dictis inuestituris, & concessionibus contenta, seu alias per eos quomodolibet debita, ab eorum feudis, vicariatibus, gubernis, locationibus, administrationibus, censibus, & bonis, ac concessionibus, & inuestituris cecidisse, & illis priuatos fuisse, nec per quamcumque receptionem, in totum seu in partem de eisdem censibus postea, tam in eadem Camera quam extra eam, & tam per ipsum quam alios quoscumque factam, iuribus eiusdem Cameræ præiudicari, sed quod semper ad bonum computum, ac eosdem sic vt præfertur non soluentes, & non adimplentes morosos declarari per Cameram prædictam singulis annis petiit, & instetit, ac morosos, & contumaces, vel alias decerni & declarari obtinuit.

Paulus IV. cõprobauit declarationes §. 3. Itaque idem Paulus prædecessor protestationes declarationes, sententias, & decreta prædicta per eas-

dem

Digitized by Google

Nos Fisci protestationes & Cameralium sententias, & decreta, vt habes in dicta nostra const. 11. citata in rubr.

dem suas literas confirmans, & approbans perpetuo statuit, omnes occupatores, & detentores feudorum, & aliorum prædictorum, ad illa eidem Cameræ relaxandum, & restituendum infra certum terminum quod iampridem præteriit, quacumque præscriptione, etiam centum annorum & forsan vltra non obstante obligatos esse, cogique posse, & debere, & alias prout in constitutionibus & literis, necnon protestationibus, interpellationibus, declarationibus, sententiis, & decretis prædictis latius continetur.

Postea quolibet anno Feudatarij, & alij Camera debitores, in vigilia, & festo SS. Petri & Pauli citati, vt illa soluerent, & non soluentes, cæterq; & pœnis de quibus hic innodatis fuerunt.

§. 4. Postea vero tam Pauli prædecessoris quam prædictarum, & aliarum prædecessorum nostrorum, constitutionum, & literarum huiusmodi vigore feudatarij, & alij prædicti ad eiusdem Cameræ, Filcique procuratoris instantiam solemniter singulis annis, in vigilia & festiuitate prædictis, vt moris est, ad legitime in eadem Camera comparendum, ac dictos census, recognitiones, seu responsiones, aliaque per eos promissa, conuenta, & quomodolibet debita cum effectu adimplendum, sub sententiis, censuris, & pœnis, tam in eiusdem Pauli quam dictorum, & aliorum prædecessorum nostrorum literis contentis, necnon priuationis, & caducitatis feudorum, vicariatuum, gubernionum, locationum, censuum, administrationum bonorum, iurium, & aliorum in eorum confessionibus quomodolibet contentorum, sæpe sæpiusque citati, & interpellati fuerunt.

Multi tamen adhuc Terras, & bona Sanctæ Apost. detinent & in pœnas prædictas non incurrisse prætendunt, ex causis hic narratis.

§. 5. Qui tamen præmissis, ac etiam literis quotannis die cœnæ Domini legi solitis, quibus detinentes loca, & bona eisdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & illa non restituentes, censuris quoque, & pœnis Ecclesiasticis innodantur minime attentis, non modo census, & alia per eos vt præfertur debita soluere, & adimplere cessarunt, & cessant, sed etiam loca & bona, ac alia prædicta temere, atque indebite, & de facto occupata detinuerunt & detinent, sententias, censuras, & pœnas ipsas, ac etiam priuationis, & amissionis dictorum feudorum, & aliorum, & alias in eisdem literis contentas damnabiliter incurrẽdo. Cum autem de mandato nostro, & ad instantiam dilecti filij Rodulphi Bonfioli dictæ Cameræ Commissarij, contra omnes, & singulos morosos occupatores, & detentores huiusmodi, non solum generatim in vigilia, & festo prædictis proxime præteritis, sed postea nominatim contra multos ex eis in eadem Camera, & coram diuersis illius Præsidentibus, & Clericis, legitime, & cum potestatione, ad deuolutiones caducitatesque, & priuationes, necnon sententiarum, censurarum, & pœnarum prædictarum incursus agi cœptum fuerit, & in dies agatur, & sicut accepimus nonnulli eorum ad se, in occupatione, detentione, & intrusione Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, Castrorum, lorum, tenutarum, arcium, fortaliciorum, & aliorum bonorum, & iurium huiusmodi, sic vt præfertur, ac alias ad Sedem, & Cameram prædictas deuolutorum confouendum, sub prætextu quod tam Pauli prædicti quam aliorum prædecessorum, constitutiones, & literæ prædictæ non fuerint nec sint perpetuæ, sed ad tempus, nec vim legis siue constitutionis perpetuæ habuerint aut habeant, sed feudatarios, vicarios, & alios prædictos, tunc scilicet tempore emanatarum earumdem constitutionum ac literarum existentes tantummodo comprehenderint, ac quod numquam in vsu fuerint, seu esse desierint, & quod ipsi de illis scientiam etiam ex defectu nullitatis & publicationis earumdem, seu alias non habuerint, quodque ad concessiones & inuestituras ex causa onerosa, etiam in vim contractus, seu alias quomodolibet factas, pro quibus certa annua solutio parui pretij, nempe in cera vel alia minima re, non commodum seu vtilitatem, sed potius recognitionem superioritatis, Sedis, & Cameræ huiusmodi concernente, fiat seu fieri debeat, se non extenderint seu extendant, & quod in eorum concessionibus seu inuestituris prædictis, conuentiones & pacta aliqua expressa inita fuerint per quæ cautum fuerit, & sit quod ob non factam censuum, & aliorum prædictorum debito tempore solutionem, seu ob pacta non seruata, vel nisi sub certa qualitate, & nisi infra certum tempus, vel alias nisi in certis casibus deuolutionem seu caducitatem vel priuationem, & prædictas aliasque pœnas non incurrant, vel saltem quod eis quamcumque moram ob præmissa vel alias quomodolibet incursam, & tunc incurrendam purgare, ac sese ab eisdem deuolutione, caducitate, priuatione; vel incursu, & aliis pœnis à dictis constitutionibus, & literis, ac iure communi traditis, ex variis, & diuersis per eos allegatis prætextibus licuerit & liceat excusari, & sic istis, aliisque subterfugiis, & cauillationibus, lites, & causas desuper in eadem Camera, vt præfertur, moras seu mouendas in longum protrahere, & quotidie noua impedimenta obiicere conantur, in maximum Sedis & Cameræ prædictarum præiudicium, ac eorumdem animarum periculum.

Ideo hic Pont. innouat & cõfirmat prædecessorum constitutiones & Fisci protestationes, & sententias, ac decreta prædicta.

§. 6. Nos cupientes, quantum cum Deo possumus, pro munere nobis ex alto commisso, Sedis & Cameræ prædictarum indemnitati prouidere, ac oppositionibus & aliis præmissis opportunum remedium adhibere, de Apostolicæ potestatis plenitudine, certaque scientia nostra, etiam prædecessorum nostrorum prædictorum vestigiis inhærendo Innocentij, Alexandri, & Pauli, ac omnium aliorum Romanorum Pontificum constitutiones super præmissis, & illorum occasione vel causa quomodolibet editas, & emanatas, ac singulas, & desuper confectas literas, ac in eis contenta quæcumque, necnon protestationes & interpellationes, sententias, & decreta in vigilia & festo prædictis, præsertim anno proxime præterito in eadem Camera factas, illarum singularum tenores, acsi de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis, & decretis, tenore præsentium perpetuo confirmamus, approbamus, & quatenus opus est, innouamus, ac ab omnibus, & quibuscumque feudatariis, aliisque prædictis inuiolabiliter obseruari debere volumus, & mandamus.

Et declarat quoscumq; feudatarios, &c. comprehensos fuisse in dispositionib. dictarum constitutionum eius prædecessorum Et Cam. Apost. ad realem locorum incorporationẽ potuisse deuenire.

§. 7. Declarantes illa omnia perpetuo fuisse, esse, & fore, vimque, & robur perpetuam legum obtinuisse, & obtinere, & sic omnes, & singulos, præteritos, præsentes, & futuros feudatarios, Vicarios, Gubernatores, Administratores, & alios censuum, recognitionum, ac iurium debitores, etiam antiquos & antiquissimos diu, ante vel post dictas constitutiones, seu tempore illarum creatos, seu deputatos, ac futuris deinceps temporibus in perpetuum quomodolibet creandos, & deputandos, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel præeminentiæ, Ecclesiasticæ vel laicalis, fuerint & sint, etiamsi Cardinalatus honore, seu Regia, Ducali, vel alia etiam maiori dignitate, & auctoritate præfulserint, & præfulgeant, singulis dictis Innocentij, Alexandri, & Pauli prædecessorum nostrorum constitutionibus, & literis comprehensos fuisse & esse. Illasque ipsos omnes, & singulos affecisse, & afficere, & propterea singulas literas, clausulas, & conditiones, ac alia præmissa, tanquam talia habenda, & censenda esse, itemque acceptationes, declarationes, protestationes, interpellationes per dictum Fisci procuratorem, vt præfertur, factas, ac sententias, & decreta per dictam Cameram singulis annis in vigilia, & festo prædictis, vt præfertur, latas, & factas, ac in futurum ferendas, & faciendas, omnes, & singulos Feudatarios, Vicarios, Gubernatores, Censuarios, & alios prædictos, tam præteritos quam præsentes & futuros, in ipsis generaliter & alias specialiter, ac quomodolibet nominatos perinde affecisse, & afficere; ac si in contradictorio iudicio causa cognita, & seruatis de iure seruandis, & facta & lata fuissent & essent, ac transgressores, & morosos caducitatis, deuolutionis, & priuationis quorumcumque Feudorum, Vicariatuum, Gubernionum, & aliorum prædictorum eo ipso, absque aliqua iudicis declaratione, incurrisse, & incurrere, dictosque Camerarium, & Præsidentes, ac clericos, & alios ad quos spectat, ad realem incorporationem Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, locorum, bonorum, iurium, & aliorum prædictorum pro Sede, & Camera prædictis omnibus præmissis, necnon omni, & quacumque appellatione, reclamatione, seu recursu penitus remotis, deuenire debuisse & potuisse, ac teneri, & obligatos fuisse, & esse.

Feudatarios q; cuiuscumq; status decernit anno quolibet in Camera Apostolica

§. 8. Et nihilominus omne dubium remouere volentes, de potestate, & scientia prædictis, statuimus, & ordinamus, vt omnes, & quicumque Feudatarij, vicarij, Gubernatores, & alij prædicti superius, & etiam in eisdem

Digitized by Google

lica vbi ea adesse contigerit, in vigilia & festiuitate SS. Petri & Pauli, debita iura Camera Apostolica soluere debere.

dem prædecessorum literis comprehensi, qui vel quorum auctores, sub quibuscumque tenoribus, & formis etiam quacumque de causa, gratiosa, onerosa, vel mixta etiam in vim cuiuscumque contractus, Regna, Ducatus, Ciuitates, Castra, oppida, terras, arces, fortalitia, villas, agros possessiones, cultas, & incultas, casalia, lacus, syluas, proprietates, bona, & iura quæcumque, ac cuiuscumque generis, & conditionis fuerint & sint, in verum, proprium vel improprium feudum Regale, Ducale, vel alias quomodolibet nobile & gentile, seu ignobile, antiquum, seu nouum, vel in vicariatum, gubernium, censum vel emphyteusim ad quamcumque agnationem & nominationem, & in perpetuum vel ad tempus, aut alias quomodocumque & qualitercumque à Sede & Camera prædictis, sub conuentione vel prouisione iurata vel non iurata, ac sub præstatione census, canonis, pensionis, regalium, & aliarum quarumcumque responsionum & recognitionum, cuiuscumcumque qualitatis, & quantitatis, etiam parui vel minimi valoris, superioritatem, præeminentiam, recognitionem dominij, commodum pecuniarum, aut alium quemcumque effectum, & respectum denotantium receperint, & habuerint, ac habent de præsenti, & huiusmodi census, canones & responsiones, per seipsos vel eorum legitimos procuratores, iuxta formam dictarum literarum, in vigilia & festiuitate prædictis singulis, quibusuis successiuis, non autem intermissis annis in ipsa Camera vbicumque eam adesse contigerit, & non alibi, nec alio die, quibuscumque conuentionibus in contrarium quomodolibet factis, & vsu receptis, ac consuetudinibus etiam immemorabilibus quomodolibet introductis, & aliis quibuscumque processionibus ipsis, vel eorum auctorib. factis non obstantibus, non soluerint, & integre non satisfecerint, ac pacta, & conuentiones & ad quæ tam ex forma dictarum concessionum, quam interpellationum, & requisitionum, alias de iure, vsu, & consuetudine tenentur, non adimpleuerint, & adimpleuisse ibidem docuerint & ostenderint, eo ipso absque alia monitione, requisitione, vel quauis alia iudicis declaratione desuper facienda, feudis, vicariatibus, gubernijs, & aliis præfatis omnibus, & singulis priuati, ipsaque feuda, vicariatus, gubernia, & alia ad Sedem, & Cameram prædictas deuoluta, vtileque dominium cum directo consolidatum, etiam absque illorum possessionis apprehensione ad ius, proprietatem, dominium, & omnimodam possessionem eiusdem Cameræ eo ipso rediisse censeantur, & sint, etiam si feuda, vicariatus, gubernia, & alia huiusmodi antiqua, & hæreditaria, formalia vel informalia, ac descendentibus, vel collateralibus, aut quibuscumque aliis hominis vel legis prouidentia eis ius aliquod ad illa competierit vel comperat, seu alias acquisitum foret, & esset, ac omni quantumuis longo tempore, & quacumque immemorabili præscriptione, etiam centum annorum & non vltra, non obstantibus sine spolij, aut attentatorum, vel alio quocumq; vitio illorum possessionem actualem apprehendi, & ad illorum realem incorporationem pro Sede, & Camera prædictis deueniri possit, & solutiones aliter, ac alibi, quam die, & loco præfatis deinceps faciendæ, & recipiendæ, nullæ nulliusque roboris & momenti sint, & perinde habeantur, acsi factæ, & receptæ non fuissent, & quod mora etiam modici temporis non admittatur.

Solutionesque semper intelligi factas sine præiudicio iurii Camera.

§. 9. Quodque solutiones omnesque in eadem plena Camera, in vigilia seu festiuitate prædictis factæ, & receptæ fuerint, & in futurum perpetuis futuris temporibus fient, ac recipientur, semper cum clausula sine præiudicio iurium ipsius Cameræ receptæ intelligantur, & sint, etiam quod clausula ista in aliquibus specialiter apposita, in aliis vero omissa fuerit.

Et post. d. Festum recipi nõ posse.

§. 10. Ac præterea quod solutiones, quæ ex aliquo legitimo impedimento in plena Camera, post vigiliam seu festiuitatem prædictas oblatæ fuerint, etiam cum eadem clausula, & citato eodem procuratore Fisci, seu Cameræ Commissario, & non aliter, nec aliomodo recipi debeant, alias eo ipso nullæ, ac nullius efficaciæ, & effectus habeantur.

Contentaq; in prædictis bullis obseruari.

§. 11. Volentes omnia in dictis & aliis prædecessorum nõstrorum literis per nos, vt præmittitur, confirmatis, approbatis, & innouatis, contenta, & narrata præsentibus non contraria perpetuis futuris temporibus, à prædictis, & aliis quos præmissa, aut eorum aliqua quomodolibet concernunt, seu concernere poterunt quomodolibet in futurum ounino seruari.

Sicque & non aliter iudicari debere.

§. 12. Ac decernentes ita per quoscumque Iudices, ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales in quauis causa, & instantia, sublata eis quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & definiri debere, necnon irritum & inane quicquid secus ab eisdem, & quibuscumque aliis scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumq; non obstantib.

§. 13. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis & consuetudinibus etiam immemorabilibus, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ac quacumque præscriptione etiam immemorabili, contractibus quoque, inuestituris, concessionibus, pactis & conuentionibus, necnon priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis eisdem Vicariis, Feudatariis, Gubernatoribus, & aliis prædictis omnibus per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & Sedem præd. etiam sub quibusuis verborum formis, ac etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; fortioribus, efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, quomodocumque ac quotiescumq; concessis, confirmatis, & innouatis, ac concedendis, confirmandis & innouandis, etiamsi in eis caueretur expresse, quod vicariatibus, feudis, guberniis, & concessionibus, administrationibus, ac aliis præfatis ob non solutionem vel pacta non seruata, vel alia quacumque de causa, seu vt nisi infra certum tempus priuari non possint, quibus omnibus ac stylo, vsu, & aliis præmissis, etiam si pro eorum sufficienti derogatione, de eis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, acsi ad verbum, & forma in illis tradita obseruata insererentur, præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, de simili potestatis plenitudine specialiter, & expresse derogamus, necnon omnibus aliis quæ iidem prædecessores nostri in dictis eorum literis voluerunt non obstare, ceteriscque contrariis quibuscumque.

Sine præiudicio causarum pendentium.

§. 14. Quæ omnia nolumus cuiquam aduersus præmissa in aliquo suffragari, quoad causas tamen tunc in Camera prædicta pendentes nulli per præsentes intendimus præiudicium generari.

Forma hanc bullam publicandi, & etiã legẽdi in Camera, &c.

§. 15. Sed ne quisquam præsentium ignorantiam excusare possit, iubemus illas per vnum vel duos cursores valuis Ecclesiæ S. Ioannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ ac Cameræ prædictæ, & in acie Campi Floræ, vbi publicabuntur de more, appendi, eisque detractis, ipsarum exempla etiam impressa eis in locis relinqui, & præterea in ipsa Camera dum die statuto illius præsidentes, & Ministri conuenient, alta & intelligibili voce perlegi, & in libris ipsius Cameræ ad perpetuam rei memoriam describi.

Dies qua hæc bulla ligare incipit.

§. 16. Volentes etiam vt illæ, præsentes hic in Vrbe statim, extra vero eam vbicumque locorum prædictorum mediate vel immediate subiectorum ditionis prædictæ post decem dies, quam in dicta Camera lectæ, & publicatæ fuerint, quemcumque Feudatariorum, Vicariorum, Gubernatorum, Administratorum, & aliorum censuum, recognitionum & iurium debitorum prædictorum, perinde arctent atque afficiant, acsi eis singulis præsentibus, ac in propriis eorum personis, & locis intimatæ fuissent.

Transumptorum fides.

§. 17. Vtque ipsarum præsentium exemplæ etiam impresse edantur, quæ Notarij publici manu, & Camerarij prædicti, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo obsignata, eamdem prorsus fidem vbiq; locorum in iudiciis, & extra illa faciant, quam ipsæmet præsentes facerent, si exhiberentur vel ostenderentur.

Sanctio pœnalis.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, innouationis, mandati, declarationis, statuti, ordinationis, voluntatum, decreti, derogationis, & iussionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit,

Digitized by Google

præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D.P. An. 9. 1. Iunij. Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, 1580. Kalendis Iunij, Pontificatus nostri anno 9.

Regist. & admisso in Camera Apost. *Die decima Iunij 1580. præsentes litera Apostolice præsentate fuerunt in Camera Apostolica, & ex decreto in eadem plena Camera facto, admissæ, & in illius libris registrate. S. lib. 4 signaturarum diuersorum Pontificum penes me infrascriptum dictæ Camere Notarium, & mandatum fuit illas seruari.*

Tydeus de Marchis.

Publicatio in Vrbe. *Anno à Natiuitate D. 1580. indictione 8. die vero 9. Iunij, Pont. Sanctissimi in Christo patris & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Pape XIII. anno nono, retroscripta litera Apostolice affixa, & publicate fuerunt ad valuas Ecclesiæ S. Ioannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Camere & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Flore, dimissis ibidem copiis impressis affixis. Necnon die 10. eiusdem Reuerendissimi Domini dictæ Camere Clerici præsidentis ad iura reddendum, & causas audiendum congregati erant, alta, clara, & intelligibili voce pluribus personis curialibus assistentibus & audientibus de verbo ad verbum & iuxta earumdem tenorem lecte & publicate fuerunt per nos Iulium Fontanam, & Petrum Aloysium Gaytam Cursores Apostolicos.*

Petrus Guerra Mag. Curs.

LXIV. Approbatio Congregationis Fratrum & Monialium Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo in Regnis Hispan. sub denominatione Discalceatorum institutæ, cum declaratione muneris Prouincialis eorum Prioris, ac Superioritatis Prioris generalis totius Ordinis, gratiarumque eiusdem Ordinis communicatione.

Istam Congregationem totaliter postea separauit ab omni superioritate Fratrum Mitigatorum Ordinis, Clemens VIII. inf. in eius const. 25. Pastoralis. *Altera autem eorumdem Discalceatorum Congregatio erecta est in Italia, cui Sixtus V. quædam indulta, circa celebrationem festorum & recitationem officiorum concessit in sua const. 96.* Eximium. *Et eam à Congregatione ista Hispanica separauit Clem. VIII. vt in eius const. 71.* In Apostolicæ. *Eique facultatem erigendi noua Monasteria de sola licentia Ordinarij, dedit Paul. V. in const. 10.* Ad Ecclesiæ. *Et Seminarium ad propagationem fidei postea instituit in Vrbe in const. 50.* Romani.

Vtraque Congregatio profitetur d. Regulam declaratam & firmatam ab Innocentio IV. sup. in eius constit. 6. *Quæ honorem*, Ceteri autem Carmelitæ obseruant eamdem Regulam Mitigatam ab Eugenio IV. & aliis, vt sup. in eius const. 3. *Romani*, vbi notatum fuit.

Huius Ordinis Discalceatorum fundatrix extitit Theresia Hispana, quam Sanctarum Virginum cathalogo adscripsit Greg. XV. const. 20. *Omnipotent.* inf. tom. 4.

Edita An. D 1580.

GREGORIVS PAPA XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. PIa consideratione Romanum decet Pontificem, circa statum Religiosorum ita attendere, vt ipsi Religiosi regulam quam ab initio professi sunt obseruare nitentes, ab omni molestia vindicentur.

Innoc. IV confirmauit Regulã mitigatam Ordinis Carmelitarũ in const. cit. in rub. §. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, & dilecti filij Religiosi Discalceati nuncupati Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo in Regnis Hispaniarum existentes, quod cum alias fel. record. Innoc. Papa IV. prædecessor noster supplicationibus Prioris & fratrum Eremitarum B. Mariæ de Monte Carmelo, ea in parte inclinatus, declarationem & correctionem regulæ eorum Ordinis à bonæ mem. Alberto Patriarcha Hierosolymitano sibi traditæ, per bonæ etiam mem. Hugonem tituli S. Sabinæ presbyterum Cardinalem, & Gulielmum Episcopum Anteradensem de eiusdem Innocentij Papæ mandato factam, & per eosdem fratres firmiter obseruandam confirmasset.

Eug. IV. regulam mitigauit in cõst de quabic in rub. §. 2. Ac postmodum piæ mem. Eugenius Papa IV. etiam prædecessor noster, per eum accepto quod in quibusdam capitulis d. Regulæ inter alia cauebatur, quod fratres prædicti Ordinis ab esu carnium se abstinerent, nisi pro infirmitatis vel debilitatis remedio. Eisdem etiam quod singulis diebus, Dominicis dumtaxat exceptis, à festo Exaltationis S. Crucis vsque ad festiuitatem Resurrectionis D.N. IESV CHRISTI ieiunare tenerentur. Quodque singuli eorum manere deberent in cellis suis, die ac nocte in lege Domini meditantes, ac in orationibus vigilantes præcipiebatur, rigorem huiusmodi mitigans, ac Regulam ipsam moderans, statuisset, ordinasset, & concessisset, quod dicti Ordinis professores, tunc & pro tempore existentes, tribus singularum hebdomadarum, etiam quibus, vt præfertur, ieiunare, iuxta eamdem Regulam essent adstricti, præterquam in Aduentu & in Quadragesima, & aliis generalibus prohibitis diebus carnibus vesci, ac horis congruis in eorum Ecclesiis manere, & per claustra ac eorum ambitus deambulare, libere & licite valerent. Decernens eosdem fratres, & eorum singulos circa præmissa ad arctiorem obseruantiam, quam supra præmittitur, occasione professionis in dicto Ordine emissæ, vel in posterum emittendæ minime tenerentur. Et alias prout in eorumdem Innocentij & Eugenij literis desuper confectis plenius continetur.

Sed postea de anno 1565. multi ex eis, primitiuã regulam Innoc. IV. obseruare cœperunt. §. 3. Demum de anno Domini, milleſimo quingentesimo sexagesimo quinto, seu alio veriori tempore nonnulli dicti Ordinis professores, diuina inspirante gratia, primum dictæ regulæ institutum imitari cupientes, postpositis quibuscumque corporis commodis, dummodo Christum lucrifacerent, cum licentia sui Prioris generalis tunc in Hispaniarum partibus existentis, ibi aliquot fratrum & Monialium Monasteria; in quibus primitiua regula prædicta cum omni obseruantia & rigore retinerentur, sub obedientia tamen Prouincialis fundare & ædificare cœperunt. Quam quidem regulam & obseruantiam fundatores prædicti, ac etiam qui pro tempore admittebantur ex mitigatis, renunciando mitigationi & relaxationi dicti Eugenij prædecessoris, transacto probationis anno, denuò, ac etiam alij de sæculo venientes profitebantur, & successiue benedicente Domino numerus Religiosorum primitiuam Regulam huiusmodi profitentium & obseruantium adeo hoc tempore excreuit, vt de præsenti viginti duæ domus fratrum & monialium huiusmodi, in quibus fere trecenti fratres, & ducentæ moniales existunt, deuotum Altissimo famulatum exhibentes in prædictis Regnis Hispaniarum reperiantur.

Immo etiam alia instituta hic enunciata & Discalceati dicti sunt. §. 4. Religiosi autem huiusmodi vltra contenta in regula prædicta de licentia dicti Generalis, & cuiusdam Vicarij ab eodem Generali in Prouincia Castellæ deputati, ac cum approbatione Visitatorum Apostolicorum, qui fuerunt dictæ Religionis, quædam instituta ad carnis mortificationem, & populi ædificationem ab initio suæ institutionis obseruare incœperunt, veluti Discalceatos incedere, vnde Discalceatorum nomen sortiti sunt, indui sacco, dormire super tabulis, ad subleuandam suam inopiam manib. propriis operari, multum in oratione se exercere, atque diuinum officium sine cantu, seu modulatione recitare.

Ipsi tamẽ Discalceati, alia trib. professionib. Regulam vt supra Mitigatam ab Eugenio IV. diuersimode stabantur, ideo supplicarunt pro separatione. §. 5. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat ipsis Religiosis Discalceatis, quamplures molestiæ & impedimenta, eorum pium institutum turbantia per fratres mitigatam ab eodem Eugenio prædecessore regulam, vt præfertur, professos, mitigatos nuncupatos super præmissis illatæ fuerint. Ipsique Discalceati Prælatum ordinarium ex suis Discalceatis, vt par esset, non habebant, sed ad præsens per dilectum filium Angelum de Salazar ex fratribus mitigatis Vicarium generalem à Venerabili fratre Philippo Episcopo Placentino, in dictis Regnis nostro, & Apostolicæ Sedis Nuncio, donec de idoneo superiore eiusdem professionis Discalceatorum prouideatur, deputatum, regantur ac summopere cupiant ad eorum quietem & tranquillitatem conseruandam, ac pro Religionis, & strictæ

Digitized by Google

ſtrictæ eorum obſeruantiæ, atque inſtituti progreſſu & augmento, vt de omnibus Monaſteriis, quæ in dictis Regnis nunc ſunt, & pro tempore erunt, vel erigentur, ipſorum Diſcalceatorum, tam virorum quam mulierum dictam primitiuam regulam profitentium, vna Prouincia fiat ſeparata à prouinciis fratrum mitigatorum huiuſmodi, quæ ſubſit immediate Priori generali dicti Ordinis, & gubernetur per Priorem prouincialem, ex ipſiſmet fratribus Diſcalceatis in Capitulo dictæ Prouinciæ canonice eligendum, provt alij Priores prouinciales eiuſdem Ordinis in ſimilibus Capitulis prouincialibus eliguntur & deputantur. Propterea tam dicti Religioſi Diſcalceati, quam dictus Philippus Rex, qui profectum Religioſorum huiuſmodi maxime exoptat, nobis humiliter ſupplicare fecerunt, vt honeſtis petitionibus huiuſmodi annuere, & alias in præmiſſis opportune prouidere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Hic igi ur Pō. dictos Diſcalceatos in Regnis Hiſpan. ab ipſis Mitigatis ſeiungit.

§. 6. Nos igitur æquum, & rationi conſonum ducentes, vt qui arctioris regulæ obſeruantiam ſectantur, Superioribus eorum, qui in laxiori degunt non ſubiaceant, ſed quilibet eiuſdemmet profeſſionis Superiores habeant, & ab illis iuxta eorum inſtituta regularia proſpere & feliciter gubernentur, prædictorum fratrum & Monialium Diſcalceatorum tranquillitati & indemnitati, eorumque inſtituti propagationi, & profectui conſulere cupientes, eoſdem fratres & moniales, eorumque ſingulos à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluētes, & abſolutos fore cenſentes huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium ſuper viſitatione Apoſtolica & cōſultatione Epiſcoporum, & regularium Reformatione deputatorum, quib. hoc negotium examinandum mandauimus conſilio, inſtitutum huiuſmodi, quod iuxta primitiuam regulam prædictam dicti fratres Diſcalceati profitentur, laudantes & approbantes, dictos fratres & moniales primitiuam Regulam huiuſmodi in Regnis Hiſpaniarum obſeruantes, Diſcalceatos nuncupatos, eorumque domus, Conuentus, Monaſteria & loca, nunc & pro tempore exiſtentia, à Prouinciis fratrum & monialium eiuſdem Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo per prædictum Eugenium prædeceſſorem mitigatam, nunc & pro tempore obſeruantium mitigatorum nuncupatorum, penitus & omnino in perpetuum, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ſeiungimus, ſeparamus, & diſmembramus, ipſoſque Diſcalceatos ab omni & quacumque iuriſdictione, viſitatione, correctione, & ſuperioritate Prioribus, Prouincialibus, & aliis Prælatis & Superioribus mitigatis in ipſos Diſceatos competente, perpetuo eximimus & liberamus.

Immo Clemēs VIII. ſeparauit omnes Diſcalceatos vt inf. in eius conſt. 25. Paſtoralis.

Monaſteriaq; eorum in vnā prouinciā reducit regendā à priore prouinciali Diſcalceat. ſub obedientia Prioru generalis Ordinis.

§. 7 Necnon eorumdem fratrum & monialium Diſcalceatorum prædictorum domus, monaſteria, & loca quæcumque hactenus erecta & inſtituta, ac in poſterum erigenda & inſtituenda, in vnam prouinciam de per ſe Diſcalceatorum nuncupandam, per vnum Priorem prouincialem in Capitulo dictæ prouinciæ, ex eiſdem Diſcalceatis, vt præfertur eligendum, regendam, & gubernandam in perpetuum erigimus & inſtituimus. Ac dictam prouinciam fratrum & monialium Diſcalceatorum, ſub obedientia & ſuperioritate Prioris generalis totius Ordinis prædicti, ſicut aliæ prouinciæ eiuſdem Ordinis ei ſubſunt, & ſubiacent, perpetuo ſubeſſe, atque ſubiectam remanere & ſubiacere volumus.

Immo Clem VIII. in totum ſeparauit vt ibid.

Prioris prouincialis Diſcalceat munus deſcribit.

§. 8. Qui per ſe ipſum tantum, vel per alium virum idoneum ex ipſis fratribus Diſcalceatis, & iuxta eorum primitiuam regulam, & inſtituta regularia ab ipſis fratribus Diſcalceatis obſeruari ſolita, eos viſitare, reformare, corrigere, & punire poſſit; in monaſteriis tamen, domibus, & locis eorumdem fratrum Diſcalceatorum extra quam nullatenus ipſi fratres Diſcalceati, vel aliquis eorum ab eodem Priore generali, quouis prætextu vel occaſione amoueri, aſſignari, mutari, extrahi, aut transferri, aut ad alias prouincias mitti aut retineri, niſi aliter in eorum Capitulo Prouinciali fuerit ordinatum. Ipſi vero dictæ prouinciæ Diſcalceatorum fratres in præmiſſis perpetuo eidem Priori generali parere & obedire; & cum

Sed Iem. VIII. ampliauit vt ibid.

ipſum ad eorum monaſteria, domos & loca diuertere, aut pro viſitatione huiuſmodi, aut alias accedere contigerit, cum omni humilitate & reuerentia benigne recipere & pertractare, prout decet, teneantur & debeant. Necnon Priori prouinciali eiuſdem prouinciæ fratrum Diſcalceatorum ipſos fratres & moniales Diſcalceatos, illorumque domos, monaſteria, & loca quæcumque, regendi, gubernandi, viſitandi, reformandi, corrigendi, puniendi, & caſtigandi, ad Capitulum prouinciale, ſuis loco & tempore indicendi, conuocandi, congregandi, & celebrandi, & quoſcumque officiales neceſſarios, vna cum capitularibus eligendi, ac quæcumque ſtatuta & ordinationes bonum regimen dictæ prouinciæ ad Dei ſeruitium concernentia in eodem Capitulo concedendi, mutandi, alterandi, & in totum ſi videbitur abrogandi, & de nouo edendi, dummodo ſacris Canonibus & decretis ſacri generalis Concilij Tridentini, & conſtitutionibus Apoſtolicis, ac eorum primitiuæ regulæ, & inſtituto prædictis non aduerſentur. Et abuſus quoſcumque tollendi, & emendandi, Monaſteria item, domos & Conuentus, tam virorum quam mulierum eiuſdem prouinciæ in quibuſcumque locis, cuiuſuis licentia deſuper minime requiſita, de conſenſu dicti eorum Capituli, & alias ſeruata forma eiuſdem Concilij, conſtrui & ædificari faciendi, ipſique Priori prouinciali, vt poſtquam electus fuerit, officium ſuum exercere abſque alia confirmatione, quam tamen à priore totius Ordinis Generali mox petere teneatur, plenam & liberam facultatem concedimus & impartimur.

Priuilegia Ordinis eis communicat.

§. 9. Et inſuper omnibus & ſingulis dictæ prouinciæ perſonis vtriuſque ſexus, nunc & pro tempore exiſtentibus, quod omnibus & ſingulis priuilegiis, gratiis, & indulgentiis, exemptionibus, immunitatibus, prærogatiuis, fauoribus, & indultis, tam ſpiritualibus quam temporalibus quibus fratres ſeu moniales, vel ſorores dicti Ordinis, de iure vel conſuetudine, aut alias quomodoliber vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, decretis eiuſdem Concilij, conſtitutionibus Apoſtolicis, ac primitiuæ regulæ, & inſtituto prædictis, & præſentibus literis non contrariis, vti, potiri, & gaudere, libere & licite valeant indulgemus.

Ad Carthuſianos tantum trāſire concedit

§. 10. Ne autem inſtituta dictæ prouinciæ relaxentur, fratribus & monialibus Diſcalceatis prædictis ſecundum dictam primitiuam regulam profeſſis, ne ad ſuum fratrum Mitigatorum, vel alium Ordinem, præterquam Carthuſianorum ſine apoſtaſiæ nota tranſire poſſint abſque Sedis Apoſtolicæ licentia, perpetuo prohibemus.

Officiales Mitigatorum, non moleſtēt ipſos Diſcalceatos ſuper præmiſſis.

§. 11. Inhibentes dicto Angelo de Salazar, & Priori generali, ac Prouincialibus & Commiſſariis, aliiſque dictorum fratrum Mitigatorum Prælatis, Miniſtris & Officialibus, ne eoſdem fratres Diſcalceatos, ſeu moniales, ſorores huiuſmodi ſuper præmiſſis quoquomodo moleſtare, perturbare, vexare, ſeu inquietare audeant vel præſumant. Quod ſi ſecus fecerint eos, & eorum ſingulos, excommunicationis ſententia innodamus. Dicti vero fratres Diſcalceati nullo modo parere aut deferre teneantur. Salua tamen in reliquis obedientia dicti Prioris generalis totius Ordinis, cui eos perpetuo ſubiectos eſſe, & ſubiacere voluimus, vt præfertur.

Diſcalceati poſſunt habere recurſum ad Sedem Apoſt. vel Ordinis Protectorem.

§. 12. Liceatque tam Priori prouinciali dictæ prouinciæ fratrum Diſcalceatorum, quam aliis eiuſdem prouinciæ fratribus, de licentia tamen ipſius Prioris prouincialis ad Sedem Apoſtolicam, & totius Ordinis protectorem liberum habere recurſum.

Facultates Mitigatis conceſſa viſitandi & gubernandi. Diſcal. ceatos reuocātur.

§. 13. Et ſi alicui, vel aliquibus ex dictis fratribus Mitigatis ſit conceſſa facultas viſitandi aut gubernandi, ſeu puniendi dictos fratres ſiue moniales Diſcalceatos, etiam à nobis, aut noſtro & dictæ Sedis in partibus illis commoranti Nuncio, aut quocumque alio facultatem huiuſmodi ex nunc caſſamus, reuocamus, & annullamus.

Clauſula præſeruatiua

§. 14. Decernentes præſentes literas nullo vmquam tempore, de ſubreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ defectu, etiam ex eo quod omnes intereſſe habentes forſan vocati non fuerint, notari, argui, ſeu impugnari, aut ſub quibuſuis reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam ab eadem Sede emanatis, & in poſterum emanandis

Digitized by Google

dis comprehendi posse,sed illas semper validas & efficaces existere,suosque plenarios & integros effectus sortiri debere.

Decretum irritans.

§.15. Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios quauis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari ac definiri debere. Necnon irritum & inane, si secus super his à quocumque quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio & facultates.

§.16. Quocirca Venerabilibus fratribus Toletano & Hispalensi Archiepiscopis, & Episcopo Palentino, ac dilecto filio causarum Cur.Cam.Apost.generali Auditori, necnon vniuersis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis,& aliis Ecclesiarum Prælatis,ac quibuscumque in dignitate Ecclesiastica constitutis per præsentes mandamus, quatenus ipsi vel duo,aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas & in eis contenta quæcumque,vbi & quando opus fuerit,aut quoties pro parte fratrum Discalceatorum prædictorum desuper fuerint requisiti,solemniter publicantes,illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos præmissis omnibus & singulis, iuxta præsentium continentiam & tenorem, pacifice frui & gaudere. Non permittentes eos desuper per Priorem generalem, aliosque prædictos quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet ac rebelles, & præmissis non parentes,per sententias,censuras,& pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita,compescendo.Necnon legitimis super his habendis seruatis processibus, illos sententias, censuras, & pœnas prædictas incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit,auxilio brachij secularis.

Clausula derogatoria.

§.17. Non obstantibus præmissis, ac aliis Apostolicis, necnon in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis,statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque,indultis,& literis Apostolicis eisdem Mitigatis, vel quibusuis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus & formis,ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis,irritantibusque, & aliis decretis,in genere vel in specie, etiam Motu proprio, ac alias quomodolibet concessis,approbatis,& innouatis.Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica,expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes,mentio seu quæuis alia expressio habenda,aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus,contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§.18. Ceterum quia difficile foret earumdem præsentium literarum notitiam ad quascumque personas peruenire, & vbique illas præsentare, eadem auctoritate volumus & decernimus,quod transumptis earumdem præsentium literarum manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillatis,eadem fides vbique,tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 9. 22. Iunij. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 22. Iunij, 1580. Pontificatus nostri anno 9.

LXV. Innouatio constitutionum à Prædecessoribus editarum, contra homicidas & alios capitaliter bannitos.Et maiorum pœnarum inflictio in eorum receptatores, & auxiliantes, Communitatesque eos non persequentes & capientes.

Aliam contra eosdem receptatores, & Communitates, & ceteros seueriorem edidit const. 6. Sixtus V. Hoc nostri. *vbi alia de materia indicabo.*

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita An. D. 1580.*

Causa huius constit.

TAnta,tamque horrenda quotidie succrescunt sanguinariorum, & scelcratorum hominum maleficia, vt nos,qui subditos nostros charitatis potius vinculo,quam seueritate pœnarum in officio contineri semper optauimus, tandem necesse sit ad ipsos procul à societate humana submouendos, noua remedia adhibere, ac simul cogitare quomodo illos confouendi facultas tolli ab iis possit,sine quorum auxilio impurissimi illi pleraque omnia delicta neque perficere, neque pœnas effugere possent.

Innouatio bullarū editarum contra Bannitos.

§.1. Quæ fel. record. Pius Secundus, Paulus item Secundus, Sixtus Quartus, Iulius Secundus, Leo Decimus, Clemens Septimus, Pius Quartus, Pius Quintus, & diuersi alij Romani Pontifices prædecessores nostri suo quisque tempore, prout necessitas tulit, bene & prouidenter respicientes, constitutiones suas in exitiale hoc genus, pro temporis & criminum ratione ediderunt, quas nos cum suis censuris, & pœnis omnibus, acsi ad verbum inserercntur præsentibus, haberi volumus pro expressis, ex certa scientia nostra innouantes, ita vt illæ omnes præsentibus, & vicissim præsentes illis vniuersis & singulis ad omnes etiam omnium casus & partes subsidio sint.

Subditi Papæ aut in eius Statu bona possidentes, Bannitos vel extra in locis suis receptatores.

§.2. Hoc edicto perpetuo de fratrum nostrorum consilio statuimus, vt quicumque etiam Ecclesiastica, & quacumque dignitate præditus, siue Dux, aut Comes, Marchio, Vicarius, Feudatarius, Gubernator, siue alius cuiusuis conditionis, & ordinis, huius status & ditionis nostræ temporalis S.R.E. in eisdem temporalibus mediate vel immediate subiectus, etiam dominia, iurisdictiones & loca extra statum prædictum obtinens, ac etiam quæcumque extraneus bona in eodem statu habens, homicidas, latrones, grassatores, & alios quocumque crimine capitali bannitos, vel diffamatos, in suis quisque dominiis, locis, seu domibus tam in ipso statu quam extra eum consistentibus receptauerit, seu quod in huiusmodi locis receptentur permiserit quoquomodo.

Fauentesque.

§.3. Ac etiam quicumque ne ij capiantur impediuerit, captosque eripuerit, vel occultauerit, potestatemve euadendi fecerit, natusve fuerit, siue ad hoc homines, arma aliaue ministrauerit, seu alias auxilium, consilium, vel fauorem, palam vel in occulto aut quocumque modo, præstiterit.

Iustitiaq; ministros in eis perquirendis impedientes.

§.4. Præterea quicumque Iudices, ministros,vel executores iustitiæ, in perquisitione, captura, seu abductione, ac omnino in libera eorum officij executione impediuerit, verberauerit insecutus fuerit, concusserit, perterrefecerit, arma conclamauerit, aliosve concitauerit seu mandauerit.

Excommunicatur. Hanc excommunic. abstulit Sixt. V. in rub. cit.

§.5. Cum præsentium auctoritate excommunicationis maioris sententia innodamus,à qua solus Romanus Pontifex absoluere possit,nisi in mortis articulo & satisfactione debita præcedente.

Criminisque laesæ maiestatis rei sunt.

§.6. Ac præterea ipsum læsæ maiestatis reum, & S.R.E. rebellem pronunciamus.

Bonis omnibus priuantur.

§.7. Necnon Ducatu, Comitatu, Marchionatu, terris, oppidis,castris,dominiis, vicariatibus, guberniis, feudis, & aliis, quæ à Romana & quibuscumque aliis Ecclesiis obtinet ac obtinebit in futurum,ceteriisque omnibus bonis, immobilibus, mobilibus, & se mouentibus,rebus & iuribus suis, necnon omni & quacumque etiam Ecclesiastica dignitate, gratia, exemptione,reali & personali,honore, priuilegio, & beneficio, Ecclesiastico & temporali priuamus eo ipso.

Ad dignitates cum filiis inhabilitantur.

§.8. Ac ipsum & eius filios indignos decernimus ad illa,& alia in posterum obtinenda, & ad quoscumque actus legitimos exercendos, quibus etiam portæ numquam pateant vllius dignitatis Ecclesiasticæ vel mundanæ.

Digitized by Google

Vassalli liberantur.

§.9. Sintque vasalli, custodes, & populi à fidelitatis iuramento, & quocumque alio iure absoluti.

Et edificia destruantur, vel Camerae applicentur.

§.10. Omnia eius ædificia disiiciantur, aut aliis Cameræ Apostolicæ iuribus adscribantur.

Dominia Camerae praedicta acquirantur.

§.11. Ducatus vero ac dominia, vicariatus, gubernia, feuda, ceteraque bona & iura prædicta, eorumque fructus, & emolumenta, aliis Fisci nostri iuribus perpetuo applicamus. Et ita Cam. Apost. eo ipso absque declaratione super incursu pœnæ priuationis huiusmodi, aut citatione eius, vel eorum, qui pœnam huiusmodi incurrerint facienda, aut iudicis sententia, vel decreto, vel alia iuris & facti solemnitate habenda, perpetuo applicata, appropriata, & incorporata, & ad nostram, Romanique Pontificis pro tempore existen. liberam dispositionem pertinere volumus, acsi per lapsum temporis concessionis eorum, aut finiram lineam ad ipsam reuertissent.

Priuilegia' in recipiendis bannitis reuocantur.

§.12. Nec quisquam exemptionis, vel vetusti priuilegij, de recipiendis, & non consignandis huiusmodi facinorosis, & bannitis, aut alio quocumque prætextu iuuari possit.

Bona cõfiscata sub const. 35. Pij V. non comprehendantur.

§.13. Declarantes, Ducatus, dominia, vicariatus, gubernia, feuda, aliaque prædicta, sub constitutione dicti Pij V. prædecessoris super huiusmodi dominiis & iurisdictionibus in feudum, aut alias non concedendis edita, minime comprehendi.

Cõmunitates non capientes bannitos eisdẽ pœnis ligãtur.

§.14. Communitates necnon vniuersitates omnium Ciuitatum, terrarum, & locorum status prædicti, cum primum de accessu, statione, vel transitu bannitorum, & aliorum prædictorum notitiam habuerint, si statim populos suos armatos pulsu campanarum, & aliis signis non conuocauerint, illosque non ceperint, & tute custodierint, vel si illos capere non potuerint, finitimas quasque Communitates, & vniuersitates, aut dominos non commonefecerint, vel ipsi, aut eorum aliqui illos receptauerint, vel tolerauerint, vel cibis, commeatu, auxilio, consilio, vel fauore, aut quocumque alio modo etiam vt euadant, per se vel alios iuuerint, censuris & pœnis omnibus supradictis supponimus, earumque etiam res & bona omnia, necnon fructus & emolumenta Fisco prædicto, modo & forma præmissis applicamus eo ipso.

Executorũ deputatio, & facultates.

§.15. Et nihilominus dilecto filio Camerario nostro, ceterisque omnibus singularum literarum præd. ctarum executoribus, & præterea Gubernatori Vrbis, ac causarum Curiæ Cameræ prædictæ generali Auditori per Apostolica scripta mandamus, vt quisque pro se ad omnimodam illarum, & præsentium nostrarum, ac censurarum & pœnarum omnium in eis contentarum executionem omnino procedentes, faciant illas omnes, & in eis contenta quæcumque, semper & vbique per omnia loca prædicta, & ab omnibus sub illis comprehensis, iuxta singularum literarum earumdem continentiam & tenorem, inuiolabiliter obseruari.

Clausula derogatoria.

§.16. Non obstantibus præmissis, ac omnibus quæ singulis literis prædictis concessum est non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma & effectus public.

§.17. Vt autem præsentes literæ omnibus amplius innotescant, & ne quisquam illarum ignorationem excusare possit, iubemus illas valuis Ecclesiæ S. Io. Lateranen. & basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac acie Campi Floræ, de more appendi, eisque detractis, ipsarum exempla etiam impressa eisdem in locis affixa relinqui: factaque huiusmodi publicatione, volumus ipsas præsentes hic in Vrbe publicatas die sequenti, extra vero eam post decem dies, quoscumque perinde arctare, atque afficere, & contrafacientes, pœnas & alia supradicta omnino incurrere, acsi eis singulis præsentibus in propriis eorum personis & locis intimatæ fuissent.

Exemplorum fides.

§.18. Insuper earumdem præsentium exempla, etiam impressa, Not. publici manu, & Camerarij prædicti, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo obsignata, eamdem prorsus fidem vbique locorum in iudiciis & extra illa facere, quæ ipsæmet præsentes facerent, si exhiberentur vel ostenderentur.

Nulli ergo, &c.

Dat. 9. An. 9. Iulij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1580. quinto idus Iulij, Pontificatus nostri anno 9.

Papa subscr.

Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episc. subscr.

Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

Cardinalium subscriptiones.

Io. Card. Moronus Episcopus Ostien.
Ego Iac. Card. Sabell. Episc. Tusc.
Ego Io. Antonius Card. S. Gregorij Episc. Prænestin.
Ego Aloysius Card. Cornelius.
M. S. Card. de Altaemps.
A. Card. Gesualdus.
Ego In. Card. de Aragon.
Ego Ptol. Cardinalis Comensis.
Ego P. Card. Sanctacrucius.
Zachar. Card. Delphinus.
Io. Er. Card. Commendonus.
A. Card. Sfortia.
Fla. Card. Vrsinus.
Gul. Sir. Card.
Fr. Michaël B. Card. Alex.
Lud. Card. Madrucius.
Marcus Ant. Card. Maffæus.
N. Cardinalis de Pelleue.
Iulius Ant. Sanctorius Card. Sanctæ Seuerinæ.
C. Card. Rambouiletus.
F. Felix Card. de Montealto.
F. Vincentius Card. Iustinianus.
Hieron. Card. Rusticucius.
Io. Hieron, Card. Albanus.
Ego Ph. Boncompagnus Card. S. Sixti.
Petrus Card. de Deza.
Ego Fer. Card. de Medicis.
Ego Ant. Card. Carafa.
Ego Phil. Card. Vastauillanus.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1580. *indict.* 8. *die vero* 17. *mensis Iulij, Pontific. Sanctiss. in Christo patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno* 9. *retroscripta litera Apostolica & affixæ publicatæ fuerunt ad valuas Ecclesiæ S. Io. Lateranensis & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Florę, dimissis ibidem earum exemplis impressis per nos Petrum Aloysium Gaytam, & Nicolaum Tagliettum Cursores Apost.*

Iulius Fontana Mag. Curs.

LXVI.

Annullatio dispositionum beneficialium, quæ contra canonicas Sanctiones, Statuta, vel Apost. priuilegia fiunt personis prohibitis propter genus, aut hæresim, & à fide apostasiam. Cum declaratione, quod ad nouam Rom. Pont. dispositionem pertineant.

Similem const. num. 29. *edidit Pius V. vt sup.* Cum ex Apostol.

De aliis pœnis Hæreticorum vide supra in Pauli IV. const. 19. *Cum ex* & cum ibi notaris.

Edita An. D. 1580.

P I V S E P I S C O P V S, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius constit.

IN Ecclesiis, præsertim insignibus, hoc magnopere curandum est, vt sacerdotes & personæ salubribus etiam institutis conuenientes ordinentur, quod quantum in nobis enitimur; atque eos ab illis repellendos in primis contendimus, qui propter genus aut hæresim, & à fide apostasiam, siue proprio, siue stirpis, siue cognatorum vitio contaminari, per canonicas sanctiones, aut statuta ab hac Sede firmata, aut Apost. priuilegia, prædictis Ecclesiis prohibentur. Sed nobis negociorum magnitudine distentis, huius generis nonnulli ad illarum sacerdotia frequenter obrepunt, inter quos quidam existimationis suæ prodigi, etsi se ab illis expulsum iri sciant spe tamen inconcessa præsumunt, se inde vel permutatione, vel aliquo pacto beneficium, pensionem, aut quid aliud exacturos.

Annullatio dispositionum beneficialium pro personis hic enũciatis.

§. 1. Nos malum hoc, quo d. Ecclesiæ sæpius diuexantur, penitus euellere volentes, præsentium auctoritate decernimus; omnes & quascũque Apost. necnõ Legatorum d. Sedis, & aliorũ omniũ ab ea facultatẽ disponendi habentiũ, ac etiã ordinarias dispositiones dignitatũ, præbendarũ, beneficiorũ, & officiorũ eiusmodi Ecclesiarũ in quascum

Digitized by Google

quascumque personas sic infectas,& per huiusmodi sanctiones, seu statuta vel priuilegia,vt præfertur inhabiles, vires & effectum non habere,personasque huiusmodi,illarum prorsus vsu & commodo carere, beneficiaque ipsa vt prius vacare, & quæ ex illis tempore dispositionis Apostolicæ prædictis personis, illi reseruata fuerint vel affecta,sub eadem reseruatione vel affectione manere.

Reseruatio beneficiorũ cessat collatorum,& modus ea impetrandi.

§.2. Et tàm illa, quàm etiam omnia alia non reseruata neque affecta, de quibus ab ipsa Sede, ac Legatis & aliis facultatem haben. prædictis,in huiusmodi personas quomodocumque dispositum fuerit,ad nouam Pont.dispositionem dumtaxat pertinere,eaque ab aliis idoneis ab ipsa Sede dumtaxat, libere impetrari posse. Impetrationes tamen,ac etiam Motu proprio concessiones,nisi modus vacationis,necnon casus ac decretum huiusmodi,non conditionaliter,aut per equipollens,sed definite,nominatim, ac dispositiue in illis exprimantur, omnino non valere. Ab Ordinariis vero cessantibus reseruationibus vel affectionibus Apost. pro tempore collata, deuolutioni,iuxta Lateranen. statuta Conc. subiacere; necnon irritum & inane,quicquid secus per quoscumque scienter vel ignoranter contigerit attentari. Reseruationibus Apost. fructuum, pensionum, & aliarum rerum huiusmodi beneficiorum, in personas idoneas, etiam de huiusmodi contaminatorum consensu factis, eisdemque ab illis interim præstitis vel solutis,nihilominus valituris. Nemo autem ignorationem prætexens valeat excusari, cum prædictæ prohibitiones satis manifestæ sint, & quisque ante petitionem vel acceptationem beneficiorum huiusmodi illorum capax sit debeat se prouare. Nulli ergo, &c

D. P. An. 9. 13. Nouemb.

Dat.Romæ apud S.Petrum Anno Incarnat. Dominicæ 1580.idibus Nouem. Pont. nostri anno 9.

LXVII. Iurisdictio Ordinariorum, in puniendis vicariis, familiaribus, colonis, & Ministris fratrum Militum hospitalis S. Io. Hierosolymitani, iuxta dispositionem Conc. Trid.sess.24.cap.11.

Hæc iurisdictio à Pont. successoribus semper præseruata fuit, vt videre est inf. in constit. 5. Gregor. XIV. Quanta. *& aliis const. ibi indicatis. Cetera de hac Militia notaui sup. in constit. 2. Anast. IV.* Christianæ.

Edita An. D. 1580.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CIrcumspecta in omnibus actibus suis Rom. Pont. prouidentia,interdum ea quæ certis etiam rationalibus tunc suadentibus causis à Sede Apost. emanata reperiuntur,alia superueniente ratione, qua præsertim populorum offensioni occurritur, & Episcoporum iurisdictioni rite consulitur,reducere,ac suam declarationem interponere consueuit,& alias desuper disponit,prout temporum,rerum,& personarum qualitate pensata, perspicit in Domino salubriter expedire.

Causa huius constit.

§.1. Cum itaque compertum sit, quamplurimos clericos sæculares,necnon laicos gratiis & priuilegiis,quibus Sedes Apost. dilectos filios Magistrum, Conuentum, & Milites hospitalis S.Io.Hierosolym.de Repub.Christiana optime semper meritos,ac eorum Ecclesias & loca liberaliter prosecuta est, abutentes,vnde sibi religiosius viuendi legem imponere deberent, inde laxioris vitæ occasionem arripere, dum varios,sæpe etiam vanos exemptionis, libertatisque titulos prætexunt; alij quidem quod pro Vicariis, Capellanis,ministris,& inseruientibus Ecclesiis d. hospitalis quomodolibet adscripti sint, alij vero quod coloni, procuratores & familiares ipsorum Militum existant, quamuis in propriis domibus licenter degant, nihilominus ex prædictorum Militum priuilegiis, illorumque confirmatione etiam post Concil. Trid. à fel. rec. Pio Papa V. prædecessore nostro obtenta, prætendant se ab omni iurisdictione Ordinariorum exemptos esse, nec ab illis inquiri, visitari, puniri, aut corrigi posse, eoque ipso delictorum suorum sibi immunitate promissa, grauem in populo offensionem præbere, & in Episcoporum iurisdictione perturbationem in dies maiorem excitare dignoscantur.

Reductio priuilegiorum,& exemptionum Militiæ ad terminos Cõc. Trident. vt infra.

§.2. Idcirco nos huic malo, quod à prædicto Concilio multo ante præuisum fuerat, salubriter prouidere volentes,Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam,sed ex mera nostra voluntate ac deliberatione, & certa scientia,deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula priuilegia, exemptiones, gratias & indulta Magistro, Conuentui, Militibus,& militiæ d.hospitalis per quoscumque Rom.Pont. prædecessores nostros,& Sedem prædictam in genere vel in specie quomodolibet concessa & confirmata, necnon d. Pij V. literas super eorumdem confirmatione emanatas sub dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 29. Nouemb. 1568.Pont.sui anno 3.ad prædicti Concilij decretorum terminos tenore præsentium reducimus, ac reducta esse, nihilque ex ipsis priuilegiis, exemptionibus, gratiis & indultis,Ordinariis locorum detractum esse,quominus ipsorũ Militum Vicarij,Capellani,Ministri,seruientes,adscripti,coloni, procuratores, & familiares Militum huiusmodi, quibus ea iam concessa sunt, & in posterum concedi contigerit,ab ipsis Ordinariis tamquam Apostolicæ Sedis delegatis, de eorum excessibus, criminibus, & delictis,etiam extra visitationem,quando & quoties opus fuerit,inquiri;visitari,puniri, & corrigi possint,ipsorumque Ordinariorum iurisdictioni plene in prædictis subiecti existant, (exceptis tamen iis, qui Ecclesiis, aliisque locis dd. Militum actu seruiunt, & intra eorum sepia & domos residentes,ac sint eorum obedientia viuunt,quæ omnia vbi vtere simul concurrent, legitime & secundum regulam prædictæ Religionis professionem fecerint; de qua loci Ordinario constare debeat.) Et ita in præmissis omnibus & singulis per quoscũque Iudices,ordinarios & delegatos,quauis auctoritate fungentes,etiam causarum Palatij Apostolici Auditores,ac S.R.E. Card.sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate,in quauis causa & instantia iudicari & definiri debere.

Clausi. præseruatiua.

§.3. Præsentesque literas de subreptionis vel obreptionis vitio,seu intentionis nostræ defectu,notari vel impugnari non posse, sed illas semper validas & efficaces esse; ne per Magistrum,Conuentum,& Milites prædictos quorumcumque priuilegiorum,statutorum, consuetudine & styli prætextu vllatenus infringi,vel contra illas,& in eis contenta veniri non posse,neque debere irritum quoque & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus & declaramus.

Clausula derogatoria.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apost. ac d. hospitalis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis,statutis & consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis, necnon declarationibus, sententiis,iuramentis, concordiis; priuilegiis quoque,indultis & literis Apost. Magistro & Conuentui, ac Militibus prædictis, & eorum Vicariis, Capellanis, colonis, familiaribus, procuratoribus, & aliis quibusliber, ipsorum Militum intuitu vel contemplatione, per quoscumque Rom. Pont. & Sedem prædictam quomodolibet concessis confirmatis,& innouatis.Quibus omnibus & singulis,etiamsi pro sufficienti eorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes,ad effectum præsentium dumtaxat specialiter & expresse,motu simili derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Cõfirmatio d. const. Pij V.

§.5. Eisdem Pij Papæ V. literis memoratis,quo ad alia,& in eo maxime quod voluit prædictorum militum priuilegia,illorumque confirmationem non comprehendere neque Ecclesias neque personas, in his quæ ad curam animarum pertinent,sed in his dicti Conc.Trid.decreta omnino seruari debere,in suo robore permanentibus.

Fides transumptorum.

§.6. Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem vbique fides, tàm in iudicio quàm extra adhibe-

Digitized by Google

adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Bull. P. An 9. 21. Nouemb.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 25. Nouemb. 1580. Pontificatus nostri anno 9.

LXVIII. Medici Hebræi, vel infideles, ad curandos Christianos infirmos non admittantur. Et Medici omnes seruent constit. Pij V. in monendis infirmis ad confessionem peccatorum.

Hoc idem quoad Medicos Hebræos, statuit Paul. IV. sup. in eius const. 3. Cum nimis. vbi alias de Hebr. adnotaui.

Edita An. D. 1581.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Paul. IV. prohibuit Medicos Iudæos curare posse Christianos.

ALias piæ mem. Paulus Papa IV. prædecessor noster, edita perpetua constitutione inter alia sanciuit, ne Medici Iudæi etiam vocati & rogati ad Christianorum ægrotantium curam accedere, aut illi interesse possent.

Pius V. approbauit.

§. 1. Quam constit. postea Pius Papa V. etiam prædecessor noster per suas literas approbauit, innouauit, & confirmauit, & robur perpetuæ firmitatis obtinere decreuit, ac voluit, & sub intimatione diuini iudicij præcepit & mandauit, omnia in eadem constit. contenta in posterum firmiter obseruari, non solum in terris & dominiis S.R.E. subiectis, sed etiam vbique locorum.

Innoc. III. & Pius V. fatentur Medicos nō posse ad infirmos non cōfessos accedere.

[illegible] non sine magna animi [illegible] malitia innotuit, ea minime obseruari, sed multos adhuc ex Christianis hominibus esse, qui dum suos corporum languores illicitis mediis, & præcipue Iudæorum ac aliorum infidelium opera sanari cupiunt, veræ salutis animarum suarum, & corporum simul immemores fiūt, & quod valde dolendum est, in damnationis æternæ maximum sæpe discrimen incidunt, Medicis Iudæis, & infidelibus huiusmodi ad ipsorum curationem vocatis & adhibitis; vnde fit, vt & Iudæis, ac aliis infidelibus magna detur delinquendi occasio, & simul salutare præceptum negligatur, ab Innoc. Papa III. similiter prædecessore nostro in Concilio generali quondam emissum, & deinde à prædicto Pio V. innouatum, quod omnes Medici cum ad infirmos in lecto iacentes vocati essent, ipsos ante omnia monerent, vt idoneo confessori omnia peccata sua iuxta ritum S.R.E. confiterentur, neque tertio die vlterius visitarent nisi longius tempus infirmo confessor ob aliquam rationabilem causam, super quo eius conscientia onerabatur concessisset, & eis per fidem confessoris in scriptis factam constaret, quod infirmi peccata sua confessi fuissent.

Pont. iste approbat, & innouat dictas const. Pauli IV & Pij V.

§. 3. Idcirco nos tàm Iudæos, qui aduersus mandata huiusmodi Apost. committere audeant, quàm Christianos qui illos ad se accersunt, vel medendi licentiam concedunt, & viam ad delinquendum eisdem aperiunt, coërcere volentes, supradictas prædecessorum nostrorum constitutiones, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, confirmamus & innouamus, ac inuiolabiliter obseruari mandamus; atque hac nostra in perpetuum valitura constitutione, eisdem constitutionibus & præceptis, pro firmiori illorum obseruatione addentes, vniuersis vtriusque sexus Christifidelibus districte inhibemus, & interdicimus, ne posthac Iudæos vel alios infideles ad ipsorum Christianorum ægrotantium & infirmorum curam, vocent seu admittant, aut vocari admittive faciant, concedant, vel permittant.

Publicetur hac const. singulo anno initio Quadragef.

§. 4. Mandantes propterea omnibus & singulis venerab. fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopus & Episcopis, necnon dilectis filiis aliis locorum ordinariis, & quibusuis Parochis, aliisve animarum curam habentibus & exercen. sub indignationis nostræ, ac aliis arbitrio nostro infligendis pœnis, vt præsentes nostras literas in suis Ecclesiis, quæ in illis ciuitatibus vel diœcesi constitutæ sunt, in quibus Hebræi, vel alij infideles mōram trahunt, quamprimum ad eos perlatæ fuerint, & deinde singulis annis initio quadragesimalis ieiunij publicent aut publicari faciant.

Pœna contrafacientium.

§. 5. Et quod siquis post earum publicationem etiam quomodolibet exemptus, ac cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existens aduersus illa facere ausus fuerit, sacramenta eis Ecclesiast. nullatenus ministrentur, nec etiam à regularibus exemptis, & sic decedens, Ecclesiastica careat sepultura, quæ quidem omnia parochi ægrotantibus significare apto tempore non omittant, præsertim cum Iudæum, vel infidelem medicum ab eis admissum esse cognouerint; & alias ipsi locorum Ordinarij contra huius mandati transgressores debita animaduersione procedant, Iudæosque ipsos nihilominus iuxta Pauli & Pij Pont. prædictorum literas contra illos editas pro earum transgressione puniant.

Clauſulæ.

§. 6. Non obstant. constit. & ordinat. Apost. ac omnibus illis, quæ iidem Paulus & Pius in suis literis prædictis voluerunt non obstare; priuilegiis quoque, indultis & literis Apost. quibusuis personis etiam regularibus, priuilegiatis & exemptis, eorūve Ordinibus & congregationibus, sub quibuscumque tenoribus & formis, etiam Mari magno, seu bulla aurea nuncupata, ac cum quibusuis clausulis & decretis, in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis & innouatis, quibus omnibus etiam si de illis eorumque totis tenoribus & formis, specialis, specifica, expressa, & individua mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenore, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis haben. illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Seu si aliquibus communiter vel diuisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§. 7. Et quia difficile foret easdem præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus & declaramus, quod earum transumptis etiam impressis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbicumque habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 9. 30. Martij.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 30. Martij, 1581. Pontificatus nostri anno 9.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1581. indict. 9. die vero 5. mensis Aprilis, Pontif. Sanctiss. in Christo patris, & D.N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno 9. retroscripta litera Apostolica affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Cancell. Apost. & in acie Campi Flore, per me Petrum Aloysium Gaytam, eiusdem S.D.N. Papæ Curs.

Petrus Stoch Mag. Curs.

LXIX. De auctoritate Archiconfraternitatis B. Mariæ Virginis Confalonis de Vrbe, quoscumque Christifideles S.R.E. ditioni subiectos, piorum eleemosynis perquisitis, ab infidelium captiuitate liberandi. Duosque carceratos, in festo eiusdem B. Mariæ, & in eius honorem, anno quolibet liberandi.

Alia de hac sodalitate, dixi supra ad huius Pont. constit. 38. Pastoris.

Edita An. D. 1581. & 1583.

GREGORIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Christianorū apud infideles Captiuorum mala hic Pōt. deplorat.

CHristianæ nobiscum Religionis consortes graui captiuitatis & seruitutis iugo à Christiani nominis hostibus oppressos, durisque operibus quotidie vexatos immensa S. Matris Ecclesiæ clementia pie miseratur, eorumque afflictiones, fusis ad misericordiarum Patrem & totius consolationis Deum deuotis precibus adiuuare, atque in aliorum Christianorum memoriam, in mysticis maxime, & ad purificandas fidelium mentes sanctius institutis diebus, reuocare non intermittit. Quod clemens piæ matris officium nos quoque admonet, vt miserorum Captiuorum ærumnis succurramus, fratrumque charitatem ad idem, quantum in nobis est, excitemus; ne langescente paulatim extremis malis conflictatæ carnis infirmitate,

&

Digitized by Google

& hoste diabolo, se infirmis & verbi Dei prædicatione, sacrificiorum & sacramentorum solatio destituris eorum mentibus insinuante, desperationi succumbentes, ad susceptæ in baptismo fidei desertionem inducantur, tandemque cum nulla, siquam habebant, subsidij spes appareat, ad æternam redemptorum pretioso Domini nostri IESV CHRISTI sanguine animarum, perditionem misere perducantur.

Et ad eorum liberationē & redemptionē, qui sunt de statu Ecclesiastico.

§.1. Quare ne huiusmodi, quæ toto animo horrescimus, accidant, neve in qua re sacris rebus, & pretiosis vasis non parcitur, in qua à Deo acriter interrogamur, cur tot captiui in captiuitatem ducti sunt, nec redempti, negligentes diutius fuisse, aut quicquam pretiosius, quam animas ipsas habuisse arguamur, quando nostra & Sedis Apostol. auctoritate redimendorum Captiuorum opus in alia iamdiu loca est diffusum, illud quoque in Alma Vrbe nostra constituere decreuimus, ad quod etiam ingemiscentium captiuorum matrum, aliorumque propinquorum lamentis & lachrymis quotidie vrgemur, eorum maxime qui nostræ & dictæ Sedis temporali ditioni subiecti, vt ipsi tutelam primum, & in mari nostro Tyrrheno & Adriatico securitatem sic post vincula liberationem quoque à nobis iure suo exposcere videntur. Quibus omnibus valde ad hoc opus solicitati, cum adiumenta nobis ad illud requireremus, in dilectos filios Custodes & Cōfratres Archiconfraternitatis Gloriosiss. Virginis Mariæ Confalonis nuncupatæ de dicta Vrbe, quos huic operi præficeremus, mentem nostram intendimus; de quorum insigni Christianæ pietatis affectu confisi, qui nobis, cum ob præstitam in Ecclesiarum Archiconfraternitati prædictæ vnitarum diuino cultu & conseruando & augendo, inopibusque dotandis, & locandis puellis, necnon pauperibus, aliisque variis casibus afflictis, multos annos in Vrbe operam, tum etiam dilecti filij nostri Iulij Antonij S. Bartholomæi in Insula presbyt. Card. S. Seuerinæ nuncupati, testimonio nobis satis innotescit.

Archiconfraternitatem Confalonis deputat.

§.2. Motu igitur proprio, & ex certa scientia, necnon matura deliberatione nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, onus hoc vniuersum, quod magnum esse intelligimus, curæ & solicitudini Archiconfraternitatis prædictæ in perpetuum imponimus, ad hoc vt ipsa Archiconfraternitas illiusque Custodes & Confratres pro tempore existentes, quoscumque Christifideles dictæ Vrbis, ac Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, & locorum nostræ & dictæ Sedis temporali ditioni mediate & immediate subiectorum, vbicumque captos conquirant, ex infidelium seruitute redimant, eaque de causa omni loco dictæ ditioni nostræ, vt præfertur, subiecto, eleemosynas & oblata quæcumque quærant & accipiant, Collectores probos & ad charitatis officium exercendum propensos, ac alias ad id ab Ordinariis locorum approbatos, quotquot necessarij fuerint, seruata forma Concil. Trident. constituant; qui eleemosynas, oblationes, legata & quæcumque alia subsidia, tam in dicta Vrbe, quam in quibusuis Prouinciis, Ciuitatibus, oppidis, castris & locis ipsi ditioni, vt supra, subiectis, pro huiusmodi redemptione, & causis ad eam pertinentibus perquirant, pecuniasque inde congerendas, penes publicum mercatorem fide & facultatibus idoneum deponant, donec illæ in redemptionem captiuorum huiusmodi arbitrio ipsorum Custodum & Confratrum erogentur; ita tamen vt de aliis ipsius Archiconfraternitatis redditibus ad alios pios vsus, iuxta illius laudabilia instituta destinatis, nihil omnino detrahatur.

Hortatur Cōfratres, vt Redēptionis curā suscipiant.

§.3. Itaque Custodes & Confratres prædictos, necnon omnes vtriusque sexus Christifideles per redemptionis nostræ Sacramentum omni cordis affectu obtestamur, vt eius membris laborantibus & oppressis compati non negligant, qui pro omnibus pati ipse dignatus est, Custodes siquidem & Confratres, vt cum nostræ benedictionis gratia redemptionis captiuorum causam prompto animo suscipiant, seque ad salutem animarum in infidelium potestate periclitantium feruenter exerceant, ac tam ipsi quam alij Christifideles nascenti huic operi semper & vbique faueant; piisque largitionibus prosequantur, centuplum in æternis cœli tabernaculis fœliciter recepturi.

Ordinarij & alij fauent Confraternitati.

§.4. Insuper vniuersis singulis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, necnon Rectoribus parochialium, & aliarum, Ecclesiarum, eorumque Vicariis, ac ceteris ordinis Ecclesiastici personis secularibus, & etiã Mendicantium regularibus in quacumque dignitate Ecclesiastica constitutis ditionis prædictæ iniungimus, vt quotiescumque pro parte Custodum & Confratrum prædictorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti, laudabile hoc opus per se vel alium seu alios, etiam adhibitis veri i. Dei Concionatoribus, in suis quisque Ecclesiis, plateis, & locis, & vbicumque opus erit, omnibus Christifidelibus publicent atque denuncient, ipsosque ad illud omni studio & charitate ad eleemosynas, oblationes, & legata prædicta certatim conferendo, omni studio & charitate accendant, vt miseris & afflictis captiuis, quorum animarum periculum imminet, copiosius succurratur.

Facultas Societatis condendi statuta, &c.

§.5. Ceterum vt pium hoc opus salubribus institutis directum, felicia in dies suscipiat incrementa, Custodibus & Confratribus prædictis licentiam tribuimus, vt ad faustum & incolumem statum ipsius operis rite atque ordine constituendum, quæcumque statuta, ordinationes, & decreta licita & honesta, sacrisque canonibus, Conciliique Tridentini decretis non contraria, & à nostro in Vrbe in spiritualibus Vicario approbanda condere, ac condita, quotiescumque opus erit, mutare & corrigere, & etiam omnino vel in parte abrogare, aliaque vt præfertur approbanda de nouo edere, ac cetera gerere, exequi, & exercere quæ in præmissis necessaria fuerint quomodocumque & opportuna.

Clausulæ præseruatiua, & Decretum irritans.

§.6. Decernentes præsentes, ac omnia in eis contenta perpetuo inuiolata consistere. Sicque per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos etiam causarum Palarij Apostolici Auditores, Sanctæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, vbique iudicari & definiri debere, necnon irritum & inane quicquid contra illas per quoscumque scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§.7. Quocirca Venerabilibus fratribus nostris Hostien. & Bononien. ac Perusin. Episcopis per Apostolica scripta Motu simili mandamus, vt ipsi vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Custodum ac Confratrum præfatorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes; eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra ipsas literas, & in eis contenta quæcumque, ab omnibus semper & vbique firmiter obseruari, ac Custodes, Confratres, Collectores prædictos; ceterosque omnes, quos literæ ipsæ concernunt illis pacifice frui & gaudere; non permittens quemquam ipsorum desuper quomodolibet molestari, Contradictores quoslibet & rebelles per censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis seruatis processibus, censuras & pœnas ipsas etiam sæpius aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausulæ derogatoriæ.

§.8. Non obstant. fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, aliisque Apostolicis constitutionibus, Conciliis quoque vniuersalibus, etiam facultatum quæstuandi reuocatoriis, necnon prohibitionibus desuper factis, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, piorum locorum, Collegiorum, & aliarum Confraternitatum, necnon Sanctiss. Trinitatis Redemptionis captiuorum & B. Mariæ de Mercede, aliorumque Ordinum quorumcumque iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, illis eorumque Superioribus & personis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere vel in specie, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumque Principũ instantiam, aut etiam motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, & alias quomodolibet

Digitized by Google

conceſſis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, indiuidua, & ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam expreſſam, & ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Fides tranſumptorum.

§.9. Volumus autem, vt earumdem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel dictæ Archiconfraternitatis munitis, manuque eiuſdem Archiconfraternitatis, vel alterius Notarij publici ſubſcripris, eadem prorſus fides vbique in iudicio & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. A. 11. 28. Maij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, 1581. 5. Kal. Iun.

Sequitur Indultum liberandi carceratos, de quo in rubr.

Edita An. D. 1583.

GREGORIVS PAPA XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Iul. III. anno 1. ſui Pont. indultum dedit liberandi vnũ carceratum.

§. 10. CVm alias fel. record. Iulius Papa III. prædeceſſor noſter dilectis filiis Cuſtodibus & Confratribus Archiconfraternitatis Confalonis de Vrbe, vt ad laudem & honorem B. Mariæ ſemper Virginis in eius Aſſumptionis feſto vnum carceribus detentum etiam ſi talis vltimo ſupplicio plectendus veniret ad illorum electionem annis ſingulis extrahere, & liberare valerent, indulſerit.

Pius IV. anno etiã ſui Pont. 1. illud confirmauit.

§.11. Et deinde piæ mem. Pius Papa IV. etiam prædeceſſor noſter, vt huiuſmodi indultum maiorem obtineret roboris firmitatem, illud, ac in eo contenta quæcumque approbauerit, & confirmauerit, ac perpetuæ firmitatis robur adiecerit, necnon quatenus opus eſſet Cuſtodibus & Confratribus prædictis ea omnia de nouo conceſſerit, provt in ſupplicationibus motu proprio eorumdem prædeceſſorum ſignatis, quorum ſolam ſignaturam ipſi Iulius & Pius prædeceſſores ſufficere reſpectiue voluerunt, plenius continetur.

Sed has bullas conſulto prætermiſi.

Hic Põt. dedit auctoritatem redimendi captiuos vt in præmiſſa conſtit.

§.12. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte Cuſtodum & Confratrum prædictorum petitio continebat, licet ipſi in poſſeſſione excarcerandi, & liberandi huiuſmodi abinde circa fuerint & ſint, ac eleemoſynam, quam liberandus huiuſmodi ipſi Archiconfraternitati offerre & dare vellet, in eiuſdem Archiconfraternitatis vſus conuertere poſſint, tamen quia nuper nos per quaſdam noſtras ſub plumbo expeditas literas onus vniuerſum, quod magnum eſſe intelleximus, redimendi captiuos curæ & ſolicitudini dictæ Archiconfraternitatis in perpetuum motu proprio impoſuimus, &c. vt ſup.

Modo hic idẽ Põt. pro huius operis ſubuentione.

§.13. Volentes ipſi Cuſtodes & Confratres, totoque cordis affectu exoptantes, onus huiuſmodi eis per nos impoſitum, quod libenter acceptarunt, iuxta noſtram voluntatem & dictas literas exequi, & totali executioni nunc & in omnibus redimendi dictos captiuos occurrentibus neceſſitatibus demandare; ſed cum ad id faciendum quamplurimum Chriſtifidelium eleemoſynæ ſint neceſſariæ, & ipſi ſperent, ex nunc in carceribus dictæ Vrbis detentis, & pro tempore detinendis aliquam eleemoſynam habere, & illam in redimendos captiuos præfatos conuertere parati ſint, ſi in eis non ſolum vnum, ſed duos carceratos, & pro quocumque crimine, (præter quam læſæ Maieſtatis, & aſſaſſinij, ac propinati veneni, necnon falſificationis literarum, ſupplicationum, commiſſionum, & aliarum gratiarum Apoſtolicarum, vel monetæ) in dictis carceribus exiſtentes, & ad triremes, ac etiam vltimo ſupplicio condemnatos liberandi quolibet anno in perpetuum eis, ac dictæ eorum Archiconfraternitati licentia & auctoritas per nos concedantur.

Indultũ liberãdi duos carceratos, recepta ab eis aliqua eleemoſyna, concedit.

§.14. Nos Cuſtodes & Confratres huiuſmodi, in præmiſſis tam ſanctis & laudabilibus operibus confouere, ac eos, & ipſam Archiconfraternitatem amplioribus fauoribus & gratiis proſequi volentes, motu ſimili, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, præmiſſa in dictis ſupplicationibus motu proprio contenta, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illiſque noſtrum, & dictæ Sedis firmitatis perpetuæ robur adiicimus, ac ea omnia, & ſingula, ad hoc vt ipſi Cuſtodes, & Confratres, quolibet anno perpetuis futuris temporibus non ſolum vnum, ſed duos carceratos, & pro quocumque crimine, & delicto quantumcumque graui & enormi, (ſupradictis exceptis) in dictis carceribus detentos, & detinendos, & ad triremes, & etiam vltimo ſupplicio condemnatos, & condemnandos, in vigilia dicti feſti excarcerare, liberare, & abſoluere, libere & licite valeant, qui eo ipſo abſoluti ſint, & eſſe cenſeantur à quibuſuis aliis criminibus (præterquam prædictis exceptis,) auctoritate, & tenore prædictis etiam perpetuo harum ſerie extendimus, & ampliamus, ac eis, & d. Archiconfraternitati ſimiliter perpetuo concedimus, plenamque & liberam ſemper licentiam & facultatem impartimur.

Officiales omnes illud obſeruent.

§.15. Mandantes dilectis filiis, dictæ Vrbis Gubernatori, Senatori, Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, & Vicario, aliiſque Iudicibus, & Carcerum Cuſtodibus, nunc & pro tempore exiſtentibus, ac eorum cuilibet, quatenus viſis præſentibus, omni mora & dilatione & excuſatione poſtpoſitis, eiſdem præſentibus pareant, & obediant, ac illas obſeruent, & obſeruari faciant realiter & cum effectu.

Quibuſcumque non obſtantibus.

§.16. Non obſtantib. præmiſſis, ac omnibus illis, quæ dicti prædeceſſores noſtri in eiſdem motu proprio, & ſupplicationibus motu proprio, voluerunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 26. Iulij, 1583. Pontificatus noſtri anno 12.

D. P. An. 12. 26. Iulij.

De Iudæorum, aut Infidelium flagitiis, in quæ, hæreticæ prauitatis Inquiſitores animaduertere poſſunt. LXX.

Ad hoc facit conſt. 1. Nicol. IV. ſup. Turbato. *Et de materia Iudæorum notaui ſup. in Paul. IV. conſt. 3.* Cum nimis.

Inquiſitorum vero generalium auctoritatem, vide inf. in Sixt. V. conſt. 74. *Immenſa.* in prima Congreg. cum ibi indicatis.

Edita An. D. 1581.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Iudæi qui pro eorum conuerſione in gremio S. R. E. recipiuntur, andẽt in Religionem Chriſtianam multa nefanda cõmittere.

ANtiqua Iudæorum improbitas, qua diuinæ bonitati ſemper reſtiterunt, tanto execratior conſiſtit filiis, quanto ipſi ad cumulandam patrum ſuorum menſuram in Dei filio repudiando, eiuſque in mortem nefarie conſpirando, grauius deliquerunt, qui propterea ſuis effecti maioribus nequiores, propriis ſedibus expulſi, atque in omnes diſperſi orbis terrarum regiones, ſeruitutique perpetuæ mancipati, non maiorem in cuiuſquam ditione clementiam, quam in Chriſtianorum Prouinciis, maxime vero in Apoſtolicæ pietatis gremio inuenerunt; quæ pro eorum conuerſione laborans, eos miſericorditer excepit, atque in cohabitatione vna cum filiis ſuis ſuſtinuit, ad veritatiſque lumen allicere pio ſemper ſtudio conata eſt, rebuſque ad vitam neceſſariis iuuit, iniuriis & contumeliis prohibuit, multis denique beneficentiæ ſuæ priuilegiis circummuniuit; illi vero nullis beneficiis manſuefacti, nihilque de ſuo priſtino ſcelere remittentes, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum

in

Digitized by Google

in cœlo triumphantem adhuc in ſynagogis ſuis, & vbique perſequuntur. Chriſti quoque membris infenſiſſimi non deſinunt in Religionem Chriſtianam horrenda facinora quotidie magis audere.

Hîc ideo Pōt. decernit quod Iudæus & infidelis, negans quæ cōmunia habet circa fidem cū Chriſtianis.

§.1. Quibus nos, ne pietatis noſtræ puritas polluatur, aut à fœdis mancipiis Chriſto, Chriſtianorumve nomini impune illudatur, obuiare volentes, Statuimus, ac etiam declaramus, Inquiſitores hæreticæ prauitatis libere procedere poſſe in omnibus cauſis, & caſibus, qui ſequuntur.

§.2. Si quis Iudæus, aut infidelis, in iis quæ circa fidem cum illis nobis ſunt communia, veluti Deum vnum, & æternum, omnipotentem, creatorem omnium, viſibilium & inuiſibilium, & ſimilia, non eſſe aſſeruerit, prædicauerit, vel priuatim alicui inſinuauerit.

Dæmones inuocāt, & illis immolans.

§.3. Si dæmones inuocauerit, conſulueritve, aut eorum reſponſa acceperit, ad illoſve ſacrificia, aut preces ob diuinationem, aliamvē cauſam direxerit, aut quid eis immolauerit, vel thuris alteriuſve rei fumigationes obtulerit, aut alia quæuis impietatis obſequia præſtiterit.

Chriſtianos nefaria illa docens.

§.4. Si Chriſtianos verbo, facto, vel exemplo, aut alio quouis modo nefaria huiuſmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit, aut perducere attentauerit.

Blaſphemiaſque circa Chriſtum & eius Matrem proferens.

§.5. Si Saluatorem, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum purum hominem, vel etiam peccatorem fuiſſe, Matremve Dei non eſſe Virginem, & alias huiuſmodi, blaſphemias, quæ per ſe hæreticæ dici ſolent, in Chriſtianæ fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impie protulerit.

Chriſtianos à fide deuians.

§.6. Si cuiuſuis eorum opera, auxilio, conſilio, vel fauore aliquis Chriſtianus à fide deſciuerit, quamque ſemel ſuſceperat abnegauerit, vel ad Iudæorum ſeu aliorum infidelium ritus, cæremonias, ſuperſtitiones, vel impias ſectas tranſierit, vel redierit, ſeu in hæreſim aliquam inciderit, aut qui, vt Chriſti fidem abneget, ſeu in hæreſim incidat, opem, conſilium, auxilium, vel fauorem quomodocumque præſtiterit.

Infideles ad fidem Chriſti tranſire impediens.

§.7. Si quis Catechumenum vel quemcumque ex Iudæis, aut infidelibus Deo inſpirāte ad fidem Chriſtianam venire volentem, poſt declaratam nutu, verbo, facto, aut quocumque alio modo eius voluntatem, à fide, vel fidei inſtructione, aut à ſacri baptiſmi ſuſceptione retrahere, auertere, vel dehortari, aut ne ad fidem veniat, neve regenerationis lauacro abluatur, quouis modo impediuerit.

Hæreticos ſcienter receptan, vel auxilians.

§.8. Si quis apoſtatas, hæreticoſve ſcienter domi ſuæ acceptauerit, aluerit, commeatu iuuerit, ſeu quouis modo eis cibaria vbicumque præbuerit, aut dona, vel munera dederit, vel miſerit, aut de loco ad locum deduxerit, ſeu aſſociauerit, vel deducendos ſeu aſſociandos curauerit, aut ſumptus miniſtrauerit, duces, comiteſve illis adiunxerit, vel ne ab eis perpetrata deprenendi, aut inueſtigari queant, fecerit. Quique dictos apoſtatas, aut hæreticos ſcienter aliquo modo receptauerit, occultauerit, defenderit, aut eis opem, conſilium, auxilium, vel fauorem quomodolibet præſtiterit.

Libros prohibitos retinens.

§.9. Si libros hæreticos, vel thalmudicos, aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos, aut alias prohibitos tenuerit, cuſtodierit, vel diuulgauerit, vel in quæcumque loca detulerit, aut ad eam rem operam ſuam accommodauerit.

Hoſtiã Altaris deſpiciens, aut Crucem deridans, &c.

§.10. Si Chriſtianos deriſerit, redemptioniſque noſtræ hoſtiam ſalutarem in ara crucis immolatam, Chriſtum Dominum ludibrio & deſpectui habens, quandocumque, maxime vero in ſacro paraſceues die agnum, ſiue ouem, aut quid aliud cruci affixerit, aut appenderit, in eamve conſpuerit, ſeu quodcumque contra ipſam fecerit.

Nutrices Chriſtianas habens ſine vas cogens lac in latrinas effundere.

§.11. Si nutrices Chriſtianas contra ſacrorum Canonum ſtatuta, diuerſorumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum ſanctiones adhuc retinuerit, aut eas retinens die, qua ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, lac, vno, vel pluribus diebus in latrinas, cloacas, vel alia loca effundere coëgerit.

Conſonat Innocent. IV. conſt. 2. Ab Inquiſitoribus coërceatur, vt hic.

§.12. In quibus caſibus, vbiuerſis & ſingulis omnes prædictæ prauitatis Inquiſitores omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum vniuerſi orbis Chriſtiani Iudices in ſuis quemque locis perpetuo delegamus, vt ſuper his contra Iudæos, atque infideles quoſcumque, ſimul vel ſeparatim, provt in cauſis fidei iuxta ſacrorum canonum formam, necnon officij Inquiſitionis huiuſmodi conſtitutiones, diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo vel aliquibus horum flagitiorum exceſſibus culpabiles reperierint, in eos pro culpæ modo, ac etiam pro criminum numero, vel multiplicatione, aut conſuetudine delinquendi, flagra, remigia, etiam perpetua, rerum quoque publicationes, exilia, aliaque atrociora decernant, & alias de eis exempla edant, quæ ſceleratos illos deterreant ab huiuſmodi flagitiis in poſterum admittendis.

Præceptum publicandi hanc conſtit.

§.13. Nos enim venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Inquiſitoribus generalibus, necnon Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Prælatis, ac etiam aliis prædictis Inquiſitoribus in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipimus & mandamus, vt præſentes noſtras literas in Ciuitatibus, & locis cuique ſubiectis publicare, & iuxta illarum tenorem procedere, ipſaſque debitæ executioni mandare procurent.

Decretum irritans.

§.14. Decernentes irritum, & inane quicquid ſecus per quoſcumque, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula derogat.

§.15. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon exemptionibus, priuilegiis, immunitatibus, commeatibus, in fidem publicam receptionibus, & tolerantiis, prædictis Iudæis, & aliis infidelibus, Maranis, & Apoſtatis, tam in Dominiis, Terris, & locis noſtris, & Sedi Apoſtolicæ, mediate vel immediate ſubiectis, quam alibi vbicumque Regnorum, Prouinciarum, & Dominiorum, gentium, & locorum commorantibus, vel in ea ex quibuſuis Regnis & partibus, tam fidelium quam infidelium confluentibus, eorumque Iudicibus, Aduocatis, & defenſoribus, quacumque auctoritate, poteſtate, & dignitate fungantur, etiam ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & quorumuis aliorum Principum tam per fel. rec. Paulum III. Decimo Kal. Martij, & Iulium etiam III. Non. Decembris, Tertio anno ſui cuiuſque Pontificatus, quam etiam quoſcumque alios anteriores & poſteriores Romanos Pontifices, ac nos, & Sedem Apoſtolicam, eiuſque Legatos, ac etiam Cameram Apoſtolicam, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis, etiam Motu proprio, & alias quomodocumque hactenus conceſſis, confirmatis, & innouatis, atque in poſterum concedendis, confirmandis, & innouandis, quæ omnia, etiam ſi de illis, illorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua mentio, aut aliqua alia forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, acſi ad verbum inſererentur præſentibus pro plene expreſſis habentes, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe reuocamus, abrogamus, & omnino abolemus; ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Iuſſio publ. & exemplis credendi.

§.16. Volumus autem præſentes in locis Vrbis conſuetis de more publicari, & earum exemplis impreſſis, manu Notarij publici, & ſigillo Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eamdem prorſus fidem vbique tam in iudicio, quam extra illud adhiberi, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino, &c.

Dat. P. A. 10. 1. Iunij.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1581. Kalend. Iunij, Pontificatus noſtri anno 10.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1581. indict. 9. die vero 10. menſis Iunij, Pontif. Sanctiſſ. in Chriſto patris, & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno 10. retroſcripta literæ Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Eccleſiæ S. Io. Lateranen. Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi

Digitized by Google

Flore, ac etiam ad valuas ſepti Hebræorum, per nos Petrum Aloyſium Gaytam, & Nicolaum Taglietum Apoſtolicos Curſores.

Ant. Ludouicus Mag. Curſ.

LXXI. Furnarij Vrbis, pro pretio Panis, in cauſis diſcuſſionum, ceteris aliis creditoribus præferantur. Et omnes Iudices Vrbis, in eorum litibus, manu regia procedere poſſint.

Hæc priuilegia confirmantur & extenduntur à Sixt. V. inf. in ſua conſt. 36. Cœleſtis. *vbi notabo. Et quoad prælationem in diſcuſſione ſeu concurſu creditorum, vide ſup. conſt. 15. Pij V.* Sanctiſſimus. *& quæ tibi illic indicaui.*

Edita An. D. 1581.

GREGORIVS PAPA XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Cauſa conſt.

CVm ſicut accepimus, dilecti filij Piſtores Almæ Vrbis noſtræ, vt plurimum, panem & furfur in eorum apothecis pro tempore exiſtentia, diuerſis perſonis dictæ Vrbis incolis ad credentiam, vt vocant, dare ſoliti ſint, & pro illorum pecuniis inde recuperandis, tam ab ipſis perſonis quam etiam defunctarum perſonarum huiuſmodi hæredibus lites ſuſcipere, & iudicia mouere, non ſine maximis eorum impenſis & laboribus cogantur; ac etiam ſæpe contingat, vt ipſis perſonis decoctis, ſiue defunctis, eorum bonorum & hæreditatum diſcuſſione facta, bona, ſeu hæreditates ipſæ ad omnia eorum debita ſatisfacien. minime ſufficiant; ipſique piſtores, quamuis eorum panes inter res cibarias fere præcipuum, & magis neceſſarium locum obtineant, & iuxta conſtitutionem fel. rec. Pij Papæ V. prædeceſſoris noſtri ſuper ordine in ſatisfactione creditorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & aliorum Romanæ Curiæ Prælatorum ſeruando editam, in priori cauſa connumerari videantur, tamen ſæpe tamquam vigore dictæ conſtitutionis in prima cauſa huiuſmodi minime comprehendi, ſed vt poſteriores eorumdem bonorum, ſeu hæreditatum creditores eorum creditis fruſtrati remaneant, in maximum eorum qui granum à Camera Apoſtolica per eos pro tempore acceptum, via executiua, & manu regia ſoluere coguntur, damnum & præiudicium. Vnde quamplures ex ipſis Piſtoribus eorum creditis ſic fruſtrati, & aliena fide decepti, & deterioris conditionis effecti, eorum Piſtoris artem deſerere, ac etiam aliquando ab eadem Vrbe, ne pro debitis ſuis exoluendis in carcerem detrudantur, & in eo marceſcant, recedere coguntur.

Furnarij Vrbis in cauſis diſcuſſionũ ceteris etiam creditoribus præferri debent.

§. 1. Nos igitur pro noſtri paſtoralis officij debito in præmiſſis opportune prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, modernis, & pro tempore exiſtentibus dictæ Vrbis Piſtoribus, vt de cetero perpetuis futuris temporibus, in omnibus & ſingulis bonorum, & hæreditatum quarumuis perſonarum, etiam cuiuſcumque dignitatis, gradus, & conditionis, exiſtentium, coram quibuſuis Iudicibus dictæ Vrbis, tam ordinariis quam delegatis & ſubdelegatis, pro tempore faciendis diſcuſſionibus, etſi earumdem perſonarum potiores, & priores creditores non fuerint, in priori & potiori loco, ſiue gradu, primaque cauſa in eadem conſtitutione contenta, nempe pro pane tantum haberi, & teneri debeant, ceteriſque aliis perſonis ratione tantum pecuniarum eis occaſione panis debitarum in ſimilibus cauſis diſcuſſionis præferri poſſint, & debeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus & indulgemus.

Omneſq; Iudices Vrbis in eorum cauſis manu Regia procedere poſſunt.

§. 2. Et inſuper pro minori eorumdem Piſtorum diſpendio, in omnibus & ſingulis eorum cauſis, litibus, controuerſiis, & differentiis, occaſione panis huiuſmodi de cetero mouendis, illarum omnium Iudices quoſcumque dictæ Vrbis, prout etiam in literis piæ mem. Iulij Papæ III. etiam prædeceſſoris noſtri confirmationis ſtatutorum, ac ampliationis iuriſdictionem & priuilegiorum eiuſdem artis, quas, quatenus opus ſit, innouamus & confirmamus, cum facultate illas, omnes & ſingulas ſummarie ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura iudicij, manuque Regia, ac ſola facti veritate inſpecta, & prout exactione pecuniarum pretij grani eiſdem Piſtoribus ab officialibus eiuſdem Cameræ Apoſtolicæ pro tempore dati, contra eoſdem Piſtores procedi ſolet, audiendi, recognoſcendi, decidendi, finemque debito terminandi, necnon citandi, & in forma inhibendi, omnibuſque aliis facultatibus neceſſariis & opportunis, ſimiliter perpetuo conſtituimus, & deputamus.

Clauſ. derog.

§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Vrbis ſtatutis & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſuis dictæ Vrbis iudicibus, ordinariis & extraordinariis, ac delegatis, & quibuſuis aliis perſonis, & locis etiam piis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam motu ſimili, & conſiſtorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam ſi de illis ſpecialis mentio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides tranſumptorum.

§. 4. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, & manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ſi præſentes literæ oſtenſæ forent.

D. P. An. 10. 13 Nouemb.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 13. Nouembris, 1581. Pontificatus noſtri anno 10.

LXXII. Hortatio ad Chriſtifideles, ad ſubueniendum pauperibus Collegij Anglicani Rhemis, & ceteris Anglis pro Fide Catholica diſperſis.

Hic idem Pontifex iam in Vrbe inſtituit Collegium, pro Catholicis Anglis, ac introitus, & redditus annuos perpetuos aſſignauit, & priuilegia conceſſit, vt ſup. in eius conſt. 53. Quoniam. *Et ſimilem adhortationem fecit etiam Sixt. V. vt inf. in eius conſt. 39.* Afflictæ.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Vniuerſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Edita An. D. 1582.

OMnipotens Deus, qui immenſæ miſericordiæ ſuæ effectus ſine vllo adiutore explere poteſt, plerumque miſerorum laboribus per homines ſubuenit, omniumque Dominus ſeruis pietatis officia præſtantibus, ampliora præmia pollicetur. Quæ tanta cœleſtis Patris benignitas infirmitatis noſtræ ſtudia maxime accendere debet ad bene de calamitoſis merendum, vt & nos de tali dignatione, quam poſſumus ei gratiam referamus, & oppreſſorum ſubleuentur anguſtiæ, eorum præſertim qui propter Chriſtum tribulationes patiuntur.

Exordium.

Collegij Anglicani euerſio.

§. 1. Cum igitur ad Collegium Anglicanum, quod Rhemis eſt, ex Anglia, & aliis finitimis regionibus, hæreticorum furore electi, & veluti è ſæuientis tempeſtatis turbine naufragi, à diriſque teterrimæ mortis erepti cruciatibus, ad propriorem, & tutiorem quaſi portum quotidie plures, (aliis per Galliæ, atque Italiæ, & alias Chriſtiani orbis partes diſperſis, (ſe recipiant. Cumque creſcente, ob graſſantem in dies magis peſtem, exulum numero vitæ præſidium, quod Collegio prædicto à nobis comparatum eſt, quodque ei pro Anglorum prædictorum neceſſitatibus quotidie ſuppeditamus, minime

ſatis

Digitized by Google

satis sit ad tantam multitudinem sustentandam: nosque, quibus multis, & diuersis huiusmodi piis locis subueniendum est, & ad quos pauperes vndique confugiunt, integros illi sumptus (vt expediret, & certe esset in optatis) subministrare nequeamus, intimo tangimur dolore cordis, nationemque illam, tanta quondam pietate insignem Sedi Apostolicæ gratissimam, ex prima pietatis tranquillitate in tam turbulentam seditionem incidisse, cruentæque impiorum sæuitiæ esse obiectam vehementer excruciamur. Quam quanto fortiùs in fidei fundamento, & Dei gratia nitentes perferunt, militiamque Christi, cui se obligarunt, tot periculis propositis præsentiori tolerant animo, tanto magis paternum & misericordem nostræ in se prouocant solicitudinis affectum.

Hortatio ad Christifideles ad illi subueniendum.

§.2. Quare Deum in primis humiliter precati, vt illis ad calamitates tot & tantas perferendas, atque etiam superandas auxilio esse dignetur; omnes Christifideles, quantum possumus, in Domino hortamur, & per viscera misericordiæ Dei obsecramus, vt promissam à Domino nostro IESV CHRISTO misericordibus benedictionem, quæ ipsa est misericordia, memoria repetentes, afflictorumque Anglorum miserias sibi ante oculos ponentes, ministri Dei in pietatis opere effecti, eos, vel deputatos ab eisdem, præsentes literas, vel earum autentica exempla ostensuros largis, vt quisque poterit, hac sæuiente persequutione adiuuent eleemosynis, Christumque in afflictis, & rerum omnium inopia confectis pro Christo fratribus suscipiant. Mandantes vniuersis & singulis Ecclesiarum Prælatis, eorumque Vicariis, necnon Rectoribus, & verbi Dei Prædicatoribus, ceteriisque omnibus personis Ecclesiasticis, vt ea in suis quisque locis & Ecclesiis, etiam in ipsis concionibus, populo promulgari (fraude & lucro cessantibus) faciant, & permittant; vnamque vel plures probatæ fidei personas, non tamen quæstores, pro quærendis, recipiendis, & ipsis Anglis, seu Deputatis integre consignandis eleemosynis huiusmodi statuant.

Alia hortatio ad Principes.

§.3. Quin etiam chariſſimos in Christo filios Imperatorem, ceteroſque orbis Christiani Reges, & Principes rogamus, vt pro sua in Deum pietate, & propensa in pauperes egenos, præsertim pro fide Catholica laborantes, benignitate, facultate illis à Deo miseris subueniendi elargita, pietatis studia exerceant, eorumque in quibus tanta adiuuante Domino, elucet Christianæ Religionis perseuerantia, tantum viget veræ pietatis exemplum, egestatem subleuent, & quibuscumque potuerint fauoribus prosequantur. Scituri quicumque illis misericordiam fecerint, sese à Redemptore nostro IESV CHRISTO, cuius certa sunt promissa, retributionis præmium in æterna Cœlestis regni beatitudine percepturos.

Fides transumptorum.

§.4. Quia verò præsentes ad omnia loca, quibus illis opus esset deferri nequeunt, decernimus vt illarum transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ eisdem originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 10. 11. Ianuarij.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1582. 12. Kal. Februarij, Pontificatus nostri anno 10.

LXXIII. Quomodo permittatur Ordini Fratrum S. Antonij Viennen. pro eorum Hospitalibus eleemosynas colligere.

Consonat Concilium Trident. sess. 21. cap. 9. & const. Pij IV. num. 100. Ex debito. *sup. Et ista constitutio confirmata fuit à Clement. VIII. die 15. Octobris sui Pontificatus anno sexto, quam vti simpliciter confirmatoriam prætermisi, vna cum huius Gregor. constit. edita die 19. Augusti Pont. sui anno 6. quia hæc plenior est, illamque superfluam reddit.*

Cetera de hoc Ordine dixi sup. in const. 5. Bonif. VIII. *In dispositione.*

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1582.

Exordium.

ROmani Pontificis prouidentia circumspecta, dum in singulis Monasteriis & aliis Regularibus locis cogitare impellitur, ad illa vel in primis mentis suæ aciem dirigit, quæ ex eorum instituto languidorum, & aliarum miserabilium personarum hospitalitati obnoxia congrue subuentionis auxilio indigere dignoscuntur.

Concil. Trid. quæstus prohibuit, sed nõ eleemosynas, colligi vetuit in cap. 9. sess. 21.

§.1. Sane licet Sacrum Concilium Tridentinum, propter prauos, eleemosynarum quæstorum abusus, eorum nomen atque vsum penitus aboleuerit, neque ipsos ad officium huiusmodi exercendum vllo modo admitti voluerit, attamen noluit vt eleemosynarum hospitalibus in quibus hospitalitas actu exercetur, ad eorum sustentationem à deuotis Christifidelibus erogari solitarum, perquisitio atque collectio ab honestis personis honestoque modo facta prohiberetur.

Hic ideo Pont. declarat licere Ord. S. Antonij eleemosynas certo modo colligere.

§.2. Quocirca ne hoc prætextu Monasterium ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens S. Antonij de S. Antonio Ordinis S. Augustini Viennen. diœc. illiusque hospitalia & domus per orbem Christianum longe lateque dispersa, ad quæ (sicut dilecti filij Abbas & Conuentus dicti Monasterij nobis nuper exponi fecerunt) miserabiles illæ personæ horrendo sacri ignis cruciatu correptæ, recursum habere, ibique recipi atque curari & sustentari solent, & in quibus Hospitalitas seruatur, piis Christifidelium eleemosynis sine quibus hospitalitas huiusmodi exerceri, & alia onera illis incumbentia supportari nequeunt destituta remaneant, paterna charitate prouidere, eorumque indemnitati consulere volentes, ipsorum Abbatis & Conuentus supplicationibus in hac parte inclinati; eisdem Abbati & Conuentui, necnon dilectis filiis Præceptoribus, Administratoribus, & aliis Religiosis Hospitalium dicti Monasterij in quibus hospitalitas actu exercetur, vt petita & obtenta in primis ab Ordinarii s locorum annis singulis in scriptis licentia, quam ip si Ordinarij omnino gratis dare debeant, eleemosynas, & quæcumque alia charitatis subsidia per personas honestæ vitæ ad id ab ipso Abbate seu aliis dictæ Religionis superioribus pro tempore deputatas, pro vsu eius hospitalis S. Antonij, in quo hospitalitas actu exercetur, simulque existit intra fines illius Ciuitatis vel diœc. in qua eleemosynæ perquirantur, aut eiusmodi est in quo curari soleant pauperes omnes eo morbo laborantes, qui ex tota illa diœc. abducuntur perquirere & colligere, illaque recipere & leuare libere & licite valeant, dummodo huiusmodi eleemosynæ conuertantur dumtaxat in vsus pauperum infirmorum & ministrorum deseruientium hospitalibus quæ in illa diœc. sunt aut in quibus curari solent pauperes illius diœc. in qua eleemosynæ colliguntur, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo concedimus & indulgemus, ipsosque per dictos Ordinarios seu eorum Vicarios in spiritualibus Generales aut Officiales, necnon fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Cruciatæ Sanctæ, ac Neapolitan. & aliarum Redemptionis captiuorum societatem deputatos, vel quoscumque alios nullatenus perturbari impediri vel inquietari, minusque sub nomine Religionis S. Antonij huiusmodi ab aliis quam personis, vt præfertur deputatis eleemosynas ipsas perquiri & colligi, vel eiusdem religionis insignia circumferri quocumque prætextu posse.

Ordinariisque publicationem & executionē huius bullæ committit.

§.3. Et nihilominus vniuersis & singulis Venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filiis eorum in spiritualibus Vicariis Generalibus atque Officialibus, necnon Abbatibus, Prioribus & aliis Ecclesiarum Prælatis, in virtute sanctæ obedientiæ per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi omnes & singuli per se vel alium seu alios, præsentes literas & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Abbatis & Conuentus necnon Præceptorum, Administratorum, Religiosorum & personarum vt præfertur deputatarum huiusmodi

Digitized by Google

modi seu alicuius eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi ab omnibus ad quos spectat aut spectabit quomodolibet in futurum inuiolabiliter obseruari, ipsosque Abbatem, Conuentum, Præceptores, Administratores, religiosos & personas vt præfertur depuratas illis pacifice frui & gaudere. Non permittentes eos vel aliquem ipsorum desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, inquietari vel impediri. Contradictores quoslibet ac rebelles, per pœnas etiam pecuniarias eorum arbitrio infligendas & applicandas, ac denique per sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis, seruatis processibus, sententias, censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, ac in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, aliisque Apostolicis, in Prouincialibus & synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Eleemosynas colligendi formam præscribit.

§.5. Volumus autem quod personæ vt præfertur deputatæ, quæstorum nomen nullo modo gerant, sed simpliciter eleemosynarum collectores nuncupentur, & propter hanc operam, eleemosynarum huiusmodi participes non sint, atque hoc munere citra vllum dolum & cum omni modestia fungantur, quodque ad stabula pro benedictionibus super animalia faciendis accedere, easque sigillare, & aliqua sigilla & præter præsentes seu earum transumpta alia priuilegia necnon instrumenta quædam quæstorum insignia, reliquias, chartas, imagines acus & alia his similia ad excitandas personas circumferre, indulgentias publicare, aut per se vel alium prædicare, fideles ad eleemosynas sibi erogandas minis aut imprecationibus inducere, aut tamquam debitas, vel solitas, seu aliqua arte etiam prætextu dicendi orationem S. Antonij extorquere, vel super locis vllam quouis nomine conuentionem etiam in vtilitatem Monasterij, Præceptoriarum, Hospitalium & domorum huiusmodi facere nullo modo præsumant, sed simpliciter, pie & modeste vnica dumtaxat campanella pulsata (cuius vsus soli religioni prædictæ à Sede Apostolica concessus fuisse perhibetur) eleemosynas pro subuentione Hospitalium & domorum huiusmodi petendo accipiant tantum quod sibi offeretur.

Eam non obseruantes punire iubet.

§.6. Ceterum prædicti Ordinarij diligenter animaduertant vt hæc omnia præcisè obseruentur, atque non solum ad delationem aliorum sed ex suo mero officio inquirant si qua fraus præsertim aduersus leges eis præscriptas huiusmodi committatur ab ipsis Collectoribus; quos si vere reos comperierint pro modo culpæ arbitrio suo puniant, eosque statim à collectione amoueant, atque alios, qui boni & idonei sint, ab eisdem Superioribus suffici curent. Et quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca in quibus de illis fides facienda erit transmittere.

Transumptis vbi maiorem.

§.7. Volumus & similiter dicta auctoritate decernimus, quod earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, ea prorsus vbique, etiam in iudicio fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. A. 10. 1. Febr.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 1. Februarij, 1582. Pontificatus nostri anno decimo.

Calendarij nuper restituti pro Festiuitatibus S. R. E. suo tempore celebrandis, diuinisque itidem officiis recitandis approbatio, & veteris Calendarij abolitio. LXXIV.

Addenda sunt Calendario, aliæ festiuitates à successoribus Pontificibus adscriptæ, quæ infra suo loco ponentur, & in indice materiarum requires.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1582.*

Exordium.

INter grauissimas pastoralis officij nostri curas, ea postrema non est, vt quæ à sacro Tridentino Concilio Sedi Apostolicæ reseruata sunt, illa ad finem optatum, Deo adiutore, perducantur.

Conc. Trid. remisit Pont. curã restituendi Breuiarii in sess. 25. Propensi.

§.1. Sane eiusdem Concilij Patres, cum ad reliquam cogitationem, Breuiarij quoque curam adiungerent, tempore tamen excluſi, rem totam ex ipsius Concilij decreto ad auctoritatem & iudicium Romani Pontificis retulerunt.

Duo igitur hic expressa exequenda erant.

§.2. Duo autem Breuiario præcipue continentur, quorum vnum, preces laudesque diuinas festis profestisque diebus persoluendas complectitur, alterum pertinet ad annuos Paschæ, festorumque ex eo pendentium recursus, Solis & Lunæ motu metiendos.

Primũ executus est Pius V. vt sup. in eius const. 64.

§.3. Atque illud quidem fel. rec. Pius V. prædecessor noster absoluendum curauit, atque edidit.

Secundum nõ fuit vsq; modo executum.

§.4. Hoc vero, quòd nimirum exigit legitimam Calendarij restitutionem, iamdiu à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & sæpius tentatum est, verum absolui, & ad exitum perduci ad hoc vsque tempus non potuit, quod rationes emendandi Calendarij, quæ à cælestium motuum peritis proponebantur, propter magnas, & fere inextricabiles difficultates, quas huiusmodi emendatio semper habuit, neque perennes erant, neque antiquos Ecclesiasticos ritus incolumes (quod in primis hac in re curandum erat) seruabant.

Hic igitur Pont. peritissimos viros præposuit emendationi Calendarij.

§.5. Dum itaque nos quoque credita nobis, licet indignis, à Deo dispensatione freti, in hac cogitatione curaque versaremur, allatus est nobis liber à dilecto filio Antonio Lilio artium & medicinæ doctore, quem quondam Aloysius eius germanus frater conscripserat, in quo per nouum quemdam Epactarum Cyclum ab eo excogitatum, & ad certam ipsius Aurei numeri normam directum, atque ad quamcumque anni Solaris magnitudinem accommodatum, omnia quæ in Calendario collapsa sunt, constanti ratione, & sæculis omnibus duratura, sic restitui posse ostendit, vt Calendarium ipsum nulli vmquam mutationi in posterum expositum esse videatur. Nouam hanc restituendi Calendarij rationem exiguo volumine comprehensam ad Christianos Principes, celebrioresque vniuersitates paucos ante annos misimus, vt res quæ omnium communis est, communi etiam omnium consilio perficeretur, illi cum, quæ maxime optabamus, concordes respondissent, eorum nos omnium consensione adducti, viros ad Calendarij emendationem adhibuimus in Alma Vrbe harum rerum peritissimos, quos longe ante ex primariis Christiani orbis nationibus delegeramus. Ii cum multum temporis & diligentiæ ad eam lucubrationem adhibuissent, & Cyclos tàm veterum quàm recentiorum vndique conquisitos, ac diligentissime perpensos inter se contulissent, suo, & doctorum hominum, qui de ea re scripserunt iudicio, hunc præ ceteris elegerunt Epactarum Cyclum, cui nonnulla etiam adiecerunt, quæ, ex accurata circumspectione visæ sint ad Calendarij perfectionem maxime pertinere.

Cognouerque tria hic expressa necessaria fore.

§.6. Considerantes igitur nos, ad rectam Paschalis festi celebrationem, iuxta sanctorum Patrum, ac veterum Romanorum Pontificum, præsertim Pij & Victoris primorum, necnon magni illius œcumenici Concilij Nicæni, & aliorum sanctiones, tria necessaria coniungenda, & statuẽda esse, Primum certam Verni æquinoctij sedem; Deinde rectam positionem XIV. Lunæ primi mensis, quæ vel in ipsum æquinocti diem incidit, vel ei proxime succedit

Digitized by Google

succedit Postremo primum quemque diem Dominicum, qui eamdem XIV. Lunam sequitur; curauimus non solum æquinoctium Vernum in pristinam sedem, à qua iam à Concilio Nicæno decem circiter diebus recessit, restituendum, & XIV Paschalem suo in loco, à quo quatuor & eo amplius dies hoc tempore distat, reponendam, sed eam quoque tradendam rationem, qua cauetur, vt in posterum æquinoctium, & & XIV. Luna à propriis sedibus numquam dimoueantur.

Primo igitur loco reponit Vernum æquinoctium in sede sua ad diem 21. Martij.

§.7. Quo igitur vernum æquinoctium quod à patribus Concilij Nicæni ad XII. Calend. Aprilis fuit constitutum, ad eamdem sedem restituatur, Præcipimus, & mandamus, vt de mense Octobri, anni 1582. decem dies inclusiue à tertia Nonarum vsque ad pridie Idus eximantur, & dies qui festum S. Francisci IV. Nonas celebrari solitum sequitur, dicatur Idus Octobris, atque in eo celebretur festum SS. Dionysij, Rustici, & Eleutherij martyrum, cum commeratione S. Marci Papæ & confessoris, & SS. Sergij, Bacchi, Marcelli, & Apulei martyrum. Septimodecimo vero Cal. Nouembris, qui dies proxime sequitur, celebretur festum S. Callisti Papæ & martyris. Deinde XVI. Calen. Nouemb, fiat officium & missa de Dominica XVIII. post Pentecosten, mutata litera Dominicali G. in C. Quintodecimo denique Cal. Nouemb. dies festus agatur S. Lucæ Euangelistæ. à quo reliqui deinceps agantur festi dies, prout sunt in Calendario descripti.

Iudices subtractionis dierum rationem habeant.

§. 8. Ne vero ex hac nostra decem dierum subtractione, alicui quod ad annuas vel menstruas præstationes pertinet, præiudicium fiat, partes iudicum erunt in controuersiis, quæ super hoc exortæ fuerint, dictæ subtractionis rationem habere, addendo alios X. dies in fine cuiuslibet præstationis.

Et ne inde æquinoctium, recedat, ordinem hic seruandum proponit.

§. 9. Deinde ne in posterum à 12 Cal. April. æquinoctium recedat, statuimus Bissextum quarto quoque anno (vti mos est) continuari debere, præterquam in centesimis annis: qui quãuis Bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse volumus annum 1600. post eum tamẽ, qui deinceps cõsequentur cẽtesimi, non omnes Bissextiles sint, sed in quadringentis quibusq; annis primi quinque tres centesimi sine Bissexto transigantur, quartus vero quisque centesimus Bissextilis sit, ita vt annus 1700. 1800. 1900. Bissextiles non sint Anno vero 2000. more consueto dies Bisextus intercaletur, Februario dies 29. continente, idemque ordo intermittendi, intercalandique Bissextum.

Cyclumque Epactarum substituit in Calen. loco aurei numeri.

§. 10. Quo item XIV. Paschalis recte inueniatur, itemque dies Lunæ iuxta antiquum Ecclesiæ morem ex Martyrologio singulis diebus ediscendi fideli populo vere proponantur, statuimus, vt amoto aureo numero de Calendario, in eius locum substituatur Cyclus Epactarum; qui ad certam (vti diximus) aurei numeri normam directus efficit, vt nouilunium, & XIV. Paschalis vera loca semper retineant, Idque manifeste apparet ex nostri explicatione Calendarij. In quo descriptæ sunt etiam tabulæ Paschales secundum priscum Ecclesiæ ritum quo certius & facilius sacrosanctum Pascha inueniri possit.

Et Cyclum solarem antiquum ad nouam & quãcunque intercalandi rationẽ accommodatum.

§. 11. Postremo quoniam partim ob decem dies de mẽse Octobris anni 1582. (qui correctionis annus recte dici debet exemptus, partim ob ternos etiam dies quolibet quadringentorum annorum spatio minime intercalandos, interrumpatur, necesse est Cyclus literarum Dominicalium 28. annorum ad hanc vsque diem vsitatus in Ecclesia Romana; Volumus in eius locum substitui eumdem Cyclum 26. annorum ab eodem Lilio tum ad dictam intercalandi Bissexti in centesimis annis rationem, tum ad quamcumque anni solaris magnitudinem accommodatum ex quo litera Dominicalis beneficio Cycli solaris æque facile ac prius, vt in proprio canone explicatur, reperiri possit in perpetuum.

Calendarium sic restitutum approbat.

§. 12. Nos igitur vt quod proprium Pont. Max. esse solet exequamur, Calendarium immensa Dei erga Ecclesiam suam benignitate iam correctum atque absolutum hoc nostro decreto probamus, & Romæ vna cum Martyrologio imprimi, impressumque diuulgari iussimus.

Illudque imprimi prohibet sine licentia Pont. Hæc prohibitio fuit postea renouata.

§. 13. Vt vero vtrumque vbique terrarum incorruptum ac mendis erroribus purgatum seruetur, omnibus in nostro & S.R.E. dominio mediate vel immediate subiecto commorantibus impressoribus sub amissionis librorum, ac centum ducatorum auri Cameræ Apost. ipso facto applicandorum, aliis vero in quacumque orbis parte, consistentibus sub excommunicationis latæ sententiæ arbitrij nostri pœnis, ne sine nostra licentia Calendarium aut Martyrologium, simul vel separatim imprimere, vel proponere; aut recipere vllo modo audeant vel præsumant, prohibemus.

Eodem quoque omnes vti præcipit post die 10. Octob. 1582 & respectiue 5. 3. Ad quod vide declarationem quæ hic sequitur.

§. 14. Tollimus autem, & abolemus omnino vetus Calendarium, volumusque, vt omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & ceteri Ecclesiarum præsides, nouum Calendarium (ad quod etiam accommodata est ratio Martyrologij) pro diuinis officiis recitandis, & festis celebrandis in suas quisque Ecclesias, monasteria, Conuentus, Ordines, militias, & diœceses introducant, & eo solo vtantur, tàm ipsi quàm ceteri omnes presbyteri & clerici, sæculares & regulares vtriusque sexus; necnon milites, & omnes Christifideles; cuius vsus incipiet post decem illos dies ex mense Octobris anni 1582. exemptos. Iis vero, qui adeo longinquas incolunt regiones, vt ante præscriptum à nobis tempus harum literarum notitiam habere non possint, liceat, eodem tamen Octobris mense in sequentis anni 1583. vel alterius, cum primum scilicet ad eos hæ nostræ literæ peruenerint, modo à nobis paulo ante tradito eiusmodi mutationem facere, vt copiosius in nostro Calend. anni correctionis explicabitur.

Hortaturque Imperatorem & Principes vt Calendarium sic emẽdatum recipiant & seruari faciant.

§. 15. Pro data autem nobis à Domino auctoritate hortamur & rogamus carissimum in Christo filium nostrum Rodulphum Romanorum Regem Illustrem in Imperatorem electum, ceterosque Reges, Principes, ac Reispublicas, iisdemque mandamus vt quo studio illi à nobis contenderunt, vt hoc tam præclarum opus perficeremus, eodem, immo etiam maiore, ad conseruandam in celebrandis festiuitatibus inter Christianas nationes concordiam, nostrum hoc Calendarium & ipsi suscipiant, & à cunctis sibi subiectis populis religiosè suscipiendum, inuiolateque obseruandum curent.

Forma public. huic const.

§. 16. Verum quia difficile foret præsentes literas ad vniuersa Christiani orbis loca deferri, illas ad Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apost. valuas, & in acie Campi Floræ publicari & affigi, & earumdem literarum exemplis, etiam impressis, & voluminibus Calendarij, & Martyrologij insertis & præpositis, siue manu tabellionis publici subscriptis, necnon sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eamdem prorsus indubitatam fidem vbique gentium & locorum haberi præcipimus, quæ originalibus literis exhibitis omninino haberetur.

Sanctio pœnalis.

§. 17. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum præceptorum, mandatorum, statutorum, voluntatis, probationis, prohibitionis, sublationis, abolitionis, hortationis, & rogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. Tusculi, anno Incarnat. Dom. 1582. sexto Kal Martij, Pont. nostri anno 10. *D.P. An. 10. 18. Febr.*

Publicatio.

Anno à Natiuitate D.N. Iesu Christi 1582. Indict. 10 die vero Iouis 3. mensis Martij Pont. Sanctiss. in Christo Patris & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia PP. XIII. anno eius 10. retroscripta litera Apost. publicata & affixa fuerunt in valuis Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancell. Apost. ac in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Scipionem de Octauianis Apostolicum Cursorem.

Franciscus Barbon Mag. Curs.

Sequitur Declaratio super obseruatione Calendarij nuper editi, pro illis qui de mense Octobris 1582. illud seruare non cæperunt.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1582.*

Causa huius declarationis

CVpientes pro Pastoralis officij nobis diuinitus iniuncti solicitudine, Calendarium nuper, cura & iussu nostro correctum atque editum, vbique locorum ab omnibus, qui illud propter diuersa impedimenta,

statuẽ

ſtatuto die menſis octobris proxime præteriti, obſeruare non cœperunt, quamprimum in vſum recipi, & prout maxime expediens eſt, diligenter & exacte ſeruari. Idcirco ne ſubſequens menſis Octobris, quod quidem nimis longum eſſet, expectetur: volentes vigilantiæ noſtræ prouidentia, opportunua remedia hiſce difficultatibus celeriter adhibere.

Declaratio ſuper obſeruatione Calend. pro iis qui menſe Octob. 1582. obſeruare non cœperunt.

§. 1. Motu proprio, & ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtra, ac de Apoſt. poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuo valitura ſanctione ſtatuimus, præcipimus, & mandamus, vt quicumque in quibuſuis Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, & locis conſtituti, Calendarium emendatum prædictum hactenus nondum obſeruare cœperunt, illud modo & formula infraſcripta, ſemotis cunctis excuſationibus, & impedimentis, omnino ſeruent, videlicet: Cum peruentum fuerit ad diem 10. Februarij anni milleſimi quingenteſimi octuageſimi tertij, in quem cadit Dominica Quinquageſimæ ſecundum antiquum Calendarium, tranſitus ſtatim fiat ad diem 21. eiuſdem menſis Februarij, omiſſis decem diebus inter diē decimum, & diem 21. Febr. huiuſmodi interpoſitis, quæ erit feria ſecunda poſt Dominicam Quinquageſimæ (mutata litera Dominicali F. in B.) in qua dicatur officiū, & miſſa de S. Valentino preſbytero & martyre, cum commemoratione, SS. Fauſtini & Iouicæ martyrum, & S. Simeonis Epiſcopi & martyris, & feria tertia de Cathedra proxima autem feria quarta erit dies Cinerum; atque hoc pacto nulla amplius erit diſcrepantia in Feſtorum, tàm mobilium quàm fixorum celebratione.

Tranſumptorum fides.

§. 2. Verum quia difficile foret præſentes literas ad vniuerſa Chriſtiani orbis loca deferri, volumus quod illarum tranſumptis etiam impreſſis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus indubitata fides vbiuis gentium & locorum habeatur, quæ originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

D. P. *An.* 11. 7. *Nouemb.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 7. Nouemb. 1582. Pont. noſtri anno 11.

LXXV. Qui presbyteri Religionis & Societatis Ieſu, literas Sacræ Pœnitentiariæ Apoſtolicæ aperire poſſint.

Plura de hac Societate notaui ſup. ad conſt. 25. Pauli III. Regimini.

Edita *An.* D. 1582.

GREGORIVS PAPA XIII.
Dilecto filio Claudio Aquauiua Præpoſito Generali Societatis Ieſu.

Cauſa huius conceſſionis.

EXponi nobis nuper feciſti quod alias quondam Alexander Frumentus, tunc officij Sacræ Pœnitentiariæ Regens, dilectis filiis preſbyteris Societatis Ieſu, cui præeſſe dignoſceris, etiamſi nullo magiſterij in Sacra Theologia, & doctoratus in iure canonico, gradibus inſigniti eſſent, alias tamen idoneis, & approbatis ipſius Societatis confeſſariis, vt quaſcumque obſignatas, etiam Magiſtris in Theologia, vel Iure Canonico Doctoribus directas in foro conſcientię eiuſdem Sacræ Pœnitentiarię literas aperire, & abſolutionis beneficium iuxta illarum diſpoſitionem impendere poſſent & valerent, verbotenus conceſſit, eaque facultate ipſi preſbyteri hactenus vſi ſunt, Cum itaque ipſius Societatis Religioſi ad huiuſmodi gradus, niſi pro neceſſitate ſcholarum ſuarum promoueri non ſoleant: pœnitentes etiam ad ipſos preſbyteros cum ſuis literis abſolutionis in dies recurrant, & importune obſecrent, opportune etiam eos iuuari conuenit.

Conceſſio quod aliqui preſbyteri Societatis aperiant literas Sacræ Pœnitentiariæ.

§. 1. Nos idcirco tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, preſbyteris Societatis huiuſmodi per te, vel tibi ſubordinatos illius ſuperiores de tua licentia deſignādis, & ab Ordinariis locorum approbatis, vel approbandis, etiamſi magiſterij vel doctoratus, aut aliis gradibus inſigniti non ſint, literis huiuſmodi aperiendi, confeſſionibuſque fidelium ad ipſos recurrentium auditis & impoſita ſalutari in illis expreſſa, vel de iure infligenda pœnitentia, abſoluendi, ac in foro conſcientiæ quaſcumque ſibi verbo vel ſcriptis commiſſas abſolutiones, diſpenſationes, & pœnitentiarum iniunctiones excipiendi, & exequendi, licentiam & facultatem tenore præſentium concedimus & impartimur.

Contrariorū derogatio.

§. 2. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſt. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumpt. eorum fides.

§. 3. Volumus autem quod præſentium tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo tuo, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem vbique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

D. P. *An.* 10. 3. *Aprilis.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 3. Aprilis 1582. Pont. noſtri anno 10.

De auctoritate Præpoſiti Generalis Clericorum Regularium Societatis Ieſu, circa contractus cenſuum, alienationumque, & aliorum. LXXVI.

Cetera de hac Societate, notata habes ad conſt. 25. Pauli III. Regimini. *ſup.*

Edita *An.* D. 1582.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

APoſtolicæ Sedis circumſpecta benignitas, in quarūuis Religionum, præſertim earum quæ gregi Dominico inuigilant, ac prædicationibus & lectionibus, cum humanis tum ſacris inſiſtunt, commodis & vtilitatibus conſequendis, prouidentiæ ſuæ auctoritatem interponit, & quanto poteſt fauore proſequitur.

Omnis facultas celebrandi contractus reſidet in Præpoſito generali ex conſtitutione Societatis.

§. 1. Sane dilectus filius Euerardus Mercurianus Præpoſitus Generalis Societatis Ieſu nobis nuper exponi fecit, quod cum literis, tam fel. record. Pauli Tertij, quàm piæ mem Iulij etiam Tertij Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, in fauorem dictæ Societatis emanatis, & per dictorum Pontificum ſucceſſores, & Nos reſpectiue confirmatis, ac eiuſdem Societatis conſtitutionibus, omnimoda Collegiorum illius ac etiam temporalium bonorum, ad ipſa Collegia ſpectantium gubernatio, ad pro tempore exiſtentem Præpoſitum Generalem vel ipſam Societatem, ita tamen quod in ipſius Præpoſiti, aut profeſſæ Societatis, vel alios, quam ipſorum Collegiorum vſus bona huiuſmodi expendi, aut diſtrahi non poſſint, ſed in ſtudentium vtilitatem ſic conuerti, vt illi dictis bonis abuti non valeant, ſpectare & pertinere dignoſcatur. Indeque fiat vt Collegia ipſa capitulariter nullo modo congregentur, ſed omnis facultas celebrandi contractus, prout per eaſdem conſtitutiones, ac etiam primam ipſius Societatis generaliter habitam Congregationem ſtabilitum & declaratum fuit, penes eumdem Præpoſitum pro tempore exiſtentem reſideat.

Ac etiam ex cōſtitutionib. Apoſt.

§. 2. Cumque etiam dicta Societas, quæ Ordo Mendicans exiſtit, aliorum Ordinum Mendicantium ſuper contractibus ineundis, à Sede Apoſtolica conceſſis priuilegiis gaudeat.

Et hic Pont. idem conceſſit in alia bulla quam hic non poſui, contenus iſta pleniore.

§. 3. Noſque eiſdem Euerardo præpoſito, Societati vt interuenientibus illis dumtaxat, qui more Societatis prædictæ, & ſecundum eius conſtitutiones & ſtatuta, regimen & adminiſtrationem domorum & Collegiorum iuuare & promouere ſolent, ſeruato in eiuſmodi Congregationibus peculiari ac proprio dictæ Societatis procedendi modo, priuilegiis illis vtendi, necnon contractus ineundi licentiam & facultatem conceſſerimus, prout in ſingulis literis Apoſtolicis deſuper confectis, plenius continetur.

Idem modo Pōt. ex cauſis hic relatis.

§. 4. Tamen quia nec modus ille quis ſit, nec omnes per quos Præpoſitus Generalis facultatem huiuſmodi alioqui exercere poteſt, in dictis noſtris literis ſatis expreſſi fuere; ac etiam quia eidem Societati priuilegiis & literis Apoſtolicis huiuſmodi, tum quod variis literis, & munimentis conceſſa ſunt, vti & illa ad ſingulos contractus ineundos afferre diſpendioſum moleſtumque exiſtit, tum quod in nonnullis regionibus emphiteuſes ad tres vitas concedi ſolent, nec particulares homines illas ad breuius tempus accipere facile adducuntur.

Et

Digitized by Google

Et propterea, ac etiam ex eo quod nonnumquam pro Collegiorum ipſorum, necnon domorum probationis, vel aliorum locorum eiuſdem Societatis neceſſitate, bona huiuſmodi locare, alienare, permutare, vel in emphyteuſim ſeu liuellum dare expedit: ac quandoque contingit, vt conditio ſemel oblata, ſi prætermittatur, non paruam afferat iacturam, pro parte dicti Euerardi Præpoſiti nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt præmiſſa omnia plenius declarare, & alias in eiſdem opportune prouidere, de benignitate Apoſt. dignaremur.

Facultatem alienandi, & aliis modis contrahendi d. Præpoſito concedit.

§. 5. Nos igitur qui operarios in vinea Domini præſertim pondus diei & æſtus ſuſtinentes, ſyncero proſequimur affectu noſtrarum, ac eorumdem prædeceſſorum noſtrorum literarum, necnon Societatis prædictæ conſtitutionum, aliorumque præmiſſorum tenores, præſentibus pro expreſſis habentes, & eumdem Præpoſitum, ac dictæ Societatis ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati eiſdem Societati, ac Generali Præpoſito moderno, & pro tempore exiſtenti, vt ex nunc de cetero, perpetuis futuris temporibus, informatione de cõtractibus incundis, per literas vel alias pro vt ipſe Generalis ſtatuerit, à ſubordinatis localibus præpoſitis, vel Rectoribus aut præfectis, ſeu eorum Vicegerentibus, vel à Prouincialibus ſeu Viſitatoribus, aut Commiſſariis, vel ab aliis ſibi bene viſis, auditis iuxta eorum inſtitutum Conſultoribus, accepta, quæcumque Domorum, tum profeſſarum tum probationis, Collegiorum, & aliorum locorum eiuſdem Societatis vbilibet conſiſtentium, bona ſtabilia & immobilia, ſeu quaſi ſtabilia, necnon, & pretioſa mobilia, cuiuſcumque qualitatis, & quantitatis ac valoris, & in quocumque loco poſita, pro pretio, & ſub pactis, conditionibus, modis, & formis hinc inde conuenien-dis, in euidentem tamen Domorum, & Collegiorum huiuſmodi vtilitatem, per ſe vel alium ſeu alios vendere, alienare, permutare ac etiam in Emphyteuſim ſeu liuellũ ad tres generationes vel nominationes tantum, ſeu aliud longum tempus, pro affictu ſibi bene viſo concedere, abſque alia à nobis vel ſucceſſoribus noſtris Rom. Pontificibus, pro tempore exiſtentibus, aut Sede prædicta, vel illius de latere Legatis, ſeu Nunciis, aut etiam locorum Ordinariis petenda vel obtinenda licentia, ſeu confirmatione, libere & licite poſſit & valeat cõcedimus & indulgemus. Ita tamen quod ſi ex eiuſdem Generalis Præpoſiti facultate, pro rerum exigentia, opus ſit, in Europæ videlicet Prouinciis, ante datam eidem Præpoſito informationem, contractus alienationum fieri, dominium nihilominus, & poſſeſſio bonorum quorumuis, ſuper quibus contractus huiuſmodi initi fuerint, penes Domos, Collegia, ac loca prædicta, donec ipſe Generalis rem confirmauerit, aut ſuum conſenſum deſuper præſtiterit, remaneat ac remanere intelligatur. In Indiis vero & aliis extra Europam regionibus, contractuum huiuſmodi confirmatio ipſis Prouincialibus, aut Viceprouincialibus, Viſitatoribus ſeu Commiſſariis, ſimili per eos informatione accepta, committi poſſit ab ipſo Generali Præpoſito. Alias, & in euentum in quem ordo ſuprafcriptus non fuerit obſeruatus, venditio, alienatio, permutatio, locatio, & conceſſio, ac contractus, necnon inde ſequuta quæcumque nulla, & inualida, nulliuſque roboris ac momenti exiſtant. Ac ita in præmiſſis ſic perpetuo declaramus, & decernimus.

Contractus ab ea ſeruatis hic expreſſis initos, & inneſſi-dos, approbat.

§. 6. Et nihilominus ex nunc prout ex tunc, & è contra poſtquam venditiones, alienationes, permutationes, locationes conceſſiones ac contractus pro tempore, vt præmittitur facti, & per dictum Præpoſitum Generalem approbati, & ratificati fuerint, ſeu conſenſus eiuſdẽ Præpoſiti Generalis interuenerit, eaſdam venditiones, alienationes, permutationes, locationes, conceſſiones, & contractus, & inde ſequuta quæcumque, necnon inſtrumenta, & ſcripturas deſuper pro tempore confecta, Apoſtolica auctoritate approbamus, & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debere ſtatuimus, omneſque & ſingulos tam iuris quam facti defectus, ſiqui forſan interuenerint quomodolibet in eiſdem ſupplemus; decernentes ea omnia, abſque alio deſuper ordinaria vel Apoſtolica aut alia auctoritate, ſeu de Sedis Apoſtolicæ commiſſione faciendo examine, ac præſentes, & in eis contenta validas & efficaces, validaque & efficacia perpetuo fore, necnon ab omnibus obſeruari debere, ipſoſque contrahentes ad contractuum & ſtipulatarum conuentionum obſeruationem omnino teneri, ac ſuper præmiſſis & inde ſequutis quibuſcumque per quoſcumque quauis auctoritate quomodolibet moleſtari vel impediri non poſſe. Necnon irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 7. Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis, eorum in ſpiritualibus Vicariis, aut officialibus generalibus, Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, necnon Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, & Capitulis, ac aliis, ad quos id quomodolibet ſpectat, & in futurum ſpectabit, per eaſdem præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut vnus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Generalis Præpoſiti vel aliarum perſonarum eiuſdem Societatis, aut alicuius eorum, ſuper his fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque & eorum cuilibet in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque, ab omnibus quos illa concernunt integre & inuiolabiliter obſeruari. Non permittentes eos aut eorum aliquem deſuper contra eorumdem præſentium tenorem, quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggrauando inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Contrarias abrogat.

§. 8. Non obſtantibus fel. record. Bonifacij VIII. de vna, & in Concilio generali edita, de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas quis vigore præſentium ad iudicium non trahatur, & piæ memoriæ Symmachi ac Pauli II. prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, vel alienatis recuperandis: aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſuis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis, quoque indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis ac irritantibus, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio, ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi de illis, ac totis eorum tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, indiuidua & expreſſa mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Seu ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Tranſumptis credi iubet.

§. 9. Volumus autem quod earumdem præſentium tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu etiam ipſius Præpoſiti Societatis, munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. Rom. An. 5. 18. Decemb.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris die 18. Decemb. milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Pontificatus noſtri anno 5.

Digitized by Google

Sequitur ampliatio d. auctoritatis alienandi.

Edita An. D. 1582.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

EX debito Pastoralis officij ad ea libenter intendimus, per quæ religiosorum locorum ac personarum in eis degentium vtilitates, & commoda valeant procurari.

Authoritas Præpositi in celebrandis contractibus refertur.

§. 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filij Claudij Aquauiuæ præpositi Generalis Societatis Iesu petitio continebat, Quod postquam alias per diuersas literas Apostolicas diuersorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & dictæ Societatis Constitutiones, & decreta, illius Præposito Generali pro tempore existenti, vel ipsi Societati omnimodam Collegiorum, & Domorum probationum, bonorumque ad illa spectantium gubernatio, absque alia personarum in eis degentium capitulari congregatione faciendæ: etiam cum facultate quoluis contractus emptionum, venditionum, aliarumque venditionum, alienationum, necnon obligationum, cessionum quarumlibet rerum temporalium, mobilium & immobilium, etiam in beneficialibus ac spiritualibus aliisque quibuscumque etiam præiudicialibus, necnon Instrumenta quæcumque tam per se quam per alios celebrandi, ac insuper, Mendicantium, necnon per nostras literas aliorum Ordinum & piorum locorum priuilegiis omnibus vtendi, & alias sub certis modo & forma inibi expressis concessa fuisset.

Dubia desuper orta itidem recensentur.

§. 2. Denique cum vsus priuilegiorum huiusmodi dictæ Societati parum prodesset, eo quod contrahentes tenuerent, neque adducerentur ad contrahendum solo priuilegio communicationis, esseque frequentissimum, & maxime necessarium ipsi Societati in his suis quasi primordiis, pro Collegiorum & domorum illius, fundationibus, & ampliationibus domos, agros, & bona alia commutare, & vendere ac super his census imponere, His aliisque de causis.

Continentia bullæ hic præinserta referuntur.

§. 3. Nos eidem Societati, illiusque Præposito Generali pro tempore existenti, quod informatione de contractibus incundis, per literas vel alias, prout ipse Præpositus generalis statueret; à subordinatis localibus Præpositis vel Rectoribus, aut Præfectis, seu eorum vicegerentibus, vel à Prouincialibus, seu visitatoribus, aut Commissariis vel ab aliis sibi beneuisis, auditis iuxta eorum institutum Consultoribus, accepta quæcumque Domorum, tum professarũ, tum probationis, Collegiorum, & aliorum locorum eiusdem Societatis vbilibet consistentium bona stabilia, necnon etiam preciosa mobilia, cuiuscumque qualitatis, & quantitatis, ac valoris, & in quouis loco posita pro pretio, & sub pactis, conditionibus, modis, & formis hincinde conueniendis, in euidentem tamen Domorum, & Collegiorum huiusmodi vtilitatem per se vel alium, seu alios vendere, alienare, permutare, in emphyteusim, seu liuellum ad tres generationes, vel nominationes tantum pro affectu sibi beneuiso dare, licite valere; etiam absque alia Sedis Apost. vel locorum Ordinariorum licentia, seu confirmatione desuper obtinenda, ita quod venditiones, alienationes, permutationes, locationes, concessiones, contractus, instrumenta, & inde sequuta quæcumq; postquam ab ipso Præposito Generali ratificata fuissent, seu illius consensus interfuisset, eo ipso Apost. auctoritate, nullo alio de super habendo examine, vel commissione, approbata, & confirmata essent, induisit, prout in singulis literis Apostolicis desuper confectis plenius continetur.

Alia dubia, fuere postea exorta.

§. 4. Cum autem sicut eadem subiungebat petitio, ea quæ de nouo emergunt, nouo indigeant auxilio, ipsique contrahentes præsertim in Curia varias quotidie requirant cautelas, sine quibus existimant sibi non fore satis cautum, inter quas ea potissima est, quod in indulto huiusmodi non fuerit expressum, quod etiam census redimibiles super eisdem bonis possent vendi, quæ tamen species est, eaque minima, venditionis, & idcirco ab aliquot iam annis frequens fuit, vt census redimibiles alias iuxta formã priuilegij huiusmodi venderẽtur, & imponerentur. Quare pro parte dicti Claudij nobis fuit humiliter supplicatũ quatenus sibi, dictæque Societati in præmissis consulere de benignitate Apostolica dignaremur.

Datur itaque d. Præpositus amplior facultas.

§. 5. Nos igitur eumdem Claudium, & singulares ipsius Societatis personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, ac prædictarum literarum, & constitutionum tenores præsentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Claudio, & pro tempore existenti Præposito Generali dictæ Societatis, vel ipsi Societati, dum ea scilicet erit generaliter congregata, ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus, per se vel per alios, vt informatione, sicut præmittitur, vel si vtrilibet visum erit, extraiudicialiter ac summarie & simpliciter accepta, vel etiam ea omnino omissa, bona Domorum, Collegiorum, & locorum huiusmodi stabilia, & etiam mobilia preciosa, præsentia, & futura, pro illorum vtilitate, seu necessitate, quibuscumque personis, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus cuiuscumque gradus, ordinis, & dignitatis existentibus, etiam Collegiis, Communitatibus, & Vniuersitatibus, ad eam rationem quæ facilius inueniri poterit, & pro pretio reperibili vendere, alienare, permutare, in emphyteusim, seu liuellum ad tres generationes, vel in aliud longum tempus dare, locare, etiam cum donationis, seu inuesticturæ receptione, ac repræsentata pecunia, sine tamen soluti illorum redditus diminutione, necnon generaliter & specialiter obligari, & hypothecare, super illis census quoscumque redimibiles imponere, & vendere, necnon de bonis eisdem compromittere, & quomodolibet super illis transigere, illisque simpliciter, vel liti desuper habitæ, ac actioni, etiam in non possessorem cedere, & reum citare, vtilitatemque venditionum & aliorum huiusmodi, vel etiam necessitatem, aut aliam causam, propter quam fiunt simpliciter, & absque figura iudicij cognoscere, iudicare, definire, & penitus terminare, libere, & licite valeat, & alias iuxta dictarum literarum tenorem, harum serie, Apostolica auctoritate concedimus. Et ad hoc, si opus sit, licentias, & facultates omnes prædictas extendimus, & ampliamus. Ipsosque cõtrahentes, habita sola præpositi Generalis vel congregatæ Societatis per literas patentes more ipsius Societatis vel alias confirmatione, aut consensu, solo contractu securos existere, nec ad venditionum, communicationum, & aliarum huiusmodi alienationum vtilitatis, seu necessitatis, aut in æquiualentia, vel meliora bona pretij conuersionis vel aliam demonstrationem teneri. Necnon contractus quoscumque super his hactenus initos perpetuo valere, partesq; ipsas ad illorum obseruationem omnino obligari, & tam ipsos hactenus initos contractus, quam in futurum ineundos, quibus ipsius Generalis Præpositi, nunc, & pro tempore existentis, vel etiam congregatæ Societatis consensus seu confirmatio accesserit, alia Sedis Apostolicæ confirmatione, & approbatione non indigere.

Clausula sublata, &c.

§. 6. Sicque per quoscumque Iudices, ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, necnon quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Deputatio executorum.

§. 7. Quocirca venerabilibus fratribus nostris, Toletan. & Treueren. ac Rigen. Archiepiscopis per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut vnus eorum per se, vel alium seu alios easdem præsentes, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Claudij, vel pro tempore existentis Præpositi Generalis, aut Societatis huiusmodi vel alicuius eorum fuerint desuper requisiti, solẽniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate nostra præsentes, & in eis contenta huiusmodi firmiter obseruari, ac singulos, quos literæ ipsæ concernunt, pacifice frui, & gaudere. Non permittentes eos vel aliquem eorum desuper contra præsentium tenorem per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles, per

Digitized by Google

per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris,& facti remedia appellatione postopositа, compescendo, legitimisque super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas,etiam iteratis vicibus aggrauando,inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Derogatio contrariorum.

§,8. Non obstantibus fel. record. Symmachi, & Pauli, aliorumque Romanorum Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, sed alienatis recupetandis aliisque Apost. constitutionibus, & ordinationibus, necnon quibusuis, etiam iuramento, confirmatione Apost.vel quauis firmitate alia robotatis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apost. quibusuis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis,etiã Motu proprio, & Consistorialiter ac de Apost. potestatis plenitudine concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus,specialis, specifica, indiuidua', & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ac dictis literis, si in aliquo obstent, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§.9. Ceterum quia difficile foret easdem præsentes ad singula quæque loca, vbi necessarium fuerit, deferre,volumus quod illarum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu etiam ipsius Societatis Præpositi Generalis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur; si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

D. P. An. 12. 5. Augusti.

Dat. Romæ apud S.Marcum, Anno Incarnat.Dominicæ 1582.Nonis Augusti,Pont.Nostri Anno 11.

LXXVII. Quod personæ Societatis Iesu,à quocumque Antistite etiam extra tempora,de licentia suorum Prælatorum ad sacros ordines promoueri, & ad quoscumq; alios regulates Ordines transire possint, habita licentia Præpositi generalis.

Quamplura de hac Societate indicaui sup. in const. 25. Pauli III. qui illam primo approbauit, & in alia eiusdem const. 48.

Edita An. D. 1582.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

PIum, & vtile Societatis Iesu institutum non patitur certa quædam ab iis, qui sub eius vexillo & disciplina salutari militant, obiri quæ in sacris ineundis generaliter præscribuntur.

Paulus 3. concessit sociis ipsis, vt cum Præpositi licentia à quolibet Antistite promouerẽtur ad Sacr.

§.1.Quocirca cum dictę Societatis ac disciplinæ alumni nulli Ecclesiæ, nulliue loco certo mancipati sint, vt ibi permaneant,sed veluti viatores omni tempore parati, expectantesque diem & horam qua vel ad extremas orbis regiones, cum venit vsus, emittantur vbi quisque pro captu suo, & iuxta datam sibi à Domino sapientiam, sese in vinea Domini excolenda exerceat, eiusque rei causa fel. rec. Paulus Papa III. Præposito eiusdem Societatis concesserit,vt idoneos, & comprobatos ab ipsa Societate quibuscumq; mallet catholicis Antistitibus, & gratiam, & communionem Sedis Apost. habentibus, præsentare possit, qui illos sic præsentatos, absque vlla promissione vel obligatione, ad ordines huiusmodi promouerent.

Nonnulli tamen Ordinarij obseruãtiã Conc Trid. sess.23.cap.8. requirebant.

§. 2. Nonnulli tamen Antistites post Conc. Trid. decreta, eos sic præsentatos, prius in cuiusque, tam in minorum quam sacrorum ordinum huiusmodi præscripto munere exercitatos,temporumque determinatorum post susceptos præscriptum finẽ, antequam ad superiores ordines ascendant,omnino expectandum,eosque in eorumdem ordinum sanctionibus,choriq; officiis plene instructos,& denique super eorumdem vita,moribus, ætate & natalibus,ad parochi inquisitionem,aut alias testimoniũ,

& certa alia requisita habenda esse contendunt, quamuis ad eosdem ordines suscipiendos muneris alioqui omnibus idonei dimittantur.

Hic ideo Pont. d. facultatem reintegrat, & ampliat.

§. 3. Nos his incommodis, quantum in nobis est, occurrere volentes omnibus Episcopis,& aliis Antistitibus, præsentibus, & futuris, in perpetuum præcipimus,atque interdicimus, ne ab huiusmodi promouendis, qui licentiam à Præposito Generali dictæ Societatis pro tempore existente, vel ab eo delegatis habuerint, quidquam prædictorum requirant,vel exigant,sed ipsos etiam absq; vlla functione in ordinibus ipsis, interstitiorumque ad illos suscipiendos obseruatione, aut inquisitione de cantu,officiis, & ceremoniis Ecclesiasticis,idoneitate, proprij Ordinarij licentia, & aliis in aliis requisitis ad minores, ac etiam extra tempora à iure statuta, tribusque Dominicis, vel aliis festis diebus etiam continuis ad sacros, etiam Presbyteratus, ordines promoueant, acsi illi omnibus requisitis præditi essent.Nos enim illis ordines omnes prædictos sic suscipiendi, ac prædictis Antistitibus eos ipsis conferendi facultatem tribuimus.

Quibuscumq; non obstantib.

§.4. Non obstantibus præmissis ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,ceterisque contrariis quibuscumque. Præsentis autem gratiæ communicationem omnibus aliis,etiam qui sua priuilegia cum ipsa Societate copiose participant, participareque poterunt, quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus. Ceterum quia difficile esset præsentes quocumq; illis opus erit,deferre.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus vt eaumdem præsentium transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ seu etiam dicti Præpositi munitis, eadem prorsus fides, in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. A. 11. 12. Septemb.

Datum Tusculi,sub annulo Piscatoris,die 21.Septembris, 1582. Pontificatus nostri nostri anno 11.

Sequitur facultas transeundi ad alios ordines Regulares.

Edita An. D. 1582.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad futuram rei memoriam.

Paul. IV. instit egredientes à Societate solum ad Charthusien. transire posse, vt sup in eius cõstitut. cit. in rub.

CVm alias fel.rec. Paulus Papa III. Societati Iesu inter alia concesserit, vt eorum nemo, siue Professus, siue Scholaris,siue Coadiutor ex dicta Societate egrediens,ad alium quam ad Carthusiensium Ordinem, nisi de expressa Romani Pontificis, vel Præpositi Generalis dictæ Societatis licentia se conferret.

Pius IV. cuius ius const non posuit, sed vetuit.

§. 1. Itemque Pius Papa Quartus voluerit, vt ne quis prædictorum, ab eadem Socitate prætextu cuiusuis indulti,vel quæsito colore melioris vitæ, vel strictioris obseruantiæ, etiam ad Mendicantium, vel Cistercienſium, seu S. Benedicti, aut aliorum Monachorum Ordinem (Carthusiensi excepto) transire possit,dubitare contingit; An Præpositus pro tempore existens valeat etiam Professos, ex causis id exigentibus ab ipsa Societate emittere; aut eis sic emissis, liberum sit de eius licentia,se ad quemuis alium Mendicantium, vel non Mendicantium Ordinem transferre.

Hic modò Pontif. ad omnem ordinem transire posse declarat, licẽtiã habita à Præposito.

§. 2. Nos, re perpensa, atque diligenter examinata; Societatis ipsius puritati, atque incremento, emissorumque pro tempore saluti consulere volentes: statuimus, vt deinceps in perpetuum liceat dicto Præposito, quos iudicauerit ab ipsa Societate emittere, eosque de ipsius Præpositi licentia, non tantum ad Carthusiensium, sed ad quemuis alium Mendicantium, paris, laxioris aut arctioris obseruantiæ Ordinem, per ipsum Præpositum illis præscribendum, de consensu tamen Superiorum loci illius,quo destinabuntur, demigrare; in eisque professionem per loci illius Monachos, aliosque eiusdem emitti solitam, emittere, habitumque suscipere, & consueta vti eorum disciplina. Ipsis inhibentes sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, ne quid contra præsentium tenorem quomodolibet audeant attentare.

Quibuscumq; non obstant.

§.3. Non obstantibus omnibus iis,quæ dicti Pontifices voluerunt non obstare ceterisque contrariis quibuscumque,Præsentis autem gratiæ,communicationem omnibus aliis etiam qui sua priuilegia cum prædicta Societate copiose participant, participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus.

Digitized by Google

Fides transumptorum.

§.4. Ceterum quia difficile esset præsentes quocumque illis opus erit deferre, volumus, vt præsentium transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu etiam dicti Præpositi munitis, eadem prorsus fides, in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. A. 11. 22 Septemb.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris die 22. Septembris 1582. Pont. nostri anno 11.

LXXVIII. Concilij Tridentini prohibitio de Duellis, extenditur ad duella priuatim commissa.

Hanc extensionem confirmauit, & ampliauit Clem. VIII. infra in eius const. 11. Illius. *vbi alia huius materiæ indicabo.*

Edita An. D. 1582.

GREGORIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Conc. Trid. in sess. 25. c. 10. prohibuit duella.

AD tollendum detestabilem Duellorum vsum, Concilium Tridentinum, excommunicationem, & alias grauissimas pœnas in concedentes locum ad Monomachiam, ac pariter impugnantes, necnon Patrinos, consulentes, suadentes, & spectatores, salubriter quidem decreuit: sed crescente hominum malitia facinorosi non desunt, qui quod publice prohibitum est, priuatim exequi non dubitent, dum se pœnas prædictas hoc modo eludere posse arbitrantur.

Hic Pont. prohibitionē ampliat.

§.1. Nos ad hæc coercenda plenius euidentiusq; prouidendum esse rati, considerantesque, Duellum priuatum non minus cruentum, & animæ, & corpori noxium esse, quàm quod publicè perpetratur, auctoritate Apostolica statuimus, omnes illos, qui ex condicto statuto tempore, & in loco conuento Monomachiam commiserint, etiam si nulli Patrini, sociiue ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve prouocatoriæ literæ, aut denunciationis chartulæ præcesserint, censuris, & pœnis omnibus à dicto Concilio propositis teneri, perinde ac si publico, & consueto abusu singulare certamen iniuissent. Volentes etiam locorum Dominos, si certamen ex condicto huiusmodi permiserint, aut quantum in se fuerit, non prohibuerint, omnesque illud fieri mandantes, instigantes, auxilium, consilium, vel fauorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia subsidia scienter subministrantes, aut ex composito spectatores, vel socios quouis modo sese præbentes, eisdem censuris, & pœnis subiacere, etiam si illi qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserint, si per se ipsos non steterit, quo minus illa committatur.

Contrarijs derogat. Alia constit. firma remaneant.

§. 2. Non obstantibus priuilegiis, immunitatibus, & exemptionibus, ceterisque contrarijs quibuscumque.

§. 3. Constitutionibus tamen, & aliis sanctionibus Apostolicis hac de re disponentibus in suo robore duraturis.

D. P. An. 11. 5. Decemb.

Dat. Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominice 1582. Non. Decemb. Pont. nostri anno 11.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. 1582. Indictione 10. die vero Veneris mensis Decemb. Pont. Sanctiss. in Christo patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno 10. retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis Ecclesiæ S. Ioannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ & in acie Campi Floræ per nos Petrum Aloysium Gaytam, & Nicolaum Taglietum Apostolicos Cursores.

Petrus Delbeque Mag. Curs.

LXXIX. Erectio Ecclesiæ Episcopalis Ciuitatis Bononiæ, in prouincia Lombardiæ, in Ecclesiam Archiepiscopalem.

Hanc erectionem approbauit, sed limites & Ecclesias subiectas immutauit Clem. VIII. in const. 166. Romanus.

Similem erectionem de Ecclesia Senensi statuit Pius II. in constit. 3. *Triumphans.* Et de Ecclesia Firmana Sixt. V. in const. 95. *Vniuersi.*

GREGORIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. 1582. Proœmium.

VNiuersi Orbis Ecclesiis, eo disponente qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, meritis licet impares præsidentes, in omnes agri dominici partes oculos nostræ mentis, vigilis more pastoris intendimus, inspicientes, quid Ecclesiarum ipsarum, præsertim Cathedralium insignium, statui & decori maxime conueniat atque hoc quidem tantò liberalius promptiusq; curandum censeremus, quantò magis ciuitatum celebritas, ac ciuium, & populorum suorum vota id expoſcunt, ac diuino fulti præsidio, illius qui cuncta ex sua benignitate ad fidelis populi sui salutem disponit, ad ea quæ ad dignitatem, & statum Ecclesiarum huiusmodi augendum pertinent, officij nostri partes libenter conuertimus, provt cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Ecclesia Bononiensis commendatio.

§.1. Cum itaque Ecclesia Bononiensis Sedi Apostolicæ immediatè subiecta, cui dilectus filius noster Gabriel Tit. S. Martini in Montibus Presbyter Cardinalis Paleottus nuncupatus, ex dispensatione Apostolica præest, & quæ in primis S. Petronij Episcopi, & Protectoris Bononiæ intercessionibus, & meritis, omni quidem tempore diuinæ pietatis abundantia magnis multisque ornamentis ex culta, non modo diœcesis magnitudine satis in omnem partem patens, sed cleri, populique pietate, dignitate, & amplitudine florens, Episcoporum quoque ordine succedentium, quos item multos ab initio ferè nascentis Religionis, sæuientibus adhuc infidelium persecutionibus, fidei defensores, & in Sanctorum consortio adscriptos habet, numero affluens, sacrarum præterea reliquiarum copia abundans, religiosissimis quoque templis, Basilicis, Monasteriis, locis piis, & aliis quæ ad omnem eiusdem cleri, populique Bononiensis laudem insignia sunt, pietatis Christianæ monimentis ornata, valde per se ipsa elucet.

Ciuitatis Bonon. commendatio.

§.2. Cumque Ciuitas ipsa iam inde vsque à Theodosio Imper, amplissimis illustrata priuilegiis, & à diuersis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris ad Regum congressus, Imperatoris coronationem, Concilij Oecumenici translationem, aliasque maximas res gerendas delecta, eiusdemque Apostolicæ Sedis primogenita, & studiorum mater ab omnibus meritò nuncupata, nobilissimo Gymnasio, Doctorumq; & Scholarium ex omnibus orbis Christiani partibus illuc conuenientium frequentia, clarissimo Quadragintauirum Senatu, & Magistratibus decorata: aliorum item illustrium virorum, apud quos & veræ Religionis cultus, & summa in Rom. Pont. ipsamque Sedem obseruantia, & studium semper enituit, copia quidem insignis: quippe quæ in omnibus schismatibus partes veri Pontificis perpetuò sustinuerit, & viros dignitatibus Ecclesiasticis claros, Episcopos, Cardinales Pontificesq; de Ecclesia Dei optime meritos sæpenumero tulerit: ædificiorum item magnificentia, opibus, fertilitate, populi magnitudine, egregia erga exteros hospitalitate, ac præcipua erga omnes beneuolentia, & caritate, omniquealia virtute illustris, & sit & habeatur.

Ecclesia Bonon. erectio in Ecclesiam Metropolitanam & Archiepiscopalē, cum priuilegiis omnibus Archiepiscopalibus.

§. 3. Nos aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, qui eodem honore patriam suam condecorarunt, morem exemplumque secuti, & eiusdem etiam Cardinalis Episcopique Bononiensis, cuius non ignota est cura, & solicitudo, in gloria Dei salutéque animarum procuranda pro studio adducti, & patriæ ipsius nostræ Bononiensis, quam vnicè in Christo diligimus, singularibus erga hanc Sedem meritis commoti paternoque desiderio, & ea spe qua tenemur, id fore, vt patria ipsa Bononien. hoc singulari beneficio nostro excitata, sese in dies ad bene agendum magis magisque conformet accensi, necnon Ecclesiæ ipsius quam totis in Christo visceribus complectimur, meritis permoti, ad illam meritis honoribus augendam & promouēdam adducti, piis quoque supplicationibus dilectorum filiorum eiusdem Ciuitatis Quadragintauirum, aliorumque Magistratuum excitati, post habitam cum venerabilibus fratribus nostris, S.R.E. Cardinalibus maturam deliberationem, de illorum consilio, atque Apostolicæ potestatis plenitudine, ad laudem, gloriam, & honorem Omnipotentis Dei, ac Beatæ Mariæ semper Virginis, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, eiusdemque S. Petronij Episcopi, & Patroni Bononien

Digitized by Google

Bononienſis,necnõ ad vniuerſalis Eccleſiæ exaltationem, Eccleſiam ipſam Bononienſem in Metropolitanam Eccleſiam, & Sedẽ Epiſcopalem Bononienſem in Archiepiſcopalem, Archiepiſcopaliſque, & Metropolitani Præſidis Sedem, & prouinciæ caput pro illius Archiepiſcopo pro tempore exiſtenti, qui pallij, & crucis vſum aliorum Archiepiſcoporum more habeat, omnibuſque aliis inſignibus Archiepiſcopalibus, necnon priuilegiis, honoribus, & prærogatiuis aliis Archiepiſcopis debitis, & conceſſis, gaudeat, tenore præſentium perpetuo erigimus, & inſtituimus, ac nomine, titulo, & honore Archiepiſcopali, & Metropolitano decoramus.

Eccleſiarum Placẽtin. Parmen, &c. ſubiectio Archiepiſc. Bonon.

§. 4. Necnon Placentin. Parmen. Regien. Mutinen. Imolen. Ceruien. & Cremen. Eccleſias, earumque omnium & ſingularum Ciuitates, & Diœceſes, cum omnibus, & ſingulis earum Territoriis, & terminis, ac dilectos filios Clerum, & Populum vniuerſum cum ſuis Collegiatis, Parochialibus, & aliis Eccleſiis, necnon Monaſteriis vtriuſque ſexus ceteriſque beneficiis, & officiis Eccleſiaſticis, cum cura, & ſine cura, ſęcularibus, & quorumuis ordinum regularibus, necnon ho hoſpitalibus, domibus, collegiis, & locis religioſis quibuſcumque ab eiuſdem Sedis Apoſtolicæ immediatè ſiue alterius cuiuſcumque etiam Metropolitani ſubiectione etiam perpetuò diuidimus, & ſepamus: illaſque & earum Diœceſes, ac Ciuitates, poſthac in prouincia Bononienſi eſſe, & conſiſtere, neque in alia Prouncia cenſendas, & numerãdas eſſe decernimus, & declaramus: & quatenus alteri Prouinciæ Archiepiſcopove etiam Mediolanenſi, & Rauennatenſi, tàm antiquo iure, conſuetudine, priuilegio, vel alterius Metropolis erectione ſiue inſtitutione, quàm iure electionis ex Sac. Conc. Trid. decreto factæ, vel alia quauis ratione, & cauſa antea adiunctæ ſubiectæque, in toto aut in parte, eſſent vel cenſerentur ſiue in illius poſſeſſione vel quaſi, ſe eſſe prætenderent, ab omni illius ſiue alterius Prouinciæ, vel Archiepiſcopi, etiam Mediolanenſis, & Rauennatenſis, aut illorum Capitulorum iure Metropolitico correctione, viſitatione, ſubiectione, & omni quacumque alia iuriſdictione, obedientia, & ſuperioritate, ſi qua forſan quauis occaſione illis competeret, ſiue competat, ſimiliter perpetuò eximimus, & liberamus.

Ad hoc vide bullam Clem. VIII. indicatam in rubr.

Epiſcoporum Suffraganeorũ eidem Archiepiſc. ſubiectio. Vide d. bullã Clem. VIII.

§. 5. Necnon dictæ Bononienſi Eccleſiæ prædictas Placen. Parmen. Regien. Mutinen. Imolen. Ceruien. & Cremen. Ciuitates, & Diœceſes pro ſua Metropolitana Prouincia, ac Placent. Parmen. Regien. Mutinen. Imolen. Ceruien. & Cremen. Eccleſias præfatas, modernoſque, & pro tempore exiſtentes illarum ſingularum Præſules pro ſuis, & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Bononienſis ſuffraganeis, qui necnon earum ſingularum Capitula etiã quocumque priuilegio ſuffulta, tanquam membra capiti eidem Archiepiſcopo Bononiẽſi iure Metropolitico ſubſint, ſibique obedientiam, & reuerentiam tanquam proprio Metropolitano prorſus exhibeant, pariter perpetuò ſubiicimus. eidemq; Archiepiſcopo Bononienſi prædictos ſuos ſuffraganeos conſecrandi, ad prouinciales Synodos euocandi, ac cum eis etiã Eccleſiaſtica negotia terminandi, eorum Eccleſias diſponendi, ad cauſas quarumcumque appellationum, ſiue querelas alias iuxta ſacrorum Canonum ſtatuta cognoſcendi, omniaque alia & ſingula, quæ de iure vel conſuetudine, aut alias quomodolibet ad Archiepiſcopos, & Archiepiſcopale munus ſpectare, & pertinere ſolent, & debent, gerendi, & exercendi plenam, & omnimodam concedimus facultatem. Prouinciæ quoque Bononienſi Clerum, & populum vniuerſum pro eorumdem Eccleſiæ, & Archiepiſcopi Bononienſis prouincialibus ſimiliter perpetuò concedimus, & aſſignamus.

Decretum irritans.

§. 6. Decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula derogat.

§. 7. Non obſtantibus regula noſtra de iure quæſito non tollendo, ac quibuſuis aliis conſtitutionib. & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Placentin. Parmen. Mutinen. Regien. Ceruien. Imolen. & Cremen. ac Rauennaten. & Mediolanen. Eccleſiarum prædictarum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Eccleſiis, illarumque Præſulibus, & adminiſtratoribus, ac Capitulis, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de ſimili Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & conſiſtorialiter, & de ſimili conſilio, ac alias quomodolibet etiam pluries conceſſis, confirmatis & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie, de conſilio, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſpecialiter, & expreſsè derogamus ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis, inſtitutionis, derogationis, diuiſionis, ſeparationis, declarationis, exemptionis, liberationis, ſubiectionis, conceſſionis, aſſignationis, decretorum, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. *Sanctio pœnalis.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1582. 4. Idus Decemb. Pontificatus noſtri anno vndecimo. *D. P. An. 11. 10. Decemb.*

LXXX. Abbatiſſæ & aliæ Præfectæ Monaſteriorum Monialium in Italiam ad triennium tantummodo eligantur.

Quoad modum eligendi, habes Concil. Trident. in ſeſſ. 25. cap. 7.

GREGORIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1583.*

EXpoſcit debitum Paſtoralis officij, quod diſponente Domino gerimus, vt ad ea ſollicitè intendamus, per quæ Monaſteria & alia Religioſa loca, præſertim Deo dicatarum Sanctimonialium, ſecundum regularis diſciplinæ normam regantur, & gubernentur. *Exordium.*

§. 1. Perpendentes igitur varia, & multiplicia damna, quibus plerumque afficiuntur Monaſteria Monialium, quæ per Abbatiſſas, vel alias Præfectas perpetuas regũtur, è contra verò Abbatiſſas, & alias præfectas triennales, ſcientes ſe lapſo triennio ſuæ adminiſtrationis rationem eſſe reddituras, ac ſperantes de bene geſtis laudem promereri, pœnam verò ſi male geſſerint, metuentes, maiori ſtudio, ac diligentia, regimen & adminiſtrationem Monaſteriorum ſibi commiſſorum gerere. *Cauſa huius conſtit.*

§. 2. His & aliis rationabilibus cauſis adducti, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, in omnibus & ſingulis Monaſteriis Monialium S. Benedicti Ciſtercien. Carthuſien. & aliorum quorumcumque Ordinum in vniuerſa Italia, & præſertim in vtriuſque Siciliæ Regnis conſiſtentibus, quæ nunc per Abbatiſſas, vel alias Præfectas perpetuas reguntur, & gubernantur, cum primum Abbatiſſæ, aut aliæ Præfectæ huiuſmodi regimini, & adminiſtrationi ipſorum Monaſteriorum ceſſerint, etiam apud Sedem Apoſtolicam, vel deceſſerint, eorum Abbatiſſatus, ſeu Præfecturas vacare contigerit, Abbatiſſæ, aut aliæ Præfectæ non amplius perpetuæ, ſeu ad vitam, quarum nomen, ac titulum ex nunc, prout ex tunc, Apoſtolica auctoritate ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium perpetuò extinguimus, & abolemus, ſed triennalis tantum à Conuentu vniuſcuiuſque Monaſterij, & alias iuxta decreta Sac. Conc. Trid. & regularia ſuorum Ordinum inſtitura eligantur, & præficiantur, quæ poſtmodum elapſo triennio, ſuis officiis perfunctæ, præeſſe deſinant, omnique prorſus careant auctoritate, ac à regimine, & adminiſtratione Monaſterij per triennium à die finitæ adminiſtrationis inchoandum abſtineant, quo elapſo, ſeruata eadem forma Conc. Trident. iterum & pluries eligi poſſint. *Abbatiſſa Monialiũ ad triẽnium tantummodo eligantur, iuxta ſuorum Ordinum inſtituta & Conc. Trid.*

Digitized by Google

Prohibitio aliter eligendi

§.3. Districtius inhibentes omnibus, & singulis dictorum Monasteriorũ Conuentibus, Superioribus, & personis, aliquam Abbatissam, aut aliam Præfectam perpetuam, seu ad vitam, sed triennalem tantum eligere, & præficere vllo modo audeant, vel præsumant.

Decretum irritans.

§.4. Quod si secus à quoquam quauis auctoritate fuerit attentatum, electionem, & præfectionem huiusmodi, ac omnia, & singula, quæ inde sequentur, irrita, nulla, & inania, nulliusque roboris vel momenti fore. Sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, in quauis causa, & instantia iudicari, & definiri debere decernimus.

Clauſ. derog.

§.5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictorum Monasteriorum, & Ordinum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Monasteriis, eorumque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis, in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis & innouatis. Quibus omnibus & singulis, eorum tenores, ac si ad verbum inserrentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Ceterum quia difficile foret præsentes nostras ad singula quæque loca, vbi necessarium fuerit, deferre, volumus quod illarum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 11. 1. Ianuar.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 1. Ianuarij, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus nostri anno 11.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. 1583. indictione 11. die vero 4. mensis Ianuarij, Pontificatus S.D.N. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno 11. retroscriptæ litera affixæ & publicatæ fuerunt in acie Campi Flore, dimissa earum cõpia auscultata, & collationata cum dictis literis in valuis eiusdem aciei affixa per me Ioannem Freile, Curs. S.D.N. Papæ.

Petrus Delbeque Mag. Curs.

LXXXI. Excommunicatio & anathematizatio quorumcumque hæreticorum, necnon aliorum omnium, qui contentis in hac bulla Cœnæ Domini contraueniunt.

Alias habes eiusmodi bullas, quas tibi indicabo in const. 63. Pauli V. Pastoralis. *apud quam posui notas, quæ etiam huic bullæ congruæ videntur.*

Edita An. D. 1583.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Excommunicantur infrascript.

CONsueuerunt Romani Pontifices prædecessores nostri ad retinendam puritatem Religionis Christianæ, & ipsius vnitatem, quæ in coniunctione membrorum ad vnum caput, Christum videlicet, eiusque Vicarium principaliter consistit, & Sanctam fidelium Societatem ab offensione seruandam, arma iustitiæ per ministerium Apostolatus in præsenti celebritate exercere.

Hæretici, eorumq; fautores & libros prohibitos legentes, & ab obedientia Rom. Pontif. recedentes.

§. 1. Nos igitur vetustum, & solemnem hunc morem sequentes excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, auctoritate quoque BB. Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra quoscumque Vsitas, Vicleuitas, Lutheranos, Zuuinglianos, Caluinistas, Vgonottos, Anabaptistas, Trinitarios, ac omnes, & singulos Hæreticos, quocumque nomine nuncupentur, & cuiuscumque sectæ existant, & eorum credentes ipsorumque receptatores & fautores, & generaliter quoslibet defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut tenentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quauis causa publice vel occulte, quouis ingenio vel colore, necnon schismaticos, & eos qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia, pertinaciter subtrahunt vel recedunt.

Appellantes à Papa ad futurum Concilii, & eorum fautores.

§.2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos cuiuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint, & interdicimus Vniuersitates, Collegia, & Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus, sententiis seu mandatis nostris ac Roman. Pont. pro tempore existentium, ad vniuersale futurum Concilium appellantes, necnon eos, quorum auxilio vel fauore appellatum fuerit.

Piratæ, & eorum auxiliatores.

§.3. Item excommunicamus, & anathematizamus, omnes Piratas, Latrunculos maritimos, & illos præcipue qui mare nostrum, à Monte argentario, vsque ad Terracinam discurrentes, eos, qui in illo nauigant deprædantur, mutilant, interficiunt, rebusue, & bonis suis spoliant, omnesque receptatores eorumdem, & eis auxilium scienter dantes vel fauorem.

Naufragiorũ bona scienter rapientes, aut ab aliis rapta accipientes.

§.4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcumque nauibus tempestate in transuersum, vt dici solet, iactaris, naufragium passis, aut etiam submersis, siue in ipsis nauibus, siue eis delapsa, & in mari, vel litore inuenta, cuiuscumque generis bona, tam in nostri Tyrrheni, & Adriatici, quam in quibuscumque aliis cuiuscumque maris regionibus, & litoribus rapuerint, aut scienter ipsi sibi acceperint, aut ab aliis rapta, seu accepta scienter receperint, ita vt nec etiam ob quodcumque priuilegium, consuetudinem, aut longissimi etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque prætextum excusari possint.

Pedagia noua absq; potestate imponentes.

§.5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes qui in terris suis noua pedagia, seu gabellas ad id potestatem non habentes imponunt, vel augent, aut imponi, vel augeri prohibita exignut.

Falsificantes literas Apost. vel falso fabricantes.

§.6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios literarum Apostolicarum, & in forma Breuis, ac supplicationum, gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S.R.E. Vicecancellarium, seu Gerentes vices eorum aut de mandato eiusdem Romani Pontif. signatarum, aut sub nomine eiusdem Roman. Pontif. seu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum, signantes supplicationes easdem, ac etiam falso fabricantes literas Apostolicas, & in forma breuis, ac supplicationes huiusmodi. Extendentes constitutionem felicis recordationis Innocentij Papæ Tertij, quæ incipit. Ad falsariorum, cum omnibus pœnis in ea contentis, ad eosdem fabricantes, & etiam ad falsificantes seu mutantes supplicationes per nos, seu de mandato nostro signatas, & datas sine nostra aut Datarij nostri licentia.

Arma & alia quibus Christiani impugnãtur ad infideles deferẽtes aut concernentia statum Reipubl Christiana eisdem nunciantes.

§.7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, filium ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quam ex quacumque alia materia, & ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus Christianos impugnant, deferunt Saracenis, Turcis, & aliis Christi nominis inimicis. Necnon illos qui per se vel alium seu alios de rebus Christianæ Reipublicæ statum concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscumque priuilegiis, & concessionibus quibuscumque Principibus, & Dominis, siue priuatis personis, per nos, & Sedem prædictam hactenus concessis, quæ illis nolumus in aliquo suffragari.

Victualia, & alia ad Vrbẽ deferentium, perturbatores, eorumq; fautores.

§.8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, siue inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad vsum Romanæ Curiæ necessaria adducunt, ac etiã eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur vel afferantur, impediunt seu perturbant, vel pro eis aliquid exigunt, aut soluere faciunt, seu hæc facientes defendunt

per

per se vel alium seu alios, cuiuscumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, ac etiamsi Pontificali vel Regali, aut alia quauis Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate.

Peregrinorũ & aliorũ ad Sedem Apost. venientium, &c. ex proposito offensores.

§. 9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes ex proposito interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu Peregrinos ad Vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis, & protsus omnes alios ad Sedem Apostolicam accedentes, vel apud eam morantes aut recedentes ab ipsa, & illis dantes auxilium, consilium vel fauorem.

Cõmorantiũ in Curia absque iurisdict. perturbatores.

§. 10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos qui non habentes in eadem Curia iurisdictionem ordinariam vel delegatam, eius prætextu capiunt, spoliant, detinent morantes in eadem, vel qui talia fieri mandant.

Cardinalium & aliorum Prælatorum offensores eorumque auxiliatores.

§. 11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, verberantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos seu Nuncios, aut eosdem eiicientes à suis diœcesibus, territoriis, Terris, seu Dominiis, eaque mandantes vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium vel fauorem.

Offendentes eos qui ad Romanam Curiã recurrunt Procuratoresque eorum.

§. 12. Item excommunicamus, & anathematizamus illos, qui per se vel alium seu alios, quascumque personas Ecclesiasticas vel sæculares ad dictam Curiam super eorum causis, & negociis recurrentes, illasque in eadem Curia prosequentes aut procurantes negociorumque gestores, Aducatos, Procuratores, & Agentes, ipsorum, seu etiam Auditores vel Iudices, super dictis causis vel negociis deputatos, occasione causarum vel negociorum huiusmodi verberant, mutilant, occidunt, bonis spoliant, seu qui per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, prædicta exequi vel procurare, aut in eisdem consilium, auxilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

Impedientes executionem literarũ Apostolicarum, & aliarũ expeditionum vel prohibentes recursum ad Sedem Apost. vel gratiarũ impetrationẽ.

§. 13. Ac etiam omnes, tam Ecclesiasticos quam sæculares, cuiuscumque dignitatis, qui prætexentes friuolam quamdam appellationem à grauamine vel futura executione literarum Apostolicarum, & in forma breuis, tam gratiam quam iustitiam concernentium, necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executorialium, & aliorum decretorum, à nobis, & à Sede prædicta, seu Legatis, Nunciis, Præsidentibus, Cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque Iudicibus, & delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint; aut alias ad Curias sæculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea, instante etiam Fisci procuratore, appellationes huiusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt. Quiue illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, consensu vel examine exequutioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarij super huiusmodi literarum, & processuum executione instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt vel prohibent, ac etiam partes, seu earum agentes, Notarios, executores, & subexecutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Ciuitatibus, locis, & Regnis eiiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt. & comminantur, per se vel alium seu alios, publice vel occulte, seu capi, carcerari, detineri, percuti, vulnerari, minisque agitari faciunt. Quiue alias quil uscumque personis, in genere vel in specie, ne pro quibusuis eorum negociis prosequendis, seu gratiis, vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel literas à dicta Sede impetrent, seu impetratis vtantur, directe vel indirecte prohibere, statuere, seu mandare, vel eos apud se, aut Notarios seu tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præsumunt.

Auocantesq; causas Ecclesiasticas à iudicibus Ecclesiasticis eorumque fautores.

§. 14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos Cancellarios, Vicecancellarios, & Consiliarios, ordinarios, & extraordinarios quorumcumque Regum, & Principum, ac Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, & Parlamentorum necnon procuratores generales eorumdem, vel aliorum Principum sæcularium etiamsi Imperiali, Regali. Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, quocumque nomine nuncupentur, alioſque Iudices, tam ordinarios quam delegatos, necnon Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Commendatarios, Vicarios, & officiales, qui per se vel alium seu alios auctoritate propria, & de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commissariis nostris, aliisque Iudicibus Ecclesiasticis auocant, illarumve cursum, & audientiam, ac personas, capitula, Conuentus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tamquam Iudices interponunt, quique partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum vel consentiendum eos contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolui, per statutum vel alias compellunt, vel executionem literarum Apostolicarum seu executorialium, processuum ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos vt dicunt, supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram nobis, & Sede Apostolica legitime prosequantur.

Trahentes ad sæcularia Tribunalia præter iuris dispositionem personas Eccl. vel Ecclesiasticã libertatẽ ladentes.

§. 15. Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis aut aliorum quorumcumque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conuentus, & Collegia Ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum Tribunal, audientiam, Cancellariam, Consilium vel Parlamentum, præter iuris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt vel procurant, directe vel indirecte, quouis quæsito colore. Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quæuis alia decreta, in genere vel in specie, ex quauis causa, & quouis quæsito colore, ac etiam prætextu literarum Apostolicarum vsu non receptarum, seu reuocatarum, vel cuiusuis consuetudinis, aut priuilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quouis modo restringitur, seu nostris, & dictæ Sedis, ac quarumcumque Ecclesiarum iuribus quomodolibet, directe vel indirecte, tacite vel expresse præiudicatur.

Impedientes iurisdictionẽ Iudicũ Ecclesiasticorum, eorumq; fautores.

§. 16. Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, alioſque Superiores vel inferiores Prælatos, & omnes alios quoscumque Iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet impediunt, quo minus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque vtantur, secundum quod Canones, & sacræ constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium & præsertim Tridentini, statuunt. Ac etiam eos qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam delegatorum quorumcumque sententias & decreta, aut alias fori Ecclesiastici iudicium eludentes, ad Cancellarias & alias curias sæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia, Ordinariis aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant. Eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

Vsurpantes Sedis Apost. & quarũcumq; Ecclesiarum iurisd. & fructus, vel eos sequestrantes.

§. 17. Quive iurisdictiones, seu fructus, redditus, & prouentus, ad nos, & Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant, vel etiam quauis occasione vel causa, sine Rom. Pont. vel eorum ad quos iure pertinent, expressa licentia sequestrant.

Imponentes decimas & alia onera personis Ecclesiasticis, aut Ecclesiis, & eorum fructibus absque licentia Pontificis.

§. 18. Quive collectas, decimas, taleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi absque simili Rom. Pont. speciali, & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita,

Digitized by Google

etiam à ſponte dantibus, & concedentibus recipiunt. Necnon qui per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte prædicta facere, exequi vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem, aut votum ſeu ſuffragium, palam vel occulte præſtare non verentur, cuiuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiam ſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, ſeu Principes, Duces, Comites, Barones, Reſpublicæ, & alij Potentatus quicumque, etiam Regiis, Prouinciis, Ciuitatibus, Terris quoquomodo præſidentes, aut quauis etiam Pontificali dignitate inſigniti. Innouantes decreta ſuper his per ſacros Canones, tam in Lateranen. nouiſſime celebrato, quam aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum cenſuris & pœnis in eis contentis.

Iudices ſeculares ſe interponentes in cauſis criminalibus cõtra perſonas Eccleſiaſticas.

§. 19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcumque Magiſtratus, Senatores, Præſidentes, Auditores, & alios Iudices quocumque nomine vocentur, ac Cancellarios, Vicecancellarios, Notarios, Scribas, ac executores, & ſubexecutores, & alios quoquo modo ſe interponentes in cauſis capitalibus ſeu criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas, illas banniendo, capiendo, proceſſando, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo etiam prætextu quorumcumque priuilegiorum à Sede Apoſtolica ex quibuſuis cauſis, ac ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, in genere, & ſpecie conceſſorum, quibuſcumque Regibus, Ducibus, Principibus, Rebuſpublicis, Monarchis, Ciuitatibus, & aliis quibuſcumque potentatibus, quocumque nomine cenſeantur, quæ nolumus illis in aliquo ſuffragari, illa omnia ex nunc in irritum reuocando.

Occupantes Terras, & loca S. R. E. aut in illis iuriſdictionem vſurpantes, eorumque fautores.

§. 20. Item excommunicamus, & anathematizamus illos, qui per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte, ſub quocumque titulo vel colore, de facto occupant vel detinent, vel hoſtiliter deſtruunt vel inuadunt, occupare, detinere, vel deſtruere, aut inuadere hoſtiliter præſumpſerint, in totum vel in partem Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, Terras, citra Pharum, Patrimonium B. Petri in Tuſcia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venayſinum, Sabinenſem, Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimas Prouincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras, ſpecialis commiſſionis Arnulphorum, Ciuitateſque noſtras Bononiam, Cæſenam, Ariminum, Beneuentum, Peruſium, Auinionem, Ciuitatem Caſtelli, Tudertum, & alias Ciuitates, Terras, & loca, vel iura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictæque Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubiecta, quiue ſupremam iuriſdictionem in illis nobis, & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem, de facto vſurpare, perturbare, retinere, & vexare, variis modis præſumunt. Necnon adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel fauorem quomodolibet præſtantes.

Raptores bonorum Cam. Apoſt. tẽpore infirmitatis Pontificis, aut vacationis Sedis Apoſt.

§. 21. Necnon omnes, & ſingulos ſuppellectilium, librorum, ſcripturarum, & bonorum Cameræ, & Palatij Apoſtolici, ex eodem Palatio, infirmitatis Rom. Pont. ac Sedis Apoſtolicæ vacationis tempore, ablatores, raptores, & illorum detentores, ac quoſcumque alios ad quorum manus bona prædicta quocumque titulo, & ex quauis cauſa ſcienter peruenerint.

Hæc conſtitutio durat vſq; ad publicationem alterius ſimilis conſt.

§. 22. Volentes præſentes noſtros proceſſus, ac omnia & quæcumque his literis contenta, quouſque alij huiuſmodi proceſſus, à nobis aut Romano Pontifice pro tempore exiſten. fiant, aut publicentur, durare, ſuoſque effectus omnino ſortiri.

Reſeruatio abſolutionis.

§. 23. Ceterum à prædictis ſententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita, abſolui poſſit, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum, quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, & Militiarum regularibus, etiam Epiſcopali vel alia maiori dignitate præditis, ipſiſque Ordinibus, & eorum Monaſteriis, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confratribus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & locis piis, necnon laicis etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus; per nos, & dictam Sedem, ac cuiuſuis Concilij decreta, verbo, literis, aut alia quacumque ſcriptura, in genere & in ſpecie, conceſſorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum.

Abſolumtes, alios à cenſuris hic reſeruatis excommunicantur.

§. 24. Quod ſi forte aliqui contra tenorem præſentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamuus, grauius contra eos ſpiritualiter, & temporaliter prout expedire nouerimus proceſſuri.

Abſolutio Pontificis quot comprehendat.

§. 25. Declarantes ac proteſtantes quamcumque abſolutionem etiam ſolemniter per nos faciendam, prædictos excommunicatos ſub præſentibus comprehenſos, niſi prius à præmiſſis, cum vero propoſito vlterius ſimilia non committendi, deſtiterint, ac quoad eos, qui contra libertatem vt præmittitur, ſtatuta fecerint, niſi prius ſtatura, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, & decreta huiuſmodi publice reuocauerint, & ex Archiuiis ſeu Capitularibus locis, aut libris, in quibus adnotata reperiuntur, deleri, & caſſari, ac nos de reuocatione huiuſmodi certiores fecerint, eos non comprehendere nec eis aliter ſuffragari. Quin etiam per huiuſmodi abſolutionem, aut quoſcumque alios actus contrarios, tacitos vel expreſſos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam noſtram, vel ſucceſſorum noſtrorum quantocumque tempore continuata; in præmiſſis omnibus & ſingulis, ac quibuſcumque iuribus Sedis Apoſtolicæ, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ vndecumque, & quomodocumque quæſitis vel quærendis nullatenus præiudicari poſſe ſeu debere.

Clauſula derogatoria.

§. 26. Non obſtantibus priuilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus, & aliis cuiuſcumque Ordinis, ſtatus, vel conditionis dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamſi vt præmittitur Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quauis Eccleſiaſtica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus ſeu locis, à prædicta Sede ex quauis cauſa, etiam per viam contractus aut remunerationis, & ſub quauis alia forma, & tenore, ac cum quibuſuis clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis conceſſis, etiam continentibus quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi, ac de Ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum nominationem. Necnon conſuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præſcriptionibus quantumcumque longiſſimis, & aliis quibuſlibet obſeruantiis, ſcriptis vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus ac ſententias, quominus includantur in eis, ſe iuuare valeant, vel tueri, quæ omnia quoad hoc, earum omnium tenores, acſi ad verbum nihil penitus omiſſo infererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, penitus tollimus, & omnino reuocamus ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Forma & effectus publicandi hanc conſt. in Vrbe.

§. 27. Vt vero præſentes noſtri proceſſus ad communem omnium notitiam facilius deducantur, chartas ſeu membranas proceſſus ipſos continentes valuis Eccleſiæ ſancti Ioannis Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe appendi faciemus, quæ proceſſus ipſos quaſi ſonoro præconio, & patulo iudicio publicabunt, vt ij quos proceſſus huiuſmodi contingunt, quod ad ipſos non peruenerint, aut quod ipſos ignorauerint, nullam poſſint excuſationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non ſit veriſimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Ordinarij locorum debent, quotannis hanc conſtitutionem in eorum Eccleſiis frequenti populo publicare.

§. 28. Inſuper, vt proceſſus ipſi, ac præſentes literæ, ac omnia, & ſingula in eis contenta eo fiant notiora, quo in pleriſque ciuitatibus & locis fuerint publicata, vniuerſis & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & locorum Ordinariis, Prælatis, & Rectoribus vbilibet conſtitutis per hæc ſcripta committimus & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, vt per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, poſtquam eas receperint, ſeu earum habuerint notitiam, ſemel in anno, aut ſi expedire viderint, etiam pluries in Eccleſiis ſuis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, ſolemniter

Digitized by Google

niter publicent, & ad Christifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Confessarij habeant transumptum huius constitutionis.

§.29. Ceterum hortamur eosdem vniuersos, & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios, & Ecclesiarum Prælatos, necnon Rectores, ceterosque curam exercentes, ac presbyteros, sæculares, & quorumuis Ordinum regulares ad audiendum confessiones quauis auctoritate deputatos, vt transumptum harum literarum penes se habere, legere, & diligenter examinare procurent.

Transumptis subscriptis detur fides.

§. 30. Volentes earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, notarij publici manu subscriptis, & sigillo Iudicis ordinarij Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem, in iudicio, & extra illud vbique locorum adhibendam fore quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 31. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, declarationis protestationis, sublationis, reuocationis, commissionis, innodationis, mandati, hortationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D.P. An. 11. 4. Aprilis.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1583. pridie Nonas Aprilis, Pont. nostri Anno. 11.

LXXXII. Quod præceptoriæ Militiæ, & Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani vacent per promotionem ad Episcoparum.

De hac Militia late notauimus supra ad const. 2. Anast. IV. Christianæ.

Edita A. D. 1563.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Controuersia supervacatione de qua in rubr.

COntrouersia inter Venerabilem fratrem nostrum Thomam Episcopum Meleuitan. & dilectum filium Michaelem Palentrin proxime suscitata, occasione Præceptoriæ de Masden, Prioratus Cathaloniæ, Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, de qua pridem vacante per susceptionem muneris consecrationis eiusdem Episcopi, dicto Michaeli canonice prouisum fuerat, ipse vero Episcopus, illam, non vt beneficium vacationi obnoxium, sed vt prædium possidere posse contendebat.

Decisio d. controuersia emanata ab Aud. Cam.

§1. Nos causam huiusmodi, causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori audiendam commisimus, & sine debito terminandam, omni, & quacumque appellatione remota, qui voto Auditorum causarum Palatij Apostolici de mandato nostro adhibito, prouisionem prædictam Canonicam declarauit, perpetuum Episcopo silentium imponendo, ac prætensam eius appellationem reiiciendo.

Approbatio Pontificis.

§. 2. Quare nos attendentes, Episcopum dictam præceptoriam siue beneficium, siue quodvis aliud, cum sua Ecclesia sine dispensatione Apostolica retinere non posse, ideoque iustæ Michaelis postulationi assentientes, prædictam declarationem & quicquid ab ipso Auditore in hac re decretum est, præsentium prouocatione, vel protestatione ex parte Episcopi interiecta non obstante,

Nulli ergo, &c.

D. P An. 11. 29. Aprilis

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, tertio kal. Maij Pont. nostri Anno 11.

LXXXIII De Electione, numero, & qualitatibus Magistrorum sacræ Theologiæ, de cetero in Prouinciis Italiæ eligendorum ex Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini.

Alia de hoc Ordine scripsi apud Alexand. IV. const. 6. Licet. sup.

Quoad promouendos huius Ordinis fratres ad Doctoratus, & Magisteria in sacra Theologia in Prouinciis Hispaniarum, & Indiarum attende constitut. S. D. N. Vrbani VIII. 40. *Romanus* infra tom. 4. vbi alias Constitut. de hoc Ordine tractantes indicatas reperies.

GREGORIVS PAPA XIII. Dilectis filius Priori generali, & fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini Prouinciarum Italiæ.

Edita An. D. 1583.

Exordium.

DOminicum gregem sollicitudini nostræ cõmissum, internis oculis perspicacius introspicientes, Religiosorum, & eorum, qui mundanis abiectis illecebris, Altissimo in humilitatis spiritu famulantur, præcipuam curam gerere, & ea, quæ professioni illorum aduersari, seu quomodolibet illorum quietem, & felicem statum perturbare posse videntur, de medio tollere, quantum ex alto nobis conceditur, sataguntes, mentis nostræ aciem ad ordinem vestrum ab ipso Sancto Aurelio Augustino institutum præcipua cura conuertimus.

Causa huius constit.

§.1. Cumque inter vos summa cum totius agri Dominici fertilitate, quamplurimi sacris literis operam nauantes, ad Lectoris, Baccalaurei, & postremo Magistri, seu Doctoris in sacra Theologia gradum promoueri, & promoti certis priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, præeminentiis, & superioritatibus, iuxta Ordinis & regulæ vestræ statutorum, & institutionum formam, & continentiam frui, & gaudere consueuerint. Et propterea multi propriis potius quam communibus commodis seruientes, seipsos publicis officiis, oneribus, & laboribus subtrahere satagentes, ad Magisterij, seu Magistri siue Doctoris gradum properanter anhelant illum modis omnibus ambientes adeo, vt nisi malo huiusmodi celeriter occurratur, breui tempore dubitandum sit, ne plures Magistri, quam discipuli in vestro Ordine, præsertim in Prouinciis Italiæ, reperiantur, & cum omnes priuilegio magisterij, seu magistri, vel doctoris suffulti fuerint, nemo qui necessaria singulorum monasteriorum, seu domorum vestrarum munia exercere velit, reliquus futurus sit. Vnde factum est, vt fratres Eremitæ Ordinis vestri Prouinciarum extra Italiam constitutarum, Magistros seu Doctores, nisi magna cum cautela, & paruo numero à certis annis citra non admiserint, nec admittant de præsenti.

Præscriptio numeri, qualitatum, Magistrorum in Theologia eligendorum. Ac tempus promouendi & locus.

§.2. Nos igitur malis huiusmodi occurrere, & communi vtilitati vestrum omnium consulere, & vt posthac nonnisi idonei, & in numero decenti ad magisterium, siue Magistri aut Doctoris gradum promoueantur, prouidere volentes, Prædecessorum nostrorum, & præsertim felicis recordationis Bonifacij Papæ Octaui, qui alias per suas literas sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum, quinto Kalendas Maij, Pontificatus sui Anno decimotertio, Ordinis Fratrum Prædicatorum Magistros huiusmodi creandi modum & normam præscripsit, inhærentes. Motu proprio, non ad vestram, seu alicuius vestrum super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex nostra certa scientia, & spontanea voluntate, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, statuimus, decernimus, ordinamus, volumus, mandamus, vetamus, & prohibemus, ne posthac Prior Generalis Ordinis vestri pro tempore existens, neque etiam ipsum Capitulum generale capitulariter congregatum, aut quodcumque Capitulum siue Congregatio Prouincialis, cuiuscumque Prouinciæ intra Italiam constitutæ, siue alij quicumque, quacumque Ecclesiastica siue mundana præfulgeant dignitate, & potestate, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, prætextu cuiuscumque consuetudinis etiam immemorabilis, siue priuilegij aut indulti Apostolici ex quacumque causa quomodolibet pro tempore, etiam Motu proprio per quoscumque Prædecessores nostros, aut nos forsan concessi, & innouati, quoscumque quantumcumque idoneos, & habiles ad magisterium, siue Magistri, aut in sacra Theologia Doctoris gradum, & dignitatem quomodolibet efferre aut promouere, seu efferri, & promoueri permittere possit aut valeat, audeat seu præsumat, nisi singulis sex annis in singulis Capitulis Generalibus, coram Definitotibus, & in ipso Definitorio, & non vltra duos ex singulis Italiæ Prouinciis,

Digitized by Google

ciis, seu Congregationibus, ac alias modis, formis, locis, temporibus, & à personis infrascriptis examinandos, & approbandos, videlicet, vt in Capitulis Prouincialibus, à vobis & singulis vestris Italiæ Prouinciis seu Congregationibus, statutis, temporibus celebrari solitis ex vobis ipsis, & ex singulis quibusque respectiuè Prouinciis seu Congregationibus, si fieri possit, sin autem ex viciniotibus, viri Magistri sacra Theologia, moribus, & doctrina idonei duo, qui ad magisterij gradum, modo, & forma infrascriptis promouendos examinare, & in eorum, & cuiuslibet eorum vitam, & mores inquirere, illorumque concursus audire, vt de eo siue eis recte iudicare possint, & valeant, eligantur, iurentque Electi ipsi, se solo Religionis zelo, omni humano affectu postposito, illos sese electuros, quos vita, moribus, & doctrina idoneos, seu idoneiores ex suæ cuiusque conscientiæ iudicio iudicabunt.

Experimenti & examen eorundem.

§. 3. Omnes vero, & singuli de singulis quibuscumque Italiæ Prouinciis, seu Congregationibus respectiue, qui se ad Magistri seu Magisterij vel doctoratus huiusmodi gradum, & dignitatem ascendere posse confident, ex ipsis quibusque respectiue Prouinciis seu Congregationibus (si aderunt) sin autem etiam ex aliis dummodo promouendi ipsi ad aliquod monasterium illius Prouinciæ, in qua promouendi fuerint, transferantur, & ab eo in filios legitime suscipiantur, summa cum diligentia, & maturitate ab Electis huiusmodi examinentur, & in eorum omnium, & singulorum scientia, & doctrina periculum fiat, & experientia, & centum formatis schedulis distinctiones, & punctos ex quatuor Magistri sententiarum libris, vigintiquinque scilicet ex libro quolibet exceptos continentibus, illisque in vnam coniectis, singulæ forte extrahantur, quæ singulis promouendis incontinenti assignentur, & super schedulis ipsis siue punctis sibi assignatis, qui forte obuenerint, singuli promouendi, vigintiquatuor horarum spatio in præsentia duorum, sicut præmittitur, Electorum, & aliorum doctorum virorum, ac Patrum vocalium ipsius Capituli Prouincialis, lectionem, vt vocant, scholasticam legere, & ex ea conclusiones suo arbitrio disputandas proponere, & contra ipsos omnes & singulos, sicut præfertur, electi seu alias præsentes, saltem tres Magistri arguere & contradicere teneantur. Et insuper inter promouendos ipsos fiat concursus, vt quis eorum alio seu aliis magis idoneus repertus fuerit, aliis posthabitis, præferatur. Examinibus vero, & concursibus singulis in suis quibusque Prouincialibus Capitulis modo, & forma præmissis, perfectis, omnes, & singuli, qui examinibus, & concursibus ipsis, sicut præfertur, electi præfuerint, præuio eorum, & cuiuslibet ipsorum iuramento, singulis pro suis conscientiis solum Deum, & Religionis Christianæ profectum præ oculis habentes, omni, & quocumque alio affectu postposito, quos idoneos, seu magis idoneos reputauerint, in schedula eorum, & cuiuslibet eorum propria manu scripta seu subscripta adnotare, & Priori Generali in generali Capitulo quolibet sexennio celebrari solito coram Definitoribus, seu maiori illorum parte, & in ipso definitorio, & non alibi, sub pœna excommunicationis præsentare curabunt.

Facultas Prioris Generalis eos promouendi.

§. 4. Ex ipsis autem modo, & forma præmissis, & singulis Prouinciis, seu Congregationibus electis examinatis, & pro idoneis, seu magis idoneis approbatis, & receptis Prior generalis pro tempore existens, in loco ipso definitorij, & non alibi, & coram ipsis Definitoribus, seu maiori illorum parte, duos & non plures singulis sex annis, & in Generali Capitulo ex singulis Italiæ Prouinciis seu Congregationibus eligere, illosque in sacra Theologia Magistros, siue Doctores, creare, & facere, auctoritate nostra possit, & valeat, sicque per ipsum Priorem Generalem assumpti, & promoti, in ipsa sacra Theologia Magistri vere, & realiter vbique, tam tota Italia quam extra in quacumque Prouincia vel Congregatione censeantur, & existant. Omnibusque & singulis gratiis, priuilegiis, exemptionibus, præeminentiis, & superioritatibus, tam à iure communi quam statutis, & consuetudinibus Ordinis vestri in sacra Theologia Magistris, & Doctoribus concessis, & indultis, & quibus alij quicumque in sacra Theologia Magistri, seu Doctores in publicis quibuscunque Gymnasiis, aut Vniuersitatibus ad magisterij, seu Magistri vel Doctoris gradum promoti, & assumpti, vti, frui, potiri, & gaudere soliti sunt, & consueuerunt, vtunturque, potiuntur, & gaudent, vti, frui, potiri, & gaudere possint, vtantur, fruanturque, potiantur, & gaudeant, libere, & licite, ac pacifice, & quiete. Nos enim tibi dilecto filio Priori generali moderno, & pro tempore existenti, modo & forma præmissis à Prouincialibus Capitulis electos, & pro tempore eligendos, etiam absque alicuius loci Ordinarij, siue Collegij, aut Vniuersitatis, siue Studij, aut Gymnasij generalij, siue illius Rectoris, aut cuiuscumque Administratoris quocumque nomine nuncupati, & quacumque Ecclesiastica seu mundana auctoritate, & potestate fungentis, etiam S. R. E. Cardinalis licentia, ad magisterij, siue Magistri, seu Doctoris in sacra Theologia huiusmodi gradum, præeminentiam, dignitatem, auctoritatem, & facultatem promouere, illisque omnibus, & singulis Magistri seu Doctoris in sacra Theologia insignia, auctoritates, facultates, & potestates singulis Magistris, & Doctoribus in ipsa sacra Theologia, per nos aut quoscumque locorum Ordinarios siue Vniuersitates, Collegia, Studia, Gymnasia, illorumve Rectores, siue Administratores quoscumque, aut alias quascumque personas, quacumque auctoritate, & potestate suffultas, & S. R. E. Cardinales, & de latere nostro Legatos, vel etiam quæcumque loca concedi solita, ipsis, sicut præfertur, electis, examinatis, & approbatis, quos ex singulis Prouinciis, modo, & forma præmissis præuia de more professione fidei elegeris, & in Magistros seu Doctores assumpseris, dare, indulgere, concedere, & attribuere, etiamsi Capitulum Generale huiusmodi in Alma Vrbe nostra, aut alibi, vbi nos, & curiam nostram Romanam tunc temporis commorari contigerit, aut in aliis quibuscumque Ciuitatibus in quibus Gymnasia, & Studia generalia vigere dignoscuntur, aut in futurum quomodolibet erigentur, fieri, & celebrari contigerit, plenarie concedimus, & indulgemus, præsentium per tenorem.

Reuocatio priuilegij quibuscumque concessi.

§. 5. Decernentes & districte præcipiendo mandantes ne quisquam vestrum qui posthac cuiuscumque priuilegij, etiam à nobis, & successoribus nostris, etiam Motu proprio concessi, aut alias quomodolibet impetrati prætextu, ad cuiuscumque Doctoratus, aut Magisterij gradus, etiam à quibuscumque locorum Ordinariis, etiam S. R. E. Cardinalibus, aut de latere Legatis, siue in quibuscumque Gymnasiis aut Vniuersitatibus in posterum promoti fuerint, Magistri aut in sacra Theologia Doctoris titulum, nomen, insignia, aut præeminentiam, seu priuilegia, & exemptiones quascumque vsurpet, aut vsurpare, siue alias, aut aliter quam modo, & forma præmissis, concessis vti quomodolibet publice vel occulte, audeat seu præsumat sub pœna priuationis ceterorum graduum, & inhabilitatis ad Magisterium, etiamsi aliquibus per nos aut successores nostros, ac Sedem Apostolicam, vt in sacra Theologia vere, & realiter Magistri seu Doctores sint, & existant, & omnibus gratiis, priuilegiis, exemptionibus, & indultis, quibus ceteri Magistri & Doctores potiri, & gaudere consueuerint, potiantur, & gaudeant, quomodolibet concessum extiterit. Interdicentes etiam, provt earumdem præsentium tenore interdicimus omnibus, & singulis Italiæ Prouinciis prædictis, & quibuscumque Congregationibus vestris, ne quemquam ad magisterium, siue doctoratum, approbare aut proponere aliter, alibi, aut alias, quam præscriptis modis, formis, personis, & locis, ac temporibus, possint aut valeant quouis, quæsito colore vel ingenio.

Executorum deputatio.

§. 6. Quocirca Venerabilibus fratribus nostris Iacobo Episcopo Portuensi, moderno ac pro tempore existenti Ordinis vestri Protectori, necnon Mediolanensi Archiepiscopo, ac dilecto filio Curiæ causarum Cameræ nostræ Apostolicæ generali Auditori, per præsentes Motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium seu alios præsentes nostras literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra, aut alicuius vestrum fuerint requisiti, seu eorum alter fuerit requisitus, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio

Digitized by Google

sidio assistentes; faciant auctoritate nostra, præmissa omnia,& singula,ab omnibus, & singulis,quos tangunt,seu tangere poterunt quomodolibet in futurum, inuiolabiliter obseruari.Contradictores quoscumque per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas, per eos seu eorum alterum inflictas, & cõminatas, sæpius aggrauando, & reaggranando,etiam inuocato ad hoc,si opus fuerit,auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogat. §. 7. Non obstantibus felicis recordationis, Gregorij Decimi,& Bonifacij Octaui prædecessorum nostrorum de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dũmodo quis vigore præsentium ad iudicium vltra tres dietas non trahatur,ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,priuilegiis quoque,& indultis,etiam Maremagnũ appellatis, ex quacumque, etiam onerosa, & necessario exprimenda causa,tam vobis, & Ordini vestro,quam singulis vestris Prouinciis, Congregationibus, & domibus, seu Monasteriis, aut Particularibus personis,quam etiam quibuscumque locorum Ordinariis, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aut de latere Legatis, vel etiam Gymnasiis, & Studiis,seu Vniuersitatibus quibuscumque.etiam magistros ipsos in sacra Theologia creandi, & promouendi modum, formam, & normam præscriben. etiam cum quibusuis etiam insolitis, & efficacioribus,ac derogatoriarum derogatoriis clausulis,& decretis, etiam Motu proprio concessis, & innouatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes,mentio seu quæuis alia expressio habẽda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

D.P. An. 12. 25. Iunij. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die 25. Iunij, millesimo quingentesimo Octuagesimo tertio, Pont.nostri Anno 12.

LXXXIV. Declaratio præcedentiæ inter Ordines Mendicantium, & inter Confraternitates Laicorum, in processionibus.

Aduerte quod Pius V. generaliter dedit Præcedentiam Fratribus Prædicatoribus Ordinis S. Dominici ante alios Mendicantes, vt sup. in eius const. 71. Diuina. *Et Clem. VIII. eisdem eam concessit ante omnes Regulares, exceptis canonicis,& clericis secularibus, ac antiquis Ordinibus Monachorum inf. in sua const. 13.* Inter cetera.

Edita A. D. 1583.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. EXposcit pastoralis officij munus, cui disponente Domino præsidemus,vt ad ea sollicite intendamus, per quæ discordiarum & litium,ac controuersiarum quarumlibet, præsertim inter personas ecclesiasticas materia tollatur.

Causa const. §. 1. Sane nobis nuper innotuit, quod in multis ciuitatibus, & diœcesibus diuersarum mundi partium nonnullæ lites, causæ, & controuersiæ inter fratres Mendicantes, aliæ etiam similes lites, & controuersiæ inter confratres Confraternitatum Christifidelium,super præcedentia vel iure præcedendi, ortæ iam sint, & oriri facile possint.

Extinctio litium. §. 2. Nos considerantes lites, causas, & controuersias huiusmodi in Ecclesia, præsertim inter religiosas personas,quæ relictis mundi vanitatibus famulatum,& votum suum in humilitatis spiritu Domino,& Deo nostro, qui se pro nobis vsque adeo humiliauit vt formam serui acciperet, exhibere, & persoluere profitentur, non modicam illi præclaræ, Deoque præcipue dilectæ virtuti, quæ est humilitas,labem infundere, populoque scandalum generare,ac propterea illas omni ratione submouendas,pul icæque religionis tranquillitati,ac ministrorum Ecclesiasticorum reconciliationi, & mutuæ dilectioni quamprimum consulendum esse rati,ac supremam huic negotio manum apponere volentes,necnon causas,lites,seu controuersias huiusmodi vbiliber,& coram quibusuis Iudicibus motas,& in quibusuis instantiis indecisas pendentes ab eisdem Iudicibus harum serie ad nos aduocantes,illasque penitus extinguentes, eisdemque Fratribus Mendicantibus, ac Confratribus super præmissis perpetuum silentium imponentes.

Definitio differentiæ circa præcedentiã. §.3. De nobis attributæ potestatis plenitudine volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod quicumque ex dictis fratribus Mendicantibus inter se de præcedentia huiusmodi contendentibus, aut confratribus Confraternitatum prædictarum, inter quos lites & causæ præmissorum occasione ortæ iam sint,seu oriri contigerit in futurum, qui in quasi possessione præcedentiæ ac iuris præcedendi sunt,ij,(quibuscumque reclamationibus, protestationibus, appellationibus, & aliis subterfugiis prorsus remotis,& cessantibus,& postpositis)in processionibus tam publicis quam priuatis præcedere debeant. Quando vero non probentur, aut non constet de quasi possessione præcedentiæ huiusmodi, inter fratres quidem Mendicantes, ij, qui antiquiores in loco controuersiæ, inter Confratres vero inter se litigantes ij, qui prius sacris vsi sunt,in processionibus tam publicis quam priuatis præcedere debeant,ita vt si contigerit noua Monasteria aut domus alicuius Ordinis Mendicantium, in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monasteria aut domus prius erecta, & instituta sint, ille Ordo, qui prius Monasterium seu domum in loco habuerit, præcedat.

Declaratio definitionis. §.4. Præterea quia inter prædictos Ordines plerumque alia in processionibus, & alia in Conciliis generalibus,& aliis actibus,publicis siue priuatis,ratio circa modum præcedendi seruatur, nolumus per præsentes prærogatiuis dictorum Ordinum,quoad præcedentias huiusmodi quæ propriis Ordinibus, præterquam in processionibus prædictis debentur,aut fratribus Capuccinis nuncupatis, qui in processionibus publicis sub Conuentualium S. Francisci, aut Minorum de Obseruantia Fratrum nuncupatorum, Cruce,vt solent, incedere possint, aliquod præiudicium generari.

Clausula sublata. §.5. Sicque per quoscumque Iudices,& Commissarios, etiam S. R. E. Card. sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi,& interpretandi facultate,& auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Clausula derogatoria. §.6.Non obstantibus constitutionibus,& ordinationibus Apostolicis,Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, domorum, ac Confraternitatum quorumcumque,etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis,statutis,& consuetudinibus,priuilegiis quoque, indultis,& literis Apostolicis, illis eorumque superioribus,& personis,sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis derogatoriarum derogatoriis,aliisque efficacioribus,& insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam Motu proprio,aut aliàs quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §.7.Volumus autem vt præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides, in iudicio, quam extra adhibeatur, quæ præsentibus literis adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die 15. Iulij, 1583. Pontificatus nostri Anno duodecimo. *D.P. An. 12. 15. Iulij.*

Anno à Natiuitate Domini 1583. indict. 12. die vero Dominico 17. mensis Iunij, Pontificatus vero Sanctiss. in Christo Patris, *Publicatio.*

Digitized by Google

Patris, & D. N. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno duodecimo, Retroscripta litere Apostolicæ in forma breuis expedite, & affixæ fuerunt in acie Campi Floræ vt moris est, per nos Petrum Guerram, & Melchiorem Riccium eiusdem Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores.

Io. Baptista Bagni Magister Cursorum.

LXXXV. Forma publicandi resignationes beneficiorum ecclesiasticorum, in Curia, & extra.

Quæ autem resignationes ab Episcopis admitti possint, definiuit Pius V. sup. in eius const. 58. Quanta. *Formamque desuper literas Apostolicas, expediendi præfiniuit in constit.* 32. Cogit.

De consensus autem resignationum receptione, & extensione, & aliis vide Clemen. VIII. constitut. 17. *Sanctissimus.* vbi notaui.

Edita An. D. 1584.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Causa const.

HVmano vix iudicio ita bene quicquam, & prouidenter sanciri potest, quin vsus sæpe aperiat, doceatque, id quod salubre fore credebatur, minus experiendo prodesse, quod in illis constitutionibus, quas ad prohibendas simulatas occultasve beneficiorum ecclesiasticorum resignationes diuersi Romani Pontifices multifariam ediderunt, & fel. recordat. Pius Papa Quintus prædecessor noster nouissime promulgauit, cognoscimus accidisse.

Omnes resignationes & iurium concessiones publicari debent intra sex menses si beneficia sint citra montes, si vero vltra, intra nouem.

§. 1. Nos hoc malum, prout occasio necessitasque postulat coërcere volentes, statuimus, vt posthac omnes & quæcumque resignationes, etiam causa permutationis ac commendarum, & etiam literis Apostolicis non confectis, & possessione non habita, necnon litis, & iurium quorumcumque cõcessiones ac retrocessiones, quæ deinceps de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, in nostris seu Romani Pontificis pro tempore existentis manibus, ac etiam coram Notario publico, & testibus fient, & à nobis vel illo, seu nostro vel illius mandato admittentur, & super eis prouisiones, & quæcumque aliæ dispositiones, siue temporales, siue perpetuæ, aut ad hoc mandata Apostolica sub quacumque forma, & quibuscumque etiam S. R. E. Cardinalibus, ac piis locis quocumque priuilegio suffultis, facta, publicari debeant cum literis Apostolicis desuper confectis, intra sex menses, si beneficium citra montes fuerit, vltra vero intra nouem à data concessionis gratiæ, non autem à die præstiti super ea consensus numerandos, etiam si postea concessio gratiæ huiusmodi ex quauis causa, diuersisq; subsequentibus datis, ac quotiescumque & quouis modo reformata, & valida reddita fuerit pluresque & quotquot in alium vel alios cessiones, ac etiam in ipsummet primum resignantem vel cedentem, retrocessiones, termino prædicto nondum elapso interceserint, ita vt vnicus dumtaxat terminus omnibus his successiuis cessionibus ac retrocessionibus decurrat, vt qui postremus gratiam habuerit, publicationem huiusmodi facere, ceteraque omnia hic præscripta intra eumdem terminum præstare teneatur.

Forma publicandi resignationes, & cessiones.

§. 2. Ipsa autem publicatio in Cathedrali, & in beneficij Ecclesia, vel Ecclesiis, si in pluribus illud sit, fiat vbique dum frequens populus ad Missarum solemnia conuenerit, palam omnibus literæ Apostolicæ prædictæ, earumve transumptum authenticum exhibeatur claraque & intelligibili voce resignatio, seu cessio huiusmodi, ac beneficij qualitas, & inuocatio, nominaque & cognomina resignantis, seu cedentis, ac illius in cuius fauorem gratia huiusmodi facta, est, pronuncientur, ita vt hæc omnia possint ad notitiam omnium ibi existentium verisimiliter peruenire, scriptoque de his omnibus exemplo collato valuis dictarum Ecclesiarum affixum relinquatur. Si vero Ecclesia beneficij ruralis sit, aut populo, conuentuque careat, eo casu in Parochiali, intra cuius Parochiæ limites beneficium ipsum consistit, & in Cathedrali Ecclesia, vel si locus bello, seu peste, aliisve manifestis periculis subiaceat, tunc in proxima parochiali, ac etiam in Cathedrali Ecclesia, vel si aditus ad illas, aut vtramuis minime sit securus, in alia cathedrali vel parochiali viciniori periculorum immuni publicatio huiusmodi peragatur.

Declaratio circa apprehensionē possessionis beneficiorum, &c.

§. 3. Is quoque in quem disponi, vel mandari de beneficio etiam litigioso, vel accedente non possesso, sub quacumque forma contigerit possessionem beneficij intra dictum tempus vigore literarum Apostolicarum desuper confectarum, nec alias apprehendere debeat, & si propter litem aut aliud legitimum impedimentum nequiuerit, saltem literas Apostolicas cum earum publicatione si tunc facta erit, Iudici seu executori illarum vel aliis ad quos pertinet, per se vel procuratorem suum legitimum, intra idem tempus præsentare, & apud illum vel illos pro ipsarum literarum executione instare, & possessionem huiusmodi instanter petere teneatur.

Forma prædicta seruari debet in omnibus beneficiis specifice, & non per æquipollens.

§. 4. Ceterum modus, & forma hic tradita, semper, & vbique debeat obseruari, nec alia vel æquipollens vllo modo admitti in omnibus huiusmodi resignationibus, cessionibus, & retrocessionibus, de quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, tam virorum quam mulierum dignitatibus, officiis, & beneficiis, Ecclesiasticis, Iæcularibus & quorumuis Ordinum, etiam militiarum regularibus, etiam electiuis, & manualibus, ac etiam de iure patronatus laicorum illustrium, & alias quomodocumque existentibus, siue pacificis siue in petitorio, siue in possessorio litigiosis, etiam de quibus in Consistorio nostro disponi consueuit, seu debet, quæ posthac ex quacumque causa fient, & per nos ac prædictos successores, extra tamen dictum Consistorium, administrationis, possessionis, fructuum, etiam omnium, ac rerum, & iurium quorumcumque. Ad prædictorum tamen obseruationem eum, in quem iuris fit cessio beneficij, quod tempore cessionis huiusmodi, & ante illam vigore literarum Apostolicarum, vt supra si ad id tenebatur, publicatarum realiter possidebat, nolumus obligari.

Annullatio resignationum & cessionum, non obseruatis præditis.

§. 5. Quod si quicquam prædictorum omnium omissum fuerit, dictis terminis, vt cuique præscripti sunt elapsis, omnes dispositiones & gratiæ resignatorum, & cessorum beneficiorum, aut iurium huiusmodi, cum omnibus inde secutis, siue de pacificis, siue de litigiosis, sint irritæ, & inanes, nullaque alia gratia super huiusmodi beneficio, siue iure cesso, iis quibus concessa fuerit suffragetur, sed ipsi tales inhabiles, & incapaces sint ad huiusmodi beneficia sic resignata, & cessa, quandocumque obtinenda, illaque siue iura ab ipsa statim prima resignatione seu cessione, etiamsi illæ alias nullæ, & inualidæ essent, vacauisse & vacare censeantur eo ipso, nec resignantibus, seu cedentibus, si postea in sua possessione remanent, constitutiones de annali, & triennali possessore, nec præsumptæ, aut tacitæ retrocessiones, etiam propter diuturnam continuatæ possessionis huiusmodi tolerantiam, nec omnino aliud ius vel beneficium vllo tempore suffragetur, sed ipsa beneficia, siue iura sic à principio vacantia, à Sede Apostolica prædicta dumtaxat impetrari valeant, ac concedi. Illorum vero impetrationes, vel etiam Motu proprio concessiones, quibuscumque derogationibus suffultę numquam sub clausulis generalibus, aut vacationum modis conditionalibus, vel implicitis comprehendantur, sed specialiter, & expresse ob non seruatam præsentis constitutionis formam, ac cum declaratione nominum, & cognominum resignantis seu cedentis, & gratiam habentis dispositiue, & non conditionaliter fieri omnino debeant, & quicumque sic impetrans, aut gratiam, etiam Motu simili habens præfinitum cuique casui tempus prædictum à data concessionis gratiæ sibi factæ huiusmodi, ea omnia quæ cadens à iure prædicto debebat, præstare teneatur, & si pluribus gratiam huiusmodi fieri contigerit, is præ omnibus obtineat, qui primus publicationem suæ impetrationis fecerit, & possessionem adeptus fuerit, aut petierit, omniaque requisita prædicta adimpleuerit, quamuis in data sit postremus, & possessio ab alio in publicando negligentiore prius apprehensa fuerit vel petita. Reseruationibus omnibus nominis, administrationis fructuum etiam omnium, ac pensionum, & aliarum rerum quarumcumque, necnon facultatibus, indultis, & aliis concessionibus, tam ipsis resignantibus, seu cedentibus, qui tamen possessionem ab initio re ipsa dimiserint, quam aliis, ex huiusmodi resignationibus cessionibus à Sede Apostolica factis nihilominus validis, plenumque effectum sortituris.

§. 6. Sed

Digitized by Google

Declaratio quòd procedi possit, vt in causa litigiosi cõtra cedẽtem donec successor venerit ad causam.

§. 6. Sed ne in beneficiis super possessione vel proprietate litigiosis litis prosecutio turbari valeat, vel differri in causis huiusmodi contra cedentem ad vlteriora, etiam ad sententiam definitiuam,& rem iudicatam,ac illius executionem quousque ille qui gratiam ex resignatione seu cessione, aut ex omissa forma publicationis huiusmodi obtinuit,ad causam, per se vel procuratorem legitimum accesserit, litemque huiusmodi susceperit, eodem modo, & ordine procedi possit, quo potuisset legitime si cessio huiusmodi facta non fuisset, ac quicquid interim sic procedendo decretum, & expeditum fuerit, siue cum cedente, siue contra eum, etiam postquam ipse,vel quiuis alius incumbentia sibi secundum prædicta præstiterit, non solum circa fructus, sed etiam circa possessionem, & ipsum ius, quod cessum est, valeat omnino, & vim obtineat, illumque ipsum, cui gratia facta est, non minus afficiat, quam si ipso legitime citato contra eum decretum, & expeditum fuisset, nec ipse aduersus hæc, prætextu non acceptatæ gratiæ, vel etiam illius ignoratæ, aut citationis vel intimationis executioni contra ipsum minime demandatæ, aliaue ratione valeat excusari. Possit tamen ipse, etiamsi in lite, & causa huiusmodi subrogatus non sit quandocumque ad illius prosecutionem, & terminationem venire,& à Iudice coram quo causam ipsam etiam ex delegatione pendere contigerit, in illis ipsis statu, & terminis, in quibus tunc eam esse repererit, etiam absque rescripto speciali admitti.

Forma admittendi & publicandi resignationes quæ fiunt coram Ordinariis vel Legatis.

§.7. De beneficiis autem quæ deinceps in manibus ordinariorum collatorum, etiam Cardinalium, etiam indulta, & facultates ad hoc ab Apostolica Sede habentium, ac Legatorum etiam de latere, & delegatorum etiam specialium eiusdem Sedis extra Romanam curiam resignati, etiam ex causa permutationis contigerit, ipsi intra mensem negotium vniuersum admissionis, vel reiectionis resignationis huiusmodi, & si per eos facienda erit, prouisionis resignati beneficij, iuxta Apostolicas,& alias canonicas sanctiones omnino absoluant. Et qui sic prouisus fuerit,intra tres menses à die sibi factæ prouisionis illam publicet, & possessionem beneficij capiat modo & forma supradictis, alioquin illis elapsis nulla sit eius prouisio,& beneficium vacare censeatur eo ipso.

Pœna inobedientium.

§. 8. Ordinariique, & alij prædicti qui hæc, vti eis præscribuntur, non perfecerint, eo casu potestate disponendi de ipsis beneficiis sint ea vice priuati, eorumque dispositio eo ipso ad Sedem Apostolicam deuoluta existat, aut aliis idoneis ab ipsa Sede dumtaxat, modo, & forma prædictis concedantur. Decernentes sic per quoscumque iudicari debere, necnon irritum, & inane,quicquid secus super his per quoscumque scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausula derogat.

§. 9. Non obstantibus prædicti Pij V. & aliis omnibus aliorum prædecessorum nostrorum constitutionibus de publicandis resignationibus huiusmodi hactenus editis, & reformatis quas omnes omnino abrogamus. Ita tamen quod in publicandis illis resignationibus, & cessionibus, quæ in manibus nostris hucusque factæ, & à nobis admissæ sunt, & tempus ad eas publicandas, iuxta dicti Pij prædecessoris constitutionem nondum effluxit, constitutio ipsa,quoad eas dumtaxat,integre obseruetur.Necnon resignantium siue cedentium voluntatibus, conditionibus, protestationibus, & clausulis, in ipsismet resignationibus,& cessionibus,seu procuratorum constitutionibus,& mãdatis,ac alias etiam ad præseruationem suorum iurium & significationem quod non aliter nec alio modo resignant seu cedunt,appositis,& quacumque verborum vi, formula, & multiplicatione expressis, necnon indultis,priuilegiis,& gratiis Apostolicis,etiam prędictis, Cardinalibus, ac eorum & nostris familiaribus continuis commensalibus, necnon literarum Apostolicarum Scriptoribus,Abbreuiatoribus,ceterisque Romanæ Curiæ officialibus, & ex quibusuis causis quomodocumque concessis & confirmatis,quæ omnia etiam tollimus,& annullamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Hæc bulla Pij V. est indicata in rubr.

Fides exemplorum.

§.10. Vt autem præsentes amplius innotescant, volumus, vt earum exemplis etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique, in iudicio, & extra illud adhibeatur,quæ adhiberetur eisdem præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ.Mandamusque illas in librum quinternum appellatum,Cancellariæ Apostolicæ ad perpetuam rei memoriam de more referri.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1584. Nonis Ianuarij, Pontificatus nostri anno 12. D. P *An.* 12. *5. Ianuar.*

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini* 1584. *indict.* 12. *die vero* 19. *mensis Ianuarij, Pont. Sanctiss. in Christo patris, & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno* 12 *retroscriptæ litera Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt in valuis, seu portis Ecclesiarum S. Io. Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe, necnon in valuis Cancell. Apost. ac in acie Campi Florę, per nos Io. Freile, & Nicolaum Tagliettum Curs.*

Claudius Mongeat Mag. Curs.

Maior sacri Eremi Camaldulensis, potest quando sibi expedire videtur, conferre Eremitis sibi in Eremo subiectis, quatuor ordines minores. Et Cardinales Episcopi ad d. Eremum accedentes, possunt, etiam extra tempora, & non seruatis interstitiis, sacros ordines eisdem conferre, si ipsi Maiori idonei videntur. LXXXVI.

Cuncta quæ concernunt Ordinem Camaldulensem. indicaui sup. in Alex. II. const. 1. Nulli.

GREGORIVS PAPA XIII. Dilectis filiis salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita A. D.* 1584.

Causa huius indulti.

CVm interna quies Fratum Eremitarum Eremi Camaldulensis ad quam consequendam ipsi Fratres Eremitæ, deserti loca petierunt, non parum soleat perturbari, quando ad ordines sacros suscipiendos foras exeunt.

Indultum de quo in rubr.

§. 1. Nos huic incommodo prouidere volentes, Tibi vt quando expedire videbitur, quatuor minores, necnon Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus qui ad dictum Eremum pro tempore accesserint, si Episcopi fuerint, vt omnes sacros etiam presbyteratus ordines, etiam extra tempora à iure statuta, & non seruatis interstitiis, Fratribus Eremitis prædictis, dummodo ad id iudicio tuo idonei existant, super quo conscientiam tuam oneramus, conferre, ipsisque fratribus Eremitis illos recipere,libere, & licite valeatis, Apostolica auctoritate tenore præsentium facultatem concedimus.

Clausf. derog.

§.2. Non obstantibus Synodalis, Prouincialis, & Generalis Conciliorum, ac quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 7. Ianuarij, 1584. Pontificatus nostri Anno 12. D.P. *An.* 12. *7. Januarij.*

Institutio Festiuitatis S. Annæ matris B. Mariæ Virginis, pro die 26. mensis Iulij duplici officio celebrandæ. LXXXVII.

Hoc festum de præcepto vbique obseruari iussit Gregor. XV. in const. 24. *Honor laudis*, inf. tom. 4. vbi vide notata de S. Ioachimo sponso S. Annæ, & de S. Ioseph sponso Beatissimæ Virginis Mariæ, cuius ista mater extitit.

PIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D.* 1584.

B. Anna peperit Mariam Virginem; ex qua natus est nobis Saluator Mundi.

SAncta Mater Ecclesia, quæ salutaribus nos semper instruit documentis, annuas fidei filiis venerandas proponit Sanctorum celebritates, qui in terris non solum exempla ad salutem reliquerunt, sed in cœlo beati fidelium patrocinium suscipere, eorumque orationes, & vota suis precibus adiuuare non cessant. Quam nobis opem apud misericordem Deum credimus Beatam Annam assidue impendere, quæ tanta in humanum genus præstitit beneficia, ex enim nata est Beata Maria semper Virgo,

Digitized by Google

digna à Deo effecta, quæ nobis IESVM CHRISTVM pateret Saluatorem. Et licet eius nomini sanctis obsequiis honorando humana par esse non queat infirmitas, netamen quod potest omittatur.

Hic ideo Pōt. S. Annæ festū celebrari iubet.

§. 1. Nos ad eius merita pro cultu decoranda, vniuersalemque Ecclesiam iucundissima illius recordatione lætificandam, necnon antiquam in illa deuotionem, quam vsque ab exordio nascentis Ecclesiæ, insignia quoque templa, & religiosa loca in eius honorem toto Orbe constructa testantur, in Christianorum cordibus excitandam præcipimus, vt perpetuis futuris temporibus, beatæ Annæ dies festus septimo Kalend. Augusti per totius Orbis Ecclesias duplici Officio, de Sancta, videlicet, nec Virgine nec Martyre, quod est in communi, quotannis recolatur, dieſque prædictus imprimendis Romanis, & aliarum Ecclesiarum Kalendariis addatur, & duplex ei adscribatur. Sicubi vero festus beatæ Annæ dies supradictus ex fidelium deuotione seu consuetudine, præcepto aut indulto Apostolico maiore aliqua celebrari consueuit obseruantia, ea omnino ibidem retineatur.

Et hanc institutionem publicari vbiq; & obseruari præcipit.

§. 2. Mandantes omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & ceteris Ecclesiarum Prælatis per vniuersum Orbem constitutis, vt faciant præsentes literas in suis quisque Ecclesiis, Prouinciis, Ciuitatibus, & diœcesibus solemniter publicari, & ab omnibus Ecclesiasticis personis tam sæcularibus quam quorumuis Ordinum regularibus inuiolate obseruari, etiamsi in recentibus Breuiarij, & Missalis reformationibus prædicta solemnitas fuerit prætermissa.

Fidemq; præsumptis adhiberi mandat.

§. 3. Volumus autem vt præsentium exemplis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides vbique gentium, & locorum adhibeatur quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 12. 1. Maij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1584. quinto Kalend. Maij, Pontificatus nostri Anno 12.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1584. *Indictione* 12. *die vero Mercurij* 9. *mensis Maij, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno duodecimo, retroscripta litera Apostolica affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Ecclesiæ Sancti Ioannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Alexandrum Parabiacum, & Nicolaum Tagliettum Apostolicos Curs.*

Franciscus Baron. Mag. Curs.

LXXXVIII. Declaratio & extensio constitutionis Pauli III. de priuilegio Mercatorum Ripæ Vrbis, quod eorum libri concordantes cum libris Proxenetarum plene probent, & executionem paratam habeant sicut obligationes Camerales, contra quascumque personas, & etiam mulieres coniugatas.

Edita A. D. 1584.

GREGORIVS PAPA XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Paul. III. decreuit libros mercatorum Ripa probare, & executionē habere paratā vti obligationes Camerales vt in eius const. 45.

CVm alias fel. rec. Paulus Papa III. prædecessor noster quadam sua perpetuo valitura constitutione, etiam per rec. mem. Pium IV. & Pium V. Romanos Pontifices etiam prædecessores nostros confirmata, inter alia statuerit, & ordinauerit, quod ad probandum credita dilectorum filiorum Mercatorum Ripæ Almæ Vrbis nostræ, sufficerent libri eorumdem Mercatorum, cum libris dilectorum filiorum Proxenetarum concordantes, qui haberent eamdem executionem, acsi essent obligationes in forma Cameræ Apostolicæ, contra omnes personas, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium cum decreto etiam irritanti, ac sublata quauis aliter iudicandi facultate, & alias prout in dicta constitutione plenius continetur.

Hic modo Pont. d. indultum præcedere

§. 1. Cumque tractu temporis plures difficultates ortæ fuerint, an dicta constitutio etiam contra mulieres in eisdem libris descriptas, tam cum earum viris, quam viduas locum habeat, vnde datur ansa debitoribus altercandi, & sic solutiones effugiendi, vel in longum protrahendi, in graue ipsorum mercatorum damnum, & præiudicium, Nos pro pastoralis officij nostri debito, omnes huiusmodi litium, & controuersiarum occasiones & ambages de medio tollere, omnemq; in posterum super præmissis hæsitandi vel dubitandi materiam succidere, aliasque super præmissis opportunè prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas, ac quascumque lites, & causas, seu controuersias, tàm iudiciales, quàm extraiudiciales inter prædictos Mercatores dictæ Ripæ, & quēcumque, vel quoscumque ipsorum ex vna, & quascumq; mulieres, & coniugatas, ac etiam absque vel cum earum viris agentes, ac etiam eosdem viros, necnon etiam viduas, & quascumque alias personas ex altera partibus, super præmissis hactenus quomodolibet ortas, ac etiam coram quibuscumque iudicibus, & tribunalibus, ordinariis, & extraordinariis, delegatis & subdelegatis, ac alias quomodolibet, & vbilibet, indecisas pendentes, in statu & terminis in quibus reperiuntur, illarum statum, seu status & merita, nominaque & cognomina & gradus, & qualitates iudicum, & collitigantium, iuraq; & titulos illorum, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, ad nos harum serie auocamus, illasque sic auòcatas, perpetuò extinguimus, cassamus & abolemus. Dictamque constitutionem ipsius Pauli prædecessoris, etiam contra quascumque mulieres, tàm liberas, quàm coniugatas, & etiam tàm per se, quàm cum earum viris, aut absque illis in dictis libris debitrices descriptas, etiam viduas, & quascumque alias personas, etiam perinde, acsi ita expresse in eadem constitutione cautum, specificatum, & dictum fuisset, omnino comprehendi, & locum habere, Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, sicque tàm in præteritis, quàm in præsentibus & futuris perpetuò statuimus & ordinamus.

declarat contra quascumque personas, etiā mulieres, & coniugatas, in dictis libris descriptas.

Aliter iudicari prohibet, Et partib. perpetuum silentium imponit.

§. 2. Ac ita per prædictos, & quoscumque alios Iudices, & Commissarios, etiam nostri Sacri Palatij causarum Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Ac etiam ipsis partibus collitigantibus, & quibusuis aliis personis perpetuum, in, & super præmissis silentium imponimus, necnon tàm illis, quàm ipsis Iudicibus, Commissariis, Auditoribus, Cardinalibus, & Legatis ne contra præsentium tenorem quicquam facere, & attentare audeant, districtius, & expresse inhibemus.

Contrarias derogat.

§. 3. Non obstantibus quibusuis litis pendentiis, & aliis præmissis, ac aliorum prædecessorum, & nostra de non tollendo iure quæsito, si opus sit, necnon etiam quadam eiusdem Pij IV. prædecessoris, de similibus vel dissimilibus gratiis in Camera Apost. intra tres menses præsentandis, & registrandis, si opus sit, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon etiam Almæ Vrbis, & Curiæ Romanæ, ac etiam ipsius Ripæ, & quorumcumque aliorum tribunalium, etiam Cameræ Apostolicæ, necnon Gubernatoris, ac Vicarij & Auditoris dictæ Cameræ, ac etiam Senatoris, & Curiæ Capitolij, etiam iuramento, & confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam illis & illorum, ac prædictis, necnon quibusuis aliis Iudicibus, & personis, in genere, vel in specie, sub quibuscumque tenoribus & formis, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & etiam consistorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, & confirmatis, quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa mentio habenda esset, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, necnon omnibus illis aliis quæ Paulus III. ac Pius IV. & Pius V. prædecessores prædicti, in constitutionibus, & illius confirmationibus huiusmodi voluerunt non obstare, ceteriſque contrariis quibuscumque.

Datum

Digitized by Google

D. P An. 11. 3. Maij. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 3. Maij, 1584. Pontificatus nostri Anno 12.

Admissio, & registratio in Cam. Apost. *Die 26. Nouembris 1584. præsentes supradictæ literæ Apostolicæ in plena Camera Apostolica præsentatæ, & die 3. Decembris subsequentis per eamdem Cameram referente Reuerendiss. D. Ludouico de Torres dictæ Camera Decano, & Iudice ex eiusdem Camera decreto, dictæ die 26. Nouembris facto specialiter deputato, citato Magnifico D. Antonio Bonfiolo dictæ Camera generali Commissario, vigore specialis Chirographi manu suæ Sanctitatis signati, & eidem Camera transmissi, & admissi, & successiue in eiusdem Camera libris, libris, scilicet lib. 5. Signaturarum, prælibati Sanctiss. D. N. penes me infrascriptum eiusdem Camera Notarium, registratæ fuerunt. Tydæus de Marchis Notarius.*

LXXXIX. Approbatio tertia, instituti & constitutionum Religionis, Clericorum Regularium Societatis Iesu, cum aliquorum dubiorum totali remotione, & priuilegiorum confirmatione.

Similem ob alias excitatas difficultates sanctionem edidit Gregor. XIV. vt inf: in eius coeſtitut 10. Ecclesiæ. *& aliam Paulus V. quam adhuc, habere non potui. Et cetera de hac Religione inspice sup. in constitut.* 25. *Pauli III.* Regimini. *vbi notaui.*

Edita A. D. 1584. *PIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. Ascendente Domino, & Saluatore nostro in naiculam, ecce motus magnus factus est in mari, ipse autem à discipulis rogatus ventis imperauit, & facta est tranquillitas, quam nos in Petri nauicula, collocati, turbinibus excitatis ab eodem Domino assiduis precibus postulantes, nostram interea operam, & laborem in frangendis procellosis fluctibus impendere non desistimus, cumque tanti laboris socios, & validos remiges diuina nobis prouidentia præparauerit, eorum opera in superandis sæuientis pelagi tempestatibus nos maximè subleuat, qui pro communi fluctuantium animarum salute propria commoda nihil pendunt, seque ad omnia discrimina exponunt.

Religionum omnium, & signanter Societatis Iesu ministerium Christi fidelibus valde prodest. §. 1. In quo cum aliarum Religionum studia, tum Societatis Iesu assiduus pro Christo labor, necnon vsque ad finem perseuerantia promptam se ostendit; cumque prolem catholicæ Religioni valde proficuam, & ad omnia pericula pro vniuersali Ecclesia subeunda paratam procreauerit, aliam atq; aliam à prima non degenere præstante gratia Dei quotidie substituit, vt nobis eorum alumni per multiplices probationum gradus altius prouecti, semper præsto sint, quos in rebus arduis suscipiendis fructuosos operarios ascisamus; eos autem vt firmiorem nobis opem ad prædicta nauare possint, ab omni non modo iniuria, sed etiam calumnia studemus intactos conseruare. Quod vt à nobis efficiatur, ipsius instituta tanquam fundamenta eius præsidij, quod catholicæ Religioni impendunt, immota atque inconcussa, aliorum etiam Romanorum Pontificum exemplo, debemus Apostolica auctoritate tueri.

Cuius regul. Paulus & Iulius III. approbarunt. Paulus IV. à iurisd. Ordin. exemit. Pius V. inter Mendicantes cõnumerauit. §. 2. Quorum fel. rec. Paulus III. & Iulius etiam III. constitutiones, & laudabile dictæ Societatis institutum confirmarunt.

§. 3. Pauluſque idem eam ipsam ab omni quorumcumque Ordinariorum iurisdictione exemit.

§. 4. Quo instituto per Paulum IV. examinato, & à Synodo Tridentina commendato, Pius V. idem prædecessor noster Societatem ipsam Ordinem esse mendicantem declarauit.

Huius religionis ad Christi fidelium animarũ salutem institutum, constitutionibus cauetur, quod. §. 5. Quæ omnia non immeritò ab eis sunt concessa ob egregias virtutes, & dona Societati antedictæ diuinitus elargita, cuius præcipuus finis catholicæ est Religionis defensio, ac propagatio, animarumque in christiana vita, & doctrina profectus: gratiæ quoque eius vocationis est proprium diuersa Orbis terrarum loca ex Romani Pontificis, seu Præpositi Generalis eiusdem Societatis directione peragrare, vitamque in quauis mundi parte agere, vbi saluandarum sua opera animarum copiosior prouentus ad Dei gloriam speretur. Ad quem finem Spiritus sanctus, bon. me. Ignatij Loyolæ Societatis ipsius Institutoris, eiusque sociorum excitator, media quoque prædicationum, ac cuiuscumque ministerij verbi Dei, doctrinæque Christianæ, & spiritualium exercitiorum, aliorum item charitatis operum, & sacramentorum administrationis, ac præcipuè Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, horumque frequentioris vsus accommodauit. Ad quæ sufficienter & pro dignitate præstanda, difficultates superandas, periculaque adeunda, quibus dictæ Societatis Religiosi in huiusmodi discursionibus, & ministeriis exponuntur, necesse est, vt ipsi talia obituri, magno virtutis & deuotionis præsidio muniantur, quod illis gratia in primis Omnipotentis Dei, simulque educatio ipsa longa item in Societate probatio, necnon regularum, & constitutionum obseruantia præstare noscuntur.

Nouitij biennio probentur, & deinde ad vota substantialia simplicia admittantur. §. 6. Quibus constitutionibus, vt tantæ ponant rudimenta virtutis ad quam aluntur, statutum est, vt Nouitij in Societate biennio probentur, quo expleto si ipsi perseuerare voluerint, & Societati fuerit ab eis satisfactum (quoniam Societas ipsa non solis Nouitiis & professis, vt reliqui regulares Ordines constat tria substantialia vota simplicia, nisi quis interdum ad professionem, vel gradum coadiutorum formatorum admittendus videretur, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ in eadem Societate ex Apostolico indulto, ac iuxta vouendi formulam in eisdem constitutionibus expressam emittunt, ac secundum illas promittunt se eamdem Societatem ingressuros, hoc est vlteriorem aliquem illius gradum, prout Præposito videbitur Generali.

Postea veluti Scholares, vel vti coadiutores temporales cooptantur. §. 7. Quibus votis emissis Nouitij esse desinunt, & in Societatis corpus, qui literis operam dederint, vel daturi sunt, vt Scholares approbati, alij vero vt coadiutores temporales nondum formati cooptantur, ac quantum est ex parte ipsorum perpetuò, ex parte vero Societatis, iuxta Apostolica indulta, & constitutiones prædictas, tamdiu obligati sunt, quamdiu Præpositus Generalis eos in Societate retinendos esse censuerit. Quod ad Societatis conseruationem maximè est necessarium, idque ab illius exordio prouisum, & post experimento comprobatum est, idque initio ingressus illis explicitè manifestatur, atque ipsi conditionem hanc amplectuntur, quæ eis, si quos dimittere oporteat, multo est commodior, vt liberi potius quam votis obligati dimittantur, aliisque iustis, & rationabilibus de causis.

Coadiutores isti alia vota postea emittunt. §. 8. Coadiutores temporales non formati, qui non ad studia literarum, sed ad domestica munia curanda destinantur, post aliquos annos, quibus Generali Præposito, & Societati satisfecerint, per tria item Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ vota licet publica, & in manibus Superioris emissa, non tamen solemnia, sed tum ex constitutionum præscripto, tum ex vouentis, & admittentis intentione simplicia existunt, in adiutorum temporalium formatorum gradum admittuntur.

Scholares præditi alio probationis anno retinentur. §. 9. Scholares vero studiis in Societate absolutis, antequam professi, vel adiutores spirituales formati fiant, non solum tertium adhuc vlterioris probationis annum, in deuotionis, & humilitatis exercitiis impendunt, vt, si qua fortasse in re harum virtutum feruor per literarum occupationem intepuerit, per earumdem virtutum frequentiorem excitationem, ardentioremque diuini auxilij inuocationem recalescat, sed etiam in verbi Dei sacrarum, & scholasticarum lectionum, Pœnitentiæque & Eucharistiæ sacramentorum Societatis ministerij tamdiu probantur, quamdiu Præposito Generali videtur, nec antequam ipsi Præposito sint plane perspecti, eique in omnibus satisfecerint, ad huiusmodi gradus promoueantur.

Ex iis, qui deinde ad professionem quatuor votorum admittendi sint. §. 10. Qui enim ad professionem quatuor votorum admittendi sunt, eos iuxta constitutiones easdem, & Apostolica decreta, & indulta, viros omnino humiles ac prudentes in Christo, & in vitæ puritate, ac literis conspicuos, diuturnisque ac diligentissimis experimentis probatos, atque Sacerdotes, & in ministeriis huiusmodi prius diu multumque versatos vocatio hæc requirit, vtpote

Digitized by Google

quos ardua maneant miniſteria. Quo fit vt non omnes ad eamdem profeſſionem idonei eſſe, nec tales ſine longa exercitatione atque experimento fieri, aut etiam cognoſci poſſint. Quapropter Societatis corpus in ſua membra, & gradus idem Ignatius diuino inſtinctu ita duxit diſponendum, vt præter eos, quos Præpoſitus Generalis ad profeſſionem quatuor votorum idoneos eſſe cenſuerit, & nonnullos, quos interdum ad profeſſionem trium admittere poteſt, reliqui etiam Sacerdotes, quorum vita, & doctrina in Societate diu probata eſſet, ac præpoſito Generali perſpecta, & de ipſius licentia in coadiutorum ſpiritualium formatorum gradum, per tria illa vota ſimiliter publica, ſed ſimplicia in ſuperioris manibus emiſſa admitterentur.

A limiſſi autẽ ſunt incapaces hæreditariæ ſucceſ.

§.11. Quibus emiſſis tam hi qui ſpirituales, quam qui temporales coadiutores formati fuerint, certum in Societate gradum habent, ſuntque omnis hæreditariæ ſucceſſionis incapaces, nihilque omnino proprij iuxta conſtitutiones eaſdem habere poſſunt. Nec propter emiſſa huiuſmodi vota publica, aut per mortem ab inteſtato in illorum, ſicuti nec in profeſſorum bonis domus, vlla, aut Eccleſia, vel Collegium dictæ Societatis ſuccedere poteſt.

Et votũ obedientiæ, ergà Papã ſpecialiter emittũt.

§.12. Qui vero quatuor votorum profeſſi futuri ſunt, ij tribus illis ſolemnibus ſubſtantialibus votis quartum ſimiliter ſolemne addunt, ſpecialis Summo Pontifici obedientiæ circa miſſiones præſtandæ, ob certiorem Spiritus ſancti in miſſionibus ipſis directionem ac maiorem ipſorum mittendorum Sedi Apoſtolicæ obedientiam, maioremque deuotionem, humilitatem, mortificationem, ac voluntatum abnegationem,

Aliaque ſimplicia vota.

§.13. Poſt emiſſam vero profeſſionem ſiue quatuor ſiue trium votorum, profeſſi ad Paupertatis, quæ regularis inſtituti murus eſt & propugnaculum, perfectionem tuendam, omnemque ambitionis occaſionem excludendam, nonnulla alia ſimplicia vota emittunt, quibus promittunt ſe numquam quacumque ratione acturos vel conſenſuros, vt quæ in conſtitutionibus Societatis circa paupertatem ordinata ſunt immutentur, niſi quando ex iuſta rerum exigentiũ cauſa paupertas magis reſtringenda videretur, neq; prætenſuros ne indirecte quidem, vt aliquam ad prælationem vel dignitatem, intra vel extra Societatem, eligantur, nec extra Societatem in ſui electionem quantum in eis fuerit, conſenſuros, niſi coacti obedientia eius qui id ipſis poſſit ſub pœna peccati præcipere. Item Societati, vel eius Præpoſito manifeſtaturos, ſi quem ſciant aliquid huiuſmodi moliri.

Diſcedentes poſtea ſine licentia apoſtata cenſentur.

§.14. Porro non ſolum profeſſi, & coadiutores formati, ſed ex aliis, quicumque abſoluto probationis biennio prædicta tria ſubſtantialia vota etiam ſimplicia emiſerint, ſi abſque expreſſa licentia à Societate diſcedant, etiamſi prætextu melioris frugis, & tranſitus ad alium quemcumque Ordinem (Carthuſienſium dumtaxat excepto) id faciant, apoſtaſiæ, & excommunicationis ex Apoſtolicæ Sedis decreto pœnas incurrunt, à quibus nonniſi à Summo Pontifice, vel à Generali Præpoſito abſolui poſſunt. Inique enim cum Societate ipſa ageretur ſi viris multo labore ad ardua miniſteria eruditis, cum religionis catholicæ, & huius Sedis detrimento priuaretur, præſertim cum Societatis conſtitutiones, & priuilegia quæ ſupradicta continent, in ſeparata, antequam ad Nouitiorum conuictum admittantur, habitatione eis maturius conſideranda tradantur.

Omnes poſt nouitiatum in communi viuunt.

§.15. Biennio Nouitiatus completo, & emiſſis votis ſimplicibus, vna eſt omnibus omnino viuendi, & obediendi ratio, debent enim omnes in omnibus obedire, & in communi viuere non ſecus alij, atque ipſi profeſſi, & Coadiutores formati, idque in domibus quidem probationum, & Collegij ex redditibus, in domibus vero profeſſorum, quæ nullos omnino redditus habere poſſunt, ex eleemoſynis tantum.

Paupertatem ſeruant, licet non profeſſi dominium bonorum retinant.

§.16. Et licet, qui ad gradus profeſſorum, & coadiutorum formatorum nondum peruenerunt, bonorum ſuorum ius atque dominium, tum alias ob iuſtas cauſas, tum etiam vt maiorem Societas habeat libertatem, illos, ſi opus fuerit, cum minori offenſione dimittendi, ad tempus Generalis Præpoſiti iudicio præſcribendum valeant retinere, vt in pauperes tandem ſeu alios pios vſus pro ipſorum deuotione diſtribuant, iuxta Euangelicum conſilium ac promiſſionem, quam initio Nouitiatus faciunt, interim tamen, quantum ad illorum vſum religioſam paupertatem ſeruant, nec vlla re tanquam propria, & ſine Superioris facultate vti poſſunt.

Verè religioſi ſunt, & Ordinis priuilegijs gaudent.

§.17. Et quamuis ij omnes, qui poſt biennium Nouitiatus dicta tria vota ſimplicia, vt præfertur, emiſerint, ac in corpus Societatis cooptati, illiuſque meritorum, & priuilegiorum, non ſecus atque ipſi profeſſi participes effecti, quique quantum in eis eſt, & profeſſionem emittere parati, ſi ipſe Præpoſitus Generalis id prædictæ Societatis inſtituto congruere iudicauerit, & in perpetuum Dei ſeruitio votis ſimplicibus conſecrati, ac ſua forte, provt laudabile Societatis inſtitutum exigit, contenti, vere, & proprie religioſi exiſtãt, & ſi à Societate deficiant, excommunicationis, & aliis apoſtatarum pœnis ſint ſubiecti.

Et quia deſuper nonnulla dubia ſunt exorta.

§.18. Tamen cum non ita pridem intellexiſſemus nonnullorum animos, qui pij alioq; ii, & vtiles operarij exiſtebant, ſolicitari interdum, & anxiari, quaſi non eſſent religioſi, eo quod non eſſent profeſſi; nec etiam deeſſe qui Religionis prætextu transfigurante ſe in angelum lucis Satana, non ſolum ea occaſione inquieti exiſterent, ſed etiam aliorum pacem, & vocationem diſturbare, eoſque in fraudem, & defectionem deducere conarentur, vnde fructuoſa hæc religio grauiſſima potuiſſet accipere detrimenta. Idcirco cum diuina prouidentia pro temporum neceſſitate, varia & ſalutaria Ordinum inſtituta in Eccleſia ſua produxerit, nouiſque ſubinde in ea naſcentibus morbis, noua remedia, nouiſque emergentibus hoſtium impugnationibus, noua regularium Ordinum auxilia excitarit, & cuique illorum, iuxta cuiuſlibet peculiaris gratiæ vocationem, peculiares quaſdam notas, propria inſignia, ac opportuna ad finem quem intendit, media ſuggeſſerit, & nunc maxime (vt felicioſſimi toto Orbe ſucceſſus teſtantur) mirificos in agro Dominico fructus prædicto Societatis Ieſu inſtituto proferat, quæ Societas (quemadmodum, & alia naſcentium regularium Ordinum exordia) à ſpiritu contradictionis impugnatur, cumque ipſi Ordines Romanorum Pontificum propterea conſtitutionibus circummuniri conſueuerint, cuius rei Sanctorum Dominici, & Franciſci præclariſſimi Ordines exempla abunde ſuppeditarunt, ita nos, licet alias inſtitutum prædictum, priuilegia, & conſtitutiones ipſius Societatis confirmauerimus, & declarauerimus, Motu proprio ſtatuentes, eos qui biennio Nouitiatus peracto, tria vota, tametſi ſimplicia emiſerunt, eſſe vere, & proprie Religioſos, cum præcepto, ne quis hæc in dubium reuocare audeat, ac cum irritante, & aliis decretis, provt in noſtris ſuper hoc confectis literis plenius continetur.

Quia tamen non defuit temeraria quorumdam audacia, qui poſt declarationem, decretum, præceptum, & interdictum noſtrum huiuſmodi, non ſolum multa ex prædictis, & fortaſſe alia ad Societatis inſtitutum ac viuendi formam ſpectantia, labefactare, ſed, & ipſa Apoſtolica decreta ac præcepta, publice, & ex cathedra, auſu temerario impugnare, mentemque noſtram peruerſe interpretari non erubeſcunt, diſputantes, & prædicta in dubium reuocantes, omniaque ex aliorum regularium Ordinum communibus rationibus, formis ac ſtatutis metientes Societatis inſtitutum, peculiares conſtitutiones, ac vim votorum ſimplicium illius, à Sede Apoſtolica in eadem Societatis Religione probata admiſſorum penitus ignorantes, ac nonnulla iure antiquo, quæ poſt illud ſucceſſu temporum huius Sedis auctoritate, approbatione, & confirmatione, ac peculiaribus priuilegiis ſancita, & roborata eſſe dignoſcuntur, perperam interpretantes, conuellere nituntur, quin etiam nos ſupradicta, Motu ſimili, & ex certa ſcientia, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine decernentes, ac præcipientes priuato ſenſu loquutos fuiſſe, ac tanquam priuatos doctores errare potuiſſe, immo vere, & de facto ob falſam ſupradictorum informationem erraſſe, ideoque præceptum noſtrum nullam ad obligandum vim habere. Neminem præterea eorum, qui ſolemnem profeſſionem in dicta Societate non emiſerunt, de illius corpore religioſos eſſe poſſe, ſed eos mere ſæculares, ac Ordinariorum iuriſdictioni ſubditos exiſtere, nec Societatem ipſam, aut illius ſuperiores, immo necnon ius in eos vllum ex vi votorum

Digitized by Google

votorum huiusmodi, habere vel acquirere, aut superioribus ipsis conferre posse, non considerantes voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione inuentam esse, triaque huiusmodi Societatis vota tametsi simplicia, vt substantialia Religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes, in statu Religionis vere constitui, quippe qui per ea ipsa se Societati dedicant, atque actu tradunt, seque diuino seruitio in ea mancipant. In quibus votis nullus præter Romanum Pontificem potest manum apponere, aliisque atque aliis modis Societatem ipsam impetunt vniuersali Ecclesiæ perutilem, quæ diuersis functionibus, & personarum gradibus distributa, à Romanis Pontificibus presbyterorum, à Tridentina Synodo clericorum Religio appellata, habitu, nomine, plerisque personarum gradibus, votorumque differētiis ab aliis regularibus Ordinibus distinguitur. Quibus etiam adiungunt licere iisdem non professis, etiam inuitis dictæ Societatis Superioribus, ad quosuis alios regulares Ordines se transferre. Transgressoresque horum votorum, ac inobedientes, aut etiam vxorem ducentes, nullam ipsi Societati iniuriam facere, immo posse Episcopos cum eis dispensare, vt inuitis etiam superioribus eisdem vxorem ducant. Quibus, cum glossatores & obtrectatores huiusmodi sua falsa doctrina fauere pergunt, horum votorum naturam & pœnarum vim vel non intelligentes, vel eludere conantes, eo sunt progressi, vt etiam vi facultatum quæ literis indulgentiarum Cruciatæ sanctæ nuncupatarum continentur, omnes transfugas, & ab ipsa Societate deficientes non professos, quoties ab ea defecerint, ab excommunicationis latæ sententiæ pœna à quocumq; confessario absolui posse, nullamque ipsi Societati suis operariis priuatæ iniuriam fieri, aut præiudicium generari existiment, sed & votorum substantialium Religionis prædictæ, ac decretorum contra eosdem Apostatas Sedis huius auctoritate editorum vim, quantum in eis est, eneruare contendat. Insuper asserunt non posse vota in sæculo emissa in tria hæc substantialia Societatis commutari (cum tamen hæc vota sint status, vt præfertur religiosi alio vtilis, & perfecti, vt illa in hæc possint, hæc vero in aliorum Ordinum etiam solemnia vota commutati, sit ab hac Sede iustis de causis interdictum.) Nec etiam desunt alia quæ in animarum suarum præiudicium, Societatis perturbationem, & scandalum plurimorum comminiscantur.

Ideo hic Pont. hos nonobstantibus d. institutum, & priuilegia & cõfirmationes approbat.

§. 19. Nos vniuersalis Ecclesiæ vtilitati, quam ex inuiolato & inconcusso dictæ Societatis instituto, & religiosæ sobolis educatione sancimus, & maiorem in dies speramus, prospicientes, & præterea eiusdem Societatis indemnitati, paci, quieti, & incremento consulere volentes, Motu simili, & ex certa scientia nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, laudabile ipsius societatis institutum, & quæ illud concernunt, præmissa omnia, & singula, prædictaque illius, ac quæcumque alia priuilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta à prædictis prædecessoribus nostris & à nobis etiam per communicationem concessa: constitutiones quoque, ac statuta, & decreta qualiacumque, acsi ad verbum præsentibus insererentur, pro expressis habentes, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, supplentes omnes iuris, & facti defectus siqui interuenerint in prædictis Constitutionibus, & statutis.

Dictaque tria vota etiam simplicia, vere tamen substantialia esse declarat.

§. 20. Ad hæc dictam Societatem firmo Sedis huius præsidio communire volentes, hac nostra perpetua constitutione, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, statuimus atque decernimus tria vota huiusmodi etsi simplicia, ex huius Sedis institutione ac nostra etiam declaratione, & confirmatione, esse vere substantialia Religionis vota, ac in dicta Societate tanquam in religione approbata per Sedem eamdem admissa fuisse, & esse, ac per nos admitti, nec illis à quoquam, præter nos, & Sedem huiusmodi dispensari, nec ea vllo alio modo quam per legitimam dimissionem à Societate cessare posse.

Eaq; emittentes veros esse religiosos decernit.

§. 21. Et non modo eos, qui in coadiutorum formatorum, siue spiritualium siue temporalium gradus, & ministeria, vt præfertur, admittuntur, sed & Scholares ipsos, ac supradictos alios omnes, & quoscumque, qui in ipsam Societatem admissi, biennio probationis à quolibet eorū peracto, tria vota substantialia prædicta, tametsi simplicia emiserint aut emittent in futurum, vere & propriè religiosos fuisse, & esse, ac fore, & vbique semper, & ab omnibus censeri & nominari debere, non secus atque ipsos tum Societatis tum quorumuis aliorum Regularium Ordinum Professos, suisque Præpositis, in omnibus, & per omnia obedire, & huic Sedi immediate subiectos, & à quorumuis Ordinariorum & delegatorum, seu aliorum iudicum iurisdictione omnino exemptos; prout nos etiam vigore præsentium eximimus.

Discedentes ideo à d religg. Apostatas declarat.

§. 22. Denique vt omnium Societatis priuilegiorum iuxta Generalis Præpositi dispositionem sunt participes, ita quoque excommunicationis maioris latæ sententiæ, & aliis Apostatarum pœnis siqui à Societate deficiant, subiacere, ac tamquam veros Apostatas puniri posse, nec à quoquam, nisi per nos & sedem prædictam, aut Generalem Præpositum ab eisdem pœnis absolui, nec ante huiusmodi absolutionem, & à Societate dimissionem matrimonium contrahere, quinimmo eos omnes ad contrahendum inhabiles, ac contractus huiusmodi nullos, & irritos esse, pro vt irritos facimus & annullamus.

Et supradicta dudum reprobat.

§. 23. Et vt contradicentium audacia coerceatur, præmissas omnes, & quasuis alias illis similes assertiones contra dictæ Societatis institutum, vel quomodolibet in illius præiudicium pronunciatas, aut scriptas, falsas omnino, & temerarias esse, & censeri debere.

Impugnari & instituium prohibet.

§. 24. Præcipimus igitur in virtute S. Obedientiæ ac sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, necnon inhabilitatis ad quæuis officia, & beneficia, sæcularia, & quorumuis Ordinum regularia, eo ipso absque alia declaratione incurrendis, quarum absolutionem nobis, & successoribus nostris reseruamus, ne quis cuiuscumque status, gradus, & præeminentiæ existat, dictæ Societatis institutum, Constitutiones, vel etiam præsentes, aut quemuis earum vel supradictorum omnium articulum, vel aliud quid supradicta concernens, quouis disputandi vel etiam veritatis indagandæ quæsito colore directe vel indirecte impugnare, vel eis contradicere audeat, districtius inhibentes, ne quis, siue extra siue intra dictam Societatem, nisi de illius Generalis aut inferiorum Præpositorum licentia, notationes, declarationes, glossas, vel scholia vlla super præmissis facere, vel ea, nisi quantum verba ipsa sonant, interpretari, aut de eis disceptare, seu scrupulum quicquam iniicere, vel in controuersiam aut dubium reuocare audeat quoquomodo, nec glossas, aut interpretationes, siue impressas, seu scriptas, ad id pertinentes legere, docere, aliisque tradere, vendere, vel apud se retinere præsumat.

Dubiorū declarationem Præpositi reseruat.

§. 25. Si quid vero dubij de eisdem oriri contigerit, ad Sedem prædictam vel ad Generalem præpositum dictæ Societatis, aut ad eos quibus id ipse commiserit, referatur.

Et ita vbique iudicari mandat.

§. 26. Sicque in præmissis, omnibus, & singulis, per quoscumque Iudices & Commissarios etiam causarum Palatij Apost. Auditores, ac S.R.E. Card. in quauis causa, & instantia sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate iudicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari,

Obstinantibus huius bullæ præcipit.

§. 27. Mandantes vniuersis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & ceteris Ecclesiarum & locorum etiam regularium Prælatis per vniuersum orbem constitutis, vt præsentes literas in suis quisque Ecclesiis, Prouinciis, Ciuitatibus, diœcesibus, & iurisdictionibus ab omnibus inuiolate obseruari; quin etiam Præpositum ac personas Societatis huiusmodi defendant; eosque præmissis omnibus, & singulis pacifice frui faciant, & gaudere, non permittentes ipsos per quoscumq; quomodolibet molestari. Contradictores per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris, & facti remedia, opportuna, appellatione postposita compescendo. Inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis,

Contrarios derogat.

§. 28. Non obstantibus recol. mem. Bonif. Papæ VIII. quæ incipit. Quod vetum, & aliis Apostolicis, constitutionibus, ac etiam aliorum Ordinum, iuramento, cõfirmatione Apost. vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibuscumque huiusmodi Ordinib

Digitized by Google

Vniuersitatibus, locis, vel personis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem prædictam, etiam motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & cum quibusuis irritatiuis, cassatiuis, reuocatiuis, modificatiuis, præseruatiuis, exceptiuis, declaratiuis, mentis attestatiuis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi in eis caueatur expresse, quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo, & forma in illis expressis, derogari possit, pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica, & expressa mentio habenda, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Communicationem harum gratiarũ aliis denegat.

§. 29. Præsentis autem Constitutionis, & gratiæ communicationem omnibus aliis, qui sua priuilegia cum ipsa Societate copiose participant, participareque poterunt quomodolibet in futurum fieri omnino prohibemus.

Transumptis credi mãdat.

§. 30. Ceterum volumus, vt præsentium transumptis etiam impressis manu Secretarij dictæ Societatis vel Notarij publici subscriptis, & sigillo præpositi Generalis eiusdem Societatis, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem omnino fides adhibeatur, in iudicio, & extra illud, quæ literis ipsis originalibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

D. P. A. 11. 25. May.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1584. 8. Kalend. Iunij, Pontificatus nostri anno duodecimo.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. 1584. indict. 12. die vero Lunæ 14. mensis Iunij, Pont. Sanctiss. in Christo patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno 13. retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, lectæ & publicatæ fuerunt & per aliquod temporis spatium dimissæ in valuis Basilicarum Principis Apostolorum de Vrbe, & S. Ioannis Lateranensis, necnon Cancellariæ Apostolicæ & in acie Campi Floræ per me Ioannem Freil, & Nicolaum Tagliettum Sanctiss. Domini nostri Papæ Curs.

XC

De electione Præpositi generalis, & aliorum Prælatorum Congregationis Monachorum Eremitarum S. Hieronymi. de obseruantia celebrationeque Capituli generalis, & retentione regularis obseruantiæ.

Ad hæc vide const. 21. Clem. VIII. Qua ad. *vbi habes etiam Ordinis reformationem.*

Edita An. D. 1584.

GREGORIVS PAPA XIII. Dilectis filiis Præposito Generali, & Consultoribus Congregationis Monachorum Eremitarum S. Hieronymi de Obseruantia, salutem, & Apost. bened.

Exordium.

EA quæ ad prosperos Religionis vestræ successus ordinata fuerunt, nonnumquam pro eorum varietate, & temporum ratione expedit immutare.

Hic Põt. multa constituit quæ habentur in constit. 17. quæ emendationi redigere dignoscit.

§. 1. Alias siquidem, rebus vestræ Congregationis emendatione indigentibus, pleraque ad preces vestras decreuimus, & præsertim de tempore celebrationis Capituli vestri generalis, deque modo electionis Præpositi generalis, Consultorum, Visitatorum, Definitorum, necnon Priorum, Vicariorum, & aliorum ad munia dictæ Congregationis desumendorum, eorumque qualitatibus, muneribus, & officiis, aliisque regimen & salubrem directionem eiusdem Congregationis concernentibus, vt diuersis aliis nostris literis plenius continetur, sed vt probauit euentus, eorum nonnullis, siue mutandis siue corrigendis noua est opera adiungenda.

Capitulum ideo generale

§. 2. Quare illis omnibus, quæ, & quatenus præsenti-

quolibet triennio celebrare iubet.

bus obsunt, subductis, & rescissis, ceteris vero in suo robore permanentibus, auctoritate præsentium statuimus & ordinamus, vt posthac in perpetuum, Capitulum vestrum generale tertio quoque anno celebretur, interim vero singulis annis Præpositus generalis, & consultores qui tempore erunt, pro nouorum si eis expedire videbitur, Vicariorum & Oeconomorum dictæ Congregationis electione congregentur.

Præposito generali interim decedente, vel amoto alter eligatur vt hic.

§. 3. Et si contingat eumdem Præpositum intra hoc triennium decedere, vel officio amoueri, Consultores Congregationis huiusmodi, suos Priores illico ad se auocent, qui intra vigesimũ diem ad locum celebrationis futuræ electionis noui Præpositi generalis præsto adsint.

Priores cum Procuratorio electioni Præpositi & Definitorum intersint.

§. 4. Interim vero Consultor professione antiquissimus, vices auctoritatemque Præpositi generalis in omnibus gerat.

Ad hoc vide bullam Clem. VII. num 21.

§. 5. Ipsi autem Priores, cum Procuratoribus singulorum Monasteriorum, & aliorum regularium locorum dictæ Congregationis iuxta antiquas illius constitutiones, ad Capitulum generale accedent, & electioni Præpositi generalis ac Definitorum huiusmodi intersint.

Illi autem ex Prioribus eligantur.

§. 6. Præpositus vero, & Definitores huiusmodi de Priorum eorumdem corpore eligantur.

Iudex omnib. vt in bulla Clemen. VIII. nunc cit.

§. 7. Ceterum constitutionibus prædictis inhærendo, si contingat aliquem dictorum Priorum, intra triennium quo Capitulum ipsum generale celebrandum erit decedere, vel à Prioratu suo regulariter amoueri, eo casu Præpositus generalis, & Consultores prædicti statim aliquem ex Vicariis Monasteriorum, aut aliorum regularium locorum Congregationis huiusmodi, in locum defunctiuel amoti substituant, ne hoc negotium ad subsequens Capitulum generale deferant.

Prioratu aliquo vacante, Præpositus & Consultores alium ex Vicariis subjituant.

Imo etiam ex non Vicariis vt in ead. bul.

§. 8. Adhæc, præpositus ipse generalis sic electus, quem obtinebat Prioratum non amittat, sed etiam Præpositus triennalis huiusmodi illum cum hoc retineat. Triennioque ipso peracto, ipse Prior sui Prioratus, vt antea remaneat, & nihilominus ipse dicto durante triennio sui Præpositatus etiam Prior Monasterij S. Alexij de Vrbe eiusdem Congregationis non autem alterius sit.

Præpositus durante triẽnio, & postea Prioratum quem habebat retinet, & est etiam Prior Sancti Alexij de

§. 9. Perfuncto vero Præposituræ triennalis huiusmodi officio, nullus ad sequens triennium, aut aliud tempus Præpositus generalis confirmetur, nec quisquam ante sex completos annos à fine huius officij rursus in Præpositum generalem eligatur.

Vrbe, post triennium vacare debet per sex annos à d. officio.

§. 10. Nulli præterea Monachorum Congregationis huiusmodi cuiuscumque dignitatis vel conditionis, liceat literas etiam commendatitias, seu fauorem auxilium vel gratiam, aut quicquam aliud à Principibus sæcularibus, Dominis, vel Nuntiis, per se aut interpositas personas ex quauis causa, aut quouis prætextu quærere vel impetrare, quod in detrimentum, præiudicium, vel derogationem dictæ Congregationis aut illius personarum, seu constitutionum, ordinationum, vel statutorum directe vel indirecte cedat, qui secus fecerit per annum in carcere constrictus pœnitentiam agat, sitque præterea ad dignitates & officia dictæ Congregationis perpetuo inhabilis.

Ambitus prohibetur.

Latior prohibitio est inf. in Bulla Clement. VIII. num. 21.

§. 11. Præpositus insuper generalis & Consultores pro tempore existẽtes prædicti, per se vel alium seu alios nullam pecuniarum summam ad Congregationem ipsam spectantem, alicui Monasterio vel regulari loco pro eius fabrica, sine nostra, aut Protectoris vestri licentia erogent, qui contrafecerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, sintque suis dignitatibus & officiis eo ipso priuati, ac pariter inhabiles ad futura.

Pecũnia Congregationis alicui Monasterio non applicetur.

§. 12. Postremo, Capitulum ipsum generale, seu Congregatio alibi quam Romæ aut Bononiæ, seu Mediolani, vel in Monasterio Hospital. nullo modo celebretur.

Capitulum generale vbi celebrandum.

§. 13. Regulæ vero obseruantia saltem in Hospital. prædicti, necnon Castellatij & S. Hieronymi Mantuanen. ac Sancti Sigismundi Cremonen. & S. Sauini Placentin ac S. Barbatiani Bononien. Monasteriis, numerusque saltim centum sexaginta Monachorum inter Sacerdotes & Clericos, vltra Conuersos & Seruientes, perpetuo conseruetur Decernentes irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Regularis obseruantia in quibus locis retinenda.

Huius constitutionis obseruantia præcipitur.

§. 14. Quocirca vobis & pro tempore existentibus Præposito

Digitized by Google

Præpoſito generali ac Conſultoribus, necnon vniuerſis & ſingulis Prioribus, Monachis & perſonis dictæ Congregationis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, vt præſentes litteras humiliter ſuſcipiatis, & quæcumque in eis continentur, alia deſuper à nobis non expectata iuſſione, aut mentis noſtræ declaratione, inuiolate cuſtodiatis.

Eiuſque publicatio Præpoſito committitur.

§. 15. Tibi vero Præpoſite, vt ipſas præſentes in omnibus dictæ Congregationis Monaſteriis & locis ſolemniter publicare, & vt illis omnino ab omnibus pareatur efficere procures. Contradictores quoſlibet & rebelles, eiſque auxilium vel fauorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quouis quæſito colore præſtantes, tam Eccleſiaſticos, quam ſæculares, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque iuris & facti remedia opportuna, appellatione poſtpoſita compeſcendo, cenſuraſque & pœnas ipſas etiam ſæpius aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Contrariis derogat.

§. 16. Non obſtantibus præmiſſis, ac ſel. rec. Bonifacij VIII. prædeceſſoris huiuſmodi de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus: necnon Congregationis, ac Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis eorumque Superioribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet conceſſis, & etiam pluries confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, aut quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum tenores, acſi ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus contrariis quibuſcumque. Aut ſi Congregationi, Prioribus & Monachis prædictis, vel quibuſuis aliis communiter vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

D. P. An. 13. 25. Maij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 25. Maij, 1584. Pontificatus noſtri Anno 13.

XCI. Inſtitutio Collegij, ad ſcholares nationis Maronitarum, pie & Catholice, bonis artibus, Chriſtianiſque moribus, & doctrina inſtruendos in Vrbe. Et deputatio Cardinalis pro eius regimine Annuorumque reddituum aſſignatio pro eorumdem ſuſtentatione.

Maiores poſtea redditus aſſignauit Sixt. V. die 2. Auguſti anno 1585. & die 7. Februarij 1586. vt in eius bullis, quas hic indicare ſatis eſſe putaui.

Edita A. D. 1584.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. Hic Pontifex inſtituit in Vrbe Hoſpitale pro natione Maronitarum, ad eorum fidem Catholicam retinendam, & augendam.

HVmana ſic ferunt quandoque conſilia, vt quæ vel prouida deliberatione ab initio conſtituuntur, operæ pretium ſit ſpe melioris futuræ frugis poſtea immutare.

§. 1. Nuper enim vt Nationi Maronitarum, qui in Libani montibus degentes, à multis ſæculis ſub S. R. E. obedientia & deuotione fidem Catholicam inter tot circumſtantes Infidelium, & Schiſmaticorum ſectas retinét, ac certis annorum ſpatiis ad Apoſtolorum limina viſitanda, Sedemque Apoſtolicam amplectendã, & recognoſcendam, aliquos deſtinare ſoliti ſunt, de peculiari loco ad vſum Hoſpitalitatis erga eiuſdem Nationis indigenas ad Vrbem confluentes exercendæ, noſtra ope prouiſum eſſet, ipſiuſque Nationis erga Sedem ipſam deuotio continuum ſuſciperet incrementum, nec tanto labore conſeruata fidei ſemina areſcerent, per quaſdam vnionem, annexionem & incorporationem olim de parochiali Eccleſia S. Ioannis de Ficocia Regionis Triuij de Vrbe, parochiali Eccleſiæ Sancti Andreæ eiuſdem Regionis Apoſtolica auctoritate factas perpetuo diſſoluimus, & apud ipſam Eccleſiam S. Ioannis, nomine, denominatione, & eſſentia parochialis eccleſiæ in ea etiam perpetuo ſuppreſſis & extinctis, ac cura animarum illius parochianorum vna cum eiſdem parochianis, iuribuſque parochialibus ad dictam Eccleſiam Sancti Andreæ tranſlatis, vnum Hoſpitale in quo pauperes peregrini dictæ Nationis recipi & confoueri deberent, ſimiliter perpetuo erexímus & inſtituimus, illique ſic erecto & inſtituto eamdem Eccleſiam S. Ioannis ſine cura effectam cum ſuis domibus, ædificiis, hortis, membris, & pertinentiis illi contiguis, eorumque ſitu & ambitu pariter perpetuo conceſſimus.

Deinde annuos reddituſ, domoſque ipſi aſſignauit.

§. 2. Per alias vero noſtras literas eidem Hoſpitali, vt onera ei incumbentia commodius perferri poſſent, penſionem annuam certis modo & forma tunc expreſſis liberam immunem & exemptam, ac ad quindecim annos tunc proximos dumtaxat duraturam ducentorum ducatorum monetæ illarum partium, ſuper menſæ Epiſcopalis S. Agathæ fructibus, redditibus & prouentibus ac Rectori vel Adminiſtratori pro tempore exiſtenti dicti Hoſpitalis ſeu illius Procuratori legitimo, durantibus dictis quindecim annis tantum, per venerabilem fratrem noſtrum Fælicianum Epiſcopum Sanctæ Agathæ, & ſucceſſores ſuos Eccleſiæ S. Agathæ Præſules ſeu Adminiſtratores pro tempore exiſtentes, etſi ipſis mille ducati, annuatim ex fructibus, redditibus & prouentibus prædictis non remanerent, annis ſingulis in certis loco & terminis, ac ſub ſententiis, cenſuris & pœnis, etiam tunc expreſſis, integreque ſoluendum reſeruauimus, & conſtituimus & & aſſignauimus, prout in ſingulis literis prædictis plenius continetur.

Hic modo Pontifex d. Hoſpitale ſupprimit, ad magis ſpirituale d Nationis vtilitatem.

§. 3. Nunc vero erectionis Hoſpitalis huiuſmodi negocio maturius perpenſo, etſi illud inſigne pietatis opus, dictæque Nationi gratum & commodum ſit, meliora tamen æmulando chariſmata maiorem DEI laudem, vtilio remque eidem Nationi operam fore cenſemus, ſi loco dicti Hoſpitalis, quod in ſuis primordiis adhuc recens eſt, vnum Collegium prorecipiendis & inſtituendis illius Nationis pueris ad bonas literas capeſſendas aptis, erigeretur & inſtitueretur. Cum enim in partibus illis, ſub graui Turcarum iugo & tyrannide conſtitutis, vix facultas detur bonarum literarum ſtudia excolendi, & exinde multos à fide catholica auerſos æternis tenebris detineri, ſimpliceſque & rudes à ſuſceptæ veritatis cultu abduci facile contingat, futurum omnino ſperamus vt ſucceſſu temporis ipſius Collegij alumni, pietatis & veræ Religionis odore, à Montis Sion cipreſſis & Sanctæ Eccleſiæ Romanæ, quæ ſola caput eſt aliarum documentis largius imbuti, illum in cedros Libani Nationemque ſuam refundant, ac collabentem & perturbatam in ſuis Regionibus fidem DEI Beneficio ſuſtineant; atque reſarciant; & ita prædictum corporale opus, quod paucis in hac Vrbe tantum profuturum erat, in magis ſpiritualem ad totius Nationis vtilitatem & ſalutem conuertatur.

Collegium Maronitarum erexit, ad d. Nationis iuuenturem bonis moribus ſanaque doctrina inſtruendam.

§. 4. Quo circa motu ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in dicto Hoſpitali nomen, denominationem & eſſentiam Hoſpitalis, ac quodcumque onus hoſpitalitatis ibidem exercendæ, ſaltis tamen & illæſis remanentibus diſſolutione, conceſſione, penſione & aliis ſupradictis, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, perpetuo ſupprimimus & extinguimus, illudque in Collegium Maronitarum nuncupandum, ad alendam, boniſque moribus ornandam, ac vera pietate ſanaque doctrina, & reliquis Chriſtiano homine dignis virtutibus inſtruendam ipſius Nationis iuuentutem, auctoritate & tenore prædictis etiam perpetuo

Digitized by Google

erigimus, & inſtituimus. Ipſumque Collegium ſic erectum & inſtitutum in locum dicti Hoſpitalis, quo ad Eccleſiam S. Ioannis, ac illius domos, ædificia, hortos membra, & pertinentia, eorumque ſitum & ambitum, necnon penſionem ducentorum ducatorum huiuſmodi, eiuſdemque penſionis terminos decurſos & non ſolutos, ſiqui ſint, in omnibus & per omnia perinde, acſi pro ipſo Collegio non autem Hoſpitali ſpecialiter & expreſſe, ab initio emanaſſent, illique conceſſa & reſeruata fuiſſent, ſubrogamus.

Eiquæ dictæ domos & reditus aſſignat & Miſſam & alia diuina officia arabico vel chaldaico idiomate celebrandi licentiam concedit.

§. 5. Et nihilominus eidem Collegio Eccleſiam S. Ioannis, cum domibus, ædificiis, hortis, membris & pertinentiis, eorumque ſitu & ambitu huiuſmodi, ita quod liceat Protectori ſeu Rectori dicti Collegij, pro tempore exiſtenti illorum omnium corporalem poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios nomine eiuſdem Collegij propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, fructuſque, redditus, prouentus, iura, obuentiones & emolumenta, quæcumque inde prouenientia, in Collegij & Eccleſiæ S. Ioannis huiuſmodi vſus & vtiliratem, ac neceſſitates conuertere. Necnõ eidem Eccleſiæ S. Ioannis per vnum, vel plures, etiam dictæ Nationis Sacerdotes ſæculares vel regulares, ad nutum pro tempore exiſtentis Prorectoris Collegij huiuſmodi ponendos & amouendos deſeruiri, miſſaſque & alia diuina officia etiam Arabico, vel Chaldaico idiomate celebrari facere, cuiuſuis licentia deſuper minime requiſita eiſdem Apoſtolica auctoritate & tenore, ſimiliter perpetuo concedimus. Penſionemque annuam ducentorum ducatorum huiuſmodi, ſuper prædictæ menſæ fructibus, redditibus & prouentibus eidem Collegio, ſeu illius pro tempore exiſtenti Protectori, vel Rectori, aut eius Procuratori, vel Oeconomo ad id, ab ipſo Protectore ſeu Rectore ſpeciale mandatum habenti, durantibus dictis quindecim annis dumtaxat, per Fælicianum Epiſcopum, & ſucceſſores, prædictis annis ſingulis, in loco & terminis, ac ſub ſententiis, cenſuris & pœnis, Necnon cum omnibus & ſingulis exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, decretis, & clauſulis, ac alias modo & forma, quibus dicto Hoſpitali reſeruata erat, & ſolui debebat, integre perſoluendam, Apoſtolica auctoritate & tenore ſimilibus reſeruamus, conſtituimus, & aſſignamus.

Maiores poſtea redditus dedit Sixt. V. vt dixi hic in rub.

Exemptionem à iuriſdictione quorumcũque Ordinariorum & Iudicum.

§. 6. Inſuper Collegium prædictum, illiuſque Rectorem, Oeconomos, Magiſtros, Præceptores atque Scholares pro tempore in eo exiſtentes, eorumque domeſticos, officiales, & Miniſtros, necnon ipſius Collegij bona mobilia & immobilia, præſentia & futura, cuiuſcumque qualitatis & quantitatis exiſtentia, ac tam in dicta Vrbe, quam extra eam & alias vbicumque locorum conſiſtentia, ab omni iuriſdictione, dominio, ſuperioritate, & poteſtate pro tempore exiſtentium Vicarij, Senatoris, Conſeruatorum, & Reformatorum dictæ Vrbis, necnon Rectoris Studij generalis eiuſdem Vrbis, ac Ordinariorum locorum, aliorumque Iudicum & Officialium quorumcumque in ipſa Vrbe, vel alias vbilibet conſtitutorum.

Gabellarumque & quorumcumque pedagiorum ſolutione elargitur.

§. 7. Necnon idem Collegium in propriis eius bonis & rebus, ac dicti Collegij ratione, Scholares perſonaſque in eo degentes, ac alios cum ipſo contrahentes, ab omnibus & ſingulis portarum, Molendinorum, Farinæ, trium pro centenario, ac quatuor Iuliorum pro quolibet vegete vini ſolui ſolitorum, aliiſque datiis, pedagiis, vectigalibus, angariis, ac terræ mariſque gabellis, Dohanis, Bulletinis, & quibuſcumque aliis oneribus ordinariis & extraordinariis, hactenus quomodolibet impoſitis, & in poſterum quandocumque quauis occaſione vel cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda imponendis, etiam ad inſtar exemptionis dilectorum filiorum Clericorum Cameræ Apoſtolicæ, etiam ratione Ripæ, Ripettæ, Dohanæ Terræ, etiam Graſciæ nuncupatæ Vrbis prædictę, necnon carnium, vini, granorum, pannorum, lini, lanæ, ſerici, librorum, cartarum, & quarumcumque aliarum rerum ad humanum victum & veſtitum neceſſariarum, ex toto noſtro Statu Eccleſiaſtico, & quibuſcumque aliis locis extra dictum ſtatum conſiſtentibus ad dictum Collegium, tam per terram quam per mare, & aquam dulcem, & alias quomodolibet conducendorum, & etiam iam ad Vrbem ipſam conductorum, & in ea exiſtentium, ac pro eodem Collegio in magna ſeu parua quantitate, tam in Barchis, quam in Magazinis, & alias vbilibet emẽdorum, Apoſtolica auctoritate, & tenore prædictis eximimus & liberamus, ac ſub Beati Petri, & dictæ Sedis, atque noſtra protectione ſuſcipimus, nobiſque & eidem Sedi immediate ſubicimus.

Indulta & priuilegia Studij generalis Almæ Vrbis, & ſimilium Collegiorum in Vrbe inſtitutorum, eidem Collegio concedit.

§. 8. Ipſis quoque Collegio, Rectori, Scholaribus, Præceptoribus, Magiſtris, Oeconomis, Officialibus, Miniſtris & perſonis, vt quibuſcumque priuilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, gratiis & indultis, quibus ſtudium generale dictæ Vrbis, necnon alia Germanicæ, Anglicæ & Græcæ Nationum Collegia, in ipſa Vrbe à nobis inſtituta, illorumque Rectores, Scholares, Præceptores, Magiſtri, Oeconomi, Officiales, Miniſtri & perſonæ, quouis modo vtuntur, potiuntur & gaudent, ac vti, potiri & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum non ſolum ad eorum inſtar, ſed æque principaliter & pariformiter in omnibus, & per omnia vti, potiri & gaudere valeant, eiſdem Apoſtolica auctoritate & tenore pariter perpetuo concedimus & indulgemus.

Hac vt videat require in V. Studii, & in V. Collegium, quia oneroſum nimis eſſet hic iudicare.

Officialibus Curiæ Romanæ & aliis prohibet ne in præmiſſis Collegium perturbent.

§. 9. Diſtrictius inhibentes Vicario, Senatori, Conſeruatoribus, & Reformatoribus Vrbis, ac Rectori Studij, aliiſque Iudicibus & Officialibus huiuſmodi, necnon pro tempore exiſtenti S.R.E. Camerario, Præſidentibus, ac prædictis Clericis, ac quibuſcumque Commiſſariis ad exactionem decimarum, & aliorum onerum prædictorum pro tempore deputaris, ne quarumuis literarum, eis ſub quibuſcumque tenoribus & formis conceſſarum prætextu, Collegium Maronitarum, illiuſque Rectorem, Scholares, Præceptores, Magiſtros, Oeconomos, Officiales, & Miniſtros prædictos, ſeu eorum aliquem in præmiſſis quouis modo moleſtent, aut moleſtari permittant.

Cardinalem eius Protectorem, & gubernatorem deputat.

§. 10. Vt autem ipſius Collegij Maronitici conſeruationi, bonoque regimini tam in his quæ ad inſtructionem & diſciplinam, quam quæ ad victum, veſtitum, aliaque huiuſmodi neceſſaria pertinent, opportune conſulatur, dilectum filium noſtrum Antonium tit. S. Euſebij Preſbyterum Cardinalem Caraffam nuncupatum, eiuſdem Collegij Maronitici Protectorem & defenſorem, cuius conſilio & ope, omnia ſupradicta, & alia quæcumque ad eoſdem in ipſum Collegium Maronitarum admittendos retinendoſque Scholares ſpectantia, ac alias quomodolibet neceſſaria agantur, ſtatuantur, & ordinentur conſtituimus & deputamus. Necnon Antonio Cardinali & pro tempore exiſtenti Protectori prædicto pro eiuſdem Collegij Maronitici, illiuſque perſonarum, bonorum, rerum & iurium, tam ſpiritualium quam temporalium ſalubri directione & conſeruatione, Rectores, Præceptores, Magiſtros, Oeconomos, Aduocatos, Procuratores, ceteroſque Miniſtros & Officiales in eo deputandi & amouendi, & loco amouendorum alios ſufficiendi, necnon ſtatuta, ordinationes, & decreta quæcumque, licita tamen & honeſta, ac Sacris Canonibus & decretis Concilij Tridentini non contraria, faciendi & edendi, ac illa quoties pro eorum & temporum qualitate, ſeu alias expediens videbitur immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, interpretandi, & etiam alia ex integro condendi, quæ poſtquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata, & condita fuerint eo ipſo dicta Apoſtolica auctoritate confirmata & approbata ſint & eſſe cenſeantur, ac ab omnibus ad quos pro tempore ſpectabit, etiam ſub pœnis in contrauenientes ſtatuendis obſeruari debeant plenam liberamque facultatem tribuimus.

Clauſulæ præſeruatiuæ huic bullæ appenſæ.

§. 11. Decernentes præmiſſa omnia & ſingula, ac præſentes literas, nullo vmquam tempore, ſiue pro eo quod cauſæ propter quas hæc omnia facta ſunt, coram dicto Vicario, vel quocumque alio examinatæ, verificatæ & approbatæ, ac quicumque intereſſe habentes ad id vocati fuerint, nec eiſdem præmiſſis conſenſerint, ſiue alias ex quibuſcumque cauſis, de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ vel quocumque alio defectu, notari, impugnari, retractari, ſeu etiam reuocari, ſuſpendi, reſtringi, limitari, aut in ius vel controuerſiam vocari, ſeu ad terminos iuris reduci poſſe, nec quemquam ad eaſdem præſentes litteras in Camera prædicta, iuxta Conſtitutionem Pij Papæ Quarti

præde

Digitized by Google

prædeceſſoris noſtri deſuper editam, aut alias quandocumque præſentandum, inſinuandum & regiſtrari faciendum teneri, neque propterea illas irritas eſſe, ſed omnimodo valere, acſi conſtitutio prædicta, & alia contraria minime emanaſſent.

Decretum irritans.

§. 12. Sicque per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac eiuſdem S.R.E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere; irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignorantes contigerit attentari.

Clauſulas derogatorias ſubtiliſ.

§. 13. Non obſtantibus præmiſſis, & Lateranen. Concilij vltimo celebrati vniones perpetuas niſi in caſibus à iure permiſſis fieri & penſiones annuas ſuper fructibus menſarum Epiſcopalium, niſi exceſſionis aut alia probabili cauſa reſeruari prohibentis, ac quatenus opus ſit noſtris de vnionibus committendis ad partes vocatis intereſſe habentibus, exprimendoque valore etiam beneficij cui aliud petitur vniri, necnon de præſtando conſenſu in penſionibus, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Vrbis locorum, & Cameræ prædictorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica vel quauis ſtrmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, illis ac Vicario, Senatori, Conſeruatoribus, Reformatoribus, Ordinariis aliiſque Iudicibus, & Officialibus, necnon Camerario Præſidentibus & Clericis prædictis, ac quibuſuis Dohanerijs, Commiſſarijs, & aliis perſonis, ad exactionem pedagiorum & aliorum onerum huiuſmodi pro tempore deputatis, necnon dilectis filiis Populo Romano, ac quorumcumque locorum Communitatibus, Vniuerſitatibus, & Hominibus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, & cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, necnon omnibus illis quæ in ſingulis literis prædictis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D P. A. 13. 17. Iunij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1584. quinto Kalend. Iulij, Pontificatus noſtri Anno 13.

XCII. De prædicatione verbi Dei ſemel in Hebdomada facienda Hebræis, pro eorum ad Chriſti fidem conuerſione in Terris, & locis, in quibus extant eorum Synagogæ.

De materia Iudæorum notaui ſupra in Pauli IV. conſt. 3. Cum nimis.

Edita A. D. 1584.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei Ad perpetuam rei memoriam.*

Cauſa conſt.

SAncta mater Eccleſia, cuius Chriſtus caput eſt, ingenitam ſuam charitatem ad omnes late diffundens, antiquæ Iſraëliticæ gentis populique Dei peculiares reliquias, pio numquam definit affectu miſerari, grauiterque contriſtatur Iudæorum quondam nationem præcipuis auctam muneribus, & gratiis, cuius erat adoptio filiorum, gloria, teſtamentum, legiſlatio, obſequium, & promiſſa, vnde etiam Chriſtus Saluator noſter ſecundum carnem natici dignatus eſt, per diuerſas Orbis partes tot iam ſæcula diſperſam, ac contagioſi gregis more per inuia, & inaquoſa miſere vagantem, verbi Dei fame, & aquæ refectionis ſiti perire, longeque non à terrena tantum, ſuper quam Dominus fleuit, ſed, quod grauius eſt, à cœleſti quoque Hieruſalem, niſi Chriſtus quem negauit confiteatur, exturbari, qua miſeratione, & mœrore nos quoque non leuiter commori, in dies ſemper aliquid excogitamus, vnde eorum conuerſioni, & ſaluti opportunius prouideatur, ipſiſque ad intelligentiæ viam, quam ſibi præcluſerunt, valeant Deo propitio peruenire.

Epiſcopi, & alij curent qualibet hebdomada prædicari Iudæis, in Terra vbi ſunt ſynagogæ, & Prædicatores de hac expreſſis differant.

§. 1. Quare ſollicito hæc animo meditantes, ac felicis recordationis Nicolai Papæ III. nonnullorumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, præſenti conſtitutione generali præcipimus, omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, etiam Cardinalatus honore præditis, vt in ſuis quiſque Ciuitatibus, Terris, & locis, in quibus competens aliquis numerus Iudæorum, qui Synagogam conſtituat, commoratur, curent Sabbati, vel alio cuiuſcumque hebdomadis ſtatuto die, ad Iudæos ipſos in locum præſtitutum, non tamen ſacrum, nec vbi ſacra confici ſolent, conuocatos, per aliquem magiſtrum in Theologia, aliumve idoneum virum ab eis eligendum cum mercede congrua illi ex ipſorum Hebræorum collatione, aut alias, prout commodius eis videbitur, Hebraicæ (ſi fieri poterit) linguæ peritum ſermones, vel lectiones haberi, in quibus illis exponantur ſcripturę veteris Teſtamenti, Moyſis ſcilicet, & Prophetarum, præſertim vero, quæ eo Sabbato leguntur, ſeu lectæ in eorum ſunt Synagogis, iuxta Sanctorum tamen Patrum interpretationes, & verum Catholicæ Eccleſiæ ſenſum, ac in eis differatur de veritate Chriſtianæ fidei, de certo Aduentu, & Incarnatione Filij Dei, illiuſque Natiuitate, vita, miraculis, paſſione, morte, ſepultura, deſcenſu ad Inferos, Reſurrectione, in Cœlum aſcenſione, de eius Euangelio in toto Terrarum Orbe per Apoſtolos eius, & alios Sanctos prædicato, innumeris atque clariſſimis virtutibus, & illuſtrium miraculorum gloria confirmato, ac de eius ſpirituali, & vero Regno, & de impio idolorum cultu ſublato, & gentium vocatione, de perpetua tum Hieruſalem, & Terræ eorumdem Iudæorum deſolatione, tum ipſorum vbique Terrarum diſperſione, & captiuitate, & de aliis ſimilis argumenti dogmatibus, & articulis ex lege, & Prophetis, de diutina præterea, & irrita Iudæorum Aduentus Meſſiæ & carnalis illius Regni expectatione, de vana eorum, quæ ſæpe, quinimo quotidie eos fruſtrata eſt ſpe redditus in terram promiſſionis, & reſtaurationis tertij templi, & demum de multiplicibus, & variis erroribus, & hæreſibus eorum, in quas miſerrime ſe demerſerunt poſtquam Chriſtum Dominum in carne venientem agnoſcere noluerunt, & de falſo per eorum Rabbinos tradita ſacrarum ſcripturarum interpretatione, quarum literam, & ſenſum fabulis, mendaciis, & variis dolis, & modis detorquentes corrupertunt, & deprauarunt, & hactenus corrumpere, & deprauare non deſinunt, deque omnibus aliis, quæ eos poſſint ad agnitionem fidei, ad errorum ſuorum correctionem, ad Orthodoxamque fidem conuertere, pro loci, temporis, ſumptique argumenti ratione prudenter agant, veris, & ex ſacra ſcriptura depromptis demonſtrationibus, nulla cum obtrectatione, aut iracundia, ſed magna cum charitate, & modeſtia, veritatis lumen illis aperire conentur.

Iudæi maioris annis 12. vtriuſque ſexus prædicationibus interſint.

§. 2. Ad quos ſermones & lectiones volumus, vniuerſos, & ſingulos vtriuſque ſexus Iudæos à duodecim annis ſupra, infirmitate, aut alia legitima cauſa, de qua ordinarios docere debeant non impeditos, in Ciuitate, & locis, vt præfertur habitantes, vel aliunde aduenientes, etiamſi inibi domicilium non habeant, ita per circuitum conuenire, vt tertia ſaltem eorum pars, nec vmquam minor ſemper adſit. Quod ſi facere neglexerint, interdicti cum fidelibus commercij, & aliis pœnis arbitrio Ordinarij pro contumaciæ modo imponendis, donec ſatisfecerint competenter, ad ipſos ſermones audiendos compellantur.

Chriſtiani autem Iudæos ab huiuſmodi prad. ſeducentes, puniantur.

§. 3. Siquis vero de numero fidelium ita fuerit ſalutis, aut ſui, aut proximi ſui, de quo vnicuique mandatum eſt immemor, qui eos à ſalutaribus huiuſmodi ſermonibus, ſeu lectionibus, directe abduxerit, aut impediuerit, ſeu contenderit quoquomodo, excommunicationis ſententia ſit eo ipſo ligatus, & contra eum ad alias pœnas Ordinarij arbitrio omnino procedatur.

§. 4. Cæte

Principes faueant Ordinariis in præmissis.

§.4. Ceterum Imperatorem, Regesque, & Principes omnes, necnon Respublicas, Magistratus, & Dominos temporales sæculares rogamus, & obtestamur in Domino, vt Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis,& aliis Ordinariis prædictis, eorumque Vicariis, & ministris suum in præmissis auxilium præstent, amplissimum ab omnipotenti Deo præmium in supremis gloriæ æternæ tabernaculis habituri.

Fides transumptis adhibeatur.

§.5.Et quoniam difficile nimis esset præsentes ad omnia loca, quibus illis opus erit, perferri, volumus, vt earum exemplis etiam impressis, manu publici Notarij subscriptis, & sigillo Prælati, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem omnino fides vbique adhibeatur quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 13. 1. Septemb.

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1584. Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno 13.

Publicatio.

Anno à natiuitate Domini 1584. *indict.* 12. *die vero* 24. *mensis Septembris, Pontific. Sanctiss. D. N. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt, in valuis S. Io. Lateranen. Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancell. Apostol. & acie Campi Florę, & ibi per aliquod temporis spatium dimissæ per nos Calixtum Brunettum, & Nicolaum Talliettum eiusdem S.D.N.Papæ Curs.* *Ioannes Freile Mag. Curs.*

XCIII. Innouatio constitutionis Nicolai III. & aliarum sanctionum, contra iurantes, & iurare facientes, illicita, impossibilia, damnosa, & Ecclesiasticæ libertati, ac decretis Concilij Tridentini aduersantia.

Hæc Nicolai constit. est in capitulo primo de Iureiur. in 6.

Edita An. D. 1584.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Consuetudo erat, quod Prælati & Canonici, in eorũ Ecclesiis non admitterentur, & Ciuitatũ officia non reciperentur, nisi præstito prius iuramento obseruandi statuta illarum.

INter Apostolicas, & alias canonicas sanctiones, quæ de iusiurandi Religione variis temporibus prodierunt, fel. record. Nicolaus Papa III. intelligens in nonnullis Ecclesiis de earum consuetudine obseruari, vt cum earum Prælati ad Ecclesias ipsas primo accedunt, vel cum de recipiendis ibidem nouis canonicis agitur, nec Prælatos admitti, nec canonicos aliter recipi in dictis Ecclesiis nisi iurato ab eis, statuta, & consuetudines ipsarum Ecclesiarum, scripta, & non scripta inuiolabiliter obseruare, inter laicos etiam multarum Ciuitatum, Castrorum, & Terrarum eum consuetudinis morbum in assumendis Potestatibus, Rectoribus, vel Officialibus suis irrepsisse, vt ipsi Potestates, Rectores, & officiales ad huiusmodi potestarias, rectorias, & officia, nullo modo admittantur, nisi prius se statuta ipsorũ locorũ clausa iurauerint seruaturos.

Nicolaus III. declarauit, talia iuramẽta, non ligare iurantes ad obseruandum illicita, impossibilia, ac libertati Ecclesiasticæ cõtraria, vt in cap. 1. de iureiur. in 6.

§.1.Et quia in statutis, consuetudinibusque supradictis interdum aliqua reperiebantur illicita, seu impossibilia, vel obuiantia Ecclesiasticæ libertati, idcirco ne sub tali generalitate iurandi, sic iurantibus peccandi occasio præberetur, cum iuramentum non fuerit institutum vt vinculum esset iniquitatis, prædictus Nicolaus Papa animarum periculis obsistere cupiens, frugifera & salubri constitutione præcepit quibuscumque scientibus contineri in prædictis consuetudinibus,& statutis illicita, impossibilia vel libertati Ecclesiasticæ obuiantia, huiusmodi iuramenta ab eis nullo modo præstari,& iuramenta ea intentione facienda, vel facta vt etiã illicita, vel impossibilia, seu libertati Ecclesiasticæ obuiantia obseruentur, cum etiam sub tali intentione præstari non possent absque diuinæ Maiestatis offensa, decreuit in huiusmodi illicitis, impossibilibus, seu libertati Ecclesiasticæ obuiantibus non seruanda, quin potius pro animarum salute si sub forma prædicta vel simili aliquos ignorantes prædicta illicita seu impossibilia, vel libertati Ecclesiasticæ obuiantia iurare contingeret, ad obseruanda dumtaxat licita, possibilia, & libertati Ecclesiasticæ non obuiantia iuramentorum intentio referri deberet, declarans iuramenta sub huiusmodi generalitate qualitercumque, & sub quacumque verborum forma præstita vel præstanda, ad licita, possibilia, ac Ecclesiasticæ libertati non obuiantia dumtaxat extendi, ipsosque iurantes ad alia per præstationem iuramenti huiusmodi non teneri. Verumtamen multi infirmi, cupidique census sese in huiusmodi iuramenta cum animarum suarum periculo præcipitant.

Hic modo Põt. innouat. Nic. III. & alias canonicas cõstitutiones dictas, circa reprobationem huiusmodi iuramentorum.

§.2.Nos quoniam hæc sanctorum quoque Patrum institutis, & salubri rerum Ecclesiasticarum directioni aduersantur,& tamquam de radice ambitionis procedentia omne bonũ in Ecclesiis rebusque publicis, peruertunt, ea nouæ prouisionis subsidio prohibere volentes, præsentium auctoritate innouamus prædictam constitutionem Nicolai Papæ, itidemque alias omnes Canonicas sanctiones de abusu, & reprobatione huiusmodi iuramentorum promulgatas, volumusque eas vbique ab omnibus etiam quoad præterita inuiolabiliter obseruari.

Et exigẽtibus de cetero iuramenta illicita pœnas hic expressas imposuit.

§.3.Ac etiam præcipimus,& interdicimus Prælatis, Canonicis;& aliis supradictis, necnon Ecclesiarũ Capitulis,& Monasteriorum ceterisque Conuẽtibus, Ciuitatum quoque, Castrorum,& Terrarum Cõmunitatibus,& personis quacũque dignitate præditis, ne vlla omnino iuramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel libertati Ecclesiasticæ, aut decretis Concilij Tridentini obuiantia, siue ante siue post electiones, confirmationes, prouisiones, receptiones, admissiones, aut alios actus, vbicumque ac quocumque tempore, etiam prætextu cuiusuis consuetudinis quantocumque tempore obseruatæ, quæ potius corruptela est cẽsenda, siue in genere siue in specie præstare, reddere, vel exigere, neve super præstitis, redditis, vel exactis hucusq; quemquam, in iudicio vel extra inquietare audeant quoquomodo, vel turbare; illos enim qui iuramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel Ecclesiasticę libertati, aut decretis dicti Concilij obuiantia, exigere contenderint, Episcopos videlicet, & alios quoscumque Pontificali dignitate prędito suspendimus à diuinis, Capitula vero,& Cõuentus, eorumque Ecclesias & loca omnia interdicto Ecclesiastico supponimus, ac singulares personas excommunicationis sententia innodamus, inhabilesque facimus ad obtenta, & alia obtinenda eo ipso, nobisque & Romano Pontifici pro tempore existenti relaxatione suspensionis, & interdicti, necnon absolutionem ab excommunicationis sententia huiusmodi perpetuo reseruamus.

Iurantibus quoque infligit pœnas, de quibus hic.

§.4.Decernentes eos, qui talia iuramenta scienter præstiterint, vsu,& commodo rei,& gratię cuius causa iurauerint, eo ipso priuatos esse: alios vero ignorantes ad præstitorum iuramentorum huiusmodi obseruationem minime teneri. Necnon irritum,& inane quicquid secus per quoscumque, scienter vel ignoranter attentatum est hactenus, & deinceps contigerit attentari..

Clausula derogat.

§.5. Non obstantibus præmissis, seu quod Prælatis, Capitulis, Conuentibus,& personis prædictis, vel quibusuis aliis, communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, & ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.6. Et quoniam difficile nimis esset, præsentes ad omnia loca, quibus illis opus erit, perferri, volumus vt earum exemplis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo Prælati, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 13. 15. Septemb.

Dat. Romæ apud S. Marcum, anno Incarnat. Dominicæ, 1584. Nonis Septemb. Pont. nostri anno 13.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1584 *indict.* 12. *die vero* 14. *mensis Septemb. Pont. S. D. N. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno* 13 *retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt in valuis, seu portis Ecclesiarum S. Io. Lateranen. ac Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancell. Apost. ac in acie Campi Florę, ibidemque per aliquod temporis spatium dimissæ, per nos Calixtum Brunettum, & Nicolaum Tagliettum eiusdem S.D.N. Papæ Curs.*

Ioannes Freile Mag. Curs.

XCIV. Depositæ pecuniarum actualia supra summã scutorũ quinque occasione litium in Alma Vrbe fienda, apud Montem Pietatis de cetero fiant.

Ampliorem

Digitized by Google

Ampliorem in hoc diſpoſitionem fecit Clem. VIII. inf. in eius conſt. 88. Quæ ad pietatis. *vbi etiam illius Protectorem deputauit in Iudicem, ad eius lites diiudicandas.*

Edita An. D. 1584.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. INter multiplices animi noſtri curas, quæ pro paſtorali officio nobis incumbunt, illa præcipue pectus noſtrum pulſat, vt quilibet ſibi legitime debitum facile conſequatur, & vt pietatis opera, quæ in Vrbe noſtra exercentur, continuum ſuſcipiant incrementum.

Cauſa huius conſtit. §.1. Sane rerum experientia edocti comperimus ſæpiſſime in cauſis, quæ in vniuerſis Romanæ Curiæ Tribunalibus atque etiam in ipſo Rotæ Auditorio ventilantur, fieri actualia depoſita pecuniarum penes Notarios actuarios, quorum conſignationis cum tandem dies aduenerit nouum ipſis creditoribus inchoandum eſſe iudicium pro ipſius depoſiti conſignatione, cum vel ex morte Notarij, vel alia quauis occaſione difficultates innumeræ oriantur. Conſpeximus etiam liquido quandoque debitores cum alia via ſolutionem vlterius effugere non valeant, curare, vt in eorum manibus pecuniæ ſequeſtrentur, vt creditor quandoque non ita ſubito cauere valeat, aut controuerſiam patiens diutius iure ſuo fruſtretur, & noua lis exoriatur, cuius periculo id ſit ceſſurum, ac etiam cauillationibus impediunt, quo minus ſibi debitam pecuniam conſequantur. Sæpe etiam pecuniæ diſcuſſionum occaſione ocioſæ iacent, quas in pauperum vtilitatem interim mutuare longe præſtaret. Conſpeximus quoque magnum commodum quod ex Monte Pietatis omnibus Vrbis incolis reſultat, cum ſub minima mercede, & ea neceſſaria quidem in ſumptus operi incumbentibus omnibus ſuccurratur. Verum propter ipſius Montis tenues facultates non poſſe ea largitate omnibus ſubueniri, quæ in tam magna Ciuitate, & pauperum multitudine expediret & conſiderantes, quàm tute in eo Monte pecuniæ collocentur, cum ibidem non niſi pignoribus creduntur, optimum fore cenſuimus, ſi eodem tempore, & abuſus ac difficultates, quæ circa ipſa depoſita, & illarum conſignationes exoriuntur tolleremus, & vt pecuniæ abundantiores in eodem Monte confluerent, quo largius & amplius neceſſitatem patientibus ſuccurratur, & vſurarum occaſio arceatur, conſuleremus.

Iudices Almæ Vrbis ſummas pecun. deponẽ. deponi faciãt penes Montem Pietatis. §.2. Itaque his, & aliis animum noſtrum digne mouentibus rationalibus cauſis, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, omnibus & ſingulis Romanæ Curiæ iudicibus, tàm Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, etiam ſacri Palatij Apoſtolici Auditoribus, ac etiam S.R.E. Cardinalibus, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, vt in quibuſuis cauſis etiam criminalibus coram eis pendentibus in quauis inſtantia, & quas in futurum perpetuo pendere contigerit, vbi actualis pecuniarum depoſitio ſupra ſummam ſcutorum quinque, alias locus ſit, iuxta decreta per ipſos iudices facienda, illud non amplius penes Notarios, vt hactenus, ſed ſine ipſorum Notariorum præiudicio, penes ipſum Montem Pietatis, ſeu illius pro tempore Depoſitarium, qui fide & facultatibus inſignis ſit, fieri & deponi mandent.

Depoſiti conſignatio fiat nulla aucta expenſa. §.3. Cuius depoſiti conſignatio fiat per mandatum iudicis abſque alia expenſa quam ea quæ regulariter, iuxta ſtylum cuiuſque tribunalis pro illius conſignatione hactenus penes Notarium fieri conſueuerat, eidem Notario tantum ſoluenda.

Vſus cedularũ ac pignorum, non tollitur. §.4. Sane, vſum & conſuetudinem cedularum bancariarum, & cautionum, ac pignorum, dum res eſt dubia, & ſuper ea lis pendet, nequaquam tollimus.

Lite vertẽ. inter aliquos debitor deponat penes Montẽ. §.5. Porro vbi ſuper pecuniis ſequeſtratis, vel penſionibus domorum, caſalis, aut aliarum quarumcumque rerum litigioſarum tàm profanarum quàm Eccleſiaſticarum, lis inter alios pendet, verus debitor interim penes ipſum Montem pecunias deponere, nedum ad cuiuſuis partis inſtantiam, ſed etiam ex officio compellatur.

Debitores omnes tute penes Montem deponẽt. §.6. Inſuper ad euitandum moram, & omnem pœnam exinde iuridice prouenientem, liceat vnicuique debitori, qui creditoris ſui copiam non habuerit, pecunias in eodem Monte actualiter deponere, quæ creditori venienti poſſint libere conſignari; quod ſi etiam ipſe debitor velit moræ litem effugere, & prætendat non eſſe locum conſignationi, & deſuper audiri, ad ipſum facto prius in ipſo Monte pecuniario depoſito, tàm in futuris quàm in pendentibus negotiis, & præcipue in quibuſcumque diſcuſſionibus pro loco tuto ipſum Montem eorum arbitrio eligere poſſint.

Iudicum contrauenientium pœna. §.7. Iudices vero quacumque præfulgeant dignitate aliter decernentes indignationis noſtræ pœnam incurrant.

Partiumque. §.8. Partes vero aliter deponentes periculo omni ſubiaceant, nec à creditoribus ſe propterea liberatum iri intelligant.

Miniſtri Montis ſint diligentes. §.9. Ac ipſius Montis prouiſores & miniſtri, ita ſint in conſeruatione fideles, & conſignatione celeres, vt ceteri etiam non litigantes ad deponendum penes eos alliciantur.

Deponentium aſſecuratio. §.10. Vtque magis ſic deponentibus ſit conſultum, volumus non ſolum ipſius Montis, ſed & Depoſitarij ab eo pro tempore eligendi bona, fore & intelligi pro dictorum depoſitorum reſtitutione efficaciter obligata, perinde ac ſi cum vnoquoque à me talis obligatio interceſſiſſet, eaque in euentum diſcuſſionis, tamquam publico Camerali inſtrumento munita, ceteris præferri.

Decretum irritans. §.11. Sicqueper quoſcumque iudices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Notariorũ & iudicũ inobedientiæ pœna. §.12. Et quod Notarij & iudices contra præmiſſa venientes, Notarij videlicet omnibus emolumentis ſuorum officiorum vnius anni dicto Monti applicandis, prima vice, deinde ipſis officiis priuati ſint, & præterea excommunicationis ſententiam prima vice prædicta incurrant eo ipſo. Itidemque iudices etiam ſi Archiepiſcopi, Epiſcopi, ſeu alij Prælati fuerint, pœna quingentorum ducat. auri de Camera eidem Monti pariter applicandorum ſine remiſſionis ſpe mulctentur, earumdem præſentium auctoritate ſtatuimus.

Executorium huius conſt. deputatio. §.13. Quocirca dilecto filio noſtro Philippo S. Angeli in foro piſcium Diacono Card. Vaſtauillano nuncupato S.R.E. Camerario, præſenti ac pro tempore exiſtenti dicti Montis protectori, tenore præſentium præcipimus & mandamus, vt Monti præfato, ac illius reſſoribus & miniſtris, in præmiſſis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtens, faciat omnia & ſingula præmiſſa, etiam ſub cenſuris Eccleſiaſticis, & pecuniariis eius arbitrio moderandis pœnis, per eos ad quos ſpectat inuiolabiliter obſeruari.

Camerarij facultas declarãdi dubia. §.14. Et vbi ſuper præmiſſis tempore procedente dubium aliquod emerſerit, illud auctoritate noſtra declaret, & interpretetur, & in caſibus dubiis ſemper depoſitum in ipſo Monte faciendum eſſe decernat.

Clauſulæ derogatoriæ §.15. Præmiſſis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis ſtylo palatij, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Dat. P. A. 15. 1. Octob. Dat. Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris, die 1. Octob. 1584. Pontificatus noſtri anno 13.

XCV.

Quod Religioſi Societatis Clericorum Regular. IESV, etiam ſacris Ordinibus non initiati, verbum Dei prædicare poſſint.

Alia de hac religione indicaui tibi ſup. in conſt. 25. Pauli III. qui eam primo confirmauit. Regimini.

Edita An. D. 1584.

GREGORIVS PAPA XIII. *Dilectis filiis Præpoſito & Religioſis Societatis IESV, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

Cauſa huius declarationis. VIgore priuilegij veſtræ Societati à fel. record. Paulo Papa III. prædeceſſore noſtro conceſſi, vt veſtrum quiſque idoneus, & à Præpoſito pro tempore exiſtente eiuſdem Societatis deputatus, verbum Dei publice prædicare, & qui ex vobis preſbyteri fuerint quorumcumque vtriuſque

vtriusque sexus Christifidelium confessiones audire possint ex illo concessionis huiusmodi tempore, etiam Scholares & alij Religiosi vestri sacris ordinibus nondum initiati, alias tamen idonei ad prædicandum verbum Dei passim, & vbique mittuntur. Verum quia nonnullis dubitatio curiosius incessit, an d. priuilegium prædicandi, etiam eos comprehendat qui ad Ordines ipsos nondum ascenderunt.

Declaratio de qua in rub.

§.1. Nos quemcumque hoc scrupulo eximere volentes, præsentium auctoritate declaramus, ac etiam decernimus, vestrum vnicuique etiam ad sacros Ordines prædictos non promoto, prædicationis munus in vim priuilegij huiusmodi exercere potuisse & posse. Vobis insuper concedentes, vt etiam clerici vestri prima tantum tonsura insigniti, prout hucusque fecerunt, valeant deinceps ipsum Dei verbum vbique populo prædicare.

Inhibitio contra perturbatores.

§.2. Districtius inhibentes vniuersis & singulis locorum Ordinariis, & quibusuis aliis quacumque dignitate & auctoritate fungentibus, ne quemquam vestrum quouis prætextu præmissorum occasione, impedire vel molestare audeant quoquo modo.

Derogatio contrariorum.

§.3. Non obstantibus Apostolicis, ac in generalibus, & prouincialibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus & ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.4. Volumus autem vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici, seu Secretarij Societ. subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiast. constitutæ, seu etiam d. Societ. Præpositi generalis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ vel ostensæ.

D P. An. 13. 20. Nouemb.

Dat. Romæ apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris die 20. Nouemb. 1584. Pontific. nostri anno 13.

XCVI. De forma, qua Clerici R. C. Apost. expeditiones Camerales signare debent, sub nomine & sigillo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Camerarij.

Hac bulla confirmata & innouata fuit prauia eius insertione à Sixt. V. die 1. Aprilis 1587. sed à me vti simpliciter confirmatoria hic solummodo indicatur.

Reformationes Cameræ & alia de materia, vide sup. in Pij IV. const. 55. *Romanus.* vbi plene notaui. Et iurisdictiones Camerarij attende infra in const. 65. Clement. VIII. *In conferendis.* vbi fusius omnia indicabo.

Edita An. D. 1584.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

QVæ à Rom. Pontificibus optima ratione sunt decreta, ac roborata, ea ne sensim labefactentur & pereant, nostrum in primis est officium prouidere.

Paul. III. cuius const. non est hic, iussit Clericos expeditiones dare sub nomine & sigillo Camer

§.1. Olim igitur fel. rec. Paulus Papa III. prædecessor noster, propositis pœnis grauissimis officiorum, & beneficiorum priuatiuis, atque excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendis perpetua const. prohibuit Decano, & Clericis Cam. Apost. qui omnia quæ in eadem Camera agunt. S.R.E. Camerarij nomine agunt, ne res Camerales inscio ipso Camerario, cui rerum & iurium Cameræ cura est specialiter commissa, quique viuæ vocis oraculum habet, & in suo officio personam Pontificis repræsentat, vllo modo expedirent, neve vllas expeditiones Camerales gratiam vel iustitiam concernentes, seu mixtas, aut ab illis dependentes, aliter quam sub nomine Camerarij, & sub sigillis penes ipsum existentibus, facere aut expedire possent.

Iul. III. eam refert & approbat in const. 3.

§.2. Postea vero piæ mem. Iulius Papa III. dictam Pauli prædecessoris constitutionem cum omnibus suis clausulis approbauit & innouauit, decreuitque, quòd Camerarius solus posset officij sui sigillum tenere, Clerici verò & Decanus d. Cameræ sigillum nullum habere possent.

Sed tamē Clerici absq; nomine, & sigillo Camerarij

§.3. Et quamuis decreta huiusmodi, & propter suam ipsorum æquitatem, & propter Romanorum Pont. auctoritatem, & propter pœnarum in eis propositarum grauitatem, debuissent diligentissime seruari quemadmodum antea fuerant seruata; Tamen accepimus nonnullis abhinc annis violari cœpta esse, ac multas recentes Camerales expeditiones, tàm gratiam quàm iustitiam, aliaque negotia concernentes, sine debito ac vsitato nomine Camerarij, & eius sigillo, sine solita subscriptione, Visa, &c. priuatim autem, & singulariter sub ipsorum Clericorum, etiam prætextu rescriptorum, & commissionum ipsis singulis, seu etiam ipsis omnibus Clericis directarum nominibus & sigillis factas, totidemque in Camera sigilla, quot in ea sunt Clerici irrepsisse, nouumque expediendi genus, tàm in Curia quàm extra introductum esse, sub prætensis tit. Præfecturæ Annonæ, Præsidentatuum viarum, Dohanarum, Graticiæ, Zecchæ, Riparum, Carcerum, superintendentiæ Collis Scipionis, aliisque nouiter repertis Salariæ, & Gabellæ carnis, priuatis etiam singulorum Secretariis quandoque ad huiusmodi expeditiones adhibitis; sicque tàm vigore commissionum & rescriptorum, in causis Cameralibus & aliis infrascriptis, quàm etiam auctoritate ordinaria, ac ex decreto Cameræ, monitoria, decreta, citationes, mandata executiua, brachia sæcularia, aliasque expeditiones, Annonam, Vias, Ripas, Dohanas, Graticiam, Carceres, Zeccham, superintendentiam Collis Scipionis, Salariam, Gabellam carnium, Annatam, Quindennia, Spolia, ac Commissariorum deputationes, omissis plerumque fideiussionibus & iuramentis, præstari consuetis, expedita esse nouis cum clausulis, Camerario tantum & non supradictis Clericis permissis, ac conuenientibus, dum alij ita scribunt. Expositum fuit nobis in Cam. Apostolica; alij, Auctoritate qua fungimur in hac parte; alij, Iuxta mandatum Sanctissimi nobis oretenus factum; alij, Dat. Romæ in Cam. Apostolica; alij, Dat. Romæ in palatio nostro, & hæc nonnumquam sola cum subscriptione Auditorum, aut Secretariorum dd. Clericorum, talibus etiam expeditionibus in Cam. quandoque minime registratis, magna cum summi Cameratiatus Tribunalis indignitate, & rerum tum priuatarum tum publicarum incommodo, & iactura, etiam aliquando Clericos causas à Camerario ad se aduocasse, Camerarioque inhibuisse.

expeditiones nouis cum clausulis hic expressis dabant.

Ideo hic Pont. innouat & confirmat dd. const. Paul. III. & Iul. III. & inualidas esse decernit prædictas exped. à Clericis faciendas.

§.4. His igitur omnibus intellectis, perspectaque inanitate causarum huius tantæ rerum perturbationis à dictis Clericis ad excusationem propositarum, indignum iudicantes, iusta, ac legitima Rom. Pont. decreta perfringi priuata licentia, neque suum Camerario ius atque honorem, ab his præsertim quorum ipse est caput, relinqui, & conseruari, istumque Clericorum expediendi modum contra antiquas expeditiones, & constit. Apost. esse intelligentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetua constitutione, supradictas Rom. Pont. prædecessorum nostrorum constitutiones, declarationes, & decreta omnia, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, & quatenus opus, eadem omnia de nouo decernimus dictasque Clericorum expeditiones omnes, necnon banna, edicta, causarum à Camerario auocationes, & inhibitiones de cetero faciendas, nullas, irritas, & inualidas ex nunc esse declaramus, omnesque à dictis Clericis ita vt dictum est, ad quæuis officia, exercitia, curationes, administrationes deputatos reuocamus, neue se in eis amplius ingerere possint sub pœnis nostro & Rom. Pontificis pro tempore existentis arbitrio statuendis, prohibemus.

Præcipitque eisdē Clericis, vt omnes exped. sub nomine & sigillo Camerarij signent, & ei sola subscript visa, &c ex ceptis causis gubernio rum eis datorum.

§.5. Eisdem quoque Decano, & Clericis vniuersis & singulis, nunc & pro tempore existentibus, sub omnibus pœnis quæ per supradictas constit. irrogantur, ipso facto incurrendis, præcipimus & mandamus, ne vllo vmquam tempore, siue vniuerse siue priuatim & singulariter, quicquam etiam vigore quorumcumque officiorum, præsidentatuum, & præfecturarum, seu rescriptorum, & commissionum, etiam manu nostra vel successorum nostrorū signatarum, ipsis Clericis & cuicumque eorum directarum expedire possint, nec quascumque patētes lit. ac supradictas, aliasque eiusmodi expeditiones, aliter quam sub nomine, & sigillo Camerarij facere, aut subscribere audeant, neque alia subscriptione, vti, quam, Visa, &c. neque expeditiones alibi quam in Camera registrari patiantur. Hæcque in omnibus expeditionibus per Clericos supra

Digitized by Google

supradictos faciendis diligenter seruari volumus & mandamus, exceptis dumtaxat & reseruatis Guberniis Ciuitatis Veteris, Tulphæ, Cæsarum,& Terrarum Arnulphorum, in quibus de more expedire possint.

Inhibet Notariis ne exped. aliter scribant.

§.6. Sub eisdem quoque pœnis omnibus eiusdem Cameræ Notariis inhibemus, ne in posterum prædictas,nec vllas alias expeditiones quocumque nomine appellatas, gratiam vel iustitiam concernentes, aut mixtas, tàm in Rom. Curia quàm extra eam, aliter quam sub nomine & sigillis pro tempore existentis Camerarij scribere,subscribere, aut expedire audeant.

Iubet etiam Clericorum Auditoribus, &c. ne expedit. super rebus ad Cameram pertinen. subscribant.

§. 7. Itidem quoque & sub eisdem pœnis, simili modo incurrendis inhibemus dictorum Clericorum Secretariis, & Auditoribus, & aliis quibuscumque extra Cameram existentibus, ne vllas omnino expeditiones ex supradictis, nec alias quascumque super rebus ad dictam Cameram pertinentibus, vel ab eis dependentibus facere, aut subscribere,seu in eis se ingerere quocumque prætextu seu colore audeant.

Camera expedit. & tracta frumentorum spectant ad Camerarium.

§.8. Omnes autem supradictas, & alias Camerales expeditiones, necnon tractas, tritici, & aliarum segetum, etiam extra Statum Ecclesiasticum, earumque expeditiones ad Camerarium solum, & non ad alium spectare, & pertinere decernimus.

Decretum irritans.

§.9. Et quas contra formam huius nostræ const. in totum vel in partem in futurum fieri contigerit, omnino nullas atque irritas esse declaramus.Sicque per quoscumque iudices ordinarios & delegatos etiam causarum Palatij Apost.Auditores,& S.R.E.Card sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate,iudicari &,deciqi debere mandamus.Decernentes irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Camerarij facultates contra inobedientes.

§. 10. Ac mandantes dilecto filio nostro Philippo S. Angeli in foro piscium Diac. Card. Vastauillano moderno, ac pro tempore existenti,nostro & S.R.E.Camerario, vt pro præmissorum obseruatione, executione & implemento, omnibus & singulis præfatis, & quibus opus fuerit præcipiat, mandet, & inhibeat, illosque citet, cogat, compellat, & alias, provt sibi videbitur, contra eos procedat,ceteraque alia faciat & exequatur, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, & sibi videbuntur quomodolibet opportuna. Nos enim motu & potestatis plenitudine similibus eidem Philippo Card. & Camerario, vltra eius potestatem & auctoritatem, in præmissis plenissimam licentiam & facultatem concedimus.

Clauſ. derog.

§.11.Non obstantibus præmissis,& nostra de non tollendo iure quæsito, ac aliis Apost. constitutionibus, dictæque Cameræ iuramento cõfirmatione Apost. vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, necnon priuilegiis,indultis,& literis Apost. illi,ac prędictis Præsidentibus,& Clericis quocũque modo concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus illorum tenores, perinde ac si ad verbum inserererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, harum serie ad effectum omnium præmissorum, specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si Decano, Clericis, cetersique prædictis, ac quibusuis aliis, communiter vel diuisim ab Apost.sit Sede indultum,quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apost.non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo &c.

D. P. An. 13. 5. Decemb.

Dat. Romæ apud S.Petrum, Anno Incarnat.Dominicæ 1584.Nonis Decemb.Pont.nostri anno 13.

Admissio, & registratio in Cam.

Die 17. Decemb. 1584. Ex decreto Cam. Apost. admissa & registrata fuerunt prainserta litera Apost. & collationata concordant. *A Martini.*

XCVII. Institutio Confraternitatis seu Congregationis Externorum Scholarium, studiis Collegij Societatis Iesu de Vrbe insistentium, sub inuocatione Annunciationis B. Mariæ, ad pia opera exercendum. Et facultas alias aggregandi Congregationes, cum Indulgentiarum communicatione.

Extendit istam Congregationem ad Scholares, Sixtus V. in const. 53. Superna. vbi alia notabo, quæ aduertenda sunt.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita An. D. 1584.*

Exordium.

OMnipotentis Dei Saluatoris Nostri, qui ex pietatis suæ superabundantia, fidelium mentibus cœlestis inspirationis gratiam, & deuotionis ardorem, ad diuinæ Maiestatis obsequia, & piorum operum exercitia salubriter peragenda, continuo infundit, exemplo adducti, in eam Pastoralis officij curam cogitationemque sedulo incumbimus, per quam ipsorum fidelium fructuosis huiusmodi operibus & exercitiis vacantium, religio, & deuotio continuum suscipiat incrementum, eisque votiua salus proueniat animarum.

Pij adolescentes Studiis Colleg. Societ. Iesu de Vrbe incumbentes ad pia opera enunciata exercendum se consociarunt.

§. 1. Alias siquidem per Nos accepto quod plerique probi & pij adolescentes, bonarum literarum studiis in Collegio nostro Societatis Iesu de Vrbe insistentes, singulari erga Beatissimam Mariam Virginem Dei Genitricem effectu ducti, ac etiam Lectorum, & Magistrorum suorum spiritualibus cohortationibus ad id accensi, Ecclesiam Annunciationis eiusdem B. Mariæ in corpore ædificiorum d. Collegij consistentem, certis statutis diebus & horis frequentare, & cum eximia deuotionis sinceritate,cordisque contritione, conscientiam suam per Confessionis, & sanctissimæ Eucharistiæ ministerium expurgare, ac diuinis officiis, colloquiis, & exhortationibus spiritualibus, aliisque piis & salutaribus operibus vacare soliti erant, factoque inde ad illorum exemplum maiore aliorum concursu,mutuis studiis se inuicem consociauerant. Nos vt pium hoc institutum peramplius coalesceret, eisdem, & alis Christifidelibus, huiusmodi spiritualibus operibus& exercitiis pro tempore addictis, nonnullas Indulgentias,& peccatorum suorum remissiones concessimus, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur.

Possen in diuersis mundi partibus, vbi sunt d. Societ. Collegia externi scholares, eadem imitari vota-runt.

§. 2. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filij Præpositi Generalis dictæ Societatis petitio continebat, in diuersis mundi partibus & præsertim insignioribus Europæ ciuitatibus, eiusdem Societatis Collegia ad iuuentutem bonis moribus & virtutibus ornandam, ac vera pietate, sacraque doctrina imbuendam,propagare illorumque externi Scholares ibidem studiorum causa confluentes,optima deuotionis,& piorum operum huiusmodi exercitia feruenti studio imitari, & exinde multiplices fructus ad Dei gloriam ipsiusque diuini Numinis cultum, ac B. Mariæ Virginis honorem, necnon publicam salutem, & spiritualem consolationem prouenire cœperint.

Vtile oppotunum videtur, vt stabiliatur in d. ecclesia de Vrbe, primaria Congreg. à qua alia orium habuerunt.

§. 3. Et operæprecium sit, vt quemadmodum piarum, & fructuosarum exercitationum huiusmodi institutum à Scholaribus d. Collegij de Vrbe, quod nostris auspiciis & impensis,magnifico ædificiorũ & structurarum opere à fundamentis innouatur & exstruitur, primordium suũ in d. Ecclesia Annunciationis B. Mariæ habuit; ita quoque inibi eorumdem Scholarium primaria Congregatio, seu primarium Sodalitium, sub titulo eiusdem Annunciationis B. Mariæ ad laudabile eorum in piis operibus & officiis huiusmodi studium nostris beneficiis & Indulgentiarum præmiis conseruandum ac augendum, stabiliatur & instituatur, pro parte ipsius Præpositi nobis fuit humiliter supplicatum,vt præmissis annuere, & desuper opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic idio Pet. sam ibi vrigit sub regimine Præpositi gen. Societ. Iesu.

§. 4. Nos igitur religiosum ipsorum Scholarium,& in his spiritualibus exercitiis studium, piæ voluntatis affectu prosequi volentes, ipsumque Præpositum à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti,aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis,siquibus quomodolibet innodatus existit,ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes,& absolutum fore censentes; Necnon literarum prædictarum

Digitized by Google

tenores præsentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in eadem Ecclesia, vnam seu vnum, externorum Scholarium d. Collegij nostri, ac etiam aliorum Christifidelium Societati prædictæ deuotorum primariam Congregationem, seu primarium Sodalitium, sub titulo Annunciationis B. Mariæ huiusmodi, quæ, seu quod per prædictum, & pro tempore existentem Præpositum Generalem d. Societatis, seu illo defuncto donec alius ad officium Præpositi Generalis huiusmodi canonice assumatur, per Vicarium etiam Generalem eiusdem Societatis dirigi debeat, Apost. auctoritate tenore præsentium perpetuo, sine tamen ipsius Societatis præiudicio, erigimus, & instituimus.

Sodalibus indulg. plen. in in ingressu, & articulo mortis elargitur.

§. 5. Vt autem primaria Congregatio, seu primarium Sodalitium huiusmodi, per gratiarum munerum cælestium largitionem, deuotionis ac pietatis iugiter proficiat incrementis, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus & singulis Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui deinceps in Sodales eiusdem primariæ Congregationis, seu primarij Sodalitij recipientur; tàm die receptionis eorum, si sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in prædicta Ecclesia, aut vbicumque potuerint eo die sumpserint, quàm in mortis articulo.

Visitantibusq; eius eccles. die Annunciationis B. Mariæ.

§. 6. Necnon ipsis, ac omnibus & singulis aliis vtriusque sexus Christifidelibus etiam vere pœnitentibus & & confessis sacraque communione refectis, qui ecclesiam prædictam die festiuitatis eiusdem Annunciationis B. Mariæ à primis vesperis vsque ad occasum solis ipsius festiuitatis deuote visitauerint, & ibi pro Reip. Christianæ conseruatione & augmento, hæresum extirpatione, Principumque Christianorum mutua & vniuersali pace, ac nostra & pro tempore existen Rom. Pont. prosperitate, vel alias preces, prout vnicuique suggeret deuotio, ad Deum deuote effuderint.

Sodalibus confessis, & die bus hic expressis, indulg. plenar. concedit

§. 7. Insuper eisdem Sodalibus similiter vere pœnitentibus & cõfessis, qui in Natiuitatis & Ascensionis D. N. Iesu Christi, ac Annunciationis, Assumptionis, & Conceptionis, necnon Natiuitatis B. Mariæ Virginis festis diebus, prædictum sanctissimum Sacramentum, ibidem vel alibi acceperint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem, Apostolica auctoritate, & tenore præsentium misericorditer in Domino concedimus & elargimur.

Annum autem de pœnitentiis relaxat Sodalibus associantibus corpora defunct.

§. 8. Ipsisque Sodalibus, qui de eorum numero existentium, vel aliorum Christifidelium defunctorum corpora ad sepulturam ecclesiasticam associauerint.

Aut si impediti sint, pro defunctis, vel infirmis orãtibus.

§. 9. Aut infirmi vel impediti, audito signo campanæ, genuflexi, si per infirmitatem licebit, orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, pro salute animæ defuncti, vel corporis infirmi recitauerint.

Interessentibusque Congregationi, &c.

§. 10. Necnon qui Congregationibus, tàm publicis quàm priuatis, ac diuinis officiis, spiritualibusque colloquiis exhortationibus & aliis piis officiis, etiam in Sodalis, seu aliorum Christifidelium defunctorum suffragium per primariam Congregationem, seu primarium Sodalitium ordinandis, & ab ipso Præposito, seu Vicario Generali approbandis, quique diebus feriatis Missæ sacrificio interfuerint.

Conscientiam examinantibus

§. 11. Aut Vespertino tempore antequam cubent, conscientiam suam diligenter examinauerint.

Infirmos vel carceratos visitantibus.

§. 12. Seu pauperes infirmos, tàm Sodales quàm alios in hospitalibus vel priuatis domibus, necnon carceratos visitauerint.

Inimicosque reconciliantibus.

§. 13. Aut pacem inter inimicos conciliauerint, quoties horum quoduis fecerint, vnum annum de eis iniunctis, vel alias quomodolibet debitis pœnitentiis Apostolica auctoritate, & tenore similibus etiam misericorditer in Domino relaxamus.

Reuocatio aliarum indulg.

§. 14. Quascumque alias præsentibus non expressas indulgentias, & peccatorum remissiones, etiam plenarias, & relaxationes, Scolaribus & aliis prædictis, ratione dicti eorum instituti, vel alias in communi, per Nos & Sedem Apostolicam quomodolibet concessas, reuocando & abrogando.

Sodales absentes & d operam exercẽtes gaudeant eisdem indulg.

§. 15. Insuper ne præfati Sodales, si aliquando eos ab ipsa Vrbe abesse vel alibi commorari contingat, huiusmodi indulgentiarum & aliarum gratiarum spiritualium effectu & fructu frustrati remaneant, eisdem Sodalibus extra Vrbem vbiuis locorum pro tempore commorantibus, vt in locis vbi eos pro tempore residere, seu morari contigerit, opera prædicta, quæ ipsi Sodales in Vrbe præsentes pro singularum indulgentiarum, remissionum, & relaxationum huiusmodi consequutione obseruare deberent, apud Ecclesias eorumdem locorum aut alibi prout poterunt obseruando, & exequendo, omnes easdem indulgentias remissiones, & relaxationes habeant, & illæ eis pariter suffragentur.

Et tam præsentes in Vrbe, quã absentes, Stationes Vrbis consequantur visitando eccles. vt hic.

§. 16. Necnon tàm in Vrbe præsentes quàm alibi vbiuis locorum commorantes, Sodales primariæ Congregationis, seu primarij Sodalitij huiusmodi, qui singulis quadragesimalib. & aliis anni temporibus, ac diebus Stationum ecclesiarum d. Vrbis, & extra illius muros, quæ à Christifidelibus pro consequendis indulgentiis & remissionibus visitari solent, d. Societatis, si ibi fuerit, alioquin aliam Ecclesiam, seu capellam in locis vbi eos pro tempore residere seu morari contigerit, vt præfertur, deuote visitauerint, & ibi septies orationem Dominicam, & septies salutationem Angelicam recitauerint, tot, & easdem indulgentias consequantur, quas consequerentur, si iisdem temporibus & diebus singulas Ecclesias d. Vrbis & extra illus muros huiusmodi pro iisdem Stationibus & Indulgentiis consequendis deputaras personaliter visitarent, ac omnia & singula quæ pro huiusmodi gratiarum consequutione quomodolibet requiruntur plene adimplerent.

Facultas Præpositi gen. aggregandi alias Cõgreg. Hoc ampliauit Sixt. V. & declarauit Clem. VIII. cit. in rubr.

§. 17. Præterea eidem Præposito, seu Vicario Generali pro tempore existenti, vt in quibusuis aliis dictæ Societatis Collegiis extra Vrbem prædictam per vniuersum Orbem nunc & pro tempore erectis, seu eorum Ecclesiis pro eorumdem piorum operum incremento, quascumque alias, seu quæcumque alia Scholarium ibidem literarum studiis insistentium, & aliorum Christifidelium ipsi Societati deuotorum Congregationes, seu Sodalitia sub eo titulo Annunciationis B. Mariæ, quæ ab ipsa primaria Congregatione, seu primario Sodalitio tamquam membra à capite dependeant, auctoritate nostra sine tamen Societatis aut Collegiorum & Ecclesiarum huiusmodi præiudicio, erigere & instituere.

Eisque gratias & indulg. communicandi.

§. 18. Illasque, seu illa eidem primariæ Congregationi, seu primario Sodalitio aggregare, ac eis sic erectis, institutis, & aggregatis eorumque Sodalibus prædictas ac omnes, & quascumque alias Indulgentias, peccatorum remissiones relaxationes, gratias, & facultates, tàm spirituales quàm temporales, à Nobis dictaque Sede primariæ Congregationi, seu primario Sodalitio de cetero cõcedendas, ita vt Sodales aliarum Congregationum, seu aliorum Sodalitiorum huiusmodi, obseruantes & exequentes ea, quæ ipsius primarij Sodalitij Sodales pro indulgentiis, remissionibus & relaxationibus huiusmodi consequendis, obseruare & exequi debent, easdem Indulgentias, peccatorum remissiones, & relaxationes pariter consequantur, facultate aggregandi, & gratias huiusmodi aliis concedendi dumtaxat excepta, cõmunicare.

Tu vide bullam Clem. VIII mox citatam.

Congreg. visitandi, & statuta condendi pro fratrum regimine.

§. 19. Necnon tàm Primariam, seu Primarium, quàm omnes & singulas ei aggregandas Congregationes, seu omnia & singula ei aggreganda Sodalitia huiusmodi, per se vel alium seu alios eiusdem Societatis presbyteros idoneos ad id ab eo deputandos visitare, & pro earum felici statu, regimine, & directione, quæcumque statuta, constitutiones, & decreta, licita tamen & honesta, sacrisque Canonibus, & Concilij Tridentini decretis non contraria, necnon ab ipso Præposito, seu Vicario, si per alium, vel alios deputandos huiusmodi fiant examinanda & approbanda edere, ac postquam edita fuerint, quoties pro eorum & temporum qualitate, aut alias expediens ei videbitur immutare, corrigere, moderari, & reformare, aut alias ex integro condere, libere & licite valeat, eisdem auctoritate Apost. & tenore, perpetuo concedimus & indulgemus. Decernentes statuta, constitutiones, & decreta huiusmodi, postquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata & condita fuerint, ab omnibus Sodalibus prædictis inuiolabiliter obseruari debere.

Clausula præsentium.

§. 20. Ac præsentes literas sub quibuscunque similium

Digitized by Google

lium vel dissimilium indulgentiarum, & aliarum gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, etiam in fauorem Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, seu Cruciatæ Sanctæ, aut alias per Nos, vel alios Romanos Pontifices successores nostros, aut dictam Sedem, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, Apostolicæ potestatis plenitudine, seu ad quorumuis etiam Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum instantiam pro tempore quomodolibet factis minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de nouo concessas esse, & censeri. Necnon omnibus, quos illæ concernunt suffragari debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogat.

§. 21. Non obstantibus præmissis, & nostra de Indulgentiis ad instar non concedendis, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Transumptorum fides.

§. 22. Volumus autem vt earumdem præsentium transumptis etiam impressis, Secretarij ipsius Societatis, vel Notarij publici manu, & personæ alicuius in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel pro tempore existentis Præpositi, aut Vicarij generalis eiusdem Societatis sigillo munitis, eadem prorsus fides vbique locorum in iudicio & extra adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus si essent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. A. 15. 5. Decembr.

Nulli ergo omnino, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1584. Nonis Decembris, Pontificatus nostri anno 13.

XCVIII. Contra Exules & alios in Italia commorantes, qui animalia & alia bona in Statu Ecclesiastico diripiunt, abducunt, recipiunt, vel permutant.

Ad materiam Exulum & Bannitorum, vide Sixt. V. const. 6. Hoc nostri.

Edita An. D. 1584.

GREGORIVS PAPA XIII.

Vniuersis & singulis præsentes literas inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Causa huius constit.

NOn sine graui animi nostri molestia nuper accepimus, quòd licet nos iamptidem per nostras constitutiones, & ministri nostri per proclamata, & ordinationes, ac etiam cohortibus armatis, exulum, ac perduellium, flagitiosorumque hominum audaciam in Statu nostro Ecclesiastico reprimere, latrociniaque, & delicta prohibere, ac delinquentes ad aliorum terrorem grauiter punire omnibus modis conati fuerimus, nihilominus complures exules & latrones huiusmodi adhuc supersunt, qui propriæ salutis immemores, pœnasque impositas parui facientes, assidua furta & latrocinia in animalibus, & iumentis, in statu & ditione nostra existentibus committere non verentur; nec desunt alij, tàm nobis quàm temporalibus dominis circumuicinis subditi, qui animalia & iumenta illa ita subrepta, sine timore ab ipsismet latronibus emere, & quoquo versum abigere, & distrahere non dubitent, quo fit, vt illis maior præbeatur occasio, & materia delinquendi, & affidati Cameræ Apostolicæ, ipsique Dohanerij dohanæ nostræ Patrimonij, ac alij pecudarij, & aratores animalia huiusmodi habentes maximum inde patiantur detrimentum.

Excommunicantur diripien. animalia, & alia bona in statu Eccl. vel illa amentes, &c.

§. 1. Quare nos huic malo obuiam ire, & quieti, ac indemnitati publicæ, quantum in nobis est, prospicere volentes, ac, vt quos legum, pœnæque corporalis timor non retinet, saltem gladij spiritualis fulgor à malo deterreat, præsertim cum non solum pium, & meritorium, sed etiam iustum ac necessarium sit, tales continuos ac notorie criminosos, ac ab eis amentes res furtiuas vtroque gladio, seuerita te opportuna, corrigi, atque puniri, perpetuo hoc edicto statuimus, omnes & quotcumque tàm huiusmodi animalia & iumenta, aliasque res & bona cuiuscumque generis & speciei in statu nostro temporali diripientes, abducentes, & furto subtrahentes, quam amentes, permutantes seu ab eis illa quouis modo recipientes, & cum eisdem contrahentes, seu quouis titulo, colore, causa, vel prætextu penes se habentes & retinentes, cuiuscumque status, gradus, conditionis, sexus, qualitatis, dignitatis, aut præeminentiæ fuerint, tàm laici quàm clerici, & presbyteri, etiam regulares & sæculares, & non solum in dicto Statu nostro Ecclesiastico, sed etiam in quouis Regno, Statu, Dominio, Territorio, Ciuitatibus, Terris, & locis vniuersæ Italiæ commorantes, vltra alias pœnas iuris, constitutionum, & proclamatum prædictorum, excommunicationis maioris latæ sententiæ pœnam ipso facto incurrere, à qua nullus ab alio quam à Romano Pontifice, aut de eius speciali mandato, præterquam in mortis articulo constitutus, factaque, aut mandata restitutione, vel satisfactione dictorum animalium, iumentorum, rerum & bonorum huiusmodi dictis affidatis, Dohanerio, & aliis, vt præmittitur, pro tempore subreptorum, absolutionis beneficium valeat obtinere, ipsamque excommunicationis pœnam ex nunc, prout ex tunc, & è contra aduersus inobedientes, & rebelles quoscumque, & ipsorum quemlibet promulgamus per præsentes.

Episcopi, & status Eccles. & Regni Neap. ac Ducat. Hetruriæ, Ferrariæ, & Vrbin. faciant publicari hæc const. qua sic publicata omnes afficiat.

§. 2. Ac mandamus vniuersis & singulis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, eorumque Vicariis in spiritualibus generalibus totius nostri status prædicti, ac etiam in Regno Neapolitan. ac statu Magni Hetruriæ, ac Ferrariæ, & Vrbini Ducum in virtute sanctæ obedientiæ, vt cum harum exemplaria, etiam impressa manu Notarij publici subscripta, sigilloque personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munita, exhibita eis fuerint; in omnibus Ciuitatibus, terris, oppidis, locis, castris, ac diœcesibus, præsertim statui nostro prædicto circumvicinis ad valuas Ecclesiæ matricis Ciuitatum, terrarum, oppidorum, castrorum & locorum suæ diœcesis quamprimum affigi & publicari faciant. Quæ quidem exemplaria, seu transumpta, sic affixa & publicata, vbique, in iudicio & extra illud fidem faciant, omnesque supradictos, ac alios præsentibus literis nominatos, vel quomodolibet comprehensos taliter ligent, arcteut, afficiant, & obligent, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent.

Clauf. derog.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon priuilegis, indultis, exemptionibus, & literis Apostolicis quibuscumque personis quacumque dignitate Ecclesiastica vel temporali præditis, coniunctim vel separatim concessis, etiam quibus caueatur expresse, quod excommunicari non possint per literas, Apostolicas non facientes plenam & expressam, & ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, ceterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 13. die 7. Decēb.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 7. Decemb. 1584. Pontificatus nostri anno 13.

Admissio, & reg. in Cam. Apost.

Die 10. Decēb. 1584. Suprascriptæ literæ in forma breuis, ex decreto in plena Camera Apostolica facto, admissæ & registrata fuerunt in actis meis, & in libro diuersorum.

Scipio Penellus Cam. Apost. Not.

XCIX. Quod Eremitæ Congregationis Camaldulensis Ordinis S. Benedicti, religiosos alterius Ordinis recipere possint. Ipsi vero ad alium etiam Eremitarum S. Romualdi Montis Coronæ transire nequeant.

Quæ spectant ad istam Congregationem Camaldulensem, vide sup. in const. 1. Alex. II. Nulli. *vbi plene dixi. Quæ vero Congregationem Eremitarum S. Romualdi respiciunt attende sup. in Clem. VII. const. 23.* Vestrum. *vbi dixi.*

Edita An. D. 1583.

GREGORIVS PAPA XIII.

Dilecto filio Priori Generali Monachorum Ordinis Camaldulen. nunc & pro tempore existenti.

Eremi Camaldulensis commendatio.

EA est Eremi Camaldulensis Aretinensis diœcesis antiquitas, & Monachorum in aspera illa solitudine

Digitized by Google

Deo assidue famulantium religio, ac morum, vitæque innocentia & sanctitas, quæ omnia non solum ab aliis sæpe audiuimus, sed etiam nostris oculis aliquando vidimus, & admirati sumus, vt merito sacrum illum locum, & Ordinem dignum semper qui præcipue priuilegiis fulciatur iudicemus.

Confirmatio priuilegiorũ.

§. 1. Itaque omnes gratias, indulta & priuilegia eidem Ordini, & Eremo à Rom. Pontificibus prædecessoribus, sub recipiendis quibuscumque quarumuis Religionum, & Ordinum mendicantium fratribus religiosis, ad ipsos transire volentibus concessa, rata & firma esse volentes, & quatenus opus sit auctoritate Apostolica tenore præsentium innouantes, Tibi qui ex illis vnus es, ac omnibus tecum in eodem Eremo Altissimo famulantibus, districte præcipimus & inhibemus, ne ad alium Ordinem, & Religionem, nec etiam ad aliam quæ Montis Coronæ vocatur eiusdem Ordinis Camaldulensis, sine expresso consensu & licentia Superioris ipsius Eremi, qui Maior appellatur, in scriptis obtenta, transire audeant.

Contrauenientibus pœna infligenda.

§. 2. Et si qui contrafecerint, excommunicationis, Apostasiæ & aliis congruis & arbitrio suo, successorumque suorum infligendis, & declarandis pœnis, subiacere decernimus, ita vt contrafacientes capi, puniri, & ad reddeundum cogi possint; ad quæ omnia facienda, decernenda & exequenda, & vbi opus sit brachium sæculare inuocandum, plenam & liberam tibi & successoribus tuis eadem auctoritate damus & concedimus facultatem.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apost. necnon indultis, priuilegiis, exemptionibus, aliis religionibus quocumque modo concessis, approbatis, & innouatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

D. P. A. 13. 4. Ianuarij

Dat. Romæ. apud S. Petrum sub annulo Pisc. die 4. Ianuarij 1585. Pont. nostri anno 13.

C.

Institutio Collegij presbyterorum regularium Societatis Iesu, vniuersitatisque Studij generalis diuersarum scientiarum, bonarumque artium, in Oppido Pontis Monsonij Metensis diœcesis in Lotharingia, cum reddituum assignatione, priuilegiorumque assignatione.

Vltra ea quæ de hac Societate Iesu notata habes ad Paul. III. const. 25. Regimini. *sup. tom.* 1 *vide etiam inf. tom.* 3. *ad Pauli V. const.* 119. In sede. *vbi alias posteriores Constitutiones habes.*

Edita A. D. 1572.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

IN supereminenti Apost. Sedis specula, meritis licet imparibus disponente Domino constituti, & intra mẽtis nostræ arcana reuoluentes quantum ex literarum studiis Catholica fides, tenebrosa ignorantiæ caligine, ac hæresum peste expulsa, augeatur, diuini numinis cultus protendatur, veritas agnoscatur, iustitia colatur, reliquæ virtutes illustrentur, ac benè, beatéque viuendi via paretur, ad ea per quæ studia ipsa vbilibet excitentur, & studiosæ personæ ad excelsum doctrinæ fastigium aspirantes, opportunæ subuentionis auxilia suscipiant, libenter intendimus, & in his nostræ solicitudinis partes propensius impartimur, prout pia personarum præsertim S. R. E. Cardinalium, ac nobilium virorum Ducum vota exposcunt, nosque locorum & temporum qualitate pensata in Domino conspicimus salubriter expedire.

Carolus Card. de Lotharingia. & Carolus Dux Lotharingiæ, & Barriducis decreuerunt accedente tamen Sedis Apost. auctoritate in Oppid. Pontis Monsonij diœc. Meten. vnum vigere Studiũ diuersarum scientiarum generale, & vnum presbyterorum regular. Societ. Iesu Collegium, vt luuentus illarum partium vbi hæresis malum diffusum est, sana doctrina, bonisque moribus & artibus instituatur.

§. 1. Exhibita siquidem nuper pro parte dilectorum filiorum nostri Caroli, tit. S. Apollinaris presb. Card. de Lotharingia nuncupati, & nobilis viri Caroli Lotharingiæ, & Barriducis Ducis petitio continebat, quod alias cum Carolus Card. qui noster, & Sedis Apost. in Lotharingiæ & Barriducis Ducatibus de latere Legatus, ac ratione Ecclesiæ Rhemensis, cui ex dispensatione Apostolica præesse dignoscitur Dux Rhemensis, & primus Par Franciæ existit, quique Ecclesiæ Meten. perpetuus administrator in spiritualibus & temporalibus per d. Sedem deputatus existit, necnon etiam Carolus Dux prædicti pia meditatione cogitassent, quod longe, lateque diffusum vndique esset hæresis malum, quantaque incommoda & dãna vniuerso Orbi attulisset, illique tutius remedium afferri nequaquam posse, nisi vbique terrarum doctorum virorum Conuentus erigerentur, qui sana imbuti doctrina Populos sibi propinquos Catholicam docerent disciplinam, qua & sibi prodesse & ceteros hæresibus expulsis in vera fide valerent confirmare, tanta in Deum religione permoti, necnon feruenti in proximum charitate adducti, decreuerunt in Oppido Pontis Monsonij Meten. diœc. sub dominio prædicti Caroli Ducis existente, vnum diuersarum scientiarum & artium Studium generale, in quo Theologiæ; vtriusque Iuris; ac Medicinæ & Philosophiæ lectiones continue haberentur, ac etiam inibi vt illud Studium maioribus proficiat incrementis, etiam vnum presbyterorum regularium Societatis Iesu Collegium erigere & instituere, ad affectum vt illarum partium luuentus non solum doctrina, quæ ad benè beatéque viuendum via præcipua est, sed etiam bonis instituatur moribus & exemplis, si ad id nostra & Sedis præd. Ctæ interueniret auctoritas.

Petuntque domum quãdam hospitalẽ S. Antonij, & annuos reditus propterea per hunc Pont. assignari pro d. Collrg. & prædictum Studium gen. instituũ.

§. 2. Quare pro parte eorumdem Caroli Card. & Legati ac Caroli Ducis nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus Præceptoriæ & hospitalis S. Ant. Ord. S. Augustini d. Oppidi domum, & illorum ambitum, ab eisdem Præceptoria & hospitali, illorumque Ordine & superioritate, ac mille scut. auri in auro annuũ redditum ex monasterio S. Gorgonij Gozien. Ordinis S. Benedicti d. diœcesis, seu illius mensa Conuentuali, & ipsius monasterij officiis claustralibus, ac ab illo dependentibus, & illi vnitis Prioratibus, etiam perpetuum dismembrare & separare, illaque sic dismembrata & separata huiusmodi, eidem Societati Iesu ad effectum vt ipsi presbyteri in dictis domo & ambitu dismembratis, vnum Collegium iuxta illorum statuta erigere, recipere, regere, visitare & corrigere valeant, pro illius Collegij dote & personarum ipsius Societatis, quæ humaniores literas, Grammaticam & Philosophiam ac Theologiam edocebunt sustentatione concedere, applicare & appropriare, necnon ipsi Collegio pensionem annuam aliorum mille & quingentorum scutorum similium, quingentorum videlicet super mensæ Episcopalis Meten. & reliquorum mille super vniuersis & singulis quorumcumque monasteriorum & Prioratuum cuiusuis Ordinis existen. in Meten. Tullen. & Virdunen. diœc. consistentium, seu illorum mensarum Abbatialium vel Conuentualium fructibus, redditibus & prouentibus etiam perpetuo, donec Episcopus Meten. & Abbates, Priores seu Commendatarij dictorum monasteriorum & Prioratuum aliqua simplicia beneficia Ecclesiastica, ad illorum collationem aut aliam dispositionem spectantia, quorum annuus valor d. summam mille scut. insimul constituat d. Collegio pro pensionis huiusmodi extinctione vniri procurauerint pro rata facultatum cuiusque & iuxta partitionem per ipsum Carolum Cardinalem, ac Venerabiles fratres nostros Virdunen. & Tullen. Episcopos faciendam persoluendam, reseruare, constituere & assignare ac in d. Oppido vniuersitatem Studij generalis erigere & instituere aliasque in præmissis opportune prouidere & statuere de benignitate Apost. dignaremur.

Qui Pont. excedit petita, & Collegium prædictum instituit.

§. 3. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia Ecclesiast. aliis vniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum extimationem prædictam, etiam beneficij cui aliud vniri peteretur, alioquin vnio nõ valeret, & semper in vnionib cõmissio fieret ad partes, vocatis quorũ interesset, quique hodie prædictum monasterium S. Gorgonij ex certis tunc expressis causis, regularitate omnique statu & obseruantia regulari in eo penitus & omnino suppressis, ad sæcularitatem per alias nostras literas reduximus, prout in illis plenius continetur, attendentes quod ex literarum studio animarum saluti consulitur, ac alias spiritualia & temporalia bona mundo proueniũt, piũ & laudabile Caroli Card. Legati, ac Caroli Ducis prædictorum decretum plurimũ in Domino commendantes, ipsumque Carolum Ducem à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris ac pœnis, à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluen.

&

Digitized by Google

& abſolutum fore cenſen. necnon d. monaſterij ſuppreſſionis tenorẽ præſentibus pro expreſſo habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Apoſtolica auctoritate ten. præſentium perpetuo Præceptoriæ & hoſpitalis huiuſmodi domum & illorum ambitum, vna cum horto, hortalitiis, aliiſque rebus circumcirca adiacentibus, ad Præceptoriam & hoſpitale huiuſmodi legitime ſpectan. & pertinentibus, dummodo ad hoc dilecti filij moderni ipſius domus Præceptoris accedat aſſenſus, ab eiſdem Præceptoria & hoſpitali illorumque Ordine & ſuperioritate, ex monaſterio vero S. Gorgonij ſeu illius menſa Conuentuali & illius officiis regularibus, & ab illo depẽden. & illi vnitis Prioratibus præfatis, mille & quingentorum ſcut. prædictorum annuum redditum diſmembramus & ſeparamus, illaque ſic diſmembrata & ſeparata d. Collegio Societatis Ieſu ad effectum vt preſb. Societatis huiuſmodi, inibi vnum Collegium iuxta eorum conſuetudines & inſtituta, ac cum omnibus & ſingulis ſolitis priuilegiis erigere, illudque per ſeipſos regere & gubernare, ac viſitare & corrigere poſſint & valeant, ac Carolus Card. & Legatus, necnon Carolus Dux locum & habitationem idoneam & commodam præſtare, ſuppellectilem quoque neceſſariam & ſolitam ſeundum Collegiorum vſum inſtruere teneantur pro illius Collegij dote, necnon perſonarum ipſius Societatis quæ humaniores literas, Grammaticam & Philoſophiam, ac Theologiã edocebunt ſuſtentatione, concedimus, applicamus & appropriamus. Præterea vt d. Collegium maiores in Vinea Domini proferat fructus, quo maioribus fuerit ſuffultum Præſidiis, eidem Collegio penſionem annuam immunem & exemptam mille & quingẽtorum ſcut. ſimilium, quingentorum videlicet ſuper d. Menſæ Epiſcopalis Meten. & reliquorum mille ſuper vniuerſis & ſingulis quorumcumque monaſteriorum & Prioratuum cuiuſuis Ordinis exiſten. & in Meten. Tullen. & Virdunen. diœc. præfatis conſiſten. ſeu illorum menſarum Abbatialium vel Conuentualium fructibus, redditibus & prouentibus, etiamſi ſuper illis aliæ penſiones annuæ aliis aſſignatæ exiſtant per ipſum Carolum Card. & Legatum, ac pro tempore exiſten. Epiſcopum Meten. & dilectos filios ſingulos monaſteriorum & Prioratuum eorumdem Abbates & Priores ſeu Commendatores, & illorum Conuentus annis ſingulis in loco & terminis per ipſum Carolum Card. & Legatum per ſe vel alium ſtatuendis ipſi Collegio ac illius perſonis, vel illarum Procuratori ad id ab eis ſpeciale mãdatum habenti perpetuo, donec tamen Epiſcopus Meten. & Abbates, Priores ſeu Commendatarij præfati aliqua perpetua ſimplicia beneficia Eccleſiaſt. ad eorum collationem, prouiſionem & aliam quamcumqne diſpoſitionem ſpectantia & pertinentia, quorum annuus valor d. ſummam mille ſcut. inſimul conſtituat, d. Collegio ſufficienter & cum effectu pro penſionis huiuſmodi extinctione vniri procurauerint, pro rata facultatum cuiuſque & iuxta partitionem ſeu commodam diuiſionem per Carolum Card. & Legatum, ac Virdunen. & Tullen. Epiſcopos præfatos faciẽdam, integre quotannis perſoluendam, dummodo ad id Caroli Card. ac Legati, ac omnium & ſingulorum monaſteria & Prioratus huiuſmodi obtinentium accedat aſſenſus, reſeruamus, conſtituimus & aſſignamus.

Lectorum Collegij præfecti munus præſcribit & numerum.

§. 4. Et inſuper quod in dicto Collegio preſb. præfati pleniſſimum, & eum qui iuxta dictæ Societatis ſtatuta & formam in ſingulis eorum Collegiis etiam quam ampliſſimis, & quibus Vniuerſitates famoſæ annexæ ſunt ſaltem ſeptuaginta perſonarum eiuſdem Societatis numerum compleant; in eo quoque adſint quatuor Theologiæ profeſſores, quorum vnus ſacras literas, alij duo Scholaſticam Theologiam, quartus vero Conſcientiæ caſus, ſinguli vna lectione quotidiana exponant, ac tres Philoſophiæ Regentes, quorum quiſque duas quotidie legat lectiones; ordine tamen huiuſmodi ſeruato, vt quolibet triennio Philoſophiæ curſus integer abſoluatur, & quolibet anno vnus incipiat, alter vero deſinat, ita quod duæ lectiones Rhetoricæ ordinariæ ſingulis diebus, vna quoque humaniorum literarum, nec tres aliæ Grammaticæ Claſſes inſtituantur; duæ inſuper lectiones Græcæ vna in alicuius auctoris interpretatione, altera vero in Grammatices inſtitutione habeatur; vna itidem literarum Hebraicarum, & altera Mathematicarum lectiones quotidie inibi legãtur. Statuimus in ipſo quoque Oppido Vniuerſitatem Studij generalis ſub inuocatione per Carolum Cardinalem & Legatum ac Carolum Ducem præfatos eligenda, in quinque facultatibus præfatis quarum duæ Theologiæ ſcilicet & Philoſophiæ preſbyteris dictæ Societatis iuxta eorum ſtatuta, reliquæ tres carum Decanis Doctoribus & Profeſſoribus dirigendæ ad inſtar Bononien. & Pariſien. Vniuerſitatum, & iuxta illarum conſuetudines & ſtatuta erigimus & inſtituimus.

Perſonis d. Collegij priuilegia perſonarum Studij Bononien. & Pariſien. concedit.

§. 5. Illique ſic erectæ inſtitutæ, ac eius pro tempore exiſtentibus Rectori, Magiſtris, Doctoribus, Lectoribus Præceptoribus, Scholaribus, Bidellis, Nunciis & aliis Officialibus & perſonis, necnon membris & ſubditis, quod omnibus & ſingulis priuilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, fauoribus, gratiis, prærogatiuis, honoribus ac præeminentiis Bononien. & Pariſien. Vniuerſitatibus præfatis, illorumque pro tempore exiſtentibus Rectoribus, Magiſtris, Doctoribus, Lectoribus, Præceptoribus Scholaribus, procuratoribus, Bidellis, Nunciis & aliis Officialibus ac perſonis, necnon mẽbris & ſubditis in genere, tàm dicta Apoſtolica quàm alias rite Imperiali & Regia auctoritatibus, aut alias quomodolibet conceſſis ſeu legitime præſcriptis, aut in poſterum concedendis & præſcribendis, ac quibus illi & illæ vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, vti, potiri, & gaudere.

Doctoratuſq; & graduum inſignia conferendi, & reſpective recipiendi facultatẽ tribuen. promotiſque indulta promotorum in aliis Studiis generalibus elargitur.

§. 6. Necnon iis qui in quauis Vniuerſitate diſciplinis & facultatibus præfatis ſtudere incœperint, ſtudium ſuũ in ea continuare, & qui in dicta ſic erecta aut quauis alia Vniuerſitate per tempus debitum ſtuduiſſe, ac ſcientia & moribus idonei comperti fuerint, in artibus & Medicina & Philoſophia ac Theologia, necnon, iuribus, aliiſque facultatibus prædictis, Baccalaureatus etiam formalis, Licentiaturæ ac Laureæ, necnon Doctoratus & Magiſterij, & quoſuis alios ſolitos gradus ab ipſius Vniuerſitatis Rectore, ſeu ſcientiarum in quibus promouendi pro tempore ſtuduerint, Lectoribus aut aliis perſonis per dictum Carolum Cardinalem & Legatum in & ad tempus in perpetuum deputandis & conſtituendis, aliiſque modo & forma per ipſum ſtatuendis, recipere, & ipſorum graduum ſolita inſignia ſibi exhiberi facere, & poſtquam huiuſmodi gradus & illorum inſignia ſuſceperint, facultates in quibus promoti fuerint, legere & interpretari, ac in eis diſputare, necnon quoſcumque actus, gradui, ſeu gradibus per eos receptis conuenientes exercere, aliiſque omnibus & ſingulis priuilegiis, gratiis, fauoribus, prærogatiuis & indultis, quibus alij in Bononien. & Pariſien. Vniuerſitatibus præfatis iuxta illarum conſtitutiones & mores ad gradus ipſos promoti de iure vel conſuetudine, aut alias vtuntur, potiuntur & gaudent, ac vti, potiri & gaudere poterunt, vt præfertur quomodolibet in futurum, vti, potiri & gaudere in omnibus & per omnia, perinde ac ſi gradus huiuſmodi in Bononien. & Pariſien. præfatis & aliis quibuſuis Vniuerſitatibus iuxta illarum conſtitutiones & conſuetudines huiuſmodi ſuſcepiſſent.

Carolo Card. facultatem eadem ſtatuta pro huius Studij regimine concedit.

§. -. Necnon eidem Carolo Card. & Legato, & per ſe vel alium ſeu alios quos ad id duxerit deputandos, & ſi ei videbitur vocatis Meten. Virdunen. & Tullen. Epiſcopis, pro ſalubri dictæ ſic erectæ Vniuerſitates directione & conſeruatione, ac Rectorum, Magiſtrorum, Doctorum, Lectorum, Præceptorum, Procuratorum, Bidellorum, Nunciorum & aliorum Officialium huiuſmodi inſtitutione, & electione, & quauis alia prouiſione ac Scholari manutẽtione, ipſius tamẽ Collegij quo ad Theologiam & Philoſophiam cum humanioribus literis necnõ promotionum in dictis facultatibus & Scholaſticorũ inibi pro tempore degentium vitæ & ſtudiorum diſciplina & Scholaſticorũ correctione, admiſſione & dimiſſione, necnon regimine ſeu adminiſtratione & politiæ literariæ forma, iuxta Societatis præfatæ ſtatuta & inſtituta pro tempore exiſtenti, eiuſdem Collegij Rectori, & ipſius Societatis ſuperioribus præſeruata, ac in præmiſſis & infraſcriptis omnibus & per omnia ſalua & integra permanente perſonarum, bonorum & exercitiorum huiuſmodi

Digitized by Google

huiusmodi Societatis exemptione, ac regulari obseruantia, quæcumque statuta & ordinationes licita & honesta, ac sacris Canonibus non contraria facere, edere, ac pro rerum, temporum, & personarum qualitate & varietate contigere & reformare, seu illa cassare, & alia de nouo condere, ac super illorum obseruatione quascumque pœnas imponere, iuxta eorum dispositionem iudicari debere, ac quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernere.

Iurisdictionēque in omnes illius personas (non tamen ipsius Societ.) eidem Carolo Card. tribuit.

§. 8. Necnon in omnes & singulos dictæ Vniuersitatis Rectorem & Magistros, Doctores, Lectores, Præceptores & Scolares ac Procuratores, Bidellos, Nuncios & Officiales personas & suppositas, tàm sæculares quam quorumuis Ordinum regulares cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, & præeminētiæ extiterint, etiamsi exemptæ & Sedi Apost. immediate aut alteri Prælato subiecti seu alterius Diœc. fuerint, præterquam ipsius Societatis personas, omnimodam tàm ciuilem quàm criminalem & mixtam iurisdictionem, Apostolica auctoritate prædicta exercere, vsitare, reformare & corrigere, ac errantes punire & castigare.

Iusserit easdē personas eligēdi, constituit.

§. 9. Necnon ipsius Vniuersitatis Rectores, Magistros, Lectores, Præceptores & Scholares, ac Procuratores, Bidellos & alios Officiales huiusmodi eligere, seu eorum electiones aliis committere, easque postquam factæ fuerint per se vel alium seu alios ad id per ipsum Carolum Cardinalem & Legatum deputandos confirmare & approbare libere & licite valeant, concedimus & desuper indulgemus.

Huic institutioni clausulas præseruationes apponit.

§. 10. Decernentes præsentes literas sub quibusuis reuocationibus, alterationibus, suspensionibus, limitationibus, etiamsi de præsentibus, eorumque toto tenore ac data, specialis, specifica mentio fiat, minime includi, sed illis ac quibusuis aliis contrariis non obstantibus in suo robore, vigore & efficacia persistere, quoties illæ emanabunt, totics in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de nouo sub quacumque data per dictos Carolum Cardinalem & Legatum, ac Carolum Ducem eligenda concessas, esse, sicque incommutabilis voluntatis & intentionis nostræ esse & fore, easdemque præsentes literas nullo vmquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, aut in ius vel controuersiam quacumque ratione, vel causa etiam rationabili deduci causamque seu causas propter quas præmissa facta fuerunt coram quibuscumque locorum Ordinariis etiam tamquam à Sede prædicta delegatis minime verificari, nec propterea seu pro eo quod interesse prætendentes vocati non fuerint, per subreptionem obtentas præsumi viribusque propterea carere.

Et decretum irritans.

§. 11. Et ita in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Iudices & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apost. Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardi. sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari debere, ac irritum & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Recusantibus soluere annuos reditus &c. prædictas pœnas iudicet.

§. 12. Necnon præfatum Carolum Cardinalem & Legatum, ac pro tempore existentes Meten. Episcopum, seu perpetuum Administratorem, necnon Monasterij & Prioratuum Abbates, Priores seu Commendatarios ac Conuentus huiusmodi, ad integram solutionem pensionis præfatæ eidem Collegio facien. iuxta reseruationis, constitutionis & assignationis præfatarum tenorem efficaciter obligatos fore, ac volentes & eadem auctoritate statuentes, quod qui ex Carolo Cardinale & Legato, ac Episcopo seu Administratore Meten. necnon Abbatibus & Prioribus seu Commendatariis ac Conuentibus præfatis in dictis terminis vel saltim intra triginta dies illorum singulos immediate sequentes, pensionem præfatam per eos tunc debitam non persoluerint cum effectu, lapsis diebus eisdem Carolo Cardinali & Legato, seu Episcopo vel Administratori Meten. & si Cardinalis aut Antistes sit Abbati ac Priori seu Commendatario huiusmodi ingressus ecclesiæ interdictus existat. Si vero Abbas & Prior seu Commendatarius inferiores Cardinali & Antistite sint aut Conuentus fuerint, sententiam excommunicationis incurrant, cuius interdicti relaxationem hisce interdictus, excommunicatus vero ab excommunicationis sententia huiusmodi absolutionis beneficium donec Collegio vel Procuratori præfato de pensione præfata tunc debita integre satisfactum, aut alias cum Collegio seu Procuratore huiusmodi amicabiliter concordatum fuerit, præterquam in mortis articulo constitutus nequeat obtinere. Si vero per sex menses dictos triginta dies immediate sequentes interdictus sub interdicto permanserit, excommunicatus vero præfatæ excommunicationis sententiam eiusmodi sustinuerit, animo quod abiit indurato, ex tunc effluxis mensibus ipsis interdictus à regimine & administratione Ecclesiæ ac monasterij & Prioratus huiusmodi suspensus, excommunicatus vero præfati ipso monasterio & Prioratu perpetuo priuatus existat, illiusque commoda cessare & ea cessante monasterium & Prioratus huiusmodi vacare censeantur eo ipso.

Executores huius const. deputat.

§. 13. Quocirca dilectis filiis Virdunen. & Tullen. & Meten. mandamus quatenus ij, siue duo aut vnus eorum per se vel alium seu alios, præsentes literas & in eis contenta quæcumque vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Caroli Cardinalis & Legati, ac Caroli Ducis, necnon Collegij illiusque personarum præfatorum, aut alicuius eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque & illorum singulis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas & in eis contenta huiusmodi inuiolabiliter obseruari, & illos quos dictæ literæ concernunt omnibus & singulis præmissis pacifice frui & gaudere, ac pensionem præfatam Collegio aut Procuratori præfato iuxta præseruationis, constitutionis, assignationis & decreti præfatorum continentiam & tenorem integre persolui, non permittentes eos aut eorum quemlibet per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari. Et nihilominus quemlibet ex Carolo Cardinali & Legato ac Episcopo seu Administratore Meten. ac Abbatibus & Prioribus seu Commendatariis & Conuentibus præfatis, quem interdicti & suspensionis aut excommunicationis sententias & priuationis pœnam huiusmodi incurrisse eis constiterit, quoties super hoc pro parte Collegij præfati fuerint requisiti, tādiu Dominicis & aliis festiuis diebus in Ecclesiis dū maior inibi Populi multitudo ad diuina conuenerit, interdictum & suspensum vel excommunicatum & priuatum respectiue publice nuncient, & faciant ab aliis nunciari, excommunicatumque ab omnibus arctius euitari, donec Collegio vel Procuratori præfato de dicta pensione tunc debita fuerit integre satisfactum, ipseque interdictus & suspensus relaxationem interdicti & suspensionis, aut excommunicatus ab excommunicationis præfatæ huiusmodi absolutionis beneficium meruerit obtinere. Contradictores quoslibet & rebelles ac præmissis non parentes, si Cardinales aut Antistites auctoritate nostra, si vero inferiores Cardinali aut Antistite sint per sententias & censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris remedia appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, illos in sententias, censuras & pœnas prefatas incurrisse declarando, ac etiam eas iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Contrariis omnibus derogat.

§. 14. Non obstan. priori voluntate nostra præfata & Lateranen. Concilij nouissime celebrati vniones perpetuas nisi in casibus à iure permissis fieri prohiben. ac fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri, etiam illa qua cauetur ne quis extra suam ciuitatem vel diœcesim nisi certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne iudices à Sede præfata deputati extra ciuitatē vel diœcesim in quibus deputati fuerint cōtra quoscumque procedele, aut alij vel aliis vices suas committere præsumant, ac de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, ac aliis Apost. necnon in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus ac ordinationibus Ecclesiæ

Digitized by Google

siæ Meten.& monasteriorum,Prioratuum & Ordinum ac Vniuersitatum præfatorum iuramento, confirmatione Apostolica vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, exemptionibus & immunitatibus ac literis Apostolicis,illis illorumque Superioribus, Conuentibus & personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarũ derogatoriis aliisque efficacioribus & insolitis clausulis irritantibusque & aliis decretis in genere vel in specie etiam consistorialiter quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innouatis. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis eorumque totis tenoribus,specialis,specifica,expressa & indiuidua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idẽ importantes,mentio seu quæuis aliaexpressio habenda,aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, acsi de verbo ad verbũ nihil penitus omisso,& forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus; contrariis quibuscumque. Aut si Carolo Cardinali & Legato ac Episcopo seu Administratori Meten. & Arbatibus, Prioribus seu Commendatariis& Conuentibus præfatis, vel quibusuis aliis communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcũque tenorum existant per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Sanctionemq; pœnalem adicit.

§. 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, dismembrationis, separationis, concessionis, applicationis, appropriationis, reseruationis, constitutionis, assignationis, statuti, electionis, institutionis, indulti, decreti, voluntatis,mandati, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.Si quis autem &c.

D. P. An. 1. 5.Decemb.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1572. Nonis Decemb. Pontificatus nostri anno 1.

CI. Institutio Congregationis Clericorum sæcularium de Oratorio nuncupatæ, in Ecclesia S. Mariæ de Vallicella de Vrbe.

Huius Congregationis presbyteri, ex indulto Sixti V. sub die 5. Septembris 1586. (*quod volens prætermisi*) *per dimidium horæ ante auroram,& post meridiem Missas celebrare, & à Vicario Papæ ad confessiones audiendas, præuio examine in Vrbe approbati, extra eam absque, alio examine illas audire valent.Ordinationes autem & instituta d. Congregationis approbauit, & nonnulla indulta eidem elargitur est Paul.V. in sua const.* 92 Christifidelium, *inf. tom.* 3.

Aliam sed diuersam Congregationem Oratorij, Iesu Christi nuncupandam, instituit idem Paul. V. in sua const.91. *Sacrosanctæ*, inf. tom. 3.

Huius Cõgregationis fundator extitit Philippus Nerius Florentinus, quem SS. Confessorum numero adscripsit Greg. XV. qui morte præuentus Bullam desuper expedire non potuit, sed eam expediuit Sanctiss.D.N. Vrban. VIII. vt in const. 2. *Rationi*, infra tom. 4. Gregor. tom. 4. Gregor. tamen concesserat huic Congregationi Ecclesiam S. Cæciliæ in monte Iordano pro Sacristiæ & Oratorij ædificatione, ac domus dilatatione,suppressa prius animarum cura eidem incumbenti, & alio translata vt videre est in eiusdem Gregor. const. 11: *Cum ad vberes*. d. tom. 4.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1575.

COpiosus in misericordia Dominus,& in cũctis gloriosus operibus, à quo omnia dona defluunt, ad hoc nobis licet immeritis suæ sponsæ vniuersalis Ecclesiæ regimen committere,& nostræ debilitati iugum Apostolicæ seruitutis imponere voluit, vt inter alias multiplices curas, operarios quos ipse Dominus in messem suam multitudinem vtique magnam populorum ad fructum diuinæ gratiæ dispositam, ne pereat, quotidie pro sua misericordia dignatur emittere, conducere non differamus, eosque ad suscipiendam ipsius Domini misericordiam in medio templi sui, eiusque vias Christifidelibus demonstrandum, eorum que corda diuinorum sermonum declaratione illuminandum, nouas etiam interdum priorum virorum Congregationes propterea constituendo nostræ solicitudinis ope Apostolicisque fauoribus propensius excitemus.

Proœmium.

Philippus Nerius supplicat Papæ, pro erectione congr. Clericorum sæcularium de Oratorio nuncupanda in Vrbe.

§. 1. Dudum siquidem omnia beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura apud Sedem Apostolicam tunc vacantia, & in antea vacatura,collationi,& dispositioni nostræ reseruauimus. Decernentes ex tunc irritum & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate,scienter vel ignoranter contigerit attentari. Cum itaque postmodum parochialis Ecclesia Beatæ Mariæ Vallicellæ nuncupatæ, Regionis pontis seu parionis de Vrbe, per liberam resignationem dilecti filij Antonini de Adiuto, nuper ipsius Ecclesiæ Rectoris de illa quam tunc obtinebat in manibus nostris sponte factam & per nos admissam, apud Sedem eandem vacauerit & vacet ad præsens, nullusque de illa præter nos hac vice disponere potuerit siue possit,reseruatione & decreto obsistẽtibus supradictis. Et sicut dilectus filius Philippus Nerius presb. Florentinus, ac Præpositus nõnullorum Presbyterorũ & Clericorum sęcularium,tàm suo quàm aliorum presbyterorum & Clericorum præfatorum nominibus nobis nuper exposuit, hi in ipsa Ecclesia introduci cupiant, ac ita illis gratia assistente diuina circa Missarum & aliorum diuinorum officiorum in eadem Ecclesia celebrationem; & verbi Dei populo inibi interessenti prædicationem aliaque salubria monita ad salutem animarum Christifidelium procurandam, & quamplurima pietatis opera exercenda intendere sperent,vt ex eorumdem presbyterorum & clericorum laudabili vita & doctrina dilecti filij ipsius Ecclesiæ parochiani non paruam consolationẽ spiritualem susceperuri sint, si in eadem Ecclesia vna Congregatio presbyterorum & clericorum de Oratorio nuncupanda; perpetuo erigeretur & institueretur, ipsaque Ecclesia cum onere curæ animarum ipsius parochianorum præfatorum eidem Congregationi concederetur, ex hoc profecto diuinus cultus ac ministrorum Ecclesiasticorum numerus, in ea ad Dei laudem & eorumdem Christifidelium animarum salutem maximum susciperet incrementum.Quare dictus Philippus asserens dictæ Ecclesiæ; & illi forsan annexorum, fructus,redditus, & prouentus super quibus pensio annua quadraginta scut. monetæ certæ personæ Ecclesiasticæ illam annuatim percipienti, Apostolica auctoritate, vt dictus Philippus etiam asserit reseruata existit,centum & triginta ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere,eisdem nominibus nobis humiliter supplicauit,quatenus præmissis annuere de benignitate Apost. dignaremur.

Qui illam erigit.

§. 2. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus quod semper in vnionibus commissio fieret ad partes vocatis quorum interesset, quique diuini cultus augmentum & Christifidelium animarum salutem sinceris desideramus affectibus; pium & laudabile Philippi Præpositi, ac presbyterorum & clericorum præfatorum desiderium summopere commendantes, ipsosque Philippum Præpositum, ac presbyteros & clericos à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti,aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine,quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes & absolutos fore censentes; huiusmodi supplicationibus inclinati in

Digitized by Google

dicta ecclesia vnam Congregationem presbyterorum & clericorum sæcularium de Oratorio nuncupandam, sine alicuius præiudicio, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo erigimus & instituimus.

Eiusque Parochialem in Vrbe Eccles. S. Mariæ in Vallicella eum omnibus suis bonis, introitibus, & iuribus concedit.

§. 3. Illique sic erectæ & institutæ ecclesiam præfatã siue præmisso siue alio quouis modo aut ex alterius cuiuscumque persona seu per similem resignationem dicti Antonini, vel cuiusuis alterius de illa in Rom. Curia vel extra eam etiam coram Notario publico & testibus sponte factam, aut constitutionem fel. rec. Ioannis Papæ XXII. prædecessoris nostri, quæ incipit, Execrabilis, vel assecutionem alterius beneficij ecclesiastici quauis auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacauerit quod eius collatio iuxta Lateranen. statuta Concilij ad Sedem præfatam legitimè deuoluta, ipsaque Ecclesia dispositioni Apostolicæ specialiter, vel álias generaliter reseruata existat, & super ea inter aliquos lis, cuius statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo eius dispositio ad nos hac vice pertineat, cum onere curæ animarum illius Parochianorum præfatorum aliisque omnibus & singulis oneribus & honoribus ac annexis, necnon omnibus bonis, censibus, iurisdictionibus, fructibus, redditibus & prouentibus, aliisque iuribus & pertinentiis suis eidem Congregationi, auctoritate Apostolica & tenore præfatis etiam perpetuo concedimus & assignamus; ita quod liceat ipsi Congregationi illiusque Rectori, Presbyteris, Clericis & Procuratoribus seu Agentibus vel deputatis per se vel alium seu alios, eorum & dictæ Congregationis nomine, Ecclesiæ & annexorum ac bonorum iurium que & pertinentiarum præfatorum, corporalem & realem & actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, & etiam perpetuo retinere, curamque animarum eidem Ecclesiæ imminentem per seipsos Presbyteros seu vel plures ex eis siue per alium vel alios Presbyteros, illis tamen prius à dilecto filio nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis in dicta Vrbe & eius districtu, Vicario in spiritualibus generali seu Sede præfata approbatis, exercere, vel exerceri, eidemque Ecclesiæ in diuinis deseruire seu deseruiri facere, illiusque fructus, redditus & prouentus, iura, obuentiones & emolumenta quæcumque præcipere, exigere & leuare, ac in suos & Congregationis ac Ecclesiæ præfatorum vsum & vtilitatem conuertere.

¶ Facultatemque ordinationes pro salubri statu suo condendi & immutandi tribuit.

§. 4. Necnon eidem Congregationi illiusque Rectori ac Presbyteris & Clericis pro tempore existentibus, vt pro salubri statu & directione Ecclesiæ & Congregationis huiusmodi illiusque personarum quæcumque statuta & ordinationes rationabilia, honesta, ac sacris Canonibus & Concilio Tridentino non contraria edere, & edita reformare, limitare, & mutare, ac alia de nouo condere, & edita reformare, limitare, & mutare, ac alia de nouo condere prout & quoties eis secundum rerum & temporum qualitates videbitur expedire, quæ quidem statuta & ordinationes postquam edita, reformata, limitata & mutata, ac de nouo condita fuerint, à Sede præfata approbari, & per singulares personas de gremio dictæ Congregationis existentes inuiolabiliter obseruari debeant, libere & licite possint & valeant, auctoritate Apostolica & tenore præfatis indulgemus, liberamque desuper facultatem concedimus & elargimur.

Clausulas præseruatiuas apponit.

§. 5. Decernentes præsentes literas de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, & ex eo quod interesse prætendentes vocati non fuerint notari, impugnari, aut in ius vel controuersiam vocari nullatenus posse neque debere, minusque sub quibusuis reuocationibus, suspensionibus, annullationibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus à Sede præfata etiam in fauorem quorumuis quomodolibet emanatis & emanandis nullatenus comprehendi posse aut debere, necnon quoad concessionem & assignationem prout est & attentatum forsan est hactenus, ac tam quoad illas quam omnia alia supradicta ex tunc irritum & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 6. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Patriarchæ Alexandrin. ac Amerin. & Aquinaten. Episcopis per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut vnus eorum per se vel alium seu alios, præsentes literas & in eis contenta quæcumque vbi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Philippi Præpositi ac Congregationis præfatorum, & singularum illius personarum nunc & pro tempore existentium, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas & in eis contenta quæcumque firmiter obseruari, ac singulos quos ipsæ literæ concernunt illis pacifice frui & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque contra præsentium tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo.

Contraria omnia remouet.

§. 7. Non obstantibus priori voluntate nostra præfata, ac Lateranen. Concilij nouissime celebrati vniones perpetuas, nisi in casibus à iure permissis fieri prohibentis, ac piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis constitutionibus & ordinationibus, priuilegiis quoque indultis & literis Apostolicis venerabili fratri nostro Alexandro Episcopo Tusculan. Cardinali Farnesio nuncupato, ad quem ratione Ecclesiæ S. Laurentij in Damaso etiam de Vrbe, aut alias dictæ Ecclesiæ S. Mariæ Vallicellæ dum vacat, collatio, prouisio, præsentatio, & omnimoda alia dispositio pertinet, ac dilectis filiis Populo Romano sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac fratrum nostrorum consilio, etiam iteratis vicibus eriam per recol. me. Leonem Papam X. aliosque Romanos Pontifices similiter prædecessores nostros, ac forsan etiam nos & Sedem præfatam concessis, approbatis & innouatis; illis præsertim quibus inter alia caueri dicitur expresse, quod de quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis dictæ Vrbis vacatione illorum pro tempore occurrente, aliis quam Ciuibus Romanis & originariorum Ciuium Roman. filiis, & forsan alias certo modo qualificatis prouideri, vel alias disponi non possit, & aliter de illis etiam per Sedem præfatam pro tempore factæ collationes, concessiones, vniones & aliæ dispositiones nullius sint roboris vel momenti; quodque eisdem priuilegiis & indultis nullatenus aut non nisi modo & forma in illis expressis derogari aut derogatum censeri possit, si illis aliter derogari contingat, derogationes huiusmodi nemini suffragentur. Quibus omnibus & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & indiuidua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu alia quæuis expressio habenda, aut etiam aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illis alias in suo robore permãsuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus. Quodque de gremio dictæ Congregationis diuersæ personæ ex d. Vrbe oriundæ vel alias iuxta dicta statuta qualificata non existant; contrariis quibuscumque. Aut aliqui super prouisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in ipsa Vrbe speciales vel generales dictæ Sedis vel Legatorum eius literas impetrarint; etiamsi per eas ad inhibitionem, reseruationem & decretum vel alias quomodolibet sit processum. Quas quidem literas & processus habitos per easdem & inde sequuta quæcumque ad dictam Ecclesiam B. MARIÆ volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem beneficiorum aliorum præiudicium generari. Et quibuslibet aliis priuilegiis indulgentiis & literis Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorũque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis; prouiso, quod ipsa Ecclesia S. MARIÆ debitis propterea non fraudetur obsequiis, & animarũ cura in ea nullatenus negligatur, sed illius cõgrue supportetur onera consueta. Nulli ergo omnino, &c. Si quis autem, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, Idibus Iulij, Pont. noſtri anno 4.

Dat. P. An 4. die 15. Iulij.

Inſtitutio

CII. Institutio Vniuersitatis Studij generalis, diuersarum scientiarum, bonarumque artium, in Collegio Presbyterorum regularium Societatis Iesu, in Ciuitate Vilnensi, in Regno Poloniæ per Valerianum illius Episcopum fundato, cum priuilegiorum elargitione.

Edita An. D. 1579.

GREGORIVS EPISCOPVS *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium.

DVm attenta considerationis indagine perscrutamur quam pretiosum sapientiæ & scientiæ donum, per quod ignorantiæ & vitiorum tenebræ profligantur, erroresque tolluntur, solliciti reddimur & solertes vt literarum & pietatis studiosi debitis virtutum insigniantur honoribus, ac indefessi laboris ad Dei gloriam susceptí præmium tandem reportent.

Valerianus Episcopus Ciuitatem Vilnen. erexit in ea Collegiũ Presbyterorum Societatis Iesu vnde non modicus bonorũ morum scientiarumq; profectus habitus est, maiorque speratur, si idem Vniuersitas Studij generalis à Papa instituatur.

§. 1. Sane pro parte venerabilis fratris nostri Valeriani Episcopi Vilnen. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum idem Valerianus Episcopus à decem annis vel circa, ad patriæ & Diœcesis suæ quæ multiplici sectarum labe ac schismaticis erroribus, itemque Mahometan. infidelitate obsidebatur tutelam, vnum Collegium presbyterorum Societatis Iesu in Ciuitate Vilnen. canonice erigi & instituí, illudque nonnullis redditibus & prouentibus annuis dotari curauerit, ac à dicto tempore ex ipso Collegio. in morum & disciplinarum exercitio non tenuis profectus exortus spectetur, & numerus Scholarium mirum in modum accreuerit, & singulis diebus benedicente Domino augmentetur, in optima Theologiæ ac Philosophiæ, necnon liberalium, moralium, Græcarumque lectionum studia cumulatissime versans, si in ipsa Ciuitate quæ inter ceteras magni Lituaniæ Ducatus Ciuitates percelebris fertur ac ampla Diœcesi decoratur, vna generalium tam diuinorum quã humaniorum studiorum Vniuersitas erigeretur & institueretur, ac in dicto Collegio, Theologia, Philosophia & artes liberales publice, & ea quæ in Studiorum generalium Vniuersitatibus Poloniæ & aliorum Christianæ fidei Regnorum leguntur ac explicantur, & auctoritate comprobantur, ad fidei orthodoxæ propugnaculum, Ciuitatis prædictæ ornamentum, felicissimum totiusque Prouinciæ decus, per ipsos Presbyteros interpretarentur & perlegerentur, necnon qui in ipso generali Studio & Vniuersitate, & alibi per tempus debitum studuisse, ac scientia profecisse, ab eisdem Presbyteris præuio rigoroso examine in priuato, seu adhibitis quæstionibus & argumentis, quæ proborum ac Doctorum virorum præsentia confirmari solent, publico congressu comperti fuerint, in Theologia, artibus & Philosophia, Baccalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratus & Magisterij, pro studiorum ratione, ac iuxta decreta sacri Concilij Tridentini, & ipsius Societatis constitutiones, ac morem in illius Vniuersitatibus receptum, & ad instar aliarum Vniuersitatum huiusmodi gradus consequerentur, ipsique Scholares per tot studiorum labores præmij honorificentia & literarum iudicri fauore donarentur profecto prouecti ardentiores fierent, plurimique huius vitæ stadium spretis illecebris ad sempiterna, indagine mentis contemplanda se transferrent, idque charissimo filio nostro Stephano Poloniæ Regi illustri, cuius expressus ad hoc accedit assensus gratum foret. Quare pro parte eiusdem Valeriani Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum vt fidei præsidio ac Ciuitatis huiusmodi decori, necnon publicæ vtilitati consulere de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic ideo Pont. Vniuersitatem Studij generalis ibi instituit.

§. 2. Nos igitur attendentes quod ex literarum studio animarum salus maxime procuratur, eumdem Valerianum Episcopum à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris ac pœnis, à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in dicto Collegio Studium generale Theologiæ & pro illius cognitione necessaria artium liberalium & Philosophiæ, ac in illo Vniuersitatem Studij generalis quod ibidem perpetuo futuris temporibus vigeat ad instar aliarum Vniuersitatum huiusmodi, ac iuxta illarum statuta & consuetudines, aliasque ipsius Societatis constitutiones per Presbyteros Societatis huiusmodi in omnibus ac per omnia moderandam & gubernandam, auctoritate Apostolica tenore præsentium erigimus & instituimus.

Illiq; priuilegia aliorum Studiorum generalium concedit.

§. 3. Illique sic erectæ & institutæ ac eius pro tempore existentibus Rectori, Cancellario, Magistris, Doctoribus, Lectoribus, Præceptoribus, Scholaribus, Bidellis, Nunciis & aliis Officialibus & personis, tam in ipso Collegio residentibus quam Vniuersitatis huiusmodi studia frequentantibus, quod omnibus & singulis priuilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, fauoribus, gratiis, prærogatiuis, honoribus & præeminentiis Vniuersitatibus præfatis illarumque pro tempore existentibus Rectoribus, singulis personis & Officialibus, necnon membris & subditis in genere vel specie, tam dicta Apostolica quam alias rite Imperiali & Regia auctoritatibus aut alias quomodocumque concessis seu legitime præscriptis, aut in posterum quouis modo etiam motu proprio & consistorialiter concedendum & præscribendum, ac quibus illi & illæ vtuntur, potiuntur & gaudent, ac vti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum pariformiter & æque principaliter vti, potiri & gaudere valeant. Quod illi qui in quauis aliarum Vniuersitatum disciplinis facultatibus & artibus præfatis studere incœperunt, studium suum in ea continuare, & tam ipsi quam in dicta vel alia Vniuersitate per tempus debitum studuisse, ac scientia & moribus idonei comperti fuerint, in artibus Philosophia ac Theologia, necnon facultatibus præfatis Baccalaureatus etiam formalis, Licentiaturæ ac Laureæ, necnon Doctoratus ac Magisterij ac quoscumque alios solitos gradus ab ipsius Vniuersitatis Rectore seu Cancellario aut Doctoribus, Lectoribus vel aliis personis per dictæ Societatis Præpositum generalem, aut de eius licentia per illius Prouinciæ Præpositum Prouincialem deputandis, præuio rigoroso examine vel disputationibus peragitatis iuxta Concilij præfati decreta ipsiusque Societatis & aliarum Vniuersitatum constituriones, consuetudines & statuta, necnon alias, vt præfertur recipere, ac graduum huiusmodi solita insignia sibi adhibere facere, & postquam in ipsis facultatibus promoti fuerint illas perlegere & interpretari, ac in eis disputare, necnon quoscumque actus gradui seu gradibus per eos receptis conuenienter exercere, & alias omnibus & singulis priuilegiis, gratiis, fauoribus, prærogatiuis & indultis, quibus alij in ceteris Vniuersitatibus iuxta illarum ritus & mores ad gradus ipsos promoti de iure vel consuetudine aut alias vtuntur, potiuntur & gaudent, ac vti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futururum, æque principaliter vti, potiri & gaudere libere & licite possint & valeant in omnibus & per omnia perinde acsi gradus huiusmodi in aliqua ex præfatis Vniuersitatibus suscepissent.

Et auctoritate statuta condẽdi, pro bono ipsius regimine.

§. 4. Quodque pro felici Vniuersitatis huiusmodi directione, regimine ac literariæ politiæ forma, liceat pro tempore existenti eiusdem Societatis Præposito generali, saluo semper manente ipsius Societatis iure, per se vel alium seu alios quæcumque statuta & ordinationes, licita tamen & honesta, ac sacris Canonibus & Concilij Tridentini decretis non aduersantia, facere & edere, illaque pro rerum, temporum & personarum qualitate alterare, immutare & abrogare, & alia toties quoties opus fuerit de nouo etiam cum impositione pœnarum condere, ac contumaces & rebelles etiam quantumuis exempros debite corrigere, auctoritate Apostolica concedimus.

Molestiam eidem inferri, omnibus prohibet.

§. 5. Ac quibuscumque aliarum Vniuersitatum ludi moderatoribus & Præsiden. Rectoribus, Cancellariis, Præceptoribus & Magistris, ac quibuscumque aliis etiam Ciuitatum & aliorum locorum in spiritualibus vel temporalibus aut mixtim Gubernatoribus, ne Rectorem aut Vniuersitatis huiusmodi personas & Scholares in aliquo præmissorum quouis prærextu per se vel alium molestare vel inquietare audeant seu præsumant, inhibemus. Nullumque loci Ordinarium vel Metropolitanum quouis quæsito etiam conseruationis ac superioritatis colore vel ingenio seu titulo præmissis se ingerere aut contrauenire

Digitized by Google

nire posse nec debere, irritum quoque & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Contrariis quibuscumque derogat.

§. 6. Non obstantibus quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dictarum Vniuersitatum iuramento, confirmatione Apostolica vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque indultis & literis Apostolicis, eisdem Vniuersitatibus, ac quibusuis personis vel locis aliis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis & innouatis. Quibus omnibus etiamsi in illis caueatur expresse quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo & forma in illis expressis derogari possit, illorum tenores acsi de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus; ceteriisque contrariis quibuscumque.

Sanctionem pœnalem apponit.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, erectionis, institutionis, inhibitionis, decreti & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 9. die 29. Octob.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ 1579. 3. Cal. Nouemb. Pont. nostri anno 8.

SIXTVS V. PONT. CCXXXI. ANNO DOMINI MDLXXXV.



SIxtus Quintus, de Monte Alto, Ordinis S. Francisci Conuentualium, Picenus, Frater Felix Perettus antea dictus, Presb. Card. tituli S. Hieronymi Illyricorum. Creatus die duodecima Aprilis, anno Domini 1585. Coronatus Kalendis Maij, eodem anno sedit annos quinque, menses quatuor, dies tres. Creauit Cardinales 33. Obiit sexto Kalendas Augusti, anno Domini 1590. cadauer eius in Vaticanum transportatum, & die tertia ibidem in monumento Lateritio sepultum fuit. Vacauit sedes dies decem & nouem.

1. Iubilæi indictio, ad implorandum Dei auxilium, pro bono regimine Reipub. Christianæ.

Similem indictionem omnes fere Pontifices promulgare solent, eas tamen præterij, hac dumtaxat pro exemplo retenta, & alia addita Paul. V. n. 1. Quod in omni.

Alias indictiones pro eadem causa reperies initio Pontificatuum Greg. XV. inf. tom. 4. const. 2. *Spiritus*, & S.D.N. Vrban. VIII. sed sub forma orationis quadraginta Horarum, vt in eius const. 7. *Æternus*. inf. d tom. 4.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Vniuersis Christifidelibus præsentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam benedictionem. *Edita A. D. 1585.*

Exordium.

VLRIVM nostrarum infirmitati pastoralis officij molem nupet impositam considerantes, non possumus susceptum tantæ administrationis munus, non maxime formidare. De illius tamen benignitate non desperantes, qui operari dignatur in nobis, non definimus eius auxilium implorare, eique mentis nostræ sensus, ne altius extollantur, humiliter subiicere; illud agnoscentes, & vere confitentes, vnius Dei Clementiam, nullis præcedentibus meritis, nostri in imbecillitate nostra memorē magna in nobis feciſſe mirabilia, quos tot, & tantis gratiarum donis cumulatos honoris Principis Apostolorum admirabili dignatione voluit esse consortes. Quam tamen dignitatem, & potestatem, cum multæ graues curæ consequantur, valde sollicitamur, tum quod de collatis in nos maximis beneficiis, quæ Dei benignitati referimus accepta, nullam dignam gratiam quam eius clementiæ persoluamus, nostra potest infantia reperire; tum etiam quod sub tanto pondere exiguas vires initio contremiscere, ac pene iam corruere sentimus, non tamen animo deficientes ad summam Dei bonitatem confugimus fideliumque, & Deum timentium, quorum ipse (vt speramus) voluntatem faciet, orationes expetimus quibus omnipotenti Deo semper benedicendo, gratiisque misericordiæ eius agendis adiuuemur, viribusque à cœlesti rege subministratis, suffulta nostra infirmitas commissas nobis curarū, & salutarium Reipublicæ Christianæ officiorum partes, orantis simul populi instantia promerente, valeat sustinere, opemque agitatæ, & vbique fere depressæ Catholicæ Religioni suppeditare, ne cum in altitudinem maris venerimus, tempestate demergamur, sed potius horribiles tot peccatorum flatus, & excitatas toto mari procellas discutientes, cum credito nobis grege optatum cursum, & æternæ salutis portum teneamus.

Forma consequendi Iubileum.

§. 1. Omnes igitur, & singulos vtriusque sexus Christifideles vbicumque, existentes monemus, ac in Domino requirimus, vt qui in hac Alma Vrbe sunt, proxime sequenti hebdomada, aut altera protinus post eam item sequenti; qui vero extra Vrbem degunt cum primum harum notitiam habuerint, prima, aut secunda itidem immediate sequenti hebdomada, conscientia sua diligenti prius examinatione discussa, peccata sua omnia humili & contrito corde confiteantur, & ante Festum Pentecostes eiusdem hebdomadæ quarta, & sexta feria, & Sabbato (cum hoc tempore ieiunia non indicantur) eleemosynas erogent, piaque earum largitione, quantum pro sua cuique facultate visum fuerit, Christi pauperum egestatem, & inopiam subleuent, orationibusque à Deo impetrare studeant, vt nobis lumen suum ostendat, pares tanto oneri vires præbeat, omnesque actiones nostras dirigat, ac hostium Ecclesiæ suæ conatus infringat. Die vero dominica, quæ dictas eleemosynas, atque orationes proxime sequetur, Sacrosanctam Eucharistiam deuote accipiant. Ita, vt qui post Festum Pentecostes voluerint infra dicendæ indulgentiæ beneficio frui, dictis tribus diebus præter orationes, & eleemosynas, etiam ieiunare teneantur. Et nihilominus, vt Deum magis propitium nobis & populo Christiano reddere, ipsique quantum nostræ tenuitati conceditur, gratias agere valeamus, & ad tantum onus sustinendum vires impetremus, Nos ipsi supplicationes, processionesque. vna cum Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, omnibusque Prælatis, & Romanæ Curiæ magistratibus, die Lunæ qui erit

Digitized by Google

erit 27.dies, præsentis mensis Maij ab Ecclesia S. Mariæ in Aracœli, vsque ad Basilicam S.Mariæ Maioris habere, atque incedere, statuimus. Cæterum vt fideles ipsi ad hæc omnia peragenda magis idonei efficiantur, de tradita nobis à Domino potestatis plenitudine Ecclesiæ thesauros, quorum diuina fauente clementia dispensatores effecti sumus, copiose, ac benigne aperientes, omnibus Christifidelibus supradictis, vt hac vice tantum confessores idoneos presbyteros, sæculares vel cuiusuis Ordinis regulares, ab Ordinariis tamen approbatos eligere, qui eorum confessionibus diligenter auditis eos à quibusuis peccatis, criminibus, & excessibus, & delictis quantumcumque grauibus, & enormibus, etiam in casibus Sedi Apost. reseruatis, ac in literis die Cœnæ Domini quotannis legi solitis contentis, in foro conscientiæ dumtaxat, ac etiam à sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis per eos quomodolibet incursis, iniuncta inde eis pro culpæ modo pœnitentia salutari absoluere, ac quæcumque per eos emissa vota (præterquam Castitatis, & Religionis) in alia pietatis opera commutare valeant, per præsentes concedimus.

Iubilei concessio.

§.2. Nos enim omnibus, qui præmissa deuote adimpleuerint, de eiusdem omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, plenissimam omnium peccatorum remissionem, ac eamdem, quæ Christifidelibus anno Iubilæi huius Almæ Vrbis Ecclesias, & extra eam deputatas statutis diebus deuote visitantibus concessa est, misericorditer in Domino elargimur, eos quoque, qui morbo vel aliquo alio impedimento detenti præmissa adimplere nequiuerint, si alia pia opera fecerint, in quæ arbitrio suorum confessorum (quibus super hoc facultatem impartimur) commutata fuerint; ac etiam illos qui in itinere fuerint, si cum primum iter perfecerint, præmissa exequi studuerint, ipsius Indulgentiæ, & doni, ac aliorum prædictorum participes fieri volumus.

Iussio publicandi, vbique d. Iubilæum

§.3. Præcipientes vniuersis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & quibusuis aliis Ecclesiarum Prælatis, & locorum Ordinariis, vt statim cum præsentes literas, seu earum transumptum authenticum, etiam impressum ad eos deferri contigerit, solemnes Processiones tribus diebus, scilicet quarta & sexta feriis, ac Sabbato prædictis iuxta locorum opportunitatem ad effectum præmissorum indicant, & celebrent, ac easdem præsentes, seu earum transumptum per suas quisque Prouincias, Ciuitates, & Diœceses sine vlla fraude, aut lucro publicent, & per Ecclesiarum Rectores publicari faciant.

Derogatio extrariorum Fides exemplorum

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apost. ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Quia vero præsentes ad omnia loca, quibus illis opus esset, præferri nequeunt, decernimus, vt illarum transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 1. 25. Maij.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo octuagesimoquinto, octauo Calend. Iunij, Pont. nostri anno 1.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1585. *Indictione* 13. *die vero* 25. *mensis Maij, Pont. Sanctiss. D.N.D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno* 1. *retroscriptæ literæ Apost. affixæ, lectæ & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis spatium dimissæ in valuis, seu portis Basilicarum S. Io. Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe, & necnon Cancell. Apost. & in acie Campi Flore, per nos Ioannem Freyle, & Nicolaum Taglietum S.D.N.Papæ Curs:*

Io.Bapt.Bagni Mag.Curs:

II. Reuocatio exemptionum omnium, ab onerum Cameralium solutione, quibuscumque personis, quomodolibet concessarum,

Similem, sed ampliorem dispositionem, in hoc statuit Paul. V. infra in eius const. 11. In maximis. *vbi hæc bulla, sub generali confirmatione comprehenditur, & alias ad hoc tibi ibidem indicauero.*

SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita An.D.* 1585.

Causa huius reuocationis.

INter varias curas quæ ex Pastoralis officij ministerio nobis incumbunt, illa potissimum animum nostrum pulsat atque perturbat, vt nobis & Romanæ Ecclesiæ subditi, præsertim pauperes, prætextu exemptionum aliarumque similium gratiarum à Sede Apostolica concessarum, nullatenus grauentur, neque id totum quod à potentioribus, & maiores facultates habentibus eximitur, in pauperiorum caput eorumque damnum & præiudicium accrescat.

Reuocatio quarumcumque exemptionum, à solutione onerum Cameralium exceptis hic enunciatis.

§. 1. Vnde ex his & aliis rationabilibus causis adducti ac nonnulloru Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas exemptiones, concessiones, gratias, & immunitates à solutione omnium & singulorum datiorum, pedagiorum, gabellarum, collectarum, impositionum & quorumlibet aliorum onerum, personalium, mixtorum, ordinariorum, & extraordinariorum, solitorum, & insolitorum, aliarumque exactionum etiam Cameralium quibusuis Communitatibus, Vniuersitatibus, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, & locis Status nostri Ecclesiastici ac etiam quibuscumque feudatariis, censuariis, dominis locorum, Baronibus, Comitibus, seu quocumque nomine nuncupatis, & quacumque etiam Ducali vel alia dignitate, & auctoritate seu etiam Cardinalatus honore fulgentibus, qui Castra & Iurisdictiones infra limites ditionis Ecclesiasticæ possident, etiam qui nihil ratione Castrorum, & Iurisdictionis huiusmodi Sedi Apostolicæ annuatim, seu alias persoluunt, & tam incolis quàm extraneis atque forensibus bona stabilia, seu mobilia, vel se mouentia, habentibus & tenentibus, seu possidentibus, omniumque supradictorum Colonis, & laboratoribus, per prædecessores nostros & Sedem Apostolicam, eiusque etiam de latere Legatos, seu Vicelegatos, & Cameram Apostolicam eiusque Præsidentes, ac alias quomodocumque sub quibusuis formis & verborum expressionibus, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus (præterquam ob susceptionem liberorum iuxta iuris dispositionem, & ob causam vere effectualis, & congruę exbursationis pecuniarum, seu ex aliis causis per nos cognoscendis & approbandis) perpetuo, seu ad certum tempus concessas, ac etiam pluries confirmatas, eorum omnium tenores acsi de verbo ad verbum inferentur præsentibus pro expressis habentes, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo tollimus, reuocamus, & annullamus; ac viribus omnino euacuamus, illasque pro cassis, nullis, irritis, & reuocatis, ac penitus infectis haberi volumus.

Declaratio quid à Data præsentium reuocatio afficiat.

§. 2. Necnon exemptiones, concessiones, gratias, & immunitates prædictas, nulli penitus, nec in petitorio, nec in possessorio suffragari posse, sed prædictos omnes exemptos ad omnium, & singulorum prædictorum onerum impositionem, ac gabellarum solutionem, & contributionem, perinde ac si exemptiones prædictæ eis cõcessæ non fuissent pro rata ipsos tangente à dat. præsentium decurrenda, realiter & cum effectu contribuere, eorumque bona accatastari, allibrari, describi, seu annotari facere quamprimum debeant & teneantur, etiam perpetuo statuimus, & declaramus.

Confirmatio bullæ Pij V. & aliorum Pont.

§. 3. Ac omnes & quascumque, tam per fel. rec. Pium V. quam alios Rom. Pont. prædecessores nostros, super præmissorum reuocatione quomodolibet editas constitutiones similiter perpetuo confirmamus, approbamus, & innouamus.

Lites quascũque desuper ortas extinguit.

§. 4. Et insuper quascumq; lites, & causas super præmissis & eorũ occasione vbilibet motas atque pendentes, illarum status & merita nominaque &, cognomina Iudicum & collitigantiũ etiam præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, ad nos harum serie aduocamus, litesque huiusmodi penitus extinguimus & annullamus, ac pro extinctis & annullatis haberi volumus.

§. 5.

Digitized by Google

Hic & non aliter iudicari mandat.

§. 5. Sicque per quoſcumque Iudices etiam Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam dictæ Cameræ Clericos & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Executores deputat.

§. 6. Quocirca dilecto filio noſtro Philippo S. Angeli in Foro piſcium, Diacono Cardinali Vaſtauillano nuncupato moderno & pro tempore exiſtenti, noſtro & ipſius Romanæ Eccleſiæ Camerario, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per ſe vel alium ſeu alios eius nomine, præter Ordinariam Camerariatus officij iuriſdictionem, omnes & quoſcumque ſupradictos exemptos per cenſuras Eccleſiaſticas ac etiam priuationis feudorum & inhabilitatis ad illa, aliaſque etiam pecuniarias pœnas, ad realem & actualem cuiuſuis ſummæ, tam hactenus debitæ quam debendæ, ſolutionem iuxta taxas hactenus impoſitas cogat & compellat; ac pro faciliori exactione, & ſatisfactione conſequenda eidem Philippo Cardinali, & pro tempore exiſtenti Camerario quoſcunque quatenus opus fuerit citandi & etiam ad perſonaliter comparendum monendi etiam per edictum publicum, conſtito ſummarie & extraiudicialiter de non tuto acceſſu, necnon quoſcumque inobedientes & rebelles, cenſuras, & pœnas comminatas incidiſſe, & incurriſſe ſeruata forma Concilij Tridentini, declarandi, aggrauandi, reaggrauandi, & interpretandi, auxiliumque brachij ſæcularis inuocandi, & relaxandi, aliaque omnia & ſingula faciendi quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria fuerint, ſeu alias quomodolibet opportuna, plenam tenore præſentium concedimus facultatem.

Clauſulas derogatorias apponit.

§. 7. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, necnon quibuſuis immunitatibus, exemptionibus, aliiſque præmiſſis, ac aliqua poſſeſſione, vel forſan vſurpatione de non ſoluendo, & contribuendo, necnon noſtra de non tollendo Iure quæſito aliiſque Cancellariæ Apoſtolicæ regulis; priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſuis perſonis, in genere vel in ſpecie, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque clauſulis, & decretis, ſub quibuſcumque verborum formis & tenoribus etiam Motu ſimili, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innouatis. Quibus omnibus, etiam ſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda eſſet, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus ſpecialiter & expreſſe harum ſerie derogamus. Aut ſi aliquibus, communiter vel diuiſim à prædicta ſit Sede indultum quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum, &c.

Dat. P An. 1. 19. Iunij.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1585. 3. Kalend. Iulij, Pont. noſtri anno 1.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1585. indictione 13. die vero 9. menſis Iulij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno primo, retroſcripta litera Apoſtolica affixa, & publicata fuerunt in valuis ſeu portis Eccleſiarum Sancti Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon valuis Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris eſt, per nos Catherinum Menandi, & Nicolaum Tagliettum S.D.N. Papæ Apoſt. Curſ.

Pompeus Guerra Mag. Curſ.

III. Prohibitio alienandi per ſubditos Status Eccleſiaſtici, in non ſubditos & forenſes, bona in eo exiſtentia, aut fortalitia & caſtra, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia.

Hanc conſtit. approbauit, declarauit, & ampliauit Clem. VIII. in ſua conſt. 78. Romanum, vbi de ſimilibus materiis etiam notabo in rubrica.

Ampliauit nouiſſimè, & declarauit has Sixti, & Clem. conſt. & extendit tam in forenſes, quam in ſubditos, abſque Sedis Apoſtolicæ expreſſa licentia in ſcriptis obtinenda, Paul. V. conſt. 108. *Paſtorale.* inf. tom. 3. Quas omnes approbauit, & reſpectiuè extendit etiam ad Caſtra diruta, Tenutas, & Prædia, etiam non iuriſdictionalia in confinibus loci iuriſdictionalis & bona in dicto ſtatu in confinibus Principum exterorum ſita, illorumque locationes, & cenſuum annuorum ſuper præmiſſis impoſitiones, & impoſitorum venditiones S.D.N. Vrban. VIII. conſt. 65. *Decens.* inf. d. tom. 4. Qui etiam partibus præfixit terminum ad reuocandum acta contra has Conſtitutiones in ſua conſt. 72. *Sedes* d. tom. 4. Et ne de cetero fierent huiuſmodi alienationes erexit Congregationem ſuper huiuſmodi confinibus cum facultatibus quas videre poteris ad eiuſdem S.D.N. Vrb. VIII. conſt. 73. *Debitum.*

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita A. D. 1585.*

Exordium.

SOlicitudo, paternuſque affectus, quo Sedis Apoſtolicæ ſubditos proſequimur, nos inducunt, vt ea diligenti cura proſpiciamus, quæ ad illorum conſeruationem, ſtatuſque Eccleſiæ vtilitatem & commodum pertinent.

Cauſa huius conſtit.

§. 1. Accepimus ſi quidem, quod in diuerſis Ciuitatibus, terris, oppidis & caſtris, nobis & dictæ Sedis temporali ditioni ſubiectis extant ſtatuta prohibentia, res ac bona ſtabilia in forenſes & non ſubditos alienari. Nihilominus nonnulli ciues & incolæ ciuitatum, terrarum, caſtrorum & locorum huiuſmodi bona ſtabilia, aliis perſonis extraneis vendere & alienare præſumunt in maximum præiudicium & damnum ciuium & incolarum prædictorum.

Confirmatio ſtatutorum prohibentium alienationem bonorum in non ſubditos.

§. 2. Quocirca nos conſiderantes quantum ſtatuta præfata vtilia & fauorabilia ſint, quantumque Reipublicæ interſit dicta bona in illius ciues, & habitatores conſeruari, Motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & certa ſcientia, ſtatuta huiuſmodi etiam ſi non ſint in vſu, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium de cetero obſeruari mandamus.

Prohibitio alienandi bona in Statu Eccleſ. exiſtentia alijs, quàm Vaſallis abſque Sedis Apoſt. licentia.

§. 3. Et nihilominus, quod perpetuis futuris temporibus, vniuerſitates, ciuitates, collegia, feudatarij quicumque, ac perſonæ cuiuſuis ſtatus, gradus, ordinis, qualitatis, & conditionis exiſtant, etiamſi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quauis auctoritate & dignitate, etiam Eccleſiaſtica, quæ ſpecialem & indiuiduam mentionem requireret, prædicti ſint, nullatenus inde noſtra & Sedis prædictæ licentia, audeant ſeu præſumant ciuitates, oppida, caſtra, feuda, iuriſdictiones, ac bona quæcumque ſtabilia vel immobilia in dicto Statu Eccleſiaſtico exiſtentia cuiuſcumque qualitatis, quantitatis, & valoris per eos, nunc & pro tempore poſſeſſa vendere, permutare, vltra triennium locare, in emphyteuſim, feudum, liuellum, pignus ſeu precarium concedere, in aliquam Communitatem, Vniuerſitatem, Collegium, vel perſonam extraneam ſeu forenſem, quæ nobis & dictæ Sedi ratione temporalis iuriſdictionis, ſtatus noſtri ſubdita, & ſuppoſita non ſit, vel quæ domicilium legitime non contraxerit in dicto noſtro ſtatu, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, conditionis, & qualitatis exiſtat, etiamſi, vt præfertur, Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quauis auctoritate & dignitate, etiam Eccleſiaſtica, quæ ſpecialem & indiuiduam mentionem requireret, præditus ſit.

Prohibito alienandi Caſtra, & fortalitia, etiam Vaſallis abſque ſimili licentia.

§. 4. Inſuper quia decens & conueniens exiſtit, quòd ſi vendantur vel permutentur, ſeu etiam donentur ciuitates, caſtra, & oppida, multo magis fortalitia, id ad notitiam Principis deducatur, & præſertim ſi feuda & iuriſdictiones feudales, ea omnia, nec in exteros, nec in alios quoſcumque niſi de expreſſa præcedente, noſtra & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis eadem ſupradicta licentia, vendi, permutari, vel donari valeant.

§. 5. Neque

Præceptum quod nō reuerſuri ad Statū Eccleſiaſt. illa vendant intra biennium.

§.5. Neque etiam extraneus aut ſubditus originarius, bona huiuſmodi in dicto ſtatu habens, & in eo habitans, ſi ab illo diſcedat amplius ad ipſum non reuerſurus, illa retinere poſſit, ſed intra bienniū, ex quo ipſe demigrauerit, ea vendere, ſeu pro aliis extra dictum ſtatum exiſtentibus permutare, aut alias transferre in alium immediate ſubiectum teneatur, auctoritate & tenore præſentium, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Card. conſilio, perpetuo ſtatuimus & ordinamus.

Declaratio circa ſupradictas prohibitiones.

§.6. Licitum tamen erit omni dicti ſtatus habitatori, ſiue extraneo ſiue ſubdito, de bonis ſuis in eodem ſtatu poſitis, vel in conſanguineos, vel in alios de dicto ſtatu non exiſtentes, quocumque alio quam venditionis ſeu permutationis, vel donationis titulo diſponere, ac ſuis, etiam ab inteſtato hæredibus pariter licebit in illis ſuccedere; qui tamen intra triennium, vel in eumdem ſtatum habitatum veniant, vel bona ipſa, in alium ſeu alios habitatores & ſubditos, vt præfertur, transferant. Quod etiam illis extraneis, ad quos bona huiuſmodi ex quibuſcumque aliis quam venditionis, ſeu permutationis, aut donationis huiuſmodi cauſis peruenerint, illaue acquiſierint, cenſeatur permiſſum.

Declaratio bonorū, vt ſupra alienari prohibitorū.

§.7. Bonorum autem præfatorum appellatione, neque cenſus, neque portiones, ſeu loca Montium, nec mulierum, dotes, ſed neque Vrbem noſtram, quæ communis patria eſt, cum eius decem paſſuum millia circuitu, volumus comprehendi; filij tamen & hæredes dictarum mulierum ſoluto matrimonio, ſi extranei fuerint, aut in eodem ſtatu ad habitandum aut vendendum ſeu permutandum, vt dictum eſt, ſint adſtricti.

§.8. Decernentes, Communitates, Vniuerſitates, Collegia, vel perſonas extraneas, ſeu forenſes huiuſmodi ad dictorum bonorum pro tempore contra eorumdem præſentium tenorem alienatorum acquiſitiones omnino inhabiles; necnon quoſcumque contractus, venditiones, & alienationes contra huiuſmodi prohibitionem quocumque modo vel cauſa pro tempore faciendas, nullas & inualidas exiſtere, nullumque ius per eas emptoribus attributum eſſe, ſeu tribui poſſe. Necnon omnes ſcripturas deſuper conficiendas, ac inde ſecura quæcumque nullius roboris vel momenti eſſe, nec ex illis audiri, agi, & excipi poſſe, in iudicio vel extra, ipſaque bona alienata ad eos, ad quos de iure peruenire debent, ſpectare & pertinere.

Clauſula ſublata. & Decretum irritans.

§.9. Sicque per S.R.E.Card.etiam Legatos ac Vicelegatos, nenon ſacri Palatij Apoſtolici Auditores, Gubernatores, ſeu illorum Locatenentes, alioſve Iudices & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari, & definiri debere, necnon irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Præceptum de obſeruantia huius conſt.

§.10. Mandantes eiſdem Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, ac Iudicibus, nunc & pro tempore in toto ſtatu prædicto exiſtentibus, & eorum cuilibet, vt ſtatutum & ordinationem, & alia præmiſſa perpetuo ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia eis bene viſa remedia obſeruari faciant & mandent.

Clauſula derogat.

§.11. Non obſtantibus noſtris de non tollendo iure quæſito, aliiſque Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon ciuitatum, oppidorum, terrarum & locorum prædictorum ſtatutis & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque alia firmitate munitis, ac etiam immemorabili, & quantocumque tempore pacifice obſeruatis, necnon ciuilitatibus, ciuitatumque iuribus, priuilegiis, exemptionibus & indultis Apoſtolicis, illis eorumque Dominis prædictis, ac quibuſuis aliis per quoſcumque Rom. Pont. ac nos & dictam Sedem quomodocumque & quotieſcumque conceſſis, confirmatis, & innouatis, quæ omnia, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis habentes, omnino tollimus & abrogamus; ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Forma & effectus publicandi hanc conſt. quam publ. habes hic in fin.

§.12. Volumus autem eaſdem præſentes, quoniam in Conſiſtorio noſtro, & de conſilio prædicto promulgatæ ſunt, à die datæ ipſarum quoſcumque, tam præſentes, quam abſentes, & vbicumque etiam extra dictum ſtatum exiſtentes perinde obligare, acſi cuique ſingulatim intimatæ fuiſſent. Et nihilominus, vt illæ amplius innoteſcant, mandamus eas valuis Eccleſiæ S. Ioannis Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, aliiſque locis conſuetis appendi, & in libris dictæ Cameræ deſcribi. Ac etiam volumus, vt ipſarum exempla, etiam impreſſa edantur, eaque Notarij publici manu, & ſigillo cuiuſcumque Curiæ, Eccleſiæ, aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignata, eam ipſam prorſus fidem vbique locorum, in iudicio & extra illud faciant, quam ipſæ præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis.

§.13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum mandatorum, ſtatuti, ordinationis, decreti, ſublationis, abrogationis & voluntatis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

D. P. An. 1. die 1. Iulij. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1585. Kalend. Iulij, Pontificatus noſtri Anno 1.

Papa ſubſcr. Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Cardd. ſubſcriptiones.

Ego Io. Anton. Epiſc. Tuſc. Card. S. Georgij.
M. Sitic. Card. ab Altaemps.
Ego In. Aua. Card. de Arag.
Ego P. Card. Sanctacrucius.
Ego Gulielm. Sirletus Card.
F. Mic. Bo. Card. Alex.
Ego Lud. Card. Madrutius.
Ego N. Card. Senonenſis.
Iul. Ant. Sanctorius Card. S. Seuerinæ.
P. Card. Cæſius.
Ego Hier. Card. Ruſticuccius.
Io. Hier. Card. Albanus.
P. Card. Deza.
Ego Ant. Card. Carafa.
Io. Ant. Car. SS. Quatuor.
Ego Io. Bap. Card. S. Marcelli.
Ego Aug. Card. de Veron.
Ego Vin. Card. Montis Regalis.
Ego M. Card. S. Stephani.
Scipio Card. Lancelottus.
Ego Aloyſius Card. Eſten.
Ego Fer. Card. de Medicis.
Phil. Vaſt. Card. Cam.
Ego Vincen. Card. Gonzaga.
Alex Card. de Montealto.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti 1585. indictione 13. die vero Mercurij 25. menſis Septembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno primo, retroſcripta litera Apoſtolica affixa, & publicata fuerunt ad valuas Eccleſiarum Sancti Ioannis Lateranenſis, Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris eſt, per nos Ioan. Barlurault, & Franciſcum Baron, prælibati S. D. N. Papæ Curſ.*

Io. Andreas Panizza Mag. Curſ.

IV.

Exemptiones & gratiæ Clericorum Regularium Congregationis S. Maioli alias de Somaſcha à Gregorio XIII. elargitæ.

Ad hac vide per me notata ſup. in conſt. 21. Paul. III. Ex iniuncto.

Edita A. D. 1585. SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. ÆQuum reputauimus, ac rationi conſonum, vt ea, quæ de Romani Pontificis prouidentia præſertim in perſonarum Eccleſiaſticarum commodum proceſſerunt, licet eius ſuperueniente obitu, literæ Apoſtolicæ deſuper confectæ, non fuerint ſuum ſortitæ effectum.

Digitized by Google

Gregor. XIII. Cogreg. exemptionem à iurisdictione & superioritate ac visitatione Ordinariorū, aliorumque. Iudicum concessit.

§. 1. Dudum siquidem fel. record. Gregorio Papa XIII. prædecessori nostro pro parte dilectorum filiorum Præpositi & Clericorum, aliarumque personarum Regularium Congregationis S. Maioli alias Somaschæ, sub Regula S. Augustini canonice institutæ, & Apostolica auctoritate confirmatæ supplicato, quatenus eos specialibus fauoribus & gratiis prosequi, de benignitate Apostolica dignaretur, præfatus prædecessor, qui circa statum personarum quarumlibet diuino cultui emancipatarum salubriter dirigendum paterna solicitudine libenter prospiciebat, ac earum oppressiones & grauamina releuabat, vt quibuslibet perturbationibus semotis, facilius valerent Altissimo suum exhibere famulatum, eosdem Præpositum, Clericos, & personas regulares specialis gratiæ fauore prosequi volens, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel homine, quauis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodati existebant, ad effectum infrascriptorum dumtaxat consequen. harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinatus sub dat. 3. idus Martij, Pontificatus sui anno 13. omnes & singulos dictæ Congregationis, Præpositum generalem, Superiores, Officiales, Presbyteros, Clericos, ceterasque personas professas & non professas, necnon familiares & ministros, cum omnibus & singulis Ecclesiis, Oratoriis, Cæmeteriis, Capellis, Domibus, Conuentibus, mobilibus & immobilibus, præsentibus & futuris, bonis, ac iuribus & iurisdictionibus quibuscumque, ac rebus, tam sacris & religiosis quam profanis ad ipsam Congregationem spectantibus & pertinentibus, ac vbicumque existentibus, quæ de præsenti legitime possident, & in posterum, Deo iuuante, canonice per eos acquiri contigerit, ab omni iurisdictione, dominio, potestate, superioritate, subiectione, visitatione, correctione quorumcumque Ordinariorum, quacumque dignitate, præminentia & auctoritate fungentium, & aliorum Iudicum Ecclesiasticorum & sæcularium, Apostolica auctoritate in perpetuum eximit & liberauit, & sub sua & Sedis Apostolicæ, ac B. Petri protectione immediate recepit. Ipsique Præposito Generali, clericis & personis, vt iidem Ordinarij & officiales, aut alij quicumque Iudices, etiam ratione criminis, delicti, contractus, nullam in Præpositum, personas Congregationis, ac res & bona præfata, iurisdictionem, potestatem, superioritatem & dominium exercere possent.

Licentiamq; diuina sacramenta omnib. Christifidelibus etiã alienæ parochiæ, subdito omni præterquam Paschatis tẽpore ministrãdi, & exemit etiã à seruitiis prælatorũ ministrantiũ, & funeralium.

§. 2. Necnon quod omnes & singuli ipsius Congregationis presbyteri regulares, à suis superioribus ad id specialiter approbati, eorumque licentia vel consensu desuper requisito & obtento, possent in Ecclesiis propriis ipsius Congregationis, vel in aliis etiam quibuscumque, de licentia illorum Superiorum, missas celebrare, confessiones quorumcumque Christifidelium etiam alienæ Parochiæ subditorum audire, & sanctum Eucharistiæ Sacramentum ministrare, quibuscumque festiuis ac non festiuis, ac Dominicis diebus, & omnibus temporibus, Paschatis dumtaxat exceptis, neque sub prætextu antiquæ consuetudinis, & ex eo quod Ecclesiæ in quibus sacramenta huiusmodi ministrarent, & munera prædicta obirent, aut alio modo iis deseruirent, subditæ essent alteri Ecclesiæ tamquam matrici, aut cathedrali, seu titulari, vel alias, idcirco in aliquibus solemnitatibus, aut temporibus iuxta priscum morem clericorum deseruientium in talibus Ecclesiis subditis, ipsi presbyteri & clerici regulares dictæ Congregationis maioribus huiusmodi Ecclesiis, vel locorum Ordinariis, & Episcopali vel Archiepiscopali, aut maiori dignitate fungentibus, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quocumque priuilegio & facultate suffultis, assistere, seu inseruire, siue vllum personale seruitium præstare, aut aliquo modo ministrare, neque ad funera defunctorum, nili eorum quos in Ecclesiis ipsius Congregationis sepelire contigerit, etiam vocati accedere tenerentur, neque ad id cogi aut compelli vllo modo possent, de eadem auctoritate concessit & indulsit.

Transitum ad alium etiam

§. 3. Præterea vniuersis & singulis qui in ipsa Congregatione professionem emiserant, vel emitterent, ne in posterum ad quemcumque alium Ordinem vel Congregationem, etsi arctior in eo vigeret Regularis Obseruantia, (Fratrum Minorum Capuccinorum nuncupatorum, & Cartusianorum dumtaxat Ordinibus exceptis) nisi obtenta prius à Superiore dictæ Congregationis licentia, transire valerent, & in singulos transeuntes apostasiæ pœnam, quam ipsos & illorum receptatores, etiam cuiuscumque priuilegij Apostolici prætextu, cui ad hunc effectum, idem prædecessor specialiter & expresse derogauit, excommunicationisque sententiam à qua non nisi per Rom. Pont. pro tempore existentem absolui possent, promulgauit.

arctiorem Ordinem, præterquam Capuccinorum & Cartusianorũ absque Superioris huius Congregationis licentia interdixit.

§. 4. Postremo omnibus & quibuscumque personis professionem regularem in dicta Congregatione emissuris, in ipso professionis emissionis die, vt aliquem dictæ Congregationis presbyterum possent sibi eligere confessorem qui ipsos, confessione eorum audita, à quibusuis excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, & in quibus insordescerent, & declarati, ac publicati forent, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, & in bulla die Cœnæ Domini legi solita contentis, facta prius debita satisfactione, & sine alicuius præiudicio, semel tantum iniuncta salutari pœnitentia, absoluere possent facultatem concessit & indulsit, ac cum eisdem super quacumque irregularitate ex quacumque causa (præterquam ex homicidio voluntario, ac bigamia) quomodolibet contracta, sine censuris præfatis ligati, missas & alia diuina officia, non tamen in contemptum clauium, celebrarent, vel alias diuinis se immiscerent, ita vt ea non obstante, nondum promoti, omnes & sacros etiam presbyteratus ordines suscipere, & promoti in susceptis per eos ordinibus huiusmodi, etiam in altaris ministerio ministrare libere & licite valerent, eo ipso quod professionem emitterent, auctoritate præfata dispensauit.

Emittẽtibusque professionẽ concessit, vt ea die cõfessorem eligerent, qui ipsos absolueret, & cum eis dispensaret, &c.

In hoc attendenda est cõst. Clem. VIII. num. 115.

Quacumque, vbi nonnulla generaliter corrigit.

§. 5. Non obstantibus quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus, necnon quibusuis decretis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Quibuscumq; non obstantibus.

§. 6. Ne autem de absolutione, extensione, liberatione, receptione, singulis concessionibus, indultis, & dispensatione Gregorij prædecessoris huiusmodi, pro eo quod super illis, eius superueniente obitu literæ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet excitari, ipsique Præpositus Generalis, Clerici, & aliæ personæ Congregationis huiusmodi illorum frustrentur effectu, volumus & similiter Apostolica auctoritate decernimus, quod absolutio, exemptio, liberatio, receptio, singulæ concessiones, indulta, & dispensatio Gregorij prædecessoris huiusmodi, perinde à dicta die Id. Martij suum sortiantur effectum, acsi super illis præfati Gregorij prædecessoris literæ, sub eiusdem diei dat. confectæ fuissent, provt superius enarratur. Quodque præsentes literæ ad probandum plene absolutionem, extensionem, liberationem, receptionem, singulas concessiones, indulta, & dispensationem Gregorij prædecessoris huiusmodi vbique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Hic modo Pontif. literas prædicti Greg. XIII. ob eius mortẽ non expeditas totaliter validat.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Sanctionemq; pœnalem apponit.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, Kal. Maij, Pontificatus nostri anno 1.

D. P. An. 1. die 1. Maij.

V.

Quod Clerici regulares Congregationis S. Pauli Decollati, ad processiones & actus publicos accedere non cogantur, ex indulto Gregor. XIII.

Huius Congregationis institutionem, & cetera quæ eam concernunt, indicaui sup. in Clem. VII. const. 37. Vota.

SIXTVS

Digitized by Google

Edita An. D. 1585.

SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

RAtioni congruit & conuenit honestati, vt ea quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licet eius superueniente obitu, literæ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum sortiantur effectum.

Greg. XIII. ex causis hic expressis, cœcessit huic Congregat. vt eius Clerici ad processiones, & eiusmodi actus publicos inuiti accedere cogantur.

§. 1. Dudum siquidem per fel. record. Gregorium Papam XIII. prædecessorem nostrum accepto quod licet dilecti filij, Clerici, Presbyteri, Superiores, & personæ Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Decollati, à quinquaginta annis vel circa, auctoritate Apostolica institutæ, à principio institutionis Congregationis huiusmodi, vt iuxta pium eorum institutum, à quit uscumque occupationibus expediti, animarum saluti libere consulerent & inuigilarent, ad publicas processiones quæ in Ciuitatibus & locis, in quibus ipsa Congregatio propagata erat fiebant & celebrabantur, ac ab Ordinariis locorum indicebantur, conuenire non consueuissent, attamen bonæ mem. Carolus tit. S. Praxedis presbyter Cardinalis Borrhomæus nuncupatus, Ecclesiæ Mediolanensis ex dispensatione Apostolica Præsul, B. Barnarbæ Mediolanen. & B. Mariæ Virginis Corobioli nuncupati Oppidi Moderiæ Mediolanen. diœcesis domorum dictæ Congregationis Clericos, Presbyteros, Superiores, & personas ad processiones huiusmodi comitandum induxerat, cui ipsi Clerici, Præpositi, Superiores, & personæ ob singularem obseruantiam qua eum prosequebantur obtemperarant, quibus quoque idem Carolus Cardinalis locum huiusmodi processionibus post omnes quorumcumque Ordinum regulares constituerat, quod Canonici regulares se ægre molestéque ferre cum plurimis protestationibus significarent, provt tunc temporis prædicto Carolo Cardinale, sicut Domino placuerat vita functo, id pati nullatenus se velle profitel antur. Idcirco cum eorumdem Clericorum, Presbyterorum, Superiorum, & personarum institutioni non conueniret, ad similes processiones accedere, & quæ propria erant eorum instituti prætermittere cogerentur, idem prædecessor ex incumbenti sibi Apostolicæ solicitudinis studio, circa statum personarum Ecclesiarum quarumlibet diuino cultui emancipatarum salubriter dirigendum, libenter prospiciens, & intendens, ac earum quas suaui Religionis iugo nouerat esse suppositas, vt quibuslibet perturbationibus semotis facilius valerent suum Altissimo exhibere famularum, oppressiones & grauamina releuare, necnon quæcumque scandala, quæ præcedentiæ causa inter Clericos, Presbyteros, Superiores, ac personas, necnon Canonicos Regulares huiusmodi, ac forsan alios, intercedere possent, tollere volens, ac Congregationem, illiusque Clericos, Presbyteros, Superiores, & personas huiusmodi eorumque singulos, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis, sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existebant, ad effectum dumtaxat infrascriptorum consequen. absoluens, & absolutos fore censens, sub datis videlicet Idib. Martij, Pontificatus sui anno tertiodecimo, Motu proprio non ad Congregationis, illiusque Clericorum, presbyterorum, Superiorum, & personarum prædictorum, vel aliorum pro eis ipsi prædecessori super eo oblatæ petitionis instantiam, sed de sua mera liberalitate, Congregationi, necnon Clericis, Presbyteris, Superioribus & personis prædictis, quod ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus, quibuscumque processionibus & aliis quibuslibet actibus publicis quocumque tempore, de more vel consuetudine, aut alias pro tempore fiendis & celebrandis, ac ab Ordinariis prædictis indicendis, interesse minime tenerentur, nec ad id vbique locorum per quoscumque Ordinarios, aliasque personas inuiti, cogi, aut compelli possent, Apostolica auctoritate prædicta perpetuo concessit & indulsit, ac quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decreuit.

Obstantiuſq; derogatio.

§. 2. Non obstantibus piæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, qua cauetur ne quis extra suam Ciuitatem vel diœcesim, nisi in certis inibi expressis casibus, & in illis vltra vnam dietam ad iudicium extrahatur, seu ne Iudices à Sede Apostolica deputati extra Ciuitatem vel diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alij vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dictis in Concilio generali edita, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, necnon quibusuis Apostolicis, ac in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, specialibus & generalibus constitutionibus & ordinationibus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem esset Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Hic Pont. literas Gregor. XIII. eius superueniente obitu non expeditas, validas & seruari mandat.

§. 3. Ne autem de absolutione, concessione, indulto, & decreto prædictis, pro eo quod super illis ipsius Gregorij prædecessoris, eius superueniente obitu, literæ confectæ non fuerant, valeat quomodolibet hæsitari, ac Congregatio, necnon etiam Clerici, Presbyteri, Superiores, & personæ huiusmodi illarum frustrentur effectu, volumus & similiter Apostolica auctoritate decernimus, quod absolutio, concessio, indultum, & decretum Gregorij prædecessoris huiusmodi, perinde à dicta die Id. Martij iuxta sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Gregorij prædecessoris literæ, sub eiusdem diei data confectæ fuissent, provt superius enarratur: Quodque præsentes literæ ad probandum plene absolutionem, concessionem, indultum, & decretum huiusmodi, vbique sufficiant, nec ad probationis alterius adminiculum requiratur.

Executores sunt deputati.

§. 4. Quocirca dilectis filiis Archipresbytero Ecclesiæ Mediolanen. & Vicarijs venerabilium fratrum nostrorum Papien. ac Lauden. Episcoporum in spiritualibus generalibus, per Apostolica scripta mandamus motu simili, quatenus ipsi vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios easdem præsentes literas, & in eis cõtenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Congregationis & Clericorum, Presbyterorum, Superiorum, & personarum prædictarum, aut pro eis agentium, fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra, Congregationem, ac Clericos, Presbyteros, Superiores, & personas, necnon pro eis agentes, prædictis concessione, indulto & decreto, aliisque præmissis iuxta earumdem præsentium continentiam & tenorem, pacifice frui & gaudere, non permittentes eos aut eorum aliquem desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari aut impediri. Contradictores quoslibet & rebelles, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo; ac legitimis super his habendis seruatis processibus, illos sententias, censuras, & pœnas huiusmodi incurrisse declarando; ac easdem censuras & pœnas, etiam iteratis vicibus aggrauando, & interdictum Ecclesiasticum apponendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, non obstantibus omnibus supradictis.

Sanctio pœnalis.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1585. Kalend. Maij, Pontificatus nostri Anno 1.

D. P. An. 1. die 1. Maij.

Innouatio omnium constitutionum à Romanis Pont. hactenus editarum, contra exules, bannitos, aliosque facinorosos homines, eorumque receptatores & fautores; & multarum impositio pœnarum in eosdem, necnon contra Communitates & alios, sua territoria eiusmodi scelestis hominibus expurgata, non custodientes. VI.

Digitized by Google

Quoad primam partem, extat in hoc opere conſtit. 8. *Pij II.* Ad retinendas. *ſup. conſtit.* 4. *Pauli II.* Viros. *conſtit.* 14. *Innoc. VIII.* Licet ea. *conſt.* 6. *Iulij II.* Cum homines. *conſtit.* 36. *Leonis X.* Omnes. *conſtit.* 10. *Clem. VII.* In ſancta. *conſt.* 17. *Iulij III.* Cum Ciuitates. *& conſt.* 25. Cum ſicut. *Et extat etiam Pij IV. conſt.* 27. In eminenti. *Pij V. conſtit.* 10. Ex ſupernæ. *& Gregor. XIII. conſt.* 65. In tanta. *tom.* 2. *Quo vero ad ſecundam partem, contra non cuſtodientes eorum territoria, habes ſup. in conſt.* 2. *Iulij II.* Quia. *& conſt.* 28. *Leon. X.* Romani. *tom.* 1. *necnon conſt.* 27. *Pij IV.* In eminenti. *& conſt.* 10. *Pij V. iam citatas lib.* 2.

Præterea aduerſus eiuſmodi perfidos homines, omneſque vindictam tranſuerſalem ſumentes, Paulus II. edidit d. conſt. 4. *Viros.* vbi notaui lib. 1. Provt contra minantes pro habenda pace, aliam edidit conſt. iam citatam Innoc. VIII. vbi dixi lib. 1. Necnon contra Franchitias in Vrbe tenentes vel acclamantes, habes ſup. conſt. 17. Iulius III. *Cum Canitates*; cum aliis ibi indicatis lib. 1. Et contra facientes caualcatam, habes infra conſt. 75. *Dum pro*, vbi alias notabo. Provt circa appellationes iſtorum in contumacia condemnatorum, notaui ſupra in conſt. 52. Pij IV. *Et ſi cuncta.* & in Pij V. conſt. 138. *Licet iuri.* Et tandem de prohibita eorum remiſſione, attende conſt. 15. Clem. VIII. infra lib. 3.

Edita A. D. 1585.

SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Cauſa huius conſt.

HOc noſtri Pontificatus initio, inter multa Reipublicæ damna & incommoda, quæ menti noſtræ obuerſabantur, nobis longe fuit grauiſſimum, quod Populos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ditioni temporali ſubiectos, non modo ad rerum ſubſtantiarumque ſuarum perturbationem & iacturam, ſed etiam vitæ periculum redactos inuenerimus, exulibus, bannitis, ceteriſque id genus facinoroſis hominibus, ita vndique ingruentibus & graſſantibus, vt vix quiſquam ab hac hominum peſte, tutus alicubi conſiſtere poſſe videatur. Quare cum ad hæc ſananda mala, ex officij noſtri debito, & præcipua erga noſtros, ac eiuſdem Romanæ Eccleſiæ ſubditos charitate aſſidue extimulemur, nihil non agere & tentare decernimus quo Populis optata quies, ſalus, ſecuritas & tranquillitas per nos reſtituatur. Quod ita demum, Deo auxiliante, ſperamus nos eſſe conſecuturos, ſi caute prouideatur, ne vllum, domi foriſque, intra extrave fines noſtros, criminoſis hominibus huiuſmodi pateat diffugium, aut receptaculum, ſed omnino Legum & Magiſtratuum ſecuritatem, iuſtitiæque gladium ſubire, ac debitas pœnas luere cogantur.

Confirmatio conſt. prædeceſſorum cum earum pœnis præterquã excommunicationis.

§. 1. Itaque de fratrum noſtrorum conſilio, omnes & ſingulas conſtitutiones à fel. record. Pio II. & Paulo etiam II. Sixto IV. Iulio ſimiliter II. Leone X. Clement. VII. Iulio III. Pio etiam IV. Pio V. Gregor. XIII. & quibuſuis aliis Rom. Pont. prædeceſſoribus noſtris, ſuo cuiuſque tempore, in deteſtabile prædictorum & aliorum infraſcriptorum hominum genus, pro temporis, & criminum ratione editas, cum omnibus & ſingulis in eis contentis, quoad ea quæ præſentibus non contrariantur, & excepta excommunicationis ſententia, per eaſdem conſtitutiones in illis contrauenientes promulgata, quam ne animarum perniciem potius quam ſalutem adferat, conſulto tollendam & ſubmouendam duximus, ex certa ſcientia noſtra approbantes & innouantes, illarumque omnium tenores, acſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis & inſertis haberi volentes.

Tu aduerte quod omnes iſtæ Bullæ ſunt à me indicatæ hic in rubr. præter vnam Sixt. IV. quæ eſt relata in præcit. conſt. 10. Pij V §. 3. & § 5. lib. 2.

Barones & Communitates eorũ territoria à bannitis, &c. libera cuſtodiant.

§. 2. Vniuerſis & ſingulis Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Domicellis, etiam quacumque Eccleſiaſtica dignitate fungentibus, necnon Vicariis, Feudatariis, Armorum ductoribus, Capitaneis, Magiſtratibus, Communitatibus, Vniuerſitatibus, & officialibus ciuitatum, terrarum, caſtrorum, oppidorum, & aliorum quorumcumque locorum prædictæ Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubiectorum, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, necnon duorum millium per Cõmunitates, & mille per Vniuerſitates, ac quinquemillium ducatorum auri Cameræ Apoſtolicæ irremiſſibiliter ipſo facto applicandorum per Dominos temporales, & alios prædictos abſque alia declaratione incurrendis pœnis (vltra alias in eorumdem prædeceſſorum noſtrorum literis contentas) diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus adhibita exactiſſima diligentia, de qua per publica documenta & alias probationes fidem faciant, eorum Ciuitates, terras, oppida, caſtra, villas, dominia, loca, & territoria omnia à perduellionibus homicidis, latronibus, viarum graſſatoribus, raptoribus, incendiariis, ſicariis, exitiis, publicæ quietis perturbatoribus, armatas facientibus, ſtatum Eccleſiaſticum hoſtiliter peragentibus, pro quocumque crimine capitali, etiam in contumaciam bannitis, aliiſque ſimilibus notoriis delinquentibus, & facinoroſis hominibus, etiam nondum condemnatis, eorumque fautoribus & complicibus, quos omnes, noſtros dictæque R.E. rebelles, ac publicos hoſtes eſſe decernimus, ſecura, libera, & expurgata cuſtodire, tenere, & præſeruare.

Vide ad hoc Bullam Pij V. & aliorũ cit. in 2. part. 2. rubr. & etiam hic infra.

Eoſq; capiant & officialibus Pontificis cõſignent, & capere non valentes perſequantur cõuocatis Dominis & Cõmunitatib. conuicinis.

§. 3. Necnon ſi quos ex ipſis eo accedere, vel commorari, ſeu ad prædicta loca declinare, vel illac pertranſire contigerit, ſtatim illos capere & apprehendere, ac ad carceres conducere, captoſque noſtris & pro tempore exiſtentium Romanorum Pontificum Magiſtratibus & Officialibus fideliter tradere & conſignare, populoſque ſuos pulſu campanarum, & aliis ſignis ad arma conuocare & coadunare teneantur. Quod ſi illos capere & apprehendere per ſeipſos nequiuerint, finitimas quaſque Communitates & Vniuerſitates, necnon Dominos temporales commonefaciant, & in auxilium conuocent, iunctiſque ſimul viribus eoſdem perduelliones, homicidas, latrones & alios prædictos forti manu, & inceſſanter quocumque ſe verterint, etiam extra proprium territorium, & iuriſdictionem ipſo proſequutionis actu, vſque ad vltimam eorum profligationem perſequantur, ac vt capiantur & apprehendantur, ſeu profligentur omnem operam adhibeant.

Et ad cauilloſas proponendas excuſationes non admittantur.

§. 4. Cumque veriſimile non ſit huiuſmodi hominum genus in occulto verſari, & eos qui ad cuſtodiam tenentur, ſi diligenter inuigilent, illorum notitiam non habere, neque tantam multitudinem eſſe poſſe, quin à dominis temporalibus, ac Communitatibus & Vniuerſitatibus prædictis vinci & opprimi queat, iuncto præſertim finitimorum auxilio, cauilloſæ excuſationes ſibi in poſterum nullo modo ſuffragentur.

Particulares perſonæ contra bannitos, &c. arma capiãt, & aſſecurent.

§. 5. Particulares vero perſonæ cuiuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentes, ſub quingentorum ducatorum ſimiliter eidem Cameræ ipſo facto applicandorum, aliiſque corporalibus, etiam vltimi ſupplicij incluſiue, Gubernatorum & Officialium prædictorum arbitrio, iuxta cuiuſcumque perſonæ & culpæ qualitatem, extendendis pœnis, cum primum campanæ ſonitum, aliaue ſigna, populum aduerſus dictos facinoroſos homines conuocantia audiuerint, vel alia, de illis quomodolibet notitiam habuerint, arma capere, & ad locum neceſſarium accurrere, ac vna cum aliis, & per ſeipſum omnem conatum in perſequendis, capiendis, & profligandis bannitis, aliiſque nefariis hominibus prædictis adhibere teneantur.

Executoribuſque iuſtitiæ ſe opponãt, vel reſiſtant, ſed armata manu ſubueniant.

§. 6. Præterea ſub eiſdem pœnis, omnes & ſinguli prædicti, tàm in Vrbe quàm extra eam, ad quamcumque Curiæ, ſeu miniſtrorum & executorum iuſtitiæ, vel cuiuſque eorum ſimplicem requiſitionem, ac etiam nulla requiſitione præuia, ſi aliquãdo ipſos reſiſtere, vel ſeſe opponere ſeu aliquod impedimentum adferre, eoſve ad aliquam executionem faciendam auxilio egere quoquomodo cognouerint, eiſdem Curiæ miniſtris & executoribus, opem & fauorem, armata etiam manu conferre & ſubuenire, ac præſto eſſe, & denique obedire, eoſque ſi opus fuerit in perquiſitione, executione, permanſione, tranſitu & aliis præmiſſis comitari debeant.

Barones & Communitates facinoroſos nõ

§. 7. Inſuper ſtatuimus & ordinamus, vt ſi qui ex perduellionibus, homicidis, latronibus, furibus, & aliis facinoroſis

Digitized by Google

capitales, vltra alias panas, ad damna reficienda adstringuntur.

Vt ad hoc vide bullas supra cit. in 2. par. 1. rubr.

facinorosis hominibus prædictis, in Ciuitatibus, terris, oppidis, castris, villis, dominiis, locis, & territoriis huiusmodi damna aliqua intulerint, seu furtum aut latrocinium commiserint, nec capti & deprehensi fuerint, sed impune euaserint, Domini temporales, seu Communitates, Vniuersitates, nobis & Sedi Apostolicæ mediate ac immediate subiecti, in quorum locis, territoriis & iurisdictionibus respectiue similia perpetrata fuerint, præter hoc quod ad damnorum quorumcumque sic illatorum parti læsæ, damnaque huiusmodi patienti, ac eorum hæredibus plenariam restitutionem & satisfactionem omnino teneantur, ad tantumdem etiam quantum damna illata extimata fuerint, Cameræ prædictæ realiter & cum effectu persoluendum eo ipso sint adstricti, ac alias prout latius continetur in aliis literis dicti Pij V. prædecessoris, contra Dominos, ac Communitates, & Vniuersitates, eorum territoria non custodientes editis, quas firmis tamen remanentibus aliis supra, & infrascriptis pœnis, tenore præsentium etiam innouamus.

Barones & alij maiores an. 14. & S. R. E. mediate & immediate in temporalibus subiecti in statu & extra auxiliantes, aut eosdē bannitos receptantes vel eorum persecutionem impedientes pœnas hic descriptas incurrant.

§. 8. Duces quoque, Principes, Marchiones, Comimites, Barones, Domicellos, Vicarios, Feudatarios, Gubernatores, Magistratus, Ductores, Capitaneos, & Officiales prædictos, necnon quoscumque alios cuiuscumque etiam Ecclesiasticæ dignitatis, conditionis, status, gradus, ordinis, excellentiæ, sexus & ætatis dummodo decimum quartum illius annum excedant, huius status & iurisdictionis nostræ temporalis, ac prædictæ Romanæ Ecclesiæ in eisdem temporalibus mediate vel immediate subiectos etiam dominia, iurisdictiones & loca extra statum prædictum obtinentes, qui perduelliones, homicidas, latrones, & alios nefarios homines prædictos in suis quisque dominiis, terris, oppidis, castris, fortalitiis, villis, locis, territoriis, seu domibus, tàm in ipso statu quàm extra eum consistentibus receptauerint seu confouerint, aut quod in illis recipiantur, vel confoueantur quoquomodo permiserint, seu ne ij capiantur impediuerint, vel captos eripuerint, seu occultauerint, aut illis potestatem seu commoditatem euadendi fecerint, vel carcerem, aut aliam quamcumque custodiam effregerint, inuaserint, aut quoquomodo violare tentauerint, siue ad hoc homines, vel arma, aliaue ministrauerint, siue alias auxilium, consilium vel fauorem, palam vel in occulto, per se vel alium seu alios quoquomodo, etiam extra territoria, iurisdictiones & domos proprias præstiterint, seu præstare permiserint, vel etiam quoscumque Iudices, ministros, aut executores iustitiæ in perquisitione, captura, vel abductione, ac omnino in eorum officij libera executione, siue in Vrbe, siue extra vbique locorū impediuerint seu verberauerint vel insecuti fuerint, aut concusserint, seu minis vel alias perterrefecerint, aut ad arma conclamauerint, aliosque concitauerint, seu talia fieri mandauerint, facientibus adhæserint & fauerint, seu alicuius Magnatis nomen auxilij causa aduersus Curiam, executores & ministros prædictos inuocauerint, seu franchisias appellauerint (contra quas aliam constitutionem dicti Gregorij prædecessoris desuper editam similiter innouamus acrioribus etiam remediis in dies vsuri pro huiusmodi Asylis, præsertim in dicta Vrbe tollendis, & omnino extirpandis) læsæ maiestatis reatum, ac nulla iuris aut hominis fictione confictum crimen incurrisse, & eiusdem Romanæ Ecclesiæ rebelles, omnibusq; & singulis priuilegiis, gratiis, libertatibus, indultis, exemptionibus, immunitatibus, realibus & personalibus, necnon Ducatibus, Principatibus, Marchionatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, terris, oppidis, castris, dominiis, vicariatibus, guberniis, locis, iurisdictionibus, dignitatibus etiam Ecclesiasticis, honoribus, iuribus, officiis, pensionibus, beneficiis, & fructibus Ecclesiasticis, ac etiam quibuscumque feudis & concessionibus, quæ à Rom. prædicta, & quibuscumque aliis Ecclesiis obtinent, & in futurum obtinebunt, ceterisque etiam immobilibus, mobilibus, & se mouentibus bonis, iuribus, & actionibus, eo ipso priuatos, ipsosque & illorum filios ad illa, & quælibet alia in posterum obtinenda, ac quoscumque actus legitimos exercendos inhabiles & indignos fore atque esse; Necnon à toto Statu Ecclesiastico, vna cum eorum familiis perpetui exilij pœna damnari, domosque, ædificia, arces, & fortalitia eorumdem demoliri, & solo æquari, seu aliis dictæ Cameræ iuribus adscribi debere, nec illis portam vllius dignitatis, Ecclesiasticæ vel mundanæ vmquam patere decernimus & declaramus. Vassallos vero, Custodes, Capitaneos, Officiales, Populos & subditos eorumdem, à fidelitatis iuramento, ac homagij, & quocumque alio iure, quo ipsis quomodolibet adstricti fuerint, ex nunc penitus absoluimus & liberamus. Ducatus autem, dominia, vicariatus, gubernia, feuda, ciuitates, terras, oppida, castra, ceteraque bona prædicta, necnon iura & actiones, cum fructibus & emolumentis eorumdem, Fisco nostro & Cameræ prædictæ ipso facto absque aliqua declaratione, citatione, Iudicis sententia, seu decreto, vel alia iuris & facti solemnitate habenda, etiam in præiudicium filiorum descendentium, & aliorum quorumcumque agnatorum in inuestituris, concessionibus, seu aliis dispositionibus comprehensorum, in omnibus, & per omnia, perinde ac si per lapsum temporis illorum concessionis, & finiram lineam ad ipsam Cameram rediissent, seu deuoluta essent, confiscamus, applicamus, & incorporamus, illaque sic nobis, & pro tempore existentibus Romanis Pontificibus & Cameræ prædictæ aperta, deuoluta, confiscata, applicata, & incorporata sub constitutione eiusdem Pij V. prædecessoris de huiusmodi dominiis & iurisdictionibus in feudum, aut alias non concedendis minime comprehendi etiam declaramus. Necnon quæcumque fideicommissa, substitutiones, & alias dispositiones sub quacumque verborum forma, etiam cum expressa alienationis prohibitione, aliisque strictissimis clausulis & cautelis conceptas, ad hoc vt fructus bonorum huiusmodi fideicommissis subiectorum durante vita naturali delinquentis, etiam in contumaciam in prædictis causis condemnati, Fisco applicentur, & in dictæ Cameræ vsum conuertantur, proprietatesque dictorum bonorum quamdiu ipse delinquens naturaliter vixerit per fiscum & Cameram huiusmodi possideantur & detineantur, tollimus & abrogamus.

Hæc const. Pij V. est sup.

Hæc bulla Gregor. XIII. est sup. nu. 12. Et ipsa ratio, lib. 2.

Communitates eos tolerantes, eosdem pœnas incurrunt.

§. 9. Ad hæc, Communitates & Vniuersitates huiusmodi, si homines facinorosos prædictos receptauerint, tolerauerint, cibis, commeatu, auxilio, consilio, vel fauore, aut quocumque alio modo, etiam vt euadant, per se vel alios iuuerint, omnibus pœnis suprà dictis supponimus, eorumque res & bona omnia, necnon fructus & emolumenta eidem Fisco, modo & forma præmissis applicamus & appropriamus.

Particulares autē eos capere nō valentes illico propalare & comicios conuocare debent.

§. 10. Particularibus autem hominibus, qui ad facinorosos prædictos capiendos & apprehendendos, iustitiæque ministris tradendos sufficientibus viribus fuerint destituti, nisi eosdem illico propalauerint, officialesque populos, & finitimos, ita vt nullo modo euadant; conuocauerint.

Scientes in præmissis aliquē esse culpabilē, reuelare tenentur.

§. 11. Ac demum iis, qui aliquem in præmissis culpabilem sciuerint, nec nobis vel successoribus nostris, seu alicui per quem ad nos vel dictos successores fideliter deferatur, intra trium dierum spatium reuelauerint, pœnam arbitrio Iudicis pro modo culpæ, etiam vsque ad mortem inclusiue infligendam statuimus.

Iudices procedant etiā per inquisitionē, &c.

§. 12. Decernentes super omnibus & singulis præmissis per accusationem, delationem, inquisitionem, & quouis alio meliori modo procedi posse.

Priuilegia de non consignādis bannitis reuocantur.

§. 13. Ac quæcumque vetusta priuilegia, siue exemptiones, etiam immemorabiles, vel alias quascumque prætensiones, de recipiendis, & non consignandis huiusmodi bannitis, & aliis facinorosis hominibus, nemini contra præsentium tenorem suffragari, etiam si de eis specialis & individua mentio facienda esset.

Receptat. non excusātur prætextu agnationis, vel cōsanguinitatis, aut non dolosa receptionis.

§. 14. Neque receptatores, fautores, auxiliatores, consultores, & alios quoscumque, præsentibus nostris ac prædecessorum nostrorum literis, vt præfertur, approbatis & innouatis quomodolibet contrauenientes quocumque prætextu, etiam agnationis, & cuiuscumque consanguinitatis, etiam in primo gradu, aut vnice, & non dolose & penitus inculpate, nec ad malum finem receptionis vllatenus excusati, cum beneficium publicum sit priuatæ necessitudini præferendum, nec dolus absit ab eo, qui ipsis nefariis hominibus, & publicis inimicis quoquomodo se amicum præstat, genusque

Digitized by Google

hominum huiuſmodi facile cognoſcatur. Eum quoque qui ſeſe vi & metu, ad manifeſtum & inſtans vitæ periculum euitandum, de quo tamen per legitimas probationes docere teneatur, eis receptum dediſſe, ſiue victum, & alia præſtitiſſe aſſeruerit, nequaquam excuſari, niſi quamprimum ſe ſubripere, vel alios transmittere potuerit, nulla interpoſita mora, de tranſitu vel ſtatione dictorum facinoroſorum hominum vicinum locum, illiuſque Magiſtratus & officiales certiorauerit.

Clauſ. derog. §. 15. Sicque per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari & definiri debere, necnon irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum dep. & facul. §. 16. Et nihilominus, vt præmiſſa ſuum debitum (provt ex intimo cordis affectu exoptamus) conſequantur effectum, Dilectis filiis eiuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, Vrbis Gubernatori, cauſarum Curiæ Cameræ prædictæ generali Auditori, necnon Prouinciarum noſtrarum legatis, de quibus plurimum confidimus, ac Vicelegatis & Præſidibus, Ciuitatumque & aliorum locorum prædictorum Rectoribus & officialibus, ac ceteris omnibus ſingularum conſtitutionum & literarum prædictarum executoribus ſimiliter in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ pœna per Apoſtolica ſcripta mandamus, vt quiſque pro ſe ad omnimodam præſentium, ac aliarum literarum & conſtitutionum prædictarum, necnon pœnarum omnium in eis contentarum executionem omnino procedentes, illas omnes, & in eis contenta quæcumque ſemper & vbique per omnia loca prædicta, ac ab omnibus ſub illis comprehenſis inuiolabiliter obſeruari. Capitaleſque ſententias prædictas à iuſtitiæ miniſtris abſque alicuius irregularitatis incurſu exequi mandent & faciãt, ac pro executione pœnariarum pecuniarum contra Communitates, Vniuerſitates, dominos temporales & alios prædictos propter eorum inobedientiam repreſalias concedant, realiterque & irremiſſibiliter dictas pœnas pecuniarias exigant.

Clauſule derogat. §. 17. Non obſtantibus fideicommiſſis, inueſtituris, conceſſionibus, ſubſtitutionibus, teſtamentis, & aliis diſpoſitionibus, necnon priuilegiis, exemptionibus, ac aliis præmiſſis, quorum omnium tenores, acſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus haberi volumus pro expreſſis inſertis, necnon omnibus quæ in ſingulis literis prædictis conceſſum eſt non obſtare; ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Hortatio ad principes extra ſtatum Eccleſiaſticũ, temporalem iuriſdictionem habentes, vt bannitos non aſſe iuent, ſed capiant, & remittant. §. 18. Rogamus quoque & hortamur attente in Domino, omnes & ſingulos quamcumque iuriſdictionem temporalem extra Statum Eccleſiaſticum prædictum exercentes, etiam Regia, Ducali, vel alia quacumque mundana vel Eccleſiaſtica auctoritate, ſuperioritate & excellentia fungentes, velint pro ſua, in nos & hanc ſanctam Sedem Apoſt. deuotione & obſeruantia, reique ipſius æquitate prouidere, ne poſthac in prouinciis, dominiis, & locis ſuis perduelliones, homicidæ, & alij facinoroſi prædicti vllo modo recipiantur, aſſecurentur, vel tuti reddantur; quinimo ſi ipſos ad illa declinare, aut ibidem reperiri contigerit, per ſuos iuſtitiæ miniſtros & executores capi & apprehendi, ac ad Præſides & Gubernatores Prouinciarum & locorum noſtrorum, vnde ipſi originem traxerint, vel delictum commiſerint, libere conduci & remitti, eiſque conſignari mandent & procurent. Ac quoſcumque ſaluos conductus, & alias aſſecurationes reuocent & annullent, provt nos vice verſa idipſum contra huiuſmodi facinoroſos homines à dictis eorum prouinciis & dominiis bannitos, fieri & obſeruari curabimus; ſperantes hac optima ratione omnino futurum, vt eiuſdem R. E. & cuiuſque eorum ditionis, ſtatus, annuente Domino, expurgetur, Populique nobis & illis ſubditi, pacis & tranquillitatis dulcedine fruantur.

Forma, & affixio publ. huc conſt. §. 19. Vt autem præſentes literæ omnibus innoteſcant, & ne quiſquam illarum ignorationẽ allegare poſſit, iubemus illas valuis Eccleſiæ S. Ioannis Lateranen. & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ appendi, eiſque dettactis illarum exempla, etiam impreſſa in eiſdem locis affixa relinqui, factaque hniuſmodi publicatione volumus ipſas præſentes hic in Vrbe publicatas die ſequenti, extra eam vero poſt decem dies quoſcumque perinde arctare atque afficere, ac contrafacientes, pœnas & alia ſupradicta omnino incurrere, acſi eis ſingulis præſentibus in propriis eorum perſonis & locis intimatæ fuiſſent.

Fides exemplorum. §. 20. Inſuper earumdem præſentium exempla, etiam impreſſa, Notarij publici manu, & Camerarij prædicti, aut alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo obſignata, eamdem prorſus fidem vbique locorum in iudiciis, & extra illa facere, quæ ipſæmet præſentes facerent, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Communitates publicent hanc conſt. in eorum publicis conſiliis, in Archiuio cuſtodiant, & quolibet anno eam cum aliis hic nominatis in publico cõſilio recitent. §. 21. Necnon quod quælibet Communitas, Vniuerſitas & Populus quarumcumque Ciuitatum, Oppidorum, Caſtrorum & locorum prædictorum, ſub indignationis noſtræ, ac mille ducatorum dictæ Cameræ applicandorum pœnis per contrafacientes eo ipſo incurrendis, ſtatim cum præſentes literæ noſtræ huiuſmodi, ſiue earum tranſumptum etiam impreſſum ad eorum notitiam peruenerit, conuocato publico conſilio, in præſentia officialium, ſyndicorum, & curam maleficiorum habentium, eas vna cum aliis prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus, ſic vt præfertur, confirmatis & innouatis, ibi alta & intelligibili voce, etiam vulgari ſermone illas declarando, vt melius & facilius ab omnibus percipi & intelligi poſſint, legi facere, & deinde in eorum Archiuio publico diligenter cuſtodiri curare omnino debeant, ac ſingulis annis ſucceſſiue in principio cuiuſlibet anni perpetuis futuris temporibus ſimiliter eaſdem literas præſentes, & alias innouatas in eodem publico conſilio legendo reiterare teneantur. Alioquin loci Gubernator & Rector, & quilibet alius iuſtitiæ miniſter quocumque nomine nuncupatus, contra eos ad executionem pœnarum huiuſmodi, ſine mora irremiſſibiliter procedat.

Quod voluit etiam Pius V. ſup. in eius conſt. cit. in rub.

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1585. Kal. Iulij, Pontificatus noſtri Anno 1. *Dat. P An. I. die 1. Iulij.*

Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. *Papæ ſubſcr.*

Cardd. ſubſcriptiones.

Ego Alexan. Farneſius Epiſcopus Oſtien.
Ego Io. Anton. Epiſc. Tuſc. Card. S. Georgij.
M. Card. ab Altaemps.
Ego In. Aua. Card. de Arag.
Ego P. Card. Sanctacrucius.
Ego Gulielm. Sirletus Card.
F. Mic. Card. Alex.
Ego Lud. Card. Madrutius.
Ego N. de Pelleue Card. S. Praxedis.
Iul. Ant. Sanctorius Card. S. Seuerinæ.
P. Card. Cæſius.
Ego Carolus Card. Rambouilettus.
Ego Hier. Card. Ruſticucius.
Io. Hier. Card. Albanus.
Ego Phil. Boncom. Card. S. Sixti M. P.
Ego Hier. Card. Simoncellus.
P. Card. Deza.
Ego Ant. Card. Carafa.
Io. Ant. Car. SS. Quatuor.
Ego Io. Bap. Card. S. Marcelli.
Ego Aug. Card. de Verona.
Ego Vin. Card. Montis Regalis.
Ego M. Preſb. Card. S. Stephani in Monte Cælio.
Scipio Card. Lancelottus.
Ego Aloyſius Card. Eſten.
Ego Fer. Card. de Medicis.
Phil. Vaſt. Card. Cam.
Ego Carol. à Lotharingia Card. Vademontanus.
Ego Vincen. Card. Gonzaga.
Ego Franciſcus Card. Sfortia S. Georgij.
Alex Card. de Montealto.

Publicatio. *Anno à natiuitate Domini* 1585. *Indictione* 13. *die vero quinto menſis Iulij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto*

Digitized by Google

Christo patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno primo, retroscripta litera Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis seu portis Ecclesiarum Sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, necnon valuis Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Ioan. Gauce, & Nicolaum Tagliettum S.D.N. Papæ Apost. Curs.

Ioannes Freile Mag. Curs.

VII. Quod Festum Presentationis B. Mariæ Virginis die vigesimaprima mensis Nouembris duplici officio celebretur.

Edita A. D. 1585.

SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

B. Virginem quam Angeli admirãtur in Cœlo, hic Pontif. in terris venerari studet.

INtemeratæ Matris Dei MARIÆ, ex cuius purissimis visceribus, salua per Spiritus Sancti virtutem integritate virginitatis, auctor vitæ nasci dignatus est, salutiferam fœcunditatem humiliter veneramur, & quæcumque vltimis Orientis adhuc Ecclesiæ, aliisque temporibus à Sanctis Patribus in eius honorem instituta fuerunt, nostræ imbecillitatis ope tueri, atque augere, & si quid fuerit prætermissum, ipsa adiuuante quæ supra Choros sedet Angelorum, renouare studemus, vt spiritualium gaudiorum crebritate deuota nobiscum plebs lætetur, & cuius splendorem Angelici cœtus admirantur in Cœlis, eius in terris per sacras festiuitates recolendæ, laudandæ, atque inuocandæ pia memoria non prætermittatur. Aliis igitur celebritatibus perpetuæ Virgini, quæ ab æterno præparata, & Propheticis testificationibus prænunciata, nondum tamen Mater Dei Angelo nunciante fuerat effecta, à catholica Ecclesia consecratis, eiusdem quoque quæ Templum Dei futura erat, & Sacrarium Spiritus Sancti, in templum Præsentationem ab antiquissimis vsque temporibus summa vbique gentium cum veneratione obseruatam adscribi volumus, & sicubi intermissa est, restitui, ac iugiter custodiri.

Ideo eius Præsentationis festum celebrari mandat.

§. 1. Quare hac perpetua constitutione mandamus, vt Præsentationis B. Mariæ semper Virginis festus dies vndecimo Kal. Decembris, per omnes totius Orbis Ecclesias duplici officio, provt in Natiuitatis die, sumpto Præsentationis vocabulo peragatur, idemque in Kalendario cum duplicis adiectione inseratur.

Iussio public. & obseruãdi.

§. 2. Præcipientes omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque Ecclesiarum Prælatis in vniuersi Orbis ambitu constitutis, vt in suis quisque Ecclesiis, Prouinciis, Ciuitatibus & Diœcesibus præsentes nostras solemniter publicari faciant, ab omnibusque Ecclesiasticis personis, sæcularibus & quorumuis Ordinum regularibus omnino obseruari, licet adnotatio huius celebritatis in postremis Breuiarij & Missalis reformationibus fuerit prætermissa.

Fides exemplorum.

§. 3. Volumus quoque vt præsentium exemplis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides vbique adhibeatur quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 1. 1. Septemb.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1585. Kalend. Septembris, Pontificatus nostri Anno 1.

VIII. Quod Festum S. Francisci de Paula, Ordinis Fratrum Minimorum institutoris, singulis annis die secunda mensis Aprilis duplici officio celebretur.

Canonizationem huius Sancti, habes sup. in Leonis X. const. 38. Excelsus. *Et de dicto eius Ordine attende const. 5. Sixti IV.* Sedes.

Edita An. D. 1581. B. Franciscus de Paula, multis virtutibus, & miraculis clarus.

SIXTVS EPISCOPVS *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

IN cœli throno qui sedet rex omnipotens, terramque scabellum pedum suorũ calcat, supremo è solio pusillorum seruorum respicit humilitatem, eosque in quib. illa elucet ad excelsa sublimium honorum, & gaudiorum culmina extollit. Quod in Sanctis suis omni tempore demonstrauit, recenti vero patrum nostrorum memoria in B. Francisco de Paula, ample testificari dignatus est. Is enim ab ineunte ætate cœlestium rerũ amore incensus ex minimo, qualem se in Dei hominumq; conspectu fecerat magnus euasit: interque alia, quibus claruit virtutum ornamenta, vnam mirificè amplexus est Regi regum semper acceptam humilitatem, quam sicuti nouerat primum ingressum fuisse Christi Saluatoris nostri in mundum, ita in angusto ad pietatem & sanctitatem introitu, patefaciendo primam sibi, & ducem, & sociam asciuit. Hac atque aliis diuinæ gratiæ præsidiis Beatus Confessor munitus, apud magnos Principes & Reges, cum adhuc in mundo, quasi hospes, peregrinaretur. In patria vero cœlestes inter choros post absolutam peregrinationem à Deo, cui fideliter seruierat, seque in primis humiliauerat, est exaltatus, magnasque virtutes, vt etiam in vita cum summa omnium qui viderunt vel audierunt admiratione, meruit operari.

Ordinem FF. Minimorũ instituit, vt habetur sup. in const. Sixt. IV. eius in rubr.

§. 1. Quibus virtutibus Fratrum Minorum congruente suæ humilitatis denominatione, Ordinem, quem viuens instituerat, mirum in modum auxit, ita vt ex sancti viri imitatione deuotisque Fratrum ipsorum studiis multis iam in Italia, quæ de eius natiuitate, atque in Gallia quæ de sancta obdormitione in Domino gloriantur, totiusque Christiani orbis regionibus ædificatis templis cœnobiisque constructis, eius memoria in die magis propagetur.

Leo X. illum canonizauit vt in bulla eius in rubr.

§. 2. Ipse autem à felic. rec. Leone Papa X. prædecessore nostro, sanctorum, quos catholica veneratur Ecclesia, catalogo solemni ritu adscriptus, in cœlo pro ipsa semper Ecclesia assiduisque Pastoralis seruitutis, & solicitudinis nostræ laboribus apud Deum, vna cum omnibus Sanctis, & sibi cognomine atque æternæ felicitatis consorte B. Francisco, Ordinis Fratrum Minorum fundatore intercedit.

Hic modo Pontifex eius festum duplici officio celebrari iubet.

§. 3. Quare nos eius nomen & sanctitatem, dignis, quantum nostra patitur infirmitas, honoribus decorare volentes, hac præsenti constitutione mandamus, vt eiusdem Beati Francisci de Paula confessoris glorioſi dies festus, qui Quarto Non. Aprilis peragitur, duplici posthac & proprio, & vbi propria non erunt, de Communi Confessorum non Pontificum officio, per cunctas totius Christiani orbis Ecclesias, quotannis celebretur, & in Calendario cum duplicis festi adiectione inscribatur.

Obseruariq; mandat & promulgari.

§. 4. Præcipientes omnibus Patriarchis, Archiepiscopis Episcopis, ceterisque Ecclesiarum Prælatis in vniuerso tetrarum orbe constitutis, vt faciant in suis quisque Ecclesiis, prouinciis, Ciuitatibus & Diœcesibus, præsentes nostras solemniter promulgari, & ab omnibus Ecclesiasticis personis sæcularibus, & quorumcumque Ordinum regularibus omnino obseruari.

Exemplis bulla credi præcipit.

§. 5. Volumus quoque, vt præsentium exemplis, etiam impressis, manu Notarij Publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 1.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, Pont. nostri anno 1.

IX. Renouatio Studij generalis in Ciuitate Firmi Status Ecclesiastici, olim à Bonifacio VIII. instituti, cum priuilegiis & indultis aliorum Studiorum generalium.

Quoad Lectores & Scholares Studiorum eiusmodi, vide etiam Conc. Trid. cap. 1. sess. 5. & const. 88. Pij IV. In sacrosancta. *sup.*

Edita An. D. 1585.

SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

MVneris nostri debito incumbit vt ad ea propensiori cura intendamus, per quæ literarum studia propagentur, Studiorumque generalium Collegia & Vniuersitates, vnde scientia ipsa, & præsertim iuris vtriusque

Digitized by Google

que prudentia, sine qua Respublica rite administrari nequiret, & per quam iustitia vndique colitur, & omnis prosperitas humanæ eruditionis augetur, instituantur, & his quæ propterea à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, Ciuitatibus, illarumque Ciuibus & personis, præsertim nobis & Sedis Apostolicæ temporali ditioni subiectis, prouide processerunt, vt firma, perpetua, & illibata persistant implementum auctoritatis nostræ libenter impertiamur, illaque nonnumquam innouemus, aliasque desuper disponamus, provt ciuitatum & hominum prædictorum, singularis erga dictam Sedem deuotio, & merita exposcunt atque requirunt, & nos conspicimus in Domino salubriter expedire.

Bonif. VIII. in Ciuitate Firmi status Ecclesiastici, studium generale erexit ad instar studij Bononiensis, vt sup. in eius const. 8. In suprema.

§. 1. Sane cum sicut accepimus, alias postquam fel. rec. Bonifacius Papa VIII. prædecessor noster, certis, tunc expressis causis adductus, ac supplicationibus dilectorum filiorum tunc existen. Communitatis & hominum nostræ tunc suæ Firman. inclinatus, per quasdam statuerat & ordinauerat, &c.

Residuum omittitur, quia tota bulla est sup. cit. hic in margine.

Calliſtus III. prædicta confirmauit die 26 Iun. 1455 sed eius bullã volens prætermiſi.

§. 2. Piæ memoriæ Calliſtus Papa III. etiam prædecessor noster, per alias suas literas inter alia statutum & ordinationem Bonifacij prædecessoris huiusmodi, ita vt ipsi Communitas & homines Firmani, Studium generale in Ciuitate prædicta retinere valerent, approbauerit & confirmauerit, provt in singulis literis prædictis plenius continetur.

Communitas Firmana pro huius Studij renouatione Papa supplicauit, cum prius ad hoc ampla cõstruxerit ædificia, & annuum redditum assignauit.

§. 3. Et licet studium generale huiusmodi in dicta Ciuitate Firmana, vigore dictarum literarum eatenus introductum fuisse credatur, tamen temporum iniuria, vel ex quauis alia causa, illud intermissum seu extinctum esse reperitur ad præsens. Vnde Communitas & homines prædicti per dilectos filios Sigismundum Tostum, & Cæsarem Octinellum, Ciues Firmanos, Vtriusque Iuris DD. ad nos ab eis ad effectum infrascriptum destinatos Oratores, quos libenter vidimus, & benigne audiuimus, nobis exponi curarunt, quòd ipsi dictum generale Studium in prædicta Ciuitate restitui, seu institui & stabiliri cupientes, sumptuosa quædam ædificia publica, valde ampla & capacia, ac ad hoc commoda, in platea dictæ Ciuitatis consistentia, animo & intentione Theologiam, & vtriusque iuris prudentiam ac medicinam, philosophiam, aliasque artes liberales, & quasuis licitas facultates, per viros eruditos ibidem legi, doceri & interpretari faciendi, destinauerint & assignauerint. Et pro manutentione pro tempore existentium Rectoris & Lectorum Vniuersitatis Studij generalis huiusmodi, aliorumque exinde incumbentium onerum supportatione, annuum redditum duorum millium scutorum ex propriis prouentibus & iuribus ad eosdem Communitatem & homines legitime spectantibus, applicauerint & appropriauerint.

Hic modo Pũt. dispositiones Bonifac. VIII. & Calliſt. III. approbat.

§. 4. Nos qui eidem Ecclesiæ Firmanæ, dum Cardinalatus honore fungebamur, ex dispensatione Apostolica præfuimus, dignum, & rationi consentaneum censentes, vt postquam diuina Maiestas nos ad summi Sacerdotij fastigium euexit, nostri in eosdem nobis benemeritos grati, beneuoli animi affectus, quos possumus, non libenter modo sed etiam liberaliter addamus, ita quod in dicta Ciuitate, quam singularis beneuolentiæ affectu complectimur, & in qua vnum insigne Collegium vtriusque iuris Doctorum ab immemorabili tempore institutum extitit, vnam vniuersitatem Studij generalis instituí, Collegiumque prædictum structuris atque ædificiis capacioribus pro Congregationibus, sessionibus, deambulationibus, aliisque officiis necessariis construi & ampliari, ipsosque Communitatem & homines, specialibus fauoribus & gratiis prosequi volentes, ac Communitatis & hominum huiusmodi singulares personas, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon literarum Bonifacij & Calliſti prædecessorum huiusmodi, tenores etiam veriores, ac dat. præsentium pro expressis habentes, eorumdem prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo, Motu proprio, non ad ipsorum Communitatis, & hominum vel alterius pro eis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas Bonifacij & Calliſti prædecessorum huiusmodi literas, omniaque & singula in illis & earum singulis contenta, quoad ea quæ infrascriptis, ac decretis Concilij Tridentini non repugnent, Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus & confirmamus, ac etiam illa innouamus, omnesque & singulos, tam iuris quam facti, ac solemnitatum etiam substantialium, & quoscumque alios defectus, siqui interuenerint in eisdem, supplemus.

studiumque prædictum innouat.

§. 5. Et insuper in ipsa ciuitate Firmana, vnam Vniuersitatem Studij generalis, in qua aliqui Magistri & Doctores, seu alij docti & eruditi professores, Theologiam, Ius canonicum & ciuile, medicinam & artes liberales, necnon alias quascumque licitas facultates, publice legant, doceant, & interpretentur, & quicumque scholares, siue laici siue clerici, sæculares vel quorumuis etiam Mendicantium Ordinum regulares, vbicumque oriundi, & vndecumque aduenientes, in eisdem facultatibus studeant; necnon illis qui catholici, & ad id idonei reperti fuerint, Baccalaureatus, Licentiaturæ, doctoratus & magisterij, ac alij cuiuslibet licitæ facultatis, gradus, & insignia conferantur & concedantur; cum arca, sigillo, & aliis insignibus Studij generalis, ad instar Bononien. Paduanen. Perusien. Senen. & Maceraten. ac aliarum quarumcumque Vniuersitatum Studiorum generalium, tam in Italia quam extra eam consistentium, auctoritate & tenore præfatis, perpetuo erigimus & instituimus.

Illiq; sic innouato, eiusque personis ac ibi promotis, priuilegia omnia aliorum Studiorum generalium concedit.

§. 6. Illique sic erecto & instituto, ac eius pro tempore existen. Rectori, Magistris, Doctoribus, Professoribus, Lectoribus, Præceptoribus, Scholaribus, Bidellis, nunciis, ac aliis Officialibus, Ministris & personis, necnon ibidem ad quoscumque gradus promotis, quod omnibus & singulis, ac quibuscumque priuilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, prærogatiuis, antelationibus, præeminentiis, fauoribus, honoribus, dignitatibus, concessionibus, indultis, & aliis vniuersis gratiis, spiritualibus & temporalibus, quibus Bononien. Paduanen. Perusien. Senen. & Maceraten. ac quæcumque aliæ Vniuersitates, tam in Italia quam extra eam consistentes prædictæ, illarumque pro tempore existentes, Rectores, Magistri, Doctores, professores, Lectores, Præceptores, Scholares, Bidelli, Nuncij, ac alij officiales, Ministri & personæ, necnon ibidem ad quoscumque gradus promoti, de iure vel consuetudine, aut ex priuilegiis & concessionibus Apostolicis & Imperialibus, necnon Conciliis, generalibus seu vniuersalibus, prouincialibus & synodalibus, ac alias quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri & gaudere possent, & poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter & æque principaliter, absque vlla prorsus differentia, vti, potiri, & gaudere, perinde acsi ei specialiter, nominatim & expresse concessa fuissent.

De Studio Vrbis, vide sup. in bulla 9. Bonifac VIII. & de Studio Perusino est sup. const. 2. Clem. V. & de Maceraten. est supra const. 22. Paul. III.

Doctorandiq; formam præscribit.

§. 7. Præterea illis qui in ipsa Vniuersitate Studij generalis Firman. vel alibi studuerint in Theologia, ac vtroque, vel altero iure, & medicina, necnon artibus liberalibus, aliisq; facultatibus prædictis, Baccalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratus & Magisterij, ceterosque omnes solitos gradus, si per Magistros vel Doctores illius facultatis in qua voluerint promoueri, ad hoc præsentati, & debito præuio examine, assistentibus ibidem aliquibus Doctoribus seu Magistris in eadem facultate ibi legentibus, vel de gremio prædicti Collegij Doctorum ipsius Ciuitatis Firmanæ existentibus, desuper facien. ac alias seruatis seruandis idonei reperti fuerint, & pro tempore Episcopo Firmano, seu eius Vicario in spiritualibus generali, aut quocumque alio, quem ad hoc ipse Episcopus duxerit deputandum, dicta vero Ecclesia Firmana pro tempore Pastore carente, ab eo qui per Capitulum Ecclesiæ Firmanæ huiusmodi deputatus fuerit, emissa prius per promouendos huiusmodi in eius manibus fidei catholicæ professione iuxta articulos pridem à Sede Apostolica ad hoc propositos, ac formam, quam sub bulla nostra mittimus introclusam ipsorum graduum solita insignia recipere, illaque sibi exhiberi facere.

Promotis in eo, facultatem vbique legendi &c. elargitur.

§. 8. Necnon postquam huiusmodi gradus, & illorum insignia

Digitized by Google

insignia susceperint facultates, in quibus promoti fuerint, vbicumque, absque alio examine vel approbatione, legere & interpretari, ac in eis disputare, necnon quoscumque alios gradus per eos receptos, & conuenientes exercere libere & licite valeant, auctoritate & tenore prædictis, de speciali gratia indulgemus, sicque etiam statuimus & ordinamus.

Rectori statuta condendi pro d. studij regimine, auctoritatem tribuit.

§. 9. Necnon Vniuersitati Studij generalis Firmani, ac illius Rectori pro tempore existenti, pro salubri & felici eiusdem Vniuersitatis Firmanæ, ac illius personarum, rerum, bonorum, & iurium regimine, directione & conseruatione, reique literariæ progressu, quæcumque statuta & ordinationes, licita tamen & honesta, ac sacris canonibus, & dicti Concilij decretis non contraria, eis beneuisa, à moderno & pro tempore existente Episcopo Firmano examinanda & approbanda, condenda, illaque postquam condita fuerint, provt temporum, locorum, personarum, vel rerum, aut aliæ qualitates exegerint, mutandi, corrigendi, & reformandi, ac etiam declarandi & interpretandi, illisque addendi & minuendi, seu etiam ea in totum abrogandi, ac alia illorum loco de nouo edendi & faciendi, quæ omnia postquam pro tempore condita, mutata, correcta, reformata, declarata, interpretata, aucta, vel diminuta, & de nouo edita fuerint, ab Ordinario loci, vel pro tempore existente Romano Pontifice approbari debeant, plenam & liberam facultatem & auctoritatem concedimus & impartimur.

Clausula huius bullæ præseruatiua.

§. 10. Decernentes præsentes literas, etiam ex eo quod Paduanen. Perusinen. Senen. & Maceraten. & aliarum Vniuersitatum prædictarum Rectores, Officiales, Doctores, Professores, seu Lectores, Procuratores, Defensores, Protectores, vel agentes, aut alias quomodolibet interesse habentes vel putantes, ad hoc vocati non fuerint, aut ex quauis, vel quibusuis aliis causis, occasionibus, vel prætextibus, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quouis alio defectu notari vel impugnari, aut alias infringi vel quomodolibet retractari, seu etiam per nos ac successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, aut Sedem præfatam, vel illius Legatos etiam de Latere, aut quoscumque alios quauis auctoritate reuocari, suspendi, restringi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus vmquam posse, sed illas semper & perpetuo validas & efficaces, existere & fore, suosque plenarios effectus sortiri & obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat & spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo & inuiolabiliter obseruari debere; necnon Vniuersitatis Studij generalis Firmani huiusmodi, illiusque Rectorem, Officiales, Doctores, Lectores, Professores, Scholares, Ministros, ceterosque prædictos super præmissis omnibus & singulis, vel illorum occasione, etiam per alias vniuersitates prædictas, vel quoscumque alios, quauis auctoritate, quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, nequaquam posse, ac etiam Communitatem & homines præfatos, aut quoscumque alios ad probationem seu verificationem literarum Bonifacij & Callisti prædecessorum huiusmodi, ac in eis & etiam eisdem præsentibus literis narratorum nullatenus vmquam teneri, nec ad id in iudicio vel extra, cogi seu compelli posse; & nihilominus easdem literas & in eis contenta huiusmodi semper valere, ac eisdem Vniuersitati & hominibus suffragari, sicque in præmissis ab omnibus censeri.

Clausula sublata.

§. 11. Ac ita per quoscumque Iudices & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, eorumque Locumtenentes, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 12. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit, nostra de iure quæsito non tollendo, ac aliis Apostolicis, & etiam in Vniuersalibus, Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis, editis & edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus & ordinationibus, necnon Firman. Bononien. Paduan. Perusin. Senen. & Maceraten. prædictarum, ac quarumuis aliarum Vniuersitatum & Gymnasiorum etiam publicorum, Prouinciæque nostræ Marchiæ Anconitanæ, & totius status Ecclesiastici, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, decretis & etiam nouis reformationibus, legibus, tam Pontificiis quam Imperialibus, Regiis, Ducalibus, & municipalibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis & eorum superioribus & personis cuiuscumque status, gradus, ordinis & conditionis existentibus, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, irritantibusq; & aliis decretis, etiam in vim contractus inibi stipulati & iurati, ac etiã statuti perpetui, & perpetuæ legis inducentibus motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet, etiam pluries & iteratis vicibus concessis, confirmatis & innouatis, ac etiam in posterum concedendis, confirmandis & innouandis, quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter & expresse, motu simili derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 13. Ceterum volumus, quod earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo Communitatis seu Studij Generalis Vniuersitatis Firman. huiusmodi, aut alicuius Ecclesiasticæ vel sæcularis curiæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si exhibitæ forent vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1585. Idib. Septemb. Pontificatus nostri Anno 1.

D. V. An. 1. die 13. Sept.

De electione Prælatorum Congregationis S. Bernardi in Italia Monachorum Ordinis Cisterc. regularis obseruantiæ, de cetero fienda ex vniuerso numero sacerdotum d. Congregationis, qui minora officia laudabiliter biennio exercuerint. X.

Aliter in hoc disposuerat Greg. XIII. in sua const. 54. Romanus. *vbi videas quæ notaui.*

SIXTVS PAPA V.
Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1585.

NVper pro parte dilectorum filiorum Abbatis Cisterc ij, Cabilonen. diœcesis, generalis Ordinis Cisterc ien. necnon Abbatum, Prælatorum, & Conuentuum, Monasteriorum dicti Ordinis fuit nobis expositum, quod alias regimen ipsius Congregationis medio tempore, inter vnum & alterum Capitulum solebat de vniuerso sacerdotum numero prouinciæ, auctoritate Apostolica illos eligere ad Prælaturas vacantes, quos magis idoneos magisque dignos iudicabat; in qua quasi possessione sic eligendi per longum tempus perseuerauerit; donec de anno 1579. fel. recordat. Gregor. Papa XIII. prædecessor noster, inter alia statuta ad reformationem Monachorum dicti Ordinis pertinentia decreuit & mandauit, vt de cetero Capitulum dictæ Congregationis fieret de triennio in triennium; & in primo futuro Capitulo pro qualibet Prouincia, tot Sacerdotes quot essent in ea Prælaturæ; & insuper alij quatuor sacerdotes habiles ad Prælaturas exercendas, in quaque prouincia approbarentur; qui etiam ad Visitatoris maioris officium similiter approbati esse intelligerentur; quodque ij tantum ad Prælaturas & Visitatoris maioris officium huiusmodi approbati deberent, qui officia minora, nempe Celleratiatus & Priora-

Congregatio consueuit ad Prælaturas eligere viros magis idoneos ex vniuerso numero sacerdotum.

tus

Digitized by Google

tus digne gradatim, saltem per biennium in quolibet officio fideliter exercuissent, atque vt semel approbatis, semper habiles fore censerentur. Præterea vt deficiente approbatorum huiusmodi numero, siue per obitum illorum, siue per priuationem ob commissa delicta, in proxime futuris Capitulis & non aliter, alij in illorum locum sufficerentur; itaque semper numerus quatuor tantum, extra Prælaturas à quolibet Capitulo haberetur. Et si intra triennium aliquem Prælatorum decedere, aut à Visitatoribus vel à Capitulo ob aliqua demerita priuari contingeret, alius extra numerum approbatorum prædictorum, minime assumi posset, ac alias prout in prædictis prædecessoris nostri literis latius fuit expressum.

Sed comperti quod eiusmodi decretū est Congregationi damnosum.

§. 1. Sed quia sicut eadem expositio subiungebat, ab eo tempore, vsu & experientia compertum est, huiusmodi ad quatuor tantum simul nominatos restrictiori Vniuersitati dictæ Congregationis nequaquam expedire, tum quia dicti quatuor electi postquam secuti sunt se omnino futuros Prælatos, ab obedientia, & disciplina regulari non parum recedunt, & quasi immunes & exempti à communibus religionis oneribus esse prætendunt: tum quia alij multi sacerdotes eiusdem Congregationis., qui habiles & inclinati ad laudabilia religionis opera essent, videntes ob aliorum iam factam electionem se excluſos, nec posse ad gradus maiores aspirare, animum despondent, nec curant vlterius progredi; quod haud dubie in magnum totius Congregationis damnum redundare dignoscitur, præsertim cum contingere posset, vt durante electione quatuor approbatorum huiusmodi secundum casuum & temporum varietatem, vel omnes, vel pars eorum, vita decedant, seu etiam aliqui interim minus idonei, alij vero magis capaces & vtiles Congregationi deregantur; vnde fieret, vt deficientibus quoquomodo approbatis, in eorum locum subrogandi nulla superesset facultas.

Fuit huic Pōt supplicatū pro opportuna prouisione.

§. 2. Quare cum his & aliis iustis & grauibus causis & rationibus adducti, idem Abbas Cistercij generalis, qui pridem dictas prouincias visitauit, necnon Prælati & Monachi dictæ Congregationis vtriusque Prouinciæ Lombardiæ & Tusciæ, nobis humiliter supplicauerint, ac etiam dilectus filius Aloysius S. Mariæ in via lata diaconus Cardinalis Esten. nuncupatus, illorum Protector, pro eis apud nos vehementer intercesserit, petieritque vt ad maiorem ipsius Congregationis profectum & incrementum, bonorumque incitamentum, de opportuno remedio prouidere ex benignitate Apostolica dignaremur.

Hic ideo Pōt. illud reuocat.

§. 3. Nos tota re, mature diligenterque cognita & discussa, vt obuiam incommodis & malis inde imminentibus eamus, supplicationibusque huiusmodi inclinati, prædictum numerum quatuor sacerdotum in singulis prouinciis, ad Prælaturas, & ad Visitatoris maioris officium eligendorum, auctoritate Apostolica tenore præsentium supprimimus & abolemus, perinde ac si literæ Gregorij prædecessoris nostri huiusmodi super eo, non emanassent; quæ tamen in reliquis ad reformationem prædictam spectantibus suum robur obtineant.

Viros q; magis idoneos ex vniuerso Sacerdotum numero, qui minora officia per biennium exercuerint eligi mandat.

§. 4. Statuimusque & ordinamus, vt posthac de toto numero sacerdotum propriæ Prouinciæ per regimen eiusdem prouinciæ sacerdotes magis digni & magis idonei ad quamlibet Prælaturam, & Visitatoris maioris officium de tempore vacationis ipsius officij vel prælaturæ, arbitrio ipsius regiminis eligantur ex illis, qui officia minora Cellerariatus, & Prioratus digne gradatim, vt præmittitur, saltem per biennium in quolibet officio huiusmodi fideliter exercuerint. Vtque etiam tempus, quo quilibet sacerdos officium Visitatoris minoris exercuerit, computetur, perinde ac si idem sacerdos per totidem tempus Cellerariatus vel Prioratus officium exercuisset. Quare eisdem Generali, Congregationi, & regiminibus, Abbatibusque & Monachis d. Ordinis, vniuersis & singulis, in virtute sanctæ obedientiæ, vt in Domino obseruent, eadem auctoritate præcipimus atque iubemus.

Clausula huius loci præseruatiua

§. 5. Præsentesque literas, & in eis contenta quæcumque nullo vnquam tempore, de subreptionis vel obreptionis, seu intentionis nostræ, aut alio quouis vitio seu defectu notari, argui, vel impugnari posse, sed illas semper validas & efficaces existere, ac suos integros effectus sortiri.

Clausula subsist.

§. 6. Sicque per quoscumque Iudices, ordinarios & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, irritumque & inane, siquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Clauſ. derog.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, Congregationis, Monasteriorum, regulariumque locorum huiusmodi statutis, vsibus, naturis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet, etiam Motu proprio, ac iteratis vicibus, & sub quibuscumque tenoribus & formis, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos & Sedem Apost. concessis, approbatis & innouatis, quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua mentio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserererentur, præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 8. Volumus autem vt harum exemplis, manu Notarij Publici subscriptis, & sigillo Præsidentis vel Protectoris, nunc & pro tempore existentium dictæ Congregationis obsignatis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An. 1. 25. Septemb.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die 25. Septemb. 1585. Pontificatus nostri Anno 1.

XI.

De regimine Studij generalis Valentin. ab Alexandro VI. instituti, & applicatione beneficiorum Ecclesiasticorum, &c.

Quoad ad admissionem alienigenarum & illegitimorum, ad beneficia in Regno Valentiæ, vide infra in const. 64. In sacrosancto. *& const.* 84. Cum cœlestis.

Edita A. D. 1585.

SIXTVS EPISCOPVS
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

COpiosus in misericordia Dominus, & in cunctis suis operibus gloriosus, à quo omnia bona defluunt, ad hoc nobis, licet immeritis, suæ sponsæ vniuersalis Ecclesiæ regimen committere, & nostræ debilitati iugum Apostolicæ seruitutis imponere voluit, vt tanquam de summo vertice montis ad huius mundi infima reflectentes intuitum, quid pro huiusmodi illustranda Ecclesia ad fidei orthodoxæ, diuinique cultus, & beneficiorum propagationem conferat, quidve statui & profectui, animarumque saluti fidelium quorumlibet conueniat, attentius prospiciamus, fideleſque ipsos ad quærenda literarum studia, per quæ militantis Ecclesiæ respublica geritur, diuini nominis, ac eiusdem fidei cultus protenditur, omnisque prosperitas humanæ conditionis augetur, nostræ solicitudinis ope excitemus, ac in id pro nostri pastoralis officij debito propensius incumbamus, vt singulæ Studiorum generalium Vniuersitates, præsertim in locis Maurorum, & aliorum infidelium, non ita pridem ad Christi fidem conuersorum progenie refertis constituræ, lectores fide & eruditione probatos, ad aliorum instructionem, & sanæ doctrinæ conseruationem nanciscantur, ac eisdem lectoribus pro suis necessitatibus, fructuosique eorum instituti prosecutione & exercitio congruæ subuentionis auxilia fauorabiliter subministrentur.

Præpositura Ecclesiæ Valentin. vacat.

§. 1. Dudum siquidem omnia officia, ceteraque beneficia Ecclesiastica apud Sedem Apostolicam tunc vacantia, & inantea vacatura, collationi & dispositioni nostræ reseruauimus, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel

Digitized by Google

vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque postmodum Præpositura mensis Februarij in Ecclesia Valentin. per liberam resignationem dilecti filij Thomę de Borja Canonici Ecclesiæ Toletan. & nuper Præpositi mensis Februarij in d. Ecclesia Valentin. de illa quam tunc obtinebat, in manibus nostris sponte factam & per nos admissam, apud Sedem præfatam vacauerit & vacet ad præsens, nullusque de illa prętet nos, hac vice disponere potuerit, siue possit, reseruatione & decreto obsistentibus supradictis. Et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorem filiorum Consulum iuratorum, rationalis & Syndici ciuitatis Valentin. petitio continebat, ex duodecim singulorum mensium Præposituris, olim in d. Ecclesia Valentin. pro totidem Præpositis, qui annuatim fructus, redditus & prouentus eiusdem Ecclesiæ Valentin. Mensæ Capitularis recolligerent, ac inter illius Canonicos pro tempore residentes, iuxta certam taxam ad id præscriptam singulis mensibus distribuerent instituris, dicta Præpositura mensis Februarij sola ibidem remanente, omnes aliæ aliorum mensium Præposituræ huiusmodi, pridem Apostolica auctoritate perpetuo suppressæ & extinctæ, illarumque fructus, redditus, & prouentus, prædictæ mensæ Capitulari dicta auctoritate etiam perpetuo applicati, & approbati fuerint, ac ex fructuum, reddituum, & prouentuum mensæ huiusmodi augmento ipsius Ecclesiæ Valentin. Canonici decentem eorum gradum commode sustinere possint.

Alex. VI. gen. studium instituit, sed propter tenuitatē reddituū Lectorū, salaria soluere nō valet vnde mala hic descripta oriuntur.

§. 2. Vniuersitas vero Studij generalis Valentin. à fel. rec. Alexan. Papa VI. prædecessore nostro, ad quarumcumque personarum, tàm Ecclesiasticarum quàm sæcularium, in Theologia, vtriusque iuris prudentia, Medicina, & Artibus liberalibus, ac quibusuis aliis licitis facultatibus instructionem & profectum instituta, propter illius reddituum & prouentuum quingentorum ducat. auri de Cam. secundum comm. expen. valor. annuum non excedentium tenuitatem, tantis necessitatibus & angustiis prematur, vt neque competentem mercedem singularum facultatum huiusmodi lectoribus præstare, nec multorum aliorum onerum illi iugiter incumbentium grauitatem sustinere possit, & exinde vtriusq; iuris prudentiæ lectiones ibidem saltem ex professo, hactenus haberi commode non potuerint, illiusque Regni indigenæ, harum vsu & commodo destituti, desideratos in huiusmodi facultatum studiis progressus consequi nequeant, vel pro illis capessendis ad alias longinquas & remotas Studiorum generalium vniuersitates, non sine magno personarum ac rerum suarum incommodo & dispendio se transferre cogantur, quin etiam in vniuerso Regno Valentiæ, quod præ ceteris Hispaniarum Regnis, Maurorum nouiter ad fidem cõuersorum multitudine refertum, ac spectatæ fidei & doctrinæ virorum copia, pro ipsis Mauris & infidelibus ad Religionis & fidei Catholicæ cultum conuertendis, ac conuersis in eadem religione & fide instruendis & confirmandis, maxime indigere dignoscitur, nullum Seminarium à locorum Ordinariis, iuxta formam Conc. Trid. hucusque institutum existat, si dicta Præpositura mensis Febr. quæ nullum amplius ibidem setuitium, aut obsequium requirit, perpetuo supprimeretur & extingueretur, ac ex illius sic suppressæ & extinctę fructibus, redditibus, & prouentibus, decem & octo aliæ Præposituræ, in eadem Ecclesia Valentin. pro totidem Præpositis Cathedraticis nuncupandis, qui apud eamdem Ecclesiam Valentin. residerent, ac in illius Choro Missarum solemnibus & aliis diuinis officiis assisterent, quorumque sex Theologiam, & aliis sex Canonica, reliqui autem sex ciuilia iura, inibi in totidem publicis d. Vniuersitatis Cathedris, eis ad id assignandis, pro vna videlicet matutinis, altera vero partibus Præpositorum huiusmodi pomeridianis horis, legere & interpretari teneantur, ex hoc profecto nedum ipsius Ecclesiæ Valentin. dignitati & decori, ac diuini cultus, ministrorumque & beneficiorum Ecclesiasticorum in ea augmento consuleretur, verum etiam in ipsa Vniuersitate literarum studia, peramplius propagarentur, ac doctissimorum, & in huiusmodi facultatibus exercitatissimorum, virorum concursus, pro ipsis lectionibus habendis, in dies maior fieret, eorumque opera, eruditione, & doctrina, tam dicti Regni Indigenæ in patrio solo, absque longo peregrinationis labore, quam vndecumque aduenientes, ibidem tanquam vberrimo sacrarum, ac aliarum optimarum scientiarum Seminario in Theologiæ, & vtriusque iuris prudentiæ facultatibus huiusmodi, instrui & edoceri, seque in illis exercere, ac tandem emeritos gradus & honores consequi, necnon Reipub. decori & ornamento, sibique & aliis vtiles esse possent.

Ciuitas obtō Valentin. supplicat pro concessione d. Præpositurę, prō Lectorib. dicti Studij, &c.

§. 3. Quare pro parte Consulum iuratorum, Rationalis, & Syndici præfatorum asserentium, Vniuersitatem prædictam, eorum cura & gubernio maxime dirigi, ac illius Professorum, Lectorum, Præceptorum, Bidellorum, aliorumque officialium & ministrorum electionem & deputationem, necnon publicarum Cathedrarum huiusmodi, ac salariorum & mercedum assignationem, atque distributionem, ad se & nonnullos alios de ipsorum consilio existentes pertinere, ac dictæ Præpositurę mensis Febr. fructus, redditus, & prouentus, qui omnes pro vna videlicet, Petro Ludouico Galcerando, etiam de Borja, Magistro militiæ S. Mariæ de Montesa, & S. Georgij Cistercien. Ord. in d. Regno Valentiæ institutæ, pro altera vero illorum medietatibus Ioan. similiter de Borja, Præceptori præceptoriæ maioris d. Militiæ ipsius Petri Ludouici nato, ex dispensatione Apostolica; necnon super eisdem pensio annua ducentorum ducat. auri de Camera, Petro Ferra pariter de Borja Clerico, dilectis filiis, illos & illam annuatim percipientibus d. auctoritate reseruari existunt, quatuor millium & quadringentorum ducat. auri similium sc. ext. prædictam val. ann. non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus præmissis ac aliis infrascriptis annuere, & desuper opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic modo Pōt. petita cōcidit.

§. 4. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis vniri, tenerentur exprimere verum an. val. sc. ext. præfatam etiam beneficij, cui aliud vniri peteretur, alioquin vnio non valeret, & semper in vnionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, quique hodie reseruationem medietatis fructuum, reddituum, & prouentuum Petro Ludouico factam huiusmodi, quo ad summam quingentarum librarum monetæ Valentin. dumtaxat eadem reseruatione; quo ad reliquam partem medietatis fructuum huiusmodi, ipsi Petro Ludouico, salua & illæsa remanente, eiusdem Petri Ludouici ad hoc expresso accedente consensu, cassari & extingui, cassamque & extinctam fore & esse decerni, ac prædicto Thomæ partem fructuum, reddituum, & prouentuum suppressæ Præpositurę mensis Febr. huiusmodi cassatæ similem, quæ ad valorem annuum dictarum quingentarum librarum ascenderet, ex tunc, ita tamen, quod omnes & quæcumque aliæ assignationes sibi per d. Petrum Ludouicum ex huiusmodi fructibus, redditibus, & prouentibus, hactenus quomodolibet factæ, etiam cassæ & extinctæ essent, & esse censerentur, nec d. Thomas quicquam vltra quingentas libras huiusmodi à Petro Ludouico & Io. prædictis, ex fructibus, redditibus, & prouentibus eis reseruaris huiusmodi, quouis etiam alimentorum vel cõgruæ sustentationis prætextu prætendere, ac huiusmodi partem, quæ ad summam quingentarum librarum similium dumtaxat ascenderet, simul vel successiue, in toto vel in parte, in d. Curia vel extra eam, etiam in mortis articulo, vel alias quandocumque sibi placeret, etiam absque aliqualiterarum Apostolicarum desuper conficiendarum, ac præsentium insinuatione, vel præsentatione, in vnam vel plures personas Ecclesiasticas, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica obtinentes & expectantes, per eumdem Thomam nominandas absque Præpositorum Cathedraticorum prædictorum vel quorumuis aliorum desuper præstando vel requirendo consensu, transferre valeret; reseruari, concedi & assignari, necnon Consulibus, Iuratis, Rationali, & Syndico prædictis, omnes & singulas expensas in supplicationis per nos super præsentibus gratiis signatæ, ac desuper conficiendarum, & præsentium literarum expeditione pro tempore factas cuiuscumque summæ & quantitatis forent, absque eo quod quicquam à Thoma & Petro Ludouico, ac Io. & Petro Ferr. prædictis repetere possent, soluendi & præstandi licentiam elargiri concessimus. Consules Iuratos, Rationalem & Syndicum prædictos, eorumque singulos quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti-

Digitized by Google

terdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, prędictam Pręposituram mensis Febr. quæ inibi beneficium, seu officium simplex, aut personatus vel administratio existit, & personalem residentiam non requirat, siue præmisso siue alio quouis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per similem resignationem d. Thomæ, vel cuiusuis alterius de illa in Rom. Curia vel extra eam, etiam coram notario publico & testibus sponte factam, aut assecutionem alterius beneficij Ecclesiastici, quauis auctoritate collati, vacet, etiamsi tanto tempore vacauerit, quod eius collatio iuxta Lateranen. Statuta Concilij ad Sedem Apost. legitime deuoluta, ipsaque Præpositura mensis Febr. dispositioni Apostolicæ specialiter, vel alias generaliter reseruata existat, & super ea inter aliquos lis, cuius statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo eius dispositio ad nos hac vice pertineat, d. Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo supprimimus & extinguimus, ac illius & aliarum suppressarum Præpositurarum prædictarum loco, in d. Ecclesia Valentin. decem & octo alias Præposituras, quæ ibidem simplicia officia, seu beneficia existant, ac etiam per Canonicos d. Ecclesiæ, seu dignitates, aut Capellanias, vel alia simplicia beneficia Ecclesiastica ibidem obtinentes, etiam vna cum ipsius Ecclesiæ Valentin. Canonicatibus & præbendis, seu dignitatibus vel Capellaniis, aut aliis beneficiis huiusmodi absq; dispensatione Apostolica obtinere possint, pro totidem Præpositis, sex videlicet primariis, & sex secundariis, ac reliquis sex tertiariis Cathedraticis nuncupandis, qui habitum & insignia per olim Præpositos mensium huiusmodi deferri solita gestare & deferre ac ad illorum instar stallum in Choro, necnon locum in processionibus ceteriſque actibus publicis & priuatis, ombus & quibuscumque, non tamen capitularibus dictæ Ecclesiæ Valentin. immediate post illius Canonicos, iuxta ordinem ad id eis præscribendum habere, necnon apud d. Ecclesiam Valentin. residendo, & diuinis officiis interesſendo, omnibus & singulis distributionibus quotidianis, tàm diurnis, quàm nocturnis, aliisque iuribus, obuentionibus, & emolumentis, in quibuscumque rebus consistentibus, & quocumque nomine nuncupatis (non tamen ex fructibus, redditibus, & prouentibus, aliarum vndecim Præpositurarum huiusmodi prædictæ mensæ Capitulari applicatis & appropriatis prouenientibus) necnon priuilegiis, indultis, facultatibus, honoribus, præeminentiis, prærogatiuis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, ceteriſque gratiis, tàm spiritualibus quàm temporalibus, quibus Præpositi mensium huiusmodi, qui pro tempore fuerint, ratione dictarum Præpositurarum suppressarum, apud ipsam Ecclesiam Valentin. residendo, & diuinis officiis interesſendo, frui, potiri, & gaudere poterant & debebant, pariformiter, & absque vlla prorsus differentia vti, potiri, & gaudere possint & debeant. Et quorum sex in primis, & alij sex in secundis, ac reliqui sex in tertiis singularum facultatum Theologiæ, & vtriusque iuris prudentiæ huiusmodi Cathedris eis ad id assignandis eaſdem facultates, pro vna videlicet matutinis, altera vero medietatibus decem & octo Præpositorũ huiusmodi pomeridianis horis, publice legere & interpretari teneantur auctoritate & tenore præfatis, etiam perpetuo erigimus & instituimus. Illisque sic erectis, & institutis, pro earum dote, ac illas pro tempore obtinentium sustentatione, omnia, & singula fructus, redditus, prouentus, iura, obuen. & emolumenta suppressæ Præpositurę mensis Febr. huiusmodi per dilectos filios Capitulum d. Ecclesiæ Valentin. inter Præpositos Cathedraticos præfatos tantummodo, & forma infrascriptis distribuenda & repartienda, eisdem auctoritate & tenore, similiter perpetuo applicamus & appropriamus. Quodque omnia & singula, fructus, redditus, prouen. iura, obuen. & emolumenta suppressæ Præpositurę mensis Febr. huiusmodi, deductis prius illius oneribus quibuscumque, & saluis omnibus supradictis, in duodecim æquales partes, ac ex eis quinque inter primarios, & aliæ quatuor inter secundarios, ac reliquæ tres partes huiusmodi inter tertiarios Præpositos Cathedraticos præfatos proportionabiliter à prædictis Capitulo singulo quoque quadrimestri, vt præfertur, diuidi & repartiri debeant. Ita tamen, quòd eorum singuli pro cuiusque lectionis sibi incumbentis omissione legitimo impedimento cessante, earum partem portionis, quæ illius ratione facto iusto calculo, alias ad ipsos pertineret, omnino amittant, illaque per Censorem seu Punctatorem ad id pro tempore deputatum retineri, ac pro vna Rectori Vniuersitatis, & alia ipsi Censori seu Punctatori, reliqua vero partibus Confraternitati pauperum Scholarium d. Vniuersitatis irremissibiliter applicari debeat. Si vero Rector, aut Censor, seu Punctator præfati earum partem eos tangentem acceptare recusauerint, eadem dictæ Confraternitati cedat.

Rectoris Studii eligẽdi forma præscribit.

§. 5. Et quia singulis triennijs vnus ex Lectoribus Cathedraticis d. Vniuersitatis in illius Rectorem per Consules Iuratos, Rationalem, & Syndicum, ac nonnullos alios de eorum consilio existentes præfatos, hactenus eligi consueuit, & ex longo rerum vsu compertum sit non expedire, vt dictus Rector, à gremio Lectorum Cathedraticorum huiusmodi assumatur; quod ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus, pro tempore existentes Consules Iurati, Rationalis, & Syndicus præfati, & alij ad quos electio huiusmodi pertinet, vnum ex Canonicis d. Ecclesiæ Valentin. seu aliquam illius Dignitatum obtinentibus, non tamen de gremio Præpositorum Cathedraticorum præfatorum existentibus, in Rectorem eiusdem Vniuersitatis de triennio in triennium, cum omnibus & singulis honoribus, fauoribus, gratiis, prærogatiuis, præeminentiis, facultatibus, iurisdictionibus, libertatibus, priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, oneribus, & emolumentis pro tempore existenti Rectori d. Vniuersitatis de iure vel consuetudine, aut ex priuilegio tam Apostolica, quàm Imperiali, & Regia auctoritatibus concesso, aut alias competentibus & competituris, eligere debeant; ipseque sic electus triennio sui Rectoratus elapso, in eo continuari seu confirmari, aut ad aliud triennium immediate subsequens iterum eligi nullatenus possit.

Collationis etiã in futurũ siendæ modum præfinit.

§. 6. Quodque omnes, & singulæ Præposituræ præfatæ tàm hac prima vice à primæua erectione huiusmodi, quàm deinceps, quoties illas & earum quamliber per cessum etiam ex causa permutationis vel decessum, seu quamuis aliam dimissionem, vel amissionem, aut priuationem pro tẽpore existentium Præpositorum Cathedraticorum præfatorum, vel alias quouis modo etiam apud Sedem præfatam, ac etiam in aliquo ex mensibus in quibus vacantium officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum collatio, & quæuis alia dispositio nobis, & dictæ Sedi etiam per constitutiones Apostolicas, seu Cancellariæ Apostolicæ regulas reseruata existit, seu pro tempore fuerit, aut etiam Ordinariis collatoribus per easdem constitutiones seu regulas, vel literas alternatiuarum, aut alia priuilegia & indulta concessis hactenus, & in posterum concedendis, simul vel successiue vacare contigerit, sex primarum, & sex secundarum, ac sex tertiarum Cathedrarum Theologiæ, & vtriusque Iuris prudentiæ, huiusmodi lectoribus per Consules Iuratos, ac Rationalem, & Syndicum, necnon alios ad quos electio & deputatio eorumdem pertinet, præuio diligenti & rigoroso examine, ac alias iuxta ipsius Vniuersitatis instituta, & laudabiles consuetudines eligendis & deputandis, perpetuo affectæ sint, & esse censeantur: ac illis nominationem, & electionem Consulum Iuratorum, Rationalis, & Syndici, ac aliorum interuenire debentium, & solitorum præfatorum sine aliquo obstaculo, ac omni impedimento & tergiuersatione cessante (postquam in eius manibus Catholicæ fidei professionem, iuxta articulos pridem à Sede præfata propositos expresse emiserint) conferantur, & assignentur, ac conferri & assignari debeant; nec duæ ex eis per vnum insimul vllatenus obtineri debeant. Quodque singulæ Præpositurę huiusmodi sub nullis, specialibus vel generalibus, etiam mentalibus, reseruationibus, affectionibus etiam in corpore Iuris clausis, necnon expectatiuis, coadiutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de prouidendo, commendando, aut alias disponendo, vel,

Digitized by Google

vel aliis gratiis præuentiuis, per nos aut prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, & dictam Sedem, vel eius Legatos etiam conſideratione, & intuitu, ac contemplatione, ſeu ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Reginarum, ac etiam S. R. E. Cardinalium vel aliorum Principum, & ex quacumque cauſa quantumlibet vrgenti pro tempore factis, comprehendantur, nec etiam tanquam vacantes apud Sedem præfatam, aut vlla alia ratione, generaliter vel ſpecialiter reuelari, nec illorum vacatione per reſignationem etiam ex cauſa permutationis, etiam apud Sedem eamdem pro tempore occurrente, per nos aut pro tempore exiſtentem Rom. Pont. vel Sedem huiuſmodi de illis prouideri, aut alias quoquomodo diſponi poſſit, & quæcumque collationes, prouiſiones, commendæ, & aliæ diſpoſitiones, quas ex nunc de cetero de Præpoſituris præfatis quibuſuis perſonis alias quam per dictum Rectorem, ad nominationem & electionem Conſulum Iuratorum, Rationalis, Syndici ac aliorum ius nominandi & eligẽdi huiuſmodi habentium, quouis modo etiam per Sedem præfatam fieri contigerit, nullæ, & inualidæ, nulliuſque roboris & momenti ſint, & eſſe cenſeantur, ac pro nullis, & infectis habeantur; nec cuiquam ius ſeu etiam coloratum poſſidendi titulum tribuant. Ad hæc nullus omnino Præpoſitorum præfatorum, Præpoſituram per eum pro tempore obtentam in alterius quam dicti Rectoris manibus, & id quidem libere, reſignare aut dimittere, ſeu iuri ſibi in eis vel ad illas competenti cedere, nec reſeruationi fructuum, reddituum, prouentuum, iurium, obuentionum, & emolumentorum, aut quotidianarum diſtributionum eiuſdem Præpoſituræ ſeu alicuius partis eorum, aut penſionis annuæ, ſuper eiſdem conſentire poſſit. Et quicumque ex ipſis Præpoſitis, per tres menſes continuos à legendi munere ſibi pro tempore incumbente, legitimo ceſſante impedimento, per Rectorem, Conſules Iuratos, Rationalem, & Syndicum prædictos approbando ceſſauerit, ex tunc dictis tribus menſibus elapſis, Cathedra ſibi aſſignata, & illi affecta præpoſitura pro ipſo iure & facto, abſque alia declaratione perpetuo priuatus ſit, & eſſe cenſeatur: indeque ſine ſpolij, & attentatorum vitio amoueri, ac Conſules Iurati, Rationalis, & Syndicus cum ceteris in electione interuenire ſolitis, alium in illius ſic priuati & amoti locum, ad Cathedram huiuſmodi præuio examine, ac alias modo & forma præmiſſis eligere & deputare; Rector vero prædicti ſic electo & deputato Præpoſituram eidem Cathedrę affectam, tamquam per priuationem & amotionem huiuſmodi vacantem, nullo alio facto examine, omnique exceptione & tergiuerſatione ceſſante, conferre & de illa etiam prouidere, ipſumque in corporalem poſſeſſionem Cathedræ, & illi affectæ Præpoſituræ huiuſmodi, iuriumque & pertinen. ſuorum quorumcumque, inducere debeat. Quodque ſinguli Præpoſiti prædicti intra ſex menſes à die habitæ per eos poſſeſſionis ſuæ cuiuſque Præpoſituræ, duodecim ad minus concluſiones, earum facultatum quas lecturi ſunt, coram loci Ordinario, tamquam eiuſdem Vniuerſitatis Cancellario à Sede prædicta deputato, ac prædictis Capitulo tueri teneantur; alioquin eiſdem ſex menſibus elapſis, omnibus inſignibus, ipſis ratione ſuarum Præpoſiturarum huiuſmodi competentibus donec, & quouſque eaſdem concluſiones, vt præfertur, ſuſtinuerint deſtituti remaneant.

Lectorum admiſſionis normam penit.

§. 7. Ceterum vt virtutis æmulatione maiores fructus & progreſſus ibidem proueniant, ac cognitæ & ſpectatæ cuiuſque doctrinæ conuenientia præmia conferantur, quilibet Præpoſitorum prædictorum de inferiori ad ſuperiorem Cathedram, per mutuum concurſum, ſingulo quoque triennio admitti, & ſi rigoroſo examine præuio, magis idoneus repertus fuerit ad ſuperiorem Cathedram huiuſmodi aſcendere, & eo caſu præpoſituram eidem ſuperiori Cathedræ affectam, tãquam ipſo iure & facto vacantem conſequi, alter vero cuiuslibet ad aliam ſibi adiudicandam Cathedram & illi affectam præpoſituram tranſire debeat. Singuli quoque Præpoſiti Cathedratici præfati, examini eorum qui ad Baccalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratus, & Magiſterij gradus, in ſua cuiuſque facultate pro tempore promouẽdi futur, interuenire poſſint; ac eamdem portionem, ex emolumentis inde prouenientibus, quam ſinguli alij examinatores, percipere debeant.

Lectoribus diſtributiones quotidianas pro tempore quo legunt, concedit.

§. 8. Et tàm ipſi Præpoſiti quàm dictus Rector, omnibus illis horis, & temporibus, quibus ſuis officiis, & functionibus vacabunt, aut Scholarium diſputationibus, examinibus, promotionibus, aliiſque actibus publicis ſuæ cuiuſque facultatis, & profeſſionis aſſiſtent, & interuenient, ad reſidendum in d. eccleſia Valentin. & illius Choro, ac intereſſendum diuinis officiis minime teneantur: & nihilominus diſtributiones quotidianas percipiant & lucrentur cum ea integritate, qua illas perciperent, & lucrarentur, ſi ſtatutis horis & temporibus huiuſmodi in ipſa eccleſia Valentin. & illius Choro reſiderent & diuinis officiis intereſſent.

Lectori munus circa lites, & prædicationes.

§. 9. Qui vero Præpoſituras primarum Cathedrarum huiuſmodi pro tempore obtinuerint, quando & quoties à præfatis Capitulo requiſiti fuerint, in omnibus, & ſingulis litibus, cauſis, & negotiis eccleſiæ Valentin. illiuſque Capituli huiuſmodi, tam coniunctim quàm diuiſim, (non tamen contra Vniuerſitatem Studij generalis, ac Communitatem, & Rempublicam Ciuitatis Valentin. huiuſmodi) aduocare, & patrocinari, ac conſilium, & operam fideliter præſtare; Theologi verò, verbum Dei in ipſa eccleſia Valentin. prædicare, & concionari gratis, & abſque vlla prorſus mercede debeant, & teneantur, auctoritate, & tenore ſimilibus pariter perpetuo ſtatuimus, & ordinamus.

Archiepiſcopo & alijs dat facultatem condendi ſtatuta, circa Lectorum ſeruitia, &c.

§. 10. Necnon pro tempore exiſtentibus Archiepiſcopo Valentin. tamquam Cancellario ſeu eius Vicario, ac Rectori Vniuerſitatis, necnon Iuratis Conſulibus, Rationali, & Syndico Ciuitatis Valentin. ceteriſque ius eligendi huiuſmodi habentibus, vt vocatis, & adhibitis ſecum aliquibus d. eccleſiæ Valentin. Canonicis, literarum ſcientia ac rerum vſu prædictis, quos ad hoc duxerint eligendos; ac alias iuxta facultatem eis à præfato Alexandro prædeceſſore conceſſam, quæcumque alia ſtatuta, ordinationes, & decreta, ad electionem, deputationem, qualitates, onera, & ſeruitio Lectorum Cathedraticorum huiuſmodi pertinentia, ac alias in præmiſſis & circa ea neceſſaria & opportuna, licita tamen & honeſta, ac ſacris Canonibus, & Concilij Trident. decretis non contraria, condere, eaque poſtquam condita fuerint, quoties pro illorum, ac rerum, & temporum qualitate, vel alias expediens videbitur mutare, corrigere, reformare, alterare, moderari, interpretari; ac in toto vel parte reuocare, atque alia de nouo edere, libere & licite valeant, auctoritate & tenore præfatis de ſpeciali gratia indulgemus.

Clauſulæ præſeruatiuæ apponit.

§. 11. Decernentes præmiſſa omnia, necnon præſentes literas, nullo vmquam tempore, etiam ex eo quod cauſæ propter quas emanarunt, coram Ordinario loci, etiam tamquam Sedis præfatæ delegato, vel alibi examinatæ, verificatæ, & approbatæ, ac ad id intereſſe habentes vocati non fuerint, neque ipſi illis conſenſerint, aut alio quocumque prætextu, de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quouis defectu notari, impugnari, inualidari, ad terminos iuris reduci, in ius vel controuerſiam reuocari, aut aduerſus illas quodcumque iuris, facti, vel gratiæ remedium impetrari poſſe; nec ſub quibuſuis vnionum, annexionum, incorporationum, ſuppreſſionum, extinctionum, ſeparationum, diſmembrationum, applicationum, appropriationum, etiam effectum non ſortitarum, aliarumque ſimilium vel diſſimilium, gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, per nos ſeu alios Rom. Pontt. ſucceſſores noſtros, aut Sedem huiuſmodi, etiam cum quibuſuis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis pro tempore factis, etiamſi de eiſdem præſentibus, ac earum toto tenore & data, ſpecialis ſpecifica, expreſſa, & indiuidua mentio fiat, comprehendi; ſed tamquam in fidei Catholicæ, & diuini cultus fauorem, ac publicam vtilitatem & ſalutem conceſſa, ſemper valida & efficacia fore, ac quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum in quo antea erant ſtatum, reſtituta, repoſita, & plenarie reintegrata, ac de nouo, etiam ſub data per Conſules Iuratos, Rationalem, & Syndicum præfatos, eorumq; ſucceſſores, ac alios, quos ipſæ præſentes literæ concernent in futurum eligenda, conceſſa eſſe.

Digitized by Google

Clauſula ſublata, &c. addit.

§. 12. Sicque per quoſcumque Iudices Ordinarios, vel delegatos, quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſt. Auditores, ac S.R.E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quauis cauſa & inſtantia, iudicari ac definiri debere; irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum huius conſt. deputatio.

§. 13. Quocirca Venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopo Valentin. & Epiſcopo Oriolen. ac dilecto filio Archidiacono Eccleſiæ Valentin. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte, pro tempore exiſtentium Conſulum Iuratorum, Rationalis, & Syndici, ac Præpoſitorum prædictorũ, ſeu alicuius eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, eaſdem præſentes & in eis contenta huiuſmodi ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari, ipſoſque Conſules Iuratos, Rationalem, & Syndicum, ac Præpoſitos pro tempore exiſtentes, ceteroſque omnes, quos eædem præſentes quomodolibet concernunt, & concernent in futurum, illis omnibus & ſingulis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos, vel quempiam ex ipſis, deſuper per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoſlibet, & rebelles, per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Clauſulæ cõtrariorum derogatorias ſubdit.

§. 14. Non obſtantibus priori voluntate noſtra, & aliis præmiſſis, ac Lateranen. Concilij nouiſſime celebrati, vniones perpetuas, niſi in caſibus à iure permiſſis, fieri prohibentis; necnon piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, etiam illa qua cauetur, ne quis extra ſuam Ciuitatem, vel diœc. niſi in certis expreſſis caſibus, & in illis vltra vnam dietam à fine ſuæ diœc. ad iudicium euocetur; ſeu ne Iudices à Sede præfata, deputati extra Ciuitatem, vel diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alij, vel aliis vices ſuas committere audeant, ſeu præſumant; & in Concilio generali edita, de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas, aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur; aliiſque Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus & ordinationibus; necnon eccleſiæ Valentin. & Vniuerſitatis huiuſmodi, iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus; priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis illis, ac ipſius eccleſiæ Valentin. Præſuli, pro tempore exiſtenti, necnon Capitulo, Rectoribus, Conſulibus Iuratis, Rationali, & Syndico prędictis, ac quibuſuis aliis perſonis, ſub quibuſbuſcumque ten. & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, vel aliorum Principum inſtantiam, ſeu etiam proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam conſiſtorialiter, in genere vel in ſpecie, ac alias quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus etiamſi de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruãda eſſet, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dũtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliqui ſuper proniſionibus ſibi faciendis de officiis d. eccleſiæ Valentin. ſpeciales, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis, in illis partibus generales, dictæ Sedis vel Legatorum eius literas impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſeruationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, ac inde ſecuta quæcumque, ac dictam Præpoſituram menſis Febr. volumus non extendi; ſed nullum per hoc eis quo ad aſſecutionem officiorum vel beneficiorum aliorum præiudicium generari; & quibuſlibet aliis priuilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis ten. habenda ſit de verbo ad verbum in noſtris literis mentio ſpecialis, aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Nulli ergo omnino, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1585. 3. Kalend. Nouemb. Pontificatus noſtri anno 1. *D. P. An. 1. 30. Octob.*

Publicatio. *Anno Incarnationis Dominicæ* 1585. *die* 31. *Octobris, Retroſcripti Thomas, per Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Petrum Card. de Deza nuncupatum, reſignationis, ad effectum ſuppreſſionis erectionum, & applicationis retroſcriptarum, & Conſules Iurati, Rationalis, & Syndicus Ciuitatis Valentiæ, per Io. Baptiſtam Vines, eorum reſpectiue Procuratores, ac literarum expeditioni conſenſerunt, &c.*

Pro Paride Doria. Io. Baptiſta Zianus.

XII.

Ampliatio Collegij ſeptem Notariorum Sedis Apoſtolicæ antiquitus inſtituti, ad numerum duodecim, cum gratiarum & priuilegiorum extenſione, pro ipſis ſeptem Notariis.

Hi Notarij, Pronotarij nuncupantur, vt ſup. in conſt. 4. Pij II. Cum ſeruare. *vbi de ipſorum & Epiſcoporum præcedentia definitio habetur.*

Prædictis ſeptem Notariis hic idem Pontifex exemptionem à gabella pro ſex doliis vini elargitus eſt, in alio ſpeciali diplomate ſub die 22. Februarij 1586. expedito; quod hic inſerere conſulto prætermiſi.

Edita An. D. 1585.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. ROmanus Pontifex, Chriſti Vicarius, vti prudens paterfamilias prouide animaduertens in agro Dominico multam meſſem eſſe, & vt opus Domini recte ſine confuſione adimpleatur, ſingulis curas partitur, & officia diſtribuit, & ea nonnunquam pro felici ipſius agricultura & directione adauget, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire.

Collegium 7. Protonotariorum inſtitutũ fuit ad geſta Eccleſia deſcribenda.

§. 1. Hinc eſt quòd Nos volentes Collegium Notariorum Sedis Apoſtolicæ de numero participantium, quod olim per fel. record. Clementem I. Antherum etiam I. & Iuliũ ſimiliter I. prædeceſſores noſtros, ad res Martyrum, & quæcumque ad Eccleſiam pertinerent fideliter deſcribenda, & deſcripta Scriniis Eccleſiæ recondenda iuſtitutum, ordinatum, & deſtinatum fuit, ad Romanæ Eccleſiæ decorem, & ornamentum (vt par eſt augere) dictis, & aliis rationalibus de cauſis animum noſtrum mouentibus.

Quod hic Pont. modo extendit ad 12.

§. 2. Vltra ſeptem Notariorum de numero participantium officia ad præſens in d. Collegio exiſtentia, quinque alia ſimilia officia, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo erigimus & inſtituimus pro duodecim Notariis. Ita quòd deinceps quinque alij viri per Nos, & pro tempore exiſtentem Romanum Pont. eidem Collegio Notariorum adſcribendi, & deputandi, vna cum ex nunc exiſtentibus Notariis vnum corpus, Collegium integrum, & indiſtinctum conſtituant, & efficiant, & duodecim officia pro duodecim Notariis, omni prorſus inter eos ſublata differentia, omnino ſimilia & æqualia, in omnibus & per omnia, eiuſdemque iuris, poteſtatis, iuriſdictionis & auctoritatis exiſtant.

Omneſque ijſdem gratijs & priuilegijs pariformiter exornat.

§. 3. Ipſumque Collegium ſic auctum & inſtitutum, & in vnum corpus prorſus redactum, & duodecim Notarij prædicti pro tempore exiſtentes, eiſdem priuilegiis, exemptio

Digitized by Google

exemptionibus, facultatibus, prærogatiuis,& gratiis quibuſcumque, vbique indifferenter potiantur, vtantur, & gaudeant, quibus antea ipſum Collegium: & ſeptem illius Notarij quouis modo, coniunctim vel ſeparatim, potiebantur, vtebantur,& gaudebant; necnon redditus, prouentus, emolumenta, & omnia alia ſingula tàm ex communi maſſa, quàm alibi quocumque tempore debita, & debenda, ordinaria & extraordinaria, æqualiter percipiant, ac munera, functiones, & officia, tàm publica quàm priuata, ſemper ſortiantur & obtineant, exerceant & aſſequantur, prout prius ante auctionem ad duodenarium numerum huiuſmodi, Collegium ipſum & illius ſeptem Notarij habebant, percipiebant, & obtinebant, perinde ac ſi à principio Collegium prædictum ſic auctum, ac cum antiquo confuſum, vnitum, & incorporatum, & illius officia pro 12. Notariis inſtituta fuiſſent. Statuentes quòd perpetuis futuris temporibus d. Collegium habeat duodecim Notariatuum officia inter ſe promiſcua, & confuſa; ita quòd quinque Notarij eidem Collegio adſcribendi cum aliis ſeptem nunc exiſtentibus omnino pares & æquales exiſtant, & nullum inter eos diſcrimen, neque differentia prioritatis, potioritatis, & antiquioritatis adſit, quo poſteriores à prioribus, vel alter ab altero diſcernantur, ita quòd aduenientе vacatione ſiue antiquorum, ſiue augmentatorum ſemper in ſupplicatione exprimatur quòd vnum ex duodecim ex officiis Notariorum, alioquin Notarij nequaquam admittere teneantur.

Annuum reddirum eis aſſignat.

§. 4. Et inſuper vt duodecim Notarij prædicti onera ſibi incumbentia ſupportare, & iuxta ipſorum qualitatem & dignitatem decentius ſe ſuſtentare valeant, prouidere volentes, redditum annuum mille noningentorum, & octuoginta ſcut. monetæ ex fructibus, redditibus, & prouentibus Dohanæ & Theſaurariæ noſtri patrimonij per pro tempore exiſtentem Dohanerium & Theſaurarium eiuſdem patrimonij ſingulis menſibus pro rata maſſæ communi d. Collegij perſoluendum. Ita quòd liceat eidem Collegio, & duodecim illius Notariis poſthac, vna cum aliis ipſius Collegij redditibus prouentibus, iuribus, obuentionibus, & emolumentis, ibi hucuſque aſſignatis ſeu in futurum aſſignandis, aut quouis modo prouenientiis, illum percipere, exigere, & leuare, ac inter eos æquis portionibus diſtribuere & diuidere, motu & auctoritate ſimilibus perpetuo applicamus, illumque cum omnibus aliis redditibus & emolumentis confundimus. In recompenſam vero d. annui redditus Dohanæ & Theſaurariæ prædictis, affictum ſeu redditum annuum terræ noſtræ Bladæ Viterbienſis diœc. qui eſt ſcutor. mille centum & octuaginta, & alia octingenta ſcuta ſimilia ex reſiduo gabellæ ciuitatis noſtræ Spoletanæ d. ſummam ſcutor mille noningentorum & octuaginta conſtituentia, etiam pro maiori ipſius Dohanerij & Theſaurarij cautela perpetuo concedimus & aſſignamus, Decernentes prædicta omnia & ſingula ab omnibus ad quos ſpectat prorſus obſeruari, & adimpleri debere, & præſentes literas vim validi & efficacis contractus inter Sedem & Cameram Apoſt. ac noſmetipſos, & ſucceſſores noſtros, Rom. Pontt. ex vna, & Collegium, ac ſingulos duodecim Notarios huiuſmodi, illorumque ſucceſſores vel cauſam ab eis habentes, ex altera partibus ſolemniter & legitime ſtipulati perpetuo obtinere, dictamque Cam. ad eoſdem Notarios omnes & ſingulos in iuribus prædictis tuendos, & ab omni incommodo, læſione, lite, cauſa, & controuerſia immunes, indemnes, & exemptos conſeruandos teneri, & obligatam eſſe.

Clauſula ſublata.

§. 5. Et ſic per quoſcumque Iudices eitam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere. Irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Aſſecuratio dictæ aſſignationis.

§. 6. Et pro prædictis omnibus & ſingulis firmitet obſeruandis & adimplendis, ac pro potiori Collegij duodecim Notariorum prædictorum, tàm pro pecuniis quas pro Cameræ & Sedis prædictarum occurrentibus neceſſitatibus iam ſoluerunt, & in poſterum ſoluent, quam pro fructibus, redditibus, & prouentibus ſibi aſſignatis, quæ numquam in ſortem principalem computari volumus, ac damnis, expenſis & intereſſe paſſis, factis, patiendis, & faciendis, omnia & ſingula d. Cameræ bona mobilia, & immobilia, iura, actiones, & emolumenta, ac redditus, prouentus, præſentia & futura, ita quòd liceat propria ipſius Collegij auctoritate nullo alio à Nobis ſeu pro tempore exiſtente Romano Pontifice deſuper expectato mandato, licentia ſeu decreto, dictorum bonorum, reddituum ſeu prouentuum pro dictis pecuniis, damnis, expenſis, & intereſſe, poſſeſſionem capere & retinere Motu & auctoritate ſimilibus obligamus & hypothecamus.

Executoris huius bullæ deputatio & facultates.

§. 7. Quocirca Venerabili Fratri noſtro Alexandro Epiſcopo Oſtienſi Card. Farneſio nuncupato, eiuſdem S.R.E. Vicecanc. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſe per ſe vel alium ſeu alios, faciat quinque Notarios prædictos ſic auctos, ſi & poſtquam per Nos aut pro tempore exiſtentem Romanum Pont. ad id deputati fuerunt ad quinque officia huiuſmodi ad inſtar aliorum ſeptem Notariorum abſque aliqua prorſus differentia, eorumque liberum exercitium, necnon honores, onera, ſalaria & emolumenta, iuxta præſentium tenorem & continentiam admitti, eiſque de emolumentis prædictis integrè reſponderi, ac ealdem præſentes literas ab omnibus ad quos ſpectat in futurum, inuiolabiliter obſeruari. Non permittens Collegium & duodecim Notarios prædictos ſeu eorum aliquem, à quoquam deſuper moleſtari. Contradictores quoſlibet, & rebelles, per cenſuras & alias de quibus ei videbitur pœnas compeſcendo; adhibito etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis,

Clauſula obſtantiorum derogatoria.

§. 15. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac noſtræ Cancellariæ regula de non tollendo iure quæſito, necnon Cameræ & Collegij prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, necnon priuilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, Cameræ, Collegio, & Notariis prædictis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, quomodolibet conceſſis. Quibus omnibus etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, expreſſa & indiuidua ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis & totaliter inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 1: 16. Nouemb.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1585. 16. Kal. Decemb. Pont. noſtri anno 1.

Admiſſio in Cam. Apoſt.

Die 15. Ianuary 1580. Ex decreto in Cam. Apoſt. facto admiſſa & regiſtrata fuerunt prainſerta Litera Apoſtolica.

Andreas Martini

Sequuntur priuilegia pro ſupradictis ſeptem Notariis antiquioribus.

Edita An. D. 1585.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

LAudabilis Sedis Apoſt. rectitudo, quæ in ſuis actibus prouida circumſpectione dirigitur non immerito eos gratia & fauore proſequitur, quos ſibi operoſæ eorum diligentiæ ſtudium continuo impendere cognoſcit; ac ea quæ illis per prædictam Sedem conceſſa fuiſſe dicuntur, vt firmiora perſiſtant Romanus Pontifex in eadem Sede conſtitutus libenter approbat, & confirmat, aliaſque deſuper diſponit, prout conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Collegium 7. Notariorum Sedis Apoſt. alias inſtitutum fuit.

§. 1. Sane cum ſicut accepimus Collegium ſeptem Notariorum de numero participantium nuncupatorum, olim per fel. rec. Clem. I. Antherum etiam I. & Iulium ſimiliter I. Rom Pontt. prædeceſſores noſtros ad martyrum geſta, & quæcumque ad Romanam Eccleſiam pertinerent fideliter deſcribenda, & deſcripta recondenda, ordinatum & inſtitutum fuerit ipſiſque in ſeptem Vrbis regionibus diuiſis, tàm à prædictis, quàm aliis Romanis Pontifi

Digitized by Google

Pontificibus, etiam prædeceſſoribus noſtris, vt creditur quamplurima priuilegia, honores, gratiæ, præeminentiæ, & prærogatiuæ conceſſa fuerint, ipſique Notarij abinde citra, omnibus Romanis Pontificibus præfatis, tàm in eorum capella, quàm in aliis publicis locis vbi ijdem Pontifices interfuerint, vti illorum Prælati domeſtici inſeruierint, & ad diuerſas legationes, & officia miſſi, illa laudabiliter exercuerint.

Cui hic Pont. confirmat emolumenta & priuilegia alias conceſſa.

§. 2. Propterea non ſolum prædictum Collegium in ſua antiquitate & nobilitate, vt par eſt, conſeruare, ſed etiam maioribus fauoribus & gratiis proſequi volentes, Motu proprio non ad dictorum Notariorum, ſeu alicuius eorum, vel etiam alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra liberalitate Collegio huiuſmodi, eiſdemque ſeptem Notariis nunc & pro tempore exiſtentibus, & eorum cuilibet omnia & ſingula priuilegia, gratias, exemptiones, libertates, immunitates, fauores, facultates, præeminentias, decreta, declarationes, & indulta quæcumque per quoſcumque Rom. Pontifices prædeceſſores noſtros ipſi Collegio, & illius Notariis conceſſa quatenus ſint in vſu, & Concilij Tridentini decretis minime contraria, nec ſub vllis reuocationibus comprehenſa, necnon omnia & ſingula redditus, iura, emolumenta quæcumque d. Collegij per ipſos ſeptem Notarios hucuſque habita & percipi ſolita, ſicuti ea iuſte & pacifice poſſident, Apoſt. auctoritate tenore præſentium confirmamus, illaque eis de nouo concedimus & innouamus.

Doctorandiq; facultatem concedit.

§. 3. Ac nunc & pro tempore exiſtentibus Notariis de dicto numero & eorum cuilibet, quoſcumque qui in Iure canonico, & ciuili, ſeu altero eorum per diligentem examinationem per ſe adhibita, & aſſumptis ſecum duobus aut tribus illius ſciẽtiæ & facultatis doctoribus, ſciẽtia & moribus idonei & ſufficientes fuerint, in vtroque ſeu altero iurium huiuſmodi, quos vero in Theologia nõ tamen alicuius Ordinis regulares, ſeu artibus vel medicina, aut alia licita facultate ſtuduiſſe, ac per ſimilem examinationem duorum aut trium, & per eos eligendorum Doctorum, ſeu Magiſtrorum facultatis in qua ſtuduerunt, coram eis vel aliquo eorum habendam, ad Magiſtrorum, ſeu Doctorum eorumdem atteſtationem eis faciendam peritos, ac ſcientia & moribus præfatis, ad hoc idoneos & ſufficientes eſſe repererint, de eorumdem Doctorum ſeu Magiſtrorum, quo ad præmiſſa omnia conſilio & aſſenſu in Theologia, ſeu artibus, vel medicina, aut alia licita facultate huiuſmodi ad Baccalariatus licentiaturæ Doctoratus & Magiſterij gradus promouendi, & illis in eis legendi & alios actus ad perſonas in huiuſmodi gradibus conſtitutas quomodolibet pertinentes, faciendi, auctoritatem concedendi, & ipſorum graduum ſolita inſignia eis, qui eiſdem auctoritatibus, facultatibus & priuilegiis acſi huiuſmodi gradus in aliqua etiam famoſa Vniuerſitate ſuſcepiſſent, præterquam quo ad habilitatem ad Cathedrales Eccleſ. vtantur & gaudeant conferendi.

Notarios etiã creandi.

§. 4. Notarioſque & Tabelliones publicos creandi, ac creatos de Tabellionatus, & Notariatus officiis huiuſmodi per pennam & calamare, vt moris eſt, recepto prius ab eis ſolito iuramento inueſtiendi.

Spurios legitimandi ad ſucceſſionem bonorum etiã Eccleſ.

§. 5. Cum ſpuriis, baſtardis, manſeribus, incæſtuoſis & aliis ex quouis illicito & damnato coitu procreatis, vt in parentum & aliorum bonis, tam ex teſtamento quàm ab inteſtato ſine tamen præiudicio venientium ab inteſtato, aut ex fideicommiſſo, vel alia de iure valida diſpoſitione & citra bona emphyteutica & feudalia Eccleſiaſtica, aut ex fructibus, aliiſque rebus Eccleſiaſt. confecta, vel per Eccleſiam acquiſita, necnon derogationem conſtitutionis fel. rec Pij Papæ V. ſimiliter prædeceſſoris noſtri in illegitimos emanatæ, ſuccedere & quoſcumque actus legitimos exercere, & ad quoſuis honores, dignitates, & officia, publica vel priuata aſſumi, illaque gerere & exercere in omnibus, acſi de legitimo matrimonio procreati eſſent libere & licite valeant diſpenſandi.

Statuta pro Collegio condendi.

§. 6. Necnon ſtatuta & ordinationes d. Collegii proſperum ſtatum concernentia condendi, & pro tempore condita reſtringendi, ampliandi, & quoties expedire videbitur in totum vel partem delendi, & alia de nouo ordinandi, eaque ſub pecuniariis eidem Collegio applicandis. & aliis etiam ſuſpenſionis à perceptione emolumentorum diſtribuendorum arbitrio d. Collegij pœnis, per deputandos per ipſum Collegium exigendis, obſeruari faciendi auctoritate & tenore præſentis tribuimus facultatem & poteſtatem.

Familiares Papæ & eius Prælati domeſtici declarantur.

§. 7. Eoſdemque Notarios de numero huiuſmodi veros & indubitatos familiares, continuos commenſales, ac Prælatos domeſticos noſtros & pro tempore exiſtentis Rom. Pontt. exiſtere, eiſdemque priuilegiis & gratiis, quibus veri & intimi familiares, vtuntur, potiuntur & gaudent, necnon ad eorum inſtar, ſed pariformiter & æque principaliter ſine vlla differentia vti, potiri, & gaudere poſſe.

Panem, Veſtes & locum in Caualcatis habeant.

§. 8. Ac illis panem honoris, eiuſdem bonitatis & qualitatis, prout eiſdem intimis familiaribus & dilectis filiis Cam. Apoſt. Clericis dari conſueuit, dandum, ac ipſis & eorum cuilibet, obitus & coronationis Rom. Pontificis temporibus veſtes lugubres ratione obitus, & violaceas ratione Coronationis huiuſmodi aſſignandas eſſe; & in caualcatis Pontificalibus duos ex ipſis Notariis equitare cum mantellonibus immediate poſt Prælatos aſſiſtentes ſi voluerint, libere poſſe decernimus.

Litera Apoſt. gratis pro eis expediantur.

§. 9. Eiſdemque Notariis pro tempore exiſtentibus, vt ſingulæ pro eorum quolibet literæ Apoſtolicæ, etiam ſub plumbo, ſuper omnibus & ſingulis quorumcumque cum cura & ſine cura, ſæcularium vel quorumuis Ordinum regularium, beneficiorum eccleſiaſticorum, etiam ſi Canonicatus, & præbendæ, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes vel officia & dignitates ipſæ in Cathedralibus, etiam Metropolitan. poſt Pontificales maiores vel Collegiatis, aut aliis eccleſiis principales fuerint, & ad dignitates, perſonatus, adminiſtrationes vel officia huiuſmodi conſueuerint, qui per electionem aſſumi, eiſque cura immineat animarum, ac etiam ipſarum Cathedralium, vel Metropolitan. aut Patriarchalium Eccleſiarum proſionibus, commendis, ac fructuum, reddituum & prouentuum eccleſiaſticorum, necnon penſionum annuarum ſuper eiſdem fructibus, redditibus, & prouentibus, reſeruationibus & aliis gratiis, etiam per Cameram vel Cancellariam Apoſtolicam gratis expedire poſſint, de ſpeciali gratia indulgemus.

Emolumenta hic aſſignata nuſquam eis diminuantur.

§. 10. Et inſuper, quod pro ſingulis quarumcumque Cathedralium, Metropolitan. & Patriarchalium Eccleſiarum, necnon monaſteriorum, ceterorumque beneficiorum pro tempore facien. expeditionibus, quarum ratione taxa d. Collegio ſolui ſolet, ſemper eidem Collegio iura prædicta omnino ſolui debeant; ita quod in quibuſcumque gratiis, & mandatis à nobis & pro tempore exiſtente Rom. Pont. emanandis, etiamſi per ea expeditiones huiuſmodi, ſiue per Cameram, ſiue per Cancellariam, aut viam ſecretam gratis vbique fieri conceſſum ſit, nihilominus ius ſemper integrum & illæſum prædicto Collegio reſeruatum eſſe cenſeatur, nec expeditio fieri poſſit niſi prius ſolutis iuribus præfati Collegij; quodque nullo modo, nulloque tempore præmiſſis quamquam per nos, & ſucceſſores noſtros prædictos ſpecialiter & expreſſe, ex quauis cauſa illis derogatum fuerit, derogatum eſſe prætendi valeat; quinimo iura ipſa dicto Collegio integre, vt præfertur, ſolui non debeant, auctoritate & tenore præmiſſis, etiam perpetuo ſtatuimus & ordinamus.

Licentia deferendi arma, pro ipſis & eorum familiaribus.

§. 11. Præterea eorumdem ſeptem Notariorum & cuiuſlibet eorum conſanguineis, affinibus, & familiaribus continuis commenſalibus actu inſeruientibus, quòd quælibet arma non tamen breuioris menſuræ alias prohibita, tàm per Vrbem, quam totum Statum Eccleſiaſticum huiuſmodi abſque aliqua ſpeciali licentia deferre poſſint, quibuſuis prohibitionibus & bannimentis nequaquam obſtantibus, à quibus ſemper exempti & excepti ſint & eſſe cenſeantur, ipſorumque liſtis deſuper dandis miniſtri iuſtitiæ Vrbis & locorum ſtatus huiuſmodi credere, & acquieſcere debeant.

Facultas teſtandi etiam de acquiſitis ex bonis eccleſiaſticis pro duc. duobus mille.

§. 12. Iiſdemque Notariis, & eorum cuilibet, vt de quibuſcumque eorum bonis, mobilibus & immobilibus per eos tam ex Eccleſiis, aut aliis beneficiis Eccleſiaſticis, & hoſpitalibus, vel aliis piis locis, cuiuſuis etiam priuilegiati Ordinis, ſeu Militiæ exiſtentibus per eos obtentis, ac

Digitized by Google

ac obtinendis, aut alias quomodolibet, licite tamen acquisitis,& acquirendis etiamsi iuxta piæ mem. Sixt. IV. Iul. II. Leonis X. & aliorum Romanorum Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum desuper expeditas literas immobilia bona non possederint, etiam in dicta Romana Curia,& extra eam testari,& de eis inter quascumque personas vtriusque sexus,non tamen illegitimas,aut alias incapaces, gratis & absque alicuius compositionis solutione disponere, testari, codicillari, & ea etiam inter viuos erogare, concedere,& donare,ac testamenta,dispositiones,& concessiones huiusmodi,etiam dimisso Notariatus officio vsque ad summam duorum millium ducatorum auri de Camera, quoad bona Ecclesiastica, & aliis beneficiis prædictis acquisita, facere libere & licite valeant plenam & liberam, auctoritate & tenore prædictis concedimus licentiam & facultatem.

Exemptio à iurisdictione Ordinariorū. Hanc dedit etiam Leo X. in rubr. cit.

§. 13. Eosdemque Notarios à quorumcumque Ordinariorum locorum, & illorum omnium iudicum iurisdictione,potestate, superioritate & dominio,ita vt Ordinarij & alij prædicti, eorumque officiales, & Vicarij, ac quicumque alij Iudices nullam in eos, etiam ratione delicti contracti, aut rei de qua agi contigerit, superioritatem, potestatem, iurisdictionem, vel dominium valeant exercere, aut excommunicationis, vel alias sententias, censuras, & pœnas proferre, nisi de nostro,seu pro tempore Romani Pontificis mandato, ipsique in flagranti aliquo delicto deprehendantur penitus eximimus & totaliter liberamus, ac nostræ & Sedis Apostolicæ iurisdictioni, & potestati duntaxat immediate subiicimus. Inhibentes locorum Ordinariis,& aliis cuiuscumque qualitatis & dignitatis Iudicibus, ne prædictos Notarios aliquo colore, vel causa,nisi de nostro pro tempore existentis Romani Pontificis mandato vel in flagranti delicto,vt præfertur repertos,aliquomodo molestare,inquietare,capi facere, processare audeant vel præsumant, irritum & inane decernentes, quicquid, si secus ipsi, aut eorum quispiam præsumpserit attentare.

Facultas creandi vnū Notarium.

§. 14. Quodque dicti septem Notarij Collegialiter congregati, vnum Notarium quolibet anno fine Notarinrum prædictorum participantium præiudicio, & absque exemptionibus & priuilegiis ipsis septem Notariis concessis ita quòd illis non gaudeant, creare.

Locus eorum in Signaturis.

§. 15. Necnon,qui ex dictis septem Notariis vtriusque iuris Doctores fuerint, vtriusque Signaturæ Referendariorum numero adscribantur,& vnus ex eis antiquior in Signatura gratiæ semper assistere possit.

Et in actibus publ. Consistorij.

§. 16. Ac in quibuscumque actibus in Consistorio publico pro tempore faciendis, vnus sit accersendus Notarius, qui & alij ibi præsentes Notarij si rogentur instrumentum ad perpetuam rei memoriam conficiant; cui omnibus aliis instrumentis, & scripturis quibuscumque acta publica,quibus interuenerint concernentibus,vnius ex eisdem Notariis manu subscriptis, ac suo sigillo munitis,absque testibus,plenaria fides in iudicio & extra vbique locorum omnino adhiberi debeat.

Canonizationi eiusque Sanct.

§. 17. Et cum Notariatus officia huiusmodi ad res Martyrum describendas antiquitus, vt præfertur,instituta sint,quod vnus eorumdem Notariorum in Canonizatione Sanctorum,ac etiam in fabricando desuper processu coniunctim vna cum vno ex causarum Palatij Apostolici Auditoribus interuenire,& procedere.

Consistorijs publicis & Capellis.

§. 18. Illisque omnibus,& eorum singulis Consistoria publica,& Capellæ à Cursoribus intimari,ac eis Capella, & omnibus actibus Candelas, Agnusdei, & palmas eiusdem qualitatis & quantitatis, prout Episcopis assistentibus de more fieri solet.

Monetas Coronationis habeant.

§. 19. Necnon aureas, argenteasque monetas in die Coronationis, cuiuslibet Romani Pontificis dictæ Cameræ Clericis dari solitas, eisdem septem Notariis & eorum singulis in signum honoris distribui & dari.

Papa quando seruiam.

§. 20. Duoque ex illis si Princeps,& eorum Oratores, & Patriarchæ,necnon Archiepiscopi & Episcopi assistentes desint, à Magistris cæremoniarum ad nostram & pro tempore existentis Romani Pontificis eandam deferendam ceteris Prælatis in illis actibus in quibus ad ipsos spectat,& Baronibus postpositis assumi.

Pontificalibus quando vtantur.

§. 21. Et qui ex eis in presbyteratus ordine constituti fuerint,in Missis solemnibus mitra, & quibuscumque aliis Pontificalibus insignibus, etiam in Cathedralibus Ecclesiis, de illorum tamen Præsulum, si præsentes sint, si vero absentes ansque illorum consensu,etiam illis irrequisitis extra dictam Curiam vti.

Altareque portatile.

§. 22. Necnon quilibet eorum septem Notariorum nunc & pro tempore existentium, vt sibi habere liceat Altare portatile cum debita reuerentia & honore, super quo in locis ad hoc conuenientibus & honestis, etiam non sacris, ac etiam ordinaria,vel Apostolica,seu vtraque auctoritate,ex quauis causa interdictis,seu etiam tempore cessationis à diuinis, dummodo causam interdicti huiusmodi non dederit,etiam ante diluculum, & etiam circa meridiem in illius & domesticorum & familiarium suorum præsentia Missam per se, vel quemcumque sæcularem, vel cuiusuis Ordinis regularem Sacerdotem idoneum, ab Ordinario approbandum, celebrari facere,illique interesse,& eam audire libere & licite valeat.

Post decennii etiam dimissio officio Notarij remanens.

§. 23. Quodque iidem nunc & pro tempore existentes septem Notarij & eorum singuli, qui iam per decennium officium Notariatus huiusmodi continuerint, quique in futurum saltem per prædictum tempus à die quo in Collegium eorumdem Notariorum admissi fuerint computandum illud obtinuerint,si forte illud resignauerint,nihilominus Notarij sint,& vocentur, eisdemque honoribus,præeminentiis, antelationibus, priuilegiis, immunitatibus & exemptionibus, aliisque omnibus præmissis ad quinquennium tantum vtantur,perinde ac si in dicto Collegio adhuc essent; qui tamen Rochettum, præterquam extra Vrbem non deferant, nec locum in Capella habeant, alios tamen Prælatos immediate post Notarios incedendo, præterquam causarum dicti Palatij Auditores, & Cameræ Apostolicæ Clericos,procedant, auctoritate, & tenore præmissis concedimus pariter & indulgemus.

Executorum huius bullæ deputatio & facultates.

§. 24. Mandantes dilectis filiis Vicecancellario, Camerario,Summatori, & dictæ Cameræ generali Auditori, Clericis, Thesaurario,ac eiusdem Vrbis Gubernatori,Senatori,necnon Legatis, Vicelegatis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & Gubernatoribus quarumcumque Ciuitatum, Castrorum,& locorum dicti Status Ecclesiastici per Collegium dictorum septem Notariorum pro tempore existentium, & eorum singulos eligendis, vt eorum singuli per se vel alium seu alios, auctoritate nostra dictis septem nunc, & pro tempore existentibus Notariis in præmissis omnibus & singulis efficacis defensionis præsidio assistant, faciantque eos & eorum singulos quoties pro ipsorum parte super hoc fuerint requisiti, omnibus & singulis præfatis pacifice frui & gaudere, non permittentes eos & eorum aliquem, perquoscumque desuper quomodolibet indebite molestari, inquietari,aut impediri. Contradictores, quoslibet & rebelles cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, vel præeminentiæ fuerint, per censuras Ecclesiasticas & pecuniarias pœnas, aliaque opportuna iuris & facti remedia appellatione postposita compescendo. Decernentes præmissa omnia & singula perpetuo valida & efficacia existere, ac suos plenarios & integros effectus sortiri, ac ab omnibus obseruari, & sic non aliter per eosdem Cardinales, & Auditores, aliosque Iudices & Commissarios,sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere. Irritum quoque & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula contrariorum derogatoria.

§. 25. Non obstantibus Sanctæ memoriæ Symmachi, & Innocentij IV. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum contra exemptos editis & prædictis, aliisque Apostolicis, ac in generalibus & prouincialibus & synodalibus, & præsertim Trident. non tamen quoad exemptionem ab eo sublatam, Conciliis editis generalibus constitutionibus & ordinationibus, legibus, statutis nostris & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, vel aliis Extrauagantibus, quibuscumque editis generalibus constitutionibus, priuilegiis quoque indultis,

Digitized by Google

& literis Apoſtolicis, quibuſcumque Romanæ Curiæ officialibus, Collegiis, eorumque perſonis per quoſcumque prædeceſſores noſtros, etiam motu ſimili & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis declarationibus, & decretis, etiam talibus quod illis nullatenus, vel niſi de eorum quorum intereſt expreſſo conſenſu, & fratrum noſtrorum conſilio etiam conſiſtorialiter habito, aliiſque modis & formis ibi traditis vſquequaque ſeruatis derogari poſſit; etiamſi inter alia caueatur expreſſe, quòd ſi eis derogari contingat, derogatio huiuſmodi non valeat, niſi talis intentio derogandi aliquibus perſonis tunc expreſſis per diuerſas in forma Breuis literas cum intetuallo vnius menſis, ſeu alterius temporis eis præſentata prius & intimata, ac inſinuata fuerit, ac alias quomodolibet conceſſis & concedendis. Quibus, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, & ad effectum præmiſſorum omnium harum ſerie ſpecialiter & expreſſe motu pari derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides tranſumptorum.

§. 26. Volumus autem quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu pro tempore exiſtentis decani, ac antiquioris ex dictis ſeptem Notariis ſubſcriptis, & præfati Collegij ſigillo munitis, eadem fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum, &c.

D. P. An. 2. 5 Febr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, Nonis Februarij, Pontificatus noſtri anno primo.

Admiſſio & reg in Cam apoſt.

Die 14. Aprilis 1586. præſentes litera Apoſtolice præſentata fuerunt in plena Camera Apoſtolica, & die decimaoctaua eiuſdem, Camera ipſa referente Reuerendiſſimo D. Alexandro Glorierio dicte Camere Clerico, & Iudice ad id dicta die decimaquarta ſpecialiter deputato, citato prius Magnifico D. Ioannebernardino Piſcina ipſius Camere generali Commiſſario, illas admiſit & regiſtrari mandauit, prout regiſtrate fuerunt libro primo ſignaturarum Sanctiſſ. Domini Noſtri penes me infraſcriptum dicte Camere Notarium.

Tydeus de Marchis

XIII. Inſtitutio Archiconfraternitatis Chordigerorum S. Fr. chordam per Fratres eius Ordinis geſtari ſolitam, deuote deferentium, cum indulgentiarum conceſſione, & alias Confraternitates aggregandi poteſtate.

Quoad Indulgentias, vide nouam conſtitutionem Paul. V. mox edendam, quam firmatam vidi ſubdie 2. Martij 1607. Et quoad facultatem aggregandi, videformamtraditam à Clem. VIII. infra in ſua conſt. 115. Quæcumque.

Edita An. D. 1585. & 1586. Proœmium.

SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

EX ſupernæ diſpoſitionis arbitrio gregi Dominico præſidentes, inter curas multiplices quæ ex Paſtoralis officij miniſterio nobis incumbunt, illam libenter amplectimur, per quam omnium Chriſtifidelium, præſertim ſub ſuaui Religionis iugo, & vexillo, Altiſſimo famulantium, animarum ſalus cum diuini cultus incremento proueniat; ipſoſque Chriſtifideles, vt eorum vota ad id facilius concurrant, ſpiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, & peccatorum remiſſionibus, in apricum eis adducendo, iuſtos variis ſignis & miraculis coruſcantes inuitamus, & confouemus, ac alias deſuper diſponimus, prout ad eorumdem Chriſtifidelium ſpiritualem deuotionem conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

B. Franciſcus Ordinis Minorum inſtitutor, miraculis claruit, & Sanctorum numero ad ſcriptus fuit à Greg. IX. in eius conſt. 2. Mira.

§. 1. Cum itaque B. Franciſcus, à quo Ordo dilectorum filiorum fratrum Minorum inſtitutus fuit, quique inter ceteros in numerum Sanctorum cooptatos, ſignis, & miraculis maxime claruit, ita vixerit, vt penes omnes ad ſui deuotionem & imitationem pertraxerit, multique ex in ipſis Chriſtifidelibus chordam ſimilem ei, quaipſe dum in hoc ſæculo verſaretur, cinctus erat, hodie deferant; quin etiam plures eius laudabile inſtitutum amplexi, & ſub ſuaui iugo Religionis ab eo inſtituræ diuerſiſque Sanctæ Romanæ Catholicæ Eccleſiæ Prælatis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, poſtea ad ſummi Apoſtolatus apicem euectis illuſtratæ, militantes, tantumque virum imitati, in numerum eorumdem Sanctorum relati fuerint.

Hic Pōt. eiuſdem Ordinis profeſſor ad decorandam Eccleſiam in qua requieſcit corpus d. Sancti & fideles ad maiorem deuotionem excitandum Archiconfraternitatem Cordigerorum erigit in d. Eccleſia.

§. 2. Nos qui etiam à teneris annis ſingularem deuotionis affectum erga ipſum S. Franciſcum, cuius corpus ſub Altari Maiori Eccleſiæ domus Fratrum Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium nuncuparorum Aſſiſien. quæ inibi inſignis, maximeque celebris, & diuerſis priuilegiis decorata exiſtit, requieſcit, ſub habitu dicti Ordinis ſui incedentes geſſimus, cupientes domum, & Eccleſiam huiuſmodi amplius decorari, pietatiſque & Chriſtianæ charitatis opera, vbique cum diuini cultus augmento, ac ad eiuſdem Sancti Franciſci honorem & venerationem, animarumque ſalutem exerceri, fideleſque ipſos ad faciendum ea per quæ ad æternam beatitudinem valeant facilius peruenire, mediis opportunis excitare, infraſcriptum fratrem Clementem magiſtrum Generalem, ac ſingulares perſonas Conuentus domus prædictæ à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſq; Eccleſiaſtis ſententiis, cenſuris & pœnis, à iure vel ab homine; quauis occaſione vel cauſalatis, ſiquibus quomodolibet innodati exiſtūt ad effectū præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluētes, & abſolutos fore cēſentes, Motu proprio non ad alicuius nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & certa ſcientia, in Eccleſia domus, & ad Altare huiuſmodi, vnam Archiconfraternitatem vtriuſque ſexus Chriſtifidelium, qui Chordam per eiuſdem Ordinis Fratres geri ſolitam, ex illorum deuotione deferant, ac illa cingantur, ſub inuocatione eiuſdem Sancti Franciſci, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, perpetuo erigimus, & inſtituimus. Vt autem ipſa Archiconfraternitas Confratrum cordigerorum prefatæ chordæ, numero in dies magis ampliata decoretur, ipſique Confratres ad piorum operum exercitium propenſiores reddantur, ac ad Eccleſiam, & altare huiuſmodi deuotionis cauſa confluant, quo per hoc ſe maiora cœleſtis gratiæ dona cognouerint adipiſci; De Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi.

Indulgentiam Confratribus elargitur pro die ingreſſus.

§. 3. Omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui vere pœnitentes, & confeſſi, ac præfatam chordam, quæ prius à ſuperioribus dicti Ordinis benedici debeat, ad reuerentiam & memoriam eiuſdem S. Franciſci gerentes, ſacraque Communione refecti, præfatam Archiconfraternitatem ingrediuntur, die prima illorum ingreſſus, ac in mortis ipſorum articulo, Nomen Ieſu, ore vel corde inuocantibus, ſi etiam vere pœnitentes, & confeſſi fuerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem.

Aliaſque Indulg. Fratrum Conuentualiū & Confraternitatis Confalonis. Tu aduerte ad not. in rub.

§. 4. Et inſuper eidem Archiconfraternitati illiuſque Confratribus, omnes & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac relaxationes, Archiconfraternitati Confalonis B. Mariæ Virginis in Eccleſia S. Luciæ de Vrbe inſtitutæ, necnon prædicto Ordini, ac illius fratribus, & perſonis, quandocumque, & per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam per nos conceſſas, quoad illas tantum, quæ hactenus reuocatæ non fuerunt, motu, & auctoritate, ac tenore ſimilibus, eam perpetuo concedimus, & elargimur, ac communicamus.

Generali Mag. Conuentualium de facultate aggregandi lias Confraternitates. Tu vide mox infra.

§. 5. Poſtremo, dilecto filio Fratri Clementi Bontadoſio nunc & pro tempore exiſtenti dicti Ordinis Generali Magiſtro Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium nuncupatorum, quaſcumque Confraternitates vtriuſque ſexus Chriſtifidelium Chordigerorum huiuſmodi in quibuſcumque Eccleſiis, domorum tam Minorum Cōuentualium,

Digitized by Google

uentualium, quam Capuccinorum, & de Obseruantia nuncupatorum Fratrum prædictorum, in quibuscumque mundi partibus & locis pro tempore erigendis, & instituendis, erigendi, & instituendi, illasque postquam erectæ, & institutæ fuerint, præfatæ Archiconfraternitati per præsentes erectæ & institutæ, cum omnibus & singulis Indulgentiis, peccatorum remissionibus, & relaxationibus aggregandi, ac ipsas Indulgentias, illis, & earum Confratribus communicandi, pariterque concedendi, plenam, liberam, & omnimodam facultatem, & ctoritatem damus, & concedimus, prout nos easdem omnes Confraternitates, ex tunc, postquam erectæ & institutæ fuerint, ipsi Archiconfraternitati per præsentes erectæ & institutæ huiusmodi, aggregamus, præfatasque Indulgentias, illis & earum Confratribus communicamus, & concedimus.

Clausula præseruatiua.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas, nullo vmquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis, seu quopiam alio defectu, notari, impugnari, vel retractari, aut reuocari vllatenus posse, neque debere; sed semper & in perpetuum validas & efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri debere.

Clausula derogat.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Regula nostra de indulgentiis ad instar non concedendis, ac aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis; ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 1. 19. Nouemb.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1585. 13. Kalend. Decembris, Pont. nostri anno 1.

Sequitur extensio d. constitutionis.

Edita An. D. 1586.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Hic Pont. edidit const. præced.

DIuinæ charitatis altitudo eminentissima, & summi amoris Seraphici inexhausta bonitas, &c.

Omittitur relatio eiusdem bullæ.

Et modo omnia in ea contenta approbat, & d. Archiconfraternitatem caput aliarum vbique institutarum constituit.

§. 1. Ne autem de præmissorum validitate vllo vmquam tempore dubitari contingat: nostram denuo in præmissis auctoritatem interponere, ipsiusque Archiconfraternitatis auctoritatem extendere, ac pium dictorum Coufratrum Chordigerorum propositum amplius promouere, eosque spiritualibus muneribus, Indulgentiis videlicet, & peccatorum remissionibus, prosequi cupientes; supplicationibus dicti Clementis hac in parte inclinati, institutionem huiusmodi, Apostolica auctoritate præfata, tenore præsentium perpetuo approbamus & confirmamus, supplentes omnes, & singulos, tam iuris quam facti defectus, siqui interuenerint in eisdem; Ipsam Archiconfraternitatem in caput omnium Confraternitatum Chordigerorum huiusmodi, vbilibet institutarum & instituendarum, etiam perpetuo, auctoritate & tenore præmissis erigimus, & instituimus.

Indulgentias fratrum Minorum iterato concedit.

At reuocauit Paul. V. vit. in rubr.

§. 2. Omnesque & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones & relaxationes, Religioni & Ordini Fratrum Minorum huiusmodi per quoscumque Rom. Pontifices prædecessores nostros, ac nos concessas, quoad eas dumtaxat, quæ hactenus non sunt reuocatæ, nec sunt vllis reuocationibus comprehensæ, eisdem auctoritate & tenore similiter perpetuo approbamus & confirmamus, ac illis perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus.

Alias hic expressus elargitur.

Quæ sunt reuocata vt notauí in rubr.

§. 3. Illasque Archiconfraternitati & Confratribus Chordigerorum huiusmodi, sub eisdem modo & forma, quibus illæ religioni & fratribus præfatis concessæ fuerunt, dummodo (vt præfertur) non fuerint reuocatæ, etiam perpetuo concedimus, elargimur, & communicamus. Necnon de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, vtriusque sexus Confratribus Chordigerorum huiusmodi, præter Indulgentias Religioni præfatæ concessas, in mortis articulo, necnon quoties processionibus Archiconfraternitatis Chordigerorum huiusmodi, singulis mensibus fieri solitis interfuerint, eisdem quidem Confratribus plenariam omnium peccatorum suorum

Et nō confratrib. aliis tribuit.

Indulgentiam & remissionem perpetuo concedimus.

§. 4. Aliis vero non Confratribus, qui processionibus huiusmodi interfuerint, centum annos de iniunctis eis, vel alias quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Ac præfatis Confratribus, qui aliis dictæ Archiconfraternitatis processionibus, aut dum B. MARIÆ, vel quoduis aliud diuinum officium per ipsos Confratres Chordigeros recitabitur, interfuerint, ac quoties Sanctissimum Christi corpus, dum infirmis defertur, vel defunctum ad sepulturam associauerint, aut alicui miserabili personæ subuenerint, vel pacem inter inimicos compositerint, seu aliquod horum fecerint, toties centum dies, de eis iniunctis, seu alias, quomodolibet debitis pœnitentiis etiam misericorditer in Domino relaxamus. Eisdemque Confratribus Chordigeris, vt Indulgentias & peccatorum remissiones præfatas, per modum suffragij, pro fidelibus qui in gratia Dei decesserint, consequi, & impartiri valeant.

Reuocationē tibi indicauit rubr.

Alias Confraternitates aggregandi facultatem concedit. Tu quoad hoc vide bull 12. Clem. VIII. Quæcumque.

§. 5. Necnon quascumque Confraternitates vtriusque sexus Christifidelium Chordigerorum huiusmodi, in quibuscumque Ecclesiis domorum, tam Minorum Conuentualium, quam de Obseruantia, & Capucinorum nuncupatorum fratrum prædictorum, in quibuscumque mundi partibus, & locis pro tempore erigendas, & instituendas, postquam erectæ & institutæ fuerint Archiconfraternitati illorum aggregandi, illisque omnes, & singulas eorum Indulgentias, & peccatorum remissiones, & relaxationes communicandi & concedendi, plenam hi eramque facultatem præfato, ac pro tempore existenti Generali dicti Ordinis Minorum Conuentualium, auctoritate & tenore præfatis concedimus.

Clausula derogat.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac nostra de Indulgentiis ad instar non concedendis, & quibusuis aliis constitutionibus & ordinationibus Apost ceterisque contrariis quibuscumque præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides transumptorum.

§. 7. Volumus autem quòd præsentium transumptis, manu alicuius Notarij subscriptis, & sigillo pro tempore existentis Ministri, vel Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium huiusmodi, vel cuiusuis personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut Canonici alicuius Cathedralis Ecclesiæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur vbique locorum & gentium, in iudicio & extra, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ 1586. Nonas Maij Pont. nostri anno 2.

D. P. An. 2. 7. Maij.

Iurisdictio Consulum Artis Lanæ in Vrbe, & priuilegia mercatorum eiusdem Artis. XIV.

Hanc iurisdictionem primo concessit Pius V. in sua const. 43. Vt ad Artis. vbi notaui.

Edita An. D. 1585.

SIXTVS PAPA V. Ad futuram rei memoriam.

Hic Pone. ad rencuandam Artem Lanæ in Vrbe, Cardinalem Sanctacrucium deputauit.

CVm alias considerantes artem Lanæ, quam in multis Italiæ ciuitatibus insignibus, in decus & ornamentum illarum, publicamque vtilitatem exerceri accepimus; eius esse industriæ vt facile omnes omnis generis personæ ex ea, & eius exercitio viuere, & se manutenere possent cupientesque exercitium huiusmodi in hanc nostram Vrbem introducere, seu iam alias introductum, hodie tamen pene extinctum renouare; vt sic pauperes & miserabiles personæ, etiam vagabundæ vtriusque sexus, huius nostræ Vrbis haberent in quo se exercerent; & exercendo victum sibi compararent, Dilectum filium nostrum Prosperum, tituli S. Clementis presbyterum Cardinalem, de Sanctacruce nuncupatum, desuper deputauerimus,

Qui cum hominibus d Artis conuēnit quod.

§. 1. Et dilecti filij Alexander Capocefalus; & Fenizius Alfanus, mercatores lanæ, sese eidem obtulerint, & paratos esse dixerint, id onus, & hanc curam artis lanæ, & illius exercitium in dictam Vrbem introducendi, & vt panni cumcumque generis conficiantur curandi suscipere, & sub his conditionibus, capitulis, & statutis nimirum.

Camera mittuet Arti scut. decem millia.

§. 2 Quod per Cameram nostram Apost. duodecim millia

Digitized by Google

lia scuta eis mutuo,& in contanti (tdonee per eos cauto de illis infra decem annos proxime venturos restituendis) darentur.

Alia bis mille Artis donet.

§. 3. Et præterea alia mille scuta ex pecuniis eiusdem Cameræ ad satifactionem, & seu commoditatem eorumdem Alexandri, & Fenizij pro ædificio purgamenti, vulgo dicti il Purgo, quod dudum tempore Pontificatus fel. recor. Pij PP. V. prædecessoris nostri, prope fontem Triuij de Vr e cœptum fuit, tincturiæ, ac instrumentis ad dictam artem necessariis statim exponerentur, nec ipsi Alexander,& Fenizius ad horum milles,nec aliorum mille scutorum, quæ tempore prædicto pro eodem ædificio à dicta Camera data fuere, aliter restituere tenerentur; sed ipsa bis mille scuta commodo, & beneficio dictæ artis omnino cederent.

Statuta Artis confirmat.

§. 4. Et statura Collegij, siue societatis, Mercatorum artis lanæ huiusmodi necnon statuta, & alia præmissa ipsis confirmarentur.

Præferantur mercatores Artis, in bonis debitorum sciat. mercatores Ripæ.

§. 5. Nec qui de dicta Arte essent, tenerentur pro eorum creditis concernentibus materiam & exercitium lanæ, atque tincturiæ, eiusque membra decoctis debitoribus cum aliis creditoribus discutere; sed semper præferantur, provt,& quemadmodum Mercatores Ripæ præferuntur.

Consules huius temporis ad triennium confirmantur.

§. 6. Dictique Alexander, & Fenizius, ac pro tempore existentes Consules dicti artis lanæ ad tres annos proximos, & continuos confirmarentur, vt sic melius & commodius ipsi formam, & modum introducendi artem, & exercitium lanæ,atque tincturæ cum suis annexis, & dependentiis tradere, ac statuta Collegij, siue Societatis prædictæ ad vsum, & obseruantiam reducere.

Pecunia penes eos existat.

§. 7. Nec prædicta duodecim millia, & alia mille scuta ipsis Alexandro, & Fenizio, per succedentes eis Consules, aut alios quoscumque dictæ artis auferri possent.

Consules vtãtur voto Assessoris in pœnis afflictiuis.

§. 8. Quòdque Consules huiusmodi pro tempore existentes quemcumque in vlla afflictiua pœna etiam in causa criminali, vel mixta absque voto assessoris ipsorum, ex omnibus qui de dicta arte extiterint ad tempus eis bene visum eligendi condemnare nequirent.

Consules dent lanam omnibus huic exercitio vacantibus.

§. 9. E contra vero, dicti Alexander, & Fenizius obligati essent dare lanam omnibus iis, qui voluerint tali exercitio vacare obseruando statuta, ac præstita cautione de restituendo valore lanæ in termino ab ipsis Consulibus statuendo, vt sic capitale, & corpus perpetuo eidem Cameræ conseruaretur.

Certum pannorum qualitatem singulis annis con. cere debeat.

§. 10. insuper tenerentur prædicti Alexander, & Fenizius statim habitis pecuniis incipere, facere, & confi cere, ac fieri & confici facere hic in Vrbe pannos cuiuscumque generis, & in specie conficere, & fa ricare singulis annis, excepto primo anno, dictorum decem quolibet reliquorum nouem annorum, centum petias pannorum, vt dicunt mixtorum, & quinquaginta pannorum exquisitorum, alias finnorum, & viginti quinque stameggiatorum nigrorum guadi de septuaginta in octuaginta, vt vocant. Pannorum vero monachinorum etiam vigintiquinque petias, & totidem rasciæ, ac petias quinquaginta saiette. Non possent autem vllo modo pro pannis stameggiatis, monachinis, rasciæ, & saiettis huiusmodi, lanam ex pellibus peccorum euulsam, quam alias appellant pelatam, adhibere, suo pœna amissionis ipsorummet pannorum, & quinquaginta scutorum pro qualit et petia, & in fine cuiuscumque anni docerent in Camera Apostolica se huiusmodi pannos confeciisse sub restitutionis illico faciendæ earum pecuniarum,quas receperint, & aliis pœnis ad beneplacitum dictæ Cameræ, seu præsidentium ipsius infligendis. Et casu quo monachini, & rasciæ,non ita expedite venderentur, possent de licentia tamen eorumdem præsidentium Cameræ Apostolicæ tales pannos, seu confectionem ipsorum intermittere, & alios conficere, ita vt pecuniæ non remanerent inutiles, & pauperes haberent in quo se ad vitam sustentandam exercerent. Cum hoc tamen quod dicti Alexander, & Fenizius teneantur continuo habere in eorum fundacho monachinos, rasciam, & alios pannos exquisitos, Romæ confectos, & elaboratos, & alias, vt in ipsis capitulis, conditionibus, & seu statutis plenius dicitur contineri. Quæ omnia per dictum Prosperum Cardinalem vt supra à nobis deputatum, approbata, & confirmata fuerunt.

Et modo idem. Pont. ordinationes prædictas, & etiam statuta Conc. Trid. non contraria confirmat.

§. 11. Propterea nos exercitium hoc magis, ac magis promoueri peroptantes, ac dilectos filios Collegium, seu societatem Mercatorum artis lanæ dictæ Vrbis ad id excitare, eosdemque specialibus fauoribus & gratiis prosequi volentes, ac capitula, conditiones, & statuta huiusmodi rata habentes, illorumque omnium tenores,& qualitates, pro expressis habentes, & Alexandrum, & Fenizium, ac mercatores prædictos, & eorum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, capitula, & conditiones, ac noua huiusmodi, necnon vetera Collegij prædicti statura, ordinationes, felix regimen & gubernium ipsius Collegij, seu societatis concernentia, ac alias licita & honesta, nec sacris Canonil us, aut Concilio Tridentino contraria, quæ descripta sunt in quodam eiusdem Collegij libro in membrana manu scripto, & cooperturis ligneis corio rubro tectis cõpacto, cum quatuor non cartulatis, sic incipien. (Cum hoc sit, quod ex forma cuiusdam statuti, ac finien. in hunc modum, & onera subsținendo recipiant, & honores, & aliis 150. cartis, seu foliis cartularis, vt præfertur, scriptis, & sic pro rubrica incipien. Incipiunt statuta Mercatorum artis lanæ, & deinde hæc verba subiunguntur. In nomine Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & ad honorem, &c. Quæ quidem verba nigro colore sine attramento sunt scripta, in fine autem eiusdem libri, videlicet vltimo fol. subsequens Notarij recognitio finem facit. Die 21. Ianuarij 1574. D. Horatius Fuscus Notarius medio iuramento tactis,&c. recognouit prædicta statuta esse vniuersitatis artis lanæ Vrbis in forma auctoritate Apost. per præsentes perpetuo approbamus, & confirmamus, supplentes singulos, tam iuris quam facti defectus, siqui desuper interuenerint.

Cõsulibus cedit facultatem à statutis mutandi & cognoscendi causas concernentes artem lanæ, etiã quoad Hebræos.

§. 12. Ac insuper, nunc & pro tempore existentibus dicti Collegij Consulibus, vt in eorum Congregatione, statuta & ordinationes prædicta, toties quoties pro rerum, & temporum qualitate expediens fuerit reformare, corrigere, & in toto vel in parte mutare, & de nouo condere. Ac de omnibus & singulis causis, tam ciuilibus quam criminalibus, seu mixtis, etiam ratione præteritorum lanæ artem concernentibus, iuxta prædicta statuta, & ordinationes in futurum recognoscere, easque decidere, & terminare,ac etiam pœnas per dicta statuta contra non obseruantes illa, aut alias impositas augere, seu immutare libere & licite valeant. Ita quod causæ prædictæ per modernos, & pro tempore existentes d. Vrbis Gubernatorem, Senatorem, & Conseruatores, alioque Capitolinos Iudices, & ceteros etiam maiores Magistratus q uouis prætextu vel colore reassumi non possint. Quodque dum ipsi Consules in vnum conuenerint, aut totum Collegium prædictum congregabunt, pro negotiis d. artis lanæ licentiam à dilectis filiis dictæ Vrbis Conseruatoribus petere minime teneantur, concedimus, & facultatem, eosdemque ad hunc effectum in Iudices ordinarios idoneos & competentes, coram quibus solis, qui dictam artem lanæ exercuerint, etiam pro crediris eorum ab Hebræis consequendis, non autem coram Vrbis prædictæ Vicario, aut eius Vicegerente, nunc & pro tempore existente, vel quoquam alio conueniri, & ipsos Hebræos conuenire debeant, perpetuo constituimus, ac deputamus.

Clausula præseruatiua.

§. 13. Decernentes præsentes literas semper & in perpetuum ab omnibus vbique inuiolabiliter obseruari, ac sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum à nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus, Sedeque Apostolica pro tempore emanatis reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, sub quibuscumque tenoribus, & formis & ad quorumuis instantiam, & etiam Motu proprio concessis comprehendi: sed semper ab illis excepras, & quoties illæ emanabunt, toties in validissimum statum restitutas, & de nouo etiam sub data per eosdem Collegium,

Digitized by Google

Collegium, seu societatem eligenda concessas, ac validas & efficaces esse censeri.

Decretum irritans.

§. 14. Et sic per quoscumque Iudices, ordinarios & delegatos, etiam S.R.E.Cardinales, sublata eis,& eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate iudicari & definiri debere, ac irritum & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate,scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogat.

§.15. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apost. necnon tam dictæ Vrbis, quam aliarum quarumcumque Ciuitatum, & locorum dicti Status nostri mediate vel immediate subiectorum, etiam iuramento, confirmatione Apost. vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque indultis,& literis Apost.quibusuis personis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac clausulis in contrarium forsan quomodolibet concessis. Quibus omnibus etiam si de illis specialis specifica, & ad verbum expressa mentio habenda esset illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat.P.An.1. 18.Decemb.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die decimo octauo Decembris, millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, Pont. nostri anno primo.

XV. De Visitandis certis hic statutis temporibus, Sanctorum Petri & Pauli de Vrbe liminibus, &c. ab Episcopis, Patriarchis, & aliis Ecclesiarum Primatibus.

Illi Prælati Romano Pont.aut Congregationi Cardinalium super Interpretatione & executione Conc. Trid institutæ, de Statu suarum Ecclesiarum rationem reddunt, vt infra in const.74. Immensa *in §. Congr.* 8.

Edita A. D. 1585.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

ROmanus Pontifex, Beatissimi Petri Apostolorum Principis successor, in altissima militantis Ecclesiæ specula, diuina dispositione collocatus, ex credito sibi Apostolicæ seruitutis officio omnium Ecclesiarum solicitudinem habere, totiusque Dominici,Gregis,qui vnius sanctæ Catholicæ & Apostolica Ecclesiæ per vniuersum Orbem terrarum diffusæ, sacro ouili concluditur, curam gerere tenetur. Huius vero tam grauis & ingentis oneris angelicis plene humeris formidandi, magnitudinem, vt facilius ferre posset, venerabiles fratres suos Catholicos Episcopos in partē suæ solicitudinis aduocauit; qui tamquam seniores in populo Dei, pleni sapientiæ spiritu,in sua quisque pastorali vigilia excubantes, illius supremi in terris pastoris immensos labores subleuarent, in quo vno, Deo auctore, plenitudo residet potestatis. Nimirum, vt Episcoporum opere, & adiumento, vbique locorum gregis sibi commissi vultum agnosceret; & spiritualium eorum morbos intelligeret, curationesque adhiberet, atque ex sui muneris officio, perdita requireret, abiecta reduceret, confracta alligaret, infirma consolidaret, pinguia, & fortia custodiret: denique assiduis pastorum vocibus admonitus, de toto Ecclesiarum singularum statu certior redderetur, ne quicquam omnino illum lateret earum rerum quas ad Dei gloriam augendam, ad Christianam religionem propagandam,ad animarum salutem procurandam necessario eumdem scire, atque intelligere oportet, vt omnibus cognitis & examinatis, pro ea quæ sibi à Christo Domino tributa est, summa potestate, alia in vinea Domini Sabaoth euellat, alia plantet,

Episcopi, &c. ex antiquo instituto certis temporibus limina Apostolorum visitare iurabant.

alia ædificet, alia destruat, quemadmodum ex rerum & temporum conditione salubrius in Domino viderit expedire.

§. 1. Ob quas sane causas iure optimo, & Spiritus Sancti instinctu, à sanctissimis Pontificibus prædecessoribus nostris iam ab antiquissimis temporibus institutum est, & per multas ætates magno Ecclesiæ Dei commodo obseruatum, vt singuli Episcopi, Archiepisc. Primates,& Patriarchæ,certis præscriptis temporibus,per se ipsos,vel per certum eorum Nuncium,omni occasione sepposita, Beatissimor. Apostolor. Petri & Pauli,qui hanc Almam Vrbem suo sanguine consecrarunt, limina, tamquam fidei petram,& totius sacerdotalis vnitatis fontem iureiurando se visituros pollicerentur, atque ita S.R.E. matris suæ complexu recreati, & paterno Summi Pont. colloquio roborati, ad Ecclesias suas regendas, alacriores & instructiores redirent.

Sed variis ex causis hoc institutum refriguit.

§.2. Ceterum hæc tam salutaris, atque necessaria constitutio, partim hominum negligentia, partim antiqui humani generis hostis astutia,variis etiam insurgentibus temporum calamitatibus, valde refriguit, aliis alia atque alia impedimenta prætexentibus, in graue animarum suarum periculum, & quibus præsunt Ecclesiarum detrimentum.Nec vero dubitandū est,quod sine maximo animi mœrore commemorare non possumus, pernicioſissimas hæreses, quibus multis iam annis, hominum peccatis ita promerentibus,Ecclesia vexatur,& Christi Domini vestis dilaceratur,ex eiusmodi salubertimæ visitationis intermissione partim ortas esse, partim latenti progressione magnum incrementum accepisse. Nam si celeriter in ipso nascentis mali initio,ab ipsis Episcopis pro rei grauitate ad Romanum Pontificem relatum esset, sane illius prouidentia & auctoritate statim venenatæ stirpes ex agro Domini euulsæ essent, & diabolici ignis scintillæ subito oppressæ, atque restinctæ, in tot flammas & luctuosa incendia non erupissent.

Hic ideo Pōt. præcipit omnibus Prælatis ad Ecclesiam promouendis aut transferēdis, quod limina Apostolorum statutis hic temporib. visitare iurēt; & etiam Pōt. de Pastorali eorum officio rationem reddere & mandata Apost. diligentissimè exequi.

§.3.Hæc,atque alia grauissima incommoda,cum primū ad summi Apostolatus apicem,meritis licet imparib.Deo ita volente, vocati sumus, attentius considerantes, non solum ex intimis animi sensibus indoluimus, sed statim de adhibendo remedio, diuina gratia adiutrice, cogitare cœpimus. Vrget enim nos Dei timor,& acres animo nostro stimulos,dies noctesque subiicit, quemadmodum in tremendo illius iudicio, administrationis nostræ rationem reddamus.Nam si huic tanto malo,quod magis quotidie ingraueſcit, non occurramus, non possumus nobis ipsis non valde timere,cum crebro in mentem veniant,& quasi aures nostras personent sacræ illæ voces, comminationis, & terroris plenæ. Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, & sanguinem eius de manibus tuis requiram. Et quod Petro à Domino dictum est.Confirma fratres tuos. Et illud Apost. Pauli, quod tanto magis ad nos pertinet quanto maiorem præter cæteros, pastoralis officij curam sortiti sumus. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Quocirca eorumdem prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, simulque modum & temporum spatia Ecclesiarum earumdem Præsulibus, pro cuiusque interuallo,& locorum distantia moderantes,hac perpetua constitutione sancimus, decernimus, & mandamus, vt omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, per vniuersum terrarum Orbem constituti à nobis deinceps ordinandi, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, antequam munus consecrationis suscipiant, seu eis consecratis pallium de B. Petri corpore sumptum tradatur, aut si ad aliam Ecclesiam transferantur, antequam illius regimini & administrationi se immisceant si quidem præsentes in Curia fuerint,in manibus S.R.E.Diaconi Card. ordine prioris,si vero absentes in manibus Antistitis,qui ad impendendum munus prædictum, aut ad tradendum pallium huiusmodi à Sede Apost.delegabitur,iurent iuxta formulam in libro Cācell. Apost.quinterno appellato, nuper descriptam,se Beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli limina,statutis in hac nostra constitutione temporibus, personaliter, ac per se ipsos visituros ac nobis & successoribus nostris pro tempore existentibus Romanis Pontificibus rationem reddituros de toto eorum pastorali officio, deque rebus omnibus ad ipsarum quibus præsunt Ecclesiarum statum,ad Cleri & Populi disciplinam, animarum denique, quæ illorum fidei creditæ sunt salutem quouis modo pertinentibus, & vicissim mandata Apostolica recepturos, & quam diligentissime executuros.

§.4. Quod

Et legitime impedit, per certum Nuncium hæc adimplebunt.

§. 4. Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, iurent se prædicta omnia adimpleturos per certum nuncium ad id speciale mandatum habentem, & de gremio suorum capitulorum,aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut si huiusmodi hominem Ecclesiastica dignitate, & personatu præditum non habeant, per diœcesanum sacerdotem, & si Clero careant, omnino per aliquem alium presbyterũ, sæcularem vel regularem spectatæ probitatis, & religionis, de supradictis omnibus plene instructum.De huiusmodi autem impedimento docere debeant per legitimas probationes, ad dictum primum Diaconum Cardinalem, per supradictum Nuncium transmittendas.

Idem Pont. hortatur, vt opera ipsorum Episcoporum aut aliorum, à Sede Apost. auxilia & subsidia petant.

§. 5. Quin etiam Principes temporales,si quid pro eorum pietate,& erga hanc Apostolicam Sedem obseruantia, Romano Pontifici voluerint significare, eosdem, siue Episcopos, siue alios qui ab eis mittentur,fidos habebunt nuncios ac relatores, quorum opera ab eadem Sede pro illorum dominiis, ditionibus,& rebus firmandis, ac stabiliendis, & cum Dei & sanctæ religionis causa, sine qua tuto consistere haud possunt, coniungendis, opportuna sinceræ charitatis officia,consilia,atque subsidia expectare certo poterunt.

Tempus præfinitur omnibus Prælatis ad explendum hoc visitationis officium.

§.6.Ad hoc autem debitum visitationis officium commode explendum supradicti omnes Patriarchæ,Primates, Archiepisc.& Episc.Itali videlicet,vel ex Italicis Insulis, vnde in Italiam commodius traiici potest, veluti Siculi, Sardi, Consi, & alij adiacentium Prouinciarum Italiæ ac etiam Dalmatiæ & Græcarum, quæ è regione ipsis Italiæ & Siciliæ oris sunt, tertio anno;Germani vero,Galli,Hispani, Belgæ, Bohemi, Vngari,Angli Scoti, Iberni & ceteri omnes, qui in Europa sunt citra mare Germanicum, & Balticum, ac omnium Insularum maris mediterranei, quarto anno,& qui intra Europæ fines sunt,his Prouinciis remotiores,ac etiam Africani littoribus nostris aduersi, ac insularum maris Oceani Septentrionalis & Occidentalis Europæ & Africæ citra continentem noui Orbis, tam qui nunc sunt, quam qui ad Catholicam fidem per misericordiam Dei, aliquando redierint, quinto anno.Asiatici vero & qui extra Asiam,& in aliis nouis terris Orientalibus, Meridionalibus, Occidentalibus, & Septentrionalibus, tam in Insulis quam in continentibus, & denique in quibuslibet mundi partibus decimo anno iter suscipiunt; & Deo concedente perficiant. Idemque institutum tertio quoque, quarto,quinto,& decimo anno repetant & obseruent. Hæc autem annorum spatia tempore susceptæ muneris consecrationis,vel pallij traditionis, aut translationis, vt præfertur, incipiant. Quæ ne longius differatur,Volumus quod tempus qualecumque excursum alicui ex supradictis Præsulibus,qui siue morte præuentus,siue alia quacumque de causa ob non finitum tempus ei præscriptum, dicta limina non visitauerit, ita illius successori effluxisse, & excurrisse intelligatur,vt termino ipso iuxta prædecessoris sui iusiurandum completo debitam tunc visitationem quamprimum conficere teneatur.

Obedientiam Prælatis indicit.

§.7. Hi vero ex supradictis Antistitibus, qui hactenus ab hac sancta Sede ordinati sunt, aut dictum pallium ab ea susceperunt,aut ad aliam Ecclesiam translati sunt,prout cuique distantia locorum,& temporum interualla prescripta sunt, ad supradicta omnia obseruanda à die publicationis præsentis constitutionis omnino teneantur. Iubemus igitur in virtute sanctæ obedientiæ supradictis omnibus Antistitibus, præsentibus, & futuris, vt visitationem prædictam, sibi suisque Ecclesiis adeo vtilem ac necessariam, iuxta præscriptam formulam omnino conficiant.

Inobedientibus pœnas imponit.

§.8.Si vero,quod absit,non egerint,eos ab ingressu Ecclesiæ, ac etiam ab administratione,tam spiritualium quã temporalium, necnon à perceptione fructuum suarum Ecclesiarum,à Capitulis,eorum omni,exceptione,& mora cessante,interim libere exigendorum, & in opus fabricæ, seu ornamentorum Ecclesiæ emptionem, prout maior exegerit necessitas,insumendorum, ipso facto tamdiu suspensos esse volumus, donec à contumacia resipiscentes relaxationem suspensionis huiusmodi à Sede prædicta meruerint obtinere.

Clausulas cõtrariorum derogatorias apponit.

§.9.Non obstan.priuilegiis,Absolutionibus, indulgentiis & aliis concessionibus de non visitandis liminibus eiusmodi quibuscumque Ecclesiarum Prælatis & per quoscumque Rom.Pont.ac etiam nos & dictam Sedem ex quibusuis causis, perpetuo vel ad tempus, concessis, extensis & innouatis, quæ omnia contra præmissa quicquã nolumus suffragari, aliisque contrariis quibuscumque. Ceterum nos saluti & conscientiæ securitati eorum Præsulum,qui ad huiusmodi visitationem obligati, eam contra iusiurandum hucusque distulerunt, consulere volentes, eos singulos à periurij reatu, & à Canonicis, Apostolicisque omnibus sententiis,quas propterea incurrerunt, auctoritate præsentium absoluimus, quos tamen pro excessu huiusmodi eleemosynam, quantam & cui, vel quibus eorum Confessarius statuerit applicandam,volumus erogare.

Exemplis credi iubet.

§. 10. Quia vero difficile nimis esset præsentes literas quocumque illis opus perferri, volumus quoque, vt earum exemplis etiam impressis, manu Notarij publici, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ eisdem præsentibus, etiam in d. quinterno describendis haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.Nulli ergo,&c.

D. P. Ann. 1. 20. Decemb.

Dar. Romæ apud S.Petrum,Anno Incarnat.Dominicæ 1585.13.Cal.Ian.Pont.nostri anno 1.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D.1585.indict.13.die vero 20.mensis Decemb.Pont.Sanctiss.D.N.D. Sixti diuina prouidentia Papæ V anno 1.retroscripta litera affixæ fuerunt, in valuis, seu portis S.Io.Lateran. & S.Petri Principis Apostolorum de Vrbe, & necnon Cancell.Apost,& in acie Campi Flore,& per aliquod temporis spatium dimissa per nos Ioannem Freyle, & Nicolaum Taglientum Sanctiss.D.N.Papæ Curs.

Alex.Parabincus Mag.Curs.

Innouatio festiuitatis S. Nicolai de Tolentino, Ordinis Fratrum Eremitarum S.Augustini.duplici officio die 10. mensis Septembris celebrandæ. XVI.

*Canonizationem huius Sancti, & suæ festiuitatis primæuam institutionem fecit Eug. IV. vt sup. in eius const.*17. Licet.

Edita A. D. 1585.

S I X T V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SAncta Romana vniuersalis Ecclesia, quos Omnipotens Deus sicut Sol in conspectu suo fulgentes in Cœlo coronat, pro cultu & admirabili honore, per anni circuitum, die vt plurimum, qua eos ad cœlestia regna migrare contingit in terris voluit venerari, vt eorum Christifideles glorioſa memoria incensi, & exemplis inflammati per exercitium bonorum operum piis etiam suffragiis adiuti, diuinæ Maiestatis gloriam in Sanctis suis agnoscere, & ipsius beneficia promereri facilius valeant.

S. Nicolaus virtutibus & miraculis clarus fuit.

§.1. Ad hunc itaque laudabilem Sanctorum numerum B.Nicolaus Tolentinas, de cuius vita, conuersatione, & sancta obdormitione in Domino Tolẽtinates gloriantur, regularia S. Augustini Eremitarum instituta amplexus, cum tanta vitæ puritate, & integritate contendit, vt ipsius viri sanctitas longe lateque per diuersas mundi regiones ad Indos vsque Occidentales, propagata diffusaque sit.

Ioan. XXII. & Innoc. VI. illius canonizationem cæperunt.& Eugen. IV. perfecit.

§.2.Hunc itaque miraculorum signis,in quo inexhausta Dei benignitas,in vita ac post mortem operati voluit, adducti fel. rec. Ioannes XXII. & Innocentius VI. primo in numerum Sanctorum referre concurrerunt, & deinde piæ mem. Eugenius IV.Rom.Pont.prædecessores nostri eorumdem Sanctorum Catalogo solemni ritu adscripsit.

Postea omne schisma cessauit.

§.3. Post cuius relationem inter numerum Sanctorum celeberrimum maximumque illud miraculum extitit, quod Ecclesia Rom.iam per annos amplius quinquaginta schismatum dissidiis grauiter afflicta,huius Beati viri meritis & intercessione sublatis erroribus, pacem, præterspem, summam consecuta est.

Hic Pont. illius festũ duplici officio agi iubet.

§. 4. Quare nos qui Ecclesiæ Firmanæ,in cuius diœc. oppidum

Digitized by Google

oppidum S.Angeli, vbi Sanctus ipse Nicolaus est ortus, consistit in minoribus constituti præfuimus, nomen & sanctitatem ipsius B. Nicolai dignis,quantum nostra patitur infirmitas honoribus decorare volentes,hac præsenti nostra constitutione mandamus,vt eiusdem B. Nicolai Confessoris glorioſi dies festus quarto idus Septemb. agatur, duplicique posthac, & proprio,& vbi propria non erunt,de Communi Confessorum non Pontificum officio per cunctas totius Christiani Orbis Ecclesias singulis annis perpetuis futuris temporibus celebretur, & in Calendario Romano cum duplicis festi adiectione inscribatur. Sicubi vero festus B. Nicolai dies supradictus, ex fidelium deuotione seu consuetudine, præcepto aut indulto Apost.maiori aliqua celebrari consueuerit obseruantia, ea omnino ibidem retineatur.

Prælatis iniũgit, vt obseruari faciant.

§.5. Mandantes omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque Ecclesiarum Prælatis in toto Orbe terrarum constitutis, vt faciant in suis quisque Ecclesiis, prouinciis, ciuitatibus, & diœcesibus, præsentes nostras literas solemniter publicari, & ab Ecclesiasticis personis sæcularibus,& quorumuis Ordinum regularibus,omnino obseruari, quamuis in vltimis Breuiarii & Missalis reformationibus adnotatio huius solemnitatis posita non fuerit.

Transumptis credi iubet.

§.6. Volumus quoque, vt præsentium exemplis etiam impressis,manu notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis,eadem prorsus fides vbique locorum & gentium adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur,si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. Ann.1. 13. Decemb.

Dat Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1585. 10. Cal Ianuar. Pontificatus nostri anno primo.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D.1586. Indict.14. die vero 28. mensis Ian. Pont. Sanctiss. D.N.D. Sixti diuina prouidentia P P. V. anno 1. retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt, in valuis seu portis Ecclesiarum S Io. Lateranen. & S. Petri Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancell. Apost. & in acie Campi Florę, & per aliquod temporis spatium in ipsis valuis dimissæ,per nos Io. Freyle,& Nicolaum Taglientum S.D.N. Papæ Apost. Curs.

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

XVII. Contra exercentes artem Astrologiæ iudiciariæ, & alia quæcumque diuinationum genera, libroſque legentes vel retinentes.

De eiusmodi diuinationum ac sortilegiorum materia extant plures prædecessorum constitutiones indicatæ superius in const. 1. Innoc. VIII. Summis.

Contra Astrologos Iudiciarios de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apost. seu Vita Rom. Pont,aut eius consanguineorum iudicia facientes,vel ipsos Astrologos desuper consulentes cum innouatione huius sanctionis, const. edidit S.D.N. Vrb. VIII. quam habes 4. tom. n. 113. *Inscrutabilis.* Qui postea prohibuit omnes libros hac de materia tractantes, vel aliter prohibitos, licentiasque illos habendi & legendi reuocauit in const. seq. 114. *Apostolatus.*

Edita A. D. 1585.

S I X T V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Multa mala proueniunt ex arte Astrologiæ iudiciariæ, Magicæ, Negromantiæ & similium.

COeli & Terræ Creator Deus, quem vnum Omnipotentem corde credimus ad iustitiam, & ore confitemur ad salutem, etsi homini,quem ad imaginem & similitudinem suam creauit,mentem dederit,quæ non solum diuino fidei lumine illustrata, mysteria illa cognoscceret, quæ humanam intelligentiam superant, sed etiam naturæ suæ vi, magno licet cum labore, præclara multa inuestigaret, atque intelligeret, tamen vt superbum animal homo non altum saperet,sed timeret,& immensam Conditoris sui maiestatem humi stratus veneraretur, sibi soli eorum quæ euentura sunt,scientiam & futurarum rerum cognitionem reseruauit. Solus enim ipse, cuius oculis omnia nuda & aperta sunt, & ad internas hominum cogitationes penetrat, & consequentes eorum actiones intuetur, solus ipse,qui vocat ea quæ non sunt,tamquam ea quæ sunt, omnia præsentia, & ante oculos posita habet, solus denique omnia & singula quæcumque totius temporis decursu, & sæculorum ætatibus futura sunt, ab omni æternitate nouit, & admirabili prouidentia disposuit, quæ non modo humanæ mentis imbecillitas ignorat, sed nec dæmones ipsi præsentire possunt. Quare idolorum in futuris annunciandis falsitatem & imbecillitatem, & eorum, qui eis cultum adhibebant, vanitatem irridet Spiritus Sanctus apud Isaiam illis verbis. Annunciate quæ ventura sunt in futurum,& sciemus,quia Dij estis vos & in nouo testamento Christus Dominus discipulorum suorum de futuris euentibus paulo cupidius inquirentium, interrogationem graui illa responsione retudit, qua etiam omnium fidelium suorum curiositatem coërcuit. Non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Nec vero ad futuros euentus & fortuitos casus prænoscendos (futuris euentibus ex naturalibus causis necessario vel frequenter prouenientibus,quæ ad diuinationem non pertinent dumtaxat exceptis) vllæ sunt veræ artes aut disciplinæ; sed fallaces & vanæ improborum hominum astutia, & dæmonum fraudibus introductæ, ex quorum operatione, consilio vel auxilio omnis diuinatio dimanat, siue quod expresse, ad futura manifestanda inuocentur, siue quod ipsi praecitate sua, & odio in genus humanum occulte, etiam præter hominis intentionem se ingerant & intrudant vanis inquisitionibus futurorum, vt mentes hominum perniciosis vanitatibus & fallaci contingentium prænunciatione implicentur,& omni impietatis genere depraueˉrur. Quæ quidem ipsis cognita sunt,non diuinitate aliqua,nec vera futurarum rerum scientia, sed naturæ subtilioris acumine, & aliis quibusdam modis, quod hominum obtusiori intelligentia ignorat. Quamborem dubitandum non est, in huiusmodi futurorum contingentium & fortuitorum euentuum inquisitione & præcognitione, diaboli operationem se fallaciter immiscere, vt sua fraude ac dolis, miseros homines à via salutis euertat, & laqueo damnationis inuoluat. Quæ cum ita sint nonnulli hæc fideliter & religioſe vt debent, non attendentes, sed curioſa sectantes, grauiter Deum offendunt, errantes ipsi & alios in errorem mittentes; tales in primis sunt Astrologi olim Mathematici, Genethliaci, & Planetarij vocati; qui vanam falsamque syderum & astrorum scientiam profitentes,diuinæque dispositionis ordinationem,suo tempore reuelandam præuenire audaciſſimè satagentes, hominum natiuitates seu genituras ex motu syderum, & astrorum cursu metiuntur, ac iudicant futura; siue etiam præsentia & præterita occulta, atque ex puerorum ortu & natali die, siue quauis alia temporum & momentorum,vaniſſima obseruatione & notatione,de vniuscuiusque hominis statu, conditione; vitæ cursu; honoribus; diuitiis, sobole, salute, morte, itineribus, certaminibus; inimicitiis, carceribus, cædibus, variis discriminibus; aliisque prosperis; & aduersis casibus & euentibus præcognoscere,iudicare,& affirmare temere præsumunt,non sine magno periculo erroris & infidelitatis; cum S. Augustinus præcipuum Ecclesiæ lumen, eum qui hæc obseruat; qui attendit; qui in domum recipit, qui interrogat, Christianam fidem & baptismum præuaticaſſe affirmet, vt illos merito Apostolus arguat atque increpet illis verbis:Dies obseruatis & menses & tempora & annos; timeo vos ne forte sine causa laborauerim in vobis. Hi igitur leuiſſimi & temeratij homines in miserandam animarum suarum ruinam,graue fidelium scãdalum & Christianæ fidei detrimentum,futuros rerum euentus,& quæcumque prospere vel aduerse obuentura sunt, ac actus humanos, ea denique quæ cum ex libera hominũ voluntate profiscuntur, astris syderibusque adscribunt, eisque eam facultatem, vim,seu virtutem & efficaciam tribuunt significandi futura & ad præcognita ita inclinandi, vt sic omnino nec aliter euentura sint, atque ob eam causam de iis rebus omnibus iudicia facere, prognostica, prædictiones, & præcognitiones sibi assumere, & palam venditare non dubitant; quibus pauci rudes & imperiti, alijquenimis creduli & imprudentes tantam fidem præstant, vt ex huiusmodi iudiciorum, & prædictionum præscripros;

pro, aliquid certò esse credant aut sperent, quorum sane & mendacium magistrorum temeritas, & infelicium discipulorum credulitas magnopere deploranda est, qui vel diuinis literis admoniti non intelligunt hominis præstantiam, cui Cœli & Stellæ, & clarissima Cœli sydera, Sol & Luna, Deo ita disponente, non imperant, sed inseruiunt, sic enim Moyses populum Dei, vt hunc errorem cauceret, prænonebat. Ne forte eleuatis oculis, ad Cœlum, videas Solem & Lunam, & omnia astra Cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub Cœlo sunt. Sed quid sydera mirandum est homini seruire? nonne nobilissimæ intelligentiæ Angeli ipsi, omnes sunt administratorij spritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? nam rationales oues, ita diligit Deus, vt non solum Episcopos, quemadmodum à S. Ambrosio scriptum est, ad tuendum gregem ordinauerit, sed etiam Angelos destinauerit. Præclare etiam S. Hieronymus: Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Quod si Angeli homines custodiunt, quid aduersus Angelorum custodiam & tutelam astra moliri, aut efficere poterunt, quæ cum ipsis Angelis nullo modo sint comparanda? Nec sane hoc loco prætereunda est eximij Ecclesiæ Doctoris, & Beatissimi Pontificis Magni Gregorij sententia qui Priscillianistas hæreticos vnumquemque hominem sub constitutionibus stellarum nasci putantes, magno rerum & verborum pondere confutat. Absit, inquit, à fidelium cordibus, vt aliquid esse Fatum dicant, vitam quippe hominum solus hanc conditor, qui creauit administrat, neque enim propter stellas homo, sed stellæ propter homines factæ sunt, etsi stella fatum hominis esse dicitur, ipsis suis ministeriis, subesse homo perhibetur. Vtinam insani homines hæc saperent & intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in Leuitico dicentis. Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid scisciteminí, vt polluamini per eos. Neque enim quæ Christiana & vera pietas repellit ac dānat, tanto studio inuestigarēt; iisdemque miserè se decipi, atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidā homines & curiosi vel impij & irreligiosi, qui futurarum & occultarum aliarū rerū notitiam adeo anxie habere student vt ob eadē prænoscenda, & inuestiganda in diuinæ legis offensionē multipliciter incurrāt. Alij enim Geomantiæ, Chiromātiæ, Necromantiæ, aliisque sortilegiis & superstitionibus, non sine Dæmonum saltem occulta societate, aut tacita pactione, operā dare, seu illis, ac sortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel fabarum iactu vti non verentur. Alij verò aliquas pristinæ & antiquatæ, ac per Crucis victoriam prostratæ idololatriæ reliquias retinentes, quibusdam auguriis, auspiciis, similibusue signis, & vanis obseruationibus ad futurorum diuinationem intendunt. Alij autem sunt, qui cum Morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum Inferno qui similiter ad occultorum diuinationem, ad inueniendos thesauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expressa cum Diabolo pactione facta, in manifesta suarum perniciem animarum, nefarias magicæ artis incantationes, instrumenta & beneficia adhibent, circulos & diabolicos characteres describunt. Dæmones inuocant, aut consulunt, ab eis responsa petunt, aut accipiunt eis preces & thuris, aut aliarum rerum suffimenta, seu fumigationes, aliaue sacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus sacris, vel Sacramentis, aut Sacramentalibus sacrilege abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quæuis alia impietatis obsequia præstant, cultum venerationemve tribuunt; aut annulum vel speculum, aut paruas phyalas sibi fabricant, aut fabricari curant ad Dæmones in eis alligandos, seu includendos, vt putant, ad responsa ab ipsis inde petenda, aut habenda. Alij præterea etiam in corporibus obsessis, vel symphaticis, & phāaticis mulieribus Dæmones, de futuris, vel occultis rebus aut factis exquirunt, vt merito ab eis, quos Dominus in Euangelio tacere impetrauit, vanas mendacesque referant responsiones. Alij quoque præstigiatores, frequentius vero mulierculæ quædam superstitionibus deditæ, in phyalis seu vasculis vitreis aqua plenis, vel in speculo accensis candelis, etiam benedictis sub nomine Angeli Sancti & Albi, Diabolum omnium malorum satorem supplices adorantes, vel in vinguibus, aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis eumdem omnium fallaciarum Architectum orant, vt similiter futura vel occulta quæuis per spectra, & apparentes imagines, phantasticas visiones sibi ostendat, aut ab eodem patre mendacij Diabolo aliis incantationibus, aut variis superstitiosis obseruationibus, futurorum, & occultorum huiusmodi veritatem quærunt, & hominibus prædicere contendunt. Quorum omnium, quos supra enumerauimus, consimilis impietas parem exitum habet. nimirum, quod Dæmonis præstigiis ac dolis tum qui diuinant, tum qui diuinationem expetunt illusi ac delusi miserrime reperiuntur. Itaque cum futuros euentus in seipsis considerare antequam fiant, sit Dei proprium, illud necessario consequitur, vt Astrologi & alij prædicti qui huiusmodi futura prænunciare aut prænoscere quocumque modo nisi Deo reuelante audent, iniuste atque imprudenter, quod Dei est sibi assumant, & vsurpent. Sic fit, vt dum ab eis quod solius est Creatoris perperam creaturis tribuitur, diuina maiestas grauiter lædatur, fidei integritas violetur, & animabus pretioso Christi sangine redemptis, pestis atque exitium importetur.

Ordinarij ideo iussum fuit vt huiusmodi artes & libros extirparent, sed extirpatio perfecta non fuit.

§. 2. Et licet iampridem regulis Indicis librorum prohibitorum ex decreto sacri generalis Tridentini Concilij confecto, illud inter cetera constitutum fuerit, vt Episcopi diligenter prouiderent ne huiusmodi Astrologiæ iudiciariæ libri, tractatus & indices legerentur vel haberentur, qui de futuris contingentibus successibus, fortuitisue casibus, aut iis actionibus quæ ab humana voluntate pendent certo aliquid euenturum affirmare audent, permissis tamen iudiciis, & naturalibus obseruationibus, quæ nauigationis, agriculturæ, siue medicæ artis iuuandæ gratia conscripta fuissent. Libros vero omnes & scripta Geomantiæ, Necromantiæ, siue in quibus continentur fortilegia, veneficia, auguria, auspicia incantationes artis magicæ, prorsus reiici & aboleri curarent. Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum & abusuum prædictorum extirpationi vsque adeo prouisum est, quin etiam adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curiosius vigeant, cum valde frequenter, detectis diaboli insidiis, diuinationum, sortilegiorum, & variarum superstitionum omnia plena esse in dies detegantur.

Hic itaque Pont. Astrologos iudiciarios, Mathematicos, Diuinatores, &c. ab Ordinariis, & ab Inquisitoribus fieri coerceri mandat,

§. 3. Nos igitur, qui pro nostro pastoralis officij munere fidei integritatem inuiolatam conseruare debemus, & animarum saluti prospicere, quantum diuina gratia adiutrice possumus ex paternæ charitatis visceribus optamus, damnantes & reprobantes omne genus diuinationum, quæ diabolo auctore ad fidelium deceptionem à prædictis curiosis vel perditis hominibus fieri solent. Cupientes præterea sanctam illam Christianæ Religionis simpliciratem, præsertim vbi agitur de summa Creatoris Dei potestate, sapientia, & prouidentia, ab omni erroris labe, integram atque incorruptam, vt par est, retineri. Volentes quoque prædictæ falsæ credulitati, ac huiusmodi illicitarum diuinationum & superstitionum, detestabili studio, & execrandis flagitiis, atque impuritatibus occurrere, vt de Christiano populo merito dici possit, quod de antiquo Dei populo scriptum est. Non est augurium in Iacob, neque diuinatio in Israel. Hac perpetuo valitura constitutione, Apost. auctoritate statuimus & mandamus, vt tam contra Astrologos, Mathematicos, & alios quoscumque dictæ Astrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, nauigationem, & rem magicam in posterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum quibus de futuris contingentibus successibus fortuitisque casibus aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiam si id se non certo affirmare asserāt, aut protestentur, quam contra alios vtriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & pernicioſas diuinandi artes, siue scientias exercent, profitentur & docent aut discunt, quiue huiusmodi illicitas diuinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera & delicta, vt præfertur, faciant aut in eis se quomodolibet intromittunt, cuiuscumque dignitatis, gradus, & conditionis existant, tam Episcopi

&

Digitized by Google

& Prælati, Superiores, ac alij Ordinarij locorum, quam Inquisitores hæreticæ prauitatis vbique gentium deputati, etiamsi in plerisque ex his casibus antea non procedebant aut procedere non valebant, diligentius inquirant & procedant, atque in eos seuerius Canonicis pœnis & alij eorum arbitrio animaduertant.

Libros q; harũ artium retineri vetat.

§. 4. Prohibentes omnes & singulos libros, opera, & tractatus huiusmodi iudiciariæ Astrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, Artis Magicæ, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles, incantationes, ac superstitiones continentur, ac vt supra in memorato Indice interdictos sub censuris & pœnis in eo contentis à quibuscumque Christifidelibus legi, aut quomodolibet retineri, sed illos Episcopis & Ordinariis locorum, vel Inquisitoribus prædictis præsentari & consignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate statuimus & mandamus, vt contra scienter legentes, aut retinentes libros & scripta huiusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter iidem Inquisitores libere & licite procedant, ac procedere & pœnis condignis punire & coercere possint.

Clauſ. derog.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iuſſio public. in Vrbe.

§. 6. Vt autem præsentes nostræ literæ ad communem omnium notitiam facilius deducantur, iubemus illas in valuis Basilicarum S. Io. Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ affigi seu appendi, eisque detractis ipsarum exempla etiam impressa eisdem in locis affixa relinqui.

Et extra.

§. 7. Et insuper vniuersis & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, locorum Ordinariis & Prælatis, necnon Inquisitoribus hæreticæ prauitatis vbilibet constitutis, per hæc committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, vt per se vel alium seu alios easdem præsentes literas, postquam eas receperint, seu earum notitiam habuerint, in suis & singulis parochialibus Ecclesiis, dum in eis populi multitudo ad diuina conuenerit, deinde vero semel in anno, & quoties eis expedire videbitur, vulgari sermone publicent, aut publicari faciat.

Fides exemplorum.

§. 8. Quia vero difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit deferri, volumus vt earum transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac paruo sigillo Sanctæ Romanæ & vniuersalis Inquisitionis, aut alicuius Prælati, vel Curiæ Ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra vbique locorum adhibeatur, quæ eisdem originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 1. 1. Ianuar.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1585. Nonis Ianuarij, Pontificatus nostri anno 1.

Publicatio.

Anno à natiuitate Domini 1586. *Indictione* 14. *die vero* 9. *mensis Februarij, Pontificatus Sanctissimi D.N.D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno* 2. *retroscripta literæ Apost. affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt, in valuis seu portis S. Ioannis Lateranensis & S. Petri Principis Apostolorum de Vrbe necnon Cancell. Apostol. & in acie Campi Floræ, & per aliquod temporis spatium dimissæ per nos Ioannem Freile, & Nicolaum Taliettum S.D.N. Papæ Curs.*

Alex. Paraciacus Mag. Curs.

XVIII. Quod festum S. Antonij Lusitani, de Padua nuncupati, sub die 13. mensis Iunij duplici officio de cetero celebretur.

Hunc Sanctum canonizauit Gregor. IX. eiusque festiuitatem instituit vt sup. in eius constit. 4. Cum dicat.

Edita An. D. 1585.

S I X T V S E P I S C O P V S, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

IMmensa diuinæ sapientiæ altitudo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, dignata est olim per Prophetam reuelare, Deum in Sanctis suis laudari velle. Quod nos ad eorumdem Sanctorum memoriam debita solemnitate celebrandam eo magis inuitat, quia dum eorum merita recensentur, virtutum quoque exempla fidelibus imitanda proponantur, vt per ea fideles ipsi gradientes, ad cœlestem beatitudinem eorumdem Sanctorum suffragiis adiuti facilius valeant peruenire.

S. Antonij de Padua merita & laudes recensentur.

§. 1. Quapropter nos considerantes quod inter multos sanctitate & doctrina præclaros viros, qui S. Francisci vestigia secuti fuerint B. Antonius Vlyssiponensis, Patauinus nuncupatus, eximiæ sanctitatis vir fuit, qui ab incunte ætate mundum, eiusque illecebras veluti venenum aspidum fugiens, Deo se dicauit, ipsiusque Seraphici Francisci institutum, magna cum spe, desiderioque martyrij religiosè est complexus, in suscepta vitæ disciplina progrediens, cooperante Domino, mundi, carnis & diaboli humani generis hostium egregiis dimicationibus triumphum reportauit, diuina propterea imbutus sapientia, multisque variisque prouinciis peragratis, maximà hominum ab eo, qui lux, via, veritas, & vita est, aberrantium copia præclaris Christianorum virtutum exemplis illustrauit, ac verbi Dei, quod velut imber de cœlo descendens, terramque inebrians facit eam germinare, pia fœcundaque prædicatione mentes hominum salutaribus præceptis fœcundauit, multosque ad catholicæ doctrinæ lucem & verbis, & consequentibus signis perduxit, ac demum diuersis in vita, & post obitum miraculis clarus, ad permanentem illam, nullique mutationi obnoxiam patriam, recto atque incitato cursu euolauit, vbi in æternis cœlestis regni mansionibus Beatus perfruitur.

Canonizatio eiusdem refertur.

§. 2. Ipse autem à fel. record. Gregorio Papa IX. prædecessore nostro, Sanctorum quos catholica veneratur Ecclesia, catalogo solemni ritu adscriptus, in cœlo pro ipsa semper Ecclesia apud Deum, vna cum omnibus Sanctis eiusdem gloriæ consortibus assidue, & pro peccatoribus intercedit.

Institutio duplicis officij.

§. 3. Quare vt eiusdem beati viri qui Ordinis ipsius S. Francisci professor fuit, memoria à fidelibus crebrius recolatur, celebrique totius Ecclesiæ veneratione celebretur, Nos, & diuinis illius meritis adducti, & præcipue erga illum nostræ deuotionis studio excitati, hac præsenti constitutione præcipimus & mandamus, vt eiusdem Beati Antonij de Padua nuncupati confessoris glorioſi dies festus Idibus Iunij, quo die ex hoc collachrymabili sæculo ad cælestem patriam abiit, solemniter peragatur, ac sub duplici minori, & proprio officio, atque vbi propria non erunt, de Communi Confessorum non Pontificum posthac perpetuis futuris temporibus in omnibus vniuersi Orbis Ecclesiis rite celebretur, & in Kalendario cum duplicis festi adiectione inscribatur; sicubi vero dies supradictus ex fidelium deuotione, seu consuetudine aut præcepto vel indulto Apostolico maiori obseruantia, etiamsi duplici maioris in die festi, & duplici minoris per octauam, vt apud Fratres eiusdem Ordinis Sancti Francisci, celebrari consueuerit, id omnino ibidem retineatur.

Iuſſio tam obſeruandi.

§. 4. Præcipientes omnibus & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque Ecclesiarum Prælatis, ac quorumcũq; regularium locorum, & Ordinum superioribus, quatenus in suis quisque Ecclesiis, prouinciis, ciuitatibus & diœcesibus, ac regularibus locis præsentes literas solemniter publicari, & ab omnibus Ecclesiasticis personis tam sæcularibus quam quorumuis Ordinum regularium secundum ritum S.R.E. officium persoluentibus, omnino obseruari faciant, si in Breuiarij & Missalis reformationibus nuper editis præfata solemnitas apposita non fuerit.

Transſumptorum fides.

§. 5. Quoniam autem difficile esset easdem præsentes ad singula Orbis loca peruenire, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, vt earum transumptis & exemplis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique gentium & locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus literis adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 1. 14. Ianuar.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1586. 19. Kalend. Februarij Pontificatus nostri anno 1.

Digitized by Google

XIX. Innouatio indulti Capitulo ſacroſanctæ Lateranen. Eccleſiæ de Vrbe conceſſi, dandi licentiam in eius locis, erigendi loca pia, accedente licentia Ordinariorum, quibus ſubiecta remaneant.

Hæc Lateranenſis Eccleſia, ſupremum locum obtinet, ſuper omnes Vrbis & Orbis Eccleſias, & centenaria gaudet præſcriptione, vt videre eſt ſupra in Greg. XI. conſt. 1. Super. *vbi aliorum Pontificum bullas indicaui.*

Edita A. D. 1586.

SIXTVS PAPA QVINTVS.

Dilecti filij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Proœmium.

SI cunctas per Orbem terrarum diffuſas Eccleſias in eorum iuribus, & priuilegiis libenter conſeruare ſtudemus, multo magis & ampliori ſollicitudine erga ſacroſanctam Baſilicam noſtram Lateranenſem de Vrbe, quam Summi Romani Pontifices illorum Patriarchium eſſe voluerunt, id facere tenemur, ac proinde quæ ab eiſdem, pro decore & commodo illius, necnon diuinis obſequiis ibidem inſiſtentium emanarunt, ſi quandoque reuocata fuiſſe conſtat, quantum cum Deo poſſumus, adhibito moderationis remedio innouare congruum cenſemus.

Bonifac. IX. ſtatuit quod quilibet in loco ad Eccleſiã Lateranen. ſpectãtib loca pia erigere poſſet, illaque ſub mero & mixto imperio & diſpoſitione Capituli & Archipreſbyteri extarent, ſed Bonifacij bullam hic nõ habes.

§. 1. Sane cum dudum fel. recordat. Bonifacius Papa IX. prædeceſſor noſter, qui ſingularem deuotionis affectum ad eamdem gerebat Baſilicam, cuius Archipreſbyteratum dum minori officio fungebatur ex conceſſione Apoſtolica obtinuerat, conſiderans ex quorumdam Romanorum Pontificum declaratione ipſam omnibus aliis Vrbis & Orbis Eccleſiis anteferri, volens propterea ſpecialis alicuius prærogatiuæ priuilegio eam decorare, tunc Archipreſbytero & Capitulo, ſingularibuſque perſonis & Miniſtris illius, ac aliis quibuſcumque perſonis vtriuſque ſexus, vt in quibuſuis fundis, terris, poſſeſſionibus & locis ad eorumdem Archipreſbyteri & Capituli menſam Capitularem ſpectantibus, diœceſani loci, aut alterius licentia minime requiſita, Eccleſias, Monaſteria, Oratoria, Priotatus, Dignitates, Perſonatus, officia, & alia beneficia Eccleſiaſtica, cum cura vel ſine cura, necnon Conuentus, Hoſpitalia, & pia loca quæcumque, fundare, conſtruere, inſtaurare, erigere, ædificare & toties quoties placeret valerent, (iure tamen Parochialis Eccleſiæ, & alias cuiuſlibet in omnibus ſemper ſaluo) auctoritate Apoſtolica indulſerit, ſtatuens & ordinans, quod poſtquam prædicta fundata, conſtructa, erecta, ædificata, & dotata eſſent, permanerent, ac eſſent & eſſe deberent, cenſerenturque immediate ſubeſſe ſub ipſorum Archipreſbyteri & Capituli, dominio, protectione, iuriſdictione, defenſione, auctoritate & poteſtate, ac eorum plenum ius, dominium, merumque & mixtum imperium, necnon inſtitutio, deſtitutio, collatio, prouiſio, præſentatio, & quæuis alia diſpoſitio, ad ipſos ſolum & in ſolidum pertinerent in perpetuum atque ſpectarent, provt eiuſdem prædeceſſoris literis, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro plene & ſufficienter expreſſis haberi volumus, plenius continetur.

Pius IV. indulta reuocauit, vt ſup. in eius conſt. 57. Regini.

§. 2. Et ſicut nuper expoſuiſtis, Capitulum & Canonici ipſius Baſilicæ, qui poſtmodum fuerunt literis patentibus à ſe ſub hoc eorum titulo & nomine tantum expeditis, licentias & facultates Eccleſias, Monaſteria, ceteraque prænarrata fundandi, inſtaurandi, erigendi & faciendi diuerſis, etiam ſub præſtatione & ſolutione cenſus perpetuo in recognitionem directi dominij annuatim ſibi facienda conceſſerint, atq; cõcedere continuauerint, donec recol. mem. Pius Papa IV. itidem prædeceſſor noſter motu ſuo proprio, omnia & ſingula priuilegia, facultates, & indulta, per eum & Sedem Apoſtolicam ſiue Romanos Pontifices prædeceſſores, erigendi & inſtituendi Eccleſias, Capellas, Capellanias, Oratoria, Altaria, Societates, & Confraternitates, illaque in grancias vel membra recipiendi, nobis & certis aliis tunc expreſſis, in ſpecie vel genere quomodolibet conceſſa, caſſauerit, irritauerit penitus, & aboleuerit, aliaque ſtatuerit & ordinauerit, prout literis ſuis hac de re promulgatis, quarum pariter tenores, acſi de verbo ad verbum inſererentur, pro plene & ſufficienter expreſſis haberi volumus plenius continetur, humiliterque ſupplicaueritis, vt aduerſus huiuſmodi caſſationem & abolitionem vos reſtituere dignaremur.

Hic modo Pĩ. innouat d. indultum à Bonif. IX. conceſſum, addita modificatione quod accedat licentia Ordinariorum, & loca erigenda cum perſonis ſubſint iiſdem Ordinariis.

§. 3. Nos moti tam prænarrata Bonifacij Papæ prædeceſſoris conſideratione, quam præclara memoria Imperatoris Conſtantini, cuius morbum ſuſcepto hic olim baptiſmo diuina gratia ſanauit, veſtris huiuſmodi ſupplicationibus benigne annuentes, prænarrataſque Bonifacij Papæ literas, cum omnibus & ſingulis decretis, clauſulis & aliis in eis contentis, Apoſtolica auctoritate (modificationibus infraſcriptis ſemper ſaluis) harum noſtrarum ſerie reualidantes & innouantes, voſque ad illarum priſtinum vſum aduerſus ſupradictas Pij IV. literas reuocatorias reſtituentes, & plenarie reintegrantes, ex ſpeciali gratia indulgemus, quod perpetuis futuris temporibus, literis veſtris patentibus, ſub ſolitis titulo & nomine ſupradictis, etiam abſque præſentium noſtrarum inſertione expediendis, licentiam & facultatem liberas quibuſlibet bene viſis, in fundis, terris, & locis menſæ veſtræ Capitularis, ac alias iuxta earumdem Bonifacij Papæ prædeceſſoris literarum formam, quæcumque Monaſteria, Prioratus, Conuentus, Eccleſias, dignitates, perſonatus, officia & alia beneficia Eccleſiaſtica, cum cura vel ſine cura, necnon Hoſpitalia, & alia pia loca, fundandi, erigendi, ædificandi, dotandi, ac alia quomodolibet in illis contenta faciendi, quæ quidem dominio, protectioni, iuriſdictioni, defenſioni, ac poteſtati veſtris immediate ſubſint, necnon earumdem plenum ius, dominium, merumque & mixtum imperium, inſtitutio, inſuper, deſtitutio, collatio, prouiſio, præſentatio, & quæuis alia diſpoſitio ad vos ſolum & in ſolidum perpetuo ſpectet, dummodo Epiſcoporum in quorum Ciuitatibus ſeu diœceſibus illa fuerint, licentia expreſſa ad hoc accedat; Eccleſiæque & alia vt præfertur fundanda, erigenda, ædificanda, & dotanda, atque illa pro tempore obtinentes, libertatis, immunitatis & exemptionis, priuilegium aliquod à iuriſdictione & ſuperioritate ipſorum Epiſcoporum, aliterve contra formam decretorum & ordinationum ſacri Concilij Tridentini propterea non acquirant, licentiam & facultatem, liberas vt prius in omnibus & per omnia, perinde ac ſi literæ huiuſmodi reuocatoriæ nullatenus emanaſſent, concedere valeatis.

Clauſula derogatoria.

§. 4. Non obſtantibus dicti Pij IV. literis reuocatoriis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque & conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, in contrarium quomodolibet, etiam iteratis vicibus, ſub quibuſcumque verborum formis & tenoribus conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa & indiuidua mentio habenda eſſet, tenores illorum, acſi de verbo ad verbum inſererentur, pro plene & ſufficienter expreſſis habentes; latiſſime derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides tranſumptorum.

§. 5. Volentes quod harum noſtrarum exemplis à Notario publico ſubſcriptis, & ſigillo Capitulari obſignatis, eadem prorſus fides vbique, in iudicio & extra adhibeatur, quam originales literæ ipſæ facerent, ſi exhiberentur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 15. Ianuarij 1586. Pontificatus noſtri anno primo.

Dat. P. An. 1. 15. Ianuarij.

XX. Prohibitio tranſeundi ab Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia, ad Fratres Capuccinos.

Tranſitum huiuſmodi inter Capuccinos & Fratres Minimos S. Franciſci de Paula interdixit, etiam Pius V. vt ſup. in eius conſt. 45. Sedis.

Alia de Capuccinis, & eorum Regula notaui ſup. in conſt. 21. Clem. VII. *Religionis.* Et de toto Ordine notaui ad conſt. 5. Honor. III. *Solet.*

SIXTVS

Edita An. D. 1586.

SIXTVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius prohibitionis.

PRo ea, quam præcipuam gerimus erga S. Franciſcum deuotione, illius familiam vniuerſam paterno amore complectentes, ea ſtudemus de medio tollere, quæ diſſidij inter ipſos Religioſos, eius regulam ſectantes occaſionem præbent, aut iis qui leuitate animi, minus conſtantes perſiſtunt in obedientia cui ſe ipſos dicauerunt, ab ea ſe ſubtrahendi viam aperiunt.

Paul. III. & Iul. III. tranſitum Fratrũ de Obſeruãtia ad Capucinos vetarunt in eorũ bullis vti minus neceſſarium omiſſo.

§. 1. Sane iampridem fel. rec. Paulus Papa III. & Iulius etiam III. Romani Pontifices prædeceſſores noſtri iuſtis de cauſis adducti prohibuerunt, ne vllo modo fratres de Obſeruantia, ſine ſuorum Generalium vel Prouincialium licentia in ſcriptis habita, ad Congregationem Capuccinorum ſe transferre, ſiue ab ipſis Capuccinis recipi, aut in illorum domibus retineri poſſent vel deterrent, certis etiam grauioribus pœnis adiectis, prout in illorum literis plenius continetur.

Hic Pont. idẽ prohibet.

§. 2. Quare nos quoque eorumdem prædeceſſorum exempla ſecuti, toto negotio cum quibuſdam ex venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus communicato, ac diligenter conſiderato, literarum huiuſmodi tenores præſentibus pro expreſſis habentes, de eorumdem Cardinalium conſilio, etiam de nouo auctoritate Apoſtolica, per præſentes diſtrictius interdicimus, tam ipſis Capuccinis, ne quemquam eorumdem Fratrum de Obſeruantia, poſt emiſſam profeſſionem regularem iuxta inſtituta eiuſdem Ordinis de Obſeruantia, ad eos quouis habitu, & quacumque de cauſa tranſeuntem, ſine noſtra, aut Romani Pontificis pro tempore exiſtentis licentia ſpeciali, per literas Apoſtolicas expreſſam, & in ſpecie, non autem per clauſulas generales idem importantes, præſentis prohibitionis mentionem & derogationem continentes, aut eorumdem Generalis, vel Prouincialium miniſtrorum Fratrum de Obſeruantia licentia in ſcriptis, vt præfertur, obtenta, admittere, recipere, & retinere, quam Fratribus de Obſeruantia prædictis, ne quiſquam eorum ad Congregationem Capuccinorum ſine huiuſmodi licentia ſe transferre in futurum præſumant.

Contrauenientium pœna.

§. 3. In ſingulos vero Capuccinorum Superiores, Prouinciales, Miniſtros domorum, Guardianos, Vicarios, ſeu Præſides, necnon ipſos Fratres de Obſeruantia, qui in præmiſſis quoquomodo contrauenerint, excommunicationis ſententiam ferimus, eoſque omnibus & quibuſcumque dignitatibus, adminiſtrationibus & officiis per eos pro tempore obtentis auctoritate præſentium priuamus, & ad futura, ac quoſcumque actus legitimos exercendos inhabiles eſſe volumus eo ipſo. Decernentes receptiones, admiſſiones, & retentiones quaſcumque de illis ex quauis cauſa ſine dicta licentia faciendas, nulla omnino firmitate ſubſiſtere, neminemque penitus vlli voto, aut promiſſioni, etiam iuramento, aliaue ſolemnitate roboratis obligare poſſe.

Clauſula præſeruatiua.

§. 4. Præſenteſque literas, de ſubreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quouis alio defectu notari ſeu impugnari, aut ſub prætextu quod contra alias Apoſtolicas, ac canonicas ſanctiones iampridem vſu receptas (quod ſcilicet vnicuique regulari, ad arctiorem regulam & religionem tranſeundi, petita dumtaxat ac etiam non obtenta ſuperiorum licentia, tranſitus libere & licite permittatur) aut alia quouis prætextu, ſeu quæſito colore, in ius & controuerſiam, reuocari aut inualidari, ac ad terminos reduci non poſſe, ſed ſemper validas & efficaces exiſtere.

Clauſula ſublata, &c.

§. 5. Sicque in præmiſſis vniuerſis & ſingulis per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, ordinarios & delegatos, ac S. R. E. Cardinales, ac cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, necnon irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§. 6. Mandantes vniuerſis & ſingulis locorum Ordinariis, vt quando, vbi, & quoties opus fuerit, ac pro parte alicuius ex fratribus de Obſeruantia huiuſmodi fuerint requiſiti, præſentes literas ſolemniter publicantes, eiſque inſpræmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittant quemquam ex prædictis, ſiqui forſan in poſterum ſe de facto transferre præſumpſerint, contra earumdem præſentium continentiam & tenorem, in aliqua domo ſeu loco ipſorum Capuccinorum admitti, recipi, & retineri. Contradictores quoſlibet & rebelles, eiſque auxilium vel fauorem, directe vel indirecte quomodolibet præſtantes, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, ſententias & cenſuras ipſas, etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Clauſula derogat.

§. 7. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Conciliis etiam generalibus editis, ac Ordinis & Congregationis Capuccinorum prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus; necnon facultatibus, diſpenſationibus, & indultis, ipſi Congregationi Capuccinorum, eorumque Superioribus & perſonis, aut domibus quibuſcumque recipiendi, vel retinendi fratres de Obſeruantia, etiam ſuorum Superiorum licentia petita dumtaxat, & non obtenta, aut non petita tranſeuntes, tam expreſſe & principaliter quam per communicationem ad inſtar aliorum Ordinum & Congregationum quorum gratiarũ & indultorum ipſi forſan Capuccini participes effecti ſunt; etiamſi pariformiter, & æque principaliter ipſa communicatio & extenſio facta fuerit per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores aut ſucceſſores noſtros, etiam Motu proprio, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac de eorumdem Cardinalium conſilio pro tempore conceſſis, approbatis & innouatis; quæ omnia, ac deſuper confectas literas, proceſſuſque habitos per eaſdem, quatenus præmiſſis in aliquo aduerſantur, abrogamus, caſſamus & annullamus. Aut ſi ipſis Capuccinis, eorumque Prælatis & Superioribus, vel quibuſuis aliis communiter vel diuiſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod literis reuocatoriis, ſub quacumque formula editis nullatenus, vel niſi modis & formis in huiuſmodi indultis contentis parere, & ob non paritionem aliquas ſententias, cenſuras & pœnas incurrere, aut aliàs interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem; etiam quibuſlibet aliis priuilegiis, indulgentiis, exemptionibus, & literis Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, etiã motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus conceſſis, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri; & de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris mentio ſpecialis. Quæ omnia volumus nemini contra prædicta in aliquo ſuffragari, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides tranſumptorum.

§. 8. Volumus autem vt præſentium exemplis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & alicuius Prælati Eccleſiaſtici, eiuſve Curiæ ſigillo obſignatis, eadem fides vbique in iudicio & extra illud habeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. P. An. 1: 28. Ianuar.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 28. Ianuarij 1586. Pontificatus noſtri anno 1.

XXI.

Confirmatio & ampliatio indultorum ac indulgentiarum Roſarij B. Mariæ Virginis; Et facultatis Magiſtri Generalis & Vicarij Ordinis S. Dominici, in erigendis Capellis & inſtituendis Confraternitibus Roſarij, pro quibus aliæ etiam gratiæ & indulgentiæ conceduntur.

Indulgentiæ huius Confraternitatis præſeruatæ fuerunt à Paulo V. & comprobatæ in eius conſt. datã die 20. Septembris 1608. mox publicanda. De Roſario autem ſiue Pſalterio notaui ſup. in conſt. 18. Sixti IV. Ea quæ.

Digitized by Google

SIXTVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1586.

B. Mariæ Virginis merita & laudes.

DVm ineffabilia meritorum insignia, quibus Dei Genitrix B. Virgo Maria Regina cœlorum glorioſa, ſedibus prælata ſydereis, tanquam ſtella matutina prætutilat, deuotæ conſiderationis indagine perſcrutamur, & inter arcana pectoris reuoluimus, quod ipſa vtpote mater miſericordiæ, mater gratiæ & pietatis, humani generis amica & conſolatrix, pro ſalute fidelium, qui delictorum culpa prægrauantur, ſedula exoratrix, & peruigil ad Regem, quem genuit, & maternis lactauit vberibus intercedit, dignum, quin potius debitum arbitramur, vt Eccleſias, & Capellas, ac Confraternitates in eius honorem erectas & inſtitutas, gratioſis remiſſionum proſequamur impendiis, ac indulgentiarũ muneribus decoremus, ac per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros eiſdem Confratribus conceſſas indulgentias, & priuilegia, noſtræ approbationis munimine roboremus eaſque innouemus, provt ſalubrius cognoſcimus expedire.

Pſalterium ſeu Roſarium B. Virg. à S. Dominico inſtitutum.

§. 1. Attendentes itaque quam Religioni noſtræ fructuoſum fuerit ſanctiſſimi Pſalterij, Roſarij nuncupati, glorioſæ ſemperque Virginis Mariæ, Almæ Dei genitricis inſtitutum, per beatum Dominicum Ordinis Fratrum Prædicatorum auctorem, Spiritu ſancto, vt creditur, afflatum, excogitatum, quantaque exinde mundo prouenerint, & indies proueniant bona, & quod propterea vtriuſque ſexus Chriſtifidelium Confraternitates ſub inuocatione Roſarij eiuſdem B. Mariæ Virginis in diuerſis Orbis Eccleſiis, ac Capellis & Altaribus canonice inſtitutæ.

Hoc idem habetur in conſt. 80. Pij V. Inter.

Sodalitas Roſarij gratias & indulg. à multis Pontt. obtinuit.

§. 2. Earumque Confratres ac Sorores, à quamplurimis, & præſertim fel. rec. Vrbano IV. & Ioanne XXII. ac Sixto etiam IV. necnon Innocentio VIII. & Alexandro VI. ac Iulio II. & Leone X. ac Adriano VI. & Clem. VII. & Paulo III. ac Iulio etiam III. ac Paulo IV. & Pio etiam IV. ac Pio V. & poſtremo Greg. XIII. Romanis Pontt. prædeceſſoribus noſtris, ac nonnullis Sedis Apoſtolicæ, cum poteſtate Legati de latere, Nunciis, nedum confirmationem & augmentum earumdem Confraternitatum, ſed etiam indulgentias, ac priuilegia & indulta merito obtinere meruerint.

Hic Pont. omnes gratias, indulgen. & indulta confirmat, & innouat.

§. 3. Nos dictorum prædeceſſorum veſtigiis inhærendo, ac eodem. quo ipſi prædeceſſores noſtri, deuotionis affectu diuinitus excitati, necnon dilecti filij noſtri Michaelis tituli B. Mariæ ſuper Mineruam preſbyt. Card. Alexandrini nuncupati ſupplicationibus inclinati, ſingularum literarum prædictarum tenores & formas præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, omnia & ſingula priuilegia, immunitates, & exemptiones, conceſſiones, indulta, indulgentias, etiam plenarias, & peccatorum remiſſiones, ac relaxationes, omnibus & ſingulis Confraternitatibus dicti Roſarij vbicumque terrarum canonice inſtitutis, earumque Confratribus & Sororibus, tàm per dictos prædeceſſores noſtros & Sedem prædictam, ſeu illius Nuncios, cum poteſtate Legati de latere conceſſa, elargita, & confirmata, ac cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis deſuper confectas literas prædictas, & viuæ vocis oraculo, aut alias quomodolibet emanatas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, perpetuo cõfirmamus & approbamus, illaque omnia & ſingula provt per ipſos prædeceſſores noſtros, & alios prædictos conceſſa fuerunt, perpetuæ firmitatis robur obtinere, ac inuiolabiliter obſeruari debere decernimus, omneſque & ſingulos tàm iuris quàm facti defectus, ſiqui forſan interuenerint in eiſdem, ſupplemus.

Confirmauit etiã Pauli V. vt dixi in rub.

Et innouat.

§. 4. Et potiori pro cautela, omnes & ſingulas indulgentias etiam plenarias, & peccatorum remiſſiones ac relaxationes, exemptiones, facultates, conceſſiones, aliaque priuilegia & indulta prædicta, omnibus & ſingulis Confraternitatibus dicti Roſarij, in quibuſuis Eccleſiis, & Capellis, ac Altaribus vbicumque terrarum canonice erectis, earumque Confratribus & Sororibus, necnon officialibus & miniſtris eiſdem modo & forma, quibus per eoſdem prædeceſſores noſtros, & dictæ Sedis Nuncios conceſſa fuerunt, dicta auctoritate Apoſtolica de nouo concedimus & innouamus, ac omnibus & ſingulis Confraternitatum Roſarij huiuſmodi Confratribus & Sororibus, nunc & pro tempore exiſtentibus ſuffragari debere, eoſque illis perpetuo vti, potiri, & gaudere poſſe, decernimus & declaramus.

Facultas inſtituẽdi Confratern. Roſarij concedit, Magiſtro & Vicario gen. Ord. S. Dominici, & deputatis per eos.

§. 5. Et inſuper vt omnibus & ſingulis dicti Ordinis Fratribus, per Magiſtrum & Vicarium generales dicti Ordinis Prædicatorum, & eorum quemlibet pro tempore deputandis, in quibuſuis Ciuitatibus, Oppidis, Terris, & locis vbicumque exiſtentibus, vt in eorumdem Prædicatorum vel aliorum Ordinum, Monaſteriorum, ſeu domorum Eccleſiis, Capellis, & Oratoriis, & etiam in ſæcularibus Eccleſiis, in quibus nullæ Confraternitates eiuſdem Roſarij adhuc erectæ exiſtunt, de Superiorum & Ordinariorum licentia Confraternitates eiuſdem Sanctiſſimi Roſarij, ad Dei & eiuſdem B. Virginis laudem & gloriam, erigere & inſtituere libere & licite poſſint & valeant, plenam & liberam licentiam & facultatem, dicta Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus.

Eiſq; ſic erectis, omnes gratias & indulta aliis Roſarij Confraternit. data elargitur.

§. 6. Ac poſtquam erectæ fuerint, vt omnibus & ſingulis priuilegiis, indultis, facultatibus, exemptionibus immunitatibus, conceſſionibus, indulgentiis etiam plenariis, & peccatorum remiſſionibus, ac relaxationibus, & gratiis quibuſuis aliis eiuſdem Roſarij Confraternitatibus, earumque Confratribus ac Sororibus, per prædictos & quoſcumque alios Romanos Pontifices etiam prædeceſſores noſtros, ac etiam nos & Sedem prædictam eiuſque Nuncios, & etiam de latere Legatos, hactenus quomodolibet conceſſis ac concedendis, & quibus Confraternitates huiuſmodi, earumque Confratres & Sorores quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum pariformiter, & æque principaliter, in omnibus & per omnia, ac perinde, ac ſi illis ſpecialiter & expreſſe, ac nominatim conceſſa fuiſſent, vti, potiri, & gaudere, libere & licite poſſint, pariter concedimus & indulgemus; ac priuilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, conceſſiones, indulgentias etiam plenarias, vt præfertur, conceſſas & conceſſa, ad ipſas Confraternitates erigendas, illaſumque Confratres & Sorores pro tempore exiſtentes perpetuo extendimus & ampliamus.

Cõfratriluſq; alias indulg. hic nunciatas concedit.

§. 7. Vt autem animarum Chriſtifidelium Confraternitatum, tàm erectarum quàm per fratres deputandos huiuſmodi erigendarum, eaſdem Confraternitates ingredi volentium ſpirituali conſolationi peramplius conſulatur, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate, confiſi, omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Confratibus ſingularum Confraternitatum Roſarij huiuſmodi, tàm hactenus erectarum quàm in poſterum erigendarum, vt præfertur vbicumque, nunc & pro tempore exiſtentibus, & in dictis Confraternitatibus pro tempore deſcriptis & deſcribendis, itinerantibus vel nauigantibus, ac ſeruientibus, totum Roſarium, infirmis vero, aut alias legitime impeditis, tertiam eius partem, deuote recitantibus, necnon temporibus debitis, & ab Eccleſia ſtatutis, confitendi & communicandi firmum propoſitum habentibus, qui Capellam B. Mariæ Roſarij, in Eccleſia ipſius B. Mariæ ſupra Mineruam de Vrbe eiuſdem Ordinis Prædicatorum inſtitutam, vel alias Eccleſias, ſeu Capellas vbicumque dicta Confraternitas canonicè fundata fuerit, iis diebus, quibus feſta myſteriorum eiuſdem Roſarij celebrantur viſitare, & proceſſioni, quæ prima Dominica cuiuſlibet menſis fieri ſolet, intereſſe non potuerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem, auctoritate & tenore prædictis, concedimus & elargimur; illiſque omnes & ſingulas indulgentias & peccatorum remiſſiones, etiam plenarias aliis Confratribus & Sororibus, Capellas ſeu Eccleſias Roſarij huiuſmodi dictis diebus viſitantibus, ac dictæ proceſſioni intereſſentibus, ſpecialiter vel generaliter conceſſas, & in futurum concedendas, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi dictas Capellas ſeu Eccleſias dictis diebus perſonaliter viſitarent, & proceſſionibus huiuſmodi intereſſent, auctoritate & tenore prædictis communicamus, ac communicatas eſſe, ſpecialiter vel generaliter, decernimus & declaramus.

§. 8. Quia

Digitized by Google

Transumptis huius bullæ credi iubet.

§. 8. Quia vero difficile foret præsentes literas ad singula quæcumque loca, in quibus expediens foret deferri, volumus, & etiam Apostolica auctoritate prædicta decernimus, quod earum transumptis etiam impressis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu Curiæ Ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio & extra, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Quibuscumq; non obstantibus. Dat. P. An. 1. 30. Ianuarij.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 30. Ianuarij 1586. Pontificatus nostri Anno 1.

XXII. Innouatio Festiuitatis S. Ianuarij Episcopi & martyris, & sociorum eius, die 19. Septemb. simplici officio celebrandæ.

Edita An. D. 1586.

S I X T V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

PIa Sanctorum Patrum Prouidentia institutum est in Ecclesia Dei, & posteris traditum, vt complurium martyrum insignium memoria statis diebus, solemnibusque cæremoniis, atque anniuersariis sacris in cunctis Ecclesiis recolatur. Ita enim & illis honor debitus tribuitur, & fideles ad eorum imitanda exempla pro suo quisque modulo inuitantur.

S. Ianuarij & socior. merita & laudes recensentur.

§. 1. Proinde nos operæ pretium duximus efficere, vt sanctorum martyrum Ianuarij Episcopi & sociorum eius qui post vincula & carceres gloriosa martyrij corona propter Christi nominis confessionem sunt donati, iucundam recordationem diu intermissam renouando, plebem Dei hilaremus; cuius quidem B. Ianuarij sanctitatem, Deus omnipotens multis, iisque clarissimis editis miraculis ad nostram vsque ætatem in Neapolitana potissimum ciuitate, in qua eius corpus sepultum religiose asseruatur, celeberrime apud omnes gentes testatam esse voluit; adeo vt non immerito, tum in diuinis officiis, tum in ipso sacrificio ab vniuerso fidelium cœtu eorum commemoratio fieri debeat, prout ante nouam reformationem Romani Missalis & Breuiarij fieri consueuerat.

Eorumq; festū die 19. Sept. singulis annis celebrari præcipitur.

§. 2. Hac igitur nostra perpetuo valitura constitutione præcipimus, vt eorumdem sanctorum Ianuarij & sociorum eius dies festus, 13. Kal. Octobris, in totius Orbis terrarum Ecclesiis simplici officio de communi plurimorum martyrum celebretur; ac decernimus, vt in nouo etiam quo nunc vtimur, sicut antea in veteri Kalendario ad eum diem sanctorum eorumdem nomina, & Simplicis nota adscribatur.

Iussio public. hanc bullam.

§. 3. Mandantes omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque Ecclesiarum Prælatis in vniuerso Orbe constitutis, vt in suis quisque Ecclesiis, prouinciis, ciuitatibus, & diœcesibus, præsentes nostras solemniter, publicari faciant, ab omnibusque Ecclesiasticis personis, sæcularibus omnino obseruari, licet adnotatio huius celebritatis in postremis Breuiarij & Missalis reformationibus fuerit prætermissa.

Fides exemplorum.

§. 4. Volumus autem vt præsentium exemplis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 1. 1. Februar.

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1586. Kal. Februarij Pontificatus nostri Anno 1.

Publicatio.

Anno à natiuitate Domini 1586. *Indictione* 14. *die vero* 10. *mensis Februarij, Pontificatus Sanctissimi DN. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno* 1. *retroscripta litera Apost. affixa lecta, & publicata fuerunt, & per aliquod temporis spatium dimissa in valuis seu portis S. Ioannes Lateranensis & S. Petri Principis Apostolorum de Vrbe necnon Cancell. Apostol. & in acie Campi Flore, per nos Ioannem Freila, & Nicolaum Taliettum S. D. N. Papæ Curs.*

Alex. Parabsacus Mag. Curs.

XXIII. Renouatio Pontificalium Capellarum, in Basilicis, certisque Almæ Vrbis Ecclesiis, Dominicis Quadragesimæ, & Aduentus, aliisque statis solemnibus diebus, celebrandarum.

S I X T V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1586.*

Stationū consuetudo antiquissima est.

EGregia Populi Romani pietas, magnis Sanctorum Patrum laudibus celebrata, posteaquam terrarum Princeps ciuitas, beatissimis Apostolis Euangelij lucem annunciantibus, suaue Christi iugum accepit, & per B. Petri Sedem verè caput Orbis terræ effecta, latius cœpit præsidere potestate diuina, quam dominatione terrena, præclara adhuc, singulari Dei benignitate, religiosæ antiquitatis monimenta conseruat. Inter quæ vetus admodum est, ab Apostolicis vsque ducta temporibus, sacrarum Stationum consuetudo; in quibus fidelium multitudo ad Apostolorum sepulchra, & fortissimorum Martyrum memorias conueniens, hymnis & canticis spiritualibus Deum in sanctis suis mirabilem laudabat, & salutaribus immaculatæ Hostiæ sacrificiis placabat, & aduersus multiplices antiqui hostis oppugnationes, tanquam in castris Dei, Statione tutissima consistebat.

Roma hanc stationū consuetudinē retinet, & obseruat antiquas Basilicas, & Ecclesias deuote certis temporib. visitat.

§. 1. Quam memoriam à maioribus acceptam, nunc etiā Roma antiquissimis Vrbis Basilicis, & Martyrum Ecclesiis visitandis, statis Dominicis, aliisque solemnibus, in primis vero sacro Aduentus Domini, Quadragesimæ tempore, magna populi frequentia anniuersaria celebritate deuote obseruat. Nos autem, quibus pro nostra Pastorali solicitudine, nihil optabile est quam animas Christo lucrari, tam pium ac salutare institutum, non solum retinere cupimus, sed etiam ornare, ac omnis Religionis officio propagare summopere studemus, his præsertim luctuosis Christianæ Reipub. temporibus, quæ ad placandam Dei iram, ad detestabiles hæreses extirpandas, ad pacem & tranquillitatem Ecclesiæ obtinendam, ad vitia & peccata hominum corrigenda, crebriora pœnitentiæ & pietatis opera, ac multiplicatas Sanctorum cum Christo regnantium preces & intercessiones maxime requirunt, sed potissimum Sanctorum omnium Reginæ, Dei nostri Genitricis, semperque Virginis Mariæ Christiani populi Aduocatæ, Cæleste patrocinium desiderant.

Septem præsertim Basilicas in Vrbe adeundum celebrant.

§. 2. Et vero cum multis antiquis & religiosissimis Ecclesiis, quas maiorum pietas magnifice extruxit, hæc Alma Vrbs onatissima sit, tum illæ potissimum intra atque extra mœnia positæ, septem Basilicæ, quas veteri instituto fideles, pia ac salutari peregrinatione obire solent, magnam iure optimo, non solum apud Ciues sed apud externos populos venerationem habent; sunt enim antiquitate, Religione, sanctorum Martyrum venerandis Reliquiis, sacris indulgentiis, & denique mystica septenarij numeri ratione celeberrimę; nam quemadmodum Ioan. Apostolus admirabilem illam Apocalypsim septem Asiæ Ecclesiis scribens vniuersam Ecclesiam adumbrauit, quam Deus cælestibus Spiritus sancti donis perficit, & in qua vna habitat & requiescit, ita Romæ septem Ecclesiæ magno eiusdem numeri mysterio sunt institutæ, vt totius Ecclesiæ vnio, & perfectio, in ipso capite vnde omnium Ecclesiarum vnitas dimanat, illustrius appareret.

In quibus antiqui Pontifices diuina celebrare solebāt.

§. 3. Quod cum ita sit, sane non possumus non dolere, numquam fere nostris quidem temporibus, apud eas, vna Vaticana excepta, Pontificales Capellas celebrari, cum tamen primarias illas Vrbis Basilicas toto terrarum Orbe illustres à Summo Rom. Pontifice, & sacro Cardinalium Collegio ita interdum adiri debere, vt ibi quoque diuina Missarum officia solemniter fiant, & ipsarum Ecclesiarum maiestas, in quibus diuinæ gratiæ redundant; & Pontificalis officij ratio, & maiorum nostrorum exempla id à nobis omnino requirere videantur. Notum est enim ex Ecclesiasticæ antiquitatis monimentis, veteres illos sanctissimos Pontifices prædecessores nostros, in his Basilicis frequenter admodum diuina officia, cum Clero & Populo obiuisse; quod duorum præsertim Beatissimorum Pontificum quos ob sanctitatem & rerum

Digitized by Google

gestarum gloriam merito magnos appellamus, Leonis & Gregorij sermones complures, diuina quadam spiritus eloquentia pleni, inter ipsa Missarum solemnia ad populum habiti, aperte declarant.

Hic itaq; Pōt. ad ipsarū Basilicarum venerationē, & populi deuotionē augendā in eisdā Basilicis solemnes Missarū Capellas Pontificales, in futurum celebrari decernit, vno ex Card. Missam cantante.

§. 4. Quare cum septem sint, Paschali connumerata, Quadragesimæ Dominicæ, & rursum quatuor illæ Aduentus, cum Natali, Circumcisione, & Epiphania Domini, septenarij item numerum conficiant, in quibus omnibus celebritatibus Capellæ, in Apostolico Palatio, aut in Basilica Vaticana, de more fieri solent, decreuimus de consilio Venerabilium fratrum nostrorum, verbo cum eis ea de re in Consistorio nostro secreto mature facto, ad Dei & Sanctorum gloriam, & Ecclesiarum ipsarum veneration, ac fidelis populi deuotionem augendam, senectuti nostræ nequaquam parcentes, sed pastoralis officij munus exequentes, tametsi grauissimis pro vniuersæ Ecclesiæ cura, occupationibus distineamur, in eisdem Basilicis solemnes Missarum Capellas facere, vno ex S.R.E. Cardinalibus Missam celebrante, idque quotiescumque in eisdem Basilicis Capella Pontificalis fiet, ritu perpetuo obseruabitur. Sermo item tempori accommodatus, ad diuinas Sanctorumque laudes prædicandas, & audientium pietatem inflammandam, de more, semper habebitur, vt duplicatio septenarij numeri, sacrosancta sacrificia, & septem Capitalium peccatorum veniam, & septiformem sancti Spiritus gratiam Christiano populo à Deo impetrent.

Et ideo ad. dd. Basilicas vias aperuit, vt dicitur etiā inf. in constit. 66. Decet.

§. 5. Ad quas quidem venerandas Basilicas, vt commodius & decentius adiri possit, atque vt in eis frequentius celebrandis populi religio augeatur, iam vias latas & directas patefecimus.

Et modo in locum Ecclesiæ S. Sebastiani ad huiusmodi celebrationes incommoda, Ecclesiam S. Mariæ de Populo subrogat.

§. 6. Ceterum cum Ecclesia S. Sebastiani mart. vetustissima illa quidem, & religiosissima, cum propter loci distantiam, tum etiam angustiam, aliaque incommoda, minus idonea sit ad Pontificalium missarum celebrationem. Decreuimus in eius locum Ecclesiam S. Mariæ, quæ de Populo dicitur, substituere, non solum amplitudine & loci commoditate opportunam, sed magna etiam Religione venerabilem, sæpe enim & pluribus locis ad sanctissimam illam gratiarum matrem, & misericordiæ parentem recurrendum est, vt ibi potissimum vbi populi nomine insignita, & vbi multa illius clementiæ extant monimenta precibus nostris inuocata pro populo oret, pro clero interueniat, & pro deuoto fœmineo sexu intercedat. Nec vero Ecclesiæ S. Sebastiani sua priuilegia & indulgentias adimimus, quæ etiam in altera nouem Ecclesiarum visitatione, quas pia multorum fidelium deuotio lustrare solet, suo loco atque ordine permanebit. At vero Ecclesiæ S. Mariæ de Populo, easdem ita indulgentias concedimus, quemadmodum nec vlla stationum translatione aut mutatione, in Quadragesima siue in Aduentu, ceteris que diebus quicquam detrahimus, sed gratias gratis cumulamus, vt apud plures Ecclesias, maiore pietatis zelo, Deo, & sanctis eius honor & cultus tribuatur. Ipsas vero Pontificales Cappellas hoc ordine distribui volumus.

Capellarūque in dictis septē Ecclesiis celebrandarū ordinem hic subnectit.

§. 7. In Quadragesima, Dominica prima ad S. Mariam de Populo, secunda ad S. Paulum, tertia ad S. Laurentium extra muros, quarta ad S. Crucem in Hierusalem, quinta ad S. Mariam maiorem, sexta in Palmis ad S. Petrum, Dominica Paschæ ad S. Ioannem in Laterano, vbi populo solemniter benedicemus. In Aduentu vero, Dominica prima ad S. Laurentium, secunda ad S. Ioannem, tertia ad S. Crucem in Hierusalem, quarta ad Sanctum Paulum, in Natali Domini ad S. Mariam maiorem, ad præsepe Domini more antiquissimo, in Circumcisione Domini ad S. Mariam de Populo, in Epiphania ad S. Petrum.

Aliasq; Capellas alijs festiuitatib. Sācterū, quorum nomini ipsa Basilicæ dicatæ Deo sunt, celebrari iubet.

§. 8. Præterea cum festi anniuersarij dies aduenerint, sanctorum illorum, quorum nomine Basilicæ ipsæ Deo dicatæ sunt, apud eas pariter Pontificias Capellas faciemus; nimirum in Assumptione Beatissimæ Virginis ad S. Mariam maiorem, de more; in eius Natiuitate ad S. Mariam de Populo, in Inuentione S. Crucis ad S. Crucem in Hierusalem, in Natali S. Petri in Basilica eius Vaticana, in Conuersione S. Pauli in eius Basilica, in Natali S. Ioan. Baptistæ in Basilica Lateranen. in die festo Sancti Laurentij martyris in eius Basilica extra mœnia. Missam item Annunciationis Beatissimæ semper Virginis Mariæ, Pontificalem Capellam faciemus apud Ecclesiam S. Mariæ supra Minerua, dotesque de more pro maritandis puellis distribuemus; in tribus vero celebritatibus, hoc est in die Ascensionis Domin, quo etiam die Romanus Pontifex, populo solemniter benedicit, item Pentecostes, & omnium Sanctorum, Pontificales Capellæ fient in Basilica S. Petri; in die vero festo Sacratissimi Corporis Christi post Missam solemnem, quæ de more in Capella Palatina habebitur, erit Pontificalis processio, & sacrosanctæ Eucharistiæ repositio in eadem Basilica Vaticana; ceteris Festis solemnibusque diebus, Missæ in Capella Palatij Apostolici, de more celebrabuntur.

Aliam quoq; Capellam in prima die Quadrag. in Eccles. S. Sabinæ Card. Maiore Pœnitentiario Missam cantare celebrare, cineresque per ipsum Pontif. benedict. & sparsi decernit.

§. 9. Vt igitur hunc sacrum, solemnemque ritum Pontificales Cappellas apud nobilissimas Basilicas celebrandi, sanctissimorum Pontificum prædecessorum nostrorum vestigiis insistentes, & venerandæ vetustatis memoriam renouantes, felicius ac religiosius inchoemus, quarta proxima feria in capite ieiunij Ecclesiam S. Sabinæ mart. non modo de more superiorum Pontificum adibimus, sed Cardinale Maiore Pœnitentiario, vt mos est Missæ sacrum faciente, vna cum Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardd. in eadem Ecclesia consistemus, sacrosque cineres à nobis, solemni more, benedictos, supra capita ad pœnitentiæ testificationem spargemus; ac deinde sequentibus Dominicis diebus, ad Basilicas & Ecclesias supra notatas, Missarumque celebrationem cum sacro Cardinalium Collegio, & aliorum Prælatorum præsentia conueniemus; idemque suo tempore in Aduentu ceterisque festis diebus, Deo auctore, præstabimus. Quem ritum statum atque solemnem, & nos quamdiu disponente Domino vixerimus, perpetuo annis singulis obseruare statuimus, & à successoribus nostris seruari optamus, ac sane etiam pro eorum pietate, & rei condecentia speramus.

Hortatur etiā Christi fideles, vt in tempore Quadrag. in ieiunio, & lachrymis conuertantur ad Dominum.

§. 10. Quod igitur ab omnibus Christi fidelibus acceptabili Quadragesimæ tempore, quod iam aduenit, vbique terrarum faciendum est vt in toto corde suo, in ieiunio, & lachrymis conuertantur ad Dominum, id quidem Romæ, vbi Religionis est domicilium, vbi sacrarum indulgentiarum thesauri vberius dispensantur, vbi innumerabilium Martyrum, quorum sacra corpora apud nos magno Dei munere requiescunt, peculiari patrocinio subleuatur, multo certe impensius & deuotius faciendum est, atque, vt re ipsa fiat, pro nostra erga hanc Almam Vrbem paterna & præcipua charitate, omnes in Domino etiam atque etiam hortamur; zelo incensi domus Dei, quam decet sanctitudo, Satanæ astutias non ignorantes.

Stationales q; Ecclesias vere pœnitentes, & caste pieque visitent.

§. 11. Illud quoque vehementius admonemus, vt omnes & singuli stationales Ecclesias, cū omni timore & tremore, vt vere pœnitentes, caste & pie adeant, nemini dantes vllam offensionem; ne illis in locis, iisque diebus, quibus aliorum temporum culpæ, piis operibus & castis ieiuniis redimendæ sunt, inter ipsa martyrum sepulchra Deus ad iracundiam magis prouocetur, sed contra potius huius Ciuitatis pœnitentia, eleemosynis, orationibus, sanctorumque intercessionibus placatus pater misericordiarum Deus, nobis & cunctis populis curæ nostræ commendatis (omnes enim vnum sunt in Christo) propitius & placabilis efficiatur, & quorum fides Apostolico ore laudata est, & in vniuerso mundo annunciatur, eorum etiam modestia & disciplina ad pietatis & sanctitatis exemplum omnibus nationibus proponatur.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1586. 6. Idus Februarij, Pontificatus nostri anno 1. *D. P. An. 1. die 13 Febr.*

Ego Sixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. *Papa subscr.*

Cardd. subscriptiones.

Ego Iac. Card. Sabellus Episc. Portuen.
Ego Io. Anton. Episc. Tusc. Card. S. Georgij.
Ego Io. Franciscus Card. de Gambara, Prænestin.
Ego M. Sitic. Card. ab Altaemps.
Ego In. Aua. Card. de Arag.
Ego M. Antonius Card. Columna.
F. Mic. Bo. Card. Alex.

Nic.

Digitized by Google

Nic. Card. Sens.
Iul. Ant. Card. S. Seuerinæ.
P. Card. Cæsius.
Ego Hier. Card. Rusticucius.
Ego Io. Hier. Card. Albanus.
Ego Hier. Card. Simoncellus.
P. Card. Deza.
Ego Io. Ant. Card. SS. Quatuor.
Ego Io. Bap. Card. S. Marcelli.
Ego Aug. Card. de Verona.
Ego Vin. Card. Montis Regalis.
Ego Scipio Card. Lancellottus.
Ego Vincen. Card. Gonzaga.
Ego Io. Baptista Card. Castruccius.
Ego Fed. Card. Cornelius.
Ego Hippolytus Card. Papien.
Ego Dominicus Card. Pinellus.
Ego Decius Card. Azzolinus.
Ego Hip. Card. Aldobrandinus.
Phil. Vast. Card. Cam.
Alex Card. de Montealto.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi* 1585. *indictione* 14. *die vero decimo quinto mensis February Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno primo, retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Sancti Ioannis Lateranensis, & Sancti Petri Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Callistum Brunettum, & Io. Freile eiusdem Sanctiss. D. N. Papæ Cursor.*

XXIV. Lauretani Oppidi Prouinciæ Picenæ, in Ciuitatem sublimario, eiusque Collegiatæ Ecclesiæ, in Cathedralem & Episcopalem erectio.

Edita An. D. 1580. SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Summi Pont. auctoritas Episcopales Ecclesias instituendi & causa huius institutionis.

PRo excellenti præeminentia Sedis Apostolicæ, in qua post beatum Petrum Apostolorum Principem, quamuis imparibus meritis, pari tamen auctoritate, constituti sumus, in exiguæ militantis Ecclesiæ agro, nouas Episcopales Sedes, Ecclesiasque plantare dignum arbitramur, vt per huiusmodi nouam plantationem, popularis augeatur deuotio, diuinus cultus efflореat, & animarum salus subsequatur, ac humilia loca dignioribus titulis, & condignis fauoribus illustrentur, necnon propagatione nouæ Sedis, honoratique Præsulis assistentia & regimine, cum Apostolicæ potestatis plenitudine, & orthodoxæ fidei profectu & exaltatione, Populi ipsi, proposito eis æternæ felicitatis præmium facilius valeant adipisci.

Lauretana Ecclesia laudes.

§. 1. Considerantes itaque Oppidum Lauretanum in prouincia Piceni situm nullius diœcesis, Sedi Apostolicæ immediate subiectum, in toto Orbe celeberrimum, & in eo vnam insignem collegiatam Ecclesiam sub inuocatione B. Mariæ Virginis Dei Matris fundatam excellere, in cuius medio inest illud sacrum cubiculum diuinis mysteriis consecratum, in quo Virgo Maria nata fuit, & ibidem ipsa ab Angelo salutata, Saluatorem Mundi de Spiritu sancto concepit, ministerio Angelorum illuc translatum, & ad dictam Ecclesiam ob miracula quæ in dies Omnipotens Dominus, intercessione & meritis eiusdem B. Mariæ Virginis in eodem cubiculo operari dignatur, Christifideles ex omnibus mundi regionibus, deuotionis & peregrinationis causa confluere.

Lauretani Oppidi in Ciuitatem sublimatio, eiusque Ecclesiæ in Cathedralem & Episcop. erectio.

§. 2. Et propterea cupientes, Oppidum & Ecclesiam huiusmodi dignioribus titulis & nominibus decorare, habita super hoc cum Fratribus nostris deliberatione matura, de eorum consilio & assensu, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ad eiusdem Omnipotentis Dei laudem & gloriam, & ipsius B. Mariæ Virginis honorem, necnon Christifidelium deuotionis augmentum, Oppidum in Ciuitatem Lauretanam nuncupandam, Ecclesiam vero in Cathedralem, sub eadem inuocatione, pro vno Episcopo Lauretano nuncupando, qui iurisdictionem Episcopalem habeat & exerceat in spiritualibus, cum mensa Episcopali, arca, sigillo, aliisque insignibus & honoribus & priuilegiis, quibus alij Episcopi, de iure vel consuetudine, aut alias quomodolibet in eisdem spiritualibus vtuntur, potiuntur & gaudent, ac vti, potiri & gaudere quomodolibet possunt, Apostolica auctoritate tenore præsentium, perpetuo erigimus & instituimus, illasque sic erectas, necnon Episcopum Lauretanum pro tempore existentem, ac ipsius Ecclesiæ Capitulum, dictæ Sedi immediate, perpetuo etiam subiicimus, & sub protectione Beatorum Petri & Pauli Apostolorum suscipimus. Necnon cum nuperrime vnionem olim de Ecclesia Recanaten. & Ecclesia Maceraten. eadem auctoritate perpetuo factam, de consilio & potestatis plenitudine similibus dissoluerimus, & Venerabilem fratrem nostrum Galeatium Episcopum Maceraten. à vinculo quo dictæ Ecclesiæ Recanaten. tui tunc ratione vnionis huiusmodi præerat, tenebatur, absoluerimus, ac in dicta Ecclesia Recanaten. nomen & titulum Cathedralis, necnon Sedem, dignitatem, & mensam Episcopales suppresserimus, ipsamque Ecclesiam Recanaten. in Collegiatam reduxerimus, Ciuitatem tamen Recanaten. titulum & denominationem ciuitatis propterea non amisisse, ita vt illius inhabitatores, ciues denominari, & priuilegiis ciuium vti possent, decernendo Castrum Ficardi ab Auconitana, & S. Maria in Casciano ab Auximana, & Montis Luponi oppida, à Firmana diœcesibus, quibus in spiritualibus subiecta sunt, auctoritate & tenore præmissis, similiter perpetuo dismembramus, concedimus & separamus, illaque sic dismembrata & separata, ac illorum incolas & habitatores, ab omni iurisdictione & potestate & subiectione Anconitan. & Auximan. ac Firman. Episcoporum pro tempore existentium, necnon solutione decimarum eisdem Episcopis per eos debitarum, ex tunc de cetero facienda, itidem perpetuo eximimus & liberamus.

Diœcesis designatio.

§. 3. Necnon ipsa, ac ciuitatem Recanaten. prædictam, illiusque & Castri Ficardi, ac oppidorum prædictorum territoria; pro diœc. d. Episcopi Lauretani; illos vero, necnon ciuitatis Lauretanæ Ecclesiasticas personas pro clero, & habitatores pro populo, & auctoritate & tenore præmissis, similiter perpetuo concedimus & assignamus.

Dotis duorum mill. scut. pro Lauretano Episcopo assignatio.

§. 4. Ac pro Episcopi Lauretani pro tempore existenti, dote, quam summam duorum millium scutorum dictæ prouinciæ constituere debere declaramus; omnia & singula fructus, redditus, & prouentus, iura, obuentiones, & emolumenta, in quibusuis rebus & actionibus, & vbique locorum consistentia & prouenientia, & ad quamuis summam ascendentia dictæ mensæ Episcopalis Recanaten. sic suppressæ & extinctæ, & quæ ad illam quomodolibet spectant & pertinent, ac antè illius suppressionem & extinctionem huiusmodi quouis iure spectabant & pertinebant, spectareque & pertinere poterant, necnon Castri Ficardi; & oppidorum territoriorum huiusmodi decimas Anconitan. Auximan. Episcopis solui solitas, residuum vera dictorum duorum millium scutorum pro dote dictæ Ecclesiæ Lauretanæ constitutorum huiusmodi, ex tot prædiis & possessionibus dictæ domus Lauretanæ per dilectum filium nostrum Philippum S. Angeli in foro piscium diac. Card. Vastauillanum nuncupatum, dictæ domus Protectorem eius arbitrio declarandis & assignandis, etiam perpetuo concedimus & assignamus.

Dignitatum eiusdē Ecclesiæ distinctio.

§. 5. Necnon in dicta Ecclesia Lauretana, in qua vnus Archipresbyteratus, qui ante erectionem huiusmodi inibi principalis existebat, pro vno Archipresbytero, ac vna Præpositura, pro vno Præposito, ac vnus Decanatus dignitates, pro vno Decano; necnon duodecim Canonicatus, & totidem præbendæ pro duodecim Canonicis, ac etiam duodecim Beneficiatis, & totidem clericatus, nuncupata perpetua simplicia beneficia, pro totidem personis eidem Ecclesiæ Lauretanæ deseruientibus, erecta & fundata existunt, vnum Archidiaconatum, qui inibi dignitas maior post Pontificalem Ecclesiam

Digitized by Google

ſiam pro vno Archidiacono, qui in choro & Capitulo ipſius Eccleſiæ Laureranæ, ac proceſſionibus aliiſque actibus capitularibus primum locum, ac primam vocem, ante obtinentes alias dignitates prædictas habeat, auctoritate & tenore præmiſſis, etiam perpetuo erigimus & inſtituimus. Ac Præpoſituræ in Primiceriatum pro vno Primicerio, Decanatus vero dignitatum huiuſmodi denominationes, in Theſaurariam pro vno Theſaurario commutamus; necnon Archipreſbyteratum ſecundam pro vno Archipreſbytero qui ſecundum, & Primiceriatum tertiam pro vno Primicerio qui tertium, ac Theſaurariam quartam inibi dignitates pro vno Theſaurario, qui quartum locum in choro, Capitulo, proceſſionibus & actibus prædictis, aut Canonicos prædictos habeant, necnon Canonicatus & præbendas, ceteraque beneficia prædicta, alias iuxta collationes & prouiſiones de illis eorum poſſeſſoribus factas, pro Capitulo eiuſdem Eccleſiæ Laureranæ remanere declaramus.

Iuſpatronatus ad præſentandum Archipresb. reſeruatio pro huius Pont. Familia Peretta.

§. 6. Ac inſuper Motu proprio non ad alicuius deſuper nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate Familiæ noſtræ de Perettis de Monte alto iuſpatronatus, & præſentandi perſonam idoneam ad Archipreſbyteratum prædictum, quoties illum, per obitum aut reſignationem, vel alias quouis modo, etiam apud Sedem prædictam vacare contigerit. Epiſcopo Laureranо pro tempore exiſtenti, per eum ad præſentationem huiuſmodi inſtituendam, auctoritate & tenore prædictis pariter perpetuo reſeruamus, concedimus & aſſignamus.

Clauſula derogat.

§. 7. Non obſtantibus noſtra de non tollendo iure quæſito, ac quibuſuis aliis conſtitutionibus & ordinationibus, Apoſtolicis, necnon Laureran. Racanaten. Maceraten. Auximan. Anconitan. & Firman. Eccleſiarum prædictarum, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia, roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis earumque Præſulibus, Capitulis & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis, etiam motu ſimili & conſiſtorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis & innouatis, quibus omnibus, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, acſi ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe, ceteriſque quibuſcumque motu ſimili derogamus.

Nulli ergo, &c.

D. P. An. 1. 17. Martij.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1586. 16. Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno 1.

XXV. Approbatio Congregationis Clericorum Regularium Miniſtrantium infirmis, in Hoſpitalibus & extra degentibus Romæ nuper inſtitutæ, cum habitus aſſignatione.

Iſta Congregat. ſui Regulam conſtituit, quam confirmauit, & priuilegia conceſſit Gregor. XIV. inf. in eius conſtit. 17. Illius. *Et eam poſtea declarauit, & reformauit Clement. VIII. inf. in ſua conſt.* 75. Superna.

Quod Clerici profeſſi in hac Congregatione ad Sacerdotium deſtinati, poſſint in Domibus nouitiatuum, vel aliis diſtinctis Domibus habitare, & donec Preſbyteri ordinentur; ac illarum perpetuis redditibus viuere, indulſit Sanctiſſ. D. N. Vrbanus VIII. vt in conſtit. 10. *Sacroſanctæ.* inf. tom. 4. Et de electione Præfecti Generalis, Conſultorum, & Arbitri horum Clericorum ſtatuit in alia conſtit. 75. *Romanus.* d. tom. 4.

SIXTVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1586.

EX omnibus Chriſtianæ charitatis officiis, quibus æterna ſalus per gratiam Dei comparatur, illa Redemptori noſtro IESV CHRISTO vel maxime placere credimus, per quæ pauperes Chriſti infirmi, & in hoſpitalibus exiſtentes, in neceſſitatibus ſuis ſpiritualibus & corporalibus adiuuantur. Quod genus officij dilectus filius Camillus de Læliis preſbyter Theatin. diœc. & alij eius ſocij, quam Deo gratum, & ſaluti animarum neceſſarium eſſe intelligentes, hiſce diebus erga pauperes Chriſti, in hoſpitalibus Vrbis noſtræ exiſtentes, non minori affectu, quam mater erga quem vnice educauit filium demonſtrarunt, quotidie hos modo cum omni qua decet manſuetudine & charitate ad patientiam, alios ad ſacramentorum Eccleſiaſticorum ſuſceptionem commonendo, alios in articulo mortis conſtitutos conſolando, & denique ad bene moriendum die noctuque hortando demonſtrare non ceſſant. Idemque præſtare intendunt, tempore etiam, quod abſit, peſtilentiæ.

Inſtituto Societatis Miniſtrantium infirmis.

Petitio confirmationis à Papa.

§. 1. Hi itaque Camillus & ſocij, inſimul & in communi, ſub paupertate, caſtitate, & obedientia, ita tamen, vt voto adſtricti non ſint viuere, & Altiſſimo, ac eius pauperibus famulari proponentes, vnam inter ſe Societatem ſeu Congregationem, ſub vocabulo ſeu nomine Miniſtrantium infirmis, cuius principale inſtitutum eſt, ſpeciali quodam charitatis feruore, infirmis prædictis inſeruire, ſub noſtro & Sedis Apoſtolicæ beneplacito inierunt, ſperantes ex hoc multis incommodis & periculis, in quæ ſæpenumero dicti infirmi ob defectum talium miniſtrorum inciderunt, obuiam iri, ac ſalutem animæ & corporis multaque Chriſtifidelibus commoda parari.

Confirmatio dictæ inſtitutionis.

§. 2. Nos eorum ſupplicationibus inclinati, ac de huiuſmodi pio propoſito, & viuendi modo, quo ipſi intendunt vti, plene, etiam ex relatione dilectorum filiorum noſtrorum S.R.E. Card. ſuper conſultatione & cauſis Epiſcoporum ac regularium, ac viſitatione Apoſtolica deputatorum informati, ex certa noſtra ſcientia, Congregationem, ſub vocabulo ſeu nomine Societatis Miniſtrantium infirmis, per vnum maiorem miniſtrum ſeu ſuperiorem (qui preſbyter eſſe, ac per eamdem Congregationem de triennio in triennium per maiorem partem ſuffragiorum eligi debeat) regendam & gubernandam, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium, perpetuo approbamus & confirmamus, ſupplentes omnes & ſingulos, tàm iuris quàm facti defectus, ſiqui interuenerint in eiſdem.

Licentia eleemoſynas colligendi in Vrbe, miniſtrandiq; infirmis & audiendi eorū confeſſiones.

§. 3. Et quia dicta Congregatio proprietate rerum temporalium carere inſtituit, Nos pariter Camillo & præfatis, ac pro tempore exiſtentibus ipſius Congregationis ſociis, & aliis ab eis deputatis & deputandis, quod eleemoſynas vbicumque, præterquam intra Eccleſias, monaſteria & pia loca, colligere, ac in dictæ Congregationis communes vſus conuertere, Vicarij Vrbis, ſeu cuiuſuis alterius licentia deſuper minime requiſita. Dictaque pietatis opera erga quoſcumque infirmos, in quibuſcumque hoſpitalibus, ſeu aliis dictæ Vrbis locis à dictorum Hoſpitalium, ſeu locorum præfectis, vel adminiſtratoribus vocati, ſeu de eorum licentia vel conſenſu exercere, ipſeque Superior vel maior Miniſter, qui, vt præfertur, preſbyter eſſe debet, & alij eiuſdem Congregationis preſbyteri, dummodo alias ſint idonei, & ab Vrbis Vicario approbati, infirmorum & ægrotantium in dictis hoſpitalibus & locis exiſtentium confeſſiones audire (ſine præiudicio eorumdem hoſpitalium aut locorum, vel eorum officialium, ſeu adminiſtratorum) libere & licite valeant, tenore præſentium facultatem concedimus & indulgemus. Ita tamen, vt tàm Superior quàm alij dictæ Congregationis ſocij, ipſius Congregationis inſtitura, & ordinationes iam factas & pro tempore faciendas, (dummodo illa, quamdiu ab Apoſtolica Sede approbata non fuerint per ipſius Congregationis protectorem

Digitized by Google

tectorem reuisa & approbata sint)in communi, ex dictis piorum eleemosynis viuant.

Clausula derogatoria. §.4. Non obstantibus quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 1. 18. Martij. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 18. Martij 1586. Pontificatus nostri anno primo.

Sequitur assignatio habitus.

Edita An. D. 1586. *SIXTVS PAPA V.*
Ad perpetuam rei memoriam.

Petitio Habitus. CVm nos nuper, &c. vt supra. Ipsique Camillus & socij pro feliciori dictæ Societatis, seu Congregationis directione pie desiderent, sicuti eorum institutum ab aliis distinctum est, ita eorum habitum ab aliis distingui.

Habitus concessus. §.1. Nos tenores dictarum literarum præsentibus pro expressis habentes, de consilio dilectorum filiorum nostrorum S. R. E. Cardinalium super statu Regularium dicta auctoritate deputatorum, Camillo & aliis prædictis, ac pro tempore existentibus Superiori, & personis dictæ Congregationis, Crucem ex crassiori panno fului coloris, (qui vulgo Tanè appellatur) super eorum vestibus à latere dextero perpetuo deferendi licentiam & facultatem, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus.

Ad hoc vide bullas in rub. cit.

Derogatio contrariorum. §.2. Non obstantibus quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis; ceterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 1. die 26. Iunij. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 26. Iunij, 1586. Pontificatus nostri anno secundo.

XXVI. Confirmatio constitutionis Pij V. de non infeudandis & alienandis Castris & locis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Hanc constit. Pij V. habes sup. Admonet. *vbi eius extensiones & declarationes ibi indicaui. Et hic Pontific. die decimo sexto Ianuarij* 1589. *ex decreto in Consistorio habito, (quod hic ponere non curaui) declarauit sub d. bulla Pij V. comprehendi etiam gubernia locorum Sedis Apost. vltra triennium, affirmans idem statuisse Gregor. XIII.*

Vide addita ad const. 1. Leon. I. sup. tom. 1.

Edita A. D. 1586. *SIXTVS EPISCOPVS,*
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius cõfirmationis bullæ Pij V. QVanta Apostolicæ Sedis dignitati detrimenta, & eius subditis incommoda, ex Ciuitatum, Terrarum, & locorum Status Ecclesiastici distractione obuenerint, assidua mentis nostræ cogitatione reuoluentes, Pastoralis solicitudinis nobis diuinitus commissæ zelo vrgemur illorum conseruationi solertioris diligentiæ studio incumbere, & quæ propterea à prædecessoribus nostris maturo consilio, ac optima ratione sunt sancita, approbationis nostræ robore communire. Alias siquidem à felic. record. Pio Papa V. prædecessore nostro, emanarunt literæ tenoris subsequentis. Pius Episcopus, &c.

Omittitur tenor huius constit. quia habetur supra.

Confirmatio eiusdem bullæ edita à Greg. XIII. sup. §.1. Et deinde piæ memoriæ Gregorius Papa XIII. etiam prædecessor noster, literas prædictas, Apostolica auctoritate approbauit & confirmauit, prout in ipsius Gregorij prædecessoris literis desuper confectis plenius continetur.

Cõfirmatio d. constit. Pij V. nunc editur ab isto Pont. §.2. Quocirca ne literæ Pij prædecessoris huiusmodi labentis temporis cursu valeant labefactari, sed eo validius subsistant, quo multiplici firmitatis vinculo sæpius fuerint stabilitæ, vestigiis ipsorum prædecessorum inhærendo, easdem literas Pij V. prædecessoris, & in eis contenta quæcumque ex certa scientia nostra, auctoritate prædicta tenore præsentium approbamus & confirmamus, ac etiam innouamus, easque inuiolabilis firmitatis robur obtinere, ac perpetuo obseruari debere volumus & mandamus.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1586. 15. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno 1. *D. P. An. 1. 18. Mar.*

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini* 1586. *indictione* 14. *die vero primo mensis Aprilis, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno primo, retroscripta litera affixa, lecta, & publicata fuerunt, & per aliquod temporis spatium dimissa in valuis seu portis Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, & Sancti Petri Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ per nos Catherinum Menandi, & Nicolaum Tagliettum Sanctiss. D. N. Papæ Cursores.*

Alex. Parabiac. Mag. Curs.

XXVII. Annuorum reddituum concessio Archiconfraternitati Beatæ Mariæ Virginis Confalonis de Vrbe, nuncupatæ, cum facultate vbique eleemosynas colligendi, ad Christianorum redemptionem ab infidelium captiuitate.

Hoc piissimum redemptionis opus huic Archiconfraternitati delegauit Gregor. XIII. vt in sua constit. 69. Christianæ. *Et alia quæ eamdem concernunt Archiconfraternitatem, attende sup. in eiusdem Gregor. constit.* 38. Pastoris.

Edita An. D. 1586. & 1588. *SIXTVS EPISCOPVS,*
Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. CVm benigna mater Ecclesia filios suos, qui in teterrima infidelium captiuitate constituti, non solum corporum sed etiam animarum discrimen patiuntur, adeo intimis misericordiæ suæ visceribus complectatur, vt pro illis in libertatem reducendis, facultates suas libenter exponat, sacrisque rebus & pretiosis vasis materna liberalitate non parcat. Nos qui ipsius Ecclesiæ administrationem curæ nostræ diuina dispositione commissam gerimus, magnopere adstrictos esse cognoscimus, vt eorumdem Captiuorum, qui in baptismatis fonte Christum induerunt, templumque Dei facti sunt, miserandis calamitatibus & tormentis, quibus in odium Christiani nominis sæuissime excruciantur condolentes, illorum libertatem dilectione ac religione ipsa procuremus, & quæ propterea pie facta fuisse comperimus, vt firmiora perdurent, confirmanda & innouanda fore censeamus; ac ne tam pium opus quod ceteris corporalibus misericordiæ operibus antecellit, & in quo vno fere omnia quasi per compendium simul exerceantur, necessariis subsidiis deseratur operarias manus interponendas, Christique fidelibus agros vberes, in quibus charitatis semina mittant, messem in regno cœlorum amplissimam expectaturi, toto cordis affectu offerendos esse iudicauimus, illos spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, & peccatorum remissionibus inuitantes, vt ad tantæ & tam salutaris operationis exercitium vehementius excitentur, promptioresque reddantur, & piis eorum eleemosynis redempti, gratiarum Deo referant actiones.

Gregor. XIII. Redimendorũ captiuorũ statum Ecclesiastici operis hic Vrbe instituit; & Archiconfraternitati Confalonis commisit, vt in alia bulla cit. in rub. §.1. Dudum siquidem fel. record. Gregorius Papa XIII. prædecessor noster, qui miserorum Captiuorum, & præsertim eorum, qui suæ & Sedis Apostolicæ temporali ditioni subiecti erant oppressionibus, ne languescente carnis infirmitate, ac verbi Dei prædicatione, & sacramentorum solatio destituti, desperationi succumbentes, ad susceptæ in baptismo fidei desertionem (vti non raro, proh dolor, solet contingere) inducerentur, succurrere volens, redimendorum Captiuorum opus iamdiu in alia Orbis loca diffusum, etiam in Alma Vrbe salubriter instituit, illiusque onus vniuersum, quod

magnum

magnum esse intelligebat, curæ & solicitudini venerabilis Archiconfraternitatis Confalonis Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, antiquitate & nobilium virorum copia admodum insignis, Motu proprio imposuit; ad hoc vt ipsa Archiconfraternitas, illiusque Custodes & Confratres pro tempore existentes, quoscumque Christifideles dictæ Vrbis, ac Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum & locorum dictæ ditioni mediate & immediate subiectorum, in dira infidelium seruitute detentos redimerent, eleemosynasve & oblata quæcumque in omni loco eidem ditioni vt præfertur subiecto, quærerent & acciperent, prout in eiusdem prædecessoris literis desuper confectis plenius continetur.

Quæ sedulo ad pio operi studere cœpit.

§.2. Cum autem, sicut accepimus dilecti filij Magister Hieronymus Auila Iuris vtriusque Doctor, literarum Apostolicarum Corrector & Abbreuiator, ac in vtraque Signatura nostra Referendarius & Prælatus noster domesticus, Paulus Matthæus, Carolus de Maximis, & Vlysses Lancerinius Patritij Romani, moderni ipsius Archiconfraternitatis Custodes, & alij Confratres maximo pietatis zelo ducti in huiusmodi tam pio opere se pro viribus exercere intendentes, ac eorumdem Captiuorum nedum liberationem, sed etiam spiritualem consolationem & animarum salutem quærentes, Redemptores inter quos duos Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum nuncupatorum professores, qui non solum Captiuos redimerent, sed illos spiritualiter eorum confessiones audiendo, & sacramenta Ecclesiastica illis ministrando iuuare, afflictis solatium præbere, debiles in fide consolidare, dubios & vacillantes confirmare, & eos qui doctrina indigerent erudire, ac denique vbi maius periculum immineret, ibi sese diligentiores Christi ministros exhibere possent & deberent, Algerium de ipsius prædecessoris licentia miserunt. Illi autem profecti, ac de eorumdem Captiuorum libertate, & animarum salute solliciti, verbo & exemplo eos illuminantes, multa, ad proximorum vtilitatem & ædificationem, ac fidei Catholicæ exaltationem, Domino cooperante, in medio nationis prauæ & peruersæ fecerunt; qui demum pestis contagione affecti cum maximo Captiuorum gemitu & dolore ac lachrymis, obdormiuerunt in pace.

Hic Pōt dicta institutionem Redemptionis captiuorum confirmat.

§.3. Nos igitur, illius qui sui pretiosissimi sanguinis effusione genus humanum de manibus aduersarij quærentis quem deuoret, eripere dignatus est, exemplo edocti, ac de statu filiorum more pij patris cogitantes, cupientesque vt huiusmodi Redemptiones opus, etiam in Vrbe, & toto Statu Ecclesiastico huiusmodi sic feliciter incœptum, ab eisdem Custodibus & Confratribus in Domino prouehatur, ipsique Custodes & Confratres, Redemptores ac alios religiosos ad easdem infidelium partes proficisci faciant, ne filij Status Ecclesiastici in seruitute degentes, qui alios concaptiuos de tenebris & vmbra mortis educi quotidie rident, se solos ibi perpetuæ obliuioni traditos & derelictos existiment, Custodes & Confratres prædictos, eorumque singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, ac literarum Gregor. prædecessoris, huiusmodi tenores etiam veriores, præsentibus pro expressis habentes. Motu proprio non ad Custodum & Confratrum prædictorum, seu alicuius eorum, aut alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate, ac scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Institutionem & erectionem Redemptionis Captiuorum huiusmodi per eumdem prædecessorem, vt præfertur factas. Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus & confirmamus, illisque perpetuæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes & singulos, tam iuris quam facti defectus, siqui interuenerunt in eisdem, supplemus. Et nihilominus huiusmodi opus Redemptionis Captiuorum, in dicta Vrbe, totoque Statu Ecclesiastico, vt præfertur, mediate & immediate subiecto, quod Redemptio Captiuorum Sedis Apostolicæ, & Status Ecclesiastici, mediate & immediate subiecti Archiconfraternitatis Confalonis nuncupetur, de nouo auctoritate & tenore prædictis perpetuo erigimus & instituimus.

Curamq; dicta Redēptionis eidem Archiconfraternitati iterum concedit.

§.4. Illudque sic erectum & institutum solerti curæ & solicitudini eiusdem Archiconfraternitatis, quam singulari dilectione prosequimur, & cuius Confratres laudabiles charitatis effectus continuo producere non cessant, committimus & demandamus. Ita quod ipsius Archiconfraternitatis, nunc & pro tempore existentes, Custodes, & Confratres, ac ab eis deputati, quoscumque Christifideles eiusdem Status, in infidelium seruitute detentos redimere, & propterea in dicta Vrbe ac omni, & quocumque alio loco dictæ ditioni mediate, & immediate subiecto, eleemosynas, & oblata quæcumque quærere, & accipere.

Facultatē deputandi quæstores in Statu Ecclesiast. ad colligendum eleemosynas pro dicta Redemptione indulget.

§.5. Ac ad id Quæstores probos quot eis videbitur deputare, qui eleemosynas oblationes, legata, & quæcumque alia subsidia huiusmodi in toto Statu prædicto, vt præfertur subiecto, pro huiusmodi Redemptione, & causis ad eam pertinentibus perquirant, pecuniasque inde congerendas penes publicum mercatorem, fide, & facultatibus idoneum, deponant, donec illæ in Redemptionem Captiuorum huiusmodi, arbitrio ipsorum Custodum, & Confratrum erogentur, libere, & licite possint, & valeant.

Fratribus SS. Trinitatis, & aliis ne eleemosynas huiusmodi in Statu Ecclesiast. quærere vel recipere prohibet.

§.6. Volentes, & ita decernentes, quod tam in dicta Vrbe, quam in quibusuis Prouinciis, Ciuitatibus, Oppidis, castris, & locis ipsi ditioni, vt præfertur subiectis, nulli etiam Sanctissimæ Trinitatis, ac beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, seu aliorum quorumuis Ordinum professores, seu quicumque alij etiam prætextu quorumcumque priuilegiorum, & indultorum Apostolicorum, ac quorumuis aliarum concessionum, & gratiarum, eisdem seu quibusuis aliis Ordinibus vel personis quomodolibet concessorum, & pro tempore concedendorum, tam pro Redemptione generali quam particularium personarum, eleemosynas seu etiam sponte oblata, aut alias quomodolibet quærere, & accipere vllo modo possint neque debeant, præfati tamen Sanctissimæ Trinitatis professores, in Vrbe ac toto Statu Ecclesiastico, vt præfertur, subiecto huiusmodi, in illis locis in quibus eorum Ordinis regulares domos habent, & pro tempore habebunt, ad eorum victum necessaria tantum nulla tamen Redemptionis Captiuorum facta mentione, in aliis vero ciuitatibus & locis extra dictum Statum, vt præfertur, mediate, & immediate subiectum, etiam eleemosynas pro Captiuis redimendis petere, & accipere valeant priuilegiorum suorū vigore, quibus ac aliis iuribus, & actionibus, & præsertim ratione monasterij, & hospitalis Sancti Thomæ in Formis in monte Cælio, ac Ecclesiæ, & domus Sancti Stephani in Trullo de dicta Vrbe eidem Ordini competentibus, quoad hoc nullo modo præiudicare intendimus, auctoritate & tenore prædictis etiam perpetuo statuimus, & ordinamus. Districtius inhibentes prædictorum ac quorumuis aliorum Odinum professoribus & aliis quibusuis personis, etiam quantumuis priuilegiatis; ne eleemosynas, & oblata, siue legata pro Redemptione Captiuorum, in Vrbe ac toto Statu Ecclesiastico, vt præfertur, subiecto huiusmodi quærere aut accipere, seu in huiusmodi Redemptionis opere quomodolibet se intromittere audeant seu præsumant.

Redditus expeditionū hic descriptarum eidem Archicōfraternitati assignat.

§.7. Insuper pro maiori ipsius Redemptionis subuentione, ex omnibus, & quibuscumque facultatibus seu licentiis testandi de bonis Ecclesiasticis, quibusuis personis per nos, & Sedem prædictam quomodolibet concedendis (non tamen Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, nec aliis, quibus similes facultates, gratias, & absque alicuius compositionis solutione de mandato nostro, & pro tempore existentis Rom. Pontificis concedentur) ducatum vnum auri in auro pro quolibet centenario. Si vero huiusmodi facultates fuerint vsque ad quamcumque summam, soluatur similiter ducatus vnus pro quolibet centenario, habita ratione compositionis Datario pro tempore existenti persoluendæ. Ac pro singulis absolutionibus ab homicidij reatu, tam in Dataria nostra, seu per breue expediendis, quam toto

Statu

Digitized by Google

Statu Ecclesiastico immediate subiecto, à quibusuis Legatis, Vicelegatis, vel Gubernatoribus, quibusuis personis quomodolibet concedendis, etiamsi gratis concedantur, ducatos duos similes. Necnon pro singulis concessionibus, seu licentiis, alienandi vel permutandi bona Ecclesiastica, seu illarum confirmationibus, quibusuis personis quomodolibet concedendis, quorum bonorum annuus redditus valorem quinque ducatorum similium non excedat, ducatum vnum, si vero eumdem valorem excesserint ducatos duos. Vlterius pro singulis plumbis omnium, & quarumcumque literarum Apostolicarum sub plumbo, tam per Cancellariam, vel Cameram, aut viam secretam, quam per minoris gratiæ, & contradictarum officia quomodolibet, etiam gratis expediendarum, iulium vnum monetæ currentis eidem Archiconfraternitati, ita vt illius Custodes & ab eis deputati pro tempore existentes, taxas, ac iulium huiusmodi à quibusuis personis, illas, & illum, nunc, & pro tempore habentibus, seu soluere debentibus, propria auctoritate exigere; ac de exactis quietare, & in Captiuorum Sedis, & Status prædictorum Redemptionem conuertere, libere, & licite valeant etiam perpetuo, auctoritate, & tenore prædictis, gratiosè concedimus, & elargimur. Necnon taxas & iulium huiusmodi ex nunc eidem Archiconfraternitati similiter perpetuo applicamus, & approbamus, ac applicatas, & applicatum, necnon appropriatas, & appropriatum fore, & esse volumus atque decernimus. Districte præcipientes modernis, & pro tempore existentibus Datario, secretariis, plumbatoribus, ac tam in Dataria quam Secretaria, & plumbo nostris Officialibus, expeditoribus, Legatis, Vicelegatis, vel Gubernatoribus prædictis, illisque in virtute sanctæ obedientiæ mandantes ne supplicationes, Motus proprios, breuia, seu alias patentes literas super facultatibus testandi, absolutionibus, licentiis alienandi, seu illarum confirmationibus, aut alias quascumque literas Apostolicas huiusmodi expediant, seu partibus relaxent, nisi prius integre eidem Archiconfraternitati de illis secundum præmissa satisfactum fuerit. Alias gratiæ ipsæ nullius sint roboris, & nihilominus ipsi officiales, expeditores, plumbatores, seu ministri, taxas, & iulium huiusmodi eidem Archiconfraternitati, vt præfertur, debitas, & debitum de eorum proprio soluere teneantur & obligari existant.

Bonorum etiã emphyteuticorũ dispositiones ad fauorẽ d. Archiconfraternitatis pro hac Redẽptione fieri posse declarat.

§. 8. Necnon vt quæcumque, & qualiacumque bona etiam emphyteutica eidem Archiconfraternitati pro Redemptione Captiuorum, prædictorum tam inter viuos quam mortis causa, seu testamento, vel codicillis dari, concedi, seu relinqui libere possint, dummodo ipsa Archiconfraternitas ad eadem onera, ad quæ donator, seu testator huiusmodi occasione bonorum eorumdem tenebatur, & quæcumque alia, quæ ipse donator seu testator etiam imposuerit omnino teneatur. Et si ad certum numerum generationum, aut nominationum eadem bona concessa fuerant, ipsa Archiconfraternitas, non perpetuo, sed per viginti annos pro qualibet generatione seu nominatione huiusmodi bona prædicta tenere, illaque locare, & dislocare, ac illorum redditus in Redemptionem Captiuorum huiusmodi conuertere possit, quæ finitis ipsis annis ad eorum directos dominos deuoluantur, etiam perpetuo statuimus, & ordinamus.

Legata in Statu Ecclesiast. (non tamẽ pro aliqua certa persona, seu regulari loco) pro Redemptione captiuorum, Redẽptioni prædicta applicat.

§. 9. Declarantes quod quæcumque legata, & aliæ dispositiones pro Redemptione Captiuorum à quibusuis personis, tam in Vrbe quam in toto Statu Ecclesiastico, mediate & immediate subiecto, non tamen in fauorem certæ personæ, seu alicuius regularis loci vel Sanctissimæ Trinitatis, aut Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Ordinum hactenus facta, & non mercede soluta, & pro tempore quomodolibet facienda, censeantur, & intelligantur, facta fuisse, & esse ad fauorem Redemptionis Captiuorum, Sedis, & Status prædictorum illaque ab eis ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit Custodibus, seu ab eis Deputatis prædictis ad effectum præmissorum realiter & absque alia exceptione solui omnino debeant.

Ecclesiasticis personis (tertia parte Archiconfraternitati soluta) vsq; ad scuta 500. disponere posse indulget.

§. 10. Insuper omnibus, & singulis, ac quibuscumque personis Ecclesiasticis, seu beneficia Ecclesiastica, obtinentibus, vt de illorum bonis, mobilibus, & immobilibus, ac se mouentibus, etiam ex fructibus beneficiorum Ecclesiasticorum, ac alias quomodoliber, etiam propriis labore, & industria acquisitis, vsque ad summam trecentorum ducatorum similium in eiusdem Archiconfraternitatis pro ipsa Redemptione, seu in aliarum quarumcumque, etiam extranearum (non tamen incapacium, & de iure prohibitarum) personarum fauorem disponere, ipsaque bona vsque ad dictam summam, tam ex testamento, quam donatione inter viuos, aut alia quauis dispositione Archiconfraternitati, seu personis prædictis relinquere, dummodo si in aliorum, vt præfertur, quam in ipsius Archiconfraternitatis fauorem disposuerint, tertia pars dictorum bonorum ad eamdem Archiconfraternitatem deueniat, alias dispositiones huiusmodi nullæ sint eo ipso, licentiam, & facultatem impartimur.

Capsas ad colligendum eleemosynas in Statu Eccles. deputandi facultatem d. Archiconfr. concedit.

§. 11. Præterea eidem Archiconfraternitati, illiusque Custodibus, seu ab eis deputatis, quod in quibuscumque Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Collegiatis, Parochialibus, & aliis quibuluis sæcularibus, & quorumuis Ordinum regularibus Ecclesiis, ac in quibuscumque Maritimis, & aliis Portibus, tam dictæ Vrbis, quam prouinciarum, ciuitatum, oppidorum, castrorum, & locorum quorumlibet totius Status Ecclesiastici, mediate, & immediate subiectis, capsæ pro colligendis fideliam eleemosynis pro ipsa Redemptione tenere, & manutenere, ac à dilecto filio moderno, & pro tempore existente nostro Vicario in spiritualibus generali in dictæ Vrbis illiusque districtu, ac ab aliis locorum Ordinariis, illorumque Vicariis, & officialibus, in eorum ciuitatum, & diœcesum Ecclesiis, sæcularibus, & quorumuis Ordinum regularibus, etiam quantumcumque priuilegiatis, & exemptis, necnon à Gubernatoribus, & aliis officialibus, & ministris, in dictis portibus, ac aliis bene visis locis, contradictione seu reclamatione quibuscumque postpositis, perpetuo manuteneri facere libere valeant, ipsique locorum Ordinarij, ac noster, & eorum Vicarij, & Officiales, Gubernatores, & ministri omnino debeant, & teneantur, nec super præmissis dicta Archiconfraternitas, illiusque Custodes, & Deputati prædicti ab aliquo quouis prætextu impediri possint, etiam perpetuo concedimus, & indulgemus.

Quinimo etiã extra Statum vt hic inf. sequitur.

Ordinarios, & alios hortatur, vt huic operi faueant.

§. 12. Hortamur denique, & per Redemptionis humani generis sacramentum obtestamur vniuersos, & singulos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Priores, & alios Ecclesiarum Prælatos, necnon Rectores parochialium Ecclesiarum, ac nostrum in dicta Vrbe, illiusque districtu eorumque Vicarios, & officiales, ac ceteras Ecclesiasticas, sæculares, & quorumuis Ordinum regulares personas, nunc, & pro tempore existentes, quatenus huic operi faueant, illudque per seipsos vel alium seu alios, etiam adhibitis verbi Dei concionatoribus in suis quisque Ecclesiis, plateis, & locis, ac vbicumque opus fuerit, etiam sæpe, & sæpius, ac quoties pro parte Custodum prædictorum, seu ab eis deputatorum, aut alicuius eorum requisiti fuerint, omnibus Christifidelibus publicent, atque denuncient, illosque ad conferendum eleemosynas, oblationes, & legata prædicta, omni studio, & charitate accendant, & efficacibus hortationibus inducant.

Pœnasque delinquentiũ in aliqua parte huic operi applicent.

§. 13. Et insuper supradictos omnes locorum Ordinarios, ac alios iurisdictionem exercentes, vehementer suademus, quod aliquam portionem pœnarum delinquentibus imponendarum, tam pio operi applicent, vt miseris & afflictis Captiuis, quorum animarum periculum imminet copiosius succurratur. Ceterum vt pium hoc opus salubribus institutis dirigatur, Custodibus & Confratribus prædictis quæcumque statuta, ordinationes, & decreta, licita & honesta, ac sacris Canonibus & Concilij Tridentini decretis non contraria, ac ab eodem nostro Vicario approbanda ad faustum & incolumem statum ipsius operis rite & recte instituendum condere, ac condita quoties opus fuerit mutare & alterare, aliaque de nouo etiam ab eodem nostro Vicario approbanda edere, ceteraque in præmissis quomodolibet necessaria & opportuna facere, exequi & exercere, licentiam tribuimus & facultatem.

Digitized by Google

Indulgẽtiasq; hic expressas Archiconfraternitati, & aliis ei aggregãdis Confraternitatibus, ceteris q; personis respectiue concedit.

§.14. Vt autem tam ipsius Archiconfraternitatis, illique aggregatarum,& pro tempore aggregandarũ Confraternitatum vtriusque sexus Confratres, nunc & pro tempore existentes,quam alij Christifideles in huiusmodi instituto alacrius persistant, quo ex hoc,dono cælestis gratiæ conspexerint se esse refectos, de Omnipotentis Dei misericordia,ac B.Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus & singulis Archiconfraternitatis, & Confraternitatum prædictarum Confratribus, ac aliis vtriusque sexus Christifidelibus, qui Orationi quadraginta horarum quandocumque ab eadem Archiconfraternitate & singulis Confraternitatibus prædictis haberi contigerit, vere pœnitentes & confessi, ac sacra communione refecti deuote interfuerint, & ibi pro Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, Captiuorum in fide Catholica constantia,ac huius instituti progressu & augmento,pias ad Deum preces effuderint, bis in anno quolibet, plenariam omnium & singulorum peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus & elargimur.In aliis vero vicibus,quibus huiusmodi oratio habebitur,centum annos. Ac tam Archiconfraternitatis, quam singularum Confraternitatum prædictarum Confratribus, & aliis vtriusque sexus Christifidelibus, qui Captiuis prædictis, dum ad Vrbem veniunt processionaliter obuiam iuerint, vel illos ad visitandum limina Apostolorum, aut aliã dictæ Vrbis Ecclesiam pro gratiarum actione eorum liberationis processionaliter comitati fuerint, vel ipsas processiones,seu earum alteram associauerint & vt præfertur orauerint, pro qualibet processione huiusmodi, decem annos & totidem quadragenas. Necnon, tam Confratribus, quam aliis Christifidelibus prædictis, qui in hoc pio negotio operam suam quoquomodo posuerint, quocumque die quo id fecerint, etiam decem annos, & decem quadragenas. Illis vero, qui eosdem Captiuos, tam in itinere post eorum liberationem, dum omnes simul ad Vrbem veniunt, quam in ipsa Vrbe hospitio exceperint, ac fraterna in Domino charitate tractauerint & adiuuerint, illisque inseruierint, quoties id fecerint, similiter decem annos & totidem quadragenas de iniunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis, etiam misericorditer in Domino relaxamus.

Quoad indulgentias vide quod notauit in vnic. const. 38. Gregor. XIII. Pastoris.

Clausula præseruatiua.

§.15. Præsentibus, quas sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum, concessionum & indulgentiarum reuocationibus,limitationibus, suspensionibus, derogationibus,ac aliis contrariis dispositionibus,quauis auctoritate,etiam per nos & pro tempore existentes Romanos Pontifices successores nostros,ac Sedem eamdem,aut alias ex quacumque quantumuis vrgentissima ac necessaria causa, etiam in fauorem Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de dicta Vrbe, Cruciatæ Sanctæ, vel expeditionis contra infideles, ac etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, in genere vel in specie, & alias quomodolibet. factis & emanatis nullatenus vmquam comprehensas,sed semper ab illis exceptas,& quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restitutas, & plenarie reintegratas, ac de nouo etiam sub posteriori data per pro tempore existentes ipsius Archiconfraternitatis Custodes eligenda,concessas fore & esse, ac censeri. Ipsisque Custodibus & Confratribus, ac aliis supradictis suffragari debere decernimus perpetuis futuris temporibus duraturis, etiam Archiconfraternitati, & singulis Confraternitatibus ac aliis fidelibus prædictis pro præmissis peragendis, aut alias aliqua alia indulgentia, perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura, per quoscumque Rom. Pont. prædecessores nostros, ac nos & Sedem eamdem concessa fuerit. Et ne præsentes literæ sub reuocationibus,limitationibus, suspensionibus, derogationibus, ac aliis dispositionibus prædictis comprehendantur, ipsique Custodes & Confratres, ac ab eis Deputati super præmissis, aut eorum aliquo, à quoquam molestentur seu perturbentur, easdem præsentes nullo vmquam tempore, etiam ad quorumuis instantiam ex quacumque causa reuocari,suspendi,alterari, limitari, aut ad iuris terminos reduci, vel illos contra eas in integrum restitui, neque easdem literas, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quouis alio defectu notari posse, nec causam seu causas propter quam, seu quas illæ emanarunt, coram locorum Ordinariis,etiam tamquam à dicta Sede delegatis,vel aliis quibusuis iudicibus verificari debere, neque propterea, aut ex eo quod interesse habentes, seu prætendentes ad hoc vocati non fuerint per subreptionem obtentas præsumi, & viribus carere.

Decretum irritans.

§.16. Sicque per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos, quauis auctoritate fungentes,etiam causarum Palatij Apostolici Auditores,ac S.R.E. Card.sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate,vbique iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane,quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Executorum huius constitutionis deputatio & facultates.

§.17. Et nihilominus venerabilibus fratribus nostris Rauennaten. & Bononien.Archiepiscopis,ac dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, Motu simili per Apostolica scripta mandamus,quatenus, ipsi vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios præsentes literas,& in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit,ac quoties pro parte Custodum, vel Confratrum, seu ab eis deputatorum prædictorum, aut alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ab omnibus, semper & vbique, firmiter & inuiolabiliter obseruari, suosque plenarios & integros effectus in omnibus & per omnia sortiri, ac debitæ executioni demandari. Necnon Custodes, Confratres & Deputatos, ac illorum Quæstores prædictos, ceterosque omnes, quos literæ ipsæ concernunt, & concernent quomodolibet in futurum illis pacifice frui, & gaudere. Non permittentes quemquam ipsorum per quoscumque super præmissis quomodolibet molestari, perturbari, vel inquietari. Contradictores, molestatores, & perturbatores quoslibet, ac præmissis non parentes, per sententias censuras Ecclesiasticas ac etiam pecuniarias, eorum & cuiuslibet ipsorum arbitrio imponendas, ac eidem Redemptionis operi applicandas pœnas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, quacumque appellatione postposita compescendo. Nos enim illis, & eorum cuilibet, omnes & singulos sua in præmissis quomodolibet interesse putantes, etiam per edictum publicum constito summarie & extraiudicialiter de non tuto accessu cirandi, eisdemque, ac quibus, & quoties opus fuerit, sub similibus vel dissimilibus sententiis, censuris, & pœnis inhibendi, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, ipsos sententias, censuras, & pœnas prædictas incurrisse declarandi, illasque etiam sæpius aggrauandi, & interdictum Ecclesiasticum apponendi, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, plenam, & liberam auctoritatem, & tenore præmissis concedimus facultatem. Ac vt tam salutare opus in dies augeatur, vniuersos & singulos Reges, Duces, Marchiones, Comites, & Principes sæculares, & alios Dominos, ac Magistratus temporales Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, Castrorum, & locorum quorumlibet, illorumque communitates, Vniuersitates, & homines rogamus, requirimus, & per viscera misericordiæ Dei nostri obsecramus; eisdem in remissionem peccatorum iniungentes, quòd in præmissis, custodibus, Confratribus, Quæstoribus, & Deputatis prædictis, ac cuilibet ipsorum assistant, suumque fauorem, & auxilium præstent, ac illos, & eorum quemlibet à malignorum incursu defendant, nullisque molestiis, datiis, gabellis, & actionibus quibuscumque affligi, seu prægrauari aliquo modo sinant, atque permittant impedientes etiam temporalibus pœnis afficiant.

Clausula derogat.

§.18. Non obstantibus quatenus opus sit, vna de iure quæsito non tollendo, & altera Cancellariæ nostræ regulis, per quam voluimus, quod in literis indulgentiarum apponatur clausula, quod si Ecclesiæ, aut Ecclesiis, vel personis, quibus indulgentiæ conceduntur aliqua alia indulgentia foret concessa, de qua mihi specialis mentio facta non esset, huiusmodi literæ essent nullæ; ac piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, qua cauetur ne quis extra suam ciuitatem vel diœcesim ad

iudicium

Digitized by Google

iudicium euocetur,seu ne Iudices à Sede prædicta deputati extra Ciuitatē vel diœcesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alij, vel aliis vices suas,committere audeant, vel præsumant, & in concilio generali edita de duabus dietis,dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apost.Conciliis quoque vniuersalibus,etiam facultatum quæstuandi reuocatoriis, necnon prohibitionibus desuper factis;ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, piorum locorum, Collegiorum,& aliarum Confraternitatum,necnon Sanctiss.Trinitatis,& B.Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, aliorumque Ordinum quorumcumque etiam iuramento, confirmatione Apost. vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus;priuilegiis quoque indultis,& literis Apost.illis eorumque superioribus,& personis,ac Legatis,Vicelegatis, Gubernatoribus, Potestatibus & aliis officialibus, & ministris, necnon fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de dicta Vrbe, sub quibuscumque tenoribus & formis,ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis,aliisque efficacioribus & insolitis clausulis,necnon irritantibus & aliis decretis,in genere vel in specie,etiam ad quorumuis instantiam,aut etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac etiam consistorialiter, & alias quomodolibet concessis,confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus,& singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus,specialis,specifica,expressa,& indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum omnium & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum & nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, obseruata, exprimerentur, præsentibus pro plene & sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter & expresse, ad effectum omnium præmissorum,Motu scientia,& potestatis plenitudine similibus derogamus, & ad plenum derogatum esse volumus,contrariis quibuscumque.Aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apost. non non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides

§. 19.Volumus autem quod præsentium transumptis, etiam impressis, sigillo eiusdem Archiconfraternitatis munitis, illiusque Secretarij manu subscriptis, eadem prorsus, fides in iudicio & extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

D. P. An. 1. 21. Martij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ, millesimo quingentesimo octuagesimo sexto,Calendis Aprilis,Pont.nostri anno 1.

Sequitur extensio d. facultatis colligendi eleemosynas pro eiusmodi Redemptione.

Edita A D. 1588.

SIXTVS EPISCOPVS,
Ad perpetuam rei memoriam.

Redemptionis captiuorum opus piissimū.

CVm adeo pium Redemptionis captiuorum opus ceteris misericordiæ opetibus antecellat, vt captiuum redimendo omnia quasi per compendium adimpleri videantur, quodque omnium maximum est, à periculo abnegandæ fidei Christifidelium animæ liberentur, ac propterea tantæ pietatis operi ita faueant omnia iura, vt non qualiacumque profana siue temporalia bona,sed argentum, aurum & sacra templi vasa pro redimendis captiuis distrahi venundarique decernant. Quis enim est adeo durus & humanæ conditionis prorsus oblitus, vt

Greg. XIII. huic Sodalitati delegauit, & hic Pont. approbauit & extendit vt sup.

sine maximo gemitu & lachrymis considerare possit,quot ærumnas, quot infirmitates, quot vincula,& tormentorum genera, Christifideles in dira infidelium captiuitate detenti, fame & siti, frigore,& nuditate pene consumpti continuo patiantur.

§. 20. Nos hæc omnia cogitantes,& dolenter examinantes tanti doloris contemplatione accensi,redimendorum captiuorum, opus alias per fel. rec. Gregorium Papam XIII. prædecessorem nostrum in Alma Vrbe, ac toto Statu Ecclesiastico mediate & immediate subiecto erectum,& institutum, ac curæ, & sollicitudini venerabilis Archiconfraternitatis Confalonis Glorioſissimæ Virginis Mariæ impositum & demandatum, confirmauimus, & approbauimus, ac etiam de nouo ereximus, diuersaque tam spirituales quam temporales gratias, facultates, & indulta pro ipsius operis incremento & subuentione, eidem Archiconfraternitati concessimus, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur.

Sodalitas Ideo multos captiuos redemit.

§.21. Vnde tunc existentes ipsius Archiconfraternitatis Custodes, & alij Confratres, cupientes in agris vberibus dicti operis charitatis semina mittere, messem amplissimam in Regno Cœlorum expectaturi, ex Algerij, & aliis Africæ partibus ducentos & vltra pauperes captiuos non sine maximis laboribus, ac nummaria quantitate singulari ac præcipua pietate & charitate redemerunt;illosque postquam ad Vrbem venerunt,ad venerandam ipsius Glorioſissimę Virginis Confalonis imaginem in Basilica B.Mariæ Maioris existentem, dum in Capella Pontificali eiusdem Basilicæ coram Nobis, & Sacro Cardinalium Collegio, ac multis Prælatis diuina peragebantur, processionaliter ad agendum gratias humani generis Redemptori cum maxima Populi frequentia, & Christifidelium ingenti lætitia associarunt, quibus ad pedes nostros in eadem Capella prouolutis Dei benedictione lætantes benediximus.

Hic propterea Pontifex eidē dat facultatē etiam extra Statum Eccle. siastic. pro d. opere colligendi eleemosynas.

§.22. Quare nos eorumdem Custodum, & Confratrū singularem pietatem plurimum in Domino commendātes, ac pro his gratias agentes Deo, volentesque vt tam pium opus fidelium eleemosynis,subueniatur, ac latius diffundatur, & propagetur; & nedum ipsius Archiconfraternitatis confratres, verum etiam omnes, & singuli quarumcumque Confraternitatum eidem Archiconfraternitati hactenus aggregatarum, & pro tempore aggregandarum Confratres, alijque vtriusque sexus Christifideles in huiusmodi pio opere se exercere,illudque eleemosynis,ac ope & operibus augere contendāt,atque procurent;Motu proprio & ex certa nostra scientia,ac de Apost. potestatis plenitudine, eidem Archiconfraternitati, illiusque nunc & pro tempore existentibus Custodibus,& Confratribus, vt nedum in dicta Vrbe; ac toto Statu Ecclesiastico, vt præfertur subiecto huiusmodi, sed etiam extra dictum Statum eleemosynas,& oblata quæcumque pro redemptione captiuorum quærere, & accipere, ac ad id Confraternitates, eidem Archiconfraternitati hactenus aggregatas,& pro tempore aggregandas; illarumque Confratres, ac alios quæstores, quot eis videbitur deputare, qui eleemosynas, obligationes, legata & quæcumque alia subsidia pro huiusmodi redemptione, & causis ad eam pertinentibus, perquirere libere & licite possint & valeant, Apost. auctoritate tenore presentium licentiam, & facultatem,ac omnimodam potestatem perpetuo concedimus & impartimur,eisque desuper speciali gratia indulgemus.

Episcopisque & aliis mandat vt eidem faueant.

§.23. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis,Episcopis, ceterisque locorum Ordinariis, & Ecclesiarum Prælatis, ac dilectis filiis illorum officialibus, & Vicariis, necnon Abbatibus, Prioribus, Capitulis, Conuentibus, Parochialiumque Ecclesiarum Rectoribus, & illorum Vicariis, ac quorumcumque Ordinum etiam Mendicantium Generalibus Prouincialibus,& aliis superioribus, ac verbi Dei concionatoribus; & quibusuis aliis, tam exemptis quam non exemptis Ecclesiasticis personis tam in Vrbe, & toto Statu Ecclesiastico huiusmodi quam per vniuersum orbem Christianum constitutis quatenus omnes & singulos vtriusque sexus Christifideles ad conferendum eleemosynas, oblationes, & legata omni studio, & charitate accendant, & efficacibus hortationibus inducant, suasque literas ad id fauorabiles, & hortatorias absque alicuius præmij,vel mercedis exactione tradant.

Clausula huius concessionis præsertim.

§. 24. Præsentibus, quas sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum, & facultatum reuocationibus, limitationi

limitationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per nos & pro tempore exiſtentes Rom. Pont. ſucceſſores noſtros, ac Sedem eamdem etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, in genere vel in ſpecie, ac alias quomodolibet pro tempore factis, & emanatis, nullatenus vmquam comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac de nouo etiam ſub poſteriori data per pro tempore exiſtentes Cuſtodes & Confratres præfatos eligenda, conceſſas fore, & eſſe, ac cenſeri, ipſiſque Cuſtodibus, Officialibus, & Confratribus, ac aliis prædictis ſuffragari debere decernimus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Clauſulæ derogatoriæ

§. 25. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. Mendicantium & non Mendicantium Ordinibus; Archihoſpitalibus, Hoſpitalibus ac locis piis, necnon fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de dicta Vrbe, Cruciatæ Sanctæ, & aliis quibuſcumque contra præmiſſa, aut alias Quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus etſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, expreſſas, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda eſſet illorum omnium & ſingulorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe Motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine paribus derogamus ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides.

§. 26. Volumus autem quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, ac ipſius Archiconfraternitatis pro tempore exiſtentium Cuſtodum, & Secretarij manibus ſubſcriptis, eiuſdemque Archiconfraternitatis ſigillo munitis, eadem prorſus fides, in iudicio & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

D. P. Ann. 3. 13. Apr.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſc. die 23. Aprilis, 1588. Pont. noſtri Anno 3.

XXVIII. Moderatio conſtitutionis editæ à Pio V. quoad electionem Viſitatoris generalis, & exemptionem Fratrum Tertij Ordinis de pœnitentia S. Franciſci, à ſuperioritate Miniſtrorum Prouincialium Fratrum Minorum de Obſeruantia in Italia.

De hoc Ordine dixi ſup. ad conſt. 32. Leon. X. Inter *ibi videas.*

Edita An. D. 1586.

SIXTVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmani Pontificis prouidentia, circumſpecta, nonnumquam ea, quæ per prædeceſſores ſuos rationabilibus & honeſtis ſuadentibus cauſis, pro quibuſcumque Eccleſiæ Ordinibus vel in ſua integritate continendis, vel ad inſtitutum reuocandis, ſtatuta & ordinata fuerunt, ex aliis non minus iuſtis cauſis moderatur & reuocat, prout id conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Pius V. edidit reformationẽ huius Ordinis ſub in conſt. 63. Ea eſt.

§. 1. Alias ſiquidem fel. rec. Pius Papa V. prædeceſſor noſter, officia Miniſtratus, & Viſitatoris generalis Tertij Ordinis S. Fr. de Pœnitentia nuncupati perpetuo extinxit & aboleuit, ac Miniſtrum, Viſitatorem, & Vicarium generalem eiuſdem Ordinis officio, vſu, & exercitio quomodo interdixit, Edictoque prohibuit, ne vllus Miniſter, Vicarius & Viſitator generalis de dicto Ordine haberetur.

Eumque ſuppoſuit Ordini de obſeruantia.

§. 2. Inſuper vniuerſos & ſingulos Fratres, Sorores, profeſſos, & conuerſos, necnon Domos, Monaſteria, & loca virorum & mulierum, ac cuſtodias, & Prouincias per vniuerſum orbem conſtitutas, gregemque ipſum vniuerſum Tertij Ordinis vtriuſque ſexus, Generali & Prouincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum, prout in eorum Prouinciis conſiſtebant, ita perpetuo ſuppoſuit, vt Miniſter Generalis in vniuerſo Ordine, Prouincialis vero Ordinis Minorum de Obſeruantia in ſuis quiſque Prouinciis plenum ius, liberamque auctoritatem, in ſpiritualibus, & temporalibus, iuriſdictionem omnimodam haberet, Domos omnes, ac Monaſteria, & loca quæcumque necnon perſonas vtriuſque ſexus, tam in capite quam in membris viſitandi, & corrigendi, vagantes, & quoſcumque alios puniendi, carcerandi, mutandi, transferendi, Ordinibus officiis & adminiſtrationibus deponendi, excommunicandi, ſuſpendendi, interdicendi, & reſtituendi, ac etiam ſuper iis, & ceteris omnibus Ordinem ipſum illiuſque Domos, & perſonas vtriuſque ſexus quomodolibet concernentibus, eorum tamen regula, & ſacris Canonibus, & literis tunc deſuper confectis, non contrariis, ſtatuendi, mutandi, innouandi, & exequendi quemadmodum illis erat in ſuo proprio Ordine attributum, ac alia ſtatuit, & ordinauit, prout in ipſius prædeceſſoris literis ſub Data videlicet quinto Nonas Iulij Pontificatus ſui anno tertio deſuper confectis, quarum tenorem præſentibus haberi volumus pro expreſſo, plenius continetur.

Hic Pont. eam moderatur & innouat, quoad Fratres Italiæ, circa electionẽ Viſitatoris generalis, &c.

§. 3. Nos itaque, quibus nuper innotuit, quod Fratres Tertij Ordinis huiuſmodi ſub obedientia Magiſtri generalis, & Prouincialium Fratrum de Obſeruantia prædictorum manentes, nihil in Vinea Domini profecerunt, immo in eodem Tertio Ordine varij abuſus tam circa Regulæ obſeruationem, quam etiam Fratrum dictæ Regulæ tranſgreſſorum, & alias delinquentium caſtigationem irrepſerunt. Ac conſiderantes, quod ſi Fratres ipſi Tertij Ordinis eorum Viſitatorem Generalem iuxta ſua regularia inſtituta, ante literas dicti prædeceſſoris faciebant, eligere poſſent, & ſic electo tamquam eorum ſuperiori obedirent, præmiſſis, & aliis malis, quæ occurrere poſſent, plurimum conſultum foret. Propterea ex his & aliis cauſis animum noſtrum mouentibus, de nobis attributæ poteſtatis plenitudine ipſos Fratres Tertij Ordinis aduerſus literas dicti prædeceſſoris (illis quoad Protectoris deputationem in ſuo robore permanentibus,) in priſtinũ & eum, in quo antequam ipſæ literæ emanaſſent erant, ſtatum reſtituentes, & plenarie reintegrantes, eiſdem Fratribus Tertij Ordinis per vniuerſam Italiam exiſtentibus, quod perpetuis futuris temporibus iuxta eorum regularia inſtituta ſingulo Triennio Capitulum generale dicti Tertij Ordinis conuocare, & celebrare, ac in eo Viſitatorem generalem, & alios Miniſtros, & Officiales (non tamen Commiſſarium generalem) eiſdem modo, & forma, quibus antequam literæ prædictæ emanaſſent, conſueuerant, eligere, eumdemque Viſitatorem generalem peracto Triennio huiuſmodi in alio Capitulo Generali poſtea faciendo confirmare liberè & licite valeant perpetuo Apoſtolica auctoritate concedimus, & indulgemus.

Hæc moderatio eſt forſaſſe extenſa etiam ad Prouinciã Dalmatiæ & Iuſtipolitanã à Clem. VIII. in eius conſt. 91. eam videas.

§. 4. Decernentes Viſitatorem ſic electum omnimodam poteſtatem, auctoritatem, iuriſdictionem, & ſuperioritatem in omnes & ſingulos dicti Tertij Ordinis Fratres, & Miniſtros, & Officiales, per vniuerſam Italiam conſiſtentes, eorumque domos & loca, ac res & bona habere, necnon Fratres & Miniſtros, ac officiales Tertij Ordinis huiuſmodi ei ſic electo tamquam vero Superiori morem gere, eiuſque mandatis ſalubribus obedire teneri, ipſoſque per Miniſtrum Generalem, ac alios Fratres de Obſeruantia, quo minus ad electionem prædictam prout ante dictas literas faciebant procedere valeant, nequaquam impediri, aut moleſtari poſſe. Et ita per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos; quauis auctoritate fungentes ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi, facultate & auctoritate iudicari & definiri debere; irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clauſula derogat.

§. 5. Non obſtantibus literis prædictis, quibus, ac omnibus aliis quæ præmiſſis obeſſe poſſent, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque cõtrariis quibuſcumque. Volumus autem quod dictus Viſitator eligendus, infra duos menſes à die ſuæ electionis computandos confirmationem electionis huiuſmodi à Miniſtro Generalis de Obſeruantia petere omnino teneatur; qua petita, &

Digitized by Google

& non obtenta, vel denegata, idē Visitator Tertij Ordinis Apost. auctoritate confirmatus censeatur, quodque dictus Minister de Obseruantia per se ipsum dumtaxat, vna cum duobus aliis sui Ordinis professoribus, possit singulo quadriennio post Visitationem à Visitatore Tertij Ordinis huiusmodi factam, & non ante, Tertium Ordinem, ac Fratres, Domos, loca, res, & bona prædicta, visitare, eaque tam in capite, quam in membris prout opportunum fuerit, iuxta regularia instituta dicti Tertij Ordinis corrigere, & moderari.

Fides transumptorum.

§. 6. Ac quod præsentium transumptis, etiam impressis, dictique protectoris, aut Visitatoris Tertij Ordinis huiusmodi sigillo munitis, aut manu alicuius Notarij publici subscriptis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An. 1. 29. Martij.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Pisc. die 29. Martij 1586. Pont. nostri anno 1.

XXIX. Reformatio Officij & emolumentorum Secretarij Domestici, Summi Rom. Pont. Cum indultorum Collegij Secretariorum concessione & ampliatione.

De Institutione, & Extensione d. Collegij, & de Officio huius Secretarij, & emolumentorum elargitione, vide sup. in bull. 12. Innoc. VIII. Non debet.

Edita An. D. 1586.

SIXTVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROm. Pont. prouidentia circumspecta, ea nonnumquam alterat & immutat, quæ rerum, temporum, ac personarum qualitate pensata, vel euidens suadet vtilitas, vel cogit necessitas reformari. Industrios quoque & doctrina probatos viros, honoribus & fauoribus prosequitur opportunis, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Innoc. VIII. Collegium Secretariorum Apost. erexit eorum numerum præfinuit, certosque annuos redditus assignauit facultatemq; sibi reseruauit deputandi vnum Secretarium domesticū vt sup. in eius const. 12.

§. 1. Sane licet alias fel. rec. Innocentius Papa VIII. prædecessor noster, Collegium dilectorum filiorum Secretariorum Apostolicorum instituerit, & certo tunc expresso probatorum virorum numero, qui & Rom. Curiæ decori atque ornamento essent, ac expeditioni Breuium, & aliarum literarum Apostolicarum, quæ per Secretarios Apostolicos expediri consueuerant, accuratius & diligētius attenderent, constare voluerit: eidemque Collegio, & Secretariis diuersos annuos redditus, & emolumenta, inter singulos Secretarios pro tempore existentes, æquis portionibus diuidenda & distribuenda assignauerit, & in quinterno eius manu subscripto adnotari mandauerit. Ita tamen, quòd liceret ipsi Innocentio, & pro tempore existenti Rom. Pont. vltra numerum ab eo tunc præscriptum, vnum Secretarium, Domesticum nuncupandum, habere, qui sua & Rom. Ecclesiæ negotia secreta, aut Orthodoxæ fidei statum concernentia dumtaxat expedire posset, & deberet, quique duabus integris portionibus dictorum emolumentorum vltra numerum Collegarum faciendis contentus, ab omnibus & singulis aliis emolumentis, & expeditionibus Officium Secretariorum quomodolibet concernen. penitus abstineret.

Pius V. prædicta confirmauit.

§. 2. Et recol. me. Pius Papa V. etiam prædecessor noster, post diuersos alios Rom. Pont. etiam prædecessores nostros, tunc suos, literas Innocentij prædecessoris præfati approbauerit, & confirmauerit, ac etiam innouauerit, aliaque etiam de nouo concesserit, voluerit, & ordinauerit, prout in ipsorum Pij, & Innocentij prædecessorum præfatorum literis plenius continetur.

Sed euenit, quod talis Secretarius domesticus seorsum à Collegio quadam emolumenta percipiebat, &c.

§. 3. Nihilominus temporis successu, multiplicato Secretariorum domesticorum numero pro Romanorum Pontificum arbitrio, ipsi Secretarij domestici præter dictas duas portiones, diuersa alia emolumenta seorsum à Collegio percipere consueuerunt, necnon Collegij in Curia, seu forsan per desuetudinem effectum fuit, vt nonnulla alia ex emolumentis præfatis, his præsertim quæ in quinterno dicti Innocentij notata reperiuntur, à debitoribus non exigantur.

Hic igitur Pontif. d. offi-

§. 4. Cum autem Nos circa Officium Secretariatus domestici, quod dilectus filius Ioannes Baptista Canobius clericus Bononien. pro nutu & voluntate nostra nunc exercet, nouam rationem inire constituissemus, Collegium præfatum, in quo virtutibus, experientia, ac vsu rerum, & negotiorum ad Romanam Curiam confluentium, & ad dictum Officium pertinentium, insignes viri connumerantur, se nobis obtulit ipsius Officij, cuius ratione pleraque ad ipsum Collegium spectantia emolumenta exigi consueuerunt, ac eorum quæ in eo geruntur, curam omnem, cogitationemque susciperet, idque munus qua decet, fide integritate, per idoneos & peritos, ab ipso Collegio electos, & per Nos approbatos viros, obiret, &c. Nos igitur, &c. ipsumque Collegium, & Secretarios gratioso affectu prosequi volentes, singularum Innocentij, & Pij, aliorumque prædecessorum præfatorum literarum tenores, acsi de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, non ad dicti Collegij, aut alicuius pro eis Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam sed ex mera liberalitate, & scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Officium Secretariatus domestici, quod dictus Ioannes Baptista, vt præfertur exercebat, penitus, & omnino perpetuo supprimimus, & extinguimus, ita quod nullo vnquam tempore per Nos, aut Romanum Pontificem pro tempore existentem, & Sedem Apostolicam in Statum pristinum restitui, aut reintegrari valeat.

cium Secretariatus domestici nunc supprimit, eiusque curā Collegio concedit.

Facultatem dictum Secretarium domesticum à Pōt. approbādum, deputādi, &c. Mansionesque in Palatio Apost. assignauit.

§. 5. Curam autem, & exercitium dicti suppressi Officij, ac custodiam Registrorum Breuium & literarum Apostolicarum, via quæ secreta appellatur, expeditarum, & pro tempore expediendarum, in mansionibus Palatij Apostolici in Vaticano, quas dictus Ioannes Baptista, suique famuli, & Scriptores habitant, asseruandorum, deinceps per vnum, ex numero dicti Collegij Secretarium, aut aliam æque idoneam personam, à Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente, approbandum, seu approbandam, ad ipsius Collegij nutum, & liberum arbitrium nominandum, & deputandum, ac remouendum, iuxta ipsius Collegij præscriptum, haberi, teneri, & administrari, ipsasque mansiones, in octo cubicula partim infra, partim supra distributas, quibus per duas portas patet ingressus, & ab vno Dataria Apostolica, ab altero mansiones Substituti ipsius Datarij cohærent, cum cella vinaria, sub Officio Registri supplicationum, & aliis suis pertinentiis, per Secretarium, aut personas à Collegio præfato deputandas, inhabitari volumus, & mandamus: curamque & exercitium huiusmodi, & Registrorum custodiam, mansionumque præfatarum vsum, & habitationem, Collegio, & personæ ab eo deputandæ huiusmodi, ex nunc perpetuo concedimus, & assignamus.

Vnam ex duabus portionibus ab Innoc. VIII. reseruatis pro Secretario domestico, prædicto Collegio concedit.

§. 6. Et insuper vnam integram ex duabus portionibus emolumentorum dicti Collegij, extra numerum, vt præfertur faciendis, & Secretario domestico olim ab Innocentio prædecessore præfato assignatis, ab ipso Officio Secretariatus domestici, etiam perpetuo dismembramus, & separamus, illamque, necnon quatuor alias partes cibariorum, pro victu, & alimento quotidiano Secretarij, aut personæ, vt præfertur, ad curam & exercitum huiusmodi deputandæ, ac trium famulorum, & vnius equi, eisdem modo, & forma, quibus præfato Ioanni Baptistæ dari hactenus consueuerunt, Collegio præfato, pro Secretario vel persona deputanda huiusmodi, perpetuo concedimus, & assignamus, & per eos, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, dari, præstari, & assignari volumus, & mandamus.

Medietatēq; emolumentorum quæ Secretarius domesticus seorsum à Collegio percipere consueuit eidem Collegio tribuit.

§. 7. Necnon medietatem omnium, & singulorum aliorum emolumentorum, quæ hactenus præfatus Ioannes Baptista Canobius pro se, & aliis duobus Secretariis domesticis, percipere, exigere, & leuare consueuit, ita vt alia medietas emolumentorum huiusmodi, vna cum altera ex dictis portionibus pro vno vel duobus, aut pluribus Secretariis domesticis, salua remaneat, siue illa ratione taxarum literarum Apostolicarum via, qua secreta appellatur expediendarum, siue cedularum propositionum Ecclesiarum aut Monasteriorum vel sententiarum à Romano Pontifice pro tempore latarum, aut

inuestiturarum ab eo quomodolibet factarum, percipiantur, seu quouis alio nomine nuncupentur, Collegio præfato pariter concedimus, & assignamus.

Licentiam quoque dat Collegio possessionem prædictorum propria auctoritate capiendi.

§. 8. Ita quòd liceat ipsi Collegio, per se vel alium, seu alio eius nomine præfatę atque exercitij, & integræ portionis huiusmodi, necnon mansionum, registrorum, portionum, cibariorum, & aliorum emolumentorum præfatorum possessionem propria auctoritate vigore præsentium, apprehendere, seu forsan interim apprehensam perpetuo retinere, nec desuper, à Secretario domestico vno vel pluribus (pro quo, seu quibus altera dumtaxat integra portio emolumentorum ex duabus illi, ab Innocentio prædecessore præfato assignatis, ac reliqua medietas aliorum emolumentorum supradictorum saluæ remaneant) quomodolibet molestari possit.

A Collegio deputandus computa Secretariis ostēdat.

§. 9. Ita tamen quòd Collegium Secretariorum, seu ad exercitium huiusmodi Deputatus, ipsis Secretariis domesticis rationes, & computa ostendere, & reddere teneantur.

Secretarij domestici ne se vltra hic cōtenta ingerāt.

§. 10. Ipsis Secretariis domesticis pro tempore existentibus, & siue vnus fuerit, siue plures, sub mille ducatorum auri, & aliis arbitrio nostro, pœnis, eo ipso pro qualibet vice, qua contrauenerint, incurrendis, districtius inhibentes, ne aliquas literas in forma Breuis, aut etiam sub plumbo expedire audeant, vel præsumant, præter illas, quæ Rom. Pont. pro tempore existentis, & Romanæ Ecclesiæ negotia secreta, aut orthodoxæ fidei Statum concernent, & emolumentis sibi vt supra, remanentibus contenti, nihil aliud, etiam occasione eorum huiusmodi Officij, à quoquam percipere possint, sed quicquid lucri ex supradictis taxis Bullarum per viam secretam expediendarum, & quibusuis aliis regaliis prædictis percipietur, ad Custodem Breuium, seu emolumentorum, ab eodem Collegio deputandum destinent, ac omnino transmittant, quæ quidem omnia, & singula, vt inuiolabiliter obseruentur, sub eisdem pœnis præcipimus, & mandamus.

Collegij facultas deputādi, & remouendi tres personas ad scribēdum breuia, & registrandum bullas secretas & cibaria dictis scriptoribus assignantur.

§. 11. Præterea eidem Collegio liberam tribuimus facultatem & auctoritatem nominandi, eligendi, & deputandi tres idoneas personas pro scribendis literis in forma Breuis per dictum Deputatum expediendis, & tam illis, quam literis Apost. via quæ appellatur secreta, expeditis, registrādis, dictasque personas, ad ipsius Collegij nutum remouendi, & alias remotarum, recedentiū vel decedētiū in locū subrogandi, & deputandi, quibus sic electis, & deputatis personis, singulas portiones cibariorum, ex Palatio Apost. prout illas hactenus habuerūt, & percipere consueuerunt, ijdem auctoritate, & tenore, perpetuo concedimus, & assignamus, ac ab iis, ad quos spectat dari, cōcedi, & præstari volumus, & mandamus pari auctoritate, & facultate præfato Collegio attributis huiusmodi loca personis ab eo electis perpetuo vel ad tempus, ex nunc prima vice, & deinde quotiescumque loca ipsa pro tempore vacare contigerit, pro pretio inter ipsum Collegium, & personas huiusmodi conuento vendendi, seu pignorandi, vel alias, de locis ipsis disponendi, ac pretium huiusmodi in dicti Collegij vsus, & vtilitatem conuertendi.

Taxasque ab Innoc. VIII. dicto Collegio assignatas hic Pont. de nouo assignat, easq; singulis sex mensibus incipiendo à die 1. Iulij 1586. solui præcipit.

§. 12. Insuper omnes, & singulas taxas Officiorum Rom. Curiæ, & quorumuis alia Terrarum, Prouinciarum, Communitatum, & locorum totius Status Ecclesiastici in quinterno Innocētij prædecessoris præfati adnotatas, & designatas, & Collegio præfato applicatas; & assignatas, etiamsi de præsenti non soluantur, pro quibus Collegium ipsum debitam recompensam, in genere vel specie non constiterit recepisse, ipsi Collegio, eisdem modo, & forma, quibus per dictum Innocentium assignatæ, & applicatæ fuerunt, de nouo applicamus, & assignamus, & per Officiales, & Ministros Vrbis, & Prouinciarum, ac communitatum, Terrarum, locorum, ac præsertim per Almæ Vrbis, & Ciuitatis nostræ Bononien (post tamen præsentes, qui pro tempore extiterint Gubernatores, & eorum Locatenentes) necnon tam præsentes, quā pro tempore existentes Prouinciæ nostræ Marchiæ Thesaurariū, etiam ratione propriæ eius taxæ, etiam de præterito, non obstante decreto ad Motū prōpriū piæ memoriæ Gregorij Papæ XIII. etiam prædecessoris nostri, super prætensa concordia inter Collegium præfatum, & dilectum filium Franciscum Sangallettum, ad cuius commodum pro pecuniis ab ipso etiam solutis huiusmodi concessio cedit, ac Cameram Apostolicam, adiecto, & quosuis alios, integre, & absque vlla diminutione, iuxta formam quinterni, & literarum Innocentij prædecessoris huiusmodi, singulis sex mensibus in principio, sub pœnis in literis dicti Innocentij contentis, incipiendo à prima Iulij post datam præsentium, & successiue singulis sex mensibus in principio, persolui volumus, & mandamus, sine tamen præiudicio quorumcumque iurium dicto Collegio pro præteritis taxis competentium, præsertim respectu litium huc vsque motarum.

Taxasque aliorum locorum post publicationem quinterni. Innoc. VIII. Sedi Apost. incorporatorū concedit.

§. 13. Insuper quoque eidem Collegio liberam tribuimus facultatem, & auctoritatem, singula quæque Officia quarumuis Prouinciarum, Terrarum, Communitatum & locorum Rom. Ecclesiæ, post publicationem quinterni ab Innocentio prædecessore confecti quomodolibet incorporatorum, & in posterum incorporandorum, iuxta facultatem ab eodem Innocentio prædecessore Collegio prædicto attributam, & cum consilio dilecti filij Benedicti Iustiniani moderni, & pro tempore existentis Thesaurarij Generalis, taxandi, taxasque impositas huiusmodi, ab illis erigendi, & recipiendi, modo, & forma ab ipso Innocentio prædecessore, quoad alios præscriptis, quas quidem taxas de nouo imponendas, ipsi Collegio perpetuo etiam applicamus, concedimus, & assignamus.

Secretarios doctores post annum 25 in habitu Prælatorum incedent. s, vtriusque Signaturæ Referendarios esse decernit.

§. 14. Vt autem Collegium ipsum præcipua aliqua honoris, & dignitatis prærogatiua à Nobis etiam decoretur, & qui pro tempore fuerint Secretarij Apost. de numero participantium, per amplius honorentur, singulos Secretarios de numero præfato præsentes & futuros, qui in vtroque iure, aut in decretis ad doctoratus gradum in aliqua publica Vniuersitate fuerint promoti vigesimum quintum suæ ætatis annum excesserint, si habitu Prælatorum iuxta Innocentij prædecessoris præscriptum, incedere voluerint, ex nunc, prout ex tunc & è contra postquam habitum Prælatorum susceperint, eo ipso, absque alia approbatione, & admissione, Referendarios perpetuos vtriusque Signaturæ nostræ, & Romani Pontificis pro tempore existentis, creamus, constituimus, & deputamus, ac creatos, constitutos, & deputatos fuisse, & esse declaramus, & nunciamus, eisque, & eorum cuilibet de omnibus, & singulis priuilegiis, emolumentis, immunitatibus præeminentiis, facultatibus, gratiis, & indultis, aliis vtriusque, Signaturæ Referendariis quomodolibet concessis, & quibus ipsi vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter vti, potiri, & gaudere, libere, & licite valeant, concedimus, & indulgemus.

Secretariū ex dictis Referēdariis antiquiorem, singulis Papæ Signaturis intruenire possse concedit.

§. 15. Ille vero Secretariorum eorumdem, qui antiquior, Doctor, & Referendarius fuerit, vt singulis nostris, & Romani Pontificis pro tempore existentis Signaturis, nomine Collegij Secretariorum, eo ipso interuenire valeat, pariter indulgemus Quòd si ab Vrbe absens, vel alias impeditus fuerit, vel antiquior Secretarius alia ratione, vel causa dictæ Signaturæ interuenire habuerit, qui post illum erit antiquior Secretarius, & Referēdarius indulto huiusmodi eo ipso potiatur.

Habitum eis designat, & in Capella locum assignat.

§. 16. Cumque Secretarij ipsi, qui clerici erunt, nostri, & Rom. Pont. pro tempore existentis sint Prælati domestici, & familiares, ac continui commensales, teneanturque iuxta præscriptum Innocentij prædecessoris præfati, nisi in maiori fuerint dignitate constituti, Notariatus habitum suscipere, & deferre, ne quod ornamento, & decore Romanæ Curiæ prouide institutum est, negligentia, & desuetudine abrogetur, præsentium auctoritate volumus, singuliſque Secretariis præfatis præsentibus, & futuris, præcipimus, & mandamus quatenus qui clericali militiæ ascribi voluerint, vigintiquinque annis maiores, habitum, & insignia deferant Notariorum Apostolicorum, etiamsi voluerint, violacei coloris: qui vero fuerint primæ tonsuræ dumtaxat clerici, in aliis ordinibus nondum constituti, seu sæculares, etiam coniugati, vestibus vtantur, si eis placuerit, etiam violaceis, prout Cubicularij Apostolici de honore nuncupati. Habeant etiam qui Notarij fuerint Sedis Apost. locum in

Capel

Digitized by Google

Capella, & aliis actibus publicis, in quibus cum cappis, & rocchettis interfuerint, eorum dignitati congruentem, quem ipsi assignari curabimus.

Pij V. concessiones, confirmat eis supplatione defectuum.

§. 17. Et nihilominus literas Pij prædecessoris præfati vt supra eidem, Collegio super confirmatione, & approbatione literarum Innocentij, & aliorum Pontificum prædecessorum nostrorum, tunc suorum, rebusque aliis in eis contentis concessas, auctoritate, tenore, scientia, & Apost. potestatis plenitudine similibus, approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus omnesque, & singulos tam iuris, quam facti defectus supplemus.

Clausulæ huius bullæ præseruatiuas apponit.

§. 18. Præsentesque, & in eis contenta quæcumque, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari, aut per Nos, vel Rom. Pont. pro tempore existentem suspendi, reuocari, limitari, moderari, seu ad iuris terminos reduci non posse neque debere sed validas, & efficaces perpetuo existere, ac dicto Collegio, & Secretariis pro tempore existentibus in omnibus, & per omnia, etiam perpetuo suffragari, ac vim validi, iniri, & & stipulati contractus inter Nos, & Sedem, ac Cameram Apost. ex vna, & Collegium præfatum ex altera partibus, habere, debere ipsumque Collegium ad verificationem, seu iustificationem præmissorum, vel partis eorum, aut ad registrationem, vel adnotationem præsentium in Camera, iuxta constitutionem piæ mem. Pij Papæ IV. etiam prædecessoris nostri faciendam, minime teneri, nec ob non registrationem huiusmodi, præsentes nullitatis, aut inualiditatis vitio subiacere, sed valere, & ipsi Collegio, & Secretariis suffragari debere, perinde ac si in ipsa Camera registratæ fuissent, constitutione præfata non obstante.

Decretum irritans.

§. 19. Et sic in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Iudices & Commissarios, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, definiendi & interpretandi facultate, iudicari, & definiri, & interpretari debera & quicquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus, &c.

Clausulæ derogatoriæ subdit.

§. 20. Non obstantibus præmissis, ac Pauli I I. & Pij etiam I I. & quibusuis aliis constitutionibus, & ordinationibus, Apost. de bonis Ecclesiasticis non alienandis, quatenus adsint, & nostra de non tollendo iure quæsito in Cancell. Apost. publicata, necnon statutis, quauis firmitate roboratis, & consuetudinibus, exemptionibus, immunitatibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apost. Prouinciis, Communitatibus, Terris, & locis præfatis, illarumque incolis, & personis quomodolibet concessis, & quibus forsan potiuntur, & gaudent, quomodolibet contrariis. Quibus omnibus & singulis etiam si de illis specialis, specifica, & expressa mentio habenda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserterentur præsentibus pro expressis & haberi volentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 1. 1. Aprilis. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Pisc. die 1. Aprilis 1586. Pont. nostri anno 1.

XXX. Quod Festum S. Petri Martyris, duplici officio de cetero celebretur.

Hunc Sanctum canonizauit, eiusque festum pro die 29. mensis Aprilis instituit Innoc. IV. sup. in eius const. 11. Magnis.

Edita An. D. 1586. SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. INuictorum Christi militum numerus ingens propriam vitam contempsit, præ studio tuendæ, propagandæque Christianæ fidei, ideoque immarcescibili gloriæ corona donatus in cœlo, iure, & pia veneratione colitur, & celebratur in terris, sed non minus ad eiusdem fidei firmitatem profuit, B. Petri Martyris virtus, qui pro Catholica Religione strenue militans eam cõseruauit ac defendit, aduersus dolos atque insidias inimicorum, occulto veneno longe plus nocentium quam sit hostium infesta oppugnatio, qui aperto impetu nefarium Ecclesiæ Dei bellum indicunt.

S. Petrus Mart. Ord. Prædicatorũ professor fuit.

§. 1. Quare ex promissione Omnipotentis Dei nomine facta fortiter pugnantibus, cum eorum laudes cantet Ecclesia, est etiam inuicti huius martyris concelebranda solemniter memoria. Is enim præclarus Ordinis Prædicatorum alumnus, inexplebilem extirpandæ hæreticæ perfidiæ cupiditatem, iam inde à puero tota penitus mente combibit: quam remirati debemus singulare erga illum Dei beneficium, cum credibile non sit, sine diuina ope potuisse eum, hæreticorum parentum domestica exempla, tam sanctæ detestari.

Inquisitionis officio fun. ctus & hæreticos mirabiliter persecutus.

§. 2. Immo vero imitatione accensus Beati Patris Dominici, vt ille perpetuis, & concionibus, & disputationũ congressibus, officioque Inquisitionis, quod ei primum prædecessores nostri Innocentius I I I. & Honorius III. commiserant contra hæreticos mirabiliter se gessit, ita ipse cum nullum iis perditionis filiis monendis locum in omni sermone vmquam reliquisset, tum in obeundo inquisitoris munere sibi literis Apost. eis commisso, mira quadam diligentia illos insectari, atque vrgere nõ destitit.

Martyrij quoque coronam suscepit sanguinem pro fide Christi effundendo.

§. 3. Demum vero eorum in se odiis concitatis arripuit summa constantia, atque animi magnitudine oblatam sibi diuino permissu martyrij occasionem, cuius quidem martyrij antea piis precibus ac votis à Deo expetiti præcipuo desiderio exarserat. Quam obrem post B. Dominicũ non immerito Princeps appellari debet sacrosancti officij Inquisitionis, cum ipse primus illud suo sanguine consecrauerit; quo factum est, vt etiam nostris potissimum, huiusque sanctæ Sedis ministris, qui in hæc turbulenta & & calamitosa tempora inciderunt, seu potius sunt diuina prouidentia reseruati, quasi facem prætulerit, ac viam commonstrarit, quam eius exemplo ingressi audeant quacumque pericula pro munere commisso, fortiter subire; ac sanguinem ipsum, si ita res ferat, vitamque pro Catholica fide gloriose profundere,

Iussio, eius festi duplici officio celebrandi.

§. 4. Dignam itaque Pont. munere cogitationem suscepturi videmur, si sancti huius viri memoriam maiori veneratione recolamus; ita enim fiet vt ei de Ecclesia Dei optime merito honor debitus tribuatur. Deinde, vt eius in officio Inquisitionis successores ad prosequenda fortissimi Ducis vestigia incitentur. Præcipue vero decet vt ad conciliandum nobis celestem gratiam imploremus illius opem, quem propter initam ante actæ vitæ sanctitatem, castimoniam, innocentiam martyrio consummatam, apud Deum maxime glorioſum intelligimus; & satis cõpertum est eiusdem Ecclesiæ amantissimum esse, pro qua grauissimos labores, dies noctesque perpessus est. Quare hac nostra perpetua constitutione mandamus, vt ipsius sancti viri dies festus, tertio Cal. Maij, per omnes totius Orbis terrarum Ecclesias, duplici officio de communi vnius Martyris, vbi proprium deest, celebretur; ac decernimus vt in Calendario ad eum diem S. Petri Martyris nomen, cum specificatione Ordinis Prædicatorum, ac duplici nota adscribatur.

Et hanc bullam publicandi & obseruandi.

§. 5. Præcipientes omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque Ecclesiarum Prælatis in vniuerso terrarum Orbe constitutis vt faciant in suis quisque Ecclesiis, prouinciis, ciuitatibus, & diœcesibus, præsentes nostras solemniter publicari, & ab omnibus ecclesiasticis personis, secularibus & quorumcumque Ordinum regularibus, omnino obseruari:

Fides transumptorum.

§. 6. Volumus quoque, vt præsentium exemplis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 1. 13 Aprilis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, Id. Aprilis, Pontificatus noſtri anno primo.

XXXI. De decies centenis millibus nummum aureorum, in Arce Sancti Angeli repositis & nullo vmquam tempore, nisi in præscriptis casibus detrahendis.

Alia centena millia idem Pontifex in secundo anno sui Pontificatus, & alia in tertio simili modo reposuit, vt infra in eius constitut 69. & 80. Eiusque bullas, quisque Pontifex initio sui Pontificatus confirmauit.

Edita An. D. 1586.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Plurimis de causis necesse est. Sedem Apostol. aliquē Thesaurum habere.

ADclauum Apostolicæ seruitutis in puppi Militantis Ecclesiæ non meritis nostris, sed diuinæ voluntatis dispositione, difficillimis his temporibus constituti, non solum præsentes fluctus, quibus Beati Petri nauicula sæpius iactatur, menti peruigili circumspicimus; sed procul etiam atque à longe impendentes tẽpestates non sine magna animi solicitudine prospicimus, easque consilio & vigilãtia, quantum cum Domino possumus, præcauere, ac vitare studemus. Circunstant nos vndique multorum genetum pericula, mala intestina quotidie magis ingraueſcunt, bello ardent Prouinciæ, Hæretici implacabili odio inflammati in nos rapiuntur, hostis terrimus & potentissimus Turca, alter Assur virga furoris Domini ceruicibus nostris semper imminet, quique communes sunt Catholicæ Religionis, & Christiani nominis inimici, ijdem Romanam in primis Ecclesiam & Apostolicam hanc Sedem fidei petram, & fidelium omnium matrem acerbissime oderunt, eiusque auctoritatem, amplitudinem, statum conuellere, quod Deus auertat, ac labefactare, vehementer atque auide concupiscunt. Et nos quidem dubios rerum euentus, & occulta discrimina, quæ non sine causa timere cogimur, sæpe numero expendentes, non in nobis ipsis spem collocamus, neque carnem ponimus brachium nostrum, sed oculos in cœlum sustollimus, ad custodem Israel, eumque ipsum qui numquam dormit, neque dormitat, sæpe cum lacrimis excitamus, vt aliquando è somno exurgens mari & ventis imperet, & tranquillitatem faciat; sed tamen ab eodem, in quo spes omnes nostræ resident, edocti sumus noctu vigilandum esse patrifamilias, ne fures domum perfodiant, seruumque supra eius familiam constitutum, non solum fidelem esse debere, sed prudentem; nec temere tentandum Dominum, vt in iis quæ consiliis nostris & ratione gubernari possunt, non tam diuinam opem, quæ semper experenda est, quam miracula requirere videamur. Quare ad humanæ prudentiæ subsidia ita confugimus, vt in Deo potissimum speremus, ad cuius gloriam, atque ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vtilitatem, populorumque nostrorum quietem & defensionem omnia dirigimus. Nam cum illius vicem in terris, licet immeriti geramus, qui Rex pacificus & Sacerdos est in æternum, vtraque potestate Sacerdotali & Regali, eorum præcipue commodis & incolumitati consulere debemus, qui sub peculiari tutela, & ditione huius sanctæ Sedis sunt constituti; in quo quidem pastoris etiam officium exercemus, vt præclare nos admonet Beatissimus Pontifex Gregorius, à quo pastores obiurgantur, qui de externa gregis vtilitate non sunt soliciti. Pastores, inquit, sic erga interiora studia subditorum suorum ferueant, quatenus in eis exterioris quoque vitæ prouidentiam non relinquant.

Hic ideo Pōt. decies centena millia aureorum nummū in primo anno sui Pont. hinc inde licito, & absque alicuius oneris impositione collegit.

§. 1. Quod igitur à nobis Pastoralis prouidentiæ debitum requirit prouidere cupientes, ne aliquando repentina aliqua & improuisa vi, quod superiorum temporum luctuosa monent, exempla, nos successoresue nostri, & populi nobis subiecti opprimantur, neue ad dubios casus à pecunia omnino imparati simus, quæ in ipso motu & trepidatione difficulter admodum, non sine magno ciuitatum & Prouinciarum incommodo conficitur, quibus parcere cupimus, & quod grauius est, iam sera, & inopportuna diligentia sæpius frustra & inutiliter conficitur, quæque si in tẽpora curata & præparata sit, ad copias aliaque præsidia comparanda, magno vsui & adiumento esse potest; ob eas causas decreuimus certam pecuniæ summam, benedicente Domino, nullo nostrorum extraordinario onere congestam, sed præter alias recte colligendæ pecuniæ vias nostra etiam parsimonia, frugalitateque Pontificia comparatam hoc est ad decies centena millia aureorum nummum seponere, tamquam sacrum Ecclesiæ Romanæ peculium, & præcipuum ærarium, quod bonorum immobilium instar sit, atque ad certos casus, hac nostra ordinatione præscriptos erogandum fideliter, integreque reseruatum ac præclare paratum ipsa Sedes Apostolica, Ecclesiaque Romana habeat. Etenim inter omnia præsidia ac firmamenta, quæ ad Reipublicæ defensionem & conseruationem necessaria, sapientum iudicio putantur, magnam sapientissimus, Salomon, vim & facultatem pecuniæ tribuit verbis illis. Vtilior est sapientia cum diuitiis, & magis prodest, sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. Quod sane diuino consilio à veteris testamenti patribus factum esse animaduertimus, cum in Dei etiam templo, magnam auri argentique copiam ingentemque thesaurum ad necessitates reseruatum esse, sacris libris & Regum, & Machabæorum testatum sit. Habuit etiam Christus Dominus loculos, & quæ à fidelibus oblata erant reseruauit, vt Ecclesiæ necessitatibus subueniret, sicque formam instituit Ecclesiasticæ pecuniæ seruandæ, inquit Sanctus Augustinus; habet etiam Ecclesia aurum, ait Beatus Ambrosius, vt cum necesse est illud tunc non seruet, sed seruatum eroget, & ex eo tempore, quo prima Christianæ Religionis iacta fuerunt fundamenta, Sanctus Sixtus prædecessor noster, & Martyr, Leuitæ Laurentio, qui martyrio insignis fuit, Ecclesiæ thesauros tradiderat asseruãdos; quos idem Christi athleta fortissimus, ex manibus Tyranni, qui præter Christianorum innocentem sanguinem, & aurum Ecclesiæ sitiebat, in pauperes celeriter distribuendo eripuit.

Et modo in Arce S. Angeli pro Sedis Apost. præsidio reponit, Deoque & eius Virgini Matri Mariæ & Apost. Petro & Paulo dicat, indeque promi (præterquam in casibus hac exceptis) prohibet.

§. 2. His itaque rationibus & causis aliisque ad Dei gloriam atque Ecclesiæ vtilitatem spectantibus nos adducti Motu proprio & ex certa nostra scientia, habita super hoc cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in Consistorio nostro secreto matura consultatione, de eorum consilio, & vnanimi assensu hac nostra perpetuo valitura constitutione, atque ordinatione, supradictam à nobis simul congestam pecuniæ summam, in Pontificia Sancti Angeli arce, certo sanctiori ærarij loco, quem eo nomine constituimus, in quibusdam certis designatis seruitiis collocamus, reponimus, asseruamus atque assignamus, eamque ita collocatam & asseruatam, Christo Domino, cuius in terris vices gerimus, Beatissimæ Virgini Dei genetrici Mariæ, ac Sanctis Apostolis Petro & Paulo, ea lege offerimus atque dicamus, vt inde, ne nobis quidem eam, neque totam nec vero partem aliquam etiam minimam prosni vmquam liceat, præterquam si pro recuperatione Terræ sanctæ, & generali contra Turcas expeditione bellum aliquando suscipiendum erit; tuncque etiam postquam Christianus exercitus comparatus erit, ac mare ad ipsorum Turcarum fines traiecerit. Si præterea tanta Annonæ, & rei frumentariæ inopia sit, vt fames populo interitum allatura videatur, aut si pestilentiæ lues grassetur. Si manifestum periculum immineat, ne aliqua ex Christianis Prouinciis ab infidelibus, & Catholicæ Ecclesiæ hostibus occupetur, tuncque subsidij tantum ferendi causa. Si bellum contra statum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Italia inferretur, tuncque dumtaxat cum iustus atque integer exercitus in ipsos etiam Ecclesiasticæ ditionis fines peruaserit, vel prope iam sit, vt qui loca finitima inuaserunt, ad occupandum Ciuitates & loca ditionis Ecclesiasticæ irrumpãt. Si belli sumptus faciendus erit pro Ciuitatis, quæ temporali ditioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subiecta, ab ipsius obedientia, (quod Deus auertat) defecerit recuperatione & conseruatione, aut pro Ciuitate, ac ditione, quæ ad Sedem Apostolicam deuolueretur, recuperanda & conseruanda. Si quando quis in eam se intruderet seu occuparet, aut occupationis & intrusionis periculum instaret atque vrgeret. in his autem omnibus casibus præscriptis ac permissis in quibus aliqua pecuniæ portio, semel aut sæpius sumi licebit, id semper moderate fiat, eaque cautio ratioque adhibeatur, vt omnino saltem integra medietas cõstitutæ huius ærarij pecuniæ remaneat. Præterea consensum duarum saltem ex tribus partibus Cardinalium, qui Consistorio interfuerint præstari, decretumque ipsum eorumdem Cardinalium consentientium subscriptione roborari volumus.

Hi casus ad alios etiam ad maiorem rationem habentes extendi nequeunt vt mox hic infra declaratur.

Tu autem vide bullas in rubr. indicatas.

§. 3. Extra

Digitized by Google

Mque se seruaturum iureiurando vouet & eius successores dictum iuramẽtum ligare declarat.

§. 3. Extra hos autem præscriptos casus, omnem huius pecuniæ, Deo vt supra dicatæ vel omnino, vel aliqua ex parte amouendæ aut erogandæ potestatem à nobis prorsus abdicamus, abdicatamque planè esse volumus. Statuentes quemadmodum supra dictum est, vt instar bonorum immobilium Ecclesiæ sit & habeatur; eamdemque sic asseruatam & repositam, ac Deo dicatam, nos integram conseruaturos esse, ac perinde omnino atque res & bona Ecclesiæ immobilia nos habituros esse promittimus, iuramus & vouemus. Cuius rei seruandæ vinculo, sicut nos adstringimus, ita successores etiam nostri se eodem deuinctos, esse norint. Tum boni publici causa, quod summo studio procurare debent, tum Pontificalis muneris religione, qua obstrictos non modo non rescindere, sed inuiolate obseruare oportet, quæ à prædecessoribus vtiliter sancteque constituta esse vident. Tum denique diuinæ iustitiæ lege, ex qua intelligant se, prout diuinæ literæ, exemplaque significant, ac patrum documenta declarant grauissimas pœnas daturos esse, si rem Deo dicatam, aliter ac præscriptum est, dispensarint.

Exemplum quoque eisdẽ proponit impij Heliodori qui pecuniam ab ærario Templi Dei auferre molitus Dei iussu, acriter percussus & verberatus fuit.

§. 4. Cuius rei non minus insigne, quam tremendum exemplum in Machabæorum historia memoriæ traditum est, de impio atque audaci Heliodoro, qui cum pecuniam à sacro templi Dei ærario auferre moliretur, armato quodam equite, aspectu terribili subito diuinitus apparente, equi calcibus impetitus à duobus quoque iuuenibus, Dei item iussu apparentibus flagellis verberatus, ac plagis grauissimis affectus est. At vero nos religiosa eorum conscientia, Pontificiaque charitate confisi, non modo non dubitamus, sed plane speramus fore, vt ærarium hoc nostrum, quod nostra Pontificali solicitudine partum, ac Deo dicatum ad necessarios præscriptos casus reseruauimus, ita diligentissime reseruent, vt nos maxime facturos esse professi sumus, ac profitemur.

Casus hic præscriptos, ad alios eisdẽ maiorẽ rationis vim habentes, non extendi, sed ad literam intelligi debere decernit, ex causis hic expressis.

§. 5. Si vero, alij casus aliquando inciderint, qui etiam maiorem ex ærario promendæ pecuniæ rationem haberent, nolumus tamen, quod de his certis casibus, constituimus & præscripsimus, vllo vmquam tempore, nec etiam dum Sedes Apostolica per obitum Romani Pontificis vacauerit, ad illos qui maioris rationis vim habere viderentur, extensionem fieri, aut vllo modo de illis interpretari licere. Sed nostram hanc ordinationem, constitutionemue ad literam intelligi debere decernimus. Nam successoribus nostris æque ac nobis etiam, siqui alij casus inciderint in quibus magnæ etiam impensæ insumendæ aliquando erunt pecuniæ, opes aliunde non deerunt, quibus conseruata hac in hoc à nobis constitutio & sancito ærario summa, occurri necessitatibus incidentibus poterit. Etenim si à nobis, qui in hoc ipso Pontificatus nostri ingressu multis difficultatibus oppressi, ad subleuandẽ Annonæ inopiam ad exules facinorososque homines publicæ quietis perturbatores coërcendos, atque ob Basilicas religiosissimas, & toto terrarum Orbe celeberrimas reficiendas, atque instaurandas, cultumque diuinum in hac Alma Vrbe, quæ Christianæ religionis Sedes est & domicilium, nouis etiam sacris ædificiis, atque ornamentis amplificandum, tum etiam ob salubris & copiosæ aquæ ad loca Vrbis accliuia, quæ illa maxime indigent operosam deductionem, aliasque grauissimas ob causas, multiplices & maximas impensas subire coacti fumus, ærarij huius pecunia, nostra sedulitate & diligentia reposita, & ad certos præscriptos casus reseruata non esset, sed in varios alios vsus à nobis iusto arbitratu nostro erogaretur, nullus quidem locus iustæ aduersus nos querelæ successorib. nostris relinqueretur, & nihilominus pro necessitatibus, etiam quæ de repente inciderent, sumptus subire & eis prouidere cogerentur. Propterea iis durum videri nullo modo debet, si conseruata ærarij prædicti summa, quæ faciliorem ad alios nummos sibi comparandos viam munit, aliunde pecuniam sumere debeant, quam in sumptus, pro temporum varietate necessarios erogent.

Pecuniam dictis casibus acceptam, quamprimũ reponi iubet.

§. 6. Immo vero illud rationi valde consentaneum est, vt qua inde pecuniæ partem in præscriptis illis casibus sumpserint, eam integram cum primum sumptus in iis faciendi occasio cessauerit plane in ipsum ærarium vnde acceperunt restituant ac reponant.

Clauis sex ad custodiam dictæ pecuniæ instituens sex personis hic nominatis assignat, præstito iramento de obseruandis præmissis sub pœna excommunicationis.

§. 7. Et vero vt ob causas tantum supra planè præscriptas, ex eodem ærario pecunia iuste legitimeque sumatur, ad illius custodiam sex claues adhiberi iubemus quarum tres Cardinalibus item tribus, qui ordinum capita dicuntur, quique in Romanana Curia præsentes adsint, illis vero absentibus, tribus aliis, qui in eisdem ordinibus eis proximi erunt, eorumque locum eo tempore gesserint, sigillatim assignentur, quarta S. R. E. Camerario, quinta Decano Clericorum Cameræ Apostolicæ, à quo illam alias tradi non liceat; nisi præsentibus & consentientibus eiusdem Cameræ Clericis duobus, sexta denique Thesaurario generali. Claues vero duæ portarum ærarij huius sic à nobis constituti, altera Collegij Cardinalium Decano, eoque absente antiquiori in ordine Cardinali in Vrbe existenti, altera nostro & pro tempore existenti Romani Pontificis Thesaurario secreto asseruandæ tradantur; qui omnes iurabunt, se neque claues daturos, neque extractioni præfatæ pecuniæ consensuros, nisi in casibus suprascriptis, & tunc nisi consensu duarum partium Cardinalium, vt supra interueniente.

Præfectis Castri S. Angeli præmissa iurari iubet.

§. 8. Volumus insuper eiusdem Castri S. Angeli, nunc & pro tempore Præfecto iuramentum deferri, atque ad illud præstandum in manibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarij teneri se non permissurum, quauis iussione, & quibusuis clausulis munita non obstante, ex ærario per nos constituto aliquam pecuniarum quantitatem auferri, nisi forma per nos tradita obseruata. Si vero contra hoc iuramentum fecerint, pecuniæque ex ærario partem aliquam vel minimam contra huius ordinationis, constitutionisque nostræ præscriptum sumi, promi, detrahique permiserint, anathematis pœnam ipso facto subeant.

Contrafacientibus tentantibus pœnas hic dictas incurrunt.

§. 9. Id quoque statuimus & sancimus, & vt omnes & singuli, tam sæculares quauis dignitate, etiam Ducali, aut Regia fulgentes, quam Ecclesiastici, cuiusuis ordinis & dignitatis, etiam Episcopi vel Archiepiscopi vel Cardinales qui de pecuniis ex eodem ærario, præter casus & formam supra præscriptos, sumendis, amouendisve tractarint, consuluerint, insinuarint, suaserint, aut suadere tentarint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, à qua nisi ab ipso Pontifice, præterquam in mortis articulo absolui nequeant, ac præterea Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Sedique Apostolicæ ijdem rebelles, læsæque maiestatis rei esse censeantur, omnibusque Ecclesiis, Monasteriis, & aliis per eos quomodolibet obtentis Ecclesiasticis beneficiis eo ipso priuati, cum ad illa, tum ad alia in posterum obtinenda inhabiles; existant. Quod si aliquando eos reintegrari contigerit, nihilominus infames etiam remaneant, nec vero vmquam iis ad honores, gradus, dignitatesque in posterum aditus pateat.

Cardinales omnes in assumptione vel accessu ad curiam observationẽ huius bullæ curare.

§. 10. Volumus autem quod sicut omnes & singuli Cardinales præsentes constitutionem huiusmodi quantum in eis erit obseruare, illique non contrauenire, nec Pontificibus contrafacientibus consentire, aut absolutionem à iuramento præstito non petere, nec oblatam au concessam acceptare in Consistorio nostro secreto promiserunt & iurarunt, idem per absentes Cardinales à Consistorio in habitatione eorum & à Romana Curia, vt quandocumque ad eamdem Curiam se contulerint, ac per futuros pro tempore Cardinales in assumptione pilei promitti & iurari debeat, ac promissionem & iuramentum huiusmodi in formula iuramenti per eosdem Card. præstari soliti, adiungi & inscribi debere, ac contrafacientes pœnam periurij & perpetuæ infamiæ, iuris & facti eo ipso incurrere decernimus.

In Conclaui idem ipsi Cardd. & etiam Pontif. post coronationẽ iuramẽto præstando.

§. 11. Præterea quod ipsi Cardinales occurrente Apostolicæ Sedis vacatione, in Conclaui quando de obseruando felicis recordat. prædecessorum nostrorum Iulij Secundi literis super electione Romani Pontificis, & Pij Quinti ne Ciuitates & loca Sanctæ Romanæ Ecclesiæ infeudentur, & aliis constitutionibus iuramentum præstare solent, etiam de inuiolabiliter præsenti constitutione nostra, per quemlibet eorum qui in Romanum Pontificem electus fuerit, & postmodum idem ad summi Pontificatus fastigium assumptus, post eius assumptionem hoc ipsum promittere ac iurare, & deinde post co-

Digitized by Google

ronationem ſuam promiſſionem & iuramentum huiuſmodi per literas ſuas ſpeciales harum confirmatorias reiterari debeat. Quod ſi illud à Pontifice, quod credendum non eſt, recuſabitur, aut differetur, tunc dicti Cardinales in primo Conſiſtorio ſecreto, & præcipue eorum Decanus, & Capita Ordinum apud eum omni cum inſtãtia, & inſtantiſſime pro præſentium obſeruatione petere & rogare, ac obteſtari non ceſſent. Quod ſi ſemel atque iterum enixe rogatus eiuſmodi iuramentum præſtare diutius etiam diſtulerit, tum demum omnes ſingulosque Cardinales ea lege adſtringimus, vt in ſingulos annos quinquies, in die ſcilicet Natali Domini, in Paſcha Reſurrectionis, in feſto ſolemni S. Petri, die præterea Anniuerſario creationis & Coronationis ipſum Pontificem inſtanter, inſtantius, atque inſtantiſſime rogent, orent, obſecrent, atque obteſtentur, vt de ſancito hoc ærario, quod Deo obtulimus & dicauimus, ad præſcriptum cuſtodiendo ſeruandoque ſancte iuret, idque vt omnino efficiat tamdiu quoad plene effecerit diligentiſſime curare ſtudeant, ſtatuimus & ordinamus.

Hæc bulla in Conclaui legatur, & in quinterno Cancellariæ deſcribatur.

§. 12. Has vero noſtras literas in libellum redigi, & poſt prædicta Iulij Secundi & Pij Quinti literas, quæ in in ipſo Conclaui legi ſolent, aliiſque conſtitutionibus Apoſtolicis adiungi, & in quinterno etiam Cancellariæ Apoſtolicæ vna cum aliis conſtitutionibus noſtris deſcribi & in valuis Baſilicæ B. Petri Principis Apoſtolorum, & in Cancellaria noſtra Apoſtolica, ac in acie Campi Floræ publicari.

Tranſumptis credatur.

§. 13. Earumque tranſumptis & exemplis etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati ſeu perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eamdem fidem vbique haberi, in iudicio & extra, quæ præſentibus haberetur, volumus & iubemus.

Si ſucceſſores contrauenerint agi poterit contra eos, & Cardd. conſentium coniunctos.

§. 14. Si quis autem fortaſſe noſtrorum ſucceſſorum id quod minime credimus, huic noſtræ conſtitutioni omnino aut aliqua ex parte derogare, aut contra ſtatuere voluerit, aut depromptam pecuniam, vt ſupra ſancitum eſt, in idem ærarium non reſtituerit, admonemus poſt derogantis, aut contra ſtatuentis, contraque facientis obitum liberum eſſe ſucceſſoribus ea derogatione, & quibuſuis aliis, quæ contra ſtatuta ſunt non obſtantibus, pro pecunia contra huius conſtitutionis præſcriptum ſumpta ac deprompta recuperanda aduerſus Pontificis derogantis, & contrafacientis, & Cardinalium idem conſentientium poſteros, ſeu coniunctos omnes, quibus ab ipſo Pontifice aut Cardinalibus bona quouis titulo, vel quauis ratione obuenerint agere, & poſſeſſionem bonorum, quæ ad ipſos poſteros peruenerint, adipiſci, retinerique, donec quicquid pecuniæ depromptum eſt, id omne in ærarium referatur & reſtituatur, eaque ipſa bona, ſi quo modo, vt ſupra dictum eſt, à forma per nos conſtituta recedi contigerit huiuſmodi obligationi atque oneri, obnoxia & addicta eſſe volumus, ſingulis quæ in noſtris literis aduerſari poſſent, vel quoquomodo obeſſe penitus remotis, ac non obſtantibus,

In hoc aliquid eſt mutatum in bullis cit. in rubr.

Sanctio pœnalis.

§. 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, collocationis, repoſitionis, aſſeruationis, aſſignationis, oblationis, dicationis, abdicationis, promiſſionis, iuramenti, voti, profeſſionis, ſanctionis, adſtrictionum, decretorum, ſtatutorum, ordinationis, iuſſionum, admonitionis, & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

D. P An. 1. 21. Aprilis.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1586. 11. Kalend. Maij Pontificatus noſtri Anno 1.

PP. ſubſcript. Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus promitto, voueo, & iuro.

De ventre matris meæ tu es Deus protector meus.

Cardd. ſubſcr. Ego A. Cardinalis Farneſius Epiſcopus Oſtien. Vicecancellarius promitto, voueo, & iuro.

Ego Iacobus Cardinalis Sabellus Epiſcopus Portuen. promitto voueo & iuro.
Ego Ioannes Antonius Cardinalis S. Georgij Epiſcopus Tuſculanus, promitto, voueo, & iuro.
Ego Io. Franciſcus Card. de Gambara Epiſc. Præneſtin promitto, voueo, & iuro.
Ego M.S.Car.ab Altaemps, promitto, voueo, & iuro.
Ego Innicus Aualus Card. de Aragonia, promitto, voueo, & iuro.
Ego Marcus Antonius Card. Columna, promitto, voueo, & iuro.
Ego P.Card.Sanctacrucius, promitto, voueo, & iuro.
Fr. Michael Bonellus Card. Alexandrinus, promitto, voueo, & iuro.
Ego Ludouicus Mudrucius, promitto, voueo, & iuro.
Ego N.Card. Senonenſis, promitto, voueo, & iuro.
Iul. Antonius Card. Sanctæ Seuerinæ, promitto, voueo, & iuro.
P. Card. Cæſius, promitto, voueo, & iuro.
Ego Hieronymus Card. Ruſticucius, promitto, voueo, & iuro.
Ego Io. Hieronymus Card. Albanus, promitto, voueo, & iuro.
Ego Philippus Boncompagnus Card. Sancti Sixti promitto, voueo, & iuro.
Ego Hieronymus Cardin. Simoncellus, promitto, voueo, & iuro.
Ego P. Card. Deza promitto, voueo, & iuro.
Ego Antonius Card. Caraffa, promitto, voueo, & iuro.
Ego Io. Antonius Card. Sanctorum Quatuor, promitto, voueo, & iuro.
Ego Io. Baptiſta Cardin. Sancti Matcelli, promitto, voueo, & iuro.
Ego Vincentius Card. Montis Regalis, promitto, voueo, & iuro,
Ego Scipio Card. Lancellottus, promitto, voueo, & iuro.
Ego Henricus Cardin. Caietanus, promitto, voueo, & iuro.
Ego Federicus Cardinal. Cornelius, promitto, voueo, & iuro.
Ego Dominicus Cardin. Pinellus, promitto, voueo, & iuro.
Ego Decius Cardin. Azzolinus, promitto, voueo, & iuro.
Ego Hippolytus Card. Aldobrandinus, promitto, voueo, & iuro.
Ego Ferdinandus Cardin. de Medicis, promitto, voueo, & iuro.
Ego Philippus Vaſtauillanus, promitto, voueo, & iuro.
Ego Franciſcus Cardin. Sfortia, promitto, iuro, & voueo.
Ego Alexander Cardin. Montaltus, promitto, iuro, & voueo.

Anno à Natiuitate D. 1586. Indictione 14. die vero 3. menſis Maij, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno 2. retroſcripta litera Apoſtolica affixa, lecta, & publicata fuerunt, in valuis ſeu portis S. Ioannis Lateranen. & S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ & acie Campi Floræ, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſa, per nos Claudium Mongeat, & Nicolaum Taglietum S.D. N. Papæ Curſ. *Publicatio.*

Alex. Parabiacus Mag. Curſ.

XXXII. Confirmatio Congregationis B. MARIÆ Fulienſis ſtrictioris obſeruantiæ Monachorum Ordinis Ciſtercienſis S. Benedicti, cum gratiarum elargitione.

Huiuſmodi gratias ampliauit, aliaque conceſſit priuilegia hic idem Pontif. in conſt. 70. Super. & Clem. VIII. infra in ſua conſt. 12. Paſtoralis. & latius extendit Paul. V. in eius conſt. 23. Diuina.

Inſuper qua

Digitized by Google

Insuperque prædictus Clemens præcedentia mrespectu Fratrum Mendicantium, his Monachis dedit in const. 56. Regis. *Et eodem ad alium Ordinem transeuntes, ad istam Congregationem redire vetuit in alia sua const.* 107. Pro nostro. *Ac postremo, idem Paul. V. operi conficiendi Agnus Dei hos Monachos præfecit, in sua const.* 43. Romanum.

Edita An. D. 1586.

SIXTVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

REligiosos viros, qui diuino spiritu afflati, arctiorem quam ab initio professi fuerint, ac priscis Sanctorum Patrum moribus magis similem vitæ rationem sibi ipsis suapte sponte præscribunt, in suo laudabili proposito confouere,& ita alios ad eorum imitanda vestigia incitare, pro Pastorali officio diuinitus commisso, plurimum semper intendimus.

In Monasterio S. Mariæ Fulien strictior obseruantia Monasticæ disciplinæ mox introducta fuit.

§. 1. Sane cum ad Nos nuper perlatum fuerit, in vestro Monasterio, sublatis quibuscumque prauis abusibus, institutionem & disciplinam monasticam in longe meliorem formam restituram & reintegratam, Vosque Religionis & pietatis amore ita incensos existere vt non solum ab esu carnium quibuscumque temporibus, etiam ab Ecclesia permissis, & à potu vini abstineatis, sed etiam in laboribus, ieiuniis, orationibus, carnis maceratione & mortificatione aliisque pœnitentiæ operibus exercendis, strictiorem & seueriorem quam reliqui Monachi S. Benedicti Cistercienses Ordinis regulam obseruare studeatis.

Hic Pont. eã approbat.

§. 2. Nos vestram hanc piam & salutarem intentionem plurimum in Domino commendantes, quo magis pacato & tranquillo animo in humilitatis spiritu diuinis obsequiis insistere, piumque institutum prosequi absque impedimento possitis, vestris supplicationibus inclinati, ritus, mores, vitæ normam, & reformationem ad arctiorem regularis disciplinæ obseruantiam in istud Monasterium nuper introductam, dummodo sacris Canonibus & Cóc. Trid. decretis, ac supradictæ S. Benedicti regulæ iampridem auctoritate Apost. approbatæ, consona sint, auctoritate præsentium approbamus & confirmamus, illaque præsentium literarum patrocinio communimus, vobisque ac illis qui perpetuis futuris temporibus in isto Monasterio regularem professionem emiserint, vt ea obseruare licite possitis licentiam concedimus.

Quinimo vbique non recipiendæ in bulla 70.

Superioribus d. Ordinis interdicit, ne à dicta viuendi norma ipsos Monachos retrahant.

§. 3. Interdicimus etiam dilectis filiis Abbati Monasterij Cistercij, Cabilonensis diœcesis, ceterisque Superioribus pro tempore existentibus eiusdem Ordinis; ne vos aut eos qui posthac erunt in isto Monasterio recepti, & ad professionem admissi, ad relaxandum & remittendum aliqua ex parte rigorem istius obseruantiæ, vtendumque indultis & dispensationibus Apost. quibus vetustam vestri Ordinis, & primæuam institutionem, illiusque austeritatem diuersi nostri prædecessores, mãsuetudine quadam temperarunt, & laxiorem, honestam tamen, viuendi normam permiserunt, & benigne indulserunt, quouis prætextu aut quæsito colore, inuitos cogere vel compellere, aut vos in præmissis molestare, aut impedire audeant vel præsumant. Quod si quid tale attentauerint, aut vobis iniungere, præcipere, & mandare præsumpserint. Vos, ac pro tempore futuros istius Monasterij Abbatem & Monachos ad obediendum talibus illorum præceptis & iussis minime teneri decernimus. Ita vt nihilominus, etiam illis contradicentibus, absque alicuius pœnæ vel censuræ Ecclesiasticæ incursu in hoc vestro instituto perseuerare, libere & licite valeatis.

Quinimo Clem. & Paul. etc. in rub. eam penitus abstulerunt.

Superioritatẽ vero & vimẽ iurisd. eisdẽ præseruat.

§. 4. Ceterum volumus, vt in reliquis, quæ præmissis vestris arctioribus institutis, & disciplinæ regulari non erunt contraria, eorum visitationi, correctioni, omnimodæ, iurisdictioni, & superioritati, sicuti hactenus fuistis, & in posterum vos, vestrique successores subiecti sitis, & ab illorum obedientia nequaquam tali occasione recedatis.

§. 5. Quod si vnquam controuersia, dubitatio, seu discordia exorta erit super præmissis, vtrum scilicet vestri mores, vestrumque viuendi genus prædictæ S. Benedicti regulæ aduersentur, talis controuersiæ cognitionem, definitionem, & decisionem, Nobis dumtaxat & Rom. Pont. pro tempore existenti reseruamus

Cognitionem dubij circa viuendi normam eruendi sibi reseruat, ceteris quibuscumque derogat.

§. 6. Non obstan. constitutionibus & ordinationibus, Apost. ac in Conciliis etiam generalibus editis, & prædictorum, ac aliorum quorumuis Ordinum & monasteriorum iuramento, confirmatione Apost. vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apost. illorum Superioribus & generalibus, ceterisque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus illorum tenores pro expressis habentes, ad effectum præsentium dumtaxat, specialiter & expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 1. 5. Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Pisc. die 5. Maij millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, Pont. nostri anno 2.

Approbatio, declaratio, & extensio constitutionum editarum a Pontt. prædecessoribus, circa solutionem Annatarum, Communium, & Quindenniorum, de beneficiis Ecclesiasticis R. Cam Apost. debitorum.

De hac materia, vltra ea quæ sunt in extrauagantibus, extant in hoc opere Paul. II. const. 6. Decet. *Innocen. VIII. const.* 3. Apostolicæ. *Iul. II. const.* 4. Romani. *Clem. VII. const.* 3. Cum sicut. *Iul. III. const.* 20. Cupientes. *Paul. IV. const.* 11. Incumbentia. *& const.* 17. Decens. *necnon Pij V. const.* 38. Apostolicæ. XXXIII.

Edita An. D. 1586.

SIXTVS PAPA V.
Ad futuram rei memoriam.

Causa huius const.

CAmeræ nostræ Apostolicæ; & Collegij Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & officialium Romanæ Curiæ, de annatis & quindenniis participantium indemnitati, prout tenemur, consulere, & eorum iura illæsa præseruare volentes, ea, quæ propterea à prædecessoribus nostris prouide statuta fuerunt & ordinata, vt inuiolate obseruentur confirmationis nostræ munimine roboramus & innouamus, & aliàs desuper disponimus, prout rationi consentaneum esse, & in Domino conspicimus expedire.

Confirmatio Bullarum Paul. II. & IV. & Pij V. & aliorum Pontificum.

Hæc bullæ indicaui hic in rubr.

§. 1. Itaque Motu proprio & ex certa scientia nostra, quascumque, tam sub plumbo quam in forma Breuis, & Motus proprij literas fel. rec. Pauli Secundi, & eiusdem nominis Tertij, Pauli Quarti, ac Pij Quinti, necnon quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum super solutione annatarum, communium, quindenniorum, & aliorum iurium, ratione prouisionum, & seu vnionum perpetuarum, quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, per Sedem Apostolicam factarum & faciendarum, editas, confirmatas, & innouatas, cum omnibus clausulis, decretis, derogationibus, ac censuris & pœnis in illis contentis, necnon omnia & singula per quoscumque Iudices, executores, & Commissarios, in præmissis & circa ea quomodolibet gesta, & executa, ac inde secuta quæcumque, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, necnon illis perpetuæ & irrefragabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque & singulos iuris & facti, ac solemnitatum, & alios defectus, siqui forsan intercurrerint in eisdem supplemus, atque illas & illa, quatenus opus sit, innouamus.

Extensio ad quascumque vniones beneficiorum hic non exceptorum in rubr.

§. 2. Præterea quoniam quindenniorum vsus, & solutio ratione beneficiorum vnitorum constituta sunt, quia illorum vacatio amplius non speratur, & vt propterea damnum ex hoc Cameræ Apost. & Collegio Cardinalium, & Romanæ Curiæ officialibus prædictis emergens sarciatur; Nos attendentes, quod tantumdem detrimenti Cameræ, Collegio, & officialibus præfatis, ex vnionibus quæ ab Ordinariis locorum, & aliis fiunt, prouenit, ac propterea æquum esse censentes, vt quod in vnionibus per Sedem Apostolicam factis obtinet, illud idem

&

& fortius in vnionibus per ipsos Ordinarios factis & faciendis obseruetur; licetque in constitutionibus & literis prædecessorum præfatorum comprehendi videatur, tamen, vt cuiuis dubitandi occasio præcidatur, Motu & scientia similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium statuimus, decernimus & declaramus, quod vniones, annexiones, incorporationes, applicationes, & submissiones, de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, tam sæcularibus quam regularibus, etiamsi Monasteria Monialium, & Hospitalia fuerint, quæ tamen tempore ipsarum vnionum cura Conuentu & Hospitalitate caruerint, & quorum singulorum, vel si plura beneficia vnicis literis comprehensa sint, quorum quodlibet annuus valor viginti quatuor ducatos auri de Camera, secundum communem extimationem non excedat, dummodo tamen omnium insimul illum transcendat, cuicumque Ecclesiæ, Monasterio, Collegio, domui, Societati Congregationi, Ordini, Militiæ, Hospitali, Seminario, aut alij loco pio tam per quoscumque Rom. Pont. prædecessores nostros, ac nos, necnon Sedis præfatæ Legatos, Nuncios, & alios quoscumque subdelegatos, & alias quomodolibet auctoritate Apostolica, quam per quemcumque loci Ordinarium, in qualibet mundi parte, hactenus factæ & faciendæ, etiamsi manualia, & de iure patronatus laicorum, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, Marchionum, Baronum, Comitum, & aliorum nobilium & illustrium illa beneficia fuerint, sub dictorum prædecessorum constitutionibus ac declarationibus omnino comprehendantur & includantur, ac ab omnibus comprehensæ & inclusæ censeantur. Et propterea omnia & singula Cathedralium, etiam Metropolitanarum Collegiatarumque Ecclesiarum', Capitula, Congregationes, Societates, Vniuersitates, Collegia, Seminaria, Hospitalia, Monasteria, & pia loca huiusmodi, & quiuis alij, in quorum fauorem vniones, annexiones, incorporationes, applicationes & submissiones huiusmodi factæ reperientur, aut posthac fient, quantumcumque exemptæ & priuilegiatæ existant, etiamsi se superinde in Cam. Apost. non obligauerint, dummodo beneficia ipsa possideant, ad solutionem quindenniorum præfatorum eidem Cameræ, ac Collegio & officialibus, ratione vnionum, annexionum, incorporationum, applicationū, & submissionum, præfatarum singulis quindecim annis, à die quo illæ suum sortitæ fuerint effectum, iuxta tenorem literarum prædecessorum præfatorum super hoc editarum faciendam teneri, & obligatos esse, & ad id per sententias, censuras & pœnas in ipsis literis contenta cogi & compelli posse.

Decretum irritans.

§. 3. Sicque per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos, quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apost. Auditores, ac S.R.E. Card. sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari & definiri debere, irritumque & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Iudicis deputatio & facultates, in causis & exigentiis annatarum, &c.

§. 4. Mandantes dilecto filio Magistro Alexandro Glorierio, Clerico dictæ Cameræ, quem super cognitione & decisione causarum, tam occasione præmissorum quam annatarum beneficiorum pro tempore vacantium, per illorum prouisos dictis Cameræ Collegio & officialibus, debitarum & debendarum, pendentes mouendas iudicem deputauimus, ac aliis in eius locum, per nos vel successores nostros subrogandis iudicibus, vt pro faciliori indagatione vnionum præfatarum, omnia & singula Cathedralium, etiam Metropolitanarum & Collegiatarum Ecclesiarum, Capitula & Collegia, necnon tam virorum quam mulierum, sæculares & quorumuis Ordinum regulares, Congregationes, seu Collegia, Seminaria, & pia loca, eorumdemque Prælatos & Procuratores, ad iudicandum & profitendum medio iuramento, omnia & singula Monasteria, Prioratus, Præposituras, Præpositatus, Parochiales Ecclesias, & alia quæcumque beneficia Ecclesiastica, etiamsi manualia, & de iure patronatus, vt præfertur, fuerint, quæ ipsa Collegia, Seminaria, Congregationes, & alia pia loca præfata possideant, illorumque annuos veros valores, sub priuationis & aliis in literis in forma Motus proprij Pauli Quarti, & Pij Quinti prædecessorum huiusmodi contentis sententiis, censuris & pœnis in Romana Curia & extra eam, moneant & requirant. Dantes eis plenam & liberam facultatem pro eorumdem quindenniorum & iurium exactione, omnes & singulos illorum debitores, sub singulis præfatis, & præsentibus nostris literis comprehensos, etiam per edictum publicum, constito summarie de non tuto accessu, tam in dicta Curia quam extra eam, citandi, monendi, & requirendi, ac eis & aliis, quibus & quoties opus fuerit, etiam sub censuris & pœnis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, Alexandri & subrogandorum præfatorum arbitrio ferendis, statuendis, moderandis & applicandis, ac etiam priuationis beneficiorum vnitorum, etiam simili edicto inhibendi, ipsosque debitores ad indicandum beneficia vnita, & soluendum quindennia decursa, etiamsi ad id in Camera Apost. non se obligauerint, constito tamen de sortito effectu vnionum per similes sententias, censuras, & pœnas, etiam interdicti, tam localis quam personalis appositionem, per Alexandrum, & subrogandos præfatos, quoties opus fuerit, ferendas & promulgādas, necnon fructuum, reddituum, & prouentuum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ ipsi debitores, possidebunt pro quantitate eorum debiti sequestrationem, & alia opportuna iuris & facti remedia, etiam cum inuocatione auxilij brachij sæcularis, cogendi & compellendi, ac in præmissis omnibus & singulis, etiam summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, ac alias more Camerali procedendi, ac eos qui sententias, censuras & pœnas præfatas, vt præmittitur incurrerint, ab eisdem censuris & pœnis, præuia satisfactione absoluendi & liberandi, aliaque faciendi, gerendi & exercendi, quæ in præmissis necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna.

Clausulæ derogatorum

§. 5. Non obstantibus quacumque centenaria, etiam completa, & etiam maiori à iure statuta præscriptione, ac quibusuis constitutionibus & ordinationibus, necnon priuilegiis, exemptionibus, indultis, & literis Apost. Capitulis, Congregationibus, Collegiis, seminariis, Hospitalibus & aliis piis locis præfatis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis derogatoriarū derogatoriis, aliisq; efficacioribus & insolitis clausulis, necnō irritantibus & aliis decretis, etiam motu & scientia similibus, ac de Apost. potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, & ex causa initi contractus, aut alias quomodolibet concessis, ac iteratis vicibus approbatis & innouatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autē per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, acsi de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, necnon omnibus illis, quæ prædecessores præfati, in singulis eorum literis voluerunt non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Pisc. die 14. Maij, 1586. Pont. nostri anno 2.

D. P. An. 2. 14 Maij.

Confirmatio & noua concessio gratiarum & priuilegiorum Ordini Cistercienſi, eiusque Abbatibus, Monachis, & Monasteriis, à Greg. IX. Innoc. IV. Six. IV. Innoc. VIII. Pio IV. Pio. V. Greg. XIII. & aliis Summis Pontt. concessorum. XXXIV.

Institutionem huius Ordinis, & omnia ipsum concernentia inspice sup. in Paschal. II. const. 1. Desiderium.

Similes autem Statutorum Ordinis, & priuilegiorum confirma

Digitized by Google

confirmationes habes sup. in Pij IV. const.70. *In eminenti*, & in Greg.XIII. const.18. *Superna*.

Edita Ao. D. 1586.

SIXTVS PAPA V.
Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

POntifex Romanus primarias Christi Dei & Domini nostri in terris gerens vices, sicut totius Dominici gregis pascendi curam & onus sustinere dignoscitur, ita in eos quos grauius laborare, & suo præcipuo auxilio indigere perspexerit, propensius & fauorabilius incumbere debet. Cum primis vero Religiosorum Monachorum, qui mundanis abiectis illecebris in spiritu humilitatis Altissimo famulantur, paternam curam gerere, nutrantemque illorum statum quantum ex alto conceditur; celesti ac salubri munimine fulcire.

Plures Sum. Pontt. Ordin. Cisterc. diuersas gratias & priuilegia cõcesserunt.

§. 1. Sane sicut pro parte dilecti filij Edmondi à Cruce Abbatis Monasterij Cistercij Cabilonen. diœc. totius Ordinis Cistercien. Generalis, necnon dicti Ord. Capituli generalis nobis fuit expositum, quod Cisterciensium Monachorum Ordo à Diuo Roberto institutus, & à Diuo Bernardo illustratus ceterisque eorum successoribus propagatus, multorum virorum sanctimonia præcellens, tam à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, quam etiam ab Imperatoribus, Regibus, Ducibus, & aliis Principibus, tot & tantis priuilegiis, gratiis, & fauoribus meruit decorari, vt nullo quouis temerario ausu nulla què temporis diuturnitate, priuilegia, exemptiones, & gratias huiusmodi, à quoquam violari, aut modo aliquo infringi posse viderentur. Sed tamen ea est quorumdam hominum improbitas, talisque rerum humanarum conditio, vt nisi sæpius eadem iterentur, & legum pœnis fulciãtur, huiusmodi hominum audacia, & temporis iniuria, optime leges & priuilegia conculcentur. Quo factum est vt quemadmodum eadem expositio subiungebat, multi piæmem. prædecessores nostri, præcipue vero Paschalis Secundus, Callistus etiam Secundus, Eugenius Tertius, Alexander Tertius, Lucius similiter Tertius, Honorius, etiam Tertius, Gregorius Nonus, Innocentius IV. Alexander etiam IV. Vrbanus IV. Clemens IV. Gregorius Decimus, Nicolaus Quartus, Bonifacius VIII. Clemens V. Io. Vigesimussecundus, Benedictus Duodecimus, Clemens Sextus, Vrbanus Quintus, Io. Vigesimustertius, Martinus Quintus, Eug. Quartus, Nicol. V. Callistus Tertius, Pius Secundus, Sixtus Quartus, Innocentius Octauus, Leo Decimus, Pius Quartus, Pius Quintus, & Greg. Decimustertius Romani Pontifices priuilegia, prærogatiuas, immunitates, exemptiones, libertates, indulgentias, conseruatorias, facultates, & alias gratias, Monasterio, seu Abbati Cistercij, necnon Firmitatis Pontiniaci, Clareuallis & Morimondi, Cabilonen. Antisiodoren. & Lingonen. respectiue diœcesib. quatuor ipsius Monasterij Cistercij filiabus appellatis, totique Ordini Cistercien. & Capitulo generali eiusdem concesserint & indulserint.

Greg. IX. signanter Abbatis electionẽ à nemine impediri iussit. Innoc. IV. Ordinem à iurisdict. Ordin. exemit.

§. 2. Inter cetera vero Gregorius Nonus ne vllus Episcopus, aut quælibet alia persona cuiuscumque dignitatis & præeminentiæ existat, regularem electionem Abbatum ipsius Ordinis impedire, aut in ea se quomodolibet ingerere.

§. 3. Innocentius Quartus eisdem Episcopis, ne Monachos Abbates Religionis eiusdem, etiam ratione cuiuscumque delicti, causa fidei dumtaxat excepta, ad sua iudicia & tribunalia trahere.

Sixt. IV. Cõmendatariis nonnulla prohibuit.

§. 4. Sixtus Quartus Commendatariis Monachorum numeri taxationem, & nouitiorum receptionem & benedictionem in monasteriis commodatis prohibuit, atque eius rei curam penes Abbates, alioſque Ordinis Superiores remanere voluit.

Innoc. VIII. differmitatẽ habitus vetuit. Pius IV. Pius V. & Greg. XIII. alia Cõmendatariis prohibuerunt, vt patuit in Greg. cõst. 18. Superna

§. 5. Innocentius Octauus ne quisquam ex Abbatibus & monachis ipsius Ordinis, in habitu & viuendi ritu longo vsu passim recepto se ab aliis differmare præsumeret.

§. 6. Pius Quartus, Pius Quintus, & Gregorius Decimustertius, Commendatariis eisdem eorumque ministris, ceterisq; personis sæcularibus quouis titulo ipsius Ord. Monasteriorum fructus atque prouentus percipientibus, ne templa & alia loca regularia & ad monachorum vsum destinata, Abbatiarum huiusmodi, & monasteriorum quomodolibet occuparent, aut profanarent, neve in illis mulieres, cuiuscumque conditionis introducerent, nec sese in bonis per Monachos pro tempore decedentes relictis, illorumve spoliis quomodolibet intromitterent, aut bona ipsa sibi appropriarent, respectiuè statuerunt, mandarunt, & districtius præcipiendo vetarunt.

Nonnulli alij Pontt. quædã alia Ordini concesserunt.

§. 7. Ac etiam alij Romani Pontifices prædecessores nostri alias & aliter in fauorem Ordinis eiusdem statuerunt, ordinarunt, concesserunt, indulserunt, prohibuerunt, & inhibuerunt, prout in singulis, tam prædictorum quam aliorum quorumcumque prædecessorum nostrorum literis, sub quacumque forma & data respectiuè (quarum tenores præsentibus pro expressis) expeditis & emanatis latius dicitur contineri.

Hic modo pũtat omnia cõfirmat, & quatenus sint in vsu, & Cõcil. Trident. non contraria innouat.

§. 8. Quare ipsius Ordinis Cistercien. afflicto statui paterno affectu, & ex pastoralis officij nobis ex alto iniuncti munere, prouidere volentes, Motu proprio, non ad Abbatis Cistercij ipsius Ord. generalis, nec alterius, cuiusque pro eo, siue toto Ordine ipso nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex nostra mera & spontanea voluntate, & certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, prædicta omnia & singula priuilegia, prærogatiuas, immunitates, exemptiones, libertates, indulgentias, conseruatorias, facultates, indulta & alias gratias Cistercij, & quatuor filiarum nuncupatarum præceptis Monasteriis & Ordini vniuerso, eiusque Capitulo generali, Definitoribus & aliis Superioribus quibuscumque per supradictos, & alios quoscumque Rom. Pont. prædecessores nostros concessa & innouata, concessasque & innouatas, præsertim vero ipsas literas, Gregorij IX. Sixti IV. Innocentij VIII. Pij IV. Pij V. & Gregorij XIII. per quarum ausu temerario contemptam à multis obseruationem eiusdem Ordinis conuellitur immunitas, regularis status periclitatur, vniformitas decoloratur, confirmamus, roboramus & approbamus illisque omnibus & singulis, perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, & quatenus opus sit concedimus & indulgemus, vetamus, prohibemus, & inhibemus, ac etiam solemnitatum, etiam substantialium, & quoscumque alios defectus, siqui in singulis priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis prædictis, vel aliis quibuscumque quomodolibet intercenerint, motu & scientia similibus eodem præsentium tenore supplemus. Decernimus omnia & singula in ipsis priuilegiis & indultis, ac præsentibus nostris contenta & comprehensa, quatenus sint in vsu, & sacris canonibus præcipuè vero Concilij Tridentini decretis non aduersentur, perpetuo valida, & efficacia, ac firma & stabilia fore & esse, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus & singulis, quos tangunt, seu tangere poterunt quomodolibet in futurum inuiolabiliter obseruari debere.

Clausulæ præseruatiuæ apponit.

§. 9. Ac præsentes nostras, etiam ex quauis causa de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quouis alio defectu notari, seu impugnari, & alias quomodolibet infringi, vel retractari nullatenus vmquam posse, sed eas semper & perpetuo valere, & tenere, ac viribus subsistere, necnon eis, quos, vel quorum fauorem concernunt & concernent, omnino suffragari.

Clausulam sublatã, & alij addit.

§. 10. Sicque per quoscumque Iudices, etiam causarum sacri nostri Palatij Apostolici Auditores; ac S. R. E. Cardinales, etiam Legatos de Latere, & quacumque potestate & dignitate fulgentes, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari & definiri debere, irritumque & inane si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Executorij deputat.

§. 11. Quocirca omnibus nostris, & dictæ Sedis Legatis, ac Nunciis, vbicumque existentibus ac quorumcumque locorum Ordinariis, necnon Ordinis præfati Conseruatoribus, ac dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, ipsorumque singulis per Apostolica scripta, mandamus, quatenus præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte P. Generalis, Abbatum, Procuratoris Generalis, Vicariorum, Visitatorum, & aliorum præfatorum seu

Digitized by Google

seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, ipsique efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra Patrem Generalem, Abbates, Procuratorem Generalem, Vicarios, Visitatores, & alios prædictos confirmatione, approbatione, adiectione, suppletione, concessione, statuto, ordinatione, inuocatione, præcepto, interdicto, reuocatione, abolitione, ac sui Generalis voluntatibus, mandatis, decretis nostris, aliisque præmissis pacifice frui & gaudere, ac præsentes literas ab omnibus, quos illæ concernunt inuiolabiliter & inconcusse obseruari, non permittentes P. Generalem, Abbates, Procuratorem Generalem, Vicarios, Visitatores, Superiores, ac alios prædictos desuper contra litterarum earumdem, præsentiumque tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per prædictas, ac alias sententias, censuras, & pœnas aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis superhis habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis.

Contrarijs derogat.

§. 12. Non obstantibus præmissis, ac sanctæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. pariter prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, aliisque Apostolicis, ac Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, necnon quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, declarationibus, inhibitionibus, & decretis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, Legatis, Nunciis, & Ordinariis prædictis, ac aliis quibusuis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, etiam motu simili, etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet concessis, & etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum veriores tenores, formas, datas, & decreta in eis apposita, ac si de verbo, ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & sufficienter derogatum esse decernimus, necnon omnibus illis, quæ in litteris Pij IV, Pij V. & Gregorij XIII. ac aliorum prædictorum expressum fuit non obstare, ceteriseque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides exemplis dari iubet.

§. 13. Ceterum quia difficile foret easdem præsentes ad diuersa loca Prouinciasque circumferre, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod illarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius publici Notarij subscriptis, & sigillo Abbatis Generalis, aut alicuius ex aliis Superioribus Ordinis huiusmodi munitis, plena, & indubia, ac ea prorsus fides vbique etiam in iudicio adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 2. 17 Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Pisc. die 17. Maij 1586. Pont. nostri anno 2.

XXXV. Quod Eremitæ S. Romualdi Montis Coronæ, Ordinis Camaldulensis sub Regula S. Benedicti, alterius Ordinis Religiosos recipere possint. Ipsi vero ad alium etiam Eremi Camaldulensis transire nequeant.

Ad hoc vide notata supra in Clem. VII. const. 24.

Vestrum.

SIXTVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1586.

EA est Congregationis Eremitarum sancti Romualdi Ordinis Camaldulen. Moniis Coronæ austeritas, & obseruantia, vt quemadmodum non solum relatu aliorum, sed propriis etiam interdum oculis vidimus, & percepimus, merito, & vere eam sub strictiori regula custoditi, quam omnes aliæ, quæ in tota Italia reperiuntur, dici, & censeri possit.

Congregationis Eremitarum S. Romualdi est strictior obseruantia, cæteris in Italia existentibus.

§. 1. Quo etiam sit, vt nonnulli parum cauti, & constantes, ac minus fortes ad resistendum prauis tentationibus, ab ipsa Congregatione ad alios Ordines se transferre non verentur, cum magno plurimorum scandalo, & animarum suarum periculo.

Vnde aliqui minus fortes ad alios Ordines transire non verentur.

§. 2. Hinc est quod nos his malis occurrere, eamdemque Congregationem specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, omne gratias, indulta, & priuilegia eidem Congregationi, & illius Eremitis à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, super recipiendis quibuscumque quarumuis Religionum, & Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium Religiosis ad ipsos transire volentibus concessa, rata, & firma esse volentes, & quatenus opus sit auctoritate Apostolica tenore præsentium innouantes, omnibus & singulis Eremitis prædictæ Congregationis nunc, & pro tempore existentibus, & cuilibet eorum in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis maioris eo ipso incurrendæ, à qua nullus præter Romanum Pontificem pro tempore existentem, præterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium impendere possit, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, necnon apostasiæ, reatus, suspensionis à diuinis, aliisque arbitrio maioris eiusdem Congregationis pro tempore existentis moderandis, infligendis, & declarandis pœnis, ne ad alios quoscumque Ordines, nec etiam ad sacrum Eremum eiusdem Camaldulen. Ordinis Aretin. Diœc. sine expresso consensu, & licentia ab eodem maiore pro tempore existente suprædictæ Congregationis in scriptis petita, & obtenta, transire, & transmeare audeant, vel audeat, eisdem auctoritate, & tenore interdicimus, & prohibemus.

Hic ideo Pontifex, huius Congreg. indultum recipiendi quoscumque alterius Ordinis Religiosos confirmat, & ex eo ad alios etiam sacri Eremi Religiosos transitum prohibet.

Hoc idem indultum antea Greg. XIII. concesserat, sacra Eremo, vt supra in eius constit. 90. Ea est.

§. 3. Volumus etiam quod vltra suprædictas pœnas, qui contrafecerint personaliter capi, & apprehendi, nec non incarcerari, puniri, & etiam ad redeundum cogi, libero prædicti Maioris pro tempore existentis arbitrio possint, & valeant.

Contrauenientes vltra alias pœnas, ad Congregationem redire debere præcipit.

§. 4. Eidemque Maiori pro tempore existenti prædicta omnia, & siogula, per se, vel alium, seu alios sibi bene visos faciendi, exercendi, & effectualiter, ac omnino exequendi, & brachij secularis auxilium si opus fuerit, innocandi omnimodam, plenam, amplam & absolutam auctoritate Apostolica prædicta tenore præsentium licentiam, auctoritatem, & facultatem concedimus & impartimur.

Maiori d. Congreg. contra eos procedere posse indulget.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon indultis, priuilegiis, & exemptionibus aliis Religionibus, Congregationibus, & Ordinibus, Eremis, & Eremitoriis quibuscumque, quocumque modo, & sub quibusuis verbis, & clausulis concessis, & iteratis etiam vicibus approbatis, & inuocatis, Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum omnium tenores acsi de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis habentes auctoritate prædicta earumdem tenore præsentium quas perpetuis futuris temporibus valere decernimus, specialiter, & expresse derogamus, ceteriseque contrariis quibuscumque.

Quibuscumq; non obstantibus.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 9. Iulij, 1586. Pontificatus nostri anno 2.

D. P. An. 2. die 9. Iulij.

XXXVI. Confirmatio, & extensio Iurisdictionis Consulum Artis Pistorum, & Præfecti Annonæ Almæ Vrbis, in rebus ipsam Artem tangentibus, ac priuilegiorum & gratiarum eorumdem Pistorum.

Hac

Hæc bulla non præiudicat facultatibus Gubernatoris Vrbis, quoad recursum à sententiis dictorum Consulum, vt hic Pontifex (me Gubernatoris Locumtenente tunc instante) declarauit die 9. Octobris anni 1586. quam non pono, quia est similis bullæ 61. Gregor. XIII. quam habes supra, & registrata etiam est apud acta Notariorum Ciuilium d. Gubernatoris.

Edita An. D. 1580.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

COelestis Pater ad hoc nos vniuersalis Ecclesiæ Rectorem constituit, & à nobis oues suas pascendas commisit, vt omnibus personis præcipue Rom. Curiam sequentibus, ne indebitis molestiis afficiantur, sed pro earum qualitate iustitia ministretur, quantum cum Deo possumus salubriter prouideamus, & ea, quæ pro ipsarum personarum facili regimine, & gubernatione à nostris prædecessoribus prouida consideratione emanarunt, vt eo firmius illibata persistant, quo frequentius Apostolico fuerint stabilita præsidio, nostræ approbationis munimine, dum à nobis petitur, roboremus.

Leo X. & Iul. III. decreuerũt quæ leguntur in bulla Iul. III. hic cit.

§.1. Sane pro parte dilectorum filiorum Vniuersitatis Pistorum Vrbis nostræ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias postquam fel. record. Leo Papa X. prædecessor noster, &c.

§.2. Et deinde per recol. mem. Iulium Papam III.

Omittitur relatio bullæ 18. Iul. III. quia ipsam habes supra, & quia ibi relata bulla Leon. ideo hic omittitur eiusdem relationis repetitio.

Gregor. XIII. aliam edidit constit. hic indicatam.

§.3. Cum postmodum antiqua Statura ipsius Vrbis, de mandato sanctæ mem. Gregorij Papæ XIII. &c.

Omittitur etiam relatio bullæ Gregorij XIII. quia est sup. *Almam.*

Ars modo supplicat Papa pro vberiori prouisione.

§.4. Cum autem eadem petitio subiungebat, plerique dubitent, aliqua artis Pistorum huiusmodi statuta, & præsertim illud quo dispositum est, quoscumque artem prædictam exercere, & clibanum habere volentes, priusquam ad hoc admitti possint, ad solutionem trium scutorum pro vna Consulibus artis huiusmodi, & reliquis duabus partibus Hospitali B. Mariæ de Laureto de dicta Vrbe applicandorum teneri, per prædictas literas Gregorij prædecessoris huiusmodi declarationis, & reintegrationis iurisdictionum artium, earumque Collegiorum, & Consulum huiusmodi nullatenus reintegrata fuisse. Quare pro parte Vniuersitatis Pistorum huiusmodi nobis humiliter fuit supplicatum, vt literis prædecessorum huiusmodi robur nostræ approbationis adiicere, aliaque in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic ideo Pont. omnes prædecessorũ const. ad fauorem Pistoriũ vrbis confirmat.

§.5. Nos igitur Vniuersitatem Pistorum huiusmodi, illiusque singulares personas, quarum quietem, & commodum, non minori quam prædecessores nostri prædicti paternæ dilectionis affectu prosequimur, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, siquibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon singularum literarum prædictarum tenores vetiores præsentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, statuta, & ordinationes dictæ Vniuersitatis, ac singulas etiam reintegrationis iurisdictionum literas prædecessorum huiusmodi, ac in eis contenta quæcumque, prædicta auctoritate, tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus.

Iurisdictionẽque cõsulibus in causis vsq; ad duc. 30. & vnde supra Præfecto Annonæ contra quoscumque concedit.

§.6. Ac insuper eisdem nunc, & pro tempore Pistoribus, vt facilius, & minori cum dispendio iura sua consequi possint, in omnibus, & singulis eorum causis, litibus, controuersiis, & differentiis, ratione panis per eos crediti, & rerum ad artem huiusmodi spectantium, de cetero mouendis, videlicet, quæ triginta ducatos auri de Camera non excesserint, Consules pro tempore existentes dictæ artis, contra quoscumque eiusdem Vrbis Ciues, opifices, habitatores, ac alias quascumque personas sæculares; in aliis vero vsque ad quamcumque summam, Præfectum pro tempore existentem Annonæ Iudices, contra quoscumque S.R.E. Cardinales, Episcopos, Prælatos, Oratores, proceres, & alios Ecclesiastica, vel temporali dignitate fungentes, dictæ Vrbis originarios, vel exteros, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò constituimus, & deputamus, eisdemque nunc, & pro tempore existentibus Pistoribus, facultatem omnes, qui eis occasione crediti panis, ac aliarum rerum artem ipsam concernentium debitores fuerint, pro consequenda satisfactione, ad iudicium, coram Consulibus, & Annonæ Præfecto Iudicibus huiusmodi euocandi, dictis vero Consulibus, & Annonæ Præfecto pro tempore existentibus, singulas causas huiusmodi summarie, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij, manuque Regia; ac sola facti veritate inspecta, & prout in exactione pecuniarum pretij grani, eisdem Pistoribus ab Officialibus eiusdem Cameræ Apostolicæ pro tempore dati, contra eosdem Pistores procedi solet, audiendi, cognoscendi, decidendi, finemque debito terminandi, necnon citandi, & in forma inhibendi, omnibusque aliis facultatibus necessariis, & opportunis, auctoritate, & tenore similibus, etiam perpetuo tribuimus.

Pistorum credita occasione panis in discussionibus nõ venire, sed cæteris creditoribus etiam habentibus obligationes Camerales anteriores esse decernit.

§.7. Quodque debita cum ipsis Pistoribus ratione panis crediti, & aliarum rerum huiusmodi contracta, ad bonorum, & hæreditatum quarumuis personarum, etiam cuiuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentium, coram quibusuis Iudicibus dictæ Vrbis, tam Ordinariis, quam delegatis, & subdelegatis, pro tempore faciendas discussiones nullo pacto trahi possint. Quinimò ipsi Pistores, pro consequenda debitorum huiusmodi satisfactione, in omnibus eorum litibus, & causis, etiam si priores, & potiores, creditores non sint, primum, & potiorem locum obligationibus etiam in forma Cameræ Apostolicæ, etiam iuramento vallatis, ac priuilegiis, ceteris que in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque, habere, & obtinere omnino debeant, eisdem auctoritate, & tenore similiter perpetuo statuimus, & ordinamus, necnon sententiarum, mandatorum exequutiuorum, & decretorum per Consules, & Annonæ Præfectum; Iudices præfatos pro tempore latarum, & relaxatorum exequutionem, & quouis prætextu, etiam quarumcumque appellationum, recursuum, inhibitionum, & significationum etiam dotalium nullo modo impediri posse; sed easdem significationes, & inhibitiones, per Gubernatorem, & alios dictæ Vrbis Iudices, ad quos ipsi appellantes, & recurrentes recursum habuerint, denegandas esse, easque concessas, illico reuocatas, & ipsis recurrentibus minime suffragari volumus.

Hoc vltimum cõcessit etiam Greg. XIV. in eius const. supra cit.

Appellationẽ à scutis 10. supra ad conseruatores permittit.

§.8. Decernentes à sententiis, declarationibus, & decretis eorumdem Consulum, ad Conseruatores, & non alios quosuis iudices appellari posse, & appellationes non nisi in causis, & litibus super maiori quam decem scutorum summa vertentibus, admittendas esse, nec à decem infra recursus ad aliquos Iudices haberi, minusque concedi posse.

Tu vide quod dixi in rubr.

Decretum irritans apponit.

§.9. Ac præsentes literas de subreptionis, vel obreptionis vitio, mentisque, aut intentionis nostræ defectu notari, aut impugnari nullatenus posse. Irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarijs derogat.

§.10. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Vrbis, statutis, legibus, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Auditori Cameræ, seu obligationibus Camerariis, ac quibusuis dictæ Vrbis Iudicibus, ordinarijs, & extraordinarijs, ac delegatis, illorumque tribunalibus & quibusuis aliis personis, etiam locis piis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis; irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, etiam motu simili, etiam consistorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet cõcessis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorũque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autẽ per clausulas generales idẽ importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda,

Digitized by Google

aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc seruanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice, & dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c.

D. P. An. 2. 19. Augusti.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1586. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno 2.

XXXVII. Iurisdictio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Iudicis causarum Archiconfraternitatis B. Mariæ Virginis de Vrbe Confalonis nuncupatæ, ad Redemptionem Captiuorum ab infidelium seruitute, aliaque pia opera exercenda, dudum institutæ.

Alia quæ hanc Sodalitatem concernunt, notaui supra ad const. 38. Greg. XIII. Pastoris.

Edita A. D. 1586.

SIXTVS PAPA V.
Motu proprio, &c.

Causa concessionis.

CVm sicut accepimus venerabilis Archiconfraternitas Confalonis Gloriosissimæ Virginis Mariæ, eiusque pro tempore existentes Custodes, Camerarius, Officiales, & Ministri, ob lites, quæstiones, & controuersias ciuiles, profanas, spirituales, meras, & mixtas, per diuersa Vrbis Tribunalia, occasione locationum, censuum, donationum, hæreditatum, legatorum, dotium, & diuersarum aliarum rerum eiusdem, tam agendo pro ipsa Archiconfraternitate, quam eam defendendo, vel alias iugiter implicati existant, ex quo sæpissime quam plura damna & interesse patiuntur, ac impensa litis valorem rei, de qua ex tempore agitur, sæpenumero superet.

Hic Pont. volens Archiconfraternitatem Confalonis ab expensis litium subleuare, dat facultatem eius Custodibus quatuor Prælatos nominandi, Cardinali Protectori, qui ex eis vnum eligat Iudicē causarum d. Archiconfraternitatis cum potestate eas summarie cognoscendi.

§. 1. Nos Archiconfraternitatem præfatam, quam singulari dilectione prosequimur, & in qua diuersa pietatis, charitatis, & misericordiæ opera, etiam eleemosynas pauperibus erogando, ac miserabilibus Puellis dotes elargiendo, necnon Captiuos à durissima infidelium seruitute maxima cum charitate redimendo, continuo impendi spectantur, necnon dilectos filios Magistrum Hieronymum de Auila V. I. D. literarum Apostolicarum Correctorem, & Abbreuiatorem, ac in vtraque Signatura nostra Referendarium, Prælatum nostrum domesticum, Paulum de Matthæis, Carolum de Maximis, ac Vlyssem Lancerinium patritios Romanos, necnon Franciscum Couarucium ipsius Confraternitatis modernos, & pro tempore existentes Custodes, & Camerarium ab huiusmodi dispendiis, quantum cum Deo possumus subleuare volentes, Motu simili, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine. Quod de cetero perpetuis futuris temporibus, moderni, & pro tempore existentes dictæ Archiconfraternitatis Custodes quatuor ex Referendariis vtriusque Signaturæ nostræ, & pro tempore existentis Romani Pontificis, moderno, & pro tempore existenti ipsius Archiconfraternitatis Protectori nominare, & proponere possint, & valeant, ad effectum vt ex illis quatuor, vnus per eumdem modernum, & pro tempore existentem Protectorem eligi, seu deputari debeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo statuimus, & ordinamus. Ac eidem Referendario sic pro tempore electo, & deputato, ex nunc prout ex tunc, & è contra, post electionem, & deputationem huiusmodi omnes, & singulas causas, lites, quæstiones, & controuersias inter dictam Archiconfraternitatem, siue illius Custodes, Camerarium, Officiales, & Ministros nunc, & pro tempore existentes, ac quascumque alias, tam laicas, quam Ecclesiasticas personas, cuiuscumque gradus, status, ordinis, dignitatis, conditionis, vel præeminentiæ existentes, etiam Cardinalatus honore præfulgentes, Vniuersitates, Societates, Congregationes, Collegia, ac tam Virorum, quam Mulierum Monasteria, Hospitalia, aut alia loca pia, etiam si coram nunc, & pro tempore existentibus S. R. E. Camerario, Clericis, & Præsidentibus Cameræ Apostolicæ, & eiusdem Cameræ causarum Auditori generali, necnon Vicario, Gubernatore, & Senatore dictæ Vrbis, illorumque Locatenentibus, Collateralibus Iudicibus, ac Appellationum causarum Curiæ Capitolij eiusdem Vrbis Capitaneo, necnon causarum Palatij Apostolici Auditoribus, ac eiusdem S.R.E. Cardinalibus, & aliis quibuscumque Iudicibus ordinariis, ac à nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus specialiter quomodocumque Commissariis deputatis, & delegatis, ac deputandis, & delegandis, nunc & pro tempore motas, & pendentes, ac quomodolibet mouendas, & pendendas, de & super quibuscumque locationibus, venditionibus, donationibus, legatis, fideicommissis, testamentis, hæreditatibus, & illarum discussionibus, ac quibusuis aliis dispositionibus, ad fauorem tam eiusdem Archiconfraternitatis, quam Redemptionis Captiuorum dictæ Archiconfraternitati, per Sedem Apostolicam iniunctæ factis, ac dotibus, & quorumcumque iurium, & actionum cessionibus, aliisque quibuscumq; inter viuos, ac causa mortis, & quasi contractibus, etiam vigore obligationis in forma Cameræ, executionibus, reuocationibus, bonis, rebus, iuribus, & actionibus ipsius Archiconfraternitatis eiusque Custodes, Camerarium, Officiales, & Ministros præfatos, eorum litis consortes, tam coniunctim quam diuisim, & tam actiue quam passiue, tam secundario quam principaliter interesse concernentes, & ad ipsam Archiconfraternitatem, etiam per viam necessariæ defensionis, & alias quomodolibet spectantes, & pertinentes, in quacumque instantia, quorum omnium status, & merita, ac Iudicum, & collitigantium nomina, & cognomina, & qualitates, ceteraque etiam de necessitate exprimenda, præsentibus pro expressis habentes, in statu, & terminis, in quibus ad præsens reperiuntur, & quandocumque reperientur, harum serie, ad nos, & Sedem Apostolicam aduocantes, illasque omnes, & singulas alias, similes, vel dissimiles causas quomodolibet nunc, & pro tempore motas, & pendentes, ac quas dicta Archiconfraternitas, illius Custodes, Camerarius, Officiales, & Ministri habere, & mouere volent contra easdem personas, Vniuersitates, Societates, Congregationes, Collegia, Monasteria, Hospitalia, aut alia æque, vel magis pia loca, etiam quomodolibet, & qualitercumque priuilegiata, & exempta, pro ipsius Archiconfraternitatis rebus, bonis, hæreditatibus, legatis, iuribus, & actionibus huiusmodi, tam agendo pro ipsa Archiconfraternitate, & quacumque persona ab ea causam habente, quam etiam si contra ipsam Archiconfraternitatem, ad instantiam quarumcumque personarum, qualitercumque qualificatarum, & priuilegiatarum quomodolibet agatur, eidem Referendario, vt præfertur electo & deputato, vna cum omnibus & singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, summarie, simpliciter, & de plano, & sola facti veritate inspecta, ac sine strepitu & figura iudicij, & absque tela iudiciaria, ac aliquorum terminorum substantialium obseruatione, aut alicuius Registri vel extractus confectione, per se ipsum, vel in eius à dicta Vrbe absentia, aut alias ex quauis causa, per alium ab eisdem Custodibus, accedente vt supra dicti Protectoris approbatione, durante absentia, seu alias quomodolibet eligendum, vsque ad finalem sententiarum exequutionem inclusiue, audiendas, cognoscendas, fineque debito terminandas, ac etiam alibi introducendas, seu committendas, reassumendas, &c. auctoritate & tenore præfatis, etiam perpetuo committimus & mandamus.

Citandi, & inhibendi ita in Curia quā extra, & quibuscumque Iudicibus.

§. 2. Ipsumque Referendarium, vt præfertur, electum & deputatum in dictis causis, tam pro ipsa Archiconfraternitate quam contra illam motis & pendentibus, & in futurum mouendis, in Iudicem ordinarium, & Apostolica auctoritate deputatum, cum facultate easdem causas vsque ad finem, absque tamen alicuius propinæ receptione, cognoscendi, decidendi, atque terminandi, ac etiam cum potestate citandi, & inhibendi quos, quibus ac quoties opus fuerit, etiam per se vel alium seu alios quoscumque, tam in Romana Curia, quam extra eam, etiam per edictum publicum, constito sibi etiam summarie de non tuto accessu, eisdemque & prædictis, ac quibuscumque aliis eiusdem Vrbis Curiarum seu Tribunalium Iudicibus & personis, tam Ecclesiasticis quā sæcularibus cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, vel

Digitized by Google

vel conditionis fuerint, quibus ac quoties opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris Ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis pœnis, provt sibi videbitur, inhibendi, & in euentum non paritionis contra inobedientes, contumaces, & rebelles, ad declarationem incursus censurarum & pœnarum huiusmodi, illarumque aggrauationes, & reaggrauationes, ac alias provt sibi melius expedire videbitur, seu placuerit, seruata forma Concilij Tridentini procedendi, sententiasque, seu mandata, per eum pro tempore latas seu relaxata, debitæ exequutioni demandandi, siue demandari faciendi.

Contradictores etiã coërcendi.

§. 3. Contradictores quoslibet & rebelles, ac præmissis quouis prætextu non parentes, per censuras Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias pœnas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendi, auxiliumque brachij sæcularis ad hoc si opus fuerit inuocandi, aliaque omnia & singula in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria & opportuna faciendi, gerendi, & exequendi, ac cum aliis facultatibus ad id quomodolibet necessariis, auctoritate & tenore prædictis similiter perpetuo facimus, constituimus & deputamus, sibique plenam, liberam & amplam super præmissis licentiam & facultatem atque auctoritatem etiam concedimus, & impartimur.

Appellatio ab eius sententia semel tãtum, & nõ suspensiue, ad alium Iudicẽ à Protectore deputan. admittatur, & tres nullitates tãtum opponi possint.

§. 4. Decernentes quod à pro tempore existentis Referendarij, vt præfertur electi & deputati, sententiis, mandatis, ordinationibus & decretis, nullatenus suspensiue appellari, reclamari, de nullitate dici, siue quomodolibet aduersus illa ad effectum impediendi exequutionem aliquod remedium attentari possit. Deuolutiue autem semel tantum liceat appellare, & alia remedia intentare coram alio Iudice prædicto pro tempore existenti Protectori, vt præfertur nominando, & ab eo approbando. Secundo autem vel vlterius sublata sit omnis & quæcumque appellatio, sed prædictæ duæ sententiæ plenariam exequutionem obtineant, ac firmæ & illibatæ permaneant, acsi essent tres conformes, ac nullitas aliqua, exceptis tribus substantialibus opponi nullo modo possit.

Iudicis facultas è causis discussionum.

§. 5. Et licet ad instantiam quorumcumque hæredum siue quorumlibet aliorum committatur in futurum, vel etiam modo pendeat commissa causa discussionis alicuius hæreditatis, & dictæ Archiconfraternitati, seu illius Custodibus, Camerario, Officialibus, & Ministris, etiam virtute commissionis fuerit inhibitum, tamen ne exactio creditorum in præiudicium ipsius Archiconfraternitatis protrahatur, data idonea cautione per dictos Custodes, Camerarium, Officiales, seu Ministros, de restituendo summam debitam in euentum succumbentiæ prioribus & potioribus creditoribus, pro tempore existens Referendarius prædictus, eosdem hæredes siue alios quoscumque debitores, seu ipsorum quemlibet, ex quacumque causa cessionarios, vel ab eis quomodolibet & ex quocumque titulo causam habentes, ad satisfaciendum integraliter dictæ Archiconfraternitati de eius credito, iuris & facti remediis cogat, & compellat.

Singulisque diebus & horis procedat.

§. 6. Ac in omnibus & singulis causis prædictis ad dictam Archiconfraternitatem, vt præfertur, quomodolibet spectantibus, singulis diebus & horis, feriatis & non feriatis, præterquam in honorem Dei procedat.

Notarium deputandi.

§. 7. Et Notarium actuarium per eosdem Custodes eligendum, ac ab eis & eorum arbitrio, ac ad eorum nutum ponendum & amouendum quem eis placuerit, habeat; qui teneatur dare idoneam cautionem eisdem Custodibus in eius deputatione, de restituendo absque aliqua pecuniarum solutione & fraude, ac omni mora & dilatione, atque exceptione seu excusatione postpositis, quoties ab eisdem Custodibus, ab huiusmodi Notariatus officio amotus fuerit, omnes & singulas scripturas ad dictam Archiconfraternitatem, vt præfertur, quomodolibet spectantes, per eosdem Custodes facto de illis inuentario, Notario successori, ab eisdem Custodibus deputato consignandas.

Citationes fieri possint per quoscumque Mandatarios.

§. 8. Quodque citationes in causis prædictis etiam per Curiæ Capitolij, seu alios quoscumque etiam dictæ Archiconfraternitatis Mandatarios, fieri possit.

Executores omnes exequi debeant mandata præfatis Iudicũ.

§. 9. Ac quod quicumque Executores Curiarum, seu Tribunalium dictæ Vrbis, possint & debeant exequi, & effectualiter exequutioni demandare omnes & singulas sententias, decreta, & mandata pro tempore existentis Referendarij huiusmodi siue in eius absentia, aut alias ipso impedito, ab eisdem Custodibus eligendi, ac vt supra, nominandi, ac à Protectore approbandi, quæ non obstante Regula Cancellariæ sub eius paruo sigillo expediri possint.

Alij Iudices hasce causas nõ cognoscant.

§. 10. Ac insuper Archiconfraternitatem prædictam, eiusque Custodes, Camerarium, Officiales, & Ministros, ex nunc deinceps occasione præmissorum principaliter, seu secundario alibi quam coram pro tempore existente Referendario, vt præfertur, electo & deputato conueniri, aut ad alios conueniendum constringi non posse, & processus, sententias, mandata, & decreta per alium siue alios, tam ordinarios quam, etiam specialiter deputatos, & delegatos Iudices, quauis auctoritate fungentes, in causis prædictis quomodolibet pro tempore formatos, in quacumque instantia latas & facta, cum inde sequutis quibuscumque nulla, irrita & inania nulliusque roboris, & momenti fore.

Clausula præseruatiua.

§. 11. Præsentem quoque Motus proprij cedulam, sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum, aut concessionum, reuocationibus, suspensionibus, moderationibus, seu limitationibus, etiam per nos & successores nostros Romanos Pontifices, ac Sedem prædictam, vel eius etiam de latere Legatos, & per Cancellariæ Apostolicæ Regulas pro tempore factas, etiam in fauorem Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de dicta Vrbe nullatenus comprehensam, sed semper ab illis penitus & omnino exceptam, ac quoties illæ emanabunt, toties præsentem cedulam in pristinum robur restitutam esse, & censeri debere, nec eidem cedulæ per quascumque clausulas generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias efficaciores & insolitas, ac etiam irritantia decreta, sub quacumque verborum expressione in se continentes, derogari posse, & si illi vllo vmquam tempore ex aliqua etiam quantumuis necessaria & vrgenti causa derogari contingat, nisi tenor cedulæ huiusmodi de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertus, & huiusmodi derogatio consistorialiter facta, & per etiam distinctas literas eumdem tenorem continentes tribus similibus distinctis vicibus, Custodibus, Camerario, & aliis Officialibus Archiconfraternitatis huiusmodi legitime insinuata & intimata fuerit, eorumque ad id expressus accedat assensus, derogationes huiusmodi nemini suffragari debere, & si ac quoties illa aliquo alio modo reuocari, aut alias illi derogari contigerit, toties in pristinum statum restitutam, & de nouo etiam sub posteriori data, per prædictos Custodes, Camerarium, & Officiales eligenda, concessam & stabilitam esse.

Decretum irritans.

§. 12. Et sic per quoscumque Iudices etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Card. sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari & definiri debere. Irritum quoque, &c. attentari.

Declaratio quod sub eodẽ Iudice sint omnes Redẽpti, & puella ab Archiconfraternitate dotata.

§. 13. Volumus etiam & mandamus quod omnia & singula præmissa, habeant locum ad fauorem quarumcumque pauperum Puellarum, quæ à prædicta Archiconfraternitate dotem habuerint, pro dictarum dotium consequutione, ac quorumcumque ab eadem Archiconfraternitate redemptorum; ita quod sint & esse intelligantur sub dicta iurisdictione in omnibus & per omnia, acsi principaliter cum illis & quolibet illorum agendo, seu defendendo de interesse prædictæ Archiconfraternitatis ageretur.

Præfectus Signaturæ Iustitiæ Regenſque & Referendarij, non signẽt commissiones contra formã præsentiũ, & Iudices quib. essent cõmissæ nullatenus procedant.

§. 14. Inhibentes expresse moderno, & pro tempore existenti Signaturæ Iustitiæ Præfecto, aut alias pro tempore Iustitiæ Signaturam habenti, necnon Regenti Cancellariæ qui pro tempore erit, omnibusque & singulis Referendariis, ne de cetero, ad instantiam & requisitionem cuiuscumque, supplicationem aliquam recipere, referendariare seu proponere Præfecto Signaturæ Iustitiæ audeant vel præsumant, & similiter Signaturam facienti non signet, siue auocatoriam, siue simplicis Iustitiæ, siue appellatoriam & similem, neque in initio neque in medio litis, & signatæ nullius sint roboris &

Digitized by Google

momenti, nullamque tribuant iurisdictionem; neque ipse Iudex, cui fuerint commissæ, audeat illarum virtute citare, inhibere, vel quomodolibet procedere; irritum & inane quicquid scienter vel ignoranter secus factum fuerit, ipso iure decernimus, salua semper nostra manu propria signata, sine qua omne rescriptum censeatur & sit inualidum, & à nostra voluntate alienum. Et nihilominus Referendarius sicut præmittitur, deputatus à prædicta Archiconfraternitate, absque vitio attentatorum procedere possit & valeat.

Iudex præfatus cogere possit, Notarios omnes, ad sibi consignan. instrumẽta concernentia aliquod interesse Archiconfraternitatis Redẽptionis Captiuorum.

§. 15. Et insuper ne propter difficultatem habendi seu recuperandi Instrumenta publica super testamentis, seu aliis quibuscumque dispositionibus piorum Christifidelium, per Notarios & Tabelliones confecta & stipulata, in quibus per ipsos Christifideles in eiusdem Archiconfraternitatis, seu Redemptionis Captiuorum fauorem diuersa legata facta, illisque bona relicta & erogata fuerint, & de quibus illius Custodes, Camerarius, Officiales, & Ministri prædicti notitiam habere non possunt, ipsa Archiconfraternitas varia in temporalibus damna, & detrimenta sustineat, & patiatur, eidem Referendario, vt præfertur, electo, & deputato, omnes, & singulos etiam quorumcumque Tribunalium ac Curiarum dictæ Vrbis, & in Archiuio Romanæ Curiæ, & Capitolij descriptos Notarios, & Tabelliones publicos, etiam quantumcumque priuilegiatos & exemptos, qui deinceps perpetuis futuris temporibus quæcumque Instrumenta publica super testamentis, codicillis, & quibusuis tam inter viuos quam causa mortis dispositionibus pro quibuscumque vtriusque sexus Christifidelibus, conficient aut stipulabunt, vel de quibus ipsi Notarij, & Tabelliones pro tempore rogati fuerint, in quibus pia legata etiam iure donationis perpetuæ vel fideicommissi, seu cuiusuis alterius dispositionis, aut quocumque alio titulo eidem Archiconfraternitati, siue Redemptioni Captiuorum per Christifideles de eorum bonis in toto vel in parte hactenus quomodolibet facta fuerunt, & in futurum fient, seu quæ vtilitatem vel commodum aut augmentum bonorum, iurium, & emolumentorum Archiconfraternitatis seu Redemptionis Captiuorum huiusmodi, tam coniunctim quam diuisim, & tam actiue quam passiue, ac tam secundario quam principaliter concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, aut in Archiconfraternitatis seu Redemptionis Captiuorum huiusmodi vtilitatem cesserint vel cedant ad dictorum Instrumentorum, seu illorum particulam interesse dictæ Archiconfraternitatis seu Redemptionis, vt præfertur, concernentem, copiam authenticam, & fide dignam, in forma iuris valida, & probanti, seu instrumentum publicum, postquam ad id per ipsam Archiconfraternitatem, illiusque Custodes, Camerarium, officiales, & Ministros, coram eodem Referendario requisiti fuerint, & post testatorum obitum, sub pœna falsi, ac excommunicationis, aliisque sententiis, & censuris Ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis pœnis, per contrafacientes eo ipso incurrendis, ac arbitrio eiusdem Referendarij infligendis & exequendis, eidem Archiconfraternitati, siue illius Custodibus, Camerario, Officialibus seu Ministris, soluta per eosdem Custodes, Camerarium, Officiales seu Ministros ipsis Notariis, & Tabellionibus mercede, pro scriptura ipsius copiæ authenticæ, seu instrumenti publici tantum, omni mora, & dilatione aut subterfugio cessantibus ac quacumque appellatione, seu recursu postpositis, realiter & cum effectu, ac sine aliqua fraude dandum, tradendum & consignandum, auctoritate nostra moneat, omnibusque sibi visis remediis opportunis, vsque ad omnimodam patitionem cogat atque compellat.

Clausula derogat.

§. 16. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Fabricæ prædictæ, ac personarum, Vniuersitatum, Societatum, Congregationum, Collegiorum, Monasteriorum, & Hospitalium huiusmodi, aliorumque quorumcumque piorum locorum, & Ordinum, etiam exemptorum, ac qualitercumque priuilegiatorum, etiam iuramento, &c. roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, consuetatoriis, exemptionibus, & literis Apostolicis, illis ac dilectis filiis Populo Romano, necnon Iudicibus, Notariis, Tabellionibus, Curiis seu Tribunalibus, eorumque personis, & Collegiis quibuscumque, & Romanæ Curiæ Officialibus, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & dictam Sedem etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac alias sub quibuscumque tenoribus, & formis ac cum quibusuis clausulis, & decretis in contrarium, etiam in vim contractus, aut alias quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis, necnon Reformationibus nouiter factis, & paribus motu, & scientia approbatis, etiam si in eis caueatur expresse, quod causa huiusmodi ad forum seu Curiam Capitolij, & seu Auditoris dictæ Cameræ, vel Vicarij, aut aliorum eiusdem Vrbis Tribunalium reassumi debeant, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet disponentibus. Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua ac de verbo ad verbum, & nihil penitus omisso, nec per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum omnium tenores, acsi de verbo ad verbum expressi, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter, & expresse eisdem motu, scientia, & potestatis plenitudine derogamus, & sufficienter derogatum esse decernimus, contrariis quibuscumque. Aut si personis, Vniuersitatibus, Societatibus, Congregationibus, Collegiis, Monasteriis, Hospitalibus, aliisque piis locis prædictis, eorumque Administratoribus, Officialibus seu Ministris, vel quibusuis aliis communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra vel vltra certa loca, Curias, & Tribunalia, ad iudicium trahi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, indultis, ac literis Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, iurisdictionis ipsius pro tempore existentis Referendarij, vt præfertur, deputati explicatio, siue exequutio impediri valeat quomodolibet vel differri. Et de quibus quorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Sola signatura sufficit.

§. 17. Volumus solam præsentis Motus proprij signaturam sufficere, & vbique fidem facere in iudicio, & extra.

Fides exemplorum.

§. 18. Quodque eadem Motus proprij exempla etiam impressa, Notarij publici, siue eiusdem Archiconfraternitatis Secretarij manu subscripta, & sigillo dictæ Archiconfraternitatis vel illius Protectoris siue Referendarij pro tempore vt præfertur, electi, & deputati obsignata, eamdem prorsus, in iudicio, & extra illud fidem vbique faciant, quam ipse Motus proprius faceret si foret exhibitus vel ostensus, regula contraria quacumque non obstante.

Fiat Motu proprio F.

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, die 19. Augusti, Anno 2. *D. P. An. 2. 19. Augusti.*

Iurisdictio S. R. E. Cardinalis Protectoris, & Iudicis causarum Collegij Cantorum Capellanorum Romani Pontificis, cum priuilegiorum, & gratiarum concessione. XXXVIII.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1586.*

Causa huius constit.

IN suprema militantis Ecclesiæ cathedra, nullis nostris meritis, sed sola Redemptoris nostri benignitate constituti, ad vniuersa per orbem terrarum diffusa loca cultui dicata diuino, prouisionis nostræ remedia tenemur extendere; præcipue vero circa Capellæ nostræ Pontificiæ,

Digitized by Google

Pontificiæ, cuius cura strictiori iure nobis incumbit, prosperum statum, & felicem directionem, nos conuenit intendere, & prouidentiæ nostræ studium propensius adhibere, vt in ea Missarum solemnia, & alia diuina officia continue decantentur, illiusque Cantores, ad eum numerum eiusdem Capellæ decori, & seruitio satis sit reducti, congruis facultatibus pro eorum vitæ subsidio, valeant communiri.

Reductio numeri Cantorū Capellanorū Capella Pontificia.

§.1. Quocirca huic rei sedulo incumbere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, numerum Cantorum Capellanorum prædictorum qui ad præsens vigintiquatuor existunt, ad numerum viginti vnius dumtaxat, quorum nomina, & cognomina in calce præsentium describuntur, Apostolica auctoritate, tenore earumdem præsentium reducimus, & retrahimus, reliquos vero tres Cantores Capellanos ibidem non descriptos illorum rationem aliorsum habituri, ab ipsius Capellæ seruitio, & canendi onere, Cantorumque Capellanorum huiusmodi numero, & consortio absoluimus & amouemus.

Erectio Collegij viginti vnius Cantorum Capellanorum & descriptio qualitatum eorumdem.

§.2. Necnon in eadem Capella, vnum Collegium viginti, & vnius Cantorum Capellanorum, vt præfertur descriptorum, loco quorum pro tempore decedentium vel recedentium, alij artis Musicæ peritia & vocis suauitate pollentes, ab aliis de gremio Collegij huiusmodi existentibus præuio diligenti examine, ac alias iuxta laudabilem consuetudinem hactenus obseruatam eligi debeant, sic tamen quod dictum numerum viginti, & vnius numquam excedant, & quorum vnus dictæ Capellæ Magister existat.

Cōcessio priuilegiorum, & reddituum.

§.3. Et tam ipse quam alij pro tempore existentes Cantores Capellani, de gremio Collegij huiusmodi existentes, sint & esse censeantur, provt hactenus semper fuerunt, nostri & pro tempore existentis Romani Pontificis, veri & indubitati Familiares, continui commensales, ac ex Palatio Apostolico solitam portionem panis, & vini percipere, & habere debeant, cum massa communi ex Monasterio S. Mariæ de Crespiano Ordinis S. Benedicti Tarentin. Ciuitatis seu Diœcesis, eidem Capellæ per nos nuper ad vsum & sustentationem ipsorum cantorum Capellanorum duntaxat dicta auctoritate vniti, ac aliis eisdem massis vsque ad valorem annuum trium millium scutorum monetæ assignandis, fructibus, redditibus prouentibus, rebus, & bonis, ac etiam quoad de totidem reddituum annuorum summa, illi à nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus prouisum fuerit, ex Cameræ Apostolicæ pecuniis eisdem Cantoribus Capellanis, loco salarij, per menses singulos, deducta tata parte fructuum Collegij, & illius massæ communis huiusmodi præstandis conficienda, ac inter ipsos viginti, & vnum Cantores Capellanos proportionabiliter, provt desuper ab ipsius Collegij Protectore pro tempore existen. ordinatum fuerit diuidenda, ex qua tamen Diacono, & Subdiacono, qui olim substitutis nuncupatis in dicta Capella quotidie non tamen præsentia nostra ministrantibus, ac Scriptori, & custodi Librorum eiusdem Capellæ congruam portionem loco salarij arbitrio ipsius Protectoris assignare. Nec de cetero quicquam à S. R. E. Cardinalibus Missam in eadem Capella pro tempore celebrantibus, etiam prætextu cuiuscumque consuetudinis, quantumlibet inueteratæ, petere, & exigere, aut etiam sponte oblatum recipere debeant, auctoritate, & tenore prædictis perpetuo erigimus, & instituimus.

Concessio insignium Collegij, ac facultatis eligendi eorum gremio Magistrū Capellæ, & alios ministros.

§.4. Illique sic erecto, & instituto, arcam, sigillum, aliaque collegialia iura, & insignia, necnon facultatem, & auctoritatem Magistrum dictæ Capellæ de ipsius collegij gremio existentem, qui per quindecim annos, eidem Capellæ deseruierit, vel saltem ex antiquioribus personis dicti Collegij existat, & quem duæ ex tribus partibus illius Cantorum Capellanorum huiusmodi ad hoc idoneum iudicauerint, ceteroſque officiales, & ministros necessarios ad tempus desuper statuendum eligendi.

Statutaq; pro bono Collegij regimine condendi.

§.5. Necnon felici pro statu, regimine, & gubernio dicti Collegij, illiusque personarum, rerum, & bonorum, tam spiritualium quam temporalium, ac super electionibus, qualitatibus, oneribus, seruitiis, & ministeriis Magistri Capellæ, aliorumque officialium, & ministrorum eiusdem Collegij, quæcumque statuta, ordinationes, & decreta sacris canonibus, & Concilij Tridentini decretis non contraria, condendi, & condita quoties pro illorum, ac rerum, & temporum qualitate, vel alias expediens videbitur, mutandi, corrigendi, reformandi, alterandi, moderandi, in toto vel in parte reuocandi, ac alia de nouo edendi, eaque omnia, dummodo Apostolica, vel saltem ipsius Protectoris pro tempore existentis auctoritate approbata fuerint, ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit, sub pœnis pecuniariis arbitrio eiusdem Collegij infligendis, & illi applicandis, obseruari faciendi, concedimus, & elargimur.

Elargitio exēptionis ab omni superioritate Ordinariorum, & Iudicum in Vrbe & extra.

§.6. Insuper collegium prædictum, illiusque pro tempore existentes particulares personas, officiales, & ministros, ac eorum res, & bona quæcumque mobilia, & immobilia, præsentia, & futura, cuiuscumque qualitatis & quantitatis existentia, & tam in dicta Vrbe, quam extra eam vbicumque locorum consistentia, ab omni iurisdictione, dominio, superioritate, & potestate pro tempore existentis Vicarij, Senatori, Conseruatorum, & Reformatorum Vrbis, ac Auditoris causarum Curiæ dictæ Cameræ, necnon Ordinariorum locorum, aliorumque Iudicum, & officialium quorumcumque, in ipsa Vrbe vel extra eam vbilibet constitutorum, etiam perpetuo eximimus, & liberamus, ac sub Beatorum Petri, & nostra Sedisque Apostolicæ protectione suscipimus, ac nobis, & eisdem Sedi immediate subiicimus.

Confirmatio & innouatio quorumcūque priuilegiorum hactenus concessorum.

§.7. Omniaque, & singula priuilegia, exemptiones, libertates, prærogatiuas, facultates, gratias, tam spirituales quam temporales, & indulta eisdem Magistro, & Cantoribus Capellanis, in genere vel in specie, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos, & dictam Sedem hactenus quomodolibet concessa, approbata, & innouata, quoad ea videlicet decretis prædicti Concilij contraria, & sub vllis reuocationibus comprehensa non sunt, approbamus, confirmamus, & innouamus.

Priuilegium quod Cātores de collegio non amouentur nisi data eis prius æquiualenti recompensa, si 25 annorum spatiō deseruierint vel legitime impediti fuerint.

§.8. Præterea statuimus, & ordinamus, vt illi ex Cantoribus Capellanis prædictis, qui spatio vigintiquinque annorum Capellæ prædictæ deseruierint, ex tunc de cetero ab omni illius onere, & seruitio sint, & esse censeantur excusati, exempti, & liberati, neque ipsi, nec alij quicumque eorumdem Cantorum Capellanorum, quos deinceps graui ægritudine, aut corporis seu vocis imbecillitate, vel alio legitimo impedimento detineri contigerit, ab ipso Collegio, illiusque Cantorum Capellanorum numero, & consortio amoueri, neque alij in eorum locum subrogari vllatenus possint, nisi eis prius de æquiualenti recompensa fuerit omnino prouisum.

Quodq; priuilegia Cantorū etiā amotorū perpetua sunt.

§.9. Quodque tam per nos, vt præfertur, amoti, quam deinceps propter huiusmodi aut similia impedimenta amouendi, omnibus, & singulis priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, prærogatiuis, facultatibus, gratiis, & indultis, quibus alij Cantores Capellani de gremio, & consortio Collegij huiusmodi existentes vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere possunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed æque principaliter, & pariformiter, in omnibus, & per omnia vti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant.

Deputatio Protectoris d. Collegij cū facultate predicta omnia ordinandi, & gubernandi.

§.10. Vt autem ipsius Collegij conseruationi, & bono regimini consulatur, ipsique Cantores Capellani ab indebitis molestiis præseruentur, dilectum filium nostrum Decium tituli S. Matthæi in Merula presbyterum Cardinalem Azzolinum nuncupatum, eiusdem Collegij, & illius particularium personarum, rerumque, & bonorum quorumcumque Protectorem, defensorem, conseruatorem, & Iudicem ordinarium cuius consilio & ope, omnia supradicta, & alia quæcumque, ad electionem Magistri Capellæ aliorumque officialium, & ministrorum, necnon receptionem, & admissionem Cantorum Capellanorum prædictorum spectantia, & alias quomodolibet necessaria agantur, statuantur, & ordinentur.

Digitized by Google

Iurisdictionesque causas omnes d. Collegij, eiusque personarum cognoscendi summarie, appellationeque remota, &c.

§. 11. Cum plena, & omnimoda potestate, & auctoritate, omnes, & singulos dicti Collegij, eiusque personarum, officialium, & ministrorum pro tempore existentium causas, etiam beneficiales, profanas, meras, & mixtas, tam actiue quam passiue moras, & mouendas, per se ipsum vel eius Auditorem, aut alium seu alios ei bene visos, exclusiue quoad omnes alios Iudices, tam ordinarios quam delegatos, etiam summarie, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij, manuque Regia, & nulla tela iudiciaria seruata, sed sola facti veritate inspecta, ac etiam omni, & quacumque appellatione remota, audiendi, cognoscendi, decidendi, & fine debito terminandi, ac quibus, & quoties opus fuerit in forma, etiam sub pecuniariis, & aliis eius arbitrio infligendis pœnis, & in subsidium iuris censuris Ecclesiasticis inhibendi, quæcumque mandata etiam exequutiua decernendi, & relaxandi, censuras, & pœnas prædictas etiam iteratis vicibus aggrauandi, auxiliumque brachij sæcularis inuocandi, ac alia omnia, & singula in præmissis, & circa ea, ac alias quomodolibet necessaria, & opportuna faciendi dicendi, gerendi, & exercendi, ceteriſque facultatibus ad id requisitis, quæ etiam ad ipsius Decij Cardinalis in officio Protectoris huiusmodi successores perpetuo se extendere, auctoritate, & tenore similibus, constituimus, & deputamus.

Clausula præseruatiua.

§. 12. Decernentes præmissa omnia, & singula, ac præsentes literas, nullo vmquam tempore, ex quauis causa, quantumuis legitima, & vrgenti, de subreptionis, vel obreptionis vitio seu intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam reuocari, suspendi, restringi, limitari, aut in ius vel controuersiam reuocari, seu ad terminos iuris reduci posse, sed semper valida, & efficacia existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & inuiolabiliter obseruari, & Cantoribus, Capellanis, & aliis supradictis perpetuo suffragari.

Derogatio irritans.

§. 13. Sicque per quoscumque Iuudices, ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique & in quauis instantia iudicari, atque definiri debere, necnon irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 14. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon stylo Palatij, ac Vrbis, Cameræ & locorum prædictorum etiam iuramento, & confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ac etiam nouis reformationibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis ac Vicario, Auditori, Senatoribus, Conseruatoribus, Reformatoribus, Ordinariis, aliisque Iudicibus, & Officialibus prædictis, & quibusuis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibus, & aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc seruanda esset, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceteriſque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat, &c.

Si quis, &c.

D. P. Ann. 2. die 1. Sept.

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, Kalendis Septembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Hortatio ad omnes Christifideles, vt Rhemensi Collegio pro Catholicis Anglis à Sede Apostolica instituto, pie, & liberaliter subueniant, & ad Imperatorem, Reges, & Principes Christianos, vt Anglos propter Iustitiam persecutionem patientes, iuuent, & foueant. XXXIX.

Similem hortationem fecit Gregorius XIII. vt sup. in eius const. 72. Omnipotens. *Qui iam in Vrbe Collegium pro Catholicis Anglis instituit, vt in alia eius bulla 53.* Quoniam.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Vniuersis Christifidelibus præsentes literas inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Edita An. D. 1586.

Anglorū hæreticorum immanitatem execratio.

AFflictæ, & crudeliter vexatæ Anglorum reliquiæ, communi piorum mœrore ac luctu, animos cunctorum mortalium in sui misericordiam, & admirationem conuertunt. Quocirca nos, qui Pontificij muneris nostri esse putamus, cunctarum Ecclesiarum, etiam quæ Dei beneficio pace fruuntur, curam gerere, multo etiam magis soliciti sumus de ouibus perditis quærendis, & afflictis populis, & personis pro viribus subleuandis, sæuit enim in dies acrius dira hæreticorum immanitas, in eos præcipuè Ecclesiastici Ordinis viros, qui de ipsa orthodoxa fide vocem paulo liberiorem mittere aut hiscere audent, ita vt plerique nouis, & ante hunc diem inauditis tormentorum generibus dilacerati, atque membratim discerpti, exquisitis suppliciis trucidentur. At quibus diuina benignitas annuit è eruentis impiorum manibus elabi, ij vero quasi funesti tantæ cladis nuncij, ad augendam nostri doloris acerbitatem missi, vix aliquod ærumnarum suarum solatium reperiunt, nam extorres patriis finibus, bonis, ac fortunis suis spoliati, summa rerum omnium egestate misere premuntur, ac dispersi incertis sedibus vagantes, externarum, atque ignotarum gentium, sed fidei ac communionis Catholicæ sociarum opem implorant. Et cum diuitias, & ampla atque opulenta patrimonia possiderent, quibus in patria secundum carnem abunde affluentes frui poterant, si à vera pietate declinassent, maluerunt diuino spiritu ducti ea prædæ ac directioni sacrilegorum domi relinquere, quam fidem negare.

Anglorū Catholicorū præclara laudatio.

§. 1. Numquam ergo satis Anglorum Catholicorum laudari potest constantia, dum præ studio Religionis, illis acerbissimos cruciatus, & necem, hi vero exilium, mendicitatem, quæque vltima censentur in malis data optione cunctis huius sæculi deliciis, & commodis anteponunt. Neque sane est, quod miseri exules à suis necessariis, & amicis in patria relictis opem aliquam expectent, ipsi namque nefariis edictis deterriti, aut paribus depressi angustiis, suas nequeunt miserias tolerare, nedum aliis adiumento esse.

Collegij Rhemensis pro Catholicis Anglis à Sede Apost. institutio, bonorumque & fructuum inde prouenientium enumeratio, & commendatio.

§. 2. Quare horum calamitatis miserata Sedes Apostolica, per omnes Christiani Orbis partes dispersis Angliæ populis, iis præsertim qui in Collegium Rhemense hac ipsa de causa auctoritate Apostolica institutum se receperunt, superioribus annis cœperat aliquid auxilij suppeditare, quod pium institutum nos quoque persoluendo ex ærario nostro, in singulos menses certum subsidium prosequi non cessamus, nec sine magno fructu siquidem ex sancto illo Anglorum, illuc pietatis, & Catholicæ disciplinæ capessendæ causa profugientium Seminario, multos fere quotidie prodire audimus, qui Deo iuuante in Angliam ad confirmandos Catholicorum animos redeuntes, glorioſis, & apud posteros quoque illustribus futuris martyriis, suam erga Catholicam fidem, & hanc Sanctam Sedem deuotionem vsque ad sanguinis, & spiritus effusionem testentur. Horum autem eximia virtus, & infracti animi robur sæuissimos hæreticos vrit, spemque eis eripit quam de Catholicorum nomine

ad

Digitized by Google

ad internecionem delendo, aut certe penitus profligando animo conceperunt. Sed cum haud desinant propterea pios omnes vexare excrescente in dies exulum numero, idem Collegium Rhemense in maximas difficultates est adductum, ac ne ipsius quidem ærarij Apostolici ingentibus oneribus grauati tenuitas sufficere potest tot necessitatibus subleuandis, cum præsertim nos turbulentissimi temporibus ad Ecclesiæ gubernacula vocati, imminentibus vndique periculis circumsessi, ex toto terrarum Orbe ad nos confluentium fidelium pauperum necessitatibus succurrere, pro communi Christianæ Reipublicæ bono, ingentes sumptus facere, & grauissima onera sustinere assidue cogamur.

Pontificis ad Deum oratio pro Angliæ liberatione.

§. 3. Primum igitur confugimus ad diuinam opem implorandam, vt Deus omnipotens cohibeat aliquando effrænatæ tyrannidis in cæde ac strage piorum debacchantis furorem, & nobilissimam nationem veræ Religionis studio quondam florentem ac beatam, & adhuc pro sua ab hæreticorum intolerabili iugo liberatione, vsque ad sanguinem glorioſissime concertantem, tali peste ac pernicie liberet, ac in pristinam quietem, & tranquillitatem vindicet.

Eiusdem pro dicti Collegij subuentione ad Christi fideles exhortatio.

§. 4. Mox imitati felicis recordationis Gregorium Papam XIII. nostrum prædecessorem, eius exemplo vt plus ponderis habeat duplicata Romanorum Pontificum commendatio, nos quoque denuo per præsentes vniuersos Christifideles enixe obtestamur, & obsecramus in Domino, cuius causa nunc maxime agitur, vt subleuent Anglorum fidelium, præsertim dicti Collegij Rhemensis supplicum manus tendentium, inopiam, pia, & liberali pro suarum quisque facultatum modo eleemosynarum largitione, nec denegent eis, vel à dilecto filio Guglielmo Alano Rectore eiusdem Collegij moderno, ac pro tempore existente deputatis, promptum auxilium, ne quos diuina misericordia incolumes defendit ab efferata crudelissimæ tyrannidis sæuitia, eos nunc in media Christianorum Republica enectos fame, nudos, macie, & squalore confectos, tabescere, ac perire summa cum ignominia patiantur.

Ecclesiasticosque præsentes literas publicandi, & eleemosynas colligendi.

§. 5. Mandamus præterea vniuersis, & singulis Ecclesiarum Prælatis, & Rectoribus, ceterisque personis Ecclesiasticis quibuscumque, vt curent præsentes literas, earumve authentica exempla in suis quisque Ecclesiis, & locis, ac etiam concionibus publicari, spectatæque integritatis viros, non autem Quæstores deligant, qui eleemosynas, & oblata charitatis subsidia colligant, ac sine lucro, & fraude, dicto rectori vel ab eo deputatis fideliter tradant, ex quibus idem Rector modernus, & pro tempore futurus, vbi eiusdem Collegij necessitatibus satis esse prouisum nouerit, ceteris Anglis exulibus dispersis presbyteris opportune subueniat.

Hortatio ad Principes Christianos, vt Anglos exules recipiant, & foueant.

§. 6. Demum charissimos in Christo filios Imperatorem, cunctosque Reges ac reliquos Principes Christianos, etiam atque etiam rogamus, & monemus, vt eosdem Anglos exules, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, Christianorum quidem Principum patrocinio dignissimos, iuuent pro viribus, & foueant, vel in eis potius ipsummet Christum, cuius nutu omnia regna, & dominia sibi ab eo tradita regi meminerint.

Transsumptorum fides.

§. 7. Et quia præsentes nostræ literæ ad singula loca vbi illis opus est deferri nequeunt, decernimus, vt earum exemplis, etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo Prælati Ecclesiastici munitis, eadem vbique fides habeatur, quæ eisdem originalibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 1. die 13. Sept.

Dat. Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1586. 3. Nonas Septembris Pontificatus nostri anno 2.

XL.

Quod Fratres Minores Ordinis S. Francisci de Obseruantia licite retineant loca, quæ etiam sine titulo possident, dummodo Ordinariorum consensus accedat, quoad ea quæ possident à decem annis citra.

Alia de his Fratribus videri possunt supra in const. 23. Leon. X. Ite. sup.

SIXTVS PAPA QVINTVS Dilecti filij, salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita A. D. 1586.

CVm sicut nobis nuper exposuisti, tu annis proxime lapsis pro iuncto tibi Ministeriatus tui generalis Ordinis Fratrum Minorum de Obseruantia onere, omnes, & singulas præfati Ordinis Prouincias, tam in Italia quam extra eam existentes visitaueris, multaque domos, Ecclesias, & loca Ordinis præfati, ab eorum Ministris, Custodibus, seu Guardianis, & Fratribus retineri repereris, absque eo quod ipsi Ministri, seu Guardiani, & Fratres de aliquo Ecclesiarum, & domorum ac locorum huiusmodi titulo, seu concessione à Sede Apostolica, vel alias legitime habita, & facta docere valeant, cum dictæ concessiones aut non obtentæ, vel non expeditæ, seu dictarum domorum Ministrorum, Guardianorum, seu Custodum incuria, siue etiam ob bella, aut depopulationes, vel alios casus sinistros, aut alias deperditæ sint, quamuis domus, & Ecclesiæ, ac loca prædicta, ab eorum Ministris, siue Guardianis, & Fratribus bona fide, ac pacifice, & quiete possideantur. Tuque nobis humiliter supplicasti, vt potiori pro dictorum Ministrorum, Custodum, siue Guardianorum, & Fratrum conscientiarum securitate, & cautela, tibi, dictisque Ministris, Custodibus, siue Guardianis, & Fratribus in præmissis de aliquo opportuno nostro, & Sedis Apostolicæ remedio prouidere de benignitate Apostol. dignaremur.

Generalis Minister exponit Pōt. quod multa loca, & Ecclesias ipsi possident, licet de legitimo titulo, seu cōcessione, ex causis hic expressis docere nequeant.

§. 1. Nos igitur pro nostri pastoralis officij munere, tuisque supplicationibus in hac parte inclinati, in præmissis opportune dictarumque domorum, & Ecclesiarum, ac locorum qualitates, & quantitates, aliaque necessaria exprimenda hic pro plene, & sufficienter expressis habere voles, teque ac dictos Ministros, Guardianos, seu Custodes, & Fratres à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis siquibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, tibique ac ceteris Ministris Custodibus, seu Guardianis, & Fratribus dicti Ordinis, nunc, & pro tempore existentibus, vt quæcumque loca, domos, & Ecclesias, quæ vos in hanc vsque diem, in quibuscumque Mundi partibus, ac etiam Insulis, & Regnis noui Indiarum Occidentalium, & Orientalium, quomodolibet, ea videlicet quæ à decem annis supra, quæ vero à decem annis citra de consensu Ordinariorum possidetis, libere, & licite ac absque aliquo conscientiarum vestrarum scrupulo, aut censurarum, & pœnarum incursu, etiamsi de illorum concessionibus à Sede Apostolica, vel alias quomodolibet factis, ac fieri necessariis nullibi, vt præmittitur, appareat, perpetuo retinere, & possidere, ac in eorum quieta, & pacifica possessione remanere, illamque in omnibus, & per omnia, perinde ac si antequam loca domos, & Ecclesias huiusmodi, & eorum singula recepta fuissent, de illis recipiendis competens, & sufficiens facultas à Sede Apostolica, & locorum Ordinariis, in quorum Ciuitatibus, & Diœcesibus consistunt, obtenta fuissent, continuare valeatis, Apostolica auctoritate, præsentium tenore concedimus.

Hic itaq; Pōt. eisdem concedit, vt ea libere, & licite retinere valeāt dummodo habeāt cōsensum Ordinariorū quoad loca quæ habent à decē annis citra.

§. 2. Necnon Ecclesiis, domibus, & locis prædictis, illorumque Ministris, & Guardianis, seu Custodibus, & Fratribus nunc & pro tempore existentibus, vt omnibus, & singulis priuilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, prærogatiuis, antelationibus, præeminentiis, indultis, fauoribus, gratiis, concessionibus, indulgentiis, & peccatorum remissionibus, & relaxationibus, quibus aliæ dicti Ordinis Ecclesiæ, domus, & loca, quæ à principio de eiusdem Sedis Apostolicæ, & Ordinariorum locorum licentia recepta, & ædificata fuerunt, eorumque Ministri, Guardiani, seu Custodes, & Fratres, ac aliæ personæ, tam de iure, vsu, consuetudine, priuilegio, & concessione, quam alias quomodolibet in genere vel in specie vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ipsi similiter ac pariformiter, & sine vlla penitus differentia, vti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, indulgemus.

Indulgētias, & priuilegia eisdem concedit, qua cōcessa fuerunt locis, & Ecclesiis à principio licite recepta & ædificatis.

Ampliatio suprad. Indulti.

§. 3. Decernentes insuper te, ac Ministros, Custodes seu Guardianos, & Fratres Ecclesiarum, domorum, & locorum prædictorum de cetero, ad docendum de facultate siue licenta recipiendi Ecclesias, domos, & loca prædicta ab eadem Sede, & locorum Ordinariis obtenta, alias quam per præsentium ostensionem, quam vbique tam in iudicio quam extra, præter quam quod ad docendum de dicto consensu Ordinariorum, in his quæ possidetis à decem annis, citra, sufficere volumus pro sufficienti, & plena probatione omnium, & quorumcumque necessario probandorum, ad effectum consequendi præmissa, hisque omnibus plenarie fruendi, minime teneri nec obligatos existere.

Decretum irritans.

§. 4. Sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios ordinarios, & delegatos, etiam Palatij Apostolici causarum Auditores, & S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, definiendi, & interpretandi facultate, iudicari, definiri, & interpretari debere, ac quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, de nouis locis per Mendicantes, absque dictæ Sedis licentia non recipiendis, & quibusvis aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 6. Volumus autem quod præsentium transumptis seu copiis, in opere nouo, de omnibus domibus, Ecclesiis, & locis prædicti Ordinis, eaque concernentibus prope diem, te auctore in Typographia Romana dilecti filij Dominici Basæ cudendo, aut etiam separatim imprimendis, & à te, seu pro tempore existente Ministro, seu Commissario generali Ordinis præfati separatim imprimendis, subscriptis & sigillo officij Generalatus, seu Commissariatus huiusmodi munitis, eadem prorsus vbique fides tam in iudicio quam extra dictis in dicto opere, ac separatim imprimendis adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si originaliter exhibitæ vel ostensæ forent.

D. P. Ann. 2. 3. Sept.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die 3. Septembris 1586. Pontificatus nostri anno 2.

XLI. Præfinitio numeri, & qualitatum Prælatorum Referendariorum vtriusque Signaturæ Romani Pontificis, cum priuilegiorum concessione.

Ampliora concessit indulta Paul. III. sup. in eius constit. 23. Debita. vbi in apostillis notaui eorum statum.

De officio autem Referendariorum, vide sup. in Pij IV. const. 59. *Cum nuper.* sup. vbi etiam notaui de materia Signaturæ Iustitiæ, & Gratiæ.

Edita An. D. 1586.

SIXTVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

Iste Pont. ex causis hic expressis.

QVemadmodum prouidus agricultor ad vberiorem eius futuram frugem, temporum vices solicite obseruat, arbores ordine disponit, & ne illarum vires latius diffusæ euanescant, nimiam frondium, ramorumque frequentiam comprimit & resecat, ac ibidem inordinata & indisposita, siquæ sint, ad meliorem formam reducere satagit; ita nos agri Dominici curæ, superna dispositione præpositi, efficacem & fructuosam operam in illius cultura impendere credimus, cum ad ea vigilantiæ nostræ studium sedulo conuertimus, per quæ huius Sedis Apostolicæ dignitates & officia, præsertim nostram Gratiæ, & Iustitiæ Signaturam concernentia, tanquam feraces plantæ in ipso agro Dominico consitæ, vtili & commoda rerum dispositione salubriter dirigantur, & ex eorum administratione sperati fructus ad Dei gloriam, & illius gregis vtilitatem, dictæque Sedis decorem maiori in dies cum fœnore proueniant; abusus vero, qui in illis passim, absque personarum delectu conferendis irrepserunt, resectis & veluti putatis ramis sterilibus, de medio submoueantur. In quam curam cogitationemque pro officij nostri debito incumbentes, opportunum, immo necessarium esse censemus, vt ad eiusdem Signaturæ tam Gratiæ quam Iustitiæ ministeria, non nisi cognitæ & spectatæ virtutis viri assumantur, & proinde illius Referendariorum cœtus nimia præteritorum temporum indulgentia, & quorumdam instantia supra modum, non sine pristinæ suæ dignitatis diminutione adauctus, referata illorum multitudine, ad certum & determinatum numerum, inque compositum ordinem redigatur, ne multitudo ipsa rebus gerendis confusionem & impedimentum afferat, & spes vberioris fructus, quæ in eorum muneribus rite & fideliter obeundis posita esse debet, nos atque ipsos fruſtretur.

Referendariorum numerus ad centum præfinit.

§. 1. Itaque opportuna circa hæc remedia adhibere volentes, Motu proprio, &c. & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, statuimus & ordinamus, quod nullus deinceps in Referendarium alterius Signaturæ prædictæ, etiam cedentibus vel decedentibus, aut alias deficientibus qui nunc sunt Referendariis præfatis, omnino admittatur, donec & quousque omnium Referendariorum huiusmodi numerus imminutus, & ad centum dumtaxat reductus fuerit. Illo autem sic reducto & imminuto, præscriptus centenarius numerus Referendariorum huiusmodi, nullo vmquam tempore augeatur. Sed neque inter hos omnes vltra septuaginta Signaturæ Gratiæ Referendarij esse possint.

Hic numerus augetur arbitrio Papæ.

Admittendorum ad signaturam Iustitiæ qualitates præscribit.

§. 2. Nec vllus numero & consortio Referendariorum Iustitiæ de cetero adscribatur, nisi sit ex legitimo matrimonio, honestisque parentibus procreatus, & clericali charactere insignitus, ac vtriusque vel alterius iurium doctor, in aliqua Studij generalis Vniuersitate promotus, & in Rom. Curia habitu & tonsura clericalibus incedendo, per biennium versatus, vitæque integritate, ac morum probitate commendatus, & saltem in vigintiquinque ætatis suæ annis constitutus, habeatque in bonis temporalibus, vel beneficiis Ecclesiasticis, vnde in ipsa Curia dignitatis suæ gradum valeat decenter sustinere.

Admissionis forma.

§. 3. Porro antequam ad ipsius admissionem procedatur, per eiusdem Signaturæ Iustitiæ Præfectum, vocatis, & congregatis ad id sex antiquioribus Referendariis, secreto examinari, & ad hunc effectum saltem binas supplicationes, seu commissiones sibi ab ipso Præfecto ex tempore porrectas proponere debeat; quod si collectis Præfecti & sex antiquiorum Referendariorum præfatorum suffragiis, super quibus eorum conscientiam oneramus, taliter in huiusmodi propositione se habuerit, vt relatione super hoc, per dictum Præfectum nobis, aut pro tempore existenti Romano Pontifici facta, meruerit commendari & approbari, tunc & non alias in Referendarium eiusdem Signaturæ Iustitiæ admittatur; præstito prius per eum in manibus eiusdem præfecti solito iuramento.

Et in ea versatos per triennii, ad Signaturam Gratiæ admitti posse declarat.

§. 4. Ad Signaturam vero Gratiæ nemini pateat ascensus, nisi saltem triennio in Signatura Iustitiæ fuerit laudabiliter versatus, exceptis dumtaxat causarum Palatij Apostolici Auditoribus, & Cameræ Apost. Clericis, quorum quisque ad vtramque Signaturam quouis tempore adsciſci valeat.

Assistentium Signat. Gratiæ numerū & ordinem ponit.

§. 5. Insuper, quod eidem Signaturæ Gratiæ semper decem & octo Referendarij in Curia præsentes, nec legitimo impedimento detenti, duodecim videlicet antiquiores, penes quos sententiæ dicendæ in ipsa Signatura Gratiæ, suo quisque loco, & ordine, facultas existit, & alij tres, quibus onus libellos supplices proponendi incumbit, reliqui vero tres successiue proposituri, necnon Thesaurarius generalis, & etiam generalis Auditor causarum Curiæ dictæ Cameræ, ac vnus ex Palatij Apostolici Auditoribus, & vnus ex eiusdem Cameræ Clericis, alternatis vicibus, item nostri in Vrbe Vicarij, & causarum Curiæ præfatæ Auditoris Locatenentes, necnon Secretarius Apostolicus, ac in eadem Signatura Gratiæ proponendi munus à Referendariorum Decano ad ceteros omnes per turnum, iuxta suæ cuiusque receptionis & admissionis ordinem, deducatur.

§. 6. In

Digitized by Google

Rationē proponendi non mutat.

§. 6. In Signatura vero Iustitiæ circa rationem proponendi ibidem seruari solitam, nihil ducimus innouandum.

Referendarius super cōcessione Referendariatus infra tres menses literas Apost. expedire præcipit.

§. 7. Ne autem, quo quisque tempore in Signatura tam Iustitiæ quam Gratiæ sit admissus, hæsitari contingat, singuli Referendarij nunc existentes, quibus suum cuique locum & ordinem saluum & illæsum esse volumus, intra tres menses à data præsentium computandos, alij vero in futurum admittendi, ante cuiusque eorum admissionem, literas Apostolicas, sub plumbo super concessione sui officij Referendariatus huiusmodi expedire teneantur, quæ nostri & pro tempore existentis Romani Pontificis Datarij manu subscriptæ, eamdem prorsus roboris firmitatem obtineant, quam obtinerent si iuxta stylum Cancellariæ Apostolicæ, seu dictæ Cameræ per omnes & singulos officiales, & alios ad quos literarum Apostolicarum expeditio pertinet, rite & legitime forent expeditæ.

Familiaritatis, & veræ Nobilitatis priuilegia ac insignia sua gētilitia eisdē concedit, à iurisdictione Ordinariorū eximit.

§. 8. Ceterum, vt Referendarij præfati, ad suscipiendos pro dicta Sede labores eo promptiores reddantur, quo exinde spiritualibus & temporalibus gratiis se cognouerint vberius esse refertos, omnes & singulos nunc & pro tempore existentes Referendarios, vtriusque vel alterius Signaturæ huiusmodi, in nostros & pro tempore existentis Romani Pontificis familiares, continuos commensales, gratiosè recipimus, & ab omni iurisdictione Ordinariorum locorum quorumcumque eximimus, & totaliter liberamus, ac nobis & dictæ Sedi immediate subiicimus, nobilitatisque titulo decoramus, ac veros & indubitatos familiares, continuos commensales nostros, & pro tempore existentis Rom. Pontif. vt præfertur, liberos, exemptos, & Nobiles esse, seque tales in quibuscumque Apostolicis, & aliis literis, scripturis & actibus, tam publicis quam priuatis scribere & nominare, ac ab aliis inscribi & nominari debere decernimus & declaramus; eisdemque Referendariis nunc & pro tempore existentibus, in signum honoris & veræ Nobilitatis, insignia nostra gentilitia, vna cum suis armis, & insigniis gestare, ac omnibus & singulis priuilegiis, præeminentiis, indultis, immunitatibus, honoribus & gratiis, quibus alij veri & indubitati Nobiles ex nobilium, etiam Illustrium genere, ex vtroque parente procreati, tam in iudicio quam extra vbicumque locorum de iure vel consuetudine, ac alias quomodocumque vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum in omnibus & per omnia perinde ac si de Nobilium etiam Illustrium genere, vere & non ficte procreati & geniti forent, vti & potiri, & gaudere.

Familiarium priuilegia vide sup. in Paul. III. cōst. 3.

Et in suis Monasteriis mitra, & vtendi, & populo benedicendi facultatem elargitur.

§. 9. Necnon in Monasteriis per eos in Commendam pro tempore obtentis, quorum præteriti Abbates mitra, & aliis Pontificalibus insigniis, ex priuilegio Apostolico, aut alias vti consueuerunt, etiam mitra, annulo, & baculo, ceterisque Pontificalibus insigniis & ornamentis perinde ac si eisdem Monasteriis, tanquam Abbates præessent, etiam vti, necnon post Missarum, & aliorum diuinorum officiorum solemnia, populo tunc interessenti solemni more, dummodo inibi præsens non sit aliquis Antistes, seu dictæ Sedis Legatus, aut si præsens fuerit ad id eius accedat assensus, benedicere & libere & licite valeant.

Confessoremq; ab ordinario approbatū eligendi, qui semel in vita & in articulo mortis plenariam eis concedat indulgentiam.

§. 10. Necnon aliquem idoneum presbyterum, sæcularem vel cuiusuis Ordinis regularem ab Ordinario approbatum, in suum possint eligere Confessorem, qui omnium peccatorum de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, semel in vita, & in mortis articulo plenariam remissionem & indulgentiam, eis sacra communione refectis, & in Catholicæ fidei sinceritate, Romanæque Ecclesiæ vnitate, ac Romani Pontific. canonice intrantis obedientia perseuerantibus, dicta auctoritate concedere possit.

Celebrandi, ac celebrari faciendi circa auroram, & etiam in locis interdicto Ecclesiastico suppositis.

§. 11. Liceatque eisdem Referendariis, vbi negotiorum & temporum ratio expostulabit, Missas antequam eluceſcat dies, circa tamen Auroram, necnon si forsan ad loca Ecclesiastico interdicto, tam ordinaria quam Apostolica auctoritate supposita, eos declinare contigerit, in illis submissa voce, clausis ianuis, & non pulsatis campanis, ac excommunicatis, & interdictis exclusis, in sua familiarumque suorum domesticorum, & trium aliarum personarum eorum arbitrio eligendarum præsentia, dummodo ipsi, & qui præsentes fuerint causam non dederint interdicto, neque eis specialiter interdictum fuerit, similiter Missas, & alia diuina officia per seipsos, si presbyteri fuerint, vel per proprium, aut alium idoneum Sacerdotem ab Ordinario approbatum, celebrare, & celebrari facere, illaque, audire, & eis interesse, necnon tempore interdicti huiusmodi, sacram Eucharistiam, & cetera Sacramenta recipere, ipsisque dicto tempore decedentibus eorum corpora Ecclesiasticæ sepulturæ, etiam cum funebri pompa, Christiano ritu tradi possint.

Stationes Vrbis dictis Referendarijs visitantibus Ecclesias ab eis eligendas concedit.

§. 12. Necnon Quadragesimali, & aliis temporibus ac diebus Stationum Basilicarum, & Ecclesiarum dictæ Vrbis, & extra eius muros, si in iis locis in quibus eos etiam Romæ esse contigerit, duas Ecclesias aut vnius vel diuersarum Ecclesiarum eorum arbitrio eligendas, visitauerint, ac ibidem Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam saltem ter deuote recitauerint, omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur si eisdem temporibus & diebus Stationum, Basilicas, ac Ecclesias Vrbis, & extra eius muros huiusmodi, ad id deputatas, personaliter visitassent.

Carnib. quādo vesci possint.

§. 13. Eidem quoque Quadragesimali, & aliis temporibus, quibus esus carnium, ouorum, & lacticiniorum vsus de iure vel consuetudine est prohibitus, eisdem carnibus, ouis, & lacticiniis de consilio vtriusque Medici, ac secreto, & sine scandalo vti, & vesci, libere, & licite valeant dicta auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Dignitate gaudeant, de qua in cap. Statutum de Rescript. in 6.

§. 14. Præterea constitutionem fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri quæ incipit. Statutum, ad eosdem Referendarios, nunc, & pro tempore existentes extendimus, ita vt ipsi omnes sint, & esse censeantur Ecclesiastica dignitate prædicti, & iuxta dispositionem constitutionis huiusmodi qualificati, etiam ad hoc vt in eorum tanquam personarum in dignitate Ecclesiastica constitutarum manibus, pensiones ab iis qui sufficienti ad hoc facultate suffulti fuerint, transferri valeant, ac translationes pensionum ab ipsis faciendæ huiusmodi validæ, & efficaces existant, suosque effectus sortiri debeant.

Clausulæ præseruatiuæ apponit.

§. 15. Decernentes præsentes literas nullo vmquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ vel alio quouis defectu notari, impugnari, inualidari, aut in ius vel controuersiam reuocari, nec sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, validasque & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, ac ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit obseruari, sicque per quoscumque Iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executoris huius const. deputat, & facultates cōcedit.

§. 16. Quocirca vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, necnon dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & quibusuis aliis personis in dignitate Ecclesiastica, & vbicumque locorum constitutis, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut vnus eorum per se vel alium seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, aut quoties pro parte Referendariorum prædictorum, vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari, ipsosque Referendarios, ac eorum singulos illis pacifice frui, & gaudere, nec permittentes eos desuper, per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet

Digitized by Google

quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, necnon legitimis super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis.

Clausulas derogatorias addit.

§. 17. Non obstantibus præmissis, ac præfati Bonifacij prædecessoris de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, necnon Lateranen. etiam nouissime celebrati, & præfati generalis, & aliorum Conciliorum, ac piæ memoriæ Innocentij Quarti, Sixti etiam Quarti, Innocentij Octaui, Pauli Secundi, & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, contra exemptos editis, necnon Pij Quarti, similiter prædecessoris nostri, de gratiis interesse dictæ Cameræ concernentibus, in eadem Camera registrandis, aliisque Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon Cameræ præfatæ, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, illis eorumque Præsulibus, Capitulis, Abbatibus, Conuentibus & personis, necnon præfatis locorum Ordinariis per quoscumque Roman. Pont. prædecessores, ac nos, & dictam Sedem sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet, etiam iteratis, & multiplicatis vicibus concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, & ad effectum præmissorum omnium, harum serie specialiter, & expresse derogamus, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis credi iubet.

§. 18. Verum quia difficile foret præsentes literas ad singula loca, in quibus de eis fides forsan facienda foret, deferre, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & alibi, vbi opus fuerit adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli, &c.

Dat. Romæ, 10. Kal. Octob. Anno secundo.

D. P. An. 2. die 22. Sept.

Publicatio.

Anno à natiuitate Domini 1586. Indictione 14. die vero 16. mensis Octobris, Pontific. Sanctissimi D.N.D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno 2. retroscripta litera lectæ, & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis spatium dimissæ in portis seu valuis Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & S. Petri Principis Apostolorum de Vrbe necnon Cancellariæ Apostolicæ & in acie Campi Floræ, per nos Ioannem Freile, & Nicolaum Taliettum Sanctiss. Domini nostri Papæ Curs.

Alex. Parabiachus Mag. Curs.

Communitates Status Ecclesiastici pro aliis obligatæ, infra annum ab earum obligationibus liberentur. Et de cetero pro aliis se obligare, & eorum bona alienare, ac præterquam ratione locationis obligare, vel Oratores sumptibus publicis ad Pontificem mittere, nequeant. XLII.

Confirmatur, & ampliatur bulla ista à Clem. VIII. inf. in eius const. 10. Pro commissa. *vbi alia de Ciuitatibus notabo.*

Consonat constitutio 18. Pij IV. sup. in qua decreuit, Vassallorum obligationes pro eorum Dominis esse nullas, Dominosque teneri Vassallos ab obligationibus pro eis factis releuare, & pecunias solutas restituere.

SIXTVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1586.

Exordium.

INter varias, ac multiplices solicitudines, quas pro communi vtilitate vniuersæ Christianæ Reipublicæ, nostræ curæ (diuina prouidentia) commissæ, dies noctesque suscipimus, id potissimum nobis cordi est, vt subditorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ commodis paterna charitate, & præcipua quadam ac singulari vigilantia consulamus, quod illos quasi nostros peculiares eximieque caros, & acceptos, ac præ ceteris dilectos filios, in nostram clientelam, ac fidem receptos, speciali quadam & propria paterni amoris prærogatiua complecti, æquum censemus.

Causa huius constit.

§. 1. Quare cum eos ab omni iniuria, & violentia tutos & illæsos defendere, & custodire pro viribus studeamus sicuti ad id vel ab initio nostri Pontificatus opportuna remedia, quæcumque potuimus, non sine magno fructu, Deo annuente, comparauimus, ita etiam nunc eodem erga illos pietatis affectu permoti, duximus omni studio occurrendum dolis callidorum hominum, qui priuatis suis lucris intenti, plerumque commune bonum, ac publicam nostrarum Ciuitatum, & Oppidorum vtilitatem, non mediocriter lædunt. Quoniam vero in tota fere ditione, & Statu temporali huius Sanctæ Sedis, prauus inoleuit abusus, vt plerumque ex leuissimis, minime necessariis, neque vtilibus, ac forsan etiam magnopere damnosis causis, dilecti filij Communitates, siue Vniuersitates, & homines eorumdem Ciuitatum, & Oppidorum, respectiue, ad instantiam, & suasu quorumdam, qui priuatim suæ rei familiaris ac domesticæ, etiam cum communi aliorum dispendio lucrum quærere non erubescunt, vniuersi, ac publico nomine se, suaque bona obligare, & hypothecare, aut pro aliis fide iubendo, seu principaliter pro suo interesse consueuerint & contractus celebrare, magno olim eisdem Vniuersitatibus, & Communitatibus detrimento, & damno futuros, siue etiam expensas minime necessarias, interdum vero prorsus superuacaneas facere, sicuti iam in multis Communitatibus, & Vniuersitatibus, ingenti ære alieno grauatis, ærariisque earum planè exhaustis, res ipsa & experientia docuit.

Cõmunitates pro quibuscũque personis obligatæ, infra annum à die denũciationis liberentur.

§ 2. Nos propterea indemnitati illorum, & huic malo, antequam latius serpat, & grauiora afferat damna & incommoda, quamprimum prouidere cupientes, de attributæ nobis Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium præcipimus, & mandamus vniuersis & singulis personis, quauis dignitate & auctoritate fulgentibus, pro quarum vtilitate, commodo & interesse, directo vel indirecto, aliqua Vniuersitas, seu Communitas cuiuscumque Ciuitatis, Terræ, Oppidi, Castri, Villæ, aut alterius loci nostræ, & dictæ Romanæ Ecclesiæ ditioni mediate vel immediate in temporalibus subiecti vel subiectæ, vniuersi insimul ex quacumque causa, & quocumque modo fideiussisse, vel alias etiam vti principales obligati hactenus fuisse reperientur, vt ipsi, & eorum vnusquisque debeant ac teneantur intra annum à die denunciationis, vel intimationis, in vim præsentium literarum

Digitized by Google

literarum eorum cuilibet faciendæ, etiamsi ipsi ex eadem Ciuitate & loco, vel aliunde oriundi sint, atque inibi vel alibi domicilium habeant, bonaque stabilia, cuiuscumque valoris etiam maximi possideant, eaque minime dilapident, ab huiusmodi fideiussione, & alia quacumque obligatione, reali & personali, vel hypotheca, generali aut speciali, etiam à modico tempore citra contractis, easdemque Communitatem, seu Vniuersitaten, earumque res & bona penitus exemisse & liberasse, curentque vel cassatis penitus, & extinctis ipsis obligationibus & instrumentis desuper confectis, aut dato alio expromissore in locum ipsius Communitatis, vel Vniuersitatis, aut alias quoquomodo re ipsa efficere, vt ij in quorum fauorem ipsæ Communitates aut Vniuersitates se obligauerint, illarum liberationi sponte & expresse consentiant.

Etsi obligationes, sint eius naturæ vt ipsi creditores ad eas extinguen. cogi nequeant tunc eisdem Communitatibus idonei reseruatores dentur.

§. 3. Cuiusmodi consensum, si nec ipsi in quorum fauorem Communitates vel Vniuersitates prædictæ se suaque bona obligauerint, præstare vllo modo voluerint, & ea fuerit contractus vel obligationis natura, vt neque etiam facta aliqua oblatione, aut solutione ad consentiendum, ipsi inuiti cogi, seu alias obligationes ipsæ cassari & annullari possint, tunc dictæ personæ à quibus eædem Communitates & Vniuersitates, occasione talium obligationum indemnes releuandæ sunt, alios fideiussores & expromissores arbitrio pro tempore existentis Gubernatoris, seu Legati, cui ipsa Vniuersitas, vel Communitas mediate seu immediate subierit, de conseruando easdem Communitates vel Vniuersitates indemnes, præstare teneantur.

Cõmunitates & particulares personæ ad præmissa agere valeãt iudicesque vnica citatione præcedente, mandatũ exequutiuũ, post annum à die denũciationis exequen. relaxent.

§. 4. Liceatque ipsarum Communitarum seu Vniuersitatum Magistratibus, Procuratoribus, Agentibus, seu etiam particularibus personis ad præmissa, contra quoscumque vigore præsentium literarum coram quocumque Iudice agere & iudicio experiri, ac ipsi Iudici vnica citatione præcedente, mandatum exequutiuum in rem & personam contra eum, pro quo est facta fideiussio vel obligatio, statim elapso prædicto anno, exequendum relaxare, perinde ac si eædem personæ ad id expresse in specie atque efficaciter se obligassent, etiam si hoc ipsum naturæ & substantiæ contractuum, quorum occasione obligationes huiusmodi initæ fuerint, omnino repugnet & aduersetur, aut alias ne quis ad extinguendum, & redimendum census super bonis suis stabilibus venditos, creatos & impositos, cogi aut compelli queat, Apostolicis constitutionibus expresse cautum fuerit.

Cõmunitates in futurum absque licentia bona alienare, vel præterquã ratione locationis, & non vltra decennium obligare nequeant.

§. 5. Ceterum hac nostra in perpetuum valitura constitutione prohibemus, ne in posterum sine nostra, aut Romani Pontificis pro tempore existentis, vel Cameræ Apostolicæ licentia speciali, vlla Communitas, aut Vniuersitas ex quacumque causa etiam iustissima, vrgentissima, & omnino necessaria, & in euidentem vtilitatem, aut necessitatem, bona sua immobilia, seu iura percipiendi quoscumque fructus, redditus, prouentus, ac introitus annuos, distrahat, vendat, quouis modo alienet, hypothecet, aut super illis census annuos creet, imponat, seu vendat, vel illa alias quam ratione locationis, nec vltra decennium alicui obligationi vel hypothecæ subiiciat, aut supponat, neque etiam mutui, depositi, vel alias quocumque titulo, in rem, nec in personam, immediate vel per interpositam personam se obliget, aut quoquomodo ære alieno se obstringat.

Ampliatio Clem. VIII. vt in rubr.

Hoc pro aliis fideiubent. Confirmatio Clem. VIII. ibid.

§. 6. Pro alio vero quocumque incola, seu originario, vel forensi, aut vicissim Vniuersitas seu Communitas vna pro altera, nequaquam ex quauis occasione, vel causa vmquam fideiubeat, aut tanquam principalis alienæ obligationi quoquomodo accedat.

Obligationes alienationes, &c. contra hãc constit. de cætero à communitatibus quouis modo, etiã in earum vtilitatẽ fiendæ, nulla & inualida erunt.

§. 7. Decernentes nihilominus omnes & singulas distractiones, alienationes, hypothecas, fideiussiones, accessiones, etiam cum clausula, principaliter insolidum, necnon vti principales, & tam personales quam reales, & alias quascumque obligationes, & promissiones, ac renunciationes, & pacta de non petendo liberationem & exemptionem huiusmodi, in vim supradicti nostri mandati & præcepti, per dictas Vniuersitates, seu Communitates, earumve Procuratores, aut Magistratus, etiam speciale ad id mandatum habentes, etiam in ampliori forma Cameræ Apostolicæ, cum iuramento censuarum, ac mandati exequutiui, etiam susceptione, & quauis submissione, cautela, & promissione etiam iurata, ac de non vtendo remedio præsentium nostrarum literarum vltro & sponte, seu ad preces & instantiam, ac commodum vel vtilitatem aliorum quocumque modo posthac faciendas, sub quibuscumque verborum formulis, & clausulis etiam efficacissimis & insolitis concipiendas, & instrumenta desuper conficienda, etiam guarentigiata, iurata, vel alias sub dicta forma Cameræ Apostolicæ celebranda, nulla, irrita & inualida, nulliusque roboris vel momenti esse, aut fore, nullam fidem facere, neque vllam actionem aut exemptionem, vel officium Iudicis, neque obligationem, ciuilem seu naturalem parere, vel vllum omnino effectum aut vires habere posse, sed neque ipsas Communitates & Vniuersitates, etiam si id omne quod gestum est in eorum vtilitatem versum esse constiterit, vllo modo aut obligationis, vel iuramenti vinculo teneri. Et ita per quoscumque iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Cõmunitates Oratores ad Pont. sumptib. publicis sine licentia mittere nequeant.

Ampliatio Clem. VIII. ibid.

§. 8. Ac ne easdem Communitates, seu Vniuersitates sumptibus minime necessariis nimium grauari contingat, districtius interdicimus, ne qua Communitas, aut vniuersitas ex prædictis, Legatos siue Oratores ad nos, & Sedem Apostolicam, ex quacumque etiam vrgenti, & similiter necessaria, ac vtili occasione vel causa sumptibus publicis mittat, neue quis huiusmodi munus obeat, vel suscipiat, nisi prius simili licentia à nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice vel dicta Camera, vt præfertur, obtenta, reuocantes omnes qui ad præsens deputati reperiuntur.

Contradictores puniantur, vt hic.

§. 9. Quod si quis Magistratus dictarum Communitatum vel Vniuersitatum fuerit negligens, quoad vtendum remedio præsentium literarum, & petendum suas Communitates vel Vniuersitates ab ipsa fideiussione vel obligatione eximi & liberari, aut alias contra dictam prohibitionem easdem Communitates, & Vniuersitates, illarumve bona obligare attentauerit, aut Legatos, vel Oratores mittere, seu aliquis munus huiusmodi suscipere sine dicta licentia præsumpserit, eos singulos, qui in culpa fuerint, pœnam nostro & Romani Pontificis, aut Gubernatorum vel Legatorum seu Præsidentium prædictorum arbitrio infligendam, eo ipso incurrere volumus.

Pij iv. constit. ipsa est supra & Statutum istud est in lib. 3. cap. 31.

§. 10. Literis felicis recordationis Pij Papæ Quarti quoad Communitates aut Vniuersitates, quæ pro suis Dominis temporalibus fideiusserint, aut se obligauerint (quibus nequaquam derogando hæc omnia supradicta addimus) & Statutis nouissimis Vrbis Romæ, per quæ certa forma obligationibus & contractibus per dilectos filios nostros Senatum Populumque Romanum celebrandis præscribitur, nihilominus in suo robore permansuris.

Clausul. derog.

§. 11. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quarumcumque Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, Castrorum, Villarum, & locorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis eorumque Communitatibus, Vniuersitatibus, Magistratibus, quocumque nomine nuncupatis, & aliis personis, Motu proprio & ex certa scientia, ac de similis potestatis plenitudine, aut consistorialiter, vel per modum statuti perpetui, vel inter illos ex vna, & nos Sedemque prædictam ex altera partibus, initi & stipulati contractus, vel alias quomodolibet concessis, approbatis & innouatis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, quæ omnia eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo aduersentur, omnino tollimus & annullamus, ac nolumus cuiquam vllatenus suffragari, ceteris-que contrariis quibuscumque.

Fides in iudicio adhibeatur.

§. 12. Vt autem præsentes literæ simplius innotescant, volumus vt earum exemplis, etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticæ

Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra illud habeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur si essent exhibitæ vel ostensæ.

Hæc cõstitutio in vulgarem sermonẽ versa, in consilio publicetur, & inuiolabiliter obseruetur.

§. 13. Mandamusque vniuersis & singulis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, eorumque Locatenentibus, ac etiam Ducibus, Marchionibus, aut aliis Baronibus & Domicellis, ac Dominis temporalibus, Nobis & eidem Sedi in temporalibus, mediate vel immediate subiectis, vt in Ciuitatibus, Terris, Castris, Villis, & locis eorum cuique subiectis, & consiliis vel congregationibus generalibus earumdem Communitatum & Vniuersitatum, præsentium literarum exempla in vulgarem sermonem versa, quamprimum publicari, ac deinceps inuiolate obseruari omnino curent.

D. P. *An.* 2. *die* 30. *Sept.*

Datum Romæ apud S. Marcum, pridie Kalend. Octob anno 2.

Publicatio.

Anno à natiuitate Domini 1586. *Indictione* 14. *die vero* 16. *mensis Octobris, Pontific. Sanctissimi D.N.D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno* 2. *retroscriptæ literæ Apostolicæ lectæ, & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis spatium dimissæ in valuis seu portis Basilicarum S. Ioannis Lateranen. & S. Petri Principis Apostolorum de Vrbe per nos Io. Freyle, & Octauium Taliettum Sanctiss. Domini nostri Papæ Curs. necnon Cancellariæ Apostolicæ & in acie Campi Florę, per eosdem Cursores.*

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

XLIII. Quod omnes etiam S.R.E. Cardinales, beneficia & pensiones Militiæ S. Ioannis Hierosolymitani, etiam ex Sedis Apostolicæ prouisione obtinentes, ad solutionem iurium communis ærarij omnino teneantur. Receptoresque propria auctoritate exigere valeant, ex indulto Pij V.

Multa quæ de hac Militia in hoc opere habentur iudicata sunt supra in constit. 2. *Anastasij IV.* Christianæ.

Edita A. D. 1585. & 1586.

SIXTVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

Pius V. censuit priuilegia Militiæ approbasse & extendere.

AEquum arbitramur, & congruum, vt ea quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licet eius superueniente obitu literæ desuper confectæ non fuerint, suum debitum consequantur effectum. Dudum siquidem fel. rec. Pius Papa V. prædecessor noster solicita consideratione indagine perscrutans, quantis periculis quantisque bellorum turbinibus tunc agitata fuerit Insula Meleuitan. menteque recolens, quam indefesse & viriliter dilecti filij Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani Milites, in illa à Christianæ fidei hostibus defendenda se præstiterant, dignum quin potius debitum reputauit, vt ea quæ à Romanis Pontificibus illis liberaliter concessa fuerant, non solum confirmationis suæ munimine roborarentur, verum etiam illa quæ suam vtilitatem & commodum concernerent, si minus generaliter facta viderentur, ita extenderet, vt propter illa omnis in posterum dubitandi materia tolleretur.

Cum itaque caueretur statutis & priuilegiis huius Ordinis, quoscunq; etiã à Sede Apostol prouisos, certa iura cõmuni ærario soluere, certaq; onera subire debere.

§. 1. Accepto igitur per eumdem prædecessorem, quod licet alias, stabilimentis, vsibus, & naturis Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani huiusmodi, seu priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis eidem Hospitali, & dilectis filiis illius Magistro & Conuentui concessis, expresse cautum fuerat quod etiam Apost. auctoritate, etiam per resignationem in manibus pro tempore existentis Romani Pontificis factam prouisi, ac prouisiones, commendas, seu alias dispositiones, etiam Apostolicas, de præceptoriis, seu aliis beneficiis dicti Hospitalis, sibi pro tempore factas, prosequentes, certa iura vacantia, seu mortuaria, aut alias nuncupata, forsan duplicata, communi Hospitalis prædicti Thesauro, seu alias persoluere, ac quędam alia tunc expressa onera subire tenerentur. Quodque de redditibus & prouentibus huiusmodi Præceptoriarum, primo & secundo, ac forsan aliis annis prouenientibus disponere, seu illos percipere minime possent, sed illo dicto Thesauro, ac alias in vsum & vtilitatem Hospitalis, ac illius Militum, seu mensæ applicari & pro illius necessitatibus subleuandis, ac tuitione fidei aduersus Turcas, Christiani nomini Hostes, distribui deberent. Ac insuper Prioratus, Baiuliuatus, Castellaniam Empostæ, Præceptorias, & alia illius beneficia quæcumque pro tempore qualitercumque obtinentes, certas responsiones, ac ordinarias, extraordinarias impositiones eidem communi Thesauro annis singulis soluere tenerentur. Ipsisque Prioratibus Baiuliuatibus, Castellaniis, Præceptoriis, & beneficiis, per obitum seu resignationem, etiam in manibus prædicti Romani Pontificis, aut alias quomodolibet pro tempore vacantibus, illorum fructus, redditus, & prouentus, si per resignationem, iuxta vero nouam reformationem, vsque ad festum SS. Iacobi & Philippi, de mense Maij, ex tunc immediate sequentis pro mortuario, & vacantibus ab eodem festo, vsque ad alium proximum eiusdem S. Ioannis Baptistæ seu vt præfertur, SS. Iacobi & Philippi de dicto mense respectiue, eidem Thesauro cederent.

Et nonnulli à Sede Apostol. prouisi derogationem extorquerens.

§. 2. Cum tamen sæpe contingeret, nonnullorum petentium ambitionem ita se extendere, vt Sedis Apostolicæ liberalitate non contenti, etiam ea quæ in magnum dictæ Religionis præiudicium tendere conspiciebant, à Sede prædicta extorquere, Romanumque Pontificem ob eius innumeras occupationes, ad aliquas gratias sibi concedendas impellere non erubescerent, quas si plene cognouisset, eas profecto illis non concessisset.

Pius prædictus cõsiderãs quod hac via debilitarentur vires ipsius Ordinis.

§. 3. Attendens itaque dictus prædecessor, quanta & quam grauia discrima dicta Insula passa fuerat, & quam graues Magister & Conuentus prædicti, tam in illa defendenda quam in Ciuitate noua per eos constructa, munienda & reparanda subierant expensas & incommoda, quod si ipsi, qui pro expensis huiusmodi supportandis, certa iura, quæ super quibuscumque dicti Ordinis Prioratibus, Baiuliuatibus, Castellaniis, Præceptoriis, & aliis beneficiis prædictis exigere consueuerant, ab illorum exactione desisterent, illorum vires non parum debilitarentur, consideransque,

Quandã eius prouisionem dicti statutis & indulgẽtiis non præiudicasse declarauit.

§. 4. Quod postquam piæ mem. Pius Papa IV. etiam prædecessor noster, tunc suus, vnam S. Iacobi in Platea Nussiæ Spoletan. & alteram Sanctissimæ Trinitatis Tudertin. respectiue diœc. dicti Hospitalis Præceptorias, tunc certo modo vacantes, tunc dilecto filio Simoni Brombillæ Clerico Bergomensi, sub certis modo & forma commendauerat, & seu de illis per suas literas prouiderat, dictusque Simon, sub earumdem seu aliarum literarum prætextu, per quas stabilimentis, vsibus, naturis, priuilegijs & indultis prædictis per eumdem Pium IV. prædecessorem derogatum esse prætendebat, fructus earumdem Præceptoriarum, & iura illarum ratione dicto communi Thesauro, vt præfertur, debita soluere & relaxare recusauerat & recusabat, eumdem Pium IV. prædecessorem, Motu proprio, non ad Magni Magistri, aut Conuentus, seu Hospitalis fratrum prædictorum sibi pro eis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex suis certa scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine, per suas in simili forma breuis desuper confectas literas, declarasse, per derogationem huiusmodi aliquod, vel minimum Thesauro huiusmodi præiudicium afferri noluisse, & alia fecisse, prout in ipsius Pij IV. prædecessoris literis plenius continetur.

Et quoscunq; etiam S.R.E. Cardinales beneficia, & pensiones obtinentes d. Ordinis, quæcunq; à Sede Apost. prouisos ad dictam solutionem teneri definiuit.

§. 5. Idem Pius V. prædecessor, tam Pij IV. prædecessoris huiusmodi vestigiis inhærens, quam præmissis de causis motus, omnia & singula in eiusdem Pij IV. prædecessoris literis contenta approbans & confirmans, illisque perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adiiciens, omnesque & singulos, tam iuris quam facti defectus, siqui forsan interuenissent in eisdem supplens, necnon quarumcumque litium, inter venerabiles fratres nostros, tunc suos, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Religionem prædictam, pendentium, status & merita, & in qua pendebant instantia, pro expressis haberi volens, Motu & scientia similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, sub dat. videlicet duodecimo Kal. Aprilis, Pontificatus sui anno secundo, decreuit & declarauit, omnes & singulos Prioratus, Baiuliuatus, Castellanias, Præceptorias, & alia beneficia huiusmodi, seu illorum membra, & ab illis dependentia obtinentes, & ab illis regressus, accessus, coadiutorias, & alias gratias,

Digitized by Google

tias, tam à Sede Apoſt. quàm quauis auctoritate cõceſſas habentes, necnon illorum fructus & prouentus, aut alia iura loco penſionis annuæ, ſeu penſiones ipſas, ſuper eorumdem fructibus, redditibus & prouentibus, quauis de cauſa impoſitas & imponendas percipientes, pro tota fructuum & penſionum eorumdem, de omnibus & ſingulis annatis, vacan. mortuariis, & aliis quibuſcumque iuribus per eos dicto communi Theſauro quomodolibet debitis ſatisfacere, nec quaſcumque literas ſtatutorum, ſtabilimentorum, vſuum, ac priuilegiorum, indultorum, etiam quod præceptoriarum fructus, redditus & prouentus, & aliorum dicti Hoſpitalis beneficiorum, pro primo & ſecundo annis, vel alias communi Theſauro dicti Hoſpitalis, pro mortuariis, ſeu aliis cauſis applicati eſſent, & eſſe cenſerentur, ſeu applicari deberent.

Ordinemque ipſum auctoritate propria percipere, & de illis diſponere poſſe decreuit.

§. 6. Dictique Hoſpitalis Præceptores ſeu Receptores, aut alij pro eis Agentes, illos propria auctoritate exigere & percipere, ac interim poſſeſſionem Præceptoriarum & beneficiorum prædictorum, nomine dicti Hoſpitalis apprehendere, & retinere, ac huiuſmodi fructus de facto exigere, & alias de illis, certis modo & forma tunc expreſſis diſponere poſſent, diſponendi, vel aliis illorum totali inſertione, vel cum decreto, quod penſiones ipſæ à quocumque onere mortuario & paſſagio, vel alias quomodolibet nuncupato, quauis etiam Apoſtolica, ſeu Magni Magiſtri dicti Hoſpitalis pro tempore exiſtentis, auctoritate exempti eſſent, vel titulares beneficiorum, tam partem ipſos penſionarios tangentem, pro ſolutione penſionis huiuſmodi ſibi retinere valerent, & ad ſolutionem penſionis huiuſmodi minime tenerentur, ac alias huiuſmodi titulares renunciaſſent, onuſque illam ſoluendi in ſe ſuſcepiſſent, in quibuſcumque gratiis, commendis, prouiſionibus, regreſſibus, acceſſibus, ingreſſibus, coadiutoriis, ceteriſque diſpoſitionibus de Prioratibus, Baiuliuatibus, Caſtellaniis, Præceptoriis, & aliis beneficiis huiuſmodi quouis modo etiam apud eamdem Sedem vacantibus, necnon fructuum & penſionum huiuſmodi reſeruationibus, per eum, etiam Motu ſimili, & quorumuis etiam Imperatoris vel Regum intuitu, ac etiam quibuſuis eatenus factis & in poſterum faciendis, quibuſuis perſonis cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis conditionis, nobilitatis & præeminentiæ exiſtentibus, etiam forſan Cardinalatus honore & officio fungentibus, per eum quomodolibet eatenus conceſſis, & in poſterum concedendis derogatorias, ac deſuper confectas, & pro tempore conficiendas literas Apoſtolicas, etiam quaſcumque generales vel ſpeciales, etiam derogatoriarum derogatorias, & efficaciores & inſolitas clauſulas, necnon irritantia decreta, ſub quacumque verborum expreſſione in ſe continentia, perſonas, quibus Prioratus, Baiuliuatus, Caſtellaniæ, Præceptoriæ, ſeu ab illis dependentia beneficia prædicta, aut illorum membra collata, ſeu ad vitam commendata fuerant ſeu fructus, redditus & prouentus, aut penſiones annuæ reſeruatæ & aſſignatæ fuerant, aut in quorum fauorem de illis diſpoſitum extiterat, vel illæ commendarentur; ſeu conferrentur, aut fructus vel penſiones reſeruarentur & aſſignarentur, vel alias diſponerentur, à ſolutione & præſtatione fructuum, cenſuum, paſſagiorum, annatarum, vacationum, & mortuariorum, aut aliorum, quorumcumque iurium, ſeu reſponſionum, aut ordinariarum vel extraordinariarum impoſitionum, vigore dictorum ſtabilimentorum & priuilegiorum debitorum, in toto vel in parte eximere, vel liberare, aut alias communi Theſauro Hoſpitalis huiuſmodi, ſeu illius iuribus in aliquo præiudicaſſe, nec per illas præiudicatum, ſeu præiudicium aliquod generatum fuiſſe vel eſſe, vel in poſterum fore, ſed derogatorias ipſas, ad effectum validitatis collationum commendarum, & aliarum diſpoſitionum huiuſmodi dumtaxat, proceſſiſſe & ſuffragari debuiſſe, illaſque in quantum communi Theſauro, & illius iuribus in aliquo præiudicaſſent aut præiudicarent, à ſe & Sede Apoſtolica, per occupationem & circumuentionem, præter & contra voluntatem ſuam extortas ac nullius roboris vel momenti fuiſſe & eſſe, & in poſterum fore, illiſque non obſtantibus, omnes & ſingulas huiuſmodi derogationes, tunc & pro tempore habentes & proſequentes, etiamſi à iuriſdictione Magni Magiſtri & Conuentus prædictorum, & aliorum quorumcumque Iudicum Apoſtolica auctoritate prædicta exempti, ac ei & Apoſt. Sedi immediate ſubiecti eſſent, ad exhibitionem & relaxationem fructuum, ac penſionum huiuſmodi, vt præfertur, eidem communi Theſauro faciendam teneri, & adſtrictos fore, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi prouiſiones commendarum, & regreſſus, acceſſus, coadiutoriæ, & aliæ diſpoſitiones, necnon fructuum & penſionum reſeruationes, non à Sede Apoſt. ſed à Magiſtro & Conuentu prædictis emanaſſent, & ad id etiam per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, cogi & compelli poſſe.

Clauſulas dicta ſua conſtitutionis præſeruatiua apposuit.

§. 7. Literaſque tunc deſuper conficiendas, & in eis contenta quæcumque, nullo vmquam tempore, de ſubreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis ſuæ defectu, notari vel impugnari minuſue ſub quibuſuis reuocationibus, ſuſpenſionibus & limitationibus ſimilium gratiarum comprehendi vllatenus poſſe, ſed quoties illæ emanarẽt, toties in priſtinum & validiſſimum, ac eum in quo antequam illa emanarẽt ſtatum, reſtitutas, & plenarie reintegratas, ac de nouo etiam ſub quacũque data per Magiſtrum & Conuentum bene viſa, toties quoties opus eſſet, conceſſas eſſe cenſerentur. Sicque in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ac cauſarum ſacri palatij Apoſtolici, Auditores, ſublata eis & eorum, cuilibet aliter iudicandi, definiendi, & interpretandi facultate, iudicari, definiri, & interpretari debere, & quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentari contingeret, irritum & inane decreuit. Et nihilominus pro potiori cautela, ſupradictas & alias derogatorias clauſulas in quibuſcumque literis appoſitas, in quantum communi Theſauro huiuſmodi, quoad præmiſſa præiudicare videbantur, reuocauit, caſſauit, irritauit, & annullauit, ac toties quoties conceſſa eſſent, quoad iura vacantia, & mortuaria, ratione gratiarum, per eum & quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, tunc ſuos, conceſſa, quoad ea quæ ſuum tempus nondum effluxerant tantum, toties pro nullis & infectis haberi, nullamque prorſus in iudicio vel extra, fidem facere, vel effectum ſortiri debere, & conſtitutionem ſuam de non tollendo iure quæſito aduerſus tunc conficiendas literas, prædictas, locum ſibi vendicare nonpoſſe, ac illis minime ſtffragari voluit.

Clauſulas cõtrariorum derogatorias addidit.

§. 8. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ipſorum Prioratuum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis in contrarium forſan quomodolibet conceſſis. Quibus omnibus etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, ea vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis qnibuſcumque.

Et quia bꝛe Pij V. conſtitutio, eius ſuperueniente obitu non fuit expedita inde hic Pont. eam validat à die ſua data.

§. 9. Ne autem de decreto, declaratione, reuocatione, caſſatione, irritatione, annullatione, voluntate, & derogatione dicti Pij prædeceſſoris, pro eo quod ſuper illis, ipſius prædeceſſoris, eius ſuperueniente obitu, literæ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæſitari, ac Magnus Magiſter, Conuentus, & fratres, ſeu Milites Hoſpitalis prædicti illarum fruſtrentur effectu; volumus, & Apoſt. auctoritate decernimus, quod decretum, declaratio, reuocatio, caſſatio, irritatio, annullatio, voluntas, & derogatio dicti Pij V. prædeceſſoris, à dicta die duodecima Calen. Aprilis ſuum ſortiantur effectum, perinde ac ſi ſuper illis, ipſius prædeceſſoris literæ ſub eiuſdem diei data, confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur. Quodque præſentes literæ ad probandum plene decretum, declarationem, reuocationem, caſſationem, irritationem annullationem & derogationem dicti Pij Quinti prædeceſſoris vbique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Executores ſeq; deputat d. obſtitutionis.

§. 10. Quocirca venerabilibus fratribus Archie-

Digitized by Google

piscopo Toletano, & Episcopo Parisiēsi, siue eorum officialibus, ac dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apost. generali auditori, per præsentes committimus, & mandamus quatenus ipsi, vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas & in eis contenta quæcumque valere decernentes, ac pro tempore existenti Magno Magistro, Conuentui, & fratribus prædictis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra, præmissa omnia, ab omnibus quos illa concernunt, integre & inuiolabiliter obseruari, illosque eis pacifice & quiete, vti, frui, & gaudere. Non permittentes eos aut eorum aliquem, contra earumdem præsentium tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet & rebelles, per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus omnibus supradictis.

D. P. An. 1. 1 Maij. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die prima Maij, 1585. Pontificatus nostri anno primo.

Sequitur alia constitutio, quæ precedentem ampliat.

Edita. An. D. 1586. *SIXTVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Vniuersis & singulis nostris, & Apostolicæ Sedis in quibusuis nobis & Romanæ Ecclesiæ immediate subiectis Prouinciis, Ciuitatibus, Terris, & locis, etiam de latere Legatis, ac singularum Prouinciarum, Ciuitatum, terrarum, & locorum huiusmodi Gubernatoribus aliisque in eis ius dicentibus, & iustitiæ Ministris, necnon quorumcumque Regum, Ducum, Marchionum, & aliorum Christianorum Principum, Magistratibus & officialibus, ac eorum cuilibet, salutem & Apostolicam benedictionem.*

Receptores huius Militiæ pro consecutione iurium communis Ærari, possessionem beneficiorum, & capere solent. §. 1. CVm sicut accepimus sæpius contingat, vt Receptores Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, in singulis illius Prioratibus pro tempore deputati, Prioratus, Baiuliuatus, & Præceptorias dicti Hospitalis, ac alia beneficia per fratres eiusdem Hospitalis obtineri solita, tam per ipsos fratres quam ex concessione seu dispensatione Apostolica per clericos sæculares, in titulum aut commendam, aut alias pro tempore obtenta, ob non solutionem passagiorum, spoliorum, responsionum, vacantium, & mortuariorum, ac aliorum iurium per eos communi Thesauro prædicti Hospitalis pro tempore debitorum, ad manus suas, iuxta formam stabilimentorum & laudabilium consuetudinum dicti Hospitalis, ac priuilegiorum & indultorum Apostolicorum eis desuper concessorum recipere, & vsque ad integram passagiorum, spoliorum, responsionum, vacantium & mortuariorum, ac aliorum iurium prædictorum satisfactionem, pro dicto Hospitali, seu communi Thesauro, retinere, ac ad huiusmodi effectum, possessionem Prioratuum, Baiuliuatuum, Præceptoriarum, & aliorum beneficiorum præfatorum capere & apprehendere, eorumque fructus, reditus, prouentus percipere, colligere & leuare, seu Prioratus, Baiuliuatus, Præceptorias & beneficia huiusmodi, eorumque fructus reditus & prouentus, aliis locare & arrendare habeant.

Hic ideo Pōt. mādat vt officiales omnes & Principes eu faueāt & assistant. §. 2. Nos cupientes quod Præceptores prædicti, officium suum contra fratres, & alios non soluentes prædictos, libere exercere, & facultatibus eis per Sedem Apostolicam contra eosdem non soluentes concessis, sine aliqua difficultate vti possint, Vos & vestrum quemlibet per præsentes requirimus, vobis videlicet, nobis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subditis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ pœna districte præcipientes & mandantes, Vos vero qui nobis subiecti non estis in Domino hortantes, quatenus vos & vestrum singuli quoties pro parte Præceptorum præfatorum, seu alicuius eorum, aut Procuratorum suorum, vel pro eis Agentium desuper requisiti fueritis, per vos vel alium seu alios, brachium vestrum sæculare eisdem Receptoribus seu Procuratoribus vel Agentibus ad hoc vt Prioratus, Baiuliuatus, Præceptorias & beneficia prædicta, iuxta stabilimenta & consuetudines, ac priuilegia & indulta huiusmodi, quoties illis locus fuerit, ad manus suas recipere, & vsque ad integram passagiorum, spoliorum, responsionum, vacantium, & mortuariorum, ac aliorum iurium prædictorum satisfactionem, pro Hospitali seu Thesauro prædicto retinere, ac ad huiusmodi effectum, possessionem Prioratuum, Baiuliuatuum, Præceptoriarum, & aliorum beneficiorum huiusmodi capere & apprehendere, eorumque fructus, reditus, & prouentus percipere, colligere & leuare, vel Prioratus, Baiuliuatus, Præceptorias, beneficia, ac eorum fructus, reditus, & prouentus huiusmodi plus offerentibus, locare & arrendare, necnon census seu affictus annuos locationum & arrendationum huiusmodi exigere pro rata debiti, possint statim & incontinenti, omni dilatione seu exceptione remota, præstetis & exhibeatis, præstarique & exhiberi faciatis.

Contrarijs derogat. §. 3. Non obstan. constitutionibus & ordinationibus Apost. ac quibusuis prouisionibus seu commendis, aut aliis dispositionibus per nos & Sedem Apost. de eisdem Prioratibus, Baiuliuatibus, Præceptoriis, & beneficiis, quibusuis personis & dicti Hospitalis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existentibus pro tempore factis, necnon omnibus illis, quæ priuilegiis & indultis prædictis concessum fuit non obstare, quæ patentibus pro specialiter & expresse repetitis haberi volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet. §. 4. Volumus autem quod præsentium translumptis, etiam impressis, manu alicuius. Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis ea prorsus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 2. 3. Octobris. Dat. Romæ apud S. Marcum, sub annulo Piscat. die 3. Octob. 1586. Pont. nostri anno 2.

Erectio officij Commissariatus Reu. Cameræ Apost. in officium perpetuum vacabile, cum iurisdictionis, emolumentorumque & indultorum concessione. XIV.

Hodie hoc officium non est perpetuum, sed ad nutum Pont. Commissarius deputatur. Et de eius munere, & auctoritate, vide supra in Pij IV. const. 55. Romanus. *& Pij V. const. 70.* Cum de literis. *& in alia const. 51.* Attendentes. *& infra in huius Pont. const. 56.* Non sine.

Et in specie quod in causis cambiorum illicitorum in Vrbe contractorum, ad eius instantiam procedatur, vid. sup. in Pij IV. const. 1. *Cum sicut.* in secundo tom.

Edita An. D. 1586. *SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. AD excelsum vniuersalis Ecclesiæ culmen, nullis nostris meritis sed sola Dei benignitate subleuati, in eam curam cogitationemque ex pastoralis officij nostri debito propensius incumbere nos conuenit, vt Camera Apost. à rerum suarum iacturis sarta tectaque præseruetur, & quæ pro feliciori illius iurium tuitione, negociorumque prosecutione, ac officiorum ad id institutorum decore & stabilimento sunt maxime profutura, nostris auspiciis ordinentur, ipsaque officia egregiorum virorum prudentiæ & industriæ commissa personis votiuis iugiter proficiant incrementis.

Commissariatus officium, quod Bernardinus Piscina obisto summo Pont. ad eius beneplacitum deputatus, obtinebat, vacauit, quia ipse Ciuitatis Nursia (patria mea) & totius Mensæ na Præfectus ab eodem Pont. deputatus fuit. §. 1. Cum itaque pro tempore existenti dictæ Cameræ Commissario generali grauiorum ipsius Cameræ negociorum cura incumbat, & ex frequenti illius mutatione eadem Camera, in rebus & iuribus ad eam spectantibus, plurimum damni & incommodi patiatur, expedienſque sit vt pro negociorum, rerum, & iurium eorumdem votiua directione, prosecutione, & defensione officium Commissariatus huiusmodi, quod dilectus filius Ioannes Bernardinus Piscina, ad id à nobis ad beneplacitum nostrum deputatus, ab initio nostri Pontificatus vsque huc obtinuit, seu exercuit, aliquo certo & firmo statu constituatur, illudque pro tempore obtinens non amouibilis,

vt

Digitized by Google

vt hactenus, sed donec officium ipsum per eius cessum vel decessum, aut alias vacet, perpetuus existat, ac speciali honoris & dignitatis prærogatiua fruatur. Nos qui nuper dictum Io. Bernardinum in Ciuitatis nostræ Nursiæ, pro nobis & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Gubernatorem in temporalibus constituimus, præmissorum consideratione, & certis aliis causis inducti, eiusdem Cameræ indemnitati & vtilitati, ac officij Commissariatus huiusmodi stabilimento & incremento, prout solicitudinis nostræ partes requirunt, consulere, & quæ ad illud pertinent quibusuis facultatibus & gratiarum muneribus potiri debeat plenius explicare volentes, necnon beneplacitum nostrum præfatum harum serie reuocantes, illudque cessare & expirare decernentes.

Illud itaque idem Pont. in officium perpetuum & vacabile ad instar aliorũ Ro. Cur. officiorum erigit.

§. 2. Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, officium Commissariatus hujusmodi in officium perpetuum, ad instar Clericatuum dictæ Cameræ, & aliorum officiorum Romanæ Curiæ vacabile, pro vno Clerico vitæ ac morum probitate prædito, & vtriusque, vel alterius iurium Doctore non coniugato futuro, eiusdem Cameræ Commissario generali, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo erigimus & instituimus.

Facultates solitas ei concedit.

§. 3. Ac ipsi Commissario generali pro tempore existenti omnes ad eius officium huiusmodi pertinentes, & illi per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, dictamque Sedem, cetetis omnibus & singulis aliis Commissariis concessas facultates, iurisdictiones & prærogatiuas.

Archiuij scripturarũ Camerę Apost. administrationem eidem annectit.

§. 4. Ac etiam eas facultates, præcipuamque curam & administrationem Archiuij scripturarum dictæ Cameræ, ita vt sine expressa eiusdem Commissarij licentia aliquæ scripturæ ad Cameram præfatam spectantes ex ipso Archiuio extrahi, ac earum exempla intra eamdem Cameram, aliisque illius Cameralibus dari & consignari non possint, ipsiusque Archiuij Archiuistæ, & Ministri, nunc & pro tempore existentes, illi de dicto Archiuio, ac omnibus eius scripturis rationem reddere, & eius ordinationes ac mandata, necnon statuta & decreta quæ per eum pro bono gubernio & regimine dicti Archiuij pro tempore fieri contigerit, obseruare omnino teneantur.

Detinentes scripturas Camerę vbique & sciantes, & non reuelãtes coercendi iurisdictionem concedit.

§. 5. Necnon plenam & liberam facultatem, omnes & singulas alias scripturas ad Cameram præfatam spectantes, & extra Archiuium huiusmodi, in quocumque loco, vel penes quoscumque existentes, recuperandi, ac contra quoscumque easdem scripturas indebite detinentes, ac scientes & non reuelantes, eos à quibus detinentur pro illarum recuperatione, tam in Vrbe quam in omnibus Terris & locis Sedi Apostolicæ mediate vel immediate subiectis, Ciuitate nostra Bononiensi etiam comprehensa, summarie, manu regia & via executiua, telaque iudiciaria omissa, etiam per censuras & pœnas ecclesiasticas, ac etiam iuxta constitutiones fel. recor. Iulij Secundi & Iulij Tertij, ac quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum contra dictas scripturas indebite detinentes & occultantes, aut scientes & non reuelantes, non tamen priuatiue quoad alios quibus per dictas constitutiones fuerit huiusmodi facultas tributa, procedendi. Præterea super præmissis illas facultates, quas piæ mem. Pius Papa V. etiam prædecessor noster olim pro recuperatione scripturarum Cameræ & Sedis præfatarum bon. mem. Carolo de Grassis Episcopo Montis Flasconen. & quas Honuphrio Camaiano dictæ Cameræ Præsidenti dum in humanis ageret, per cedulam Motus proprij sub dat. videlicet xiv. Calend. Septemb. Pontificatus sui anno tertio, concesserat.

Hanc bullam Pij V confir. etiam in rub.

Prælatosque & Clericos, ingerentes se in beneficiis, ante expeditionem literarum Apost. coercendi, iuxta constit. Iul. II. & Iul. III.

§. 6. Ac etiam facultatem contra Prælatos & Clericos possessionem Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum quorumcumque, cum cura & sine cura, sæcularium & quorumuis Ordinum regularium, absque literarum Apostolicarum super prouisionibus, commendis, concessionibus, & aliis dispositionibus, sibi de illis dicta Apostolica auctoritate factis, expeditione, præterquam vigore breuis de eorumdem possessione, nomine dictæ Cameræ capienda apprehendentes, & in illis se quomodolibet immiscentes, similiter summarie, etiam via executiua, ac per censuras & pœnas ecclesiasticas, in Iulij Secundi & Iulij Tertij prædecessorum, & aliorum Romanorum Pontificum similiter prædecessorum nostrorum constitutionibus desuper editis contentas, & alias, iuxta huiusmodi constitutionum tenorem, sine tamen præiudicio facultatum eiusdem Cameræ generali Thesaurario, super fructibus male perceptis concessarum, & competentium, etiam procedendi, auctoritate & tenore præfatis concedimus.

Portionem consuetam panis, &c. necnon salaria, regalia & solita emolumenta concedit.

§. 7. Necnon eidem Commissariatus officio, vt præfertur erecto pro eius dote, & illud pro tempore obtinentis substentatione portionem panis, vini, esculentorum, & aliarum rerum per ipsius Cameræ Commissarium generalem pro tempore existentem, dietim ex Palatio Apostolico percipi, & ei præstari solitam, cum ea integritate, qua ipse illam percipiebat, & percipere poterat, necnon omnia & singula iura, regalia, salaria, redditus, prouentus, exemptiones, immunitates, & emolumenta quæcumque, ordinaria & extraordinaria quomodolibet nuncupata, quæ dictus Commissarius pro tempore existens, quocumque titulo vel causa, ac vndecumque & quomodocumque habere, consequi, lucrari, frui, potiri, percipere consueuit, seu etiam potuit & debuit, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, & annui valoris sint vel fuerint eisdem auctoritate & tenore etiam perpetuo applicamus & appropriamus.

Referendarii vtriusque signaturę, it. ill. Commissarii creat, & Referendariorũ & Familiarium, necnon & clericorũ, & cameralium priuilegia Commissario tribuit.

§. 8. Ipsumque Commissarium pro tempore existentem in nostrum & Rom. Pont. pro tempore existentis, verum, indubitarum, & non fictum familiarem, & continuum Commensalem domesticum, ac vtriusque Signaturæ nostræ Referendarium, auctoritate & tenore similibus creamus & constituimus, ac deputamus, aliorumque nostrorum & pro tempore existentis Rom. Pont. familiarium, continuorum commensalium, ac Prælatorum domesticorum & vtriusque Signaturæ præfatæ Referendariorum numero & consortio fauorabiliter aggregamus, ac pro vero, indubitato, & non ficto, nostro & pro tempore existentis Rom. Pont. familiari, continuo Commensali & Prælato domestico, ac vtriusque Signaturæ huiusmodi Refendario, haberi, & reputari volumus & mandamus; sibique in quibuscumque impetrationibus, concessionibus, & literis, tam gratiam quam iustitiam concernen. se nostrum & pro tempore existentis Rom. Pont. familiarem, continuum Commensalem & Prælatum domesticum, ac vtriusque Signaturæ huiusmodi Refendarium, nominare & inscribere, ac ab aliis nominari & inscribi facere, habitumque & insignia Referendariorum vtriusque Signaturæ huiusmodi gestare & deferre, ac in vtraque signatura continuo interuenire & assistere, necnon omnibus & quibuscumque præfata ac prorsus similibus priuilegiis, præeminentiis, indultis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, honoribus, antelationibus, prærogatiuis, fauoribus, concessionibus, & gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus ceteri familiares, continui Commensales, ac Prælati & Referendarij præfati, necnon dictæ Cameræ Clerici Præsidentes, & alij Camerales, de iure, statuto, consuetudine, vel aliquo speciali priuilegio, seu alias quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum, tam in iudicio quam extra vbicumque locorum, absque vlla prorsus differentia, non ad illorum instar, sed pariformiter & æque principaliter, in omnibus & per omnia, acsi illa officio Commissariatus huiusmodi, illudque pro tempore obtinenti, specialiter & expresse per præsentes concessa fuissent, vti, potiri, & gaudere.

Indultum tricæ pensionũ tribuit.

§. 9. Necnon vt quicumque loci Ordinarius, seu vtriusque, vel alterius signaturæ huiusmodi Referendarius, aut Metropolitanus, vel alterius Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, seu persona in dignitate ecclesiastica constituta ad id per ipsum Commissarium pro tempore existentem, eligendus seu eligenda, quascumque pensiones annuas super quarumuis mẽsarum Episcopalium vel Archiepiscopalium seu aliarum Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, Prioratuum, dignitatum, aliorumque beneficiorũ ecclesiasticorum, cum cura & sine cura, sæculariũ & quorumuis Ordinum regulariũ fructibus, redditibus,

Digitized by Google

prouentibus, iuribus, obuentionibus, emolumentis, ac distributionibus quotidianis, seu illarũ loco fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones, emolumenta, & distributiones huiusmodi, eidem Commissario pro tempore existenti, Apostolica auctoritate reseruatas & reseruata, vsque ad summam quingentorum ducatorum auri de Camera, in dicta Curia vel extra eam, etiam in mortis articulo de ipsius Commissarij pro tempore existentis expresso consensu, cassare & extinguere, ac postquam cassatæ, seu cassata fuerint, alias similes pensiones annuas super eisdem fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, obuentionibus, emolumentis, & distributionibus, seu fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones & emolumenta huiusmodi, vsque ad summam præfatam, vni vel pluribus personis ad id per eum nominandis, & quæcumque, quocumque, & qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus, eisdem modo & forma, ac cum clausulis, decretis, & ordinationibus, quibus ipsi Commissario pro tempore existenti reseruatæ, seu reseruata fuerint, etiam absque consensu soluere habentium pensiones, seu obtinentium Ecclesias, Monasteria, Prioratus, dignitates, & alia beneficia huiusmodi, dicta auctoritate reseruare, constituere, concedere & assignare, ac etiam transferre, libere & licite valeat; reseruationesque & translationes pensionum, seu fructuum, reddituum, prouentuum, iurium, obuentionum, & emolumentorum huiusmodi, vigore præsentium facien. valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant in omnibus & per omnia, perinde ac si per nos, seu pro tempore existentem Rom. Pont. de consensu soluere habentium pensiones, seu obtinentium Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Præposituras, dignitates, & alia beneficia huiusmodi factæ fuissent, auctoritate & tenore præfatis, concedimus & indulgemus.

Habitum & locum in camera, & actibus cameralib. Visitationibusq; carcerum, & capella, & consistorio, & aliis actu publicis assignat.

§. 10. Insuper statuimus & ordinamus, quod officium commissariatus huiusmodi pro tempore obtinens, in Camera præfata, aliisque actibus Cameralibus, & carcerum visitationibus, habitum per Clericos, Præsidentem, & alios Prælatos Cameræ deferri solitum gestare, & in Camera præfata immediate post ipsum Præsidentem, ac in carcerum visitationibus, post Clericum carcerum Præsidem, in Capella autem Pontificia, & Consistoriis publicis, necnon processionibus, equitationibus, aliisque actibus, tam publicis quam priuatis in loco Palatij Apostolici Auditoribus, ac dictæ Cameræ Clericis assignato immediate post illos sedere & incedere debeat.

Hodie non interuenit Visitationibus carcerum.

Resignandi facultatem concedit.

§. 11. Dictumque officium Commissariatus in fauorem cuiuscumque personæ, vt præfertur qualificatæ, quandocumque sibi placuerit resignare, ac resignationis huiusmodi receptio vel admissio, per Roman. Pontif. ex quauis causa denegari vel differri, neque pro signatura concessionis eiusdem, per huiusmodi resignationem vacantis quicquam vltra summam centum florenorum auri de Camera ab eo cui de illo sic vacante prouidebitur exigi possit; quodque literæ Apostolicæ super supplicatione concessionis dicti officij Commissariatus conficiendæ, etiam si in ea de officio Referendariatus huiusmodi nulla esset facta mentio, nihilominus expediantur, tam in Cancellaria præfata quam per Cameram secretam, cum expressione concessionis dicti officij Referendariatus; neque possit aut debeat, per nostrum & pro tempore existentis Rom. Pont. Datarium, seu quemcumque alium pro signatura huiusmodi supplicationis, licet vim concessionis duorum officiorum, Commissariatus videlicet, & Referendariatus huiusmodi habeat, aliquid vltra id quod superius est expressum, omnino exigi, sed sicut per concessionem Commissariatus venit pariter concessio Referendariatus officiorum huiusmodi, sic per vnicam solutionẽ signaturę suprascriptam sit integre satisfactum, quasi de vnica concessione.

Expeditiones eo Commissario gratis fieri iubet.

§. 12. Vlterius, quod omnes & singulæ literæ Apostolicæ sub plumbo, ac etiam in forma breuis, tam super præsentibus quam aliis quibuscumque gratiis, indultis, facultatibus, & concessionibus, tam gratiam quam iustitiam concernen. per præfatum Commissarium pro tempore existentem, à nobis & successoribus nostris, ac Sede præfata pro tempore impetratis, seu etiam Motu simili concessis, omnibus & singulis Cancellariæ Cameræ, & Curiæ præfatarum officiis, necnon plumbo & regiſtro, ac vbilibet gratis, & absque annatarum communium, iocalium, & aliorum quorumcumque iurium & taxarum solutione, ad instar Clericorum eiusdem Cameræ expediri, & Rescribendarius ad taxandas literas apostolicas, cum subscriptione gratis pro persona Commissarij generalis Cameræ Apostolicæ suscribere, & tam ipse quam alij Scriptores, Abbreuiatores, & Sollicitatores literarum Apostolicarum, necnon Cubicularij, scutiferi, & quicumque alij dictæ Curiæ officiales expeditioni literarum huiusmodi pro tempore Præsidentes & Ministri, etiam in annaris communibus, iocalibus, & aliis iuribus Cameræ huiusmodi participantes, easdem literas personam dicti Commissarij concernente, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac priuationis & suspensionis suorum officiorum, necnon perceptionis emolumentorum eorumdem pœnis per eos ad quos pertinuerit, & qui eas gratis subscribere vel concedere noluerint, eo ipso incurrendis, absque alio nostro aut successorum nostrorum, & Sedis præfatæ vlteriori mandato, omnino gratis & absque aliqua annatarum, iocalium, vel aliorum iurium prædictorum solutione & exactione, in omnibus & per omnia vsque ad plumbum, & alia necessaria inclusiue omni contradictione cessante expediri, ac subscribi & expediri facere & permittere debeant & teneantur.

Ioffredo Lomellino vtr. Sign. Referendario, officium Commissariatus, cum iurisdictionibus & emolumẽtis præditum ad eius vitam concedit.

§. 13. Vt autem officium Commissariatus huiusmodi viro idoneo, qui rebus ad illud pertinentibus iugiter incumbat, cuiusque virtus & industria nobis præcipue sit cognita quanto citius concedatur, de dilecti filij magistri Ioffredi Lomellini Clerici Ianuensis V. I. D. & in vtraque Signatura nostra Referendarij, ac Prælati nostri domestici, summa fide, integritate, probitate & doctrina plurimum in Domino confidentes, ipsumque Ioffredum à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, siquibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes & absolutum fore censentes, necnon erectionis & institutionis Commissariatus generalis, ac quorumcumque aliorum officiorum prædictorum, necnon priuilegiorum, indultorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, & aliarum gratiarum, illis ac eorum singulis concessorum, & inde secutorum quorumcumque tenores, iuriumque regalium, salariorum, taxarum, emolumentorum, portionum panis & vini, esculentorum & aliarum rerum per pro tempore existentes Commissarios generales dictæ Cameræ percipi solitorum, & eis debitorum qualitates, quantitates, denominationes, & veros etiam annuos valores, præsentibus pro expressis habentes, Motu simili eidem Ioffredo officium Commissariatus huiusmodi à primæua eius erectione sic vacans, per eum quoad vixerit, ad instar aliorum officiorum Sedis, & Curiæ prædictarum tenendum, regendum, & gubernandum, cum portione panis & vini, esculentorum, & aliarum rerum ex dicto Palatio, vt præmittitur, percipi solita, ac aliis illi annexis, necnon omnibus & singulis iuribus, iocalibus, regalibus, sportulis, taxis, prouentibus, obuentionibus, honoribus, emolumentis, priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, præeminentiis, antelationibus, prærogatiuis, iurisdictionibus, fauoribus, gratiis, indultis, & facultatibus suprascriptis, & quibuscumque aliis Commissariis generalibus dictæ Cameræ Apostolicæ hucusque concessis & assignatis, auctoritate & tenore prædictis, concedimus & assignamus; ipsumque Ioffredum ad officium Commissariatus huiusmodi, eiusque liberum exercitium, ac omnia & singula supradicta, ex nunc recipimus & admittimus, ac per eos ad quos spectat, & pro tempore spectabit recipi & admitti, receptum & admissum, in eis quoad vixerit manuteneri, sibique de eisdem integre responderi debere volumus & mãdamus.

Hodie conceditur ad nutum Papæ, non autem ad vitam.

Clausulæ præseruatiuæ.

§. 14. Decernentes præsentes literas nullo vnquam tempore, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quouis defectu, etiam ex eo quod interesse forsan habentes ad id vocati non

Digitized by Google

non fuerint, vel ex quauis alia causa quantumuis legitima, vrgenti & iuridica, etiam necessario exprimen. notari, impugnari, inualidari, ad terminos iuris reduci, in controuersiam reuocari, aut aduersus illas quodcumque iuris, facti, vel gratiæ remedium impetrari posse, minusque sub similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & eum in quo antea quomodolibet erant statum, restitutas, repositas, & plenarie, etiam sub quacumque data per Ioffredum eiusque hæredes ac successores prædictos eligenda, reintegratas, ac de nouo concessas, validasque & efficaces fore & esse, vimque validi & efficacis contractus, inter nos & ipsam Cameram ex vna, ac Ioffredum eiusque hæredes & successores prædictos ex altera partibus, rite & recte initi & stipulati; ac etiam vtrimque iurati habere, & perpetuo obtinere, dictamque Cameram Ioffredum, eiusque hæredes & successores prædictos in iuril us huiusmodi tuendos, & ab omni incommodo, damno, læsione, lite, causa, & controuersia immunes, indemnes, & exemptos conseruandos, teneri ac obligatam esse & fore.

Decretum irritans.

§. 15. Sicque & non aliter, per quoscumque Iudices & ordinarios vel delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari & definiri debere, necnon irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum & defensorū deputatio & facultates.

§. 16. Quocirca venerabilibus fratribus Amerin. & Materan Episcopis, ac dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, Motu simili per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Ioffredi, eiusque successorum prædictorum, vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in prædictis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit inuiolabiliter obseruari, ac Ioffredum eiusque hæredes & successores prædictos illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes ipsos vel eorum quempiam per quoscumque desuper quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet & rebelles, per sententias, censuras & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

Clausula derogator.

§. 17. Non obstantibus præmissis, ac de præstando consensu in pensionibus, & iure quæsito tollendo, &c. & gratiis ad instar non concedendis, aliisque Cancellariæ Apostolicæ regulis editis, ac etiam in crastinum assumptionis cuiusque Romani Pontificis ad summi Apostolatus apicem edendis, necnon fel. record. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, qua cauetur, ne quis extra suam Ciuitatem vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur, seu Iudices à Sede prædicta deputati, extra Ciuitatem vel diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alij vel aliis vices suas committere præsumant, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, necnon quatenus opus sit recol. mem. Simmachi & Innocentij Tertij, ac Pauli Secundi, & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, ac etiam in nostris, de rebus Ecclesiæ, seu Cameræ & Sedis prædictarum non alienandis, necnon super reformatione, numero, & qualitatibus dictorum Referendariorum, aliisque constitutionibus & ordinationibus, tam Apostolicis quam in Prouincialibus, Synodalibus & Generalibus Conciliis, specialiter vel generaliter, contra præmissa vel eorum aliqua quomodolibet editis & edendis, necnon Ecclesiarum & Monasteriorum, in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, ac Ordinum, Militiarum, & Hospitalium, etiam quorum illa extiterint, necnon Cameræ Vrbis, officiorum, & Collegiorum prædictorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, vsibus, naturis, stabilimentis, & etiam nouis reformationibus; priuilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, & literis Apostolicis illis, eorumque præsulibus, Capitulis, Conuentibus, Officialibus, Appaltatoribus, & quibusuis aliis personis, etiam per modū statuti, ac iniri & stipulati contractus, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in specie, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & Sedem Apostolicam, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, ac quantocumque tempore innouatis. Quibus omnibus, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma de hoc seruanda esset tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent; præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Sanctio pœnalis.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum erectionis, institutionis, concessionum, applicationis, appropriationis, creationis, constitutionis, deputationis, aggregationis, voluntatis, mandatorum, indulti, statuti, ordinationis, absolutionis, receptionis, admissionis, declarationis, donationis, remissionum, obligationis, hypothecationis, condonationis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ, 1586. quarto Idus Octobris, Pontificatus nostri anno 2.

D. P. An 2. 12. Octobris.

Die 7. Ianuarij 1587. suprascripta litera Apostolica præsentata fuerunt in plena Camera Apostolica, & successiue admissa ac registrata lib. primo signaturarum S.D.N. penes me infrascriptum dictæ Cameræ Not.

Admissio & registratio in Cam. Apost.

Tydeus de Marchis.

Damnatio contractuum Societatis, securitatem capitalis, aut certam responsionem, aut aliter vsurariam prauitatem continentium. XLV.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Edita An. D. 1586.

Compendium pactorum illicitorum, quæ in contractibus societatis apponi contingit.

DEteſtabilis auaritiæ ingluuies, & insatiabilis lucrandi cupiditas maiorum omnium radix, vsque adeo excæcat mortalium mentes, vt multi auide lucro inhiantes, in laqueos & insidias diaboli misere incidant; irrepit enim versute & callide antiquus humani generis hostis per varios dolos & fallacias, & incautos homines quæstus dulcedine captos ac delinitos opprimit, atque eo perducit, vt se ipsos in vsurarum voraginem, Deo hominibusque odiosam, sacris canonibus damnatam, & Christianæ charitati contrariam fœde immergant, & dum vanas & terrenas diuitias quærunt, veras ac cœlestes amittant, sicuti nuper cum magno dolore audi

audiuimus, hoc malum in quasdam Prouincias peruasisse. Nam multi speciosum & honestum societatis nomen, suis fœneratitiis contractibus prætexendo, hoc quasi colore & fuco, mercatoribus, opificibus, negociatoribus, & aliis personis, super eorum mercibus, officinis, tabernis pannariis, aliisque rebus ac bonis, pecunias suas, aut alias res societatis nomine conferunt; vel greges, armenta, aut certa animalia agricolis, seu terrarum cultoribus, pastoribus, aliisque rusticis, seu quibusuis personis dant in societatem siue ad soccidam, vt vocant, ea conditione, vt sors ipsa, seu caput, quod vulgo dicitur capitale, tam pecuniarum quam animalium & rerum, saluum semper & integrum existat pro eo, qui non industriam aut operas, sed pecunias, animalia, aut res huiusmodi in societatem confert, vtque omne periculum & damnum ab altero socio recipiente sustineatur, contra æquitatem & societatis iustitiam diuersimode paciscuntur; eosdemque socios cum quibus contrahunt, plerumque pauperes & egenos, suoque labore & industria victitantes, ad sortem seu capitale restituendum, quicumque tandem casus, & rerum euentus consequatur, pacto & obligatione obstringunt, simulque etiam certam lucri quantitatem & summam, veluti tot pro quolibet centenario, in singulos annos aut menses per alterum socium, durante societate soluendam, præfiniunt ac præscribunt; eamque summam & quantitatem non subductis rationibus accepti & expensi, quod in codices seu tabulas societatis referri solet, neque facto calculo vel computo, pro ipsius lucri vel damni modo variabilem, sed laborem & curam computandi & calculandi se inuicem remittere & renunciare asserentes, quouis tempore certam constituunt.

Damnatio illicitarum pactionum in societatibus apponendarum.

§. 1. Proinde nos qui hoc potissimum munus, nostræque pastoralis solicitudinis maxime proprium arbitramur, vt gregem Dominicum fidei nostræ creditum ab offensione, & æternæ vitæ discrimine tutum, in viam salutis, cœlesti gratia adiutrice, dirigere nitamur, huiusmodi morbi contagionem antequam in communem fidelium perniciem latius serpat, quantum Deo fauente possumus, tollere cupientes, de attributæ nobis Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione damnamus & reprobamus omnes & quoscumque contractus, conuentiones, & pactiones posthac ineundos seu ineundas, per quos seu quas cauetur personis, pecunias, animalia, aut quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, vt etiam si fortuito casu quamlibet iacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, sors ipsa seu capitale semper saluum sit, & integrum à socio recipiente restituatur, siue vt de certa quantitate vel summa in singulos annos aut menses, durante societate respondeatur. Statuimusque huiusmodi contractus, conuentiones, & pactiones, vsurarios & illicitos posthac censeri debere; atque in posterum non licere iis, qui pecunias vel animalia, aut alias res in societatem tradent, de certo lucro, vt præfertur, percipiendo, inter se pacisci & concordare; neque etiam, siue ad certum siue ad incertum lucrum conuenerint, socios qui ea recipient, ad sortem seu capitale saluum & integrum, vbi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum, quouis pacto aut promissione sibi obligare. Ac ne de cetero societates ineantur sub huiusmodi pactis & conditionibus, quæ vsurariam prauitatem sapiunt, districte interdicimus & prohibemus.

Forma societatum de cetero contrahendarum.

§. 2. Sed potius cuncti nouerint societates huiusmodi, cum in posterum vnus pecuniam, animalia, aut alias res & bona, alter vero operam vel industriam confert, pure, sincere, & bona fide sicut decet, iustis & æquis conditionibus & pactis, secundum iuris dispositionem, ac sine vlla prorsus fraude, palliatione, aut vsurariæ prauitatis labe aut suspicione, ineundas seu contrahendas esse; ita vt non ad certam summam aut quantitatem, ab omni periculo & damno, vt præfertur immunem, lucri nomine persoluendam, neque ad capitale, si casu fortuito perit, restituendum, socius accipiens teneatur. Si vero finita societate ipsum capitale extat, ei qui illud in societatem contulerit, restituatur, nisi socio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipsos contrahentes, super eo legitime conuentum sit. Ac præterea iidem contrahentes, fructus, expensas & damna in commune conferant, & prout æquum & iustum fuerit, sibi communicent atque diuidant.

§. 3. Decernentes, siqui contractus, conuentiones, & pactiones in futurum contra nostram huiusmodi prohibitionem de facto initi fuerint, nullam ex eis, tamquam per hanc eamdem constitutionem nostram, damnatis & reprobatis, etiamsi iuramento, aut in forma Cameræ Apostolicæ, vel alias quomodolibet roborati fuerint, obligationem ciuilem aut naturalem oriri, nullamque actionem realem aut personalem, aut iudicis officium, neque aliud quodcumque ius cuiquam competere, neque quo ad sortem, seu capitale integrum recuperandum, quo casu fortuito perierit, aut amissum erit, neque quoad certas summas & quantitates in singulos annos aut menses lucri socialis nomine promissas.

Contrauentium pœna.

§. 4. Siqui vero in posterum sub prædictis conditionibus & pactis contrahere temere præsumpserint, aut prætextu similium contractuum, conuentionum, & pactionum societatis nomine initorum, qui hucusque durant, ad exactionem, dictæ sortis, seu capitalis, siue illius pretij & valoris, postquam illud in toto vel in parte casu fortuito perierit, aut amissum sit, aut certæ summæ vel quantitatis annuæ, aut menstruæ sibi promissæ in futurum, procedere ausi fuerint, eos vniuersos & singulos in pœnas contra manifestos vsurarios & fœneratores, à sacris Canonibus & Conciliis generalibus latas & promulgatas, eo ipso incurrere, & contra illos, vti manifestos vsurarios & fœneratores, via iuris, aliisque opportunis remediis procedi posse & debere.

Decretum irritans.

§. 5. Sicque ab omnibus censeri, & ita quoad præmissa vniuersa & singula per quoscumque Iudices & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apost. Auditores, ac Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari & definiri debere, necnon irritum & inane, si secus super his per quoscumque quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio & facultates executorum huius const.

§. 6. Mandamus vero vniuersis & singulis locorum Ordinariis, per quascumque Prouincias & Regna Christiani Orbis constitutis, & quibusuis nostris & Sedis Apostolicæ, eriam de latere Legatis ac Vicelegatis, ceterisque officialibus, præsertim Prouinciarum & locorum Status nostri Ecclesiastici, vt in suis quisque Ciuitatibus, diœcesibus, Prouinciis & locis præsentem nostram constitutionem publicari, & inuiolate obseruari curent, & contra personas, quæ in futurum, præter & contra prohibitionem hanc nostram pacisci, aut exigere ausæ fuerint, tamquam publicos vsurarios & fœneratores per viam accusationis vel denunciationis, aut inquisitionis, & ex mero officio, prout eis videbitur, procedant, reosque culpabiles repertos, condignis pœnis, vt supra dictum est, afficiant; inuocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

Clausula derogat.

§. 7. Non obstantibus quatumcumque Ciuitatum, Prouinciarum & locorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis, quorumcumque tenorum existant, siue per modum constitutionis & legis perpetuæ quomodolibet concessis, eriam sæpius approbatis & innouatis; quæ omnia nolumus cuiquam de cetero suffragari.

Iussio publicandi hanc bullam.

§. 8. Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam deducantur neue aliquis earum ignorantiam prætendere valeat, volumus vt illæ in valuis Basilicarum Principis Apostolorum de Vrbe, & S. Io. Lateranen. & Cancellariæ Apostolicæ, atque in acie Campi Floræ, per aliquem ex nostris cursoribus de more publicentur, dimissis & affixis earum exemplis in acie & valuis prædictis.

Fides transumptorum.

§. 9. Earumque transumptis etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra illud, vbique gentium & locorum habeatur quæ eisdem originalibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo, &c.

Dat.

Digitized by Google

D. P. An. 2. die 21. Octob. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, 12. Kal Nouembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, indictione 14. die vero primo 25. menſis Octobris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno eius 2., retroſcripta litera Apoſtolica, lecta, & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ in portis ſeu valuis Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis, & Sancti Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ & in acie Campi Floræ per nos Claudium Mongeat, & Nicolaum Tagliettum Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſores.*

Alex Parabiac. Mag. Curſ.

XLVI. De temeraria tori ſeparatione, ac publicis adulteriis, ſtupris, & lenociniis, in quibuſdam caſibus ſeuerius in Alma Vrbe puniendis.

Quoad lenocinia, & ſtupra in Vrbe contingentia vide etiam in Pauli IV. conſt. 18. ſup. Sanctiſſimus.

Quo vero ad incæſtus qui in ſtatu Eccleſiaſtico euenirent habes infra in conſt. 54. *Volentes.*

Edita An. D. 1586. SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. AD compeſcendam quantum in nobis eſt, carnis in laſciuiam prolabentis petulantiam, præcipue vero continendos in officio ſanctiſſimis pudicitiæ & honeſtatis legibus ſubditos noſtros, libenter omnem curam & ſolicitudinem adhibemus. Nam & hoc ipſum arbitramur paternæ charitatis & prouidentiæ proprium, maximeque congruum munus, exquiſita quadam diligentia, noua quotidie remedia & ſubſidia comparare, quibus à Chriſti fidelibus peccati & ſcandali occaſionem, Domino adiuuante, ſubmoueamus; & occurrendum eſt vehementiori ſtudio, vt nequaquam inoleſcant in publicæ honeſtatis dedecus pudoris, & Chriſtianæ diſciplinæ detrimentum, ac animarum perniciem, grauiorum quorumdam flagitiorum corruptelæ, quale eſt adulterium, diuinis humaniſque legibus damnatum, præſertim ſi publico ſcandalo impudenter committatur, per quod ſanctum matrimonij fœdus, Deo auctore, iunctum ſacrilege violatur, cum tamen illud oporteat caſte & religioſe cuſtodiri, dicente Apoſtolo: Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus ac coniuges mutua ſe debeant charitate diligere, eodem Apoſtolo monente: Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam & ſe ipſum tradidit pro ea. Et iterum Mulieres ſubditæ eſtote viris ſicut oportet in Domino: Viri diligite vxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas.

Adulteriorũ execratio. §. 1. Inuigilandum quoque nobis eſt, vt auertamus à Chriſti fidelibus diuinæ maieſtatis iram, indignationem, atque flagella, quæ propter huiuſmodi fœda carnis peccata & ſcelera, in filios diffidentiæ, præſertim vero in violatores alieni tori grauiſſima diuinitus immitti ſolent, quemadmodum ſacrarum teſtimonio ſcripturarum, tum variis ſucceſſibus, permultiſque exemplis comprobatur, tum vel maxime ex iis, quæ Pharaoni Ægypti Regi, & Abimelech Regi Geraræ, quod Saram Abrahæ vxorem abduxiſſent, ſignis clarioribus euenerunt, præter æternæ damnationis pœnam, quam ijdem miſerabiliter incurrunt. Nam ſicut idem pronunciat Apoſtolus: Adulteros & fornicatores iudicabit Deus. Et ſi vlla vnquam tempora fuerunt, quæ iudiciorum, & legum ſeueritatẽ requirerent, certe hæc ipſa temporum conditio, qua nos Deus ad Eccleſiæ ſuæ gubernacula vocauit, hoc vel maxime expoſcit. Nam, vt eſt fragilis & fluxa mortalium natura, & ad malum prona, niſi diuina bonitas adiuuet, & eorum qui præſunt, frenum cohibeat: ita plurimis ab hinc annis propter nimiam ipſorum malitiam, deprauatamque peccandi conſuetudinem, & effrenatam audaciam, vitiorumque licentiam, improbi homines tantum ibi ſumpſerunt, vt ſperarent quicquid eis libitum eſſet, id ſe impune perpetrare poſſe. Igitur poſt repreſſam ſceleratorum audaciam, qui cædibus & latrociniis ditionem Eccleſiaſticam, atque adeo ſuburbana loca vexabant, nunc etiam in Vrbe, vt quod æque neceſſarium eſt inde ſumamus initium, corroboranda fides connubialis, comprimendæ publicæ præſertim mœchantium libidines, & alienis coniugiis inſidiantium impudens nequitia coercenda, legitimæ ſobolis honeſtæ propagationi conſulendum, & ſiqua diſſoluta aut dilapſa fluxerunt, ſeueris legibus vincienda ſunt; præcipueque curandum ne qui Ciues, aut incolæ ſanctæ huius, & ſacerdotalis Ciuitatis flagitiorum turpitudine, per varias machinationes & fraudes diabolico aſtu adinuentas polluantur, ſed ab eorum commercio praui abuſus & publicæ ignominiæ labes, noſtris potiſſimum temporibus exterminentur, & perpetuo exulent, ac potius hæc Alma Vrbis noſtra omni virtutum genere florens, pura & immaculata luceat ſplendore & munditia honeſtatis ſuæ, omneſque externas gentes ad ſui imitationem conuertat. Id enim poſtulat ipſius Vrbis ſanctitas & religio, quæ Sanctorum Apoſtolorum & innumerabilium Martyrum ſanguine conſecrata, atque adeo perfuſa eſt, vt quoquo pedem quis ponat, credere poſſit ſe venerandos eorum cineres calcare. Id præterea requirit dignitas ipſius Ciuitatis, quæ noſtra propria ſedes caput Orbis, & Religionis effecta, benigne excipit gremio ſuo quaſi communis patria omnes vndique nationes ex remotiſſimis regionibus, & vltimis terris ad eam confluentes. Id denique exigit communis vtilitas vniuerſi populi Chriſtiani vt obſtructo ore impiorum, aduenæ petentes hinc diſciplinam, mores, regulam, normamque viuendi, ſpiritualis ædificij non minus quam materialium operum ſtructuram admirentur, vtque aniſque exemplis meliores effecti ad ſuos reuertantur. Proinde ad ſeruandam inuicem inter coniuges perpetuæ fide & concordia ſocietatem & ad publicæ honeſtatis pudorem illibatè tuendum, ſuper infraſcriptis capitibus præſenti noſtra, in eadem Vrbe dumtaxat perpetuo valitura conſtitutione duximus prouidendum.

Cõiuges temere ſe à communi cohabitatione, & cõiugali toro ſeparantes Arbitrio Iudicis puniuntur. §. 2. Primum igitur cum matrimonium indiuidam vitæ conſuetudinem continere debeat, idque non ſolum naturali iure, ſed etiam diuino manifeſtius comprobetur, dum dicitur: Relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ & erunt duo in carne vna; & Chriſtus Dominus noſter in Euangelio ſubiungat: Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro; quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Ac denique teſtetur Apoſtolus: Sacramentum hoc magnum eſſe in Chriſto, & in Eccleſia. Et propterea nefas ſit coniuges fideles ſe propria voluntate, aut arbitrio à coniugali toro ſeparare, niſi ex cauſa à ſacris canonibus permiſſa, & auctoritate ac iudicio Eccleſiæ cognita & probata. Idcirco ne quis in poſterum huiuſmodi facinus impune committat, vel attentare audeat, Apoſt. auctoritate ſtatuimus, & ordinamus, vt coniuges, qui, quæue indiſſolubilem matrimonij nexum diuina lege copulatum contemnentes, ſine Eccleſiæ iudicio, ſeu Eccleſiaſtici iudicis ſententia, propria temeritate à communi cohabitatione diſceſſerint, aut ſe à coniugali toro ſeparare præſumpſerint, arbitrio iudicum pro exceſſuum grauitate puniantur.

Maritus Iudicis auctoritate à tori ſeparationem obtinens, & deinde impudicam vitam ducens, ita vt appareat, quod ſeparationem affectauit, vt luxurioſe viueret pœna vltimi ſupplicij plectatur. §. 3. Sed & ſi per ſententiam iudicis Eccleſiaſtici ſeparatio facta fuerit, ne ipſi coniuges ſactorum canonum, & publica iudicum auctoritate abutentes, delinquendi & adulteria commitendi occaſionem ſumant, ſtatuimus & decernimus, maritum qui dolo aut fraude, ſiue alia quauis occaſione vel cauſa, etiam ſecundum iuris Canonici diſpoſitionem, ſeparationem tori ab vxore ſua affectauerit, procurauerit, & obtinuerit, ſeque à cohibitatione vxoris cum effectu ſeparauerit, ac poſt à ſe abiectam vel amotam vxorem, pellicem vel concubinam palam induxerit & retinuerit, aut cum ſcortis & meretricibus, & aliis mulieribus impuram vitam duxerit, adeoque impudenter ſe volutauerit in cœno luxuriæ, & adulteriis, vt vel ex eo ſatis conſtet ipſum ad exercendam liberius libidinem ſuam ſe ab honeſtiſſimo matrimonij iugo exoluen-

Digitized by Google

di cauſam de induſtria quæſiuiſſe, pœna vltimi ſupplicij plectendum eſſe.

Vxor qua ſeparationem obtinuerit, impudiceque poſtea vixerit, & complura adulteria cõmiſerit, aut palam quæſtũ fecerit, eamdem pœnam incurrat.

§.4. Similiter vxorem, quæ inſtigante antiquo pacis & pudicitiæ hoſte, ſub prætextu morum, ſæuitiæ, furoris, vel inſaniæ, impotentiæ coeundi, maleficij, aut alterius canonici impedimẽti vel alicuius delicti marito ſuo obiecti, aut alias quoquomodo ſuſcitatis contra maritum diſcordiis ac diſſidiis, etiam ad id via iuris procedendo, ſubterfugium obedientiæ maritalis improbe exquiſierit, & frænum ac iugum viri ſui excutere, ſeque ab illo eximere procurauerit aut certe culpa ſua marito petendæ ſeparationis cauſam præbuerit, & poſtea quã à connubiali toro iudicio Eccleſiæ ſeparata extiterit, quaſi auctoritate legum & iudiciorum luæ luxuriæ explendæ occaſionem nacta, ſe ſcãdaloſæ & impudicę vitæ dederit, & complura, ac cum diuerſis perſonis adulteria pepetrauerit, aut ſe in prædam adulterorum turpiter commaculandam publice expoſuerit, ſiue palam quæſtum fecerit, eadem pœna vltimi ſupplicij puniri volumus.

Vxor qua ex aliquo loco, per Iudicem ſibi aſſignato aufugerit, & impudice vixerit, eadem pœna capitis puniatur.

§. 5. Quod ſi pendentibus huiuſmodi litibus & controuerſiis, ſuper ſeparatione vel diuortio, au ſubſecuta, vt præmittitur, tori ſeparatione, vxor ipſa arbitrio Iudicis, ad quẽ ſpectauerit in Monaſterio aliquo Monialium, aut certe in aliquo tuto, & honeſto loco, ſiue apud aliquas probas, honeſtas, & non ſuſpectas perſonas depoſita & collocata fuerit (ſuper quo etiam, vt id magna adhibita cautione, & ſine aliquo periculo aut ſuſpicione circumſpecte fiat, Iudicis ipſius conſcientiam oneramus) ſtatuimus vt ipſa vxor ſic depoſita & collocata, ſi è Monaſterio ſine licentia ſui Iudicis, violata clauſura exiuerit, ſiue à cuſtodia & cura, vel alio honeſto loco ſibi per Iudicem aſſignato, temerario auſu aufugerit, & vitam impudicam & inhoneſtam duxerit, eadem etiam pœna plectatur.

Ad hoc vide bullam Pauli III. ſup.

Qui vt virginem vel cõiugatam cognoſceret, patrem aut matrem vel tutorem, &c. carcerari fecerit, illãque ſtuprauerit vel adulterauerit eadem pœna plectatur.

§. 6. Præterea eum, qui virginem aliquam, aut alienam vxorem ſtupro, ſiue adulterio corrumpat aut polluat, eius patrem aut matrem, fratrem ſiue ſororem, aut maritum aliamue perſonam, ſub cuius cura, tutela, cuſtodia vel poteſtate illa exiſtit, prætextu cuiuſvis cauſæ ciuilis, criminalis, aut mixtæ, etam ad procuratoris Fiſci inſtantiam in carcerem detrudi, directe vel indirecte procurauerit, & ea occaſione deinde virginem illam ſiue vxorem alienam ſtuprauerit, aut adulteraverit, cum & is quoque ſuæ prauæ concupiſcentiæ explendæ cauſa, publica legum & Magiſtratuum poteſtatæ impudenter abutatur, & ſub colore iudicij, innocentes atque incautos opprimat, dicta quoque pœna ſtatuimus puniendum.

Parentes aut mariti ſuas filias, vel vxores ad palam luxurioſe viuendum, inducẽtes eadem pœna puniantur. Contra alios Adulteros, Lenones, & c antiqua iura ſeruentur.

§.7. Ac poſtremo etiam in patrem, matrem, aut virum, qui quæue ſuæ filiæ virginis pudorem, aut propriam vxorem in prædam alienæ libidinis tradiderit, & re ipſa proſtituerit, aut induxerit vt contra ius & fas ſtupra & adulteria, quæſtus aut alia quauis cauſa palam exerceat, pœna eadem volumus animaduerti.

Coniugata palam impudice viuentes reſipiſcant, alioquin pœnas prædictas incurrent.

§. 8. Antiquis tamen iuribus contra ceteros adulteros & adulteras, lenones & lenas, ac ſtupra & huiuſmodi facinora perpetrantes promulgatis, alias in ſuo robore permanſuris.

§. 9. Ceterum quamadmodum hac noſtra conſtitutione id nobis propoſitum eſt, vt ſiquos homines in poſterum, honeſtatis ac diuinæ legis interdum obliuio cœperit, eos ſaltim ſupplicij metus, à flagitiis ſceleribuſque deterreat; ita hodie tales nullos eſſe vehemẽter optamus. Quod ſiquæ, forte ſint coniugatæ, quæ palam impudice ac turpiter viuant, iis nouem dumtaxat dierum ſpatium, poſt huius conſtitutionis publicationem ad reſipiſcendum damus; intra quod tempus, ſi velint redire ad cor, venerabilem fratrem noſtrum Iacobum Epiſcopum Portuenſem Cardinalem Sabellum, noſtrum in prædicta Vrbe Vicarium, eius Viceſgerentem adire debeant, eiſque polliceri ſe deinceps pudicam vitam acturas, & aut cum ſuis viris cohabitaturas, aut honeſto in loco, vbi ab ipſis iudicibus, vt ſupra dictum eſt, collocatæ ſeu depoſitæ fuerint permanſuras. Quo termino elapſo, contra ſic vt ſupra delinquentes, ad pœnas prædictas omnino procedi mandamus.

Decretum irritans.

§.10. Decernentes ſic per quoſcumque iudicari debere, irritumque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Iudicum facultates procedendi cõtra delinquentes.

§. 11. Et nihilominus mandamus vniuerſis & ſingulis. dictæ Vrbis iudicibus ordinariis pro tempore exiſtẽtibus quibus contra reos talium criminum, aut quoad cauſas huiuſmodi iuriſdictio competit, vel in futurum competet, vt curent præmiſſa omnia iuxta præſentium literarũ continentiam & tenorem firmiter & inuiolate perpetuis futuris temporibus obſeruari, & contra criminoſos, ac delinquentes prædictos vtriuſque ſexus inquirant & procedant ac in eos iuxta præmiſſa culpabiles repertos, prædictis pœnis, vt ſupra diſpoſitum eſt, animaduertant, contumaces, rebelles, & inobedientes, eiſque auxilium, conſilium, vel fauorem quomodolibet præſtantes, per opportuna iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, inuocato etiam ac adhibitio, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Clauſule derogat.

§.12. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſt. dictæ Vrbis ſtatutis, reformationibus & cõſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſt. vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſt. Populo Rom. vel Curialibus, aut aliis perſonis, etiam Motu proprio & conſiſtorialiter, ſeu alias quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis, & quibuſlibet aliis indulgentiis, generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri & de quibus quorumque totis tenoribus habenda eſſet in eiſdem noſtris literis mentio ſpecialis. Quæ omnia nemini volumus aduerſus præmiſſa, in aliquo ſuffragari, atque illis ad effectum earumdem præſentium dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus; ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, vt ipſarum præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio & extra illud habeatur, quæ eiſdem originalibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Forma & effectus publicat. huius conſt.

§.13. Quodquæ eædem præſentes ad valuas Lateran. & Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarum, ac in acie Campi Floræ, de more publicentur, affixis & dimiſſis inibi earum exemplis, quodque poſt decem dies, ab huiuſmodi publicatione numerandos, ſtatim incipiant, vnumquemque arctare, perinde ac ſi perſonaliter omnibus intimatæ forent, cum non ſit veriſimile à quoquam id ignorari, quod tam patenter cunctis fuerit intimatum.

Sanctio pœnalis.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatutorum, odinationis, onerationis, decretorum, mandati, derogationis & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nquerit incurſurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1586. 3. Cal. Nouemb. Pont. noſtri Anno 2.

D. P. An. 2. die 30. Octob.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. 1586. indict. 14 die vero 3. menſis Nouembris. Pont. Sanctiſſ. in Chriſto patris & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. Anno 2. retroſcripta litera Apoſt. lecta affixa & publicata fuerunt, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſa in valuis ſeu portis Baſilicarum S. Io. Lateranen. & S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac Cancell. Apoſt. per nos Ioannem Burlurault, & Octauium Taliettum S. D. N. Papæ Curſ. necnon in acie Campi Florę, per eoſdem curſores.

Alex. Parabiacus Mag. Curſ.

Iuriſdictio Iudicis cauſarum, beneficialis confidentiæ & ſimoniæ, & cum eis connexitatem habentium, in Romana curia mouendarum, aut per appellationem à Iudicibus extra Curiam introducendarum. XLVII.

De eiuſmodi materiis attende extrauag. 2. Cum deteſtabile *Paul. II. de Simon. & conſt.* 85. *Pij IV.* Romanum. *ſup. to.* 2. *atque Pij V. conſt.* 85. Intolerabilis. *to.* 2. *cum ibi notatis, & etiam hic inf. conſt.* 61. Paſtoralis *vbi conſtitutiones dictorum*

Digitized by Google

tum Pij IV. & Pij V. extendantur ad Regnum Gallie.

Edita An. D. 1586.

SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium.

DIuina Dei prouidentia, quæ cunctorum fidelium cœtum per diuersa tribunalia statuit in rectitudine gubernandum, in supremo iustitiæ throno, meritis licet imparibus constituti, nunc in muneribus & officiis ad ipsius iustitiæ cultum instituendis, nunc pro personis idoneis ad illa assumendis, & condignis titulis decorandis, aciem nostræ mentis sedulo conuertimus, & quæ ad officiorum & personarum huiusmodi stabiliendam iurisdictionem, salubremque directionem pertinere noscuntur ne propter varios diuersorum Iudicum & Tribunalium concursus, & varias procedendi formas desuper dubitari contingat, ex pastoralis nostri officij debito constituimus, ac in his eiusdem officij nostri partes fauoral iliter impartimur; prout rerum & causarum circumstantiis debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Pij IV Pij V. constitutiones ipsa, sunt indicate hic in uiet.

§. 1. Cum itaque alias fel. rec. Pius Papa V. prædecessor noster omnium causarum confidentialium pro tempore mouendarum cognitionem & decisionem, ac literarum Apostolicarum à piæ mem Pio IV. etiam prædecessore nostro super huiusmodi confidentiis emanatarum, executionem sibi & successoribus suis reseruauerit & postmodum ob varias & cõtinuas pro tempore existen. Rom. Pont. in grauissimis & arduissimis totius Reipublicæ Christianæ negociis occupationes, causæ ipsæ in Rom. Cur. pro tempore motæ & introductæ per particularem Iudicem, ex delegatione Apostolica, audiri, decidi, & cognosci consueuerint, ipse autem Iudex nedum solo Rom. Pontificis nutu amouibilis, sed etiam sibi contra ordinarios collatores Episcopos, & alios superiores Prælatos hac confidentiali labe plerumque infectos, procedendi facultas præclusa existat, qui etiam in huiusmodi causarum prosecutione, vt plurimum delegantur, diuersæ simoniacæ prauitates, & aliæ illicitæ pactiones, quæ licet ex istis confidentiis resultent, seu illis mixtæ & coniunctæ sint, tamen à nonnullis prætenditur eas sub facultatibus præfato Iudici concessis, minime comprehendi, nec in illis ab ipso sine speciali Sedis Apost. rescripto posse procedi. Vnde fit vt modo ipsius Iudicis mutatione, quæ interdum contingit, nunc facultatum suarum angustia, ac etiam delinquentium cauillationibus & subterfugiis eiusdem Iudicis auctoritas sæpius illudatur, ac ea quæ ad purgandam hac contagione Dei Ecclesiam à dictis prædecessoribus sapientissime sunt sancita, vt plurimum debito effectu careant, in animarum perniciem, & scandalum plurimorum.

Erectio officij Auditoratus causarum cõfidentialium.

§. 2. Nos huiusmodis incommodis, pro nostri pastoralis officij debito obuiare cupientes, operæprecium fore duximus præfati Iudicis personã, speciali titulo & denominatione, illiusq; iurisdictionem ampliare, vt in tribunali suo, tum iudicia, tum cetera ad id munus pertinentia perpetuo stabiliantur, ac ad certum debitumque finem ordinentur, necnon literarum & constitutionum Pij Quarti & Pij Quinti prædecessorum huiusmodi, ac præfatorum aliorumque priuilegiorum, indultorum, gratiarum, & facultatum pro tempore existenti Iudici causarum confidentialium huiusmodi concessarum, ac sententiarũ desuper forsan latarum, & inde secutorum quorũcumq; tenores, necnõ litium & causarũ huiusmodi status & merita, nomina & cognomina collitigantium, præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione & certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, vnum officium Auditoratus generalis quarumcumque confidentialium, etiam simoniacam prauitatem, & quamcumque aliam illicitam pactionem inducentium, seu connexitatem aliquam cum confidentia habentium, rerumque omnium inde resultãtium, pro vno generali illarum Auditore, qui omnium & singularum causarum huiusmodi ordinarius Iudex existat, & officium ipsum ad eius vitam obtinere illudque in nostris & pro tempore existentis Romani Pontificis manibus quandocumque resignare, licite possit, ad instar aliorum Romanæ Curiæ & dictæ Sedis officiorum vacabilium & resignabilium, Apostolica auctoritate tenore præsentium, perpetuo erigimus & instituimus.

Emolumentorum & reddituum assignatio.

§. 3. Ibique sic erecto & instituto pro illius dote, decimam partem omnium & singulorum fructuum, reddituum, prouentuum, iurium, obuentionum, ac etiam distributionum quotidianarum, etiam solis præsentibus & diuinis officiis interessentibus dari, & per eos percipi solitarum, & aliorum quorumcumque emolumentorum, ac etiam pensionum annuarum, cum interuentu confidentiæ, vel alias simoniaca aut alia illicita pactione interueniente, seu quæ commissis confidentiis aliquam dependentiam vel connexitatem habeat, indebite perceptorum, ad quorum restitutionem quoscumque per ipsius Auditoris sententiã condemnari, etiamsi postmodum per alios Iudices causam fortasse reuideri, & dictam sententiam confirmari seu reformari, ac etiam super quibus, post litem desuper in officio huiusmodi intentatam, quomodolibet componi; vel alias concordari contigerit. Necnon omnia & singula alia iura, salaria, regalia, & emolumenta quæcumque, ordinaria & extra ordinaria, vndecũq; & quomodocumque prouenientia, etiam sportulas, vel alia quocumque nomine nuncupata, quæ Iudices causarum confidentialium huiusmodi in dicta Curia pro tempore deputati, quomodolibet, & quocumque titulo vel causa habere consequi, lucrari, & percipere consueuerunt, seu etiam potuerint ac debuerint, cuiuscumque qualitatis, quantitatis & valoris fuerint, auctoritate & tenore præsentis; etiam perpetuo applicamus & appropriamus.

Priuilegium omnium quæ veri familiares Pontificis continuique commensales Prælati domestici Sedisquæ Apost. notarij habent concessa.

§. 4. Necnon quod de cetero pro tempore existens Auditor prædictus, statim à die concessionis sibi de huiusmodi Auditoratus officio, dicta auctoritate factæ, sit & esse censeatur, noster & pro tempore existen. Rom. Pont. verus, indubitatus, & non fictus familiaris, continuus commensalis & Prælatus domesticus, ac dictæ Sedis notarius, aliorumque familiarium continuorum commensalium, nobis & dicto Rom. Pontifici in Palatio Apost. seruientium, ac Prælatorum domesticorum & eiusdem Sedis notariorum numero & consortio fauorabili aggregatus, ac pro vero, indubitato, & non ficto, nostro & pro tempore existentis Rom. Pont. familiari; continuo commensali & Prælato domestico, Sedisque huiusmodi notario haberi & reputari debeat, habituque & insigniis dictorum Prælatorum & notariorum per quamcumque personam in dignitate Ecclesiastica constitutam, quam ad hoc duxerit eligendam sibi recepto prius ab eo fidelitatis & obedientiæ soliro iuramẽto, exhibendis & conferendis, omnibusque & singulis ac professus similibus priuilegiis, præeminentiis, indultis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, facultatibus, honoribus, antelationibus, prærogatiuis, fauoribus, indultis, concessionibus & gratiis, tam specialibus quam temporalibus, quibus ceteri nostri & pro tempore existen. Rom. Pont. veri indubitati, & non ficti familiares, continui commensales, ac Prælati domestici, dictæque Sedis Notarij, etiam de numero participantium existentes, etiamsi habitum & rochetum notariorũ Sedis huiusmodi non deferat, de iure, statuto, vsu, consuetudine, vel aliquo etiam speciali priuilegio, aut alias quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, gaudere possint, & poterunt quomodolibet in futurum, in iudicio & extra, ac vbique locorum absque aliqua prorsus differentia non solum ad illorum instar, sed pariformiter & æque principaliter in omnibus & per omnia, perinde ac si eidem Auditori pro tempore existenti specialiter & expresse per præsentes concessa fuissent, sine tamen ipsorum Prælatorum domesticorum & notariorum de numero participantium præiudicio, vti, potiri, & gaudere libere & licite possit & valeat.

Iurisdictionis cognoscendi quascumque causas confidentiales, & ei concessio.

§. 4. Ipseque Auditor pro tempore existens omnes & singulas dictarum confidentiarum & simoniacam prauitatem, vel quamuis aliam illicitam pactionem inducentium, seu aliquam dependentiam vel connexitatem habentium, rerumque omnium inde resultantium causas huiusmodi in eadem Curia quomodocumque & qualitercumque ac alias quascumque personas, etiam Cardinalatus

Digitized by Google

nalatus honore, ac Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali dignitatibus fungentes, etiam per viam inquiſitionis, aut ex officio, ſeu Apoſt. delegatione, vel alias quomodolibet motas & mouendas, ac etiam quæ per viam appellationis à ſententiis definitiuis, vel interlocutoriis vim definitiuæ habentibus, per quoſcumque Iudices ordinarios vel delegatos, ac etiam dictæ Sedis Legatos vel Nuncios pro tempore latis & promulgatis, ad Sedem præfatam pro tempore interpoſitæ, ſeu reclamationis iudicialis aut nullitatis, ad Sedem eamdem hactenus deuolutæ ſunt, vel in poſterum deuoluentur, ita vt cauſæ appellationum huiuſmodi per eum ſolum cognoſci, nec alteri, niſi per commiſſionem in Signatura Gratiæ, vocato ipſo Auditore propoſitam, & manu noſtra ſignatam, committi poſſit, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu & figura iudicij, ſola veritate inſpecta, etiam manu regia, ac terminis ſubſtantialibus, qui de ſtylo ſeu ordinatione Palatij Apoſt. obſeruari conſueuerũt, penitus omiſſis, ac etiam quibuſuis appellationibus, nullitatibus, & aliis diffugiis prorſus ſemotis procedendo, vna cum omnibus & ſingulis earum inciden. dependen. emergen. annexis & connexis, ac etiam toto negotio principali, audien. cognoſcen. deciden. fineque debito terminan. etiã ſingulis diebus & horis, præterquam in honorem Dei feriatis; necnon ſuper omnibus & ſingulis confidentiis, etiam aliquam dependentiam vel connexitatem cum ſimoniaca vel alia illicita pactione habentibus, ſeu mixtis huiuſmodi, rebuſque omnibus inde reſultantibus, tam ad procuratoris fiſcalis dẽnunciationem & promotionẽ, quam etiam partium accuſationem, ſeu ex mero officio inquirendi, omneſque & ſingulas huiuſmodi confidentialem & ſimoniacam prauitatem, vel quamuis aliam illicitam pactionem inducentium, ſeu aliquam dependentiam vel connexitatem habentium, rerumque inde reſultantium cauſam, coram quibuſuis Iudicibus etiam Palatij Apoſt. cauſarum Auditoribus, inter quaſcumque perſonas motas & mouendas ad ſe & ſuum tribunal auocandi; ac omnes & ſingulos dictarum confidentiarum auctores, machinatores, conſcios, complices, & alios quos opus fuerit, ac ſua quomodolibet intereſſe putantes, etiam per edictum publicum, ſi ad eos tutus non pareat acceſſus, citandi, & conſtito ſibi quantum ſufficere videbitur de iudiciis, ad perſonaliter vel alias legitime comparendum, ſub excommunicationis, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, ac priuationis omnium & ſingulorum beneficiorum & officiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa & alia quæcumque in poſterum obtinenda, necnon pecuniariis aliiſque eius arbitrio, etiam iuxta demeritorum exigentiã corporis afflictiuis pœnis, monẽdi; eiſque ac quibuſuis iudicibus, tã ordinariis quam cõmiſſariis, etiam quacumque auctoritate fungentibus & functuris, ſub ſimilibus ſententiis, cenſuris, & pœnis tam in dicta Curia quãextra eam vbilibet inhibendi, detinentes quoſcũque libros, ſcripturas, computa, inſtrumenta, & alia documenta publica vel priuata dictarum confidentiarum, cauſas etiam vt præfertur mixtas quomodolibet concernẽtia ad illa exhibenda, necnon quoſlibet teſtes ad ſe examini ſubiiciendum, ac veritatis teſtimonium perhibendum, etiam ex officio, vel alias prout ſibi videbitur, per ſimiles cenſuras & pœnas cogendi & compellendi eoſque necnon contradictores quoſlibet & rebelles, ſententias, cenſuras, & pœnas etiam priuationis huiuſmodi incidiſſe, ſeruata forma Conc. Trid. declarãdi, auxiliumque brachij ſæcularis inuocandi; necnõ vnum Locumtenentem in huiuſmodi cauſis, cum ſimili vel limitata poteſtate, quoties ſibi videbitur conſtituendi & deputandi eumque reuocandi, ac alium eius loco ſubrogandi; necnon literas ſeu cõſtitutiones Pij IV. & Pij V. prædeceſſorum huiuſmodi ſuper dictis confidẽtiis editas, ac omnes & ſingulas ſententias in dictis cauſis confidentiarum, tam hactenus per illarum Iudices qui pro tempore fuerint latas, quam in poſterum per futurũ, Auditorem huiuſmodi, eiuſque ſucceſſores ac Locumtenentes ferendas, via executiua, nulla tela iudiciaria ſeruata, & quacumquẽ appellatione remota, ac alias iuxta literarum ſeu conſtitutionum præfatarum, ac etiam facultatum dictis iudicibus per Nos & prædeceſſores noſtros quomodolibet conceſſarum formam, continentiam & tenorem, plenarie & totaliter exequendi, & executioni demandandi; mandataque executiua & alia quomodolibet neceſſaria & opportuna decernendi & relaxandi; ac generaliter omnia & ſingula alia, quæ in præmiſſis omnibus & ſingulis quomodolibet neceſſaria & opportuna fuerint, facien. dicen. geren. exercen. mandan. decernen. ſtatuen. ordinan. & exequendi, plenam, liberam & omnimodam facultatem, poteſtatem & auctoritatem habeat & habere debeat.

Notariatus officij, ad Auditoratus officium præſicium applicatio & conceſſio.

§. 5. Et quòd officium notariatus earumdem cauſarum de cetero perpetuis futuris temporibus. ad meram & liberam pro tẽpore exiſten. Auditoris prædicti diſpoſitionem ſpectet & pertineat; ipſeque pro tempore exiſtens Auditor officium notariatus huiuſmodi, quod dilectus filius Proſper Vacca ad hoc à nobis deputatus ad præſens exercet, cum primum per ceſſum vel deceſſum aut priuationem vel amotionem dicti Proſperi, aut cuiuſuis alterius qui illud pro tempore quomodolibet obtinebit, aut alias quouis modo vacauerit, quibuſuis perſonis, de quibus ſibi videbitur per ſuas parentes literas, ſigillo officij ſui Auditoratus, gratis vel pro pretio repetibili concedere & aſſignare, ac ſoluta ſibi ſolita compoſitione reſignationis de dicto officio notariatus pro tempore facié. necnon perſonam cui officium ipſum notariatus pro tempore conceſſerit & aſſignauerit, ad illud illiuſque liberũ exercitium, abſque alia noſtra & pro tempore exiſtentis Rom. Pont. conceſſione & aſſignatione, recipere & admittere, ac per eos ad quos ſpectat & ſpectat & pro tempore ſpectabit, recipi & admitti, ac illi de ſolitis & conſuetis iuribũs & emolumentis reſponderi facere, libere & licite valeat, eiſdem auctoritate & tenore ſimiliter perpetuo ſtatuimus & ordinamus.

Auditoratus officij, in perſonam Alexandri Catalani Rom. vtriuſque Signat. Referendarij, cũ prædictis iuriſdictionib. emolumentis & priuil. collatio.

§. 6. Inſuper de dilecti filij magiſtri Alexandri Catelani Clerici Rom. IV. D. ac literarum Apoſtolicarum maioris præſidentiæ Abbreuiatoris, & in vtraque Signatura noſtra Referendarij, fide, integritate probitate & doctrina, nobis præcipue in iudicio exercendo & obeundo, cognita atque perſpecta, ſpecialem in Domino fiduciam obtinentes, ipſumque Alexan. à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectũ præſentium dumtaxat dumtaxat conſequen. harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, eidem Alexandro officium Auditoratus generalis cauſarum confidentialium, vel alias vt præfertur mixtarum, à primæua eius electione vacans huiuſmodi, per eum quoad vixerit ad inſtar aliorum officiorum Curiæ & Sedis prædictarum tenendum regendum & gubernandum, cum decima parte fructuum, reddituum, prouentuum, iurium, obuentionum, diſtributionum, & aliorum emolumentorum, ac penſionum indebite perceptorum & percipiendorum huiuſmodi, & aliis illi annexis, necnon omnibus & ſingulis iuribus, regalibus, vocalibus, ſportulis, taxis, prouentibus, obuentionibus, honoribus, emolumentis, priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus præeminentiis, antelationibus, prærogatiuis, iuriſdictionibus, fauoribus, gratiis indultis ac ded. officio Notariatus diſponendi, & illius reſignationes admitrendi, ceteriſque facultatibus ſupradictis, auctoritate & tenore ſimilibus, cõcedimus & aſſignamus, ipſumque Alexandrum ad officium Auditoratus cauſarũ confidentialium huiuſmodi, illiuſque liberum exercitiũ, necnon decimam fructuum, reddituum, prouentuum, iurium, obuentionum, diſtributionum, emolumentorum, & penſionum huiuſmodi partem ac iura, regalia, ſportulas, taxas, prouentus, obuentiones, honores, priuilegia, facultates, ceteraque omnia & ſingula ſupradicta, ex nunc recipimus & admittimus, ac per eos ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, recipi & admitti, receptumque & admiſſum in eis quoad vixerit manuteneri, ſibique de eiſdem integre reſponderi debere volumus & mandamus, &c.

Clauſula præſentatiua.

§. 7. Ac eaſdem præſentes literas nullo vmquam tempore, de ſubreptionis, vel obrepptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quouis alio defectu etiam ex eo quod intereſſe forſan habentes ad id vocati non fuerint, vel ex quauis alia cauſa quantumuis legitima & iuridica, etiam neceſſario

Digitized by Google

exprimenda notari, impugnari, inualidari ad terminos iuris reduci, in ius vel controuersiam reuocari, aut aduersus illas quodcumque iuris, facti, vel gratiæ remedium impetrari posse, minusque sub quibusuis illarum aut similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excepras, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & eum in quo antea quomodolibet erãt statum restitutas, repositas, & plenarie, etiam sub quacumque data, per Alexandrum eiusque successores præfatos eligenda, reintegraras & de nouo concessas, validasque & efficaces fore & esse, vimque validi & efficacis contractus, inter nos & Cameram ex vna, & Alexan. eiusque successores præfatos ex altera partibus, rite & recte initi & stipulati, ac etiam vtrimque iurati habere, & perpetuo obtinere, dictamque Cameram ad Alexan. & eius successores præfatos, in iuribus & aliis præfatis tenendos, & ab omni incommodo, damno, lesione, lite, causa, & controuersia immunes, indemnes, & exemptos conseruandos teneri & obligatos esse ac fore.

Decretum irritans.

§. 8. Sicque & non aliter per quoscumque Iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum Palatij Apost. Auditores, ac eiusdem S.R.E.Card. sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, necnon irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum & defensorum deputatio & facultates.

§. 9. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Amerin. & Marturanen. Episcopis, ac dilecto filio causarum Curiæ Cam. Apost. generali Auditori, Motu simili per Apost. scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut vnus eorum per se vel alium seu alios, præsentes literas & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Alexan. & eius in officio Auditoratus huiusmodi successorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas & in eis contenta huiusmodi, ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit inuiolabiliter obseruari, ac Alexandrum & successores præfatos illis pacifice frui & gaudere non permittentes, ipsos seu eorum quempiam, per quoscumque quauis auctoritate fungentes, desuper quomodolibet molestari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet & rebelles, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogat.

§. 10. Non obstantibus præmissis, & de certo nominatorum prædictorum numero; necnon quatenus opus sit, recol. mem. Symmachi & Innocentij Tertij, ac Pauli Secundi, & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiæ seu Cameræ & Sedis prædictarum non alienan. aliisque Apost. ac in prouincialibus, synodalibus, & generalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus, dictæque Cancell. regulis editis & edendis etiam de gratiis ad instar non conceden. eiusque & dictæ Cameræ, ac earum officiorum & collegiorũ, necnon Vrbis Romæ, illiusque Tribunalium & Curiarũ, etiam iuramento, confirmatione Apost. vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, stylis, vsibus, naturis, stabilimentis, & etiam nouis reformationibus, priuilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, & literis Apost. illis necnon ordinariis iudicibus & personis supradictis, & quibusuis aliis, etiam per modum statuti perpetui, initi & stipulati contractus, sub quibuscumqu etenoribus & formis ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus & aliis decretis, in genere vel specie, per quoscumque Rom. Pont. prædecessores nostros, ac nos & Sedem prædictam, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda esset; tenores huiusmodi acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata; inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit per literas Apost. non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum; & sanctio panalis.

§. 11. Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo pro tempore existentis Auditoris causarum confidentialium huiusmodi, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio & extra, vbique plena & indubia, eademque prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostentæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum; Anno incarnationis Dominicæ 1586. 3. Cal. Nouemb. Pont. nostri Anno 2.

D. P. An. 2. 1. Nouemb.

Die 7. mensis Ianuarij 1587. præsentes litera in Cam. Apost. præsentata, & per Reuerendissimum Fauentinum dictæ Camera Clericum, & Iudicem ex decreto ipsius Camera specialiter deputatum, citato prius R. P. D. Geoffredo Lomellino eiusdem Camera Commissario generali admissa & in libris Camera registratæ fuerunt.

Admissio & registratio in Cam. Apost.

XLVIII. Montis Alti Oppidi in Prouincia Marchiæ, in Ciuitatem sublimatio. Eiusque Collegiatæ Ecclesiæ in Cathedralem & Episcopalem erectio.

Pro huius Ciuitatis, aliorumque locorum d. Prouinciæ Scholaribus, Collegium in Ciuitate Bononiæ instituit idem Pont. vt infra in eius const. 89.

Inter.

SIXTVS PAPA V: Ad perpetuum rei memoriam.

Edita An. D. 1586.

Causa huius erectionis.

SVper vniuersas Orbis Ecclesias, eo disponẽte qui ciuitatis imperat, & cui omnia obediut, meritis licet insufficientibus constituti, leuamus in circuitu agri Dominici oculos nostræ mentis, more peruigilis pastoris inspecturi, quid Ecclesiarum ipsarum præsertim Cathedralium statui & decori congruat, & quid operis circa illas eorumque statum prosperum & felicem impendi debeat, & diuino fulti præsidio quo cuncta & æqua benignitate pro populorum suorum fidelium salute disponantur, ad ea quæ statui Ecclesiarum huiusmodi congruunt, nostri officij partes, salubriter & vtiliter intendere curamus, prout in Domino conspicimus expedire.

Montis Alti Oppidi, in multis commendatio, & separatio Montis Alti, &c. à diœcesi Asculana; Firmana, & Ripana.

§. 1. Sane cupientes Terram Montis Alti, Ripanæ diœcesis, quæ felicem nostris dedit ortum natalibus, vt in celeberrimo & eminenti loco sita, & muris vndique cincta est, & in qua sæcularis, & Collegiata Ecclesia S. Mariæ ad Collem elegantur constructa, & duas dignitates, & decem Canonicatus & totidem præbendas, ac Sacristiã aliaque ad cultum diuinum necessaria habens & duæ aliæ Ecclesiæ, vna scilicet S. Georgij & S. Petri & alia Oratorium nuncupata S. Nicolai, in qua Confraternitas sub inuocatione Sanctissimi Sacramenti canonice instituta reperitur, necnon domus circiter trecentæ nobiliter ædificatæ, ac plateæ lateribus stratæ existunt, ac singula quaque quarta Feria cuiuslibet Hebdomadæ emporium, ad quod ex omnibus locis circumuicinis fit magnus concursus, celebratur, & ex qua denique viri, & in Theologia, ac iure, & Medicina aliisque scientiis excellentes prodierunt, ac fæculatem ac Collegiatam Ecclesiam huiusmodi dignioribus titulis & nominibus decorare, habita super his cum fratribus nostris matura deliberatione & de illorum consilio, ad omnipotẽt

Det

Dei laudem & gloriam, ac eiusdem Beatæ Mariæ honorem, ac Christifidelium deuotionis augmentum, prædictam Montis Alti & Portulæ, ac Patrignonis, necnon Montis de Nouen. & Rotellæ ac Furciæ à dicta Ripan. necnon Montis Elpari, Communantiæ, ac Montis Monachi à Firmana, & denique Castagnoni Terras, seu loca aut Castra eorumque omnium Territoria ab Asculana diœcesi. quibus in spiritualibus subiectæ sunt, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo separamus, & dismembramus, illaque & eorum incolas, & habitatores, Ecclesiarum Rectores, Beneficiatos, Priores, & alia inibi beneficia Ecclesiastica obtinentes, ac Monasteria & domos fratrum, aliaque pia loca ab omni iurisdictione, potestate, & subiectione venerabilium fratrum nostrorum Ripan. Firman. & Asculan. Episcoporum, nunc & pro tempore existentium; necnon solutione decimarum eisdem Episcopis per eas debitarum, ac de cetero facien. perpetuo eximimus & liberamus.

Erectio in Ciuitatem & Episcopatum.

§. 2. Necnon Terram Montis Alti in Ciuitatem, & sæcularem Collegiatam Ecclesiam huiusmodi, in Cathedralem sub inuocatione eadem eiusdem B. Mariæ Virgini pro vno Episcopo Montis Alti nuncupando, qui iurisdictionem Episcopalem habeat, & exerceat in spiritualibus, cum mensa Episcopali, arca, sigillo, aliisque insignibus, honoribus, & priuilegiis, quibus alij Episcopi de iure vel consuetudine, aut alias quomodolibet in eisdem spiritualibus, vtuntur, potiuntur & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere quomodolibet poterunt in futurum, de simili consilio, auctoritate & tenore præmissis erigimus, & instituimus. Ac Ciuitatem & Cathedralem Ecclesiam, sic erectas, & institutas necnon Episcopum Montis Alti pro tempore existentem, ac ipsius Ecclesiæ Montis Alti capitulum, Sedi Apost. immediate subiicimus, & sub protectione BB. Petri, & Pauli Apostolorum subiicimus.

Dotis pro Episcopo assignatio.

§. 3. Eidemque Ecclesiæ sic in Cathedralem institutæ pro sua, seu mensæ suæ Episcopalis dotem, Monasterium B. Mariæ de Monte Sancto Ordine S. Benedicti dictæ Asculan. diœcesi. certo quem haberi volumus pro expresso modo vacan. similiter perpetuo vnimus, annectimus, & incorporamus, ac Siluam seu Tenutam Bonettini concedimus, necnon Terras, & Territoria pro diœcesi Montis Alti, illorum vero, necnon dictæ Ciuitatis Montis Alti Ecclesias, personas pro Clero, & habitatores pro populo, etiam perpetuo assignamus; vt eos quoad superioritatem & iura Episcopalia Montis Alti subesse, & tamquam membra capiti obsequentes de iuribus Episcopalibus respondere volumus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes ex nunc irritum & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſ. derog. & ſanctio pœnalis.

§. 5. Non obstantibus nostris de vnione committendis ad partes vocatis quorū interest, ac exprimen. vero valore, & de non tollen. iure quæsito, ac Lateranen. Conc. nouissime celebrati vniones perpetuas, nisi in casibus à iure permissis fieri prohibentis, ac aliis cōstitutionibus & ordinationibus Apost. necnon Ripan. Firman. & Asculā. Ecclesiarum, iuramento, & confirmatione Apost. vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apost. illarumque Præsulibus, Capitulis, & personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis, etiam Motu proprio, & consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habēda foret, illarum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceteris que contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c,

Dat. P. An. 1. 13 Decembr.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, octauo Calen. Decembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

XLIX.

S. Seuerini Oppidi in Prouincia Piceni in Ciuitatem ſublimatio, eiuſque Collegiatæ Eccleſiæ in Cathedralem & Epiſcopalem erectio.

Edita A. D. 1586.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Cauſa huius erectionis.

SVperna diſpoſitione, cuius inſcrutabili prouidentia incrementum ſuſcipiunt vniuerſa, pro Sedis Apoſt. excellenti præeminentia, dignum arbitramur in irriguo militantis Eccleſiæ agro nouas Epiſcopales Sedes, & Eccleſias plantare, vt per huiuſmodi nouam plantationem, ſingulorum Chriſtifidelium augeatur deuotio, diuinus cultus efflorcat, & animarum ſalus ſubſequatur, humiliaque loca dignioribus & eminentionibus titulis, ac condignis fauoribus illuſtrentur, vt propagatione nouæ Sedis, honoratique Præſulis aſſiſtentia & regimine, cum Apoſt. poteſtatis amplitudine, ac orthodoxæ fidei profectu & exaltatione, ipſi Chriſtifideles æternæ felicitatis præmium noſtri Redemptoris ineſtimabili charitate media valeant adipiſci.

Oppidi S. Seuerini commendatio.

§. 1. Sane cum Oppidum S. Seuerini in Agro Piceno Camerinen. diœc. inter cetera partium illarum Oppida ſatis inſigne ac percelebre, necnon benedicente Domino habitatorum, ac incolarum multitudine refertum exiſtat, ac dilecti filij illius Vniuerſitas & homines, pro eorum ac Oppidi huiuſmodi, necnon eius Cleri ſingulorumque habitatorum, & incolarum prædictorum decore, & amplitudine, ac diuini cultus incremento & animarum ſalute, Oppidum ipſum Ciuitatis nomine, & Cathedralis Eccleſiæ honore decorari ſummopere deſiderent, ijdemque Vniuerſitas & homines, pro ſæcularis & Collegiatæ Eccleſiæ dicti Oppidi, in qua vna dignitas, quæ inibi Principalis dignitas exiſtit, Prioratus nuncupata, ac ſex Canonicatus, & totidem præbendæ fore noſcuntur, ſi in Cathedralem Eccleſiam erigeretur, menſæ Epiſcopalis dote redditum annuum ſeu cenſum mille ſcutorum monetæ illarum partium decem iuliis pro quolibet ſcuto huiuſmodi computatis, ſuper Molendinis eiuſdem Oppidi, ad ipſos Vniuerſitatem & homines legitime ſpectantibus, aſſignare parati ſint.

Separatio d. Oppidi à diœc. Camerinen.

§. 2. Nos pium & ſalutare Vniuerſitatis & hominum propoſitum & deſiderium huiuſmodi volentes amplecti, illique fauere, ac cultum diuinum augere, & ſpirituali animarum profectui huiuſmodi, quem ex inde ſperamus prouenire, ſalubriter promouere intendentes, ipſoſque Vniuerſitatem & homines, ac eorum ſingulos à quibuſuis excomunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentiū dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, matura ſuper his cum fratribus noſtris deliberatione præhabita, necnon Vniuerſitate & hominibus præfatis, nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantibus, de eorumdem fratrum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad Omnipotentis Dei laudem & gloriā, ac Glorioſiſſimæ eius Genitricis Virginis Mariæ, totiuſque Curiæ cœleſtis honorem, ac fidei Catholicæ exaltationem, & habitatorum ac incolarum prædictorum animarum ſalutem, Oppidum præfatum cum illius Comitatu & Territorio, necnon omnibus & ſingulis Caſtris, Villis, locis, terminis, diſtrictibus ac Clero, perſonis, Eccleſiis, Monaſteriis, Prioratibus, præpoſituris, præpoſitatibus, & aliis piis locis, ac beneficiis Eccleſiaſticis, cum cura & ſine cura, ſæcularibus & Ordinum quorumcumque regularibus, à diœceſi Camerinen. prædicta Apoſtolica auctoritate perpetuo ſeparamus & diſmembramus, ac ab omni iuriſdictione, ſuperioritate, correctione, viſitatione, dominio & poteſtate venerabilis fratris noſtri moderni & pro tempore exiſtentis Camerinen. Epiſcopi ac dilectorum filiorum Capituli Eccleſiæ Camerinen, eorumque Vicariorum & Officialium, ac quorumcumque aliorum necnon à ſolutione quorumuis iurium, Epiſcopo & Capitulo huiuſmodi per Oppidi ac ſingulorum Caſtrorum, Villarum, locorum huiuſmodi habitatores, & incolas, ac Clerum, perſonas,

Digitized by Google

personas, Ecclesias, Monasteria, & alia beneficia huiusmodi, ratione iurisdictionis, & superioritatis prædictarum respectiue debitorum, dicta auctoritate, ac de simili consilio, etiam perpetuo penitus eximimus, & totaliter liberamus.

Oppidi S. Seuerini in Ciuitatem publicatio eiusque Collegiatæ Ecclesiæ in Episcopalem erectio.

§. 3. Necnon Oppidum S. Seuerini præfatum in Ciuitatem S. Seuerini nuncupandam, ac in ea Cathedralem Ecclesiam pro vno Episcopo S. Seuerini etiam nuncupando, qui ipsi Ecclesiæ S. Seuerini præsideat, ac in illa & Ciuitate prædicta, ipsique Ecclesiæ S. Seuerini assignanda dicec. omnia & singula, quæ ordinis & iurisdictionis, ac cuiuscumque alterius muneris Episcopalis sunt exerceat, cum Sede & mensa, aliisque insigniis, ac iurisdictionibus Episcopalibus necnon priuilegiis, immunitatibus & gratiis, quibus aliæ Cathedrales Ecclesiæ, & earum Præsules, de iure vel consuetudine, aut alias quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, de pari consilio, eadem auctoritate similiter perpetuo erigimus & instituimus.

Diœcesis designatio.

§. 4. Ac Oppidum Ciuitatis, & Ecclesiam Cathedralis, necnon Comitatum S. Seuerini huiusmodi, ac illius Territorium vniuersam dicec. incolas vero & habitatores præfatos, ciuium nomine & honore decoramus; eidemque sic erectæ Ecclesiæ S. Seuerini Oppidum præfatum, vt præfertur in Ciuitatem erectum, pro Ciuitate, & vniuersum Comitatum, ac illius Territorium huiusmodi, cum omnibus illius Castris, Villis, locis & districtibus per eosdem Vniuersitates & homines specificandis & statuendis, pro dicec. ipsarum Ciuitatis, & diœcesis S. Seuerini, Ecclesias, & habitatores pro Clero & populo concedimus & assignamus.

Dotis seu annui redditus scutorum mille pro Episcopo assignatio.

§. 5. Necnon dictæ Ecclesiæ S. Seuerini mensæ Episcopali, pro illius dote redditum annuum, seu censum mille scutorum huiusmodi, per ipsos Vniuersitatem & homines, vt præfertur assignandum, ex nunc prout ex tunc, & è contra, postquam assignatus fuerit, pariter perpetuo applicamus & appropriamus, ac S. Seuerini, aliaque eiusdem Comitatus, Oppidi & Comitatum ipsum, singulaque illius Castra, Villas, loca, Territorium, Clerum & populum huiusmodi eidem Episcopo Sancti Seuerini, qui pro tempore fuerit, quoad omnem ordinariam iurisdictionem & superioritatem perpetuo subiicimus.

Priuilegiorum concessio.

§. 6. Et insuper Capitulo, Clero, Ciuitati, & Diœcesi S. Seuerini huiusmodi, ipsarumque Ciuitatis & Diœc. incolis & habitatoribus, ac eorum singulis, vt omnibus & etiam singulis priuilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, gratiis, fauoribus & indultis, quibus aliarum Ecclesiarum Cathedralium Capitula, aliæque Ciuitates & Diœc. ac eorum Clerus, incolæ, & habitatores vtuntur, & potiuntur & gaudent, ac vti, potiri & gaudere quomodolibet poterunt in futurum, vti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate prædicta indulgemus.

Clausula derogat.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceteriisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 2. die 26 Nou.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1586. 6. Kal. Decemb. Pontific. nostri anno 2.

L.

De S. R. E. Cardinalium creandorum præstantia numero, ordine, ætate, & qualitatibus, & de optione sex Cathedralium Ecclesiarum, quæ Cardinalibus conferuntur.

Quoad ordinem prædictum vide etiam sup. const. 1. Eug. IV. Et quoad qualitates eorumdem inspice const. 7. Leon. X. necnon Conc. Trid. sess. 25. c. 1. & hic inf. const. 55. Religiosa. *Circa dignitatem eorum Decani extat bulla Pauli IV. n. 5. sup. Prout circa dignitatis Cardinalitiæ præstantiam extat bulla 15. Eug. IV. De prohibitione promouendi duos fratres, habemus sanctionem 22. Iul. III. De Cardinalium litibus habemus const. 8. Paul. IV. Prout de earum indultis, videnda est inf. const. 58. Paul. V.* Sanctissimus. *& aliæ ibi indicandæ. Ac contra eos offendentes, edixit Pius V. const. 93.* Infelicis. *Et pariter contra excommissam facientes super personis promouendis ad Cardinalatum, edixit Greg. XIV. const. 5.* Cogit. *Et insuper hic Pont. declarauit quæ beneficia & Ecclesiæ vacent per promotionem ad Cardinalatum hic inf. in const. 79.* Sanctissimus. *Ac postremo Greg. XIV. inf. in const. 9.* Sanctissimus. *vsum bireti rubri concessit Cardinalibus ex Ordinibus Regularium assumptis.*

SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* Edita An. D. 1586.

POstquam vetus ille atque æternus Pastor & Episcopus animarum Christus Dominus ad gubernandam vniuersalem Ecclesiam, quam suo pretioso sanguine acquisiuit, Apostolorum Principi B. Petro cœlestis simul ac terrenæ tradidit plenitudinem potestatis, eique suas in terris vices commisit, sicut in cathedra ipsius Petri successor, & verus Christi Vicarius Romanus Pontifex diuina præordinatione, eiusdem suprem æ Apostolicæ dignitatis fastigium & locum in terris tenet, ita etiam sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales repræsentantes personas Sanctorum Apostolorum, dum Christo Saluatori regnum Dei prædicanti, atque humanæ saluti mysterium operanti ministrarent, eidem Pontifici in executione Sacerdotalis officij, & in dirigenda ipsa Ecclesia Catholica cui præest, consiliarij & coadiutores assistunt, quasi oculi & aures, ac nobilissimæ sacri capitis partes, & præcipua illius membra à Spiritu Sancto constituta, qui in hac ipsa Ecclesiastica Hierarchia diuina dispositione, instar illius cælestis, cui ex altera parte respondet, ordinata, ad altissimum gradum electi cum ipso Romano Pontifice communi patre ac pastore, ad quem ex omnibus vndique gentibus ac nationibus, in grauissimis, maximeque arduis rebus fideles omnium generum, omnium ordinum, summi, infimi quotidie confluunt, tanti ponderis molem atque onus populorum sustineant, & pro animarum salute, pro fide, pro iustitia, pro vnitate assidue inuigilent ac laborent; qui circa ipsum vniuersali Ecclesiæ seruiendo, singularum Ecclesiarum cõmoditatibus, se impendant, quorum consilio idem Pontifex agenda disponat, quorum opera & necessaria, & plurimum fructuosa vniuersæ Reipublicæ Christianæ in secundis rebus ornamento & commodo, in dubiis præsidio & adiumento esse possit. Qui denique pro exaltatione Catholicæ Religionis, pro pace & quiete Christiani populi, pro argumento & honore sanctæ Sedis Apostolicæ sanguinem, si ita res ferat, & spiritum constanter effundant.

Pontifex est verus Christi Vicarius, & Card. Apostolorum personas repræsentant, & sunt Pont. Consiliarij, & Coadiutores. Et pro exaltatione Catholicæ Religionis sanguinem & spiritum effundere.

Consonat const. 1. & Eug. IV.

Pontifex igitur viros optimos & lectissimos Cardinales creare debet.

§. 1. Cum itaque ipsi veri cardines sint & clarissima Ecclesiæ lumina, templi Dei bases, firmamenta & columina Christianæ Reipublicæ singulari quadam pietate ac doctrina, nec vulgari aut mediocri, sed insigni atque eximia virtute abundare debent, vt quam gerunt personam digne & honorificè valeant sustinere. Ac quemadmodum præcipuæ sunt partes summi Romani Præsulis in iis ascisc endis exquisitam adhibere diligentiam, & accurata circumspectione prouidere, vt viri optimi ac lectissimi assumantur, & vel in hoc potissimum necessitati atque vtilitati totius Ecclesiæ sibi commissæ consulatur, ita etiam Prælati ceteræq; personæ Ecclesiasticæ ad tantæ dignitatis sublimitatẽ promouendi, antecactæ vitæ laude, atque excellenti quadam rara meritorum commendatione præ ceteris fulgeant, necesse est, vt hoc amplissimo honore digni habeantur. Siquidem eorum vita ac mores ceteris exẽplo esse debent, verba & responsa pro oraculis, monita ac præcepta ab vniuersis Christianis regulæ & norma rectè viuendi, recteq; sentiendi existimantur, ab iis quasi sapientissimis Ecclesiæ disciplinæ forma suscipitur, quę ad mores, vitamq; cunctorum fidelium componendos longe lateq; diffusa propagetur. Ipsi deniq; vere sunt sal terræ ac lucernæ positæ super candelabrum, vt inter sanguinem & sanguinem, caulam & caulam, lepram & lepram discernant, ac doctrinæ opportunitate & veritate, infirma confirment, disrupta consolident, deprauata conuertant,

Quoad Cardinalitiæ qualitates vide hic in rubr.

luceant omnibus qui in domo Domini habitant ac primæ huic Sedi assistentes cunctos pastores, dum in grauioribus negotiis eamdem Sedem consulunt, eiusve opem implorant, sub iudicio, consilio & auctoritate instruere, dirigere ac docere non cessent. Ceterum cum non solum ad eos spectet plurima & maxima momenti negotia & causas, quæ eis in dies committuntur, præclara fide & prudentia cognoscere, ac Legationibus in Prouinciis gubernandis, & in grauioribus rebus, sæpius ad Reges & Imperatores perfungi.

Præsertim quia ex Collegio Cardinalium creādus est summus Pontifex.

§. 2. Sed, cum omnium caput & summa est, ex eorum corpore, numero & Collegio, ille ipse qui cunctis pastoribus est præficiendus, ac totius Dominici gregis curam habiturus, summus Pontifex deligatur, iidemque illum suis suffragiis creent, qui tunc demum publico bono Christiani populi, optimus sine vlla dubitatione existet, si è numero & suffragiis bonorum deligetur, in hac sacra electione censendi sunt veri interpretes atque internuntij voluntatis Dei, cuius spiritu sicut vniuersum Ecclesiæ corpus sanctificatur & regitur, ita maxime hoc totum huiusmodi electionis opus eiusdem afflatu & instinctu absolui certissimum est atque omnibus exploratum, vt vel ex hoc ipso perspici possit quanta in eis requiratur puritas & sinceritas ab omni carnis affectu, priuatorum commodorum cura, & factionum studiis aliena, quorum pectora & voces, templa & organa futura sint Spiritus Sancti, & ex quibus quasi seminibus is sit proditurus, in quem totius Apost. potestatis plenitudo Deo annuente merito conferatur.

Ideo hunc desuper adst. cōstitutionē videlicet.

§. 3. Quapropter, vt tanti muneris amplitudo ea qua decet obseruantia & admiratione apud cunctos mortales honoretur, & in quos ob celsitudinem gradus, omnium oculi, omnium ora conuertuntur, in eis summæ dignitati par claritas & splendor eluceat, atque in eis glorificetur Deus, honorificetur sacerdotale ministerium, & animæ fidelium lætificentur, certe sacris amplissimis huius honoris insignibus ij demum decorandi videntur, qui eximia eruditione, innocentia ac sanctitate & omni virtutum genere à vero solidorum bonorum largitore Deo supra ceteros fuerint illustrati. Proinde nos, postquam placuit diuinæ bonitati imbecillitatem nostram ad summi Apostolatus apicem vocare, inter ceteras, quas pro bono vniuersalis Ecclesiæ his maxime turbulentis temporibus, dies noctesque suscipimus curas & cogitationes, hanc ipsam Pontificia nostra solicitudine dignissimam iudicauimus, vt ad communem salutem & profectum Christiani populi nostræ curæ crediti, ac ad ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ decus & ornamentum circa Cardinalium electionem atque assumptionem, tam à prædecessoribus nostris, quam à nobis hactenus editas sanctiones & decreta expenderemus; in quibus licet plenaque salubriter ac prudenter disposita & ordinata fuerint, quia tamen res humanæ facile in deterius prolabuntur, nisi sit qui eas assidue renouet atque conferuet, easdem illas sanctiones & decreta partim innouando, partim declarando, partim pro rerum & temporum exigentia supplendo, & in melius reformando, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris eiusdem S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorumdem fratrum consilio & vnanimi consensu, hanc nostram perpetuo valituram constitutionem duximus promulgandam, qua & nosmetipsos in re tam graui nostri muneris admonemus, & quam nobis legem imponimus, eamdem nostris successoribus iudicamus, quos & sui officij non immemores fore confidimus, & se aliquando in districto ac tremendo Dei iudicio suæ villicationis rationem esse reddituros, Apostolo dicente: Omnes stabimus ante tribunal Christi, & vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.

Cardinales nō sint plures quā septuaginta & electio promouēdorum vltra hunc numerū nulla sit.

§. 4. Primum igitur, cum ita exposcente rerum ac temporum qualitate & occasione receptum fuerit à veteri illo more admodum paucos viros in sacrum Collegium adscribendi, iamque plures nostra ætate Cardinales quam antiquitus in ipsum Collegium cooptari consueuerint, tum vt iuxta generalis Concilij Tridentini decretum omnium Christianitatis Nationum ratio habeatur, tum quia in eodem Collegio multi, quæ est humani corporis infirmitas, senectute vel morbis frequenter grauati, haud commode tanto oneri assidue sustinendo sufficere queunt, vt in hoc moderatio congrua adhibeatur, & certi limites præscribantur, ne vel ad veterem illam paucitatem eos redigamus, vel rursus eorum honor nimia ac superflua numerositate vilescat, quod interdum & nosipsi dum in minoribus essemus, vidimus & experti sumus. Ac vt veteris Synagogæ figura sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ veritati respondeat, sequi cupientes mandatum Domini factum ad Moysen, de congregandis septuaginta viris de senibus Israel, quos nosset senes populi esse & magistros, vt secum onus populi sustentarent, & non ipse solus grauaretur, super quos ad ostium tabernaculi ductos, loquente Domino, Spiritus requieuit, de prædictorum fratrum nostrorum consilio, perpetuo statuimus & ordinamus, vt in posterum connumeratis omnibus cuiusque ordinis Episcopis, Presbyteris & Diaconis Cardinalibus, qui nunc sunt, quique in futurum creabuntur, cuncti simul numerum Septuaginta nullo vmquam tempore excedant, ac talis numerus quouis prætextus occasione vel causa etiam vrgentissima minime augeatur. Quod si vnum vel plures à nobis vel pro tempore existente Romano Pontifice in futurum vltra dictum numerum eligi in Cardinalem, aut creari aut pronunciari contigerit, decernimus huiusmodi electionem, creationem & pronunciationem nullam, irritam & inanem fore, & censendam esse, nullumque ius seu titulum re aut nomine sic electo seu electis acquiri, neque eorum quemquam pro Cardinali haberi aut reputari posse aut debere, neque dictam electionem, creationem, pronunciationem ab initio inualidam & vltra numerum factam, si postea ad præscriptum numerum moriente vno vel pluribus Cardinalibus ipsum Collegium redigatur, propterea ex post facto conualescere, sed vti à principio sic deinceps in perpetuum nullius fore roboris vel momenti.

Sintq; ex eis Episcopi sex Presbyteri 50. & Diaconi 14.

§. 5. Quoniam vero iam inde ab antiquissimis etiam Apostolorum temporibus Diaconorum ordo ad inseruiendum & ministrandum in Ecclesia Dei ex magna prouidentia dignoscitur institutus, & pro temporum varietate modo maior, modo minor numerus esse consueuit, ita vt aliquando septem, interdum quatuordecim, quandoque vero decem & octo Diaconi fuerint, & tamen hoc tempore tum propter eorum paruum numerum, tum propter aliquorum absentiam à Romana Curia, adeo pauci reperiuntur, vt eorum officio satisfacere nequeant, immo sæpius Presbyteri Cardinales loco Diaconorum, contra Patrum instituta Pontifici assistere & ministrare cogantur. Idcirco statuimus, vt ex prædicto numero Cardinalium, Diaconi quatuordecim, reliqui omnes præter sex Episcopos, Presbyteri sint & esse debeant.

Diaconi Car. non sint minores ann. 22. & infra annum ad Ordinem Diaconatus promoueri debent, alias voce careant actiua & passiua.

§. 6. Neque posthac quispiam in Diaconum Cardinalem assumi possit, nisi saltem in vigesimo secundo suæ ætatis anno fuerit constitutus, ita vt omnino intra annum ad sacrum Diaconatus ordinem valeat & debeat promoueri, alioquin si anno elapso ad ipsum Diaconatus ordinem promotus non fuerit, eo ipso tam in consistorialibus, & omnibus aliis actibus, & negotiis Cardinalitiis, quam etiam iuxta constitutionem fel. record. Pij Papæ Quarti prædecessoris nostri super reformatione Conclauis editam, in electione Romani Pontificis voce actiua & passiua omnino careat, ac priuatus existat.

Diaconi ex feruore deuotionis ad presbyteratū promoti remaneant inter Diaconos quousq; ex Card. denuo creādis suppleatur numerus 14. Diaconorum.

§. 7. Diaconorum autem numerus sic præfinitus perpetuo retineatur, ac Diaconi in eodem ordine semper remaneant, & si qui eorum ex deuotionis feruore ad Presbyteratus ordinem promoti fuerint, semper tamen in eodem Diaconatus ordine & officio ministrent, & suum locum inter Diaconos Cardinales teneant, donec ex Cardinalibus de nouo creandis siue eligendis, alij Diaconi prædictum numerum suppleant, & in eorum locum subrogentur ac substituantur. Quo casu antiquiores Diaconi ad Presbyteratus ordinem promoti, ad Presbyteros Cardinales transire atque inter eos sedere valeant & connumerari.

Diaconeque Prior aut fœmina si sit, legitima ætate.

§. 8. Vt vero Diaconos Cardinales, qui in sua vocatione permanserint, & in ministerio ordinis sui perseuerauerint, maioribus honoribus prosequamur, volumus

vt

Digitized by Google

in quarta vacatione, sex Ecclesiarum Episcopalium, promoueatur ad Ecclesiam vacantem, & in aliis tribus vacatiõ antiquior Presbyter promouatur.

vt cum aliquam ex sex Cathedralibus Ecclesiis, quibus Episcopi Cardinales præsunt, primo secundo, & tertio per obitum vel translationem, aut alias pro tempore vacare contigerit, antiquior quidem presbyter Cardinalis præsens, saluo cuique Episcopo Cardinali iure transeundi ad eam, dimissa priore cui præerat, vt moris est, promoueatur, sed vbi post tres vacationes, tres itidem ex ipsis presbyteris Cardinalibus in Episcopos præfecti fuerint, tunc si quarta alicuius harum Ecclesiarum vacatio contigerit, excluso, ea tantum vice, antiquiore presbytero, prior Diaconorum Cardinalium qui præsens fuerit, & in ætate legitima constitutus, vel si ille noluerit, aut nequiuerit assumi, sequens Diaconus eisdem qualitatibus præditus, ad eam promoueatur, & ita deinceps in huiusmodi vacationibus sex Ecclesiarum prædictarum perpetuo obseruetur, vt post tres presbyterorum ad dictas Ecclesias promotiones, quarta occurrente vacatione, prior Diaconorum aut sequens, vt præfertur, in Episcopum præficiatur.

Hoc declaratur hic in fine.

Inter LXX. Cardin. præfatos, assumuntur saltim quatuor Magistri in Theologia.

§. 9. Inter hos Septuaginta Cardinales, præter egregios vtriusque iuris aut Decretorum Doctores, non desint aliquot insignes viri in sacra Theologia Magistri præsertim ex Regularibus, & mendicantium Ordinibus assumendi, saltem quatuor, non tamen pauciores.

Creari possit Card. in diebus Ieiuniorũ mẽsis Decembr. dũtaxat. Hoc arbitrio Papæ seruatur.

§. 10. Antiquum vero Clementis, Anacleti, Euaristi, Alexandri & aliorum Sanctorum Pontificum prædecessorum nostrorum morem, per sexcentos & amplius annos continuata serie obseruatum sequi volentes, ac decretum alias per nos in nostro Consistorio editum innouantes, perpetuo sancimus tempus creandorum Cardinalium seu promotionis ad Cardinalatus honorem faciendæ, mense Decembri dumtaxat in ipsis temporibus seu diebus ieiuniorum, & non aliis esse debere.

Promouendique idonei ex omnib. Nationib. Christianitatis quãtum commode fieri poterit.

§. 11. Vt autem ipsi Cardinales in regimine vniuersalis Ecclesiæ nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici vtiliter assistere valeant, ac de omnibus Christianorum, Regnorum Prouinciarumque moribus, rebus & negotiis prompte & fideliter certa ab eis notitia, pro rerũ emergentium opportunitate habeatur, prædicti Concilij Tridentini decreto inhærentes, statuimus, vt ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, idonei assumantur.

Illegitimi etiã per subsequens matrimonium legitimati aut super defectu natalium authoritate Apost. dispensationem consecuti, ad Cardinalatũ inhabiles sunt.

§. 12. Præterea, qui Cardinales creandi erunt, legitimis, & honestis sint exorti natalibus, neque vlla prorsus labe, aut illegitimorum natalium suspicione quouis modo laborent, sed omni macula, & impuritate careant, alioquin ad tam eminentem dignitatis gradum, penitus inhabiles, & illius incapaces sint, & esse censeantur. Quocirca considerantes, quod licet tanta sit vis, & efficacia Sacramenti Matrimonij, quod Apostolo teste, Magnum est in Christo, & in Ecclesia; vt qui antea geniti erant, ex soluto, & soluta, inter quos rite Matrimonium constare poterat, post illud contractum legitimi habeantur, in nonnullis tamen Prouinciis, & Dominiis, nobilitatis priuilegiis non gaudent, nec ad sæcularia officia, honores & dignitates, neque ad nobilium feudorum, & statuum successiones admittuntur, quodque multo magis indecorum videretur, & ab Apostolicæ Sedis dignitate alienum, si huiusmodi illegitimi per sequens Matrimonium vt præfertur, legitimati, in Cardinales assumerentur, ac Cardinalatus celsitudo, & splendor, qui dignitati Regiæ comparatur, facile deprimi, commuculari, aut quodammodo inobscurari posset. Ideo vt puriori dignitati puriores natales respondeant quoscumque illegitime natos, quorumuis, etiam Magnorum Principum, etiam Ducali, aut maiori, etiam Regia, & Imperiali auctoritate fulgentium filios quocumque gradu, dignitate, & præeminentia præditos, etiam genitos ex soluto, & soluta, inter quos tunc Matrimonium constare poterat, ac postea per subsequens Matrimonium, etiam rite, & solemniter in facie Ecclesiæ contractum, vel alias legitimatos, & quomodolibet habilitatos, & natalibus restitutos, ac quorumuis bonorum capaces effectos, etiam si cum eis, vt hanc ipsam dignitatem obtinere valeant, super defectu natalium, fuerit expresse, & in specie auctoritate Apostolica quomodolibet dispensatum, nihilominus prædictæ Cardinalatus dignitatis prorsus incapaces & ad ea obtinenda perpetuo inhabiles decernimus, ac declaramus.

Et nec illi qui ad sacros ordines promoueri possunt.

§. 13. Sed & insuper prohibemus, ne ij, quos propter defectus vitia, aut impedimenta quæcumque ad sacros ordines secundum canonicas sanctiones promoueri fas non est, etiamsi cum ipsis dicta auctoritate Apostolica fuerit dispensatum, neve alicuius criminis, aut infamiæ nota respersi, in Cardinales vllo vmquam tempore assumantur.

Promouẽdi ad Card. doctrina, vitæ probitate, & aliis qualitatib. à iure requisitis præstare debent.

§. 14. Ceterum, vt non solum honore, sed etiam re ipsa cardines sint, super quibus ostia vniuersalis Ecclesiæ tuto nitantur diuinaque & humana ministeria sibi commissa vtilius exequi possint, statuimus, vt lectissimi, & præcellentes viri in ipsum Collegium adscribantur, & quorum vitæ probitas, morum candor, præstans doctrina, & eruditio, eximia pietas, & erga salutem animarum ardens studium, & zelus, in dandis consiliis sincera fides, & integritas, in rebus gerendis singularis prudentia, constantia, & auctoritas & aliæ qualitates à iure requisitæ, tam ipsi Pontifici, quam vniuerso Collegio cognitæ & probatæ sint.

Clericali etiã charactere insigniti, & in 4. minoribus ordin. constituti per annũ saltem ante promotionem, habitum, & tonsurã gestare tenentur.

§. 15. Ac proinde ne homines sacrarum rerum plane imperiti, & rudes atque Ecclesiasticarum functionum ignari, quasi in Ecclesia Dei hospites, & peregrini statim huiusmodi muneri præficiantur, iuxta decretum iam pridem à nobis in prædicto Consistorio nostro sancitum, quod pariter harum serie innouamus, districte interdicimus, ne quis vllatenus ad Cardinalatus honorem assumi queat, nisi qui antea clericali charactere insignitus, & in quatuor minoribus ordinibus constitutus, per annum saltem habitum, & tonsuram gestauerit clericalem.

Filiũ vtriusliber sexus, etiã ex legitimo matrimonio, vel ex eo nepotẽ habentes promoueri nequeunt ad Cardin.

§. 16. Cum autem ad honorem adeo sublimem promouendi omni, virtutum, & præsertim, castimoniæ laude supra cæteros plurimum eminere debeant, qui vero filios, etiam legitimos, ex vxore sua alias dignoscitur suscepisse, certum nequeat suæ testimonium continentiæ exhibere, & pater erga proprios filios naturali affectu nimia quadam propensione feratur, verendumque sit ne propterea variis propriæ domus negotiis, ac multiplici liberorum cura distractus, Ecclesiæ negotia sibi credita, aut negligenter tractet, aut minus solicite & fideliter quam par est, eiusdem Ecclesiæ iura tueatur prohibemus, ne aliquis, qui aut vtriusliber sexus filium, seu filios etiam ex legitimo matrimonio susceptos, vel nepotem, seu nepotes ex eis habeat, vllatenus in Cardinalem assumi, aut promoueri possit.

Frater, etiam ex vna parte germanus, vel patruelis consobrinus, aut amitinus alicuius Cardinalis viuentis, Card. esse non potest. Tu vide etiã Iul. III. const. 22. Sanctissimus, sup.

§. 17. Insuper vt factionum fomitem & simultatum ansam, ex sacro hoc cœtu quantum cum Domino possumus amputemus, decretum piæ mem. Iulij Papæ III. prædecessoris nostri in sacro olim Consistorio editum approbantes, & declarantes, similiter perpetuo interdicimus, ne vllo vmquam tempore assumatur aliquis posthac in eiusdem S. R. E. Cardinalem qui frater ex vtroque vel alterutro patente germanus existat alterius Cardinalis viuentis, ita vt eodem tempore duo fratres germani in eodem Collegio nullatenus esse possint. Quinimmo idem decretum extendentes & ampliantes, prohibemus quoque ne patruele vel amitino aut consobrino Cardinale viuente, alter eius patruelis vel amitinus aut consobrinus ad Cardinalatum valeat promoueri.

Patruus aut auunculus nepotis, ex fratre vel sorore Card. viuentis prohibetur assumi ad Card. & è cõuerso talis nepotis patruus & auunculus.

§. 18. Sed, & pari ratione sancimus, ne patruo aut auunculo Cardinali viuente, eius ex fratre vel sorore nepos, nec rursus nepote ex fratre vel sorore Cardinali existente, illius patruus aut auunculus, nec vllus denique alius, qui primo aut secundo tantum consanguinitatis gradu alicui Cardinali viuenti coniunctus sit, quamdiu is vixerit in Cardinalem assumi possit. Ita vt omnes, & singuli prædicti tam pater filios aut nepotes habens, quam fratres germani, patrueles, amitini, consobrini patruus, auunculus, nepos ex fratre vel sorore, & quiuis vt supra primo aut secundo gradu coniunctus alter altero Cardinali viuente, ad Cardinalatum inhabiles, & illius incapaces sint, & censeantur, neque eorum aliquis Cardinalis creari valeat, neque aduersus hanc prohibitionem ex quacumque etiam vrgentissima causa cum eis liceat dispensari. Et nihilominus electio, creatio, ac promotio Cardinalium huiusmodi contra præsentem pro-

Digitized by Google

hibitionem, aut interdictum facta, & attentata, nulla, irrita, & inanis sit eo ipso, ac cum omnibus inde secutis nullius sit roboris vel momenti.

Absentes à Curia ad Card. promouendi, creari debent adiecta conditione, vt infra annum Apostolorum limina visitare teneantur, & ante consignationem biretti rubri à Ponti. transmittendi, id facere iurent. & obseruent. alias Cardinalatus honore priuati censeantur.

§. 19. Postremo attendentes proprium esse eorumdem Cardinalium munus assistere, vt præmittitur, Christi in terris Vicario, eique in regenda Ecclesia Catholica consilium & operam assidue præstare, atque tum eo Ecclesiæ necessitatibus prouidere ipsosque tum ad id ipsius officij debito, tum ex sanctorum Patrum decretis teneri, ac propterea absurdum esse Cardinales procul ab ipso Pontifice vitam agere, & locum mansionemque suam in Ecclesia Dei adeo præcelsam contra huiusmodi officij debitum, & in suarum perniciem animarum negligere ac deserere, inhærentes decreto similiter à nobis in Consistorio nostro dudum desuper promulgato, de eorumdem Fratrum consilio statuimus & ordinamus nequis in posterum à Romana Curia absens Cardinalis creetur aut pronuncietur, nisi hac adiecta conditione, vt intra annum in Romanam Curiã venire & Apostolorũ limina visitare teneatur, necnon, antequam Biretum rubrum, quod à Romano Pontifice de more benedici, ac per certum nuncium mitti solet, ei tradatur, illius ve capiti imponatur, iuret in manibus personæ alicuius in dignitate Ecclesiastica constitutæ, cui id negotij datum fuerit, se intra annum à die præstiti iuramenti numerandum omni mora postposita, & impedimento remoto, ad Vrbem, vel alio, vbi Ro. Cur. eo tempore fuerit, personaliter aduenturum, vt sistat se nobis, aut pro tempore existenti Rom. Pontifici, & sanctæ Sedi Apost. cuius obsequiis erit ascriptus, & quamdiu ipsi Pontifici visum fuerit, muneri suo incumbat: atque ita de legibus, moribus, consuetudinibus, ac toto statu eiusdem Sedis plene instruatur, atque ad Ecclesiæ seu Prouinciæ, cui forsan præerit, necessitates subleuandas, abusus tollendos, mores reformandos, Ecclesiasticam disciplinam, si qua ex parte labefacta fuerit, restituendam opportuna, & salutaria consilia ab ipsius Pontificis paterna charitate, sapientia, & vigilantia recipiat, & pro viribus exequatur. Cuius quidem iuramenti postquam per eum præstitum fuerit, publicum inde instrumentum conficiatur, & in forma authentica ad nos, vel nostri pro tempore successorem nulla interposita mora transmittatur. Quod si forte id iurare recusauerit, volumus vt biretum rubrum ei omnino denegetur, ac nequaquam tradatur, sed ipso facto, absque alia declaratione, vel decreto Cardinalatus honore priuatus existat, atque habeatur, in omnibus & per omnia acsi numquam in Cardinalem assumptus, vel promotus fuisset. Inhabilis quoque ad eamdem dignitatem postea obtinendam, & illius incapax efficiatur. Sin autem iuret, ac biretum rubrum accipiat, sed tamen postea ad Vrbem, & Romanam Curiam, vt præfertur, intra annum à die præstiti iuramenti non comparuerit, tunc pariter absque alia declaratione Cardinalatus dignitate, officio, titulo, denominatione, atque omnibus, & quibuscumque illius insignibus, facultatibus, priuilegiis aut auctoritatibus careat eo ipso, & perpetuo priuatus sit, & esse censeatur, perinde, ac si numquam inter Cardinales cooptatus fuisset, nec biretum rubrum accepisset. Quod quidem biretum post id tempus confestim deponere omnino teneatur.

Decretum irritans.

§. 20. Decernentes sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices, & Commissarios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & ipsos S. R. E. Cardinales, in quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ derogat.

§. 21. Non obstantibus Apostolicis, ac in generalibus conciliis editis constitutionibus, & ordinationibus, etiam certum alium eorumdem Cardinalium numerum præscribentibus, aut alias super præmissis disponentibus, quas omnes quatenus præsenti constitutioni in aliquo aduersantur, illarum tenores pro plene ac sufficienter expressis habentes, etiam si de illis specialis, specifica, expressa, ac individua de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facienda esset, omnino abrogamus, abolemus, & annullamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma public.

§. 22. Ceterum, vt præsentes literæ omnibus innotescant, mandamus illas ad valuas Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in acie campi Floræ more solito publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis spatium dimitti, eisque detractis earum exempla eo in loco relinqui. Ac volumus, vt illarum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo Prælati, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio, & extra illud, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 23. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum, &c.

D. P. An. 2. die 3. Dec.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, tertio nonas Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

Papa subscrip.

Ego Sixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Cardd. subscrip.

De ventre matris meæ tu es Deus protector meus.

Ego Alexan. Card. Farnesius Vicecancellarius Episcopus Ostien.
Ego Iac. Card. Sabellus Episc. Portuen.
Ego Io. Anton. Card. S. Georgij Episc. Tusc.
Ego Io. Franciscus Card. de Gambara, Episcopus Prænestin.
Ego Inn. Aualus Card. de Arag. Episcopus Sabinen.
Ego M. Sitic. Card. ab Altaemps.
Ego M. Antonius Card. Columna.
Ego P. Card. Sanctacrucius.
Ego Gabriel Card. Paleottus.
Ego Fr. Michael Bonel Card. Alex.
Ego Ludouicus Card. Madrutius.
Ego Nicol. Card. Senon. tt. S. Praxedis.
Ego Iul. Ant. Sanctorius Card. S. Seuerinæ.
Ego Hier. Card. Rusticucius.
Ego Io. Hier. Card. Albanus.
Ego Hier. Card. Simoncellus.
Ego P. Card. Deza.
Ego Io. Antonius Card. Caraffa.
Ego Io. Ant. Card. SS. Quatuor.
Ego Io. Bap. Card. S. Marcelli.
Ego. Iulius Card. Cananius.
Ego Antonius Card. Saluiatus.
Ego Aug. Card. de Verona.
Ego Vin. Card. Montis Regalis.
Ego Philippus Card. Spinula.
Ego Georgius Card. Raziuil.
Ego Scipio Card. Lancellottus.
Ego Vincen. Card. Gonzaga.
Ego Io. Baptista Castrucius Signaturæ Iustitiæ Præfect.
Ego Fed. Card. Cornelius.
Ego Hippolytus de Rubeis Card. Pauiæ.
Ego Decius Card. Azzolinus.
Ego Hippolytus Card. Aldobrandinus Maior Pœniten.
Ego Ferd. Card. Medicis.
Ego Phil. Vast. Card. Cametarius.
Ego Andreas Card. Battorius.
A. Card. Montaltus.

Publicatio.

Anno à natiuitate Domini 1586. Indictione 14. die vero 13. mensis Decemb. Pontific. Sanctissimi D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno 2. retroscripta litera lectæ, & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis spatium dimissæ in portis seu valuis Basilicarum S. Ioannis Lateranen. & S. Petri Principis Apostolorum de Vrbe necnon Cancellariæ Apostolicæ & acie Campi Floræ, per nos Io. Freyle, & Octauium Tagliettum Sanctiss. Domini nostri Papæ Curs.

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

Sequitur

Digitized by Google

Edita A. D: 1589.

Sequitur declaratio d. constitutionis.

Enarratio dictæ bullæ in parte hic declaranda.

§. 24. SAnctissimus D.N. dixit, quod cum in constitutione, seu bulla Sanctitatis Suæ alias super creatione S.R.E. Cardinalium, edita, volens Diaconos Cardinales, qui in sua vocatione permanserint, & in ministerio sui ordinis perseuerauerint, maioribus honoribus prosequi, inter alia statuerit, vt post tres vacationes sex Ecclesiarum Cathedralium, quibus Episcopi Cardinales præsunt, quarta vacatione alicuius ex eis occurrente, prior Diaconorum Cardinalium, qui præsens fuerit & in ætate legitima constitutus, vel si ille noluisset aut nequiuisset assumi, sequens Diaconus eisdem qualitatibus præditus, ad Ecclesiam huiusmodi Cathedralem, vt præfertur vacantem promoueretur, & ita deinceps seruaretur, prout in eadem constitutione plenius continetur.

Dubiũ posset excitari circa tempus, quo Diaconus Cardinalis debeat perseuerare & Diaconatu ad quando possit promoueri ad Episcopatum, de quibus in d. bulla.

§. 25. Agnoscensque idem S.D.N. mentis suæ in ea constitutione fuisse, non vt nouus, vel forte paucos ante annos creatus Diaconus Cardinalis, ad aliquem ex dictis Episcopatibus, seu Ecclesiis quibus seniores Presbyteri Cardinales præfici solent promoueatur, sed qui diu in suo ordine, & vocatione (vt verba eiusdem constitutionis aperte demonstrant) permanserit, & in ministerio sui ordinis perseuerauerit, is tali Ecclesiæ præficiatur, ac prouidere cupiens, ne forte in futurum dubitari contingat de quanti temporis cursu perseuerantia illa in Diaconatus ordine, & in ministerio intelligatur.

Declaratio. d. dubij.

§. 26. Eadem Sanctitas sua, in eodem Consistorio suo secreto habito supradicta die, de venerabilium Fratrum suorum S.R.E. Cardinalium vnanimi consilio, & assensu, sua Apostolica auctoritate declarauit, & decreuit, vt prior Diaconorum Cardinalium, seu alius, siue immediate seu successiue sequens Diaconus Cardinalis, quarta occurrente vacatione, vt præmittitur ad dictam Ecclesiam seu Episcopatum ex sex prædictis vacantem assumi, seu promoueri possit, exigi, & requiri debere, vt integros annos saltem decem, & non pauciores in suo Diaconatus ordine permanserit, & in illius ministerio perseuerauerit, etiam si numerus 4. Diaconorum Cardinalium non sit expletus, dummodo ad minus decem Diaconi tunc existant, prout declarat, & decreuit.

Aliæ declarationes circa præcedentiam vide in Clem. VIII. cõst. 48. Sanctissimus.

Clausula sublata aliter iudicandi potestate.

§. 27. Ac sic in præmissis, &c. per quoscumque, &c. etiam ipsos S.R.E. Cardinales, &c. sublata eis &c. aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane quicquid secus, &c. contigerit attentari similiter decreuit.

Acta P. A. 5. die 15. Nou.

Actum Romæ apud S. Petrum, die Mercurij 15. Nouembris 1589. In Consistorio secreto.

LI. Tolentini Oppidi in Prouincia Picena, in Ciuitatem sublimatto, eiusque Collegiaræ Ecclesiæ in Episcopalem erectio.

Ex hac Ciuitate prodiit S. Nicolaus Tolentinas nuncupatus, de cuius canonizatione, & festiuitate videre est in Eug. IV. const. 27. Licet militians.

Edita An. D. 1586.

S I X T V S E P I S C O P V S, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium.

SVper vniuersas Orbis Ecclesias, eo disponente qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, quamquam sine nostris meritis constituti, leuamus in circuitu agri Dominici oculos nostrę mentis, more peruigilis pastoris inspecturi, quid prouinciarum, & locorum quorumlibet statui congruat, ac desuper disponi debeat, vnde diuino fulti præsidio, dignum, quin potius debitum arbitramur, in irriguo militantis Ecclesiæ agro, nouas Episcopales sedes, & Ecclesias plantare, vt per huiusmodi nouas plantationes popularis augeatur deuotio, diuinus cultus floreat, & animarum salus subsequatur, loca insignia, præsertim. quorum incolæ benedicente Domino multiplicari noscuntur, dignioribus titulis, & condignis fauoribus illustrentur, ipsique incolæ honoratorum Præsulum adsistentia, regimine, & doctrina suffulti, in via Domini magis magisque in dies proficiant.

Oppidi Tolentin. in multis commendatio.

§. 1. Sane attendentes Oppidum Tolentini, Camerinen. diœc. in agro Piceno, & territorio fructifero, ac loco satis amœno, & peruio situm, admodum celebre, ac muris firmiter cinctum, plurium ædificiorum ornatu decorum, copioso incolarum numero habitatum, ac mille ad minus vltra Castra Colmurani sibi suppositi focularia siue domus continere, ac in eo vnam S. Mariæ. Cum Campanili campanis, organo, choro, Sacristia, Plebano, ac Canonicis, & aliis ad Cathedralem Ecclesiam requisitis, ac alteram Ecclesiam Collegiatam Sancti Iacobi, cum Priore, & Canonicis, præterea Sancti Caterui Sancti Augustini Canonicorum regularium, in qua eiusdem Sancti Caterui, & Sanctæ Septimiæ, ac Sancti Bassi corpora reperiuntur, necnon S. Nicolai de Tolentino nuncupati, Fratrum Eremitarum eiusdem S. Augustini, in qua existit vnum brachium Innocentium, & corpus eiusdem S. Nicolai, qui ob vitæ sanctimoniam, in vita, & post eius obitum miraculis coruscans numero Sanctorum meruit adscribi, cuius etiã festum nuperrime in toto Statu Ecclesiastico celebrari, & custodiri mandauimus. Ad hæc S. Francisci Fratrum Minorum conuentualium, & S. Mariæ Cisoloni Fratrum Minorum de Obseruantia, ac S. Petri Fratrum Minorum Capuccinorum nuncupatorum, necnon S. Hieronymi Fratrum eiusdem S. Hieronymi, ac S. Agnetis Monialium S. Claræ Ordinum Monasteria, & regulares domos, ac quamplures alias Ecclesias, ac duo Hospitalia pro pauperibus, & infirmis recipiendis satis commode extructa adesse, & ex eo Cardinales, Episcopos, Referendarios, & strenuos milites, Capitaneos, & Duces, generales Status Ecclesiastici, aliosque Illustres, & egregios, ac religione, & doctrina præclaros viros prodiisse.

Oppidi Tolentini, ab incolis, & beneficic. diœc. Camerinen. separatio.

§. 2. Nos cupientes Oppidum Tolentini præfatum cuius dum Cardinalatus honore fungeremur protectores, & fautores fuimus cuiusque dilectos filios communitatem & homines singulari dilectione prosequimur, necnon Collegiatam Ecclesiam Sancte Mariæ huiusmodi dignoribus titulis, ac nominibus decorari, habita super his cum Fratribus nostris deliberatione matura, de illorum consilio, & assensu, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac eiusdem Beatæ Mariæ Virginis honorem, & Christifidelium deuotionis augmentum, Oppidum, & castrum huiusmodi, ac Villas, Comitatus Tolentini eorumque territoria à dicta diœc. cui in spiritualibus subiecta sunt, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo separamus & dismembramus, illaque separata, & dismembrata, ac illarum incolas, habitatores, Ecclesiarum Rectores, beneficiatos, Priores, & alios inibi beneficia, Ecclesiastica obtinentes Monasteria, domos, regulares, aliaque pia loca omnia ab omni iurisdictione Episcopi Camerinen. necnon solutione decimarum eidem Episcopo & per eos debitarum de cetero facienda, auctoritate, & tenore prædictis etiam perpetuo eximimus, & liberamus.

Erectio eiusdẽ Oppidi in Ciuitatem, & eius Ecclesiæ S. Mariæ in Cathedralem & concessio priuilegiorũ.

§. 3. Insuper Oppidum Tolentini in Ciuitatem Tolentini, & Collegiatam Ecclesiam S. Mariæ huiusmodi in Cathedralem sub inuocatione eiusdem S. Mariæ, ac in ea dignitatem, Sedem, & mensam Episcopalem pro vno Episcopo Tolentino nuncupando, qui eidem Ecclesiæ Tolentinæ præsit, ac iurisdictionem Episcopalem habeat, & exerceat, cum omnibus priuilegiis, honoribus, iuribus, & insignibus debitis, & consuetis, ac quibus alij Episcopi, de iure vel consuetudine, aut alias quomodolibet in spiritualibus vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere quomodolibet poterunt in futurum, necnon plebaniam illius in Archidiaconatum, qui inibi dignitas maior post Pontificalem existat, eisdem auctoritate, & tenore similiter perpetuo erigimus, & instituimus, ipsamque Ecclesiam sic in Cathedralem erectam Sedi Apostolicæ immediate subiicimus, ac sub protectione Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum suscipimus.

Concessio Almutiarum pro canonicis & cathedralib.

§. 4. Præterea Canonicis eiusdem Ecclesiæ sic in Cathedralem erectę, vt almutias per Canonicos aliarum Cathedralium Ecclesiarum deferri solitas, deferre libere, &

& licite valeant auctoritate, & tenore prædictis, pariter perpetuo indulgemus.

Vnio d. Episcopatus, cum Episcopatu Maceraten.

§. 5. Ipſamque Eccleſiam ſic in Cathedralem erectam cum Eccleſia Maceraten. vnimus, ita vt pro tempore exiſtens Epiſcopus Maceraten. ſit ambarum Eccleſiarum vnitarum huiuſmodi Epiſcopus Maceraten. tamen in literis, & expeditionibus pertinentibus ad ciuitatem, & diœc. Tolentini ordinare ſe ſubſcribere debeat Epiſcopus Maceraten. Tolentin.

Vicarius exter. in Ciuitate Tolentini, qui ſuum Epiſcopum in Superiorem recognoſcat.

§. 6. Teneaturque retinere vnum Vicarium in dicta ciuitate Tolentin. qui non recognoſcat ſuperiorem, nec ab eo habeatur recurſus ad Vicarium dictæ ciuitatis Maceraten. ſed tantum ad ipſum Epiſcopum.

Aſſignatio dotis.

§. 7. Eidemque Eccleſiæ Tolentin. ſic in Cathedralem erectæ pro illius menſæ Epiſcopalis dote, redoitum annuum quadringentorum ſcutorum monetæ Marchiæ per Epiſcopum Tolentin. propria auctoritate percipiendum de ſemeſtre in ſemeſtre, & in fine cuiuſlibet ſemeſtris, vel in fine cuiuſlibet menſis pro rata, arbitrio ipſius Epiſcopi, quem præfata Communitas Tolentini eidem Eccleſiæ ſic in Cathedralem erectæ ſuper redditibus molendini ipſius Communitatis, quouſque tot prædia ipſa Communitas emat, & eidem Eccleſiæ ſic in Cathedralem erectæ conſignet, quorum fructus ad dictam ſummam quadringentorum ſcutorum aſcendant, conſtituerunt, & aſſignarunt, ac domum contiguam dictæ Eccleſiæ Tolentinæ, pro vſu, & habitatione ipſius Epiſcopi Tolentini applicamus.

Diœceſis præfinitio, & Cleri aſſignatio.

§. 8. Ac ipſi Eccleſiæ ſic in Cathedralem erectæ ciuitatem Tolentini, eiuſque incolas, & habitatores pro ciuitate, & ciuibus, necnon terras, villas, & caſtrum Colmurani præfata, eorumque territoria pro eius diœc. ac etiam Clerum, & populum ciuitatis & diœc. Tolentin. pro Clero, & Populo, auctoritate, & tenore prædictis etiam perpetuo aſſignamus.

Decretum irritans.

§. 9. Decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſ. derog. & ſanctio pœnalis.

§. 10. Non obſtantibus Lateranenſis Concilij nouiſſime celebrati, vniones perpetuas niſi in caſibus à iure permiſſis fieri prohibentis, aliiſque conſtitutionib. & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Mariæ & Camerinen. Eccleſiarum prædictarum iuramento, confirmatione Apoſtolica vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis, quoque, indultis, ac literis Apoſtolicis, illis, earumque præſulibus, capitulis, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, etiam Motu proprio, ac conſiſtorialiter, & alias in contrarium quomodoliber conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ, &c.

D. P. Ann. 2. 2. Decemb.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, quarto Idus Decembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

LII. Reformatio circa immoderatos ſumptus, qui in Alma Vrbe fieri conſueuerunt, circa veſtes, dotes, ornamenta, indumenta, & conuiuia.

Similem reformationem vide ſupra in Pij V. conſt. 39. Quoniam.

Edita An. D. 1586. Pont. iſte ex paterno erga Almam Vrbem affectu, & ex cauſis ſic expreſſis [illegible] Conſer[illegible]ri, Pop[illegible]ni, vt Rom[illegible]tiones reform[illegible] circa facerent, [illegible]tos immoderatos ſumptus.

SIXTVS PAPA V.

Motu proprio, &c.

CVm in vnaquaque bene, & recte inſtituta Republica & Ciuitate, ſoleat ſumptibus ciuium, & priuatorum hominum moderatio aliqua adhiberi, idque non ſolum redundet in vtilitatem ſingularum perſonarum, & familiarum, ne hæc de cauſa imminuto patrimonio ſiue re familiari abſumpta, ad paupertatem redigantur, & plurima exinde damna, & pericula proueniant, ſed etiam ad vniuerſam Rempublicam pertineat, cuius intereſt ciues habere locupletes, & ne priuati rebus ſuis male vtantur, præcipue hoc ipſum obſeruandum eſt in hac Alma Vrbe noſtra, ex qua tanquam ex communi omnium patria, frugalitatis, modeſtiæ, ac bonorum morum exempla ad exteros manare conuenit, vt quæ tot donis ac prærogatiuis excellit, eadem optimis inſtitutis, legibus, & conſuetudinibus ſit temperata, ſicuti iam inde à priſcis etiam florentis Reipublicæ ſæculis, mox Imperatorum, ac deinde poſterioribus Romanorum Pontificum, præſertim fel. record. Clementis Septimi, Pij Quarti, & Pij Quinti prædeceſſorum noſtrorum temporibus, in eadem Vrbe Roma complures leges ac ſtatuta de ſumptibus immoderatis coercendis, ſalubriter edita fuerunt. Quæ cum ſucceſſu temporum minime fuerint obſeruata, & hac etiam tempeſtate, tum in conſtituendis dotibus puellarum quæ in matrimonium collocantur, tum in ſuperuacaneis plerumque, & minime decentibus ornamentis, tam circa mundum muliebrem, quam circa indumenta etiam virorum, tum in conuiuiis, & aliis huiuſmodi rebus, ſuperfluj ac pro modo facultatum exceſſiui ſumptus fiant. Idcirco pro eo quem gerimus erga eamdem noſtram ciuitatem, illiuſque populum paternæ dilectionis affectu, in primis nobis cordi fuit, huiuſmodi abuſus, antequam latius ſerpant de medio tollere, & exemplo noſtrorum huiuſmodi prædeceſſorum, ſimilibus remediis vti. Ideoque dilectis filiis Cameræ eiuſdem Vrbis, ac Populi Romani Conſeruatoribus, & Magiſtratui commiſimus, & mandauimus, vt ad moderandos ſumptus huiuſmodi, opportunas conficerent reformationes.

Illi hanc Reformationem ſtatuerunt, & ſummo Pont. dederunt.

§. 1. Qui mandato noſtro parentes, vna cum ciuibus aliquot ex vnaquaque dictæ Vrbis Regione ad id deputatis, eas præſentium temporum conditioni, & moribus accommodatas compoſuerunt, ac poſtea tam à Magiſtratu quam à deputatis prædictis ſubſcriptas, nobis præſentarunt.

Et Cardinales & alij ab eodem Pont. deputati eã approbarunt, & perfecerunt.

§. 2. Nos vero cupientes rem ipſam accurate, & debita circumſpectione abſolui, Dilectis filiis noſtris Iulio Antonio Sancti Bartholomæi in Inſula Sanctæ Seuerinæ, necnon Scipioni Sancti Simeonis Lancellotto, ac Henrico Sanctæ Pudentianæ Caetano, mox iſtis duobus vltimo dictis abſentibus, Hippolyto Sancti Pancratij Aldobrandino, ac nouiſſime Antonio Mariæ Saluiato Sanctæ Mariæ in Aquiro, titulorum preſbyteris Cardinalibus nuncupatis, dedimus in mandatis, vt eaſdem reformationes diligenter reuiderent, & examinarent, qui poſtmodum conuocatis dicto Magiſtratu, quatuor Prælatis vtriuſque Signaturæ noſtræ Referendariis Romanis, & ſeptem ex dictis per ſingulas regiones deputatis, ſæpius inſimul hac de cauſa reſpectiue congregati, eiſdem reformationibus diligenter excuſſis, ac ſigillatim examinatis, alia emendarunt, alia explanauerunt, nonnulla addiderunt, eaſque in meliorem ordinem redactas nobis exhibuerunt. Ac demum cum huiuſmodi reformationes, in priuato publicoque conſilio eiuſdem Populi propoſitæ nuper & perlectæ fuerunt.

Confirmat modo idem Pont. dictam Reformationem

§. 3. Nos cupientes illas inuiolate obſeruari, motu, &c. ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, reformationes ipſas, prout inferius deſcriptæ ſunt, cum omnibus, & quibuſcumque in eis contentis, auctoritate Apoſtolica perpetuo approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, eaſque præſentis ſcripti patrocinio communimus, omneſq; & ſingulos iuris, facti, & ſolemniratum etiam ſubſtantialium in eis forſan omiſſarum defectus, ſiqui intreuenerint, ſupplemus, & pro illarum ſubſiſtentia firmiori, quæcumque in prædictis reformationibus continentur, de nouo eadem auctoritate perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, ac omnes, & quaſcumque perſonas vtriuſque ſexus, cuiuſuis ſtatus, gradus, conditionis, & præeminentiæ fuerint in eadem Vrbe habitantes, etiam aduenas, & curiales, ad earumdem reformationum obſeruationem teneri, & illis omnino obligari decernimus & declaramus.

Executores Reformationis deputat, & iuriſdictionē eiſdē cōcedit.

§. 4. Necnon dilectis filiis eiuſdem Vrbis Gubernatori, & Senatori, ac Conſeruatoribus prædictis, nunc, & pro

Digitized by Google

& pro tempore existentibus, in solidum districte præcipiendo mandamus, vt tam Gubernator, & Senator prædicti, & eorum quilibet, quam etiam ipsi Conseruatores curent & faciant reformationes huiusmodi, perpetuo, & inuiolabiliter obseruari, & ad illarum executionem, etiam quoad pœnas sine vlla spe remissionis, procedi. Volentes nihilominus, vt cuiusuis Curiæ, aut tribunalis dictæ Vrbis executores, quascumque vtriusque sexus personas, quas huiusmodi reformationibus contrauenire deprehenderint notare, ac dictis Iudicibus deferre, & denunciare.

Clausulæ præsentium apponit.

§.5. Necnon decernimus, quod huiusmodi nostri Motus proprij sola signatura sufficiat, isque etiam non registratus, in iudicio, & extra illud plenam fidem faciat, regula contraria non obstante. Et quod inferius descriptis reformationibus, ac præsenti nostro Motui proprio, ac dispositioni, etiam per nos, & successores nostros numquam sufficienter derogatum censeatur, nisi prius accedente expresso consensu eorumdem Conseruatorum pro tempore existentium, & ipsius Populi in Consilio publico congregati, ac deinde publica Signatura nostra proposita per aliquem Referendarium supplicatione, cum huiusmodi nostri Motus proprij insertione, per supplicationem aut alium Motum proprium, nostra, seu Romani Pontificis pro tempore existentis manu signatum, derogatio fuerit concessa, & quod idem Motus proprius, vna cum dictis Reformationibus, manu scriptus siue impressus, reponatur, & perpetuo retineatur post libros Statutorum Vrbis, inter alias eiusdem Vrbis, & Cameræ Populi Romani reformationes, priuilegia, & indulta, quæ in eorum proprio volumine continentur.

Transumptis credi iubet.

§.6. Quodque eiusdem Motus proprij, & reformationum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo Gubernatoris, aut Senatoris, vel Conseruatorum prædictorum, vel alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides adhibeatur, in iudicio, & extra, quæ ipsis originalibus huiusmodi adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Forma & effectus publ. huius const. Quâ reformauide inferius in fine reformationis.

§.7. Ac quod Palatij Capitolini, Conseruatorum eorumdem, ac audientiæ causarum Palatij Apostolici valuis & in acie Campi Floræ, dimissis inibi copiis, affixæ omnes, & singulos ita afficiant, & arctent, acsi illis personaliter intimatæ fuissent.

Decretum irritans.

§.8. Sicque in præmissis, & infrascriptis omnibus, & singulis, per quoscumque Iudices, & Commissarios, & causarum Palatij Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari & definiri debere, irritumque & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogat.

§.9. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, aliisque dictæ Vrbis reformationibus, statutis, consuetudinibus, etiam nouissime editis, iuramento confirmatione Apostolica vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem Conseruatoribus, & aliis Magistratibus, Populo, Ciuibus, & incolis, aut ceteris personis, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

PP. subscript. Fiat Motu proprio. F.

D. P. An. 2. 23. Decembr. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, 10. Kal. Ianuarij Anno 2.

Sequitur tenor dictæ Reformationis.

Riforma del vestire, delle doti, &d'altre spese, da osseruarsi in quest'Alma Citta di Roma, da ciascuna persona di qualsiuoglia stato, grado, conditione, ò preeminenza si sia, fatta per ordine di N.S. dalla Congregatione de Deputati da Sua Santita.

Modi da osseruarsi nel vestir de gl'huomini.

Moderatio circa vestes virorum.

IN primis, non sia lecito di portar nelle berrette, ò capelli medaglie ne gioie, ne perle, ne vere ne false, ne puntali ne rosette, ne altro ornamento d'oro ò d'argento, ne buono ne falso, ne piume, ne pennachi, ne ricami, ne smalti, eccetto vn cordon di velo ò di seta intorno.

Item non sia lecito di portar collane al collo, se non à Caualieri di alcun'Ordine Militare, ò altri fatti da Principi, per portare attacata la croce ò medaglia.

Item non sia lecito di portar camiscie lauorate d'oro ò d'argento.

Item non sia lecito di portar giubbone con altra guarnitione, eccetto che con imbottitura di seta semplice, distesa per trauerso, ò per lungo senz'altro lauoro, & si possa trinciare con taffettà sotto.

Item non sia lecito in saio, casacca, colletto, ò simile sorte di vestimenti di panno, ò di drappo, mettere altra guarnitione, che vna banda intorno alli busti, maniche, & falde di drappo non prohibito, larga al piu vn terzo di palmo per di fuori ò dentro, ouero vn riuetto ò passamano, ò frangetta, ò trina di seta mezo dito larga intorno all'estremita, la qual banda non possa hauer piu di sei imbottiture, & si possa compartire in tre liste ò riuetti al piu con due imbottiture per ciascuno; con le mostre di ermesino, ò taffettà, ne sia lecito di portar bottoni ne puntali d'oro, ne d'argento, ne di gioie, ne di perle vere ne false, ne si possa foderare d'altro drappo che di taffettà schietto, & non si possa mettere drappo sopra drappo, eccetto che taffettà ò ermesino nell'estremita.

Dichiarando che li drappi prohibiti s'intendano tutti quelli ne' quali entri oro ò argento, buono ò falso, & tanto teffuti quanto non teffuti.

Item non sia lecito di portar nella cappa altra guarnitione che vna banda intorno, di dentro ò di fuori di drappo non prohibito, largo mezzo palmo al piu, nella quale non si possano fare piu di sei imbottiture, con vn passamano ò frangetta, ò trina intorno alla estremita; la qual banda possa compartirsi in due ò tre liste ò riuetti; con due imbottiture per ciascheduna, & la cappa, cappotto, tabarro, ò feraiolo, non possano esser foderati d'altro che di rouerso ò taffettà, ò di pelli non prohibite, le quali pelli prohibite s'intendano zebellini, lupi ceruieri, armellini, & martore eccettuata la cappa, la quale possa esser foderata di velluto, senz'altra guarnitione.

Item non sia lecito vsare calzoni ò cosciali di drappi prohibiti, ne in quelli oro ò argento, buono ò falso, ne ricamo ò intaglio di sorte alcuna, ne disegno di ricamo ma possano vsarsi li cosciali con trinci di drappo non prohibito, schietti senza sorte di alcun'altro ornamento, che della fodera di tutto il cosciale di raso, dobletto, toletto, ermesino, ò taffettà, & così li cosciali di drappo non prohibito, purche non sia seta sopra seta.

Item nelle calzette di seta ò ligacci non possa portare oro ò argento, vero ne falso.

Item non sia lecito nelle scarpe di velluto portare trapuntatura di seta di altro colore che quello delle scarpe, ne farui altra sorte di ornamento.

Item le cinte delle spade non si possano portare se non di corame, ò di velluto, senza ricamo, & senza oro ò argento vero ò falso, ne smalto, ma possano ben le fibie esser indorate, ò inargentate, & similmente le guarnitioni delle spade.

Item, perche non solo nel vestir delle proprie persone, ma ancora nelle liuree dei seruitori, & ornamenti de caualli si eccede in molte spese, per questo si prohibisce il vestir seruitori, staffieri, ò paggi di casacca, saio, colletto, giubbone, cappoto, cosciali, calzoni di qualsiuoglia drappo di seta, ma se li possa permettere vna banda di drappo, ouero al piu due bande di drappo, che non eccedano vn terzo di palmo intorno alla cappa, cappotto, casacca, saio, colletto, ò calzoni, con vna trina ò passamano schietto senz'altro ornamento. Et si prohibisce inoltre,

Digitized by Google

che non si possano vestire di liurea piu di quattro persone tra seruitori e paggi.

Item non sia lecito di portare gualdrappa ò coperta di velluto, ne di panno, che sia guarnita di velluto, eccetto che d'vna frangia ò trina di seta nell'estremità.

Item nelle selle di velluto non si possa portare guarnimento d'oro ò d'argento, vero ò falso ne ricamo, eccetto frange, trina, ò passamani di seta del medesimo colore.

Item non possano portare finimenti di caualli se non di corame senza fiocco di sorte alcuna, ne manco miniari d'oro ò d'argento, non prohibendo che le fibbie, borchie, briglie, sproni, ò staffe possano esser indorate ò inargentate.

Modi da osservarsi nel vestir delle donne, & prima dell' habito delle Spose.

Moderatio circa vestes sponsarum.

NOn sia lecito alle spose di portare in testa, ne ciuffi, ne fiori, veri ne artificiosi, ne ricci finti, ne piume, ne pennachi, ne magnoselle, ne altra simil portatura alta, ma debbano portar la tela ò panno listato che arriui alla fronte al principio de i capelli ancorche vadino in cocchio.

Item non possano portare altri ornamenti in testa che perle ad oncia, & vna fronzetta di gioie, & perle, che non ecceda il valor di ottanta scudi.

Item non possano pottare pendenti da orecchia con gioie, eccetto che con perle, ò d'oro smaltato.

Item non possano portare camiscie, colletti, ne altre cose lauorate d'oro ò d'argento eccetto li fazzoletti.

Item non possano portar guanti profumati, ma solamente lauati d'acque odorifere.

Item non possano portare piu d'vno ouero due anella nelle dita che ambidue non passino il valor di cento cinquanta scudi.

Item non possano portar maniglie alle braccia ornate di perle, cameri, ò qualsiuoglia altra sorte di gioie.

Item non possano portare cannacche ne corone di profumo ne d'altra sorte al collo, ne trauerso le spalle, ne alcuna sorte di banda, eccetto che al collo vn vezzo di perle di vn filo solo, il cui prezzo non passi scudi trecento, ò catena d'oro senza gioie, che non ecceda il valore di settanta scudi.

Item non possano portare cintura con gioie ò con perle, ne che la fattura ecceda trenta scudi.

Item nelle veste ò zimarre di drappo non possano portare altra guarnitione d'oro ò d'argento, vero ò falso, largo più d'vn dito tanto nelli busti quanto nell'estremità ne possano esser veste ne zimarre trinciate ne ricamate, & similmente non possano portar pianelle con passamano d'oro ò d'argento, vero ò falso.

Item non possano farsi ne portare più d'vna veste d'oro ò d'argento semplice, schietto, non trinciata ne ricamata, & senza guarnitione, eccetto che di vna pistagna distesa, ò trina, larga mezzo dito al più nell' estremità.

Item non possano portate la veste con strascino che passi vn palmo.

Item non possano portare sottane d'oro ò d'argento, ne doue sia in qualsiuoglia modo oro, argento, vero ò falso, ò sorte alcuna di guarnitione, eccetto vna ò due liste ò vna trina di seta, larga al piu mezzo dito, al busto, maniche, & estremità.

Item nelle veste non possano portare rosette, bottoni, ò puntali d'oro ne d'argento ne gioie, ne perle, vere ò false, ò smalto.

Item non possano portar veste, zimarre, trauerse, panni da testa, ò qualsiuoglia altra sorte di rete, eccetto cuffie, colletti, & panni di spalle.

Item non possano portare berretta, ma solamente il cappello, con vn passamano ò trina d'oro ò d'argento intorno, senza piume ò ricamo, senza puntali, rosette, medaglie, ò gioie, vere ò false.

Item non possano portar veli ò buratti transparenti senz'altra veste di sotto.

Item non possano andare in maniche di camiscie per Roma, ne à piedi, ne in cocchio.

Dichiarando che l'esser sposa s'intenda per doi anni dal giorno che sarà andata à marito, & non più, per tutto il qual tempo possa portare li sopraderti ornamenti, il qual passato sia obligata di mettersi in panni.

Item che tutto quello che e prohibito alle spose, s'intenda ancora esser prohibito alle zitelle di qualsiuoglia età, alle quali in oltre si prohibiscono ancora le gioie vere ò false, le veste d'oro ò d'argento vero ò falso, ricami, & intagli.

Dell' habito delle maritate messe in panni.

Moderatio circa vestes mulierum cõiugatarum.

SI ordina, & dechiara, che tutto quel che è prohibito, come di sopra alle spose, s'intenda espressamente prohibito ancora alle maritate messe in panni.

Item à nessuna donna maritata, & messa in panni sia lecito di portare alcuna veste ò sottana ò zimarra di drappo, ne trincio, ne ricamo, ne intaglio, ne guarnitione d'oro ne d'argento vero ò falso, eccetto crespone ò buratto doppio, ne transperante.

Item non possano portare alcuna sorte di pendenti all' orecchie, ne cannacca, ne catena di gioie ò d'oro, ne centura d'oro, ò di gioie ò di smalto, ne corone di profumo, ne al collo, ne alla centura, ne in mano, eccetto che quando anderanno à nozze ò à feste vn vezzo di perle di vn filo solo del prezzo comme di sopra.

Item non possano portare fazzoletti ò colletti lauorati d'oro ò d'argento, vero ò falso, ò di seta di colore.

Item nelle veste di sopra ò zimarre non possano mettere altra guarnitione che vna pistagna, trina, ò passamano negro ò pauonazzo, che non sia largo più di mezo dito, & solamente intorno alli busti, maniche & all'estremità.

Item non possano portar pianerle con alcuna sorte di ornamento, ma semplici, & con vn passamano di seta.

Item non possano andar fuori di casa, ne à piè nè in cocchio, semra portar soptaietto ò panno listato, steso, & senza pizzo.

Item andando à nozze, & à feste, possano portar le camiscie lauorate di seta di vn color solo, & vna veste di drappo semplice.

Del vestire & habito delle vedoue.

Moderatio circa vestes & habitum Viduarum.

NOn sia lecito alle vedoue di portare altri panni che roggi, ò tinti de colore, che non sia più oscuro che roggio, & il panno listato non auanzi fuori della fronte più che vno ò due dita, & le lor veste vedouili siano senza busti, & se sono aperte al petto, habbino la pezzetta roggia sotto con il panno di spalla di sopra, & con la cinta solita di tela bianca; & le lor veste siano semplici, senza ornamento ò guarnitione di sorte alcuna, & le maniche delle vesti siano di maniera, che non si possano vedere le maniche delle sottane, eccetto se le dette maniche fussero nere.

Moderatione delle doti.

Moderatio dotiũ frequentissime dantur maiores dotes, premia supplicatione & gratia Papæ.

SE bene altre vòlte fu fatto particolar statuto sopra la moderatione delle doti, & quello confirmato per Motu proprio dalla santa mem. di Papa Pio Quinto, nondimeno non essendo nella debita osseruanza, massime per domandarsene continuamente derogatione, & tuttauia aumentandosi le dette doti; per prouedére con nuoua moderatione, conueniente à questi tempi, à tal eccesso che è causa di molti disordini, & inconuenienti, & ha multo bisogno di reduttione.

Nota quod Innoc. IX. prohibuit pro talibus gratia, quidquam exigi vt inf. in eius const. 2. Ad Romanum.

Si ordina che nessuna persona di qualunque stato, grado, ò preeminenza si sia, ardisca ne presuma constituire, promettere, pagare, riceuere, ancorche la donna fosse herede, tanto in danari contanti, quanto in argento, oro, gioie, prouentioni, ò altre cose etiamdio mobili, & se mouenti, raggioni, & attioni, dote, & acconcio, in vna ò più volte, che passi ò ecceda, & computata etiamdio cassa bianca, bacile, & boccale, la somma di scudi cinque mila, & cinquecento di moneta, à raggione di dieci

giulij

Digitized by Google

giulij per ſcudo, ne ſia lecito à queſto contrauenire per alcun patto ò conſentimento, etiam giurato, da falſi per li contrahenti, & altre perſone terze, per cauſa, & occaſione di accreſcer ſomma dotale, conſtituir pegno, ò in qualũq; modo far fraude à queſta ordinatione, ad effetto che il marito ò la donna ò altri per eſſi, vengano ad hauer più della dextra ſomma di ſcudi cinquemila, & cinquecento in alcun modo, ò via diretta ò indiretta, alla pena di mille ſcudi ſimili, da incorrerſi per ciaſcuno che contrafarà, & di applicarſi per la quarta parte all' accuſatore, qual ſarà tenuto ſecreto, l'altra parte all' eſſecutore, & per il reſto alla fabrica del Palazzo de Conſeruatori della Camera di queſt' Alma Città di Roma, & nientedimeno pagata o non pagata la detta pena, tutto quello che oltre la dette ſomma ſi deſſe, ouero ancora con interuento di terze perſone, ſotto qual color ſi ſia di donatione parafreno, ò altro titolo, etiam in perſona della donna, qual ſimilmente ſi prohibiſce ſotto la pena predetta, ipſo facto ſia applicato alla fabrica del Palazzo delli Conſeruatori. Et ancora ſi ordina, che colui che conſtituiſce, dà, ouero promette in alcun modo oltre la ſomma predetta, ò ſuo herede ò ſucceſſore, ouero la donna per la quale fuſſe data per vtun tempo, venendo in caſo della reſtitutione, non poſſa ridomandare il ſopra più, & habbi pedutta ogni attione che in ciò & ſopra ciò li competeſſe, & detto ſopra più s'applichi ipſo iure alla fabrica predetta, come di ſopra, & che tutti ſimili contratti ò priuate ſcritture, quali ſopra ciù ſi faceſſero, ſiano quanto alla detta quantità eccelſa, ipſo iure nulli & inualidi, & per vigore di eſſi non ſe ne poſſa fare alcuna eſſecutione, quanto alla quantità eccedente li ſcudi cinquemilla, & cinquecento. Ancora ſi prohibiſce à tutti & ſingoli Notarij, che non ardiſcano ne preſumano rogarſi d'alcun inſtrumento, qual ſia contra la prohibitione ſopraſcritta ne far ſcrittura che ſia incerta ò che ſi riferiſca à quella cedula priuata, ò qualunque altra ſcrittura ò arbitrio d'huomo, ſotto pena del falſo, & di ſcudi ducento per ciaſchedun di loro che contrafarà, d'applicarſi come di ſopra, & detti contrati ſiano nulli, & inualidi ipſo iure, & nullius fidei, & eſſi notari s'intendano nondimeno priuati in perpetuo de' lor' officij, & ſimilmente ſi prohibiſce che neſſuna perſona poſſa in ciò, come mezano intrauenire, ò altrimente preſuma far cedula priuata, ouero eſſer teſtimonio in contratto ò cedula che fuſſe contra la prohibitione predetta, alla detta pena da incorrerſi, & applicarſi come di ſopra. Si ordina ancora che nelle ſopraſcritte prohibitioni, & pene ſiano compreſi Baroni, Cortigiani, ò foraſtieri che apparetaranno con Romani, tanto originarij, come facti Cittadini, & incoli di Roma. ancorche ſiano Chierici, tanto dando & promettendo, quanto riceuendo, & ſtipulando, ouero come mezano, notaro, teſtimonio, fideiuſſore, & promiſſore, ò in qualunque eltro modo s'intromettano, purche vno delli conſorti, cioè, ò ſpoſa ò marito, ò ſpoſo ò moglie ſia Romano originario, ouero facto Cta dino, ò pure incola di Roma.

Moderatione del donare nelle nozze.

Moderatio donationum in nuptiis.

In hoc habes etiam conſt. Pij V. citata in rubr.

NOn ſia lecito à padre ò madre ò altra congiunta perſona della ſpoſa, donare allo ſpoſo, ò ad altri per lui, direttamente ò indirettamente, nel tempo della ſubarratione, ò prima ò poi alcun vaſo, bacile, ò boccale, coppa nappo, catena, ò altro dono, tanto d'oro come d'argento, denari, gioie, perle, drappi, ò altra coſa, etiamdio non ſimile alla pena di ſcudi cinquecento, & perdita delle robbe, d'applicarſi come di ſopra.

Item à neſſuna perſona ſenza eccettione di parente alcuno, ſia lecito nel giorno, & atto dell'arraglia, ò publicatione del contratto del matrimonio per verba de preſenti, ne inanzi, donare coſa alcuna di qualſiuoglia ſorte alla ſpoſa, ma paſſato il detto giorno ſia lecito ſolamente alli parenti ſino al ſecondo grado di conſanguinità, & affinità, computato ſecondo il ius canonico incluſiue.

Item non ſia lecito allo ſpoſo mandare alla ſpoſa in Natale alcun preſente in robbe che ecceda il valor di ſcudi venti.

Item non ſia lecito allo ſpoſo donar alla ſpoſa più di due veſti, le quali però non ſiano di drappo prohibito.

Moderatione de banchetti, & conuiuij.

Moderatio circa conuiuia.

VOlendo anco limitar le ſouerchie ſpeſe che ſono introdotte nel far nozze, & banchetti.

Si ordina che non ſia lecito ad alcuno che fara nozze ò banchetto, doue ſiano più di dieci perſone, dare altro che l'infraſcritte viuande, cioè vn' antipaſto di coſe fredde, & vna portata in tauola di cucina d'arroſto & d'aleſſo inſieme, nella quale non ſi poſſano dar pauoni, ne lauori di paſta, ne piu di tre ſorte di carne, & di tre ſorte di vccellami, & dandoſi polli d'India non ſi poſſi dar fagiani, & eſſendo fagiani non ſi poſſi dar polli d'India, & ſi poſſa dare vn altro ſeruitio di credenza, vna ſorte di confettione, con frutti, cialdoni, & ciambellette, torte, & coſe ſimili, ne ſi poſſa mettere oro, argento, ne muſchio in altro che cotognate, ò fiori.

Et ſi prohibiſce ancora per occaſione di batteſimo, far colationi che eccedano dieci ſcudi di ſpeſa.

Moderatione de letti nuzziali.

Moderatio circa lectos nuptiales.

NOn ſia lecito ad alcuna perſona per occaſione di nozze, ò di donne di parto, comprate ò far di nuouo letto, che ecceda il valore di ſcudi ducento, ſi permette però che chi al preſente li hà in caſa fatti poſſa adoprarli.

Prohibitione nel donare, nel farſi i compari & le comare.

Prohibitio donandi inter compatres, & commatres.

NOn ſia lecito al compare ò comare di fare alcuna ſorte di preſenti, ne al compare ne alla comare, ne al putto, coſi nel Batteſimo come nella Creſima, ſotto pena della perdita del dono à chi lo riceue, & della valuta di eſſo à chi lo dona.

Moderatione de cocchi.

Moderatio curruum.

NOn ſia lecito ad alcuna perſona alli cocchi ò carrozze che farà di nuouo far coperte, matarazzi, cuſcini, ſpalliere, & copertine de caualli, ſe non di panno ò feltro ò corame ſemplice, con frangia ſola nell' eſtremità, ſenz'alcuna ſorte di drappo per fodera di dentro, & li finimenti de' caualli non poſſano coprire di coſa alcuna, & il cocchio non poſſa hauere indoratura manco ne' pomi.

Et perche ſarebbe di molta ſpeſa à chi ſi troua il cocchio ò carrozza già fatti l'hauere à riſarli ſubito di nuouo, conforme alla preſente riforma, ſe li concede che poſſa ſeruirſene, ſinche ſiano conſumati, non oſtante detta riforma, ne ſia lecito di farli di nuouo dopò la publicatione della preſente riforma, ſe non nel modo ſudetto.

Moderatione de funerali.

Moderatio circa funeralia.

NOn ſia lecito all'eſſequie di accompagnare il morto alla Chieſa con più di tre ſeruitori veſtiti ſemplicemente di lutto.

Non ſia lecito ad alcuna donna nel giorno dell'eſſequie di ſtar nella medeſima ſtanza, nella quale ſtarà il corpo del defonto, & ſi eſſorta ciaſcuna di portar quell' habito modeſto che ſi conuiene & richiede in tal atto di condoglienza.

Delle pene de i tranſgreſſori della preſente Riforma.

Contrauentium pœna.

SI notifica à ciaſcuno, che le pene delli tranſgreſſori della preſente Riforma, ſaranno per ciaſcuna volta che ſi contrauerrà, la perdita delle robbe, delle quali ſarà contrauenuto, & inoltre di cento ſcudi, d'applicarſi la quarta parte all'accuſatore, qual ſarà tenùto ſecreto, & li tre quarti alla Camera del Popolo.

Dichiarando che nel tranſgredire che ſi farà da alcuna gentil

Digitized by Google

gentil donna maritata contra la presente riforma l'essecutione si farà contra i lor mariti, la qual pena si essigerà irremissibilmente, & anderà à diminutione della lor dote.

Et accioche la sopradetta riforma si osserui inuiolabilmente da ogn'vno, & si toglia ogni occasione che potesse farli impedimento, si commanda espressamente à tutti gl'orefici, sarti, banderari, setaroli, ricamatori, & ad ogn'altro artista, che dalla publicatione della presente riforma nessuno ardisca far lauoro diuerso della sopradetta riforma, ne manco trouare ò mettere in vso alcuna maniera d'inuentione ò lauoro nuouo, di seta ò di bottoni, ò di cuscitura, quali insino adesso non siano stati vsati, sotto pena di tre tratti di corda, & scudi venticinque, & la perdita del loro lauoro per ciascheduna volta che contrauerrà, la qual pena s'applicarà come di sopra, & si esseguirà irremissibilmente.

Dechiarando che le sopradette riforme solamente sopra li vestimenti già fatti, si habbino da osseruare passati sei mesi dopo la publicatione della presente riforma, & nel resto dopo il giorno della publicatione sopradetta.

Et che le vesti, sottane, & zimarre di donne, & altri habiti prohibiti che si trouano già fatti, si possano fare acconciare per li figliuoli, & figliuole sin'all'età di dieci anni.

Et per dar tempo ò forastieri che possano accommodare, & pigliare recapito de gl'habiti, & vestimenti che si trouano già fatti, si dichiara che passati li sei mesi sopradetti alli forastieri che verranno per diuotione, ò per altri negotij, si concede tempo di vn'altro mese di poter accomodare li suoi habiti, secondo la presente riforma.

Et per osseruanza della presente riforma, si ordina al Senatore, & Conseruatori insolidum pro tempore existenti, i quali habbino cura che si metta in essecutione quanto in essa si contiene, & se gli da sopra di questo in ogni caso delli sopradetti, piena auttorità di procedere & far esseguire le pene sopradette contra li trasgressori.

Marcellus Niger Deputatus.
Sebastianus Varus Deputatus.
Ego Hieronymus Alterius Deputatus.
Mutius Mattheius Deputatus.
Andreas Vellius Deputatus.
Stephanus Paparonius Deputatus.
Hieronymus Picus Deputatus.

Io. Dominicus Ninus Conseruator.
Liuius Attracinus Conseruator.
Mercurius Amadeus Conseruator.
Petrus Benzonus Prior.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini* 1587. *indict.* 15. *die vero* 8. *mensis Ianuarij, tempore prefati Sanctissimi in Christo Patris & D.N.D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno eius* 2. *suprascripta litera affixa, & publicata fuerunt, ad valuas Curiæ Capitolij, & Audientiæ causarum Palatij Apostolici, & in acie Campi Flore, dimissis copiis per nos Alamannum de Alamannis & Ioannem Baptistam Bagni S.D.N. Papæ Curs.*

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

LIII. Ampliatio Congregationis sub inuocatione Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, alias in Vrbe institutæ, pro Scholaribus insistentibus Studiis Collegij Societatis Iesu institutæ, ad quoscumque alios etiam non studentes. Et facultas alias Congregationes aggregan. eisque indulgentias communicandi.

Tu omnino vide normam aggregandi alias Congregationes cum indulgentiarum communicatione, in const. 115. *Clementis VIII.*

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Edita An. D. 1587.

Proœmium. SVperna dispositione, cuius inscrutabili prouidentia ordinationem suscipiunt vniuersa, in supereminenti Apostolicæ dignitatis specula, meritis licet imparibus constituti, & pia & salubria Christifidelium vota, quæ ad Confraternitatum, seu Sodalitatum præsertim in hac Vrbe nostra rite institutarum laudem, & gloriam cum animarum salute tendere dignoscuntur, libenter exaudimus, ipsasque Confraternitates seu Sodalitates condignis titulis extollimus, ac alias desuper disponimus, prout in Domino conspicimus eisdem Christifidelibus salubriter expedire.

Greg. XIII. instituit Congregationem pro externis Scholaribus in Ecclesia Collegij Soc. Iesu de Vrbe in sua const. 97. sup. §. 1. Alias siquidem pro parte dilecti filij Claudij Aquauiuæ Præpositi generalis Societatis Iesu felicis recordationis Gregorio Papa XIII. prædecessori nostro exposito, externos Scholares ad Collegia eiusdem Societatis, &c.

Omittitur narratiua huius constit. quia est sup. Omnipotentis.

Sed plures in eodē Collegio, & non solum Scholariū sed etiam aliorū, erigi oportet Congreg. §. 2. Cum autem, sicut exhibita nobis nupet pro parte dicti Claudij Præpositi petitio continebat, ex Congregationibus seu Sodalitiis huiusmodi, noui in dies, atque eo maiores quo plures sunt Sodales, fructus prouenire noscantur, & in multis Collegiis pro Sodalium frequentia ac disparitate, opus fuerit non vnam tantum, sed plures in eodem Collegio Congregationes huiusmodi instituere, quin etiam in eisdem Collegiis, ac etiam domibus dictæ Societatis, alia non studiosorum Scholarium, sed aliorum piorum Christifidelium Sodalitia seu Congregationes passim instituantur.

Præpositus ergo generalis & Societatis supplicat Pōtifici, pro facultate eas instituendi. §. 3. Vt igitur tam Scholares quam ceteri Christifideles eo promptiores ad huiusmodi Congregationes vel Sodalitia ingredienda reddantur, & ad piorum operum exercitia magis excitentur, ac excitati manuteneantur, quo amplioribus cœlestis gratiæ donis, se ac eorum Congregationes seu Sodalitia decoratos ac refectos, ac decorata, & refecta esse conspexerint, pro parte dicti Claudij Præpositi nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus sibi ac pro tempore existenti prædictæ Societatis Præposito seu Vicario generali, vt in quibusuis dictæ Societatis Ecclesiis, seu Domibus ac Collegiis, tam in Vrbe quam extra eam per vniuersum Orbem, nunc, & pro tempore erectis seu erigendis, quasuis alias, siue Scholarium tantum, siue aliorum Christifidelium, siue vtrorumque simul, tàm sub eodem Beatæ Mariæ Annunciatæ, quam alio quouis titulo, & inuocatione Congregationes seu Sodalitia dicta auctoritate perpetuo erigendi, & instituendi facultatem, & licentiam concedere, aliasque in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apost. dignaremur.

Hic ideo Pōtifex ipsi Præpositio concedit. §. 4. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus, quod literæ super indulgentiis non expederentur ad instar nisi specificarentur, ac animarum salutem nostris potissimum temporibus, sinceris desideramus affectibus, Claudium Præpositum, seu Vicarium prædictum, ac eorum quemlibet à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel homine quauis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, posterioribus supplicationibus hac in parten obis porrectis inclinati, eidem Claudio, & pro tempore existenti dictæ Societatis Præposito seu Vicario generali, vt in quibusuis eiusdem Societatis Ecclesiis seu domibus ac Collegiis, tam in dicta Vrbe quam extra eam, per vniuersum Orbem, nunc & tempore erectis seu erigendis, & instituendis, quasuis alias, siue scholarium tantum, siue aliorum Christifidelium, siue vtrorumque simul, tam sub eodem Beatæ Mariæ Annunciatæ, quam alio quouis titulo & inuocatione, Congregationes seu Sodalitia, vnum scilicet vel plura, in singulis locis vel Ecclesiis, pro personarum frequentia seu qualitate, auctoritate nostra sine alicuius præiudicio, perpetuo erigere & instituere.

§. Nec

Digitized by Google

Et alias Congregationes huius Primariæ Congregationi Annuimus de Vrbe aggregandi, & eius gratias & indulgentias communicandi.

§.5. Necnon Congregationes seu Sodalitia huiusmodi iam nunc, & pro tempore erecta, & instituta eidem Primariæ Congregationi seu Primario Sodalitio, auctoritate Apostolica & vigore præsentium literarum, etiam perpetuo aggregare, eisque sic erectis, institutis, & aggregatis respectiue, eorumque Sodalibus, Scholaribus & non Scholaribus, omnes, & singulas, tam plenarias quam alias indulgentias, & peccatorum remissiones ac relaxationes, necnon exemptiones, immunitates, ceteraſque gratias, facultates, indulta, & priuilegia, spiritualia, & temporalia, tam dictæ Primariæ quam singulis aliis in quibusuis dictæ Societatis Collegiis vel domibus, aggregatis vel aggregandis, Scholarum & aliorum Congregationibus seu Sodalitiis hactenus, tam per dictum quam alios quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, Nosque & Sedem Apostolicam, ac etiam Regia, & Imperiali auctoritate, ac tam per viam extensionis quam alias quomodolibet & quandocumque concessas, & concessa hactenus, ac in posterum concedenda quibuscumque aliis, siue Scholarium dumtaxat, siue aliorum Christifidelium tantum, siue vtrorumque simul ac mixtim, Congregationibus seu Sodalitiis, in quibuslibet Collegiis aut domibus dictæ Societatis hucusque institutis, ac in posterum instituendis, eorumque Sodalibus Scholaribus & non Scholaribus, auctoritate Apostolica & vigore præsentium huiusmodi, etiam perpetuo communicare, illasque & illa ad easdem omnes Congregationes seu Sodalitia, eorumque Sodales etiam non Scholares, indifferenter, & æque principaliter extendere, ac etiam illis concedere, & elargiri, libere & licite valeat, ita quod nunc & quandocumque in futurum ipsi Sodales, Scholares & non Scholares quicumque sint, faciendo & obseruando ea, quæ Sodales Primariæ & aliarum Congregationum seu Sodalitiorum prædictorum, pro indulgentiis, peccatorum remissionibus, relaxationibus, & aliis gratiis prædictis consequendis facere & exequi tenentur, ipsas indulgentias etiam plenarias, & alias huiusmodi gratias, plenarie, & integre consequantur, ac illis fruantur, & potiantur, acsi illæ eis specialiter, & ab initio concessæ fuissent, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo indulgemus, dictique Gregorij prædecessoris literas & immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, & indulta, necnon in eis contenta quæcumque tam respectu dictarum Congregationum seu Sodalitiorum huiusmodi, quam dicti & pro tempore existentis Præpositi seu Vicarij generalis dictæ Societatis ad prædictas Congregationes seu Sodalitia, Scholarium & non Scholarium, etiam Christifidelium quorumcumque tam erectas quam in posterum, vt præfertur, erigendas, instituendas ac aggregandas, pariter, perpetuo extendimus, ita vt omnia in illis contenta, & præsentibus literis huiusmodi concessa, indulta, & elargita, acsi specialiter de verbo ad verbum eisdem præsentibus inserta, eorumque toti tenores expressi forent, concessa esse intelligantur.

Tu ad hoc vide bullã Clemens VIII. cit. in rub.

Clausula præsumptiua.

§.6. Decernentes easdem præsentes literas sub quibuscumque similium vel dissimilium indulgentiarum, vel aliarum gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, etiam in fauorem Basilicæ Principis Apostolorum de dicta Vrbe, seu Cruciatæ sanctæ, aut etiam per Nos, seu alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac dictam Sedem, etiam Motu proprio, etiam potestatis plenitudine, seu ad quorumuis Imperatorum & Regum instantiam, pro tempore quomodolibet factis, minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas ac de nouo concessas esse, & censeri debere, irritumque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§.7. Non obstantibus præmissis, ac voluntate nostra prædicta, necnon constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceteriſque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod si dictæ Congregationes aut Sodalitia, vel eorum quæcumque aliquo modo eidem Societati vel Domibus seu Collegiis, aliquod impedimentum seu præiudicium pro tempore attulerint, idem Præpositus seu Vicarius, illas vel illa, aut eorum singulas vel singula dissoluere possit.

Fides danda transsumptis.

§.8. Quodque præsentium transumptis etiam impressis, manu Secretarij ipsius Societatis aut Notarij publici subscriptis, & personæ alicuius in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu ipsius Præpositi, aut Vicarij generalis pro tempore existentis eiusdem Societatis sigillo munitis, eadem prorsus fides vbique locorum in iudicio & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1587. Nonis Ianuarij, Pontificatus nostri anno 2.

D. P. An. 1587. 5. Ianuary.

De Incestis quibusdam casibus vltimo supplicio in statu Ecclesiastico puniendis. LIV.

SIXTVS PAPA V. Motu proprio, &c.

Edita An. D. 1587.

VOlentes, quantum in nobis est, comprimere effrænatas, & flagitiosas hominum libidines, ex quibus præter grauem Diuinæ Maiestatis offensam, multa, & magna in dies scandala, cum ingenti animi nostri dolore exoriri videmus, ac subditos potissimum nostros, quorum salutis præcipuam & peculiarem gerimus solicitudinem, peccandi licentia remota, ad pudicitiæ & castimoniæ studia salubribus edictis incitare. Ac attendentes, grauia quædam incestus crimina, tum naturali lege damnari, sicuti legimus Ruben, quia violauit torum patris sui, primogenituram, & illius benedictionem perdidisse, tum & ab ipso Domino in lege prohiberi inter alias incestas, cum affinibus vel consanguineis coniunctiones, ne quis vxoris patris sui, neue nurus suæ, neque vxoris fratris sui turpitudinem discooperiret, neque sororem vxoris suæ in pellicatum acciperet, ea adhuc viuente, pœnas quoque grauissimas in eadem lege inflictas fuisse, cum dicit, eos, qui cum nouerca sua, vel cum nuru sua dormierint, vel supra vxorem filiam duxerint matrem eius, omnes morte mori debere. Insuper Apostolum acriter reprehendisse Corinthios ob huiusmodi causam illis verbis: Omnino auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, vt vxorem patris sui aliquis habeat. Legibus etiam sæculi inter affines, veluti inter socerum, & nurum, socrum & generum, vitricum, & priuignam, nouercam, & priuignum, leuirum & vxorem fratris, atque alias huiusmodi incestas coniunctiones, variis pœnis vetitas fuisse, sed & incestum cum his personis fornicarie committentes, grauiori animaduersione coerceri. Præterea visum esse eam mulierem non recte facere, quæ in patris concubinatu fuit, deinde in filij vel neporis esse cœpit, vel contra, quod nefaria sit talis coniunctio, & ideo huiusmodi facinus prohibendum sit. Itidemque sub pœna stupri interdictum esse ne liberi concubinas parentum suorum vxores ducerent: Ac demum secundum sacros Canones affinitatis, non modo si ex legitimo matrimonio, verumetiam si ex fornicario & illicito coitu proueniat rationem habendam esse, eodem Apostolo dicente, An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur; Erunt enim, inquit, duo in carne vna? adeo vt inter personas huiusmodi affinitate coniunctas, vsque ad certos gradus matrimonia constare non possint, & præterea nequaquam tolerabile videri, vt homines cum quibusuis personis, sine vllo earum delectu & distinctione, nulla etiam ratione habita reuerentiæ, erga eas præcipue personas quibuscumque huiusmodi arcto affinitatis vinculo coniuncti sunt, nedum diuino, sed & naturali quodam iure debitæ, more belluarum impune ac temere misceantur, Et ne eorum impunitatis exemplo, alij deinceps in abominandam hanc libidinem prolabantur, sed potius, vt qui Dei benignitate eos ad pœnitentiam expectante non corriguntur condigna punitione coërceantur.

Causa huius constitutionis.

Tot. tit. Cod. & Auth. de incest. nup. & Instit. eod. Nup. & l. 14. cum seq. Dig. de Rit. Nup.

c. 6. & c. fin. De eo quod cog. consan. & ibi DD.

§. 1. Motu simili, & ex certa scientia, &c. auctoritate Apostolica, perpetuo statuimus & ordinamus, vt in posterum in Alma Vrbe nostra, vel in quacumque alia Ciuitate, Oppido vel loco, nostræ & Romanæ, Ecclesiæ

Vir sciens matrem & filiã, siue duas germanas ignorans.

Digitized by Google

siæ ditioni in temporalibus, subiectis, quicumque ausu nefario, scienter matrem & filiam, siue duas sorores germanas carnaliter cognouerit, etiamsi eæ, earumve altera publicæ meretrices fuerint, siue clam siue palam, aut figura matrimonij tale crimen admiserit, siue etiam cum altera earum legitimo matrimonio coniunctus extiterit, pœna vltimi supplicij plectatur.

Mulier peccãs cum eo, cum quo scit matrẽ aut filiã, aut sororem suam rem habuisse.

§. 2. Qua itidem pœna mulier puniatur, quæ sciens matrem aut filiam vel sororem suam cum aliquo viro rem habuisse, eidem viro ipsa quoque sui corporis copiam fecerit.

Mulier cũ patre & filiis, vel duobus fratribus sciẽter peccans.

§. 3. Similiter volumus vnamquamque mulierem, etiamsi instigante humani generis hoste, eo deuenerit impudentiæ, vt corpore publice quæstum faciat, quæ cum patre, & filio, siue cum duobus germanis fratribus, scienter se carnaliter commiscuerit, siue à prædictis sciens se carnaliter cognosci permiserit, etiamsi eorum alteri legitimo toro copulata fuerit, pœna vltimi supplicij puniri.

Vir sciens eius patrem, vel filium aut fratrẽ cum muliere peccasse si cum ea ipse peccauerit, vltimi supplicij pœnam incurrant.

§. 4. Idque etiam in eum virum volumus obseruari, qui sciens, patrem aut filium vel fratrem suum cum muliere aliqua rem habuisse, ipse etiam eamdem mulierem carnaliter cognoscere non erubuerit.

Decretum irritans.

§. 5. Decernen. sic in præmissis vniuersis & singulis per quoscumque Iudices, & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, in quauis causa & instantia iudicari, & definiri debere, necnon irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Iudicũ auctoritas procedẽdi contra in prædictos delinquentes eorumq; fautores, iuxta formam huius const.

§. 6. Et nihilominus mandamus vniuersis & singulis dictæ Vrbis, ac totius Status nostri Ecclesiastici Iudicibus ordinariis, quauis dignitate & auctoritate fungentibus modernis & pro tempore existen. quibus contra reos talium criminum iurisdictio competit, vel in futurum competet, vt de cetero perpetuis futuris temporibus, in eos qui iuxta præmissa criminosi, & delinquentes fuerint, vt supra dispositum est animaduertant, contumaces, rebelles, & inobedientes, eisque auxilium, consilium vel fauorem præstantes, per opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam vel adhibito ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogat.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictæque Vrbis, ac aliarum eiusdem Status Prouinciarum, Ciuitatum, Oppidorum & locorum statutis, nouis reformationibus, consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis illarum Ciuibus, Incolis, Populis, & Magistratibus, aut aliis personis quomodolibet concessis, approbatis & innouatis. Quibus omnibus illorum tenores pro plene & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem vt præsentis Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique tam in iudicio quam extra illud, & tam in Rom. Curia quam extra eam, plenam & indubitatam fidem faciat, regula contraria non ostante.

Forma & effectus publicationis huius const.

§. 8. Vtque in valuis Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, more solito affigatur, & eo detracto illius exempla etiam impressa, initi affixa relinquantur, factaque huiusmodi publicatione, hic in Vrbe post quindecim, extra vero eam, post triginta dies, quoscumque perinde arctet, & afficiat, acsi eorum vnicuique personaliter intimatus fuisset.

Officiales curent in eorum locis hanc const. publicari.

§. 9. Sed & quo facilius possit ad singulorum notitiam peruenire, mandamus omnibus & singulis Legatis, Vicelegatis, Præsidentibus & Gubernatoribus Prouinciarum & Ciuitatum quarumcumque dictæ nostræ ditionis Ecclesiasticæ, vt in sua quisque residentia, & in aliis Terris, & Oppidis eis bene visis, curent eumdem Motum proprium illiusve transumpta, in locis consuetis, de more publicari.

Exemplis credatur.

§. 10. Ac decernimus ipsis transumptis etiam impressis, manu notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio & extra illud vbique eamdem fidem adhibendam esse, quæ eidem signaturæ præsentis Motus proprij adhiberetur, si esset exhibita vel ostensa.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Non. Aprilis, anno 2. *D. P. An. 2. 3. Aprilis.*

Fiat Motu proprio F. *PP. subscript.*

Anno à Natiuitate Domini 1587. indict. 15. die vero 8. mensis Maij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno eius 3. retroscripta litera affixa, & publicata fuerunt, ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, per me Io. Baptistam Bagni & Octauium Tagliettum Curs. *Publicatio.*

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

LV.

Præfinitio Titulorum, & Diaconorum pro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus.

Cardinalium numerum, ordinem, statum, officium & qualitates, edixit hic idem Pont. sup. in const. 50. vbi cetera de Cardd. notaui.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1587.*

Ex antiquissima institutione, solet quadã Cathedrales Ecclesiæ Vrbi finitimæ assignari Cardinalib. Episc. & alia Vrbis Ecclesia aliis Card. presbyteris, aliaque Card. diaconis.

REligiosa sanctorum Pontificum prædecessorum nostrorum prouidentia institutum olim fuit, iam inde à vetustissimis temporibus, & posteris traditum, vt S.R.E. presbyteris, certæ in Vrbe Roma Ecclesiæ, Tituli appellatæ, quasi quædam cuiusque propriæ diœceses; Diaconibus vero, Vrbis regiones ad Christianæ Religionis propagationem & conseruationem assignarentur. Quæ quidem sancta institutio plurium sæculorum continuata serie, ac pro temporum varietate susceptis incrementis, ad nostram vsque ætatem seruata, ita viget vt præter sex Episcopos Cardinales, qui certis Cathedralibus Ecclesiis Vrbi finitimis præsunt, singulis presbyteris & diaconis Cardinalibus propriæ in Vrbe Ecclesiæ Tituli videlicet & Diaconiæ cum suis Clero & Populo, ac quasi Episcopali iurisdictione in spiritualibus & temporalibus regendæ & administrandæ committantur.

Pont. iste Ecclesiarum Titulos & Diaconias pro eis determinat.

§. 1. Proinde nos, postquam per nostram nuper editam constitutionem, creandorum Cardinalium numerum, computatis sex Episcopis prædictis, quatuordecim Diaconis, reliquis vero presbyteris Cardinalibus, ad septuaginta præscripsimus, nunc quoque ad Dei honorem atque ad ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ decus & ornamentum, ac Romani Cleri & Populi bonum regimen, salubremque directionem, eisdem presbyteris, & diaconis Cardinalibus totidem titulos & Diaconias, ipsorum amplitudini & dignitati maxime congruentes, duximus assignandos. Ac licet pleræque ex antiquis Ecclesiis in titulos & Diaconias concedi solitis, aut à prædecessoribus nostris successu temporum additis, adhuc integræ, & illæsæ permaneant, tamen quia nonnullæ, tum diuturnitate & iniuria temporum, tum diuersis quæ olim contigerunt eiusdem Vrbis direptionibus, incendiis, & ruinis collapsæ sunt, Nos antiquæ pietatis, & Religionis Christianæ monumenta conseruare cupientes, sicuti Sacrosanctas Basilicas, & angustiora templa antiquitate ipsa veneranda, nedum facta tecta custodiri, sed & ingenti nostro sumptu refici, instaurari, & ornari in dies magis curamus, ita etiam primo quidem loco veteres, & nobiles Ecclesias, priscis temporibus in titulos presbyterorum Cardinalium vt præfertur, institutas, delegimus, easque omnes quæ adhuc exrant, volumus omnino in titulos pro modernis, & futuris presbyteris Cardinalibus retinere. Deinde ex iis, quæ recenti memoria in titulos erectæ fuerunt, prætermissis quibusdam, propter loci incommoditatem, aut alias minus idoneis, ceteras itidem retinere, ac demum, ne titulorum numerus presbyteris Cardinalibus desit, exemplo nonnullorum nostrorum prædecessorum, alias partim antiquas, nondum tamen huiusmodi honore decoratas, partim vero recentiores, celebres tamen Ecclesias, dignitate præsulum maiorem in modum illustrare, &

in

Digitized by Google

in similes titulos erigere, & instituere, ac pro numero presbyterorum Cardinalium tot Titulos addere & supplere, ex Diaconiis quoque antiquitus institutis, quatuordecim magis insignes pro totidem Diaconis Cardinalibus seligere, & congrua distinctione confusionem perpetuo tollere decreuimus, eosdem nimirum Titulos & Diaconias proprios cuiusque ordinis certos, & distinctos assignando, ita vt numquam in posterum quod hactenus sæpe factum est, presbyteris Diaconiæ, neque Diaconis Tituli presbyterales, perturbato ordine aut promiscue concedantur. Quod quidem rationi consentaneum videtur, vt quemadmodum Sūmus Pontifex vniuersali Ecclesiæ præsidens, & omnium totius Orbis Ecclesiarum solicitudinem gerens, specialiter tamen Vrbis Romæ Episcopus existit, & in ea diuina dispositione supremam Sacerdotalis potestatis Cathedram tenet, pari quoque ratione Cardinalibus, quos vti speciales S. R. E filios, in Apostolici muneris functione, atque in vniuersæ Reipublicæ Christianæ administratione præcipuos, sibique maxime coniunctos habet consiliarios & cooperatores in eadem Vrbe Roma, quæ olim B. Petri Sede in ea constituta, ipsius, & Coapostoli eius Pauli doctrina & martyrio consecrata, & caput Christiani Orbis & Religionis effecta est certa Sedes, mansionem & locum vnicuique proprium assignet, cuius quidem loci concessione, ijdem Cardinales & sui officij admoneantur, & residentiæ, quam assistendo ipsi Romano Pontifici seruare debent, & vel ex hoc magis tamquam in vnum corpus compacta membra, sacro capiti connexa esse, & ab illo dependere clarius dignoscantur.

Titulos hic descriptos pro quinquaginta presb. Cardd. ordinat, & eis assignat.

§. 2. Habita igitur cum Venerabilibus fratribus nostris eiusdem S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio & assensu, statuimus & ordinamus in posterum perpetuis futuris temporibus, presbyteris Cardinalibus, has tantum, quæ infra descriptæ sunt, Ecclesias, neque alias in titulos assignari debere, videlicet, ex antiquis S. Crucis in Hierusalem, SS. Marcellini & Petri, SS. Quatuor Coronatorum, SS. Ioannis & Pauli, S. Anastasiæ, S. Sabinæ, S. Stephani in Cælio Monte, S. Clementis, SS. Nerei & Archillei, S. Susannæ, S. Pudentianæ, S. Sixti, S. Petri ad Vincula, S. Martini in Montibus, S. Eusebij, S. Priscæ; S. Vitalis, S. Marci, S. Marcelli, Laurentij in Lucina, Basilicæ duodecim Apostolorum, S. Laurentij in Damaso, quæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario pro tempore existenti perpetuo concessa & assignata est, S. Balbinæ, S. Ceciliæ, & Chrysogoni, S. Praxedis, S. Mariæ Transtiberim. Ex posterioribus vero SS. Quirici & Iulitæ, S. Ioannis, ante Portam Latinam, S. Agnetis in Agone, S. Laurentij in Palisperna, Sancti Thomæ in Parione, S. Siluestri in Campo Martio, S. Pancratij, S. Bartholomæi in Insula, S. Matthæi in Merulana, S. Mariæ de Aracœli, Sanctæ Mariæ in Via, Sanctæ Mariæ supra mineruam, Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis, S. Hieronymi Illyricorum, necnon quas supradictis antiquis, & posterius institutis addimus, & ex nunc in Titulos presbyterorum Cardinalium, cum honoribus, insignibus, priulegiis, auctoritatibus & præeminentiis debitis, & consuetis, instar aliarum Ecclesiarum, quæ in similes titulos per nostros prædecessores antiquitus erectæ & institutæ fuerunt, sine alicuius præiudicio, perpetuo erigimus & instituimus ac titulorum nomine & dignitate insignimus, & decoramus, S. Honuphrij in Ianiculo, mutato illius statu ex Diaconia quæ hactenus fuit, in titulum presbyteralem, S. Augustini, Sanctæ Mariæ de Populo, S. Alexij in Auentino, S. Blasij de Annulo, S. Mariæ de Pace, S. Saluatoris de Lauro, Sancti Petri in Monte Aureo, Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio, Sanctæ Mariæ Transpontinæ.

Diaconias quoque hic enarratas, & pro 14. Diaconis Card. ordinat, & eis assignat.

§. 3. Ex Diaconiis vero antiquis statuimus retinendas esse tantummodo quatuordecim infrascriptas, videlicet Sanctæ Mariæ in Aquiro, Sanctæ Mariæ in Cosmedin, Sanctorum Cosmæ & Damiani, Sanctæ Mariæ Nouæ, Sancti Hadriani, Sanctæ Mariæ in Via lata, Sanctæ Mariæ in Porticu, Sancti Angeli in foro Piscario, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Sanctæ Mariæ in Dominica, Sancti Eustachij, Sancti Viti in Macello, Sanctæ Agathæ, ac Sancti Georgij ad Velabrum Ecclesias, quæ insigniores existunt, & præscriptum à nobis Diaconorum Cardinalium numerum exæquant.

Episcopat. pro sex Episcopis Card. delegat.

§. 4. Ita vt computatis Ecclesiis Cathedralibus, videlicet Ostiensi & Veliterna inuicem vnitis, Portuensi & S. Rufinæ itidem vnitis, Albanensi, Sabinensi, Tusculana, & Prænestina, quibus sex Episcopi Card. præsunt, & titulis presbyterorum superius designatis, numerum septuaginta Ecclesiarum constituant.

Alium tit. pro Vicecancell. statuit iuxta const. Clem. 7. quæ est 34. supra.

§. 5. Et alter præterea titulus supra numerum additus sit, vt si quando contingat Diaconum vel Episcopum Cardinalem Vicecancellarium esse, & ideo eumdem dictæ Ecclesiæ Sancti Laurentij in Damaso, quæ Vicecancellario pro tempore existenti per literas fel. rec. Clementis Papæ VII. prædecessoris nostri perpetuo, vt præfertur, concessa & assignata fuit, præesse, alicui presbytero Card. proprius titulus non desit.

Ecclesias quæ aliter quàm vt supra, & etiã alia quã sup. expressa sunt, à Cardinalibus obtinèntur, ex nunc vacare decernit.

§. 6. Omnes vero illas Ecclesias, quæ per præsentem nostram constitutionem presbyteris Cardinalibus, etiam forsan ex dispensatione Apostolica, pro Diaconia obtinentur; itidem omnes & quascumque ex quatuordecim superius enumeratis Diaconiis, quæ presbyteris Cardinalibus in Titulos forsan, etiam ex simili dispensatione concessæ alias fuerunt, & ab iis obtinentur; demum omnes & quascumque Ecclesias superius non expressas, ipsis presbyteris aut Diaconis Cardinalibus, in titulos aut Diaconias commissas & assignatas, ac per ipsos obtentas volumus & decernimus per præsentes, ex nunc eo ipso vacare, & quascumque illarum assignationes, concessiones, necnon dispensationes desuper etiam Motu proprio, & consistorialiter, ac de simili fratrum consilio expeditas quæ à prædecessoribus nostris, quæque à nobismetipsis emanarunt, literasque Apostolicas desuper confectas, processusque habitos per easdem, & inde secuta quæcumque cassamus, irritamus, & annullamus, irritaque & nulla, ac nullius roboris vel momenti esse nunciamus, mox assignaturi eisdem Cardinalibus, ex quorum personis Ecclesiæ in Titulos aut Diaconias per eos hactenus obtentæ, vigore huius nostri decreti vacant, & eorum cuilibet alios Titulos aut Diaconias ex supradicto numero, proprio cuiusque ordini congruentes,

Ecclesiasque præditas tãtum & non alias, in Titulum & Diaconiam, Cardinalibus, modo & forma præditis in futurum assignari præcipit.

§. 7. In alijs vero, præterquam supranominatis Ecclesiis, etiamsi earum aliquæ in titulos presbyterorum, aut denominationes Diaconorum Cardinalium concedi solitæ sunt, & Cardinales iis præfici consueuerunt, (quarum singularum situationes & inuocationes præsentibus haberi volumus pro expressis) nomina, insignia, denominationes, & statum huiusmodi Titulorum aut Diaconiarum perpetuo supprimimus & extinguimus; ac districte etiam interdicimus, ne de cetero vmquam perpetuis futuris temporibus, alia quam ex suprascripta numero Ecclesia, in Titulum aut denominationem Cardinalatus, cuipiam presbytero aut diacono Cardinali, concedatur aut assignetur, neque aliis quam supranominatis Titulis aut Diaconiis, presbyteri vel diaconi Card. præficiantur, neue vmquam aliqua ex supradictis diaconiis, presbytero, neque contra, vllus, ex dictis Titulis Diacono Cardinali quomodolibet concedatur vel assignetur, neque cum iis, aut eorum aliquo, ex quauis causa, desuper dispensetur.

Licentiã retinendi Ecclesiam prioris Tituli vel Diaconiæ Cardinalibus concedi prohibet.

§. 8. Sed & decreta alias in Consistorio super hoc edita, innouantes & ampliantes, pari ratione, etiam perpetuo prohibemus, ne in posterum alicui presbytero aut diacono Cardinali, qui alterum Titulum aut Diaconiam quomodoliber assecutus fuerit, quiue ex ordine Diaconorum ad ordinem presbyterorum, vel ad Episcopalem dignitatem transierit, aut ex ordine presbyteratus in Episcopum pariter promotus fuerit, licentia & facultas retinendi priorem Ecclesiam sui tituli vel Diaconiæ in administrationem aut in titulum, neue Canonicatuum, præbendarum, dignitatum, officiorum aut beneficiorum dimissi Tituli vel Diaconiæ collatio, neque Palatij, domus, vineæ, hortorum, aut fructuum, reddituum, & prouentuum, aut iurium quorumcumque ad huiusmodi Titulos seu Diaconias pertinentium, ad tempus seu ad vitam retentio, aut vlla alia reseruatio, quouis

prætextu, occasione, vel causa, etiam melioramentorum & sumptuum in illarum reparationem, necessitatem, siue vtilitatem factorum, concedantur; sed volumus vt ipsi Tituli & Diaconiæ, cum illis annexis, iuribusque & pertinentiis suis vniuersis libere dimittantur.

Cardinalesq; in subscribendis literis Ap. nomen Tituli aut Diaconiæ aut Episcopatus sui exprimere debent. Decretum irritans.

§. 9. Insuper præcipimus & perpetuo ordinamus, vt de cetero in quibuscumque literis Apostolicis, in quibus Cardinalium subscriptio manu propria facienda erit, ijdem Cardinales, etiam Tituli, seu Diaconiæ, vel Episcopatus sui Cardinalatus nomine expresso se subscribant.

§. 10. Decernentes per huiusmodi erectionem & institutionem, decem prædictas per nos in titulos erectas Ecclesias tantummodo, nouis priuilegiis & dignitate auctas, decoratas, & insignitas; nihil autem omnino præiudicij cuiquam illarum, nihil alieni iuris detractum, aut immutatum, censeri posse aut debere; sicque per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apost. Auditores, & Cardinales prædictos, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & in quauis causa & instantia, iudicari & definiri debere, necnon irritum & inane si secus super præmissis, eorumue aliquo à quoquam, quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogat.

§. 11. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apost. ac Ecclesiarum supradictarum, & aliarum quarumcumque, necnon Ordinum iuramento, confirmatione Apost. vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apost. illis, ac quibusuis personis quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, specialiter, & expresse derogamus; ceteriſque contrariis quibuscumque.

Cardinales circa istarum Ecclesiarum regimē & administrationē gerant se iuxta const. 7. Leon. X. sup. Superna.

§. 12. Sic igitur ipsi Cardinales, quibus huiusmodi Ecclesiarum regimen, cura, & administratio pro tempore commissa erunt, eas in spiritualibus & temporalibus solicite, fideliter & prudenter, regant & gubernent, ac iuxta constitutionem piæ memoriæ Leonis Papæ Decimi prædecessoris nostri, in Concilio Lateranensi nouissime celebrato, editam, frequenter visitent, circa cultum diuinum inuigilent, mores ac vitam cleri & populi eis subiecti diligenter explorent, eosque ad recte & honeste viuendum paterno moneant affectu, bonorum ac temporalium reddituum curam gerant, sic ad Dei gloriam & fidelis populi ædificationem, pia & magnifica structura & fabrica, suas quique Ecclesias instaurare studeant & exornare; & tam in vita quam in mortis articulo, pro diuini cultus augmento, & salute animarum suarum, ac congrue sustentandum aliquem presbyterum, qui inibi in diuinis deseruiat, siue alias erga ipsa Ecclesias, si reparatione indigeant, vel alia subuentione, de bonis sibi à Deo collatis, prout cuique pro modo facultatum conscientia dictauerit, munificos se exhibeant & liberales, vt earumdem Ecclesiarum decora & ornamenta, tantorum Præsulum respondeant dignitati, ac ipsæ Ecclesiæ tam sublimibus personis gaudeant se commissas, & eorum amplitudine illustratas; ijdemque Cardinales exinde ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cuius nobilissima membra sunt, maiestatem, sua pietate, solicitudine, & prudentia in dies magis extollant, & reuerentiam omnium gentium erga illam exemplis bonorum operum insigniter augeant, ac denique præter æternæ retributionis præmia, digna quoque laudum præconia, à nobis & Apostolica Sede valeant promereri.

Iussio describendi hanc const. in quinterno Cancell. Apost.

§. 13. Mandamus vero, vt præsentes literæ in quinterno Cancellariæ Apostolicæ de more describantur.

Sanctio pœnalis.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, nostrorum statutorum, ordinationum, erectionis, institutionis, insignitionis, decorationis, voluntatum, decretorum, cassationis, irritationis, annullationis, nunciationis, suppressionis, extinctionis, interdicti, innouationis, ampliationis, prohibitionis, præcepti, derogationis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1587. Id Aprilis, Pont. nostri anno 2. *Dat. P. An. 2. die 13. Apr.*

Ego Sixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. *PP. subscripsit.*

Cardd. subscriptiones.

Ego A. Cardinalis Farnesius Vicecancellarius Episcopus Ostien.
Ego Iac. Card. Sabellus Episc. Portuen,
Ego Ia. Anto. Card. S. Georgij Episc. Tusc.
Ego Inn. Aualus Card. de Arag. Episcopus Sabinen.
Ego M. S. Card. ab Altaemps tit. S. Mariæ Transtiberim.
Ego M. Ant. Card. Columna tit. S. Laurentij in Lucina.
Ego Gabr. Card. Paleotus tit. S. Martini in Montibus.
Frater Michael Bonellus Car. Alexandrinus tt. S. Mariæ super Minerua.
Ego Ludouicus Card. Madrutius tt. S. Anastasiæ.
Ego N. Card. S. Praxedis Sanctorius.
Iul. Ant. tt. S. Bartholomæi in Insula presb. Card. S. Seuerinæ.
Ego Hier. Card. Rustic. tt. S. Susannæ.
Io. Hier. Card. Alban. tt. S. Ioannis ante portam Latinam.
Ego P. Card. Deza.
Ego Ant. Card. SS. Ioannis & Pauli
Ego Io. Ant. Card. SS. Quatuor.
Ego Io. Baptista Card. tt. S. Marcelli.
Ego Iul. Card. Cananus tt. S. Eusebij.
Ego Ant. Maria Card. Saluiatus.
Ego Aug. Card. Veronæ tt. S. Marci.
Ego Vincentius tt. S. Mariæ in Via Car. Montis regalis,
Ego Philippus tt. S. Sabinæ. Card. Spinula.
Ego Scipio Card. Lancell.
Ego Vincentius Card. Gonzaga.
Ego Federicus Card. Cornelius tit. S. Stephani.
Ego Hipp. Car. Papien. tt. S. Mariæ in Porticu.
Ego Decius Card. Azzolinus tt. S. Matthæi in Merulana.
Ego Hipp. Aldob. tt. S. Pancratij Maior. Pœnit.
Ego Hier. Card. de Ruuere tt. S. Petri ad Vincula.
Ego Fr. Constantius Car. Sarnanus.
Ego Ferd. S. Mariæ in Via lata diac. Card. de Medices.
Ego Philippus S. Eustachij diaconus Car. Vastauill. Camerarius.
Ego A. Card. Montaltus.
Ego Hier. S. Hadr. diac. Card. Mathæius.
Ego Benedictus S. Georgij Card. Iustinianus.
Ego Ascanius SS. Viti & Modesti, & Crescentiæ diac. Card. Columna.

Publicatio.

Anno à natiuitate Dom. 1587. Indictione 15. die vero 13. mensis May. Pont. Sanctiss. in Christo patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno 2. retroscripta litera affixa & publicata fuerunt, ad valuas Basilicarum Principis Apostolorum S. Ioannis Lateranen. de Vrbe, & Canc. ac Cam. Apost. & in acie Campi Flore, per me Ioan. Baptistam Bagni eiusdem S. D. N. Pap. Curs.

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

Contra non restituentes aut reuelantes scripturas ad Reu. Cameram Apostolicam quomodolibet facientes à Commissario eiusdem Cameræ coercendos. LVI.

Similem edidit const. Sixt. V. de qua & de officio Commissarij vide hic sup. in const. 44. Ad excelsum. *vbi plene notaui.*

De registrandis in Cam. Apost. gratiis illius interesse concernentibus habes S. D. N. Vrb. VIII. const. 107. *Cum sicut.* in f. tom. 4.

S I X T V S P A P A V.
Motu proprio, &c.

Edita An. D. 1587.

Causa huius const.

NOn sine maxima animi molestia accepimus, à quampluribus annis citra plures libros Cam. nostræ Ap-

&

Digitized by Google

& illius ministrorum,ac diuersas scripturas,instrumentaque publica & priuata, ad eamdem Cameram spectantia, ab aliquibus personis, tam ex Archiuio dictæ Cameræ quam ex officiis notariorum illius, & aliis locis clam subrepta & occultata fuisse, ac etiam alias diuersimode amissa seu deperdita, ad variarum personarum manus deuenisse,& per easdem personas temere & indebite detineri,in animarum suarum periculum, dictæque Cameræ & diuersarum personarum interesse habentium damnum ac iacturam non modicam.

Scripturas Cam. Ap. detinentes, & intra sex dies non restituentes seu scientes, & non reuelantes, pœnas hic descriptas incurrunt.

§. 1. Motu igitur simili, & ex certa nostra scientia, ac de Apost. potestatis plenitudine, omnes & singulas personas,tam Ecclesiasticas quam sæculares,& cuiuscumque status,gradus,ordinis vel conditionis fuerint,etiam quauis amplissima dignitate fungentes, quæ aliquos libros vel scripturas seu instrumenta quæcumque publica vel priuata, ad præfatam Cameram quomodolibet spectantia & pertinentia, vndecumque subripuerint, vel ab aliis subrepta seu deperdita vel alias quomodolibet ad manus suas habuerint, & penes se detinuerint vel detineant de præsenti, aut illorum detentores sciuerint, vel sciant, in Domino monemus,eisque nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ,ac sub excommunicationis maioris latæ sententiæ pœna, à qua non nisi à nobis vel successoribus nostris Rom. Pont. præterquam in mortis articulo constituti, absolui possint, priuationisque omnium & singulorum officiorum & beneficiorum suorum,siquæ obtinent, inhabilitatisque ad illa & alia in posterum obtinendi,iniungimus & mandamus, vt intra sex dierum proximè futurorum terminum, quorum duos pro primo, duos pro secundo & reliquos duos dies pro tertio & peremptorio termino assignamus, libros, scripturas, & instrumenta præfata, qui illos & illa habent, Dilecto filio Ioffredo Lomellino notario & familiari nostro, ac dictæ Cameræ generali Commissario, cui, sui officij ratione, huiusmodi scripturarum cura, & pro illis procedendi facultas,per alias nostras literas præcipue demandata est, restituant. Alij vero scientes penes quos illa fuerint vel sint, eidem reuelent & significent cum effectu. Nos enim qui libros, qui scripturas,seu instrumenta præfata retinuerint aut occultauerint, seu illa retinentes non reuelauerint, dicto termino elapso ipso facto & absque aliqua citatione & declaratione, pœnas præfatas incurrisse, & ad illarum executionem deuenire posse & debere decernimus & declaramus, ac volumus & mandamus.

Commissarius Cam. Ap. post sex dies, contra prædictos tãquam contra fures procedet.

§. 2. Mandantes propterea eidem Ioffredo Commissario, vt elapso dictorum sex dierum termino, contra habentes, seu detinentes libros, scripturas, & instrumenta huiusmodi, ac illa & illas in dicto termino non restituentes, vel vbi, seu penes quem seu quos illa sint, scientes, & non reuelantes, tamquam contra fures, etiam iuxta eius ordinarias facultates, etiam ex officio, & per inquisitionem, ad illorum carcerationem & examina, pro reperienda veritate, ac prout iuris fuerit, ad eorum condemnationem,illiusque & præfatarum pœnarum executionem, etiam omnibus aliis, iuris & facti, viis & remediis opportune procedat.

Hoc habes etiam sup in const. 44. Ad excelsum.

Forma publicandi hanc bullam, & aliam 19 V. hic confirmatam.

§. 3. Vt autem hæc omnibus innotescant, tam præsentes, quarum solam signaturam sufficere volumus, quam Motum proprium facultatum, quas piæ mem. Pius Papa V. prædecessor noster olim, pro recuperatione scripturarum Cameræ Sedis Apost. bón. mem. Carolo de Grassis Episcopo Montis flascuen. & q. Honuphrio Camaiano, dictæ Cam. Præsidenti,dum in humanis ageret, sub Dat. videlicet 14. Cal. Sept. Pont. sui anno 3. concesserat, de quarum publicatione non constat,quasque facultates nos nuper in personam dicti Ioffredi Commissarij, per easdem nostras innouauimus, in valuis Basilicæ S. Petri de Vrbe.& Cam. Apost. necnon Cancell. nostræ Apost.& in acie Campi Floræ per vnum ex nostris Cursoribus publicari earumque exempla etiam impressa de more affigi mandamus,publicationemque huiusmodi,eos quos præmissa concernunt,afficere,perinde ac si vnicuique eorum personaliter intimatæ fuissent, decernimus, cum eorum quæ tam publice notificantur, nulli valeat probabilem ignorantiam allegare.

Fides transumptorum.

§. 4. Ac etiam volumus & mandamus quod præsentiũ exempla etiam vt præmittitur impressa, manuque dicti Ioffredi Commissarij subscripta, & eius sigillo sigillata, eamdem vbique locorum fidem faciant, quam præsentes facerent, si in medium exhibitæ essent vel ostensæ. Et nihilominus etiam mandamus literas Apost. siue sub plumbo siue in forma breuis, quandocumque expediri posse.

Placet Motu proprio F. *PP. subscripsit.*

Registrata in Cam Apost. lib. 1. Signaturarum S. D. N. *Registratio in Cam.*
penes me infrascriptum dictæ Cameræ Notarium & Custodem. *Tydeus de Marchis.*

Die 27. Aprilis 1587. supradicta Motus proprij cedula, *Public. An. 1587 27 Apr.*
affixa & publicata fuit, vna cum alia superius narrata alterius Motus proprij cedula in locis supradictis, vt moris, per me Io. Andream Panniz.am, S. D. N. Papæ Curs.
Alex. Parabiacus Mag. Curs.

LVII.

Institutio Hospitalis pauperum Mendicorum in Vrbe, ad eos pie alendum,eorumque animæ & corpori salubriter consulendum, cum annuorum reddituum, & priuilegiorum assignatione.

Lites huius Hospitalis à Iudice per eius Administratores nominando diiudicari voluit hic idem Pont. in const. 86. Postulat. *vbi etiam habentur alia de isto Hospitale.*

SIXTVS EPISCOPVS, *Edita An. D. 1587. & 1588.*
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Pauperum subuentio, pietas & misericordia commendatur.

QVamuis infirma & varia mortalium conditio, ita diuinæ prouidentiæ inscrutabili dispensatione ordinata,quasi in quosdam gradus distincta sit, vt secundum propriã vocationẽ,aliqui in hoc mundo tẽporalibus copiabundent,aliqui mediocrem aut tenuem vitam degant, quidam pauperes & miserabiles sint, qui aliena diuitũ ope ad sui sustentationem indigeant, quod & ita semper fore Moyses populum Israël prænouit,dicens. Non deserunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egenõ & pauperi, qui tecum versatur in terra: Et Dominus discipulis suis confirmauit illis verbis: Sẽper pauperes habebitis vobiscũ. Ipse tamen rerum diuinarũ atque humanarũ rector ac moderator Deus qui vitæ sub sidia & opes sic inæqualiter hominibus distribuens ac diuidens, non ideo iniustus aut iniquus, quod absit, dici potest, nec sine causa efficit, vt alij affluant & abundent, alijs vero hæc ipsa desint, & illis egeant,sed vt hac via diuites quidem suæ benignitatis ac fidelis administrationis præmia accipiant, pauperes vero per virtutem coronati, digna mercede honorentur,voluit pro sua immensa in vniuersum genus humanum charitate ac beneficentia, potissimum erga pauperes & egenos, eam specialem ac perpetuam curam diligenter adhiberi,vt neque indigerent,neque mendicare cogerentur, quemadmodum & prædicto populo Israel per eumdem Moysen expresse mandauit: Omnino indigens & mendicus non erit inter vos,vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus est tibi in possessionem. Et inter Christifideles, in ipso nascentis Ecclesiæ initio, sub Sanctis Apostolis plene seruatum esse, eorumdem Apostolorum acta testantur: Neque enim inquiunt quisquam egens erat inter illos: Quare idem Dominus noster Iesus Christus volens mundo vniuerso, ac præcipue fidelibus suis aperte demonstrare quanti faceret humilitatis eximiam virtutem, & quam sibi cara & dilecta esset paupertas, ac pariter docere ne à diuitibus & opulentis hominibus pauperes despicerentur, eorumque cura negligeretur, primum quidem ipsemet, quando iuxta præclara vaticinia Prophetarum è cœlo in terras humana carne assumpta, descendit, non regium diadema, aut sublime aliquod decus, quod mundo ostẽtaret, & hominum oculis obiiceret, secum detulit: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens,ac pauper in stabulo nasci,locum in diuersorio non habere, pauperis præsepis angustiis

Digitized by Google

contineri, pauperem demum, vitam, quam pro nobis suscepit, eligere, ac vsque in finem retinere dignatus est, vt non immerito dixerit: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Et per os Dauid Prophetæ. Ego autem mendicus sum & pauper: Et Apostolus scripserit: Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis. Deinde etiam pauperum & miserabilium personarum, dum in mundo conuersatus est, singularem quandam solicitudinem, gessit, eosque diuinis gratiis & beneficiis multipliciter adiuuit, quod passim Euangelica testatur historia, dum pauperes sibi discipulos delegit, dumque cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, aridis & paralyticis, corporis & membrorum integritatem reddidit, leprosos mundauit, dæmoniacos liberauit, aliosque variis languoribus & infirmitatibus laborantes & oppressos curauit, pauperum quoque sequentium turbas cœlesti verbo sæpius, pauit & instruxit & eas quandocunque esurientes etiam corporalibus mirabiliter satiauit alimentis. Et confirmat Apostolus Iacobus, dicens: Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Ac præterea misericordiam & eleemosynas, quæ pauperibus fiunt, tamquam sibi factas recipit, & acceptas refert. Vnde & à Sanctis & piis viris pro pauperibus peregrinis, & mędicis, non Angelos, modo, sed Angelorum Dominum sæpius hospitio susceptos fuisse legimus; quod & Apostolus ad Hebræos memorat dicens: Hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis. Ac denique fideles cunctos, ad subleuandas pauperum necessitates, monitis & præceptis, & maxime etiam propositis præmiis, in scripturis sacris vehementer inflammat; ait enim per Isaiam: Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum operi eum, & quæ sequuntur. Ac rursus paulo infra: Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & requiem tibi dabit Dominus Deus tuus semper, & implebis splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & erit quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum cuius non deficient aquæ. Atque in Euangelio per seipsam Veritas dicit: Cum facies conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. Et iis demum testatur se in nouissimo die æternæ beatitudinis præmia parauisse, qui misericordiæ opera in pauperes, & egenos exercuerunt, ipsis namque dicturus est. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: Esurui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus & operuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram & venistis ad me: & rursus, Amen dico vobis, quãdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Iste Pontifex ob causas hic expressas.

§. 1. Quæ quidem nos attentius considerantes, ac recolentes in quadam aliquando Synodo pie constitutum fuisse, vt vnaquæque Ciuitas pauperes, & egenos incolas suos alimentis congruentibus pasceret, secundum vires vt tam vicini presbyteri quam ciues omnes suum pauperem pascerent, quo fieret, ne pauperes ipsi per alienas Ciuitates vagarentur, atque olim huiusmodi Hospitalia, in quibus paupereres, & mendici alerentur, in multis Ciuitatibus extitisse, & in aliquibus etiam in Italia adhuc vigere simulque egenorum calamitates, quorum ingens quotidie numerus nobis ante oculos versatur, paterna charitate miserati, tum Christianæ pietatis, tum etiam nostro pastorali officio consentaneũ esse duximus, in hac Alma Vrbe pietatis & charitatis altrice, ad quam ex omnibus totius Orbis terrarum regionibus quasi communem patriam, & tutissimum refugium, in sinum, & gremium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ plurimi pauperes fame, frigore, nuditate, rerumque omnium inopia confecti, ac variis morbis, & incommodis conflictati se recipiunt, Domum hospitalem instituere, in quam omnes benigne excipiantur, alantur, vestiantur, paratos habeant lectos, cibos, potum, aliaque ad imbecilla corpora confouenda & recreanda opportuna, hac demum ratione prouideatur, ne vlterius mendici per vias, & plateas tota Vrbe dispersi ac vagantes, victum quæritando defatigentur, ne, non modo publica loca, aut priuatarum ædium vestibula, sed ipsa quoque tẽpla gemitibus, & eiulatibus complcant, ne suis clamoribus obstrepant, fidelibus dum diuinis officiis, aut Missæ sacrificio intenti sunt, ne in Ecclesiis, in quibus debet esse quieta conuersatio, querimoniis, lamentis, ac vociferationibus tumultus excitent, ne ipsa diuina officia, & circumadstantium deuotionem importunis ac molestis vocibus perturbent, ne, quod præcipue nobis cordi est, dum incertis sedibus Vrbem peragrant, prorpium Parochum non agnoscentes, absque alicuius diuini præcepti, aut bonorum morum notitia, tamquam bruta animalia rationis expertia, cibo tantum quærendo, & ventri pascendo intenti, aberrent, ita vt nemo illis Sacramenta Ecclesiastica ministrandi, nemo eorum salutis spiritualis curam specialem gerat. Postremo, vt eadem opera cunctis quos in publicum quæstum incerta mendicitas vocauerit, inspectis, exploretur in singulis integritas corporum, & robur annorum atque inertes quidam & sine vlla debilitate internoscantur, eorumque ignauiæ & nequitiæ via præcludatur, qui simulata infirmitate, seu prætextu fictæ, aut per socordiam & otium affectatæ paupertatis, alimoniam vere infirmis ac pauperibus præripiant, ac simulandi morbi infamem quamdam, dolosam, & fraudulentam artem factitant, mox bene valentes, robusta, & valida totius corporis firmitate, ludis, comessationibus, aut illicitis aliis rebus vacant, cum salutis suæ dispendio, multorumque scandalo & offensione.

Hospitale Mendicorum in Vrbe erigit.

Ministri quatuor ad eius regimen singulis annis eligi mandat.

§. 2. Vt igitur eorumdem mendicorum animæ & corporis saluti consulatur, hocque tam salutare & necessarium opus, alias à nonnullis prædecessoribus nostris inchoatum, semper tamen, ex eo quod certos redditus pro alimentis inopum non assignarunt, inefficaci conatu relictum & dimissum, nunc demum nostra auctoritate nostraque ingenti, pia tamen impensa, vt prosperiores successus, optatumque effectum sortiatur, & perpetuo subsistat scandalisque & incommodis prædictis occurratur, ac Sedis Apostolicæ, quæ omnes afflictos materno sinu semper complectitur, pietas & benignitas in dies magis elucescat, habita super hoc cum Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, deliberatione matura, de eorum consilio, & assensu, ad Dei Omnipotentis gloriam, pauperum Mendicorum commodum & salutem, ac piorum operum incrementum in eadem Alma Vrbe, in ædibus prope Pontem Sixtum ad Tyberis ripam sitis, quas ad hoc nostris pecuniis, magno pretio emimus, & ad vsum eorumdem pauperum, instauratione & fabrica, opportuna accommodari curauimus, vnum Hospitale pauperum Mendicorum vtriusque sexus, in quo tamen seorsum viri à mulieribus manere, & commorari debeant, pro ipsorum perpetuis receptione, habitatione, & sustentatione cum suis Oratorio, Sacristia, Cœmeterio, humili Campanili & Campanis, ac distinctis & separatis, pro eisdem vtriusque sexus personis, refectoriis, dormitoriis, hortis, areis, cellis, & officinis, congrua suppellectili, vtensilibus, aliisque rebus necessariis, non mediocri nostro sumptu comparatis, sufficienter instructum, per quatuor viros clericos aut laicos idoneos, & probatos, quorum duo à Populo Romano in publico Consilio, & duo reliqui à dilectis filiis Confratribus Archiconfraternitatis Sanctissimæ Trinitatis Conualescentium & Peregrinorum, cuius Oratorium ibi proxima via intermedia constitutum existit, ex suo corpore annis singulis eligantur, & deputentur, regendum, administrandum, & gubernandum, ex certa nostra scientia, ac de Apost. potestatis plenitudine, tenore præsentium erigimus & instituimus.

Redditusque & annuos prouentus assignat. Hos auget vt mox infra vius, Alios postea assignauit anno sequenti.

§. 3. Ac ipsi Hospitali pauperum Mendicorum sic erecto, & instituto, dotis nomine, & ad sustentandos pauperes redditum annuum nouem millium scutorum monetæ Romanæ, iuliis decem pro quolibet scuto huiusmodi computatis, ita constituimus & assignamus, &c.

§. 4. Volu

Hospitale & eius officiales pauperesq; in eo degentes & eorum bona à iurisdictione, & superioritate Iudicum & Officialiũ, Vrbis eximit.

§. 4. Volumus autem Hospitale Pauperum Mendicorum prædictum, ac illius pro tempore existentes Administratores, Officiales, Ministros, & alios seruientes, ratione ipsius Hospitalis pauperum Mendicorum bona mobilia & immobilia, cuiuscumque qualitatis, & quantitatis, in dicta Vrbe, & extra, ac alias vbique locorum consistentia exempta esse ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate, & potestate pro tempore existentium dictę Vrbis Gubernatoris, Senatoris, Conseruatorum, Reformatorumque ac nostri & Rom. Pont. pro tempore existentis, in dicta Vrbe in spiritualibus Vicariis necnon causarum curiæ Cam. Apost. generalis Auditoris, & cuiusuis ordinarij locorum aliorumve quorumcumque Iudicum & officialium in ipsa Vrbe, vel alias vbilibet constitutorum.

Exemptionisque à quacũque gabella & decima, d. Hospitali, & cum eo contrahentibus concedit.

§. 5. Ipsumque Hospitale pauperum Mendicorum, & quoscumque in propriis eorum rebus & bonis cum eo contrahentes à solutione & exactione quorumcumque vt vocant, pedagij, gabellæ, bolettini, decimarum, & cuiusuis alterius, tam ordinarij quam extraordinarij oneris, ex quacumque causa impositorum, & imponendorum, eximimus, & prorsus liberamus, ac sub Beati Petri, & Sedis Apost. atque nostra protectione suscipimus & collocamus, nobisque & dictæ Sedi immediate subiicimus, ac liberos, immunes, & exemptos declaramus. Necnon S. R. E. Camerario, Vicecamerario, Præsidentibusq; & Clericis Cam. Apost. Senatori, Conseruatoribus, Reformatoribus, aliisq; officialibus, Iudicibus, & personis prædictis, & quibusuis ad exactionem decimarum & aliorũ onerum prædictorum pro tempore deputatis, ne quarumcumque litterarum, eis sub quibuscumque tenoribus, & formis concessarum prætextu, Hospitale pauperum Mendicorum Administratores Officiales, Ministros & seruientes prædictos, personasque in eo degentes super præmissis, quouis modo molestent, seu molestari permittant, districtius inhibemus.

Medicos Hospitalis circa ieiunia esu carnium, habito vtriusque Medici consilio dispensat.

§. 6. Præterea pauperibus mendicis in eodem Hospitali pro tempore degentibus, quorum infirmitas, vel nimis imbecilla valetudo, aut corporis habitudo, ieiunium, seu carnium & lacticiniorum abstinentiam ferre non poterit, vt de vtriusque medici consilio, quibusuis quadragesimalibus, & quatuor anni temporibus ac vigiliis, & aliis diebus, in quibus ieiunium ab Ecclesia indictum, aut carnium, ouorum, & lacticiniorum esus, de iure vel consuetudine, seu alias prohibitus existit, vel fuerit, carnibus, ouis, butyro, lacticiniis, & aliis cibis prohibitis huiusmodi vti, & vesci.

Presbyteri in dicto Hosp. deputandi, circa administrationem Sacramentorũ, pro Medicis, Ministris, &c. seruientibus Hospitalis, facultates hic expressæ concedit.

§. 7. Singuli quoque presbyteri, sæculares & cuiusuis ordinis regulares, qui ad hoc à Gubernatoribus & Administratoribus, seu Deputatis pro tempore existentibus Hospitalis Mendicorum huiusmodi electi, & à prædicto in Vrbe Vicario approbati fuerint, singulos pauperes, ministros & seruientes eiusdem Hospitalis Mendicorum, à quibusuis excommunicationis etiam maioris, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, quibus innouati fuerint, necnon quibuscumque eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque grauibus & enormibus, etiam talibus, de quibus dicta Sedes merito consulenda foret, videlicet in casibus, tam Ordinariis locorum quam etiam Sedi Apostolicæ quomodolibet reseruatis, non tamen in iudicium deductis, neque contentis in literis die Cœnæ Domini legi solitis, semel in ingressu Hospitalis, & iterum ab omnibus supradictis, nullo prorsus excepto, in mortis articulo, confessione eorum diligenter audita, in foro tantum conscientiæ absoluere, iniuncta inde eis pro modo culpæ suo arbitrio pœnitentia salutari. Quodque pauperibus, ministris, & seruientibus Hospitalis Mendicorum huiusmodi, Sacramenta Ecclesiastica administrare, & defunctorum corpora in proprio Cœmeterio sepelire libere, & licite valeant, eisdem auctoritate & tenore similiter perpetuo concedimus & indulgemus.

Peregrinos in eo rem Hosp. hungaros, etiam recipi mandat

§. 8. Ceterum volumus, vt in Hospitali prædicto, sic per nos erecto Pauperes & Mendici aduenæ per Vrbem transeuntes, si eo diuertere voluerint benigne recipiantur, ac eis tres refectiones subministrentur, & inde cum Dei benedictione ad iter suum prosequendum dimittantur.

Rationes eius pauperũ ab Officialibus singulis mensibus exigi præcipit.

§. 9. Præcipimus vero quatuor Administratoribus seu Deputatis prædictis, vt ipsi singulis mensibus ab Oeconomis, Procuratoribus, Officialib. Ministris, & quibusuis personis dicti Hospitalis pauperum Mendicorum, rationes accepti, & expensi eiusdem Hospitalis diligenter exigant & inspiciant, eosque ad huiusmodi rationes reddendas cogant omnino, & compellant, prout eorum vnumquemque ad id teneri volumus & decernimus.

Thesaurarius & Commissarius generalis eiusd. Hospit. Gubernatoris dicuntur.

§. 10. Ac insuper vt ipsius Hospitalis pauperum Mendicorum conseruationi, bonoque regimini eorumdemque pauperum indigentiis opportunius consulatur, dilectos filios nostros, & Cameræ Apostolicæ Thesaurarium, & Commissarium generales, nunc & pro tempore existentes, eiusdem Hospitalis pauperum Mendicorum Gubernatores, & supetintendentes constituimus, & deputamus, quorum consilio, & ope quatuor Administratores seu Deputati prædicti curam, & gubernium eorumdem Mendicorum, ac dicti Hospitalis, illiusque reddituum prouentuum, iurium, actionum, & bonorum mobilium & immobilium oblationumque & eleemosynarum administrationem gerant. Denique cetera omnia ad pietatem, & charitatem exercendam pertinentia, peragant, ordinent, ac decernant. Mandantes eisdem Thesaurario & Commissario, modernis & pro tempore existentibus, vt vna cum ipsis quatuor Administratoribus, seu Deputatis, tam iterum prædictas, quam alias quascumque rationes, & computa dicti Hospitalis, illiusque debitorum, saltem tertio quoque mense, & præterea quoties opus fuerit exigant, accurate videant, examinent, & solident. Dantes etiam illis, & concedentes plenam & liberam facultatem & auctoritatem, prædictos Oeconomos, Procuratores, Officiales, Ministros, seruientes, debitores, & alios quoscumque, quorum interierit ad reddendas huiusmodi rationes, opportunis iuris, & facti remediis, cogendi, & compellendi, & eos qui satisfecerunt quietandi, absoluendi, & liberandi, ac similiter cum interuentu eorumdem quatuor Administratorum seu Deputatorum, pro salubri directione, & conseruatione dicti Hospitalis pauperum Mendicorum, illiusque bonorum & iurium temporalium & spiritualium, quoscumque Officiales, Procuratores, Ministros, & seruientes, in eo deputandi & amouendi, aliosque eorum loco sufficiendi, Ordinationes & statuta, licita tamen & honesta, sacrisque Canonibus, & generalis Concilij Tridentini decretis non contraria faciendi, & edendi, eaque cum vtilium fuerit, reuocandi, immutandi, corrigendi, aliaque de nouo condendi. Quæ quidem statuta sic facta, edita, reuocata, immutata & correcta, postquam per nos aut Romanum Pontificem pro tempore existentem, approbata fuerint, ab omnibus suprædictis Gubernatoribus, Administratoribus, seu Deputatis, Oeconomis, Procuratoribus, Officialibus, Ministris, seruientibus, & aliis quibuscumque inibi pro tempore, recepris inuiolabiliter obseruari volumus, ac iuxta eorumdem dispositionem à quibusuis Iudicibus, sublata eis quauis aliter iudicandi facultate, iudicandi facultate, iudicari debere, & si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Clausula derogat.

§. 8. Non obstantibus, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Vrbis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Vrbis Gubernatori, Senatori, Conseruatoribus, Reformatoribus, Vicario, Auditori causarum Curiæ dictæ Cameræ, aliisque superius nominatis, necnon prædictæ Vrbi, & Populo Romano, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque clausulis, & decretis etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus illorum tenores præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, ceteris que contrariis quibuscumque.

Hortatio ad Ministros Hospitalis, vt bene ministrent.

§. 12. Vt autem hoc pium & salutare opus, feliciora in dies, Deo fauente, suscipiat incrementa, eosdem

Gubernatores, administratores, seu Deputatos, Occonomos, Procuratores, Officiales, & ministros dicti Hospitalis enixe hortamur, & monemus, vt curam ipsius Hospitalis pauperumque Mendicorum, qui in eo recipientur, ita alacriter, & prompte suscipiant, pauperes ipsos Mendicos sincera in Domino charitate tractent, bona temporalia eiusdem Hospitalis fideliter, & prudenter dispensent & administrent, ac demum piis huiusmodi operibus, ad Dei gloriam, pauperumque vtilitatem, & & salutem se feruenter exerceant, vt exinde, præter cœlestis regni præmia, etiam nostram, & Sedis Apost. benedictionem & gratiam consequi mereantur.

Fides exemplorum.

§. 13. Et quia difficile foret præsentes literas ad singula loca vbi eis opus fuerit, deferre, volumus vt earum transumptis, etiam impressis manu publici notarij subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra illud vbique adhibeatur quæ adhiberetur ipsis originalibus, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum, &c.

D. P. An. 3. 21. Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1587. 5. idus Maij, Pont. nostri Anno 3.

Papa subscrip. Ego Sixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Cardd. subscriptiones.

Ego Alexan. Card. Farnesius Episcopus Ostien. Vicecancellarius
Ego Iac. Card. Sabellus Episc. Portuen.
Ego Io. Anton. Episc. Tusc. Card. S. Georgij
Ego A. Card. Gesualdus, Episc. Albanen.
Ego Inn. Aualus Card. de Arag. Episcopus Sabinen.
Ego Marcus Ant. Car. Columna Episc. Prænestin.
Ego M. S. Card. ab Altaempstit. Sanctæ Mariæ Transtiberim.
Ego P. Card. Sanctacrucius tit. Clementis.
Ego Gabr. tt. S. Laurentij in Lucina presb. Card.
Frater Michael Bonellus Car. Alexandrinus tt. S. Mariæ supra Minerua.
Ego Ludouicus Madrutius tt. S. Anastasiæ.
Nic. Card. Senonen. tt. S. Praxedis.
Iul. Ant. tt. S. Bartholomæi in Insula presb. Card. S. Seuerinæ.
Ego Hier. Card. Ruffic. tt. S. Susannæ.
Io. Hier. Card. Alban. tt. S. Ioannis ante portam Latinam.
Ego P. Card. Deza. tt. S. Hier. Illyricorum.
Ego Ant. tt. SS. Ioannis & Pauli presb. Card.
Ego Io. Ant. Card. SS. Quatuor.
Ego Io. Baptista Card. tt. S. Marcelli.
Ego Iul. Card. Cananus tt. S. Eusebij.
Ego Ant. Maria Card. Saluiatus tt. S. Mariæ de Pace.
Ego Aug. Card. tt. S. Marci.
Ego Vincentius tt. S. Mariæ in Via Car. Montis regalis,
Ego Philippus Card. Spinula tt. S. Sabinæ.
Scipio Card. Lancell. tt. S. Saluatoris in Lauro.
Vincentius Card. Gonzaga tt. S. Alexij.
Io. B. Card. Castruc. tt. S. Mariæ in Aracœli.
Ego Federicus Card. Cornelius tit. S. Stephani in Monte Cælio.
Ego Hipp. Car. Papien. tt. S. Blasij de Annulo.
Ego Decius Card. Azzolinus tt. S. Matthæi in Merulana.
Ego Hipp. Aldob. tt. S. Pancratij Maior. Pœnit.
Ego Hier. Card. de Ruuere tt. S. Petri ad Vincula.
Ego Fr. Hier. Card. Ascul. tt. S. Thomæ in Parione.
Ego A. Mar. Car. Perus. tt. S. Agnetis in Agone.
Ego Fr. Constantius Car. Sarnanus tt. S. Petri in M. Ant.
Ego Ferd. Medices Car. S. Mariæ in Via lata.
Ego Philippus Car. Vastauill. S. Eustachij.
Ego A. Card. Montaltus S. Mariæ in Cosmedin.
Ego Hier. S. Agathæ diac. Card. Mathæius.
Ego Benedictus S. Georgij Card. Iustinianus.
Ego Ascanius SS. Viti & Modesti, & Crescentiæ S. R. E. diac. Card. Columna.

Publicatio.

Anno à natiuitate Domini 1587. Indictione 15. die vero 1. mensis Iulij. Pont. Sanctiss. D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno 3. retroscripta litera Apostolice, affixæ lecta, & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis spatium dimissa in valuis seu portis Basilicarum S. Ioannis Lateranen. & S. Petri Principis Apostolorum de Vrbe, & necnon Canc. Apost. & acie Campi Flore, per nos Claudium Mongeas, & Catherinum Menandi apost. Curs.

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

Erectio Capellæ ad Præsepe Iesu Christi in Basilica S. Mariæ Maioris de Vrbe, cum Præpositi, Sacristæ, Capellanorum & Beneficiatorum institutione, atque Cardinalis Protectoris, & Iudicis causarum ad eos spectantium iurisdictione. LVIII.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1587.*

GLorioſæ & ſemper Virginis Dei genitricis Mariæ ſalutiferam fœcunditatem humiliter venerantes, intra cuius caſtiſſima viſcera, virtute Altiſſimi mirabiliter obumbrante, diuina ſapientia ſibi domum ædificauit, ſummas illius laudes, & præclara in vniuerſum genus humanum, ſed in nos potiſſimum merita, & verbis & factis quantum pro humana imbecillitate poſſumus, libentiſſime prædicamus. Hanc enim beatiſſimam Virginem gratiæ, & miſericordiæ parentem ab ipſa pene infantia nobis Aduocatam delegimus, cuius patrocinio & interceſſione, multis periculis erepti fuimus, & multa beneficia à bonorum omnium largitore Deo accepimus.

Pont. iſte ab infantia B. Virginem ſibi Aduocatam delegit, eiuſq; patrocinio multa pericula euaſit.

§. 1. Itaque cum alias eiuſdem Sanctiſſimæ Virginis nomine, & miraculorum ſplendore illuſtres Eccleſias ſemper in honore habuimus, tum in primis erga celeberrimam eius in Alma Vrbe Baſilicam ad Præſepe Domini, quæ S. Mariæ Maioris appellatur, præcipua quadam & pia deuotione affecti ſumus.

Eius ideo Eccleſias, & maxime Baſilicam Sanctæ Mariæ Maioris, deuote admodum coluit.

§. 2. Cumque conſideraremus Sancti Dominici Præſepis Sacellum in eadem Baſilica ſitum, ob ſacras illius Præſepis reliquias in quo Rex gloriæ naſci non abhorruit, & infans iacuit, magna in veneratione merito habitum minus decenter pro loci dignitate & ſanctitate ornatum, & extructum eſſe. Nos cupientes tam eximium, & religioſum monumentum debito cultu, decentique ornatu augere, ac nobili ædificio circumſeptum communire, opus ſane viribus noſtris, & facultatum noſtrarum illo quidem tempore tenuitate maius, freti ope eiuſdem Deiparæ ſemper Virginis, & animo ſuſcepimus, re & & ipſa aggreſſi ſumus. Nam iampridem cum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalatus honore fungeremur, loco à Dilectis filiis Capitulo eiuſdem Baſilicæ, interueniente etiam auctoritate fel. record. Gregorij Papæ XIII. prædeceſſoris noſtri nobis conceſſo, inſignem Capellam & ſpatij amplitudine, & ſubſtructionis magnificentia, templi inſtar, cœpimus à fundamentis ædificare.

Præſepit itaque Sacellum in d. Baſilica minus decenter extructum videns, dum Card. erat B. Virginis ope fretus inſignem ibi Capellam ædificauit.

§. 3. Cumque ædificatio feliciter procederet, ecce diuina ſic diſponente clementia, nullis noſtris meritis, ſed ipſius Beatiſſimæ Virginis precibus, in Apoſtolicæ Sedis faſtigio locati ſumus. Quare inchoatum opus tanto impenſius vrgentes, nulliſque quamuis maximis ſumptibus parcentes, Capellam ipſam teſtudine ſublimi plumbi laminis extrinſecus tectam, & pretioſis cruſtis, & tegmentis marmorum, atque opere tectorio marmorato, egregiiſque picturis, & ſacris imaginibus, & loco ipſo congruen. exornatam, ita demum benedicente Domino perfecimus, atque omni ex parte abſoluimus, vt ipſa antiqua venerandi Præſepis ædicula, multis catenationibus, colligationibus, & fulcturis circum adhibitis, ne parietes diſſolui, neve opus vlla ex parte labefactari poſſet, magna ergatarum, & tractoriarum machinarum vi, ingenti labore, atque artificio tota ſimul ſolida, ac prorſus integra, quod factu difficillimum videbatur, veteri ſede conuulſa, & in altum ſublata, in medium ipſius nouæ Capellæ gremium, ſub eius pauimento in locum ſubterraneum tranſlata atque aſportata fuerit, vbi & ſpecus circumcirca humili fornice concameratus, per quem circuiri poſſit, extructus eſt gradibus ad commodum deſcenſum in eamdem ſacri Præſepis ædiculam, & dictum ſpecum hinc inde ante Poſitis, vt Chriſtifideles viris

Interim eiuſdem B. Virg. precibus, fuit Pontifex creatus, dictamq; Capellã egregiè exornauit, & perfecit. Ad quã Præſepis ædiculã mirabus fuit tranſportatus.

Digitized by Google

viris tantum laudes & preces Deo offerre, & presbytero in Altari ibidem sito Missas deuote celebrare valeant.

Et altare maius ad Missas Pont. celebrandas constituit.

§. 4. Altare item supra ipsius ædiculæ fornicem constituto, ad Missas Pontificias celebrandas.

Alia duo Altaria ad limina d. Capellæ adiunxit.

§. 5. Duo præterea minora, sed tamen insignia Altaria siue Sacella, nostra itidem impensa ædificata eodem modo picturis & ornamentis magnifice exculta ad ipsius Capellæ limina ab vtraque parte adiunximus.

Vnum S. Luciæ vbi duo SS. Innocentium corpuscula recondi voluit.

§. 6. Vnum videlicet sub S. Luciæ Virginis & Martyris inuocatione dicatum, cuius festus dies, idem Natalis noster est, & quam abineunte ætate, omni studio venerati, vt pro nobis apud Deum intercederet, magna cum fiducia assiduè precati fumus, sub cuius etiam Altari in Arca marmorea duo sacra Beatorum Innocentium corpuscula, à Basilica S. Pauli extra portam Ostiensem nostro iussu translata, ritè recondi curauimus, vt ad Christi infantis cunabula, idem Sancti Innocentes, (flores ac primitiæ Martyrum, Deóque gratissimæ victimæ) quodammodo excubare videantur.

Alterum vero S. Hieronymi.

§. 7. Alterum vero in honorem & memoriam S. Hieronymi præstantissimi Ecclesiæ Doctoris cuius titulus in Ecclesia Illyricorum, fuit nobis in nostra assumptione ad Cardinalatus honorem assignatus, & perpetuo retentus, quique Præsepe Domini ita viuens coluit, vt ex hac mundo decedens per illud tanquam vitæ ianuam ad cœlestem patriam commigrarit.

Post perfectū opus huius Capella compertum est, eā esse similem veteri Capellæ ad Præsepe Domini in Eccl. Bethleemitana quod ex inspiratione diuina ad Pontificem fecisse videtur.

§. 8. Cum igitur, Deo fauente, pium huiusmodi iam absolutum, & ad tectum perductum foret, compertum est tandem, relatione ac testimonio fide dignorum virorum, qui ex peregrinatione Terræ Sanctæ nuper in Vrbem aduenerunt, Nobis nihil tale vnquam cogitantibus, non humano consilio, sed plane diuino instinctu ita contigisse, vt hæc nostra Capella, veteri Capellæ ad Præsepe Domini positæ in Ecclesia Bethleemitana, quæ est in Palestina, ædificio, substructione, ac præcipuis suis partibus admodum similis euaserit; nam & à sinistra parte Ecclesiæ vti hæc nostra sita est, & habet ædiculam Præsepis Dominicæ subterraneam, nostræ consimilem, tectam testudine, opere vermiculato ornatam, sicuti & hæc est, ad quam, & per gradus descensus patet; habet quoque illa Capella marmoreum, vti & hæc nostra pauimentum. Altaria etiam proxima in memoriam Sanctorum Innocentium, S. Catharinæ Virginis & Martyris, & S. Hieronymi extructa, quemadmodum & nostra, vnum in S. Luciæ, cum reliquiis Sanctorum Innocentium, & alterum in eiusdem S. Hieronymi memoriam pariter erecta, ita vt ipsa gloriosa Virgo, quæ olim primis Sanctæ huius Basilicæ fundatoribus, certos fines, & locum niuibus, quarum memoria in hodiernum vsque diem religiose colitur, mirabiliter præscripsit, ac designauit, nunc etiam in nostra Capella quasi dictæ Basilicæ appendice extruenda, diuinitus mentem nostram inspirauerit, simulque suæ ac diuinæ voluntatis & prouidentiæ, admirabilem, minimeque obscutam dederit significationem.

In eadem Capella idem Pont. sepulchra magnifice extruxit. Alterum Pio PP. V. à dextris Capellæ, Alterum sibi à sinistris. Aliud etiam in vestibulo pro suis consanguineis sepelien. posuit.

§. 9. Demum vero Nos ad Dei omnipotentis, & Intemeratæ Virginis partus gloriam, fideliſque populi erga Cœlorum Reginam deuotionem augendam, eamdem Capellam solemni ritu consecrari & dedicari curauimus, atque in ea duo sepulchra conquisitissimis columnis, & lapidum varietate, opere sumptuoso ac magnifico, extruximus, quorum alterum Sanctæ memoriæ Pio Papæ V. nostro etiam prædecessori, de Christiana Republica, deque nobis optime merito, à dextris eiusdem Capellæ posuimus, vt perpetuum nostri erga eum, grati & pij animi apud posteros monumentum extet. Alterum à sinistris ad nostram sepulturam reseruauimus. Tertium vero separatim in vestibulo dictæ Capellæ, & in ipsa Naui Basilicæ, illi contigua, pro nostris dumtaxat consanguineis sepeliendis assignauimus.

Et modo ad laudem eiusdem B. Virg. & ad Præsepis venerationem, vnam Præposituram, vnam Sacristiam, quatuor Capellanias, & quatuor Clericatus in d. Capella erigit, & instituit.

§. 10. Vt autem in eadem Capella nostra ad ipsum Sanctum Præsepe, vbi Angelorum Chori, Deo gloriam, & hominibus pacem annunciarunt, & vbi nos anno præterito, cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac aliis Episcopis & Prælatis, in Natalis Domini nocte, Missarum solemnia celebrauimus, assiduè incruentum salutaris hostiæ sacrificium, pro nostra & totius populi Christiani salute offeratur, & diuinæ laudes, atque officia persoluantur; ob eam causam certos presbyteros & Clericos, qui in Capella, duobusque ei coniunctis Sacellis, seu Altaribus prædictis Deo inseruiant, constituere decreuimus. Cum itaque, sicut accepimus, S. Ioannis de Pyro Policastren. & S. Leonardi Salernitan. Ciuitatum, vel diœcesf. Monasteria, Ordinum S. Basilij, & S. Benedicti, quæ bon. mem. Petrus Episcopus Caietanus, & quondam Ludouicus Blanchettus Clericus, ex dispensatione & concessione Apostolica, in Commendam dum viuerent respectiuè obtinebant, vtraque Commenda huiusmodi, per obitum Petri Episcopi & Ludouici prædictorum, qui apud Sedem prædictam diem clauserunt extremum, cessante adhuc eo quo ante Commendam ipsam vacabant, modo vacauerint & vacent ad præsens, & dilectus filius noster Philippus tituli S. Sabinæ presbyter Cardinalis Spinola nuncupatus, qui monasterium S. Nicolai de Bitramo dicti Ordinis S. Basilij Hieracen. diœcesis, ex simili concessione & dispensatione in Commendam ad eius vitam obtineret, posteriori Commendæ huiusmodi, ac omni & cuicumque iuri sibi in dicto Monasterio S. Nicolai, illiusque regimine & administratione, vel ad illa quomodolibet competenti, hodie in manibus nostris sponte & libere cesserit. Nos cessionem huiusmodi admittentes, ac Capellam nostram prædictam ad eiusdem Redemptoris nostri laudem & honorem, & gloriosissimæ illius Genitricis, dictique Sancti Præsepis memoriam & venerationem, ac diuini cultus incrementum, competenti beneficiorum & Ministrorum Ecclesiasticorum numero stabilire, annuisque redditibus pro congrua eorum sustentatione & manutentione, onerumque illis, ac dictæ nostræ Capellæ, necnon illius fabricæ, & Sacristiæ pro tempore incumbentium supportatione necessariis dotare volentes, verumque & vltimum dictorum Monasteriorum vacationis modum, etiamsi ex illo quæuis generalis reseruatio, etiam in corpore iuris clausa resultet præsentibus pro expressis haben. Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, & certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine in Capella nostra prædicta vnam Præposituram quæ in ipsa Basilica, secunda Dignitas existat, hoc est prima post Archipresbyteralem, pro vno Præposito, vtriusque vel alterius iurium Doctore, seu in Theologia Magistro, & in presbyteratus ordine constituto, ac vnam Sacristiam pro vno Sacrista, & quatuor perpetuas sine cura Capellanias, pro quatuor perpetuis Capellanis presbyteris, & quatuor alia Clericatus nuncupanda perpetua simplicia beneficia Ecclesiastica pro totidem aliis Clericis nuncupandis perpetuis beneficiatis; quorum siquidem Sacristæ, Capellanorum, & Beneficiatorum, qui Clerici nuncupantur, dictus Præpositus caput existat, ac in rebus, negotiis, & actibus, per eos tractandis, & faciendis, primum & digniorem locum habeat, ibidemque præsit; ac tam ipse quam prædicti Sacrista, Capellani, & Beneficiati dictæ Capellæ, prout inferius descriptum erit deseruiant, Apostolica auctoritate tenore præsentium, perpetuo erigimus & instituimus.

Pro illarumq; sustentatione redditus beneficiorum hic descriptorum eis assignat.

§. 11. Ac eidem Capellæ nostræ illiusque fabricæ & Sacristiæ, necnon communi massæ ipsorum Præpositi, Sacristiæ, Capellanorum, & Beneficiatorum, pro eorum manutentione & sustentatione, ac onerum illis incumbentium supportatione, singula Monasteria prædicta, quæ conuentu carent, ac quorum fructus, redditus & prouentus Sancti Ioannis ad quadraginta, S. Leonardi vero ad quinquaginta florenos auri, in libris Cameræ Apostolicæ taxati reperiuntur, Sancti Nicolai autem, ac illi perpetuo annexorum, S. Mariæ de Pigliano, & eiusdem S. Mariæ de Canisis quingentorum & quinquaginta ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, vt etiam accepimus non excedunt quibuslibet modis, & ex quorumcumque personis, seu per literas quorumuis cessiones, de illorum regiminibus & administrationibus in Romana Curia vel extra eam, etiam coram Notario publico, & testibus sponte factas vacent, etiamsi tanto tempore vacauerint, quod eorum prouisio iuxta Lateranen. statuta Concilij, aut canonicas sanctiones ad Sedem prædictam legitimè deuoluta existat, & illa ex quauis causa ad Sedem eamdem specialiter vel generaliter pertineat & de illis consistorialiter disponi consueuerit seu debeat, ac super regiminibus & administrationibus Monasteriorum

huiuſmodi inter aliquos lis, vel eorum poſſeſſorio moleſtia, cuius litis ſtatum etiam præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indecisa, cum prædictis, & forſan aliis illis annexis, eorumque membris, grangiis, prædiis, poſſeſſionibus, decimis, primitiis, vineis, terris, agris, cenſibus, fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, obuentionibus, emolumentis, pertinentiis, rebus, & actionibus vniuerſis, cæteriſque bonis mobilibus & immobilibus, ac ſe mouentibus, cuiuſcumque qualitatis, pretij, & valoris annui exiſten. ac vbique locorum conſiſten. eorumque proprietate & dominio. Ita quod liceat Collegio Præpoſiti, Sacriſtæ, Capellanorum, & Beneficiatorum huiuſmodi, per ſe vel alium ſeu alios, eorum & dictæ noſtræ Capellæ, illiuſque fabricæ & Sacriſtiæ, ſuæque menſæ, ſeu maſſæ communis nominibus corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem Monaſteriorum, annexorum, membrorum, grangiarum, prædiorum, poſſeſſionum, decimarum, primitiarum, vinearum, terrarum, agrorum, cenſuum, iurium, pertinentiarum, rerum, actionum, & bonorum huiuſmodi, propria auctoritate abſque ſpolij, & attentatorum vitio, ac cuiuſcumque ludicis, decreto vel miniſterio libere apprehendere, & perpetuo retinere, illaque regere & adminiſtrare, necnon fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones, & emolumenta eorumdem percipere, exigere, & leuare, illaque in ſuos, ſecundum ordinationem inferius per nos deſcriptam, & dictæ Capellæ noſtræ, illiuſque fabricæ & Sacriſtiæ vſus, vtilitatem & neceſſitates omnino conuertere, Diœceſani loci, vel cuiuſuis alterius licentia deſuper minime requiſita, auctoritate & tenore prædictis, etiam perpetuo vnimus, annectimus, & incorporamus, ac in eiſdem Monaſteriis ſic vnitis, eorumque Eccleſiis, annexis, membris, & grangiis, dignitates Abbatiales, illarumque titulos, nomina, & denominationes, eiſdem auctoritate & tenore ſimiliter perpetuo ſupprimimus & extinguimus.

Præpoſito, & Capellanis prædictis quoſdã miſſas & Anniuerſaria celebrandi curam iniungit.

§. 12. Statuentes & ordinantes, vt Præpoſitus & Capellani prædicti, ſingulis diebus Dominicis & feſtiuis, Miſſas quatuor, aliis vero diebus tres Miſſas, alternis vicibus ſeu hebdomadatim, iuxta prouidam diſpoſitionem & ordinationem deſuper ab eis faciendam celebrare, & quotannis tria Anniuerſaria officia mortuorum, vnum videlicet pro dicti Pij prædeceſſoris, & aliud pro Noſtra, poſtquam viam vniuerſæ carnis ingreſſi fuerimus, reliquum autem, pro patentum & propinquorum noſtrorum, ac infraſcriptorum patronorum animabus; quæ tamen non intra dictam Capellam noſtram, ſed extra eam in illius veſtibulo, quod eſt in eiuſdem Baſilicæ naui eidem Capellæ continua peragantur, ne vbi vitæ auctor, & mortis victor ac triumphator eſt ortus, ibi caſtra doloris Cenotaphia pallea, feretralia, & alia mortuorum, ac funeralium officiorum inſignia conſpiciantur.

Sacriſta, celebrationis officiorum, & Capella ſupellectilis, & ornamentorum curam aſſignat.

§. 13. Sacriſta vero curam celebrationis Anniuerſariorum, officiorum, & Miſſarum huiuſmodi, necnon cuſtodiam ſacræ ſupellectilis, ac ornamentorum & paramentorum ad dictæ Capellæ noſtræ vſum pro tempore pertinentium habere.

Beneficiatiſq; omnes in præmiſſis aſſiſtẽdi, & diuinis inſeruiendi imponit.

§. 14. Alij autem Beneficiati prædicti, eiſdem Præpoſito, Sacriſtæ, & Capellanis in præmiſſis aſſiſtere, eiſque in diuinis inſeruire, ac alia obſequia, & onera ſibi pro tempore impoſita præſtare debeant, & teneantur. Ac omnes ſimul vnum Collegium inter ſe cum arca, maſſa, & ſigillo communibus, aliiſque Collegialibus inſignibus, ad inſtar aliorum ſimilium Collegiorum, tam in prædicta, quam aliis quibuſuis dictæ Vrbis Baſilicis & Eccleſiis inſtitutorum, conſtituant.

Eiſque omnibus certos reddit⁹ & prouentus concedit.

§. 15. Necnon annis ſingulis ex dictis fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, obuentionibus & emolumentis, ipſius noſtræ Capellæ Præpoſitus quadringenta, Sacriſta centum & quinquaginta, ſinguli Capellani etiam centum & quinquaginta, ſinguli vero & alij beneficiati Clerici inibi pro tempore exiſtentes, quinquaginta ſcuta monetæ Romanæ percipere, ipſique inſimul ſimiliter annis ſingulis vnum Theſaurarium ſeu Camerarium, qui de eorum gremio exiſtat, & ad quem peculiaris cura recuperationis, exactionis, diſtributionis, & repartitionis, omnium & ſingulorum fructuum, reddituum, prouentuum, iurium, obuentionum, & emolumentorum ad dictam Capellam noſtram, illiuſque fabricam & Sacriſtiam, atque ad communem maſſam Collegij huiuſmodi, nunc & pro tempore ſpectan. pertineat eligere & deputare; necnon vt ſoluta Præpoſito, Sacriſtæ, ac ſingulis Capellanis ac beneficiatis prædictis rata parte, ſeu portione eos, vt præfertur tangente, & deductis omnibus impenſis ad vſum Capellæ noſtræ, illiuſque fabricæ & Sacriſtiæ huiuſmodi neceſſariis, totum id quod ſupererit, in emptionem tot locorum Montium non vacabilium, aut aliorum bonorum ſtabilium erogare, illorumque necnon inde prouenien. fructus poſtquam ad ſummam centum ſcutorum ſimilium aſcenderint, pro vna inter ſe proportionabiliter diuidere & repartiri; altera vero medietatibus, eorumdem ſuper excreſcentium fructus, in vſum, neceſſitates, & ornamenta Capellæ noſtræ, illiuſque fabricæ & Sacriſtiæ huiuſmodi conuertere debeant; ita tamen vt Theſaurarius, aut Camerarius pro tempore exiſtens, de receptis & adminiſtratis per eum, rationem & computa eidem Collegio in fine cuiuſlibet anni reddere omnino teneatur.

Et in choro locum eiſdem quandocumque ij adeſſe voluerint aſſignat.

§. 16. Ac inſuper vbi, quoties, & quandocumque eis placuerit, libere eorum arbitrio, ſine vllo tamen onere, aut obligatione, & ſine vllo impedimento, ſtallum & locum in dicta Baſilica, & illius choro habere, omnibuſque & ſingulis horis Canonicis, ac aliis diuinis officiis, necnon proceſſionibus, cæteriſque publicis actibus, non tamen Capitularibus, dictæ Baſilicæ intereſſe, ita vt neque ad intereſſendum præmiſſis vnquam cogi vel compelli, nec ſi ſponte accedere voluerint, impediri quouis prætextu poſſint. Et ibidem Præpoſitus, videlicet cappam, aut cottam cum rocheto, prout temporis qualitas exegerit, ad inſtar Canonicorum eiuſdem Baſilicæ, Sacriſta autem & Capellani, ac alij beneficiati Clerici nuncupati prædicti, habitum per alios Beneficiatos & Clericos ipſius Baſilicæ geſtari ſolitum, reſpectiuè deferre, necnon attenta antiquitate, nobilitate, & præſtantia eiuſdem Sancti Præſepis Dominici, à quo tanquam præcipua & primaria parte, tota Baſilica etiam ad Præſepè Domini olim dicta fuit, & cum hæc ipſa per nos erecta dignitas Sacriſtiæ, Capellaniæ, & Beneficia pro diuino cultu & ſeruitio eiuſdem Præſepis fuerint inſtituta, Præpoſitus immediate, poſt Vicarium Archipreſbyteri dictæ Baſilicæ, & ante omnes illius Canonicos ſupradictos; Sacriſta vero & deinde Capellani poſt ipſos Canonicos, & ante omnes Beneficiatos Baſilicæ, alij autem eiuſdem Capellæ noſtræ Beneficiati Clerici appellati, poſt Beneficiatos, & ante Clericos Baſilicæ huiuſmodi immediate ſedere & incedere, libere & licite poſſint.

Et ne propterea aliquod emolumentum percipiant, interdicit.

§. 17. Per hoc tamen eiuſdem Baſilicæ & Capitulo, Canonicis, Beneficiatis & Clericis, quoad diſtributiones & alia emolumenta per eos dum horis Canonicis, diuiniſque officiis, ac proceſſionibus & aliis actibus huiuſmodi interſunt, percipi, & lucrari ſolita, aliqua ex parte præiudicare nequaquam intendimus; quinimmo dictis noſtræ Capellæ Præpoſito, Collegio, Sacriſtæ, Capellanis, & Beneficiatis, Clericis nuncupatis, & eorum cuilibet auctoritate & tenore prædictis inhibemus, ne ipſi eorumue aliquis, ſiue propter eorum præſentiam, intereſſentiam, & aſſiſtentiam in choro horis Canonicis, diurnis & nocturnis, Miſſis etiam ſolemnibus, & aliis diuinis officiis, etiam in feſtiuitatibus maioribus, & quocumque anni tempore, aut proceſſionibus vel anniuerſariis mortuorum, ſiue propter aliam quamcumque cauſam vel occaſionem quippiam, patuum aut magnum, etiam pro eorum tota, aut pro virili de ipſius Baſilicæ Capituli Beneficiatorum & Clericorum prædictorum menſa, maſſa, diſtributionibus, aut emolumentis, ordinariis vel extraordinariis, etiam incertis, & vt præfertur perſonaliter intereſſentibus tantum dari ſolitis, vllo modo, aut quæſito colore vel ingenio percipere, aut quomodolibet prætendere audeant vel præſumant.

In d. Capella aliud ſepulchrum, ſeu cumulum pro quauis perſona fieri prohibet.

§. 18. Deinde ne ipſa Capella noſtra, illiuſque ſitu, ſeu ambitu, ſolo, aut pauimento, muris, ſtructuris, & ædificiis præter ſupradicta monumenta aliud ſepulchrum aut ſepulturæ locus, ſeu tumulus, alteri perſonæ cuiuſcumque ſtatus, gradus, qualitatis, & conditionis fuerit, ſiue per viam depoſiti, ſiue alias quomodolibet concedi vel aſſignari poſſit aut debeat, diſtrictè interdicimus, & omnino in perpetuum prohibemus.

§. 19. Præterea eamdem Capellam noſtram, illiuſque fabricam

Digitized by Google

Capellam ipsam & eius Sacristiam, Præpositum, Sacristã, Capellanos, & Clericos eorumque bona, ab aliorum iurisdictione eximit.

fabricam & Sacristiam, necnon Præpositum, Sacristam, Capellanos & Beneficiatos, Clericos nuncupatos, pro tempore existentes, ipsumque Collegium, ac prædicta ceteraque omnia, & quæcumque illius & eorum bona mobilia & immobilia cuiuscumque qualitatis in dictis Vrbe & locis, & extra, ac alias vbique locorum consistentia, ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate & potestate, nunc & pro tempore existentis Vrbis Vicarij, ac Archipresbyteri dictæ Basilicæ, eiusque Vicarij & Capituli, & cuiuluis Ordinarij, loci, aliorumue quorumcumque Iudicum & officialium, in ipsa vrbe vel alias vbilibet constitutorum, perpetuo eximimus & liberamus, ac sub Beati Petri, & Sedis Apostolicæ, atque nostra protectione suscipimus, nobisque & dictæ Sedi immediate subiicimus.

Priuilegiaque aliis in Ecclesiis Vrbis dignitates huiusmodi habentibus concessa prædicto etiam concedit.

§. 20. Ad hæc, Præposito, Sacristæ, Capellanis, & Beneficiatis Clericis nuncupatis prædictis, illorumque Collegio, vt omnibus & singulis priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, præeminentiis, prærogatiuis, fauoribus, facultatibus, indultis & aliis gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus alij Dignitates, Capellanias, & alia beneficia in dictæ Sanctæ Mariæ Maioris, & aliis eiusdem Vrbis Basilicis, & Ecclesiis pro tempore obtinen. eorumque Collegia, de iure vel consuetudine, aut ex priuilegio, vel alias quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed æque principaliter & pariformiter, in omnibus & per omnia, vti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate & tenore prædictis indulgemus.

Officialibus omnibus, ne eos molestent, præcipit.

§. 21. Necnon tam prædictis in Vrbe Vicario, Archipresbytero, eiusque Vicario & Capitulo, locorum Ordinariis, quam aliis quibuscumque personis, quauis auctoritate & dignitate fungentibus, ne quarumcumque facultatum, priuilegiorum, aut literarum eis, sub quibuscumque tenoribus & formis concessorum prætextu, Præpositum, Sacristam, Capellanos, aut Beneficiatos, qui Clerici appellantur prædictos, siue eorum aliquem in præmissis quoquomodo molestent, aut molestari permittant, districtius inhibemus.

Protectoremq; & eorumdem Defensorem Alexandrum Perettũ Cardin. de Monte Alto, eius pronepotem, & eo defuncto, alios hic designatos deputat.

§. 22. Vt vero Capellæ nostræ, illiusque fabricæ & sacristiæ, ac Collegij huiusmodi, felici & prospero regimini, gubernio, & conseruationi opportune consulatur, vtque promptum & paratum sit eis auxilium, Dilectum filium Alexandrum Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem de Montealto nuncupatum, ex sorore germana, secũdum carnem, pronepotem nostrum, & eo vita functo, antiquiorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, ex nostra familia, parentela, vel in eius delectum ex Prouincia Marchiæ Anconitanæ oriundum, seu si nullus eorum fuerit, primum presbyterum Cardinalem pro tempore existentem eiusdem Capellæ nostræ, illiusque personarum, rerum, bonorum, & iurium Protectorem ac Defensorem, cuius consilio & ope omnia supradicta, & quæcumque alia in his, & circa ea quomodolibet necessaria agantur, statuantur, & ordinentur, constituimus & deputamus. Ac volumus & declaramus, quod licet nullo existente nostri sanguinis Cardinale, alius ad id, vt præfertur vocatus Cardinalis munus Protectoris huiusmodi, subire & exercere inceperit, nihilominus si postmodum contingat, aliquem nostræ familiæ & parentelæ, ad Cardinalatus honorem assumi, his, in eiusdem muneris functione præferri debent, & constitutio ac deputatio de cuiusuis alterius persona in Protectorem huiusmodi factæ eo ipso cessare & expirare censeantur.

Iurisdictionẽ circa Præpositũ, Sacristam, Capellanos, & Clericos, & eorũ lites eidem tribuit.

§. 23. Dantes & concedentes eidem Alexandro Cardinali, moderno & pro tempore existenti eiusdem nostræ Capellæ Protectori, plenam & liberam facultatem, & auctoritatem, differentias, lites, controuersias inter quascumque personas, tam Præpositi quam Sacristæ, Capellanorum & Beneficiatorum Clericorum nuncupatorum dictæ Capellæ, eorumdemque litium consortes, seu ab eis causam habentes pro tempore exortas summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu & figura iudicij appellatione remota decidendi, definiendi, terminandi, & exequendi; ac denique eamdem, prorsus iurisdictionem, superioritatem, & potestatem in Capella nostra, illiusque Altaribus, atque vniuersis & singulis personis prædictis liberè exercendi, in omnibus & per omnia, quam pro tempore existens Archipresbyter dictæ Basilicæ, eiusque Vicarius in ipsa Basilica, illiusque Altaribus, Capitulo, Canonicis, Beneficiatis, & Clericis, vel Ministris, de iure, consuetudine, aut ex priuilegio, aut alias quomodolibet exercere potest & debet, siue in futurum poterit & debebit, etiam quoad ea vniuersa & singula, quæ expressionem & concessionem requirunt magis specialem, quæque sub generali huiusmodi concessione non comprehenduntur.

Iuspatronatus & præsentãdi personas præfatas, Michaeli Peretto eius pronepoti, illiusque descendentibus concedit.

§. 24. Insuper iuspatronatus, & præsentandi personas idoneas etiam alienigenas ad Præposituram videlicet, Protectori, ad Sacristiam vero, ac quatuor Capellanias, & alia beneficia Clericatus nuncupata huiusmodi Præposito pro tempore existentibus prædictis, tam hac prima vice ad eorum primæua erectione & institutione huiusmodi, apud Sedem prædictam vacantia, quam quoties ex nunc de cetero illa quibuslibet modis, & ex quarumcumque personis, etiam nostri aut Romani Pontificis pro tempore existentis, seu cuiuslibet Cardinalis etiam tunc viuentis familiaribus, continuis commensalibus, seu Romanæ Curiæ officialibus, aut alias quomodolibet reseruationem inducentibus, semper liberas, vel ex causa permutationis resignationes de illis, in dicta Curia etiam in manibus nostris, vel Romani Pontificis pro tempore existentis, vel extra eam quomodolibet factas & admissas, aut assecutionem alterius beneficij ecclesiastici, quauis auctoritate collati, seu illa pro tempore obtinentium decessum, vel quauis aliam dimissionem, amissionem, priuationem, religionis ingressum, matrimonij contractum, aut alias quomodocumque & qualitercumque, etiam apud Sedem prædictam, simul vel successiue vacare contigerit, per Protectorem & Præpositum prædictos ad præsentationem huiusmodi in forma solita instituendas, Dilecto filio Michaeli Petetro Burgi S. Petri, & Militum custodiæ nostræ moderno Præfecto similiter nostro, secundum carnem, ex sorore dicta pronepoti, eiusque masculis, ex masculis descendentibus legitimis & naturalibus, ac ex legitimo matrimonio natis & procreatis; ita tamẽ quòd præsentatio fieri debeat solum à primogenito, & ipsius primogeniti primogenito vsque in infinitum hoc modo videlicet: Si dictus Michael plures filios masculos habuerit, præsentatio pertineat ad natu maiorem tantum, quisi etiam plures susceperit filios masculos, natu maior eorum tantum præsentet; & sic ius præsentandi huiusmodi semper transeat de primogenito in primogenitum vsque in infinitum; & deficiente linea masculorum totaliter, linea masculorum ex masculis descendentium à dicto primogenito præsentatio modo & forma præmissis ad secundo genitum, si superstes fuerit, sin minus ad maiorem natu masculum ex masculis descendentibus ab eodem; & sic de primogenito masculo, ad primum genitum masculum similiter vsque in infinitum; & deficiente linea masculorum ex masculis descendentibus à secundo genito, ius presentandi huiusmodi transeat ad tertio genitum, prædicto ordine seruato; & sic successiue de vna linea ad aliam, ad omnes descendentes à dicto Michaele.

Eiusdem deficientibus iuspatronatus ad Flauiam Perettam d. Michaelis sororem germanam, illiusque descendentes & vltimo eis omnibus deficientibus ad ipsius Pontificis sanguine proximiorem, deuenire decernit.

§. 25. Et deficientibus omnibus masculis descendentibus masculis à dicto Michaele, succedat filia primogenita dicti Michaelis, si fuerit superstes, vel si ea non extabit, ab ea descendentes masculi, donec extabunt, transeundo de primogenito in primogenitum, modo & forma præmissis, & deficientibus, omnibus masculis, & masculis descendentibus ab omnibus filiabus dicti Michaelis succedant masculi descendentes ex nepotibus eiusdem Michaelis. Deficien. autem omnibus masculis & feminis à dicto Michaele descendentibus, iuspatronatus, & præsentandi huiusmodi transeat ad dilectam in Christo filiam Flauiam etiam Perettam dicti Michaelis sororem germanam, si extabit, & post eam, vel si ipsa non extabit, ad filios masculos ipsius, & ab eis masculos descendentes vsque in infinitum, & cessantibus masculis, ad fœminas à dictis masculis descendentes. Et cessantibus omnibus tam masculis quam fœminis descendentibus à dictæ

dicta Flauia, succedat dilecta in Christo filia Vrsina similiter Peretta eiusdem Michaelis etiam soror germana, & post eam, vel si ipsa tunc non extabit, eius filij masculi, & masculi ex masculis descendentes vsque in infinitum, & deficientibus masculis, ex masculis descendentibus succedant fœminæ ab eis descendentes. Deficientibus autem omnibus & singulis masculis & fœminis descendentibus à dictis Michaele, Flauia, & Vrsina, tunc succedat in dicto iure patronatus qui nobis fuerit sanguine proximior, seruato semper in omnibus casibus supradictis, ordine primogenituræ, transeundo scilicet de primogenito in primonitum, & præferendo lineam primogeniti lineæ secundo geniti, & masculos ex masculis descendentes natis ex fœminis, ac masculos ex fœminis ipsis fœminis, ac alias in omnibus ac puer omnia prout in linea filiorū & descenden. à dicto Michaele ordinatum est, ita quod ius præsentandi huiusmodi ad vnum solum successorem insolidum, & post illum ad alium semper deueniat, absque eo quod inter plures successores diuidi possit motu & scientia similibus, auctoritate & tenore prædictis pariter perpetuo reseruamus, concedimus & assignamus.

Ius istud patronatus, laicorum nobilium & illustrium esse, & dictu patronis non ex priuilegio, sed ex vera fundatione, & dotatione cōpetere declarat.

§. 26. Decernentes iuspatronatus, & præsentandi huiusmodi, laicorum Nobilium, & Illustrium existere, ac Michaeli & aliis futuris patronis prædictis, non ex priuilegio, sed ex veris, primæua, reali, actuali, plena, integra, ac omnimoda fundatione, & perpetua dotatione competere, & ad illos pertinere, illudque vim, effectum, naturam, substantiam, essentiam, qualitatem, validitatem, & roboris firmitatem obtinere, ac Michaeli & aliis futuris patronis prædictis, & eorum cuilibet perpetuo suffragari debere, in omnibus & per omnia, absque vlla prorsus differentia, perinde ac si illis & eorum cuilibet ratione veræ, realis, actualis, plenæ & integræ fundationis ac perpetuæ dotationis per eos de eorum propriis, & mere patrimonialibus & laicalibus bonis dumtaxat competeret, & concessum esset.

Clausulas præseruatiuas apponit.

§. 27. Ac vt tale sub quacumque derogatione, etiam cum quibusuis prægnantissimis & efficacissimis verbis, clausulis, ac decretis, etiam cum clausula. Quorum tenores, in quacumque dispositione, etiam per viam constitutionis, legis, Regulæ Cancellariæ Apostolicæ, aut alias quomodocumque facta nullatenus comprehendi, nec illi vllo vmquam tempore, etiam ratione cuiusuis litis pendentiæ, vel vacationis Præposituræ, Capellaniarum, Sacristiæ, & aliorum beneficiorum huiusmodi apud Sedem prædictam, etiam ex causa permutationis vel deuolutionis, seu alio quocumque prætextu, & ex quacumque causa quantumuis vrgenti & legitima, per nos seu quoscumque alios Romanos Pontifices pro tempore existentes, vel Sedem prædictam, aut illius Legatos etiam de latere, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, seu cuiusuis intuitu, & contemplatione per quascumque literas Apostolicas, etiam in forma Breuis, & quasuis etiam derogatoriarum derogatorias, ac fortiores & insolitas clausulas, necnon irritantia, & alia contraria decreta quæcumque derogari, aut derogatum censeri posse, neque debere, nisi in illis de toto tenore, ac data præsentium, necnon patroni pro tempore existentis, nomine, cognomine, & qualitate, specialis, specifica, & indiuidua mentio facta fuerit, ac eiusdem patroni pro tempore existentis ad hoc expressus accesserit assensus, & aliter factas derogationes, necnon quascumque collationes, prouisiones, commendas, præsentationes, institutiones, vel alias dispositiones, de Præpositura, Sacristia, Capellaniis, & aliis Beneficiis prædictis, vt præfertur, vel alias quouis modo, etiam apud Sedem eandem pro tempore vacan. quibusuis personis alias, quam ad præsentationem Michaelis, & aliorum patronorum prædictorum, seu de eorum expresso consensu, etiam cum speciali & expressa derogatione iurispatronatus huiusmodi pro tempore factas, processusque desuper habitos, ac inde pro tempore secuta quæcumque nulla, & inualida, nulliusque roboris vel momenti, fore & esse, ac pro nullis, & infectis, haberi & censeri, nec ius aut colloratum titulum possidendi cuique tribuere, vel per illa acquiri posse, sed præsentationes per Michaelem & alios futuros patronos prædictos pro tempore factas, & subsecutas institutiones, validas & efficaces fore, suosque effectus sortiri, ipsisque præsentatis & institutis, tale ius in re, & ad rem acquiri debere, quale acquiritur præsentatis, & institutis ad beneficia de vero & reali iurepatronatus laicorum, nobilium, & illustrium, ratione primæuæ & integræ fundationis, ac perpetuæ dotationis ex bonis mere laicalibus, & patrimonialibus dumtaxat existentia, necnon Præposituram, Sacristiam, Capellanias, aliaque beneficia, Clericatus nuncupata huiusmodi, sub quibusuis specialibus vel generalibus reseruationib. vnionibus, annexionibus, incorporationibus, suppressionibus, extinctionibus, etiam perpetuis vel temporalibus expectatiuis, & aliis etiam præuentiuis gratiis, ac vniendi, annectendi, & incorporandi, necnon conferendi, prouidendi, & aliis facultatibus, concessionibus, literis, mandatis etiam de prouidendo, & indultis quibuscumque, illorumque & illarum reualidation. quibusuis personis, etiam prædictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusuis suspensiuis, restitutiuis, ac etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, irritantibusque & aliis etiam vim contractus inducentibus, decretis, atque alias quomodolibet nunc & pro tempore concessis, necnon quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Cancellariæ regulis quomodolibet, & cum quibusuis clausulis & decretis quantumuis amplissimis, ac prægnantissimis, etiam cum clausula Quorum tenores, editis & edendis nullatenus comprehensa esse, aut fore, minimeque comprehendi posse aut debere, sed semper ab illis excepta & exclusa esse, & censeri debere, ac omnia & singula præmissa, necnon præsentes literas nullo vmquam tempore, de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quouis defectu, etiam ex eo quod causæ propter quas eadem præmissa facta sunt, coram locorum Ordinariis, etiam tamquam Sedis prædictæ delegatis examinatæ, verificatæ, & ab eis approbatæ, ac interesse forsan habentes ad id vocati non fuerint, nec desuper suum consensum præstiterint, seu ex quauis alia causa, vel quocumque prætextu, quæsito colore vel ingenio notari, impugnari, inualidari, retractari ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controuersiam vocare; aut aduersus illa quodcumque iuris, facti, vel gratiæ remedium impetrari posse, nec sub vllis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum in quo antea erant statum restituta, reposita, & plenarie reintegrata, ac de nouo etiam sub Datum per Michaelem, & futuros patronos prædictos quandocumque eligenda, concessa, valida & efficacia fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, ac perpetuo suffragari.

Decretum irritans.

§. 28. Sicque in præmissis vniuersis & singulis, per quoscumque iudices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi ac interpretandi facultate & auctoritate, in quauis causa & instantia iudicari & definiri debere irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 29. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostien, Sabinen, & Tusculan Episcopis, Motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte pro tempore existentium Protectoris & Patroni, necnon Præpositi, Sacristæ, Capellanorum, & aliorum beneficiatorum prædictorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari, necnon Protectorem, Patronum, Præpositum, Sacristam, Capellanos & Beneficiatos pro tempore existen. prædictos, eorumque singulos illis pacifice frui & gaudere. Non permittentes, ipsos vel

Digitized by Google

vel quempiam ex eis, per quoſcumque deſuper quomodolibet moleſtari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoſlibet & rebelles, per ſententias, cenſuras & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis, ſeruatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggrauando. Inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Clauſulæ cõtrariorum derogatorias apponit

§. 30. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ memoriæ Bonifacij Papæ Octaui ſimiliter prædeceſſoris noſtri, etiam qua cauetur, ne quis extra ſuam Ciuitatem vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis vltra vnam dietam à fine ſuæ diœceſis ad iudicium euocetur, ſeu ne iudices à Sede prædicta deputati extra Ciuitatem vel diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alij vel aliis vices ſuas committere audeant ſeu præſumant, & in Concilio generali edita de duabus dietis, necnon quatenus opus ſit noſtris de non tollendo iure quæſito, & vnionem committendo ad partes vocatis, quorum intereſt, ac exprimendo vero annuo valore tam beneficij vniti quàm illius cui fit vnio, Lateranenſiſque vltimo celebrati, & quorumcumque aliorum generalium Conciliorum vniones perpetuas, niſi in caſibus à iure permiſſis fieri, ac etiam beneficia vnius diœceſis vniri prohibentibus aliiſque Apoſtolicis, ac in Prouincialibus & Synodalibus Conciliis, editis & edendis, ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon Baſilicæ Sanctæ Mariæ Maioris, ac Monaſteriorum & Ordinum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis ac Archipreſbytero & Capitulo prædictis, necnon Abbatibus, Superioribus, Conuentibus, & Religioſis Ordinum huiuſmodi, illorumque ac quibuſuis aliis perſonis, etiam prædictis Cardinalibus, ac etiam dilectis filiis Populo Romano, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritatiuis, annullatiuis, caſſatiuis, reuocatiuis, modificatiuis, reſeruatiuis, exceptiuis, declaratiuis, mentis atteſtatiuis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & dictam Sedem, etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ſeu etiam ad Imperatoris, Regum, Ducum, & quorumuis Principum inſtantiam, ſeu eorum intuitu, ac etiam iuramento vallati, & alias quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innouatis, etiamſi in eis caueatur expreſſe, quod Dignitates, Capellaniæ, & alia beneficia Eccleſiaſtica dictæ Vrbis, nonniſi Ciuibus Romanis, ac Ciuium Romanorum filiis originariis, & alias certo tunc expreſſo modo qualificatis conferri poſſint, & alias de illis etiam per Sedem prædictam pro tempore factæ collationes & prouiſiones, ac quæuis aliæ diſpoſitiones, nullius ſint roboris vel momenti, quodque eiſdem ſtatutis, priuilegiis, indultis, & literis vllatenus, aut nonniſi ſub certis modo & forma in eis expreſſis derogari poſſit, & ſi illis aliter derogari contingat, derogationes huiuſmodi nemini ſuffragentur. Quibus omnibus etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, alias de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda eſſet tenores huiuſmodi, acſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus contrariis quibuſcumque; aut ſi aliquibus prædictorum, vel quibuſuis aliis communiter vel diuiſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem quod propter vnionem, annexionem, & incorporationem prædictas, Monaſteria huiuſmodi, in ſpiritualibus non lædantur, & in temporalibus detrimenta non ſuſtineant, ſed eorum congrue ſupportentur onera conſueta.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo, v. Idus Iunij, Pontificatus noſtri Anno 3. *D. P. An. 3. die 9. Iunij.*

Anno à natiuitate Domini 1587. *die vero* 28. *menſis Auguſti; Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus D. Philippus retroſcriptus per eius cedulam, &c. Commendæ Monaſterij S. Nicolai, &c. ceſſioni, &c. Retroſcriptis, literarumque expeditioni conſenſit, &c. Tydeus Notarius.* *Publicatio.*

Damnatio coniugiorum per Eunuchos & Spadones contractorum & contrahendorum. LIX.

SIXTVS PAPA V.

Venerabili fratri Epiſcopo Nunarien. noſtro & Sedis Apoſtolicæ in Regnis Hiſpaniarum Nuncio. *Edita An. D. 1586.*

CVm frequenter in iſtis regionibus Eunuchi quidam & Spadones, qui vtroque teſte carent, & ideo certum ac manifeſtum eſt, eos verum ſemen emittere non poſſe, quia impura carnis tenrigine, atque immundis complexibus cum mulieribus ſe commiſcent, & humorem forſan quemdam ſimilem ſemini, licet ad generationem, & ad matrimonij cauſam minime aptum effundunt, matrimonia cum mulieribus, præſertim hunc ipſum eorum defectum ſcientibus contrahere præſumant, idque ſibi licere pertinaciter contendant, & ſuper hoc diuerſæ lites & controuerſiæ, ad ruum & Eccleſiaſticum forum deducantur, requiſiuit à nobis fraternitas tua quid de huiuſmodi connubiis ſit ſtatuendum: *Dubiũ exortum, ſuper validitate cõiugiorum, quæ contrahunt Eunuchi.*

§. 1. Nos igitur attendentes, quod ſecundum canonicas ſanctiones & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ ſunt, & impotentes, iidem minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur, quodque prædicti Eunuchi, aut Spadones, quas tamquam vxores habere non poſſunt, eaſdem habere vt ſorores nolunt, quia experientia docet, tam ipſos dum ſe potentes ad coeundum iactitant, quam mulieres, quæ eis nubunt, non vt caſte viuãt; ſed vt carnaliter inuicem coniungantur prana & libidinoſa intentione, ſub prætextu & in figura matrimonij turpes huiuſmodi commixtiones affectare, quæ cum peccati & ſcandali occaſionem præbeant, & in animarum damnationem tendant, ſunt ab Eccleſia Dei prorſus exterminandæ. Et inſuper conſiderantes, quod ex Spadonum huiuſmodi, & Eunuchorum coniugiis nulla vtilitas prouenit, ſed potius tentationum illecebræ, & incentiua libidinis oriuntur, eidem fraternitati tuæ per præſentes committimus & mandamus, vt coniugia per dictos & alios quoſcumque Eunuchos & Spadones, vtroque teſte carentes cum quibuſuis mulieribus, defectum prædictum ſiue ignorantibus, ſiue etiam ſcientibus, contrahi prohibeas, eoſque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate noſtra declares, & tam locorum Ordinariis, ne huiuſmodi coniunctiones de cetero fieri quoquomodo permittant, interdicas, quam eos etiam, qui ſic de facto matrimonium contraxerint ſeparari cures, & matrimonia ipſa ſic de facto contracta, nulla, irrita, & inualida eſſe decernas: *Declaratio quod ea nulla ſint in futurum.*

§. 2. Eos etiam qui ſic iam contraxerunt, ſi appareat illos non vt caſte ſimul viuant contraxiſſe, ſed actibus carnalibus & libidinoſis operam dare, ſimulue in vno & eodem lecto cum prædictis mulieribus dormire contincantur, omnino ſimiliter ſeparari cures. *Declaratio quoad coniugia iam contracta.*

§. 3. Nos enim ita in præmiſſis, & non aliter, per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, quacumque auctoritate & dignitate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, in quacumque cauſa & inſtantia iudicari & definiri debere, & ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel attentari in poſterum contigerit, irritum & inane decernimus. *Clauſulæ ſublatæ.*

§. 4. Non obſtantibus quibuſuis Ciuitatis, Prouinciæ, aut *Clauſula derogat.*

Digitized by Google

aut Regni ſtatutis, legibus municipalibus, aut conſuetudinibus, quæ abuſus potius & corruptelæ cenſendæ ſunt, etiamſi ab immemorabili tempore obſeruatæ dicuntur, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

D. P. An. 3. 27. Iunij. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris Anno Incarnat. Dominicæ, 1587. 27. Iun. Pontificatus noſtri anno 3.

LX. Inſtitutio Collegij honeſtarum Viduarum, & puellarum, ſub regimine Confratrum Congregationis S. Bernardi religioſe educandarum cum indultorum conceſſione, præſertim quoad pia eis relicta. Et iuriſdictio S.R.E.Cardinalis Protectoris & Iudicis cauſarum ad eas ſpectantium.

Edita An. D. 1587. SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. SAcroſanctæ militantis Eccleſiæ gubernacula ex ſummi ſacerdotij Cathedra nobis, licet meritis impariibus demandata, tenentes, ad ea libenter intendimus, per quæ Cœnobia, & alia religioſa loca, in quibus prudentes virgines accenſis lampadibus ſe præparent obuiam ituræ ſponſo IESV, in quarum Societate aliæ quoque mulieres ſpretis mundi vanitatibus, gratum & debitum Deo exhibeant famulatum vbique gentium, ſed præſertim in hac Alma Vrbe noſtra, in qua ſicut in vniuerſi Orbis magiſtra, veræ fidei & religionis documenta relucent, ita vniuerſa diuinæ Maieſtati accepta opera exerceri ſummopere deſideramus, conſtruuntur & eriguntur; idque vt facilius ſuccedat, ac perſonæ ad id opportuna auxilia exhibẽtes à nobis gratias & fauores reportaſſe lætentur, opem & operam impendimus efficaces, ac in his officij noſtri partes libenter impartimur, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Cauſa huius erectionis. §. 1. Sane cum ſicut accepimus alias poſtquam nos Eccleſiam Sanctorum Viti, Modeſti, & Creſcentiæ Martyrum Regionis Montium de Vrbe, Confraternitati Sacerdotum, & aliorum vtriuſque ſexus Chriſtifidelium Sancti Bernardi de dicta Vrbe canonice, inſtitutæ, cum facultate & ſcientia pro eiſdem Confratribus ibidem erigendi Monaſterium Monialium ſub Regula Sancti Benedicti Congregationis S. Bernardi Ciſtercienſis Ordinis, pro pauperibus puellis, quæ ſpretis mundi illecebris, Chriſto earum ſponſo perpetuum famulatum exhibere optarent conceſſerimus, prout in noſtris deſuper confectis literis plenius continetur, Dilecti filij Prior & Cuoſtdes, ac Confratres eiuſdem Confraternitatis ibidem Monaſterium, cum choro, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis, conſtrui & ædificari procurauerint, illudque adeo commodum reddiderint, vt infra octauam Conceptionis B. Mariæ Virginis proxime præteritæ nonnullæ puellæ Deo dicatæ, per deputatos eiuſdem Confraternitatis approbatæ, in moniales ipſius Monaſterij, iuxta laudabilem illius normam receptæ, admiſſæ, & introcluſæ extiterint. Tamen quia ſicut etiam accepimus, vltra trecentas per ipſos deputatos iam viſitatas in eadem Vrbe, alius ingens ac fere infinitus numerus pauperum puellarum minorum ſexdecim annis, quæ ob earum minorem ætatem infra annum probationis iuxta Concilij Tridentini decreta expreſſam profeſſionem emittere, ac in moniales recipi nequeunt, reperitur, & pleræque adſunt quæ ſi ætatem decem annorum excedant, vel vtroque parente orbatæ, ſeu Neophytæ, aut illegitimæ genitæ non ſint, aut ſi habeant parentes & conſanguineos honeſtæ conditionis & famæ, ab Archihoſpitalis S. Spiritus in Saxia, Sanctorum Quatuor Coronatorum, S. Catherinæ de Roſa, alias miſerabilium, & S. Baſilij Neophytarum reſpectiue nuncupatarum prædictæ Vrbis Monaſteriis, iuxta eorumdem Monaſteriorum ſtatuta, priuilegia, & indulta eis deſuper conceſſa penitus excluduntur, puellæque huiuſmodi, ac etiam nonnullæ honeſtæ viduæ, quæ à maritali vinculo ſolutæ in cœlibatu ſub clauſtro pudoris & continentiæ, vitam cælibem ſibi libenter ſtatuerent, ſi in aliquo Monaſterio, Collegio, aut loco recipi poſſent; quo fit, vt locum receptionis non inuenientes, non ſine maximo earum virginitatis, honoris, & pudoris periculo in ſæculo remanere cogantur. Quibus (ſicut pariter accepimus) dicti Confratres permoti, habita inter eos pluries matura deliberatione, cogitarũt, quod ſi Collegium vnum in quo pauperes puellæ, & viduæ honeſtæ huiuſmodi, quæ in aliis prædictis Monaſteriis recipi non poſſunt, reciperentur & admitterentur, ac cum timore Dei vna cum aliis puellis dicto Collegio minime oneroſis, quæ ibidem ſicut in pluribus aliis Monaſteriis & locis piis conſueuit, recipi & admitti poſſent, educarentur, erigeretur, & inſtitueretur, ac conſtrueretur, & vna duorum millium ex teſtamento quondam Marci Antonij Mureti Iunioris Clerici Lemouicenſis diœceſis, ſub die vigeſimanona Septembris proxime præteriti condito pauperibus puellis viram regularem profiteri cupientibus legata, & arbitrio dilectorum filiorum Ludouici Riualdi preſbyteri dictæ diœceſis, & Marci Antonij Lanfranci Veronenſis dicti Marci Antonij hæredum & executorum, ac altera mille, pauperibus puellis orphanis, nuptui tradendis arbitrio eorundem Ludouici & Marci Antonij Lanfranci iuxta tractatum ſeu conuentionem, inter Priorem, Cuſtodes, & Confratres, necnon Ludouicum & Marcum Antonium Lanfrancum huiuſmodi deſuper initum, ſeu initam, & factum ſeu factam, necnon reliqua ſummæ, trium millium reſpectiue ſcutorum de iuliis decem pro quolibet ſcuto, Collegio ſic erigendo huiuſmodi per dilectam in Chriſto filiam Magdalenam Strozziam Anguillariam, ſub certis modo & forma in inſtrumento donationis deſuper confecto donatæ, necnon quæcumque res & bona per quoſcumque Chriſtifideles, etiam cauſa teſtamenti codicillorum, donationis, aut alias ipſis viuentibus donata & conceſſa, ſeu donanda & concedenda eidem Collegio erigendo, applicarentur & appropriarentur, profecto, non ſolum publicæ vtilitati conſuleretur, ſed exinde plures ex dictis puellis Domino famulatum perpetuum exhiberent, reliquæ vero facilius nuptui traderentur, eleemoſynæque & alia pietatis opera, tam ab ipſis Confratribus quam aliis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus veriſimiliter in dies ibidem erogarentur, exercerentur & augerentur.

Erectio Collegij pauperum virginum, & honeſtarum viduarum, apud Monaſterium Monialium S. Bernardi.

§. 2. Nos igitur, qui noſtris poſſimum temporibus, quantum cum Deo poſſumus, quaſcumque virgines & honeſtas viduas in numero prudentum adſcribi, ac dictæ Confraternitatis incremento conſulere ſinceris deſideramus affectibus, Priorem, Cuſtodes, & Confratres prædictos, ac eorum ſingulos à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, necnon teſtamentorum, codicillorum, ac inter Priorem, Cuſtodes, & Confratres, ac Ludouicum & Marcum Antonium Lanfraucum, ac etiam per Magdalenam prædictos, vt præfertur initorum & tranſactorum, aliorumque quorumcumque inſtrumentorum & donationum factorum tenores & veriores, præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio non ad Prioris, Cuſtodum, & Confratrum prædictorum vel alicuius eorum pro eis ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate in dicto Monaſterio Sancti Bernardi, vt præfertur conſtructo, ſeu prope illud, aut alibi, vbi pro tempore forſan transferri contigerit vnum Collegium pauperum puellarum virginum, & honeſtarum viduarum bonæ & honeſtæ conditionis & famæ, in quo puellæ & viduæ ipſæ ne paupertate oppreſſæ, dæmonis arte, in vitiorum ſordes prolabantur, recipi, ac ſeparatim à commercio Monialium pie & charitatiue & regi & educari, ac ſub Domini timore, virtutumque exercitiis, ac Chriſtianis moribus & inſtitutis inſtrui, necnon inibi quouſque iuxta cuiuſlibet earum inclinationem, voluntatem ac deuotionem, ſiue alia honeſta ratione per dictæ Confraternitatis Confratres prouiſum fuerit, habitum per Moniales dicti Monaſterij geſtari ſolitum ſuſceperint, & profeſſionem per eaſdem emitti ſolitam

Digitized by Google

solitam expresse emittere proposuerint, aut alias nupserint permanere possint. Ita tamen quod quoties aliquam ex dictis puellis & virginibus, ac viduis è dicto Collegio, vel voti religionis, vel matrimonij contrahendi, causa egredi contigerit, liceat Priori & Visitatoribus, ac Confratribus eiusdem Confraternitatis nunc & pro tempore existentibus, aliam puellam & virginem, seu viduam modo præmisso qualificatam loco egressæ, aut alias iuxta facultates dictæ Confraternitatis, ipsorumque Prioris, Visitatorum, & Deputatorum arbitrio ibidem collocare, subrogare & substituere pro earumdem puellarum, ac viduarum, perpetuis vsu & habitatione, vna cum Ecclesia præfata Sanctorum Viti, Modesti, & Crescentiæ Martyrum, vel alia vbi pro tempore, vt præfertur, dictum Collegium & Monasterium transferri contigerit, ad eorumdem Monasterij & Collegij vsum, in qua Missa celebrari, ac sacramenta Ecclesiastica ministrari, cadauera, tam ipsarum quam etiam eiusdem Monasterij Monialium Ecclesiasticæ sepulturæ tradi, & verbum Dei prædicare valeant, cum campanili & campanis, necnon refectorio, dormitorio, hortis, & hortalitiis, aliisque necessariis ad eiusdem Collegij vsum iam constructis & construendis. Ita quod in dicto Collegio sic erigendo nonnullæ aliæ puellæ virgines & honestæ viduæ eidem Collegio minime onerosæ, sed potius vtiles, atque etiam per pro tempore Visitatores eiusdem Collegij approbandæ, pro salubri earumdem educatione, ad instar aliorum Monasteriorum similes puellas recipientium & admittentium, recipi & admitti valeant sine alicuius præiudicio, Apostolica auctoritate tenore præsentium, perpetuo erigimus & instituimus.

Applicatio bonorū elargitorū, & elargiendorum à Christifidelibus.

§. 3. Ac eidem Collegio sic erecto, omnes & singulas pecuniarum summas per Marcum Antonium Muretum iuniorem iuxta sui testamenti dispositionem, ac etiam instrumentorum, conuentionum, inter dictos Priorem & Confratres, ac Ludouicum & Marcum Antonium Lanfrancum præfatos, quam etiam legati, donationis dictæ Magdalenæ, vt præfertur factorum, necnon quæcumque res & bona quoscumque Christifideles eidem Collegio relinquenda & eroganda, ita quod dictæ Confraternitatis Prior, Visitatores & Confratres, nunc & pro tempore existentes, seu ab eis deputati vel deputandi illorum omnium corporalem, realem, & actualem possessionem libere apprehendere & perpetuo retinere, illaque omnia ad Monasterij & Collegij vsus, necnon personarum inibi pro tempore existentium, & degentium manutentionem conuertere valeant cuiusuis licentia minime requisita, auctoritate & tenore præfatis, etiam perpetuo applicamus, appropriamus, concedimus & assignamus.

Concessio auctoritatis Officialibus dd. Monasterij, & Collegij pro eius totali regimine.

§. 4. Eisdemque Priori, Officialibus, Visitatoribus, & Confratribus, vt sacerdotes ex approbatis ab examinatoribus pro tempore existentis dictæ Vrbis Vicarij prouectæ ætatis, doctrina, vitæ munditia, & morum honestate, religionisque zelo præditos, & à Protectore dictorum Collegij & Monasterij pro tempore existente approbandos, qui personarum omnium in dictis Monasterio & Collegio erecto huiusmodi, vt præfertur degentium, confessiones audiant, Ecclesiastica sacramenta administrent, quique & de idoneis verbi Dei concionatoribus, qui illas in spiritualibus præceptis & documentis, ac sanctis consiliis ad viam Domini instruere possint, omnino prouidere. Quique vna cum eiusdem Confraternitatis Priore, Custodibus, Visitatoribus, & aliis officialibus pro tempore existentibus, & ad id forsan deputatis & deputandis, de qualitatibus puellarum & viduarum inibi, etiam pro educatione recipiendarum & admittendarum cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, vel nationis fuerint, accurate & diligenter quoties id à præfata Confraternitate, siue illius officialibus, Visitatoribus, & Confratribus præfatis requisiti fuerint inquirere. Ac denique, circa examen & approbationem earum, quæ nedum educationis huiusmodi causa, verum quoque pauperum puellarum, & honestarum viduarum huiusmodi, quas ibidem pro tempore educari, ac ad susceptionem habitus regularis, & professionem admitti, necnon matrimonio collocari contigerit consulere debeant. Ac pro feliciori dictorum Monasterij & Collegij gubernio, & statu, ac vt puellæ pauperes, & honestæ viduæ huiusmodi facilius instruantur & educentur, de consensu & consilio tamen dilecti filij nostri Michaëlis tituli Sanctæ Mariæ supra Mineruam Cardinalis Alexandrini nuncupati, moderni ac pro tempore existentis dictæ Confraternitatis Protectoris, & Visitatorum huiusmodi vnam ex eis in Abbatissam, quæ caput omnium existat, post tamen dilectæ in Christo filiæ Mauræ Perfectæ Machabeæ alias de mandato nostro ex Monasterio Monialium Sanctæ Cæciliæ Regionis Transtyberim de eadem Vrbe Ordinis S. Benedicti, in quo triginta octo annos laudabiliter vixerat, pro eisdem puellis & mulieribus in sic nouiter erecto & instituto Monasterio, receptis & pro tempore recipiendis in vita, & institutis regularibus dicti Ordinis instruendis, necnon ipsius Monasterij cura & administratione gerendis & suscipiendis translatæ. Et nuper in illius Abbatissam benedictæ & consecratæ obitum. Quam ex nunc ob eius virtutum merita, bonosque mores & exemplarem vitam, ac attento quod elapso primo & subsequenti triennio nulla Monialis in præfato nouiter constructo Monasterio, ita dispositionem Concilij Tridentini, pro illo, vt conuenit regendo forsan qualificata reperietur, nec aliqua alia regularem disciplinam in eo cum bono odore & spirituali consolatione personarum in illo existentium introductam manutenere melius quam eadem Maura poterit eidem nouiter erecto Monasterio in Abbatissam ad eius vitam dicta auctoritate præficimus, sibique illius curam, regimen, & administrationem, in spiritualibus & temporalibus plenarie committimus, vna cum congruo aliarum officialium, & ministrarum numero ad certum tempus eis beneuisum eligendi, ac etiam quoties opus & expediens erit, concurrente maiori vel saniori parte Monialium pro tempore existentium eiusdem Monasterij iuxta formam dicti Concilij confirmandi, & etiam confirmationem reiterandi, vel tempore huiusmodi finito illas omnino amouendi, & postmodum alias amotarum huiusmodi loco subrogandi & deputandi. Ita tamen quod electio huiusmodi, tam iuxta formam & tenorem regulæ Ordinis Sancti Benedicti, quam constitutiones & ordinationes, ac decreta iam forsan per Confratres dictæ Confraternitatis, & seu Visitatores deputatos eiusdem desuper edita & edenda. Et quoad gubernium, constitutionem, & educationem Monialium & puellarum ac viduarum huiusmodi, ac exercitia, tam spiritualia quam temporalia inibi forsan præscripta, & à dicto Michaële Cardinale Protectore approbata, seu præscribenda & approbanda, necnon pro felici regimine, gubernio, & administratione confratrum Confraternitatis, Monasterij & Collegij præfatorum, aliarumque personarum omnium rerum & bonorum Confraternitatis Monasterij & Collegij huiusmodi Priori, officialibus, & aliis ad id ab eadem Confraternitate deputatis, & pro tempore deputandis, quæcumque statuta, licita tamen & honesta, ac sacris canonibus, præsertim decretis ipsius Concilij non contraria, toties quoties, & quando expediens videbitur edendi, condendi, & faciendi, illaque edita, condita & facta, prout ratio vel vtilitas exegerit, aut suaserit necessitas pro tempore mutandi, alterandi, & in melius reformandi, aliaque etiam de nouo faciendi licentiam & facultatem, eisdem auctoritate & tenore similiter perpetuo concedimus & elargimur. Quæ postquam condita, alterata & mutata, ac edita & reformata, ac à præfato nunc & pro tempore existente Protectore, approbata & confirmata fuerint, eo ipso dicta Apostolica auctoritate confirmata sint & esse censeantur.

Exemptio à iurisdictione & superioritate, &c. Vicarij Vrbis, & aliorum omnium.

§. 5. Ac spem iam conceptam habentes, quantum Vrbis nostræ præfatæ; & vniuersæ Christianæ Reipublicæ vtilitatis afferrent Monasterium & Collegium sic per nos erecta & instituta, illa ac eorum personas, res & bona, ipsamque Confraternitatem, & Confratres Sancti Bernardi, sub nostra & pro tempore existentis Romani Pontificis, & Sedis Apostolicæ præfatæ, in spiritualibus & temporalibus protectione, pariter perpetuo recipimus & admittimus, ac ab omni iurisdictione, superioritate, visitatione, correctione, dominio,

Digitized by Google

& poteſtate Venerabilis fratris noſtri Iacobi Portuenſis Cardinalis de Sabellis nuncupati, moderni ac etiam pro tempore exiſtentis in eadem Vrbe Vicarij generalis, & illius Vicegerentis, ac Locatenentium & officialium quorumcumque, necnon Abbatum, Viſitatorum, & Superiorum totius Ordinis S. Benedicti, & præſertim Congregationis S. Bernardi dicti Ordinis, ac pro tempore exiſtentis Rectoris Parochialis Eccleſiæ, in qua Monaſterium & Collegium huiuſmodi nunc ſita ſunt, & pro tempore erunt, etiam circa ſacramentorum adminiſtrationem penitus & omnino, ac perpetuo eximimus & liberamus, ac Monaſterium & Collegium huiuſmodi prorſus exempta & libera à Vicarij noſtri, ac Abbatum, Viſitatorum, & Superiorum præfatorum, ac Parochiali iuriſdictione & ſuperioritate, eſſe & fore ſtatuimus & decernimus.

Elargitio indulgentiarum pro viſitantibus Eccleſiã, vel ibi celebrantibus, aut celebrari facientibus.

§. 6. Et inſuper, vt Monaſterium & Collegium huiuſmodi, non ſolum manuteneantur, verumetiam indies incrementum ſuſcipiant, tam Eccleſias S. Bernardi prope Columnam Traianam, & Sanctorum Viti, Modeſti, & Creſcentiæ præfatas, ac alias Eccleſias pro tempore dictorum Confraternitatis, Monaſterij, & Collegij exiſtentes, necnon tam Confraternitatem, Monaſterium, & nouiter erectum Collegium, quam illorum Protectorem, Priorem, Cuſtodes, Viſitatores, alioſque officiales & confratres: necnon Abbatiſſam, Moniales, aliaſque ipſius Collegij nouiter erecti perſonas, & nunc & pro tempore exiſtentes, vniuerſoſque alios vtriuſque ſexus Chriſtifideles, S. Bernardi & Sanctorum Viti, Modeſti, & Creſcentiæ Eccleſias prædictas vt ſupra deuote viſitantes, necnon miſſas in eis, vel earum aliquibus celebrantes, ſeu celebrari facientes, quouis modo & quocumque totius anni die in perpetuum, ad communicationem & participationem, etiam per extenſionem omnium & ſingulorum priuilegiorum, facultatum, immunitatum, exemptionum, præeminentiarum, antelationum, indultorum, indulgentiarum, etiam plenariarum & peccatorum remiſſionum, ac quorumcumque aliorum fauorum & gratiarum, tam ſpiritualium quam temporalium, tam dictæ Confraternitati Catechumenorum, quam quibuſuis Ciſtercienſi, & S. Benedicti reſpectiue Ordinibus, eorumque Monaſteriis & Conuentibus, domibus, Abbatibus, Monachis, Fratribus, Protectoribus, pueris, puellis, Confeſſoribus, & Monialibus, ac eorum & earum Eccleſiis, Capellis, aliiſque Miniſtris & officialibus, necnon etiam Chriſtifidelibus dictas Eccleſias ſeu Capellas viſitantibus & viſitaturis, per Nos & quoſcumque Romanos Pontifices, & præcipue fel. record. Paulum Tertium ſub Datum Romæ 13. Id. Februarij, Pontificatus ſui anno 7. quomodolibet obtentorum & conceſſorum, quoad ea quæ hactenus reuocata non fuerunt, nec ſub vllis reuocationibus ſunt comprehenſa, ac quibus dictæ Eccleſiæ Confraternitas, & loca pacifice hucuſque vſi ſunt, ac vtuntur & gaudent, & quæ eidem Concilio non ſunt contraria ſimiliter perpetuo recipimus & admittimus, ac illa eis communicamus, & ad eos, ea & eas extendimus, ac etiam de nouo quatenus opus ſit eis concedimus, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi dictis Eccleſiis & Capellis S. Bernardi, ac Sanctorum Viti, Modeſti, & Creſcentiæ Martyrum, necnon Confraternitati Monaſterio nouiter erecto, & Collegio prædictis, ac eorum Protectori, Priori, Cuſtodibus, officialibus, Confratribus, Abbatiſſæ, Monialibus, Confeſſoribus, & aliis pueris & puellis, ac perſonis, necnon Chriſtifidelibus ſupradictas Eccleſias Sancti Bernardi, ac Sanctorum Viti, Modeſti, & Creſcentiæ, ac alias Eccleſias vt ſupra viſitantibus, ac miſſas, in eis vel earum aliqua, celebrantibus vel celebrari facientibus, conceſſæ forent.

Iuriſdictio Card. Protectoris & Iudicis omnium cauſarum d. Monaſterij & Collegij, eorũque perſonarum, &c.

§. 7. Præterea ne Confraternitas, monaſterium & Collegium huiuſmodi, diuerſis Vrbis Tribunalibus vexentur, dictum Michaëlem Cardinalem, & pro tempore exiſtentem dictorum Confraternitatis, monaſterij, & Collegij Protectorem, ac Prioris, Cuſtodum, ac aliorum Officialium, Confratrum, ac miniſtrorum, necnon Abbatiſſæ, monialium, & puellarum, aliarumque perſonarum eorumdem, pro tempore quo in dictis monaſterio & Collegio ſteterint, quoad omnes & ſingulas lites, cauſas, quæſtiones, controuerſias, differentias, & moleſtias, ciuiles & criminales, ac mixtas, tam actiue quam paſſiue hactenus forſan motas, & in futurum quomodocumque mouendas, ſuper bonis, rebus, iuribus, & actionibus quibuſcumque ad Confraternitatem, monaſterium, Collegium, & Eccleſias Sanctorum Bernardi, Viti, Modeſti, & Creſcentiæ, ac alias Eccleſias prædictas, ac ad moniales, puellas, & alias perſonas ſupradictas, nunc & pro tempore quomodolibet ſpectantia, in Iudicem ordinarium, cum eiſdem facultatibus, indultis, priuilegiis, antelationibus, & poteſtatibus quibus Protectores Confraternitatum Orphanorum, Catechumenorum S. Catherinæ de la Roſa, ac Sanctiſſimi Crucifixi, ac deputati fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de dicta Vrbe vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum. Ita etiam quod in cauſis diſcuſſionum, & alias quando de reſtituendo res & bona quæcumque de cetero eiſdem monaſterio & Collegio relicta & donata, ſeu vigore præſentium, aut alias quomodolibet acquiſita, prioribus & potioribus creditoribus agi cenſebitur, Confratres, ipſi niſi coram dicto Michaële Cardinale, & pro tempore dictæ Confraternitatis Protectore ad iudicium trahi non debeant, ſed facta obligatione per Priorem, Cuſtodes, & Camerarium dictæ Confraternitatis, in euentum quod alia bona vbilibet ſita, & quouis modo poſſeſſa non reperiantur, Michaël Cardinalis, & pro tempore exiſtens Protector huiuſmodi illa eiſdem Confratribus, & reſpectiue creditoribus, etiam de facto, & ſine ſtrepitu vel figura iudicij, neque expectata ſententia aut ſine litis, tradi & conſignari mandet & procuret, etiam perpetuo conſtituimus & deputamus.

Facultas viſitatorũ Monaſterij & Collegij Prædictorum.

§. 8. Et ne etiam Monaſterium & Collegium huiuſmodi dum cura in temporalibus dictæ Confraternitati, eiuſque Confratribus & officialibus commiſſa eſt, in ſpiritualibus aliquod detrimentum ſentiant, eiſdem Confratribus pro triennio, ſeu alio eis beneuiſo tempore, tres Sacerdotes auctoritate & rerum gerendarum experientia, pietateque graues, qui Viſitatores nuncupentur, & noſtras ac dicti Vicarij, Vicegerenti, Locatenentium, & illius officialium huiuſmodi vices gerant; dictiſque Monaſterio & Collegio, illius Abbatiſſæ, Monialibus, puellis, perſonis, rebus, & bonis præfatis in ſpiritualibus præſint (ſalua tamen in omnibus ſupradictis iuriſdictione Vrbis Vicarij in caſibus in quibus Epiſcopi, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, auctoritate dicti Concilij in Monaſteria, quantumuis exempta, & præcipue circa eorum clauſuram, iuriſdictionem exercent, & ad eos ſpecialis & particularis approbatio Sacerdotum & Confeſſorum electorum, ſpectet & pertineat eligendi & deputandi, ac poſtquam electi fuerint, electionis & deputationis huiuſmodi confirmatio, ad nos & ſucceſſores noſtros, vel dictum Michaëlem Cardinalem, & pro tempore exiſtentem dictæ Confraternitatis Protectorem pertineat, quotieſque ſibi videbitur finito triennio, ſeu alio tempore deputationis huiuſmodi illos, provt tempus & neceſſitas expoſtulauerit, confirmandi ac etiam amouendi, & illorum loco alios collocandi & deputandi facultatem impartimur. Noſque hac prima vice pro proximo triennio, ab hodie incipiendo, & vt ſequitur finiendo de Michaëlis Cardinalis Protectoris præfati aſſenſu, idem munus dilectis filiis Petro Fuluio preſbytero Romano vtriuſque iuris Doctori moderno Priori, Ioanni Daddeo Canonico Baſilicæ S. Mariæ Maioris, & Annibali Summario Sacræ Theologiæ profeſſori dictæ Confraternitatis Confratribus committimus. Ipſoſque in eorumdem Collegij & Monaſterij, Viſitatores, Correctores, & Moderatores, creamus cõſtituimus & deputamus. Dantes eis auctoritatem omnia & ſingula faciendi, mandandi, corrigendi, puniendi, reformandi, & exequendi, quæ ad ſpirituale regimen perſonarum in dictis Monaſterio & Collegio degentium, illorumque felix incrementum & gubernium expedire, atque opportunum eſſe cenſuerint. Ita vt perſonæ in dictis Monaſterio & Collegio vitam degentes, in piæ & religioſæ vitæ ſinceritate & puritate, per ſolicitam eorum operam foueantur & conſeruentur, temporalia vero bona ex circumſcripta dictæ Confraternitatis cura bene atque vtiliter adminiſtrentur.

§. 9. Porro

Digitized by Google

Priuilegium pauperū puellarum, quod admittantur ad subsidia dotium, quæ per diuersas Confraternitates, & loca Pia dari solent.

§.9. Porro ipsas puellas quas paupertate oppressas in huiusmodi Collegio collocari contigerit, speciali priuilegio insignire intendentes, quod vbi pauperes puellæ huiusmodi aliena expetere auxilia coactæ fuerint, quibus adueniente ætate legitima, qua vel Monasteria ingredi, vel matrimonio collocari censuerint, quascumque dotes & auxilia pia, tam ab Annunciationis Beatæ Mariæ supra Mineruam, Conceptionis, Confalonis, & aliis Archiconfraternitatibus & Confraternitatibus, necnon Ecclesiis, Oratoriis, & locis piis, quam quibuscumque vtriusque sexus personis, vsque ad summam honestam, & eisdem Priori & Visitatoribus bene visam petere, impetrare, obtinere, seque ad hunc effectum in rotulis & listis Archiconfraternitatum, Confraternitatum, Ecclesiarum, Oratoriorum, piorum locorum, necnon personarum huiusmodi adscribi facere, & procurare, & deinde postquam dictæ puellæ, seu earum aliquæ, dores & auxilia huiusmodi obtinuerint, seu ad id adscriptæ fuerint, quod tam illæ quæ dictum Monasterium ingredi, & iam ingressæ sunt, quam etiam quæ matrimonio collocari voluerint, dotes & auxilia huiusmodi eis quomodolibet procurata, promissa, & acquisita omnino lucrari, percipere, & exigere debeant. Illaque omnia vna cum præmissis dotibus & legatis, factis & faciendis, eisdem Monasterio & Collegio perpetuo concedimus, pauperesque huiusmodi puellas, dotium, auxiliorum piorum, ac legatorum & donationum præfatorum factorum & faciendorum quibuscumque, etiam Motu pari emanatis, prohibitionibus vel statutis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, non obstantibus, capaces omnino facimus, reddimus, & declaramus Mandantes omnibus, & singulis Custodibus, Camerariis, & quibuscumque officialibus dictarum Archiconfraternitatum, quæ dotes & auxilia pia huiusmodi pauperibus puellis dare & assignare consueuerunt, quod ex nunc dotes promissas puellis iam dictum Monasterium ingressis, & proficeri cupientibus, statim postquam professæ fuerint Priori, Custodi, & Camerario pro tempore existentibus dictæ Confraternitatis S. Bernardi, acsi ipsæ dictum Monasterium ingressæ, seu matrimonio collocatæ, de consensu & licentia Archiconfraternitatum & locorum piorum huiusmodi extitissent, dare, & cum effectu persoluere, ac deinceps pauperes ipsas puellas in dicto Collegio pro tempore degentes, ad subuentionem dotium & auxiliorum huiusmodi admittant, & admitti procurent, & deinde tam puellis profiteri cupientibus quam matrimonio collocandis, dotes eis promissas, & deinceps promittendas Priori & officialibus huiusmodi, dare, & cum effectu soluere debeant, nec ad id, & sub prætextu decretorum, priuilegiorum, aut aliorum quorumcumque statutorum, Archiconfraternitatum, Confraternitatum, Ecclesiarum, Oratoriorum & piorum locorum huiusmodi quomodolibet concessorum, contradicere audeant seu præsumant, etiam licentia earumdem Confraternitatum, & locorum piorum huiusmodi minime obtenta, neque petita. Ne autem super præmissis, vel illorum aliquo, in futurum quomodocumque vel quauis de causa pro validitate dubitari contingat.

Indulti circa relicta Monasterio & Collegio predicto, & eorum validitatem.

§.10. Volumus ac etiam mandamus, quod quæcumque ordinationes, instrumenta, donationes, tam inter viuos quam causa mortis, testamenta, codicilli, & quæcumque alia documenta, scripturæ & folia, facta & facienda, per, & inter quascumque vtriusque sexus personas, etiamsi mulieres nuptæ, ac minores viginti annis fuerint, ac testatæ vel intestatæ decesserint, etiam de bonis suis disponere prohibitæ, nisi adhibita certa forma, & solemnitate requisita, à iure vel ab homine, seu statutis, nouisque reformationibus Vrbis, seu obtenta à Romano Pontifice desuper licentia, de quibusuis eorum bonis quomodocumque acquisitis, & acquirendis, de quibus in fauorem Confraternitatis, Monasterij, & Collegij huiusmodi testari, legari, codicillari, vel inter viuos, aut causa mortis, aut alias quomodolibet disponi contigerit. Quodque tam Marci Antonij iunioris scutorum trium millium, ac Magdalenæ Strozziæ de Anguillaria, aliaque, vt præfertur, facta & legata, quam quæcumque alia donationes, testamenta, codicilli, voluntates, instrumenta, scripturæ, & documenta ad fauorem Monasterij, Collegij, & Confraternitatis huiusmodi iam facta & facienda, perinde valeant ac suum sortiantur effectum, acsi coram Notario publico, & legitimo testium numero, adhibitisque omnibus de iure requisitis qualitatibus & solemnitatibus facta fuerint, nec Monasterium, Collegium, & Confraternitas huiusmodi de eisdem bonis in testamentis, legatis, codicillis, donationibus, & aliis voluntatibus ac dispositionibus, instrumentis, documentis & scripturis eisdem Monasterio, Collegio, & Confraternitati pro tempore relictis, donatis, datis, cessis, & applicatis, aliquam partem Cameræ Apostolicæ, vel Monasterio Conuertitarum in eadem Vrbe, etiam iuxta dispositionem indultorum fel. record. Leonis X. Clementis VII. & Pauli III. aliorumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, seu fabricæ dictæ Basilicæ Principis Apostolorum, aut quibusuis aliis personis, & Ecclesiis dare minime teneantur, sed bona ipsa, vt supra pro tempore relicta vel donata Confratres ipsi libere & integre recipere, ac eorum possessionem apprehendere, & perpetuo retinere, ac in eorumdem Monasterij, Collegij, & Confraternitatis vsus & vtilitatem conuertere libere & licite valeant, etiam cuiusuis licentia minime requisita.

Approbatio ordinationum factarū & faciendarum à Confraternitate.

§.11. Decernentes ordinationes, constitutiones, & statuta hucusque à præfata Confraternitate facta, necnon instrumenta, donationes, testamenta, codicillos, scripturas, ac etiam provt illa concernunt, omnia & singula in dictis ordinationibus, constitutionibus, statutis, capitulis instrumentis, donationibus, testamentis, codicillis, tam factis quam faciendis, & aliis scripturis contenta & inde secuta quæcumque, licita tamen & honesta, maxime ea circa licentiam edendi carnes, & alios cibos in refectorio quolibet die Dominico, tertia, & quinta feriis, & aliis diebus arbitrio supradictorum visitatorum, & circa vsum omnium pannorum lini, & etiam cubilis, videlicet cum subucula tantum, & linteaminibus, ac etiam sine scapulari, ac etiam Breuiarij Romani cum proprio Congregationis S. Bernardi dicti Cistercienſis Ordinis. Ita quòd ad recitationem officij Beatæ Virginis Mariæ non teneantur. Quo vero ad præscriptionem horarum ad diuina officia, tam diurna quam nocturna recitanda, & quæcumque alia exercitia, spiritualia & temporalia anno singulo facienda iuxta Visitatorum & Abbatissæ huiusmodi dispositionem & ordinationem, ac ea quæ iam forsan decreta & descripta in libro constitutionum & statutorum ipsius Confraternitatis in pergameno, etiam quod sint contrariæ regulæ S. Benedicti, huiusmodique præsentium tenore approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ firmitatis robur adiicimus, fieri & obseruari debere.

Validatio dispositionum fauorabilium eosdē Monasterio & Collegio.

§.12. Ac supplentes omnes & singulos iuris etiam communis, & municipalis, & facti etiam quarumcumque solemnitatum in eis forsan ex dispositione iuris, vel statutorum, siue nouarum reformationum Vrbis circa validitatem donationum, in genere etiam respectu consensus, propinquorum parentum insinuationis & testium, ac donationum in subscriptionibus, & in specie contractuum mulierum, & omnia alia forsan requisitis, omissis & omittendis, præsertim quo ad dicti Marci Antonij iunioris, & desuper inter confratres & officiales Confraternitatis Sancti Bernardi, ac Ludouicum & Marcum Antonium Lanfrancum præfatos, nenon donationis per dictam Magdelenam, aliaque omnia & singula legata, donationes, instrumenta, testamenta, codicillos, scripturas, documenta, & alia quæcumque quomodolibet facta, & facienda, alioſque defectus, siqui in præmissis omnibus & singulis, seu eorum aliquo interuenerint, aut interuenire possint quomodolibet in futurum. Inhibentes nunc & pro tempore existentibus Præsidenti & Deputatis Fabricæ dictæ Basilicæ Principis Apostolorum, ac quibusuis aliis officialibus, ministris, & personis cuiusuis status, gradus, & conditionis existant, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, ne Priorem, officiales, & confratres nunc & pro tempore existentes, in omnibus & singulis premissis, & præsertim super dictis pecuniis per dictum Marcum Antonium Muretum legatis, & per Magdalenam Strozziam donatis, omnibusque

Digitized by Google

& singulis aliis legatis, donationibus, testamentis, & codicillis pro tempore per quascumque personas quomodolibet, & ex quacumque causa factis & faciendis, in rebus vel bonis dictæ confraternitatis quouis quæsito colore vel ingenio, directe vel indirecte molestare, perturbare, aut inquietare audeant vel præsumant. Et etiam decernentes omnia & singula præmissa, ac inde secuta, & inde sequenda quæcumque, valida & efficacia fore, ac suos plenarios & integros effectus sortiri, & inuiolabiliter ab omnibus obseruari debere.

Clausula sublata.

§.13. Et sic per quoscumque Iudices & Commissarios, etiam S. R. E. Card. ac causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere. Necnon quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum huius bullæ deputatio & auctoritas.

§.14. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Patriarchæ Alexandrino, ac Marturanensi & Venusino Episcopis, per Apostolica scripta Motu simuli mandamus, quatenus ipsi vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Prioris, Custodum, ac Confratrum præfatorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate nostra Priorem, Custodes, & Confratres præfatos, ac eorum singulos eisdem præsentibus, & in eis contentis quibuscumque, pacifice frui & gaudere, ac præsentes litteras, & in eis contenta huiusmodi ab omnibus quos illa concernunt, & quomodolibet concernent in futurum inuiolabiliter obseruari. Non permittentes eos vel eorum aliquem desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet & rebelles per sententias & censuras Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias pœnas, eorum arbitrio imponendas & moderandas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus sententias, censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

Clausulæ derogatoriæ.

§.15. Non obstantibus de non tollendo iure quæsito, ac de non cõcedendo Indulgentias & priuilegia ad instar, necnon quibusuis aliis etiam Pauli II. & Pauli IV. ac Pij V. de rebus Ecclesiasticis non alienandis, & male alienatis recuperandis, ac quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, Cancellariæque Apostolicæ Regulis, ac Monasterij Collegij Cistercien sis, & S. Benedicti Ordinum huiusmodi statutis, & iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, tam Monasterio, ac Cistercien si & S. Benedicti, quam quibusuis aliis etiam præfatis dictæ Vrbis Monasteriis, & illorum Ordinibus, Superioribus, Conuentibus, & personis, necnon Præsidenti & Deputatis dictæ fabricæ, aliisque omnibus & singulis Collegiis, Fabricis, Monasteriis, & locis piis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque decretis, in genere vel in specie quomodolibet concessis, etiamsi in eis expresse caueatur, quod illis derogari nequeat, nisi derogationes huiusmodi, & causæ in eis forsan expresse, & specialiter inserentur, ac de consensu Superiorum, Monasteriorum, Ordinum, Collegiorum, Fabricarum, & aliorum piorum locorum huiusmodi fierent, & alias factæ derogationes huiusmodi nemini suffragentur. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie pari Motu specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§.16. Volumus autem quod earumdem præsentium transumptis etiam impressis, ac manu Prioris, seu Visitatorum, aut Custodum, ac Secretarij dictæ Confraternitatis subscriptis, ac præfati Michaëlis Cardinalis nunc & pro tempore existentis dictæ Confraternitatis Protectoris, vel ipsius Confraternitatis sigillo munitis eadem prorsus fides in iudicio & extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1587. Id. Iulij, Pontificatus nostri Anno 3. *D. P. An. 3. die 13. Iulij.*

LXI.

De constitutionibus Pij IV. & Pij V. circa Confidentias beneficiales editis, in Regno Galliæ exequendis, cum moderatione pœnarum.

Hanc bullam Pij IV. num. 85. habes sup. Romanum, *& Pij V. num. 85. habes sup.* Intolerabilis. *Et de materia Confidentiarum & Simoniarum beneficialium notaui hic supra in const. 47.* Diuina.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita A. D. 1587.*

Proœmium.

PAstoralis officij solicitudo nos admonet, vt quæ ad Dei laudem, animarumque salutem à prædecessoribus nostris prouide statuta fuisse noscuntur, debitæ executioni demandari curemus, & si quando opus sit, illa etiam moderemur, provt personarum & locorum qualitate pensata, id in Domino conspicimus saluberiter expedire.

Pij IV. bulla est cit. in rubr.

§.1. Sane felicis recordationis Pius Papa IV. prædecessor noster, ad tollendam fiduciariæ mancipationis beneficiorum Ecclesiasticorum corruptelam, statuit & decreuit, &c.

Omittitur residuum huius narratiuæ, quia ipsam bullam habes supra

Pij IV. bulla est cit. in rubr.

§. 2. Et deinde recolendæ memoriæ Pius Papa V. etiam prædecessor noster, ad tam nefarium crimen facilius detegendum, & profligandum, similiter statuit & decreuit, &c.

Omittitur residuum huius narratiuæ, quia bullam totam habes supra.

Hic modo Pontifex mandat in regno Franciæ dictas bullas executioni demandari ab Ordinariis, &c.

§.3. Cum autem sicut accepimus literæ prædictæ in Regno Galliæ ob temporum iniuriam, aliasque varias subortas difficultates, diuersaque impedimenta adhuc debitæ executioni non fuerint demandatæ, ac propterea, tam pernitiosum Confidentiæ vitium, quod celeriter extirpari & eradicari oportuerat, in dies magis serpere, ac propagari noscatur in maximum animarum periculum, ac scandalum plurimorum. Nos ad hanc corruptelam è Regno illo, quod non ita dudum omni Christianarum virtutum genere florebat, & adiuuante Domino etiam in posterum florebit, tollendam, ac prorsus eliminandam, animarumque saluti in primis consulere volentes, omnibus & singulis dicti Regni Archiepiscopis & Episcopis, eorumque Officialibus, & ad quos de iure & consuetudine pertinet per præsentes mandamus, ac sub interminatione diuini iudicij districtius iniungimus, vt in suis quisque Ecclesiis, Ciuitatibus, Diœcesibus, & locis etiam exemptis, ad prædicta studiose attendant, & in eos quos in Confidentiæ crimine, præsertim vero in aliquo ex casibus superius expressis, etiam per præsumptiones & coniecturas prædictas deliquisse constiterit, seuere animaduertant. Qui si in præmissis exequendis negligentiores fuerint, eorum negligentiam suppleri volumus à Capitulis Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium, ac etiam Collegiatarum, vbi de beneficiis ipsarum Collegiatarum Ecclesiarum agatur, ac etiam ab Abbatibus, seu Prioribus, Claustralibus & Conuentibus Monasteriorum, aliorumque regularium locorum, vbi de eorumdem Monasteriorum, seu locorum, officiis & beneficiis quæstio exiterit.

§.4. Et

Digitized by Google

Appellationē nō ſuſpenſiuā concedit.

§.4. Et nihilominus appellationes à ſententiis, quas contra delinquentes huiuſmodi fieri contigerit, ad proximos ſuperiores iuxta cānonicas ſanctiones deuolui, executionem tamen ſententiarum prædictarum minime impedire, aut retardare.

Beneficia ex hoc crimine vacantia per Ordinarios d. Regni conferri indulget. Alibi contrariū eſt ſeruandum ex bulla Pij V. cit. in rubr.

§.5. Beneficia vero occaſione Confidentiæ huiuſmodi ad præſens vacantia, & in poſterum vacatura ab ipſorum beneficiorum ordinariis collatoribus, perinde ac ſi diſpoſitioni dictæ Sedis Apoſtolicæ minime reſeruata fuiſſent libere conferri, & de illis prouideri poſſe & debere decernimus, dum tamen talium criminum participes aut conſentientes non fuerint. Quo caſu, ac etiam vbi iidem ordinarij collatores per ſex menſes à die detectæ & comprobatæ ſeu conuictæ Confidentiæ beneficia ipſa, vt præfertur vacantia, canonice conferre, & de illis prouidere neglexerint, beneficiorum eorumdem collatio, & prouiſio ad proximos ſuperiores deuoluatur. Quæ vero beneficia de iure patronatus laicorum fuerint, ad eorumdem patronorum præſentationem, dummodo in crimine huiuſmodi non fuerint participes, conferri. De Eccleſiis vero ac Monaſteriis, aliiſque beneficiis Eccleſiaſticis, ad Chariſſimi in Chriſto filij noſtri Henrici Tertij Francorum Regis Chriſtianiſſimi nominationem ſpectantibus, nouam ipſius Regis nominationem iuxta concordata, ſeu indulta à Sede Apoſtolica ei conceſſa volumus expectari.

Fructus eorū, vſui Eccleſiarū applicari iubet. Sed alibi, dicuntur reſeruari Camerę ex d. bulla Pij IV.

§.6. Fructus vero ex Eccleſiis, Monaſteriis, & aliis beneficiis prædictis male & indebite perceptos, in vſum ac reparationem Eccleſiarum, Monaſteriorum, & beneficiorum prædictorum, ſuper quibus Confidentia huiuſmodi contracta & commiſſa fuerit, per Archiepiſcopos, Epiſcopos, ſeu Officiales, alioſque prædictos conuerti & applicari poſſe volumus ac decernimus.

Horſatur Regem ad exequen.

§.7. Magnopere hortantes, & enixe in Domino requirentes eumdem Regem Chriſtianiſſimum, vt omne ſtudium, operam, & auctoritatem ad prædicta peragenda, & exequenda præſtare, & impertiri velit.

Abſolutionē à cenſuris Nuncio reſeruat.

§.8. Abſolutionem autem à cenſuris & pœnis, ac irregularitatibus propter crimen Confidentiæ huiuſmodi quomodolibet incurſis pro tempore exiſtenti noſtro, & Sedis Apoſtolicæ apud Regem prædictum Nuncio, & quo ad Prouincias ſub Legatione Auinionen. comprehenſas eidem Auinionen. Legato, cum facultate etiam alios ſubdelegandi, de quorum pietate & prudentia magis confidant, per præſentes committimus & demandamus.

Derogatio cōtrariorum.

§.9. Non obſtantibus Pij IV. & Pij V. prædeceſſorum prædictorum litteris, quas quo ad dictum Regnum in ſuperius expreſſis duximus relaxandas & moderandas, illis nihilominus quo ad alia Regna, & loca in ſuo robore duraturis, aliiſque Apoſtolicis conſtitutionibus, priuilegiis quoque & indultis, generalibus vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, aut in totum non inſerta præſentium effectus, & executio impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides exemplorum.

§.10. Volumus autem vt præſentium exempla etiam impreſſa edantur, eaque Notarij publici manu, & cuiuſcumque curiæ Eccleſiaſticæ eiuſve Prælati ſigillo obſignata, eamdem illam prorſus fidem in iudicio & extra vbique locorum faciant, quam ipſæ præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis.

§.11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum mandati, iniunctionis, decretorum, hortationis, requiſitionis, commiſſionis, demandationis, & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

D. P. An. 3. 13. Aug

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1587. Id. Auguſti, Pontificatus noſtri anno 3.

LXII. Studij generalis Almæ Vrbis regimen Collegio Aduocatorum Conſiſtorialium confertur, cum antiquorum Priuilegiorum confirmatione, & Præcedentiæ conceſſione.

De huius Studij erectione, & indultis, vide ſup. in Bonif. VIII. conſt. 9. In ſupremæ. *vbi cætera adnotaui. Et de eius Protectoribus vide infra in conſt. 74.* Immenſa. *in x. Congreg.*

De Aduocatis autem Conſiſtorialibus, vide ſup. in tertia bulla Martini V. *In Apoſtolicæ.* Erexit in hoc ſtudio nouiſſimè Cathedram eloquentiæ ſeu Rhetoricæ cum emolumentorum aſſignatione, eamque conceſſit Auguſtino Maſcardo. S. D. N. Vrbani VIII. in conſt. 83. *Militantis* inf. tom. 4.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Edita An. D. 1587.

Præmium.

SAcri Apoſtolatus miniſterio, meritis licet inſufficientibus, ſuperna diſpoſitione præſidentes, inter cæteras curas, quæ animum noſtrum delectant, illam libenter ſuſcipimus, per quam noſtræ prouiſionis auſpiciis, officia ſingula, præſertim in hac Vrbe noſtra conſiſtentia, illorumque regimina, viris committantur idoneis, quorum opere & auxilio adoleſcentes, ſtudij bonarum artium cauſa, & diuerſis mundi partibus ad ipſam vrbem confluentes, eorum animos, virtutibus, & bonis moribus felicis excolere valeant, ac deſuper officij noſtri partes interponimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Renouatio cēceſſionis regiminis Studij cuicumque conceſſi.

§. 1. Sane licet alias officium Rectoratus Gymnaſij Almæ Vrbis, vni ex Prælatis Romanæ Curiæ ad eius vitam concedi & aſſignari ſolitum fuerit, & cæt. Nihilominus attendentes quod ſi dictum Officium Collegio dilectorum filiorum ſacræ Aulæ noſtræ Cōſiſtorialis Aduocatorum perpetuo vniretur, annecteretur, & incorporaretur, idem officium felicius gubernaretur, ac vtilitati publicæ, & ipſius Gymnaſij plenius conſuleretur, cum in dicto Collegio ſemper adſint viri litterarum ſcientia, rerum experientia, ac vſu & prudentia præſtantes. Idcirco quaſlibet conceſſiones, aſſignationes, ac alias diſpoſitiones de dicto officio per Nos, ac prædictum, ac quoſuis alios prædeceſſores noſtros, dictis & aliis quibuſuis perſonis hactenus factas præmiſſis & certis aliis rationabilibus cauſis adducti, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe reuocantes, caſſantes, irritantes, & annullantes, illaſque prorſus & omnino reuocatas, caſſas, irritas, & annullatas eſſe & cenſeri debere declarantes, eaſdemque perſonas à prædicto officio penitus amouentes, ac vtilitati publicæ proſpicere, & ipſumque Collegium ac illius ſingulares perſonas, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, ac dictarum litterarum tenore præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes.

Cēceſſio d. regiminis cum ſuis oneribus, honoribus & emolumentis Collegio Aduocatorū Cōſiſtorialium.

§. 2. Motu proprio non ad Collegij prædictorum, vel aliorum pro ipſis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia noſtra deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, officium Rectoratus Gymnaſij Vrbis huiuſmodi, per ipſos Collegium, regendum, & gubernandum, iuxta prouidam diſpoſitionem, & ordinationem, per eos vel eorum maiorem partem faciendam, & toties quoties eis vel eorum maiori parti expedire videbitur, mutandam, cum omnibus & ſingulis illius fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, obuentionibus, & emolumentis vniuerſis, & quibuſcumque tam ordinariis quam extraordinariis, & quæ alij qui pro tempore fuerunt Rectores dicti Gymnaſij quoquis modo habuerunt, ſeu habere potuerunt, ac quibuſuis cauſis & rationibus, necnon cum quibuſuis honoribus, oneribus, præeminentiis, antelationibus, prærogatiuis, iuriſdictionibus, auctoritatibus, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus, priuilegiis, & indultis, ſolitis ac conſuetis,

Digitized by Google

suetis,& quibusuis aliis concessionibus & gratiis, quibus tam vltimus, quam alij Rectores dicti Gymnasij, quauis ratione vel causa, vsi, gauisi, & potiti fuerunt, ac vti, gaudere, & potiri potuerunt, Collegio Aduocatorum huiusmodi, ita quod liceat ipsis Collegio, per se vel alium seu alios eorum & Collegij huiusmodi nominibus, corporalem, realem, & actualem possessionem dicti officij apprehendere, ac perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones & emolumenta percipere, exigere, & leuare, & in suos ac Collegij & officij huiusmodi vsus, & vtilitatem conuertere. Ipsumque officium per se & quemlibet eorum exercere, regere & gubernare, ac omnia & singula quoad huiusmodi officium, eiusque liberum exercitium spectant & pertinent, gerere & facere cuiusuis licentia de super minime requisita, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo vnimus, annectimus, & incorporamus, &c.

Præcedentia ante alios Aduocatos & Doctores etiã antiquiores eisdem dantur.

§.3. Ac vt Collegium & Aduocati huiusmodi, qui maioribus occupationibus detinentur, maioris etiam dignitatis titulo decorentur, omnibus & singulis prædictæ Aulæ Consistorialis Aduocatis, vt ipsi vniuersos & quoscumque Aduocatos, Procuratores, Doctores, etiam antiquiores, & quoscumque alios, tam in Romana Curia quam extra eam præcedant.

Doctoratus facultas & alia quæcumque priuilegia confirmantur.

§.4. Omniaque & quæcumque priuilegia eisdem Collegio, & Aduocatis, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & præcipue per piæ memoriæ Iulium Papam Tertium etiam prædecessorem nostrũ, super facultate Doctores creandi, etiam priuatiue quoad alios, quæ priuilegia & literas Apostolicas desuper confectas, eorum tenorum præsentibus etiam pro expressis habentes, auctoritate & tenore prædictis confirmamus & innouamus, & quatenus opus sit de nouo concedimus, Motu, scientia, ac potestatis plenitudine prædictis. Ac vniuersis & singulis cuiuscumque conditionis, status, gradus, dignitatis & honoris, ne sub indignationis nostræ, aliisque arbitrio nostro imponendis pœnis, eosdem Collegium Aduocatorum, in præmissis vel circa ea, aut in eorum aliquo quomodolibet impedire, molestare, perturbare, seu inquietare, contra præsentium continentiam & tenorem, vllatenus, audeant vel præsumant, districtius inhibemus, necnon omnibus & singulis ad quos spectat & spectabit quomodolibet in futurum, vt hæc omnia plene obseruent, & obseruari faciant præcipimus.

Tu habes Iul. III. bullam hic eis. sup. Cum sicut, num. 16.

Clausula præseruatiua.

§.5. Decernentes vnionem, annexionem, incorporationem, applicationes, indultum, inhibitionem, ac præceptum prædicta, præsentesque litteras, nullo vmquam tempore, etiam ad prædictorum, & aliorum quorumuis instantiam, etiam ex quacumque & inexcogitata causa, etiam sub prætextu quod in forma iuris facta non fuerint, reuocari, alterari, limitari, modificari, aut ad terminos iuris communis reduci, vel quempiam aduersus illa in integrum restitui, seu de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis nostræ, aut quouis defectu, notari vel impugnari posse, dictosque Collegium ad causam, seu causas, propter quas illa emanarint, coram quocumque verificandum non teneri, nec propterea, aut ex eo quod interesse prætendentes vocati non fuerint, per subreptionem vel obreptionem obtenta præsumi, aut alias viribus carere, ac illorum quasuis reuocationes, suspensiones, derogationes vel limitationes, pro tempore factas & emanatas, pro noua illorum concessione haberi, ac quoties illæ emanabunt, toties renouata, & de nouo concessa, etiam sub datum per eosdem Collegium eligenda censeri, ac Collegium huiusmodi eorumdem locorum emptores, & quoscumque alios in præmissis interesse quomodolibet prætendentes, ad probandum seu verificandum præmissa, & in quos vsus prædicta summa conuersa fuerit, nullo vmquam tempore teneri, nec locorum huiusmodi prouentus, in sortem principalem computari.

Decretum irritans.

§.6. Sicque per quoscumque Iudices & Cõmissarios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores huiusmodi, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ac alios quoscumque, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quauis instantia iudicari & definiri debere, & irritum, &c.

Deputatio executoris.

§.7. Quocirca dilecto filio Magistro Euangelistæ Pallotto, Notario & Prælato domestico nostro, Motu simili per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipse, per se vel alium seu alios faciat auctoritate nostra, Collegium, ac illius Aduocatos prædictos vnione, annexione, incorporatione, permissione, concessione, impartitione, confirmatione, innouatione, inhibitione, & decreto, aliisque præmissis, pacifice frui & gaudere. Non permittentes eos & eorum quemlibet desuper contra præsentium tenorem quomodoribet, per quoscumque indebite molestari. Contradictores per censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo.

Derogatio contrariorum.

§.8. Non obstantibus præmissis, ac nostra de non tollendo iure quæsito, & aliis Cancellariæ Apostolicæ regulis, ac quatenus opus sit Lateranensis Concilij nouissime celebrati vniones perpetuas, nisi in casibus à iure permissis fieri prohiben. & aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon Vrbis & Aduocatorum, ac Gymnasij, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis eisdem Vrbi, Collegiisque & Tribunalibus, ac Gymnasij illius, ipsorumque Superioribus & personis, ac dilectis filiis Populo Romano, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, per quoscumque prædecessores nostros, etiam iteratis vicibus, aut alias quomodolibet in contrarium concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, &c.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1587. decimo Kalend. Septembris, Pontificatus nostri Anno 3. *D. P. An. 3. 23. Aug.*

Declaratio circa proprietatem, olim Congregationi Canonicorum sæcularium Sancti Georgij in Alga Venetiarum, absolute interdictam. LXIII.

Alia de institutione & statu huius Congregationis videnda sunt in const. 1. Gregor. XII. Illis *sup. vbi scripsi.*

SIXTVS PAPA V.
Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1589.

Præmium.

CIrcumspecta Romani Pontificis benignitas, fidelium quorumlibet sub regulari obseruantia piæ vitæ studio vacantium, necessitatibus & commoditatibus intendens, nonnumquam ab eo prouide statuta moderatur, ac quæ sacrarum Religionum, & sanctionum decreta generaliter interdicunt, fidelibus ipsis ex Apost. potestatis plenitudine sibi tradita relaxat, & specialiter permittit, provt illorum statui, & conscientiæ purificationi, conspicit salubriter expedire.

Ille Pontifex Canonicis & fratribus Cõgregationis proprietatem stricte interdixerat, soliãque victũ & vestitum eis suoministrari iusserat.

§.1. Sane licet alias nos, vt abusus habendi proprium, & retinendæ proprietatis pecuniarum ac bonorum, etiam plerumque male acquisitorum, qui inter plures Canonicos, seu fratres Congregationis S. Georgij in Alga Venetiarum Ordinis S. Augustini, contra expressum paupertatis votum ab eis emissum irrepserat extirparetur, & simul dissolutioni æris alieni, quo vniuersa Congregatio huiusmodi grauata erat, ac aliis illius necessitatibus prouideretur, vniuersos & singulos eiusdem Congregationis fratres, seu Canonicos, ac Priores etiam generales, priuato

Digitized by Google

priuato & proprio rerum bonorumque omnium, mobilium, & se mouentium dominio, vsu, vsufructu, possessione, proprietate & etiam pecuniis à quocumque peculio quomodolibet acquisitis, vel obtentis, per alias nostras literas perpetuo priuauerimus, ac omnia & quæcumque priuilegia, dispensationes, licentias, permissiones, & indulta vnicuique eorum tam Apostolica, quam suorum Superiorum, etiam Generalis, Prioris, vel Capituli dictæ Congregationis auctoritate desuper concessa, confirmata, & innouata, reuocauerimus & annullauerimus, ac omnino prohibuerimus ne quis frater, vel Canonicus eiusdem Congregationis, quocumque officio vel dignitate, etiam Prioris Generalis fungens, proprium quicquam aut peculiare haberet, & à cæteris separatum sibi vendicaret, aut possideret, nec similes licentiæ, seu permissiones per quoscumque dictæ Congregationis Superiores, aut etiam Capitulum generale alicui vmquam desuper concederentur. Insuper præceperimus & mandauerimus, vt res, pecuniæ, debitorum nomina, redditus, taxæ, ac alia omnia, vt quæcumque bona supradicta, per singulos fratres, seu Canonicos, qui aliquid tale priuatim possiderent, in vno loco communiter à Priore & fratribus cuiuscumque domus designando actu, & re ipsa intra certum tunc expressum tempus deponerentur, & quo ad dominium, possessionem & vsum in commune conferrentur, hisque perfectis, statim vnusquisque. Prior cuiuslibet domus generalem Priorem de his omnibus diligenter certiorem faceret, transmisso ad eum inuentario, in quo præmissa omnia antea priuatim retenta, deinde vero in commune collata descripta essent. Demum ipse Prior generalis, victum & vestitum, ac quantum rei conuenientis præsens necessitas videretur postulare, cuique Canonico, seu fratri congrue suppeditari curaret, id autem omne quod reliquum esset, in extinctionem æris alieni, quo singulæ domus, vel tota Congregatio communiter obstricta erat conuerteretur, aut ipsis domibus, vel vniuersæ Congregationi ad communes vsus, & necessitates subleuandas perpetuo applicaretur.

Obtrauenientibusq; pœnas imposuerat vt in eis bulla quam vti hic sufficienter enunciatam ponere nolui.

§. 2. Quicumque autem litteris nostris prædictis continuo non obtemperarent, vel ante illarum publicationem, pecunias, & alia prædicta occultarent, siue intra vel extra domus prædictas deponerent, aut etiam in pias causas conuerterent, aut alicui pio loco assignarent, quique alios Canonicos, seu fratres inobedientes, non statim Superioribus, vt præfertur denunciarent, in pœnam priuationis dignitatum & officiorum suorum inciderent, & ad ea in posterum obtinenda inhabiles censerentur, ac pro crimine etiam tanquam fures, seuere punirentur, & excommunicationis sententiam incurrerent eo ipso, à qua non nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam Romano Pontifice, absolutionis beneficium valerent obtinere, prout in litteris prædictis plenius continetur.

Nunc idem Pont. ex causis hic expressis, d. eius prohibitionem moderatur, & reducit ad terminos Concilij Tridentini, & constitutionem ipsius Congregationis.

§. 3. Nihilominus cum sicut accepimus litteræ ipsæ fuerint debitæ executioni, quantum commode fieri potuit demandatæ, etiam ære aliquo huiusmodi propemodum dissoluto, operæ pretium fore censemus, circa prohibitionem nostram prædictam in omnes paulo seuerius interpositam, moderationis remedium adhibere, ac in futurum prospicere, ne stante prohibitione huiusmodi multorum animæ censuris prædictis in salutis suæ perniciem illaqueatæ remaneant, & non solum Fratres, seu Canonici prædicti à rebus, pecuniis, & bonis ad vitæ remedium, suis industria & labore acquirendis, sed etiam eorum parentes & consanguinei, ab eleemosynis, donationibus, legatis, relictis, & aliis subuentionibus eis priuatim faciendis retrahantur, & exinde Congregatio ipsa, rerum, bonorum, dominationum, legatorum, relictorum, & subsidiorum, & huiusmodi successione destituatur, ac grauiora dispendia & expensarum onera subire cogatur in subleuandis necessitatibus eorumdem fratrum, seu Canonicorum, qui alias sine suæ cuiusque domus incommodo & dispendio se possent commode sustentare. Quocirca de nobis attributæ potestatis plenitudine, omnes & singulas censuras & pœnas in proprietarios, & alios prædictos, dictarum litterarum series promulgatas, ad eas dumtaxat quæ decretis sacrorum Canonum Concilij Tridentini, ac Ordinis & Congregationis prædictorum regulis & constitutionibus contra tales statutæ sunt, Apostolica auctoritate, tenore præsentium reducimus & moderamur, ac prohibitionem & alia prædicta, necnon omnia & singula in eisdem nostris literis contenta, ad hoc vt deinceps Prior generalis pro tempore existens, necnon ij ex dictis fratribus, seu Canonicis, quibus id ab ipso Priori generali, aut aliis eorum Superioribus specialiter permissum aut indultum fuerit, ex pecuniis, rebusque & bonis vnicuique eorum sigillatim intuitu personæ suæ donatis, vel relictis, ac in posterum donandis vel relinquendis, aut suis labore & industria, vel alias vndecumque, licite tamen & legitime, acquisitis ac acquirendis, exceptis pecuniis per eosdem fratres & Canonicos vigore dictarum literarum vbicumque depositatis, quas in Monasteriorum, & Congregationis huiusmodi vtilitatem omnino cedere volumus eam partem, & portionem quæ pro eorum moderato victu & vestitu, ac occurrentium necessitatibus, secundum cuiusque gradum & qualitatem necessaria videbitur priuatim percipere, habere, retinere; ac in suos vsus & necessitates huiusmodi conuertere libere & licite, sine alicuius pœnæ vel censuræ incursu, possint, & valeant Apostolica auctoritate & tenore præsentis relaxamus, eisque desuper indulgemus.

Superioribusque Ordinis facultatē concedit remittēdi pœnas incursas.

§. 4. Necnon Priori generali & aliis Superioribus Congregationis huiusmodi, vt quoscumque illius fratres, seu Canonicos, qui hactenus præmissorum occasione excommunicationis vinculis, & aliis censuris prædictis irretiti, ad ipsos humiliter recurrerint, & absolutionem petierint, præuia debita restitutione seu satisfactione, si quæ fuerit facienda, ab excommunicationis, & aliis censuris propterea incursis, absoluendi, & totaliter liberandi, dictasque pœnas eis remittendi & condonandi omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam, siue notam contra eos præmissorum occasione quomodolibet insurgentem, ab eis abdendi, ipsosque & eorum singulos in pristinum, & eum in quo antea quomodolibet erant statum, restituendi, reponendi, & plenarie reintegrandi, plenam & liberam eisdem auctoritate & tenore concedimus facultatem.

Clausula derogatoria.

§. 5. Non obstantibus prohibitione, aliisque præmissis, & Apostolicis, ac in prouincialibus, synodalibus, & vniuersalibus Conciliis editis, specialibus vel synodalibus constitutionibus & ordinationibus necnon Congregationis, Ordinis, & domorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§. 6. Volumus autem, quod earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo ipsius Congreg. & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 3. 3. Septemb.

Dat. Romæ apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die 5. Septembris 1587. Pontificatus nostri anno 3.

LXIV.

Prohibitio admittendi ad beneficia Regni Valentiæ, alienigenas Regnorum Hispaniæ, in quibus ipsi Valentini ad similia non admittuntur.

Aliam prohibitionem postea edixit hic idem Pontifex, de non admittendis illegitimis ad dignitates Eccles. Valentin infra in const. 84. Cum cœlestis.

Disposuit etiam de regimine Studij generalis Valentini iste Pont. sup. in const. 11. *Copiosus.*

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1587.

Præmittit.

IN sacrosancto beati Petri Principis Apostolorum solio, nullis nostris meritis, sed sola Redemptoris nostri benignitate constituti, in vniuersi Orbis Regiones &

Digitized by Google

Prouincias, præsertim Infidelibus & barbaris nationibus adiacentes, aciem nostræ meditationis more vigilis Pastoris Dominici gregis passim reflectimus, & vt ibidem diuini nominis, ac Catholicæ Religionis cultus feliciter conseruetur & efflореat, illarumque indigenæ in fidei & deuotionis erga hanc sanctam Sedem sinceritate Apostolicis fauoribus, ac spiritualibus & temporalibus adiumentis iugiter confoueantur, opem & operam libenter intendimus, ac in his pastoralis officij nostri partes fauorabiliter interponimus, provt Regionum & Prouinciarum huiusmodi publicæ vtilitati & felici statui, ipsorumque indigenarum ad Ecclesiastica ministeria, & litterarum studia, directioni & commoditati cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Causa huius constit.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, Regnum Valentiæ in citeriori Hispania consistens angustissimos fines habeat, & nihilominus populi multitudine refertum, & in illius Metropoli Vniuersitas Studij generalis celeberrima à fel. rec. Alexandro Papa VI. prædecessore nostro inde oriundo ad ipsius Regni indigenarum, & quorumcumque aliorum ibi confluentium, necnon Theologiæ, ac vtriusque iuris, & aliis optimis scientiis vacare affectantium instructionem atque profectum instituta, & ab eo, ac etiam nuper à nobis variis ampliſſimisque priuilegiis & gratiis ornata existat, & alienigenæ, præsertim ex aliis Hispaniarum Regnis, Prouinciis, & dominiis, & illis adiacentibus insulis oriundi, dignitates, Canonicatus, præbendas, & alia beneficia Ecclesiastica in dicto Regno Valentiæ constituta ambientes sibi de illis prouideri, ac fructus eorumdem, & seu pensiones desuper reseruari procurent, & passim absque vllo obstaculo ad beneficia, fructus, & pensiones huiusmodi recipiantur, & admittantur. Ipsius vero Regni Valentiæ indigenæ in aliis Regnis, Prouinciis, dominiis, & insulis prædictis, prætextu quorumdam priuilegiorum & indultorum Apostolicorum, seu constitutionum, aut sanctionum, pragmaticarum nuncupatarum, vel consuetudinum ibidem vigentium ab assecutione quorumcumque beneficiorum, & perceptione fructuum & pensionum omnino excludantur ac repellantur, & exinde plerique eorum, qui assiduis laboribus & vigiliis, maximisque impensis in dicta Vniuersitate tanquam ingenuarum artium, ac sacrarum, & aliarum scientiarum vberrimo seminario, virtutis & doctrinæ semina susceperint, & in agro Dominico, si ad illius cultutam vocarentur, salutaria germina, quæ Altissimo lectissimos fructus suo tempore redderent, producere, sibique ipsis & aliis ad salutem ac Catholicæ Religionis, fideique propagationem, & conseruationem prodesse possent, nequeuntes beneficia Ecclesiastica aut fructus vel pensiones pro eorum decenti sustentatione, neque in patriæ solo, propter exteriorum illa occupantium frequentia minusque extra illud assequi, exacta iam ætate, & facultatibus suis consumptis, veluti inertes ærumnosam & miserabilem vitam ducere, ac paupertatem in senectute (quod durissimum est) tolerare cogantur; alij vero illorum conditione perterriti, & spe assecutionis beneficiorum huiusmodi destituti, se clericali militiæ adscribi, ac in disciplinis & ministeriis Ecclesiasticis, sacrarumque literarum studiis, se exercere non curent. Et denique proceres, nobiles, & alij incolæ eiusdem Regni Valentiæ à beneficiorum fundatione, ac iurium eorumdem libertatisque Ecclesiasticæ defensione & tuitione quodammodo retrahantur.

Ad beneficia Regni Valentiæ quomis modo vacatura, indigena eiusdē Regni, in eo vero nati, & non alienigenæ aliorum Regnorum Hispaniæ admittantur.

§. 2. Nos statui indigenarum Regni Valentiæ huiusmodi paterna charitate compatientes, ac æquum & & rationi consonum esse censentes, vt ipsi in beneficiorum eiusdem Regni assecutione exteris præferantur, aut saltem ad beneficia aliorum Regnorum, Prouinciarum, Dominiorum & Insularum huiusmodi, ad instar incolarum eorumdem æquo iure admittantur, ac eamdem conditionem experiantur, ac propterea pro pastoralis officij nostri munere, præmissis incommodis occurrere, & desuper opportune prouidere volentes, ipsosque indigenas ac eorum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon beneficiorum in dicto Regno Valentiæ consistentium, qualitates, quantitates, innouationes nuncupationes, denominationes, situationes, & illorum fructuum veros annuos valores præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, non ad indigenarum prædictorum, vel alicuius ipsorum, aut alterius seu aliorum pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, & certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra in perpetuum valitura constitutione statuimus & ordinamus, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, omnia & singula beneficia Ecclesiastica in vniuerso Regno Valentiæ huiusmodi, nunc & pro tempore consistentia, etiamsi Canonicatus & præbendæ, dignitates etiam maiores post Pontificales, & principales personatus, administrationes, & officia, etiam curata & electiua, in Metropolitana, & aliis Cathedralibus ac Collegiatis Ecclesiis, necnon parochiales Ecclesiæ seu earum perpetuæ Vicariæ, ac in Romana Curia vel extra eam litigiosa, & de iure patronatus, etiam Regum, Ducum, vel aliorum laicorum, etiam nobilium & illustrium, seu eorum & Clericorum mixtim, etiam ex fundatione vel donatione aut indulto Apostolico, seu alias quomodolibet qualificata sint vel fuerint, quoties illa per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu quamuis aliam dimissionem vel amissionem, aut priuationem ea pro tempore obtinentium, seu ius in illis vel ad illa habentium, aut alias quouis modo etiam apud Sedem prædictam, ac etiam in aliquo ex mensibus in quibus vacantium beneficiorum Ecclesiasticorum dispositio nobis & Sedi prædictæ, etiam per constitutiones Apostolicas, seu Cancellariæ Apostolicæ regulas, est vel pro tempore fuerit reseruata, vel etiam Ordinariis Collatoribus per easdem constitutiones seu regulas vel litteras alternatiuarum, aut alia priuilegia & indulta concessis hactenus, & in posterum concedendis, simul vel successiue vacare contigerit, etiam actu nunc, vt præfertur, vel alias quibusuis modis, & ex quorumcumque personis vacent, ac ex eo quod beneficia ipsa obtinentes, seu in illis vel ad illa ius habentes, nostri & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum seu successorum nostrorum, aut Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, etiam viuentium, & in dicta Curia præsentium familiares, continui commensales, seu dictæ Sedis Notarij, Subdiaconi, Acolythi, Capellani, litterarum Apostolicarum Abbreuiatores, Scriptores, Cubicularij, Scutiferi, prouentuum & iurium Cameræ Apost debitorum Collectores & Subcollectores, seu quicumque alij Curiæ & Sedis prædictarum officiales, etiam sub diuersis constitutionibus fel. rec. Pauli Papæ IV. prædecessoris nostri, suorum & pro tempore existentium Romanorum Pontificum familiarium, continuorum Commensalium, declaratoriis comprehensi, præsentes & futuri quocumque nomine nuncupati, seu ex quauis alia causa dispositioni Apostolicæ specialiter, vel alias generaliter reseruata, aut ex generali reseruatione Apostolica affecta, seu ad Sedem eamdem deuoluta existant, vel fuerint, solis indigenis dicti Regni, verè, realiter, & non fictè in eo natis & nascituris, affecta & debita, prædictique alienigenæ ad huiusmodi beneficia, in titulum, commendam, administrationem, vel alias quomodolibet obtinendum, aut illorum fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones, distributiones, & emolumenta quæcumque seu super eis pensiones annuas percipiendum, omnino inhabiles ac incapaces, & si vllo vmquam tempore eadem beneficia etiam ad illorum patronorum præsentationem sibi conferre, aut de illis prouideri, seu fructus, redditus, prouentus, & pensiones huiusmodi reseruari obtinuerint, aut collationibus, prouisionibus, præsentationibus institutionibus, reseruationibus & aliis dispositionibus ipsis desuper factis, seu etiam motu simili concessis, vti, seu eas ratas & gratas habere præsumpserint, omni & quocumque beneficio & officio Ecclesiastico per eos, etiam extra dictum Regnum vbicumque obtento, eo ipso absque aliqua declaratione desuper facienda, priuati existant.

Item intelligo de Valentinis legitimis quo ad Canonicatus præbendas & dignit. Eccles. Valen. vt in const. cit. in rub.

Hoc intelligo vt infra habetur.

Collatoresque in præmissis contrauenientes pœnis hic expressis afficiuntur.

§. 3. Necnon quicumque Ordinarij & alij inferiores collatores,

Digitized by Google

collatores, ac etiam patroni, qui contra præmissa quicquam attentare præsumpserint, à quorumcumque beneficiorum collatione, prouisione, electione, præsentatione, institutione, & quacumque alia dispositione, provt cuique competierit, tamdiu suspensi remaneant, donec remissionem à Romano Pontifice pro tempore existente meruerint obtinere. Et nihilominus si sic suspensi conferre, prouidere, eligere, præsentare, instituere, aut alias quomodolibet disponere ausi fuerint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam eo ipso incurrant, nec vllus alius quam Romanus Pontifex pro tempore existens, siue absolutionis, siue relaxationis beneficium, excepto mortis articulo, valeat eis impartiri.

Notarij quoq; super adipiscenda possessione beneficiorum d. Regni Valentiæ, pro alio quã Natiuo d. Regni scripturã aliquam conficientes pœnæ hic descripta plectentur.

§. 4. Notarij vero & tabelliones, etiam Apostolicâ vel Imperiali aut Regia, seu alia quacumque auctoritate creati, qui super adipiscenda possessione cuiuscumque beneficij in dicto Regno Valentiæ pro tempore rogabuntur, nisi prius eis fide dignorum testimoniis, aut alias legitime constiterit, eum cui possessio ipsa fuerit tradenda, vere, realiter, & non ficte in eodem Regno Valentiæ natum fuisse, vllum omnino super actu possessionis huiusmodi instrumentum publicum, aut quamcumque aliam etiam priuatam scripturam conficere, seu in protocollum redigere minime valeant, & si secus, crimen falsi eo ipso etiam incurrant, necnon ad huiusmodi, ac quæcumque alia munera & officia, publicasque functiones similiter inhabiles existant.

Alienigenæ ante prædicti admittentur ad beneficia iuris patronatus si in fundationib. caueatur per oriundos de genere fundatorum dumtaxat illa obtineri posse.

§. 5. Et quicumque Iudices Ordinarij, vel delegati, coram quibus litem contra quemcumque alienigenam in quouis beneficio contra præsentium tenorem intrusum, tam in dicta Curia quam extra eam moueri contigerit, cum primum sibi legitime constiterit, beneficium ipsum ab alienigena detineri, possessionem, ac fructus, redditus, & prouentus eiusdem beneficij, donec iis ad quos de iure spectabunt, adiudicentur, sequestrare, ac sub arcto & firmo sequestro ponere debeant & teneantur. Ita tamen, vt si in fundationibus beneficiorum de iure patronatus laicorum, seu illorum & clericorum, mixtim, vt præfertur existentium, caueatur expresse, quod non nisi per clericos, seu presbyteros de ipsorum fundatorum genere & familia oriundos obtineri possint, eo casu etiam alienigenæ, de genere seu familia fundatorum huiusmodi ad illa præsentari, ac in eis institui libere possint, nec sub præsenti statuto quo ad assecutionem talium beneficiorum comprehendantur.

Et etiam alienigenæ alicuius Regni Hispaniæ in quo ipsi Valentini ad beneficia admittentur.

§. 6. Et quatenus vllo vmquam tempore licuerit, & permissum fuerit prædictis indigenis, beneficia, fructus, & pensiones in aliquo ex aliis Regnis, Prouinciis, Dominiis, & Insulis prædictis, libere & indifferenter absque aliquo obstaculo, perinde ac si ibidem nati essent, obtinere & percipere, ipsi quoque alienigenæ ex tali Regno seu Prouincia, vel Dominio, aut Insula orti ad similia beneficia, ac fructus & pensiones in dicto Regno Valentiæ vicissim admitti debeant, & ad illa habiles & capaces censeantur.

Collationes & prouisiones quasumq; ad fauorem alienigenarũ contra d formam fiendæ, nullæ erunt.

§. 7. Decernentes omnes & singulas collationes, prouisiones, commendas, electiones, acceptationes, præsentationes, institutiones, & quasuis alias dispositiones de quibuscumque beneficiis dicti Regni Valentiæ, vt præfertur, vel alias quomodolibet qualificatis, ac reseruationes illorum fructuum, reddituum, prouentuum & pensionum super eisdem in fauorem dictorum alienigenarum, contra præsentis statuti formam, & tenorem, etiam per nos & quoscumque alios Romanos Pont. successores nostros, dictamque Sedem, ac illius Legatos etiam de Latere, & Nuncios omnesque & singulos alios ius & facultatem conferendi, prouidendi, commendandi, eligendi, præsentandi, instituendi & alias quomodolibet de huiusmodi beneficiis disponendi, illorumque fructus, redditus, prouentus, & super eis pensiones reseruandi ab ipsa Sede habentes, necnon Ordinarios & alios inferiores collatores, etiam ad Patronorum præsentationem, seu de illorum consensu pro tempore factas, ipso iure nullas & inualidas, nulliusque, roboris vel momenti fore & esse, ac pro nullis & infectis haberi, nec per eas cuiquam ius, vel etiam coloratum possidendi titulum tribui posse; ipsosque alienigenas illarum prorsus vsu & commodo carere, necnon Cancellariæ Apostolicæ regulas seu constitutiones de annali & triennali possessoribus etiam propter quantumuis diuturnam continuatæ possessionis tolerantiam, aut quodcumque aliud ius vel beneficium vllo tempore illis suffragari, sed beneficia huiusmodi, vt prius vacare, & quæ illis tempore dispositionis Apostolicæ dictis alienigenis factæ eidem dispositioni reseruata seu affecta fuerint, sub eadem reseruatione seu affectione remanere, & tam illa quam etiam omnia alia non reseruata neque affecta, de quibus à dicta Sede vel illius Legatis seu Nunciis, aut aliis ius & facultatem conferendi à dicta Sede, vt præfertur, hal entibus in huiusmodi alienigenas quandocumque dispositum fuerit, ad nouam Romani Pontificis pro tempore existentis dispositionem dumtaxat pertinere, ab Ordinariis vero & aliis inferioribus collatoribus, cessantibus reseruationibus seu affectionibus Apostolicis, eisdem alienigenis pro tempore collata, ac etiam ea quæ de iure patronatus huiusmodi fuerint, si contingat ad illa quemquam contra præsentis statuti formam præsentari, deuolutioni ad Sedem prædictam immediate eo ipso subiacere, illaque omnia ab indigenis dicti Regni, & à Sede prædicta dumtaxat impetrari posse, nec ius vllum ad resignantes seu cedentes, etiamsi in possessione, etiam diutina remanserint, & resignationes seu cessiones huiusmodi publicæ non fuerint, redire vel penes eos remanere.

Etiã si clausula derogatoria, &c. in eorum impetrationibus adsint, &c.

§. 8. Impetrantes vero, ac Motu proprio concessiones quæ de eisdem beneficiis pro tempore fient, quibuscumque derogationibus fuerint fultæ, numquam sub clausulis generalibus, aut vacationum modis conditionalibus vel implicitis comprehendi, sed specialiter & expresse ob non seruatam præsentis statuti formam, cum declaratione nominum & cognominum ipsorum alienigenarum, dispositiue & non conditionaliter, nec per æquipollens omnino fieri debere, eisdemque præsentibus litteris per quascumque alias litteras Apostolicas, etiam quasuis generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, aliasque efficaciores & insolitas clausulas, & irritantia & alia decreta sub quibuscumque verborum formis concepta, in se continentes, nullatenus derogari posse, nec derogatum censeri, nisi earumdem præsentium tenor de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, ac vrgens & sufficiens causa expressa, ac per trinas distinctas in forma Breuis literas earumdem præsentium tenorem continentes, tribus distinctis vicibus, cum vnius mensis interuallo, Ordinibus trium statuum eiusdem Regni Valentiæ prius legitime intimata & insinuata, ac derogationes ipsæ Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, Consistoriali ter, & de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium pro tempore existentium consilio factæ fuerint, & Ordinum trium statuum Regni Valentiæ huiusmodi ad hoc expressius accesserit accesserit assensus, appareatque Rom. Pontificem illis expresse derogare voluisse, & aliter factas derogationes nemini suffragari, & clausulam implicitæ derogationis, videlicet quod eorum vel earum seu præsentium tenores latissime extendi, & eædem præsentes, ac desuper conficiendæ litteræ, earumque tenores habeantur pro expressis, seu in toto vel parte exprimi possint in quibusuis supplicationibus, concessionibus, gratiis, & literis, à nobis & successoribus nostris, pro tempore emanatis, appositam, nihil penitus operari, nec in litteris Apostolicis desuper conficiendis quicquam, vltra quod in supplicationibus, concessionibus & gratiis huiusmodi specifice fuerit expressum, narrari posse, nec quemquam ad parendum litteris derogatoriis huiusmodi, & decretis super illis processibus, ac eorum executoribus, & subexecutoribus firmiter resistere, & litterarum earumdem executionem omnino impedire, nec ratione resistentiæ huiusmodi aliquibus censuris vel pœnis, Ecclesiasticis seu pecuniariis, per eosdem executores & subexecutores innodari. Necnon easdem præsentes litteras, etiam ex eo quod causæ propter quas emanarunt, coram locorum Ordinariis, etiam tanquam à Sede prædicta delegatis, vel alias quomodolibet examinatæ, iustificatæ, verificatæ, purificatæ, & approbatæ, ipsique Ordinarij & alij inferiores collatores, ac patroni & alienigenæ, necnon quicumque interesse habentes ad id legitime

Digitized by Google

gitime vocati non fuerint, neque præmissis consenserint, seu etiam enormis & enormissimæ læsionis, vel alio quocumque prætextu, aut ex quauis alia causa quantumuis legitima, vrgenti, & iuridica de subreptionis & obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari inualidari, retractari in ius vel controuersiam reuocari, ad terminos iuris reduci, seu aduersus eas quodcumque iuris, facti, vel gratiæ remedium impetrari posse, nec sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, à nobis vel quibuscumque aliis Romanis Pontificibus, ac dicta Sede, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus pro tempore emanatis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum in quo antea quomodolibet erant statum, restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de nouo etiam sub Data posteriori per Ordines trium statuum Regni Valentiæ huiusmodi eligenda, concessas, validasque & efficaces fore & esse, ac vim validi & efficacis contractus, inter nos & dictam Sedem ex vna, ac Ordines trium statuum Regni Valentiæ huiusmodi ex altera partibus rite, & recte initi, stipulari, ac etiam vtrimque iurati habere, & perpetuo obtinere, suosque plenarios & integros effectus sortiri, ac ab omnibus inuiolabiliter obseruari.

Decretum irritans.

§. 8. Sicque per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apost. Auditores, ac eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quauis causa & instantia iudicari ac definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis causarum Curiæ Cam. Apostolicæ generali Auditori, & Archidiacono Ecclesiæ Valentinæ, ac Abbati Monasterij B. Mariæ Valisdignæ, Cistercien. Ordinis, Valentin. diœc. per Apostolica scripta Motu simili mandamus, quatenus ipli, vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte indigenarum prædictorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes litteras, & in eis contenta huiusmodi, ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari, ipsosque indigenas illis pacifice frui & gaudere, non permittentes eos vel quempiam ex illis desuper quomodolibet indebite molestari, Contradictores quoslibet & rebelles, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

Clausula derogat.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, qua cauetur, ne quis extra suam ciuitatem vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ diœc. ad iudicium euocetur, seu ne Iudices à Sede prædicta deputati, extra ciuitatem & diœcesim in quibus deputati non fuerint, contra quoscumque procedere, aut alij vel aliis vices suas committere audeant, seu præsumant, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium, ad iudicium non trahatur, necnon quatenus opus sit, nostra de non tollendo iure quæsito, aliisque Apostolicis, ac in prouincialibus, synodalibus, & vniuersalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus, necnon Ecclesiarum in quibus beneficia huiusmodi fuerint, ac Regnorum, Prouinciarum, dominorum, & insularum huiusmodi iuramento confirmatione Apost. vel quauis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, etiam quantumuis longissimo tempore obseruatis, ac legibus etiam municipalibus, & pragmaticis, aliisque sanctionibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, etiam super facultate beneficia prædicta ipsis alienigenis conferendi, seu de illis prouidendi, & alias quomodolibet disponendi, ipsosque alienigenas ad beneficia, fructus, & pensiones huiusmodi recipiendi & admittendi, eisdem Ecclesiis, illarumque Præsulibus & Capitulis, necnon Regnis, Prouincis, Dominiis & Insulis prædictis, eorumque Communitatibus, Vniuersitatibus, hominibus, incolis, & personis, sub quibuscumque tenoribus & formis ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam vim validi & efficacis contractus, seu statuti perpetui vel legis habentibus & inducentibus, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & dictam Sedem, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter seu etiam ad Imperatoris, Regum Reginarum, seu aliorum Principum instantiam, vel eorum contemplatione & intuitu, in genere vel in specie, aut alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda esset, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Forma & effectus publicationis huius const.

§. 10. Ceterum, vt statutum, ordinatio, & alia præmissa, ac eædem præsentes literæ ad eorum quorum interest notitiam deducantur, nullusque possit aliquam illorum ignorantiam prætendere, vel excusationem allegare, sed illa perpetuo firma & illibata permaneant, Volumus, vt eædem præsentes litteræ in Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ valuis, & acie Campi Floræ per aliquem ex Cursoribus nostris affixæ, copia illarum ibidem dimissa, ab eadem die omnes & singulos perinde afficiant & arctent, acsi illis ipsis fuissent personaliter intimatæ.

Fides exemplorum.

§. 11. Quodque earum exemplis, etiam impressis, manu Notarij publici, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, in iudicio & extra, quæ ipsis præsentibus originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, statuti, ordinationis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, Non. Septemb. Pontificatus nostri Anno 3. *D. P. An. 3. 5. Septemb.*

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1587. indict. 15. die vero 16. mensis Decemb. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno 3. retro & introscripta litera affixæ, & publicatæ fuerunt, ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Franciscum Baron eiusd. S.D N. Papæ curs.

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

LXV.

Quod Franciscus Medices Magnus Dux Hetruriæ, & Magnus Magister Militiæ Ordinis S. Stephani, erigere valeat in commendas d. Militiæ, hospitalia per laicos regi solita, ad hospitalitatem instituta, in Hetruria existentia, de quibus Sedes Apost. disponere non consueuit.

Instituta fuit hac Militia à Cosmo Francisci patre, vt

Digitized by Google

vt videre eſt ſup. in Pij IV. conſt. 60. Illis quæ. *tom.2. vbi alia tibi indicaui de hac Militia.*

Edita An. D. 1587.

SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus ſeruorum Dei. Dilecto filio Nobili viro Franciſco Medices, Magno Hetruriæ Duci. Dilecti fili nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

Enunciatio Laudum Magni Ducis Hetruriæ.

PRæclara deuotionis ſinceritas, & eximia fidei conſtantia, quæ tibi diuinitus conceſſæ, ex tuorum progenitorum quaſi hæreditate videntur acceptæ, quibuſque in noſtro & Apoſtolicæ Sedis conſpectu, de qua continuo, vt obedientiæ filius benemereri non ceſſas, fulgere dignoſceris, nos ſupra modum inuitant, ſuauiterque alliciunt, vt votis tuis, quæ vt Chriſtianum Principem decet, Religionis propagationi, ac fidei Catholicæ defenſioni aſpirare conſpicimus, gaudenter annuamus, eaque fauoribus opportunis libentiſſime proſequamur.

Qui apud hanc Pontificē inſtat pro licentia erigendi in commēdā Ord. S. Stephani Hoſpitalia de quib. in rub.

§. 1. Sane pro parte tua nobis nuper expoſitum fuit, quod cum in diuerſis tuæ ditioni ſubiectis Ciuitatibus, Terris, Oppidis, & locis, quamplurima Hoſpitalia per laicos regi, gubernari, & adminiſtrari ſolita, quæ de iure patronatus tuo, & ſeu Magiſtratuum, Communitatum, Vniuerſitatum & hominum, Ciuitatum, Terrarum, oppidorum, & locorum prædictorum, ſeu etiam laicorum, ex fundatione vel dotatione, aut alias exiſtunt, in quibus tum ob locorum diſtantiam ſeu incommoditatem, tum etiam ob illorum fructuum tenuitatem, parum aut nihil hoſpitalitatis ſeruatur, illorumque fructus in prophanos & illicitos vſus conuerti ſolent, diuerſaque interdum in illis pariantur ſcelera: Vnde ſi in dictis Hoſpitalibus & eorum Eccleſiis, de dictorum laicorum patronorum conſenſu vnum vel duo, aut plura ex eis inſimul perpetuo vniendo & incorporando, ſeu etiam ſupprimendo, tot quot volueris, Præceptoriæ Militiæ S. Stephani, cuius tu Magnus Magiſter exiſtis, ad inſtar aliarum dictæ Militiæ Præceptoriarum erigerentur & inſtituerentur, eorumdemque Hoſpitalium fructus, redditus, & prouentus, ſeruata hoſpitalitate, & aliis ſupportatis oneribus, remanentes dictis Præceptoriis ſic erigendis & inſtituendis, etiam perpetuo applicarentur, ex hoc profecto eiſdem Militibus de congrua ſubuentione prouideretur, ipſaque Hoſpitalia melius ac decentius gubernarentur. Quare nobis humiliter ſupplicare feciſti, quatenus tibi Hoſpitalia prædicta inſimul, vt præfertur, vniendi & incorporandi, ſeu etiam ſupprimendi, & in illis vel eorum Eccleſiis, tot quot volueris Præceptorias dictæ Militiæ, vt præfertur eligendi, & inſtituendi, eorumdemque Hoſpitalium fructus, eiſdem Præceptoriis applicandi, licentiam & facultatem concedere, ac alias in præmiſſis opportune prouidere, de benignitate Apoſtol. dignaremur.

Ipſe igitur Pont. ob cauſas, hic expreſſas, dictā licentiam cōcedit.

§. 2. Nos ipſius Militiæ, quæ à claræ memoriæ Coſmo Medices, dum vixit, Magno Hetruriæ Duce progenitore tuo, ad Maris Mediterranei incurſibus infidelium infeſtati cuſtodiam & defenſionem inſtituta fuit, incrementum paternis exoptantes affectibus, ac attendentes quod illius milites tanquam indefeſſi IESV CHRISTI athletæ pro fide Catholica, etiam vitæ ac ſalutis incolumitati non parcentes, dictæ Militiæ triremibus per maria vndique diſcurrunt, ac publicæ quieti inuigilantes, piratarum, ſiue maritimorum latrunculorum inſidiis & fraudibus occurrere, ac Chriſtifidelium, tum bona tum corpora & animas ab illis tutari atque defendere non ceſſant: Huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, vt omnia & ſingula prædicta Hoſpitalia, & eorum Eccleſias ad hoſpitalitatem ſeruandam, non autem pro infirmis recipiendis inſtituta, & de quibus per Sedem Apoſtolicam diſponi non conſueuit, quæ de iure patronatus tuo, & ſeu dictorum Magiſtratuum, Communitatum, Vniuerſitatum, & Hominum, ſeu etiam aliorum laicorum præfatorum, vt præfertur ſunt, de illorum patronorum laicorum conſenſu, ſi vero de iure patronatus dictorum Magiſtratuum, Communitatum, vel Vniuerſitatum, & hominum prædictorum fuerint, etiam abſque illorum conſenſu, ac etiam Ordinarij loci, vel cuiuſuis alterius licentia minime requiſita, perpetuo vnire, annectere, & incorporare, ſeu aliqua ex eis ſupprimere, ac in eiſdem hoſpitalibus, & eorum Eccleſiis, vt præfertur vnitis, annexis, & incorporatis tot quot volueris, & provt tibi melius videbitur, & placuerit, Præceptorias Militiæ huiuſmodi, ad inſtar aliarum dictæ Militiæ Præceptoriarum per illius Milites obtineri ſolitarum, quæ per te & pro tempore exiſtentem dictæ Militiæ Magnum Magiſtrum, ad præſentationem illorum patronorum, vel de illorum conſenſu concedi & aſſignari debeant, etiam perpetuo erigere & inſtituere, eorumdem Hoſpitalium fructus, redditus, & prouentus (ſeruata hoſpitalitate, & aliis illorum oneribus ſupportatis) remanentes, dictis Præceptoriis ſic erigendis, & inſtituendis, etiam perpetuo applicare & appropriare libere & licite poſſis & valeas, plenam & liberam, ac omnimodam Apoſtolica auctoritate tenore præſentium facultatem, poteſtatem, & auctoritatem concedimus & impartimur, tibique deſuper de ſpeciali gratia indulgemus.

Clauſ. d. conceſſionis præſentium.

§. 3. Decernentes in eiſdem præmiſſis, & circa ea per te facienda & terminanda, ſemper & perpetuo valere, ac ab illis vllo vmquam tempore, quouis prætextu reſiliri non poſſe, & quaſcumque conceſſiones in contrarium faciendas, nullius roboris vel momenti exiſtere. Declarantes præſentes literas de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari vel impugnari nullatenus poſſe, ſed incommutabilis voluntatis & intentionis noſtræ fuiſſe & eſſe. Sicque & non aliter, per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, aç cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate iudicari & definiri debere: irritum quoque & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſ. cōtrariorum derog.

§. 4. Nonobſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, ac in Prouincialibus & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac dictorum Hoſpitalium, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus: priuilegiis quoque, indultis, exemptionibus, Conſeruatoriis, & aliis literis Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis, in genere vel in ſpecie eiſdem Hoſpitalibus vel illorum Rectoribus, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum omnium & ſingulorum tenores, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, & ad plenum derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris die 11. Septembris, 1587. Pontificatus noſtri anno tertio.

D. P. An. §. die 12. Sept.

LXVI.

Priuilegia & immunitates pro ædificantibus vel habitantibus in Via Felici, & in via Pia Almæ Vrbis.

Hæc eadem priuilegia hic Pont. conceſſit fabricantibus & habitantibus in Burgo Felici poſtea erecto apud hanc viam Felicem inf. in conſt. 103. Dum ad vberes. *Et ſimilem ſed latiorem conceſſionem dedit ædificantibus in Burgo S. Petri Pius IV. ſup. in conſt.* 101. Romanus.

Edita An. D. 1587.

SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Hic Pont. pro commodiore aditu, ad venerandas Vrbis Baſilicas pluret viar

DEcet Romanum Pontificem poſt multas & graues Paſtoralis ſui officij curas, hanc quoque non negligere, vt Alma Vrbs Roma, in qua non ſine Dei Voluntate à Vicario ſuo B. Petro Apoſtolorum Principe, ſancta Sedes Apoſtolica, ad omnium Chriſtifidelium commoditatem,

Digitized by Google

Latas aperuit & straui, & antiquum ritū de Capellis in eisdem Basilicis celebrandis renouauit vt sup.

ditatem, Religionisque incrementum constituta extitit, & ad quam olim Orbis nunc etiam Christianæ Religionis caput, magnus fit concursus, non modo salutaribus legibus, bonisque moribus in meliorem statum reformetur, sed nouis etiam viarum, vicorum, regionum, atque ædificiorum incrementis, ad populi in dies, benedicente Domino excrescentis, & confluentium aduenarum commodum assidue dilatetur. Quod dum ab initio nostri Pontificatus sedulo meditaremur, simul etiam, vt ad venerandas eiusdem Vrbis Basilicas, toto Orbe terrarum celebres commodius & decentius adiri posset, atque in eis frequentius visitandis Populi deuotio augeretur, præsertim veteri more sanctorum Pontificum nostrorum prædecessorum, in Stationibus & Pontificalibus Capellis, nostra præsentia celebrandis per nos renouato, vias complures latas & directas ad easdem Basilicas patefecimus.

Fontemque aquæ Felicis ad superiores Colles Vrbis perduci fiat.

§. 2. Necnon vberrimum & copiosissimum nitidæ & saluberrimæ aquæ fontem, quæ Felix nuncupatur, nostra solicitudine, & ingenti impensa, difficili & laborioso opere, magnaque industria ad superiores partes Collium ipsius Vrbis, cum maximis totius populi gaudio & applausu, ad publicam vtilitatem, Deo fauente, perduci curauimus, vt ciues & incolæ eiusdem Vrbis, viarum & fontium commoditate, simul etiam aeris salubritate, atque ipsius loci eminentioris & patentioris amœnitate perfrui possint, construendisque ædibus ad commodiorem habitationem, spatia habeant, latiora, ac nobilissima pars Vrbis non modo sumptuosis veterum substructionum vestigiis, sed Religiosis etiam Christianæ antiquitatis monumentis insignis, nouis ædificiis, & incolarum frequentia, in pristinum decus & celebritatem, nostris potissimum temporibus restituatur.

Et modo ædificantibus, in Via Pia construenda, ex quocumque prærequam læsæ Maiestatis delicto confiscari nequeant.

Cupientes igitur eorumdem incolarum, & ciuium, necnon Curialium, & quorumcumque peregrinorum eo concurrentium commodis plenius consulere, eosque ad huiusmodi partem Vrbis cum omni quiete & tranquillitate inhabitandam, nouisque domibus, replendam Apost. benignitate fauoribus, & gratijs inuitare, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, perpetuo statuimus & ordinamus, quod quæcumque domus & ædificia quæ per quasuis personas, cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existentes, in via noua, Felici nuncupata, ab Ecclesia S. Mariæ Maioris vsque ad Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio, per nos strata ac directa, necnon in via Pia per nos etiam æquata à Palatio nostro in Monte Quirinali, vsque ad Ecclesiam S. Susannæ, & in vicis prope dictas vias dirigendis pro tempore construentur, ex quocumque delicto quantumuis graui (criminibus tamen diuinæ & humanæ Maiestatis læsæ tantum exceptis) confiscari non possint, sed eorum Dominis, vel in eis ius habentibus, & successoribus suis, perinde ac si delicta non commississent, firma & illæsa remanere debeant.

Inhabitantibusque per biennium ædificia prædicta quæcumque Romanorum Ciuium priuilegia concedit.

§. 3. Ac propterea quod ij qui per biennium continuum dictas domos, seu ædificia in viis prædictis consistentia inhabitauerint, iisdem immunitatibus & exemptionibus, quibus veri & originarij ciues Romani, de iure vel consuetudine, vel ex priuilegio, aut alias quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, vel vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum eorum instar, sed pariformiter & æque principaliter, ac absque vlla prorsus differentia vti, potiri, & gaudere, libere & licite valeant.

Habitantes ibidem pro debitu contractis extra fluuium non molestentur.

§. 4. Quodque ij, qui domos seu ædificia in dictis viis constituta pro tempore habitabunt, ratione æris alieni, aut cuiusuis contractus, obligationis, instrumenti etiam iurati, etiam sub Cameræ Apostolicæ, vel alia quauis forma, & conceptione verborum, extra tamen loca ditioni nostræ Ecclesiasticæ in temporalibus subiecta, initi & celebrati, seu contracti, quamdiu ædificia, vel domos huiusmodi inhabitabunt, vigore mandati cuiuscumque Iudicis, Curiæ, vel Tribunalis, in personam vel in rem, molestari minime possint nec debeant.

Priuilegio fori capronum gaudeant.

§. 5. Ac insuper priuilegio fori Capitolini ciuibus Romanis competenti, perinde ac si veri originarij, & indubitati ciues Romani forent, in omnibus & per omnia gaudeant, atque instar ciuium Romanorum, causas suas coram quocumque Iudice, Tribunali, aut Curia pro tempore motas, iuxta formam statutorum eiusdem Vrbis nouissime editorum, ac literarum Apostolicarum desuper confectarum, ad Curiam Capitolinam trahere, ac reassumi facere valeant, motu, scientia, auctoritate & tenore prædictis, perpetuo concedimus & indulgemus.

Artifices eadem ædificia incolentes, à collecta per cōsulatus imponendis, ac ab onere excubias tempore pestis, &c. faciendi, exempti fiat.

§. 6. Demum vniuersos & singulos artifices, seu opifices, cuiuscumque artis, domos, seu ædificia huiusmodi in viis prædictis pro tempore incolentes, ab omni & quocumque onere seu collecta, aut grauamine per Consules eiusdem artis ratione ipsius Consulatus pro tempore impositis, similiter perpetuo eximimus & liberamus, eisque pariter indulgemus, quod nec præmissis contribuere, nec quicquam vel minimum tali de causa persoluere teneantur. Ac tempore pestis, aut belli (quod Deus auertat) aut cuiuscumque alterius sinistri, & inexcogitati casus fortuiti, ad custodias seu excubias faciendas nequaquam sint obligati neque ad præmissorum quippiam cogi vel compelli possint aut debeant, liberique immunes, & exempti ab omnibus supradictis sint & esse censeantur.

Decretum irritans.

§. 7. Decernentes omnia & singula præmissa valida perpetuo & efficacia fore, suosque plenarios effectus sortiri debere, ac in singulis, quos illa concernunt, suffragari. Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios, ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Rom. Eccl. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his, à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum & defensorū deputatio & facultates.

§. 8. Quocirca dilecto filio nostro Henrico tituli Sanctæ Pudentianæ presbytero Cardinali Caietano nuncupato, moderno ac pro tempore existenti prædictæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, & Cameræ Apostolicæ Præsidentibus Clericis, per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi, per se vel alium seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte alicuius prædictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac domorum seu ædificiorum huiusmodi conductoribus, habitatoribus, incolis, dominis, eorumque hæredibus & successoribus, artificibus, & quibusuis aliis supradictis, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra, præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, per eos ad quos spectat & spectabit in futurum, perpetuo firmiter & inuiolabiliter obseruari, illasque debitæ executioni demandari procurent. Contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc vel adhibito, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

Clausula derogatoria.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Vrbis, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, etiam nouissime reformatis, priuilegiis, indultis, & litteris Apostolicis eidem Populo Romano, eiusque Magistratibus, ac Consulatibus Artium, aut illarum Consulibus pro tempore existentibus, vel quibusliber aliis personis, Ciuibus, Prouinciis, Terris, & locis, sub quibuscumque tenoribus & formis, etiam motu & scientia similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio, seu quæuis alia expressio ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, acsi de verbo ad verbum inserterentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio Panalis.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, concessionis, indultorum, exemptionis, liberationis, decreti, commissionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Digitized by Google

contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D. P. An. 1. 13. Septemb. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, Id. Septembris, Pontificatus nostri Anno tertio.

Publicatio. *Anno à natiuitate Dom. 1587. Indictione 15. die vero 9. mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. Anno eius 3. retroscripta littera Apostolica, & omnia & singula in eis contenta affixa & publicata fuerunt ad valuas Ecclesiarum Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & S. Petri de Vrbe, ac Cancellaria, Apost. & acie Campi Flore, vt moris est, per Alemannum ad Alemannis, & Octauium Taglietum S. D. N. Pap. Curs.*

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

LXVII. Prohibitio extrahendi, aut quoquo modo amouendi libros, & alia existentia in Bibliothecis Fratrum Minorum de Obseruantia Ordinis S. Francisci. Et ordinationes quibus eadem conseruari debeant.

Alia de hoc Ordine inspice supra in constitut. 23. Leonis X. Ite.

SIXTVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1587.

Causa huius const. CVm sicut accepimus, nonnulli parum attendentes procedere via quæ ducit ad salutem, sub variis respectibus ausi fuerunt, & in dies audent, contra formam litterarum fel. recordat. Pij Papæ V. prædecessoris nostri in forma Breuis, sub datum Romæ quarto Nouembris, millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, Pontificatus sui Anno quarto, asportare libros, quinterna, folia & res existen. in Bibliothecis Monasteriorum, seu domorum Fratrum Sancti Francisci de Obseruantia.

Prohibetur omnibus amotio librorum ex bibliothecis Ordinis. Traditur forma libros cõseruandi. §. 1. Idcirco volentes plenius prouidere prædictis, tenore præsentium, Motu proprio, ac ex certa scientia nostra, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœna ipso facto sine alia declaratione per contrauenientem in singulis casibus infrascriptis incurren. à qua nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo possit absolui, & nisi in primis satisfactõ omni damno dictarum Bibliothecarum mandamus omnibus Ministro ac Commissario Generalibus, Ministris, Prouincialibus, Commissariis, Guardianis, ceteriisque fratribus quocumque nomine nuncupatis dicti Ordinis aliisque omnibus & singulis personis Ecclesiasticis, sæcularibus & regularibus, cuiusuis status, ordinis, cõditionis, etiamsi Pontificali dignitate præfulgeant, vel alias hic specifice nominandi fuissent, præsentibus & futuris, ne sub quouis prætextu, & causa, & ratione, etiam quibus dici posset, si nobis expressæ fuissent, vel de his cogitauissemus, non sic ordinauissemus, audeant seu præsumant, neque aliquis eorum audeat seu præsumat, per se vel alium seu alios, nec pro minimo quidem temporis spatio dictos libros quinterna, folia, nec res aliquas in dictis Bibliothecis nunc & quandocumque existentes de dictis Bibliothecis amouere, asportare, tollere, seu amoueri, asportari, aut tolli facere, vel consulere, neque verbo, vel facto in aliquo ex prædictis alicui auxilium aut opem præstare. Quinimmo quilibet ex prædictis teneatur, quicquid in prædictis audiuerit, aut sciuerit factum, vel fieri tentatum in præiudicium dictorum Fratrum eorumque Bibliothecarum notificare Guardiano, & in eius absentia Vicario domus, seu Monasterij, in cuius Bibliotheca aliquid ex prædictis contigerit. Qui Guardianus & Vicarius teneatur, iuxta omne eorum, suorumque superiorum, & aliorum quorumcumque posse, quorum auxilio indiguerint, quod per quoscumque præstari eis mandamus, curare cum effectu omnia restitui in pristinum, & satisfieri omni damno successo in dicta Bibliotheca per culpabiles in prædictis.

Puniuntur §. 2. Et nihilominus pro potiori cautela & securitate prædictorum mandamus sub eisdem pœnis, necnon priuationis vocis actiuæ & passiuæ, inhabilitatisque perpetuæ ad quælibet officia dictæ Religionis vmquam obtinenda & exercen. omnibus & singulis dictorum Monasteriorum Guardianis quandocũque electis, ne sub quouis prætextu, causa, & ratione hic alias necessario exprimendis, audeant assumere officia Guardianatus, neque in eo verbo, seu facto se ingerere, nisi prius in præsentia discretorum loci, seu Monasterij in quo fuerit aliqua Bibliotheca, cum fuerit plenum & perfectum inuentarium; omnium & singulorũ librorum, quinternorum, & foliorum, anni, & loci impressionis, coperturæque prædictorum, ac alterius cuiusuis certioris, & magis specialis specificationis dictorum librorum, quinternorum, foliorum; & rerum, quod inuentarium completum debeat subscribi à dicto Guardiano & discretis, dictique inuentarij exemplar ad verbum cum similibus subscriptionibus transcribi in vno libro ad hunc solum effectum tanto, & perpetuo conseruato in capsula, vel loco in quo solent deponi sub clauibus elecmosynæ pro tempore dictis domui, Monasterio, ac fratribus factæ. Qui libri, quinterna, folia, resque quælibet prædictæ debeant per similem inuentarium, & inuentaria, vt supra scribenda & subscribenda à dictis Guardiano, & discretis, & in dicto actu cõsignationis cum veteribus proxime præcedentibus, & aliis, quibus opus erit ratiocinata & collata per Guardianum iam officium complentem, seu à dicto officio Guardianatus, seu Commissariatus discedentem consignari eius in officio successori, & ab eodem successore in præsentia supradictorum subscribi, sicque perpetuo ab omni Guardiano, seu eius Vices gerẽte antequam assumat munus dicti Guardianatus, vel in eo, verbo seu facto se intromittat, quæ inuentaria pariter fiant formis & modis supradictis, renouentur à Guardianis existen. in officio tempore Dat. præsentium. Quod inuentarium quilibet Minister Prouincialis, & dictæ Prouinciæ Commissarius teneatur singulis annis sui officij in præsentia dicti Guardiani, & discretorum eius, Domus & Monasterij reuidere, & quod additum non fuerit, aut ex dictis Bibliothecis asportatum fuerit facere addere dictis inuentariis, ac in dictas Bibliothecas reportare, dictisque additionibus & inuentariis vna cum prædictis Guardiano & discretis se subscribere. *conuenientes & complices.*

Subreptiõ allegari prohibetur. §. 3. Quod si singula prædicta, vt supra ordinata, facta non fuerint, volumus & decernimus vltra prædictas pœnas dictum Guardianum, Ministrum, & Commissarium statim sine aliqua declaratione intelligi priuatos, prout priuamus ex nunc prout ex tunc semper officio Guardianatus, Ministratus, aut Commissariatus, quod tunc gerit; neminemque de cetero ei obedire volumus, & eumdem sic vt supra in omnibus non obedientem declaramus inhabilem ad quæuis officia dicti Ordinis per ipsum vmquam gerenda. Et nihilominus quilibet ex prædictis Ministris, Commissariis, Guardianis, & fratribus nunc & pro tempore existentibus dicti Ordinis Minorum, asportans aliquid, aut asportari faciens, vel asportari consulens, aut opem, aut auxilium; ante vel post, vel in ipso actu asportandi, verbo seu facto præstans extra dictas Bibliothecas contra formam præsentium debeat ab eius immediate Superiori incursuro sine alia declaratione statim dictas omnes pœnas, si hæc omnia debita executioni non mandauerit, incarcerari, & in carceribus detineri per sex menses continuos neque elapsis dictis sex mensibus possit de dictis carceribus liberari, nisi refectis omnibus damnis dictæ Bibliothecæ, & omnibus restitutis in pristinum, decernimusque præsentes quemlibet eorũ concernen. arctare ad earum obseruationem in Italia post quattuor menses, extra vero Italiam post octo menses, in partibus vero Indiarum, ac locorum de nouo repertorum post biennium à data præsentium.

§. 4. Nec de subreptionis aut obreptionis, nec etiam intentionis nostræ, vel quolibet alio defectu, aut vitio, cogitato vel incogitato redargui posse, nec contra has aliquid dici, nec ignorantiam, aut illorum in obsectiam posse allegare, sed plenissime ad litteram obseruare, sublata aliter declarandi, interpretandi, & iudicandi cuilibet etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, & causarum Palatij Apostolici Auditori, facultate

Digitized by Google

& auctoritate, irritum & inane decernes, quicquid in contrarium factum fuerit.

Derogatur contrarijs.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Monasteriorum, domorum, Ecclesiarum & Ordinum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, priuilegiis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque, etiam de quibus hic specialis mentio facienda esset.

Fides transumptorum.

§. 6. Et quia difficile foret præsentes originales vbique vbi opus esset ostendi, volumus etiam transumptis ab aliquo Notario, seu dicti Ministri generalis Secretario, & per eumdem Ministrum generalem subscriptis, & sigillo officij alterius eorum sigillatis, eamdem prorsus fidem in iudicio & extra adhiberi, ac si præsentes literæ originales fuissent exhibitæ vel ostensæ.

Dat P. An. 3. 3. Octobris.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die tertia Octobris millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, Pont. nostri Anno 3.

LXVIII. Approbatio Congregationis Fratrum Minorum Conuentualium Reformatorum S. Francisci, cum habitus designatione, & priuilegiorum communicatione.

Hi Fratres non possunt recipere Capuccinos, nec deferre habitum consimilem, vt infra in Gregor. XIV. const. 11. Beati. *His etiam Reformatis, subiecit quosdam Fratres Discalceatos hic Pont. vt infra in const.* 99. Cum sicuti. *De toto autem Ordine Franciscano, plene notaui sub. in const.* 5. *Hon. III.* Solet.

Edita An. D. 1587.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

APostolici muneris sollicitudo, diuina dispensatione nobis licet immerentibus delegata, indesinenter requirit, vt circa statum Religiosarum personarum quarumlibet, illarum præsertim, quæ ex singulari deuotionis feruore sub strictiori Religionis iugo, gratum Deo famulatum præstare affectant, & continuo insistunt, assidua mentis cogitatione inuigilantes, ad ea, per quæ regularis vitæ institutum in melius dirigetur, ipsæque personæ Religiosæ in huiusmodi earum laudabili instituto, semoto quocumque perturbationis & molestiæ obstaculo, quiete ac tranquillitatis amœnitate perseuerare valeant, propensius intendamus, ac in his officij nostri partes libenter interponamus, prout vndique debite pensatis circunstantiis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa huius concessionis.

§. 1. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Minorum Conuentualium Reformatorum Sancti Francisci petitio continebat, quod annis iam pluribus retroactis, nonnulli Ordinem Fratrum Minorum S. Francisci iam tunc expresse professi, strictioris Religionis iugum subire, ac eiusdem Sancti Francisci Regulam, institutumque pium ac sanctum, exactius sequi atque imitari, & sub illis magis gratum Deo famulatum exhibere peroptantes, cœperunt seipsos, iuxta eamdem Regulam paulatim reformare, nonnullasque Domos, Conuentus, & loca in Prouincia Marchiæ Anconitanæ, in Hetruria, ac in Neapolitan. & Siciliæ Regnis, in quibus ipsam Regulam seruare, & secundum illam viuere possent, acquisiuerunt, & acceptarunt. Licet autem in domibus & locis huiusmodi, sub obedientia Protectoris, & Superiorum Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium huiusmodi viuant, nec ideo ab aliquo potuissent, nec possint, vel debuissent aut debeant, super sic reformato viuendi modo, per quemquam molestari, vel impediri, nihilominus in quibusdam locis, & potissimum in prædicto Siciliæ Regno, aliqui locorum Ordinarij sub prætextu, quod hæc Fratrum Reformatorum Congregatio, noua, ac nequaquam ab Apostolica Sede approbata existeret; permiserunt quidem ipsos Fratres Reformatos Ecclesias & loca fabricari facere, & acquirere, sed postea eos illis de facto spoliarunt; alij vero in aliis locis eosdem super habitu ipsorum, & seu aliis, ac super aliis molestarunt & inquietarunt, Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, dicti Fratres Reformati prouide, & ne ipsos, eorumque Congregationem super præmissis contingat vlterius inquietari, vtque præsens Reformatio magis stabilita, non solum maiuteneatur, sed incrementum accipiat, speciali nostro & Sedis prædictæ priuilegio, vt infra, dilectis filiis Protectore & Magistro Generali dicti Ordinis, in hoc etiam consentientibus, præfulciri desiderent, ac pro parte eorumdem Fratrum Reformatorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in præmissis opportune prouidere, ac eos in huiusmodi pio & laudabili proposito confouere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmatio Ord. Fratrū Conuentualium Reformatorum eorumque reformationis.

§. 2. Nos igitur, qui personas deuotas, præsertim vero eas, quæ relicto mundo, Christum secutæ sunt, specialibus libenter prosequimur fauoribus, eosdem Fratres Reformatos, ac illorum singulos, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, reformationem prædictam vbicumque locorum cœptam & introductam, ac indies introducendā, ac pro ea, & illius felici & prospera directione facta, statuta, & ordinationes cum inde secutis quibuscumque, sicuti pie, ac sancte, sancita & ordinata sunt, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuo confirmamus & approbamus, illaque omnia per quoscumque locorum Ordinarios, & alios ad quos quomodolibet spectat, & spectabit in futurum, inuiolabiliter obseruari debere decernimus, omnesque & singulos, tam iuris quam facti, ac solemnitatum, etiam substantialium defectus, siqui forsan quomodolibet interuenerint in eisdem aut eorum aliquo, de plenitudine Apostolicæ potestatis supplemus.

Reformati sub obedientia Protectoris generalis Procuratoribusque & Prouincialium existūt.

§. 3. Et nihilominus eisdem Fratribus Reformatis, quod nunc ac deinceps in perpetuum, ipsi ac eorum Congregatio, tam in prædictis quam quibusuis aliis Regnis, & Mundi partibus, Fratres Minores Conuentuales Reformati nuncupari, & pro talibus haberi & reputari, necnon se ipsos ita vbilibet, & in quibusuis actibus publicis & priuatis, vocare & inscribere, & secundum veram Beati Francisci Regulam, Apostolico more in communi, sub dilectorum filiorum nunc & pro tempore existentium dicti Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium Protectorum, & Magistrorum, ac Procuratorum generalium, & Ministrorum Prouincialium viuere, exceptis dumtaxat Domibus, & Conuentibus Vrbis, & Ciuitatis Neapolitan. quæ sub obedientia Ministri, & in eius absentia Procuratoris generalis Ordinis, vt par est, degere, & subesse tantum intelligantur.

Custodis Prouincia residētia.

§. 4. Custodesque Prouinciæ in eis residere debeant, etiamsi aliqui Eremiticam, aliqui sub obedientia Fratrum Minorum de Obseruantia nuncupatorum, alij vero tamquam Tertiarij aut alias aliam vitam duxerint, seque voto vitæ Quadragesimalis obligauerint, ac etiamsi postea aboliti fuerint, à quibus omnibus voris & professionibus, quatenus opus sit, eos & eorum singulos plenarie absoluimus & liberamus, ac habilitamus, plenarieque absolutos & habilitatos esse decernimus.

Reformati in Capitulis Cōuentualiū intersint, faciāsque Congregat. Vocaliū Refor. cui Capituli Præsidens assistat custodemque ex Reformat. eligat.

§. 5. Ac quod quicumque ipsorum Fratrum Reformatorum vocati, in quacumque Prouincia, Capitulo, seu Congregatione Prouinciali dicti Ordinis Fratrum Conuentualium intersint, in quo particularis fiat Congregatio diuersorum vocalium Reformatorum, & in ea Præsidens ipsius Capituli existat, ac præsideat, ibidemque Custodem Reformatum inter ipsos eligat.

Custodis officium & auctoritas.

§. 6. Cuius officium per annum tantum duret, quique visitandi, corrigendi, incarcerandi, puniendi, priuandi, collocandi, & deponendi, siue dislocandi, necnon reformandi, ac primas causas cognoscendi, sicut cognoscit Prouincialis, dummodo ab ipso Prouinciali non præueniatur, & ab ipso eiusque decretis ac sententiis ad ipsum Prouincialem Conuentualium relinquatur recursus

Digitized by Google

recursus & appellatio, qui vel quæ numquam impediri queat, quoties opportunum fuerit, sed tantum in eos possit Prouincialis prædictus, quantum in Conuentuales, de iure, more, laudabilique consuetudine potest & debet.

Priuilegijs, gratijs, & indult. Conuentualium, ipsi Reformati potiuntur.

§. 7. Et insuper eorumdem Fratrum Reformatorum quilibet, necnon quæcumque domus, Ecclesiæ, & loca ipsorum, omnibus & singulis priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, prærogatiuis, concessionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis, stationibus, cæterisque gratiis, tam temporalibus quam spiritualibus, quibus domus, & Ecclesiæ dictorum Fratrum Conuentualium, eorumque Guardiani & Fratres, de iure, vsu, & consuetudine vel priuilegio, aut alias quomodolibet vtuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, frui, potiri, & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum pariformiter, & sine differentia, dummodo contra puritatem regulæ eiusdem Beati Francisci non sint, nec ei in aliquo derogent, sed conseruationem & augmentum dictę Reformationis concernant, vti, frui, potiri, & gaudere possint in quolibet actu.

Syndicum pro secularibus negocijs agendis Reformati deputare possint, & hactenus hic designatum deserant.

§. 8. Concedit itidem, vt in quolibet eorum Conuentu, seu domo, Syndicum, iuxta ordinationem felicis recordationis Nicolai Papæ Tertij prædecessoris nostri, super hoc factam, cui per Prouincialē, Custodem, ac Guardianum loci, cum aliis fratribus, negotia sæcularia, domus seu Conuentus, ac computa rationum reuidenda, expensæ faciendæ, prouisiones necessariæ pro alimentis & vestimentis, & constructiones, reparationes Conuentuum, ne commutent habitum etiam quantumuis rudem vilium pannorum, siue nouum, siue veterem, ac de saccis, etiam repetiatum & resarcitum, non enim habitus exquisitus, in qualitate vel quantitate decet fratrem Reformatum, coloris terrei seu cineritij, ac caputium seu scapularium in capite rotundum, & à tunica diuisim gestare, ac vbilibet deferre, nudisque pedibus, aut suppositis solis (siue vt vocant) sandaliis, incedere libere & licite valeant, ac etiam debeant.

Super Conuentibus recepta & recipiendo, diffitique habitus delatione aliisque præmissis molestari nequeãt.

§. 9. Necnon quod ab Ordinariis locorum quorumcumque Regnorum, & Mundi partium, in quibus pro tempore domus seu Conuentus, & loca habuerint, ac introducti fuerint, aut etiam quibuscumque aliis personis, Superioribus, & Prælatis cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, in hac super tam iam fabricatis, ac receptis, quam deinceps quandocumque & vbicumque (de Ordinariorum locorum licentia) fabricandis, recipiendis, & acceptandis, per eos ac eis oblatis, & donatis, domibus, Conuentibus, Ecclesiis, ac locis, illorumque vsu, habitatione, ac retentione liberis, quietis, & pacificis (dummodo tamen de licentia expressa Ministri generalis pro tempore existentis dictorum fratrum Conuentualium, ac Capitulo Prouinciali, sic determinante) domos & loca huiusmodi receperint, & acceprauerint, habitusque delatione, & aliis præmissis, quouis modo, aut quæsito colore, publice vel occulte, directe vel indirecte, vllatenus vmquam molestari, perturbari, vel inquietari.

Fratres Conuentuales de eorum Generalis licentia alias vero nequaquam recipiant iuxta const. Pij V.

§. 10. Neque item ipsi Fratres Reformati aliquos alios fratres alterius cuiuscumque Ordinis Sancti Francisci de Obseruantia, ac Capuccinorum, aut aliorum Ordinum, iuxta literas felicis recordationis Pij Papæ Quinti etiam prædecessoris nostri in forma breuis, sub die prima Decembris, millesimi, quingentesimi sexagesimi noni, Pontificatus sui Anno quarto emanatas, sed tantum Conuentuales, & cum expressa ad hoc habita Ministri Generalis ipsorum Conuentualium licentia recipere, minusue sic inter Reformatos ex Conuentualibus recepti, professionem alio tempore, vel anticipato, vel non completo anno, vel annum sextumdecimum, vel datis, vel intimatis terminis professionis faciendæ, & hoc etiam in publica Ecclesia, Capitulo, vel Refectorio, prout ipsi Conuentuales emittunt, ac nonnisi iuxta veram & & puram Regulam Beati Francisci prædictam emittere, neque postquam ad reformatos ex Conuentualibus sic transiuerint, ad dictos Conuentuales inde reuerti; quin etiam prædicti fratres Reformati ex sæcularibus nullos, niti qui bonæ vitæ & famæ, priusquam in ipsa Congregatione Reformatorum recipiantur, probati fuerint, ac habita prius à Prouinciali dictorum fratrum Conuentualium licentia, quam nec Guardiani, Custodes vel Commissarij quicumque dare possint, in Fratres Reformatos recipere queant.

Cum conuentualibus ad processiones incedant ab illisque se nũquam separare, nec alios Protectores, vel Prouinciales quam Conuentualium habere possint.

§. 11. Demum quod ipsi Fratres Reformati, & eorum Congregatio, dictis Fratribus Conuentualibus, ac cum illis ita vniti sint & esse censeantur, vt nullo vmquam tempore liceat illis alios Protectores Generales vel Prouinciales, quam dictorum Conuentualium habere, nec in Processionibus, & aliis actibus, aliam quam Conuentualium. Crucem sequi vel deferre, nisi forte ipsi Fratres Reformati in aliquo loco fuerint, in quo non adsunt Conuentuales, quo casu iidem Reformati per seipsos ire, ac incedere, sub excommunicationis pœna sete à Conuentualibus vmquam separare, aut segregare vllo modo, vlloue tempore valeant.

Hæc constitutio Reformatis sub Conuentualium obedientia viuentibus solummodo suffragatur.

§. 12. Præsentes quoque, & desuper conficiendæ litteræ, toti & soli Congregationi Reformatorum, sub obedientia Conuentualium, in omnibus Prouinciis viuentium suffragentur, ac concessæ intelligantur, illæque per quoscumq; vniformiter, etiamsi aliqui hactenus in quacumque Prouincia Priuilegium aliquod, aut facultatem particularem, à nobis & aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, quomodolibet impetrarint, obseruari debeant, auctoritate & tenore prædictis, etiam perpetuo concedimus & indulgemus.

Clausula præseruatiua.

§. 13. Ac etiam statuimus & ordinamus easdem præsentes litteras, nullo vmquam tempore, de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis, vel quouis alio defectu notari vel impugnari, aut alias quomodolibet infringi vel retractari nullatenus vmquam posse, sed illas semper & perpetuo validas & efficaces existere, suosque effectus sortiri debere, neque sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per quascumque litteras vel constitutiones Apostolicas, seu Cancellariæ Apostolicæ regulas, etiam per nos & successores nostros prædictos, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de prædictæ potestatis plenitudine, ac consistorialiter, necnon sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis pro tempore factis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, necnon quoties illas reuocari vel limitari, aut suspendi, seu ei derogari contigerit, toties in pristinum statum, etiam sub data priori restitutas, & plenarie reintegratas, & de nouo concessas esse & censeri.

Decretum irritans.

§. 14. Sique etiam per quoscumque Iudices, Commissarios, & delegatos, ac causarum Palatij Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, necnon quosuis alios Ecclesiarum Prælatos, ac Iudices, tam Ecclesiasticos quam sæculares, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus & declaramus.

Clausula derogatoria.

§. 15. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu simili, ac alias quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, ad hoc seruanda foret, illorum tenores, acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in eis tradita, obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod præsentium copiis siue transumptis etiam impressis, & manu alicuius Superioris dictorum Fratrum

Digitized by Google

Reformatorum ſubſcriptis, plenaria vbique fides adhibeatur in iudicio & extra, acſi originaliter exhiberentur.

Sanctio pœnalis.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ, &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Dat. P. An. 3. 15. Octobris.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo, Id. Octobris Pontificatus noſtri Anno tertio.

LXIX. De decies alteris centenis millibus nummum aureorum, in Arce S. Angeli ſepoſitis, nullo vmquam tempore, niſi in præſcriptis caſibus, certaque deſuper ſeruata forma depromendis.

Alia centena millia hic idem Pont. pro S.R.E. præſidio, in primo anno ſui Pont. collegit, & in eadem Arce repoſuit, indeque promi vetuit, vt ſup. in eius conſtit. 31. Et alia, in tertio anno ibidem poſtea repoſuit, vt infra in conſtit. 80. Etſi. Haſceque bullas Pontifices omnes confirmarunt.

Edita A. D. 1587.

SIXTVS EPISCOPVS *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Hic Pont. anno primo repoſuit in Arce S. Angeli centena millia, vt in conſtit. hic indicata.

ANno ſuperiore decies centena millia nummum aureorum in Pontificia Sancti Angeli Arce, & certo ſanctiori Ærario repoſuimus & collocauimus, ac de illis aſſeruandis ac numquam, niſi certis præſcriptis caſibus promendis & erogandis, Conſtitutionem perpetuo valituram edidimus, cuius tenor infra deſcriptus eſt.

Omittitur tenor quia habetur ſup.

Et deinde alia centena millia collegit, & modo in eadem Arce ſimiliter repenit, cum eiſdem prohibitionibus, egibus, & conditionibus in d. conſt. contentis.

§. 1. Verum cum ob culpas, peccataque noſtra multiplicia, quibus diuinam Maieſtatem in dies magis ad iracundiam prouocamus, vſque eo neceſſitates ſuperius enarratæ multiplicentur, periculaque gregi Dominico impendentia adaugeantur, vt illis, nec dum prioris pecuniæ collectione, ſatis prouiſum eſſe videatur. Nos quamuis in omnibus difficultatibus, curiſque noſtris, in Dei Omnipotentis auxilio ſpem noſtram fixam habeamus, ad illius opem (qui niſi cuſtodierit Ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam) ex intimo cordis affectu confugiamus, tamen ab eo ipſo paſtorum Principe Chriſto frequenter admoniti, vt pro ouibus noſtræ fidei creditis, eorumque ſalute & vtilitate, modis omnibus vigilemus, facere non poſſumus, pro noſtro Paſtorali munere in hac quoque parte obeundo, quin humanis etiam conſiliis, ac viribus (pro eo ac nobis ab eodem clementiſſimo Domino datum eſt) ad tot mala, periculaque propulſanda, noua quotidie præſidia conaremur. Quamobrem alia decies centena millia aureorum nummum, non ad noſtra, aut cuiuſque noſtrorum priuata commoda, ſed ad publicum bonum, ad S. R. E. cui Deo auctore præſidemus defenſionem, ad fidei Catholicæ conſeruationem, ac propagationem noſtra ſedulitate ac frugalitate collegimus, quæ eadem in Arce, vt priora altera decies centena millia reponi, aſſeruari, nec inde amoueri, erogariue, niſi in ſupradictis expreſſis neceſſitatibus, eodem plane modo volumus. Motu proprio igitur, & ex certa noſtra ſcientia, ac habita ſuper hoc cum venerabilibus noſtris S. R. E. Cardinalibus in Conſiſtorio noſtro ſecreto matura deliberatione, de eorum conſilio, & vnanimi conſenſu, hac præſenti noſtra perpetuo valitura conſtitutione, dicta alia decies centena millia aureorum nummum in eadem Arce noſtra Pontificia Sancti Angeli, & ſanctiori Ærario nunc recondimus, reponimus, & collocamus, ac Chriſto Domino Noſtro, Beatæ Mariæ ſemper Virgini, & Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo offerimus & dicamus, iiſdem omnino legibus & conditionibus, quæ in noſtra ſuperius deſcripta conſtitutione præſcriptæ & præfinitæ ſunt.

Et inter certos caſus, in quibus huiuſmodi pecunia depromi poſſit, nunc declarat comprehendi cauſam.

§. 2. Declarantes noſtræ voluntatis, mentiſque eſſe, vt quod in ipſa conſtitutione, de recuperatione Terræ Sanctæ, & generali expeditione contra Turcas dictum fuit, idem etiam locum obtineat, quo ad vtramque Deo dicatam pecuniæ ſummam, in recuperatione Regnorum à quibuſcumque Catholicæ Romanæ Eccleſiæ hoſtibus occupatorum, & in expeditione, quam contra eoſdem decerni, ac fieri contigerit.

Recuperationis Regnorum occupatorum, & expeditionum contra S. R. E. hoſtes. Formamque pecuniæ in dictis caſibus deponendi deſcriptis & ſeruari præcipit.

§. 3. Vbi vero in præſcriptis caſibus, pecuniarum aliquid ſumi neceſſitas poſtulauerit, volumus vt de tota ſumma, tam ſuperiori anno quam etiam nunc repoſita, hoc prorſus, & alio modo pecuniæ ſumantur & erogentur, nimirum, vt in Conſiſtorio ſecreto præſcriptarum neceſſitatum qualitate, ac rerum & temporum ratione diligenter perpenſa, atque ita cogente, non duarum, ex tribus partibus Cardinalium, ſicuti in priori conſtitutione noſtra ſancitum erat, ſed trium ſaltem ex quatuor partibus Cardinalium, qui Conſiſtorio interfuerint, conſenſu, decreto, & ſubſcriptione adhibitis, ex biniis decies centenis millibus aureorum nummum à nobis repoſitis, non vltra quartam partem, id eſt, non vltra quingenta millia nummum promi liceat, & ea quidem quingentorũ millium ſumma, non tota ſimul, ſed paulatim moderate & ſucceſſiue depromatur, per certas portiones, quæ in eodem Conſiſtorio, in quo de tota re deliberabitur, à tribus partibus Cardinalium, vt dictum eſt, omnibus diligenter examinatis, decretæ & præfinitæ fuerint. Quod ſi ipſis quingentis millibus erogatis & conſumptis, præſcripti caſus & neceſſitates nouam impenſam requiſierint, tunc iterum propoſita & adhibita in Conſiſtorio conſultatione, ſi conſenſus, decretum, & ſubſcriptio trium ex quatuor partibus Cardinalium, vt ſupra dictum eſt, acceſſerint, aliam ſummam, non tamen quingenta millia aureorum excedentem, illamque pariter non ſtatim totam, ſed moderatione ea ſeruata, eoque quem diximus modo limitatam, & præfinitam, ſumi poſſe permittimus.

Et quamprimum reponi iubet.

§. 4. Ceterum ſtatuimus, prout alia noſtra conſtitutione ordinatum eſt, vt partes & portiones pecuniæ ſupradictæ, quæ in aliquo ex præmiſſis caſibus ſumptæ fuerint, cum eius impenſæ faciendæ ratio ceſſauerit, omnino in ærarium vnde depromptæ fuerunt integre reſtitui, ac reponi primo quoque tempore debeant.

Præditaque reſeruaturum vouet, & ſicut infraſcripti Cardinales præſentes idẽ promiſerunt, ita ab alijs Cardinalibus pro tempore promitti decernit.

§. 5. Has autem Deo dicatas pecunias, nullo vmquam tempore, niſi aliqua ex iis quas diximus, neceſſitas vrgeat & requirat, neque in totum, neque ex aliqua parte amoueri, erogariue quouis modo à nobis poſſe volumus, eamque amouendi & erogandi poteſtatem & facultatem à nobis ipſis abdicamus. Idque ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, propoſito ſibi tremendo iudicio, in quo ſummo patrifamilias de adminiſtrata villicatione exquiſita reddetur ratio, eodem plane modo facturos eſſe confidimus & ſperamus. Tandemque Deo per præſentes oblatam pecuniam, vna cum illa priori, nos integram, vt dictum eſt conſeruaturos eſſe, ac perinde omnino, ac res & bona Eccleſiæ immobilia nos habituros promittimus, iuramus, & vouemus, & ſicuti omnes Cardinales præſentes, & infraſcripti vouerunt, promiſerunt, ac iuratunt, ita per alios Cardinales nunc & pro tempore exiſtentes, ac per ſucceſſores noſtros, quando & quoties ſuperius ordinatum fuit, & iuxta formam nunc traditam iurari, promitti, ac vouerii debere decernimus.

Cætera omnia in d. contenta, de nouo præcipit.

§. 6. Denique cetera omnia & ſingula in eadem conſtitutione ſupraſcripta quomodolibet expreſſa, conſtituta, & decreta, etiam in hac pecunia à nobis, vt præfertur nunc collocata & recondita, & quo ad præſentes noſtras literas, in omnibus & per omnia, penitus, omnino, & inuiolabiliter obſeruari, & locum, habere volumus, præcipimus & mandamus.

Succeſſoribus in aliquo cõtra venientibus indicat, poſt eorum obitum licere ſucceſſoribus agere contra Pontificis cõtrauenientis poſteros, & Cardinales conſentientes & eorum hæredes, vt hic, & in d. conſt. 31. in fin. Aduerte quod hic eſt aliquid immiſſum à prima conſt.

§. 7. Si quis autem fortaſſe noſtrorum ſucceſſorum, id quod minime credimus, huic noſtræ conſtitutioni omnino, aut aliqua ex parte derogare, aut contra ſtatuere voluerit, aut depromptam pecuniam, vt ſupra ſancitum eſt, in idem ærarium non reſtituerit, admonemus poſt derogantis, aut contrà ſtatuentis, contraque facientis obitum liberum eſſe ſucceſſoribus ea derogatione, & quibuſuis aliis quæ contra ſtatuta ſunt non obſtantibus, pro pecunia contra huius conſtitutionis præſcriptum ſumpta ac deprompta, recuperanda, tam aduerſus Pontificis

Digitized by Google

ontificis derogantis & contrafacientis, posteros seu iunctos omnes, quam aduersus Cardinales idem consentientes, aut quoscumque eorum hæredes, quibus ab ipso Pontifice, aut Cardinalibus bona quouis titulo vel quauis ratione obuenerint, agere, & possessionem bonorum quæ ad ipsos posteros peruenerint adipisci, retinerique donec quicquid pecuniæ depromptum est id omne in ærarium referatur & restituatur, eaque ipsa bona, si quo modo, vt supra dictum est, à forma per nos constituta recedi contigerit, huiusmodi obligationi, atque oneri obnoxia & addicta esse voluimus, singulis quæ in nostris literis aduersari possent, vel quoquo modo obesse penitus remotis, ac non obstan.

Sanctio pœnalis. §. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reconditionis, repositionis, collocationis, oblationis, dicationis, declarationis, permissionis, statuti, voluntatum, abdicationis, promissionis, iuramenti, voti, decreti, præcepti, mandati, & admonitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D. P. An. 3. 6. Nou. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, octauo Idus Nouembris, Pontificatus nostri anno tertio.

PP. Subscr. Ego Sixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Cardd. subsc.
Ego A. Cardinalis Farnesius Vicecancellarius Episcopus Ostien.
Ego Iac. Card. Sabellus Episc. Portuen.
Ego Ia. Anto. Episc. Tusc. Card. S. Georgij.
Ego Alph. Card. Gesualdus, Episc. Albanen.
Ego Inn. Aualus Card. de Arag. Episcopus Sabinen.
Ego M. Ant. Card. Columna Episc. Prænestin.
Ego Marcus Siticus Card. ab Altaemps tit. S. Mariæ Transtiberim.
Ego Ptolomæus Cardinalis Comensis tituli Sanctæ Mariæ de Populo.
Ego Prosper Card. Sanctacrucius tit. S. Clementis.
Ego Gabr. Card. Palcottus tit. S. Laurentij in Lucina.
Ego Frater Michael Bonellus Card. Alexandrinus tt. S. Mariæ super Mineruam.
Ego Ludouicus Card. Madrutius tt. S. Anastasiæ.
Ego N. Card. S. Praxedis Sanctorius.
Iul. Ant. tt. S. Barthol. in Insula presb. Card. S. Seuerinæ.
Ego Hier. Card. Rustic. tt. S. Susannæ.
Ego Io. Hier. Card. Alban. tt. S. Ioannis ante portam Latinam.
Ego P. Card. Dèza tit. S. Hier. Illyricorum.
Ego Ant. Card. SS. Ioannis & Pauli Card. Carafa.
Ego Io. Ant. Card. SS. Quatuor.
Ego Io. Baptista Card. tt. S. Marcelli.
Ego Franciscus Card. de Ioyeuse tt. S. Siluestri.
Ego Ant. Maria Card. Saluiatus tt. S. Mariæ de Pace.
Ego Aug. Card. Veronæ tt. S. Marci.
Ego Vincentius tt. S. Mariæ in Via Car. Montis regalis,
Ego Philippus Card. Spinula tt. S. Sabinæ.
Ego Scipio Card. Lancellottus, tit. Sancti Saluatoris in Lauro.
Ego Vincentius Card. Gonzaga tt. S. Alexij.
Ego Henricus tituli S. Pudantianæ Cardinalis Caietanus Camerarius.
Ego Ioan. Baptista Card. Castruccius, tituli S. Mariæ in Aracœli.
Ego Federicus Card. Cornelius tit. S. Stephani in Monte Cælio.
Ego Dominicus tt. S. Laurentij Card. Pinellus.
Ego Hippolytus Card. Aldobrandinus tit. S. Pancratij, Maior Pœnitentiarius.
Ego Hier. tt. S. Petri ad Vincula Card. de Ruuere.
Ego Fr. Hier. Card. Ascul. tt. S. Thomæ in Parione.
Ego Fr. Constantius Car. Sarnanus tt. S. Petri in Monte Aureo.
Ego Guglielmus Alanus tituli S. Martini in Montibus Cardinalis Aug.
Ego Alexand. Card. Montaltus diaconus S. Eustachij.
Ego Hieronymus Mathæius Diaconus S. Mariæ in Cosmedin.
Ego Benedictus S. Agathæ diac. Card. Iustinianus.
Ego Ascanius SS. Viti & Modesti, & Crescentiæ diac. Card. Columna.

Anno à natiuitate Dom. 1587. Indictione 15. die vero Veneris 27. mensis Nouembris, Pontificatus Sanctiss. in Christo patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno eius 3. retroscriptæ litteræ Apostolicæ, affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt in valuis seu portis S. Ioannis Lateranensis, & S. Petri Principis Apostolorum de Vrbe, & Canc. Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per aliquod temporis spatium dimissæ, per nos Ioan. Baptistam Bagni, & Octauium Taglientum S. D. N. Pap. Curs.

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

Indulta & gratiæ Congregationis Monachorum Beatæ Mariæ Fulienſis, Ordinis Cistercienſis Sancti Benedicti strictioris obseruantiæ. LXX.

Hic idem Pontifex istam Congregationem primo approbauit vt sup. in const. 32. Religiosos.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei Ad perpetuam rei memoriam. *Edita A. D. 1587.*

Exordium. SVper specula militantis Ecclesiæ, Domino disponente, qui cunctis imperat, cuique omnia obediunt, quamquam sine nostris meritis, constituti, salutis operibus intenti, de his continua sollicitudine excogitamus, per quæ nostræ propitiationis auxilio, iis, qui Monasticam vitam susceperunt, eamque reformant, salus proueniat. Et vt ad diuersa loca eorum institutio, & regularis disciplinæ obseruantia propagetur, alia loca erigi, & institui concedimus, prout Regum & Principum Christianorum vota expoſcunt, & Nos conspicimus in Domino salubriter expedire.

Hic Pont. confirmauit strictiorem monasticæ vitæ normam in Monasterio S. Mariæ Fulien. institutam, vt in const. 32 sup. §. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Abbatis & Conuentus Monasterij Beatæ Mariæ de Fulliens, Cistercienſis Ordinis, Riuen. diœcesis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias postquam accepissemus, in dicto Monasterio institutionem & disciplinam Monasticam in longe meliorem formam restitutam, ipsique in laboribus, ieiuniis, orationibus, carnis maceratione, & mortificatione, aliisque pœnitentialibus operibus strictiorem aliis Monachis dicti Ordinis, Regulam Sancti Benedicti obseruabant. Necnon ritus, mores, vitæ normam, & Reformationem ad arctiorem regularis disciplinæ obseruantiam in dicto Monasterio introductam, reduxerant, Nos ritus, mores, vitæ normam, & reformationem huiusmodi, dummodo sacris Canonibus, & Concilij Tridentini decretis, & Sancti Benedicti Regulæ, auctoritate Apostolica approbatæ, contraria non essent, dicta auctoritate confirmauimus, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur.

§. 2. Cum autem diuino inspirante numine, iam centum & quadraginta Monachi ipsam reformatam regulam professi, multi vero in eodem Monasterio Nouitij existant; Chariſſimusque in Christo filius noster Henricus Francorum Rex Christianissimus, ac dilectus filius nobilis vir Henricus Dux de Retz, aliique pij ac probi viri gratum huius vitæ odorem sentientes, hoc vetustum viuendi genus, & laudabilem regularis disciplinæ obseruantiam per vniuersum Galliæ Regnum, illiusque loca & terras, spargi atque effundi summopere peroptent: Quia tamen (sicut eadem petitio subiungebat) istius arctioris Regulæ approbatio citra præfatum Monasterium nequaquam extenditur, prædicti Abbas & Conuentus, piis prædictorum Regis & Ducis, ac proborum virorum votis hac in parte satisfacere non possunt, nisi nostra & Sedis Apost. licentia eis desuper suffragetur. Quare pro parte Abbatis & Conuentus prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus prædictæ Religionis reformatæ propagationi, ac alias in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Quam idem Pontifex §. 3. Nos igitur eumdem Abbatem & Conuentus huiusmodi singulares personas à quibusuis excommunicationis

Digitized by Google

concedit, cum facultate noua ædificandi monasteria etiam absque licentia Ordinariorū vbique locorum.

carionis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Abbati & Conuentui prædictis, vt quoscumque ex Monachis ipsam strictiorem Regulam professis, quos duxerint eligendos & deputandos, tam ad hoc per totum Gallhæ prædictum, quam alia Regna & Respublicas, Mundique partes vniuersas, prout eis visum fuerit, mittere. Ipsique sic missi in Regnis, Rebusqublicis, & Dominiis prædictis, ac quibuscumque eorum Ciuitatibus, Terris atque locis, aliisque Mundi partibus, quæcumque, tam virorum quam mulierum, Monasteria, Prioratus, Præposituras & Decanatus, ac alia nuncupanda loca Congregationis Fulliensis etiam nuncupandæ, eiusdem Cistercien sis Ordinis, pro totidem Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Præpositis, Decanis, Conuentibus, & aliis Superioribus & personis eiusdem Congregationis, qui inibi diuinis laudibus & obsequiis insistere, ac iuxta Regularia Congregationis sic reformatæ instituta viuere debeant, fundare, erigere, & instituere, ac etiam per alios eiusdem, vel alterius cuiuscumque Ordinis fundata & erecta, ex eorum ad quos spectat & spectabit, concessione, diœcesanorum locorum, vel quorumuis aliorum licentia desuper minime requisita nec expectata.

Hoc de licentia est reuocatum à Clem. VIII. Lin const. 99 Quoniã.

Nouitiosque recipiendi

§. 4. Nouitiosque in eis recipere, & receptos, ac ipsa Monasteria ingressos, probationis tempore completo, ad professionem solitam, per dictos Monachos emitti solitam, admittere Regularem, ac illud vitæ genus, Regulariaque instituta, quæ in primo dicto Monasterio vigent, & in futurum vigebunt, inibi introducere libere & licite possint & valeant licentiam, & omnimodam facultatem atque auctoritatem, dicta auctoritate, tenore præsentium concedimus & impartimur.

Ad hoc vide const. subseq.

Priuilegia, exemptiones & gratiæ Ordini cistercien sis, huic Congregationi communicat atque concedit.

§. 5. Necnon prædicto de Fulliens, & quibusuis aliis dictæ Congregationis pro tempore erigendis, & seu iam erectis Monasteriis, Prioratibus, Præposituris, Decanatibus, & aliis nuncupandis locis, tam virorum quam mulierum, illorumque Superioribus, Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Præpositis, Decanis, Monachis, Monialibus, Nouitiis, & Conuersis, aliisque quibuscumque personis vtriusque sexus, in eis pro tempore existentibus, vt omnibus & singulis priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, prærogatiuis, concessionibus facultatibus, indultis, indulgentiis, etiam plenariis & peccatorum remissionibus, relaxationibus, ceteriisque gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus prædicto Ordini, ac Congregationibus sub illo institutis, eorumque Monasteriis, & locis pariter vtriusque sexus per vniuersum Mundum constitutis & erectis, ac constituendis & erigendis, in genere vel in specie, etiam per solam signaturam, & viuæ vocis oraculo, ac pet modum communicationis & extensionis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine, vel alias quomodolibet, tam per nos quam quoscumque alios Romanos Pontifices, etiam prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam, sub quacumque forma & expressione verborum concessis ac concedendis quomodolibet in futurum, etiamsi talia sint & forent, quæ specialem ipsorum requirerent mentionem, vti, potiri, & gaudere, libere & licite, tam coniunctim quam diuisim valeant, non solum ad instar, sed æque principaliter & pariformiter in omnibus & per omnia, perinde ac si illis & eorum cuilibet ab initio specialiter & expresse concessa extitissent, auctoritate & tenore præmissis perpetuo indulgemus, ipsaque priuilegia, indulgentias, & gratias quibusuis aliis Superioribus, Abbatibus, Prioribus, Monasteriis, Ecclesiis & locis piis, ac celebrandis Capitulis, & festiuitatibus eiusdem Ordinis, & singularum illius Congregationum, ad Monasterium & Congregationem de Fulliens huiusmodi, illorumque Abbates, Priores, Monachos, Abbatissas, Moniales, & alios Superiores, & personas, necnon Ecclesias, Monasteria, Capitula celebranda, Sanctorum festiuitates, & loca, quæcumque & qualiacumque, ac ex Superioribus & personis, ad Superiores & personas perpetuo extendimus, illisque communicamus, ac de nouo concedimus, & eis desuper indulgemus.

Et desuper quoque modo molestari prohibet.

§. 6. Decernentes Abbatem & Conuentus huiusmodi singulares personas super præmissis à quoquam quauis auctoritate fungente, & dignitate præfulgente molestari, impediri, vel inquietari nullatenus posse irritum quoque & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria remouet.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, de indulgentiis ad instar non concedendis, & quibusuis aliis constitutionibus & ordinationibus, necnon Monasteriorum, & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Monasteriis, & Ordini, illorumque Superioritus, & quibusuis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibus, & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam Motu proprio & consistorialiter, & alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter & expresse derogamus, ceteriisque contrariis quibuscumque.

Sanctionem pœnalem addit.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, impetrationis, indultorum, concessionum, decreti & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 3: 13. Nou.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1587. Id. Nouembris Pontificatus nostri Anno 3.

LXXI

Prohibitio recipiendi ad habitum vel professionem, cuiuscumque Ordinis regularis, homines illegitimos, criminosos, aut ære alieno, reddendisve rationibus obnoxios. Et præscriptio formæ Nouitios recipiendi.

Hanc bullam moderauit quo ad illegitimos Gregorius XIV. in eius const. 4. Circumspecta. *Et quo ad nullitatem professionis moderauit Clem. VIII. const. 83.* In suprema, *vbi multa reperies constituta pro receptione & educatione Nouitiorum.*

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita A. D. 1587. & 1588.*

Præmium.

CVm de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus, in ea qua conuenit puritate, & dignitate conseruandis, præcipuam geramus sollicitudinem, tum vero illud præter cetera nobis cordi est, vt à Regularium personarum Congregationibus; quas tamquam Deo dicatas, maxime candor, sanctitasque decet, cuiuscumque criminis aut turpitudinis labes, & scandali occasio quam longissime arceantur. Siquidem res ipsa nos admonet, quam indecorum sit, & ab ea, quæ diuinæ Maiestati, eique consecratis personis debetur, reuerentia, alienum, si eiusmodi homines, qui propter sua scelera, pœnas graues sibi in sæculo propositas timent, quive proper immunditiam & peccata, ex quibus orti sunt, notati perpetua ignominia, ab omni mundano honore, & à paterna hæreditate repelluntur, iidem omnipotenti Deo, tamquam hostiæ offerantur, atque ad habitandum in domo, quam decet honor & sanctitudo, inter ministros Domini, cui seruare regnare est, ad sacras functiones, quacumque prophana præeminentia multo nobiliores sine vllo delectu admittantur. Cum etiam secundum legem Moysi, immundi ab ingressu sanctuarij,

excludę

excluderentur, ac sacerdos habens maculam, panes Deo suo offerre non posset, nec accedere ad ministerium eius, & quod in holocaustum Domini aut victimam pacificorum offerebatur, id immaculatum esse deberet, vt acceptabile foret, nec vlla macula esset in eo quod si maculam habuisset, neque offerendum, neque acceptabile futurum esset.

Causa huius const.

§. 1. Ne igitur contingat illegitime genitos, qui vt plurimum parentum vitia & incontinentiam imitari solent, nec pietatis studio, sed temporalium commodorum intuitu quia (hæreditates maiorum, aut dignitates aliquas consequi non possunt) ad Religionem confugiunt, vitam quam animo à Religione alieno susceperunt, ac institutis Religiosis alienam, plerumque cum dedecore, & propriæ salutis dispendio ducere, suisque corruptis moribus, & malis exemplis, quietem & statum ceterorum Deo famulantium perturbare, aut hac quasi fæce & colluuie, ipsarum Religionum honorem & existimationem lædi, vt denique homines, qui hac spe ad filios spurios in peccato gignendos essent propensiores, eo magis abstineant ab huiusmodi carnis flagitiis, quo suæ proli hoc quoque refugium præclusum viderint.

Illegitimi ad Religionem non recipiantur. Tu vide declarationes hic infra, & etiam Greg. 14. cit. in rubr.

§. 2. Hac nostra in perpetuum valitura constitutione districte interdicimus & prohibemus, ne illegitimi procreti ex incæstu, aut ex sacrilegio (quorum scilicet parentes consanguinitate vel affinitate, intra tertium gradum inuicem coniuncti fuerint, vel quorum alteruter parens castitatem Deo vouerit, etiam Apostolica, Imperiali vel Regia, aut quauis auctoritate legitimati, aut natalibus restituti,) ad aliquam quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium Fratrum, Monachorum, Eremitarum, vel Canonicorum, aut Clericorum regularium, Congregationum, aut Hospitalium Religionem, neque ad habitum nec professionem regulares, recipi vel admitti quoquo modo possint. Quod si eorum quispiam habitum post publicationem præsentis constitutionis in futurum receperit, vel professionem posthac emiserit, decernimus habitus susceptionem, & professionem, ex nunc prout ex tunc, irritam, nullam & inualidam, nulliusque roboris vel momenti fore, ac nullum exinde, aut ex huiusmodi voto penitus annullato, ob ligationis vinculum oriri posse, quinimmo illos habitu regulari, ad quem reassumendum perpetuo inhabiles sint, quamprimum exui, & ab ipsa Religone eiici exterminarique debere. Et nihilominus quicumque Superiores, tam Monasteriorum, Prioratuum, Præposituratum, Domorum, Collegiorum & locorum regularium, quam etiam præfatorum Ordinum, Congregationum, Hospitalium, & quarumcumque Religionum Prouinciales, vel Generales, quouis nomine nuncupati, qui ex prædictis incæstu vel sacrilegio genitos post dictam publicationem, ad habitum receperint, vel ad professionem admiserint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, à qua eorum nemo, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quam Romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere. Sed ne iis, qui in humilitatis Spiritu, Deo & Religioni seruire, & pœnitentiam agere intra Monasteria vel domos regulares cupiunt, ad sanctum huiusmodi propositum via penitus præcludatur, permittimus vt præfati illegitimi, ex dictis incæstu aut sacrilegio geniti, ad habitum conuersorum seu famulorum, in Monasteriis vel domibus regularibus seruientium recipiantur, & in ipsis Monasteriis seu domibus regularibus, ad seruilia ministeria, viliora obsequia, humiles functiones, atque abiecta seruitia admitti possint; ea tamen conditione, vt ad habitum religiosorum, vel ad professionem quam Religiosi emittere solent emittendam, necnon ad omnes non modo sacros, sed etiam minores Ordines, vel ad clericalem characterem, denique ad cuncta Ecclesiastica officia, & functiones, & ad ascendendum altiores gradus, sint eis portæ perpetuo clausæ & obseratæ.

Alij autem illegitimi etiã legitimati, seruata forma hic tradita, recipi possint, & sic recepti inhabiles ad quoscumque gradus & dignitates sui Ordinis habiti remanent, donec fuerit auctoritate Apost. desuper. cum eis specialiter dispensatum. Hic etiam reduxit Greg. XIV. præcit. ad terminos iuris.

§. 3. Quoad reliquos vero non ex incæstu præfato, nec sacrilegio, sed ex quouis alio minus legitimo toro natos spurios, vel naturales, etiam vt præfertur, vel alias legitimatos, qui ob meliorem vitæ frugem, Religonem ingredi cupiunt, statuimus & ordinamus, eos ad Religionem admitti non posse, aut debere, nisi prius illorum vita & moribus diligenter cognitis, & circumstantiis vniuersis, quæ circa idoneitatem personæ attendendæ erunt consideratis, ac de Religionis zelo, pietate, integritate, & doctrina fide dignis testimoniis adeo commendati fuerint, adeo bonam indolem, & specimen virtutis præferant, ac tot merita eis suffragentur, vt defectum natalium suppleant, eorumque receptio vniuersæ Religionis commodo & vtilitati profutura videatur. Et super hoc ipso in Generali vel in Prouinciali Capitulo matura deliberatione habita, Generalis vel Prouincialis Superioris, ac Definitorum vnanimi consensu approbati, & ad habitum regularem admissi extiterint. Et tamen hi sic recepti ad gradus, honores, & dignitates sui Ordinis obtinen. perpetuo inhabiles & illorum incapaces remaneant, nisi super hoc cum eis fuerit auctoritate Apostolica specialiter dispensatum. Si quis autem eorum alias quam vt præfertur, recipietur, professio similiter nulla sit, atque ipsi habitu priuari, & à Religione eiici debeant, eorumque receptores, excommunicatione, vt supra, innodati ipso facto existant.

Criminosi vel suspecti, aut ari alieno, vel reddendis rationibus obnoxij ad Religionem non admittantur. Ad hac vide bullas cit. in rubr. & declarationes hic infra.

§. 4. Cetærum quoniam sæpe se vitia ingerunt, & se esse virtutes mentiuntur, ac multi decoctores post dilapidatam rem familiarem, & contractam ingentem vim æris alieni, aut interuersam alienam pecuniam eorum fidei creditam, vt ratiocinia effugiant, Alij post furta, latrocinia, rapinas, homicidia, aliaue facinora parrata, etiam banniti aut damnati, seu qui meritas pro suis delictis pœnas metuunt, non pia intentione, sed ad euitandam legum & iudiciorum seueritatem, quia tuto in sæculo viuere non possunt, tunc demum quærunt à Religione auxilium, quando aliunde illud non sperant, vnde sub habitu & nomine Religiosorum, animum Religioni inimicum, & inueterata vitia retinent, neque alios qui sancta vocatione vocati sunt, patiuntur tranquille diuinis obsequiis insistere, in grauem Dei offensam, Religionis opprobrium, & scandalum plurimorum vt his quoque subterfugij & impunitatis spes omnis tollatur, auctoritate Apostolica & tenore præsentium, etiam perpetuo statuimus & ordinamus, iuuenes, aut viros adultos, maiores sexdecim annis, non aliter in aliquam Religionem recipi posse, nec debere, nisi prius de eorum parentibus, patria, deque anteacta vita & moribus diligenter inquiratur, & ex accurata informatione, & fide digna relatione, compertum & exploratum sit, eos neque aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia; vel alia similia, aut grauiora, reos vel suspectos existere, vt propterea damnati sint, aut ne damnentur formident, neque ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum grauatos, vel reddendis ratiociniis ita obnoxios, vt ex huiusmodi causa, lis, vel molestia eis iam illata. vel timendum sit ne inferatur. Nisi denique constet, ipsos non humana aliqua ratione, sed tantum deuotionis, & pietatis feruore vitam Religiosam sponte; & ex animo elegisse. Deque his omnibus, in Generali vel Prouinciali Capitulo, plena & iudubitata fide facta, tam Superioris generalis, seu prouincialis, quam Definitorum consensu approbati, & ad habitum regularem admissi fuerint. Omnes autem & quoscumque, vt dictum est, criminosos, vel suspectos, aut ari alieno, vt etiam diximus, vel rationibus reddendis obligatos, ad Religionem perpetuo inhabiles declaramus,

Receptio aliter facta damnatur. Hoc declaratur mox infr.

§. 5. Et si qui eorum contra præsentem nostram constitutionem temere admittentur, tam susceptionem habitus, quam professionem, & inde secuta, ex nunc prout ex tunc pari modo irritamus & annullamus, viribusque & effectu carere decernimus, ac iubemus eos qui sic de facto recepti erunt habitu spoliari, & à Religione expelli; & nihilominus si expulsi non fuerint, volumus, & pariter declaramus, habitus susceptionem, & professionem penitus nullam esse & censeri, ac propterea attenta nullitate habitus & professionis, licere quibuscumque Iudicibus & Curiis etiam sæcularibus, ad quos seu quas spectat, contra eos, vt prius iuris & facti remediis opportunis, ex officio, vel ad cuiuscumque instantiam, vel querelam ciuiliter, criminaliter, aut mixtim procedere. Quare volumus, vt cuiusque iuuenis, aut viri maioris XVI. annis, à sæculo ad Religionem transeuntis, ap-

Digitized by Google

probatio, admiſſio, & receptio, in generali vel prouinciali Capitulo, vt ſupra ordinatum eſt, pro tempore fiant; necnon Religioſi ſic recepti nomen & cognomen, quibus in ſæculo vtebatur, & patria in actis ipſius Capituli deſcribantur & notentur.

Recipientibus pœna imponitur.

§. 6. Et inſuper quoſcumque Religioſos, eorumque Superiores, qui aliquas perſonas, vt dictum eſt, inhabiles poſt hanc conſtitutionem & publicatam receperint voce actiua & paſſiua, necnon officiis, gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuſcumque per eos obtentis, eo ipſo in perpetuum priuamus, & tam illis priuatos, quam ad illa quæcumque in poſterum obtinenda perpetuo inhabiles, eorumque incapaces decernimus & declaramus.

Regulares de vna Prouincia ad aliam ſui Ordinis tranſeuntes Superiorum licentiam ſecum deferre debeant: aliequin hoſpitio recipi nequeant, & aliorum ordinarij certiorentur. Hoc mox inf. declaratur.

§. 7. Sed & quia interdum Satanas in Angelum lucis ſe callide transfigurat, ac perditi quidam & facinoroſi homines, quod ſæpe vidimus & experti ſumus, inſtigante antiquo pacis & Religionis hoſte, non veriti ſunt temerario auſu habitum Religioſorum aſſumere, ea mente, vt veluti ſub ouina pelle lupi rapaces, per dolum & inſidias Chriſtifideles incautos, & nihil mali à Religioſis ſuſpicantes, opprimerent, ſiue vt poſt ſcelera perpetrata, viam faciliorem ad fugam haberent, ſiue vt banniti Curiæ ſæcularis, quæ eos propemodum interceptos perſequebatur, manus effugerent, & contigit aliquando ipſos ſicarios, Religioſis veſtibus indutos à veris religioſis hac fraude deceptis, intra domos regulares hoſpitio receptos fuiſſe. Prohibemus eodem modo atque interdicimus, ne quis regularis ex vna Prouincia ad aliam Prouinciam ſui Ordinis tranſeundo, etiam in itinere, intra aliquod Monaſterium, domum, vel locum alterius Prouinciæ ad habitandum, vel tamquam hoſpes recipi, aut ad modicum tempus diuertere poſſit, niſi à Superiore eius loci vbi reſidet, expreſſam licentiam diſcedendi in ſcriptis obtentam, ſeu literas obedientiæ vel commendatitias ſecum deferat, atque exhibeat, vel niſi ita cognitus ſit iis, ad quos diuerterit, vt de eius perſona, nullus omnino dubitationi aut ſuſpicioni locus relinquatur. Ideoque præcipimus vniuerſis & ſingulis locorum Ordinariis, eorumque Vicariis in ſpiritualibus generalibus, vt per ſuos Officiales, Miniſtros, vel executores curent, ab omnibus perſonis regulari habitu indutis, quas per ſuas Ciuitates vel diœceſes iter facere vel tranſire, & ad quæcumque Hoſpitia vel diuerſoria ſe recipere contigerit, diligenter perquiri, num huiuſmodi literas obedientiæ, ſeu commendatitias ſecum deferant. Quod ſi eos dictas literas, non habere vel ignotos eſſe deprehenderint, poſſint contra ipſos, etiam tamquam dictorum criminum ſuſpectos procedere, & tamdiu illos ſub cuſtodia detinere, donec certa de eiſdem notitia habeatur. Et tamen volumus, vt ij, qui etiam pietatis vel hoſpitalitatis prætextu, regulares alterius Prouinciæ ignotos, aut ſine licentia, vel literis vt ſupra receperint, dictas pœnas priuationis vocis actiuæ & paſſiuæ, necnon officiorum, graduum, honorum & dignitatum obtentorum, atque inhabilitatis perpetuæ pariter incurrant.

Decretum irritans.

§. 8. Decernentes ſic in præmiſſis omnibus per quoſcumque iudicari debere; necnon irritum & inane, ſi ſecus à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§. 9. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus dictorum Ordinum, Congregationum, Hoſpitalium, & locorum Regularium, apud nos, & Sedem Apoſtolicam protectoribus nunc & pro tempore exiſtentibus, ac locorum Ordinariis præfatis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, vt eorum vnuſquiſque, per ſe vel alium ſeu alios, Cardinales quidem in ſuæ protectionis, Ordinarij vero in ſuarum Ciuitatum, diœceſium, & diſtrictuum regularibus locis, curent præſentes literas publicari, eaſque perpetuo firmiter & inuiolate obſeruari; inobedientes, cenſuras & pœnas prædictas incurriſſe declarando, illaſque etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, Hoſpitalium & Religionum, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quorumcumque tenorum exiſtant per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus præſentis conſtitutionis impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in his literis mentio ſpecialis. Quæ omnia quatenus eidem conſtitutioni in aliquo aduerſentur, illorum tenores pro expreſſis habentes, perpetuo tollimus, annullamus, & abrogamus, ac nolumus cuiquam ſuffragari; aut ſi Superioribus & perſonis dictorum Ordinum, Congregationum, Hoſpitalium, communiter vel diuiſim ab Apoſt. ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſt. non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Iuſſio publicat. & fides tranſumptorum.

§. 11. Mandamus vero eaſdem præſentes ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac Cancellariæ, Apoſt. de more publicari, & affigi, illarumque exemplis etiam impreſſis, Prælati Eccleſiaſtici ſigillo, & Notarij publici ſubſcriptione munitis, eamdem fidem in iudicio & extra illud haberi quæ eiſdem originalibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum interdictorum, prohibitionum, ſtatutorum, ordinationum, declarationum, decretorum, voluntatum, permiſſionis, irritationis, annullationis, iuſſionis, priuationis, præcepti, ſublationis, abrogationis, & mandatorum infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo, ſexto Calen. Decemb. Pontificatus noſtri Anno tertio. *D. P. An. 3. die 26. Nou.*

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1587. *indict.* 15. *die vero Veneris* 27. *Nouembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno eius tertio, retroſcripta litera Apoſtol. affixa, lecta, & publicata fuerunt, in valuis ſeu portis Sanctæ Ioannis Lateranen. & S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, & acie Campi Florę, & per aliquod Temporis ſpatium dimiſſa, per nos Ioannem Baptiſtam Bagni, & Octauium Taglientum Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſ.*

Alex. Parabiacus Mag. Curſ.

Sequuntur declarationes d. conſtitutionis.

Edita An. D. 1588.

S I X T V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD Romanum ſpectat Pontificem ſacrorum Canonum conditorem, quæ per eum ſancita ſunt, ita ſuæ declarationis arbitrio dilucida reddere, vt inde nemini poſſit dubitationis ſcrupulus exoriri, præſertim vero ſalubriter conſulere, vt cum de Regularibus agitur, qui ſe omnino Dei omnipotentis obſequio mancipârunt, tollantur ea omnia, quæ eorum ſanctum Chriſto pie inſeruiendi inſtitutum quoquomodo valeant perturbare.

Dubia exorta ſunt ſuper d. conſt.

§. 1. Sane poſt editam noſtram conſtitutionem, quæ incipit: Cum de omnibus Eccleſiaſticis Ordinibus, &c. Super modo & forma recipiendi & admittendi eos, qui ſub Religionis iugo, Altiſſimo famulari deſiderant, cum, variæ ſint exortæ dubitationes & quæſtiones, eæque poſtea ad audientiam noſtram perlatæ.

Ideo hic Pont. ſubſeq. promit declarationes.

Prima declaratio quoad illegitime natos ex parentibus, inter quos tunc matrimonium conſiſtere poterat, & poſtea ſuo cursum ſit.

§. 2. Nos ad tollendam omnem ambiguitatis occaſionem, habita cum venerabili us fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus Congregationis ſuper Regularium negotiis & conſultationibus per nos inſtitutæ, matura deliberatione, de illorum conſilio & aſſenſu præſentem noſtram perpetuo valituram declarationis conſtitutionem duximus promulgandam.

§. 3. Cum itaque inter alia dubitetur, num primo dicta noſtra

noſtra conſtitutio, vbi de illegitime genitis loquitur, comprehendat etiam eos qui poſtea per ſubſequens matrimonium fuerunt legitimati. Nos inhærentes ſacrorum Canonum diſpoſitioni, auctoritate Apoſtolica tenore Præſentium declaramus illegitime natos ex iis parentibus, inter quos tempore quo ipſi geniti ſunt matrimonium rite conſiſtere poterat, ſecuto poſtea matrimonio legitimos effectos, ſub dicta conſtitutione minime comprehendi, ſed eos tam quoad emittendam profeſſionem, quam quoad conſequendos gradus, honores, & dignitates ſui Ordinis æquo iure cum illis, qui ex matrimonio legitimo & conſtanti nati ſunt, cenſendos eſſe.

Secunda declaratio quoad illegitime natos ex ſoluto & ſoluta, qui ante editam conſtitutionem prædictam quauis auctoritate legitimati, aut ad dignitates habilitati, & illis perfuncti ſunt. Ad hoc vide Greg. XIV. bullam cit. in rubr.

§. 4. Illegitimos vero etiam ex ſoluto & ſoluta, qui antequam noſtra conſtitutio emanaret, profeſſi, vigore ſeu prætextu priuilegiorum, aut indultorum Apoſtolicorum cuiuis Ordini, Religioni, Monaſterio, aut Congregationi, eorumve Superioribus, in genere vel in ſpecie conceſſorum, eo ipſo per ingreſſum Religionis, vel per eoſdem Superiores, ſiue alios quoſlibet etiam Sedis Apoſtolicæ de latere Legatos, aut alios officiales vel miniſtros quauis præeminenta vel auctoritate etiam Apoſtolica fungentes, aut facultate ſuffultos legitimati, aut ad gradus, honores, & dignitates habilitati ſeu reintegrati, & illis alias perfuncti ſunt, volumus poſthac non obſtantibus quibuſcumque, tam antiquis priuilegiis, aut literis Apoſtolicis, quam aliis indultis ſeu declarationibus, etiamſi illa per nos poſt dictam conſtitutionem nouiſſime edita fuiſſe aſſerantur, honores, gradus, aut dignitates huiuſmodi obtinere non poſſe, ac diſpenſationes & legitimationes quaſcumque eis nullatenus ſuffragari, niſi ſpecialiter & nominatim cum eorum ſingulis fuerit ſuper natalium defectu, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas, ante vel poſt ingreſſum Religionis poſt Romanum Pontificem immediate, vel de eius ſpeciali mandato diſpenſatum, deque diſpenſatione ſeu mandato per literas Apoſtolicas, ſeu in forma breuis, vel ſaltem per patentes literas Cardinalis Protectoris de ipſius Rom. Pont. voluntate fidem facientes, legitime conſtiterit.

Tertia declaratio quoad non diſpenſatos, tempore edita conſtitutionis prædictæ.

§. 5. Eos pariter, qui tempore publicationis noſtræ conſtitutionis in ſuis Religionibus ſine huiuſmodi ſpeciali Romani Pontifici diſpenſatione, officia, honores, & dignitates habebant ad vitam, eo ipſo ab illis amotos & abſolutos harum ſerie declaramus. Ad tempus autem illa obtinentes permittimus in ſua adminiſtratione vſque ad finem ſui temporis conſeruari; ita tamen vt in poſterum nec tempus ordinarium eis prorogari, aut extendi, neque ipſi ad alias non modo ſimiles, verum etiam neque ad inferiores, aut altiores & maiores dignitates, honores, gradus, aſcendere poſſint, perinde ac ſi id ipſum in præfata noſtra conſtitutione ab initio expreſſum fuiſſet. Ne tamen huiuſmodi Religioſi in liberalium artium, ac præſertim ſacræ Theologiæ ſtudiis, & Religioſis profectibus ſegniores fiant, atque eorumdem pia ſtudia refrigeſcant, eos noſſe volumus quod ſi ipſorum quiſpiam eximia doctrina, vitæque & morum ſanctitate excellere reperietur, deque eorum probitate, & præclaris meritis Ordinum Protectores eam apud nos fidem fecerint, vt non immerito ſperari queat, eorum doctrinam & operam ipſi Ordini & ſanctæ Dei Eccleſiæ vſui & commodo futuram, tunc demum indulgentiam & benignitatem noſtram facile experientur.

Quarta declaratio, quis intelligatur ſub nomine dignitatum, honorum & graduum à quibus prælati illegitimi excluduntur.

§. 6. Quoniam vero & à multis quæſitum eſt ſub nomine honorum, graduum, & dignitatum, à quibus illegitimi penitus excluduntur, quid potiſſimum ſit intelligendum: Declaramus hac in re, de qua nunc agitur appellatione, dignitatum, honorum, graduum, debere intelligi Præpoſitatus, Abbatiatus, Priboratus, Guardianatus, Cuſtodiatus, Prouincialium, ac Generalium Superiorum officia, & alia his ſimilia, cum honore & ſuperioritate conjuncta. Ab officiis autem oneris, veluti Lectoris, Confeſſarij, ſtudiorum, & ſacræ Theologiæ Magiſtri, Regentis, Prædicatoris verbi Dei, & ceteris huiuſmodi, immo etiam à voce actiua, à ſacris Ordinibus ſuſcipiendis, ipſorumque miniſterio, ipſos illegitimos, dummodo ex ſacrilegio vel incæſtu geniti non ſint, nequaquam arcemus.

1. Declaratio circa celebrationem Capitulorum Generalium ſiue Prouincialiū pro inquiſitione ſuper Nouitiis recipiendis.

§. 7. Cum vero in quibuſdam Religionibus Capitula Prouincialia, aut numquam, aut non quotannis, ſed rarius celebrentur, quædam etiam monaſteria, aut domus huiuſmodi in remotiſſimis regionibus, Hæreticorum aut infidelium tyrannidi finitimis ſita ſint, ne ij, quos extra Capitula, habitum vel profeſſionem regulares admitti prohibemus, tempus celebrandis Capitulis præfixum nimis diu expectare, aut ad ea cum maximo incommodo accedere cogantur, concedimus & indulgemus, vt in qualibet Prouincia ſaltem duo, vel ſi commode fieri poterit, tria aut plura monaſteria ſeu domus regulares deputentur, quarum ſeu quorum Superiores infra annum ſaltem ad inquiſitionem ſuper nouitiis faciendam, & ad ipſos Religioſos iuxta formam præfatæ conſtitutionis recipiendos, & ad alia quæ in ipſa conſtitutione continentur peragenda, inſimul congregentur.

2. Declaratio circa facultatem dictorum Capitulorum vel ab eis deputatorū pro inquiſitione prædicta.

§. 8. Quod ſi paucitas, aut nimia diſtantia monaſteriorum ne id quidem patiatur, ſaltem tribus ex antiquioribus Patribus vnius Monaſterij, aut domus eius Prouinciæ huiuſmodi facultas & auctoritas per Capitulum generale, ſcilicet Monachorum vel Prouinciale Mendicantium & reliquorum Regularium eius Ordinis demandetur,

3 Declaratio circa facultatem Capitulorum conuentualium in prædictis.

§. 9. Verum in iis Monaſteriis, domibus, & locis regularibus, quæ aut nondum in Congregationes redacta, aut alias nulli Prouinciæ ſubiecta ſunt, ſtatuimus vt trina Capitula Conuentualia tribus diſtinctis cum interuallo ſaltem decem dierum vicibus celebrata, eamdem de recipiendis Nouitiis per trinas huiuſmodi diſtinctas vices approbatis, habeant auctoritatem, quæ per noſtram conſtitutionem Capitulis prouincalium eſt attributa.

4. Declaratio circa numerū ſuffragiorū in recipien. Religioſis.

§. 10. Neque vero ſi in generalibus vel prouincialibus Capitulis aliqui vocales deſint, nec ſi à definitorum conſenſu aliquis diſcrepauerit, idcirco receptio religioſorum retardari, impediri, aut impugnati debebit: ſed ſatis eſſe volumus ſi vocalium & ſuffragiorum numerus legitimus, à iure, vel per cuiuſcumque Ordinis ſtatuta præfinitus interuenerit.

5. Declaratio circa verbum capituli.

§. 11. Et quod de Capitulo prouinciali aut generali dictum eſt, idem iuris ſtatuimus, ſiquæ Religiones, non Capitulorum, ſed Congregationum, aut dietarum, vel alio quouis nomine vti repetiantur.

Prima declaratio circa admittendos ad profeſſionē Tu vide bullā Clem. VIII. cit. in rub.

§. 12. Quod autem pertinet ad profeſſionem, tam illegitimorum quam eorum qui poſt ſexdecim ætatis annum expletum regularem habitum ſuſceperunt, quia tunc demum vere & proprie religioſi effici dicuntur, cum profeſſionem emittunt; Declaramus, eos qui ante prædictam noſtram editam conſtitutionem habitum ſuſceperint, & poſt ipſius promulgationem cupiunt profiteri, non alias ad profeſſionem admittendos eſſe, quam facta inquiſitione, & ſeruata forma in ipſa conſtitutione præſcripta; & eorum, qui poſt dictam promulgationem etiam ignoranter non habita dicta inquiſitione, & non ſeruata forma ad profeſſionem admiſſi fuerint, profeſſionem nullius eſſe roboris & momenti. In oblatis autem & conuerſis profeſſionem emittentibus, ſatis erit ſi quoad mores & ſtatum perſonarum ipſa inquiſitio fiat.

2. Declaratio circa nullitatem tacitæ profeſſionis.

§. 13. Sed cum eadem ratio vigeat in tacita profeſſione emittenda, quæ militat in expreſſa, ſtatuimus, quod in quibuſuis Ordinibus & Religionibus, neque etiam tacita profeſſio quorumcumque Religioſorum induci poſſit, nec inducta intelligatur, niſi in receptione conſtitutionis forma ſeruata fuerit.

3. Declaratio circa validitatem expreſſæ profeſſionis; & Apoſtatarum reditus ad religionē.

§. 14. Si quis vero ante editam noſtram conſtitutionem iam tacite profeſſus, expreſſe cupiat profiteri, vel ſi quis apoſtata ad ſuam Religionem redire voluerit, inquiſitio & forma præſcripta non erit neceſſaria, niſi vel de moribus, ſtatu & qualitate perſonæ, vel de validitate ipſius tacitæ profeſſionis dubitatio aliqua oriatur.

4. Declaratio circa admittat ſub regulari habitu recipien. qui commorantur in regionibus à ſua patria remotis, aut ab infidelibus oppreſſis.

§. 15. In iis autem qui in locis à ſua patria longiſſime remotis degentes, vel quorum patria ab Hæreticis vel Infidelibus miſere oppreſſa detinetur, voluerint ſe diuinis obſequiis ſub regulari habitu dicare, vt in hoc quoque Sedis apoſt. benignitas eluceſcat, quæ cunctos mortales, præſertim vero exteros ex longinquis regionibus ad eam aſſidue confluentes materno ſinu libenter amplectitur

ctitur, ſancimus exteros huiusmodi,& aduenas, quamuis non liquido conſtet de iis omnibus,quæ in cõſtitutione noſtra requiruntur , tamen ſi diligentia adhibita nihil appareat quod eos impediat, habiles reputandos eſſe.

Declaratio circa eos qui poſt promotionem ad gradus,natalium defectum aut criminum vitam pati conſtiterit.

§. 16. Quod ſi quis ante vel poſt conſtitutionem ipſam profeſſus ad ſacros ordines, vel ad honores , gradus, & dignitates promotus exiſtat , & poſtmodum in eo natalium defectum , aut criminum in dicta conſtitutione noſtra expreſſorum, noram, quæ prius ignorabantur detegi contigerit, decernimus eum ſtatim poſt huiuſmodi defectus notitiam habitam,non alias quam iuxta formam ipſius conſtitutionis, ad honores, gradus , & dignitates; aut ad executionem ſacrorum Ordinum admitti debere.

Declaratio quomodo d. conſtitutio quoad criminoſos procedat.

§. 17. Contra criminoſos vero, quorum profeſſio eadem conſtitutione noſtra irrita declaratur , ac propterea Iudicibus & curiis ſæcularibus procedendi facultas conceditur , tunc demum id locum habere volumus , & non aliter, cum actis publicis conſtiterit ipſos Iudices & Curiam ſæcularem ante ſuſceptionem habitus de ipſo crimine aduerſus eos accuſationem ſuſcepiſſe, vel inquiſitionem inſtituiſſe.

§. 18. Ceterum quæ à nobis circa Religioſos viros in præfata conſtitutione ſancita ſunt, ea nequaquam volumus ad ad Moniales nunc extendi.

1. Declaratio circa receptionem hoſpitum alterius vel eiuſdem Prouincia.

§. 19. Poſtremo dum interdicimus , ne quis regularis alterius Prouinciæ intra aliquod Monaſterium , domum, vel locum alienæ Prouinciæ, etiam tamquam hoſpes ,& ad modicum tempus recipi poſſit , niſi à Superiore loci, vbi reſidebat , & à quo diſceſſit licentiam expreſſam in ſcriptis exhibuerit , vel niſi ſatis cognitus ſit , id obſeruari volumus non ſolum in religioſis itinerantibus de vna in aliam Prouinciam , ſed in iis quoque qui proficiſcuntur de vno in aliud eiuſdem Prouinciæ Monaſterium, tam ſui quam alterius Ordinis.

2. Declaratio circa eoſdem.

§.20. Quod ſi dicerent ſe ad Apoſtolicam Sedem confugere ob grauamina à ſuis Superioribus ſibi illata , & ideo ab ipſis Superioribus licentiam , & literas obtinere non potuiſſe , non propterea vllo modo recipi valeant, niſi fide dignorum teſtimonio de petita ab eis licentia, & per ſuos Superiores denegata conſtiterit.

3. Declaratio circa receptionem peregrinorum & aduenarum religioſorum in Vrbe.

§. 21. In Alma vero Vrbe noſtra Religioſi aduenæ & peregrini de grauaminibus ſibi illatis conquerentes nullibi ſine huiuſmodi literis , aut licentia recipiendi erunt, niſi prius ad Congregationem dictorum Cardinalium ſuper negociis Regularium à nobis deputatorum, vel ad ſuos Protectores remittantur, vbi ipſis auditis pro rerum & perſonarum qualitate quid agendum ſit ſtatuetur.

Confirmatio aliorum in d. conſtitutione contentorum.

§. 22. Reliqua autem in priori noſtra conſtitutione contenta, quæ in præſentibus literis non declarantur, volumus perpetuo firma & valida , & in ſuo robore permanere, ac ab omnibus ad quos ſpectat inuiolabiliter obſeruari.

Reuocatio quarumcumque conceſſionum, de recipien. Nouitiis extra Capitula.

Vide bullas cit. in rub. Decretum irritans.

§. 23. Et ſi quid à nobis alicui Ordini aut Religioni præter aut contra præfatæ conſtitutionis formam poſt illius editionem circa recipien. extra capitula Nouitios, aut alias indultum aut conceſſum fuit , id omne ac deſuper confectas literas prorſus reuocamus & annullamus, ac ad terminos præſentis conſtitutionis reducimus , & alias nemini volumus ſuffragari

§. 24. Dcernentes ſic in præmiſſis vniuerſis & ſingulis per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos, etiã cauſarum ſacri Palatij Apoſt. Auditores, ac S.R.E. Card. ſnblata eis & eorum cuilibet , quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, in quauis cauſa & inſtantia vbique iudicari & definiri debere ; necnon irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula derogat.

§. 25. Non obſtantibus præfata,& aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis , necnon quorumcumque Ordinum,tam Mendicantium quam non Mendicantium Religionum, ac Monaſteriorum,etiam eorum, quæ ordinum capita dicuntur, Prioratuum,domorum,& quorumuis Regularium locorum,iuramento , confirmatione Apoſt.vel quauis firmitate alia roboratis , ſtatutis, conſuetudinibus , & ſtabilimentis , vſibus , & naturis quantocumque tempore obſeruatis,necnon fundationibus eorumdem ; aliis quoque priuilegiis, indultis, exemptionibus , & literis Apoſt. illis omnibus ipſorumque Superioribus generalibus vel Prouincialibus, Conuentibus, Capitulis , Fratribus & perſonis per quoſcumque Rom.Pont. prædeceſſores noſtros, ac noſmetipſos etiam poſt primo dictæ noſtræ conſtitutionis publicationem & præfatam Sedem , etiam per modum ſtatuti perpetui, ac initi ſtipulati contractus, ſeu quaſi , necnon motu, ſcientia , & poteſtatis plenitudine ſimilibus ac etiam conſideratione intuitu , contemplatione , vel ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Ducum , aliorumque Principum , Sanctæque Romanæ Eccleſiæ Cardinalium , ac de eorum conſilio & aſſenſu , etiam conſiſtorialiter habito quomodocumque ac ſub quibuſuis tenoribus & formis, necnon cum quibuſuis reſtrictiuis , reſtitutiuis , præſeruatiuis, annullatiuis, derogatoriarum derogatoriis,aliiſque efficacioribus , efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus , & aliis decretis quomodocumque conceſſis, confirmatis , & etiam iteratis vicibus extenſis & moderatis, etiamſi in eis, ac ſtatutis, ſtabilimentis, & fundationibus præfatis caueatur expreſſe, quod numquã eorum priuilegia & indulta , reuocata vel moderata aut immutata intelligantur , nec illis in toto vel in parte derogatum cenſeatur per quaſcumque literas etiam derogatoriarum derogatorias , ac alias fortiores & efficaciores clauſulas in ſe continentes , niſi illorum ac etiam certarum ſpecialium literarum Apoſtolicarum inde confectarum vere, non autem per clauſulas generales vel ſpeciales idem importantes inſerto tenore , ac de ſimili Cardinalium conſilio quodque ſemper in huiuſmodi derogationibus & aliis diſpoſitionibus cenſeatur appoſita clauſula , quod tunc demum nec aliter, nec alio modo effectum ſortiantur, cum Superiorum , Capitulorum , & Connentuum præfatorum ad id accedat aſſenſus, quodque derogationes & aliæ depoſitiones huiuſmodi aliter effectum non habeant , niſi conſiſtorialiter factæ , & per trinas diſtinctas literas eumdem tenorem continentes tribus diſtinctis vicibus Superioribus,Capitulis & Conuentibus præfatis fuerint intimatæ , eorumque pariter ad id expreſſus accedat aſſenſus , aliter vero factæ viribus, & effectu omnino careant,ac Superiores, Capitula,Conuentus & aliæ perſonæ præfatæ ad parendum illis & decretis deſuper proceſſibus , eorumque executoribus & ſubexecutoribus , ac ipſorum mandatis & monitionibus minime teneantur, ſed literarum huiuſmodi executionẽ omnino impedire , nec ratione reſiſtentiæ cenſuris Eccleſiaſticis , etiam per ipſos executores vel ſubexecutores latis innodari poſſint. Quibus omnibus etiamſi alias de eis eorumque totis tenoribus ſpecialis,ſpecifica, expreſſa , & indiuidua , ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret , & tenores huiuſmodi , acſi de verbo ad verbum inſererentur,præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes , harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, & quatenus effectum præſentium quoquomodo impedire vel retardare , vel illis obeſſe poſſent , ea omnino tollimus & abrogamus ; ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Forma publ. huius conſtit.

§. 26. Vt autem præſentes literæ omnibus plenius innoteſcant, mandamus illas ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe , & in Cancellaria Apoſtolica, necnon acie Campi Floræ publicari , earumque exempla de more affigi ; volumuſque & decernimus vt ipſarum præſentium exempla etiam impreſſa , manuque. Notarij publici & ſigillo Prælati Eccleſiaſtici , aut illius curiæ obſignata , eamdem vbique locorum fidem faciant,quam ipſæ præſentes facerent ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis.

§. 27. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum , &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit , indignationem Omnipotentis Dei , ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius,ſe nouerit incurſurum.

D. P. An. 2. 21. Octob.

Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo , duodecimo Calen. Nouemb. Pontificatus noſtri Anno 4.

Anno

Digitized by Google

Publicatio. *Anno à Natiuitate D.1588. indict. 1. die vero 7. mensis Nouem. tempore Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno quarto, retroscripta litera Apostol. affixæ & publicatæ fuerunt, in valuis Basilicarum Sancti Ioannis Lateranen. & Sancti Petri Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & aciei Campi Floræ, vt moris est, per nos Ioannem Baptistam Bagni, & Octauium Tagliettum Sanctiss. D. N. Papæ Curs.*

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

LXXII. Reformatio Curiæ Almæ Vrbis Gubernatoris quoad causas ciuiles.

Iurisdictionem & facultates huius Gubernatoris, vide supra in constit. 8. Leon. X. Et si pro. *vbi eas plene tibi indicaui. Et attende etiam reformationem Pauli V. infra in sua const. 6.* Vniuersi. §. 3.

Quod autem Indulta concessa diuersis Iudicibus cognoscendi causas criminales priuatiuè quoad alios, non intelligantur priuatiuè quoad Gubernatorem Vrbis, sed cumulatiue cum eo, voluit Sanctissimus Dominus Noster Vrban. VIII. constitut. 93. *Decet.* infra tom. 4.

Edita A. D. 1587.

SIXTVS PAPA V.
Motu proprio, &c.

Exordium. IN sublimi Beati Petri Sede, meritis licet imparimus superna dispositione constituti, agrique Dominici curæ præpositi, id inter alia nostri muneris esse cognoscimus, vt singula circa omnes gradus & hominum conditiones, deformata ac deprauata, prouidentiæ nostræ ministerio corrigamus & reformemus, præsertim in Tribunalibus Almæ Vrbis nostræ, in quibus omnis iuris ratio exigit; vt Iudices primum, studiosa vigilantia, manuum munditia, & ordinata iuris scientia, sint aliis præstantiores, Notarij quoque ad conscriben. acta deputati Mandatarijque & alij Ministri, vitæ honestate operosa sufficientia, moderata mercedis exactione, compassiuaque erga pauperes benignitate, sint admodum ornati. Litigantesque demum, & eorum Procuratores, vltimum Omnipotentis Dei iudicium, præcogitantes, à pernicios subtilitatibus, subterfugiis, intricationibus & extorsionibus se abstineant, vt deformibus omnibus sublatis, honesta sint omnia, & praua transeant in directa, ac ius & iustitia salubriter & æqua lance, ac minoribus quam fieri potest dispendiis, vnicuique ministretur.

Marianus P. Benedictus Vrbis Gubernator hanc suæ Curiæ Reformationē edidit.

§. 1. Nos tamen quia humanarum virium fines excedere non valemus, tantaque est Apostolici officij negotiorum moles, vt circa singula, per nos ipsos, eiusdem officij debitum exoluere non possimus, plurimum in Domino lætati sumus, quod Venerabilis frater noster Marianus P. Benedictus Episcopus Matturanen. & dictæ Vrbis nostræ, ciusque districtus generalis Gubernator & Vicecamerarius à nobis deputatus, huic nostræ, solicitudini respondens, Deique timore, & virtutis ac iustitiæ zelo ductus, diuersos abusus, quos in suo Tribunali irrepsisse cognouit, tollere, & aliis quæ inde irrepere potuissent, occurrere cupiens, sequentem suæ Curiæ Reformationem, circa causas ciuiles edidit, nobisque porrexit.

Card. Matthæius eam de mandato Papæ examinauit & absoluit.

§. 2. Et ideo cupientes Reformationem huiusmodi accurate, & debita circumspectione absolui, dilecto filio nostro Hieronymo S. Mariæ in Cosmedin. Diacono Cardinali Matthæio nuncupato, viro vitæ integritate, literarum scientia, longaque rerum, & Romanæ Curiæ experientia insigni, dedimus in mandatis, vt eamdem Reformationem diligenter examinaret, suppleret, & corrigeret, & ille mature omnibus visis, sigillatimque examinatis nonnulla explanauit, nonnullaque etiam emendauit & addidit, extremamque dictæ Reformationi manum adhibuit, nobisque exhibuit, eiusque tenor talis est, videlicet.

Sequitur Reformatio de qua in Rubrica.

Reformatio super Locumtenentis causarum ciuilium qualitatibus.

§. 3. DLocumtenens ciuilis Gubernatoris Almæ Vrbis pro tempore existentis, vnus dumtaxat in futurum sit, legum scientia, vitæque probitate, & Romanæ Curiæ experientia insignis, & ex loco qui ab Vrbe distet per quadraginta milliaria oriundus. Qui omnes causas ciuiles, tam commissarias iuxta formam commissionum, quàm ordinarias, vel alias in ipso Tribunali introducendas, iuxta suas facultates cognoscat, terminet & decidat.

Audientiæ horæ, & locus.

§. 4. Audientiam terminorum, pro quibus litigantes pro certa hora citari non sint, in Sala Palatij Gubernatoris, circa horam vigesimam, pro Tribunali, sedendo, teneat.

Diebus feriatis.

§. 5. Ius reddat singulis diebus, exceptis festiuis de præcepto, aut consuetudine Almæ Vrbis, necnon diebus Coronationis Pontificis viuentis, ingressus Gubernatoris, Iouis, Lunæ, & Martis immediate ante cineres, ac ipsius diei Cinerum, totius hebdomadæ sanctæ, Commemorationisque Defunctorum, & vigiliæ Natiuitatis Domini.

Significationibus vigore recursus

§. 6. Significationes per viam recursus concedendas, semper concedat cum clausula, Non tamen in contumaciam.

Causis ordinariis.

§. 7. In causis ordinariis, vel via ordinaria introducendis, etiamsi ad probationem producantur cedulæ, iura, & instrumenta obligationum Cameralium, non relaxet mandata executiua, (si respectu summæ, vel valoris rei de qua agitur dictæ causæ sint appellabiles) nisi elapsis decem diebus datis ad appellandum, & seruatis solitis terminis ad docendum de legitima appellatione, & eius legitima prosecutione, & constito sibi de re, iudicata.

Sportulis ab fuga.

§. 8. Suspectus post litem contestatam, vel pro contestata habitam, allegari non possit, nisi à principalibusmet vel eorum procuratoribus ad speciale mandatum haben. & ex certa causa per eos in actis specificata & iurata, à Gubernatore pro legitima approbata.

Appellationis & recursus.

§. 9. Ab eius sententiis definitiuis appelletur ad Sanctissimum in causis appellabilibus; in aliis vero non appellabilibus, & in quibus de iure recurius datur, recurratur ad Gubernat. qui causas huiusmodi recursus, per seipsum, vel alium ab eo deputan. iuxta suas facultates expediat,

Iudice deputato à Gubernatore.

§. 10. Qui deputandus tam in ipsis causis recursus, quam in illis in quibus in locum D. Locumtenentis, vti suspecti recusati, à Gubernatore deputabitur; & in causis quoque Commissariis, in quibus ex rescripto Signaturæ à Gubernatore similiter deputabitur, ea dumtaxat emolumenta recipiat, quæ, vt mox dicetur, D. Locumtenens recipere poterit, & nihil penitus vltra, sub pœnis eis indictis. Recursus vt supra ad Gubernatorem à Locumtenentis decretis, & sententiis petendi, infra decem dies dumtaxat peti debeant; & tunc executionem non retardent, vsquequo Gubernator huiusmodi recursus non admiserit.

Sportulis habitatione, salario, & emolumentis.

§. 11. Sportulas D. Locumtenens non recipiat, nisi in illis causis commissariis tantum, quæ auctoritate ordinaria, à principio ab eo cognosci non potuissent; quibus circa quantitatem seruet taxam fel. recordat. Pij Papæ Quarti. In ceteris vero causis quibuscumque sportulas nullo modo accipiat, etiam à sponte dantibus, sed earum loco vltra commodam habitationem, quam in dicto Palatio pro se suisque seruientibus habere debeat, & vltra scuta octo in auro quinque, à quolibet ex duobus Notariis causarum ciuilium huius Curiæ, ipsi tantum D. Locumtenenti quolibet mense, in eius principio soluenda, percipere possit iulium vnum pro singulis infrascriptis expeditionibus, videlicet. Pro quolibet mandato executiuo, non tamen in contumaciam. Proquolibet arresto in carceribus, Mandato de excarcerando, Significatione totali, Aut vigore termini Aut in vim litis pendentiæ, Aut litis finitæ, Aut stante deposito,

depoſito, Vel negatione, aut data cautione de ſtando iuri & iudicatum ſoluendo conceſſa. Et etiam pro qualibet citatione vel inhibitione, vigore commiſſionis, Aut extra Curiam decreta. Dummodo in quolibet ipſorum caſuum agatur de re vel ſumma ſcutorum auri ſeptem, qui conſtituunt Iulios ſeptuagintaſeptem.

Locumtenētis contrauenientis pœnis.

§. 12. Alioquin prædictus D. Iudex pœnas in Pij Papæ IV. conſtitutione, de reformatione Tribunalium contentas, incurrat.

Notariorum locis.

§. 13. Notarij teneant intus, vel iuxta dictum Palatium eorum officia ſeparata, & in locis ita diſtantibus, vt collitigantium tumultus nullum afferre poſſit impedimentum.

Procurationeque eis interdicta.

§. 14. In cauſis tribunalis, neque officio Procuratoris, vel Sollicitatoris fungantur, neque alio quouis modo ſe intromittant.

Taxa obſeruantia.

§. 15. In eorum mercedibus recipiendis ſeruent omnino taxam Pij Papæ Quarti, quia in ea omiſſus eſt caſus examinis teſtium ſuper articulis abſque interrogatoriis, ideo tali caſu Notarij recipiant pro huiuſmodi examine cuiuſlibet teſtis, bononenos octo vſque ad ſcuta decem, & bononenos decem vſque ad ſcuta viginti, & bononenos quindecim vſque ad quamcumque ſummam, & non vltra.

Citationibus.

§. 16. Citationes, & alias Mandatariorum & Curſorum relationes, nullatenus in actis apponant, niſi Curſores & Mandatarij eas in cartulis octauæ partis folij prius ſubſcripſerint, & ſupra ſubſcriptiones nomen Notarij cauſæ appoſitum fuerit,

Citationes & alios actus pro aliquo, vel contra aliquem non recipiant, niſi tam actoris quam rei nomen cum cognomine, aut exercitij, habitationiſque deſignatione ſpecifice in eis exprimatur.

Citationes ad videndum mandari conſignari pignora, non recipiant, niſi appoſitum ſit, etiam ad videndum mandari ſubhaſtari.

Manualibus.

§. 17. Manualia citationum, & manualia proteſtationum, ſeparatim & diſtincte teneant.

Expeditionū libros.

§. 18. Expeditionum libros duos habeant, in quorum vno diſtincte & ordinatim adnotare debeant omnes ſignificationes per viam recurſus concedendas, cum expreſſione nominis collitigantium & Curiarum, à quibus Dominus Locumtenenens recurſus, iuxta ſuas facultates concedet, ac etiam ſummæ vel valoris rei de qua agitur; necnon & omnia ſequeſtra & monitoria, ex quauis cauſa decernenda. In altero autem adnotare debeant omnia mandata executiua, non tamen in contumaciam; Et omnia arreſta, Mandata de excarcerando, Significationes dotales, Aut vigore termini, Aut in vim litis penden. Aut litis finitæ, Aut ſtante depoſito, Vel negatione, Aut data cautione de ſtando iuri, & iudicatum ſoluendo conceſſas, Et omnes citationes, vel inhibitiones vigore commiſſionis, Aut extra Curiam decretas; dummodo in quolibet ipſorum caſuum agatur de re, vel ſumma ſcutorum auri ſeptem.

Expenſarum taxatione.

§. 19. Liſtas expenſarum non conficiant, neque preterea mercedem aliquam, etiam à ſponte dantibus recipiant, niſi præuio D. Locumtenentis decreto & eiuſdem ſubſcriptione in calce citationum, ad videndum taxari expenſas; apponenda.

Examine teſtium.

§. 20. Examen. teſtium ſcribere poſſint duo tantum Notarij pro quolibet officio, quos Gubernator pro tempore approbauerit, & non alij.

Decretis.

§. 21. Decreta aliqua ex ſeipſis Notarij non conficiant, ſed citationes omnes D. Locumtenenti, in Audientia publice legant, ab eoque decreta ſumant, & deinde in actis apponant.

Mandatis ſuſpicionis fugæ.

§. 22. Mandata ſuſpicionis fugæ, ſcribere nequeant, niſi prius D. Locumtenenti iura producta, vel probata oſtenderint, illeque poſtea mandata decreuerit.

Iuramentis ſuſpicionis.

§. 23. Iuramenta ſuſpicionis fugæ, ab aliis quam principalibuſmet, vel perſonis ad id ſpeciale mandatum habentibus, non recipiant.

Sequeſtris.

§. 24. Sequeſtra non ſcribant, etiam in cauſis mercedum niſi in executionem mandatorum ſeruatis ſeruandis relaxatorum, vel niſi docto de credito, etiam extraiudicialiter arbitrio D. Locumtenentis, iuratoque de dilapidatione aut fugæ ſuſpicione.

Fideiuſſionib.

§. 25. Aduocatos, Procuratores, Sollicitatores, pro fideiuſſione occaſione litium dandis, nullo modo recipiant.

Significationibus.

§. 26. Significationes per viam recurſus concedendas non ſcribant, niſi cum clauſula, Non tamen in contumaciam. Alias vero Significationes non ſcribant niſi vigore termini, Aut niſi productis iuribus vel probationibus ſuper ſolutione, Aut niſi ſtante pendentia litis, ſiue lite finita, Vel niſi data cautione de ſtando iuri, & iudicatum ſoluendo, quando eſſent relaxata mandata ſuſpicionis fugæ, pro aſſecuratione iudicij, Aut niſi ſtante negatione contra mandata in contumaciam relaxata.

Reſponſiones ad articulos.

§. 27. Reſponſiones ad articulos & iuramenta ſuper partitis deciſinis, coram D. Locumtenente tantum recipere poſſint & debeant, niſi ipſe aliter decreuerit, ex cauſa infirmitatis, aut alterius legitimi impedimenti collitigantium,

Notariorum contrauenientium pœnis.

§. 28. Quicumque ex Notariis ſiue actuariis in eorum officiis ſcribentibus, in aliquo præmiſſo contrauenerit, pro qualibet vice pœnam ſcut. 25. aliaſque pœnas pecuniarias, & corporis afflictiuas, pro modo excelſus à Gubernatore arbitran. incurrat, damnaque & intereſſe partibus reficere cogatur.

Mandatariorumque circa citationes.

§. 29. Mandatarij huius Curiæ, citationes & alias relationes in ſcriptis dumtaxat referre debeant, exprimendo an perſonaliter, vel domi copia dimiſſa vel affixa, & an ad ſtatim vel ad hodie per totam, ſeu ad primam, vel aliam diem fecerint.

Citationes, intimationes, &c. perſonaliter, aut domi dimiſſa copia, non exequantur, poſt ſecundam horam noctis; per affixionem autem, non niſi de die, & tunc in relaxationibus exprimant feciſſe de die, dimiſſa copia affixa in tali loco.

In citationibus tam actoris quam rei nomen, cum cognomine, vel cum exercitij, habitationiſque deſignatione exprimant.

In citationibus ad videndum mandari, conſignari pignora, apponant etiam, & videndum mandari ſubhaſtari.

Taxa obſeruantia.

§. 30. In eorum mercedibus recipiendis, ſeruent eorum taxas vltra quas, etiam à ſponte dantibus, nihil omnino accipiant.

Pignoribus.

§. 31. Pignora omnia ab executoribus quibuſcumque eis conſignanda, ordinatim ſingulariter adnotare debeant in eorum libris, exprimendo rerum qualitates & quantitates, & nomen executoris & collitigantium. Pignora ſubhaſtanda, publice in loco commodo ad id per Gubernatorem deputando, tenere debeant, à die quo receperint mandata de ſubhaſtando, vſque quo receperint mandata de deliberando. Oblationes recipiendas adnotare debeant in eorum libris, cum appoſitione anni, menſis, & diei, ac expreſſione nominis, cognominis, exercitiique & habitationis offerentium. Non recipiant oblationes cuiuſcumque officialis huius Curiæ, nec eis ſeruientium, neque Mandatarij affinium vel conſanguineorum, vſque ad tertium gradum.

Eorumdem contrauenientium pœnis.

§. 32. Quicumque in aliquo præmiſſorum contrauenerit, pœnam ſcutorum decem pro qualibet vice, aliaſque pœnas pecuniarias, & corporis afflictiuas, priuationiſque officij, pro modo excelſus à Gubernatore arbitrandas incurrat, damnaque & intereſſe partibus reficere compellatur.

Reformatione Procuratorū circa exactiones.

§. 33. Procuratores non poſſint actualiter exigere nomine ſuorum principalium, etiam ab Vrbe abſentium, & vigore mandatorum ad exigendum, aliqua bona, res, & pecunias, à quauis perſona, in cauſis & negociis ipſius Tribunalis, niſi præuio Gubernatoris decreto, gratis deſuper interponendo. Et qui contrauenerit, officio Procuratoris omnino priuetur, pœnamque pecuniariam Gubernatoris arbitrio ſoluat.

Executorumque circa taxas.

§. 34. Executores cuiuſcumque Curiæ mandata huius Tribunalis exequentes, nihil vltra eorum taxam, etiam à ſponte dantibus recipiant, & niſi poſt factam executionem ſiue capturam.

§. 35. Man

Digitized by Google

Executionibusque.

§. 35. Mandata ciuilia non exequantur de nocte, neque de festiuo, nisi sint suspicionis fugæ.

Cautiones in executione mandatorum nullatenus recipiant, sed executiones realiter vel personaliter, prout in mandatis continetur exequantur; pignoraque Baroncello huius Curiæ, infra biduum consignent, describique faciant in libro, quem præfatus Baroncellus ad id specialiter tenere, in eoque adnotare debeat qualitates & quantitates rerum sibi consignatarum, & nomen executoris consignantis.

Pignorum quoque restitutione.

§. 36. Restituat quilibet executorum prædictorum executiones, siue bona in executione capta gratis, quotiescumque D. Locumtenens mandauerit.

§. 37. Quicumque in præmissis contrauenerit, officio suo priuetur, & pro modo excessus corporalibus pœnis Gubernatoris arbitrio plectatur, damnaque & interesse partibus reficere cogatur. Pro quibus damnis & interesse, quilibet Baroncellus cuiuscumque Curiæ pro suis executoribus, & birruariis obligatus sit.

Contrauenientium pœnæ.

§. 38. Nos itaque volentes Reformationem huiusmodi, tam maximo labore, & tam matura discussione, ad publicam maximè collitigantium vtilitatem, Tribunalisque dictæ Vrbis Gubernatoris directionem, vt præfertur digestam, perpetuo, inuiolabiliterque obseruari. Motu proprio, & ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prædictam Reformationem, omniaque & singula in ea contenta, tenore præsentium, auctoritate Apostolica confirmamus & approbamus. Quinimmo eamdem Reformationem in eaque contenta quæcumque, Motu & auctoritate prædictis, nos de nouo statuimus, decernimus & ordinamus, & per præfatum nostrum & pro tempore existentem Vrbis Gubernatorem, eiusque in ciuilibus Locumtenentem, ac Procuratores, Notarios, Mandatarios, Litigantes, executoresque siue birruarios, & alios quoscumque, exactissime perpetuoque seruari præcipimus & mandamus; pœnasque in dicta Reformatione appositas, de nouo contrauenientibus quibuscumque, & pro qualibet vice apponimus & infligimus.

Confirmatio huius Reformationis.

§. 39. Decernentes omnia quæ contra dictæ Reformationis formam & tenorem, decreta, acta & gesta fuerint, nulla, inualida, & extorta, & subreptitia, nulliusque roboris & momenti, fore & censeri, neminique propterea suffragari posse vel debere. Et ita per quoscumque Iudices & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Causarum Palatij Apostolici Auditores, in quauis causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere; irritum quoque & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata.

§. 40. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac stylo, consuetudine, ac quocumque temporis cursu, etiam immemorabili roboratis; priuilegiis, & indultis, tam ipsi Tribunali Vrbis Gubernatoris, vel ipsis Gubernatoribus & Locumtenentibus, quam Notariis, Mandatariis, eorumque Collegio & Collegiis, aliisque quibuscumque personis, quacumque generali vel speciali nota & expressione dignis, & quomodocumque, & qualitercumque priuilegiatis; etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, sub quibuscumque tenoribus & formis, & cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere vel in specie & alias quomodolibet, etiam per nos concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsenti pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus; & quibuslibet aliis priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsenti non expressa, vel totaliter non inserta, effectus illius impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum habenda esset mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iussio public.

§. 41. Vt autem præsens Motus proprius ad omnium notitiam deducatur, ac omnes quorum interest, ac interesse poterit, afficiat, volumus & mandamus, illius copiam in Cancellariæ Apostolicæ, seu & Curiæ Reuerendissimi Vrbis Gubernatoris valuis, ac in acie Campi Floræ affigi, & ibi relicta eius copia, aliquamdiu detineri.

Sola signatura sufficit.

§. 42. Volumus item quod præsentis Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio & extra, regula quacumque contraria non obstante.

Fides transumptorum.

§. 43. Quodque eius transumptis, Notarij publici manu subscriptis, & alicuius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ sigillo signatis, plena & indubitata fides, eaque prorsus adhibeatur, in iudicio & extra quæ præsenti adhiberetur, si foret exhibitus vel ostensus.

Fiat Motu proprio F.

PP. subscrip. Clausularum repetitio.

Et cum absolutione à censuris, ad effectum &c. & de confirmatione, approbatione, statuto, ordinatione, præcepto, mandato, inflictione, decretis, derogatione, voluntate, aliisque præmissis, quæ hic pro sufficienter repetitis ad partem habeantur in forma gratiosa latissime exten. & cum opportuna, si videbitur iudicum executorum deputatione, qui assistant, &c. cum potestate citan. &c. inhibendi, aggrauandi, &c. inuocato, &c. sæcularis, ac derogatione dictarum, non tamen trium, etiam latissime exten. Et si videbitur literas desuper etiam per Breue S. V. &c. in præmissorum omnium & singulorum, etiam qualitat. inuocat. denominat. nuncupat. annexis, aliorumque necessariorum maiori & veriori specificatione & expressione expediri possit, &c. simul vel ad partem, etiam in vna, non facta mentione de alia, vel aliis expedien. &c.

Fiat F.

Publ. P A. die 1. Decemb.

Anno à Natiuitate Domini 1587. *indict.* 15. *die vero* 1. *mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. Anno tertio, supradictæ literæ in valuis Cancellariæ Apostolicæ, & Curiæ Reuerendiss. D. Vrbis Gubernatoris, & in acie Campi Floræ affixæ, lectæ & publicatæ fuerunt, iuxta formam illarum.*

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

LXXIII.

Indulgentiarum elargitio, pro quorumdam Christianorum Imperatorum numismata gestantibus, aut Ecclesias vbi ea asseruantur visitantibus, & pia opera hic expressa exercentibus.

Edita A. D. 1587.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Præmium.

LAudemus viros glorioſos, Christianos præsertim Imperatores, in iis quæ pro Christiana religione tuenda & propaganda, pie, ac præclare gesserunt, dum pietatis zelo, virtutis magnitudine, & Imperij maiestate vere Augusti, eiusdem religionis, quam omnibus gentibus, omnibusque nationibus, Deus voluit Apostolicis vocibus prædicari, cultum totis in Christo visceribus amplexi, vsque adeo suis quisque temporibus de hac sacrosancta Sede, cui, auctore Domino, licet immeriti præsidemus, egregie promereri studuerunt, vt vera & orthodoxa fides, ex Apostolico hoc fonte dimanans, tuta eorum ope & patrocinio munita, propulsatis hostium oppugnationibus, toto terrarum orbe diffusa floreret, omnisque lingua confiteretur, quoniam Dominus IESVS CHRISTVS in gloria est Dei Patris; eorum sane ipsorum, quos constituit Dominus propugnatores & defensores Ecclesiæ suæ, Illustria, pie, rectèque factorum exempla, ad omnem gloriam insignia, imitationisque studio

Digitized by Google

dignissima, ac merita præclara, cum semper pro grati in eos animi testatione & officio commemorare debemus; tum hoc potissimum tempore, quo nobis eorum memoriam renouandi mirifica diuinitus oblata est occasio, id impensius faciendum arbitramur.

In restauratione Basilicæ Lateranensis, numismata quàplura Imperatorum reperta fuerunt, quorũ nomina, & præclara gesta hic referũtur, videlicet.

§. 1. Nam cum ab ipso nostri Pontificatus initio, ad exornandam nouis ædificiis Lateranensem præcipue Basilicam, nullis parcentes impensis, animum adiecissemus, effectum est, non obscura diuinæ voluntatis significatione, vt demoliendis quibusdam Aulæ Lateranensis peruetustis, ac pene collabentibus parietibus; complura antiqua diuersis in locis recondita numismata, ex auro purissimo obryzo confecta inuenirentur, in quib. ex vna parte salutiferæ Crucis signum, aut imago aliqua eadem Cruce insignita cernitur, ex altera vero vultus effigiesque expressæ sunt diuersorum veterum, qui ante annos circiter mille floruerunt, Augustorum Imperatorum, nimirum Theodosij senioris, duorum filiorum eius Arcadij & Honorij, necnon Theodosij iunioris. Valentiani Tertij, Marciani, Leonis, Iustini, Iustiniani, Tyberij, Mauritij, Phocæ, & Heraclij, qui etsi longo locorum interuallo disiuncti, Vrbem Romam; ne fortasse quidem omnes vnquam viderint, Magni tamen Constantini piissimi Imperatoris exemplo, & munificentia excitati, ad declarandum pietatis suæ studium erga glorioſos Apostolorum Principes, & fortissimos Christi Martyres, quorum innumerabilis multitudo in hac sancta Ciuitate requiescit & quorum præsenti ope, & auxilio domi foriſq; votis susceptis sæpenumero Rempublicam fortiter & feliciter administrauerant, & clarissimas de hostibus victorias reportauerant, huius Almæ Vrbis sacras Basilicas, atque hanc in primis sacrosanctam Lateranensem donariis & oblationibus quamplurimis, Augustali pietate & magnificentia dignis, cumularunt, diuersisque aut nouorum ædificiorum extructionibus, aut veterum instaurationibus, pro temporum varietate ornarũt. Quod cum alia multa antiquitatis monumenta, tum vel hæc ipsa nuper reperta aurea tot inclytorum Imperatorum numismata testantur, religioso plane consilio & occulto quodam Dei instinctu in his ædificiis reposita, vt post multa sæcula, aliquando tandem patefacta, in lucemque prolata, eorumdem Imperatorum singularem religionem, & perpetuam erga S.R.E. deuotionem, insigni apud posteros testimonio comprobarent. Qua in re diuinam prouidentiam agnoscimus, suscipimus, atque admiramur, quod calamitoso hoc tempore, cum tam multi Crucis Christi Domini hostes Catholicæ fidei veritatem impiissime oppugnant, prædictorum Imperatorum effigies in ipsa Lateranensi Basilica, vbi primus idem Magnus Constantinus Augustus sacri baptismi lauacro emundatus est, simul repetiri voluerit, quæ summam eorum erga inuictissimam Crucem, pietatem, & eximiam religionem aperte palamque profiterentur.

Theodosij senioris.

§. 2. Theodosij igitur senioris Imperatoris religiosissimi memoria in benedictione sit, qui se Nicænæ fidei defensorem acerrimum præstitit, qui lege edita, eam se tantum fidem sequi, quam à beatissimo Apostolo Petro Romanis traditam Damasus Pontifex docebat, apud cunctos populos publice testificatus est, qui in Ecclesiæ cultu ac veneratione, disciplinam imitatione dignam, non solum legibus edictisque professus est, sed etiam mirifice coluit, qui denique ob grauem Thessalonicensem cædem à S. Ambrosio Episcopo publice correptus, & ab ingressu Ecclesiæ repulsus, insigni Christianæ humilitatis exemplo reuerenter abstinuit, & impositam ab eodem Ambrosio pœnitentiam humiliter suscepit, libentique animo adimpleuit, quo obedientiæ & pœnitentiæ exemplo is qui claustra Imperij Christi Domini sic validis præsidiis ante munierat non solum Reipublicæ hostes submouit, verum etiam Christiani nominis gloria feliciter adauxit.

Arcadij & Honorij filiorum eius.

§. 3. Sed & duorum filiorum eius Arcadij & Honorij nomen, cũ benedictione meminisse libet, qui pietatis ac disciplinæ præceptis, institutisque à S. Arsenio Romanæ Ecclesiæ Diacono instructi, vt Christianam religionem propagarent, vbique terrarum simulacra idolorum confringi, eorumque templa dirui, legibus sanxerunt. Catholicæ porro fidei integritatem constantissime retinentes, hæreticos omnes Imperij viribus coercuerunt, quod communes ab eis promulgatæ leges adhuc ostendunt.

Illud autem proprium Honorij Occidentale Imperium regenti, quod Basilicam sancti Pauli à Valentiniano iuniore amplicari cœptam, omnibus partibus absolui atque exornari curauit, quodque Beato Augustino firmissimæ Ecclesiæ columnæ, in comprimendis, & propulsandis Africanis hæreticis, magno adiumento fuit.

Id quoque laudi potissimum Arcadio tribuitur, quod cum eius militibus contra Persas bene pugnantibus, Cruces aereæ in vestibus apparuissent, vt victoriæ diuinitus partæ monumentum vbique extaret, is auream monetam cum eodem Crucis signo fieri voluit.

Theodosij filij Arcadij, & Valentiniani nepotis Arcadij & Honorij.

§. 4. Atque Theodosio quidem iuniore, Arcadij filio, in Oriente, & Valentiniano Tertio, eorumdem Arcadij & Honorij sororis filio, in Occidente Imperij gubernacula tenentibus, sancta tertia vniuersalis Ephesina Synodus contra impium Nestorium, ex Beatissimi Cœlestini Romani Pontificis auctoritate, indicta, & celebrata est, quo tempore amborum Imperatorum pietas, in fouenda, tuendaque eadem Synodo, & Ecclesiæ pace per sanctorum Patrum definitionem procuranda, magnopere eluxit.

Valentinianus autem beatæ mem. Sixti Tertij Pontificis hortatu, ipsius Basilicæ Lateranensis fastigium argenteum à barbaris ereptum, magna in id opus erogata pecunia, refecit, ac sancti Leonis Pontificis cultor eximius, vberrimum suæ pietatis fructum tulit, cum eius etiam precibus, idem beatissimus Pontifex, immanissimum Attilam, Flagellum Dei vocatum, diuina sua eloquentia atque auctoritate placauit ac deterruit, horribilemque tempestatem iam imminentem, ab ipsa Roma atque à tota Italia auertit.

Marciani, qui nouus Constantinus appellatur.

§. 5. Martianus vero, simul atque ad imperium euectus est, ad eumdem Sanctissimum Pontificem Leonem literas dedit pietatis, & erga Apostolicam Sedem obseruantiæ plenas. Quare Apostolica auctoritate, & Catholici Imperatoris adiumento, magnum illud sexcentorum triginta Episcoporum Chalcedonense Concilium aduersus Eutychen & Dioscorum coactum est, in quo Marcianus ipse insigni elogio nouus Constantinus est appellatus.

Leonis Cæsaris.

§. 6. At Leo Cæsar, Dei spiritu, & crebris S. Leonis Papæ epistolis roboratus, nullis se hæreticorum machinis passus est à Catholicæ fidei constantia, & Chalcedonensis Synodi propugnatione dimoueri.

Iustini senioris.

§. 8. Nec vero prætereundus nobis est vere pius & Catholicus Imperator senior Iustinus, qui sanctum Germanum Capuanum Episcopum, sanctissimi Hormisdæ Papæ Legatum, tanquam Angelum Domini, summo cum honore excepit, cuius Imperatoris pietas hoc quoque promeruit, vt beatum Ioannem Summum Pontificem, Constantinopolim ad se venientem videret, admirabili sanctitate virum & postea martyrij gloria illustrem, ad cuius ille pedes, CHRISTVM in eo agnoscens, procubuit, Deo clarissimum illum congressum insigni miraculo comprobante, cum in ipso aditu portæ aureæ, cæco supplicanti ab eodem Summo Pontifice lumen est restitutum.

Iustiniani Magni.

§. 3. Magnis etiam laudibus efferendus est Iustinianus ille, qui tot rebus fortiter, sapienterque gestis, Magnus merito est appellatus, sed profecto sui ipsius victoria, & erga Apostolicam Sedem obedientia multo maior, nam cum zelo Catholicæ Religionis, confessionem veræ ac ortodoxæ fidei; quæ in Sancta Dei Ecclesia prædicatur, & simul hæresum damnationem, de Catholicorum Episcoporum consensu, proposito edicto, fecisset omnibus manifestam, ac deinde per suas literas & Legatos, reddens Apostolicæ Sedi & sancto Ioanni Papæ Secundo debitum honorem & reuerentiam, pro singulari studio quod gerebat de vnitate omnium, præsertim Orientalis tractus Ecclesiarum, illarumque Sacerdotum, cum ipso ac eius Sede, tanquam earum capite, seruanda atque custodienda, etiam suæ fidei confessionem, ac illud ipsum edictum transmisisset, humiliterque postulasset, suis illa literis, & Apostolicæ Sedis iudicio comprobari, atque ipsis quoque diebus B. Petro Principi Apostolorum pretiosa munera obtulisset, idem Sanctus Pont. & dignis eum laudum præconiis extulit,

Digitized by Google

extulit, & quæ in ipſo edicto continebantur, veluti Apoſtolicæ doctrinæ conſentanea ſuo iudicio atque auctoritate confirmauit, Cumque poſtmodum ipſe Iuſtinianus Imperator à Theodora coniuge deprauatus, à B. Agapito Pontifice vehementius contenderet, vt Anthymum hæreticum Patriarcham ad communionem admitteret, eiuſque electionem confirmaret, eoque conſtantiſſime recuſante minas precibus admiſceret, Sanctus Pontifex zelo fidei incenſus, exclamauit. Ego ad Iuſtinianum Imperatorem Chriſtianiſſimum venire deſideraui, ſed Diocletianum inueni; qua inuicti animi conſtantia permotus Imperator, ac tandem erroris caligine deterſa, ad veritatis lucem emergens, ſeipſum totum ad parentis in Chriſto optimi voluntatem conformauit, hominemque hæreticum loco deiici, & Catholicum Epiſcopum Mennam ab eodem ſancto Pontifice conſecrari, non ſolum patienter, ſed etiam libenter tulit, præclaro Chriſtianis Principibus exemplo relicto, vt paternas CHRISTI Vicarij admonitiones & obiurgationes, æquiſſimo animo ferrent, memores verbi Domini: Qui vos audit me audit, qui vos ſpernit me ſpernit.

Tiberij Conſtantini.

§. 9. Iam vero Tyberij Conſtantini nomen cum laude commemorandum eſt, quem Vrbis Romæ Conſeruatorem appellare licet, quod eam à Longobardis grauiſſima obſidione oppreſſam, magnaque rei frumentariæ anguſtia laborantem, larga frumenti copia ex Ægypto tranſmiſſa, à famis ſimul & obſidionis calamitate, paternis ſanctæ memoriæ Benedicti Primi Summi Pontificis cohortationibus liberauit. Hic cum Sanctum Gregorium Magnum adhuc Diaconum diſputantem audiſſet, Eutychij Patriarchæ, veram tractabilemque corporum reſurrectionem negantis, librum ſtatim comburendum in ignem iniecit. Idem ſanctæ Crucis ſignum ita coluit, vt aliquando, cum humi eam in lapide ſculptam vidiſſet, ſtatim tolli, & decenti loco collocari iuſſerit, vt iam minus mirandum ſit, quod magnus Crucis cultor, Crucis imaginem in aureis numnis, eleganter vt videmus, curauerit exprimendam.

Mauritij.

§. 10. Commemorandus eſt etiam iure optimo Mauritius vir fortiſſimus, cuius filium idem Gregorius, cum adhuc Diaconus Conſtantinopoli Apoſtolicum Legatum ageret, ex ſacro baptiſmi fonte leuauit, poſtea vero Pontifex factus, eidem Mauritio locupletiſſimum pietatis teſtimonium præbet, dum illum in ſuis epiſtolis hominem multarum lacrymarum, orationum, ieiuniorum, & eleemoſynarum fuiſſe commemorat, certe de Apoſtolica Sede, & vniuerſa Italia egregie eſt meritus, quod exercitu comparato, Ducibus in Italiam miſſis, Francorum auxiliis aduocatis, omni denique diligentia adhibita, Longobardorum furorem nō mediocriter repreſſerit.

Phocæ.

§. 11. Nec minori dignus eſt præconio Phocas Imperator, qui cum de more conaretur ſe Catholicæ religionis defenſorem perpetuum futurum, ſanctiſſimo iureiurando obſtrinxit, & ſummam ab ipſo Chriſto Domino Romanæ Eccleſiæ traditam auctoritatem & poteſtatem præclare intelligens, publice edixit, vt eamdem Sanctam Romanam Eccleſiam, tanquam omnium Eccleſiarum primam, atque caput omnes & agnoſcerent, & profiterentur.

Heraclij Auguſti.

§. 12. Hunc autem clariſſimum cœtum merito claudit Heraclius Auguſtus, nouiſſimus eorum quos ſupra enumerauimus qui ſacroſanctam Crucem illam ipſam, in qua vitæ auctor pependerat, & mortem moriendo ſuperauerat, decimoquarto anno poſtquam venerat in poteſtatem Perſarum, feliciſſime recipit, eamque ſuis humeris, abiecto Imperatorio amictu, calceiſque detractis, in ipſum Caluariæ Montem, in Paſſionis Chriſti memoriam, mana cum humilitate reportauit.

Hic Pont. hac numiſmata tranſmiſit ad Imperatorem, Reges & Principes, atque Cardinales alioſque præſtantiſſimos viros.

§. 13. Nos igitur aliquam auguſtiſſimæ eorumdem Imperatorum memoriæ gratiam non immerito referre cupientes, Chariſſimis in Chriſto filiis noſtris Romanorum Imperatori electo ac Regibus, & dilectis filiis nobilibus viris Principibus, quos in viſceribus Chriſti gerimus quædam ex ſupradictis aureis numiſmatibus, ſingulare paterni noſtri amoris erga ipſos pignus miſimus, vt ad ſimilem virtutis, & Religionis laudem excitentur, & ſe Eccleſiæ Romanæ filios, Catholicorum Principum ſucceſſores, & Crucis Chriſti defenſores eſſe crebrius reminiſcantur, veteres in hoc quidem Sanctos Pontifices prædeceſſores noſtros, præſertim eundem B. Gregor. Papam imitati, qui Regibus, & Principibus, ac primariis viris, aureas Cruces, & claues paruulas, quæ claues B. Petri dicebantur, mittere conſueuerant, quæque collo appenſæ, & Religioſe geſtatæ miraculis coruſcabant, quædam vero alia ex eiſdem numiſmatibus dedimus venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, reliqua vero eodem modo piis & præſtantibus viris iam diſtribuimus.

Et eodem modo indulgentiis decorat, eas concedendo.

§. 14. Vt autem ab omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus quibus à nobis tradita iam ſunt, deuotius ac religioſius, & cum ſpirituali animarum fructu geſtentur, decreuimus ad ſanctiſſimæ Crucis honorem, & glorioſam memoriam Imperatorum, eadem numiſmata præcipuis gratiis, & indulgentiis ampliſſimis, ex noſtra Apoſtolica benignitate inſignire.

Geſtantibus illa & facitibus hic deſcripta.

§. 15. Quamobrem de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Apoſtolorum eius Petri, & Pauli auctoritate confiſi vniuerſis & ſingulis Chriſtifidelibus vtriuſque ſexus, quodcumque ex his numiſmatibus penes ſe geſtantibus, quoties eorum aliquis ante ſalutiferæ Crucis ſignum, aut ſacram aliquam imaginem pertranſiens, aperto capite venerationem tribuerit, aut genuflexerit, orationem Dominicam, vel ſalutationem Angelicam pronunciando, toties ei centum annos & totidem quadragenas.

Singulis autem diebus, ſi ter orationem Dominicam, ſalutationemque Angelicam, aut ſemel pſalmum, Miſerere mei Deus, ſeu, De profundis clamaui, deuote recitauerit, annos ducentos, ac totidem quadragenas.

Item quoties ad Deum mentem eleuauerit, illiuſque diuinam opem implorauerit, etiam ducentos annos & totidem quadragenas.

Si vero quocumque Dominico, aut feſto die, coronam beatiſſimæ ſemper Virginis Dei genitricis Mariæ, etiam pia deuotione recitauerit, annos trecentos & totidem quadragenas.

Ac ſi conſcientiam ſuam mane aut Veſperi, cum emendationis propoſito examinauerit, ac de male antecta vita veniam ſupplex à Deo miſericordiarū patre poſtulauerit, ſimiliter trecentos annos, & totidem quadragenas de ſibi iniunctis, vel alias quomodolibet per eum debitis pœnitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus.

Atque vt eoſdem fideles ad pietatis opera exercenda, eo etiam magis inuitemus, eorum cuilibet, quoties pro hæreticorum reductione, infidelium conuerſione, Chriſtianæ atque Orthodoxæ fidei propagatione, & ſanctæ matris Eccleſiæ tranquillitate, & exaltatione, ac inter Principes Chriſtianos pace & concordia, Deum precando, orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam quinquies deuote dixerint, eaſdem illas indulgentias ac peccatorum remiſſiones, quæ vnam è ſeptem præcipuis Vrbis Baſilicis, viſitantibus conceſſæ ſunt, concedimus & impartimur.

Quod ſi quis peccatorem à via perditionis, veluti ab hæreſi, blaſphemia, aliiſve eiuſmodi ſceleribus, & peccatis, ad viam ſalutis conuerterit, aut ſi certe in eo laborauerit, aut ſi inter diſcordantes pacem conciliauerit, aut quantum in ſe eſt, procurauerit, concedimus, vt ſanctorum ſacrificiorum, ieiuniorum, orationum, ac quorumuis aliorum piorum operum, quæ in omnibus Ordinibus & Congregationibus regularibus ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ fiunt, non ſecus ac ſi vniuſcuiuſque eatum proprium membrum foret, eo ipſo particeps efficiatur.

Præterea vnicuique vere pœnitenti, qui peccata ſua alicui ex Sacerdotibus idoneis, & ad id approbatis confeſſus fuerit, & ſacram ſumpſerit Euchariſtiam, aut miſſam ſi Sacerdos fuerit, celebrauerit, quoties id fecerit, toties ei plenariam.

Aut ſi in mortis articulo conſtitutus, numiſma collo appenſum, aut quouis modo ſecum habuerit, pronunciato nomine Ieſu, corde ſaltem, ſi ore nequiuerit, etiam plenariam.

Atque itidem militibus, aut aliis, qui aliquod huiuſmodi numiſma ſecum habentes contra infideles vel hæreticos

ticos, aut alios Sanctæ Rom. Eccles. hostes, pugnauerint, præsertimque si ibi eos mori contigerit, Iesu nomine vt supra inuocato, pariter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem, auctoritate prædicta, tenore præsentium, etiam misericorditer in Domino concedimus & elargimur.

Vtque defectus & negligentiæ, animique distractiones, quæ ex humana fragilitate in diuini Officij recitatione, Missarumque celebratione, vel auditione Sacerdotibus, aut Clericis vel laicis contingere solent, aut horum etiam ob iustum impedimentum prætermissio, ex deuota huius numismatis gestatione, Corona tamen Beatæ Mariæ Virginis pie recitata, aut saltem pronunciato Psalmo, Miserere mei Deus, suppleri, & compensari possint, eadem auctoritate concedimus & indulgemus.

Numismata Ecclesiis tantum relinqui possint.

§. 16. Quicumque autem aliquod huiusmodi numisma habuerit, ipsum pro suo arbitrio in testamento, aut alia vltima voluntate, cui voluerit Ecclesiæ, nec vero cuiquam alij, absque speciali nostra aut nostrorum successorum concessione, relinquere aut donare possit.

Quas Ecclesias visitantes indulgentias consequantur.

§. 17. Quam quidem Ecclesiam, in qua fuerit dictum numisma repositum, festis diebus Inuentionis & Exaltationis sanctæ Crucis, vniuersis & singulis Christifidelibus vtriusque sexus vere pœnitentibus, & peccata sua confessis, deuote visitantibus, similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem damus, concedimus, & elargimur.

Numisma intestato decedentis ad propinquiorem Eccles. spectat.

§. 18. Quod si quis numisma habens ab intestato decesserit volumus, vt illud ad propinquiorem eius domicilio Ecclesiam cum eisdem gratiis, facultatibus, & indulgentiis pertineat.

In articulo mortis constitutis accommodari.

§. 19. Cuicumque nihilominus in articulo mortis constituto de consilio eius Confessarij ipsum numisma liceat commodare, qui itidem omnes supradictas indulgentias & peccatorum remissiones valeat obtinere.

Animabus quoque Purgatorij prosit, impletis hic enarratis.

§. 20. Postremo vt animabus quoque Christifidelium in Purgatorio existentibus, quæ per charitatem Domino Nostro IESV CHRISTO vnitæ ex hac vita migrauerint, quæque antequam decederent aliorum Christifidelium suffragiis iuuari meruerint, de cœlestibus Ecclesiæ thesauris, quorum dispensatores à Domino ad animarum salutem constituti sumus, paterne subueniamus, diuina miseratione confisi, concedimus, vt quoties quilibet aliquod ex huiusmodi numismatibus, secum habens, pro dictarum animarum salute, præmissa, eorumve aliqua adimpleuerit, vel quicumque alius Ecclesias, in quibus eadem numismata reponi contigerit, dictis festis diebus Inuentionis & Exaltationis Sanctæ Crucis visitauerit, ipsæ animæ, pro quibus id fecerit, efficacissimis IESV CHRISTI Domini Nostri meritis, ac eiusdem Beatæ Mariæ semper Virginis, Sanctorum Angelorum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, omniumque Sanctorum & Sanctarum precibus & intercessionibus suffragantibus, easdem indulgentias, & peccatorum remissiones consequantur,

Clausula huius elargitionis præseruatiua.

§. 21. Præsentes vero literas, sub quibusuis similium vel dissimilium indulgentiarum, & gratiarum reuocationibus, suspensionibus, abrogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per nos vel successores nostros Romanos Pontifices, etiam Motu proprio & ex certa scientia, ac in fauorem Cruciatæ sanctæ, vel alias quomodolibet faciendis minime comprehendi, sed quoties illæ emanabunt, toties easdem præsentes ab illis exceptas, & nisi de eis expressa, & indiuidua mentio fiat, aduersus illas in pristinum & validissimum statum restitutas, ac de nouo concessas esse, & censeri, & perpetuo validas & efficaces fore, ac supradictis personis & Ecclesiis, perpetuis futuris temporibus suffragari debere decernimus, & declaramus.

Clausula derogat.

§. 22. Non obstantibus nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ac aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§. 23. Volumus autem, vt præsentium literarum exemplis etiam impressis, manu alicuius notarij publici subscriptis, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo obsignatis, eadem prorsus fides vbique gentium & locorum adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, Kalend. Decembris, Pontificatus nostri anno tertio. *D. P. An. 3. 1. Decemb.*

Institutio quindecim Congregationum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, cum iurisdictionum & facultatum partita concessione, ad faciliorem vniuersæ Reipublicæ Christianæ, Statusque Ecclesiastici, & Romanæ Curiæ negotiorum, & causarum expeditionem. LXXIV.

Ad hæc videnda sunt, quæ sigillatim, ad vnamquamque rubricam Congregationis, adnotabo.

Aliæ à Clem. VIII. superadditæ sunt Congregationes Cardinalium, quarum altera est super Bono regimine Communitatum Status Ecclesiastici, in sua constitut. 10. *Pro commissa.* Alia vero est super Baronibus dicti Status, in constitut. 41. *Iustitiæ.* Altera autem super bannitis in constitut. 15. *In regendis.*

SIXTVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1588.*

Proœmium.

IMmensa æterni Dei omnium opifex sapientia à fine vsque ad finem fortiter attingens, sic cuncta inter se admirabili concordiæ nexu copulauit, suauiterque disposuit, vt vicissim ad suorum se munerum functiones exercendas mutuis auxiliis sublenarent. Ipsa in cœlesti Hierusalem varios beatorum spirituum ordines distinxit, quorum superiores de diuinæ prouidentiæ rebus inferiores illuminarent. Ipsa militantis Ecclesiæ, quæ triumphantis illius imago est, corpus variis membris discreuit, quæ capiti suo glutino charitatis compacta, & connexa, mutuo se adiuuarent, ex quo totius corporis salus & conseruatio existeret.

Causa huius instit.

§. 1. Quare iure optimo Romanus Pontifex, quem Christus Dominus corporis sui, quod est Ecclesia, visibile caput constituit, omniumque Ecclesiarum solicitudinem gerere voluit, multos sibi tam immensi oneris adiutores aduocat, atque adsciscit, cum venerabiles Episcopos fratres suos, quos toto terrarum orbe ad singulos greges pascendos mittit, tum amplissimum ordinem S. R. E. Cardinalium, qui tanquam nobilissima membra capiti propius cohærentia, eidem Summo Pontifici, sicut Christo Domino Apostoli, semper assistunt, quique primi laborum & consiliorum socij sunt, & participes, vt partita inter eos, aliosque Romanæ Curiæ Magistratus, ingenti curarum negotiorumque mole, ipse tantæ potestatis clauum tenens, diuina gratia adiutrice, non succumbat.

Institutio quindecim Congregationum de qua in rub.

§. 2. Nos igitur magni illius Moysi exemplo adducti, qui cum Deo loquens soceri sui Iethro consilium de variis iudicibus constituendis non repudiauit, quique Dei iussu insignem Senatum septuaginta seniorum conscripsit, qui cum eo onus populi sustinerent, ne solus ipse grauaretur; Pontificium hoc onus angelicis plane humeris formidandum, inter Senatores orbis terræ fratres nostros Cardinales apta quadam distributione pro temporum conditione, negotiorum multitudine, & varietate, ipsaque vtilitatis ratione salubriter partiri decreuimus, Ea in primis cogitatione permoti, vt qui ex omnibus nationibus ad hanc matrem, magistram, perfugiumque fidelium Apostolicam Sedem, deuotionis, salutisque studio, iuris persequendi, gratiæ impetrandæ, aliasve multiplices ob causas frequentissimi confugiunt, ij quidem, & tuto & commode (quantum in Prouinciis nostris præstare possumus) Romam perueniant: & vt facilius celeriusque expediantur, distinctos Cardinalium conuentus, & Congregationes ad certas rerum, negotiorumque tractationes paratas habeant,

Cardinales

Digitized by Google

Cardinalesque ipsi distributi muneris partem leuius ferant, diligentius administrent, commodius nos consulant, & denique viri primarij publicis in rebus exercitati, nullo vmquam tempore desint. Itaque Motu proprio, & ex certa scientia, ac de eorumdem fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu, ex eodem sacro Collegio, quod per Dei gratiam viris pietate, doctrina rerumque vsu præstantibus, ex omni natione abundat, Congregationes quindecim constituimus, singulisque certa negotia assignauimus, ita vt grauiores, difficilioresque consultationes ad nos referant, ac vnicuique earum suas facultates, & auctoritatem in eum modum, qui infra descriptus est, dedimus atque attribuimus.

Congregatio prima, pro Sancta Inquisitione.

Ista Congregatio iam diu instituta fuit, eique amplam auctoritatem dedit Paulus III. vt sup. in eius constit. 34. *Licet ab.* ac Pius IV. constit. 79. *Cum nos.* ac Pius V. const. 21. *Sanctissimus.* & const. 22. *Inter.* & const. seq. *Cum felicis.* Et insuper videnda est inf. constit. 76. Clem. VIII. *Sanctissimus.*

Confirmatio huius Congregationis iam institutæ.

§. 1. IN primis igitur, quoniam fides, sine qua impossibile est placere Deo, totius spiritualis ædificationis fundamentum est, cupientes hoc pretiosum depositum, quod nobis potissimum à Christo Domino in beato Petro Apostolo est creditum, aduersus omnes inferorum portas integrum inuiolatumque custodire, Congregationem sanctæ Inquisitionis hæreticæ prauitatis magna prædecessorum prouidentia, tanquam firmissimum Catholicæ fidei propugnaculum in Vrbe institutum, cui ob summam rei grauitatem, Romanus Pontifex præsidere solet: nos quoque confirmamus & corroboramus, illiusque omnia instituta, omnesque & singulas facultates à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris Cardinalibus ad eam Congregationem pro tempore delectis concessas, omnemque auctoritatem & potestatem eis communicatam, scilicet inquirendi, citandi, procedendi, sententiandi, & definiendi in omnibus causis, tam hæresim manifestam quam schismata, Apostasiam à fide, magiam, sortilegia, diuinationes, sacramentorum abusus, & quæcumque alia, quæ etiam præsumptam hæresim sapere videntur, concernentibus, non solum in Vrbe, & Statu temporali, nobis & huic sanctæ Sedi subiecto, sed etiam in vniuerso terrarum Orbe, vbi Christiana viget Religio, super omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & alios inferiores, ac Inquisitores, quocumque priuilegio illi suffulti sint, quorum, ac aliorum prædictorum series his nostris literis ad verbum expressa censeatur; confirmamus.

Eiusque facultatum.

§. 2. Ea denique omnia, quæ veluti per eosdem prædecessores circa eamdem Congregationem, illiusque iurisdictionem & auctoritatem decreta fuerunt, nos itidem statuimus atque decernimus.

Et indultorum huius officii Ministrorum

§. 3. Exemptiones quoque immunitates, priuilegia, atque indulta etiam eiusdem officij ministris, vel in hunc vsque diem concessa, vsuque recepta, pariter approbamus.

Hortatio ad Principes, & alios, vt ei faueant, &c.

§. 4. Obnixe in Domino hortantes, & per viscera misericordiæ IESV CHRISTI & per eius tremendum Iudicium obtestantes charissimos in Christo filios nostros in Imperatorem electum, omnesque Reges, ac dilectos filios nobiles viros Rerum publicarum, aliosque Duces, illisque regendis, & administrandis præpositos, ac singulos Orbis Terrarum Principes, & Magistratus, quibus gladij sæcularis potestas ad malorum vindictam à Deo est tradita, per eam ipsam quam se tueri promiserunt Catholicam fidem, vt sic suas quisque partes, siue in præstando ministris prædictis auxilio, siue in criminum post Ecclesiæ sententiam animaduersione interponat, quod eos pro eorum pietate libenter facturos confidimus, vt eorum quoque præsidio Ministri ipsi tantum muuus, tamque salutiferum, pro Regis æterni gloria, ac Religionis incremento feliciter exequantur, cuius pij, Christianique obsequij Principes ipsi & Magistratus amplissimum à Domino præmium recepturi sunt in æternæ beatitudinis consortio Catholicæ fidei assertoribus, & defensoribus præparatum.

Sed ex hoc nihil innouatur de officio Inquisitionis Hispaniæ.

§. 5. In his autem omnibus nostra est intentio, ne in officio sanctæ Inquisitionis, in Regnis & Dominiis Hispaniarum, Sedis Apostolicæ auctoritate Superioribus temporibus instituto, ex quo vberes in agro Domini fructus in dies prodire conspicimus, nobis, aut successoribus nostris inconsultis aliquid innouetur.

Omittuntur hic nomina Cardinalium nunc deputatorum huic Congregationi, & aliis sequentibus, quoniam ob eorum obitum, alij subrogati sunt, & frequenter eiusmodi mutatio contingit.

Congregatio secunda, pro Signatura Gratiæ.

Ad Signaturam Gratiæ, videri potest constitut. Pij IV. num. 59. *Cum nuper.* & const. 63. *In eligendis.* & nouissime editam Reformationem Pauli V. in const. 71. §. 1.

Causa huius instit.

ET quoniam ad eam, quæ Signaturæ Gratiæ appellatur, & in qua nos etiam prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum more præsidemus, ex diuersis Orbis terrarum partibus, ob multiplices gratias obtinendas, magni concursus fiunt, suppliceſque libelli referuntur, vt quæ ex iudicum ordinaria facultate expediri nequeunt, potestate principis, qui viua est lex, iustis de causis explicentur, & concedantur, sane pro loci dignitate, & rerum ratione, magna circumspectio adhibenda est, vt, & honestæ supplicationes, quantum cum Domino licet, exaudiantur, & multorum petentium importunitas coerceatur.

Institutio Congregationis & explicatio muneris Cardd.

§. 1. Quamobrem Cardinales infrascriptos Signaturæ nostræ gratiæ adscribimus, ad hoc, vt omnes Signaturam nostram quauis de causa adeuntes, benigne audiant porrectasque oblatarum petitionum informationes excipiant, nobis vero, aut successoribus nostris, dum supplices libelli referuntur, assistant, opportunumque consilium afferant, omnique deposito humano affectu, sincere suam quisque sententiam, etiam non rogatus ex conscientia dicat.

Declaratio circa Cardinales supra munerib. aliorum deputatorum.

§. 2. Declaramus autem in dictam Congregationem semper eos Cardinales adscriptos esse, qui infrascriptis muneribus & officiis præfecti erunt, videlicet, Maior Pœnitentiarius, Præfectus Signaturæ Gratiæ, Præfectus Signaturæ Breuium, Præfectus Signaturæ Iustitiæ, & qui Datarij munere fungetur, si Cardinalis fuerit, qui simul atque eas præfecturas, & officia adepti erunt, statim in ipsam Signaturam ad numerati censeantur.

Congregatio tertia, pro erectione Ecclesiarum, & prouisionibus Consistorialibus.

Ad hæc vide etiam inf. in const. 10. Gregorij XIV. *Onus.* vbi etiam notabo in rubrica.

Causa huius instit.

ILla præterea cura ad pastoralis nostri officij sollicitudinem, & Ecclesiæ vniuersalis gubernationem maxime pertinet, vt ad fidelium populorum vtilitatem, Ecclesiis iam erectis, aut in posterum iustis de causis erigendis, de Episcopis & pastoribus idoneis, & fidelibus ac fructuosis, in vineam magni patrisfamilias operariis salubriter in Domino prouideamus.

Institutio tertiæ Congregationis, & explicatio muneris Cardd.

§. 1. Quare aliam constituimus Cardinalium Congregationem, qui in primis cognoscant de legitimis causis erectionum nouarum Ecclesiarum quarumcumque, Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium, ac de cuiusque earum dote, Capitulo, Clero, Populo, & aliis, quæ ad eiusmodi erectiones, iuxta præscriptum sacri Concilij Tridentini, & sanctorum patrum decreta, necessaria erunt. Examinent præterea omnes difficultates de his incidentes, controuersias quoque inter eas, quæ iam erectæ sunt, necnon dictarum Ecclesiarum, Diœcesum, vel Monasteriorum vniones, diſmem-

Digitized by Google

dismembrationes, cessiones, permutationes, translationes, pensionum super illarum redditibus, assignationes, Monasteriorum pluralitatem, dignitatum incompatibilitatem, præsentationes, & nominationes, electionum, siue postulationum confirmationes, seu admissiones, suffraganeorum, coadiutorumque deputationes, cum futura successione, siue absque eadem successione, curamque adhibebunt solertem circa ætatem & qualitatem promouendorum, eaque discussa, & examinata, ad nos, successoresque nostros referant, vt pro nostro, eorumve arbitrio, in Consistorio secreto iuxta formam in hunc vsque diem seruatam proponantur.

Congregatio quarta, pro vbertate Annonæ Status Ecclesiastici.

Huic annonæ præficitur à Summo Pontifice vnus ex Clericis Reu. Cameræ Apostolicæ, vt videre est sup. in const. 35. Gregorij XIII. *Inter ceteras*. Et pro eius præsidio hic Pontifex scuta ducentum millia tribuit infra in const. 78. *Abundantes*. Aliam Prælatorum Congregationem subordinauit Paulus V. in sua constit. 70. *Pastoralis*, vbi alia notabo.

Causa huius instit.

CVmque ad prouidentiam nostram pertineat curare, vt populi Ecclesiasticæ ditioni subiecti, non solum pane verbi Dei reficiantur, sed hoc quoque terreno, quem etiam cum illo à Patre cœlesti nobis dari quotidie petimus, abundent, pauperes præsertim & egeni, quibus parentis loco sumus, idcirco vt in omnibus Prouinciis nostris, & in hac potissimum Alma Vrbe, ad quam tanta hominum frequentia vndique confluit, res frumentaria bene curata sit, & Annonæ publicæ copia benedicente Domino semper suppetat.

Institutio Cong. & facultates Cardd. deputatorum.

§. 1. Congregationem Cardinalium constituimus, quæ omni studio curet, non solum in Vrbe, sed in vniuerso Statu Ecclesiastico temporali copiam haberi frumenti, atque aliarum huius generis frugum, quibus ad vitam humanam sustentandam indigemus, quæ si peccatis populi id promerentibus ob terræ sterilitatē in ditione Ecclesiast. aliquando, quod Deus auertat, deerunt, aliunde commeatum pro locorum opportunitate, conuehi, comportarique studeat, ciuitatibus, oppidis, locis, personis quibuscumque quauis etiam Ecclesiast. atque Cardinalatus dignitate fulgentibus, ea omnia, quæ ad abundantiam parandam, atque conseruandam erunt opportuna, præcipiat. Commissarios vbique locorum, prout exegerit necessitas, aut suaserit vtilitas, deputet, contra impedientes aut negligentes, siue Annonam extrahi vel abduci, per se ipsos, aut per alios palam vel occulte procurantes, procedat, aliaque faciat, quæ ad Annonæ vbertatem omnino pertinere videbuntur.

Quæ hic dicuntur de cõseruatione præsidij vide latius in cõst. 78. huius Papæ cit in rubr.

§. 2. Præcipuam vero curam, & diligentiam adhibeat, vt pecuniæ summa, scutorum scilicet ducentorum millium à nobis, tam salubri ac necessario operi pauperum in primis causa paterne assignata atque attributa, nec in alium vsum conuertatur, & integra conseruetur, quod si in charitate Annonæ aliquid ex dicta summa decesserit, illius recuperandæ, ac reintegrandæ ratio quamprimum tucatur, vt hoc publicum præsidium & tanquam patrimonium pauperum, eorumdem Cardinalium prudentia, & sedulitate perpetuo asseruetur, & prout in alia constitutione super hoc à nobis edita latius explicatur.

Congregatio quinta, pro Sacris Ritibus & Cæremoniis.

Causa huius instit.

IAm vero, cum sacri ritus & Cæremoniæ, quibus Ecclesia à Spiritu sancto edocta ex Apostolica traditione, & disciplina vtitur, in Sacramentorum administratione, diuinis officiis, omnique Dei, & Sanctorum veneratione magnam Christiani populi eruditionem, veræque fidei protestationem contineant, rerum sacrarum maiestatem commendent, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant, & deuotionis etiam igne inflamment, cupientes filiorum Ecclesiæ pietatem & diuinum cultum sacris ritibus, & cæremoniis conseruandis, instaurandisque magis augere.

Institutio Cong. 5. cum facultatibus Card.

§. 1. Quinque itidem Cardinales delegimus, quibus hæc præcipue cura incumbere debeat, vt veteres ritus sacri vbiuis locorum, in omnibus Vrbis, Orbisque Ecclesiis, etiam in Capella nostra Pontificia, in Missis, diuinis officiis, sacramentorum administratione, ceterisque ad diuinum cultum pertinentibus, à quibusuis personis diligenter obseruentur, cæremoniæ si exoleuerint, restituantur, si deprauatæ fuerint, reformentur, libros de sacris ritibus, & cæremoniis, in primis Pontificale, Rituale, Cæremoniale, prout opus fuerit, reforment, & emendent, officia diuina de Sanctis patronis examinent & nobis prius consultis, concedant. Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum canonizationem, festorumque dierum celebritatem, vt omnia rite, & recte, & ex Patrum traditione fiant, & vt Reges & Principes, eorumque Oratores, aliæque personæ, etiam Ecclesiasticæ, ad Vrbem, Curiamque Romanam venientes, pro Sedis Apostolicæ dignitate ac benignitate honorifice more maiorum excipiantur cogitationem suscipiant, seduloque prouideant. Controuersias de præcedentia in processionibus, aut alibi, ceteraque in huiusmodi sacris ritibus & & cæremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent & componant.

Congregatio sexta, pro Classe paranda & seruanda, ad Status Ecclesiastici defensionem.

Subsidium annuum scutorum ducentum millium & quingentorum parauit & dedit hic Pontifex pro manutentione parata Classis decem triremium, sed eius bullam tanquam minus necessariam duxi prætermittendam.

Causa huius instit.

PRæterea posteaquam Dei benignitate, nec sine magno nostro labore & sumptu, perditorum hominum licentia compressa, publica tranquillitas in locis mediterraneis restituta est, vt iam vnicuique absque timore vllo sub vite sua, & sub ficu sua quiescere liceat, cupientes vt littora quoque, & oræ maritimæ ditioni nostræ, superi inferique maris, à piratis ac prædonibus, quantum fieri potest, tutæ sint, nedum ad nostrorum subiectorum securitatem, verum vt exteræ quoque nationes hanc fidei petram communemque fidelium matrem secure, pro eo quod in nobis est, accedant, ne à piratis in miseram seruitutem, quod alias persæpe accidit, abducantur.

Institutio Congregationis 6. & explicatio muneris Cardd.

§. 1. Ob eas causas Cardinales quinque præficimus triremibus numero decem parandis, ædificandis, ornandis, omnique necessario nautico & militari apparatu instruendis, curaque diligentissima conseruandis quarum ope, & præsidio, Deo adiutore, piratæ, & prædones coerceantur, & à nostris littoribus longe repellantur, quare & earum triremium idoneos Duces ac Præfectos, nobis tamen & pro tempore Rom. Pont. consultis, deligant, & cetera omnia ad ea quæ diximus celeriter vtiliterque efficienda, pro ipsorum prudentia & sedulitate disponant. Deinde operam adhibeant, vt subsidium pecuniarum quodcumque ab iis, qui nostro mandato huic tam necessario operi contribuere tenentur, fideliter, integre, matureque exigatur, exactum vero ac receptum ad supradicta tantummodo opera perficienda ex voluntatis nostræ præscripto fructuose impendatur. Illud autem Cardinales ipsos magnopere admonemus, curent diligenter, vt in his triremibus Apostolicis, nautæ omnes & milites, non solum ex nautica militarique, sed multo magis ex Christiana disciplina, pie & modeste viuant. Quare viros religiosos, animarum corporumque curatores deligant, qui valentes ad pietatem instruant, ægrotos multæ charitatis affectu, quoui necessario adiumenti genere, spirituali in primis recreent atque reficiant. Denique omni loco à Præfectis, militibus, nautis, ea pie viuendi ratio, & institutio obseruetur, vt vere illos Christianos ac Pontificios esse omnes agnoscant.

Congregatio

Digitized by Google

Congregatio septima, pro Indice librorum prohibitorum.

Ista Congregatio perfecit Indicem librorum huiusmodi alias à Pio IV. approbatum, vt videre est in Clem. VIII. const. 36. Sacrosanctum, *vbi de eius facultatibus etiam notabo.*

Causa huius instit.

QVia vero hæresis morbus animę pernicioſiſſimus vt cancer ſerpit, & filij tenebrarum arcem Catholicæ veritatis omni machinationis genere oppugnant, libris præſertim hæreſis veneno infectis promulgandis, aliiſque noxia doctrina aſpergendis, corrumpendiſque poſtulat à nobis paſtoralis officij ſolicitudo, vt vulpes doloſas, & lupos rapaces ab ouili Chriſti omni vigilantia arceamus.

Institutio Congregationis 7. & explicatio numeris Cardinalium.

§. 1. Quare vt Cardinales, qui ad libros prohibendos, expurgandoſve delecti ſunt, in ea cura diligenter, ac maiori cum fructu verſentur, has illis facultates tribuimus, vt librorum eiuſmodi catalogos, & indices, aut olim, aut proxime confectos, eorumque regulas editas recognoſcant, atque examinent, eorum auctorum libros prohibitos, aut quouis modo in prioribus indicibus ſuſpenſos diligenter excutiant, & provt expedire iudicauerint, permittant libros, qui poſt indicem Tridentini Concilij iuſſu editum prodierunt, Catholicæ doctrinæ, chriſtianorumque morum diſciplinæ repugnantes, expendant & recognoſcant, ac vbi nobis retulerint, noſtra auctoritate reiiciant, hominum vero iniuria & dolo deprauatos emendent, eos libros, qui paucis erroribus reiectis, alioquin vtiles ſtudioſis eſſe poſſent, expurgandi, atque corrigendi modum ineant, indiceſque expurgatorios conficiant, nouos præterea libros approbandi, & imprimendi rationem præſcribant. Vniuerſitatum Pariſien. Bononien. Salamantin. Louanien. aliarumque probatarum ſtudia, ad librorum expurgationem & correctionem excitent, earumque diligentem operam & induſtriam requirant. Permittimus quoque eidem Congregationi, vt Theologis, Canoniſtis, aliiſque peritis viris, piis atque idoneis, etiam aliunde accerſitis, ad hoc omne negotium Reipublicæ Chriſtianæ, tam in his temporibus neceſſarium adhibitis, eam ob rem tantum, nec vero aliis, libros vetitos tenendi legendique etiam abſque noſtra licentia impertiatur facultatem.

Congregatio octaua; pro executione, & interpretatione Concilij Tridentini.

Huius Concilij indictionem, proſecutionem, & approbationem & huius Congregationis inſtitutionem vide ſup. in Pij IV. conſt. 23. Ad Eccleſiæ. *& conſt. 83.* Alias nos.

Causa huius inſtit.

DEo autem Patri miſericordiarum gratias agentes, qui in Oecumenico Concilio Tridentino Spiritus ſancti lumine diffuſo, catholicam veritatem omnibus patefecit, hæreſes noſtrorum temporum confutauit, mores & diſciplinam reſtituit, eiuſdemque Concilij decreta, ab omnibus obſeruari volentes, cum ad ſingularem Romani Pontificis auctoritatem tantummodo ſpectet Generalia Concilia indicere, confirmare, interpretari, & vt vbique locorum ſeruentur, curare ac præcipere.

Explicatio numeris cardinalium.

§. 1. Eorum quidem decretorum, quæ ad fidei dogmata pertinent, interpretationem nobis ipſis reſeruamus, Cardinalibus vero præfectis interpretationi, & executioni Concilij Tridentini, ſi quando in his quæ de morum reformatione, diſciplina, ac moderatione, & Eccleſiaſticis iudiciis, aliiſque huiuſmodi ſtatuta ſunt, dubietas aut difficultas emerſerint, interpretandi facultatem, nobis tamen conſultis, impartimur. Et quoniam eodem Concilio Tridentino decretum eſt, Synodos Prouinciales tertio quoque anno, diœceſanas ſingulis annis celebrari debere, id in executionis vſum ab iis quorum intereſt, induci eadem Congregatio prouidebit. Prouincialium vero, vbiuis terrarum illæ celebrentur, decreta ad ſe mitti præcipiet, eaque ſingula expendet & recognoſcet. Patriarcharum præterea, Primatum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, (quibus beatorum Apoſtolorum limina certo conſtituto tempore viſitare alia noſtra ſanctione iuſſum eſt) poſtulata audiat, & quæ Congregatio ipſa per ſe poterit, ex charitatis & iuſtitiæ norma expediat, maiora ad nos referat, qui fratribus noſtris Epiſcopis, quantum cum Domino licet, gratificari cupimus. Item ab iiſdem Præſulibus Eccleſiarum expoſcat, quæ in Eccleſiis eorum curæ, ac fidei commiſſis, Cleri, Populique morum diſciplina ſit, quæ Concilij Tridentini decretorum, cum in omnibus, tum præſertim in reſidentiæ munere, executio, quæ item piæ conſuetudines, & qui omnium denique in via Domini ſint progreſſus, ipſiſque det literas ex formula præſcripta in teſtimonium oſitæ per eos viſitationis liminum Sanctorum eorumdem Apoſtolorum. Habeat itidem Congregatio auctoritatem promouendi reformationem Cleri & Populi, nedum in Vrbe, & Statu Eccleſiaſtico temporali, ſed etiam in vniuerſo Chriſtiano Orbe, in iis quæ pertinent ad diuinum cultum propagandum, deuotionem excitandam, & mores Chriſtiani populi ad præſcriptum eiuſdem Concilij componendos, atque ad rationes difficillimis his, perturbatiſque temporibus neceſſarias conformandos, quo vt erius diuinæ miſericordiæ vim in nobis ſentiamus, iuſtamque iram, atque animadverſionem effugiamus.

iſta conſtitutio de viſitandis liminibus Apoſt. habetur ſup.

Congregatio nona, pro Status Eccleſiaſtici Grauaminibus ſubleuandis.

Cauſa huius inſtit.

NEc vero paternus noſter affectus, quem erga populos nobis & huic ſanctæ Sedi ſubiectos, tamquam erga peculiares filios gerimus; eo contentus eſt, quod Deo auctore, noſtraque ſolicitudine publica pace, & tranquillitate perfruuntur, quodque de eorum vtilitate & quiete multis aliis modis præſtanda & augenda aſſidue cogitamus, ſed eos etiam ab exactionum oneribus ob temporum interdum difficultates; variaſque publici boni rationes à prædeceſſoribus noſtris impoſitis, magnopere, quantum fieri poterit, cupimus ſubleuare.

Inſtitutio congregationis 9. cum eius facultatibus.

§. 1. Quocirca nouam inſtituimus Cardinalium Congregationem, vt quæcumque grauamina vectigalium, pedagiorum & tributorum cuiuſcumque generis illa ſint, eorumque exigendi rationes, Quæſtorum iniurias, ſiquas adeſſe compererint, Commiſſariorum extorſiones, iudicij forma plane poſtpoſita, mature audiat & cognoſcat, atque ſi fieri poſſe videbitur, controuerſias moderetur & componat, quod ſi rationibus hinc inde allatis accurate expenſis, res tranſigi nequiuerit, eam totam ad nos deferat, vt quod æquum & pium erit, eius Congregationis conſilio prudenter definire valeamus, cauſas vero in quibus iudicialis ordo requiritur, propriis iudicibus de iure decidendas relinquat. Qui autem à iudicibus ſenſerint ſe grauatos, ad Tribunalia, quæ his ſunt ex antiqua inſtitutione præpoſita, ac ad alia, vt moris eſt, iuris remedia confugiant.

Congregatio decima, pro Vniuerſitate Studij Romani.

De iſtius Romani Studij erectione, eiuſque indultis & regimine notaui ſup. in Bonif. VIII. conſt. 9. In ſupremæ.

Cauſa huius inſtit.

ILlud etiam cogitantes, quod literarum cognitio, liberalesque doctrinæ & diſciplinæ, quibus iuuentus in publicis Gymnaſiis inſtruitur & eruditur magnam Chriſtianæ Reip. ſi cum pietate coniungantur, afferunt vtilitatem: tunc enim Ciuitates & Regna optime adminiſtrantur, cum ſapientes atque intelligentes gubernacula poſſident, ob eam ſane cauſam Romani Gymnaſij ciuſque vniuerſitatis ornandæ & amplificandæ curam merito gerimus, vnde & ipſam vniuerſitatem ab ære alieno viginti duorum millium ſcutorum & aliis pluribus oneribus ſubleuauimus, ac plane liberauimus.

Inſtitutio Congregationis 10. & explicatio facultatis Cardd.

§. 1. Itaque vt illius rationibus quamoptime proſpiciamus, Cardinales quinque eidem Gymnaſio, & vniuerſitati, illiuſque reformationi præficimus, quibus

Digitized by Google

facultatem concedimus, vt cum opus fuerit, præclaros Theologiæ Magistros, Iurisconsultos egregios, & liberalium artium professores eximios vndecumque ad iuuentutem erudiendam euocent, qui morum integritate, eruditione, atque elegantia literarum non minus præstent, quam peritia, vtuque docendi, assiduisque prælectionibus iuuenes instruant, vtque singulis scientiarum Magistris pro meritorum ratione, re tamen nobiscum, aut cum successoribus nostris participata, stipendium constituant. Insuper, cum in hac Alma Vrbe nostra, singulari Dei beneficio inter alias discentium scholas Græcorum, Maronitarum, & Neophytorum, ingenti Pontificum liberalitate, atque munificentia, erecta sint Collegia, congruisque redditibus dotata, in quibus sacra Theologia, liberalesque artes Hebraice, Græce, Arabice, & Chaldaice edocentur, eisdem Cardinalibus iniungimus, vt horum Collegiorum Alumnos ad literarum studia ardentiori animo complectenda, quod ad fidei Catholicæ propagationem, & literarum ornamentum, & ingenia excolenda maxime pertinet, opportune pro eorum pietate & prudentia, omni adhibito studio, excitari curent. Denique cum in præcipuis Christiani Orbis partibus sancta hæc Apostolica Sedes, vt pia mater, insignes quasdam Vniuersitates, in quibus sacratum literarum, legum, & artium præstantissima studia florent, olim in tutelam, & clientelam receperit suam, nimirum Parisiensem, Oxoniensem, Bononiensem, Salamantinam, vt in eis scilicet ex Apostolicæ Sedis protectione bonarum artium studia, tanto maiori cum fructu excolerentur, nos & illas ipsas, & ceteras Catholicas Vniuersitates paterna beneuolentia complectentes, nec ipsam Oxoniensem, quantum in nobis est, deserentes, sed ex intimo animi affectu ad matris gremium, & ad viam salutis reuocantes, omnesque intimo cordis affectu, & summa beneuolentia prosequentes, ac sub nostra & beati Petri Apostolorum Principis protectione iterum susciptentes, eidem Congregationi imponimus, vt earumdem Vniuersitatum, atque ad eas pertinentium negotiorum apud Sedem Apostolicam curam gerat, illarumque necessitates, nobis successoribusque nostris ordine exponat, vt eis ex paterna charitate opem & auxilium afferre valeamus, easque interdum per literas visitet, nostroque nomine Catholicis viris Apostolicam benedictionem impertiatur, illisque vt prospera cuncta eueniant, aliis vero spiritum consilij sanioris, à Deo Optimo Maximo deprecetur.

Congregatio vndecima, pro Consultationibus Regularium.

Causa huius instit.

NEc sane minus de Regularium Ordinibus soliciti sumus, qui Ecclesiæ Dei magnum adiumentum atque ornamentum omni tempore præstiterunt, imo vero summopere cupientes, eorum salutaria studia, progressusque ad pietatem promouere, qui è fluctibus sæculi in portum regularis vitæ confugerunt, ob eam causam vt remotis impedimentis, & inanibus contentionibus amputatis, sub suaui Religionis iugo, & suorum institutorum obseruantia quiete viuant, gratumque Altissimo famulatum exhibeant.

Institutio Congregationis 11. cum facultatibus Cardd.

§. 1. Quinque alios Cardinales delegimus, quibus facultatem concedimus, vt Regularium, Claustralium, Mendicantium non Mendicantium, Hospitalariorum, & Militarium, possidentium & non possidentium, cuiusuis demum Ordinis sint, controuersiis, dubitationibus, consultationibusque propositis respondeant. Causas vero quas inter ipsos religiosos oriri contigerit, iuxta quarumcumque Religionum instituta, eorumque dispositionem, superiores illorum definiant atque terminent. Dum autem inter Episcopos & Regulares dubitationes inciderint, quæ sub decretorum Concilij Tridentini dispositione aut interpretatione comprehendantur, eas ad eamdem Congregationem Concilij remittant. Audiant itidem ac decidant prædicti Cardinales causas & controuersias inter prædictos Ordines vertentes, siue in vniuersum siue ratione particularium locorum, dummodo formam iudiciariam non requirant. Concedimus etiam, vt dictis Regularibus, non ad laxiorem, nec ad parem, sed ad arctiorem religionem transeundi, iis quos feruore spiritus incensos ad perfectionis vitæ statum transire velle constiterit, non obstantibus quibuscumque prædecessorum nostrorum decretis, licentiam dare possint. Apostatarum quoque eiectorum, & præterea extra Monasteria degentium aut vagantium causam iidem Cardinales audiant & cognoscant, eosque coërcendi potestatem habeant. Curent præterea visitationis Apostolicæ iussa, & constitutiones editas à Romanis Pontificibus circa ipsos Regulares exequendas, & in vsum introducendas. Prouideant insuper Regulares laudatæ vitæ, zelo Dei, & salutis animarum, & prudentia spiritus præditos, institutorumque Regularium Ordinis, & laudabilium consuetudinum peritissimos, qui, cum necessitas exegerit, Prouincias sui Ordinis, & non alterius, receptis à nobis literis ad Omnipotentis Dei laudem, & locorum vtilitatem salubriter visitare valeant. Sub nomine autem Regularium etiam Moniales cuiusuis sint regulæ, & obseruantiæ comprehendi volumus. Omne denique studium Cardinales ipsi impendant, vt ab inferioribus erga superiores debita humilitas & obedientia, ac vicissim à superioribus erga illos paterna beneuolentia in multa charitate & disciplina, in spiritu lenitatis adhibeatur, neve dominentur inter fratres, sed Superiores ipsi Patres se esse meminerint. Postremo eosdem Cardinales quasi Religiosorum omnium tutissimum perfugium esse volumus, vt eorum auctoritate & auxilio recreati, studium religiosæ vitæ, & regularis perfectionis sine impedimento strenue percurrant.

Congregatio duodecima, pro Consultationibus Episcoporum, & aliorum Prælatorum.

Causa huius instit.

ET nos quidem ex Apostolicæ seruitutis officio, omnibus Christifidelibus ad ædificationem debitores sumus, sed tamen præcipuo charitatis affectu, in Christo complectimur venerabiles Patres nostros Ecclesiarum Præsules & Pastores, qui ex præcepto Apostoli vigilant; in omnibus laborant, ministeriumque suum implent.

Institutio congregationis 12. & explicatio muneris eius Cardd.

§. 1. Quare vt ab Apostolica Sede, à qua, tamquam à matre honorem & iurisdictionem acceperunt, sibi, cum opus erit, auxilium, præsidiumque paratum esse intelligant, vt greges suos tanto fructuosius pascant, quinque itidem Cardinales præponimus Episcoporum & aliorum Prælatorum consultationibus audiendis. Quorum erit facultas, vt Patriarcharum, Primatum Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorum, & Ordinariorum quorumcumque etiam inferiorum, non tamen regularium, petitiones audiant, propositisque difficultatibus, quæstionibus, ac controuersiis, aliisque super quibus consulti fuerint, etiam per literas sedulo humaniterque respondeant, dubia, rationes, & causas Ecclesiarum, earumque dignitatis, iurisdictionis, exemptionis, immunitatis, iurium, priuilegiorum, & laudabilium consuetudinum conseruationem concernentes, summarie cognoscant, atque tam ex partium petitione, quam ex officio componant, provt honestum, opportunumque eis videbitur. Causas item & controuersias inter eosdem Prælatos de iurisdictione, aliaue de causa exortas, item inter Capitula aut obtinentes dignitates, ac inter quascumque singulares personas, & vniuersitates, aut locorum in temporalibus Dominos, præter eas quæ Concilij Tridentini interpretationem exigunt, vel ordinem iudiciarium re ipsa requirant, examinent, atque amicabiliter desuper transigere, etiam per alios, si ita consultum videbitur, etiam extra diœcesim curent. Ac præterea ad Ecclesias visitandas vbique locorum, in quibus Christiana viget religio, visitatores nobis præsentent, vt exemplo B. Gregorij Magni i, S. Leonis, & aliorum Summorum Pontificum prædecessorum nostrorum cum in Domino expedite videbitur, destinare valeamus. Visitationis item formam illis præscribant, vt multo cum spirituali fructu, & fidelium ædificatione munus suum obeant, negotiorumque omnium tractationis modum assignent, ac negligentiam, si quando opus erit, emendent.

Digitized by Google

emendent. Insuper, vbi necessitas exegerit, viros vsu, & doctrina idoneos, rectos, & timentes Deum deligant, qui nostrarum literarum auctoritate suffulti, Ecclesias vt Vicarij Apostolici regant. Denique eosdem Cardinales immunitatis Ecclesiarum defensores, ad tuendum ipsorum Prælatorum personas, res, & bona quæcumque Ecclesiarum prædictarum, ab omnium iniuriis atque oppressionibus aduersus quoscumque quauis auctoritate præfulgentes constituimus.

Congregatio decimatertia, pro Viis, Pontibus, & Aquis curandis.

Huic Congregationi curam hic Pont. demandauit Aquæ Felicis, mox ab eo ad Vrbem conductæ, vt videre est infra in const. 101. Supremi.

Causa huius instit.

ET quoniam curæ & cogitationes nostræ ita communis boni procuratione defixæ sunt, vt dum grauiora maioraque disponimus, eorum etiam quæ minora videntur, non obliuiscamur, considerantes, quod ad Almæ Vrbis, locorumque ditionis nostræ Ecclesiasticæ ornamentum, aëris salubritatem, ciuium, incolarumque vtilitatem, ac ad Peregrinorum, iterque agentium commoditatem, eorum præsertim qui ad hanc Apostolicam Sedem, & Apostolorum limina, totque sancta loca innumerabilium Martyrum sanguine consecrata pie visitanda concurrunt permagni interest Viarum, Pontium, & Aquarum curatio.

Institutio Congregationis 13. & explicatio facultatum eius.

§. 1. Nos idcirco huic rei consulentes, Cardinales sex infra nominatos deputauimus, quibus facultatem damus vias curandi, aperiendi, muniendi, dirigendi, factasque tuendi, coarctatas dilatandi, veteres iam occupatas iterum in publicum vsum vendicandi & redigendi. Pontes item tuendi, & vbi opus est, nouos extruendi, veteresque ruinosos instaurandi, & iam collapsos, si ita necessitas tulerit, reficiendi. Aquarum præterea curam gerendi, illarum præsertim, quas nos tanta impensa, & labore in Vrbem adduximus, illasque certa mensura ad publicum vsum commoditatemque melius distribuendi, & vbi maiori aquarum copia opus esse viderint, fontes aquarum magis vberes vnde deduci possint, inuestigandi, deductiones, substructiones, castella, formas, aquæductus, receptaculaque earumdem sarcta tecta conseruandi, omne impedimentum tollendi. Cameræ nostræ Apostolicæ Præsides & Ministros, quibus ea specialis cura data est, dirigendi, & ab contradictoribus protegendi, aliaque in his necessaria & opportuna exequendi. Si qua vero difficultas, aut causa, tam contra domicellos, communitates, & vniuersitates, quam contra quoscumque alios etiam immunes atque exemptos, super his omnibus iam exorta sit, vel in posterum inciderit, eam omnes summarie, sola facti veritate inspecta, ac re primum ad nos, & successores nostros relata, demum definiendi potestatem facimus. Qua facultate iidem Cardinales nedum in Alma Vrbe, verum in vniuersa Ecclesiastica ditione temporali vti posse statuimus.

Congregatio decimaquarta, pro Typographia Vaticana.

Hæc mox iussu Pauli Quinti, qui eam Cameræli Typographiæ vniuit, Cameralis nuncupatur.

Causa huius instit.

CEterum, cum ex omni antiquitatis memoria notum sit, quantum semper detrimenti attulerint hæreticorum, aliorumque veritatis hostium insidiæ, & doli sacris libris, Sanctorumque Patrum monimentis, multis modis corrumpendis, quantamque hoc potissimum sæculo animarum perniciem importauerint eorumdem librorum mendosæ impressiones, atque editiones impuro & pestifero hæresum fermento, aliisque erroribus coinquinatæ & corruptæ.

Institutio Congregationis 14. cum suis facultatibus.

§. 1. Nos volentes pro nostra Pontificia solicitudine, vt hæc præclara & salutaris nostra hæreditas à maioribus accepta, inuiolata conseruetur, nuper eius rei causa non mediocri nostra impensa Typographiam Vaticanam ereximus, nunc autem pro rei & negotij grauitate, infrascriptorum Cardinalium Congregationem statuimus, quibus imponimus, vt sacra Biblia Latinæ vulgatæ, Græcæ & Hebraicæ editionis; decretales Epistolas, Concilia generalia, Sanctorum præcipuorum Ecclesiæ Doctorum opera, ceteros denique libros, quibus fidei Catholicæ doctrina traditionesque Ecclesiasticæ continentur & explicantur, quam emendatissime curent imprimendos. Quare mandamus, vt vetustis manuscriptis, emendatisque codicibus adhibitis, præsertim ex nobili & optimis libris referta Pontificia Vaticana Bibliotheca, adiumento etiam, studio atque opera doctissimorum hominum ex omnibus Christiani orbis nationibus, per nos aut successores nostros selectorum, qui linguarum peritissimi sint, libros imprimendos, accurate diligenterque conferant & recognoscant, vt eorum editio, quantum fieri poterit, integra atque incorrupta prodeat. Si quæ vero grauiores dubitationes, & difficultates in veterum codicum auctoritate, librorum correctione & emendatione inciderint, rebus prius in Congregatione examinatis, ad nos referant, vt in lectionum varietate, id quod orthodoxæ veritati maxime consonum erit, ex speciali Dei priuilegio huic sanctæ Sedi concesso, statuamus. Demum eadem Congregatio, Typographos, & librorum recognitioni Præfectos in quibuslibet Christiani Orbis Regnis & Prouinciis admonebit, vt diligentem opportunamque operam ad sua quæque officia fideliter atque integre exequenda præstent, in librorumque huiusmodi editione accuratissime versentur, & ad Vaticanæ impressionis præscriptum, ac normam omnino se conforment.

Congregatio decimaquinta, pro consultationibus negotiorum Status Ecclesiastici

Causa huius instit.

DEnique cum valde consentaneum sit, vt qui longinquos & externos in Domino complectimur, eorumque negotia breuiter expediri curamus, domesticis & propinquis, qui sub nostra & Apostolicæ Sedis peculiari tutela sunt, hac quoque in re propensius consulamus, idcirco vt fideles Ecclesiæ Romanæ filij ditioni nostræ temporali subiecti, ad varia negotia, causas, necessitatesque suas proponendas perfacilem aditum inueniant, remediumque ex iustitiæ & æquitatis præscripto, opportune celeriterque obtineant.

Institutio Congregat. 15 & explicatio muneris Cardinalium.

§. 1. Cardinales itidem quinque eorum consultationibus præficimus ac præponimus, quorum iuris sit, consultationes, dubitationes, querelas super causis ciuilibus, criminalibus & mixtis ac forum sæculare dumtaxat spectantes audire, illasque inter se statis diebus conferre, quod æquum esse, quodque omnibus diligenter consideratis de maioris partis sententia expedire censuerint; statuere & deliberare, iustitiam expedire, administrare, quæ decreta ac definita erunt, executioni tradi curare. Ipsisque facultatem concedimus, vt ipsi omnibus negotiis & causis, cuiuscumque generis illæ sint, etiam inter Fiscum & priuatum, & inter priuatos, Communitates, Vniuersitates, Collegia, eorumque Rectores aut alios quoscumque etiam coram ditionis Ecclesiasticæ Magistratibus, & Ministris, introductis, & pendentibus quod iustum & æquum videbitur, præcipiant, causas ab eis, vbi id ius & ratio postulauerit auctoritate nostra auocent, aliisque Iudicibus committant, Gubernatoribus, Prætoribus, ceterisque omnibus officia ex Sedis Apostolicæ auctoritate gerentibus, vt iussa & imperata eius Congregationis exequantur significent, impositas pœnas siue mulctas, bonorum proscriptiones, seu confiscationes, corporis pœnis etiam capitis vltimique supplicij (nobis tamen prius de ea re consultis) moderentur, & commutent, ac eos qui in carcere erunt de loco ad locum, vbi id ita expedire iudicauerint, transferri mandent, ceteraque pro iustitiæ conseruatione, subditorumque nostrorum quiete, & tranquillitate deliberent ac prouideant.

Sequitur

Digitized by Google

Sequitur declaratio facultatum prædictarum Congregationum. Et alia habentur immediate post hanc bullam, & in eius fine.

Cõgregationes prædictæ fiant tribus assistẽtibus Cardd.

DEnique quo dictarum Congregationum expeditiones validæ existant, Cardinales in qualibet Congregatione nõn sint pauciores tribus. Ad iudiciorum vero confusionem euitandam, volumus, vt vnaquæque Congregatio quando aliqua causa quæstio vel consultatio ad eam delata fuerit, diligenter perpendat, an ad ipsam proprie eius causæ cognitio & expeditio pertineat, & si ad se minime spectare cognouerit, eamdem ad iudices ordinarios, vel ad propriam Congregationem remittat.

Secretarios proprios habeant.

§. 2. Itidem Cardinales dictarum Congregationum, proprios sigillatim habeant Secretarios, ab eisdem libere deputandos, & ad res, quæ in dies geruntur, annotandas, & in publicam formam, si opus fuerit, redigendas.

Theologi & viri periti in consultationibus adhibeãtur.

§. 3. Et quoniam diuinis oraculis admonemur, vbi multa consilia, ibi salutem adesse, eædem Congregationes pro earum arbitrio viros sacræ Theologiæ, Pontificij, Cæsareique iuris peritos, & rerum gerendarum vsu pollentes in consultationibus, aduocent, atque adhibeant; vt causis, quæstionibus, & negotiis quam optime discussis, quæ Dei gloriæ, animarumque saluti, & iustitiæ, atque æquitati consentanea maxime erunt, decernantur; grauiora vero quæcumque, ad nos vel successores nostros deferantur, vt quid secundum Deum expediat, eius gratia adiuuante, mature statuamus.

Decretum irritans.

§. 4. Sicque & non aliter per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam dictos Cardinales, ac causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari & definiri debere, irritumque & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Clausula derogatoria.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis; priuilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis quibuscumque formulis illa sint concepta. Quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quæuis alia expressio habenda esset, eorum tenores, acsi ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis atque insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, expresse, ac latissimè derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Hortatio ad Principes Christianos.

§. 6. Demum per paternam nostram charitatem & auctoritatem, quæ nobis à Christo Domino data est, admonemus, & per ipsum, per quem Reges regnant, obtestamur charissimos in Christo filios nostros in Imperatorem electum, omnesque Reges, ac dilectos filios nobiles viros Rerumpublicarum, aliosque Duces, ac ceteros sæculares Principes, quos Deus in excelso loco constituit, & temporali potestate communiuit, vt fidei Catholicæ propugnatores & defensores sint, de quorum pietate, & erga Apostolicam Sedem obseruantia, atque obedientia magnopere in Domino confidimus, & quam etiam multis argumentis perspectam habemus.

Monitio; ad quascumque Ecclesiasticas personas, vt in præmissis faueant & obediant.

§. 7. Alios vero Ecclesiastica dignitate præditos per hæc Apostolica scripta, ac per debitæ obedientiæ vinculum, statusque sui sublimem conditionem, qua Deo arctius religati existunt, obstringimus, vt his nostris cognatibus ad Dei laudem, fidei propagationem, fidelium commoditatem & salutem assistant; ac auctoritatem, quæ Ecclesiæ Præsulibus in B. Petri persona à Christo Domino credita & collata fuit, ad fidei Catholicæ exaltationem & augmentum, prout ex eorum munere tenentur, nosque eos pie facturos speramus, tueantur & defendant; ac operam dent, studiumque demum omne conferant, vt eadem auctoritas Ecclesiastica omnino illæsa conseruetur, ac Ecclesiæ Dei ministris, opem & auxilium in omnibus impendant, & de Sede Apostolica, ex sua maiorumque suorum pietate, benemeriti non desinant; memores se in susceptione Imperialis, ac Regij diadematis & Principatus, ad id præ ceteris deuinctos esse, vt inde in hac mortali vita felicitatem, nostramque & Sedis eiusdem benignitatem ac gratiam vberius valeant promereri, post exactum vero mortalis huius vitæ curriculum, à Deo æternam gloriam & beatitudinem consequantur. Quod si secus ab eorum aliquo, quod minime credimus, factum erit, diuinam iram, donec sub potenti manu Dei humilientur, qui tarditatem pœnæ supplicij interdum grauitate compensat, se minime effugere posse certo sciant.

Hæc constitutio sit perpetua & inter Apostolicas constitutiones annumeretur.

§. 8. Vt autem hæ nostræ literæ quamprimum vbique locorum & gentium innotescant, quas inter alias Apostolicas, perpetuasque constitutiones annumeramus, illas publicis in locis de more affigi, earumque exemplis, vel etiam impressis sigillo obsignatis alicuius personæ Ecclesiastica dignitate præditæ, ac quibus Notarius publicus scripserit, eamdem fidem haberi volumus, quæ his exhibitis maxima cum reuerentia omnino esset adhibenda.

Sanctio pœnalis.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decretorum, constitutionum, assignationis, dationis, attributionis, confirmationum, corroborationis, statutorum, approbationis, declarationis, delectionum, præfectionum, tributionis, permissionis, reseruationis, impartitionis, institutionis, concessionum, iniunctionis, impositionis, voluntatum, mandati, præpositionis, derogationis, admonitionis, obtestationis, obstrictionis, & annumerationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1587. 11. Kal. Februar. Pontificatus nostri anno tertio.

D. P. An 3. 11. Kalend. Februarij.

Publicatio.

Anno à natiuitate Dom. 1587. Indict. 15. die vero Mercurij 23 mensis Martij, Pontific. Sanctiss. in Christo patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. Anno eius 3. retroscripta littera Apostolica affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt, in valuis seu portis S. Ioan. Lateranensis, & S. Petri Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & acie Campi Florę, & per aliquod temporis spatium dimissæ, per nos Ioannem Baptistam Bagni, & Hieron. Lutium D. N. Papæ Curs.

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

Sequuntur aliæ declarationes editæ in Consistorio die 11. Maij 1588. circa dubia in Congregationibus euenienda.

Institutio Cõgregationum, de qua supra.

SAnctissimus D. N. quod postquam deputauit omnes Cardinales super diuersis Congregationibus, vt vellent illis incumbere, & expedire negotia quæ ibi tractanda erunt, vt & ipse Sanctissimus à laboribus subleuetur, & partes citius expediantur.

Ametio dubitationũ, cum declarationib. subsequentib.

§. 1. Et ne in futurum dubitari contingat, super aliquibus dubiis, quæ oriri possunt super facultatibus ipsis Congregationibus datis. Ideo Sanctitas sua fecit quinque infrascriptas declarationes.

Declaratio prima.

§. 2. Prima est, quod si ante inchoatum iudicium coram aliquo Iudice, pars coram Congregatione conuenta, renuerit in illam consentire, & noluerit causam à Congregatione terminari, tunc ad Iudicem competentem remittatur.

Declaratio secunda.

§. 3. Secunda est, quod si coram aliquo Iudice inchoatum fuerit iudicium, & deinde partes concordes Congregationem adiuuerint, tunc Congregatio causam decidat, & acta ad se transportari faciat.

Declaratio tertia.

§. 4. Tertia est, quod si causa coram Congregatione cœpta fuerit, & deinde aliquod emergens superuenerit, tunc nedum illa causa cœpta, verum etiam illud emergens à Congregatione expediatur.

Declaratio quarta.

§. 5. Quarta, quod si causa in ipsa Congregatione decisa, requirat vt super illa expediatur supplicatio vel breue, tunc decreuit Sanctitas sua, quod in ipsa supplicatione, vel

vel in ipso breue fiat mentio, tausam de ordine Congregationis fuisse ita terminatam.

Declaratio quinta.

§.6. Quinta, quod si alicui Congregationi occurrerit, pro rebus ad ipsam Congregationem spectantibus brachio sæculari indigere, tunc recurratur ad Gubernatorem, Auditorem Cameræ, Vicarium, siue ad alium Iudicem, qui præceptis ab ipsa Congregatione factis, obedire teneatur.

LXXV. Prohibitio ad arma ex quibusuis causis præter hic exceptas armatorum manus, aut caualcatas, tumultuosasque hominum collectas in Statu Ecclesiastico congregandi.

De materia vide quæ sup. notaui ad const. 10. *Ioann. XXII. & etiam Pauli II. const.* 4. Viros. *ac Alex. VI. Const.* 1. Inter. *Necnon constitutionem Marchiæ lib.* 1. *cap.* 15. *& lib.* 4. *cap.* 42. *Ac Vrbis Statutum lib.* 2. *cap.* 34.

Edita A. D. 1582.

SIXTVS EPISCOPVS
Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius prohibitionis.

DVm pro communi totius gregis Dominici salute, fidei nostræ diuinitus crediti, solicitis studiis inuigilamus, eam quasi peculiarem, & priuatam populorum, nostro & S.R.E. cui Deo auctore præsidemus, temporali dominio subiectorum curam suscipimus, vt in quibuscumque eiusdem dominij Prouinciis, Ciuitatibus, Oppidis, & locis, armorum, tumultuum, & seditionum turba & & strepitus conquiescat; ac inde omnis iniuria, & violentiæ terror propulsetur, atque facinorosorum hominum audacia, & immanitate compressa, securitas, quies & tranquillitas, perpetuo vigeat & conseruetur. Est enim rationi consentaneum, vt Sedes Apostolica, quæ cunctis mortalibus iustitiam ministrat, suos præcipue subditos in officio contineat, & cuius auctoritas ab ipso Domino constituta, apud omnes etiam exteras gentes, ac nationes, sacrosancta & inuiolabilis permanet, debitam obedientiam, & reuerentiam, quam summi Reges & Principes ei præstant, magis ab iis exigat, qui ipsius regimini in temporalibus subiecti, neminem alium Principem, præter Romanum Pontificem agnoscunt, vt quæ denique vniuersos fideles subleuare solet, hos potissimum in suam tutelam specialiter receptos, ab omni iniuria vindicet, atque illæsos defendat, & tueatur.

Prohibitio conuocandi ad arma & caualcatas, seu Aduunatas faciendi per quascumque Vniuersitates seu personas quauis dignitate fungentes S.R.E. mediate & immediate subiectas in quibuscūq; casibus, præter infra exceptos.

§. 1. Quare nos considerantes primum quidem in quantas rerum perturbationes, in quam intolerabilem perditorum & sceleratorum hominum licentiam noster Pontificatus sui initio inciderit, vel ad eas potius fuerit diuina prouidentia reseruatus; deinde vero quam benigne fauerit ceptis nostris diuina maiestas, quam facile non obscura Dei omnipotentis voluntate hæc, qua fruimur, quies & tranquillitas sit consecuta, numquam cessamus quantas maximas animus noster capere potest eidem diuinæ bonitati, in qua sola confidimus, gratias agere; & ne in aliquo pastoralis nostri officij partes desiderentur, his quasi fundamentis constituendæ Reipublicæ præclare iactis, nouis eam præsidiis in dies magis ac magis confirmare & communire studemus. Cum igitur inter alios, qui in temporali Statu nostro Ecclesiastico irrepserant, quosque à nobis magna ex parte sublatos omnino abolere nitimur, prauos abusus, ille sit maxime damnabilis, vt Barones, Domicelli, aut Communitates, vel Vniuersitates, aut Magistratus Ciuitatum, Oppidorum, Terrarum, Castrorum, & locorum prædictæ Romanæ Ecclesiæ temporali ditioni subiectorum, sub prætextu recuperandæ, siue manutenendæ, aut adipiscendæ possessionis bonorum immobilium, finium, seu terminorum & limitum territorij, vel agrorum, quæ ad se legitime pertinere prætendunt, dum se ius suum tueri aut consequi velle, & bona sua ab illicitis detentoribus vel occupatoribus vendicare profitentur, ad arma populos conuocare & incitare, tumultus facere, & commouere, armatorum hominum copias cogere non dubitent, ex quibus postmodum quandoque contigit, vt commotis seditionibus auxilium facinorosorum, seu etiam bannitorum euocent, imbecilliores per iniuriam opprimant, agros vastent, aliena rapiant, & inuadant; pacificos possessores expellant, quietem publicam perturbent, in Dei offensam, animarum perniciem, & scandalum plurimorum. Nos attendentes ad hoc potissimum sanctæ huius Sedis potestatem & auctoritatem in supremo iustitiæ throno, Deo disponente, collocatam, & viribus ad regendos subditos necessariis fuisse satis instructam, & roboratam, vt per Romanum Pontificē illi præsidentem cunctis æqua lance ius suum sine aliqua perturbatione tribuatur; ideoque minime ferendum, vt quis temere, vel vi adhibita, ius sibi dicat, sed magis eorum improbitatem & audaciam, legum seueritate, & grauioribus pœnis propositis compescendam, & coërcendam esse censentes, habita cum Venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio pariter, & assensu, hac nostra perpetuo valitura constitutione districte interdicimus & prohibemus; vniuersis, & singulis Ducibus Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Domicellis quacumque etiam Ecclesiastica dignitate fungentibus, necnon Vicariis, Feudatariis, armorum ductoribus, Capitaneis; Magistratibus, Communitatibus, Vniuersitatibus & Officialibus, ac aliis personis Ciuitatum, Oppidorum; Terrarum, Castrorum, & aliorum quorumcumque locorum ipsi Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate in temporalibus subiectorum, cuiuscumque status, gradus, & conditionis existentibus, ne posthac quisquam eorum, propter prædictas vel alias etiam vrgentiores, & vrgentissimas etiā consuetudine permissas causas, etiamsi ab aliis prouocati & lacessiti fuerint; etiam propter, & aduersus huiusmodi manifestas iniurias, aut recuperandæ vel adipiscendæ possessionis, seu quasi dominiorum, statuum, feudorum, prædiorum, agrorum, finium, limitum; & terminorum, ac quorumcumque iurium, & bonorum ad eos; vel ad Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, de eorum iurepatronatus, seu præsentandi, aut sub ipsorum cura, administratione, vel protectione recepta quomodolibet pertinentium siue violenter, aut de facto recuperatæ, vel adeptæ retinendæ & tuendæ, vel alio quouis prætextu, aut quæsito colore vel ingenio, militum copias cogere, comparare, vel ducere, neve populos; vel singillatim singulares personas, publice aut priuatim, palam vel occulte ad arma, vt dictum est, conuocare, conclamare, concitare, neque armatorum manus, cœtus, conuentus, seu illicitas, & tumultuosas collectas, vel etiam, vt vocant, caualcatas vel adunatas facere, vel insimul congregare, aut aliquid huiusmodi, per se vel alium, molirī aut machinari audeat vel præsumat. Quare his præsentibus, monemus, tam dictos Duces, & reliquos quam Communitates ac Vniuersitates, quæ super possessione, seu quasi, aut super finibus, limitibus, seu terminis territorij, vel agrorum, aut aliis huiusmodi rebus, aliquas inter se lites vel controuersias habent, vt si illas extraiudicialiter aut amicabiliter componere, seu super eis transigere commode nequeunt, easdem in iudicium deducant, siue deductas prosequantur, & donec legum ac iudicum auctoritate illæ definiantur, seu iustitiæ complementum sibi ministretur, æquo animo ferant, & expectent.

Causas excepit. à d. prohibitione.

§. 2. Ceterum quoniam interdum aliqua viget occasio armatos homines colligendi, id tantum permittimus & concedimus in casibus infrascriptis, nempe vt prædicti Duces & alij prædicti, Communitates, & Vniuersitates, suas Ciuitates, Oppida, Terras, Castra, Domos, Villas, dominia, loca & territoria à grassatoribus viarum, latronibus, sicariis & bannitis, aliisque similibus notoriis delinquentibus defendant, dum ab ipsis actu infestantur, vel vt secura & expurgata custodiant, reosve capiant, & apprehendant, vel captos & apprehensos Gubernatoribus, Potestatibus, Iudicibus, aliisve Magistratibus, & Officialibus tradant, siue vt Curiæ ministris aduersus tales facinorosos auxilium & opem impendant, iuxta constitutionem nostram alias super hoc editam, vel si ad tuenda, & propugnanda loca maritima, tam in Tyrrheni quam Adriatici maris littore periculosis temporibus aduersus Turcas, & piratas, vel alias ex nostro vel nostrorum successorum Romanorum Pontificum præcepto, ad arma eos concurrere contigerit. Sed & siquis alius eiusmodi

modi casus ingruat, qui similiter armatorum auxilium depoſcere videatur, nouerint, nos, aut pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem quamprimum conſulendos eſſe, à quibus, aut promptum ſubſidium, aut licentiam ſuper præmiſſis citius impetrabunt. Si vero neceſſitas adeo vrgeat, aut impellat, vt ad nos, aut ad ſucceſſores noſtros prædictos in tempore, vel opportune recurri non poſſit, tunc Prouinciarum, Ciuitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum Præſides, Gubernatores, Locatenentes, & Officiales, à nobis & Sede Apoſtolica deputatos adeant, eiſque huiuſmodi neceſſitatis cauſas exponant, ac ab ipſis arma ſumendi licentiam obtineant, ita vt tales armatorum collectas, de alicuius ex ſuperioribus prædictis permiſſu vel auctoritate factas fuiſſe manifeſto conſtet.

Pœna contrauenientium.

§. 3. Quod ſi quis contra præſentem noſtram prohibitionem, & interdictum, directe vel indirecte quicquam attentare aut aliis mandare, vel tranſgreſſoribus adhærere vel fauere præſumpſerit, eum, ſi Dux, Princeps, Marchio, Comes, Baro, Domicellus, Vicarius, Feudatarius, aut quæuis alia ſingularis perſona extiterit, læſæ maieſtatis reatum verum, ac nulla iuris, aut hominis fictione confictum crimen incurriſſe, & eiuſdem Romanæ rebellem, omnibuſque & ſingulis priuilegiis, gratiis, libertatibus, indultis, exemptionibus, immunitatibus, realibus, perſonalibus & mixtis necnon Ducatibus, Principatibus, Marchionatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Terris, Caſtris, Dominiis, Vicariatibus, Gubernis, locis, iuriſdictionibus, dignitatibus etiam Eccleſiaſticis, honoribus, iuribus, officiis, ac beneficiis, quorum per infraſcriptam priuationem vacantum collatio, prouiſio, & omnimoda diſpoſitio nobis & Apoſtolicæ Sedi perpetuo reſeruata ſit, & eſſe cenſeatur, ita vt de illis per alium, quam per nos, aut pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem diſponi nullo modo poſſit aut debeat, necnon penſionibus & fructibus Eccleſiaſticis, ac etiam quibuſcumque feudis & conceſſionibus, quæ à Romana prædicta, & aliis quibuſcumque Eccleſiis obtinet, & in futurum obtinebit, ceteriſque omnibus in Sedis Apoſtolicæ temporali dominio poſſeſſis, immobilibus, mobilibus, & ſe mouentibus, bonis iuribus, & actionibus eo ipſo priuatum, ipſumque & illius filios ad illa & quælibet alia in poſterum obtinenda, ac quoſcumque actus legitimos exercendos inhabiles, & indignos fore, & eſſe. Ac præterea à dicto Senatu eccleſiaſtico vniuerſo, vna cum ſua familia perpetua exilij pœna damnari debere, domoſque, ædificia, arces, & fortalitia eiuſdem demolienda, & ſolo æquanda ſeu aliis Cameræ Apoſtolicæ iuribus adſcribenda eſſe, nec illis portam vllius dignitatis Eccleſiaſticæ vel mundanæ vmquam patere ſtatuimus, decernimus, & declaramus. Inſuper Vaſſallos, Cuſtodes, Vicarios, Capitaneos, Poteſtates, Officiales, Populos & ſubditos eorumdem à fidelitatis iuramento ac homagij & quocumque alio iure, quo ipſis quomodolibet adſtricti, fuerint, ex tunc penitus abſoluimus & liberamus. Ducatus vero, Dominia, Vicariatus, Gubernia, Feuda, Ciuitates, Oppida, Terras, Caſtra, & loca, ceteraque bona prædicta, necnon iura & actiones cum fructibus, redditibus, prouentibus, & emolumentis eorumdem, Fiſco noſtro, & Cameræ prædictæ ipſo facto, & abſque aliqua declaratione, etiam in præiudicium filiorum & aliorum deſcendentium in inueſtituris, conceſſionibus, ſeu aliis diſpoſitionibus comprehenſorum, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi per lapſum temporis illorum conceſſionis, & finitam lineam ad ipſam Cameram deuoluta eſſent, confiſcamus, & applicamus. Sin autem Communitates, & Vniuerſitates in præmiſſis communi conſilio deliquerint, eas omnibus, & quibuſcumque Caſtris, Villis & iuriſdictionibus, ac communibus bonis, rebus, & iuribus ad illas pertinentibus, priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, & indultis eis quomodolibet conceſſis ſimiliter priuamus, priuataſque declaramus, ac dicta Caſtra, Villas, ac iuriſdictiones, bona, res, & iura ſimiliter Fiſco, & Cameræ prædictis applicamus, & appropriamus. Statuentes etiam contra principales auctores & particulariter delinquentes tamquam dicti criminis læſæ maieſtatis reos, vt præfertur, procedi debere. Et nihilominus omnem & quamcumque poſſeſſionem, ſeu quaſi ſic de facto contra præſentem noſtram conſtitutionem, cum manu ſeu collecta armatorum hominum in futurum pro tempore apprehenſam, vſurpatam, detentam, vel occupatam, ſiue adipiſcendo, ſiue taliter adeptam retinendo, ſiue recuperando, omneſque actus poſſeſſorios, vel quaſi quomodolibet factos, necnon ſuper illis confecta inſtrumenta, rogitus, & alia acta, & inde ſecuta quæcumque annullamus, irritamus, & viribus euacuamus, necnon penitus caſſamus, & abolemus, ac pro irritis, nullis & infectis, & mere attentatis habenda, nulliuſque roboris vel momenti eſſe, ac nullum inde ius, nullamque actionem cuiquam de nouo acquiri, naſci, aut competere, neque poſtmodum lapſu temporis etiam longiſſimi ex huiuſmodi poſſeſſione ab initio, vt præfertur, vitioſa, vllam præſcriptionem ſequi, aut cuiquam vllo tempore ſuffragari poſſe. Quinimo prædictis delinquentibus amotis & expulſis priorem poſſeſſorem, in primis & ante omnia in ſuam priſtinam poſſeſſionem, ſeu quaſi reſtituendum & plenarie reintegrandum, & donec & quouſque cui illa de iure competat legitime decernatur, manutenendum eſſe, eoſdemque delinquentes ad damna, expenſas & quicquid intereſt parti læſæ reficienda, & reſarcienda teneri, & obligatos exiſtere, ac ad id cogi & compelli. Super præmiſſis vero omnibus & ſingulis per accuſationem, delationem, inquiſitionem, & quouis alio meliori modo, tam ad partis, & Fiſci inſtantiam, quam ex mero officio ciuiliter, & criminaliter, aut mixtim procedi poſſe.

Decretum irritans.

§. 4. Sicque per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & definiri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane pariter decernimus & declaramus.

Clauſula derogatoria.

§. 5. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutiſque, & conſuetudinibus quatumuis Prouinciarum, Ciuitatum, Oppidorum, Terrarum, Caſtrorum & locorum, necnon priuilegiis, indultis & literis Apoſtolicis, ac inueſtituris, conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus; ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Forma & effectus publicationis huius conſtit.

§. 6. Volumus autem, vt eædem præſentes ad valuas Lateranenſis & Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarum, & in acie Campi Floræ de more affigantur, & illis detractis tranſumpta inibi affixa relinquantur, factaque huiuſmodi publicatione hic in Vrbe, & in eius diſtrictu poſt quindecim, alibi vero poſt triginta dies, quoſcumque perinde arctent, & afficiant, acſi eorum vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Sed & quo facilius poſſint ad vniuerſorum notitiam peruenire, mandamus omnibus, & ſingulis Vicelegatis, Præſidentibus & Gubernatoribus Prouinciarum, & Ciuitatum quarumcumque dictæ noſtræ ditionis Eccleſiaſticæ, vt in ſua quiſque reſidentia, Ciuitatibus, Oppidis, Terris, & Caſtris ſibi beneuiſis, curent eaſdem noſtras literas in locis conſuetis de more publicari.

Tranſumptorum fides, & Sanctio pœnalis.

§. 7. Et quia difficile foret illas ad eorum quemlibet & ad ſingula loca vbi opus erit deferre, decernimus tranſumptis ipſis etiam impreſſis, Notarij publici manu ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in iudicio & extra illud, vbique eamdem fidem adhibendam eſſe, quæ ipſis originalibus adhiberetur ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo, 11. Kalend. Martij, Pontificatus noſtri anno tertio.

D. P. An. 3. 19. Februarij.

Ego

Digitized by Google

PP.subscrip. Ego Sixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Cardd.subscr. Ego Alex. Card. Farnesius Episcopus Ostien. Vicecancellarius.
Ego Io. Ant. Episc. Portuen. Card. S. Georgij.
Ego Alph. Card. Gesualdus, Episc. Tusculan.
Ego Inn. Aualus Card. de Arag. Episcopus Sabinen.
Ego Marcus Ant. Card. Columna Episc. Prænestin.
Ego Ptolomæus Cardinalis Comensis Episcopus Albanen.
Ego Marcus Siticus Card. ab Altaemps tit. S. Mariæ Transtiberim.
Ego Prosper Cardinalis Sanctacrucius tit. Sancti Clementis.
Ego Gabr. Cardinalis Paleottus tt. Sancti Laurentij in Lucina.
Ego Frater Michael Bonellus Card. Alexandrinus tt. S. Mariæ super Mineruam.
Ego Ludouicus tt. S. Anastasiæ. presb. Card.
Ego N. de Pelleue tt. S. Praxedis Card. Senonen.
Iul. Ant. tt. S. Barthol. in Insula presb. Card. Sanctæ Seuerinæ.
Ego Hier. Card. Rustic. tt. S. Susannæ.
Ego Io. Hier. Card. Alban. tt. S. Ioannis ante portam Latinam.
Ego Hier. Card. Simoncellus tit. S. Priscæ.
Ego P. Card. Deza tit. S. Hier. Illyricorum.
Ego Ant. Card. tit. SS. Ioannis & Pauli Card. Carafa.
Ego Io. Ant. Card. SS. Quatuor.
Ego Io. Baptista Card. tt. S. Marcelli.
Ego Franciscus Card. de Ioyeuse tt. Sanctiss. Trinitatis in Monte Pincio.
Ego Iul. Card. Cananus, tt. S. Eusebij.
Ego Nic. Card. Cremonen. tit. S. Cæciliæ.
Ego Ant. Maria Card. Saluiatus tt. S. Mariæ de Pace.
Ego Aug. Card. Veronæ tt. S. Marci.
Ego Vincentius tt. Sanctæ Mariæ in Via Car. Montis regalis.
Ego Philippus Card. Spinula tt. S. Sabinæ.
Ego Scipio tit. Sancti Saluatoris in Lauro Card. Lancellottus.
Ego Vincentius Card. Gonzaga tt. S. Alexij.
Ego Henricus Cardinalis Caietanus tituli S. Pudentianæ S. R. E. Camerarius.
Ego Io. Baptista Card. Castruccius, tituli S. Mariæ in Aracœli.
Ego Federicus Card. Cornelius tit. S. Stephani in Monte Cælio.
Ego Dominicus tt. S. Laurentij Card. Pinellus.
Ego Hippolytus Card. Aldobrandinus tit. S. Pancratij, Maior Pœnitentiarius.
Ego Hier. tt. S. Petri ad Vincula Card. de Ruuere.
Ego Philippus Card. de Lenoncourt tt. Sancti Honuphrij.
Ego Fr. Hier. Card. Ascul. tt. S. Thomæ in Parione.
Ego Ant. Maria tit. S. Agnetis in Agone Card. Perusinus.
Ego Fr. Constantius Car. Sarnanus tt. S. Petri in Monte Aureo.
Ego Guglielmus Alanus tituli S. Martini in Montibus.
Ego Scipio tituli S. Mariæ de Populo Card. Gonzaga.
Ego Ant. tt. S. Vitalis Card. Saulius.
Ego Euangelista tt. S. Matthæi in Merulana Card. Cusentinus.
Ego Fr. Stephanus tit. SS. Marcellini & Petri Card. presb. Aretinus.
Ego F. Card. Sfortia diac. S. Nicolai in Carcere.
Ego Alexander Cardinalis Montaltus, diaconus S. Eustachij.
Ego Hieronymus S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis, Matthæius.
Ego Benedictus Sanctæ Agathæ diac. Cardinalis Iustinianus.
Ego Ascanius SS. Viti & Modesti, & Crescentiæ diac. Card. Columna.

Ego Federicus S. Mariæ in Dominica diac. Card. Borromæus.

Anno à Natiuitate D. 1588. indict. 1. die vero Veneris 11. mensis Martij, Pontif. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papa V. anno eius 3. retroscripta litera Apostolica affixa, lecta & publicata fuerunt in valuis seu portis S. Ioannis Lateranensis, & S. Petri Principis Apost. de Vrbe, necnon Cancellariæ, Apost. & acie Campi Flore, & per aliquod temporis spatium dimissa, per nos Io. Baptistam Bagni, & Io. Burlurault S. D. N. Papæ Curs. Publicatio.

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

Adscriptio S. Bonauenturæ Balneoregiensis inter egregios sanctosque Catholicæ Ecclesiæ Doctores, cum Indulgentiis pro eius festiuitate die 14. Iulij celebranda. LXXVI.

Canonizationem huius Sancti præfiniuit Six. IV. vt in sua const. 21. Superna.

Aliorum Ecclesiæ Doctorum, & Euangelistarum festa duplici officio celebrari iussit Bonif. VIII. in Extrauag. 1. de Reliq. & ven. Sanct.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei, Vniuersis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis aliarum Ecclesiarum Prælatis per vniuersum Terrarum Orbem constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem. Edita An. D. 1588.

TRiumphantis Hierusalem gloriam sempiternam, & sanctorum cum Christo felicissime regnantium, numquam marcescentes coronas cum gaudio admirans Sancta mater Ecclesia, adhuc in terris militans, ad eamdem vero iustitiæ coronam festinans, Deum in Sanctis suis mirabilem prædicare non cessat. Nec vero insignes tantum victorias, & præclara Sanctorum merita eximiis laudibus celebrat, sed eosdem Sanctos, quos Deus mirifice honorificat, ipsa quoque pie veneratur, ac colit, quorum nimirum prædicatione, salutarique doctrina instituta, sanguine fundata, illustribus charitatis operibus atque exemplis educata, feruentibus illorum apud Deum precibus quotidie adiuuatur. Quamobrem debitis etiam, congruisque honoribus vnicuique Sanctorum singulatim tribuendis, ad cœlestis illis Hierarchiæ, vbi omnia in charitate perfecta ordinata sunt, normam atque imaginem sese conformare, quantum quidem in huius prætereuntis mundi exilio licet, maxime studet. Nam quemadmodum in magna illa summi Patrisfamilias, bonisque omnibus cumulata domo, mansiones multæ sunt, & beatæ illæ animæ mira quadam varietate vnius gloriæ beatitudine perfruuntur, sic Catholica Ecclesia, quæ cœlestis illius effigies est, vt castrorum acies ordinata, in veneratione Sanctis Dei adhibenda, sacros illos ordines, diuino illustrata lumine agnoscit, atque distinguit. Itaque dum glorioſum Apostolorum Chorum, dum Prophetarum laudabilem numerum, dum fortissimorum Martyrum laudat exercitum, ceterisque Sanctis suo loco, & ordine rite honores defert, in vno charitatis spiritu, & consimili piæ deuotionis affectu multipliciter exultat. Inter illos vero beatissimos SS. Choros, quorum memoria à cunctis fidelibus religioso cultu merito celebratur, insigni splendore elucet, sanctorum Doctorum Ordo à Paulo Apost. diserte enumeratus, cum ait, Et ipse dedit quosdam quidem Apost. quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, quos vineæ suæ strenuos, fideleſque cultores atque operarios constituit, ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi. Hi sunt, de quibus diuina Sapientia clamat, Qui elucidant me, vitam æternam habebunt: de his Angelus apud Danielem loquitur: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi Proœmium.

Digitized by Google

ſtellæ in perpetuas æternitates, eos denique Saluator ipſe Chriſtus Dominus inſigni illo elogio ornauit. Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cœlorum, Cum autem omnibus temporibus ſacrorum Doctorum ſtudium, & doctrina in Eccleſia Dei vtilis, & ſalutaris fuit, tum maxime fructuoſam, & plane neceſſariam eſſe res ipſa demonſtrauit, cum perſecutorum Chriſtiani nominis horribili furore repreſſo, in ipſa Eccleſiæ pace, teterrima hæreſum bella vehementius excitata ſunt, tunc enim hæreticorum doli & fallaciæ, qui diabolo inſtigante in agro Domini zizania ſuperſeminare non intermittunt, Doctorum cura, & diligentia detectæ, & peſtiferi ac deteſtabiles errores gladio ſpiritus amputati, & Catholicæ veritatis vi, ſacris Doctoribus adminiſtris mendacium proſtratum, quare iure optimo Hyadum ſtellarum nomine Sancti Doctores in Eccleſia deſignantur, qui perfrigida hyeme, & longis infidelitatis noctibus expletis, & perſecutionis tempeſtate ſedata, tunc clariores Sanctæ Eccleſiæ exorti ſunt, cum veritatis ſol per corda fidelium altius caleſceret, & tamquam nouo fidei vere lucidior annus aperiretur.

S. Bonauentura à Sixt. IV. eſt canonizatus vt in rub.

§. 1. Iam vero inter eos, quos Dominus magnus ſpiritu intelligentiæ replere voluit, quique tamquam imbres eloquia ſapientiæ ſuæ in Eccleſia Dei emiſerunt, merito numeratur Sancta Bonauentura Confeſſor, & Pontifex, & in eadem Catholica Eccleſia Doctor eximius, quem fel. record. Sixtus Papa Quartus prædeceſſor noſter, ob admirabilem vitæ ſanctitatem, & præcellentem doctrinam in Sanctorum numerum adſcripſit.

S. Bonauenturæ vita recenſetur.

§. 2. Is enim Balneoregij in Etruria natus, vt piæ matris voto ſatisfaceret, adoleſcens Seraphicam S. Franciſci Religionem eſt ingreſſus, per cuius veſtigia recentia adhuc nouus Chriſti miles, humiliter & conſtanter incedens ſaluberrimam regularium inſtitutorum obſeruantiam tanto animi ardore, tantaque cordis auiditate auxit, vt ſumma in eo ſanctitas appareret, ac vitæ innocentia & caſtitate, ſancta humilitate, patientia, manſuetudine, terrenarum rerum diſplicentia, cœleſtium deſiderio omnibus, & exemplo, & admirationi eſſet, tanta quoque ſpiritus dulcedine, & diuini amoris feruore inflammatus in Deum rapiebatur, vt iam in cellam vinariam ſponſi introductus & vino optimo charitatis ebrius, IESVM CHRISTVM Crucifixum, & patientem vtique intueri, & in eius vulneribus habitare videretur. Ad hanc vero eximiam vitæ ſanctitatem vir Dei magnam præſtantis doctrinæ laudem adiunxit, Deo ita diſponente, vt ad eius gloriam, & Eccleſiæ vtilitatem, non ſolum exemplo, ſed verbo & eruditione magnopere proficeret. Itaque cum in ſacrarum literarum ſtudio Sanctorum Patrum lectione, & Scholaſticæ Theologiæ perneceſſaria diſciplina Alexandro de Ales magiſtro, inſigni illius ætatis Theologo, diligentiſſime verſaretur, breui temporis ſpatio excellentis ingenij bonitate, aſſiduo labore, & quod caput eſt, gratia Spiritus ſancti, qui vas aureum in honorem electum omni ex parte formabat, tantos progreſſus fecit, & ad tantam doctrinæ perfectionem peruenit, vt Doctoris & Magiſtri inſignibus in celeberrimo Pariſienſi Gymnaſio ſolemni more decoratus, ſacram Theologiam ibidem publice profeſſus ſit.

S. Bonauenturæ virtutes laudes & præclara geſta enarrantur.

§. 3. Tantam vero laudem in interpretandi munere, & in vniuerſæ Theologiæ ſcientia eſt conſecutus, vt viri doctiſſimi eius doctrinam, & eruditionem admirarentur. Et quidem multiplices ſancti viri lucubrationes, & præclara ſcripta, quæ adhuc magna Eccleſiæ vtilitate, & non mediocri Dei beneficio extant, quæque & noſtræ, & ſuperiorum ætatum viri eruditi multo cum fructu legerunt, & magnopere comprobarunt, quantus ille in Theologiam fuerit, ſatis declarant. Ea enim diuini ingenij ſui monimenta poſteris reliquit, quibus perdifficiles, & multis obſcuritatibus inuolutæ quæſtiones, magna optimorum argumentorum copia, via, & ordine enucleate ac dilucide explicantur, fidei Catholicæ veritas illuſtratur, pernicioſi errores, & prophanæ hæreſes profligantur, & piæ fidelium mentes ad Dei amorem, & cœleſtis patriæ deſiderium admirabiliter inflammantur. Fuit enim in ſancto Bonauentura id præcipuum & ſingulare, vt non ſolum argumentandi ſubtilitate, docendi facilitate, definiendi ſolertia præſtaret, ſed diuina quadam animos permouendi vi excelleret, ſic enim ſcribendo cum ſumma eruditione parem pietatis ardorem coniungit, vt lectorem docendo moueat, & in intimos animi receſſus illabatur, ac denique Seraphicis quibuſdam aculeis cor compungat, & mira deuotionis dulcedine perfundat, quam ſane gratiam in eius ore, & calamo diffuſam admirans prædeceſſor noſter Sixtus IV. Pontifex illud dicere non dubitauit, Spiritum ſanctum in eo locutum videri.

S. Bonauentura Generalis Miniſter, in ordine ſeptimus poſt S. Franciſcum creatus fuit.

§. 4. Cum igitur ſeruo fideli tam multa, & præclara à Domino talenta eſſent credita, vt illis ad fratrum vtilitatem exercendis & negociandis, cœleſtis gratiæ theſauros amplificaret, diuino conſilio, & ſummo totius ſui Ordinis conſenſu, Romæ Miniſter generalis ſeptimus poſt beatum Franciſcum eſt factus, quo in officij munere non ſolum prudentiam, vigilantiam, ſolicitudinem præſtitit, ſed tanto fraterne charitatis ardore exarſit, tantaque Chriſtianæ humilitatis demiſſione fratribus inſeruiuit, vt in eo illud Saluatoris agnoſceretur, qui maior eſt in vobis, ſit veſter miniſter.

Archiepiſcopatus Eboracen. à Clem. IV. ei oblatus & ab eo recuſatus fuit.

§. 5. Quin & piæ memoriæ prædeceſſor noſter Clemens Papa Quartus, qui ſanctum virum valde dilexit, & eius doctrina mirifice eſt delectatus, vt tam excellens virtus & prudentia ad multorum vtilitatem latiori in campo excurreret, inſignem Eboracenſem Archiepiſcopatum ei obtulit. Ille verò cum ſe à Seraphicæ paupertatis complexu diuelli non facile pateretur, oblatam dignitatem modeſte atque humiliter recuſauit.

Ad generale Conc. Lugd. à Greg. X. vocatus & humaniſſimè exceptus fuit.

§. 6. Ceterum cum Gregorius Decimus Summus Pontifex ob grauiſſimas Chriſtianæ Reipublicæ cauſas Concilium generale Lugdunum indixiſſet, viroſque ſanctitate, doctrina, ſapientia præſtantes, perquireret, quorum forti & fideli opera ad rei maximæ tractationem, atque explicationem vteretur, duo in primis clariſſima illius ætatis lumina è duobus florentiſſimis Ordinibus Prædicatorum & Minorum delegit Sanctos, Thomam, & Bonauenturam, quos ad ſe ire iuſſit. Sed cum alter in ipſo itinere in morbum incidiſſet, atq; ad gloriæ coronam feliciter euolaſſet, S. Bonau. Lugdunum profectus, humaniſſime exceptus eſt à Romano Pontifice Gregorio, qui in eius virtute, & ſapientia ita acquieſcebat, vt Concilij recte dirigendi, & adminiſtrandi partes ei præcipue tribuendas eſſe decerneret, Quare ex publica Eccleſiæ vtilitate & neceſſitate, vt maiori cum dignitate, & auctoritate Conc. rebus non ſolum intereſſet, ſed præeſſet, ſtatuit lucernam ardentem, & lucentem ſupra excelſum candelabrum ponere, vt in domo Dei magis luceret.

Cardinaliſq; & Epiſcopus Alban. ab eodem Pont. ibi creatus fuit.

§. 7. Itaque Sanctum Bonauenturam nullos honores appetentem, fugientem potius, ſed Chriſti Vicario obtemperantem, nulloſque pro Eccleſia labores ſubire recuſantem, tamquam in totius Orbis terræ theatro in ſacrum Cardinalium Collegium; & in Epiſcoporum Ordinem ſtatim cooptauit, nam Eccleſiæ Albanen. illum præfecit qui honos antiquioribus preſbyteris Cardinalibus tribui ſolet. Qua ille ampliſſima dignitate auctus vniuerſam in Dei gloriam, & Eccleſiæ vtilitatem contulit, etenim in rebus Concilij arduis operam egregiam præſtitit, Catholicam fidem conſtantiſſime defendit, prauas opiniones acerrime refutauit, eiuſdemque prudentia, doctrina, ſanctitate, orationibus, Gregorij Pontificis Paſtoralis ſollicitudo tantopere adiuta eſt, vt ſublato per Dei miſericordiam ſchiſmatis diſſidio, Michael Palæologus Græcorum Imperator, Orientaleſque Nationes, ad Apoſtolicæ Sedis obedientiam, vnitatem, communionemque redierint, ac denique dignus habitus eſt quem Græci Eutychij nomine appellarent.

Et poſt multa eius præclara geſta in reb. Cœcilij & Fidei augmento in eodem Cœcilio deceſſit & ad cæleſtē patriam migrauit & eius miraculorum fama percrebuit.

§. 8. Merito igitur cum paulo poſt in eodem Concilio fortiſſimus Chriſti Athleta ex huius vitæ peregrinatione ad cœleſtem patriam emigraſſet, omnes eius mortem doluerunt, omnes communem iacturam deploratunt, omnes illius funus lacrymis & laudibus ornarunt, ſed vnus præter ceteros viri ſanctiſſimi vitam integerrime actam, mores probatiſſimos, labores permultos pro Eccleſia ſuſceptos, doctrinam in illo ipſo Concilio ſpectatam inſigni laudatione veriſſime celebrauit.

Digitized by Google

De quibus vide in bulla Sixti IV. cita. in rubr.

lebrauit. Is fuit piæ memoriæ Petrus Cardinalis à Tarantasia, vir eruditione & Christiana eloquentia præstans, qui postea ad Pontificatus fastigium euectus, Innocentius Papa Quintus est appellatus. Ipse vero Summus Pontifex Gregorius Decimus ex intimi animi sensibus amissum fratrem, adiutorem, & consiliarium fidelissimum dolens, palam grauibus verbis testificatus est, Catholicam Ecclesiam, quæ ex tanti viri pietate & doctrina fructus vberrimos acceperat, magnam illius morte iacturam fecisse. Sed vere à spiritu sancto dictum est, In memoria æterna erit iustus: nam qui in vita illustris fuerat, multo post mortem factus est illustrior, Deo qui admirabilis & gloriosus est in Sanctis suis, signis compluribus, ac prodigiis & miraculis maxime insignibus Serui sui sanctitatem comprobante.

Ideo Sixt. IV. Bonauenturã in SS. Confessorum Pontificum Doctorum numerũ aggregauit.

§. 9. Quorum miraculorum fama cum apud omnes percrebresceret, idem Sixtus prædecessor noster è sublimi Apost. Sedis specula ea aspiciens, digitum Dei qui facit mirabilia magna solus, ibi plane esse intellexit, itaque & sponte sua, & claræ memoriæ Federico Romanorum Imperatore, Regibus, Rebuspub. Ducibus, Ciuitatibusque permultis vehementer requirentibus, ac omnium fere fidelium consensu efflagitante, de viro præstantissimo Bonauentura Episcopo Card. in Sanctos referendo, Pont. Romano dignam cogitationem suscepit. Summa igitur cura, & diligentia, vitæ illius eximia sanctitate, & miraculorum veritate examinata atque comperta, omnibus denique, quæ ad eam rem pertinebant, rite recteque actis ad Dei gloriam & Ecclesiæ Catholicæ exaltationem, pro sua summa, eique à Deo in Beato Petro Apostolo tradita potestate, eumdem Beatum Bonauenturam de fratrum suorum S.R.E. Cardinalium, & Prælatorum omnium consensu in Sanctos retulit, & in SS. Confessorum Pontificum Doctorum numerum adscripsit atque aggregauit, eiusque festum anniuersarium diem, secunda mensis Iulij Dominica die celebrari, officiumque de eo, veluti de Confessore Pontifice Doctore in vniuersa Ecclesia recitari iussit, aliis item decretis adiectis, quæ in eiusdem Sixti literis plenius continentur.

Et modo hic Pontifex ex multis validissimisq; rationibus hic expressis, ad eiusdem S. Bonauenturæ Sanctitatem & doctrinam illustrandam, animum applicauit.

§. 10. Et quamuis glorioſus hic Doctor S. Bonauentura, & in Ecclesia Catholica celeberrimus sit, & in Cœlo maxime resplendeat, vbi corona illa est coronatus, quam repromisit Deus diligentibus se, nec vlla humana re indigeat, qui bonis illis cum Christo perfruitur, quæ nec oculus vidit, nec in cor hominis ascenderunt, vrget nos tamen charitas Christi, & ardens quidam deuotionis affectus, quo erga eum ab ineunte fere ætate perpetuo exarsimus, vt de eius sanctitate & doctrina magis magisque propaganda, atque illustranda, quantum cum Domino possumus, cogitemus. Mouemur quidem, vt par est, sancta cum eo communione Seraphicæ Religionis nostræ, in qua educati, & tot annos versati sumus, & cui tanquam matri optime meritæ, omnia pietatis & grati animi monumenta præstare debemus, sed multo magis mouent nos Dei gloria, pastorale officium quod gerimus, viri sanctissimi pro Ecclesia Dei tot suscepti labores, tot illustria merita, tanta cum Romana Ecclesia coniunctio, in cuius amplissimo ordine, & Senatu summa cum laude consedit. Denique mouet nos Ecclesiæ vniuersalis vtilitas, quæ ex tanti doctoris eruditione semper maior & vberior capi potest, præsertim cum hæreticorum insidiæ, & diabolicæ machinationes, quibus sacram Theologiam, quæ Scholastica appellatur, hoc luctuoso sæculo oppugnant, vehementissime nos magnopere admoneant, vt eamdem Theologiam, qua nihil Ecclesiæ Dei fructuosius omni studio retineamus, illustremus, propagemus. Diuino enim illius munere, qui solus dat spiritum scientiæ & sapientiæ & intellectus, quique Ecclesiam suam per sæculorum ætates, prout opus est, nouis beneficiis auget, nouis præsidiis instruit, inuenta est à maioribus nostris sapientissimis viris Theologia Scholastica, quam duo potissimum glorioſi Doctores Angelicus Sanctus Thomas, & Seraphicus Sanctus Bonauentura clarissimi huius facultatis professores, & primi inter eos qui in Sanctorum numerum relati sunt, excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus, & vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamque optime dispositam, multisque modis præclare explicatam posteris tradiderunt, & huius quidem tam salutaris scientiæ cognitio, & exercitatio, quæ ab vberrimis diuinarum literarum Summorum Pontificum, Sanctorum patrum, & Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiæ adiumentum afferre potuit, siue ad scripturas ipsas vere, & sane intelligendas, & interpretandas, siue ad patres securius & vtilius perlegendos, & explicandos, siue ad varios errores, & hæreses detegendas, & refellendas. His vero nouissimis diebus, quibus iam aduenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta & homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt, in peius, errantes, & alios in errorem mittẽtes, sane Catholicæ fidei dogmatibus confirmandis, & hæresibus confutandis perneceſſaria est, & profecto rem ita se habere ipsimet veritatis inimici sunt iudices quibus Theologia Scholastica maxime est formidolosa, qui profecto intelligunt, apta illa, & inter se nexa rerum, & causarum cohærentia, illo ordine, & dispositione tamquam militum in pugnando instructione, illa argumentorum firmitate, & acutissimis disputationibus lucem à tenebris, verum à falso distingui, eorumque mendacia multis præstigiis, & fallaciis inuoluta tamquam veste detracta patefieri, ac denudari. Quanto igitur magis illi hanc munitissimam Scholasticæ Theologiæ arcem oppugnare, & euertere conantur, tanto magis nos decet hoc inuictum fidei propugnaculum defendere, & hæreditatem patrum nostrorum conseruare, & tueri, & acerrimos veritatis defensores meritis honoribus quantum possumus decorare.

Et ideo Collegium S Bonauenturæ apud basilicam SS. Apostolorum de Vrbe instituit.

§. 11. Quamobrem vt Seraphici Doctoris eruditio ad multorum vtilitatem latius diffundatur, & ex eius libris & operibus eruditi, & studiosi viri, copiosiores suauioresque in dies fructus capiant, (quod ad ipsius Sancti quamquam in cœlo beatissimi, gloriam aliquam facere non est dubitandum) primum quidem in Alma Vrbe nostra in hac basilica Sanctorum Duodecim Apostolorum, Sancti Bonauenturæ nomine Collegium instituimus, in quo ex huius præcipue eximij, deuotique Doctoris operibus & commentariis, sacra Theologia publice explicetur.

Eiusque opera omnia simul & emendatissime è Typographia Vaticana in lucem emitti curauit.

§. 12. Deinde etiam opera illius omnia, quæ inueniri potuerũt partim nondum edita, nostraque auctoritate & impensis vndique conquisita, partim iam euulgata simul omnia decenti forma, & quam emendatissime imprimi, & è Typographia nostra Vaticana in lucem emitti curamus. Quod autem ab ipso Pontificatus nostri initio, Deo pie credimus inspirãte constanter proposuimus S. huius Doctoris nomen, & merita glorioſa apud omnes pro viribus celebrare, fideliumque erga eum venerationem augere & amplificare.

Et sicut Pius V S. Thomam sui Ordinis Prædicatorum decus, exornare volens, eius festum celebrari iussit. Ita iste Pont. idẽ S. Bonauentura sui Ordinis Conuentualium S. Francisci ornamento, deberi existimauit ob multã inter ipsos Sanctos virtutis Sanctitatis, doctrinæ & meritorum cõiunctionem & similitudinem.

§. 13. Sane ad id quoque non mediocriter excitati sumus exemplo sanctæ memoriæ Pij Papæ Quinti prædecessoris nostri de Christiana Republica optime meriti, & quem vt parentem adhuc reuereamur, & colimus. Is enim religioſa pietate, & singulari deuotione permotus, qua afficiebatur erga Sanctum Thomam de Aquino Ordinis sui decus, & Ecclesiæ Catholicæ ornamentum, cupiens eodem modo eumdem Sanctum ob eius præstantissima in Catholicam Ecclesiam merita congruis honoribus exornare, præter alia hoc iussit atque decreuit, vt illius festus dies quotannis duplicis officij ritu ad instar Sanctorum quatuor Ecclesiæ Doctorum perpetuo celebraretur, quod & Sancti Bonauenturæ Doctori eximio tribui debere equum profecto, existimamus, cum tam multa inter eos virtutis, sanctitatis, doctrinæ, meritorum coniunctio, & similitudo intercedat. Hi enim sunt duæ oliuæ & duo candelabra in domo Dei lucentia, qui & charitatis pinguedine, & scientiæ luce totam Ecclesiam colluſtrant, hi singulari Dei prouidentia eodem tempore tamquam duæ stellæ exorientes ex duabus clarissimis Regularium Ordinum familiis prodierunt, quæ Sanctæ Ecclesiæ ad Catholicam Religionem propugnandam maxime vtiles, & ad omnes labores, & pericula pro orthodoxa fide subeunda paratæ semper existunt, ex quibus tamquam ex fertili, & bene culto solo quotidie per Dei gratiam fœcundæ & fructuosæ plantæ procreantur, hoc est viri doctrina & sanctitate præstantes, qui Petri nauiculæ tot fluctibus agitatæ

Digitized by Google

& Romano Pontifici,eius clauum non ſine magna ſollicitudine tenenti, fortem, & fidelem operam nauant. Hi duo Sancti cum eſſent coæui, ijſdemque ſtudiis dediti, condiſcipuli, ſimul Magiſtri, pari ratione à Gregorio Decimo Summo Pontifice, cum amboad Concilium euocarentur, honorati, & in huius vitæ peregrinatione fraterna charitate,ſpirituali familiaritatate, ſanctorum laborum ſocietate valde coniuncti fuerunt, & denique pari greſſu ad Cœleſtem patriam commigrantes pariter felices & glorioſi illa ſempiterna beatitudine perfruuntur, vbi eodem charitatis effectu, vt pie credimus, pro nobis in hac lacrymarum valle laborantibus orant diuinamque opem implorant, vt merito idem Sixtus IV. hos duos Sanctos per ſimiles, & quaſi geminos in Chriſto fratres agnoſcens, ſtatuerit S. Bonauenturam conſimili venerationis,& honoris prærogatiua,atque S.Thomas decorandum eſſe.

Et doctrinam S. Bonauent. commẽdat,& ipſum inter egregios Eccleſiæ Doctores annumerat.

§. 14. Quod igitur à nobis,& Seraphici Ordinis charitas, & Sancti Bonauenturæ meritorum magnitudo, & Catholicæ Eccleſiæ, cuius gubernacula nobis, licet immerentibus à Deo commiſſa ſunt, vtilitas, & ædificatio requirit, habita ſuper his omnibus cũ venerabilibus fratribus noſtris S.R.E.Cardinalibus, deliberatione matura, de eorumdem conſilio, & vnanimi aſſenſu, & ex certa noſtra ſcientia,ac de attributæ nobis Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuo valitura conſtitutione,doctrinam ipſius Sancti Bonauenturæ à ſupradictis prædeceſſoribus noſtris Clemente Quarto,Gregorio Decimo,& Sixto Quarto laudatam in Concilio Lugdunenſi maxime ſpectatam, in Florentino, etiam ad res difficiles explicandas adhibitam, grauiſſimorum virorum auctoritate teſtificatam & commendatam, & eximio Eccleſiæ Doctore dignam, nos quoque plurimum in Domino laudamus & commendamus ac literas eiuſdem Sixti Quarti quas pro expreſſis hoc loco haberi volumus, excepta eius ordinatione de feſto die S. Bonauenturæ ſecunda Dominica Iulij celebrando, harum tenore approbantes & innouantes, ipſum Sanctum Bonauenturam iure Sanctorum Doctorum conſortio ab eodem Sixto Quarto adſcriptum, & connumeratum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium inter præcipuos & primarios, qui Theologicæ facultatis magiſterio excelluerunt habendum, ac venerandum eſſe decernimus, & declaramus.

Eiuſque opera é Typographia Vaticana emittẽda, publice citari decernit.

§.15.Atque ob eam cauſam ſperantes in Domino,huius Seraphici Doctoris lucubrationes ad doctrinam & deuotionem quam in Clero populoque Chriſtiano magnopere lucere & ardere cupimus, maximo adiumento fore, illius libros, commentarios, opuſcula, opera denique omnia, prout ex noſtra Typographia Vaticana, quã emendatiſſima, vt ſupradictum eſt, emittuntur, vt aliorum Eccleſiæ Doctorum qui eximij ſunt, non modo priuatim, ſed publice in Gymnaſiis, Academiis, Scholis, Collegiis,lectionibus, diſputationibus, intepretationibus, concionibus, ſermonibus, omnibuſque aliis Eccleſiaſticis Studiis, Chriſtianiſque exercitationibus citari, proferri, atque cum res poſtulauerit, adhiberi volumus & decernimus.

Feſtum die 14. Iulij duplici officio celebrari iubet.

§.16. Et nihilominus, vt ſapientiſſimi huius Doctoris glorioſa recordatio, ſi non pro ipſius dignitate, at ſaltem pro humana tenuitate, ob ingentia illius merita ardentiori ſtudio recolatur, fel rec. prædeceſſorum noſtrorum Bonifacij Papæ Octaui, qui de ſanctis quatuor Doctoribus, & Pij Papæ Quinti, de prædicto Sancto Thoma eadem præceperunt, exemplo adducti præcipimus, vt eiuſdem Sãcti Bonauenturæ dies feſtus in omnibus Chriſtiani orbis partibus ſub duplici officio à cunctis perſonis, Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & quorumuis Ordinum regularibus,tam publice quam priuatim pridie Idus Iulij, (non obſtante prædicta Sixti Quarti ordinatione de ſecunda Dominica dicti menſis) celebrari atque in Kalendariis, cum Doctoris nomine, & Feſti duplicis adiectione deſcribi, & imprimi debeat, etiamſi in nouiſſimis Breuiarij, & Miſſalis Romani reformationibus aliter depoſitum fuerit, neque ſecus atque à nobis, vt ſupra, ordinatum fuit, per quoſcumque quauis auctoritate præditos, cenſeri aut interpretari poſſe decernimus.

Indulgentiaſque pro die d. ſuæ feſtiuitatis concedit.

§. 17. Hortantes vniuerſos vtriuſque ſexus Chriſtifideles Ciuitatis Balneoregij, quæ clariſſimum hoc edidit lumen, & illius diœceſis,vt eodem die feſto à ſeruilibus, de ſanctæ Eccleſiæ more operibus abſtineant. Vt autem Chriſtifidelium deuotio ad Seraphici huius Doctoris diem feſtum colendum,eiuſque opem pie implorandam, eo magis accendatur, quo ex hoc Cœleſtis gratiæ dono ſe vberius conſpexerint eſſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus,tam in dicta Ciuitate & diœceſi Balneoregij quam in præclara Galliæ Vrbe Lugduno,vbi ille bono certamine legitime decertato, curſu conſummato,fide ſeruata, ex hoc calamitoſo ſæculo ad meritorum ſuorum præmium & coronam in Cœlum feliciter migrauit, in Almaque Vrbe noſtra, vbi in hac baſilica Sanctorum Duodecim Apoſtolorum Collegium, à nobis, vt iam diximus eſt erectum,conſtitutis,qui eius feſtum huiuſmodi, vt ceteras de præcepto Eccleſiæ ſeruari ſolitas feſtiuitates, deuote colentes, vere pœnitentes, & ſacramentali peccatorum ſuorum confeſſione præmiſſa,eo die ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam,& remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Qui vero Eccleſias Fratrum Minorum S. Franciſci ipſo die feſto à primis veſperis vſque ad occaſum Solis eiuſdem diei deuote viſitauerint, pias inibi ad Deum preces, prout ſua cuique ſuggeret deuotio, effundentes, decem annos & totidem quadragenas de iniunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis per præſentes literas perpetuo duraturas, quas ſub quibuſuis indulgentiarum reuocationibus,vel limitationibus nullo modo comprehendi volumus, miſericorditer in Domino relaxamus.

Hanc conſtitutionem vbique promulgari & obſeruari præcipit.

§. 18. Quocirca fraternitati, & diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus; vt præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, in ſuis quilibet Prouinciis, Ciuitatibus, Eccleſiis,& Diœceſibus ſolemniter publicari, & ab omnibus perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & quorumuis Ordinum regularibus vbique locorum & gentium inuiolate perpetuo obſeruari procurent.

Eiuſque exẽplis credi iubet.

§.19.Volumus autem,vt earumdem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides vbique adhibeatur,quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum approbationis,innouationis decretorum, declarationis, voluntatum, præcepti, conceſſionis, elargitionis, relaxationis, & mandati, infringere,vel ei auſu temerario contraire.Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

D. P. An. 3. 15. Martij.

Datum Romæ apud Baſilicam Sanctorum Duodecim Apoſtolorum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo, Pridiæ Idus martij, Pontificatus noſtri Anno tertio.

Papa ſubſcr.

Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Cardd. ſubſcr.

Ego Alex. Catd. Farneſius Vicecancellarius Epiſcopus Oſtien.
Ego Io. Ant. Epiſc. Portuen. Card. S.Georgij.
Ego Alph.Card. Geſualdus, Epiſc. Tuſculan.
Ego Inn.Aualus Card.de Arag.Epiſcopus Sabinen.
Ego Marcus Ant. Card, Columna Epiſc.Prænestin.
Ego Ptolomæus Cardinalis Comenſis Epiſc.Albanen.
Ego Marcus Siticus Card. ab Altaemps tit. S. Mariæ Tranſtiberim.
Ego Proſper Cardinalis Sanctacrucius tit. Sancti Clementis.
Ego Gabr. Cardinalis Paleottus tt. Sancti Laurentij in Lucina.
Ego Frater Michael Bonellus Card. Alexandrinus tt. S. Mariæ ſuper Mineruam.

Ego

Digitized by Google

Ego Ludouicus tt. S. Anastasiæ.presb.Card.
Ego N.de Pelleue tt.S.Praxedis Card. Senonen.
Iul.Ant.tt. S.Barthol. in Insula presb.Card. S. Seuerinæ.
Ego Hier.Card.Rustic.tt.S.Susannæ.
Ego Io.Hier. Card. Alban. tt.S. Ioannis ante portam Latinam.
Ego Hier. Card. Simoncellus tit. S.Priscæ.
Ego P.Card. Deza tit.S. Hier. Illyricorum.
Ego Ant.Card.SS.Ioannis & Pauli Card. Carafa.
Ego Io.Ant.Card.SS.Quatuor.
Ego Io.Baptista Card.tt.S.Marcelli.
Ego Franciscus Card.de Ioyeuse tt.Sanctiss. Trinitatis in Monte Pincto.
Ego Iul.Card.Cananus,tt.S.Eusebij.
Ego Nic. Card.Cremonen.tt.S. Cæciliæ.
Ego Ant.Maria Card.Saluiatus tt.S.Mariæ de Pace.
Ego Aug.Card.Vetonæ tt.S.Marci.
Ego Vincentius tt.S.Mariæ in Via Car.Montis regalis,
Ego Philippus Card.Spinula tt.S.Sabinæ.
Ego Scipio Card. Lancellottus, tit. Sancti Saluatoris in Lauro.
Ego Vincentius Card.Gonzaga tt.S.Alexij.
Ego Henricus Cardinalis Caietanus tituli S.Pudentianæ S.R.E.Camerarius.
Ego Io.Baptista Card.Castrucius tt.S.Mariæ in Aracœli.
Ego Federicus Card.Cornelius tit.S. Stephani in Monte Cælio.
Ego Dominicus tt.S.Laurentij Card.Pinellus.
Ego Hippolytus Card. Aldobrandinus tit. S. Pancratij, Maior Pœnitentiarius.
Ego Hier. tt.S.Petri ad Vincula Card.de Ruuere.
Ego Philippus Card.de Lenoncourt tt.S.Honuphrij.
Ego Fr. Hier. Card.Ascul.tt. S.Thomæ in Parione.
Ego Ant. Maria tit. S. Agnetis in Agone Card.Perusinus.
Ego Fr. Constantius Car.Sarnanus tt. S. Petri in Monte Aureo.
Ego G. Card.Alanus tt.S. Martini in Montibus.
Ego Scipio Card.Gonzaga tt.S.Mariæ de Populo.
Ego Ant.Card.Saulius tt.S.Vitalis.
Ego Euangelista Card. Cusentinus tt.S. Matthæi in Merulana.
Ego Fr. Stephanus Card. Aretinus tit. SS. Marcelli & Petri.
Ego F. Card.Sfortia diac.S.Nicolai in Carcere.
Ego Alexand. Card. Montaltus diaconus S.Eustachij.
Ego Hieronymus S.Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis,Matthæius.
Ego Benedictus S.Agathæ diac.Card. Iustinianus.
Ego Ascanius SS.Viti & Modesti, & Crescentiæ diac. Card.Columna.
Ego Federicus S.Mariæ in Dominica diac. Card. Borromæus.

Publicatio. *Anno à Natiuitate D. 1588. indict. 1. die vero Veneris decimaoctaua mensis Martij, Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno eius 3. retroscripta litera Apost. affixa & publicata fuerunt in valuis seu portis S. Ioannis Lateranensis, & S. Petri Principis Apost. de Vrbe, necnon Cancellaria, Apost. & acie Campi Florę, & per aliquod temporis spatium dimissę, per nos Io. Baptistam Bagni, & Io. Burlurault S. D. N. Papæ Curs.*

Alex.Parabiacus Mag.Curs.

LXXVII.

Quomodo Clerici regulares S. Pauli decollati, nouitios ad eorum Religionem admittere possint.

De institutione huius Congregationis, & aliis quæ eam respiciunt, dixi plene ad const. 37. Clem. VII. Vota. *sup.*

Edita An.D. 1588.

SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

EXigit incumbentis nobis Apostolicæ seruitutis officium, vt Monasteriorum, & Regularium locorum quorumlibet propagationi, pauperumque clericorum in eis pro tempore recipiendorum pio desiderio, quantum cum Deo possumus prouidere studeamus.

Cauebatur in constitutionibus Congreg. ne illegitimi vel aere alieno grauati, vel facinorosi, ad hãc religionẽ admitterentur.

§. 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Præpositi generalis, ac presbyterorum & clericorum Congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli decollati canonice institutæ, petitio continebat, quod alias per constitutiones dictæ Congregationis quæ cum interuentu bon. mem. Caroli tituli Sanctæ Praxedis presb. Card. Borromæi nuncupati dum viueret Ecclesiæ Mediolanensi, ex dispensatione Apost.Præsulis, necnon dilecti filij nostri Ioannis Antonij Episcopi Portuen. sancti Georgij nucupati, eiusdem Congregationis Protectoris adid accedente voto & consensu factæ & stabilitæ extiterunt, inter alia sancitum fuit; ne illegitimè nati; etiam per subsequens matrimonium postea legitimati, æreque alieno grauati, & qui antea facinorosam vitam duxissent, in dicta Congregatione admitterentur, aliaque diligens super hoc inquisitio; ipsaque receptio volentium dictam Congregationem ingredi in Ciuitate Mediolanensi ad quam post longam probationem à locis inquibus præfati fuerint propterea mittuntur, à præposito generali, & quatuor assistentibus eiusdem Congregationis fieret.

Et ab ipso Pontifice prohibita fuit receptio extra Capitulum vt sup. in eius const. 71. Cum de omnibus.

§. 2. Nouissime vero nostra in perpetuum valitura constitutione super hoc edita, statuimus ac voluimus, vt antequam quis in eadem Congregatione reciperetur, causæ huiusmodi examinarentur ipsaque recentio in Capitulo generali, siue prouinciali dictæ Congregationis fieri deberet prout in singulis constitutionibus prædictis plenissime dicitur contineri.

Et quia ista Congregatio quolibet tantum triennio Cap. generale celebrat, & prouinciale nusquam, idèo receptio venientium ad religionem nimium protrahitur.

§. 3. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, presbyteri, & clerici dictæ Congregationis nondum sint in Prouincias distincti, ac proinde numquam Capitulum prouinciale, generale vero singulo quoque triennio tantum facere ac celebrare soleat, cupientes & petentes in ipsam Congregationem recipi cogantur expectare, donec ipsum Capitulum fiat, mutataque postea eorum voluntate, & pia intentione, aliam vitam eligant, in maximum Congregationis huiusmodi damnum, prætudicium & incommodum.

Congregatio itaque à Papa prouisionem petit

§. 4. Quare Præpositus generalis, presbyteri & clerici prædicti nobis humiliter supplicari fecerunt, vt eis in præmissis opportune prouidere de benignitate Apost. dignaremur,

Hic ideo Pontifex dat auctoritatẽ Præposito eiusque assistentibus, omnes tempore venientes ad religionem, & à sua const. non prohibitos recipiendi.

§. 5. Nos igitur dictæ Congregationis amplitudinem, & singulorũ in illa profectum, inter ceteras nostri pastoratis officij curas, tota animi propensione cupientes, ipsosque Præpositum generalem, presbyteros & clericos, à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluẽtes, & absolutos fore censentes, ac veriores nostræ & Congregationis constitutionum prædictarum tenores præsentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati Præposito generali, presbyteris & clericis prædictis, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, modernus & pro tempore existens Præpositus generalis, illiusque Assistentes, quoscumque cupientes in dicta Congregatione recipi; qui tamen à constitutione nostra prædicta post prohibeantur, non expectato Capitulo generali, sed quocumque alio tempore, de consensu omnium Assistentium, nemine penitus discrepante recipere & admittere libere, & licite valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo indulgemus, eisque desuper licentiam concedimus, & impartimur. Decernentes Præpositum generalem presbyteros & clericos prædictos nullatenus vnquam desuper per quoscumque quomodolibet molestari, vel impediri posse, ac ex nunc irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarijs derogat.

§. 6. Non obstantibus nostra prædicta, ac quibusuis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrarijs quibuscumque

Nulli ergo omnino &c. Si quis autem &c.

Digitized by Google

Dat. P. An. 3. 15. Martij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo, Idibus Martij, Pontificatus noſtri Anno tertio.

LXXVIII. Inſtitutio præſidij ducentorum millium ſcutorum, pro vbertate Annonæ in Alma Vrbe.

Congregationem Cardinalium ſuper iſta Annona inſtituit hic idem Pontifex in conſt. 74. Immenſa. *in Congreg.* 4. *Et aliam Congregationem ſubordinauit Paulus V. in ſua conſt.* 70. Paſtoralis. *vbi dicam.*

Edita An. D. 1588.

SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Cauſa huius inſtit.

ABundantes diuinæ gratiæ diuitias, & incredibilem benignitatis vbertatem ſæpenumero recogitantes, quam ſuper humilitatem noſtram, ab ipſo ſuſceptæ Apoſtolicæ ſeruitutis initio, ille dignatus eſt oſtendere, qui ſolus diues eſt in miſericordia, cogimur multorum bene ficiorum tamquam ingenti pondere oppreſſi, cum ſancto propheta exclamare. Quid retribuam Domino pro omnibus; quæ retribuit mihi? Etenim notũ eſt omnibus, in quas rerum anguſtias & difficultates Pontificatus noſtri initia inciderint, cum infinita quadam exulum & facinoroſorum hominum licentia omnia perturbata eſſent, cum rei frumentariæ inopia omnis fere ditio S.R.E. in temporalibus ſubiecta, & ipſa potiſſimum Roma magnopere laboraret, cum denique Apoſtolicum Ærarium ita exinanitum reperiſſemus, vt in ſumma pecuniarum difficultate verſaremur, quibus tot incommodis nequaquam detertiti, ſed Dei auxilio freti, cui bona omnia accepta referimus, in eas omnes curas eodem tempore alacriter incubuimus. Quare & compreſſa improborum audacia tranquillitas publica reſtituta eſt, & Ærarium abunde inſtructum, & frumento ſtatim non mediocri ſumptu & labore ſuppeditato, Annonæ charitas ita ſubleuata eſt, vt eam copiam & abundantiam, quæ poſtea benedicente Domino conſecuta eſt, & qua nunc fruimur, æquo omnes animo expectare potuerint. Fatemur tamen, paterna viſcera noſtra, quibus omnes fideles, ſed præcipue eos, qui ſunt in temporali Dominio noſtro in Chriſto complectimur, nulla re magis commota eſſe, quam illa Annonæ charitate, nam in Vrbe hominibus refertiſſima, ſi fames ingruat, aut Annona durior ſit, pauperes maxime, quorum ingens eſt multitudo, vehementius conflictantur, qua ex re quam multa mala dimanent, nihil neceſſe eſt multis verbis explicare; cum plane perſpicuum ſit humanarum calamitatum caput eſſe famem, & quouis mortis genere acerbiorem. Quod quidem, & miſerabilis illa apud Prophetam lamentatio declarat, Omnis populus eius gemens & quærens panem. Scientes igitur nos, licet immeritos, eius locum in terris tenere, qui non ſolum panem ſuperſubſtantialem tribuit, quo anima reficitur, ſed terrenum etiam panem, quo corpus quotidie ſuſtẽtatur, quique in deſerto ſemel miſericordia motus eſt ſuper turbas nõ habẽtes cibaria, eiuſque Apoſtolos ſuos panem diuinitus multiplicatum diſtribuere iuſſit. Nos quoque pro noſtra paſtorali ſolicitudine ſummopere cupimus, quantum cum Domino poſſumus, quam longiſſime prouidere, vt hæc noſtra Alma Vrbs, ad quã quotidie tamquam ad communem patriam Nationes omnes confluunt, quamque omnibus commodis, & ornamentis augere ſtudemus, non ſolum rei frumentariæ inopia nequaquam vexetur, ſed vberiore potius copia, & vtilitate quantum fieri poteſt, perfruatur. Nec vero ignoramus bonorum omnium largitorem Deum, qui fructum frumenti, vini & olei multiplicat, qui ſemen ſeminanti adminiſtrat, & panem ad manducandum præſtat, ſed illud etiam ſcimus à ſeruo ſuper familiam Domini conſtituto, & fidem & prudentiam requiri, vt det illi cibum in tempore, & in diuinis ſcripturis pigrum ad formicam mitti, vt diſcat in æſtate parare quod in hyeme comedat, & denique humanæ prouidentiæ adiumenta illa merito laudanda eſſe, quæ ad Dei gloriam relata, eius in primis ope nituntur, & in eo præcipue conquieſcunt. Illud autem eleemoſynæ genus Deo gratiſſimum eſſe arbitramur, quod in commune diſtributum, ad omnium egeſtatem ſubleuandam maxime accommodatur. Quamobrem nullis quamuis magnis impenſis parcentes, & publicæ præſertim pauperum vtilitati opportune prouidere cupientes, prægrandem pecuniam ſeponere, & certo in loco collocare decreuimus, quæ annonæ & abundantiæ, quam appellant, perpetuo attributa ſit, reique frumentariæ copiæ curandæ & comparandæ in poſterum, perpetuo deſeruiat.

Ducenta millia ſcuta hic Pont. à ſui ipſius & Cam. Apoſt. dominio abdicat, & pia cauſa pro Annona ſcilicet vbertate perpetuo donat.

§. 1. Habita igitur ſuper his cum venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus deliberatione matura, de eorumdem fratrum conſilio & aſſenſu, ex certa noſtra ſcientia ac de nobis attributæ Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ducenta millia ſcuta monetæ ad rationem decem iuliorum pro quolibet ſcuto, ex pecuniis noſtra parſimonia & frugalitate, ac diligentia ad publicam vtilitatem comparatis, apud dilectum filium Ioannem Auguſtinum Pinellum laicum Genuenſem, noſtrarum & Cameræ Apoſtolicæ pecuniarum Depoſitarium, realiter & cum effectu depoſita, & collocata, prout de eorum reali & actuali receptione ac confeſſione & quietatione ipſius Ioannis Auguſtini publico inſtrumento per dilectum filium Tydeum de Marchis dictæ Cameræ Notarium deſuper rogatum hodierno mane in eadem Camera confecto plene conſtat, prędictæ piæ cauſæ ad Annonam pertinenti perpetuo applicamus, appropriamus, & incorporamus, ac pro potiori cautela, titulo donationis, quæ dicitur inter viuos perpetuo valituræ, irreuocabiliter concedimus, donamus & elargimur, atque omnem prædictæ pecuniæ proprietatem, ius, & dominium, etiam à nobis ipſis & Camera Apoſtolica penitus abdicantes, eadem ducenta millia ſcuta ad parandam Annonæ copiam, ſiue illius penuriam, inopiam, & charitatem ſubleuandam dumtaxat, nec in aliam cauſam, ſiue vniuerſam quantitatem, ſiue illius partem quæcumque illa fuerit inſumendam eſſe.

Itaque pro alia etiã vrgentiori neceſſitate expendi prohibet. Nam pro aliis grauioribus nedtgentiis locupletiſſimum pecuniarum præſidiũ colligit, & in Arce S. Angeli repoſuit vt in conſtit. 31. & 60.

§. 2. Idque etiamſi cuiuſuis alterius rei propoſitæ, aut de qua tunc eſſet agendũ, maior vigeret neceſſitas, vel aliud experere, aut efflagitare præſens vtilitas videretur, ſancte & religioſe omnino ſeruari debere, de ſimilibus conſilio & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium pariter perpetuo ſtatuimus & ordinamus. Siquidem ad certas alias vrgentes & graues, quæ contingere poſſent indigentias vel neceſſitates, Ærarium benedicente Domino locupletiſſimum, noſtra etiam cura ac ſolicitudine partum, & Deo dicatum perpetuo extabit.

Succeſſores hortatur ne dum huiuſmodi pecuniã comminuant, ſed indies maiora præſidia præparent.

§. 3. De iiſdem vero pecuniis ad hanc maxime piam cauſam, omnibuſque in Vrbe degentibus, atque ad illam vndequaque confluentibus apprime ſalutarem, benigne & liberaliter iam per nos applicatis, donatis, atque elargitis, ſicuti de cereris piis per nos factis largitionibus, aliter quam vt præfertur, perpetuis futuris temporibus diſponi ſtricte interdicimus, & prohibemus, certa ſpe ducti Rom. Pont. noſtros pro tempore ſucceſſores ad Annonæ incommoda ſubleuanda paratam huiuſmodi pecuniam nedum imminuturos, verum exemplo Patriarchæ Ioſeph in Ægypto, dum ipſi veri Ioſeph, qui eſt Chriſtus Dominus, pro iniuncto munere locum obtinebunt in terris, noua adiumenta aduerſus famem, illiuſque incommoda eſſe laturos, ac pro eo, quem erga Chriſti pauperes vniuerſi Status Eccleſiaſtici, ac præcipue Sacerdotalem & Regiam hanc Vrbem Chriſtianę Religionis domicilium, beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli pretioſo martyrio conſecratam, gerere debent inſigni affectu, alia in dies maiora ſubſidia præparaturos eſſe.

Congregationique Cardinalium per ipſum Pontif. ſuper vbertate Annonæ nuper inſtitutæ adhibitis ſecum Theſaurario Clerico Annonæ Prafecto, & Commiſſario camerę Apoſt. adminiſtrationem huiuſmodi pecuniarum commiſit.

§. 4. Ac præterea Congregationi venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, ſuper vbertate Annonæ, nunc & pro tempore deputatorum per nos nuper inſtituræ, earumdem pecuniarum ad rei frumentariæ atque aliarum cuiuſuis generis frugum, quibus ad vitæ humanæ ſuſtentationem indigemus, copiam & vbertatem, tam in Vrbe noſtra, quam in vniuerſo Statu Eccleſiaſtico temporali parandam & prouidendam, adhibitis ſecum dilectis filiis Camerę Apoſtolicæ Theſaurario generali, Clerico Annonæ Præfecto, & Commiſſa-

Digitized by Google

rio etiam generali. Ita tamen quod ipsæ pecuniæ in huiusmodi Annonæ vsus, ad nutum & iussionem eiusdem Congregationis, cum mandato à dicto Præfecto, prout adhuc seruatum est, expedito, nec alias erogentur, vel expendantur, ac rursus sic erogatæ vel expensæ suo tempore recuperentur, liberam absolutamque administrationem, dictasque pecunias, si quando peccatis populi id promerentibus, terræ stabilitas, quod Deus auertat, in temporali Ecclesiastica ditione contigerit, ad conuehendum aliunde commeatum, in toto vel in parte per eosdem Thesaurarium, Annonæ Præfectum, & Commissarium erogari, ac rursus si quid tempore famis ex dicta summa decesserit, postea vbi temporis opportunitas tulerit, illam redintegrari, atque vbi expedire videbitur, in Ærarium Apostolicum Castri S. Angeli referri & asseruari, atque inde, quoties occasio postulauerit, libere depromi & extrahi eorum arbitrio faciendi. Ita tamen vt datorum & acceptorum rationes, & computa, in Camera Apostolica singulo trimestri, in ipsa vero Cardinalium Congregatione singulis annis integre reddantur, plenam ac pariter liberam & omnimodam concedimus facultatem. Volentes eumdem Ioannem Augustinum & pro tempore existentem Depositarium dictæ pecuniæ ad Annonam pertinentis, in erogandis aut exigendis vel in vnum redigendis pecuniis prædictis eam ob causam exponendis, aliorum quam dictæ Annonæ Præfecti mandato, in illis vero in dictum Ærarium redigendis, seu inde extrahendis, aliorum quam dictæ Congregationis Cardinalium, aut eorum maioris partis ordinationibus & mandatis, etiamsi quascumque pœnas aut censuras in se continerent, parere minime teneri, & quotumuis etiam aliorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, illiusq; Collegij, ac Cameræ Apostolicæ iussa, & imperium impune ea in re detrectare, posse, quinimmo ipsum Ioannem Augustinum & pro tempore existentem Depositarium, ab omni cuiuscumque alterius Iudicis aut Magistratus, quauis dignitate & auctoritate fungentis, superioritate, & iurisdictione, quoad negocia ipsam Annonam concernentia, prorsus eximimus & liberamus, atque immunem constituimus. Inhibentes quibusuis Iudicibus, Præsidentibus & Officialibus ne circa præmissa se intromittere vel ingerere, aut Ioannem Augustinum vel Depositarium pro tempore existentem prædictos quomodolibet molestare, perturbare, aut inquietare audeant vel præsumant.

Cardinales eiusdem Congregationis executores huius constit. deputat.

§. 5. Quocirca dictos Cardinales nunc & pro tempore in eadem Congregatione deputatos, eiusdem negocij Protectores atque defensores, ad hoc vt in omnibus, quæ his literis continentur, auctoritatem suam interponant, ac difficultates quæ suboriri possent remoueant, perpetuo constituimus & deputamus; eisque per præsentes committimus & mandamus, vt quando & quoties opus fuerit, per se vel alium seu alios, præsentes literas & in eis contenta quæcumque, solemniter publicantes, ac tam dicto Ioanni Augustino, & Depositario, qui pro tempore erit, quam aliis quibuscumque, quos præmissa concernent in futurum, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant omnia & quæcumque in eisdem præsentibus literis contenta, perpetuo firmiter & inuiolabiliter obseruari; contradictores & rebelles, per sententias & censuras Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Successoribus indicat legem sibi imposità & decernit, quod pro refarcienda pecunia hac male deprompta licebit agere contra Pontificis contrauenientis & Cardinalium, ac aliorũ qui participes erunt posteros & coniunctos omnes, ad quos eorũ bona quouis modo peruenerint.

§. 5. Si quis autem forte, quod vix nobis persuaderi potest, Successorum nostrorum huic nostro statuto & ordinationi, palam vel occulte contrauenerit, atque constitutam pecuniam in alium quam præscriptum vsum verterit, aut ab aliis eius auctoritate fretis id fieri passus fuerit, eum serio admonemus, vt meminerit quam nobismetipsis quoad disponendum de huiusmodi pecuniis, nostra, vt præfertur parsimonia & solicitudine ad hoc publicum & pium opus comparatis, & intuitu pietatis, atque ad subleuandas Christi pauperum necessitates per nos applicatis, & irrefragabilis donationis titulo, vt dictum est, concessis ac donatis, legem imposuimus, eamdem etiam ab ipso, qui ex debito pastoralis officij annonæ vbertatem ad commune bonum subditorum summo studio procurare tenetur, inuiolate seruari debere, alioquin se in districto Dei iudicio suæ administrationis, & huius peculij ad piam huiusmodi causam destinati, si illud temere violauerit, ac damnorum & malorum quæ inde prouenient, rationem fore redditurum; & præter actionem popularem, quam aduersus eos omnes, qui eorumdem participes fuerint, proponimus, quoniam publica in hoc læderetur vtilitas, scire etiam volumus vniuersos, post derogantis, aut contra statuentis aut mandantis obitum, quibusuis Romanis Pontificibus successoribus licere & liberum esse, iis quæ contra statuta, aut mandata fuerint nequaquam obstantibus, etiam singulis de populo, sicuti in actionibus popularib. fit, ad agendum admissis, vel etiam nemine instante, pro refarcienda pecunia desumpta, illaque recuperanda, aduersus Pontificis derogantis, & contra facientis, atque Cardinalium & aliorum quorumcumque qui eius rei participes fuerint, posteros seu coniunctos omnes, quibus ab ipso Pontifice aut Cardinalibus, vel quibuscumque ex prædictis, bona quouis titulo, aut quauis de causa deuenerint, agere, & possessionem bonorum, quæ ad ipsos testamento, vel ab intestato delata fuerint, apprehendere & retinere, donec quicquid ex summa prædicta imminutum fuerit, id omne quam citissime, etiam per bonorum alienationem & distractionem redintegretur, ac in pristinum restituatur. Ac propterea omnia bona præcipue huic oneri, atque obligationi, cum ea quæ publici iuris sunt, priuatorum commodis omnino præferantur addicta esse.

Decretum irritans; appositi.

§. 7. Sicque in præmissis vniuersis & singulis per quoscumque Iudices & Commissarios, ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apost. Auditores, ac S.R.E. Card. sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quauis causa & instantia, iudicari & definiri debere; necnon si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit irritum & inane decernimus & declaramus.

Clausulas derogatorias addit:

§. 8. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Cameræ Apostolicæ prædictæ iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus: priuilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis quomodolibet concessis approbatis & innouatis; quibus omnibus & singulis etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & individua mentio, aut quæuis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Formam & effectum publicationis huius constitutionis subiũ nectit.

§. 9. Vt autem presentes literæ ad omnium notitiam facilius perueniant, iubemus eas ad valuas Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, & in acie Campi Floræ de more affigi inibi, & inibi ac in Cameræ Apostolica quamprimum publicari, ac earum exempla, tam in prædictis locis affixa relinqui, quam etiam in libris ipsius Cameræ describi, & ad perpetuam memoriam conseruari. Quibus quidem exemplis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis; eamdem in iudicio & extra illud vbique fidem adhiberi volumus, quæ eisdem præsentibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctionem pœnalem subiicit.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ applicationis, appropriationis, incorporationis, concessionum, donationis, elargitionis, abdicationis, statuti, ordinationis, interdicti, prohibitionis, voluntatum, exemptionis, liberationis, constitutionum inhibitionis, deputationis, commissionis mandati, admonitionis, propositionis, decreti, declarationis, derogationis, & iussionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D. P. An. 3. 16. Martij.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo octauo

Digitized by Google

octauo xvij. Calend. Aprilis, Pontificatus nostri Anno tertio.

Papa subscr. Ego Sixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus Subscripsi.

Cardd. subscr. Ego Alex. Cardinalis Farnesius Episcopus Ostien. Vicecancellarius
Ego Io. Ant. Episc. Portuen. Card. S. Georgij.
Ego Alph. Card. Gesualdus, Episc. Tusculan.
Ego Inn. Aualus Card. de Arag. Episcopus Sabinen.
Ego Ptolomæus Cardinalis Comensis Episc. Albanen.
Ego Marcus Siticus Card. ab Altaemps tit. S. Mariæ Transtiberim.
Ego Prosper Card. Sanctacrucius tit. S. Clementis.
Ego Frater Michael Bonellus Card. Alexandrinus tt. S. Mariæ super Mineruam.
Ego Ludouicus Card. Madrutius, tit. S. Anastasiæ.
Ego Nic. Card. de Pelleue, tit. S. Praxedis.
Iul. Ant. tit. S. Bartholomæi in Insula Presb. Card. Sanctæ Seuerinæ.
Ego Hieron. Card. Rusticucius tit. S. Susannæ.
Ego Io. Hieron. Card. Albanus, tt. S. Io. ante portam Latinam.
Ego Hieron. Card. Simoncellus.
Ego Petrus Card. Deza.
Ego Ant. tit. SS. Io. & Pauli Presb. Card. Carafa.
Ego Io. Ant. Card. SS. Quatuor.
Ego Io. Baptista Card. S. Marcelli.
Ego Franc. Cardin. de Ioyeuse, tit. Sanctiss. Trinitatis in Monte Pincio.
Ego Iulius Card. Cananus, tit. S. Eusebij.
Ego Nicolaus, tit. S. Cæciliæ Card. Cremonen.
Ego Ant. Maria Card. Saluiatus, tit. S. Mariæ de Pace.
Ego Augustinus Card. Veron. tit. S. Marci.
Ego Vincentius tit. S. Mariæ in Via Cardinalis Montis Regalis.
Ego Scipio Card. Lancellottus, tt. S. Saluatoris in Lauro.
Ego Henricus tt. S. Pudentianæ Card. Caetan. S. R. E. Camerar.
Ego Io. Baptista tit. S. Mariæ in Aracæli Card. Castrucius.
Ego Dominicus tt. S. Laurentij Card. Pinellus.
Ego Hippol. tit. S. Pancratij Cardin. Aldobrandinus Maior Pœnit.
Ego Hieron. tit. S. Thomæ in Parione Card. Asculan.
Ego Ant. Maria, tt. S. Agnetis in Agone presbyt. Cardin. Perusin.
Ego F. Constant. Card. Sarnanus, tt. S. Petri in Monte Aureo.
Ego G. Alanus, tit. S. Martini Cardin. Anglican.
Ego Scipio, tit. S. Mariæ de Populo Presbyt. Cardinalis Gonzaga.
Ego Antonius Card. Saulius, tit. S. Vitalis.
Ego Euang. Cardinalis Cusentinus, tit. S. Matthæi in Merulana.
Ego Fr. Stephanus Card. Aretinus, tit. Marcellini & Petri.
Ego F. Card. Sfortia, diac. S. Nicolai in Carcere.
Ego Ant. diac. S. Eustachij, Card. Montaltus.
Ego Hieron. S. Mariæ in Cosmedin diac. Card. Matthæius.
Ego Benedictus S. Agathæ diac. Card. Iustinianus,
Ego Asc. SS. Viti, Modesti, & Crescen. S. R. E. diac. Card. Columna.
Ego Federicus S. Mariæ in Dominica diac. Cardin. Borromæus.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini* 1588. *indict.* 1. *die vero Sabbati* 7. *mensis Maij, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. Anno eius quarto, retroscripta litera Apostolica affixa, lecta & publicata fuerunt in valuis seu portis S. Ioannis Lateranen. & Sancti Petri Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & acie Campi Floræ, & per aliquod temporis spatium dimissa, per nos Ioan. Baptistam Bagni, & Ioann. Burlurault, S. D. N. Pap. Curs.*

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

LXXIX. Quod vacent omnes Ecclesiæ & beneficia, eorum qui ad dignitatem Cardinalatus promouentur. Et quando eis datur retentio, intelligatur de beneficiis non requirentibus residentiam in loco, dictæ dignitati non conuenienti.

Alia de Cardinalibus, notaui sup. in const. 50. Postquam. *vbi videas.*

SAnctissimus D. N. Sixtus Papa V. decreuit quod per promotionem ad Cardinalatum vacent omnes Ecclesiæ, & omnia beneficia cuiuscumque nominis, & tituli sint, nisi fuerit data retentio; quæ concessa intelligatur, & data ad Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales Ecclesias, ad Monasteria etiam commendata, ad Prioratus, & ad cetera omnia alia beneficia, quæ videntur conuenire dignitati Cardinalatus. *Edita An. D. 1588.* *Vacent omnia beneficia per promotionem ad Cardinalatus.*

§. 1. Ad alia vero quæ videntur repugnare dignitati & gradui Cardinalatus, puta Archipresbyteratus, Archidiaconatus, Decanatus, Canonicatus, & similia beneficia non extendatur, cum obtinentes huiusmodi beneficia, teneantur residere in Choro, & habere debeant locum post Episcopum, Cardinalis dignitati non conuenientem. *Retentio quæ concessa, intelligatur, vt in rubr.*

Actum Romæ apud Sanctum Petrum die Mercurij decimasexta Martij, millesimo, quingentesimo, octuagesimo octauo, in Consistorio. *D. P. An 1. die 16. Mart.*

De tertiis decies centenis millibus nummum aureorum, in arce Sancti Angeli repositis, inde nullo vmquam tempore, nisi præscriptis casibus, certaque desuper seruata forma depromendis. LXXX.

Alia decies centena millia hic Pont. pro S. R. E. præsidio in primo, & alia decies centena millia in secundo sui Pont. Anno collegit, & in eadem Arce reposuit, indeque promi vetuit, in const. 31. Ad Clauum. *& in const.* 69. Anno. *Et has constitutiones Pontt. successores omnes confirmarunt.*

SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1588.*

ETsi nos permultis superiorum temporum experimentis edocti, satis superque intelleximus, quot quantisque casibus humana sit obnoxia conditio, mens tamen nostra diuina quadam inspiratione à Patre luminum Deo est tandem admonita, ad ea pro viribus paranda præsidia, quibus B. Petri Nauis, cuius gubernacula nobis, licet immeritis, commissa sunt, inter varias miserabilis huius vitæ procellas tuta incolumisque seruari posset. Proinde cum ad res difficiles explicandas, ac maxima pericula, grauissimaque discrimina euitanda, pecuniarum copiam quamplurimum conferre dignosceremus, primo nostri Pontificatus Anno decies centena nummum aureorum millia; altero vero, altera itidem decies centena millia in certum sanctiusque Ærarium (quod in Pontificia S. Angeli Arce constitutum est) summa diligentia industriaque retulimus; ac de vtriusque decies centenis millibus nummum perpetuo asseruandis, nec vllo inde vmquam tempore nisi ad præscriptos, maximeque necessarios vsus depromendis & erogandis binas constitutiones edidimus, quarum tenores tametsi hic pro insertis, & expressis haberi volumus, illos nihilominus etiam de verbo ad verbum, quatenus opus sit, inseri mandamus. *Hic Pont. pro S. R. E præsidio, in primo sui Pont anno decies centena millia nummum aureorum, & totidem in secundo collegit & in Arce S. Angeli reposuit, indeque promi vetuit, vt sup. in eius const. cit. in rubr.*

§. 1. Verumtamen cum aduersus eiusdem Apostolorum Principem Nauem, nouos quotidie concitari fluctus, ac Turcarum præcipue Tyrannum atrocissimum Christiani nominis hostem, ab immanissimis hæreticis & schismaticis, (qui iam non amplius de fide, aut de religione contendunt, sed de Catholicorum pernicie & interitu, dies noctesque cogitant) sollicitari audiamus, vt ingentem instruat classem, totisque viribus in Christianorum exitium insurgat, eosdemque Ecclesiæ Dei perduelles, nihil in dies enixius moliri, quam vt inconsutilem Christi IESV Redemptoris Tunicam (hoc est Catholicam Ecclesiam) discindant, ac Regna & Populos *Et in hoc tertio anno ex alijs causis hic enarratis habita desuper cum S. R. Ecc. Card. consultatione alia decies centena millia nummum aureorum collegit.*

Digitized by Google

pulos à Christianis Principibus terrerrimo impietatis eorum schismate alienent. Quocirca ingentes & luctuosas turbas in florentissimo Galliæ Regno iamdiu excitatas quotidie magis alere atque conflare non desistunt, atque adeo in variis Germaniæ locis, equitum peditumque collecta manu passim, ac impune acerbiores iniurias, grauiomaque dãna minitantur. Venerabiles fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quibuscum à nobis hac de re sæpius actum est, animaduertentes, maioribus malis ingruentibus maiori etiam pecuniarum præsidio Apostolicæ Sedi opus esse, operæ precium duxerunt, vt à nobis alia decies centena nummum aureorum millia præter bina superiora Pontificio nostro in Ærario collocaremus.

Et modo in dicta Arce Sãcti Angeli eam reponit, Deoque & eius Virgini matri Mariæ, ac SS. Apostolis Petro & Paulo dicat indeque promi (præterquam in casibus hic exceptis) prohibet.

§. 2. Nos vero, qui non ignoramus, & Præsidem Ciuitatis frustra vigilare, nisi eam Dominus custodiat, & ipsum Dominum tentari, nisi qui præest vires neruosque omnes intendat vt ea faciat & præstet, quæ ad Ciuitatem tuendam, seruandamque pertineant, eorumdem fratrum nostrorum consilium summopere probantes, clementissimi Dei benignitate freti; ad huiusmodi pecuniarum summam cogendam, eamque in idem Pontificium Ærarium referendam, mentem omnem animumque adiecimus. Motu proprio igitur, & ex certa nostra scientia, ac habita super hoc cum eisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in Consistorio nostro secreto, matura deliberatione, de eorum consilio, & vnanimi consensu, hac præsenti nostra perpetuo valitura constitutione, dicta alia tertio loco decies centena millia nummum aureorum in eadem Arce nostra Pontificia S. Angeli, & sanctiori Ærario nunc recondimus, reponimus, & collocamus, ac Christo Domino nostro, B. Mariæ semper Virgini, & Sanctis Apostolis Petro & Paulo offerimus & dicamus, eisdem omnino legibus & conditionibus, quæ in prioribus nostris superius descriptis constitutionibus, præscriptæ & præfinitæ sunt. Declarantes nostræ voluntatis, mentisque esse, vt quod in ipsis prioribus constitutionibus de recuperatione Terræ Sanctæ, & generali expeditione contra Turcas dictum fuit, idem etiam locum obtineat quoad omnes has Deo dicatas pecuniæ summas, in recuperatione Regnorum à quibuscumque Catholicæ Romanæ Ecclesiæ hostibus occuparum, & in expeditione, quam contra eosdem decerni ac fieri contigerit.

Formamque depromendi pecuniam in prædictis casibus hic apponit, & seruari præcipit.

§. 3. Vbi vero in præscriptis casibus pecuniarum aliquid sumi necessitas postulauerit, volumus vt de tota summa tam superioribus annis quam etiam nunc reposita, hoc prorsus, & non alio modo pecuniæ sumantur & erogentur: nimirum, vt in Consistorio secreto præscriptarum necessitatum qualitate, ac rerum & temporum ratione diligenter perpensa, atque ita cogente, trium saltem ex quatuor partibus Cardinalium, qui Consistorio interfuerint, sicuti in præinserta constitutione nostra sancitum est, consensu, decreto, & subscriptione adhibitis, externis decies centenis millibus aureorum nummum à nobis repositis non vltra sextam partem, id est non vltra quingenta millia nummum promi liceat. Et ea quidem quingentorum millium summa, non tota simul, sed paulatim, moderate & successiue depromatur per certas portiones, quæ in eodem Consistorio, in quo de tota re deliberabitur à tribus Cardinalium, vt dictum est, omnibus diligenter examinatis, decretæ & præfinitæ fuerint. Quod si ipsis quingentis millibus erogatis, & consumptis, præscripti casus & necessitates nouam impensam requisierint, tunc iterum proposita & adhibita in Consistorio consultatione, si consensus, decretum, & subscriptio trium ex quatuor partibus Cardinalium, vt supra dictum est, accesserint, aliam summam, non tamen quingenta millia aureorum excedentem, illamque pariter non statim totam, sed moderatione ea seruata, eoque quem diximus modo limitatam & præfinitam, sumi posse permittimus. Cetcrum statuimus prout aliis prioribus nostris constitutionibus ordinatum est, vt partes, & portiones pecuniæ supradictæ, quæ in aliquo ex præmissis casibus sumptæ fuerint, cum eius impensæ faciẽdæ ratio cessauerit, omnino in ærarium vnde depromptę fuerunt, integre restitui ac reponi primo quoque tempore debeant.

§. 4. Has autem Deo dicatas pecunias nullo vnquam tempore, nisi aliqua ex iis quas diximus, necessitas vrgeat, & requirat, neque in totum neque ex aliqua parte amoueri, erogatiue quouis modo à nobis posse volumus, eamque amouendi & erogandi potestatem & facultatem à nobis ipsis abdicamus. Idque successores nostros Romanos Pontifices proposito sibi tremendo iudicio, in quo summo patrifamilias de administrata villicatione exquisita reddetur ratio, eodem plane modo facturos esse confidimus & speramus. Tandemque Deo per præsentes oblatam pecuniam, vna cum illa priori nos integram, vt dictum est, conseruaturos esse, ac perinde omnino, ac res & bona Ecclesiæ immobilia nos habituros promittimus, iuramus & vouemus; & sicuti omnes Cardinales præsentes, & infrascripti vouerunt, promiserunt ac iurarunt, ita per alios Cardinales nunc & pro tempore existentes, ac per successores nostros, quando & quoties superius ordinatum fuit, & iuxta formam nunc traditam iurari, promitti, ac vouerì decere decernimus.

Prædictaque se obseruaturum vouit, & sicut Cardin. infrascripti præsentes idẽ promiserunt, & ita ab aliis Card. pro tẽpore idem promitti iubet, prout in const. in rubr. cit.

§. 5. Denique cetera omnia & singula in eadem constitutione suprascripta, quomodolibet expressa, constituta, & decreta, etiam in hac pecunia à nobis vt præfertur, nunc collocata & recondita, & quoad præsentes nostras literas, in omnibus & per omnia, penitus, omnino, & inuiolabiliter obseruari, & locum habere volumus, præcipimus & mandamus.

Cetera omnia in d. const. cõtenta denuo decernit & præcipit.

§. 6. Si quis autem fortasse nostrorum successorum, id quod minime credimus, huic nostræ constitutioni omnino, aut aliqua ex parte derogare, aut contra statuere voluerit, aut depromtam pecuniam, vt supra sancitum est, in idem Ærarium non restituerit, admonemus post derogantis, aut contra statuentis, contraque facientis obitum, liberum esse successoribus, ea derogatione & quibusuis aliis, quæ contra statuta sunt, non obstantibus, pro pecunia contra huius constitutionis præscriptum, sumpta ac deprompta recuperanda, tam aduersus Pontificis derogantis, & contra facientis posteros seu coniunctos omnes, quam aduersus Cardinales idem consentientes, aut quoscumque eorum hæredes, quibus ab ipso Pontifice aut Cardinalibus bona, quouis titulo, vel quauis ratione obuenerint, agere, & possessionem bonorum, quæ ad ipsos posteros peruenerint, adipisci, retinerique donec quicquid pecuniæ depromptum est, id omne in Ærarium referatur & restituatur, eaque ipsa bona siquo modo, vt supra dictum est, à forma per nos constituta recedi contigerit, huiusmodi obligationi, atque oneri obnoxia & addicta esse voluimus, singulis quæ in nostris literis aduersari possent, vel quoquomodo obesse, penitus remotis, ac non obstantibus.

Successoribus contrauenientibus indicit pœnas.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reconditionis, repositionis, collocationis, oblationis, dicationis, declarationis, permissionis, iuramenti, voti, decreti, præcepti, mandati, & admonitionis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Sanctio pœnalis.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo octauo, quinto Calend. Maij, Pontificatus nostri anno quarto.

D. P. An. 1. 27. Aprilis.

Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, promitto, voueo & iuro.

Papæ subscr. & iuramentum.

Ego Alex. Cardinalis Farnesius Episcopus Ostien. Vicecancellarius, promitto, voueo & iuro.

Cardd. subscr. & iuramenti.

Ego Io. Antonius Episcopus Card. S. Georgij, promitto, voueo & iuro.

Ego Alphonsus Card. Gesualdus Episc. Tusculanus, promitto, voueo & iuro.

Ego Innic. Aualos Card. de Arag. Episc. Sabinen̄, promitto, voueo & iuro.

Ego Ptolomæus Card. Comensis Episcopus Albanen̄, promitto, voueo & iuro.

Ego Marcus Siticus Cardinalis ab Altaemps, tit. S. Mariæ Transtyberim promitto, voueo & iuro.

Ego P.

Digitized by Google

Ego P. Card. Sanctacrucius tit. S. Clementis promitto, voueo & iuro.
F. Mich. Bonellus Card. Alexandrin. tit. S. Mariæ sup. Mineruam promitto, voueo & iuro.
Ego Ludouicus Card. Madrutius, tit. S. Anastasiæ promitto, voueo & iuro.
Ego Nic. Card. de Pelleue, tit. S. Praxedis, promitto, voueo & iuro.
Iul. Ant. tit. S. Bartholomæi in Insula Presb. Card. Sanctæ Seuerinæ promitto, voueo & iuro.
Ego Hieron. Card. Rusticucius tit. S. Susannæ promitto, voueo & iuro.
Ego Io. Hieron. Card. Albanus, tt. S. Io. ante portam Latinam promitto, voueo & iuro.
Ego Hieron. Card. Simoncellus promitto, voueo & iuro.
Ego Petrus Card. Deza promitto, voueo & iuro.
Ego Ant. tit. SS. Io. & Pauli Presb. Card. Carafa promitto, voueo & iuro.
Ego Io. Ant. Card. SS. Quatuor promitto, voueo & iuro.
Ego Io. Baptista Card. S. Marcelli promitto, voueo & iuro.
Ego Franc. Cardin. de Ioyeuse, tit. Sanctiss. Trinitatis in Monte Pincio promitto, voueo & iuro.
Ego Iulius Card. Cananius, tit. S. Eusebij promitto, voueo & iuro.
Ego Nicolaus, tit. S. Cæciliæ Card. Cremonen. promitto, voueo & iuro.
Ego Ant. Maria Card. Saluiatus, tit. S. Mariæ de Pace promitto, voueo & iuro.
Ego Augustinus Card. Veron. tit. S. Marci promitto, voueo & iuro.
Ego Vincentius tit. S. Mariæ in Via Cardinalis Montis Regalis promitto, voueo & iuro.
Ego Scipio Card. Lancellottus, tt. S. Saluatoris in Lauro promitto, voueo & iuro.
Ego Henricus tt. S. Pudentianæ Card. Caetan. S. R. E. Camerar. promitto, voueo & iuro.
Ego Io. Baptista tit. S. Mariæ in Aracæli Card. Castrucius promitto, voueo & iuro.
Ego Dominicus tt. S. Laurentij Card. Pinellus promitto, voueo & iuro.
Ego Hippol. tit. S. Pancratij Cardin. Aldobrandinus Maior Pœnit. promitto, voueo & iuro.
Ego Hieron. tit. S. Petri ad Vincula Card. de Ruuere promitto voueo & iuro.
Ego Hieron. tit. S. Thomæ in Parione Card. Asculan. promitto, voueo & iuro.
Ego Ant. Maria, tt. S. Agnetis in Agone presbyt. Cardin. Perusin. promitto, voueo & iuro.
Ego F. Constant. Card. Sarnanus, tt. S. Petri in Monte aureo promitto, voueo & iuro.
Ego G. Alanus, tit. S. Martini Cardin. Anglican. promitto, voueo & iuro.
Ego Scipio, tit. S. Mariæ de Populo Presbyt. Cardinalis Gonzaga promitto, voueo & iuro.
Ego Antonius Card. Saulius, tit. S. Vitalis, promitto, voueo & iuro.
Ego Euang. Cardinalis Cusentinus, tit. S. Matthæi in Merulana, promitto, voueo & iuro.
Ego Fr. Steph. tt. S. Marcellini & Petri Presb. Card. Aretinus, promitto, voueo & iuro.
Ego F. Card. Sfortia, diac. S. Nicolai in Carcere, promitto, voueo & iuro.
Ego Ant. diac. S. Eustachij, Card. Montaltus, promitto, voueo & iuro.
Ego Hieron. S. Mariæ in Cosmedin diac. Card. Matthæius, promitto, voueo & iuro.
Ego Benedictus S. Agathæ diac. Card. Iustinianus, promitto, voueo & iuro.
Ego Asc. SS. Viti, Modesti, & Crescen. S. R. E. diac. Card. Columna, promitto, voueo & iuro.
Ego Federicus S. Mariæ in Dominica diac. Cardin. Borromæus.

Publicatio. *Anno à Natiuitate D. 1588. indict. 1. die vero Sabbati 7. mensis Maij, Pontif. Sanctiss. in Christo Patris, & D. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno eius 4. retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, lectæ & publicatæ fuerunt in valuis seu portis S. Ioannis Lateranensis, & S. Petri Principis Apost. de Vrbe, necnon Cancellariæ, Apost. & acie Campi Floræ, & per aliquod temporis spatium dimissæ, per nos Io. Baptistam Bagni, & Io. Burlurault S. D. N. Papæ Curs.*

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

Approbatio Congregationis Clericorum Regularium Minorum, cum aliquarum gratiarum concessione. LXXXI.

Alia dedit priuilegia Greg. XIV. inf. in const. 2. Romanus. Et omnia confirmauit. Clem. VIII. vt ibi dicam.

SIXTVS PAPA V.
Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1588.

Proœmium. SAcræ Religionis propagationem nostris potissimum temporibus vbique vigere, eiusque fructus Domino gratissimos, & vniuersæ Christianæ reipublicæ vtilissimos, animabusque fidelium nimium salutares, quos ex personarum ibi degentium deuotis & continuis precibus, cum vitæ probitate & sanctitate coniunctis prouenire cognoscimus, accrescere semper ex animo desiderantes, quo Ecclesia hæc visibilis quæ contra harum tenebrarum Principes & Rectores perpetuo militat, huius mundi nequitiis & hostilibus insidiis facilius resistere, & mortifera tela propulsare queat, fidelium vota in ipsum tendentia ad exauditionis gratiam libenter admittimus, illisque fauorem Apostolicum impartimur, prout ipsa videntur exposcere, & nos conspicimus in Domino salubriter expedire.

Io. Augustin. Adorni, & alij quidam Clericorum Congregationem instituerunt, regularem vitam in continuis orationibus & aliis piis operibus ducendo. §. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Ioannis Augustini Adorni presbyteri Ianuen. & sociorum nobis exhibita petitio continebat, quod ipsi pluribus abhinc annis, tamquam diuino afflatu inspirati, ad Omnipotentis Dei gloriam & animarum salutem, vnam presbyterorum & clericorum Regularium congregationem instituere, ac vt cum maiori animi quiete Deo seruire, & illi magis adhærere possint, tria substantialia religiosæ vitæ, Paupertatis, scilicet Castitatis & Obedientiæ vota emittere, ac sub solito & communi habitu clericali in vnum habitantes, & in communi ac de communi viuentes, necnon Deo humiliter & deuote quantum ipse dederit seruientes, sub nostra & Apost. Sedis immediata subiectione, & speciali protectione, regularem vitam ducere, ac continuis orationibus spiritualiumque operum exercitio, & aspera carnis maceratione, ad suarum, aliorumque Christifidelium animarum salutem, & profectum, vacare decreuerunt.

Et Papa pro approbatione supplicarunt. §. 2. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eorum pio desiderio huiusmodi annuere, aliasque in præmissis opportune prouidere, de benignitate Ap. dignaremur.

Qui d. Cõgregationẽ approbat, & ab vno Præposito generali regi iubet. §. 3. Nos igitur Ioannem Augustinum, & socios prædictos ac eorum quemlibet, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati, vnam Congregationem regularem presbyterorum, & clericorum regularium Minorum nuncupandorum, per vnum Præpositum generalem qui presbyter esse, & hac prima vice per Ioannem Augustinum & socios prædictos, vel eorum maiorem partem, postquam professionem emiserint, & deinceps futuris temporibus per Capitulum generale dictæ Congregationis per maiorem partem suffragiorum ad vitam eligi debeat, regendam & gubernandam, ad nostram & Sedis Apost. beneplacitum auctoritate Apostolica tenore præsentium permittimus & indulgemus, illamque sub Petri, ac nostra, & d. Sedis immediata subiectione & speciali protectione recipimus.

Statuta condendi pro eius regimine facultatem concedit, §. 4. Necnon eidem Congregationi, vt pro Ecclesiarum domorum, & personarum salubri statu, & directione, quæcumque statuta & ordinationes rationabilia & honesta, ac sacris Canonibus, & Concilij Trid. decretis non contraria, per Sedem Apostolicam approbanda condere

Digitized by Google

dere & facere; illaque pro temporum qualitate, ac prout expedire videbitur mutare,& in totum tollere, aliaque de nouo edere.

Triaque vota substantialia emittendi. Tu scias quod emittat quartum de nō petendo Prælaturam extra Religionem, vt vidi in const. Clemen. 7 indicata hic in rub.

§. 3. Eisdemque Ioanni Augustino & sociis, ac cuilibet ipsorum, vt tria substantialia religiosæ vitæ, vt præfertur Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ vota publice in cuiuscumque Archiepiscopi, vel Vicarij in spiritualibus generalis manibus, coniunctim vel diuisim,tam in Vrbe, quam alias vbilibet emittere & solemniter profiteri.

Sub humili habitu ac denominatione Clericorum regularium in communi & de communi viuendi.

§.6. Ac sub communi & humili habitu pauperum clericorum, subque denominatione & nuncupatione clericorum & presbyterorum regularium Minorum,in communi ac de communi viuentes in locis religiosis, aut sæcularibus, prout ipsis ab illis quorum loca ipsa erunt, cōcessum fuerit, seu expedire videbitur,in vnum habere.

Alios ad Religionem recipiendi. Officia diuina secundum vsum S.R.E. celebrandi.

§. 7. Ac aliosque quoscumque sæculares clericos, & etiam laicos, qui Deo aspirante ad huiusmodi vitæ frugem & communem viuendi modum,sese conferre voluerint, recipere; & post annum probationis ad talem trium votorum professionem in manibus ipsius Præpositi generalis, vel alterius iuxta Congregationis instituta, & faciendas ordinationes, ac sacrorum Canonum, & Concilij huiusmodi dispositionem emittendam; & ad huiusmodi in communi viuendi modum admittere.

Confessiones prauia ordinarij approbatione audiendi, & absoluendi, &c. Hoc intellige iuxta. const. 115. Clem. VIII. Quæcumque.

§.8. Ac horas canonicas, diurnas pariter & nocturnas, necnon missas & alia diuina officia simul & diuisim secundum vsum & morem Romanæ Ecclesiæ & iuxta Breuiarium Romanum nouiter compilatum etiam in Ecclesia dicere & recitare.

§. 9. Quodque ipsius Congregationis presbyteri, ab ipsius Congregationis Præposito generali,vel alio Superiore,ac ab Ordinario loci approbati, & de licentia ipsius generalis seu Præpositi domus in qua pro tempore habitauerint, quorumcumque Christifidelium confessiones audire, illosque à quibusuis peccatis, excessibus, & criminibus, non tamen Sedi Apost. quomodolibet reseruatis absoluere.

Sacramenta ministrandi.

§. 10. Ac quibuscumque Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, sine tamen suorum Parochorum, & iurium parochialium præiudicio,ministrare.

Domos regulares construendi. Tu ad hoc attende const 99. Clemen VIII. Quoniam.

§.11.Necnon quascumque domos regulares dictæ Cōgregationis pro illorum vsu & habitatione, cum Ecclesia, campanili, domibus, hortis, hortalitiis,& aliis officinis necessariis construere & ædificare, seu construi & ædificari facere, vel iam constructas, & ædificatas recipere libere & licite valeant, dictasque domos ex tunc, & è contra postquam constructæ & ædificatæ, seu receptæ, vt præfertur fuerint, in domos regulares dictæ Congregationis auctoritate & tenore prædictis concedimus & indulgemus:

Executores huius constitutionis deputat.

§.12.Quocirca vniuersis & singulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis eorum Vicariis in spiritualibus,aut officialibus, generalibus ac Curiæ causarum Cam. Apost.generali Auditori necnon Abbatibus, Prioribus, Præpositis,Decanis, Archidiaconis, Canonicis, & Capitulis, ac aliis ad quos quomodolibet spectat, & spectabit in futurū, per Apost. scripta mandamus,quatenus ipsi vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios,præsentes literas,& in eis contenta quæcumque, vbi & quomodo opus fuerit, ac quoties pro parte Congregationis Minorum huiusmodi, illiusque Præpositi,Officialium, Ministrorum, & personarum, vel alicuius eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes,faciant auctoritate nostra obseruari. Ipsamque Congregationem Minorum, illiusque singulares personas premissis omnibus pacifice frui & gaudere. Non permittentes Congregationem prædictam,illiusque personas,desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet & rebelles, per sententias,censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo; ac legitimis super his habendis seruatis processibus,sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Contrarias derogat.

§.13.Non obstantibus fel. recordationis Bonifacij Papæ octaui prædecessoris nostri de vna,& Concilij generalis de duabus dictis dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, aliisque Apost. ac in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus, constitutionibus & ordinationibus contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel diuisim,ab eadem sit Sede indultum, quod interdici,suspendi,vel excommunicari non possint per literas Apost. non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 1. Iulij millesimo quingentesimo octuagesimo octauo, Pontificatus nostri anno 4. *D. P. An. 4. 1. Iulij.*

Canonizatio S. Didaci Confessoris, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia professoris, fua que Festiuitatis institutio pro die 12. mensis Nouembris quotannis celebrandæ. LXXXII.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita A.D. 1588.*

Præmium.

REx Regum ante omnia sæcula Christus Dominus, qui propter perditi salutem hominis, forma serui accepta, in plenitudine temporis factus est homo,Ecclesiam suam vnice dilectam, suoque precioso sanguine acquisitam, supra Beatissimum Apostolorum Principem Petrum, cui petræ firmitatem dedit,in se ipso summo angulari lapide à Christianæ fidei primordiis ædificauit,& vsque ad sæculi consummationem per omnes temporum ætates mirabiliter semper ædificat. Diuinum vero admirabilis huius ædificationis artificium, nec inflata mundi sapientia capit,nec terrena & carnalis prudentia vllo modo assequitur, Diaboli autem astutia & superbia contremiscit. Nimirum quemadmodum ex pauperibus & contemptis plerumque hominibus humili & obscuro loco natis, nullis artibus, nulla eloquentia instructis, nullo denique humanæ potentiæ præsidio communitis, tamquam ex abiectis & reprobatis lapidibus, tanta fiat moles, tam pulchra, tam ornata, tam fortis,tam stabilis, in tantam demum consurgat altitudinem, vt ipsæ inferorum portæ, eius robur ac firmamentum perhorrescant. Sed viæ Dei non sunt viæ hominum,nec cogitationes eius sicut cogitationes eorum. Itaque non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Sic omnipotens Deus per scandalum Crucis,& per stultitiam prædicationis saluos fecit credentes, sic ab ipsis nascentis Ecclesiæ initiis per sapientem Apostolorum infantiam, & per fortissimam Martyrum infirmitatem, Græcorum sapientiam infatuauit,& gentium potentiam deiecit atque prostrauit; sic denique per succedentes ætates brachio fortitudinis suæ depositit potentes de sede, & exaltauit humiles Sanctos suos.

S. Didacus Religionis Fratrum Minorum S. Fr. professor fuit.

§. 1. Hinc superiori sæculo, & patrum nostrorum memoriæ valde propinquo, ex humili familia Fratrum Minorum S. Patris Francisci humilem Beatum Didacum, in Hispania natum, non doctrina præcellentem, sed quales primi illi nostri Magistri & Principes fuerunt sine literis humano studio comparatis,sed idiotam & in sancta Religionis professione laicum, delegit, in quo ostenderet abundantes diuitias gratiæ suæ; cuius admirabili vitæ sanctitate; & exemplo multos ad viam salutis perduceret, & senescentem,ac pene decrepitum Mundum magis magisque coargueret, quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

In Regnis Hispan. virtutibus & miraculis claruit quarum virtutum aliqua recenseur.

§. 2. Itaque Pater misericordiarum Deus qui facit mirabilia magna solus,hunc seruum suum paruulum, & demissum, cœlestibus donis suis adeo ornauit, tantoque Spiritus,Sancti igne incendit, manumque suam ad sanitates & signa & prodigia, B. Didaci meritis, cum in eius vita,

Digitized by Google

vita, tum post mortem efficienda, tam mirifice extendit, vt is non solum apud suos in florentissimis Hispaniæ Regnis notus & clarus esset, sed apud exteros etiam eius nomen magna cum gloria peruulgaretur. Iustus enim & misericors Dominus seruos suos fideles, quos ante Mundi constitutionem elegit & prædestinauit ad vitam, non solum in Cœlo semper coronat, sed sæpe etiam in Terra, vbi fortiter & legitime certauerunt, multo gloriæ splendore cumulat atque illustrat. Nimirum, vt præclaras illas suas promissiones persoluat. Dabo vos, inquit, nominatos, & in gloriam, & in laudem in cunctis Populis Terræ; vt se ipse in Sanctis suis mirabilem demonstret, & potentiam suam signis & virtutibus declaret, vt propositis Sanctorum glorioſis laboribus, & meritis, qui homines fuerunt nobis similes, circumdati infirmitate, segnitiem & tarditatem nostram in via virtutis excitet, & frigescentem charitatem accendat; vt hæreticorum prauitatem coerceat, peruersitatem confundat, dum ad sacras eorum reliquias, diuina virtute ægroti curantur, Dæmones pelluntur; vt mortuos qui in Domino sunt mortui, beatos esse, & multo felicius viuere omnes intelligant. Postremo vt amici Dei multo maxime honorentur, & qui Sancti sunt apud Deum, Sancti etiam ab hominibus habeantur, ad quorum nos opem confugientes, eosque pie inuocantes, eorum suffragiis adiuti cœlestem misericordiam facilius impetremus. Merito igitur Beatum Didacum laudamus, quem Deus multis, & illustribus ostendit miraculis prædicandum; de cuius beati viri vita, & rebus gestis, purissimæ fidei integritate, morum excellenti sanctitate, signorū admirabilitate pauca quædam libenter pro nostro Pastorali officio, Populo Dei proponimus, vt laudetur Deus in sancto suo, & fidelium deuotio tamquam salutari quodam & periucundo cibo nutriatur, omnesque Deo gratias agant, publico nostro, & huius Sanctæ Apostolicæ Sedis testimonio, quæ à Spiritu Sancto gubernatur & regitur, Beati Didaci sanctitatem optimo iure declaratam esse & promulgatam.

B Didacus in Hispania natus est.

§. 3. Natus est Beatus Didacus in Hispania, in Prouincia Bethica, & in Oppido, cui nomen est Sanctus Nicolaus de Portu, quod est in diœcesi Hispalensi. Et is quidem vt fœcundus ager cœlestis gratiæ imbre irrigatus vberes fructus cito protulit.

Adolescens apud quendam pium Sacerdotem vixit.

§. 4. Nam adolescens ex medio Babylonis fugiens, hoc est, ex laqueis & periculis sæculi, pœnitentis habitu indutus in propinquam solitariam Ecclesiam vna cum pio quodam sacerdote spiritalis vitæ duce, & socio secessit; vbi nouus Christi miles in huius fallacis Mundi contemptione, & omnium humanarum rerum despicientia, incœlestium contemplatione, in corpore domando, & spiritui subiiciendo se assidue exercens, magna cum suorum oppidanorum ædificatione, præclarum tyrocinium poluit.

Religionem q; S. Francisci deinde professus fuit.

§. 5. Post aliquot vero annos, vt se arctioribus vinculis Christo adstringeret, & à Mundi tẽpestatibus quam longissimè discederet, & sub suaui obedientiæ iugo, Deo securius & fructuosius seruiret, in portum Seraphicæ S. Francisci Religionis confugit, eamque prope Cordubam in Conuentu de Arrizafa, vt vocant, quem Fratres Minores, qui nunc de Obseruantia nominantur, incolunt, verbis expressis est professus. Hic iam Athleta Christi amplissimum virtutum stadium ingressus, tamquam obliuiscens quæ retro erant, & ad ea quæ sunt priora se extendens, cœpit omni contentione corporis & spiritus persequi, diuina gratia suffragante brauium supernæ vocationis. Summa cura & diligentia in Regulæ obseruatione versabatur, quam in omni vita sancte adeo inuiolateque seruauit, vt ipse in cunctis Religiosis functionibus & officiis, viuens quædam, & expressa regula esse videretur.

Humilis & obediens admodum fuit.

§. 6. In primis vero, quia sapientissimus Architectus Spiritus Sanctus, sublime regularis perfectionis ædificium in eo extruebat, altissimum humilitatis fundamentum iecit, & vt prudens ille ædificator in Euangelio laudatus, fodit in altum, & ædificauit domum super petram: nihil sibi tribuens, nulli se anteponens, quo plura à Deo accipiebat, eo demissius se gerens. Itaque nullæ tentationum procellæ, nulli superbiæ, & inanis gloriæ uenti, nullæ diaboli machinationes domum illam tam egregie fundatam mouere, aut labefactare potuerunt. Superiorum & Prælatorum mandata & iussa, tanta obedientia, tantaque alacritate exequebatur, acsi Deum in eis loquentem audiuisset. Sanctam paupertatem Domini sui sponsam charissimam, quam diligentissime custodiebat, omnia abitratus vt stercora, vt Christum lucrifaceret. Cumque Satanæ astutias non ignoraret, sed optime intelligeret infensissimum humani generis aduersarium, tamquam Leonem rabidum & rugientem, dies noctesque circuire, vt Christi ouiculas dilaceret ac deuoret, numquam otio, aut torpori se dabat, sed stabat succinctus lumbos suos in veritate, indutus loricam iustitiæ, galea salutis assumpta, & scuto fidei arrepto, in quo omnia posset ignita nequissimi hostis tela extinguere.

Ieiuniis & flagellis corpus suum castigabat.

§. 7. Corpus igitur & carnem suam illecebram peccati labore, ieiuniis fere continuis & flagellis castigabat, & in seruitutem redigebat, præcipue vero ad excelsam illam arcem confugiebat, qua nulla fortior, nulla munitior, hoc est ad sanctæ Orationis præsidium; cuius alis in Cœlum frequenter sublatus, terrenorum oblitus, suauissimo Dei colloquio fruebatur.

De rebus diuinis licet rudis esset mirifice loquebatur.

§. 8. In ea igitur schola diuinitus eruditus vir alioqui plane rudis, & literarum minime sciens, admirandum in modum de rebus diuinis loquebatur, sensusque mirificos proferebat, ita vt viri eruditissimi, qui in sacræ Theologiæ studiis ætatem contriuerant, summopere obstupescerent; illudque memoriæ traditum est, & graui testimonio comprobatum, doctos & pios viros cum abstrusas & perdifficiles quæstiones, ad res diuinas, animarumque salutem pertinentes cum eo familiariter communicarent, id ab homine literarum experte cumulate didicisse quod in celeberrimis Academiis à magnis Doctoribus addiscere nequiuerant.

Orationi iu cumbebat.

§. 9. Ille præterea Orationis fructus erat vberrimus, quod iam in benedictionibus dulcedinis præuentus, & calicem illum præclarum, qui cor inebriat delibans, ardentis charitatis igne, erga Deum & proximos toto pectore æstuabat; quare bonorum omnium auctorem Deum & Beatissimam Dei Genitricem semper Virginem humani generis Aduocatau, quam summa deuotione semper coluit, non pro se solo, sed pro omnibus hominibus, & præsertim pro peccatorum emendatione continenter, vehementissimeque orabat.

Pauperes amabat.

§. 10. Pauperes vero Iesu Christi tanto affectu diligebat, tantaque erga eos misericordia commouebatur, vt omni studio, quantum ei licebat, eorum inopiam, & calamitates subleuare sedulo procuraret, quod si interdum præstare non posset, vim lacrymarum profundebat, eosque verbis amantissimis consolabatur.

Ægrotis fratribus ministrabat.

§. 11. Ægrotos fratres omnibus charitatis officiis prosequebatur, assidere ad lectum, cibum ministrare, vigilare totas noctes, perferre omnes molestias, tanta patientia, tanta humilitate, vt quorumdam purulentas plagas, non solum medicamentis curare, sed quoque eas lambere & abstergere non abhorreret; quo in genere eximia serui Dei charitas Romæ aliquando in Cœnobio fratrum suorum, quod est ad Aram cæli, insigniter eluxit. Nam anno quinquagesimo superioris sæculi, cum piæ memoriæ. Nicolaus Papa V. prædecessor noster sacrum Iubilæum de more celebraret, Romam venit B. Didacus, vt salutarem indulgentiam consequeretur, & Beatorum Apostolorum sepulchra, ceterorumque Sanctorum Martyrum illustres memorias religiose veneraretur; magna erat annonæ inopia, grauibus, & periculosis morbis Vrbs laborabat, cum Beatus Didacus ægrotis curandis, quorum ingens erat numerus, à Guardiano, seu Cœnobij Præfecto, qui iam eius sanctitatem degustauerat, est præpositus; cuius officij munus, tam fideliter feliciterque administrauit, vt in publicis angustiis omnia apud pauperes Christi abundarent, omnesque in seruo Dei, & copiosum charitatis spiritum, & singularem illius apud Deum gratiam agnoscerent.

Charitas in eo maxima erat.

§. 12. Nec sane mirandum est, virum Dei membris Christi Fratribus suis, in quibus Christus ipse ægrotabat, tanto charitatis studio inseruisse, tam impigre ministrasse, qui eo iam perfectionis progressus erat, vt charitate illa, qua nemo maiorem habet sponso animæ suæ præstare

&

Digitized by Google

& persoluere concupisceret, & pro Christi nomine, & confessione, vitam & sanguinem profundere desideraret. Ea nimirum est perfecti amoris vis & natura, vt non facile conquiescat, sed maiora semper & maxima appetat, & moliatur, semperque actuosus & operosus sit. Itaque cum aliquando ad Insulas Canarias missus esset, vt Guardiani officio in illo Fratrum Minorum Conuentu fungeretur, seruus Christi, cui viuere Christus erat, & mori lucrum, cœpit Martyrij desiderio vehementer flagrare. Erat in eo, non solum columbæ simplicitas, sed & serpentis prudentia; quare multa cum vigilantia, & regularis disciplinæ obseruantia vir Dei in sua custodia excubabat in omni sanctitate & iustitia forma factus pusilli gregis sui, & fidelium Insulanorum, quibus bonus odor Christi erat ad vitam, ita vt frequentes eum adirent, ex eiusque spiritalibus colloquiis mitam caperent consolationem & voluptatem.

Infideles multos ex Canariensibus ad fidē perduxit.

§. 13. Magnam vero exercendæ charitatis segetem in Insulis illis nactus, simulque consequendi Martyrij spe incitatus, multos ex Canariensibus infideles, & impuris adhuc idolorum superstitionibus addictos, verbo, exemplo, orationibus ad Christi fidem perduxit, quo in munere dum strenue versaretur, multa illi pericula in ea Canaria, quæ magna appellatur, diaboli inuidia conflauit, sæpe in capitis & vitæ discrimen venit, vt sese iam Martyrij palmam potiturum speraret; sed Deo aliter disponente, non Martyrio animus & voluntas, sed voluntati Martyrium defuit, at certe gloria non defuit, cum præclare à Beato Martyre Cypriano scriptum sit, ad coronam Dei promerendam ipsius testimonium solum sufficere, qui iudicaturus est, qui arcana renum scrutatur, & cordis intuetur occulta. Ergo & purpuream de passione coronam aliquo modo accepit, & multas de bonis operibus candidas reportauit, reseruatus à Deo vt multos Christo lucrifaceret.

Miracula quorū aliqua hic referuntur dum vixit nunquā.

§. 14. Iam enim in vniuersa Hispania clarissimum erat Beati Didaci nomen, magnamque apud omnes & venerationem & admirationem habebat, & tamquam Angelum quemdam in Terris agentem sic eum homines intuebantur; nihil illo lenius, nihil mansuetius, lac & mel sub lingua eius, & cor eius mundum, & simplex Christiana dulcedine redundabat: omnia in bonam partem accipere, de nemine male iudicare, nullum aduersus aliquem verbum accerbius immittere. Si quem vero contra legem Dei, & regularem disciplinam peccantem animaduerteret, zelo Dei incensus, libere obiurgabat, nulla tamen re gloriam suam, sed Dei honorem, & fraternam vtilitatem quærebat. Signis etiam & miraculis viuentem seruum suum illustrauit Deus, eiusque excellentem fidem rebus mirabilibus efficiendis multipliciter patefecit. Elucebat in eo singularis gratia curationum, ita vt vndique ad eum eius rei causa quamplurimi confluerent; ille vero fide, quæ per Dei dilectionem mirifica operatur, in Domino roboratus, cum digitum in lampadem, quæ ante sacram Beatissimæ Virginis imaginem collucebat, demisisset, ex eius oleo ægrotos signo Crucis obsignatos perungebat, multorumque varios languores & morbos eiusdem Crucis virtute, in qua sola gloriabatur, mirabiliter sanabat. Accidit aliquando, vt è cœnobio, in quo erat, ad oppidum Sancti Lucæ de Barameda proficiscerentur, fratre vno comite; cumque nullis cibariis acceptis iam sumendi cibi tempus aduenisset, & ex itinere defessi essent, nec in proximo vico quidquam, quo ex aliena misericordia reficerentur, Deo ita disponente, reperire potuissent, ad comitem sereno vultu conuersus Beatus Didacus, Eia, inquit, frater in Domino confidamus, ipse nos pascet; cum iter strenue prosequerentur, ecce in perampla planitie candidam mappam inter herbas prope viam positam vident, propiusque accedentes album panem, pisces recentes coctos, & vini vasculum inueniunt; insistunt serui Dei, & in latissimo campo vnde in omnes partes liber erat prospectus, omnia oculis perlustrantes circumspiciunt, siquis forte eo in loco prandium reliquisset, denique id quod erat rati, ad mensam sibi à Deo in deserto paratam veri Israelitæ accumbunt, ac cibo & potione, siti, fameque depulsa, quod superfuit ibidem liquerunt, Deo patri misericordiarum gratias agentes, qui seruis suis in eo sperantibus escam dederat in tempore opportuno. Quid, illud quod Hispali gestum est, quam magnæ fidei est argumentum? Nam cum septennis puer, qui à matre vapulare solitus erat, in furno, in quem eius iracundiam fugiens se abdiderat, obdormisset, & furno ab ignara matre succenso expergefactus clamaret, vir Dei exanimatam matrem eiulatu omnia complentem, nec quo se verteret scientem, ad maiorem Ecclesiam ire, ibique matrem misericordiarum deuote orare iussit, ipsa te, inquit, ò mulier adiuuabit; cum illa, quasi Dei Nuncium audiuisset, pergeret, ipse ad furnum accedens puerum ex maximo periculo extractum paulo post ad idem templum adduxit, matrique suæ saluum, & incolumem reddidit. Ceterum cum iustus Iudex Deus Athletam suum tot victoriis illustrem carne, mundo, diabolo per Dei gratiam deuicto, corona iustitiæ, quæ illi ab omni æternitate reposita erat, coronare decreuisset, seruumque multiplicatis talentis industrium, & in pauca fidelem supra multa constituere, & in gaudium vellet Domini sui introducere, Beatus Didacus in senectute bona, plenus dierum, & operum bonorum in Conuentu Complutensi, in quo annos complures est commoratus, in supremum morbum incidit, in quo incredibilis patientiæ exemplum præbuit. Quadam autem nocte extra se raptus, sensu omni & vitali motu amisso, ita vt à Medico, & qui adstabant fratribus, mortuus plane ætederetur, tandem soluta cessasi, ter aut quater hæc verba locutus est: O quales flores habet Paradisus. In profundæ vero humilitatis statione, vsque ad extremum vitæ spiritum seruanda, ita firmus manebat, ita nusquam de suo loco decedebat, vt cum fratres singuli ab eo peterent, vt pro ipsis oraret, ipse contra, se eorum orationibus vehementer commendabat, vt ipsis pro eo Deum orantibus, bonorum operum fructus, quem illi in sanctæ Religionis Obseruantia cumulauerant, sibi quoque à Deo communicaretur, atque ita misericordiam impetraret.

S. Didacus in amplexu Crucis quam maxime diligebat, & in corde & corpore semper gestauerat, die 12. Nouēb. 1463. in Domino obdormiuit cantato Hymno, Dulce lignum &c.

§. 15. Postremo cum se iam moriturum intelligeret, comitis illius & adiutricis fidelissima, quæ illum in huius vitæ peregrinatione numquam deseruerat, hoc est sanctæ pauperratis, supremo vitæ die non oblitus, sed in eius intimo sinu, quam maxime fieri posset, spiritum emittere cupiens, conuocatis fratribus, eos obnixe rogauit, vt sibi vestem obsoletam & laceram, habitumque omnium vilissimum in quo moreretur, concederent; quo impetrato, multis profusis lachrymis, ab his qui adstabant, offensionum atque erratorum veniam postulauit; quibus copiose collachrymantibus, ipse Cruce lignea quam ad caput habebat, arrepta, eamque amplexus & osculatus, vtroque brachio in altum fortiter sublato (cum tamen alterum graui apostemate tumens, ac debilitatū antea mouere non potuisset) oculisque in vitale signum defixis, verba illa ex sacro Hymno magnoque pietatis spiritu pronunciauit. Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, quæ sola fuisti digna portare Regem Cœlorum, & Dominum; quæ cum dixisset, in ipso salutiferæ Crucis complexu, quam vnicè dilexerat, quam in corde & corpore semper gestauerat, in qua Christo confixus, & mundo crucifixus fuerat, animam efflauit, & in Domino obdormiuit, pridie idus Nouembris, Anno Domini 1463.

Miracula etiam multa, quorū aliqua hic recensentur post obitū illustris fuit.

§. 16. Ad eius corpus (Beati Didaci morte audita) magni vndique concursus facti, illud deuote omnes contingere, amictus particulas præscindere, capillos deuotionis causa euellere, demum Christiano ritu corpus honorifice humatum est. Hic iam statim Deus mortui serui sui, cui in vita cooperatus fuerat, eximiam sanctitatem signis sequentibus comprobauit. Nam corpus, quod iam quatriduo humi sepultum fuerat, iterum non absque miraculi inuentu, effossum, non solum integrum, incorruptumque apparuit, sed cum per multos menses, vt pio studio satisfieret, & ciuium, & aliorum, qui ex diuersis partibus accutrebant, insepultum iacuisset, non computruit, nullum terrum odorem emisit. Immo vero corpus illud, quod viuens Spiritus Sancti templum fuerat, odorem suauissimum afflabat, quo omnes mirifice recreabantur; qui quidem & in hodiernum vsque diem ex eius sepulcho suauiter & iucunde spirans,

Digitized by Google

à pleriſque ſæpe ſentitur. Illud quoque in Beati Viri mortuo corpore mirum acceſſit, quod eius membra & artus, vitali calore deſtituti non obriguerunt, nec duri aut rigidi ſunt effecti, vt cadauerum ſolent, ſed molles erant & flexibiles quocumque verterentur. Quocirca laudanda eſt pietas & magnificentia claræ memoriæ Henrici Quarti Caſtellæ Regis, qui vna cum filia periculoſe ægrotans, & Beati Didaci precibus ſanitate impetrata, nobile ſacellum grati animi ſui monumentum extruxit, ibique in Arca ferreis laminis diligenter communita Beati Didaci corpus decenter recondi iuſſit. Ad quod quidem ſacellum, vt conſtat, non ſolum Complutenſes ciues, ſed vicini & remotiores Populi, atque ex omni fere Hiſpania fideles tanta deuotione confluunt, tam multi beati illius viri opem apud Deum implorant, tot ibi vigiliæ fiunt, tot ſacrificia in eodem eius ſacello celebrantur, tam multa & illuſtria dona voti reddendi gratia offeruntur, vt hæc de Beati Didaci ſanctitate non exigui temporis tamquam rumoris aura, ſed per annos centum viginti & amplius conſtans, & perpetua fama & opinio, tantuſque illorum fidelium, omnium generum, omnium ordinum conſenſus magni profecto, & illuſtris teſtimonij loco habendus ſit ad Beati Didaci ſanctimoniam comprobandam. Verumtamen multis quoque poſt obitum miraculis vir commemorabili ſanctitate præditus claruit. Nam in actis tranſmiſſis centum fere & triginta leguntur, Deo, qui glorificatur in Concilio ſanctorum, ſignis & prodigiis teſtante, ſeruum ſuum non ſolum morum, ſed etiam ſignorum virtute, nec operibus modo pietatis in vita, ſed etiam miraculorum luce poſt mortem, clarum & venerabilem eſſe. Duron oppidum eſt in Hiſpania, in diœceſi Seguntina; ex eo Catherina Martini filia, virgo annos duodecim nata, cum ante aliquot menſes ſubita vi morbi ſurda & muta euaſiſſet, brachiis item pedibuſque paralyſi diſſolutis incedere nequiret, ad Beati Didaci ſacellum delata, cum ibi peruigilaret, eius tacta manu, & in Crucis formam conſignata, illico & aurium ſenſum, & loquendi facultatem recepit, membrorumque vſu reſtituto, toroque corpore confirmato, libere qua libuit, inceſſit, laudans & benedicens Deum. Adoleſcens quidam erat annorum fere viginti, Didacus de Lorca appellatus, filius Petri Gonzales viri nobilis, qui Deo permittente, ab immundo ſpiritu annos complures vexabatur miſerandum in modum, ita vt ſæpius interdum in die arreptus, & ad terram alliſus, horribiles corporis geſtus ageret, & veluti mortuus relinqueretur; hic ſe Beato Didaco humiliter commendans, & in eius ſacello aliquandiu inuigilans à miſerabili vexatione omnino eſt liberatus. Cum Catherina Bartholomæi Sanchez vxor, expleto ad pariendum tempore, parere non poſſet, fœtus enim in vtero tranſuerſus alterum tantummodo pedem eduxerat, materque miſera ab aurora ad veſperam in eo cruciatu permanens, in ſummo vitæ diſcrimine verſaretur, & plane morti propinqua eſſet, ſocrus eius Maria Garzia vxor Io. Garziæ incolæ Oppidi de Ambroz beati Viri in maximis anguſtiis recordata, ad eius opem confugit; itaque fruſtum amictus Beati Didaci, parumque puluueris è ſepulchro ſupra parturientem nurum impoſuit, quæ ſubito mortuum fœtum edidit, ipſa ſalua. Manſit autem mortua puellula aliquot horarum ſpatio, ſed eiuſdem Auia Maria iam ſemel beati Viri opem in matre experta, cum pro neptis vita tanto fidentius orare non dubitauit, quod cum deuote feciſſet, alterum etiam beneficium impetrauit, & puella ſacro baptiſmi fonte abluta, & geminæ vitæ munere à Deo donata diu poſtea ſuperuixit. Illud autem quod in Maria della Peñuela Petri Hernandez Complutenſis filia, Dei virtute, per merita Beati Didaci mirifice effectum eſt, notum & valde peruulgatum in Hiſpania, multique qui meminerint ſuperſunt. Inuaſerat virginem horribilis & deformiſſima paralyſis, tanta neruorum diſſolutione & membrorum luxatione, brachiis, cruribuſque diſtortis, toroque corpore conuulſo, vt non iam mulier, ſed monſtrum eſſet, & Medici ſe nihil vnquam tale vidiſſe profiterentur; accedebant febres vehementes, & capitis dolores peracres & aſſidui, quibus miſera grauiſſime afflictabatur; ea igitur ad Beati Didaci corpus delata, cum in eius interceſſione, & Dei miſericordia confideret, & ſuppliciter oraret, voti compos, ab omni illa membrorum diſtortione & deprauatione, omnique corporis infirmitate eſt liberata; quæ tanti accepti beneficij non ingrata Deo virginitatem ſuam vouit, & ſacrarum Virginum Collegio adiuncta, in Monaſterio S. Ioannis, quod A pœnitentia nominatur, ſancte & religioſe vitam duxit. Sed quod in Principe Carolo chariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici primogenito filio diuinitus actum eſt, magnam apud omnes famæ celebritatem habet. Ægrotabat Compluti adoleſcens Princeps Anno humanæ ſalutis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, qui cum è ſcalis decidiſſet, grauiſſimum ex eo caſu, & prolapſione in capite vulnus acceperat; omnia remedia, omnes curationes adhibitæ, quæ humana induſtria præſtari poterant, vt in tanto Principe par erat; ſed cum nihil humanum proficeret, morbuſque magis ſemper ingraueſceret, iamque eius grauitati natura ſuccumberet, Medici, Principis ſalute prorſus deſperata, certam imminentis mortis horam præfiniunt, idque Regi patri, ne tam acerbo ſpectaculo intereſſet, denunciant. Cum igitur omnis humani adiumenti ſpes defeciſſet, ad diuinum, quod vnum reliquum erat, præſidium confugiunt. Itaque deuotionis ardore ſuccenſi à fratribus ſuis Beati Didaci corpus decenter & religioſe in Principis cubiculum afferri curant, poſt annos fere centum integrum & incorruptum; quod cum Princeps Beati Viri patrocinio ſe commendans deuote tetigiſſet, eo inde amoto, vidit in ſomni quiete Beatum Didacum ante lectum ſtantem, & crucem arundineam manu gerentem, ſeque admonentem bono animo vt eſſet, & in Deo confideret, foret enim vt ex ea ægrotatione ſanus fieret. Quare eo potiſſimum tempore, quo Medici Principem moriturum prædixerant, non ſolum melius habere cœpit, ſed paulo poſt ex omni illo vitæ diſcrimine diuinis, ac ſupra naturam adiumentis tam mirabiliter eſt ereptus, vt digitum Dei per merita Beati Didaci ibi adfuiſſe omnes intelligerent. Sed præter ceteros Princeps ipſe, & Philippus pater, incredibili lætitia tamquam rediuiui filij affectus, id agnoſcere, & Deum glorificando palam profiteri.

Rex Hiſpaniarũ Philippus vna cum Carolo filio, & tota Hiſpania, apud Pium IV. inſtetit, pro ipſius B. Didaci in Sanctorum numerũ relatione.

§. 17. Itaque pius Rex cum chariſſimi & primogeniti filij vitam, ſummæ Dei clementiæ, per merita & preces Beati Didaci ferret acceptam, cuperetque quacumque ratione poſſet gratiam aliquam Deo in Sancto ſuo referre, anno inſequenti ad ſel. record. Pium Quartum prædeceſſorem noſtrum, vna cum Principe filio, & cuncta fere Hiſpania literas dedit, quibus ab eo ſuppliciter petebat, vt pro ſua & ſanctæ huius Apoſtolicæ Sedis ſumma auctoritate Beatum Didacum tam excellenti ſanctitate virum, & tanta miraculorum claritate illuſtrem, in Sanctorum numerum referre vellet, atque ab vniuerſa Catholica Eccleſia pro Sancto venerandum eſſe ſtatueret.

Pius IV. huic negotio Card. deputauit, & res agi cœpta fuit.

§. 18. Tam deuotis, iteratiſque Catholici Regis, aliorumque poſtulationibus permotus idem Pius prædeceſſor, de iis in conſiſtorio ſuo ſecreto referri iuſſit, & quinque Cardinales, conſilio & doctrina præſtantes delegit, qui eiuſmodi permagni momenti negotio præeſſent; inter quos vnus fuit Cardinalis Alexandrinus, cuius memoria in benedictione eſt, qui poſtea Pontifex factus, Pius eius nominis Quintus eſt appellatus. Res ſuo ordine agi cœpta eſt ſub Pio Quarto literis in Hiſpaniam tranſmiſſis, ad teſtes ex formula examinandos, actaque rite conficienda.

Idẽ Rex apud Pium V. & Gregor. XIII. pro huius rei expeditione inſtetit, & etiã apud hunc Pontificẽ per eius Oratorẽ ſupplicari curauit.

§. 19. Cumque ipſe Pius Quartus è vita migraſſet, non deſtitit idem Philippus Rex apud ſuccedentes Pontifices ſanctæ recordationis Pium Quintum & Gregorium Decimumtertium itidem prædeceſſores noſtros ſedulo inſtare; ſed Deo ita diſponente, quamuis pleraque ſuperioribus annis ſint acta, res tamen ipſa perfici ſub illis Pontificibus, atque abſolui non potuit. Cum primùm igitur humilitas noſtra, non noſtris meritis, ſed diuinæ clementiæ abundantia, in excelſa Apoſtolicæ ſolicitudinis ſpecula his difficillimis temporibus eſt conſtituta, ſtatim idem Philippus Rex nulla ex parte reſtincto aut refrigerato fidei ſuæ zelo, nobis per dilectum

Digitized by Google

dilectum filium nobilem virum Henricum de Guzman Comitem de Oliuares, ſuum apud Nos & Sedem Apoſtolicam Oratorem magnopere ſupplicandum curauit, vt poſteaquam ea fere omnia, quæ ad acta & proceſſum Beati Didaci pertinebant, ex huius ſanctæ Sedis præſcripto confecta erant, Nos, quibus vniuerſalis Eccleſiæ cura eſſet credita, & ad quos ſolos eius rei iudicium pertineret, tam pio & tam ab eius Maieſtate, totaque Hiſpania exoptato operi, quod eſt de eodem Beato Didaco Sanctorum Catalogo adſcribendo, ſupremam manum imponere vellemus.

Hic igitur Pont. protãti negotij abſolutionem, diligentiſſime, omnia deſuper agenda, agi voluit, & imprimis proceſſus duobus Auditoribus Palatij Apoſtol. examinan. mandauit, illiſque relationem, & eorum ſententiam eidem ſcripto tradiderunt.

§. 20. Et nos quidem Regis ipſius religioſum ſtudium & perſeuerantem hac in re ſedulitatem commendantes, cupiebamus eius piæ petitioni, quantum cum Domino liceret, ſatisfacere; tamen pro noſtro paſtoralis muneris officio ſtatuebamus, in re tam graui nulla præpropera feſtinatione vtendum, ſed omnia ex Eccleſiaſtica diſciplina, ex maiorum noſtrorum ſaluberrimis inſtitutis, ex Apoſtolicæ Sedis circumſpectione, diligentiſſime agenda eſſe; itaque duobus antiquioribus cauſarum Palatij noſtri Auditoribus, doctrina & rerum vſu præſtantibus, ipſis fere primis Pontificatus noſtri diebus mandauimus, vt acta omnia, totumque proceſſum ſumma cum diligentia perlegerent & examinarent; quo illi in munere menſes complures ſedulo, accurateque verſati, copioſam relationem omnium, ſuamque ſententiam nobis ſcripto tradiderunt. Cum autem Cardinales omnes ab eodem Pio Quarto huic negotio olim præpoſiti, viam eſſent vniuerſæ carnis ingreſſi.

Et poſtea ille Card. deputauit, ad acta de B. Didaci vita moribus & miraculis, ac prædictorũ Auditorũ relatione expendenda.

§. 21. Nos primo anni ſuperioris menſe, in Conſiſtorio noſtro ſecreto alios in eorum locum ſuffecimus, pietate, prudentia, eruditione, fide nobis probatos, adhuc autem & numero plures prioribus, vt in graui cauſa prudenti multorum grauium virorum iudicio adhibito, cuncta exquiſitius diſcuterentur. Hi vero fuere more maiorum, ex tribus Ordinibus delecti venerabiles fratres Epiſcopi Alexander Oſtienſis Farneſius, Marcus Antonius Prænestinus Columna, & dilecti filij noſtri Frater Michaël ſanctæ Mariæ ſuper Mineruam Alexandrinus, Iulius Antonius ſancti Bartholomæi in Inſula Sanctæ Seuerinæ, Antonius SS. Ioannis & Pauli Carafa, Frater Conſtantius Sancti Petri in Monte Aureo titulorum preſbyteri Sarnanus, Ferdinandus ſanctæ Mariæ in Via lata de Medicis, & Hieronymus ſanctæ Mariæ in Coſmedin diaconi Matthæius nuncupatus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, quibus commiſimus, vt pro rei grauitate, proque ea, quæ Deo cordium ſcrutatori, & nobis quoque in eiuſmodi publico munere obeundo à primariis Eccleſiæ membris fidelitas & diligentia deberetur, acta de fidei integritate, vita, moribus, & miraculis beati Didaci, & Auditorum noſtrorum relationem, quanta maxima fieri poſſet diligentia inſpicerent & expenderent, atque ad nos opportuno tempore referrent, vt diuina Spiritus Sancti gratia illuſtrati, de ipſorum & ceterorum fratrum noſtrorum conſilio, quæ Dei gloriæ, qui iuſtitia & veritas eſt, conſentanea forent, deliberare poſſemus.

Prafati Cardinales, quibuſdam peritiſſimis viris in conſilium deſuper adhibitis, ſingula examinarunt, & in ſecreto Cõſiſtorio, omnibus relatis, votum omnes pro canoniz. dederũt.

§. 22. Multis igitur elapſis menſibus cum interea Cardinales ipſi frequenter congregarentur, acta, proceſſus, rerum geſtarum ſeries, teſtes, ſingula denique ad ſacrorum Canonum præſcriptum, mature & accurate conſiderarent, examinarent, atque inter ſe conferrent, viros etiam ſactæ Theologiæ & Pontificij iuris ſcientia peritiſſimos in conſilium adhiberent, cum iam omnia parata eſſe intellegeremus, ſecretum Conſiſtorium de more conuocari iuſſimus, in quo venerabilis frater noſter Marcus Antonius Epiſcopus Cardinalis Prænestinus, ſuo & Collegarum, qui ibidem aſſidebant, nomine, graui & accommodata oratione de omnibus fideliter nobis retulit, quibus explicatis ad extremum dixit, quandoquidem beati Didaci fidei integritas, egregiæ virtutes, præclara & inſignia miracula optime eſſent comprobata, ſe & Collegas ſuos vnanimes in eam ſententiam veniſſe, ſi ita nobis videretur, vlterius nos progredi, & Beatum illum virum in Sanctorum numero poſſe adſcribere, quorum cum ſententia etiam ceteri Fratres noſtri Cardinales, cum à ſingulis graues ſententiæ dictæ eſſent, ad vnum omnes conſenſerunt.

Publicũ Conſiſtorium indixit, in quo Arigonius Aduocatus Conſiſtorialis habuit orationem de geſtis & miraculis B. Didaci, & denique Catholici Regis & totius Hiſpaniæ nomine ſupplicauit eidem Pont. vt eumdẽ B. Didacum in SS. numerũ referre vellet, & ipſe mãdauit Card. & Epiſcopis, vt omnia ad hanc cauſam pertinentia, diligẽtiſſime perpenderent.

§. 23. Quæ cum audiſſet gaudens erat cor noſtrum in Domino, quod beati ſerui ſui gloriam quotidie magis patefaceret, omniaque ipſo benedicente tam feliciter procederent. Quare in tam ſancto pioque opere nihil omnino neceſſariæ diligentiæ prætermittentes, ex more inſtituroque maiorum decreuimus, vt ad vlteriora procederetur. Ac diebus aliquot interpoſitis, publicum Conſiſtorium indiximus, in quo præter Cardinales etiam Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati omnes, ac familiares noſtri de more interfuerunt. In eo vero dilectus filius Pompeius Arigonius Romanus Aulæ noſtræ Conſiſtorialis Aduocatus diſertam orationem habuit de vitæ ſanctitate, rebus geſtis & miraculis beati Didaci, & denique Catholici Regis, totiuſque Hiſpaniæ nomine, vt eumdem beatum Didacum tantis meritis illuſtrem ſanctorum numero aggregaremus, nobis humiliter ſupplicauit. Gaudebamus etiam hoc loco in Domino, in cuius manu cor Regis eſt, & quocumque voluerit inclinat illud. Etenim plane videbamus, non ſine diuino inſtinctu fieri, quod Catholicus Rex, cui multorum Regnorum grauiſſima adminiſtratio à Deo eſt tradita, quique tot curarum onere premitur, tanto ardore in hoc beati Didaci negotio abſoluendo verſaretur, vt in magnis temporum difficultatibus, ſe ſuaque Regna apud Deum noui patroni ſuffragiis, & pie & prudenter communiret. Quare reſpondimus Philippi Regis Catholici de beato Didaco, noſtra & Apoſtolicæ Sedis auctoritate in Sanctis adſcribendo, tam diuturnam & perſeuerantem poſtulationem dignam eſſe ſingulari eius pietate, dignam perpetuo Catholicæ Religionis propagandæ ſtudio, lætari nos & Deo gratias agere, quod Beatos ſeruos ſuos, quos in cœlis coronat, à noſtra quoque tenuitate in terris honorari velit, coſque nobis ad auxilium & exemplum proponat. Et nos quidem ad pium eius deſiderium explendum propenſiores eſſe, facere tamen rei grauiſſimæ magnitudinem, vt de Regia petitione adhuc cum fratribus noſtris Cardinalibus & Epiſcopis, etiam atque etiam deliberandum cenſeremus, quare eoſdem fratres hortati ſumus, vt omnia quæ ad hanc cauſam pertinerent, diligentiſſime conſiderarent, quodque nos ipſi iam pridem faciebamus, Deum magnopere orarent, vt corda noſtra ſuo lumine colluſtraret, totamque hanc actionem ad ſui gloriam & Eccleſiæ vtilitatem diſponeret & dirigeret.

Deinde aliud Conſiſtorium ſecretum indixit, & multa quæ ad negotiũ pertinebant pranarauit, & Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſc. & Epiſc. aſtantes dixerunt B. Didacũ in SS. numerum adſcribendum eſſe.

§. 24. Hæc cum eſſent acta, alterum item Conſiſtorium ſecretum indiximus, in eoque etiam Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos in Romana Curia præſentes, Protonotarios quoque noſtros, qui ex numero dicuntur, & Rotæ Auditores intereſſe iuſſimus. Tum non ipſi de ſacroſanctæ huius Apoſtolicæ Sedis, in qua Dei prouidentia ſedemus, auctoritate & poteſtate, deque Spiritus ſancti ſingulari patrocinio, atque infallibili aſſiſtentia à Deo in omnibus verbis ſuis fideli promiſſa, vſque ad conſummationem ſæculi perpetuo affutura, quibus gubernatur, ea diximus, quæ cauſæ & temporis ratio potiſſimum requirere videbatur. Demum à Fratribus noſtris petiuimus, vt quoniam alias ſtatutum eſſet, vt ad vlteriora in hoc negotio procederetur, nunc præciſe & expreſſe dicerent, an ex iis actis, quæ ipſi viderant & audiuerant, beatus Didacus eſſet canonizandus. Igitur à S. R. E. Cardinalibus primum, deinde à Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, pie, grauiter & erudite ſententiis dictis, omnes vnanimes id ipſum ſentientes, dixerunt ſibi videri ex iis quæ mature ipſi hac de re viderant & audiuerant, beatum Didacum à nobis merito inter Sanctos eſſe adſcribendum.

Pont. igitur diem canonizationis pro die 2. menſis Iulij conſtituit.

§. 25. Deo autem, qui in domo ſua fratres in vnum habitare facit, gratias agentes de tanta fratrum noſtrorum conſenſione, quodque ad ſeruum & amicum ſuum, quantum nobis licet, honorandum corda noſtra impelleret & illuſtraret, cum per eius gratiam hucuſque omnia rite atque ordine acta eſſent, quod reliquum erat, diem canonizationis præſtituimus ad Sextum Nonas Iulij, quo die memoria Viſitationis beatæ Mariæ ſemper Virginis ad ſanctam Eliſabeth pie ab Eccleſia recolitur, vt eiuſdem humani generis Aduocatæ patrocinio, tandem pium hoc opus proſpere & ſaluberiter à nobis abſolueretur.

Digitized by Google

Hortatur que Fratres ad diuinũ defu per auxilium inuocandum.

§. 26. Fratres interea noſtros hortati ſumus, vt intermedio tempore vna nobiſcum precibus, eleemoſynis, (quas nos & libenter & pie erogauimus, quemadmodum & Regis nomine ab ipſius Oratore factum fuit) ieiuniis, ſacrificiis Dei auxilium inuocare non ceſſarent.

Ea die Pontifex, cum ſolito apparatu ad Baſilicã S. Petri proceſſit & ornauit.

§. 27. Is igitur feſtus Viſitationis dies, id eſt hodiernus cum aduenisſet, Nos & fratres noſtri Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi & Epiſcopi ſacris veſtibus induti, inchoato per nos ipſos in noſtra Pontificia Capella Hymno, Aue maris ſtella, Cantorumque choro proſequente, vt ipſa, quæ mater eſt gratiæ, nobis præiret & præluceret, cæteris etiam Romanæ Curiæ Prælatis & officialibus, familiaribuſque noſtris, ac vniuerſo regulari & ſæculari clero, longo deuotoque ordine progredientibus, omnes ſimul accenſos cereos in manibus geſtantes in eius honorem, qui eſt lux vera, gloria & ſplendor ſanctorum, è Palatio noſtro Apoſtolico ſolemniter proceſſimus ad antiquiſſimam & religioſiſſimam Baſilicam Principis Apoſtolorum, in cuius medio peramplum ſuggeſtum Regio ſumptu extructum erat, paratumque Altare ad ſacram Pontificalem Miſſam celebrandam totaque templi facies in communi Eccleſiæ lætitia hilaris, & Pontificio apparatu decenter ornata, omniaque ſpiritualibus canticis perſonabant, funalia & faces circumquaque ardebant, & vexilla appenſa, in quibus beati viri imago expreſſa erat, qui corpore erecto depictus, dextera manu coronam Beatiſſimæ Dei Genitricis, ſiniſtra Crucem inuictiſſimam gerit & intuetur, cuius nimirum auxilio hoſtes teterrimos carnem, mundum & diabolum ſuperauit. Hac nos in maxima fidelis Populi, totiuſque adſtantis cleri frequentia, cœleſtis illius & triumphantis Hieruſalem effigiem quamdam nobis ante oculos proponentes, & quantum in hac lachrymarum valle licet, intuentes, conſcenſis gradibus, in ſuggeſtu ante Altare orauimus, mox in ſublimi Apoſtolico Throno confidentes, fratres noſtros S. R. E. Cardinales & Epiſcopos omnes ſacris veſtibus ornatos & paratos, nobis obedientiam de more præſtantes excepimus.

Et iterum ad inſtantiã Reges requiſitus B. Didacum Sanctum pronunciauit & canonizauit.

§. 28. Tunc dilectus filius noſter Petrus tituli S. Hieronymi Illyricorum preſbyter Cardinalis Deza Hiſpanus, Catholici Regis Philippi, totiuſque Hiſpaniæ nomine ſemel, iterum, & tertio ſuppliciter & inſtantiſſime à nobis petiit, vt beatum Didacum in Sanctorum numerum adſcriberemus, noſque ad ſingulas eius petitiones, Regis pietate, & beati Viri meritis collaudatis, ſemper tamen per diſtincta interualla, noſtras totiuſque Cleri & Populi orationes, litanias & ſacros hymnos interpoſuimus. Demum cum iam nihil omnino ex his, quæ à maioribus, pie ſancteque ſunt hoc de genere inſtituta, eſſet prætermiſſum, immo potius matura deliberatio, ſummaque diligentia abundantius adhibita, inuocato ſancto Creatore Spiritu, cuius conſilio & ſapientia ſancta Eccleſia columna & firmamentum veritatis regitur, eiuſque numen ſæpe à nobis ex intimo corde multis etiam lachrymis imploratum, præſens adeſſe non dubitantes. Ad honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ad exultationem ſuper næ & triumphantis Hieruſalem matris noſtræ, ad exaltationem catholicæ fidei, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate eiuſdem ſanctæ Trinitatis, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, omniumque Patriarcharum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Romana Curia exiſtentium conſilio & vnanimi conſenſu beatum fratrem Didacum de S. Nicolao Prouinciæ Bethicæ Hiſpanum, Ordinem Minorum S. Franciſci expreſſe profeſſum, ſepultumque Compluti in Eccleſia Fratrum eiuſdem Ordinis, de cuius fidei puritate, excellentia vitæ, & miraculorum in vita & poſt mortem claritate nobis pleniſſime conſtat, in Sanctorum Confeſſorum numerum & Catalogum adſcribendum eſſe decreuimus, & adſcripſimus, prout per præſentes decernimus & adſcribimus, eumque vt Sanctum ab omnibus venerandum eſſe mandamus.

Feſtum eius die 12. Nouẽbris celebrari iuſſit.

§. 29. Statuentes, vt ab vniuerſali Eccleſia anno quolibet die 12. Nouembris feſtum ipſius, & officium ſicuti pro vno Sancto Confeſſore tantum, ad formam in rubricis Romani Breuiarij præſcriptam, deuote celebretur quodque in eius honorem in Eccleſia & Altaria, in quibus Deo ſacrificia offerantur, erigi & fundari poſſint, eademque auctoritate, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ſingulis annis eodem die feſto ſupradictam Eccleſiam Oppidi Complutenſis Toletanæ Diœceſis, vbi ipſius corpus requieſcit, necnon Altaria & Eccleſias, quæ in eius honorem conſtructæ erunt, deuoto viſitauerint, eaſdem indulgentias, priuilegia & gratias conceſſimus & elargiti ſumus quemadmodum concedimus & elargimur, quæ cæteris dicti Ordinis ſanctorum Eccleſiis conceſſæ ſunt.

Miſſam poſtea celebrauit & aſſiſtentibus indulg. conceſſit.

§. 30. Quibus omnibus quæ ad ſancti Didaci canonizationem pertinebant, abſolutis, ac laudi & gratiarum actionis Hymno Deo decantato, eiuſque auxilio per beati Didaci preces peculiari oratione, quam nos clara voce pronunciauimus, implorato, tandem eodem in loco & Altari, Miſſam ſolemnem de beatiſſimæ ſemper Virginis Viſitatione cum beati Didaci commemoratione nos ipſi celebrauimus, fidelibuſque, qui tam piæ & religioſæ actioni, & ſacroſancto ſacrificio deuote interfuerant, ad Dei & Sancti ſui gloriam & laudem plenariam indulgentiam conceſſimus.

Omnes demũ hortatur ad Deo benedicẽdum, & pro hac relata grandum.

§ 31. Omnes igitur Deum cœli benedicamus, & coram omnibus viuẽtibus confiteamur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam, agnoſcamuſque non ſine magna Dei prouidentia factum eſſe, vt hiſce afflictis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus, quibus maxime multiplici Sanctorum ſuffragio indigemus, nouus hic Suffragator & Patronus fideli Populo tribueretur. Et nos quoque, qui in hac paſtorali ſtatione, in qua nos Deus collocauit, de vniuerſi gregis Domini ſalute anxij dies noctesque peruigilamus, Dei erga nos ſingularem clementiam agnoſcimus, qui poſt tot annos, poſt tot beatiſſimos Pontifices prædeceſſores noſtros nobis humilibus huius magni operis abſolutionem reſeruauerit, qui cum Sancto ſuo eiuſdem Seraphicæ Religionis communione, conſociati ſumus. Quamobrem eumdem Patrem miſericordiarum, qui humiles exaltat, humiliter deprecemur, vt per merita & interceſſionem ſancti Didaci, Eccleſiæ ſuæ pacem & tranquillitatem, Regibus & Principibus Chriſtianis vnionem, vitam & felicitatem, miſeris & obcæcatis hæreticis lucem Catholicæ veritatis largiatur.

Huiuſq; bulla mandat tranſumptis dari fidem.

§. 32. Ceterum quia nimis difficile foret præſentes noſtras originales literas ad ſingula loca, vbi opus eſſet, deferri, volumus vt earum tranſumptis etiam impreſſis, manu publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem quæ ipſis præſentibus fides vbique adhibeatur.

Sanctionem adiicit pœnalem.

§. 33. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum decreti, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, conceſſionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1588. Non. Iulij, Pontificatus noſtri anno quarto. *D. P. An. 4. 5. Iulij.*

Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. *Papæ ſubſcr.*

Ego Alex. Card. Farneſius Vicecancellarius Epiſcopus Oſtien. *Cardd. ſubſcr.*
Ego Io. Ant. Epiſcopus Portuen. Card. S. Georgij.
Ego Alph. Card. Geſualdus, Epiſc. Tuſculanus.
Ego Inn. Aualus Card. de Arag. Epiſc Sabinen.
Ego Marcus Ant. Card. Columna Epiſc. Præneſtin.
Ego Ptolomæus Card. Comenſis Epiſc. Albanen.
Ego Marcus Siticus Card. ab Altaemps tit. S. Mariæ Tranſtiberim.
Ego Proſper Card. Sanctacrucius tit. S. Clementis.
Ego Gabr. Card. Paleottus tit. S. Laurentij in Lucina.
Ego Frater Michaël Bonellus Card. Alexandrinus tit. S. Mariæ ſuper Mineruam.
Ego Ludouicus Card. Madrutius, tit. S. Anaſtaſiæ.
Ego Nic. Card. de Pelleue, tit. S. Praxedis.
Iul. Ant. tit. S. Bartholomæi in Inſula Preſb. Card. Sanctæ Seuerinæ.

Ego

Digitized by Google

Ego Hier.Card.Rustic.tt.S.Susannæ.
Ego Io.Hier. Card. Alban. tt. S. Ioannis ante portam Latinam.
Ego Hier. Card. Simoncellus tit. S.Priscæ.
Ego P.Card. Deza tit.S. Hier. Illyricorum.
Ego Ant.Card.SS.Ioannis & Pauli Card. Carafa.
Ego Io.Ant.Card.SS.Quatuor.
Ego Io.Baptista Card.tt.S.Marcelli.
Ego Franciscus Card.de Ioyeuse tt.Sanctiss. Trinitatis in Monte Pincio.
Ego Iul.Card.Cananus,tt.S.Eusebij.
Ego Nic.tit.S.Cæciliæ. Card.Cremonen.
Ego Ant.Maria Card.Saluiatus tt.S.Mariæ de Pace.
Ego Aug.Card.Veronæ tt.S.Marci.
Ego Vincentius tt.S.Mariæ in Via Car.Montis regalis,
Ego Philippus Card.Spinula tt.S.Sabinæ.
Ego Scipio Card. Lancellottus, tit. Sancti Saluatoris in Lauro.
Ego Vincentius Card.Gonzaga tt.S.Alexij.
Ego Henricus Cardinalis Caietanus tituli S.Pudentianæ S.R.E.Camerarius.
Ego Io. Baptista tituli S. Mariæ in Aracœli. Card. Castruccius.
Ego Federicus Card.Cornelius tit.S. Stephani in Monte Cælio.
Ego Dominicus tt.S.Laurentij Card.Pinellus.
Ego Hippolytus Card. Aldobrandinus tit. S. Pancratij, Maior Pœnitentiarius.
Ego Hier. tt.S.Petri ad Vincula Card.de Ruuere.
Ego Philippus Card.de Lenoncourt tt.S.Honuphrij.
Ego Fr. Hier. tt. S.Thomæ in Parione.Card.Ascul.
Ego Ant. Maria tit. S. Agnetis in Agone Card. Perusinus..
Ego Fr. Constantius Car.Sarnanus tt. S. Petri in Monte Aureo.
Ego Guglielmus Alanus tituli S.Martini Cardinalis Anglican.
Ego Scipio tituli S.Mariæ de Populo Card.Gonzaga.
Ego Ant.Card.Saulius tt.S.Vitalis.
Ego Euangelista Card. Cusentinus tt. S. Matthæi in Merulana.
Ego Fr.Stephanus tit. SS. Marcellini & Petri Card. Aretinus.
Ego Alexander diaconus S. Eustachij, Cardinalis Montaltus.
Ego Hieronymus S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis,Matthæius.
Ego Benedictus S.Agathæ diac.Card. Iustinianus.
Ego Ascanius SS.Viti & Modesti, & Crescentiæ diac. Card.Columna.
Ego Federicus S.Mariæ in Dominica diac. Card. Borromæus.

Publicatio. *Anno à natiuitate Domini* 1588. *Indict.* 1. *die vero Lunæ* 5. *mensis Septembris, Pontific. Sanctiss. in Christo patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. Anno eius* 4. *retroscripta littera Apostolica affixa, lecta, & publicata fuerunt ad valuas Basilicarum Principis Apostolorum, & Ioannis Lateranensis de Vrbe, & ad valuas Cancellariæ Apostolicæ, & acie Campi Florę per nos Horatium de Raynaldis, & Ioannem Baptistam Bagni, eiusdem S. D. N. Papæ Curs.*

Alex. Parabiacus Mag.Curs.

LXXXIII. Institutio Archiuiorum scripturarum, in quibuscumque Ciuitatibus & locis status Ecclesiastici, Alma Vrbe & Bononia exceptis, Et erectio officij Regentis dictorum Archiuiorum, cum iurisdictionis & priuilegiorum assignatione.

In Vrbe extat Archiuium, de quo habes sup. in const. 15. *Iulij* 2. Sicut. *Officium autem huius Regentis est hodie suppressum, & eius loco quotannis deputatur vnus ex Clericis Reuer. Camerę Apostolicę.*

Archiuium sacri Collegij S.R.E.Cardinalium in Vaticano Palatio instituit S. D. N. Vrban. VIII. const. 53. *Admonet.* inf. tom.4. quam omnino videas.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Edita An. D. 1588.

SOlicitudo pastoralis officij humeris nostris licet imparibus diuina dispositione iniuncti, assidue cor nostrũ pulsat, & commouet, vt non solum ad ea quæ vniuersi Christiani gregis nobis ex alto commissi animarum salutem respiciunt, verum etiam quæ ad populorum nostræ & Sedis Apostolicæ temporali ditioni subditorum vtilitatem, pacem, tranquillitatem, perpetuamque securitatem pertinere noscuntur, vigilantiæ nostræ aciem dirigamus, & præsertim noxiis illis quæ ob non adhibitam satis exactam diligentiam in conseruandis tam publicis quam priuatis scripturis, inter subditos nostros graui cum nostra eorumque molestia fortunarumque suarum dispendio & iactura, frequenter exoriri, & vigere intelligimus, commoda aliqua ratione prouideamus. *Proœmium.*

§. 1. Cum itaque ex diligenti earumdem scripturarum custodia, fraudes & falsitates quæ litibus, discordiis, ac periculis huiusmodi, vt plurimum viam præbent arceantur, dominia, possessiones, & familiæ ipsæ conseruentur, iustitia denique cum animi certitudine, ac publica & priuata omnium vtilitate æqua lance administretur. Ac proinde publica Archiuia, nedum in Europa sed etiam in pluribus aliis vniuersi Orbis etiam Barbarici partibus, qui hac potissimum ratione commune bonum subditorum suorum, atque adeo Societatis humanæ vinculum inter se retinuerunt accurate instituta fuerint. Operæpretium vero, & condecens sit, vt quod omnibus in exemplum salubrioris regiminis, & administrationis rerum publicarum cedere dignoscitur, id ipsum nostro Statu Ecclesiastico cui superioribus illis sæculis ob bellicos tumultus, quibus ille ac vniuersa fere Italia tunc exarsit, tantum publicæ quietis beneficium impendi non potuit, nunc tandem nostræ prouisionis ministerio salubriter introducatur. *Causa constitutionis.*

§. 2. Idcirco nos more pij patris & pastoris, huiusmodi quietem & vtilitatem vniuersalem subditis nostris afferre volentes, ad dictarum scripturarum conseruationem, fidem, & securitatem, ac illarum deperditioni & falsitatibus obuiandum, lites quoque, discordias, ceteraque pericula omnia tollendum, Motu proprio non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, meraque deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, in toto Statu Ecclesiastico nobis & Sedi Apostolicæ mediate & immediate subiecto hac Alma Vrbe nostra, Ciuitateque & Comitatu Bononien. dumtaxat exceptis, scilicet in quibusuis ipsius Status Prouinciis, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Villis, ac locis aliis, etiam quibusuis Metropolitanis, Cathedralibus, vel aliis Ecclesiis, etiam Monasteriis, Abbatiis, & aliis etiam regularibus, ac piis locis subiectis, Archiuia publica & generalia in quibus instrumenta, necnon apocæ, cedulæ, chirographa, aliæque scripturæ tam publicæ quam priuatæ, quas quomodolibet occasione quorumcumque contractuum, ex quibus actio seu receptio, etiam ad tempus resultet fieri contigerit, etiam à Notariis & Cancellariis, seu Notariis curialibus nuncupatis ac officialibus quibuscumque, etiam à Camera nostra seu à nobis vel prædecessoribus nostris causam, etiam cum titulo oneroso habentibus, & quibusuis aliis particularibus personis cuiuscumque dignitatis, officij, status, gradus, ordinis & conditionis fuerint, etiamsi clericali, vel alio quocumque etiam cum titulo oneroso, indulto, & priuilegio potiantur iam confecta, & deinceps quouis nomine & titulo pro tempore conficienda, roganda & stipulanda, tam venditiones, emptiones, mutua, debita, credita, & quasuis alias obligationes, societates, socidas, census, locationes, liuellos, concordias, compositiones, transactiones, quascumque cuiusuis generis sententias, compromissa, lauda, donationes, permutationes, cessiones, quietantias, delegationes, solutiones, dationes etiam in solutum, ac inter viuos & causa mortis donationes, inuentaria, reuocationes, hypothecationes, pignorationes etiam iudiciales mandata quæcumque, ratificationes, paces, substitutiones, diuisiones, confessiones *Institutio Archiuiorum.*

fessiones debitorum, tam in iudicio quam extra, emancipationes, arrogationes, adoptiones, renunciationes, insinuationes, testamenta in scriptis & nuncupatiua, codicillos, aditiones & repudiationes hæreditatum, fideicommissa, substituriones, prohibitiones, possessiones bonorum continentia, quam quoscumque alios contractus, nominatos & innominatos, inter quascumque, Ecclesiasticas & cuiusuis Ordinis regulares & sæculares personas, quauis Ecclesiastica aut sæculari seu temporali vel mundana dignitate etiam ducali præeminentia fungentes, necnon Vniuersitates, Ecclesias, Capitula, Collegia, Conuentus, Monasteria, Hospitalia, & quæcumque alia pia & non pia loca, eorumque vniuersales & particulares personas, necnon Ecclesiarum, & Monasteriorum huiusmodi, ac quoscumque alios Prælatos seu Priores pro tempore initos & celebratos, sub modo & forma in Capitulis quæ per dilectum filium nostrum Henricum tituli sanctæ Pudentianæ presbyterum Cardinalem Caëtanum, nostrum & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, dictæque Cameræ Thesaurarium, Decanum, & Clericos, Præsidentes, aut eum vel eos qui à nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus, super administratione & gubernio dictorum Archiuiorum pro tempore deputabuntur, statuendis & declarandis, asportari, & respectiue recipi, adnotari, & diligenter perpetuo conseruari & custodiri debeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo erigimus & instituimus.

Incorporatio ad istud Archiuium, aliorum omnium Archiuiorum.

§.3. Et si in aliquibus Prouinciis, Ciuitatibus, & aliis locis prædictis, vigore quarumcumque facultatum desuper, etiam à nobis vel prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, aut Apostolicæ Sedis Legatis, Vicelegatis, Præsidentibus, Gubernatoribus, seu Officialibus, vel etiam à Camera Apostolica, & pro ea agentibus quibusuis Prouinciarum, Ciuitatum & locorum huiusmodi Communitatibus, Vniuersitatibus, Collegiis, Capitulis, aut aliis etiam parcularibus personis, & officialibus ac Cancellariis, & aliis præfatis, quauis causa vel occasione, ac ex titulo etiam oneroso concessarum aliqua Archiuia, vel aliquid ad illorum instar ad præsens reperiantur, vel erigi deberent, illa, omnia & singula Archiuiis per præsentes erectis & institutis, ac earumdem præsentium vigore instituendis & stabiliendis, etiam perpetuo aggregamus & incorporamus. Cum modificationibus tamen & limitationibus, ac declarationibus in dictis Capitulis iuxta mentem nostram eisdem Henrico Camerario, & Cameræ præfatæ Clericis declaratam aliisque declarationibus, etiam futuris temporibus, tam per nos quam alium vel alios ad id à nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus si eis videbitur atque eorum arbitrio, toties quoties eis placuerit faciendis, & statuendis & reformandis.

Reuocatio facultatis erigẽdi Archiuia, alteri cuicũq.

§.4. Facultates vero erigendi & instituendi Archiuia, vel aliquid ad illorum instar aliis forsan, vt præmittitur, concessas, necnon priuilegia, indulta, immunitates, seu exemptiones quascumque, etiam ex titulo oneroso, ac sub quibuscumque verborum formis & tenoribus, concessa fuerint, quorum omnium tenores, acsi de verbo ad verbum insererentur, præsentibus haberi volumus pro expressis, similiter perpetuo cassamus & annullamus.

Iussio deputãdi Præfectum Archiuiorũ.

§.5. Necnon vt pro felici regimine & gubernio Archiuiorum præfatorum aliqua persona ad hoc munus apta & idonea, in eorumdem Archiuiorum totius præfati Status Ecclesiastici Præfectum, vel sub quouis alio titulo nobis bene viso, ac per nos declarando, subque certa forma, &c. habeatque plenam, liberam, & omnimodam facultatem, potestatem, & auctoritatem huiusmodi Archiuia, in omnibus & singulis prouinciis, ciuitatibus, terris, oppidis, & aliis locis antedictis eiusdem status, in quibus illa ex forma dictorum capitulorum constitui debere duxerit, toties quoties sibi videbitur, per se vel alium seu alios ad id ab eo deputandos constituendi & stabiliendi, eaque amouendi, transferendi, separandi, aggregandi, & incorporandi, ceteraque omnia & singula, in præmissis & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, exercendi, & exequendi, &c. Ac pro salubriori eorumdem Archiuiorum directione, successu, gubernio & administratione illa, omnia & singula per vnum ex dictæ Cameræ Clericis, in Præsidentem, seu Præfectum annalem iuxta eiusdem Cameræ instituta per ipsam Cameram sorte extrahendum, seu alias eligendum, &c. deputandum.

Iurisdictio d. Præfecti.

§.6. Qui summa auctoritate & manu Regia, notarios Cancellarios, ac alios prædictos, & quascumque alias personas, tam Ecclesiasticas quam sæculares, necnon communitates, Vniuersitates, Ecclesias, Capitula, Collegia, Conuentus, Monasteria, Hospitalia, ceteraque alia etiam pia loca, eorumque vniuersales & particulares personas, necnon Ecclesiarum & Monasteriorum huiusmodi, ac quoscumque alios Prælatos & Superiores, quacumque Ecclesiastica dignitate, aut mundana, ac temporali, etiam Ducali, aut Marchionali honore & præeminentia fungentes, vt ad Archiuia sic erecta & instituta, instrumenta & alias scripturas prædictas iuxta dictorum Capitulorum formam deferant & asportent Communitates vero ad Vniuersitates Ciuitatum & locorum huiusmodi, illorumque Priores, & nostri & Cameræ prædictæ officiales, vt commodas ac idoneas mansiones pro scripturarum & instrumentorum prædictorum conseruatione assignent, ceteraque in dictis capitulis, statuenda, declaranda, obseruare & adimplere debeant, cogat & compellat, causasque tam ciuiles quam criminales, merasque & mixtas, etiamsi in eis obligationes quantumuis strictæ interuenerint, occasione Archiuiorum huiusmodi, & ab ipsis quomodolibet dependentes, emergentes, annexas & connexas, etiam ratione terminorum seu pagarum solutionum occasione, subappaltus seu affictus contra quascumque personas, & inter quascumque particulares Archiuistas, ac inter eum seu eos, & quascumque Communitates, Collegia, Vniuersitates, & alias personas procedendo, ac etiam alias causas & differentias super præsentium intelligentia, declaratione, ac ampliatione, & super omnibus priuatiue quo ad omnes alios Iudices ordinarios & extraordinarios, tam in Vrbe quam extra, & in toto Ecclesiastico Statu, etiam summarie, simpliciter & de plano, & absque strepitu & figura iudicij, &c. cognoscat, audiat, decidat, fineque debito terminet, regi, gubernari, & administrari posse ac debere, statuimus & ordinamus, necnon Archiuiis præfatis, ac personarum illorum manutentione ac stabilimento, necnon regimini, gubernio, & administrationi pro tempore incumbentium laboribus & salariis, omnia & singula iura, obuentiones, emolumenta, & alia regalia in dictis capitulis specificanda pariter perpetuo applicamus & appropriamus, &c.

Tu vide latius hic inf.

Clausula præseruatiua.

§.7. Decernentes quoque, easdem præsentes nullo vmquam tempore, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quouis alio defectu notari, impugnari, infringi, inualidari, aut in ius vel controuersiam reuocari posse, sed illas semper perpetuo validas & efficaces fore, suosque plenarios effectus sortiri, atque ita per quoscumque iudices etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac dictæ Cameræ Clericos, ac eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata illis quauis aliter iudicandi vel interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.8. Non obstantibus præmissis, ac nostra de non tollendo ius quæsitum, & fel. record. Pij Papæ IV. prædecessoris nostri, sub datum videlicet octauo Idus Augusti, Pontificatus sui anno sexto edita, inter alia disponentis, quod forsan similes gratiæ infra certum tunc expressum tempus, præsentari & registrari debeant, dummodo saltem intra biennium à data præsentium omnino registrentur, aliisque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon prouinciarum Status Ecclesiastici huiusmodi, ac quarumuis illius ciuitatum, locorum, districtuum, necnon monasteriorum, Ecclesiarum, & aliorum piorum ac non piorum locorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, &

Digitized by Google

& literis Apostolicis exemptionibus, immunitatibus, etiam cum titulo oneroso, tam à Camera quam à nobis, seu prædecessoribus nostris quomodolibet, etiam illis, eorumque Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Iudicibus, Notariis, Cancellariis, & aliis præfatis quibuscumque Communitatibus, Vniuersitatibus, Cameræque nostræ & illius Auditori generali, ac Fisco, aliisque etiam personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis, etiam Motu simili, etiam consistorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet facientibus, & concessis ac in futurum concedendis, quibus omnibus etiamsi de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa mentio habenda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 9. Volumus autem quod præsentium exemplis etiam impressis, sigilloque eiusdem Camerarij obsignatis, ac manu vnius dictæ Cameræ notarij subscriptis, ea prorsus fides adhibeatur, tam in iudicio quam extra, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si exhiberentur ac ostenderentur.

Sanctio pœnalis.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ erectionis, institutionis, aggregationis, incorporationis, voluntatum, cassationis, annullationis, mandatorum, statuti, ordinationis, applicationis, appropriationis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

D. P. *An. 4. 1. Augusti.*

Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo octauo, Kalend. Augusti, Pontificatus nostri anno quarto.

Sequitur erectio Officij Regentis suprædicti Archiuij, cum iurisdictionis, & priuilegiorum concessione.

Edita A.D. 1588. SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

SOllicitudo ministerij pastoralis nos admonet & inducit, vt pro felici progressu eorum quæ ad communem Reipublicæ, & subditorum nostrorum vtilitatem & commodum per Nos ordinata fuerunt, illorum curam egregiorum virorum prudentiæ demandemus, quorum opera & studio feliciter regantur & gubernentur, lites quoque & discordiæ quæcumque facilius decidantur & terminentur, prout tam pro iustitiæ complemento, quam subditorum eorumdem quieti conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque Nos super ad publicarum scripturarum conseruationem, & illarum deperditioni ac falsitatibus, quæ nisi diligens cura & sollicitudo adhibeatur circa eas, in fraudem iustitiæ, ac subditorum nostrorum graue præiudicium euenire possunt, obuiandum, lites quoque, discordias, & alia pericula, quæ dictarum scripturarum occasione inter eosdem subditos nostros in dies magna cum eorum iactura & læsione hactenus motæ fuerunt extirpandum certisque aliis rationabilibus animum nostrum mouentibus, & tunc expressis causis in toto Statu Ecclesiastico Nobis & Sedi Apostolicæ mediate & immediate subiecto (Alma Vrbe nostra, ac Ciuitate & comitatu Bononien. dumtaxat exceptis) archiuia publica, in quibus dictæ scripturæ, ac instrumenta publica, asportari, & diligenter custoditi debeant, erexerimus & instituerimus, &c.

Nunc autem expedire videns, officium Regentis Archiuiorum prædictorum erigere.

§. 2. Operæpretiumque duxerimus, vt pro salubri directione, prouidoque gubernio dictorum Archiuiorum, aliquis supremus Iudex, qui summa auctoritate, omnes & quascumque differentias, lites, querelas & controuersias, tam inter particulares personas, & Archiuistas, &c. quam de & super taxis & mercedibus, nullitatibus & falsitatibus ac quibusuis aliis rebus, ad præfata Archiuia, illorumque administrationem, gubernium ac directionem quomodolibet, & ex quauis causa pertinentibus, oriri & suscitari contigerit, audiat, cognoscat, decidat, finemque debito terminet, constituatur & deputetur. Vnde rei huiusmodi virum morum grauitate, literarumque scientia conspicuum præficere, & in præmissis prouidere summopere cupientes, ac erectionis & institutionis Archiuiorum, &c. necnon priuilegiorum, indultorum, facultatum, exemptionum, & aliarum gratiarum, necnon quarumcumque literarum desuper confectarum, ac edictorum circa præmissa emanatorum, ceterorumque præmissorum, ac inde secutorum tenores etiam veriores, præsentibus pro expressis & insertis habentes.

Illud erigit cum facultate quascumque causas mouendas occasione Archiuiorum destatue, summarie, &c. ac appellatione remota cognoscendi.

§. 3. Motu proprio, &c. Vnum officium Regentis Archiuij generalis Status nostri temporalis Ecclesiastici nuncupandum, pro vno Prælato, aut vtriusque seu alterius iurium Doctore vel Licentiato, aut alia persona ad hoc munus habili & idonea, Regente Archiuij generalis Status nostri præfati nuncupando, qui præfatas & quascumque alias differentias, lites, querelas, & controuersias occasione dictorum Archiuiorum, etiam ex obligatione in forma Cameræ Apostolicæ prouenientes, etiam alias ac inter alios quam vt præmittitur suscitandas, & iudiciariam indaginem, aut quamuis aliam cognitionem, decisionem, probationem, declarationem, interpretationem & executionem, qualitercumque & quomodocumque requirentes, pro tempore mouendas, ciuiles, criminales, meras & mixtas, vna cum inciden. emergen. annexis & connexis, suprema auctoritate, & manu regia, tela iudiciaria penitus omissa, solaque facti veritate inspecta, ac omni & quacumque appellatione, recursu, & remissione remotis, etiam priuatiue quo ad omnes alios iudices, ordinarios & extraordinarios, tam in Vrbe quam extra eam, totoque Statu præfato, ius dicendi, audire, cognoscere, terminare, decidere, ac debitæ executioni demandare.

Delinquentes etiam in præmissis, ius arbitrio puniendi.

§. 4. Delinquentes quoque & quos falsi & cuiusuis alterius generis crimen vel errorem, aut delictum, in scripturarum & instrumentorum præfatorum in Archiuium regiſtratione, & ex eo transumptione, recollectione, custodia & conseruatione, siue taxarum illicita alteratione & exactione, præsentatione & subsignatione, ac alias in exercitio & administratione dictorum Archiuiorum quomodolibet commississe accusati aut suspecti fuerint, eorumque complices condigna punitione, & exemplari coercitione, ac debitis pœnis in locis commissorum, ac si videbitur etiam in Vrbe, & alias vbilibet plecti, & arbitrio suo puniri & castigari facere, sententiare, iudicare, condemnare, bonaque conscribere & confiscare, omniaque & singula alia, in præmissis & circa ea necessaria, & quomodolibet opportuna, gerere, exercere, & exequi, per se vel alium, seu alios, omni & quacumque appellatione remota perpetuum silentium desuper imponere.

Edicta pro regimine dictorum Archiuiorum proponendi.

§. 5. Necnon edicta ac proclamationes & banna pro regimine, gubernio, & administratione Archiuiorum, Archiuistrarum, & Rectorum aliorumque præfatorum suo sub nomine, pœnisque eius arbitrio exprimen. &c. quoties sibi expedire videbitur, proponere & publicari facere. Illaque ac iam emanata declarare, interpretari, reformare, ampliare, & innouare, ac tam per eum edenda, quam alia desuper de mandato nostro quomodolibet, &c. sub eisdem pœnis obseruari facere.

Nec non ponit hic infra, quid sint prædictis iam impressa.

Notarios tanquam causarum huius officij actuarios eligendi.

§. 6. Cum facultate deputandi & constituendi proprium notarium seu notarios, vnum vel plures, tam in dicta Vrbe quam extra eam, tanquam actuarios causarum ad officium Regentis huiusmodi quomodolibet spectantium, eosque singulos toties quoties eidem Regenti visum fuerit amouendi & ponendi, ac alios eorum loco substituendi.

Commissarios ad visitan. dicta Archiuia, & cogendum, Notarios, ac alios ad portandum scripturas in Archiuiis deputandi.

§. 7. Commissarios quoque ad Archiuia præfata visitandum cum simili aut limitata facultate, necnon potestate & auctoritate, tam archiuistas, & ab eis deputatos præfatos, quam notarios viuentes, ac eorum hæredes, qui vita functi fuerint, ceterosque eorumdem defunctorum quouis titulo successores, ac earumdem scripturarum detentores, seu possessores. Necnon in quantum ad ipsa Archiuia spectat, quoscumque contrahentes cuiuscum-

Digitized by Google

que ſtatus, ſexus, gradus, ordinis, & conditionis, etiamſi Collegium, Communitas, Vniuerſitas, Capitulum, etiam Collegiatarum & Cathedralium, ac Metropolitanarum Eccleſiarum, earumque Præſules, Monaſteriorum Abbates, conuentus, & pia loca, eorumque Gubernatores & Officiales, ac Præſidentes, necnon Duces, Marchiones, Comites, aut aliæ perſonæ quantumuis priuilegiatæ, ac Eccleſiaſtica, vel temporali & mundana dignitate, excellentia, & honore præfulgentes fuerint, ad ſcripturas & inſtrumenta pro tempore celebrata in eiſdem Archiuiis deportandum cogendi, aliaque quo ad hæc neceſſaria & opportuna faciendi & exequendi, &c. toties quoties ſibi videbitur deputare.

Patentes literas pro quibuſcumq; ſuis Miniſtris, ſuo ſub nomine & ſigillo expediendi.

§. 8. Ac de præmiſſis omnibus & ſingulis, pro quibuſcumque aliis ſuis in officio Regentis Archiuij huiuſmodi Miniſtris, ceteriſque omnibus & quibuſcumque ad præfatum officium, illiuſque iuriſdictionem, tam in Vrbe quam extra eam quomodolibet ſpectan. & pertinen. patentes, & quaſcumque alias literas, ſub eodem nomine & ſigillo ſuo, per vnum vel duos Secretarios ab eo, ſimul vel ſucceſſiue nominandos (qui ad eorum vitam, eius, & in dicto officio ſucceſſorum obſequiis, hac in parte inſiſtere debeant, ac pro generali ex patentibus, huiuſmddi à ſubſtitutis Commiſſariis, & Miniſtris ſuis huiuſmodi, ſine alicuius grauaminis noua impoſitione, &c. aliqua regalia exigere & leuare queat) confici & expediri facere, aliaque & ſingula officium, illiuſque liberum exercitium, quomodolibet concernentia adimplere, libere & licite poſſit & valeat.

In Archiuiſtas, Notarios, & alios circa ea quæ huiuſmodi officium concernunt omnimodam iuriſdictionẽ exercendi.

§. 9. Ita etiam quod illud pro tempore obtinens, in archiuiſtas, notarios, & alios præfatos in præmiſſis, & quo ad ea quæ officium huiuſmodi concernunt tantum, ſupremam & omnimodam iuriſdictionem & auctoritatem habeat, gerat, & exerceat. Illique ad eum dumtaxat pro iuſtitiæ complemento recurrere, ac ad ipſum reclamare debeant, eaque in parte curiæ ſuæ ſuppoſiti cenſeantur. Nec cuipiam Tribunali, aut moderno & pro tempore exiſtenti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, nec Cameræ Apoſtolicæ, minuſque curiæ cauſarum dictæ Cameræ generali Auditori, aut cuiuis alteri Iudici, ſed nobis & dictis ſucceſſoribus noſtris immediate ſubſit, &c. cuius conceſſio & omnimoda diſpoſitio, quoties illud quouis modo vacare contigerit, ad Nos & eoſdem Succeſſores noſtros in perpetuum ſpectet & pertineat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium, &c. perpetuo erigimus & inſtituimus. Decernentes, &c. ſicque & non aliter, &c. Quocirca, &c.

Derogatio cõtrariorum.

§. 10. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. record. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur, necnon quatenus opus ſit regula de non tollendo iure quæſito, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Prouinciarum Status Eccleſiaſtici huiuſmodi, ac quarumuis illarum ciuitatum, locorum, terrarum, diſtrictuum, & aliorum locorum, dictæque Vrbis & quarumcumque Curiarum, & Tribunalium ſuorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, reformationibus, vſibus, ſtabilimentis, & naturis, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam illis, earumque Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Poteſtatibus, Iudicibus, Notariis, Communitatibus, Vniuerſitatibus, aliiſque ſuperioribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis, etiam Motu pari, etiam conſiſtorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet facientibus conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum omnium & ſingulorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe, Motu ſimili derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Tranſumptorum fides.

§. 11. Volumus autem, quod earumdem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, Notarij publici manu ſubſcriptis, ac ſigillo eiuſdem Regentis, vel cuiuſuis perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1588. Prid. Kal. Nouemb. Pontificatus noſtri anno quarto.

Dat P. An. 41 31. Octobris.

Prohibitio conferendi Canonicatus & præbendas, ac dignitates Eccleſiæ Valentinæ, ſpuriis, aut illegitime natis, quamuis legitimatis, & natalibus reſtitutis. LXXXIV.

Aliam prohibitionem admittendi ad beneficia Regni Valentiæ alienigenas Regnorum Hiſpaniæ edidit hic idem Pont. in conſtit. 64. In ſacroſancto. *Et antea de Studij generalis Valentin. regimine diſpoſitionem fecerat in conſtit.* 11. Copioſus. *vbi notaui.*

SIXTVS PAPA V.
Ad futuram rei memoriam.

Edita A. D. 1588.

Cauſa huius conſtit.

CVm Cœleſtis ille Agricola vineam ſuam & agrum nobis cuſtodiendum commiſerit, vt ex illis tempore ſuo fructum afferamus, profecto nos ne in ea palmites fatui & infructuoſi luxurientur, neve in illo herbæ inutiles, & ſpinæ quæ ſementem ſuffocant patrisfamilias, internaſcantur omni ſtudio curare debemus. Quod plane peragemus, diuino fauente auxilio, ſi in Eccleſiis quibuſdam Metropolitanis inſignib. tanquam in agro frugifero bene culto, ne inimicus homo noxium interſeminet lolium, ſpurios ſcilicet & ex illegitimo ac damnato coitu natos (ſecundum legem Moyſis ingredi Eccleſiam Domini, vſque ad decimam generationem prohibitos) à canonicatibus & præbendis, ac dignitatibus arcentes inuigilabimus. Idque præſertim in Eccleſia Valentina, quam nos nono lectorum ſcientiæ, & diuinæ & humanæ numero, ac aliis gratiis abunde locupletauimus & decorauimus. Nam inibi, ſicut accepimus, ex quo ad canonicatus & præbendas, ac dignitates huiuſmodi ſemel ſic minus digne aſſumpti ſunt, poſtmodum ſucceſſu temporis ad publica Eccleſiæ, Ciuitatis & Regni Valen. gerendi munia electi, vt plurimum paternæ incontinentiæ imitatores, quietem publicam & ſtatum ceterorum Deo famulantium perturbare conſueuerunt.

Prohibitio cõferendi Canonicatus & præbendas, ac dignitates Eccleſiæ Valentinæ, ſpurijs aut illegitime natis etiam legitimatis, aut natalibus reſtituit.

§. 1. Nos igitur huiuſmodi incommodis pro noſtro paſtoralis officij debito occurrere, & vt homines illarum partium (qui hac ſpe ad filios ſpurios in peccato gignendos ſunt propenſiores) eo magis ab ſtineant à carnis flagitiis, quo ſuæ proli hoc refugium præcluſum eſſe videant, prouidere volentes, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus, quoties canonicatus & præbendas, ſeu dignitates dictæ Eccleſiæ Valentinæ, per ceſſum, ſeu quamuis aliam dimiſſionem, etiam ex cauſa permutationis, vel amiſſionem, aut obitum, etiam apud Sedem Apoſtolicam ſeu in aliquo ex menſibus, in quibus beneficiorum Eccleſiaſticorum diſpoſitio, nobis & dictæ Sedi, per conſtitutiones noſtras deſuper editas, aut alias quomodolibet reſeruata exiſtit, aut Ordinariis collatoribus, per conſtitutiones Apoſtolicas, aut Cancellariæ Apoſtolicæ regulas, vel literas alternatiuarum, vel quæcumque priuilegia, & indulta Apoſtolica hactenus, aut pro tempore conceſſa fuerit, vacare contigerit, etiamſi actu nunc forſan quouis modo aliqui vel aliquæ ex eis vacent,

Digitized by Google

vacent, ipſi canonicatus & præbendæ, ac dignitates dictæ Eccleſiæ Valentinæ, alicui, vel aliquibus, qui ex legitimo & vero matrimonio procreati non ſint; ſpuriis, aut illegititime genitis (etiam Apoſtoſtolica, Imperiali, Regia, vel quauis alia auctoritate legitimatis, aut natalibus & primæuis iuribus naturæ reſtitutis, per nos & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices ſeu de latere Legatos, vel nunc & pro tempore exiſtentem Archiepiſcopum Valentin. aut alios ad quos id de iure, vel alias quomodolibet ſpectat, & ſpectabit in futurum) conferri nullo modo debeant. Decernentes ex tunc, omnes & ſingulas collationes, prouiſiones, & quaſuis alias diſpoſitiones de ipſis canonicatibus & præbendis ac dignitatibus, pro ipſis ſpuriis, & illegitime genitis, etiam per nos ſeu ſucceſſores noſtros, aut de latere Legatos, ſeu Archiepiſcopum Valentin. aut alios prædictos, etiam cum quibuſuis clauſulis & decretis faciendas, nullas & inualidas, nulliuſque roboris vel momenti exiſtere, nullumque per eas cuiquam ius acquiri, aut etiam coloratum titulum poſſidendi tribui.

Clauſula præſeruatiua.

§. 2. Ac præſentes literas ſub quibuſuis ſimilium vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, per quaſcumque literas aut conſtitutiones Apoſtolicas, ſeu dictæ Cancellariæ regulas, per nos & ſucceſſores noſtros, ac ex certa ſcientia, & de Apoſtolic. poteſtatis plenitudine, necnon conſiſtorialiter, etiam cum earumdem præſentium ſpeciali, ſpecifica & expreſſa mentione, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis irritantibuſque & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio, ac conſiſtorialiter, & alias in contrarium forſan quomodolibet pro tempore factis & conceſſis, minime comprehendi, ſed ſemper ab illis excepras fore & eſſe, ac quoties eas reuocari, vel limitari contigerit, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtituras, & plenarie reintegratas eſſe & cenſeri.

Decretum irritans.

§. 3. Sicque per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari ac definiri debere, necnon irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula derogatoria.

§. 4. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Eccleſiæ Valentinæ, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis & decretis, in genere vel in ſpecie, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis & innouatis, quibus omnibus etiamſi de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

D. P. An. 4. 22. Aug.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 22. Auguſti 1588. Pontificatus noſtri anno quarto.

LXXXV. Exemptio Congregationis Monachorum Montis Virginis, Ordinis Sancti Benedicti, à iuriſdictione Sacriſtæ Hoſpitalis Beatæ Mariæ Virginis Annunciatæ Neapolitan. cui Leo X. dudum vniuerat.

Approbauit iſtam Congregationem Cæleſtin. III. vt ſup. in eius conſt. 3. Religioſam. *vbi alia tibi indicaui. Et mox circa eius Monaſteria, titulos, Nouitiatus, & alia, conſtitutionem edidit Paul. V. quæ eſt 89.* Poſtulat. *inf. tom. 3.*

SIXTVS PAPA QVINTVS, Edita An. D. 1588.

Dilectis filiis monachis Congregationis Montis Virginis, Ordinis S. Benedicti.

Leo X. Congregationem vniuit Hoſpitali Annunciationis B. Mariæ Virginis Neapolitan.

DVdum fel. recordat. Leo X. certis tunc expreſſis cauſis adductus, Congregationem veſtram Hoſpitali Annunciationis B. Mariæ Virginis Neapolitan. Apoſtolica auctoritate perpetuo vniuit, annexit, & incorporauit, ac quod pro tempore exiſtens Sacriſta dicti Hoſpitalis eſſet & eſſe deberet ſuperintendens, & Iudex ordinarius veſter & pro tempore exiſtentium dictæ Congregationis Monachorum.

Pius V vnionem ſubſtulit, Sacriſta tamen d. Hoſpitalis ſuperioritatem præſeruauit.

§. 1. Et deinde piæ mem. Pius Papa Quintus prædeceſſores noſtri de conſilio nonnullorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium tunc viuentium, hanc vnionem, annexionem, & incorporationem diſſoluens, nonnullas conſtitutiones nouas, iuxta quas vos vitam moreſque veſtros conformare deberetis fieri mandauit; ita tamen quod dictus Sacriſta, Epiſcopus, & Regularis exiſtens, ſuperintendens & Iudex vti prius eſſet, haſque conſtitutiones poſtmodum factas & editas idem Pius prædeceſſor dicta auctoritate approbauit & confirmauit, provt in ſingulis literis dictorum prædeceſſorum deſuper confectis plenius continetur.

Hic modus Pij. iam tollit.

§. 2. Cum autem non conueniat, nec decens ſit, vt Sacriſta dicti Hoſpitalis, quamuis eſſet Epiſcopus & Regularis vt præfertur, quod tamen nunc non eſt, immiſceat ſe rebus, & negotiis veſtræ Congregationis & vos ſub melioribus, & arctioribus eiuſdem regulæ inſtitutis iamdiu vitam agere cœpiſtis, adeo vt maiores in mandatorum Dei obſeruantia progreſſus in dies ſperari poſſint. Nos qui memoriam tenemus, eumdem Pium V. prædeceſſorem noſtrum expreſſis verbis nobis ſæpius aſſeueraſſe, huiuſmodi facultatem prædicto Sacriſtæ conceſſam ſe omnino eſſe reuocaturum, pium & religioſum viuendi propoſitum veſtrum, & quietem regularem deſiderantes, ac tenores dictarum literarum præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vos, Congregationemque veſtram, & Capitulum ab omni iuriſdictione, auctoritate, & iudicio ipſius Sacriſtæ dicta auctoritate tenore præſentium in perpetuum eximimus & liberamus, omnem ab eodem Hoſpitali licentiam & facultatem mittendi Sacriſtam tanquam ſuperintendentem & Iudicem ad Capitulum veſtrum, aut in gubernio & correctione veſtra ſe quoquomodo ingerendi, adimimus.

Et Sacriſtæ inhibet.

§. 3. Inhibentes dicto Sacriſtæ in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna per contrafacientem eo ipſo incurrenda, ne præmiſſorum, ſeu quouis alio prætextu ſeu occaſione vel cauſa, in dicto Capitulo, aut alibi interuenire audeat ſeu præſumat.

Huic ſanctioni clauſulas præſeruatiuas apponit.

§. 4. Decernentes præſentes literas nullo vnquam tempore, de ſubreptionis vel obreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ vel quouis alio defectu, etiam ex eo quod dictum Hoſpitale ad præmiſſa vocatum non fuerit, notari, impugnari; aut ad terminos iuris reduci, ſeu in ius vel controuerſiam reuocari, ac irritum & inane, quid quid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executores eius deputat.

§. 5. Quocirca venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Capuano, & Epiſcopo Auellinen. ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus; quatenus ipſi vel duo aut vnus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties ſuper hoc pro parte veſtra, vel alicuius veſtrum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, vobiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra ab omnibus ad quos ſpectat inuiolabiliter obſeruari, non permittentes

vos,

Digitized by Google

vos & Congregationem veſtram per dictum Hoſpitale, aut quoſlibet alios contra præſentium continentiam ac tenorem quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

D. P. An. 4. 27. Auguſt.

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcat. die 1. Iulij milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo, Pontificatus noſtri anno 4.

LXXXVI. Iuriſdictio Iudicis cauſarum & litium Hoſpitalis, pro recipiendis pieque alendis Mendicis per Vrbem vagantibus. Et ampliatio exemptionis ei conceſſæ, auctoritatiſque Adminiſtratorum eius.

Inſtituit d. Hoſpitale hic idem Pont. vt ſup. in conſt. 57. Quamuis.

Edita A. D. 1588.

SIXTVS PAPA V.
Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

POſtulat ratio paſtoralis officij, nobis licèt imparibus meritis diuina prouidentia commiſſi, vt Hoſpitalibus, & piis locis, quæ ad Chriſti pauperum neceſſitates ſubleuandas, noſtra primum cura, & paſtorali vigilantia erecta & inſtituta fuerunt, quo maiora in dies ad Dei gloriam, & animarum ſalutem, in ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiant incrementa, vberiora etiam ſubſidia, & ampliora priuilegia concedamus.

Hic Pont. inſtituit Hoſpitale Monachorum.

§. 1. Cum itaque nuper ingenti noſtra pia tamen impenſa, in hac Alma Vrbe ne vlterius Mendici per vias & plateas eiuſdem Vrbis, &c.

Omittitur reſiduum, quia totam conſt. habes ſup. Quamuis.

Et modo dat auctoritatem eius Adminiſtratoribus, carcerandi Mendicantes, per ſegnitiem.

§. 2. Quoniam vero ea eſt perditorum quorumdam hominum impudentia, vt quamuis validi & robuſti ſint, tamen interdum ficta aut ſimulata infirmitate aut alio prætextu, per ſegnitiam & ſocordiam, malint incertis ſedibus huc illuc vagando, ex mendicitate quam ex honeſtis laboribus & induſtria victum ſibi comparare, eiſdem Hoſpitalis præfati Adminiſtratoribus contra eos omnes, qui mendicare per Vrbem præſument Edicta & Banna proponendi & publicandi, & inobedientes pœnis tam pecuniariis quam etiam corporis afflictiuis, & triremium, vel aliis eorum arbitrio (non tamen vltimi ſuplicij) puniendi, plenam & liberam tribuimus poteſtatem.

Peregrinorumque refectiones iudicandi.

§. 3. Tres autem refectiones Peregrinis per alias noſtras literas aſſignatas, iis dumtaxat dari volumus, quos Congregatio Adminiſtratorum ipſius Hoſpitalis verè pauperes iudicauerit.

Iudicem quoque cauſarum Hoſpitalis deputandi.

§. 4. Ceterum cum idem Hoſpitale, eiuſque Adminiſtratores ob varias quæſtiones, lites, & controuerſias quæ circa illius curam excitari in dies contingit, etiam coram diuerſis iudicibus & Tribunalibus magno cum diſpendio vexentur, nos in hoc quoque eiuſdem Hoſpitalis indemnitati conſulere volentes, motu & ſcientia ſimilibus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, moderni, & pro tempore exiſtentes dicti Hoſpitalis Adminiſtratores, vnum vtriuſque iuris Doctorem clericum, & ſi ita videbitur, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum, Iudicem cauſarum Hoſpitalis prædicti eligere ſeu deputare poſſint & valeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo ſtatuimus & ordinamus.

Cui ampliſſimæ facultates hic conceduntur, & præſertim.

§. 5. Ac eidem Doctori ſic pro tempore electo & deputato, ex nunc prout ex tunc, & è contra poſt electionem & deputationem huiuſmodi, omnes & ſingulas cauſas, lites, quæſtiones, & controuerſias, inter dictum Hoſpitale ſiue illius Adminiſtratores, Officiales & Miniſtros, nunc & pro tempore exiſtentes, ac quaſcumque alias, tam laicas quam Eccleſiaſticas perſonas, cuiuſcumque gradus, ſtatus, ordinis, dignitatis, conditionis, vel præeminentiæ exiſtentes, etiam Cardinalatus honore præfulgentes, Vniuerſitates, Societates, Congregationes, Collegia, ac tam virorum quam mulierum, Monaſteria, Hoſpitalia, aut alia loca pia, etiam coram & nunc pro tempore exiſtentibus S. R. E. Camerario, Clericis, & Præſidentibus Cameræ Apoſtolicæ, & eiuſdem Cameræ cauſarum Auditore generali, necnon Vicario, Gubernatore & Senatore dictæ Vrbis, illorumque Locatenentibus, Collateralibus, Iudicibus, ac Appellationum curiæ cauſarum Capitolij eiuſdem Vrbis Capitaneo, necnon cauſarum Palatij Apoſtolici Auditoribus, ac eiuſdem S. R. E. Cardinalibus & aliis quibuſcumque Iudicibus ordinariis, à nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ſpecialiter quomodocumque Commiſſariis deputatis & delegatis, ac deputandis & delegandis, nunc & pro tempore motas & pendentes, ac quomodolibet mouendas & pendendas, de & ſuper quibuſcumque locationibus, venditionibus, donationibus, legatis, fideicommiſſis, teſtamentis, hæreditatibus, & illarum diſcuſſionibus, ac quibuſcumque aliis diſpoſitionibus ad fauorem eiuſdem Hoſpitalis, & quorumcumque iuriũ & actionum ceſſionibus, aliiſque quibuſcumque inter viuos, & cauſa mortis, & quaſi contractibus, etiam vigore obligationis in forma Cameræ executionibus, reuocationibus, bonis rebus, iuribus & actionibus, Hoſpitalis, eiuſq; Adminiſtratorum, Officialium, Miniſtrorũ præfatorum, eorumque litis conſortium, tam coniunctim quam diuiſim, ac tam actiue quam paſſiue, ac tam ſecundario quam principaliter intereſſe concernentes, & ad ipſum Hoſpitale, etiam per viam neceſſariæ defenſionis, & alias quomodolibet ſpectantes & pertinentes in quacumque inſtantia, quorum omnium ſtatus & merita, ac iùdicium & collitigantium nomina, cognomina, & qualitates, ceteraque, etiam de neceſſitate exprimenda, præſentibus pro expreſſis habemus in ſtatu & terminis in quibus ad præſens reperiuntur, & quandocumque reperientur, harum ſerie ad nos & Sedem Apoſtolicam aduocantes, illaſque omnes & ſingulas alias ſimiles, vel diſſimiles cauſas, quomodolibet nunc & pro tempore moras & pendentes, ac quas dictum Hoſpitale, illiuſque. Adminiſtratores, Officiales, & Miniſtri, habere & mouere volent contra eaſdem perſonas Vniuerſitates, Societates, Congregationes, Collegia, Monaſteria, Hoſpitalia, aut alia æque aut magis priuilegiata pia loca, etiam quomodolibet, & qualitercumque priuilegiata & exempta, prò ipſius Hoſpitalis rebus, bonis, hæreditatibus, legatis, iuribus, & actionibus huiuſmodi, tam agendo, pro ipſo Hoſpitali, & quacumque perſona ab eo cauſam habente, quam etiam ſi contra ipſum Hoſpitale ad inſtantiam quarumcumque perſonarum qualitercumque qualificatarum, & priuilegiatarum quomodolibet agatur, eidem Doctori, vt præfertur, electo & deputato, vna cum omnibus & ſingulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis & connexis, ſummarie, ſimpliciter & de plano, & ſola facti veritate inſpecta, ac ſine ſtrepitu & figura iudicij, & abſque tela iudiciaria, ac aliquorum terminorum etiam ſubſtantialium obſeruatione, aut alicuius regeſtri vel extractus confectione, per ſeipſum vel in eius, à dicta Vrbe abſentia, aut aliàs ex quauis cauſa per alium ab eiſdem Adminiſtratoribus durante abſentia, aut alias quomodolibet eligendum, vſque ad finalem ſententiarum executionem incluſiue audiendas, cognoſcendas, fine debito terminandas, aut etiam alibi pro tempore introductas, ſeu commiſſas reaſſumendas, auctoritate & tenore prædictis, etiam perpetuo committimus & mandamus. Ipſumque Doctorem, vt præfertur electum & deputatum in dictis cauſis, tam pro ipſo Hoſpitali quam contra illum motis & pendentibus, & in futurum mouendis, in iudicem ordinarium, Apoſtolica auctoritate deputatum, cum facultate eaſdem cauſas vſque ad finem, abſque tamen alicuius propinæ receptione cognoſcendi, decidendi atque terminandi, ac etiam cum poteſtate citandi & inhibendi, quos, quibus, & quoties opus fuerit, etiam per ſe vel alium ſeu alios quoſcumque tam in Romana Curia quam extra eam, etiam per edictum publicum, conſtito ſibi etiam ſummarie de non tuto acceſſu, eiſdem & prædictis, ac quibuſcumque aliis eiuſdem Vrbis Curiarum, ſeu Tribunalium iudicibus

Digitized by Google

Iudicibus & perſonis,tam Eccleſiaſticis quam etiam pecuniariis pœnis, prout ſibi videbitur inhibendi, & in euentum non paritionis contra inobedientes contumaces & rebelles, ad declarationem incurſus cenſurarum & pœnarum huiuſmodi, illarumque aggrauationes, & alias prout ſibi melius expedire videbitur, ſeu placuerit ſeruata forma Concilij Trident. procedendi, ſententiaſque ſeu mandata per eum pro tempore latas, ſeu relaxata debitæ executioni demandándi, ſiue demandari faciendi. Contradictores quoſlibet & rebelles,ac præmiſſis quouis prætextu non parentes, per cenſuras Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias pœnas,aliaque opportuna iuris & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, auxiliumque brachij ſæcularis ad hoc, ſi opus fuerit, inuocandi, aliaque omnia & ſingula in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria & opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exequendi, ac cum aliis facultatibus ad id quomodolibet neceſſariis, auctoritate & tenore prædictis ſimiliter perpetuo facimus,conſtituimus, & deputamus, ſibique plenam, liberam facultatem atque auctoritatem etiam concedimus & impartimur.

A cuius ſententia ſemel tantum & deuolutiue ad Gubernatorē Vrbis appellari poſſe decernit.

§.6. Decernentes quod à pro tempore exiſtentis Doctoris vt præfertur electi & deputati ſententiis, mandatis, ordinationibus & decretis, nullatenus ſuſpenſiue appellari, reclamari, de nullitate dici, ſiue quomodolibet aduerſus illa ad effectum impediendi, ſeu ſuſpendi executionem aliquod remedium attentari poſſit deuolutiue,aut ſemel tantum pro qualibet parte liceat appellare, & alia remedia intentare coram pro tempore exiſtenti Vrbis Gubernatore, ſeu alio Iudice ab ipſo Gubernatore nominando, ei verò parti, quæ ſemel appellauit, ſecundo vel vlterius ſublata ſit,omnis & quæcumque appellatio, ſed duæ ſententiæ conformes, plenariam executionem obtineant,ac firmæ & illibatæ permaneant, acſi eſſent tres conformes.

Nullitates tres ſubſtantiales allegari permiſit in cauſis diſcuſſionum data cautione de reſtituendo &c. Iudex Hoſpitalis debitores cogat ad ſolutionē.

§. 7. Ac nullitas aliqua exceptis tribus ſubſtantialibus opponi nullo modo poſſit.

§.8. Et licet ad inſtantiam quorumcumque hæredum, ſeu quorumlibet aliorum committatur in futurum, vel etiam modo pendeat commiſſa cauſa diſcuſſionis alicuius hereditatis & dicto Hoſpitali,ſeu illius Adminiſtratoribus vel officialibus & Miniſtris, etiam virtute commiſſionis fuerit inhibitum, tamen ne exactio creditorum in præiudicium Hoſpitalis huiuſmodi protrahatur, data idonea cautione per dictos Adminiſtratores, Officiales ſeu Miniſtros, de reſtituendo ſummam debitam in euentum ſuccumbentiæ, prioribus & paucioribus creditoribus,pro tempore exiſtens Doctor prædictus eoſdem hæredes ſiue alios quoſcumque debitores, ſeu ipſorum quemlibet, & ex quocumque titulo cauſam habentes ad ſatisfaciendum integraliter dicto Hoſpitali de eius credito iuris & facti remediis cogat & compellat.

Singulis diebus non feriatis in honorem Dei procedi mandat.

§.9. Ac in omnibus & ſingulis cauſis prædictis ad dictum Hoſpitale vt præfertur, quomodolibet ſpectantibus ſingulis diebus & horis feriatis,& non feriatis, præterquam in honorem Dei procedat.

Notarium actuarium ab Adminiſtratoribus deputari, & ab eo caueri de reſtituen. ſumptibus abſque pretio iubet.

§. 10. Et notarium actuarium per eoſdem Adminiſtratores eligendum,ac ab eis & eorum arbitrio, ac ad eorum nutum ponendum,& amouendum quem eis placuerit habeat, qui teneatur dare idoneam cautionem eiſdem Adminiſtratoribus in eius deputatione, de reſtituendo abſque aliqua pecuniarum ſolutione & fraude, & omni mora & dilatione atque exceptione ſeu excuſatione poſtpoſitis, quoties ab eiſdem Adminiſtratoribus ad huiuſmodi Notariatus officio amotus fuerit,omnes & ſingulas ſcripturas ad dictum Hoſpitale, vt præfertur, quomodolibet ſpectantes,per eoſdem Adminiſtratores facto de illis inuentario,Notario ſucceſſori ab eiſdem Adminiſtratoribus deputato conſignando, quodque citationes in cauſis prædictis, etiam per Curiæ Capitolij, ſeu alios quoſcumque etiam dicti Hoſpitalis Mandatarios fieri poſſint.

Executores omnes mandata huius ſed exequantur.

§. 11. Ac quod quicumque executores Curiarum ſeu Tribunalium dictæ Vrbis poſſint & debeant exequi, & effectualiter executioni demandare, omnes & ſingulas ſententias, decreta & mandata pro tempore exiſtentis Doctoris huiuſmodi, ſiue in eius abſentia, aut alias ipſo impedito, ab eiſdem Adminiſtratoribus eligendi, quæ non obſtante regula Cancellariæ, ſub eius paruo ſigillo expediri poſſint.

Perſona Hoſpitalis, &c. alibi conueniri non poſſint, etiam vigore commiſſionis Signaturæ Iuſtitiæ.

§. 12. Ac inſuper Hoſpitale prædictum, eiuſque Adminiſtratores,officiales,& miniſtros,affictuarios, & alios ab eis cauſam habentes,ex nunc deinceps occaſione præmiſſorum principaliter ſeu ſecundario alibi quam coram pro tempore exiſtente Doctore, vt præfertur electo, & deputato conueniri,aut ad alios cõueniendum conſtringi non poſſe, & proceſſus, ſententias, mandata & decreta, per alium ſeu alios, tam ordinarios quam etiam ſpecialiter deputatos & delegatos Iudices, quauis auctoritate fugientes,in cauſis prædictis quomodolibet pro tempore formatos in quacumque inſtantia latas & facta, cum inde ſecutis quibuſcumque, nulla, irrita & inania, nulliuſque roboris & momenti fore, inhibentes expreſſe moderno & pro tempore exiſtenti Signaturæ Iuſtitiæ Præfecto, aut alias pro tempore Iuſtitiæ Signaturam habenti, necnon Regenti Cancellariæ qui pro tempore erit, omnibuſque & ſingulis Referendariis, ne de cetero ad inſtantiam & requiſitionem cuiuſcumque ſupplicationem aliquam recipere, referendariare, ſeu proponere Præfecto Signaturæ Iuſtitiæ audeat vel præſumat, & ſimiliter Signaturam facienti, non ſignet ſiue auocatoriam, ſiue ſimplicis iuſtitiæ, ſiue appellatoriam & ſimilem, neque in medio litis, & quod ſignatæ nullius ſint roboris & momenti, nullamque tribuant iuriſdictionem, neque ipſe Iudex cui fuerint commiſſæ audeat illarum virtute citare, inhibere, vel quomodolibet procedere, irritumque & inane quicquid ſcienter vel ignoranter ſecus factum fuerit, ipſo iure decernimus, ſalua ſemper noſtra ac pro tempore exiſtentis Romani Põtificis manu propria ſignatura ſine qua omne reſcriptum cenſeatur, & ſit inualidum, & à noſtra voluntate alienum.Et nihilominus Doctor ſic,vt præfertur, deputatus à prædicto Hoſpitali abſque vitio attentatorum procedere poſſit & valeat.

Ampliatio exemptionis, à ſolutione gabellarum & aliorum onerũ & grauaminum.

§. 13. Exemptionem vero & immunitatem alias eidem Hoſpitali conceſſam extendentes & ampliantes, volumus vt tam ipſum Hoſpitale quam eius perſonæ, necnon agris poſſeſſiones, prædia, vrbana & ruſtica, at quæcumque res & bona,immobilia,mobilia & ſe mouentia, vbilibet gentium & locorum conſtituta, eorumque affictuarij & conductores, ratione quorumcumque fructuum,frugum & mercium,ac rerum ad victum aut veſtitum, aut alias ad vſus humanos pertinentium,qui in ipſius Hoſpitalis, agris, aut prædiis, colliguntur aut extrahuntur, aut ad vſum Hoſpitalis aliunde importantur, tam in emendo quam in vendendo,aut de loco ad locum extrahendo,aut transferendo, etiam quo ad tria pro centenario Dohaneriis Ripæ Vrbis noſtræ ſolui ſoliris, & quo ad Sal pro vſu Hoſpitalis, quod gratis, prout aliis locis piis dari ſolet,etiam prædicto Hoſpitali dari debeat, & à quibuſcumque datiis, portoriis, gabellis, dohanis, oneribus & actionibus,ſubſidiis,talliis,collectis,angariis, ordinariis & extraordinariis quomodolibet nuncupatis, ex quacumque etiam vrgentiſſima cauſa nunc & pro tempore impoſitis & imponendis, tam in dicta Vrbe quam extra eam in quocumque loco ditioni noſtræ temporali Eccleſiaſticæ,mediate & immediate ſubiecto,prorſus libera, exempta & immunia ſint ac cenſeantur, nec ad aliquam ſolutionem quocumque modo cogi aut compelli poſſint.

Prohibitio ne leſtandi Hoſpitale ſuper prædictis.

§. 14. Diſtricte autem interdicimus, quibuſcumque perſonis ad quas exactio huiuſmodi onerum, gabellarum,collectarum, talliarum ſubſidij,Dohanæ quomodolibet ſpectabit,ne quicquam quouis prætextu contra noſtram huiuſmodi cõceſſionem petere aut exigere,ipſumque Hoſpitale vel eius miniſtros aut alios ab eo cauſam habentes moleſtare quoquo modo audeant vel præſumant. Quinimmo dilectis filiis modernis & pro tempore exiſtentibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, necnon Cameræ Apoſtolicæ Clericis præſidentibus per præſentes mandamus, quatenus ipſi vel eorum aliquis quoties pro parte Hoſpitalis prædicti fuerit requiſitus, præſentes litteras & in eis contenta quæcumque ſolemniter publicantes, eiſque efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, Hoſpitale prædictum, eiuſque miniſtros, affictuarios, & alios quoſcumque pro eo agentes, faciant

exemptio

Digitized by Google

exemptione, immunitate, illiusque extensione & ampliatione prædictis pacifice frui & gaudere. Non permittentes illos quouis modo indebite molestari, contradictores per opportuna iuris & facti remedia compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis,&c.

Cappellani qui nunc sunt ab Administratoribus nõ amouentur. Et eorum quilibet habeat scut. 90. singulis annis.

§. 15. Postremo statuimus & ordinamus, quod ij quatuor Clerici sæculares, qui nunc sunt pro Cappellanis ad Missas celebrandas, sacramentaque ecclesiastica administranda in eodem Hospitali deputati, inde quoad vixerint, per modernos aut pro tempore existentes Administratores amoueri nullo modo possint nec debeant, quinimmo eorum cuilibet nonaginta scuta monetæ Romanæ ex fructibus, redditibus, & prouentibus dictarum Ecclesiarum, Capellaniarum, & beneficiorum vnitorum, per modernos & pro tempore existentes ipsius Hospitalis Administratores annuatim persoluantur, ac præsentes literæ validæ & efficacis collationis & prouisionis eorum cuilibet factæ vim & robur obtineant. Atque ex nunc in Capella eiusdem Hospitalis quatuor perpetuas sine cura, personalem tamen residentiam requirentes Capellanias, necnon duo alia etiam sine cura personalem tamen residentiam requirentia beneficia ecclesiastica Clericatus nuncupanda, per præsentes perpetuo erigimus & instituimus, eisque sic erectis & institutis pro congrua dote ac dictorum etiam pro tempore existentium Capellanorum & Cleticorum congrua sustentatione, qui videlicet Capellani in ipsa Capella Missas celebrare, ac personis Hospitalis prædicti, iuxta formam priorum nostrarum literarum super ipsius Hospitalis erectione editarum, Sacramenta Ecclesiastica ministrare, Clerici vero eis in Altaris ministerio & sacramentorum administratione inseruire debeant, singulis quidem Capellaniis nonaginta, singulis vero beneficiis prædictis pro quolibet Clerico viginti scuta huiusmodi annuatim eorum cuilibet per ipsos Administratores, vt præfertur, ex dictis fructibus beneficiorum huiusmodi persoluenda. Siquid vero ex eisdem fructibus supererit, id omne sacristiæ eiusdem Cappellæ perpetuo applicamus & appropriamus.

Capellania ad præsentationem Administratorum de cætero conferantur.

§. 16. In posterum vero quoties perpetuis futuris temporibus aliquod ex huiusmodi Capellaniis vel beneficiis, Clericatibus nuncupatis, ex Capellanorum easdem Capellanias ad præsens obtinentium vel eorum successorum quorumcumque personis quando & vbilibet vacare contigerit, tunc non ad nutum Administratorum, sed in titulum perpetui beneficij Ecclesiastici personalem residentiam requirentis ad præsentationem Administratorum prædictorum, nec alias per Sedem Apostolicam dumtaxat conferantur.

Clausula præseruatiua huius cõcessionũ.

§. 17. Decernentes præsentes literas sub quibusuis similium vel dissimilium concessionum & gratiarum reuocationibus, suspensionibus & derogationibus minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties emanabunt toties in pristinum statum restitutas & plenarie reintegratas esse & censeri. Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ R.E. Card. sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, in quauis causa & instantia iudicari & definiri debere, necnon irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula contrariorum derogatoria.

§. 18. Non obstan. const. & ordinationib. Apost. præfatæque Cam. iuramento, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis, eidem Cameræ necnon quibusuis Iudicibus & Tribunalibus etiam Auditori causarum eiusdem Cameræ quomodolibet concessis. Quibus omnibus & singulis etiamsi de illis specialis, specifica & expressa mentio facienda, seu quæuis expressio ad hoc seruanda foret, illorum tenores acsi de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceteriſque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 19. Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo octauo, viij. Idus Septemb. Pontificatus nostri anno quarto. *D. P. An. 4. 6. Septemb.*

LXXXVII

Contra abortum quouis modo procurantes, aut sterilitatis potiones dantes vel sumentes, eisque auxilium, consilium, siue consilium, præstantes.

Hæc bulla in duabus eius partibus moderata fuit à Gregorio XIV. inf. in eius const. 8. Sedes.

Edita A. D. 1588.

SIXTVS PAPA QVINTVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Detestatio criminis abortus.

EFfrænatam perditissimorum hominum contra diuinæ legis præceptum de non occidendo, peccandi audaciam atque licentiam, sanctissimis legibus, variisque constitutionibus sæpius repressam animaduertentes; cogimur nos quoque in supremo iustitiæ throno à Domino constituti, iustissima ratione suadente, vetera iura partim innouando, partim ampliando, eorum etiam immunitatem pari pœna proposita coercere, qui immaturos fœtus intra materna viscera adhuc latentes crudelissime necare non verentur. Quis enim non detestetur tam excrandum facinus, per quod nedum corporum, sed quod grauius est, etiam animarum certa iactura sequitur? Quis non grauissimis suppliciis damnet illius impietatem, qui animam Dei imagine insignitam, pro qua redimenda Christus Dominus noster preciosum sanguinem fudit, æternæ capacem beatitudinis, & ad consortium Angelorum destinatam, à beata Dei visione excluſit, reparationem cœlestium sedium quantum in ipso fuit impediuit, Deo seruitium suæ creaturæ ademit? qui liberos prius vita priuauit, quam illi à natura propriam lucem accipere, aut se materni custodia corporis ab efferata fœuitia tegere potuerint? Quis non abhorreat libidinosam impiorum hominum crudelitatem, vel crudelem libidinem, quæ eo vsque processit, vt etiam venena procuret ad conceptos fœtus intra viscera extinguendos & fundendos, etiam suam prolem prius interire quam viuere, aut si iam viuebat, occidi antequam nasci nefario scelere moliendo? Quis denique non damnet grauissimis suppliciis illorum scelera, qui venenis, potionibus, ac maleficiis mulieribus sterilitatem inducunt, aut ne concipiant, ne pariant, maleficis medicamentis impediunt? Maleficos, inquit Dominus ad Moysen, non patieris viuere: nimis enim impudenter contra Dei voluntatem se opponunt qui, vt S. Hieronymus ait, dum natuta recipit semen, receptum confouet, confotum corporat, corporatum in membra distinguit, dum inter ventris angustias Dei manus semper operatur, idemque corporis creator & animæ est, impie dispicit bonitatem Figuli, id est Dei, qui hominem plasmauit, fecit & voluit, siquidem vt Sanctus testatur Ambrosius, non mediocre munus est Dei dare liberos propagatores generis. Diuinum donum est fœcunditas parientis, eodemque tempore diro hoc flagitio priuantur liberis parentes qui generauerant; vita filij qui generati sunt, matres coniugij præmiis, terra quæ ab his coleretur, mundus qui ab eisdem cognosceretur, Ecclesia quæ deuotæ numero plebis aucta gauderet. Vnde non immerito sexta Synodo Constantinopolitana sancitum est, vt personæ quæ dant abortionem facientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidæ pœnis subiiciantur, sed & veteri Concilio Ilerdensi caurum est, vt qui conceptos ex adulterio fœtus necare studuerint, vel in ventribus matrum potionibus aliquibus colliserint, si postea pœnitentes ad Ecclesiæ mansuetudinem recurrant, omni tempore vitæ suæ fletibus & humilitati insistant; si vero Clerici fuerint officium ministrandi eis recuperare non liceat, omnesque tam Ecclesiasticæ quam

prophanæ

Digitized by Google

prophanæ leges grauibus pœnis afficiunt eos, qui in vtero matris puerperium interimi, aut ne mulieres concipiant siue vt conceptos fœtus eiiciant, nefarie machinantur.

Pœna homicidij abortum procurantibus imponitur.

§. 1. Nos igitur post repressam eorum temeritatem, qui matrimonij iura violare, & quantum in ipsis est vinculum indissolubile dissoluere præsumunt, quiue turpioribus quibusdam incestis se inquinare non erubescunt, hoc quoque malum, quantum viribus nobis à Domino traditis contendere possumus, nostris potissimum temporibus exterminare volentes: Omnes & quoscumque, tam viros quam mulieres, cuiuscumque status, gradus, ordinis, ac conditionis, etiam Clericos, sæculares vel cuiuscuis Ordinis regulares, quauis dignitate & præeminentia, Ecclesiastica vel mundana fulgentes, qui de cetero per se, aut interpositas personas abortus seu fœtus immaturi, tam animati quam inanimati, formati vel informis eiectionem procurauerint, percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribusque mulieri prægnanti impositis ac alijs etiam incognitis, vel maxime exquisitis rationibus, ita vt re ipsa abortus inde secutus fuerit, ac etiam prægnantes ipsas mulieres, quæ scienter præmissa fecerint, pœnas tam diuino quam humano iure, ac tam per canonicas sanctiones, & Apostolicas constitutiones, quam ciuilja iura aduersus veros homicidas, qui homicidium voluntarium actu & re ipsa patrauerint, propositas & inflictas (quorum omnium tenores his nostris litteris pro expressis, & ad verbum insertis habemus) eo ipso incurrere, hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus & ordinamus, ipsasque pœnas, leges, & constitutiones ad casus præfatos extendimus.

Clericisque additur pœna primationis beneficiorum & inhabilitatis.

§. 2. Eos vero qui Clerici fuerint, omni priuilegio clericali, officijs, dignitatibus & beneficijs Ecclesiasticis, quæ sic vacatura nostræ & Sedis Apostolicæ dispositioni perpetuo reseruamus, ipso facto priuamus, & in futurum inhabiles ad ea suscipienda decernimus, adeo vt illi qui hoc delictum commiserint, non secus atque ij qui sua voluntate homicidium perpetrauerint iuxta Concilij Tridentini decreta, etiamsi crimen id, nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, ad sacros ordines promoueri, aut in susceptis ordinibus ministrare nullo modo possint, nec illis aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni ordine ac beneficio & officio perpetuo careant.

Laïcis additur d. pœna inhabilitatis.

§. 3. Necnon & illos qui Clerici non fuerint, & talia perpetrauerint, non solum pœnas incurrere supra narratas, sed etiam inhabiles ad ordines & alia prædicta decernimus & declaramus.

Et qui foro Ecclesiastico subiecti sunt Curiæ seculari tradantur.

§. 4. Volentes quod hi qui foro Ecclesiastico subiecti, vt præfertur deliquisse comperti fuerint, per iudicem Ecclesiasticum depositi & degradati, curiæ & potestati sæculari tradantur, quæ de eis illud capiat supplicium, quod contra laïcos vere homicidas per diuinas leges, ac ciuilia iura est dispositum.

Sterilitatis potiones dantes, vel sumentes, eorumque cõsultores, ijsdẽ pœnis subijciuntur.

§. 5. Præterea eisdem pœnis teneri omnino statuimus eos, qui sterilitatis potiones, ac venena potionibus propinauerint, & quominus fœtum concipiant impedimentum præstiterint, ac ea facienda, & exequenda curauerint, siue quocumque modo in his consuluerint, ac mulieres ipsas quæ eadem pocula sponte ac scienter sumpserint.

Præuentio inter Iudices & eorum facultas in procedendo.

§. 6. Quocirca mandamus vniuersis & singulis iudicibus ordinarijs & delegatis, tam Ecclesiasticis quam sæcularibus, quibus contra criminum reos etiam quo ad causas huiusmodi, de iure vel ratione delicti, aut personarum legitime competet iurisdictio, ita tamen vt inter eos præuentionis locus sit, vt in his delictis, quæ vt plurimum in occulto perpetrantur, contra quoscumque, non solum per accusationem & delationem, verum etiam per inquisitionem ac simplicem denunciationem procedant, ac ad illa probanda testes alias de iure inhabiles, eorumdem tamen Iudicum arbitrio, habita ratione personarum, causarum & qualitatum illarum, ac circumstantiarum quarumcumque, admittant, ac in eos qui culpabiles fuerint, prout per nos sancitum est, demum animaduertant.

Excõmunicatio in prædictos & eorum complices.

§. 7. Insuper vt immanissimi huius delicti grauitati, non solum temporalibus, verumetiam spiritualibus pœnis prospiciamus ac prouideamus, omnes & singulos cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existentes, tam laïcos quam clericos, sæculares & cuiuscunq; ordinis regulares, necnon mulieres sæculares, vel quemcumque Ordinem professas, qui vel quæ vel vti principales, vel vt sociæ consciæue ad tale facinus committendum opem, consilium, fauorem, potionem, vel alia cuiuscumque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo literas priuatas vel apochas, vel alias verbis aut signis iuuerint aut consuluerint, vltra supradictas pœnas, ipsæ facto, nunc prout ex tunc excommunicamus, & pro excommunicatis declaramus.

Tu vide moderationem Gregorij XIV. tit. in rubr.

Reseruatio absolutionis.

§. 8. Decernentes ac declarantes, quod per quæcumque Iubilæa & Indulgentias, per nos & successores nostros, etiam anno Iubilæi, aut alio quouis tempore, etiam Cruciatæ sanctæ, Iubilæi, vel quouis alio titulo concessas & concedendas, necnon per quascumque literas Apostolicas quibusuis Principibus, seu ad eorum instantiam per nos & successores nostros pariter concessas & concedendas, ac etiam vigore priuilegiorum mare magnum vel alias quomodolibet nuncuparorum, quibusuis Congregationibus Regularium, aut Episcopis vigore Concilij Tridentini vel alias, per nos & prædecessores nostros quomodocumque concessorum, vel in futurum concedendorum, nec personæ sic vt præfertur delinquentes & excommunicatæ, præterquam in mortis articulo absolui valeant, nec cum ijs clericis, qui huiusmodi delicta perpetrauerint etiamsi eorum crimen occultum fuerit, super irregularitate præmissorum occasione contracta, nec per locorum Ordinarios, nec per alios quauis auctoritate fungentes, quam per nos & Rom. Pontif. nostros successores, & tunc non nisi vrgentissimis de causis dispensari possit. Ac tam absoluendi quam dispensandi facultatem huiusmodi etiam quo ad forum conscientiæ in casibus superius expressis, nobis & successoribus nostris dumtaxat reseruamus.

Hoc immutauit Greg. 14. cit. in rubric.

Decretum irritans.

§. 9. Statuentes sic in præmissis vniuersis & singulis per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quauis causa & instantia iudicari & definiri debere, irritumque & inane, quicquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ derogatoriæ.

§. 10. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, aut aliis legibus aliter forsan circa præmissa disponentibus, aut in casibus præfatis distinguentibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma & effectus publicationis huius const.

§. 11. Volumus autem vt præsentium literarum exemplis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ originalibus literis exhibitis adhiberetur. Quodque eædem ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, de more publicatæ & affixæ, dimissis inibi earum exemplis, post quindecim dierum spatium à die huiusce publicationis numerandorum, quemcumque afficiant, acsi vnicuique forent intimatæ, cum non sit verisimile quemquam ea posse ignorare, quæ palam ac publice fuerint euulgata.

Sanctio pœnalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, statutorum, ordinationis, extensionis, decretorum, &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, &c.

Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ 1588. 4. Cal. Nouemb. Pont. nostri anno 4. *D. P. An. 4. 29. Octobris.*

Publicatio.

Anno à natiuit. Domini 1588. Indict. 1. die vero 16. mensis Nouembris, Pontif. Sanctiss. in Christo patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno 4. Retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt in valuis Ecclesiarum S. Ioannis Later. & S. Petri Principis Apostolor. de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Horatium de Raynaldis, & Octauium Tagliettum S. D. N. P. Curs.

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

Digitized by Google

LXXXVIII Institutio Festiuitatis SS. Placidi & Sociorum Martyrum Professorum Ordinis Monachorum S. Benedicti, vbique simplici, & in Messanen. Ciuitate duplici officio die 5. mensis Octobris celebrandæ, ac etiam die 4. mensis Augusti in Ecclesia Messanen. vbi eorum corpora nuper reperta fuerunt.

Edita A. D. 1588.

SIXTVS EPISCOPVS *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Martyrum præclara sunt merita.

DOminus Omnipotens, qui suauiter cuncta disponit, misericordiarum Pater, & Deus totius consolationis, sacrosanctam eius Ecclesiam pretioso vnigeniti Filij sui sanguine acquisitam, & in Apostolicæ confessionis petra solidatam, voluit nedum inter mundi aduersa & turbines, Sanctis Martyribus quasi fortissimis propugnatoribus tueri, verum eorumdem gloriosis trophæis ita in dies illustrari, vt non modo illi felicissimas de impiis persecutoribus & Christianæ fidei hostibus in hoc sæculo victorias reportando, eamdem propagarent, sed mox ad æternam ipsi cælestis patriæ beatitudinem euecti, pie apud Deum intercedendo, illam vel maxime iuuarent, ac perpetuo iuuent. Vnde non immerito sacræ eorum reliquiæ, & eorumdem passionum monumenta, in terris relicta, Christianum populum ad laudãdum in eis diuinam maiestatem, ad illorum salutaria exempla imitanda, ad rerum humanarum, & prætereuntis huius sæculi despicientiam, ad eorum denique opem & patrocinium in tribulationibus & necessitatibus inuocandum mirum in modum excitant.

S. Placidus & eius Socij sub regula S. Benedicti se Deo dicarunt & in Monasterio apud Messanam ciuitatè per ipsum Placidum in paterno fundo extructo famulatum Deo exhibuerunt.

§. 1. Inter hos vero ipsos quos Martyrij corona donatos Catholica inuocat & veneratur Ecclesia, merito insigni honore celebranda est memoria sanctorum Placidi & sociorum martyrum, qui Iustiniani Magni Imper. temporibus, cum S. Benedicti tunc adhuc viuentis, Religionis zelum, & vitæ sanctitatem admirati, sub illius regula, se Dei obsequiis dicauissent, & in Monasterio cum Ecclesia S. Ioannis Baptistæ, prope muros Messanæ ciuitatis tunc recenter ab ipsomet Placido in paterno fundo extructo & instituto, cui idem Placidus à sancto Benedicto co missus, tanto Magistro dignus discipulus præerat, gratum Altissimo exhiberent famulatum; ad eam perfectionem breui peruenerunt, vt cum eorum sanctimoniæ fama longe latéque diffusa, etiam vrbem Romam peruasisset, impulerit pios ipsius Placidi fratres germanos Eutychium, & Victorinum, & virginem Flauiam eorumdem sororem, ad iter suscipiendum Placidi fratris visendi causa, sed diuina prouidentia factum est, vt cum Messanã venissent, & apud eum vix per paucos dies morari essent, crudelissimi Saracenorum Regis, vel potius Tyranni Abdalæ classis, Christiano nomini nefarium bellum, Insulæ vero Siciliæ vastitatem, incendia, rapinas inferens, ad eamdem Ciuitatem ex improuiso appulerit. Vbi eius classis Dux Mammucha cum in Monasterium irrupisset, cœpit mira feritate contra eos omnes in vincula coniectos sæuire, & acerbissimis quibusdam cruciatibus, exquisitisque tormentorum generibus conari, siqua ratione posset eos à Christiana Religione dimouere.

Martyriique coronam adepti fuerunt, & eorum corpora in Ecclesia S. Ioannis Messanen sepulta, multis ægrauerunt, & nuper aliquæ eorum reliquiæ, in reparatione d. Ecclesiæ sunt reperta.

§. 2. Verum tamen ipsi adiuuante Spiritus Sancti gratia, & non modo religiosis viris, sed in aliis quoque Placidi fratribus atque adeo in sexu fragili & virgineo pectore, suam diuinam virtutem mirabiliter ostendente, cuncti in Christianæ fidei præclara confessione fortiter perseuerantes, agonem suum glorioso Martyrio consummarunt. Cumque eorum quidem animæ triumphalem palmam adeptæ in cœlum euolassent, corpora vero multis, vt antiquæ testantur historiæ, magnisque miraculis illustria, in Ecclesia Sancti Ioannis Baptistæ Messanensis, quæ postmodum successu temporis in Prioratum Hospitalis eiusdem Sancti Ioannis Hierosolytan. fuit erecta, pie sepulta, & recondita, temporum iniuria per multa sæcula, ita inibi occulta latuissent, vt iam nostra ætate licet ex pluribus antiquitatis monumentis constaret, ea in præfata Ecclesia Sancti Ioannis Baptistæ sepulta fuisse, tamen certus eius Ecclesiæ locus, vbi sita forent, penitus ignoraretur, placuit tandem diuinæ misericordiæ sacra nonnullorum ex eis monumenta & reliquias; dum pro fundamentis in reparatione ipsius Ecclesiæ iaciendis humus effoderetur, post longum temporis interuallum nuper in lucem proferre.

Archiepiscopus desuper processum formauit, quem Summus Pont. Cardinalibus remittendum commisit, & de aliquorum ex dictis sanctis corporibus inuentione constitit.

§. 3. Quare cum primum ex relatione Venerabilis fratris Antonij Archiepiscopi Messanen. compluribus de super examinatis testibus ac processu formato, & ad nos transmisso id nobis significatum fuit. Nos attendentes iuxta antiquissimum Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ vsum, à primæuis Christianæ Religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum vnanimem consensionem, & sacrorum Conciliorum, ac nouissime œcumenici Tridentini decreta, beatorum Martyrum, & aliorum cum Christo in cælis regnantiũ sancta corpora, per quæ multa beneficia à Deo mortalibus præstantur, congruo quidem honore veneranda esse, sed eam adhibendam cautionem in sacrarum reliquiarum veneratione, vt omnis superstitio tollatur, nec nouas reliquias recipiendas esse, nisi prius ab Episcopo recognitæ & approbatæ fuerint; recognitionem processus huiusmodi, venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus super interpretatione & executione dicti Conc. Tridentin. deputatis duximus committendam, qui ipso processu diligenter, prout rei grauitas postulabat, considerato & recognito, necnon vocato & audito eodem Antonio Archiepiscopo, qui & sacras reliquias, & alia complura antiquitatis monumenta in ea Ecclesia inspexit, & deinde ad nos & beatorum Apostolorum limina visitanda in Vrbem venit, cum nobis retulissent satis constare de aliquorum ex dictis sanctis corporibus inuentione.

§. 4. Nos primum quidem ingentes Deo omnipotenti gratias egimus, quod inter cetera, quæ his calamitosis & turbulentis temporibus Christiano populo in dies largitur, plurima & maxima beneficia, hoc quoque insigni munere quasi pretiosissimo thesauro detecto, dignatus sit dictorum Placidi & sociorum Martyrum memoriam renouare.

Summus itaque Pont. gratias propterea ingentes Deo reddidit, & eorum Martyrij festum die 5. Octobris vbique singulis annis, & festum eorum inuentionis in d. Ecclesia Messanen. die 4. Augusti celebrari, & in Calendarium apponi mandat.

§. 5. Nunc autem, vt pro nostro pastorali officio, quantum in nobis est, curemus ne inuictorum Martyrum corpora, diuinæ erga nos charitatis pignora, quæ viua membra fuerint Christi, & templa Spiritus sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda, diutius inobscuret vetustas, aut ex animis Christi fidelium deleat obliuio, sed vt potius eis omnium gentium & sæculorum prædicatione dignissimus honor debitus, si non pro ipsorum dignitate ac meritis, saltem pro nostra tenuitate tribuatur; simulque excitentur iidem fideles ad eorum vestigia pro cuiusque captu prosequenda, & ad inuocandam opem illorum, quos & ipsius Ecclesiæ amantissimos, & propter religiosæ vitæ professionem & obseruationem, castimoniam, sanctitatem, & constantem Christianæ fidei confessionem Martyrio consummatam Deo acceptissimos esse intelligimus ac denique, vt in eorumdem veneratione, Dei qui se per os Dauid in Sanctis suis laudari præcipit, immensa bonitas glorificetur, & piæ Christifidelium mentes ad eorum memoriam recolendam anniuersaria commemoratione & celebritate admoneantur; habita prædictorum Cardinalium relatione de eorum consilio & assensu, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, præcipimus, vt eorumdem sanctorum Martyrum Placidi & sociorum dies festus, quo ipsi bono & legitimo certamine pro Christi gloria absoluto, cursu consummato, fide seruata, nobilissima martyrij corona decorati, ad cœlestem patriam migrauerunt, nimirum tertio Non. Octobris in omnibus Christiani Orbis partibus sub officio simplici, in Messanensi vero ciuitate, diœcesi, & prouincia, duplici, & præterea alter dies festus Inuentionis eorumdem Prid. Non Augusti, in Ecclesia præfata S. Ioannis Baptistæ Messanensis, dumtaxat sub duplici pariter officio à cunctis personis Ecclesiasticis, sæcularibus, ac quorumuis Ordinum regularibus, de communi plurimorum Martyrum, vbi proprium deerit, perpetuo celebretur. Volumusque vt in Calendario, quo nunc vtimur, sicut in Romano Martyrologio, & antea in quibusdam Calendariis habebatur, ad eum diem eorumdem Sanctorum

Digitized by Google

Sanctorum nomina adscribantur, etiamsi in nouissima Missalis & Breuiarij Romani editione ea fuerint prætermissa. Hortantes vtriusque sexus Christifideles ciuitatis Messanensis incolas, vt eorumdem Martyrij diem festum pie ac religiose colant & obseruent, & sicuti in reliquis diebus festis de præcepto sanctæ matris Ecclesiæ moris est, à seruilibus operibus abstineant.

Indulgentiam d. Ecclesiam visitantibus concedit.

§. 6. Ac demum ad augendam Christiani populi erga eosdem inclytos Martyres deuotionem, vtque eo frequentius & ardentiori pietatis studio confluant ad sacra eorum sepulchra, quo vberius cognouerint se per hoc cælestis gratiæ donis esse refectos, de Omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisi, eisdem Christifidelibus vere pœnitentibus, qui peccata sua sacerdotibus idoneis ab Ordinariis locorum approbatis confessi fuerint, ac sanctissimum Eucharistiæ sacramentum susceperint, & prædictæ Inuentionis die festo dictam Ecclesiam, vbi eadem sancta Corpora requiescunt, deuote visitauerint, atque inibi pias ad Deum preces fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem perpetuo concedimus & elargimur.

Episcopis & aliis mandat. vt hanc constitutionem publicari & obseruari faciant.

§. 7. Quocirca mandamus vniuersis & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis cæterisque Ecclesiarum Prælatis, vt præsentes literas in suis quilibet Prouinciis, ciuitatibus & locis solemniter publicari, & ab omnibus personis, Ecclesiasticis, secularibus & regularibus, vbi gentium & locorum inuiolate obseruari curent.

Transumptis fidem præstari mandat.

§. 8. Volumus autem vt earumdem præsentium exempla, etiam imprella, Notarij publici manu subscripta, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignata, eamdem prorsus vbique fidem faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si ostenderentur vel exhiberentur.

Sanctionem pœnalem subiecit.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum præcepti, voluntatis, hortationis, concessionis, elargitionis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

P. An. 4. 13. Nouemb. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1588. Id. Nouembris, Pontificatus nostri Anno 4.

LXXXIX Collegij Montis Alti pro quinquaginta ex Prouincia Marchiæ Scholaribus, in Ciuitate Bononiæ erectio, cum beneficiorum & annuorum reddituum, priuilegiorumque & exemptionum elargitione, iudicisque & Protectoris deputatione, facultatibusque & iurisdictione.

Hunc Montem Altum, olim Oppidum, in Ciuitatem sublimauit, & eius Collegiatam Ecclesiam in Episcopalem hic idem Pont. erexit, vt supra, in const. 48. Super.

Edita An. D. 1588. SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. INter cæteras sollicitudines quæ nobis ex officio creditæ seruitutis incumbunt, illam libenter amplectimur, per quam literarum studia, & adolescentium illis vacare volentium collegia ad fructuosam agri Dominici culturã, ac doctrinæ & sapientiæ incrementa vbique præsertim in locis temporali nostriæ ditioni subiectis propagentur, ipsaque collegia pro illorum stabilimento congruis facultatibus communiantur, vt ex eis optimarum disciplinarum prouentus, ad communem vtilitatem & profectum valeant prouenire.

Hic Pont. dũ erat Cardinalis, in Ciuitate Montis Alti publicũ Gymnasium, pro iuuentutis in bonis artibus instructione, & educatione, construxit.

§. 1. Dudum siquidem dum Cardinalatus honore fungeremur, pio erga delectos filios Communitatem Ciuitatis Montis Alti vnde originem duximus, necnon Vniuersitates & homines Porculæ, ac Patrignoni, & Montis nonem oppidorum prouinciæ nostræ Anconitanæ, affectu, pactisque inter eos conseruandæ & stabiliendæ zelo ducti, in dicta ciuitate tunc oppido, & quibusdam domibus ad id per nos emptis, publicum Gymnasium in quo illius & aliorum oppidorum prædictorum iuuentus religiose educaretur, ac primis literarum rudimentis, aliarumque bonarum artium disciplinis instrueretur, assignatis etiam redditibus annuis ad mercedem ipsius iuuentutis Præceptori, & vni Physico persoluendam, nostris sumptibus magnifice construi curauimus, ac in his summam octo millium scutorum, vel circa erogauimus.

Et ad summũ Apost. assumptus, Collegiũ pro Scholaribus ex ciuitate Montis, alijsindigenis, in Ciuitate Bononian. instituit.

§. 2. Et deinde immensa Redemptoris nostri benignitate ad Apostolicæ dignitatis fastigium euecti, ne iuuentus ipsa ob rei familiaris angustiam & inopiam, ad altiora literarum studia progrediendi commoditate destitueretur, in ciuitate Bononien. quæ omnium liberalium artium doctrinarumque studijs, semper floruit, & quibusdam ædibus de Zambeccariis nuncupatis per fel. rec. Gregorium Papam XIII. prædecessorem nostrum, Cameræ Apostolicæ impensa pro Collegio ibidem instituendo, acquisitis, vnum Collegium Scholarium ex ciuitatis Montis Alti, & oppidorum prædictorum indigenis, vsque ad certum tunc præscriptum numerum eligendorum, duximus erigendum & instituendum. Postmodum vero erectionis & institutionis huiusmodi negocio maturius perpenso, ædes prædictas ad vsum ipsius Collegii nondum reductas, ex certis causis venundari mandauimus, animo & intentione dictum Collegium in alio commodiori loco eiusdem ciuitas Bononien. stabiliendi. Cũ autem Prioratus S. Antonij Bononien. Ordinis S. Augustini, ex eo quod dilectus filius Antonius Giauerinus seu Glauerinus illius Prior, eumdem Prioratum quem tunc seu nuper obtinebat, aut in quo vel ad quem ius sibi competere asserebat resignauit & seu iuri sibi competenti huiusmodi cessit in manibus nostris sponte ad effectum infrascriptum & alias libere nosque resignationem & seu cessionem huiusmodi duximus admittendam, per resignationem eamdem apud Sedem Apostolicam vel alias certo modo, & sicut, accepimus S. Mariæ de Stratâ alias della Strada, quod bo. me. Philippus Sancti Eustachij diaconus Cardinalis Vastauillanus nuncupatus & alium Sancti Michaelis de Castro Britonum quod similis mem. Alexander Episcopus Vigleuanen, ac reliquum monasteria Abbatiæ nuncupata sanctorum Fabiani & Sebastiani Vallis de Lauinò Sancti benedicti, vel alterius Ordinis Bononien. diœc. quod quondam Vincentius Beccatellus, necnon Prioratus S. Mariæ de Angelis prope & extra muros Bononien. Camalduien, Ordinis, quem quondam Achilles Torfaninus, clerici, ex concessione & seu dispensatione Apostolica in commendã dum viuereni, obtinebant, commendis huiusmodi per Philippi Cardinalis apud Sedem prædictam Alexandri Episcopi, ac Vincentij, necnon Achillis prædictorum extra Romanam Curiam defunctorum respectiue obitus cessantibus, adhuc eo quo ante commendas ipsas vacabant modo, & vna Orationum nuncupata eiusdem S. Antonij de Diola, seu Diolo, quem etiam bo. me. Leonardus Episcopus Haulen. ex simili dispensatione, & altera plebania etiam nuncupata sine cura Ecclesiæ seu Capellæ S. Ioannis Euangelistæ de Pastino, alias de Pasto dictæ diœc. quam quondam Augustinus Bondiolus ipsius Ecclesiæ seu Capellæ Sancti Ioannis Rector plebanus nuncupatus, necnon perpetua etiam sine Capellania sub Sancti Lazari in Sancti Petri prope & extra muros terræ Guastallæ nullius diœc. prouinciæ Mediolanen quam quondam Augustinus Reste ibidem perpetuus Capellanus, ac vnum sub Sanctæ Agathæ intus & alterum perpetua simplicia beneficia Ecclesiastica sub Sanctorum Petri & Pauli inuocationibus in Præpositura similiter nuncupata eiusdem S. Petri prope & extra muros oppidi Vitellianæ, seu Viadanæ Cremonen. diœc. parochialibus, vel aliis Ecclesiis, quæ quondam Herennius Perottus, Clericus in vltimo dictis duabus Ecclesiis perpetuus beneficiatus dum viuerent obtinebant, pro Leonardi Episcopi, qui extra dictam Curiam & Augustini Reste, qui in loco à dicta Curia vltra duas dietas legales non distante, vbi proprium eius domicilium non existebat, ac Augustini Bondioli, & Herennij prædictorum, qui apud Sedem eamdem diem vitæ clauserunt extremum, vacauerint & vacent ad præsens. Nullusque de Prioratu S. Antonij, quatenus per dictam resignationem vacet, ac

Ecclesia seu Capella S. Ioannis Euangelistæ, necnon Capellania & beneficiis præfatis, pro eo quod nos dudum omnes Prioratus, ac simplicia, ceteraque beneficia ecclesiastica, cum cura & sine cura, sæcularia & quorumuis Ordinum regularia apud Sedem prædictam tunc vacantia & inantea vacatura. Ac etiam quorumcumque ad dictam Curiam pro quibusuis negociis venientium, seu ab ea recedentium, ac etiam Curialium recreationis, seu alia quacumque causa ad quæuis loca secedentium, si eos in locis vltra duas dietas ab eadem Curia, vt præfertur, non remotis, dumtamodo eorum proprium domicilium ibidem non existeret, decedere contingeret, per eorum obitum huiusmodi etiam vacatura, collationi, & dispositioni reseruauimus, ac ex tunc irritum & inane decreuimus, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari, hac vice disponere potuerit siue possit, reseruatione & decreto huiusmodi obsistentibus. Ipsiusque Prioratus S. Antonij in Meditullio dictæ ciuitatis Bononien. consistentis ædes & ædificia iamptidem iussu nostro à fundamentis eleganti ac sumptuoso opere pro dicto Collegio Montis Alti ibidem stabiliendo seu transferendo, ac illius Scholarium perpetuis vsu & habitatione restaurata & accommodata existant. Nos pium & fructuosum opus huiusmodi quod dudum animo reuoluimus tandem ad debitum effectum perducere, congruisque redditibus, ac specialibus fauoribus & priuilegiis communire, neque hanc nobis oblatam subditorum nostrorum commoditates & profectus procurandi & augendi occasionem prætermittere volentes, ac Rectorem, Scholares, & singulares personas siqui sint Collegij huiusmodi à quibusus excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes. Necnon emptionis & acquisitionis ædium de Zambeccariis, & illarum retrouenditionis ac quarumcumque erectionum & institutionum ipsius Collegij Montis Alti, siue in ædibus de Zambeccariis, aut Prioratu S. Antonij huiusmodi, necnon vnionum, annexionum, incorporationum, applicationum appropriationum, & concessionum eidem Collegio Montis Alti de prædictis & quibusuis aliis Monasteriis, Prioratibus, Ecclesiis & beneficiis, aliisque rebus & bonis quibuscumque hactenus quomodolibet factarum. Necnon literarum Apostolicarum tam sub plumbo quam in forma breuis, etiam in fauorem Cameræ seu Collegij huiusmodi, & aliás desuper quomodolibet confectarum, ac possessionum subsecutarum & quorumcumq; instrumentorum desuper quomodolibet celebratorum tenores, fructuumque inde perceptorum quantitates & valores, verumque & vltimum Monasteriorum, Prioratuum, Ecclesiarum sine cura, seu Capellarum capellaniæ & beneficiorum vacationis modum etiamsi ex illo quæuis generalis reseruatio, etiam in corpore iuris clausa, etiam per obitum apud Sedem prædictam resulter. Necnon quacumque pensionum annuarum super illorum, seu alicuius eorum fructibus, redditibus & prouentibus, seu ipsorum fructuum, reddituum, & prouentuum, etiam cum facultate illos & illas transferendi ac regressu, accessu, & ingressu ad Monasteria, Prioratus, Ecclesias sine cura seu Capellas, capellaniam & beneficia huiusmodi, etiam per cessum vel decessum, ac in quoscumque alios euentus reseruationum siquæ sint, ac facultatum, tenores, & pensionum huiusmodi quantitates, nominaque & cognomina, ac qualitates eorum, quibus pensiones, fructus, regressus, accessus, & ingressus huiusmodi reseruati forsan exiſtunt, præsentibus pro sufficienter expressis habentes.

Et beneficia hic expressa, quorum annui reddituſ sunt scutorũ trium milliũ idcirco supprimit, dictoque Collegio vnit & assignat.

§. 3. Motu proprio non ad Rectoris & Scholarium prædictorum, vel quorumcumque aliorum super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de mera deliberatione, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, siue Monasteria & Prioratus Ecclesiæ sine cura, seu Capellæ, capellania & beneficia prædicta, quorum insimul & illis forsan annexorum, fructus, redditus, & prouentus, trium millium & sexcentorum ducatorum auri de Camera secundum communem valorem annuum, vt etiam accepimus non excedunt, præmissis siue aliis quibusuis modis, & ex aliorum quorumcumque personis, seu per similem Antonij vel liberas Leonardi Episcopi & Achillis ac Augustini Reste, necnon Augustini Bondioli, & Herennij prædictorum, vel quorumuis aliorum de Prioratibus, Ecclesiis sine cura, seu Capelli, capellania & beneficiis prædictis, aut cessionis quorumuis de regimine & administratione Monasteriorum huiusmodi, in dicta Curia, vel extra eam, etiam coram notario & testibus sponte factas, aut Prioratus, capellania, & beneficia prædicta per assecutionem aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, quauis auctoritate collatorum vacent, etiamsi tanto tempore vacauerint, quod illorum respectiue collatio & prouisio, iuxta Lateranen. Statuta Concilij, aut alias canonicas sanctiones, ad Sedem præfatam legitime deuoluta. Necnon Prioratus Ecclesiæ sine cura, seu Capellæ, Capellania & beneficia prædicta dispositioni Apostolicæ specialiter, vel alias generaliter reseruata existant, & prouisio Monasteriorum huiusmodi ex quauis causa ad Sedē eandem specialiter vel generaliter pertineat, & ad dictos Prioratus consueuerint, qui per electionem assumi, eisque cura etiã iurisdictionalis immineat animarum, ac de ipsis Monasteriis consistorialiter disponi consueuerit, seu debeat, ac super eorum regimine & administratione, necnon prioratibus, Ecclesiis sine cura, seu Capellis, Capellania, & beneficiis prædictis inter aliquos lis seu eorum possessorio molestia, cuius litis statum & merita causæ, ac nomina & cognomina Iudicum & collitigantium, eorumque, necnon Antonij & defunctorum prædictorum, ac quorumcumque aliorum prouisiones, commendas, concessiones, aliaque iura & titulos, etiam nullos & infectiuos, causasque illorum annullatiuas & infectiuas, etiam præsentibus haberi volumus pro expressis pendat indecisa, Prioratum videlicet S. Antonij prædictum, illiusque nomen, titulum, & denominationem, ac quodcumque onus hospitalitatis ibidem forsan exercendæ, ac tam in eo quam Monasteriis & Prioratu S. Mariæ huiusmodi, illorumque Ecclesiis, claustris, domibus, membris, ædificiis, & pertinentiis prædictos S. Augustini, & S. Benedicti, ac Camaldulen. & siqui sint alios Ordines omnemque statum, essentiam, & dependentiam regulares, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo supprimimus & extinguimus.

§. 4. Dictumque Collegium Montis Alti ex ædibus de Zambeccariis prædictis, quatenus ibidem erectum seu institutum dici vel censeri possit, cum omnibus & singulis illius priuilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, concessionibus, indultis, fauoribus & gratiis, tam spiritualibus, quam temporalibus, necnon iuribus, actionibus, proprietatibus, censibus, montibus, seu illorum locis & portionibus, ac fructibus, aliisque rebus, & bonis illi concessis, & seu ad eius vsum & commodum acquisitis; vnitis, applicatis, & appropriatis, ad dictum Prioratum S. Antonij sic suppressum, auctoritate & tenore prædictis, etiam perpetuo transferimus, & seu illud de nouo in suppresso Prioratu S. Antonij, illiusque ædibus & ædificiis prædictis pro quinquaginta Scholaribus, quarum octo per ipsius Collegij Protectorem pro tempore existentem vndecumque sibi placuerit, & alij octo per Montis Alti, & tres per Firman. & alij tres per Asculan. necnon alij tres per Camerinen. & duo per Ripan. Communitates, aliique duo Offidæ, & alij duo per Montis Elpari, necnon alij duo per Montis Florę, & alij duo per S. Victoriæ, & alij duo per Porchiæ seu Porculæ, necnon alij duo per Montis nouem, & alij duo per Patrignoni, aliique duo per Grottarum ad Mare, ac alij duo per Castignani & similiter duo per Forchiæ, alias Furcis, & alij duo per Montis Monachi, & reliquus per Cusignani terrarum seu oppidorum dictæ prouinciæ Vniuersitates & homines ex suis ciuitatibus, terris, seu oppidis huiusmodi vel si tot ibidem idonei & apti non reperiantur, aliunde eorum respectiue arbitrio nostro non tamen extra dictam prouinciam eligi & nominari.

Et pro quinquaginta Scholaribus, quarum octo protector d. Collegij vndecumq; voluerit alioſq; octo Ciuitas Montis Alti & alios alia Vniuersitates hic nominata eligere possint.

§. 5. Sicque electi & nominati in eodem Collegio recipi, ac ibidem sub vnius Rectoris cura & gubernio ad septennium & non vltra ali, atque confoueri ac in vniuersitate

Studentibusq; alimenta, ac etiam Ecclesiam sigillum, mensam communem, ac alia insignia Collegia ita assignat.

Digitized by Google

vniuersitate Studij generalis eiusdem Ciuitatis Bonon. artium & Theologiæ, necnon vtriusque iuris & aliis studiis, eis pro cuiusque capacitate præscribendis, operam nauare debeant, cum Capella seu Ecclesia, Oratorio, Refectorio, mensa communi, sigillo, bibliotheca, archiuio, ceteriſque insignibus collegialibus ac membris & officinis necessariis, ad Omnipotentis Dei laudem & gloriam, ac militantis Ecclesiæ exaltationem, subditorumque nostrorum prædictorum in literarum studiis felicem progressum eisdem auctoritate & tenore similiter perpetuo erigimus & instituimus.

Et huic Collegio gratias, indulta, & priuilegia, ac bona concedit.

§. 6. Idemque Collegium sic translatum, & seu de nouo erectum, in locum, ius, & actionem dicti Prioris Collegij quo ad priuilegia, exemptiones, libertates, immunitates, concessiones, indulta, fauores, gratias, proprietates, census, montes, loca, portiones, res, bona, & alia prædicta; in omnibus, & per omnia, perinde ac si Collegio per præsentes erecto specialiter & expresse ab initio cõcessa, vnita, applicata & appropriata fuissent, ponimus, substituimus, & subrogamus, ac erectionem & fundationem suppressi Prioratus huiusmodi, necnon hospitalitatis in eo forsan seruandæ, ceteraque onera illi quomodolibet incumbẽtia, in dicti collegij functiones, ministeria & exercitia saluis tamen anniuersariorum, missarum & diuinorum officiorum, obligationibus & commissionibus, ac piis defunctorum suffragiis consuetis siquæ sint, ita vt illa per ipsius Collegij capellanos, aut alias, congrue adimpleri debeant, conuertimus & cõmutamus, eidemque Collegio Montis Alti, Ecclesiam suppressi Prioratus S. Antonij huiusmodi, cum sacristia, cæmeterio, campanis, crucibus, calicibus, patenis aureis & argenteis, ac ornamentis, paramentis, aliaque sacra & non sacra suppellectile in ea existentibus, necnon ambitu, circuitu, claustro, domibus, structuris, ædificiis, membris, adhærẽtiis, annexis, & pertinentiis suis vniuersis, auctoritate, & tenore similibus pariter perpetuo concedimus & assignamus. Monasteria vero & Prioratũ S. Mariæ de Angelis, ac vacantes Ecclesias seu capellas, necnon capellaniam & beneficia prædicta, omniaque & singula illorum ac dicti suppressi Prioratus S. Antonij, & eis respectiue annexorum fructus, redditus, prouentus, proprietates, domos, villas, terras, agros, possessiones, fundos, census, decimas, prata, pascua, hortos, & alia bona quæcunque cum iuribus, iurisdictionibus, rebus, & pertinentiis suis quibuscumque etiamsi alias Monasteria, Prioratus, Ecclesiæ, seu Capellæ vacantes, ac capellania & beneficia prædicta, vel eorum aliqua, ipsi Collegio in priori illius erectione & institutione huiusmodi, vel postea quandocumque vnita & annexa forsan reperiantur, sine vnionum & annexionum huiusmodi, ac iuris illarum vigore quæsiti præiudicio, sed ius iuri addendo & accumulando, atque antiquum conseruando, dictis auctoritate & tenore itidem perpetuo vnimus, annectimus, incorporamus, applicamus & appropriamus. Ita quod liceat ipsius Collegij Mõtis Alti Rectori & Scholaribus pro tempore existentibus, illorum omnium corporalem, realem, & actualem possessionem, per se vel alium seu alios, eorum & dicti Collegij nominibus propria auctoritate, etiam absque alicuius iudicis mandato, decreto, aut ministerio ac spolij & attentatorum vitio, necnon alicuius censuræ vel pœnæ incursu libere apprehendere, aut iam etiam Camerę & seu Collegij huiusmodi nominibus, etiam litteris Apostolicis desuper non expeditis apprehensam continuare, & perpetuo retinere, eaque regere & administrare; ac fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones & emolumenta quæcumque inde prouenientia percipere, exigere & leuare, ac in suos, dictique Collegij & illius Ecclesiæ seu capellę vsus, vtilitatem, & necessitates conuertere, necnon Monasteriis, Prioratibus, Ecclesiis, Capellis, capellaniæ, & beneficiis vnitis prædictis per presbyteros sæculares, vel de superiorum suorum licentia cuiusuis Ordinis regulares, idoneos inibi iuxta statuta desuper edenda ponendos & amouendos in diuinis deseruiri facere, diœcesanorum, locorum vel quorumuis aliorum licentia desuper minime requisita.

Collegiũ prædictum, eiusq; bona & personas, ab Archiepiscopi, & Legati Bonon. aliorumque Iudicum iurisdictione eximit.

§. 7. Insuper Collegium montis Alti huiusmodi, illiusque pro tempore existentes Rectorem, Scholares, Capellanos, œconomos, Officiales, Ministros, & personas ac bona mobilia & immobilia, presentia & futura, cuiuscumque qualitatis & quantitatis existentia ac vbilibet consistentia, ab omni iurisdictione, dominio, superioritate & potestate pro tempore existentium, nostri & dictæ Sedis in prædicta ciuitate Bononien. Legati de latere, & Archiepiscopi Bononien. necnon Gubernatoris, Auditoris Turoni, Antianorum, Vexilliferi, Potestatis, Quadraginta virorum reformatorum, ac Regiminis & Senatus ipsius ciuitatis Bononien. Necnon Rectoris Vniuersitatis Studij generalis eiusdem, aliorumque Legatorum, Archiepiscoporum, Ordinariorum locorum, Gubernatorum, & Potestatum, eorumque Vicelegatorum, Locatenentium, Officialium, Iudicum, & quarumcumque aliarum personarum vbilibet constitutarum, ac quauis auctoritate & dignitate, tam ecclesiastica quam mundana, etiam Cardinalatus honore fulgentium, ac etiam Aquis, fontibus & fluminibus præsidentium, ac eorum curiarum & tribunalium.

Exemptionem quoque ab Annatarum, Communiũ, & aliorum quorũcumque onerum solutione concedit.

§. 8. Idemque Collegium ab Annatarum, quindenniorum, communium, minutorum, ac aliorum iurium & seruitiorum dictæ Cameræ, & quibusuis etiam S. R. E. Cardinalibus, & dictæ Curiæ officialibus, etiam in annatis, quindenniis, communibus, minutis, & aliis iuribus prædictis & participantibus, eorumque Collegiis ratione prædictarum, & quarumcumque aliarum vnionum, applicationum, & concessionum, eidem Collegio, & prædictis & quibuscumque aliis Monasteriis, Prioratibus, beneficiis, rebus, & bonis Ecclesiasticis hactenus & deinceps quomodolibet pro tempore factarum, aut alias quomodolibet debitorum.

Idemque Collegium in propriis bonis, illiusque Rectores, Scholares, officiales omnes, & cum eis contrahentes, à pedagiorum, & impositionum ac subsidiorum solutione eximit.

§. 9. Et tam ipsum Collegium in propriis suis bonis & rebus præsentibus & futuris, quam illius ratione Rectorem, Scholares, Capellanos, Oeconomos, officiales, & Ministros, ac cum eis contrahentes, & etiam pro parte atque portione colonica, quam ex proprietatibus & bonis ipsius Collegij pro tempore percipient, illius colonos, arrendatarios, censuarios, & emphyteutas, non tamen proprietates & bona huiusmodi in emphyteusim perpetuam, aut vltra tertiam nominationem seu generationem, vel centum annos possidentes, à quorumcumque pedagiorum, datiorum, vectigalium, gabellarum, angariarum, bullettinorum, tallearum, custodiorum, taxarum, equorum, tam viuorum quam mortuorum, quatreni carnis, portus Anconitani, tertiarum vnius scuti & medij respectiue pro centenario, quartarum, collectarum, præbendarum, ponderum, molendinorum, sæcularium, pascuorum, helaticorum, pecudum & aliorum animalium; fictuum & subsidiorum, etiam triennaliũ, charitatiuorum ac quorumcumq; aliorum similium vel dissimilium; onerum & grauaminum, tam ordinariorum quam extraordinariorum, ac realium, personalium, & mixtorum, quibuscumque nominibus & vocabulis nuncupatorum, etiã hic de necessitate exprimendorum, per nos & quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores & successores nostros ac Sedem & Cameram prædictas, ipsiusque Sedis Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Commissarios & quoscumque alios, quauis auctoritate & potestate fungentes, etiam pro orthodoxæ fidei defensione, ac Status Sanctæ Romanæ Ecclesiæ conseruatione, diuinique cultus augmento, necnon basilicæ Principis Apostolorum Fabrica, Cruciata sancta, ac expeditione contra Infideles & rebelles, necnon Ecclesiarum, murorum, pontiũ, viarum, & stratarum constructione & restauratione, ac aquarum, fontium, & fluminum deductione, pauperumque subuentione, necnon Sedis & Cameræ prædictarum necessitatibus, ac ex quibuscumque aliis cogitatis, inexcogitatis, etiam quantumuis maximis, vrgentissimis, & priuilegiatis causis, etiam Sedis & Cameræ earumdem, ac quarumcumque prouinciarum, ciuitatum, & terrarum, publicam vtilitatem & commoditatem concernentibus, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, nunc & pro tempore quomodolibet impositorum & imponendorum, etiam à quibuscumque aliis similibus Collegiis, ac Hospitalibus & piis locis, quouis exemptionis priuilegio gaudentibus, exigi & præstari solitorum, etiam ratione carnium vinorum, granorum, frumentorum, hordeorum, leguminum, frugum, lignorum, pannorum, librorum, cartharum, farinæ;

Digitized by Google

farinæ, & quarumcumque aliarum rerum ad dicti Collegij Montis Alti, & illius Ecclesiæ seu Capellæ, ac Rectoris Scholarium, Capellanorum, Oeconomorum, Officialium, Ministrorum, & personarum, pro tempore existentium vsum, in quantumuis magna summa & quantitate emendorum ac etiam ex toto Statu Ecclesiastico, & quibuslibet prouinciis, ciuitatibus, terris, & locis, tam intus quam extra dictum Statum cõsistentibus, siue per terram siue per mare & aquam dulcem, & alias quomodolibet conducendorum, cuiuscumque generis, quantitatis, qualitatis, valoris, & speciei fuerint, exactione, solutione, præstatione & contributione, necnon quorumcumque aliorum, etiam iuxta Concilij Tridentini decreta, vbilibet institutorum & instituendorum Collegiorum vel Seminariorum puerorum Ecclesiasticorum, & alias quomodolibet nuncupatorum, & qualificatorum, ac Hospitalium & piorum locorum subuentione, auctoritate & tenore prædictis etiam perpetuo eximimus & liberamus, ac sub B. Petri & dictæ Sedis, atque nostra & pro tempore existentis Romani Pontificis protectione suscipimus, nobisque & eidem Sedi immediate subiicimus. Ac exemptionem, liberationem, susceptionem & subiectionem huiusmodi in quocumque foro & tribunali, ac dicta Camera, etiam respectu cuiuscumque solutionis illi faciendæ, semper fauorabiles censeri debere, & de illis in quacumque causa, lite, & controuersia eam interpretationem extensiuam habendam esse, quæ pro alia quantumuis pia & priuilegiata, ac ad pios vsus destinata & applicata causa fieri posset declaramus,

Priuilegia Studij & piorum locorum Bononiæ Collegio elargiuntur.

§. 10. Ipsi quoque Collegio Montis Alti, ac illius Rectori, Scholaribus, Capellanis, Oeconomis, Officialibus, Ministris, personis vt omnibus & singulis priuilegiis, exemptionibus libertatibus, fauoribus, ceterisque gratiis tam spiritualibus quam temporalibus, quibus Vniuersitas Studij generalis Bononien. huiusmodi, necnon alia collegia & pia loca in dicta ciuitate Bonon. instituta, illorumque Rectores, Scholares, Capellani, Oeconomi, Officiales, Ministri, & personæ, de iure vel consuetudine, aut ex priuilegio, vel alias quomodolibet vtũtur, potiuntur & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum non solum ad eorum instar, sed æque principaliter, ac pariformiter, in omnibus & per omnia vt, potiri, & gaudere.

Ipsis etiam & eorum colonis & conductoribus, & emphyteutis frumenta & fructus, ex possessionibus d. Collegij, & de omnibus locis Status Ecclesiastici absque licentia & solutione extrahendi vbique in d. Statu & vendendi auctoritatem concedit.

§. 11. Necnon tam ipsi quam eorum coloni, arrendatarij, liuellarij, conductores, & emphyteutæ præfati, vinum, triticum, hordeum, legumina, blada, frumenta & cuiuslibet generis fruges, ac grana ex quibuscumque proprietatibus, possessionibus & bonis dicti Collegij, illiusque membrorum & connexorum quorumcumque prouenientia, de quibuscumque prouinciis, terris & locis, nobis & Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate subiectis, cuiuslibet licentia desuper minime requisita, & absque alicuius pecuniæ, vel alterius rei solutione, & præstatione propterea facienda, aut censuræ, vel pœnæ incursu extrahere, & extrahi facere, ac ad dictum Collegium pro illius vsu conducere, & etiam illa in dicta ciuitate Bononien. illiusque comitatu, necnon vniuerso Statu Ecclesiastico vendere, distrahere, & de illis ad eorum libitum disponere libere & licite valeant, eisdem auctoritate & tenore similiter perpetuo indulgemus. Districtius quoque in virtute sanctæ obedientiæ inhibemus Legatis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, nec non Gubernatoribus, Auditoribus, Antianis, Vexillifero, Potestati, Quadraginta viris, Reformatoribus, Regimini, Senatui, Vicelegatis, Locatenentibus, Vicariis, Officialibus, Iudicibus, & aliis præfatis, eiusdemque S. Romanæ Ecclesiæ Camerario, ac dictæ Cameræ Thesaurario, Clericis, Præsidentibus & Commissario, necnon Annonæ Præfectis, ac pedagiorum, datiorum, vectigalium, gabellarum, angariarum, bollettinorum, decimarum, tallearum, taxarum & aliorum onerum ac subsidiorum prædictorum Appaltatoribus, dohaneriis, exactoribus, datiariis, ac quibuslibet aliis personis cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existentibus, ac quacumque auctoritate & potestate fungentibus, ne quorũcumque priuilegiorum, indultorum, & litterarum, eis sub quibuslibet tenoribus & formis concessorum & concedendorum, seu etiam Annonæ vel abundantiæ, cuiuslibet necessitatis, vel quouis alio prætextu, Collegium Montis Alti, illiusque Rectorem, Scholares, Capellanos Oeconomos, Officiales, Ministros, & personas huiusmodi, seu eorum aliquem, super præmissis quomodolibet molestare, perturbare, vel inquietare audeant seu præsumant.

Tu vide constit. 10. S. D. N. Paul V.

Protectorum & Iudicem d. Collegij Card. de Monte Alto, & post eũ, alij de ipsius parentela, sin autem antiquiorẽ Card. ex prouincia Marchiæ, vel si nullus fuerit aliũ Card. à Collegio nominandum ex nunc constituit.

§. 12. Vt autem ipsius Collegij Montis Alti bono regimini, gubernio, & conseruationi opportune consulatur, dilectum filium nostrum Alexandrum S. Eustachij diaconum Cardinalem de Monte Alto nuncupatum, ex sorore germana secundum carnem pronepotem nostrum, & eo vita functo, alium eiusdem S. R. E. Cardinalem ex nostra familia & parentela, vel in eius defectum ex dicta Prouincia Marchiæ Anconitanæ oriundum antiquiorem Cardinalem, seu, si nullus fuerit, alium ex eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus quem Rector & Scholares præfati, seu eorum maior pars dixerint eligendum, eiusdem Collegij Montis Alti, illiusque personarum, rerum, bonorum, iurium, & priuilegiorum Protectorem, defensorem & conseruatorem, ac iudicem ordinarium, cuius consilio & ope omnia supradicta, & quæcumque alia in iis & circa ea necessaria & opportuna, statuantur & ordinentur, constituimus & deputamus.

Protectoris facultas, Officiales deputandi.

§. 13. Necnon Alexandro Cardinali, ac pro tempore existenti Protectori Collegij Montis Alti huiusmodi, illius Rectorem, Capellanos, Oeconomos, Officiales, Aduocatos, Procuratores, ceteroslque ministros deputandi & amouendi, ac loco amouendorum alios sufficiendi.

Statuta condendi.

§. 14. Necnon quæcumque, statuta & ordinationes, Capitula & decreta ad eiusdem Collegij Montis Alti, illiusque personarum, rerum & bonorum spiritualium & temporalium curam, regimen, gubernium, directionem, & administrationem, ac Scholarium prędictorum receptionem, admissionem, ætatem qualitates, victum, amictum, institutionem, disciplinã, & studij cursum pertinentia, licita tamen & honesta, ac sacris Canonibus & dicti Concilij decretis non contraria, quæ eo ipso Apostolica auctoritate prædicta confirmata & approbata sint & esse censeantur, & ab omnibus ad quos pro tempore spectabit etiam sub pœnis in contrauenientes statuendis, obseruari debeant, faciendi & edendi, ac illa quoties pro eorum & temporum qualitate, seu alias expediens videbitur immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, & etiam alia ex integro condendi.

Lites d. Collegium, eiusque personas & bona concernentes, tam actiue quam passiue, etiam contra alia Collegia & pia loca magis priuilegiata &c. cognoscendi.

§. 15. Omnesque & singulas lites, causas & differentias, tam ciuiles quam criminales ac mixtas dictum Collegium Montis Alti, illiusque res, bona & personas quomodolibet concernentes, tam actiue quam passiue, etiam contra alia Collegia & pia loca etiam æque vel magis priuilegiata, eorumque res, bona, & personas, vel è conuerso, ac vtro citroque ad inuicem, vel alias quomodolibet motas & mouendas, ac etiam per appellationem, & in quacumque instantia coram quibuslibet Iudicibus introductas & indecisas pendentes, etiam illas ab ipsis Iudicibus auocando, per se vel eius Viceprotectorem; aut alium seu alios quos ad hoc duxerit deputandos, etiam summarie, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu & figura iudicij, sed sola facti veritate inspecta, ac etiã manu Regia cũ omnib. & singulis suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, ac toto negocio principali, etiam priuatiue quoad omnes & singulos alios Iudices ordinarios & delegatos, eorumque curias & tribunalia, Ecclesiastica vel sæcularia, audiendi, cognoscendi & fine debito terminandi.

Iudicibus & aliis inhibendi, & inobedientes coërcendi.

§. 16. Necnon quoscumque interesse habentes, tam in dicta curia quam extra eam, etiam per edictum publicum, constito sibi summarie, de non tuto accessu citandi, & quibuslibet etiam eiusdem curiæ Iudicibus & personis, quibus & quoties opus fuerit, sub sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis de quibus ei videbitur inhibendi, & in euentum non paritionis ad declarationem incursus sententiarum, censurarum, & pœnarum huiusmodi procedendi, ac sententias desuper ferendas debitæ executioni demandandi, seu demandari faciendi, contradictores quoslibet & rebelles per similes sententias, censuras, & pœnas, aliaque opportuna

Digitized by Google

opportuna iuris & facti remedia compescendi, ac etiam auxilium brachij sæcularis ad hoc inuocandi.

Dubia præmissorum occasione futura declarandi.

§. 17. Necnon quæcumque dubia & difficultates, siquæ præmissorum occasione quomodolibet oriri contigerit, declarandi & interpretandi, omniaque & singula eisdem præmissis, & circa eas quomodolibet necessaria & opportuna faciendi, gerendi, exercendi, & exequendi, etiam omni & quacumque appellatione remota, plenam, liberam, & omnimodam facultatem, potestatem, & auctoritatem pariter perpetuo tribuimus & elargimur.

Omniaque alia desuper necessaria, &c. faciendi.

Clausula præseruatiua huic concessioni appenit.

§. 18. Decernentes, præsentes literas & in eis contenta quæcumque nullo vmquam tempore etiam pro eo quod causæ propter quas hæc omnia facta fuerint coram locorum Ordinariis, etiam tamquam à Sede prædicta delegatis, vel alibi examinatæ, verificatæ, & approbatæ, ac ipsorum Monasteriorum, Prioratuum, & Ordinum Superiores, & quicumque alij interesse habentes ad id vocati non fuerint, nec eisdem præmissis consenserint, siue alias ex quibuscumque causis quantumuis legitimis & iuridicis, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, in ius vel controuersiam reuocari, ad terminos iuris reduci, vel aduersus illa quodcumque iuris, facti, vel gratiæ remedium impetrari posse, neque sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum etiam suppressionum, vnionum, & applicationum, effectum suum plenarium nondum sortitarum, reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per nos vel alios Romanos Pontifices successores nostros, etiam in crastinum assumptionis ipsorum successorum, ad summi Apostolatus apicem, sub quibuscumque verborum expressionibus & formis etiam motu, scientia, potestatis plenitudine similibus pro tempore factis comprehendi, sed tamquam pro fundatione & seu dotatione dicti Collegij Montis Alti ad bonarum artium cultum instituti concessa minime comprehendi, ac semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & eum in quo antea quomodolibet erant statum restituta, reposita & plenarie reintegrata, ac de nouo etiam sub dat. per Protectorem, Rectorem, & Scholares pro tempore existentes præfatos quandocumque eligenda de nouo concessa fore & esse, suumque plenarium effectum sortiri debere, nec quemquam ad eisdem præsentes literas in Camera præfata iuxta constitutionem piæ memoriæ Pij Papæ IV. etiam prædecessoris nostri desuper editam, aut alias quandocumque præsentandum, insinuandum, & registrari faciendum teneri, neque illas propterea irritas, sed omnino valere & suffragari, perinde ac si constitutio prædicta, vel alia contraria minime emanassent.

Decretum irritans addit.

§. 19. Sicque per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi, facultate & auctoritate, in quauis causa & instantia iudicari ac definiri debere, necnon quo ad suppressum Prioratum S. Antonij quatenus per resignationem prædictam vacauerit, & Ecclesiam seu Capellam Sancti Ioannis Baptistæ ac capellaniam & beneficia huiusmodi prout sibi attentatum forsan est hactenus vel in posterum. Quo vero ad Monasteria ac Prioratum B. Mariæ, & Ecclesiam seu Capellam S. Ant. de Diola, seu Diolo, omniaque alia præmissa, etsi alias quam per dictam resignationem vacet suppressum Prioratum huiusmodi ex nunc irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executores huius constitutionis deputat & facultates, concedit.

§. 20. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Bononien. & Episcopo Montis Alti, ac dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte pro tempore existentium Protectoris, Rectoris, Scholarium, Capellanorum, Oeconomorum & personarum Collegij, ac aliorum interesse habentium prædictorum, vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari, ac pro tempore existentes Protectorem, Rectorem, Scholares, Capellanos, Oeconomos, & personas Collegij huiusmodi, ac alios interesse habentes illis pacifice frui & gaudere, non permittentes ipsos vel eorum quempiam per quoscumque desuper, quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet & rebelles, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis seruatis processibus sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausulas derogatorias subnectit.

§. 21. Non obstantibus præmissis ac felicis recordationis Bonifacij Papæ Octaui etiam prædecessoris nostri, etiam qua cauetur expresse ne quis extra suam ciuitatem vel diœcesim nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne Iudices à Sede prædicta deputati, extra ciuitatem vel diœcesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alij vel aliis vices suas committere audeant seu præsumant, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, ac nostris de non tollendo iure quæsito, & vnionibus ad partes committendis vocatis quorum interest, & exprimendo valore etiam beneficij cui aliud vniri petitur, ac Lateranensis & aliorum etiam generalium & vltimo celebratorum Conciliorum, vniones perpetuas, nisi in casibus à iure permissis fieri, ac etiam beneficia vnius diœcesis cum aliis beneficiis, Ecclesiis, Collegiis, vel locis alterius diœcesis vniri prohibentium, ac rec. mem. Pauli Secundi & Pauli Quarti, aliorumque Romanorum Pontificum similiter prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, & alienatis recuperandis. Necnon prædicti Pij de gratiis interesse dictæ Cameræ concernentibus infra certũ tunc expressum tempus in ea registrandis, ac sanctæ mem. Iulij Secundi ac Iulij Tertij pariter Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum contra apprehendentes possessionem bonorum prætextu quarumcumque gratiarum, super quibus literæ Apostolicæ integraliter expeditæ non fuerint. Aliisque Apostolicis, ac in prouincialibus, synodalibus, & vniuersalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus, necnon Cameræ Vrbis, ciuitatum, prouinciarum, locorum monasteriorum etiam Sancti Antonij de Sancto Antonio à quo primo dictus Prioratus dependet, Prioratuum & Ordinum præfatorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, Dilecto filio nostro Gabrieli tit. Sancti Laurentij in Lucina presbytero Cardinali Paleotto nuncupato, super Monasteriis, Prioratibus, Præposituris, dignitatibus, ceterisque beneficiis Ecclesiast. in ciuitate & diœcesi Bononien. consistentibus, ad eius collationem, prouisionem, vel quamuis aliam dispositionem ratione Ecclesiæ Bononien. cui ex dispensatione Apostolica præsidet, vel alias quomodolibet pertinentibus, non nisi per eum vel Vicarium ab eo deputatum, seu de ipsius Gabrielis Cardinalis consensu conferendo, seu quod de illis prouideri vel disponi aliter non possit. Necnon Legatis, Archiepiscopis, Episcopis, Ordinariis, Gubernatoribus, Auditoribus, Antianis, Vexillifero, Potestatibus, Quadraginta viris reformatoribus, regimini, Statui, Senatui, Vicelegatis, Locatenentibus, Vicariis, Officialibus, Iudicibus, Camerario, Præsidentibus, Clericis, Thesaurariis Commissariis, Appaltatoribus, Dohaneriis, Datiariis, Præfectis, Exactoribus, & aliis personis prædictis, necnon ipsius Bononien. aliarumque ciuitatum & locorum Communitatibus, Vniuersitatibus, & hominibus, necnon Cameræ, Vrbi, ciuitatibus, prouinciis oppidis,

Hanc Paul. II. conſt. & alias ſimiles indicauit in ipſius conſt. 2.

Digitized by Google

locis, monaſteriis, prioratibus & ordinibus prædictis, ipſorumque Monaſteriorum, Prioratuum, & Ordinum Abbatibus, Superioribus, Conuentibus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis necnon irritantibus & aliis decretis in genere vel in ſpecie, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & Sedem prædictam, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, vel aliorum Principum inſtantiam, vel eorum contemplatione & intuitu, ac alias quomodolibet, etiam iteratis & multiplicatis vicibus, etiam contra exemptos conceſſis, approbatis, & innouatis, etiamſi in eis caueatur expreſſe quod illis etiam vigore clauſulæ implicitæ derogationis latiſſime extendendæ, vltra quam in ſuppoſitione deſuper ſignata expreſſum fuerit, etiam per quaſcumque literas Apoſtolicas, etiam quaſuis clauſulas, generales vel ſpeciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores, & inſolitas, ac etiam irritantia & alia decreta, ſub quacumque verborum expreſſione in ſe continentes, nullatenus derogari, neque derogatum cenſeri poſſit, niſi illorum tenores de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo inſerti, ac huiuſmodi derogationes conſiſtorialiter, & de Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, ac cum expreſſionibus cauſarum in huiuſmodi priuilegiis & indultis, ac deſuper confectis literis expreſſarum factæ, & per trinas literas eumdem tenorem in ſe continentes, tribus diſtinctis vicibus iis quorum intereſt legitime intimaræ & inſinuatæ fuerint, ac demum ipſorum intereſſe habentium ad id expreſſus acceſſerit aſſenſus, & aliter factæ derogationes nemini ſuffragentur. Quibus omnibus etiamſi alias de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda eſſet, tenores & formas ac cauſas propter quas conceſſa fuerunt, necnon decreta in illis appoſita præſentibus acſi de verbo ad vrbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ac ſufficienter derogatum eſſe, & cenſeri decernimus, ita vt contraria quæcumque nullatenus obſtent, contrariis quibuſcumque; aut ſi aliqui ſuper prouiſionibus ſibi faciendis de Prioratibus, ac huiuſmodi ſpeciales vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum eius literas impetrarint, etiamſi per eas, ad inhibitionem, reſeruationem & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum. Quas quidem literas & proceſſus habitos per eaſdem & inde ſecuta quæcumque, ad Monaſteria, Prioratus, Eccleſias ſine cura, ſeu Capellas, Capellaniam & beneficia huiuſmodi volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Prioratuum, ſed beneficiorum aliorum præiudicium generari; ſeu ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Et quibuſlibet aliis priuilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta effectus eatum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, Prouiſo quod propter poſteriores vnionem, annexionem, incorporationem noſtras prædictas, Monaſteria in ſpiritualibus non lædantur, & in temporalibus detrimenta non ſuſtineant, ac Prioratus S. Mariæ Eccleſiæ ſine cura ſeu Capellæ, Capellania & beneficia huiuſmodi debitis non fraudentur obſequiis, & animarum cura in eis, ſiqua illis immineat nullatenus negligatur, ſed illorum ac Monaſteriorum prædictorum congrue ſupportentur onera conſueta.

Nulli ergo, &.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo 15. Cal. Decembris, Pontificatus noſtri anno quarto. D. P. An. 4. 17. Nouemb.

Fructus beneficiorum Regni Neapolis, tempore obitus Beneficiatorum, qui cum Camera Apoſtolica ſuper ſpoliis tranſegerunt, pendentes vel non exacti, non ad eorum hæredes vel Capitulum & Clerum ſed ad ipſam Cameram ſpectant. XC.

Ad materiam Spoliorum vide ſup. conſtit. 7. Iulij III. Cum ſicut. *tom. 1. cum aliis ibi indicatis.*

SIXTVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1589.

CVm ſicut accepimus variæ dubitationes, ac etiam contentiones inter modernum & pro tempore exiſtentem noſtrum & Sedis Apoſtolicæ Nuncium in Regno Neapolitano ex vna, & Clerum ſingularum ciuitatum & diœceſum eiuſdem Regni, qui ſuper ſpoliis clericorum & preſbyterorum beneficiatorum, ac aliorum dicti Regni ab humanis pro tempore decedentium, cum nobis & Camera noſtra Apoſtolica tranſegerunt, & concordarunt, eorumque hæredes, prætendentes fructus beneficiorum Eccleſiaſticorum, clericorum & preſbyterorum d. Regni ab humanis pro tempore decedentium tempore eorum obitus pendentes, & matùratos, ac etiam à ſolo minime ſeparatos, ſeu à quibus id contingit nondum exactos ad clerum ſeu capitulum, vel hæredes beneficiatorum huiuſmodi, non autem Cameram prædictam ſpectare, quauis in cedulis tranſactionum ſuper ſpoliis huiuſmodi, mentis intentioniſque noſtræ fuerit eoſdem fructus pendentes quorumcumque benef. Eccleſiaſt. in quouis menſe, pro tempore vacantium, etiam iuxta ſel. recor. Iulij Papæ III. prædeceſſoris noſtri conſtitutionem deſuper editam, eidem Cameræ noſtræ reſeruare, eoſque à die obitus beneficiatorum, vſque ad diem captæ poſſeſſionis per illorum ſucceſſores in dictis beneficiis decurrendos, eidem Cam. applicare in dies oriri ſoleant.

Dubium exortũ circa ſpolia, in Regno Neapolis, an ſcilicet fructus beneficiorum pendentes, vel nõ exacti ſpectẽt ad Cam. Apoſt.

§. 1. Nos igitur pro noſtri Paſtoralis officij munere dubitationes & contentiones, ſeu controuerſias huiuſmodi è medio tollere volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, omnes & ſingulos fructus, redditus, & prouentus quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura & ſine cura, ſæcularium & etiam quorumuis Ordinum regularium in dicto Regno conſiſtentium, etiam in quocumque menſe pro tempore vacantium, tam ante obitum illorum poſſeſſorum pendentes, & maturatos, ac etiam à ſolo minime ſeparatos, ſeu nondum exactos, quam etiam poſt eorum obitum vſque ad diem captæ poſſeſſionis dictorum beneficiorum per ſucceſſores in eis maturandos, & ſeu decurrendos, pro rata temporis à die adeptæ poſſeſſionis eorumdem beneficiorum, ad ipſam Cameram noſtram ſpectare, illoſque eidem Cameræ apulicandos eſſe, & illos per venerabilem fratrem Marcum Antonium Epiſcopum Fulginatenſem, modernum & pro tempore exiſtentem Nuncium Apoſtolicum in Regno prædicto, pro eadem Camera, & eius nomine percipi, exigi, & leuari, ac etiam pro faciliori illorum exactione ſi videbitur in fine anni, eum ſucceſſoribus in dictis beneficiis computandi, diuidendi, & illorum ſic diuiſorum, quemlibet eorumdem Notarij, ſeu ab eo deputatorum commiſſariorum in dictis beneficiis ſucceſſorum ratas partes modo & forma præmiſſis in dictis beneficiis reſpectiue tangentes, etiam percipere, exigere, & leuare poſſe & debere declaramus. Ac de cetero perpetuis futuris temporibus, ita & non aliter in præmiſſis obſeruari volumus, ac etiam perpetuo ſtatuimus & ordinamus.

Declaratio & deciſio ſupradicti dubij, ad fauorem Camerę.

§. 2. Omneſque & ſingulas lites, cauſas, quæſtiones, & controuerſias ſuper præmiſſis fructibus, & illorum perceptione

Litium extinctio.

Digitized by Google

perceptione inter ipsum nuncium ex vna, & quosuis Cleros hæredes, & successores dictorum beneficiatorum defunctorum, coram quibusuis Iudicibus, etiam ordinariis & delegatis hactenus quomodolibet introductas, & adhuc indecisas pendentes partibus, ex altera, in eisdem statu & terminis in quibus reperiuntur, ab eisdem iudicibus ad nos aduocamus, illasque penitus extinguimus & annullamus, sicque per quoscumque iudices, &c.

Clausula derogat. §. 3. Non obstantibus litis pendentia, & aliis præmissis, ac quatenus opus sit nostra de non tollendo iure quæsito, & quibusuis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apost. ceterisque contrariis quibuscumque Volumus autem, &c.

D. P. An. 4. 1. Ianuar. Dat Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima Ianuarij 1589. Pontificatus nostri anno quarto.

XCI. Contra Clericos male aut simoniace, promotos, & Episcopos & alios in ordinum collatione peccantes.

Contra hos male promotos habes etiam const. 7. Pij II. Cum ex. *Hac autem bullæ ad terminos sacrorum Canonum & dicta Pij II. & Conc. Trid. (præterquam quoad simoniace promotos & promouentes) reducta fuit à Clem. VIII. infra in eius const.* 40. Romanum.

Non dissimilem contra male ad sacros, vel minores Ordines, seu Clericalem caracterem ordinantes vel male ordinatos, edidit const. S. D. N. Vrb. VIII. quæ est inf. tom. 4. n. 33. incipiens. *Secretis.*

Edita An. D. 1588. SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. SAnctum & salutare sacri ordinis Sacramentum ab ipso Domino & Saluatore nostro Iesu Christo institutum, beatisque Apostolis & eorum legitimis successoribus singulari diuinæ bonitatis munere traditum, ita ad Dei omnipotentis gloriam, salutemque animarum sancte ac religiose administrari decet, vt quæ vel ex typo & figura veteris legis, vel alias ex multa Sanctorum Patrum prouidentia, circa ordinandorum natales, ætatem, vitæ ac morum probitatem, sanctitatem, scientiam, & alias qualitates in sacris ordinationibus requisitas, per sacros Canones, vel Apostolicas constitutiones, aut generalium Conciliorum decreta salubriter statuta fuerunt, ea inuiolatæ obseruentur. Nam si in veteri testamento tam multa de integritate & munditia Sacerdotum & ministrorum Altaris; deque eorum præstantia & dignitate legimus, de quibus dixit Dominus per Malachiam Prophetam, Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est, certe multo maior ratio & diligentia adhibenda erit in promouendis, tam inferiorum graduum clericis, quam etiam presbyteris, qui ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi constituuntur, prout de his ipsis & diuino verbo & Beatorum Apostolorum præceptis, ac simul Sanctorum Patrum statutis sæpissime traditum est.

Causa huius const. §. 1. Quare nos pro ea quæ nobis à Domino iniuncta est cunctarum Ecclesiarum cura & solicitudine, ipsos Pastores & Præsules Ecclesiarum, quorum proprium munus est, personas idoneas Clericali militiæ adscribere, & ad minores maioresque ordines rite promouere, auctoritate nostra duximus admouendos, vt in exequendo hac in parte suo pastorali officio attentius posthac inuigilent, canonicas sanctiones, vt par est, obseruent, ac vt nemini detur offensionis occasio, neue eorum ministerium vituperetur, studeant vitare ea omnia scandala & absurda, quæ ex vitiosa & minus canonica Clericorum ordinatione cernimus cum magno animi nostri dolore frequentius exoriri. Cum enim multi etiam interdum inhabiles & indigni, non vocati sancta Dei vocatione, sed potius Sathanæ dolis decepti, prætextu deuotionis & pietatis, rem quidem sacram & diuinum munus, intempestiue tamen & inordinate affectantes, seu temporale aliquod commodum aut lucrum sibi proponentes, vel nimia simplicitate & imperitia, malitiaue aut fraude ad suscipiendum Clericalem caracterem, alios que ordines ante ætatem legitimam, vel à non suo Episcopo, aut non præuio debito examine & approbatione, siue alias minus rite, vel etiam temere se ingerant. Debent sane Episcopi paterna charitate & prudentia eorum saluti, qui sæpe nesciunt quid petant, melius etiam quam ipsimet postulant, & salubrius consulere, nec tam quid flagitent, quam quid expediat considerare, summa vero diligentia prouidere, tum in alienæ diœcesis subditis ordinandis, ne quemquam promoueant sine eorum Ordinarij literis dimissoriis, rum in recognoscendis ipsis literis, ne falso aut ab aliquo, qui auctoritatem illas concedendi non habeat, confectæ sint, rum; denique in examinandis natalibus, ætate, vita, moribus, scientia, idoneitate, titulo, & reliquis qualitatibus, ne quid in suæ vel alienæ diœc. personis, ad Clericalem honorem & Ecclesiasticos ordines promouendis desideretur eorum; quæ ex præscripto sacrorum Canonum requiruntur.

Pœna Episcopi vel alterius male aliquos promouentis. §. 2. Vt igitur Præsules Ecclesiarum intelligant, si in re tam graui & tanti momenti, culpa aut negligentia peccauerint, se non modo in tremendo Dei iudicio, verum in hoc quoque sæculo Rom. Pontifici suæ villicationis rationem fore reddituros, præsenti constitutione perpetuo statuimus & ordinamus, vt si in posterum Antistes aliquis, Episcopali, Archiepiscopali, Primatiali, vel etiam Patriarchali dignitate præfulgens, aut Abbas ad primam tonsuram, minoresque ordines suis subditis conferendos à Sede Apostolica auctoritatem habens, quemcumque sæcularem; vel cuiusuis Ordinis aut militiæ regularem, ex aliquo crimine, vitio, aut defectu, seu alias inhabilem vel irregularem existentem, vel extra tempora à iure statuta, vel absque veris dimissoriis sui Ordinarij literis, aut per saltum, vel furtiue, aut quoad sæculares sine titulo sufficientis beneficij, vel patrimonij, aut ante ætatem per sacri generalis Trid. Concilij decreta, primæ tonsuræ, ac cuique ordini præscriptam, aut non seruatis temporum interstitiis, ita vt aliquis vnico die seu continuatis diebus ad plures ordines sacros, vel post vnum ordinem susceptum sine causa rationabili antequam tempus ab eodem Concilio Tridentino præfixum elabatur ad alium ordinem promoueatur, sine dispensatione, aut indulto Apostolico; Clericali caractere non legitime insigniuerit, aut ad ordines minores vel sacros, vt præfertur, vel alias male promouerit, siue id scienter siue ignoranter fecerit, nisi debita diligentia adhibita iustus error, & probabilis facti ignorantia eum excuset, vt in quo deliquit in eo puniatur, à quorumcumque ordinum atque adeo ipsius tonsuræ, & ab executione omnium munerum Pontificaltum, eo ipso suspensus, & ab ingressu Ecclesiæ interdictus existat, aliisque grauioribus pœnis nostro & pro tempore existentis Rom. Pont. arbitrio puniatur. Quod si spreta huiusmodi suspensione & interdicto, in præmissis se temere ingesserit, etiam à regimine & administratione suæ Ecclesiæ seu Monasterij, & à perceptione fructuum mensæ eiusdem, ac quorumcumque beneficiorum per eum, in titulum vel commendam, seu alias obtentorum, suspensionem eo ipso incurrat; eiusque interdicti, aut suspensionis relaxationem, aut pœnarum remissionem ab alio quam à Rom. Pont. pro tempore existente nequeat obtinere.

Pœnæ malè promissorum. Tu vide bullas hic citatas, in rubr. §. 3. Et nihilominus fel. record. Pij II. & aliorum Rom. Pontificum nostrorum prædecessorum, qui per suas constitutiones, aut in Cancellaria Apostolica publicatas regulas, contra huiusmodi clericos male promotos, diuersas pœnas inflixerunt, vestigiis inhærentes, eosdem clericos, posthac male promotos, ab executione ministerio, & exercitio, ordinum susceptorum, & ab omni spe & facultate ascendendi ad alios superiores perpetuo suspensos declaramus; & si in eis ministrare præsumpserint, illos sic irregulares effectos, omnibus & quibuscumque per eos, in titulum, commendam, aut alias obtentis dignitatibus, officiis & beneficiis Ecclesiasticis, cum cura & sine cura, quomodocumque, qualificatis, secularibus

vel

Digitized by Google

vel cuiuſuis Ordinis aut militiæ regularibus, ac etiam ſi ipſi clerici regulares fuerint, ac ſua & paſſiua voce ipſo facto priuamus, & iis prauatos, atque ad illa & alia ſimilia vel diſſimilia in poſterum obtinenda in perpetuum inhabiles & incapaces eſſe decernimus & declaramus; dignitatum, officiorum & beneficiorum huiuſmodi, ſic pro tempore vacantium diſpoſitionem nobis & Apoſt. Sedi perpetuo reſeruantes.

Reformatio pro Summo Pontifice facultatis abſoluendi contrauenientes præterquam in mortis articulo & etiam ſuper irregularitate diſpenſandi.

§. 4. Vt autem homines, qui nimia indulgentia & ſpe immunitatis, ac veniæ facilitate hactenus fuerunt ad huiuſmodi facinora procliuiores, ea ſublata & præcluſa, ab his abſtineant & caueant in futurum, tam abſoluendi quam diſpenſandi facultatem in caſibus ſuperius expreſſis, etiam in foro conſcientiæ, Nobis & ſucceſſoribus noſtris dumtaxat auctoritate & tenore præmiſſis perpetuo reſeruamus. Inhibentes ne à quoquam ſæculari, vel cuiuſuis Ordinis regulari preſbytero vel Prælato, quauis auctoritate fungente, nec per quæcumque Iubilæa & Indulgentias, etiam pleniſſimas & extraordinarias per noſtros prædeceſſores, aut noſmetipſos vel ſucceſſores noſtros, anno Iubilæi, aut alio quouis tempore & Cruciatæ ſanctæ, vel quocumque alio titulo, modo & forma, Motu proprio & conſiſtorialiter, ſeu ad quorumcumque Principum, Regum, aut Imperatoris inſtantiam, eorumve contemplatione & intuitu cum quibuſuis ampliſſimis, in genere vel in ſpecie derogatoriis clauſulis conceſſa vel in poſterum concedenda, nec vigore aut prætextu facultatum aut priuilegiorum, Mare magnum, aut alias quomodolibet nuncupatorum quibuſuis Ordinibus, Congregationibus, aut perſonis regularibus, aut Epiſcopis, per decreta Conc. Trid. aut officio ſacræ Pœnitentiariæ Apoſtolicæ, vel Minoribus, aut etiam Maiori Pœnitentiariis noſtris, & Rom. Pont. pro tempore exiſtentis, vel alias quomodolibet pro tempore conceſſorum perſonæ ſic vt præfertur delinquentes, tam ſcilicet Antiſtites ſeu Abbates promouentes, quam Clerici male inſigniti ſeu ordinati, à reatibus & exceſſibus præfatis abſolui, præterquam in mortis articulo poſſint aut debeant. Nec cum iis ſuper irregularitate propter præmiſſa contracta, etiamſi crimen penitus occultum fuerit, quouis modo valeat diſpenſari.

Forma petendi abſolutionem & diſpenſationem à Rom. Pont. & prohibitio eas petendi per officium ſacra Pœnitentiaria.

§. 5. Verum enimuero quia grauioribus morbis fortiora ſunt adhibenda remedia, & iuxta perſonarum, & iuxta perſonarum, locorum, ac temporum qualitates leges ſunt immutãdæ, pœnæque aggrauandæ & emolliendæ; cum huiuſmodi peccatum Sarana ſuggerente, hominumque fragilitate aſſentiente, videatur iam ad culmen vitiorum aſcendiſſe, & in præcipiti eſſe. Ideo vt homines ſaltem pœnæ timore, & proprij honoris confuſione à peccato deterreantur, nouum huic veneno antidotum cogimur præparare. Ac propterea volumus, vt qui abſolutionem & diſpenſationem huiuſmodi petent, ſemper, quamuis delictum adhuc occultum extiterit, non per officium ſacræ pœnitentiariæ, ſed à nobis & pro tempore exiſtente Romano Pontifice in vtroque foro abſolutionem petere teneantur; alioquin ipſæ conceſſiones & abſolutiones etiam cum clauſula quod præſentis conſtitutionis tenor, & alia prædicta habeantur pro expreſſis, prorſus nullæ, irritæ, & inualidæ exiſtant, ac nemini penitus ſuffragentur.

Pœna contra ſimoniace promouentes, & promotos.

§. 6. Ceterum ſi quis Antiſtes vel Abbas ſeruatis quidem cunctis præmiſſis, & ceteris omnibus quæ in ipſius tonſuræ, & ordinum collatione obſeruari debent, perſonas habiles & idoneas, ſed tamen recepta ab iis, quibus tonſuram aut ordines conferet, pecunia, pretio, vel præmio, ſimoniace in futurum inſigniuerit vel promouerit, volumus vt præter alias cenſuras & pœnas contra ſimoniacè ordinantes & ordinatos à ſacris Canonibus & conſtitutionibus Apoſtolicis alias inflictas & irrogatas, quibus nequaquam derogare intendimus, etiam omnia & ſingula ſupradicta in ſic promouentibus & promotis locum habeant.

Clauſ. præſentium.

§. 7. Decernentes præſentes literas ſub quibuſuis conceſſionibus, facultatibus, & gratiis, etiam in caſibus quibuſcumque Sedi Apoſtolicæ, quomodolibet, etiam in Bulla Cœnæ Domini reſeruatis, etiam ſub nomine Iubilæi plenarij, vel Cruciatæ ſanctæ abſoluendi facultatem quibuſuis perſonis generaliter vel ſpecialiter tribuentibus minime comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe & cenſeri.

Decretum irritans.

§. 8. Sicque in præmiſſis vniuerſis & ſingulis per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, etiam cauſarum Patij Apoſt. Auditores, & S.R.E. Card. ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, in quauis cauſa & inſtantia iudicari & definiri debere; ac irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula derogatoria.

§. 9. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſt. ac in Conc. etiam generalibus editis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Forma & effectus publ. huius conſt.

§. 10. Vt autem præſentes literæ omnibus innoteſcant, mandamus illas ad valuas S. Io. Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarum, & in acie Campi Florę affigi & publicari, & poſt quindecim dies qui in Vrbe ſunt, qui vero extraeam & citra Montes intra quatuor menſes, qui demum vltra Montes erunt, intra octo menſes à die publicationis huiuſmodi computan. perinde afficere & arctare, ac ſi eorum cuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Fides tranſumptorum.

§. 11. Ac earumdem præſentium literarum exemplis etiam impreſſis, Notarij publici manu ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eamdem fidem in iudicio & extra illud adhiberi, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, ordinationis, declarationum, priuationis, reſeruationum, inhibitionis, voluntatum, decretorum, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Dat. P. An. 4. die 5. Ianuar.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1588. Nonis Ian. Pontificatus noſtri anno quarto.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. 1589. indict. 2. die vero 9. menſis Ianuarij, Pontif. Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D.N.D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno eius 4. retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis Baſilicarum S. Io. Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ, Apoſt. & acie Campi Florę, vt moris eſt per nos Hieronymum Lutium, & Pompeum Guerram S. D. N. Papæ Curſ.

Alex. Parabiacus Mag. Curſ.

De habitu & tonſura Clericorum & Militum beneficia Eccleſiaſtica obtinentium. XCII.

Ad hoc habes etiam Conc. Trid. in ſeſſ. 14. cap. 6. & ſeſſ. 23. cap. 6. & 17.

Edita An. D. 1589.

S I X T V S E P I S C O P V S, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CVm ſacroſanctam Dei Eccleſiam, quam Saluator noſter ſuo pretioſiſſimo ſanguine acquiſiuit, ſponſam ſibi elegerit, & nobis licet indignis cuſtodiendam tradiderit, eidem ſine ruga, ſine macula, atque in omnibus ſuis membris placentem conſeruare debemus, vt in ea, omnia ordinata, ſingula diſtincta, cuncta interius exteriuſque pietatem & deuotionem redolentia inueniantur, & vt ineffabilibus circumamicta varietatibus, ſpecioſa in oculis ſuis appareat, quantum fauente Deo valemus id ipſum munus exequi decreuimus.

Cauſa huius conſt.

§. 1. Quare animaduertentes, quod qui in ſortem Domini ad eiuſdem Eccleſiæ decus & ornamentum ſunt vocati, & ex eo Clerici nomen conſecuti, quique cenſu Eccleſiaſtico viuunt, ſingulari aliquo ſigno, à reliquo populo diſtingui debent, ne cui eorum iure dici poſſit: Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? & ad hoc ipſum ſolicitudinis noſtræ obtutus dirigentes, ne ſanguis eorum de manu noſtra requiratur, cum ingenti cordis noſtri dolore inuenimus complures ſupradicta

Domini

Digitized by Google

Domini ſententia iuſte redarguendos. Nam eorum plerique Clericali honore neglecto, in veſtibus laicalibus incedentes, eo ſe mirifico indignos priuilegio reddiderunt. Quapropter licet ſacris Canonibus, Conc. generalibus, & Apoſt. conſtitutionibus, certus circa eorum, qui Clericali caractere inſigniendi ſunt, habitum, ætatem & alias qualitates ſit præſcriptus modus, & contra Clericos in habitu Clericali, & tonſura non incedentes impoſita pœna, nempe vt gratiis, immunitatibus & aliis priuilegiis Clericalibus minime gaudeant, tamen cum iniuria temporum, & forſan dormientibus paſtoribus, inimicus homo lethifera tranſgreſſionis zizania ſuperſeminauerit.

Præfinitio habitus & tonſuræ per Clericos ſeu Milites beneficia vel penſiones obtinentes de cetero deferen. Hoc declaratur mox hic inferius.

§. 2. Nos propterea his & aliis rationabilibus de cauſis adducti, ne quis nimia, ſiue paſtorum ſiue temporum indulgentia & impunitate, ſeu oſcitantia, cum religionis dedecore, nominis Dei contemptu, & propriæ ſalutis diſpendio de cetero abutatur; hac noſtra perpetuo valitura conſtitutione præcipimus & mandamus, omnibus & quibuſcumque Clericis, non ſolum in ſacris, ſed etiã in aliis minoribus Ordinibus conſtitutis, & Clericali tantum tonſura inſignitis, & nedum beneficia Eccleſiaſtica qualiacumque etiam ſimplicia, nunc & pro tempore obtinentibus, & in illis vel ad ea ius habentibus, verum etiam penſiones ſuper quibuſuis fructibus, redditibus, aut prouentibus quarumuis Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, & aliarum quarumcumque Eccleſiarum, ſeu Abbatialium, Capitularium & Conuentualium menſarum, necnon Monaſteriorum, Præpoſituratum, Præpoſitatuum, Prioratuum, Præceptoriarum, Hoſpitalium, Canonicatuum, præbendarum, dignitatum, præbendarum, dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum, officiorum & beneficiorum quorumcumque Eccleſiaſticorum, ſæcularium, & quorumuis Ordinum regularium, ſeu illorum diſtributionibus quotidianis, ac iuribus, emolumentis & obuentionibus vniuerſis ſibi reſeruatas, aut fructus ipſos, prædiaue, aut bona Eccleſiaſtica loco penſionum ſibi aſſignatos, vel aſſignata, ex quacumque conceſſione, ſeu diſpenſatione Apoſtolica, percipientibus, etiam coniugatis præſertim ſi ijdem Clerici coniugati iuxta conſtitutionem piæ mem. Bonifacij Papæ Octaui prædeceſſoris noſtri in Conc. Trid innouatam, priuilegiis Clericalibus vti velint, tam in Romana Curia degentibus, quam extra eam vbilibet gentium & locorum conſtitutis, vt ipſi & eorum quilibet quantumuis exempti exiſtant, & quouis priuilegio vel immunitate gaudeant, quacumque dilatione, aut tergiuerſatione poſtpoſita, debeant omnino qui in Vrbe præſentes fuerint, intra quindecim dies, qui vero citra Montes intra quatuor menſes, qui denique vltra Montes conſtituti ſunt, intra octo menſes, à die publicationis præſentium literarum in Romana Curia faciendæ, tonſuram & habitum Clericalem, veſtes ſcilicet talares, aut Milites infra dicendi, quibus penſiones, aut fructus, aliaue bona Eccleſiaſtica reſeruata ſunt, ſuæ Militiæ conuenientem, quacumque remota excuſatione aſſumere, & iugiter deferre. In futurum autem nonniſi octu Clericis in habitu Clericali & tonſura, militibus infra dicendis in militari incedentibus, ſuæ militiæ propria, aut alia quæcumque Eccleſiaſtica etiam ſimplicia beneficia reſpectiue conferantur aut commendentur, aut penſiones fructuſue aut bona Eccleſiaſtica reſeruentur.

Impoſitio pœnarum contra inobedientes

§. 3. Alioquin ipſos & ipſorum quemlibet, qui quoad geſtandum habitum clericalem & militarem ſupradictum, lapſo huiuſmodi tempore eorum vnicuique vt ſupra dictum eſt, præfixo, noſtris huiuſmodi præcepto & mandato nunc & in poſterum perpetuis futuris temporibus cum effectu non obediuerint, præter alias pœnas contra eos inflictas, etiam quibuſcumque dignitatibus, adminiſtrationibus, officiis, Canonicatibus & præbendis, ac beneficiis etiam ſimplicibus & præſtimoniis per eorum quemlibet in titulum, commendam, vel alias pro tempore obtentis, necnon penſionibus & fructibus, ac prædiis, boniſque Eccleſiaſticis huiuſmodi quocumque modo eis reſeruatis, vel reſeruandis, omnique iure ſibi in eis vel ad ea quomodolibet competenti, harum ſerie ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſt. poteſtatis plenitudine priuamus, ac ſine vlla alia monitione, citatione, ludicis decreto, aut miniſterio ipſo facto priuatos declaramus; ac tam beneficia ipſa per priuationem huiuſmodi vacare, & libere aliis conferri poſſe, quam etiam penſiones caſſatas, extinctas eſſe & fore, ac fructuum, vel aliarum rerum reſeruationes ceſſare, & quemquam vlterius ad illorum ſolutionem minime teneri, & ob non ſolutionem, cenſuras & pœnas aliquas incurrere non poſſe, nec debere decernimus; ipſaſque dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, officia, necnon Canonicatus & præbendas, & beneficia ſic pro tempore vacantia, collationi, prouiſioni & diſpoſitioni noſtræ, & Rom. Pont. pro tempore exiſtentis perpetuo reſeruamus.

Decretum irritans.

§. 4. Statuentes ſic in præmiſſis vniuerſis & ſingulis per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatij Apoſt. Auditores, & S. R. E. Card. ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, in quauis cauſa & inſtantia iudicari & definiri debere, necnon irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Declaratio circa eos Milites & alios Rom. Cur. Officiales qui cõſtitutione iſta non ligantur. Alia cõſtitutiones ſunt hic inferius.

§. 5. Ceterum Milites quarumuis Militiarum ſub regula aliqua approbata canonice inſtitutarum, vel alios Ro. Cur. officiales, qui non vti Clerici, ſed potius tamquam Milites iuxta priuilegia & diſpenſationes Apoſt. eis in genere vel in ſpecie, per nos aut prædeceſſores noſtros nominatim conceſſa, & ſub fel. rec. Pij Papæ V. prædeceſſoris noſtri conſtitutione, quæ incipit, Sacroſanctum, &c. huiuſmodi priuilegiorum forſan. reuocatoria minime comprehenſa, beneficia militiæ quam profeſſi ſunt regularia obtinent, ſeu penſiones ſuper quibuſuis fructibus, redditibus & prouentibus Eccleſiaſticis, etiam prædictarum Eccleſiarum & beneficiorum ſæcularium, aut fructus ipſos ſibi reſeruatos percipiunt, aut obtinebunt, vel percipient in futurum, ſiue clericali caractere inſigniti ſint, ſiue non ſint, qui vero Clerici ſunt, etiamſi ab initio tempore reſeruationis, penſionum, ſeu fructuum huiuſmodi regularem habitum nondum ſuſceperint, nec militiis officiorum Rom. Cur. adſcripti fuerint; ſed poſt factas eorum cuique reſeruationes, ante vel poſt publicationem præſentis cõſtitutionis Milites effecti exiterint, ſub præcepto & mandato præfatis, de habitu & tonſura Clericali deferendis, nolumus comprehendi; ſed iis permittimus, vt regulari habitu Militiæ, quam profeſſi ſunt conuenienti vel ſi ipſi Milites Ro. Cur. officiales fuerint, qui penſiones, aut fructus, aliaue prædia aut bona Eccleſiaſtica ex diſpenſatione ſeu priuilegio Apoſtolico percipiant, habitu militari ſupraſcripto abſque alicuius cenſuræ vel pœnæ Eccleſiaſticæ incurſu licite vti valeant; & nihilominus tam beneficia ſuæ Militiæ regularia retineant, quam etiam penſiones ſuper Eccleſiarum & beneficiorum prædictorum etiam ſecularium fructibus, ſeu bona vel fructus præfatos ſibi pro tempore reſeruatos percipiant.

Clauſula derogat.

§. 6. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon conſuetudinibus, etiam longiſſimo & immemorabili tempore obſeruatis, quæ abuſus & corruptelæ potius cenſendæ ſunt; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quorumcumque tenorum exiſtant, quæ omnia nolumus cuiquam aduerſus præmiſſa in aliquo ſuffragari.

Publicatio & obſeruatio ab Epiſcopis &c. curari debet.

§. 7. Mandamus vero vniuerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis, ac locorum Ordinariis, vt in ſuis quiſque Eccleſiis, Ciuitatibus & diœceſibus curent præſentes literas, earumque exempla publicari & inuiolate obſeruari.

Forma & effectus publicationis huius conſt.

§. 8. Et ne quis præſentium literarum ignorantia ſe valeat excuſare, iubemus, illas ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, & in Cancellaria Apoſt. affigi & publicari, earumque exempla inibi affixa relinqui, & deinde in eadem Cancellaria Apoſtolica in libro Quinterno appellato, inter cæteras conſtitutiones perpetuas deſcribi & regiſtrari. Decernentes publicationem in baſilicis præfatis, & in acie Campi Floræ faciendam, poſt lapſum temporis ſuperius præfixi vnumquemque arctare & afficere, perinde ac ſi ipſæ præſentes literæ ſingulis perſonis præfatis perſonaliter intimatæ fuiſſent.

§. 9. Volumus

Digitized by Google

Fides transūptorum, & Sanctio pœnalis.

§.9. Volumus quoque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, plenam & iudubitatam fidem in iudicio & extra adhiberi, quæ ipsis originalibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum, &c.

D. P. An. 4. 3. Ianuar. Publicatio.

Dat. Romæ apud S.Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1589. 5. Idus Ianu. Pont. nostri anno 4.

Anno à Natiuitate D. 1589. indict. 2. die vero 18. mensis Ianuarij, Pontif. Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno 4. retroscripta litera Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis Basilicarum S. Io. Lateranen. & S. Petri Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ, Apost. & acie Campi Flore, vt moris est per nos Hieron. Lutium, & Ioannem Baptistam Bagni, S. D. N. Papæ Curs.

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

Sequitur declaratio quoad aliquos Papæ familiares, Militesque & Officiales Romanæ Curiæ, & pensiones non vltra 60. ducatos obtinentes.

Edita An. D. 1588.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Compendium constit. à præcedentis

PAstoralis est curæ nostræ, & ita æquum arbitramur, vt quanto possumus studio indemnitati & vtilitati, tum pauperum Clericorum, tum etiam personarum quæ nostris obsequiis insistendo, labores & incommoda assidue subire non cessant, consulere procuremus, ac earum necessitati prospiciamus; ne dum prompte & expedite ministeria eis iniuncta obire conantur, non solum congrua præmia, non recipiant, verum aliquid detrimenti patiantur. Cum itaque nostra nuper edita constitutione de habitu & tonsura, per clericos seu Milites beneficia vel pensiones obtinentes deferendis, quæ incipit, Cum Sacrosanctam, &c. præceperimus vniuersis clericis, ne dum beneficia Ecclesiastica obtinentibus, sed etiam pensiones super fructibus Ecclesiasticis, aut fructus ipsos sibi reseruatos percipientibus, vt habitum & tonsuram clericalem, vestes scilicet talares, Militibus vero ipsas pensiones aut beneficia suæ militiæ propria obtinentibus, vt habitum suæ Militiæ conuenientem iugiter deferant, pœna priuationis beneficiorum, pensionum, ac fructuum huiusmodi cuilibet inobedienti imposita, prout in eadem constitutione latius continetur.

Causa huius moderationis.

§. 1. Nonnulli vero ex Clericis præfatis pensiones aut fructus huiusmodi admodum tenues percipientes, alij quoque nostri familiares actu nobis inseruientes, variis obsequiis & ministeriis addicti, qui vltro citroque, vbi opus est commeare & accurrere coguntur, idcirco vix possint sine maximo incommodo, impedimento & dispendio, habitum clericalem suprascriptum gestare.

Moderatio d. constitutionis pro Clericis pensiones, fructus, aut bona Ecclesiastica 60. duc. auri da Cam non excedentia obtinentibus.

§. 2. Nos eorum commodis opportune prouidere, eosque specialis gratiæ fauore prosequi volentes, omnibus & quibuscumque clericis, tam in Romana Curia, quam extra eam vbilibet gentium & locorum constitutis, qui pensiones, fructus, aut prædia vel bona Ecclesiastica, sibi in vna vel pluribus vicibus reseruata & concessa, summam seu valorem annuum sexaginta ducatorum auri de Camera insimul non excedentes seu excedentia, percipiunt aut percipient in futurum.

Et pro nonnullis familiaribus Pont. Aliam limitationē habes pro Cōclauist. sit in const. 5. Pauli V.

§. 3. Ac præterea nostris familiaribus, nobis in quibusdam inferioribus ministeriis, quales sunt à pedibus seu parafrenarij, mensæ dispositores, aut credentiarij, aut dispensatores vulgo dicuntur, & aliis his similibus seruitiis actu ministrantibus, quive in futurum inseruiēt; necnon quibusuis nostrorum intimorum familiarium actu nobis in Palatio nostro Apostolico inseruientium familiaribus, continuis commensalibus, præsentibus & futuris, qui pensiones aut fructus, bonaue Ecclesiastica loco pensionum vsque ad quamcumque summam & valorem nunc percipiunt aut in posterum pro tempore percipient, vt ipsi & eorum quilibet in habitu & tonsura clericali incedere minime teneantur, sed laicali habitu impune & licite vti possint, quo sua munia promptius expeditiusque obire valeant, nec pœnis in eadem constitutione inflictis subiaceant, auctoritate Apostolica tenore præsentium de speciali gratia concedimus & indulgemus.

Prorogatio termini in d. const. personis in Vrbe degētibus prafixi, ad alios 15. dies.

§.4. Reliquis autem nostris, aut personarum nobis inseruientium familiaribus, continuis commensalibus, omnibusque & singulis aliis, tam clericis quam militibus beneficia, fructuum vel bonorum Ecclesiasticorum reseruationes ac pensiones obtinentibus, aut in ipsis beneficiis, vel ad eaius habentibus in Vrbe præsentibus tempus quindecim dierum in dicta constitutione præfixum nec dum elapsum, ad alios quindecim dies à fine primo dicti termini computandos extendimus & prorogamus.

Et pro Militibus & aliis in militari habitu incedere obligatis.

§. 5. Ac demum Militibus, tam Militiarum canonice institutarum, quam Rom. Cur. Officialibus, qui iuxta præfatam nostram constitutionem in Militari habitu incedere tenētur, vt vestibus communibus, cum insignibus tamen Crucis, aut Numismatis suæ Militiæ propriis vti valeant, atque hac ratione ipsius constitutionis præcepto plene satisfacere censeantur pariter indulgemus.

Declaratio circa tempus quo Clerici, vel Milites habitum gerere tenentur.

§. 6. Eos vero Clericos aut Milites, quibus pensiones aut fructus, bonave, aut prædia Ecclesiastica ad quamcumque summam reseruata, aut reseruari concessa sunt, vel post hac reseruabuntur, non aliter ad gerendum huiusmodi habitum teneri volumus, nisi post quam pensiones, fructus, aut alia præfata cum effectu exigere aut percipere cœperint, vel per eos steterit quominus exigant vel percipiant.

Decretum irritans.

§.7. Decernentes sic in præmissis iudicari debere, necnon irritum & inane, quicquid secus super his à quoquā quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Præfata constitutione nostra, quoad reliqua omnia præsentibus literis non excepta, nihilominus in suo robore perpetuo permansura.

Transumptorum fides.

§.8. Volumus autem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eamdem fidem vbique, tam in dicta Curia & in iudcio, quam extra adhiberi, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ, Nulli ergo omnino hominum, &c.

Dat. P. An. 4. 5. Ianuar.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1589. pridie Calen Febr. Pontificatus nostri anno 4.

Pœnæ & confiscationes maleficiorum, cuiusque Ciuitatis, & Terræ Status Ecclesiastici, locorumque ei subiectorum, applicántur R. Cam. Apostolicæ, cum nonnullis statutis & ordinationibus, circa earum exactionem, atque distributionem obseruandis. XCIII.

Circa prædicta, extant plures constitutiones Apostolicæ quas indicaui in earum Apostillis, hic non repeto. Istam vero bullam in Vrbe etiam seruari iussit Clem. VIII. inf. in eius constit. 5. Inter cetera *tom.* 3.

Edita An. D. 1589.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

AD Romanum Pontificem pertinet, non modo vti communem Patrem ac Pastorem, totius Christianæ Reipublicæ generalem curam suscipere, sed priuatim quoque Populorum ipsius S.R.E. ditioni, etiam in temporalibus subditorum prospero statui, ac bono regimini, simul etiam Cameræ Apost. indemnitati, propria quadam & peculiari solicitune prouidere Quod ita demum (Deo fauente) feliciter euenturum speramus, si ij, qui in Ciuitatibus, & locis dicti Status temporalis Ecclesiastici ius dicunt, in officio contineantur, & quicumque eorum publica legum & Magistratuum potestate abutendo, à recto Iustitiæ tramite declinare, vel turpis lucri causa, Cameræ Apostolicæ iura improbe fraudare præsumpserint, se tandem iudicio grauissimas pœnas daturos

Digitized by Google

daturos intelligant. Idcoque nemini mirum videri debet, si cum quotidie instigante humani generis hoste, hominumque malitia in dies succrescente, nouæ fraudes, & corruptelæ detegantur, nos quoque prædecessorum nostrorum exemplo, noua cogimur subsidia præparare.

Paul. II. Officialib. prohibuit, remissionem pœnarũ vltra sex florenos.

§. 1. Bene siquidem, & prudenter fel. record. Paulus Papa II. prædecessor noster, prohibuit inter alia, ne Gubernatores, & quicumque Officiales Prouinciarum, Ciuitatum, & locorum S. R. E. ditioni in temporalibus subiectorum, mulctas & pœnas pecuniarias remittere, donare, aut gratiam de illis facere possent, vltra summam sex florenorum auri de Camera.

Six. IV. approbauit, & processus circumdari prohibuit, librumque condemnatio. bus & gratiis teneri iussit.

§. 2. Quam prohibitionem piæ mem. Sixtus Papa Quartus, etiam prædecessor noster non modo approbauit, sed vetuit etiam ne in causis criminalibus, ante sententiarum prolationem processus circumdari facerent, sed causas ipsas, prout Iustitia suaderet, terminarent; ac mandauit, vt omnes supplicationes in quibus persona delinquens, delictum ipsum, & pœna ei de iure irroganda, ac demum gratia ei per Officiales facta, exprimi deberet, in libro speciali registrari facerent, librumque ipsum in fine officij per fidelem Nuncium Cameræ Apostolicæ mitterent. Ac pro refectione murorum, fontium, viarum, aliarumque rerum similium, seu illarum conseruatione, non aliter Thesaurarios Cameræ ad illarum solutionem teneri voluit, nisi vere actualiter in hoc erogaretur.

Et pœnas ad alias quã Thesaurarij manus pervenire prohibuit.

§. 3. Per aliam vero suam constitutionem mandauit, vt si vere in tales causas expendendi facultas, & licentia à Sede Apostolica tributa foret, id tamen per manus Thesaurarij erogaretur; inhibendo ne eædem pœnæ, ac mulctæ ad alterius quam Thesaurarij manus etiam sub colore depositi, donec in prædictos vsus erogarentur, vllo modo peruenirent.

Pius IV. applicauit Camerae Apost. omnes pœnas & per eius officiales exigi iussit, in eius bull. 43. Decet, supra.

§. 4. Ac demum recol. mem. Pius Papa Quartus noster itidem prædecessor statuit, quod omnes pœnæ, & mulctæ pecuniariæ, seu cuiusuis qualitatis bona, quarumcumque personarum in prædictis Ciuitatibus, & locis degentium, Cameræ Apostolicæ priuatiue quoad omnes alios, etiam Communitates (exceptis tantum iis pœnis, quæ pro damnis, agris, & prædiis rusticis illatis sunt inflictæ) perpetuo integræ applicatæ existerent, nec per alios, quam à Camera Apostolica, ad id specialiter deputatos officiales exigerentur; de quorum manibus eas reciperent, siqui titulo oneroso, aut ob aliquos pios vel supradictos, aut alios eiusmodi vsus, illas sibi debere prætenderent.

Et declarauit id seruari etiã in locis S. Apost. immediate subiectis, vt ibid.

§. 5. Id autem declarauit postea habere locum etiam in iis Terris, Castris & locis, quæ non ipsi Romanæ Ecclesiæ immediate, sed alicui Communitati Ciuitatum præfatarum subditæ forent.

Postea decimam pœnarũ partẽ Gubernatori, quartã vero accusatori assignauit, vt ibid.

§. 6. Nouissime vero ordinauit, & præcepit, vt Officiales prædicti, decima tantum huiusmodi pœnarum, accusator autem quarta partibus contenti forent, sed illorum nemo alias, quam de manu Depositariorum dictæ Cameræ vllo modo exigerent, prout in præfatis, & aliis forsan prædecessorum nostrorum desuper editis constitutionibus latius continetur.

Hic modo Pont. iterato quascumque pœnas malefficiorum Camerae applicat.

§. 7. Sed quia postmodum successu temporis nonnulli ex illis, qui in Statu temporali Ecclesiastico ius dicunt, varias artes, vel potius fraudes excogitarunt, quibus salubria huiusmodi statuta eluderent, & sub diuersis prætextibus interdum per sordes, pretio, aut gratia corrupti, criminosos manifestos aut impune dimitterent, aut mulctas Cameræ Apostolicæ debitas interuerterent. Interdum vero illos plus æquo oprimentes, non tamen pœnas ab eis exactas prædictæ Cameræ reseruarunt, sed turpi lucro inhiantes sibi contra fas retinuerunt. Nos huic malo mederi, & malitiis quantum cum Domino possumus obuiare cupientes, ac dictorum prædecessorum exempla imitati, auctoritate Apostolica decernimus & declaramus, omnes & quoscumque pœnas pecuniarias, mulctas, & confiscationes omnium, seu cuiusuis criminis, excessus, maleficij, delicti, vel quasi, per quoscumque Præsides, Rectores, Gubernatores, quauis dignitate, etiam Episcopali, Archiepiscopali, vel alia maiori fulgentes, etiam S. R. E. Cardinales & Sedis prædictæ de latere Legatos, eorumque Vicelegatos, Locatenen. Commissarios, Potestates, & Officiales, qui in quibusuis Prouinciis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Villis, & locis nostræ & S. R. E. ditioni temporali subiecti quomodolibet iurisdictionem exercent, tum per sententias, decreta, processus, tum etiam per viam supplicationum, remissionum, absolutionum, liberationum, condonationum, compositionum, gratiarum, abolitionum, seu cassationum processuum ab ipsis pro tempore concessarum, tam ex iuris communis dispositione quam iuxta tenorem quarumcumque Apostolicarum, aut etiam Ægidianarum constitutionum, & ordinationum, vel statutorum, & consuetudinum cuiusuis Prouinciæ, Ciuitatis, aut loci particularium, aut in vim dictorum decretorum, bannimentorum, ab iisdem Officialibus seu eorum antecessoribus promulgatorum, Cameræ Apostolicæ realiter & cum effectu perpetuo applicatas esse & fore, ipsique Cameræ, non autem quibusuis Communitatibus, vniuersitatibus, aut personis integre deberi; pœnis dumtaxat ratione damnorum in agris, vineis, possessionibus, siluis, pratis, aut quibusuis prædiis illatorum exceptis, quæ sicut Communitati, aut Vniuersitati applicatæ sunt, quicquam circa eas innouare nequaquam intendimus. Præmissa vero omnia locum habere volumus etiam in iis Terris, Oppidis, Burgis, Castris, Villis, & locis, quæ alicuius alterius Ciuitatis, aut Terræ, Communitati, vel Vniuersitati, non autem immediate Romano Pontifici subsunt.

Communitatibusque & aliis dictas pœnas pretendentib. terminum, ad id probandum & desuper fidem faciendum in Cam. Apost. obtinem. præfigit, quo elapso, omnes cessiones dictarum pœnarum etiam ex onerosis titulis factas, reuocat.

§. 8. Ceterum volumus, vt quæcumque Communitates, Vniuersitates, Collegia aut personæ, etiam Ecclesiasticæ quauis dignitate fulgentes, aut eorum Magistratus, pœnas, compositiones, aut mulctas prædictas, seu illarum portionem aliquam quouis titulo, etiam oneroso, occasione vel causa, etiam iustissima & pro reparatione, ac refectione & fabrica, vel conseruatione murorum, pontium, viarum, fontium, aut cuiuslibet publici boni, vel pij loci Ecclesiæ, aut Hospitalis intuitu, aut alias quomodolibet sibi deberi vel applicatas esse prætendunt, debeant omnino intra duos menses à die publicationis præsentium literarum in Romana Curia faciendæ computandos, concessiones, & applicationes prædictas, suaque iura, & priuilegia quæcumque habent in Camera Apost. exhibere, deducere & allegare; quæ quidem Camemera, si ipsas concessiones validas ex oneroso titulo, vel ex vrgentissima causa factas esse cognouerit & iudicauerit, possit eas ad tempus quod ipsi Cameræ necessarium videbitur, confirmare, seu de nouo concedere, & successiue Depositario eiusdem Cameræ in Prouincia, seu Ciuitate in qua concessio huiusmodi facta & approbata fuerit, residenti specialiter, & in scriptis committere & mandare, ac speciale mandatum desuper opportunum relaxare, & pœnas ipsas, mulctas, & compositiones huiusmodi, earumue pars ipsi Cameræ bene visa, dictis Communitatibus, & Vniuersitatibus, seu Collegiis & personis soluantur; quas nimirum de manibus Depositarij prædicti, & præcedente speciali mandato, nec alia exigere possint, aut debeant. Reuocantes, & annullantes omnes & quascumque concessiones, applicationes, & assignationes dictarum mulctarum pœnarum, & compositionum, quibusuis Communitatibus, Vniuersitatibus, Collegijs personis etiam Ecclesiasticis ex titulis etiam onerosis, aut causis prædictis vel aliis etiam iustissimis factas, quæ intra tempus supradictum, vt præfertur in Camera Apostolica exhibitæ & productæ, aut deinde ab eadem Camera approbatæ & innouatæ non fuerint, etiam si sæpius per literas Apostolicas à quibuscumque prædecessoribus nostris approbatæ & innouatæ sint, ipsæque Communitas, Vniuersitates, & Collegia in pacifica quasi possessione illas exigendi ab immemorabili tempore existant, & Camera Apostolica eas nunquam exegerit.

Officialibus etiã prohibet ne pœnas in eorum sententiis, edictis, grauis, & absolutionib. ettentas alteri quas Camer. Apost. applicent.

§. 9. Districte vero interdicimus & prohibemus, ne in posterum quicumque Præses, Rector, aut Gubernator, quauis etiam Cardinalatus auctoritate & dignitate præfulgens aut Sedis prædictæ Legatus, Vicelegatus, Locitenens, aut Officialis ex supradictis quouis prætextu, occasione, vel causa etiam maxime rationabili, legitima, iustissima, & vrgentissima, tam in sententiis, processibus, decretis, bannis, proclamationibus, edictis, quam in supplicationibus, gratiis, remissionibus, absolutionibus, cent.

abolitionibus, aut cassationibus processuum ab ipsorum quolibet editis vel edendis, pœnas, mulctas, aut compositiones, occasione maleficiorum, vel quasi, ab ipsis reis persoluendas in pecunia numerata, vel in bonis mobilibus, immobilibus aut se mouentibus cuiusuis generis, qualitatis, quantitatis etiam minimæ existen. in totum vel in parte, etiam minima, alias quam Cam. Apost. prædictæ concedere, aut applicare vel assignare quoquomodo audeant, vel præsumant.

Nec alius persona quam Depositarius solus nequ aliquam eorum partem per officiales retinere posse decernit.

§. 10. Quam ob causam vniuersas & singulas pœnas, mulctas & compositiones prædictas, non possint nec debeant vllo modo solui, exbursari, tradi, aut consignari facere in manibus cuiusuis alterius personæ quam Thesaurarij seu Depositarij Cameræ prædictæ in qualibet Prouincia residentis; seu ad maiorem partium commoditatem in manibus Vicedepositarij, seu Vicethesaurarij in qualibet Ciuitate & loco deputandi, sed neque etiam valeant Gubernatores & Officiales prædicti, etiam S. R. E. Cardinales, aut Fisci procuratores, vel accusatores, propria auctoritate retinere, aut à partibus exigere portionem aut ratam ex huiusmodi mulctis sibi debitam, verum integre & sine aliqua diminutione exbursari, tradi, solui, & consignari debeant in manib. Thesaurarij, Depositarij, aut substituti prædicti, ex quorum manibus, nec alias Gubernatores, Officiales, Fisci procuratores, & accusatores eas recipiant.

Contrauenientibusque pœnas imponit.

§. 11 Quod si vel pœnas ipsas alias quam Cam. Apost. applicauerint, vel propria auctoritate, & non de manibus prædictis exegerint, tam Gubernatores, Officiales, & alij prædicti etiam S. R. E. Cardinales quam Procuratores Fisci, & accusatores, & ipsorum qulibet contrauenientes officiis per eos obtentis ipso facto, absque alia declaratione, aut ministerio Iudicis priuiati, & ad illa, & alia de cetero obtinenda perpetuo inhabiles, & incapaces existant, & insuper pœnam trecentorum scutorum pro qualibet vice Cam. Apost. soluendorum eo ipso incurrant.

Delinquentibus prohibet, ne aliis quam depositarijs pœnis soluat, etiam si aliter in sententiis vel supplicationibus sit rescriptum.

§. 12. Verum huiusmodi prohibitionem & interdictum ita extendimus, vt neque etiam ipsi delinquentes, aut rei, vel alij quicumque contra quos per viam Inquisitionis, accusationis, denunciationis, aut querelæ procedi cœptum fuerit, tam si condemnati, quam si absoluti extiterint, pœnas, aut mulctas pecuniarias, vel alias res, ad quas soluendas in quibusuis condemnationibus, absolutionibus, decretis, processuum cassationibus, seu abolitionibus, vel supplicationibus, ipsos, aut alios pro eis mulctari contigerit, in alterius quam Thesaurarij seu Depositarij, aut substitutorum prædictorum manibus soluere, aut tradere possint, vel debeant, etiam si in ipsis sententiis, absolutionibus, abolitionibus, decretis, aut supplicationibus aliter rescriptum existat. Alioquin si in aliorum manibus eas soluerint, prædictæ sententiæ, & gratiæ, quoad ea quæ illorum fauorem & commodum concernant, eo ipsæ nullæ, inanes, & irritæ, nulliusque roboris vel momenti sint; & tam ipsi rei, quam qui pro eis soluerit, qualibet vice pœnam vigintiquinque aureorum incurrant. Contra vero, si maluerint prædictis Thesaurariis, Depositariis, aut eorum substitutis soluere, quam eis personis, quibus forsan soluere iussi fuerint, bene & recte soluisse, eorumque gratiæ, absolutiones, & supplicationes integrum & plenarium effectum fortitæ censeantur, iisque plene suffragentur.

Officiales supplicationes ab eis signandas Thesaurariis, consignent, & supplicates infra decē dies pœnas soluāt.

§. 13. Mandamus præterea omnibus & singulis Legatis, Gubernatoribus & aliis Officialibus supradictis, sub pœnis prædictis per inobedientes eo ipso incurrendis, vt quilibet eorum cum primum supplicationes signauerit & taxauerit, illas in manib. Thesaurarij, vel Depositarij, aut substituti huiusmodi consignet; à quibus supplicantes intra decem dies à die datæ ipsarum supplicationum numerandos, soluta integre summa, & taxa in eis descripta, illas exigere omnino teneantur. Alioquin lapsis decem diebus prædictis, gratiæ nullæ, irritæ ipso facto existant.

Officiales Notariique supplicationes in actis retinant, & processus ante pœnas solutas non cassent.

§. 14. Legati vero, Gubernatores & alij Officiales prædicti, eorumque Cancellarij aut Notarij, supplicationes ipsas registrare; & in acta referre, processusue cassare, vel abolere non præsumant, nisi prius in calce supplicationis fidem solutionis iam factæ manu dictorum Thesaurarij, Depositarij, aut substituti subscriptam viderint; secus si fecerint, vigintiquinque aureorum, & aliis arbitrio Superiorum imponendis pœnis plectantur.

Officiales & Barcellibona quæ carcerati tempore carcerationis deferebāt iisdem Thesaurariis consignet, ad effectum hic expressū.

§. 15. Omnia autem, & singula bona mobilia, gemmas, pecunias, & alias res cuiusuis generis, aut qualitatis, quæ personæ ex quauis causa criminali in carcerem ductæ tempore carcerationis penes se gestauerint, ac item ea quæ banniti, condemnati, homicidæ, & latrones tempore quo apprehenduntur penes se similiter habuerint (archibusiis, & aliis offensiuis armis tantum exceptis) ac denique ea quæ contra prohibitiones, & banna in fraudem deprehenduntur & capiuntur, statim prædicti Gubernatores, & alij Officiales, eorumque Locatenentes, Barigelli, Executores, Custodes Carcerum, & Cancellarij in manibus eorumdem Thesaurij, Depositarij, aut substituti tradere, & consignare debeant; alias ipsi Gubernatores, & Officiales ducentorum, Barigelli vero executores Cancellarij, & alij prædicti quinquaginta aureorum pœnas qualibet vice incurrant. Quæ quidem bona, pecunia, & res, dicti Thesaurarij, Depositarij, aut substituti, depositi nomine tamdiu apud se conseruent, donec ipsi carcerati absoluantur, aut veri eorum Domini inueniantur. Quod si carceratos condemnari, & veros Dominos intra vnius mensis spatium à die condemnationis non reperiri contingat, sint cuncta & singula eo ipso Cameræ prædictæ appropriata, & applicata, eaque ipsius Cameræ nomine Thesaurarij, Depositarij, aut substituti prædicti illa præscribere, hastæ subiicere, & plus offerenti vendere, & pretium eidem Cameræ acceptum ferre teneantur. Mandantes Notariis actuariis Iudicum illorum locorum in quibus Thesaurarij, aut alij Ministri ad rationes eiusdem Cameræ retinendas, pecuniasque exigendas deputati fuerint, ad hoc vt de his omnibus emolumentis certa ratio in Camera prædicta reddi & haberi possit, vt librum rationum, & computorum eiusdem Cameræ prouentuum distinctum, & separatum teneant: illumque in Camera annis singulis quando eorum computorum quietantia, & solidatio, vt moris est fiet, præsentent, ad hoc vt certa de omnibus prædictis haberi ratio possit; quod si librum prædictum non tenuerint, vel non verum, & integrum, illum ad omnia Cameræ prædictæ damna, & interesse, quæ ex præmissis pati contigerit, teneri volumus, & mandamus.

In causis criminalibus Officiales non possint reos absoluere, aut gratiā eis facere, aut pœnā condonare nisi per sententias aut supplicationes, cum adnotatione summæ à reis soluendæ.

§. 16. In omnibus vero causis criminalibus, aut ciuilibus in quibus criminaliter agitur, grauibus aut leuibus, in quibus pœna ordinaria, aut extraordinaria, vel arbitraria, seu pecuniaria imponenda veniat, Legati, Gubernatores, Rectores, aut alius quicumque ex supradictis Officialibus reos absoluere, rehabilitare, restituere, vel eis gratiam facere, aut pœnam, eiusue partem aliquam remittere, aut condonare in quantum ipsius ius dicentis auctoritas se extendet, non alio modo possit aut debeat, nisi per sententiam absolutoriam in causis grauioribus, aut per decretum vim absolutoriæ sententiæ habens in leuioribus, aut per supplicationem ab ipso ius dicente signatam. In quibus sententiis, decretis supplicationibus teneantur iidem Gubernatores & alij Officiales adnotare integre totam summam pecuniæ, quam à reis solui debere taxauerint, declarauerint, aut damnauerint. Eaque condemnatio, & taxa in pecunia numerata, vt præferatur in manibus Depositarij, Thesaurarij, aut substituti soluenda, nec alias, aut in alia re, vel specie fieri debeat. Omnes autem absolutiones, rehabilitationes, restitutiones, remissiones, gratiæ, quæ per simplicem processus cassationem, vel abolitionem, aut alio modo, sine sententia, sine decreto, aut supplicatione fient, eo ipso nullæ, inualidæ, ac nullius roboris vel momenti sint & censeantur; & quilibet Gubernator, aut Officialis contraueniens, qualibet vice ducentorum aureorum pœnam incurrat.

Fiscus vel saltē Thesaurarii loci citetur in iis de causis.

§. 17. Quoad ipsas vero sententias & decreta, tam mere absolutorias, & gratiosas, quam mixtas, semper antequam ferantur, Procurator Fisci, aut eius substitutus, si in eo loco resideat, alias saltem Thesaurarius, aut Depositarius, vel substitutus prædicti personaliter citari debeant; quorum vnusquisque si eisdem absolutiones iniustas putauerit, debeat in actis protestari; & absq. citatione prædicta,

prædicta, sententiæ, & decreta huiusmodi ipso iure nulla, inualida, nulliusque roboris existant.

Consuetudines, & statuta quoad pœnas & causas criminales à Paulo IV. & successoribus simpliciter cõfirmata vel cum clausulis hic expressis, irrita sint.

§. 18. Insuper omnia & quæcumque statuta, decreta, consuetudines, etiam inueterata, & à longissimo atque immemorabili tempore obseruata, cuiusuis Prouinciæ, Ciuitatis, Terræ, aut loci Status nostri prædicti, de causis criminalibus, aut ciuilibus in quibus criminaliter agitur, deque pœnis ratione delictorum, aut maleficiorum quorumcumque (damnis in agris illatis tantum exceptis) quomodolibet disponentia, quæ à fel. record. Paulo Papa Quarto, aliisque post eum vsque ad nostra tempora, nostris prædecessoribus aut à nobis metipsis in specie expresse, & nominatim, ac simpliciter, pure, absolute, & absque aliqua conditione, reseruatione, aut restrictiua, confirmata non fuerint, ipso iure, & in vim præsentis constitutionis antiquata, abrogata, ac irrita, & nulla effecta sint, & censeantur. Ac pariter ea quæ ab ipsomet Paulo Quarto, & aliis vsque ad nostri Pontificatus tempora successoribus, cum aliqua conditione, videlicet, dummodo iusta sint, & rationabilia, vel iuri communi, & rationi non repugnent, vel quatenus sint in vsu, & sacris Conciliis, & Canonibus non sint contraria, vel cum aliis similibus vel dissimilibus clausulis & limitationibus, comprobata extiterint, similiter quoad dictas causas & pœnas, nulla & irrita decernimus & declaramus. Itaque vt neque Gubernatores & ceteri Officiales supradicti ea obseruare, aut iuxta illa iudicare, aut decernere debeant; ipsisque Officialibus quæcumque iuramenta de illis obseruandis præstita vel forsan præstanda, ex nunc eo ipso relaxamus, eosque in posterum ad iuramenta huiusmodi præstanda adstringi volumus.

Officiales in causis criminalium primo seruent constitutiones Apost. statuta locorũ valide confirmata, & constitution. Marchiæ & in reliquis banna & edicta.

§. 19. Declarantes quod in futurum in omnibus Prouinciis, Ciuitatibus, Terris, & locis Status nostri prædicti, quicumque Gubernatores, etiam Cardinales, & Legagi prædicti, aut alij Officiales, teneantur in primis & ante omnia, quoad causas criminales prædictas, constitutionibus, ordinibus, & literis Rom. Pontificum nostrorum prædecessorum, atque nostris, & in casibus in quibus ipsæ nihil disponunt, statutis locorum, si, vt præfertur valide & efficaciter confirmata fuerint, inuiolabiliter inhærere & parere; quod si ea valida non extiterint, debeant iudicare, procedere, absoluere, condemnare & sententias ferre iuxta tenorem Constitutionum Prouinchiæ à bon. me. Paulo Papa Tertio similiter prædecessore nostro per eius expeditas literas confirmatarum; quas Pauli Tertij prædecessoris nostri literas, per præsentes approbamus, & innouamus. In reliquis vero banna, & edicta in ipsis Prouinciis, Ciuitatibus, & locis pro tempore publicata obseruentur.

Decemque pro centenario ex dictis pœnis ac de manu Thesaurarij percipere valeant, vbi minor portio non sit assignata.

§. 20. Legati autem, Vicelegati, Gubernatores, Locatenen. & alij supradicti Officiales, non vltra decem pro centenario ex compositionibus, condemnationibus, pœnisque & mulctis prædictis occasione maleficiorum seu bannimentorum prouenientibus, exigere valeant. Reuocantes, & annullantes quæcumque super hoc in contrarium edicta, ordinationes, priuilegia, indulta, nisi forsan in illis portio minor quam decem prædictorum assignaretur. Nam in iis in hac parte nequaquam derogare intendimus, sed illa potius harum serie confirmamus, & innouamus. Vltra vero taxam eorumdem decem pro centenario, à partibus vel aliis personis quicquam emolumenti, aut pecuniæ, quouis prætextu, quæsito colore vel ingenio, directe vel indirecte recipere, etiam sponte oblatum nullo modo præsumant.

Fiscus etiam vigesimam & accusator quartam partem de manu Thesaurarij percipere possint iuxta bul. Pij VI.

§. 21. Sed & Procurator Fisci si aderit vigesima, & Accusator si interuenerit quarta parte prædicta, iuxta Pij Quarti prædecessoris constitutiones superius expressas contenti esse debeant, & nihil præterea, vel minimum petant, exigant, aut accipiant; eæque omnes portiones Iudicis, Procuratoris & Accusatoris semper de manu Thesaurarij aut Depositarij, vel substituti, vt præfertur, exbursentur ipseque Thesaurarius, Depositarius, aut substitutus portiones Procuratorem Fisci, aut Accusatorem tangentes, non aliter soluant, nisi de expresso mandato Gubernatoris, aut Officialis in scriptis obtento, quod vna cum chirographo recepti penes se retineant.

Thesaurarij nec aliter portiones prædictas soluere nec dictas pœnas in alios vsus expendere possint.

§. 22. Postremo dicti Thesaurarij, Depositarij, aut substituti, quamlibet, vel minimam pecuniariam summam ex dictis confiscationibus & maleficijs prouenientem, etiam de mandato & iussione expressa dictorum Legatorum, & Gubernatorum & Officialium, cuiquam personæ soluere aut tradere, aut in quoscumque vsus erogare vllo modo nequeant, præter supradictam portionem, & præter impensas solitas ad exercitium & vsum iustitiæ necessarias; pro quibus soluendis qualibet vice mandatum speciale ab ipsis Gubernatoribus, seu Officialibus subscribendum expectent. Quinimmo extra casus prædictos nullam pecuniarum summam expendere queant, nisi de mandato expresso Congregationis Consultæ negociorum dicti Status, aut S.R.E. Camerarij, vel Generalis Thesaurarij, aut Commissarij prædictæ Cameræ; si secus soluerint, de suo erogasse censeantur, & in reddendis rationibus id eis computari nequaquam debeat.

Clausula derogatoria.

§. 23. Decernentes sic in præmissis per quoscumque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere. Irritum quoque & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 24. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus etiam antiquissimis, necnon priuilegiis, & indultis & literis Apostolicis quorumcumque tenorũ existant, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia & concessione, speciali vel generali, per quam earumdem præsentium effectus impugnari, aut impediri quocumque modo valeat, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda esset in nostris literis mentio specialis, ceteriscque contrariis quibuscumque.

Exemplis huius constitutionis plena fides adhibeatur.

§. 25. Vt autem præsens constitutio perpetuis futuris temporibus obseruetur, néue aliquis eius ignorantiam prætendere, seque excusare possit, volumus vt eius exemplis etiam impressis Notarij publici manu subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides in iudicio & extra, quæ adhiberetur ipsis originalibus literis, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Transumptum vero vel eius compendiũ in qualibet Ciuitate publicetur, & in Cancellariis affixum retineatur & Officiales in ingressu iurẽt; & in eorum discessu cõtra eos pro transgressionib. procedatur.

§. 26. Ipsumque transumptum in qualibet Ciuitate, Terra, Oppido, Castro, Villa, aut Burgo Status nostri prædicti, & vt melius intelligatur, eius cõpendium, seu summarium vulgari lingua conscriptum affigatur & publicetur. Ac tam ipsius cõstitutionis, quam summarij transumptum in Cancellariis criminalibus, & in locis residentiæ Gubernatorum, & Officialium affixa perpetuo conseruentur, & in ingressu noui Legati, Vicelegati, Gubernatoris aut cuiuslibet Officialis eius loci magistratus teneatur, ab eo intra biduum de ea obseruanda iusiurandum exigere. In discessu autem, seu Syndicatu eorumdem, Legati, Vicelegati, Gubernatoris & Officialium, non solum debeant Procuratores Fisci, & Thesaurarij, seu Depositarij aut substituti, nomine Cameræ querelam exhibere, & denunciare contrauentiones, & transgressiones huius constitutionis, ab iisdem Gubernatoribus, & Officialibus factas, sed liceat cuilibet de populo id efficere. Quod si ipsis Syndicis ex rei inspectione, aut alia legitima probatione constiterit, de ipsa contrauentione aut transgressione, teneantur sub pœna quingentorum aureorum per quemlibet Syndicum inobedientem eo ipso incurrenda; ad executionem pœnarum in eadem nostra constitutione contentarum, sine vlla mora aut dilatione procedere. Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo, quingenteſimo octuageſimo nono, Idibus Martij, Pontificatus nostri anno quarto.

D. P. An. 4. 15. Martij.

Admissio & registratio in Camera Apostolica.

Die 16. mensis Aprilis 1589. præsentes literæ Apostolicæ in plena Camera præsentatæ fuerunt, & Camera ipsa ex decreto desuper facto illas admisit, ac in ipsius Cameræ libris registrari mandauit, prout successiue registratæ fuerunt, scilicet libro tertio signaturarum S. D. N. apud me infrascriptum eiusdem Cameræ Notarium.

Publicatio.

Anno a Natiuitate D. 1589. indict. 2. die vero 26. mensis Aprilis, Pontificatus Sanctiss. & D. N. D. Sixti

Digitized by Google

diuina prouidentia Papæ V. anno eius V. præsentes literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Cameræ, & Cancellariæ Apostolicæ, & aciei Campi Floræ, vt moris est, dimissis copijs impressis affixis, per nos Ioannem Freile, & Ioan. Burlurault, S.D.N. Papæ Curs.

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

XCIV.

Institutio Rotæ in Ciuitate Maceratensi, Prouinciæ Marchiæ Status Ecclesiastici, ad cognoscendas lites dictæ Prouinciæ.

Iurisdictionem huius Rotæ, quoad appellationes à sententiis, & decretis Episcoporum eiusdem Prouincia, declarauit Greg. XIV. inf. in sua const. 14. Romanum. *Et quoad causas Mercatorum Ciuitatis Anconæ, limitauit Clem. VIII. inf. in sua const.* 26 Ex Apostolicæ.

Edita An. D. 1589. S I X T V S E P I S C O P V S, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Causa huius instit.

ROmanus Pontifex supremi Iudicis in Terris Vicarius, inter innumeras sibi imminentes curas, illam propensiori animo amplectitur per quam omnibus in locis, sed præsertim in Prouincijs sibi & Apostolicæ Sedi immediate subiectis, pro iustitia vnicuique æqua lance administranda Iudices deputantur, & ad id necessaria tribunalia eriguntur & instituuntur. Sane etsi semper pro cunctarum Ciuitatum nostro dominio subditarum statu pacifico, tranquillo ac prospero, fœlicique regimine cogitauerimus, ad Prouinciam tamen nostram Marchiæ tanto accuratius aciem nostræ considerationis direximus, quanto illam (ex qua originem duximus) propensiori patriæ amore prosequimur. Et cum in ea etiam pro commoditate illius populorum, vnum Tribunal Iudicum, Rotam nuncupandum, instituere decreuissemus, nulla alia nobis commodior occurrit ciuitas, in qua id fieri possit, quam Ciuitas Maceraten. quæ alias insignis existit, & ferre in medio dictæ Prouinciæ, ac in Territorio fœcundo & amœno sita reperitur, solitaque Sedes Legatorum existit, celebrique Gymnasio, duplici Collegio clara, insignium insuper Doctorum copiosa, qui experientia, scientia, & ordine dicendi, interpretandi, aduocandi, patrocinandi eorum particulari studio præcellant.

Erectio Tribunalis Rotæ in Ciuitate Maceraten. ad cognitionem causarum Prouinciæ Marchiæ.

§. 1. Hanc igitur cogitationem nostram ad effectum perducere statuentes, Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione & certa scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, in dicta Ciuitate Maceraten. vnũ Tribunal Audientiæ causarum Rotam nuncupandum, perpetuis futuris temporibus duraturum, quod constare debeat quinque Iudicibus, Auditoribus nuncupandis; Quatuor videlicet per nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem, & alio per Communitatem & homines dictæ Ciuitatis Maceraten. eligendis, & deputandis, qui omnes & singulas Anconitan. Firman. Camerinen. Asculan. Fanen. Æsin. Maceraten. & Montis Alti, earumque iurisdictionum, ceterarumque & aliarum dictæ Prouinciæ Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, Castrorum, Villarum, & locorum quorumcumque dictæ Prouinciæ immediatè subiectorum causas, lites & controuersias ciuiles, tam profanas quam Ecclesiasticas, ac meras & mixtas, quomodolibet actitandas, necnon etiam criminales (in quibus appellationi locus fuerit) inter ciues, incolas, districtuales, habitatores, Ecclesiasticos, & Sacerdotes, ac Collegia tam regularium quàm non regularium, ac Monasteria virorum, agricolas quoque, & alios subiectos sub dicta Prouincia cognoscere, decidere, finemque debito terminare, ac iudicare possint & debeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo erigimus, & instituimus.

Auditores quinque vt infra I.V.D. ab aliquo collegio Iuris vtr. & per quinquennium vt infra ex aliquo pretacto Gymnasio legentur.

§. 2. Vt autem Tribunal huiusmodi constitutionibus & ordinationibus firmiter obseruandis fulciatur, per quas feliciter regi, & gubernari debeat, statuimus, mandamus & ordinamus quod dicti Auditores debeant esse Iuris vtriusque Doctores excellentes, ac insignes, vsu, & peritia iudicandi præstantes, Clerici, & non vxorati, & & qui in eadem Ciuitate Maceraten. saltem per integri anni spatium, cum eorum familijs non habitauerint, necnon ab alio Collegio Doctorum rite, præuio examine seuero, ad Doctoratus lauream promoti fuerint, & per quinquennium, aut in aliquo publico Gymnasio legerint, aut in locis insignibus iudicandi officio functi fuerint, ac laudabiliter, & cum honore se gesserint.

Officium durat quinquennio.

§. 3. Duret eorum officium ad quinquennium, quo elapso non possint iterum eligi, nisi post quinquennium à die finiti officij. Præterea volumus quod dicti Auditores ipsorum officio durante, in eadem Ciuitate Maceraten. seu tota huiusmodi Prouincia, aliquod aliud officium, siue publicum siue particulare nequeant exercere.

Iurent ista & alia Prouincia statuta seruare, & iustitiã omnibus ministrare.

§. 4. Et postquam electi fuerint, in principio seu ante ingressum eorum officij, in manibus pro tempore existentium Legati siue Vicelegati dicti Prouinciæ, vel Gubernatoris eiusdem Ciuitatis Maceraten. assistentibus in hoc Prioribus ipsius Ciuitatis, iureiurando promittant, se non contrauenturos præsentibus statutis, ac Ciuitatum, Terrarum, & aliorum locorum necnon prouisionibus, & constitutionibus dictæ Prouinciæ Marchiæ, sed illa (quatenus dicta Apostolica auctoritate comprobata, licita, honesta & in vsu existant, ac sacris Canonibus, & præsertim Concilij Tridentini decretis atque Apostolicis constitutionibus contraria non sint) inuiolabiliter obseruaturos, iustitiamque partibus administraturos, sub pœnis in statutis, & prouisionibus dictæ Prouinciæ expressis, ac in Syndicatu infligendis.

Potestas vnus ex quinque Auditoribus anno quolibet & ad annum sorte extrahatur, qui causas aliis Auditoribus distribuat, &c.

§. 5. Insuper ex eisdem quinque Auditoribus, quolibet anno, & in principio anni, sorte extrahantur vnus, qui sit Potestas eiusdem Ciuitatis Maceraten. & Rotæ Prætor, cum iurisdictione & terminationibus, ac oneribus & honoribus, salariis, & emolumentis, de quibus infra. Duret autem huiusmodi Potestatis & prætoris officium per annum, & eo elapso, alius ex reliquis Auditoribus sorte extrahendus in eius locum succedat. Et nihilominus dicto anno elapso Auditor remaneat. Idemque Prætor teneatur quandocumque coram Notario Rotali, & duobus testibus ad instantiam petentis etiam parte non citata, sorte extrahere singulos Auditores ad singulas causas sorte educendas, & causæ priùs extrahantur, & deinde Auditores, dictaque extractio intelligatur facta saluis exceptionibus partis, & citra illarum præiudicium. Solus vero Prætor sit Iudex in causis pupillorum, viduarum, carceratorum, & miserabilium personarum, etiamsi qualitates ipsorum non essent intentatæ, vel si non esset petitum secundum illa procedi, dummodo dictæ causæ sint valoris vel æstimationis centum scutis infra, & si dictum valorem excedant, adhibeatur in decisione illarum votum Auditorum, & in causa appellationis alius sorte extrahatur, Sitque dictus Prætor Iudex vectigalium, & damnorum datorum, adaptationis stratarum dictæ Prouinciæ.

Auditores causas Ciuitatis & Territorij Maceraten. in secunda & aliis instantiis, Prouincia autem causas non executiuas, & summam scut. centum non excedentes, in prima & secunda instantia nisi obstent locorum priuilegia ac etiã in aliis instantiis non obstantibus dictis priuilegijs cognoscant. Tu vide declarationes indicatas in rub.

§. 6. Statuimus etiam quod Auditores prædicti cognoscere debeant omnes & quascumque causas cuiuscumque qualitatis, & summæ fuerint, Ciuitatis, ac Territorij, seu iurisdictione Maceraten. in secunda & aliis instantiis non autem in prima, quæ coram suis Iudicibus remaneant, prout hactenus obseruatum fuit, nec quoad causas Ecclesiasticas, ac ad forum Ecclesiasticum quomodolibet spectantes, quæ in prima instantia ad Episcopum Maceraten. iuxta dicti Concilij decreta pertineant. In secunda vero, & aliis instantiis ad ipsos Auditores spectent. Totius vero Prouinciæ causæ omnes etiam Ecclesiasticæ & ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, (dummodo non executiue agatur in præiudicio facultatum Auditoris Cameræ Apostolicæ) summam, & æstimationem rei vel facti scutorum centum excedentes, post primam instantiam, quæ apud suos Iudices pariter remaneat, in secunda & aliis instantiis cognosci debeant à supradictis Autoribus, cum expressa tamen declaratione, quod propterea non sit nec censeatur esse derogatum, seu præiudicatum priuilegiis seu indultis Apostolicis illarum Ciuitatum & locorum, quibus concessum est quod causæ in secunda instantia cognoscantur

&

Digitized by Google

& decidantur ab illorum Iudicibus seu Præsidibus, nec ad alia loca trahi possint. Volumus enim quod tunc quoad secunda instantiam sit in potestate, & voluntate appellantium prosequi dictas causas appellationum iuxta dicta indulta coram dictis Iudicibus, vel coram dicta Rota. In vlterioribus vero instantijs coram dicta Rota priuatiue quoad alios Iudices, cognosci debeant, non obstantibus quoad prædicta debitis priuilegijs & indultis Apostolicis, quauis occasione competentibus Vniuersitatibus, & iurisdictionibus dictæ Prouinciæ Marchiæ, hactenus concessis, & à nobis confirmatis de primis, & secundis instãtijs, quibus per præsentem Rotæ erectionem censeatur quoad prædicta derogatum acsi de verbo ad verbum de illis particularis mentio facta fuisset ad effectum deuoluendi tantum causas appellationis ad ipsam Rotam & non aliunde.

Vota in causis secunda.

§. 7. Habeant dicti Auditores iurisdictionem & potestatem procedendi, cognoscendi & decidendi dictas causas, ac in illis vota, prout iuris esse videbitur præstandi, excepto eo, coram quo pendebit causa, qui in causis per ipsum proponendis votum non habeat nisi vota essent æqualiter diuisa, quo casu debeat vni parti accedere, & sic semper obtinet illud quod maior pars iudicauerit.

Sententiæ proferendæ.

§. 8. Sententiæ autem proferri debeant ab illo Auditore, coram quo processus formatus fuerit, in quibus proferendis illud obseruetur, quod illæ sententiæ, quæ de consilio, & assensu Coauditorum datæ fuerint, legantur & alta & intelligibili voce proferri, vt mox Notario causæ subscriptæ ab illo qui eas protulerit tradi debeant, alias sint ipso iure nullæ, ita tamen quod Iudices Rotales prædicti in quauis causa, etiam à Sede Apostolica delegata aliquam definitiuam sententiam non proferant absque eius lectura & publicatione, & sententia aliter lata etiam de consensu partium non valeat nec iure subsistat, aut aliquo modo executioni demandari possit.

Apellationes, &c. interponenda à iudicibus Prouinciæ & ab ipsis Auditoribus ad Rotam saluis locorum priuilegijs deuoluantur.

§. 9. Apellationes quoque & querelæ, & recursus, nullitates, in integrum restitutiones, in prædictis causis etiam tempore publicationis præsentium nostrarum literarum quomodolibet pendentes, ab ipsis Auditoribus, seu ab aliis quibuscumque Iudicibus dictæ Prouinciæ, Marchiæ, necnon etiam à prædictarum Ciuitatum Episcopis, eorumque Vicariis, seu Locatenentibus, ac etiam ab arbitris, seu arbitratoribus coniunctim vel diuisim interponendæ, porrigendæ, petendæ, ac respectiue, quomodolibet proponendæ, (priuilegiis tamen, seu indultis prædictis, vt præfertur semper saluis) ad quemcumque interponendæ, ad eosdem Auditores omnes deuoluantur, ac ipso iure deuolutæ esse intelligantur & cognoscantur, ac etiam si ad nos & successores nostros Rom. Pontifices interpositæ fuerint; nihilominus per eosdem Auditores Rotæ cognosci & decidi debeant per Iudicem extrahendum secundum ordinem præsentium nec aliter, aut alio modo, & fiant processus coram vno ex eis sorte extrahendo, excepto eo, coram quo fuit formatus in prima instantia, qui licet votum habere debeat in secunda & vlteriori instantiis, tamen coram eo processus formari non possint.

Auditor causa appellat quando det votum. In causis inf. summam scut. centum, Auditor solus iudicat, & semel appellatur.

§. 10. Et similiter Iudex extractus in secunda & vlteriori instantiis, votum non habeat in causa, nisi in casu de quo supra.

§. 11. In causis vero summam vel valorem scutorum centum non excedentibus, quilibet Auditor solus possit causam cognoscere, & iudicare, cum distributione causarum per dictum Prætorem pro tempore existentem sorte facienda. Et in prædictis causis liceat semel tantum appellare, & causa appellationis, etiam quoad nos & Romanos Pontifices deuoluatur, tamen cognosci & & decidi possit per ipsam Rotam, & per alterum ex prædictis Auditoribus similiter sorte extrahendum.

Duæ sententiæ faciãt rem iudicatam.

§. 12. Quæ duæ sententiæ si erunt conformes transeant illico vt præfertur, in rem iudicatam, & rei iudicatæ vim habeant, & vlterius appellare, etiam ad summum Pontificem non liceat. Si vero prædictæ duæ sententiæ erunt difformes, & contingat appellare, etiam ad summum Pontificem, appellatio nihilominus cognosci & terminati queat per aliquem ex tribus aliis Auditoribus, qui non iudicarunt, ordine tamen de quo supra, nec liceat vlterius ad summum Pontificem appellare.

In causis à centum infra sũmarie & à 50. infrà summarissimè procedatur & hu appellari non licear.

§. 13. A summa vero aut valore scutorum centum infra vsque ad summam scutorum quinquaginta, summarie, simpliciter & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta quotidie (messibus, & vindemijs, ac alijs temporibus feriatis, & Deo dicatis tamen exceptis) per Auditores prædictos, & in eorum domibus sine extractione, & Coauditorum interuentu procedatur, terminatione illarum in Palatio ad eorum Tribunalia respectiue sine Coauditorum votis facienda, & semel tantum appellatio, recursus, aut querela admittatur. Causas insuper ciuiles cuiuslibet quantitatis siue valoris scutorum quinquaginta infra summarissime, breui manu singulis dietus & horis, præterquam in honorem Dei feriatis, & sine terminorum obseruatione & per breues dilationes ad summum duas, & etiam si negocium patietur sine scriptis, quilibet ex Auditoribus Rotæ, etiam sine extractione aditus audiat, cognoscat, & terminet, ac ab eorum terminationibus semel tantum, ad Prætorem dumtaxat appelletur, in casibus alias non prohibitis appellari ex forma statutorum, siue constitutionum dictæ Prouinciæ.

Causæ non appellabiles quomodo cognoscantur.

§. 14. Attamen omnes causæ, in quibus de iure appellatio non debet admitti per omnes Iudices supradictos coniunctim cognoscantur, & terminentur, ita tamen quod coram vno eorumdem sorte extrahendo procedi possit, qui votum, vt supra dictum est, nullatenus habeat, & si inter partes fuerit discordia super natura & qualitate ipsius causæ, videlicet vtrum appellatio de iure veniat admittenda, necne, prædicti Iudices ante omnia super hoc pronuncient, & ab illorum pronunciatione tunc non detur appellatio.

Exceptiones omnes in finã litis reseruatæ censeantur.

§. 15. Omnes exceptiones iuxta formam constitutionis Prouinciæ Marchiæ, reseruentur in fine litis, & pro reseruatis habeantur, etiam præsentis constitutionis vigore absque aliqua Iudicis pronunciatione.

Nullitates stent cum appellatione.

§. 16. Nullitates etiam quæcumque processuum siue principaliter siue incidenter proponendæ, vna cum appellatione proponantur. Et nihilominus etiam si propositæ non fuerint, pro propositis intelligantur, & de illis æqualiter cognosci debeat iuxta constitutiones dictæ prouinciæ.

Sed Clẽ. VIII. tres tantum iussit attendi vt inf. eius constit. 18.

§. 17. In causis mercedum quarumcumque, ac cibi, & potus, singuli Auditores procedendi potestatem habeant, & illas manu Regia, prout posset Legatus Apostolicus à Latere, terminent, & decidant, ac executioni demandent.

In quibus causis manu Regia procedatur.

§. 18. Causæ ad puncta reducantur, & iuxta stylum & morem Romanæ Curiæ examinentur ac decidantur.

Causæ examinentur iuxtà stylum Rom. Curiæ.

§. 19. Vt autem vota præstanda per supradictos Auditores facilius præseruentur, & omnibus pateant, Notarius ipse Rotæ, de eis rogari debeat.

Vota cogentur à Notario Rotæ.

§. 20. Decisiones autem Rotales non publicentur nisi per manus Notarij causæ, à quo diligentissime custoditi debeant, vt perpetuis futuris temporibus pro faciliori litium expeditione inueniantur.

Decisiones publicentur per Notarium causæ.

§. 21. Tam autem Prætor quam Auditores, teneantur in causis coram eis vertentibus, præsertim summam & valorem scutorum centum excedentibus, aut in quibus aliquid fieri petitur sine certa expressione quantitatis aut vbi probabiles difficultates adesse apparebit, rationes & causas, ac motiua, seu iura & allegationes in decisionibus describere, ac partibus ad effectum vt super eis ab Aduocatis consultari possit tradere teneantur, sub pœnis arbitrio Syndicatorum imponendis ipsis.

Prætor, & Auditores rationes in decisionibus describant.

Auditoribus adiunctus extra Rotã dari non possit.

§. 22. Auditoribus in causis coram ipsis vertentibus, non possit dari adiunctus qui non sit de Rota, & sic aliquo casu non possint Auditores prædicti cum aliquo adiuncto extra Rotam & qualibet ratione vel causa iudicare, alias sententia quoad impetrantem adiunctum, vel vtentem tali rescripto sit ipso iure nulla, ac de tali nullitate semper & quandocumque opponi possit, non obstante quocumque & longissimi temporis interuallo, & nihilominus Auditores in syndicatu teneantur.

Digitized by Google

Sequestra associationis, &c. quæ decerni possint.

§. 23. Præterea quilibet ex Auditoribus, protestationes quascumque & sequestra, (de iure tamen ex forma Constitutionum seu statutorum permissa) cum clausula associationis, quaslibet etiam immissiones, absque alia extractione de eis facienda committere possint dummodo prædicta à causis, coram aliquo extracto indecisis pendentibus non dependeant & in talibus causis à protestationibus, sequestrationibus & associationibus inchoandis, si vlteriori processu egeant, fieri debeat extractio Iudicis, & coram eo tunc extrahendo procedatur.

Iudicium super absolutione à iuramẽtis non impediat processum in Rota data cautione de qua hic.

§. 24. Decernimus etiam quod pendentia iudicij super absolutionibus à iuramento, in obligationibus appositis vsuraria prauitate, fictione, & simulatione, ac dolo coram Iudice Ecclesiastico, non impediat processum inchoatum vel inchoandum à Rota super executione instrumenti, nec executionem ipsam, præstita tamen per exequi volentem cautione idonea iuxta formam literarum Apost. sel. rec. Iulij Papæ II. prædecessoris nostri, quarum literarum vis, & effectus ad alios casus præmissos, & similes extendatur.

Auditor vltimo pronunciatus expensas taxet, & rem iudicatam in Rota & extra exequi possit

§. 25. Auditor etiam qui vltimam sententiam tulerit, expensas non taxatas taxarum, & sententias definitiuas, & interlocutorias vim rei iudicatæ sortitas, in Rota vel extra ipsam per quemcumque etiam superiorem Iudicem latas exequi possit, & debeat. Et istud etiam seruetur in euentum quod aliquis ex Auditoribus prædictis, propter aliquod impedimentum, aut finitum officium deficeret per successorem in locum prædictum, vt supra vacantem.

Decreta voluntaria iurisdictionis Auditor sicut Prator interponat.

§. 26. Decreta voluntariæ iurisdictionis interponendi in Palatio, & extra Palatium, si dictis Auditoribus videbitur, & prout fuerint requisiti, ac dandi, & decernendi Tutores, & Curatores minoribus, singuli Auditores, sicut prætor, potestatem habeant.

Auditores quãdo insimul cõuenire, sedere & ius reddere debeant.

§. 27. Auditores etiam prædicti, singulis diebus conuenire debeant, etiamsi non sedeatur, semel in die pro commoditate litigantium, iis vero diebus quibus sedere debeant & ius reddere, statim post pulsum Campanæ Rote audiant principales, & Pronotarios causarum, & hora post pulsum dictæ Campanæ statim dicti Auditores sedere debeant per horam cum dimidia ad minus. Ad hoc iidem Auditores ius reddant in aula assignanda alternis diebus, videlicet Lunæ, & Mercurij, & Veneris, & si non potuerint prædictis diebus iam ordinatis, sedeãt reliquis diebus, & si essent duo vel tres successiue continui sessorij dies, aut in principio, aut in fine hebdomadæ exceptis diebus feriatis, & diebus Sabbati.

Audicores, & Prator post litem motam & in causis coram eis pendem arbitri nomine eligi non possit.

§. 28. Præterea non possit quoquomodo in Prætorem seu Auditores prædictos, vel aliquem ex eis sub eorum nomine proprio compromitti, vel remitti in causis coram eis pendentibus vel lite mota, quod tamen liceat quando lis non est adhuc iudicialiter cœpta, & si acciderit quod causæ huiusmodi sic vt supra compromissæ, per laudum siue sententiam à prædictis Auditoribus terminari non possint, tunc ille seu illi Auditores qui fuerunt arbitri in tali causa electi aliquo modo interuenire, seu consensum, aut votum præstare non debeant, sed solum alij qui non fuerunt arbitri causam prædictam cognoscere possunt, & iudicare, excepto semper voto illius coram quo formantur processus.

Aduocare etiam & consulere nequeant.

§. 29. Et vt fraudibus occurratur, non possint Auditores prædicti aduocare in Ciuitate Maceraten. aut consulere, aut consiliis aliorum se subscribere in aliqua causa ciuili, Ecclesiastica, vel criminali, aut cuiuscumque generis, quæ directe vel indirecte concernat, vel concernere possit interesse alicuius districtualis, & prouincialis, seu Vniuersitatis, vel Collegij dictæ Prouinciæ Marchiæ, alias si mutatis nominibus, vel quomodocumque fuerit huic capitulo contrauentum, contraueniens statim amittat officium, & teneatur ad alias pœnas arbitrio Syndicatorum.

Sententias non confecto regestro ferre non valeant.

§. 30. In causis etiam in dicta Rota vertentibus, nulla sententia ferri possit, nisi prius confecto regestro.

Inhibitiones etiam à Rom. Curia emanat post conclusam in causa reiicere possint.

§. 31. Iidem autem Auditores, causas coram eis introductas expedire valeant prout de iure, & quascumque inhibitiones post conclusum in causa ei præsentatas, à quocumque, etiam à Romana Curia emanatas reiicere possint, & admittere non teneantur.

In causa impedimenti Auditorum coram Auditoribus subrogatis, procedatur.

§. 32. Et, si contigerit obitus, vel absentia, aut infirmitas, vel aliud iustum impedimentum Prætoris, aut alicuius ex Auditoribus per octo dies continuos vel pauciores, causæ coram impedito, vel absente vertentes, stent in suspenso toto tempore octo dierum, & illis elapsis vlterius procedatur coram subrogatis, dummodo acta scribantur per Notarios deputatos dicti Iudicis infirmi, vel absentis, aut alias impediti. Et si vnus ex Collegio absens, vel impeditus fuerit vt supra, coram aliis præsentibus causæ agitari possint, & Rota ipsa à tribus repræsentetur.

Causæ Auditoribus iuxta gradum doctoratus subrogandis, commissa censeantur.

§. 33. Causæ omnes tam ordinariæ quam Commissariæ etiam à Sede Apostolica ad referendum delegatæ, quæ tempore renouationis Rotæ pendebant indecisæ, intelligantur nouis Auditoribus commissæ, qui in idem Tribunal, & sessionem iuxta ordinem, & prioritatem Doctoratus successerint.

Auditores, & Prator sine licentia legati, aut Gubernatoris abesse nequant.

§. 34. Non licebit autem ipsis Præfori, & Auditoribus, abesse extra Ciuitatem Maceraten. & districtum dictæ Prouinciæ Marchiæ, nisi cum licentia Legati, Vicelegati seu Gubernatoris legitime obtenta, excepto tempore feriarum propter necessitates hominum introductarum, quo tempore abesse possint per mensem, obtenta tamen prius saltem verbo licentia à prædicto Gubernatore seu Vicelegato. Ita tamen quod ipsorum Auditorum tempore prædictarum feriarum, tres computato Prætore in Ciuitate Maceraten. continue resideant, quæ tamen licentia detur iusta præcedente causa.

Syndicarique anno quolibet & in fine officij debeant.

§. 35. Præterea Prætor & alij quatuor Auditores stare debeant in syndicatu quolibet anno cum retentione salarij infra dicendi, vel debeant præstare cautiones de iudicio sisti, & iudicatum soluendo in forma depositi in causa syndicatus, qui syndicatus fieri debeat Kalendis Iulij cuiuslibet anni, & successiue prosequi, nec aliquo modo, vel causa prætermittatur. Et quoniam multi forsan non auderent querelare, cognoscentes finitum non esse eorum officium, præcludatur via, læsis, in fine quinquennij debeant stare syndicatui de omnibus causis, tã Ordinariis & Commissariis, quàm à Sede Apostolica delegatis, ac de omnibus gestis per eos, & eorum quemlibet respectiue toto tempore eorum officij exceptis iis de quibus querelatum, & iudicatum fuisset in aliis syndicatibus præcedentibus eorum officij.

Syndicatoresque eligantur vt hic.

§. 36. Syndici autem eligantur per Consilium Credentiæ, & Gubernatorem seu Vicelegatum dictæ Ciuitatis Maceraten. qui in numero sint duo Doctores, de Consilio Credentiæ, duo causidici, addantur duo mercatores pro maiori & faciliori decisione causarum mercantilium siquæ erunt. Et contra tales syndicos sic electos nulla exceptio neque etiam incompetentiæ opponi possit.

Condemnati in Syndicatu pœnas his expressis incurrant.

§. 37. Et siquis de Auditorum numero fuerit condemnatus doli, fraudis, vel circumuentionis, aut imposituræ seu barataríæ, sit priuatus officio suo teneaturque de damno partis læsæ, & puniatur secundum formam constitutionum dictæ Prouinciæ.

Syndicandi contra Syndicos suspicionis causas proponere & iustificare debeant.

§. 38. Et ad tollendam omnem dubitationem, Auditores prædicti infra proximum diem à die extractionis siue electionis Syndicorum, & intimationis nominum eorumdem, debeant proponere, allegare, & dicere coram Prioribus, & Legato, siue illius Gubernatore prædictis, omnes causas suspicionis quas singulariter vel cõiunctim habuerint, contra aliquam ex prædictis Syndicis, vt supra eligendis, quas ipsi iustificare debeant infra sex dies tunc proxime futuros, & prædicti Priores, vna cum Legato siue Gubernatore d. Ciuitatis Maceraten. eas admittere vel reiicere, aut alias super illis prouidere, prout iuri, æquitati, & honestati magis conuenire videbitur, quibus sex diebus durantibus, omnia dicti Syndicatus stent in suspenso, in reliquis autem in Syndicatu prædicto termini, & alia substantialia, iuxta constitutiones dictæ Prouinciæ obseruentur.

Prator salarium hic præfinitum percipiat.

§. 39. Vt autem habeant dicti Auditores ac Prætor vnde sustentari possint, ordinamus quod ipse Prætor qui pro tempore fuerit, pro suo salario habeat scuta triginta monetæ Marchiæ quolibet mense, & insuper omnes redditus, prouentus, emolumenta, regalia, & prouisiones quæ iuxta statuta dictæ Ciuitatis, vel ex approbata consuetu

Digitized by Google

consuetudine Prætoribus dictæ Ciuitatis hactenus præstari consueuerunt, necnon quartam partem pœnarum maleficiorum seu prouentuum ex maleficiis, vel quasi, prouenientium Cameræ dictæ Ciuitatis Maceraten. realiter & cum effectu incorporandorum, iuxta statuta, & reformationes dictæ Ciuitatis Maceraten. ac concessionem super eisdem maleficiis per piæ mem. Pium Papam Quintum etiam prædecessorem nostrum emanatam, provt hactenus obseruatum fuit.

Auditores salarii hic designatum habeant.

§.40. Alij vero singuli Auditores habeant pro eorum salario quolibet mense pariter scuta triginta dictæ monetæ, & in causis Commissariis Apostolicis habeant sportulas iuxta formam constitutionum prouinciæ prædictæ. In aliis vero causis, pro sportulis solui debeat vnum scutum auri pro quolibet centenario æstimationis causæ tractandæ in sorte principali vsque ad summam mille scutorum, quod si æstimatio excesserit dictam summam in quacumque quantitate, nihilominus non amplius decem scutis iuxta modum infrascriptum distribuendis persolui debeat pro minori litigantium dispendio. Et si contingat aliquem ex Auditoribus, pro inspectione & visione loci, vt facilius, & celerius possit causas decidere, illuc se conferre, si in Territorio Ciuitatis Maceraten. fuerit, habeat equum pro se & famulo, & dimidium scuti auri, sin vero extra, ita quod eadem die redire non possit, habeat expensas victus pro se & famulo, ac equis, ac scutum vnum auri pro quolibet die.

Salaria prædicta pro tempore solū quo quis officium exercuerit petere possit.

§.41. Et ad tollendum omne dubium, salarium siue publicum stipendium prædictum, ipsi Auditores percipere debeant pro eo dumtaxat tempore, quo officium suum huiusmodi exercuerint, ita quod adueniente casu vel mortis, vel cessionis, discessus alicuius ipsorum Auditorum, nec ipse, nec eius hæredes prætendere, nec petere possint huiusmodi salarium, nisi pro tempore quo officium exercuerint, nisi aliquid forte deberetur pro residuo.

Pauperum Aduocati & Procuratores quolibet semestri à Prætore eligantur, & gratis pro pauperibus seruiant & officium recusantes aut negligēter exercentes puniātur.

§.42. Quo vero ad ea quæ Notarij, & Baiulorum, siue Cursorum, siue sigilli mercedem, laborem, incommodum, & maximas expensas, & detrimentum respiciunt, obseruetur taxa iam concessa S.R.E. Camerario. Alterius Prætor qui pro tempore erit, facere debeat imbursationem omnium nominum Causidicorum, & Aduocatorum publice exercentium in Ciuitate Maceraten. officium Procuratoris, & Aduocati, & duas bursas retinere, in quibus erunt breuia nominum prædictorum stareque debeant penes dictum Prætorem, qui quolibet semestre, & in principio semestris coram duobus testibus, & suo Notario sorte extrahat duo ex nominibus imbursatis, quorum nomini sorte extrahantur pro semestre immediate tunc sequuturo, qui sint, & appellari debeant Aduocatus, & Procurator pauperum respectiue, & teneantur singulis diebus requisiti coram quibuscumque Iudicibus gratis & amore Dei pro pauperibus, & miserabilibus intercedere, & postulare, nec possint aliquid percipere, vel acceptare, per se vel alium seu alios etiam à sponte dare volentibus nisi fuerint esculenta, & poculenta, quæ triduo consumi possint, & siquis extractus pauperum Procuratorum absque causa legitima recusauerit, vel se negligenter gesserit, impictatis nota afficiatur, & extraordinarie arbitrio pro tempore existentis Legati siue Gubernatoris, aut Præteris Rotæ puniatur.

Causa solum per rescripta propria manu Papæ signata aut de cōsensu partium auocari possint.

§.43. Postremo mandamus, quod causæ semel in dicta Rota introductæ, quouis modo nisi per nos & eosdem successores nostros Rom. Pont. pro tempore existentes ac in vim commissionis per nos & eosdem successores nostros, nostra vel eorum propria manu, seu de mandato, vel in præsentia signatæ, nisi de vtriusque partis consensu auocari nequeant. Nec Prætor, vel Auditores prædicti inhibitionibus seu mandatis, eis vigore commissionum aliter quam vt præfertur signaturum præsentatis, etiam vigore cuiuscumque sententiæ, ac sub censuris, & pœnis etiam pecuniariis parere teneatur, & ob non paritionem inhibitionibus, & aliis prædictis aliquam pœnam minime incurrat.

Priuilegia Auditorum Rotæ Bonon. Auditoribus huius Rotæ concedantur.

§. 44. Eisdem quoque pro tempore existentibus Rotæ huiusmodi Auditoribus ac Prætori, vt omnibus & singulis priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indultis, concessionibus & gratiis, etiam circa auctoritatem iudicandi, votandi, sententiandi, sequestra & mandata decernendi, reponendi, restituendi, Apostolos concedendi, relaxandi, inhibendi, citandi etiam sub censuris declarandi, aggrauandi, reaggrauandi, auxiliumque brachij sæcularis inuocandi, omnibusque aliis & singulis facultatibus, & auctoritatibus quibus similes Rotæ Bononien. Auditores vtuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent (præterquam in his quæ præsentibus, aut aliis nostris literis aliter disposita reperiantur) pariformiter vti, frui potiri & gaudere omni tempore valeant concedimus, & indulgemus.

Exemptio quā ab omnibus datiis, &c.

§. 45. Et vlterius, vt pro tempore existentes Prætor, & Auditores, eorum officio durante à quibusuis gabellis, & datiis tam impositis quam nouiter, & in futurum quauis de causa imponendis, liberi, immunes, & exempti esse debeant pariter concedimus & indulgemus.

Ordinationes ista corrigi & mutari possint vt hic.

§.46. Præterea Congregatione Collegionem Doctorem Curialium d. Prouinciæ, & ipsius Ciuitatis Maceraten. & cum interuentu moderni, ac pro tempore existentis eiusdem Ciuitatis Maceraten. Gubernatoris seu Prouinciæ prædictæ Legati, seu Vicelegati, necnon priorum dictæ Ciuitatis Maceraten. quandocumque pro personarum, temporum, & locorum qualitate expedire melius videbitur, supradicta statuta, constitutiones, & ordinationes mutare, reuocare, & alterare, ac alia de nouo (licita tamen, & honesta, ac sacris Canonibus, necnon dicti Concilij decretis minime contraria, per nos tamen, & successores nostros confirmanda) illorum loco facere, statuere, & ordinare possint, & valeant, licentiam & facultatem concedimus, & impartimur.

Locus post Locumtenētes Legati aut Gubernatoris, eisdē Auditoribus conceditur.

§.47. Ac vt omnis dubitationis, & dissensionis occasio inter dictos Auditores, & alios quoad præcedentias, & publicæ sessionis, vel incedendi loca adimatur, habeant dicti Auditores tam incedendo, quam sedendo, immediatum locum post Locatenentes Legati seu Vicelegati, aut Gubernatoris, dictæ Prouinciæ, & Ciuitatis Maceraten.

Sportularum massa modo hic expresso fieri debeat.

§. 48. Demum pro commodiori exactionis sportularum causarum ordinariarum huiusmodi commoditate, vnum Depositarium in eadem Ciuitate Maceraten. ad arbitrium dicti Gubernatoris seu Legati, vel Vicelegati eligendum, qui sportulas provt supra exigere, & conseruare debeat, ad hoc vt ex illis vna massa communis constituatur, cuius medietas in solutionem stipendiorum Prætoris, & Auditorum conuertatur vltra supradictum stipendium desuper constitutum scutorum triginta pro quolibet Auditore, & altera medietas Communitati, & hominibus d. Ciuitatis Mater. cedat, videlicet pro expensis domus Rotalis, & eorum Auditorum constituimus & deputamus.

Protectorii Rotæ deputatio.

§.49. Ceterum dilectum filium nostrum Henricum tit. S. Pudentianæ Presbyterum Cardinalem Cæëtanum nuncupatum modernum, & pro tempore existentem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium in dictæ Rotæ, & eius Auditorum, earumque iurium & priuilegiorum ac indultorum quorumcumque Protectorem, cum omnimoda facultate & auctoritate omnia & singula quæ ad Prætoris officium quomodolibet de iure vel consuetudine spectant & pertinent, & quæ alij similes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales protectores facere & exercere possunt & consueuerunt, faciendi, dicendi, & exercendi dicta auctoritate perpetuo etiam constituimus, & deputamus.

Clausula præseruatiua huius erectionis Rotæ.

§.50. Decernentes præsentes literas ex quacumque causa nullo vmquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, siue eas infringi, inualidari, seu reuocari posse, sed illas semper & perpetuo validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, necnon inuiolabiliter perpetuo obseruare.

Decretum irritans.

§.51. Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios etiam eiusdem Palatij nostri Apostolici causarum Auditores & eiusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos seu Vicelegatos, aut Cameræ

Digitized by Google

Apoſtolicæ Præſidentes & Clericos, vel quoſuis alios, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique locorum iudicari, definiri & interpretari debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Officiales Status Eccleſiaſtici mandata dicta Rotæ exequi faciant.

§. 52. Ac mandantes omnibus & ſingulis totius Status Eccleſiaſtici prædicti Gubernatoribus, Poteſtatibus & eorum Locatenentibus, Legatis, Vicelegatis, necnon venerabilibus fratribus noſtris, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis eorum Vicariis in ſpiritualibus generalibus, & quoties ſuper hoc fuerint requiſiti, ſententias, decreta, ſtatuta, ſequeſtra, mandata, exequutoriales literas, remiſſoriales, citationes & alia à dicta Rota, & eius Auditoribus emananda pro tempore, omnibus opportunis remediis exequutioni demandari faciant realiter, & cum effectu provt opus fuerit, & eis commiſſum extiterit.

Clauſula derogatoria.

§. 53. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac etiam dictæ Prouinciæ, & huiuſmodi Ciuitatum, Oppidorum, Terrarum, Caſtrorum, Villarum, & locorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, legibus etiam municipalibus, vſibus, & naturis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam eiſdem Prouinciæ Ciuitatibus, Oppidis, Terris, Caſtris, Villis & locis, eorumque Communitatibus, Vniuerſitatibus, iuriſdictionibus, Gubernatoribus, Poteſtatibus, Officialibus & incolis, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis, in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, confirmatis & innouatis, quibus omnibus etiam ſi de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica & expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio ad hoc ſeruanda foret, eorum omnium & ſingulorum tenores, acſi de verbo ad verbum exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe, motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine paribus derogamus & derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo, &c.

D. P. A. 4 die 15. Martij. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1588. Idibus Martij, Pontificatus noſtri Anno 4.

Admiſſio & regiſtratio in Camera Apoſtolica. *Die 21. Aprilis 1589. Præſentes litera Apoſtolica in plena Camera præſentata fuerunt, & die 28. eiuſdem, Camera ipſa referente Reuerend. D. Bartholomæo Caſio dicta Camera Clerico, & Iudice ad hoc ab ipſa Camera ſpecialiter deputato, citato prius R. P. D. dicta Camera Generali Commiſſario, illas admiſit, & regiſtrari mandauit, provt ſucceſſiue regiſtrata fuerunt in eiuſdem Camera libris ſcilicet lib. 3. ſignaturarum S. D. N. apud me infraſcriptum dicta Camera Notarium.*

Tydeus de Marchis.

Sequitur tenor Conſtitutionis circa erectionem & conceſſionem Notariatuum, & Curſoratuum Rotæ.

Edita An. D. 1589. *SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. IN ſuprema Iuſtitiæ Sede, & poteſtatis plenitudine à Domino conſtituti, ad ea libenter intendimus, per quæ acta cauſarum quarumlibet à perſonis idoneis in omnibus Tribunalibus, & præſertim à nobis erectis, & inſtitutis, fideliter & diligenter cum litigantium commodo adnotentur.

Commendat ea præced. conſt. §. 1. Cum itaque nos nuper ex certis rationabilibus cauſis in Ciuitate noſtra Maceraten. vnum Tribunal Audientiæ cauſarum Rotam nuncupatum, perpetuis futuris temporibus duraturum, quinque Iudicum Iuris vtriuſque Doctorum, excellentia, vſuque & peritia iudicandi præſtantium, qui omnes, & ſingulas totius Prouinciæ Marchiæ, ac ſub illa comprehenſorum, illique immediate ſubiectorum Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, Caſtrorum & locorum, illorumque habitatorum & incolarum cauſas & lites, ac controuerſias ciuiles, tam prophanas quam Eccleſiaſticas, ac meras & mixtas, quomodolibet actitandas, necnon etiam criminales in quibus appellationi locus foret, inter ciues, incolas, diſtrictuales, Clericos & Sacerdotes, ac Collegia tam ſæcularium quam regularium, necnon Monaſteria virorum, agricolas quoque, & alios ſubditos ſub dicta Prouincia, tam in prima diœceſi & iuriſdictione Maceraten. quam in ſecunda, & vlterioribus inſtantiis, in cauſis appellationum totius Prouinciæ huiuſmodi, cognoſcere, decidere, fineque debito terminare, ac iudicare poſſent & deberent, Apoſtolica auctoritate, Motu proprio perpetuo erexerimus, & inſtituerimus, provt in noſtris inde confectis literis plenius continetur.

Erectio Officiorum, Quinque Notariorum, vnius ſcilicet pro quolibet Auditore d. Rotæ. §. 2. Nos erectionem, & inſtitutionem huiuſmodi ad effectum perducere ſtatuentes, ac operæpretium eſſe reputantes, quo dictum Tribunal magis proſpere dirigatur, ac æquitati, & publicæ commoditati, vtilitatique ſalubrius conſulatur, prouidere volentes, Motu ſimili, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera deliberatione & certa ſcientia noſtris, deque Apoſt. poteſtatis plenitudine, vnum prædicti Tribunalis Notariatus Officiũ à quinque æque idoneis Notariis exercendum vno ſcilicet pro quolibet Auditore, & prætore, quod pro tempore obtinens omnium & ſingularum cauſarum, litium & controuerſiarum ciuilium, tam prophanarum, quam Eccleſiaſticarum, ac merarum, & mixtarum, coram ipſis Auditoribus pro tempore actitandarum, ac ab ipſis decidendarum, etiam omnium ſententiarum tam definitiuarum quam interlocutoriarum, ac decretorum, etiam vim definitiuarum ſententiarum habentium, ac denique quorumcumque actorum, inſtrumentorum, ſcripturarum, conceſſionum, gratiarum, priuilegiorum, facultatum & exequutionum, in præmiſſorum exequutionem, aut alias deſuper faciendorum, & quorumuis aliorum ab eiſdem Auditoribus tractandorum, definiendorum, decidendorum, & agendorum, ſigillo tamen ſolius prætoris, ſeu poteſtatis ipſius Tribunalis ſigillandorum, verus, & ſolus Notarius exiſtat.

Erectio officiorũ octo Curſorũ ad citandũ &c. in cauſis d. Rotæ. §. 3. Necnon octo Curſoriatus officia eiuſdem Tribunalis, qui omnes & ſingulas perſonas, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ & excellentiæ exiſtentes, provt opportunum fuerit, citare, eiſque intimare, & inhibere, ac quoſcumque alios actus ad Curſores & Mandatarios Ciuitatis noſtræ Bonon. de iure, vſu, vel conſuetudine aut alias quomodolibet ſpectantes & pertinentes facere, gerere & exercere libere ac licite valeant, Apoſt. auctoritate prædicta tenore præſentium perpetuo erigimus, & inſtituimus.

Cõceſſio dictorum omnium Officiorum Communitati Maceraten. §. 4. Illaque ſic erecta & inſtituta, dilectis filiis Communitatibus, & hominibus prædictæ Ciuitatis Maceraten. qui propter vrgentes, quibus hoc tempore premimur neceſſitates, ſummam quatuor millium ſcutorum monetæ, ad rationem decem iuliorum pro quolibet huiuſmodi ſcuto realiter perſoluerunt, & cuilibet ex Auditoribus prædictis ſalarium menſtruum triginta ſcutorum perſoluere promiſerunt, cum omnibus & ſingulis illorum ſcripturis, honoribus, oneribus, ſalariis, priuilegiis, prærogatiuis, & emolumentis conſuetis, Apoſtolica auctoritate prædicta, etiam perpetuo concedimus & aſſignamus. Ita quod liceat Communitati & hominibus prædictis, Officia prædicta per ſubſtitutos idoneos, ad eorum nutum ponendos & amouendos, exerceri facere, aut illa perſonis ſibi bene viſis vendere, & alienare, ſeu ad vitam, vel ad tempus locare, arrendare, ad firmam dare, necnon de illis tamquam de re ſua propria diſponere, & ordinare, illorumque iura, pertinentias, obuentiones, & emolumenta per dilectum filium noſtrum Henricum tt. S. Pudentianæ preſbyterum Car. Caëtanum nuncupatum S. R. E. Camerarium taxanda, & moderanda, percipere, exigere, & leuare, ac in ſolutionem dicti ſalarij menſtrui omnino conuertere.

§. 5. De

Digitized by Google

Concessio omnium priuilegiorũ concessorum Notariis & Cursoribus Rotæ Bononien.

§. 5. Decernentes quod Communitates & homines prædicti dictaque Officia pro tempore obtinentes & exercentes omnibus & singulis priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, prærogatiuis, honoribus, fauoribus, gratiis & indultis, quibus Notarij causarum Rotæ Bononien. Auditorum & prædicti illius Cursores de iure, consuetudine, vel priuilegio, aut alias quomodolibet vtuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, ac vsi fuerunt vbique frui, potiri, & gaudere possint, & poterunt, quomodolibet in futurum pariformiter & æque principaliter, ac sine vlla prorsus differentia vti, frui, potiri & gaudere, illisque (quod nullus alius Notarius sententias, acta, siue scripturas aliquas, coram dictis prætore & Auditoribus in causis prædictis, & alias quomodolibet actitandas) rogare, scribere & subscribere valeat sub pœna nullitatis sententiarum, & scripturarum huiusmodi.

Concessio facultatis per se vel alium dicta officia exercendi.

§. 6. Insuper, quod Officia prædicta obtinentes, illa per se, vel idoneos substitutos ab eis ponendos & amouendos, exercere possint, & valeant, eadem auctoritate & tenore indulgemus.

Obligatio bonorũ Cameræ Apostol. pro obseruatione præmissorum.

§. 7. Præterea pro Communitatis & hominum prædictorum securitate & cautela, præmissorum omnium obseruatione, & exequutione, nomine, loco damnorum & interesse, quæ per dictam Ciuitatem pati, aut sentire posse contigerit, omnia & singula eiusdem Cameræ iura, res & bona, tam præsentia quam futura, nedum generaliter, verum etiam specialiter, & expresse, ac amplissime obligamus, & hypothecamus. Decernentes Cameram prædictam omnino teneri & obligatam esse, Communitatem & homines, ac pro tempore officia huiusmodi obtinentes, in quieta & pacifica illorum possessione defendere, & manutenere, præsentesque ad probandum plene quod eadem summa in nostram & Sedis Apostolicæ ac ipsius Cameræ subuentionem conuersa fuerit, aliaque præmissa vbique tam in iudicio quam extra illud sufficere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri.

Clauſ. præſernatiua.

§. 8. Necnon easdem præsentes nullo vmquam tempore de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio aut intentionis nostræ, vel quouis alio defectu notari, vel impugnari, aut alias quomodolibet infringi vel retractari posse, sed illas semper validas & efficaces existere, suosque plenarios & integros effectus sortiri debere, neque sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, derogationibus, aut aliis contrariiis dispositionibus, per quascumque literas, vel constitutiones Apostolicas, seu Cancellariæ Apost. Regulas, etiam per nos & successores nostros Rom. Pont. etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, necnon sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis pro tempore factis & concessis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, necnon quoties illas reuocari, vel limitari, aut suspendi, seu eis in aliquo derogari contigerit, toties in pristinum, & validissimum statum, etiam sub posteriori data restitutas, & plenarie reintegratas, ac de nouo concessas esse, & censeri.

Decretum irritans.

§. 9. Irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§. 10. Quocirca dicto Henrico Cardinali & pro tempore existenti Camerario, ac venerabili fratri nostro Petro Episcopo Spoletan. Officiorum Rom. Curiæ, & Status Ecclesiastici Præsidenti, ac dilecto filio causarum Cur. Cam. Apostolicæ generali Auditori, motu pari, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque solemniter publicantes, ac eisdem Communitati & hominibus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes easdem præsentes literas & in eis contenta huiusmodi debitæ exequutioni demandent, ac demandari, necnon ab omnibus, quos illæ concernunt inuiolabiliter perpetuo obseruari faciant, mandent atque procurent. Non permittentes Communitatem & homines prædictos atque officia huiusmodi pro tempore obtinentes seu exercentes desuper per quoscumque contra eorumdem præsentium tenorem quomodolibet indebite molestari, perturbari vel impediri. Contradictores quoslibet & rebelles, ac præmissis non parentes per sententias & censuras Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias & alias pœnas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis.

Clauſula derogat.

§. 11. Non obstantibus præmissis, & quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ciuitatis Maceraten. & Prouinciæ prædictarum iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis Ciuitati Maceraten. & Prouinciæ huiusmodi, ac quibusuis aliis superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, necnon de fratrum nostrorum consilio, & vnanimi assensu, ac alias quomodolibet & quandocumque etiam pluries in contrarium forsã concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum omnium & singulorum tenores, acsi de verbo ad verbum exprimerentur & insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter & expresse, harum serie motu simili derogamus, & sufficienter derogatum esse volumus, decernimus & declaramus, contrariis quibuscumque, seu si aliquibus communiter aut diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apost. non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1589. 11. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno 4. *D. P. A. 4 die 22. Martij.*

Admissio & registratio in Camera Apostolica.

Die 21. Aprilis 1589. Præsentes litera Apostolicæ in plena Camera præsentatæ fuerunt, & die 28. eiusdem, Camera ipsa referente Reuerend. D. Bartholomæo Cæsio Cameræ Apostolicæ Clerico, & Iudice S. D. N. Papæ apud me infrascriptum dictæ Camerę Notarium ad hoc ab ipsa Camera specialiter deputato, citato prius R. P. D. dictæ Camerę Generali Commissario, illas admisit, & registrari mandauit, prout registratæ fuerunt lib. 3. signaturarum.

Tydeus de Marchis.

XCV.

Erectio Ecclesiæ Episcopalis Ciuitatis Firmi, in Prouincia Marchiæ, in Ecclesiam Archiepiscopalem.

Similem erectionem de Ecclesia Senensi statuit Pius II. in const. 3. Triumphans. *& Greg. XIII. de Ecclesia Bononiensi in const. 79.* Vniuersi.

In hac Ciuitate Studium quoque generale innouauit hic idem Pont. sup. in const. 9. *Muneris.*

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam: Edita An. Di. 1589.

Proœmium.

VNiuersi Orbis Ecclesiis, eo disponente qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, meritis licet impariibus præsidentes in omnes agri Dominici partes oculos nostræ mentis, vigilis more Pastoris, intendimus, inspicientes quid Ecclesiarum ipsarum, præsertim Cathedralium insignium, statui, & decori maxime conueniat, atque hoc quidem pro zelo charitatis nostræ, tanto liberalius promptiusque curandum censemus, quanto magis, non solum petentium subditorum, & preces, & merita id deposcunt,

Digitized by Google

poſcunt, ſed nos etiam ad Omnipotentis Dei, & B. Mariæ Virginis gloriam, animarumque ſalutem, & fidelium diſciplinam confirmandam, necnon Eccleſiarum, quibus paterna dilectione, Apoſtolicaque auctoritate conſulimus vtilitates ornatumque pertinere, & recte in Domino cognoſcimus expedire.

Ciuitatis Firmi antiquitas nobilitas, fidelitas, & alia quamplures laudes recenſentur.

§. 1. Cum itaque nos compertum haberemus, Eccleſiam Firmanam Sedi Apoſt. immediate ſubiectam, ac pridem ante annum à partu Virgineo quingenteſimum, in Cathedralem, erectam, cui alias nos dum in minoribus cõſtituti eſſemus, & Cardinalatus fungeremur honore, laudabiliter præfuimus cuique etiam hodie venerabilis frater noſter Sigiſmundus Epiſcopus Firmanus præeſſe dignoſcitur, lapidibus marmoreis quadratis conſtructam ad Collem in media Ciuitatis Firmanæ parte collocatam ſingularem atque pulcherrimam ſpectantium oculis multis paſſibus à dicta Ciuitate Firmana ſeſe offerentem, in Prouinciæ fere medio, in qua nulla eſt Metropolis Eccleſia, in tranquilla aëris temperie, in loco diſtanti ab Vrbe ſupra centum, & triginta milliaria ſitam, Beatæ Mariæ Virgini dicatam, tribus dignitatibus, videlicet Archidiaconatu pro vno Archidiacono, & Archipreſbyteratu pro vno Archipreſbytero, & Decanatu pro vno Decano, necnon duodecim Canonicatibus, & totidem præbendis pro duodecim Canonicis, & octo præterea Manſionariis pro octo Manſionatiis, duabuſque Sacriſtiis pro duobus Sacriſtis ipſi Eccleſiæ inſeruiẽtibus præſtare, quam plures Epiſcopos præterea orthodoxæ fidei defenſores, quorum nomina tum Sanctitatis opinione, tum præſtantia ſingulari præfulſerunt, alioſque Cardinalatus honore decoratos, alios etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ moderamina admotos habuiſſe, & pro tempore exiſtentem Epiſcopum Firmanum, Principatus inſignia, & ornamenta, præuentionemque in multis cauſis, quoad Legatos, & Gubernatores retinere, & omnimodam iuriſdictionem ex priuilegiis Apoſtolicis iam pridem emanatis, & à fel. record. Sixto Papa IV. prædeceſſore noſtro vſque in hæc tempora perpetuo confirmatis, in ſuos Commenſales, Familiares, Colonos, & Officiales etiam priuatiue quoad Legatos, & Gubernatores quoſcumque ac Montem Viridem Caſtellum in omnem iuriſdictionem retinere, necnon Firmum, Piceni Vrbem Romanorum Coloniam extitiſſe, ac ex qua vbi Chriſtiana Religione imbuta fuit, ſub Decio Imperatore, ſeptuaginta Firmani Martyres prodiiſſe recenſentur, in qua multa corpora Sanctorum, ac innumerabiles aliæ reliquiæ magna cum veneratione aſſeruant, multis priuilegiis, & indultis tam à piæ memoriæ Gregorio VII. à quo tunc temporis exiſtens Epiſcopus Firmanus, Crucis deferendæ facultatis confirmationem obtinuit, à Gregorio VIII. IX. X. Honorio III. qui eidem Epiſcopo, Principis nomen, iuriſdictionemque ſpiritualem & temporalem retinere conceſſit, Innocentio III. & VII. Eugenio IV. & Calliſto III. ac quamplurimis aliis Romanis Pontificibus etiam prædeceſſoribus noſtris, tum claræ memoriæ Federico II. & Henrico III. multiſque aliis Rom. Imperatoribus illuſtratam, ampliſſimam in qua nihil fere perſpicitur, quod eius longe alteque repetitam antiquitatem non præ ſe ferat, in Colle aëris ſaluberrimi, amœnitatis non exiguæ, in media Piceni parte, ad ſinum Adriaticum, non longe ab Appenninis Montibus ſitam, & quemadmodum Firmum Picenum olim nominabatur, ita aliis temporibus Marchia Firmana vocabatur, quod Firmum primariam Ciuitas in dicta prouincia exiſteret. Princeps quoque in ſuam iuriſdictionem Marchiam vel receperint, vel redegerint in dicta Ciuitate Sedem, domicilium que collocaſſe, ac ſemper detinuiſſe, eodemque exemplo ſub Romanis Pontificibus, multis annis Curiam generalem Legationis Marchiæ, tamquam in loco honorabiliori inibi reſediſſe, necnon generale Studium, ad inſtar Studij Bononien. à recol. mem. Bonifacio Papa VIII. ſimiliter prædeceſſore noſtro, & poſtea ab Eugenio IV. & Calliſto III. prædeceſſoribus prædictis ac multis aliis Pontificibus confirmatum, & à nobis denuo erectum, & reſtitutum floruiſſe, & florere, in eaque extare Collegium Iuriſconſultorum iam inde ab immemorabili tempore ornatiſſimum, ac in numero & Doctorum præſtantia inſigne, hoc quidem tempore vel ſeptuaginta Doctores conſcriptos reperiri, eiſdem modo, & ratione quamplurimos Procuratores & Notarios eſſe, in ea quoque Seminarium ex Concil. Trident. decreto inſtitutum, aliorumque Illuſtrium virorum fide ſtudioſiſſimorum, pietati & religioni ſummopere deditorum, necnon Epiſcopi, & paſtores ſui, ita officioſiſſimorum, vt nihil vmquam prætermiſerint, quod ad ipſius Epiſcopi commoditatem, & dignitatem augendam facerent, ac multæ per Firmanos donationes etiam Caſtellorum priſcis illis temporibus Epiſcopo factæ reperiantur copia refectam, quibus plurimum ſemper delatum fuerit, tum quod ipſa Ciuitas ſitu, loco, arce munita, ac hominum robore, & fortitudine, ac ingenij acumine & præſtantia adeo ornata fuit, vt ceteris Marchiæ Ciuitatis huiuſmodi timorem maximum iniicere ſoleat, multaque obſequia erga Sedem Apoſtolicam prædictam perpetuo præſtiterit, atque propriis actibus ab Imperio Deſiderij, Longobardorum Regis, ſe vindicarint, ſeque ac ſua omnia ſimilis mem. Adriano Papæ I. pariter prædeceſſori noſtro, Sedique Apoſtolicæ prædictæ ſponte dederint, ipſaque Ciuitas fidei cauſa, & ſinceræ deuotionis gratia quam gerere ſolita eſt erga Sedem eamdem, cum Federicum primum agnoſcere noluiſſent, igne fere abſumpta fuerit, eademque de cauſa, & alias ſæpe multa damna, & detrimenta ſubierit, & in ſummas difficultates, & calamitates ſæpius inciderit, vt ſe ab eorum dominatu, qui Marchiam, in ſuam ditionem, contra Sedem Apoſtolicam redegerint, vindicaret, & ad ipſam Sedem eiuſque Imperium redire poſſet, veluti ſub Eugenio eodem, ac aliis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & nouiſſime in bello Ferrarien. ſimilis mem. Iulio II. & poſtea Clementi VII. Pontificibus Maximis pariter prædeceſſoribus noſtris, præſto fuerint. Monaſteriorum inſuper tam virorum quam mulierum opulentiſſimorum æque atque in quauis alia Ciuitate, parochialium præterea Eccleſiarum, ac Confraternitatum, & Hoſpitalium quamplurimorum frequentia commendabilem, diœceſim denique Firmanam prædictam ita opulentam, & amplam extare, vt maior in dicta prouincia non reperiatur, agri vbertate fertiliſſimam, frumento, vino, oleo, & frugibus, cuiuſuis generis, vel etiam ſale, & rebus omnibus ad victum neceſſariis adeo abundantem eſſe, vt non ſolum ceteris prouinciæ Ciuitatibus ſuppeditare, ſed ad Dalmatas, Illyricos, Venetos, ac alios, tranſportare ſoleat, ita vt plane huic diœceſi deferenda ſit fertilitatis laus, quæ agro Piceno paſſim tribuitur. Necnon eius Comitatum, Terras, & Caſtra ſexaginta fere habere, quo quidem Comitatu Firmum finitimum ac confine exiſtit ceteris fere omnibus Ciuitatibus dictæ prouinciæ, cuius maiorem partem occupare conſtat.

Huius Pont. bulla eſt ſup. Muoren. n. 9.

Erectio dictæ Eccleſiæ Epiſcopalis Firmanæ in Archiepiſcopalem.

§. 2. Nos aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, qui eodem honore decorarunt Eccleſias, quibus olim in minoribus dum conſtituti eſſent, & Cardinalatus fungerentur honore præfuerunt, veſtigia ſequuti, ad illam meritis honoribus augendam, & promouendam adducti, piis quoque ſupplicationibus dilectorum filiorum Communitatis, & hominum eiuſdem Ciuitatis, nobis per dilectum filium Cæſarem Ottinellum, Ciuem Firmanum V.I.D. eorum Procuratorem ad hoc ab eis ſpecialiter conſtitutum deſuper porrectis excitati, poſt habitam cum venerabilibus fratribus noſtris prædictæ R. E. Cardinalibus maturam deliberationem, de eorum conſilio, atque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Maceraten. Tolentin. Ripan. Montis Alti, & S. Seuerini in dicta Prouincia conſiſtentes, necnon dictæ Sedi etiam immediate ſubiectas Eccleſias, earumque Ciuitates, & diœceſes, cum omnibus, & quibuſcumque eorum territoriis, & terminis, ac dilectos filios earum ſingularum Clerum & populum vniuerſum, cum ſuis Collegiatis, Parochialibus, & aliis Eccleſiis, necnon Monaſteriis vtriuſque ſexus, ceteriſque beneficiis, & officiis Eccleſiaſticis cum cura & ſine cura ſæcularibus & quorumuis Ordinum, & Militiarum regularibus, necnon Hoſpitalibus, domibus, Collegiis & locis religioſis quibuſcumque, ab eiuſdem Sedis immediata ſubiectione, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo diuidimus, & ſeparamus, necnon à dictæ Sedis immediata

Digitized by Google

immediata subiectione, visitatione, correctione & omni & quacumque alia iurisdictione etiam perpetuo eximimus, & liberamus, Ipsamque Ecclesiam Firmanam, ad laudem & honorem Omnipotentis Dei, ac Beatæ Virginis Mariæ, necnon fidei Catholicæ exaltationem, & totius militantis Ecclesiæ gloriam, in Metropolitanam Ecclesiam, & Sedem Episcopalem Firmanam, in Archiepiscopalem, Archiepiscopalisque, & Metropolitan. Præsidis Sedem & prouinciæ caput pro vno deinceps Archiepiscopo, qui pallij, & Crucis vsum, aliorum Archiepiscoporum more habeat, omnibusque aliis insignibus Archiepiscopalibus, necnon priuilegiis, honoribus, & prærogatiuis, Archiepiscopis debitis & concessis gaudeat, similiter perpetuo erigimus & instituimus, ac nomine, titulo, ac honore Archiepiscopali, & Metropolitan. decoramus.

Submissio aliarũ Episcopalium Ecclesiarum.

§. 3. Præterea Ecclesiæ prædictæ, Maceraten. Tolen. Ripanen. Montis Alti, & Sancti Seuerini Ecclesias prædictas, modernosque & pro tempore existentes illarum præsules, seu Administratores, pro suis, & pro tempore existentis Archiepiscopi Firmani Suffraganeis, qui tamquam membra capiti, eidem Archiepiscopo Firmano iure Metropolitan. subsint, ita quod Archiepiscopi Firmani, in eisdem Maceraten. Tolentin. Ripan. Montis Alti, & Sancti Seuerini Ciuitatibus, & diœcesibus ius Metropoliti cum sibi vindicent, necnon Maceraten. Tolent. Ripan. Montis Alti, & Sancti Seuerini prædictæ, eidem Archiepiscopo, & Metropolitano, ad omnia & singula habeantur, & sint adstricti, ad quæ suffraganeis suis Metropoliticis Ecclesiis, & Metropolitan. tenentur, & obligati sunt, vt indicentur secundum canonicas sanctiones, ac eidem Archiepiscopo Firmano prædictos suos Suffraganeos consecrandi, ac Prouinciales Synodos euocandi, ac cum eis etiam Ecclesiastica negotia terminandi, earum Ecclesias disponendi iuxta statuta sacrorum Canonum, omniaque alia & singula quæcumque, quæ de iure vel consuetudine, aut alias quoquomodo ad Archiepiscopos, & Archiepiscopale munus spectare, & pertinere solent, & debent, gerendi, faciendi, exercendi, plenam & omnimodam auctoritatem, & tenore præsentis concedimus facultatem, Prouinciæ quoque Firmanæ Clerum, & populum vniuersum, pro eorumdem Ecclesiæ, & Archiepiscopi Firmani Prouincialibus pariter etiam perpetuo concedimus, & assignamus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Maceraten. Tolentin. Ripan. Montis Alti, & Sancti Seuerini Ecclesiarum prædictarum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis, quoque, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Ecclesiis, illarumque Præsulibus, Administratoribus, & Capitulis, ac quibuscumque aliis personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam irritantibus, in genere vel in specie, etiam Motu proprio, atque ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam consistorialiter & sub quibusuis verborum formis, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa & indiuidua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum omnium etiam tenores, acsi de verbo ad verbum exprimerentur & insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter & expresse, Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, derogamus ceteriscque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. P. A. 5. die 24. Maij.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1589. Nono Kal. Iunij, Pontificatus nostri Anno 5.

Quod Fratres, & Moniales Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Congregationis Discalceatorum in Italia, recitare valeant Horas canonicas iuxta ritum Breuiarij Romani reformati, prætermisso Ordinis vsu, Et celebrandi festa Sanctorum dicti Ordinis etiam in Kalendario Romano non descriptorum. XCVI.

De eiusmodi Breuiario vide sup. in Pij V. const. 64. Quod à nobis. *sup. Alia autem de toto Ordine Carmelitano, notaui sup. apud const. 8. Hon. III.* Vt viuendi. *Et de hac Congregatione vide plene sup. in const. 64. Greg. XIII.* Pia:

SIXTVS PAPA V.

Dilectis filiis professoribus Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, Prouinciæ, seu Congregationis Regularis Obseruantiæ Discalceatorum nuncupatæ. *Edita An. D. 1589.*

Proœmium.

EXimium quod in vobis elucet pietatis studium, & præcipua Obseruantia regularis disciplinæ, qua vestram Congregationem ad Dei gloriam, communemque Christiani populi vtilitatem, in dies magis florere intelligimus, nos inducunt, vt cum multa ad eamdem Congregationem feliciter regendam nuper à nobis statuta fuerunt, nunc quoque in honorem Sanctorum, quos ipsa Congregatio, quasi in eorum clientelam recepta, iam pridem sæculari quadam veneratione colit, piis vestris petitionibus libenter annuamus.

Concessit hic Pont. Congregationi facultatẽ recitandi officia, iuxta ritũ Breuiarij Rom. reformati; prætermisso vsu Congregationis.

§. 1. Dudum siquidem per alias nostras literas concessimus inter cetera & indulsimus vobis, atque vniuersis & singulis personis vtriusque sexus vestræ Prouinciæ, vt Horas canonicas, diurnas, & nocturnas, secundum vsum & ritum Romanæ Ecclesiæ, & Breuiarij Romani ex decreto Concilij Tridentini reformati, & fel. rec. Pij prædecessoris nostri iussu nouissime editi, tam communiter quam diuisim, etiam in singulis vestris Oratoriis, Monasteriis & domibus, dicere, & recitare licite possitis, & nihilominus præcepto atque obligationi plene satisfactum per vos foret, neque vlterius ad sequendum in huiusmodi Officiis morem vestri Ordinis teneremini, prout in eisdem literis latius continetur.

Quæ d. ritum obseruari cœpit.

§. 2. Quo quidem nostro indulto vtentes, iam sicut nobis exponi curastis, eiusdem Romanæ Ecclesiæ ritum in diuinis officiis seruatis.

Modo autem supplicat pro indulto celebrandi.

§. 3. Sed quia vetus iam diu viget in vestro Ordine laudabilis consuetudo, dies festos in honorem Beatæ Mariæ, & quorumdam Sanctorum solemniter celebrandi, ideo à nobis humiliter supplicari fecistis, vt religiosum istud institutum auctoritate Apostolica comprobare dignaremur.

Pont. ideo de facultatem elargitur.

§. 4. His itaque vestris supplicationibus inclinati, vobis, atque adeo vniuersis, & singulis Fratribus ac Monialibus vestræ Congregationis pro tempore existentibus, in quibusuis domibus, Monasteriis, Collegiis, & locis dictæ Congregationis, tam publice quam priuatim, communiter vel diuisim, officium prædictorum festorum vbique recitare, & sic recitando obligationi satisfacere libere & licite possitis (dummodo tam in Missa quam in recitandis Horis canonicis diurnis ac nocturnis, modum, & formam descriptam in quinterno, seu libello per dilectos filios nostros Antonium SS. Ioannis & Pauli Caraffam, & Vincentium S. Mariæ in Via titulorum presbyteros Cardinales Montis Regalis nuncupatos, de mandato nostro reuiso, correcto, & approbato, inde obseruetis, & nihil penitus addatis, aut minuatis) plenam, & liberam licentiam, & facultatem, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Quibuscumq; non obstantibus.

§. 5. Non obstantibus dicti Pij prædecessoris super reformatione, & approbatione nouæ Missalis, & Breuiarij Romani, ac prædictis nostris literis, necnon aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, vestrique Ordinis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, quod

Digitized by Google

quodque huiusmodi dies festi in nouissimo Kalendario Romano descripti non sint, ceteriſque contrariis quibuscumque.

D.P.A. 5 die 27. Iunij Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 27. Iunij, 1589. Pontificatus nostri Anno quinto.

XCVII. Quod Archiconfraternitas pietatis Carceratorum à Gregor. XIII. in Vrbe instituta, habeat Officium prouisoris condemnatorum ad triremes totius Status Ecclesiastici. Et etiam Officium Visitatoris Carcerum vrbis, ab eius præfecto exercen. possitque annis singulis secunda Feria post j. Dominicam Quadragesimę, vnum carceratum etiam pro capitali crimine damnatum liberare.

Institutionem huius Archiconfraternitatis habemus sup. in const. 56. Greg. XIII. Pij patris. *vbi alias tibi indicaui.*

Edita An. D. 1585. 1586. 1587. 1589.

SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium. EX debito Ministerij Pastoralis, ad ea nostræ operationis studia diligenter conuertimus, per quæ pia fidelium vota, præsertim pauperum, & miserabilium personarum statum concernentia, optatum consequantur effectum, & quæ propterea per fideles ipsos pie facta, & ordinata fuerunt, vt firma & illibata persistant, libenter Apostolico munimine roboramus.

Confirmatio institutionis Confraternitatis eiusque indulgentiarum. §. 1. Considerantes itaque dilectos filios Confratres Confraternitatis Pietatis Carceratorum, per fel. record. Gregorium Papam XIII. prædecessorem nostrum in hac Vrbe nostra institutæ, multa in dies onera sustinere. Volentesque, Confratres, & Confraternitatem huiusmodi, cuius etiam nos, antequam ad summi Apostolatus apicem assumeremur, Protectores eramus, specialibus fauoribus, & gratiis prosequi, ac de alicuius subuentionis auxilio illis prouidere, ipsosque Confratres, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, Motu proprio; non ad dictorum Confratrum, seu aliorum pro eis nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia nostra, institutionem dictæ Confraternitatis, necnon quascumque indulgentias, & peccatorum remissiones, aliasque gratias & priuilegia, Confraternitati, & Confratribus prædictis, illorumque intuitu per eumdem prædecessorem concessa, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac singulos defectus, siqui desuper quomodolibet interuenerint supplemus.

Duo officia eidē Archiconfraternitati concedit, cum suis emolumentis. §. 2. Necnon Confraternitati, & illius nomine Confratribus prædictis, vnum Prouisoris condemnatorum ad triremes, tam dictæ Vrbis quam reliqui totius Status Ecclesiastici, vt videlicet illi condemnati, & transmissi ad triremes, postquam tempus ad quod condemnati erant, & erunt in futurum, finierint. Et alterum Visitatoris vtrorumque Carcerum, Secretorum, & publicorum Vrbis prædictæ, & Burgi S. Petri de dicta Vrbe officia, per deputandum seu deputandos ab ipsis Confratribus exercenda, quæ dilectus filius Ioannes Baptista Pasius nuper ad Sedis Apostolicæ beneplacitum, quod ex nunc Motu simili reuocamus, & expiratū decernimus, aut alias obtinebat, siue per reuocationem huiusmodi, siue alias quouis modo, & ex cuiuscumque persona, ad præsens vacantia, cum omnibus, & singulis eorum, & cuiuslibet ipsorum honoribus, oneribus, priuilegiis, facultatibus, prærogatiuis, & salariis, ac emolumentis solitis ac debitis, auctoritate, & tenore præmissis perpetuo concedimus, & assignamus, ac Confraternitatem, & Confratres prædictos, in locum præfati Ioannis Baptistæ, quoad prædicta ambo officia, eorumque liberum exercitium, necnon honores, onera, priuilegia prærogatiuas, & emolumenta substituimus, & subrogamus, eosdemque Confratres ex nunc ad ipsa duo officia, necnon exercitium, honores, onera, emolumenta, & prærogatiuas huiusmodi recipiendos, & admittendos fore, & esse, ac recipi & admitti, eisque, nomine dictæ Confraternitatis de salariis, & emolumentis prædictis integre, & cum effectu responderi debere, ac eosdem Confratres & Confraternitatem nullo vmquam tempore ab huiusmodi officiis, aut illorum altero, etiam per nos, seu pro tempore existentem Romanum Pontificem, vel quoscumque alios, ex quauis causa amoueri posse, neque debere decernimus.

Tu scias Archiconfraternitatem gratis ea exercere vt habetur in declaratione qua sequitur.

Officiales ad officia Cōfratres d. Archicōfraternitatis admittant. §. 3. Mandantes dilectis filiis nostro Philippo S. Angeli in foro piscium Diacono Cardinali Vastauillano nuncupato moderno, & pro tempore existenti S. R. E. Camerario, ac Cameræ Apostolicæ præsidentibus, & Clericis, ac nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis Thesaurario, omnibusque aliis, ad quos id quomodolibet spectat vt Confratres, & Confraternitatem huiusmodi ad officia prædicta, sine vlla mora recipiant, & admittant, ac recipi, & admitti, necnon de emolumentis prædictis integre eis responderi faciant, & respondeant cum effectu.

Quibuscumque non obstantibus. §. 4. Non obstantibus quibusuis aliis de dictis officiis, seu eorum altero, cuicumque seu quibuscumque personis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac forsan nos, seu quemcumque alium, etiam ex causa onerosa, aut alias quomodolibet, etiam Motu pari factis, seu faciendis, concessionibus, quas illarum tenores præsentibus pro expressis habentes, earumque vim, & effectum tenore earumdem præsentium Motu simili reuocamus, cassamus, & annullamus, ac nostra de non tollendo iure quæsito quatenus opus sit, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis dictæ Vrbis, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusuis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si de illis specialis, specifica, & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceteriſque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis. §. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, suppletionis, reuocationum, decretorum, concessionis, assignationis, substitutionis, subrogationis, mandati, cassationis, annullationis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

D. P. A 1. die 1. Iulij. Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1585. Kalend. Iulij, Pontificatus nostri Anno 1.

Sequitur declaratio dictæ Concessionis.

Edita An. D. 1586.

SIXTVS PAPA V. &c.

Archiconfraternitas dictis officia gratis exercere declarat. CVm nos nuper, &c. vt in præced. constitutione Nihilominus, quia dilectus filius Laurentius Celius Notarius noster, in vtraque Signatura nostra Referendarius, dictæ Archiconfraternitatis Præfectus, & Confratres præfati nobis nuper exponi fecerunt, quod eorum pium institutum est, omni charitate, studio, & diligentia, ac gratis, & amore Dei, eadem officia per sufficientes, & habiles personas eiusdem Archiconfraternitatis exercere, nullam aliam inde mercedem quærentes, quam æternæ retributionis præmium, nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic Pontifex collaudat. §. 1. Nos igitur piis eorum votis annuentes, circumspectioni tuæ per præsentes committimus, & mandamus, quatenus

quatenus eosdem Confratres, & Archiconfraternitatem prædictam ad officia eadē gratis, & amore Dei absque salario, & emolumentis prædictis exercenda, omni mora reiectas, admitta, & recipias, illasque per quoscumque, ad quos spectat, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna ipso facto per contradictores incurrenda, amoto inde eodem Ioanne Baptista, & appellatione quacumque reiecta, admitti facias.

Contrarium tollit.

§. 2 Non obstantibus omnibus quæ in dictis literis voluimus non obstare, ceteriſque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 2. die 20. Maii.

Dat. Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die vigesima Maij, millesimo quingentesimo octuagesimo sexto Pont. nostri Anno secundo.

Sequitur indultum liberandi carceratum.

Edita An. D. 1587.

SIXTVS PAPA V.
Motu proprio, &c.

Indultum annoquolibet liberandi carcera tum secunda feria post Dominicam primam Quadrages.

DIlectis filiis protectori, præfecto, assistentibus, ac aliis officialibus, & Confratribus Archiconfraternitatis pietatis, Carceratorum de Vrbe, in Ecclesia Sanctorum Cosmæ, & Damiani Regionis Pineæ de eadem Vrbe, pie & canonice institutæ, cuius dilectus filius noster Alexander S. Hieronymi Illiricorum diaconus Cardinalis de Monte Alto nuncupatus, noster secundum carnem ex sorore pronepos Protector existit, specialem gratiam facere volentes, Motu simili &c. eiusdem Archiconfraternitatis Protectori, Præfecto, Assistentibus ac aliis Officialibus, & Confratribus nunc & pro tempore existentibus, vt de cetero perpetuis futuris temporibus qualiter secunda feria post primam Dominicam Quadragesimæ, anni cuiuslibet, vnum carceratum, & pro quocumque crimine & delicto, quantumcumque graui, & enormi (præterquam læsæ maiestatis, & assassinij, ac propinati veneni, necnon falsificationis literarum, supplicationum, commissionum, & aliarum gratiarum Apostolicarum, vel monetæ) in carcere existentem, & ad triremes, ac etiam vltimo supplicio condemnatum; excarcerare, liberare, & absoluere, libere, & licite valeant, qui eo ipso absolutus, sit & esse cēseatur, à quibusuis criminibus, præterquam prædictis exceptis, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo concedimus, & indulgemus, plenamque & liberam eis super præmissis licentiam & facultatem impartimur.

Officiales illud obseruent.

§. 1. Mandantes propterea dilectis filiis eiusdem Vrbis Gubernatori, Senatori, curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Auditori, & Vicario, aliisque Iudicibus, & carcerum dictæ Vrbis custodibus, nunc & pro tempore existentibus, ac eorum cuilibet quatenus visis præsentibus, seu literis Apostolicis desuper conficiendis, &c. omni mora & dilatione, ac excusatione postpositis, eisdem præsentibus, seu literis desuper conficiendis pareant, & obediant, ac illas obseruent, & obseruari faciant realiter, & cum effectu.

Quibuscumque non obstan.

§. 2. Non obstantibus præmissis, constitutionibus & & ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Vrbis statutis, &c. etiam iuramento, &c. roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Gubernatori, Senatori, Auditori Cameræ, ac Vicario dictæ Vrbis, illorumque Tribunalibus, ac Iudicibus & quibuscumque aliis personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam Motu proprio, &c. ac consistorialiter, &c. & alias in cōtrarium quomodolibet concessis, quibus omnibus etiamsi de illis, &c. expediendis latissime hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceteriſque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

PP. subsc.

Fiat Motu proprio F.

Repetitio clausularum.

Et cum absolutione à censeris, ad effectum &c. & de perpetuis concessione, indulto, licentia, impartitione, mandato, derogatione aliisque præmissis vt supra, quæ hic pro sufficienter repetitis ad partem habeantur perpetuo, & ad perpetuam rei memoriam in forma gratiosa in literis latissime extendendis, & quod præmissorum omniū & singulorum etiam denominationum, qualitatum, aliorumque circa præmissa necessariorum, maior & verior specificatio, & expressio fieri possit in literis, etiam cum Ad perpetuam rei memoriam. Fiat F.

Dat. P. An. 2. 15. Aprilis.

Datum Romæ apud S. Marcum, decimoseptimo Kalendas Maij, Anno 2.

Sequitur Priuilegium Præfecti huius Archiconfraternitatis intereſſendi Visitationibus Carcerum Vrbis.

Edita A. D. 1589.

SIXTVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

Relatio operum Pietatis quæ Archiconfraternitas exercet, & concessiones duorum officiorum de quibus sup.

CVm dilecti filij Confratres Archiconfraternitatis Pietatis Carceratorum in Ecclesia Sanctorum Cosmæ, & Damiani Regionis Pineæ de Vrbe canonice institutæ, plurima iuxta laudabile eorum institutum Pietatis, & caritatis opera exercere consueuerint, præsertim circa carceratos, eos ordinatim visitando, opere & consilio iuuando, aliaque pia opera faciendo circa illorum, tum spiritualem subuentionem, provt etiam probe nouimus dum in minoribus essemus, ac eiusdem Archiconfraternitatis Protectoris munere fungeretur. Et propterea, cum nos diuina bonitas ad summum Apostolatus apicem extulisset, initio nostri Pontificatus, officia Commissariatus condemnatorum ad triremes, necnon Visitatoris carcerum, tum publicorum tum secretorum ad Cameram Apostolicam tunc spectantia, ab eadem Camera dismembrauerimus, necnon eidem Archiconfraternitati applicauerimus, & appropriauerimus, ipsaque officia hactenus maxima cum pietate per Confratres prædictos, etiam absque vlla mercede, antea per dictam Cameram Apostolicam propterea dari soluique solita, administrata fuerint.

Præfectus d. Archiconfraternitatis locum habet in visitationibus Carceratorum Vrbis. De istorum visitatorum facultatib. vide in Pij V. const. 68. Reuerendi.

§. 1. Nos considerantes, quod si in visitatione carcerum (pro tempore existens eiusdem Archiconfraternitatis Præfectus) interueniret, eius assistentia huiusmodi dictis carceratis in illis iuuandis, ac cōfratribus ad prædicta opera exercendum animandis, valde vtilis, & proficua, quinimmo etiam necessaria esset, in hocigitur prouidere, ac confratres ipsos speciali hoc priuilegio decorare volentes, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, vt de cetero perpetuis futuris temporibus in visitationibus carcerum quorumcumque dictæ Vrbis, tam publicis quam priuatis pro tempore faciendis, provt moris est, per personas ad id deputatas, pro tempore existens dictæ Archiconfraternitatis Præfectus interuenire, & intereſſe possit, cum voto consultiuo, tamquam vsus ex visitationis huiusmodi Prælatis, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo concedimus & indulgemus, ipsumque Præfectum pro tempore existentem, in aliorū Visitatorum numerū ex nunc recipimus, & admittimus, quodque in eisdem visitationibus, tam publicis quam secretis quibuscumque, ac tam votando quam consulendo & sedendo, post Almæ Vrbis prædictæ Gubernatorem, necnon eiusdem Cameræ Auditorem & carcerum eorumdem Præsidem, ac post omnes eas personas quæ decisiuum votum in visitatione huiusmodi habent, etiamsi laicus esset, verū inter eos qui votum consultiuum tantū habent, secundum Ecclesiasticam propriæ personæ dignitatem, itaut Episcopus non Episcopo, ac similiter inter alias Ecclesiasticas dignitates obtinentes, maiorem obtinens dignitatem, præcedere debeat, dicta auctoritate perpetuo statuimus, & ordinamus.

Manus vinſdem Præſecti indictis visitationibus non perturbantur.

§. 2. Eumdemque Præfectum sic assistendo, interueniendo, vorando, consulendo, & sedendo nullo vmquam tempore per alios dictæ visitationis Prælatos, vel alios in ea assistentes, etiam vigore quorumcumque priuilegiorum & indultorum, tam à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris quam à nobis & Sede Apostolica vel alias quacumque auctoritate, via, causa, & ex quauis occasione hactenus concessorum, & in posterum concedendorum molestari seu inquietari, aut loco, voce & voto ac actione priuari posse, præsentemque gratiam, & concessionem hasque literas semper & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere.

Clauſula ſolita &c.

§. 3. Sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos,

Digitized by Google

delegatos ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſciẽter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Clauſ. derog. conſt.

§. 4. Non obſtantibus regula noſtra de iure quæſito non tollendo, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſt. pruilegiis quoque, indultis & literis Apoſt. prædictis Viſitatoribus, & cuilibet ipſorum, ac aliis quibuſcumque, tam ſpecialiter, quam generaliter, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam motu ſimili, ac conſiſtorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis, necnon iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, vſibus, & conſuetudinibus etiam immemoralibus, & naturis, quibus omnibus etiamſi de illis, ſpecialis, ſpecifica, & ad verbum expreſſa mentio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

D. P. An. 5. 22. Iulij.

Datum Romæ in Monte Quirinali ſub Annulo Piſcatoris die 22. Iulij, milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono Pontificatus noſtri anno quinto.

XCVIII. De electione Prioris generalis, & aliorum Prælatorum Congregationi Canonicorum Regularium S. Saluat. Ordinis S. Aug.

De huiuſmodi electione eſt etiam ſup. conſt. 141. *Pij V.* Inter ceteras. *Et alia conſt.* 59. *Greg. XIII.* Quæ Inter. *vbi alia de hac religione ſunt indicata.*

Edita An. D. 1589.

SIXTVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX varietate temporum ipſa quoque humana conſilia quandoque variantur.

Pius V. Capitulum generale quolibet triennio celebrari & in eo Priorem generalem, & Viſitatores, ac d. Priorem ad triennium eligi iuſſit in ſua conſt. cit. in rub. Hic Pont. aliter ſtatuit.

Sane fel. rec. Pius Papa V. prædeceſſor noſter Capitulum generale Congregationis Canonicorum Regularium S. Saluat. Bononien, Ordinis S. Aug quod vnoquoque anno celebrari conſueuerat, deinceps quolibet triennio celebrari, & in eo Priorem Generalem, Viſitatores, ac priorem generalem ad triennium ſimiliter duraturos eligi debere per ſuas in forma breuis literas ſtatuerat, & decreuerat.

§. 1. Noſque iuſtis adhuc & rationabilibus cauſis adducti, eam ipſam Pij V. conſtitutionem mutantes, idem Capitulum rurſus quolibet anno celebrari, dictumque priorem generalem, viſitatores, ac procuratorem generalem, alioſque Officiales, & Miniſtros ſimiliter ſingulis annis eligi debere ſtatueramus, & decreueramus, prout in vtriſque literis præfatis, latius continetur.

Nunc vero iuſtis de cauſis d. conſtitutionem Pij V. innouat.

§. 2. Verum cum poſtea Congreg. præfatam ingenti ære alieno grauatam eſſe, illudque diſſolui minime poſſe, niſi annuis, quas ſuſtinet, impenſis aliquo pacto ſubleuetur acceperimus, atque adeo conſiderauerimus quod ſi dictum Capitulum generale non amplius ſingulis annis ſed de triennio in triennium, vt ante conſueuerat, celebraretur, maximis ſumptibus, qui in congregando dicto Capitulo fiunt quotannis parceretur. Vnde ipſum æs alienum quod alioqui continuo augetur, facilius diſſolui, quinimmo ipſi Canonici, qui propterea nimis frequenter vagari videbantur, in regularis obſeruantiæ ſtudio melius contineri potuerunt, ipſeque Prior generalis de neceſſitatibus dictæ Congregationis vberius dicto triennio durante ſe informare eiſdemque conſultius, & ſalubrius prouidere ſimiliter poterit, eiuſdem Congregationis commodis, quantum poſſumus proſpicientes, literarum præfatarum tenores, acſi præſentibus inſererentur, pro expreſſis habentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſt. poteſtatis plenitudine tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod poſthac perpetuis futuris temporibus Capitulum generale eiuſdem Congregationis quolibet triennio, iuxta formam literarum eiuſdem Pij Quinti omnino celebrari debeat, & in eo Prior generalis, Viſitatores, & Procurator generalis, prout ipſe Pius Quintus.

Ceteroſque Abbates, Priores, Vicarios, & Præpoſitos ſimiliter ad triennium eligi mandat.

§. 3. Ac ceteri etiam Abbates, Priores, Vicarii & Præpoſiti ad triennium eligantur, prout rec. mem. Gregorius Papa Decimustertius etiam prædeceſſor noſter per ſimiles literas, quarum etiam tenorem pro expreſſo haberi volumus diſpoſuerunt. Ita tamen quod dilecti filij moderni Prior generalis, Viſitatores, procurator generalis, & alij Officiales prædicti, per triennium à die eorum electionis computandum eorum officiis fungi debeant.

Triennium præſentium officialium à die electionis currere declarat.

§. 4. Quodque prior generalis lapſo triennio ſui officij non poſſit de nouo ad idem officium eligi, niſi lapſo ſexennio.

Horum aliquo infra triennium decedente, eius loco ſuffectus officium vſque ad Capitulum teneat. Dictam anno quolibet teneri præcipit.

§. 5. Et ſi contingat aliquem ex dictis Officialibus intra triennium ſui officij decedere, iis qui in ipſius locum iuxta formam conſtitutionum dictæ Congregationis ſuffectus fuerit, in officio vſque ad proximum generale Capitulum perſeuerer.

§. 6. Volumus autem, vt negocia eiuſdem Congregationis intra dictum triennium vtilius, & diligentius pertractentur, quod quotannis in loco commodo, Conuentus, quem dietam appellant, iuxta præſcriptum literarum eiuſdem Pij Quinti habeatur, in quo Prior generalis, ac Viſitatores, vna cum duobus ex quatuor Congregationis prædictæ Canonicis in generali Capitulo ad hoc tamquam Conſultores inſtar aliorum officialium ſpecialiter eligendis, quorum hac prima vice moderno Priori generali, & Viſitatoribus, ac Procuratori generali electionem tribuimus, conueniant. In ipſo vero Conuentu potiſſimum examinetur an ipſe prior generalis, & reliqui ab acceptione munerum abſtinuerint, & ęs alienum iuxta ordinem præſcriptum diſſolutum fuerit. Volumuſque ideo, vt idem Conuentus quæ ad bonorum dilapidationem, ac munerum acceptionem pertinent, à quorum perceptione abſtineri omnino cupimus, ea quæ ſcilicet idem Conuentus etiam contra eumdem Priorem generalem occaſione præmiſſorum remedio indigere duxerit, communi dicti Conuentus conſenſu accedente, quamprimum ad nos, & ſucceſſores noſtros, vel eiuſdem Congregationis pro tempore protectorem referri curet.

Formam electionis Prioris & aliorum à Pio V. traditã ſeruari iubet.

§. 7. Ceterum in electionibus prioris generalis, Viſitatorum, procuratoris generalis, & aliorum Officialium prædictorum, ac in bonorum adminiſtratione, & rationum computorumque redditione, formam in prædictis Pij prædeceſſoris literis traditam.

Conſtitutiones autè in eligen. Diſcreti ſtrẽui mandat.

§. 8. In electione vero Diſcretorum, ſiue Sociorum, conſtitutiones, & regularia dictæ Congregationis inſtituta omnino ſeruari debere, præcipimus, & mandamus.

Obſeruantiã huius bullæ omnibus iniungit.

§. 9. Decernentes Priorem generalem, Viſitatores, procuratorem generalem, ac alios Officiales, & canonicos dictæ Congregationis ad præmiſſorum omnium obſeruationem teneri, & obligatos exiſtere, & ad id modernum, & pro tempore exiſtentem protectorem prædictum, etiam per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, cogi, & compelli, poſſe. Sicque & non aliter, per quoſcumque Iudices, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi, facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, irritumque & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarijs derogat.

§. 10. Non obſtantibus ſingulis literis prædictis, ac quibuſuis conſtitutioibus & ordinationibus Apoſt. ac Congregationis, & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apoſt. vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Tractare de immutatione huius bullæ prohibet.

§. 11. Volumus autem, ac in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub priuatione quorumcumque officiorum, & dignitatum, aliis Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis arbitrio noſtro infligendis ac moderandis, præcipimus

mus ac inhibemus, omnibus & singulis Congregationis prædictæ Canonicis, ac aliis quibuscumque personis in eadem congregatione degentibus, ne quis publicæ vel priuatim de triennali capitulo, ac constitutione nostra huiusmodi, omnibusque præmissis in contrarium quomodolibet tractare audeat seu præsumat.

Transumptis vbdi decernit.

§. 12. Ceterum quia difficile foret præsentes nostras literas ad singula quæque loca deferri, volumus, ac Apost. auctoritate decernimus, vt præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhibeatur, si forent exhibite vel ostensæ.

D. P. An. 5. 3. Augusti.

Dat. Romæ in Monte Quirinali, sub annulo Pisc. die 23. Augusti 1589. Pont. nostri Anno 5.

Suppressio instituti Fratrum Scalceatorum Sancti Francisci in Italia, eorumque locorum concessio Fratribus Minoribus Conuentualibus Reformatis, ordinis eiusdem Sancti Francisci.

De his Reformatis, & toto Ordine Franciscano, vide sup. in const. 68. Apost. *& antea in const.* 5. *Honor. III.* Solet.

Edita An. D. 1589.

SIXTVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius const.

CVm sicuti ad aures nostras nuper peruenit, dilectus filius Io. Baptista de Pisauro, professor Ordinis fratrum S. Fr. Scalceatorum nuncupatorum Regnorum Hispaniarum, in Italiam veniens, multos diuersorum Ordinum Religiosos, tam Mendicantium ac Capuccinorum, quam non Mendicantium, & alias sæculares personas in nonnulla loca, seu domos ipsius Italiæ per eum recepta ad habitum per fratres Scalceatos huiusmodi gestari solitum suscipiendum, & professionem per eos emitti consuetam emittendam, Sede Apost. omnino inconsulta receperit, eorumque plerique sit recepti, habitum susceperint, & professionem huiusmodi emiserint.

Suppressio instituti Fratrum Scalceatorum in Italia.

§. 1. Nos qui prædictorum Scalceatorum institutum hoc tempore in Italiam inducendum non censemus, Considerantesque fratres, qui Reformati Conuentuales, & de Obseruantia appellantur in puritate ac simplicitate eorum Ordinum viuentes in eadem Italia, benedicente & incrementum dante domino florere, Motu proprio & ex certa nostra scientia, ac de Apost. potestatis plenitudine institutũ fratrũ Scalceatorũ huiusmodi in diuersis locis, Ecclesiis, & Conuentibus Italiæ receptum, & tam per dictum Ioannem Baptistam, quam omnes, & singulos alios socios suos Scalceatorum introductum Apost. auctoritate, tenore præsentium, extinguimus, supprimimus, penitus, & absolemus.

Concessio locorum his Reformatis.

§. 2. Ac loca, domos Ecclesias, & conuentus huiusmodi cum omnibus eorum ornamentis, & sacra suppellectile & iuribus vniuersis, Ordini Fratrum Minorum Sancti Francisci Conuentualium, Reformatorum nuncupatorum, perpetuo concedimus, & assignamus, seu vnimus, annectimus, & incorporamus. Ita quod liceat ipsis fratribus Conuentualibus Reformatis, nullius ad hoc requisita licentia, corporalem, realem & actualem possessionem præfatorum locorum, Conuentuum, & Ecclesiarum libere apprehendere, in eisque iuxta formam institutorum regularium, ac literarum Apostolicarum confirmationis, & approbationis eiusdem Ordinis Conuentualium Reformatorum à nobis emanatarum, & per officium minoris gratiæ expeditarum, vitam ducere regularem.

Permissio trãseundi ad eos. dem Reformatos.

§. 3. Necnon Ioannem Baptistam, omnesque alios eius socios ac eorum singulos, ab omni apostasiæ nota, ac quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & etiam temporalibus pœnis, siquas propter præmissa omnia vel illorum occasione, & etiam quia à Superioribus Ordinum licentiam inde exeundi non petierint aut alias quomodolibet respectiue incurrerint, necnon ab excessibus huiusmodi, in vtroque foro auctoritate, & tenore præmissis, absoluimus, ac totaliter liberamus, dictasque sententias, censuras & pœnas, eis & cuilibet eorum gratiose remittimus & condonamus atque relaxamus. Ac cum eisdem superirregularitate per eos & quemlibet eorum, qui interim ob præmissa, censuris, innodati diuinis, non tamen in contemptum clauium, quomodolibet sese respectiue immiscuerint, incursa, quodque illa, & aliis præmissis, non obstantibus clericali charactere, ac omnibus etiam sacris, & presbyteratus ordinibus, per eos, & quemlibet eorum respectiue alias rite susceptis, illorumque priuilegiis vti, ac in eisdem Ordinibus etiam in Altaris ministerio ministrare libere & licite valeant dispensamus, omnemque inhabilitatis & infamiæ maculam, siue notam contra eos & quemlibet eorum ex præmissis omnibus & singulis quomodolibet insurgentem, ab eisdem penitus abolemus, ipsosque in pristinum & eum in quo ante præmissa quomodolibet erant statum in omnibus & per omnia restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus. Decernentes quod dictus Ioannes Baptista, & alij qui in aliis religionibus prius professi fuerant, vel ad easdem redire teneantur, vel si fratres conuentuales Reformatos prædictos transire maluerint ad eos transire, & ibidem recipi, & recepti permanere possint, dummodo prædicti aliarum Religionum professi, si ad dictos fratres conuentuales Reformatos transire voluerint professionem de nouo emittant, & quæ ab vna in Aliam Religionem transeuntes seruare tenentur, seruent. Aliis vero sæcularibus qui ab eodem Ioanne Baptista, siue aliis sociis Scalceatis receptis, & ad professionem admissi fuerunt, in prædictorum fratrum conuentualium Reformatorum, vel alia Religiones, pares vel arctiores à Sede prædicta approbatas, dummodo de nouo nouitiatum faciant ingrediendi licentiam & facultatem concedimus & impartimur, Decernentes etiam, omnes supradictos posse in supradictas Religiones recipi, etiam non expectato Capituli, vel Congregationis capitularis tempore iuxta constitutionis à nobis nouiter emanatæ formam, cui harum serie, ac vice dumtaxa specialiter, & expresse derogamus.

Communicatio priuilegiorum Fratrum Conuentualium huic Congreg. Reformatorũ

§. 4. Quodque ipsi omnes in prædictos Conuentuales Reformatos, recepti, omnibus & singulis priuilegiis, facultatibus indultis, indulgentiis, & peccatorum remissionibus ac aliis gratiis, tam, spiritualibus quam temporalibus, quibus ipsi fratres conuentuales Reformati, vtuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, frui, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter, & æque principaliter, vti, potiri, & gaudere, libere & licite valeant, auctoritate & tenore præmissis de speciali gratia indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri, qua cauetur expresse, ne cuiusuis Ordinis Mendicantium professores, loca ad inhabitandum recipere, seu recepta mutare, absque Sedis prædictæ licentia speciali de prohibitione expressam mentionem faciente, ac aliis quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apost. dictorumque Ordinum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apost. sub quibuscumque tenore & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis, in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceteriseque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem vt præsentium transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarij etiam in Archiuio Romanæ Curiæ descripti, per dilectum filium nostrum Hieronymum tituli Sancti Petri ad Vincula, presbyterum Cardinalem de Ruuere nuncupatum, totius Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium, etiam Reformatorum Sancti Francisci huiusmodi Protectorem, oretenus deputati subscriptis, & sigillo eiusdem

Digitized by Google

Hieronymi Card. Protectoris munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 5. 20. Decemb. Dat. Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Pisc. die 20. Decembris, 1589. Pont. nostri Anno 5.

C. Iurisdictio, & facultates Thesaurarij generalis, Romani Pontificis, & Collectoris Spoliorum ad Reuer. Cameram Apost. quoquomodo spectantium.

Officium Thesaurarij liquet esse antiquissimum, ex lectura bullæ 13. Eugen. IV. Inter. *Et Thesaurarium verum Papæ familiarem pronunciauit Callist. III. in const.* 1. Quæ laudabili. *Et circa d. officium varias ediderunt nonnulli Pontt. constitutiones, quas tamquam minus necessarias (præter hic & in apostillis indicatas) consulto prætery. Præsertim quod hæc bulla plene omnia continet. At circa Cancellarias criminales Status Ecclesiastici, vide Thesaurarij auctoritatem, & in Cancellarios iurisdictionem, in const.* 10. *Pauli IV.* Romanus. *sup. & const.* 83. *Pij IV.* Superna.

Spoliorum autem appellatione veniunt, bona Ecclesiasticarum personarum sine licentia Sedis Apost. de eis disponentium, iuxta const. 19. & 46. Pauli III. sup. ac Pij IV. const. 8. Et acquisita ob illicitam negociationem, iuxta const. 19. Pij IV. Illegitimis relicta, aut vacantia vt hic, & infra in const. 18. Pauli V. Necnon bona Regularium extra claustra decedentium iuxta const. 43. Greg. XIII. Clericorumque extra residentiam morientium iuxta const. 91. Pij IV. Fructus beneficiorum Italiæ, Sedi Apost. reseruatorum vel affectorum, dum vacant, iuxta const. 32. Pij IV. Bona decedentium extra residentiam Fructusque beneficiorum inexacti, iuxta const. 7. Iulij III. Vel ante literarum Apost. expeditionem, aut alias male percepti, vt hic. Quæ autem non veniant in spoliis, dicam in d. const. 18. Pauli V.

Edita An. D. 1590. *SIXTVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei. Dilecto filio Magistro Bartholomeo Casio Clerico Romano, vtriusque iuris Doctori, Cameræ Apostolicæ Thesaurario generali, ac Capellano & familiari nostro, salutem, & Apost. bened.*

Proœmium. IN conferendis præcipuis Romanæ Curiæ, & Cameræ Apostolicæ officiis, illud potissimum nobis curæ est, vt iuxta commissum nobis desuper Apostolicæ seruitutis munus, salubri directioni, indemnitati, & conseruationi ærarij Apostolici opportune consulatur, vtque illius administratio talibus personis committatur, quarum opera, studio, industria, ac fide, & bona, res & iura prædictæ Cameræ prouide, ac diligenter conseruentur & augeantur.

Officium Thesaurariatus vacans. §. 1. Dum itaque officium Thesaurariæ generalis eiusdem Cameræ quod dilectus filius noster Guido Sanctorum Cosmæ & Damiani diac. Card. Pepulus nuncupatus, tempore assumptionis per nos de persona sua ad Cardinalatus honorem factæ nuper obtinebat, ex eo quod nos ipsum officium per assumptionem huiusmodi vacare decreuimus, vacauerit, & vacet ad præsens.

Casia familia laudabiles qualitates referuntur, & Officium Thesaurariæ, ac Collectoriæ spoliorum, ac fructuum, & prouentuum beneficiorum Ecclesiarum, & Monasteriorum in §. 2. Nos ad generis nobilitatem, eximiamque doctrinam, necnon fidei ac iustitiæ zelum, integritatem, ac singularem probitatem, ceteraque virtutes quibus tu qui notarius Apostolicus de numero participantium, & Cameræ præfatæ Clericus & in vtraque Signatura nostra Referendarius, ac Prælatus noster domesticus existis, & ex nobili Cæsiorum Prosapia, ex qua quamplurimi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Episcopi, Prælati, & aliæ egregiæ personæ de Sede Apostolica benemerentes hactenus prodierunt, & in dies prodeunt, originem trahis, clarere dignosceris, nostræ dirigentes consideratio-

vniuersa Italia, & honorifi in Vrbe & toto Statu Ecclesiastico vacantium, aliisque illi annexis cum iuribus & emolumentis, ac gratiis præcessoribus. Thesaurariis, siue Collectoria concessis confertur in persona Bartholomæi Casij Romani. Sed omissa ponere has bullas præcedentes, quia hic omnia comprehenduntur, quæ in eis continentur.

nis intuitum, & indubie sperantes quod ea quæ tibi duxerimus committenda, summa cum prudentia & exacta diligentia exequeris, quodque dextera Domini tibi assistente propitia dictum officium poteris laudabiliter exercere, dignum quin potius debitum fore censemus, vt personam tuam nobis, & Apostolicæ Sedi admodum deuoram condignis honoribus, & gratiis prosequamur. Te itaque à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, Motu proprio non ad tuam, vel alterius pro te nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, & ex certa scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, dictum officium per assumptionem prædictam, siue alio quouis modo quem haberi volumus pro expresso, aut ex alterius cuiuscumque persona vacans, cum officio Collectoriæ etiam generalis spoliorum, ac fructuum, & prouentuum quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum, necnon Ecclesiarum & Monasteriorum in vniuersa Italia, ac bonorum in Vrbe & toto Statu Ecclesiastico vacantium, aliisque illi annexis, necnon omnibus & singulis illius honoribus, priuilegiis, necnon ex dismembratione & separatione (quinque millium scutorum annuorum monetæ ex fructibus dicti officij Thesaurariæ per nos nuper ex certis causis animum nostrum mouentibus factis, Montis Thesaurariæ per nos nuper erecto applicatorum, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur remanentibus) iuribus, regalibus, & emolumentis consuetis, ac facultatibus, iurisdictionibus, exemptionibus, immunitatibus, præeminentiis, antelationibus, prærogatiuis, fauoribus, indultis, & gratiis tam eidem Guidoni, quam dilecto filio nostro Benedicto S. Mariæ in Cosmedin. diacono Iustiniano nuncupato Cardinalibus, dum in minoribus constituti huiusmodi officium Thesaurariæ obtinerent, quam ceteris omnibus ante eos generalibus Thesaurariis, & Collectoribus per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem prædictam, in genere vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis, extensis, & innouatis, ac alias ad Thesaurariæ generalis & Collectoriæ huiusmodi officia, de iure, fundatione, priuilegio, vsu, consuetudine, vel alio quocumque modo, & titulo pertinentibus, ceterisque omnibus, & singulis quibus Benedictus & Guido Cardinales prædicti dum huiusmodi officium Thesaurariæ obtinuerunt, & alij quicumque eorum in officiis huiusmodi antecessores, tam antiquis quam modernis temporibus vsi, potiti, & gauisi fuerunt, ac vti, potiri, & gaudere potuerunt, seu etiam debuerunt, siue de illis per literas Apostolicas, vel patentes, aut scripturas, seu libros Camerales, vel quæcumque alia publica vel priuata documenta, fidem tamen facientia appareat, quæ omnia & singula illorum tenores præsentibus, pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, harum serie Apostolica auctoritate confirmamus, approbamus, & innouamus tibique de nouo concedimus, ita vt tu illis omnibus & singulis, vti, potiri, & gaudere, libere & licite valeas, in omnibus, & per omnia, ac pariformiter & absque vlla prorsus differentia, perinde ac si per præsentes specialiter & expresse concessa fuissent, eadem tibi auctoritate concedimus & assignamus. Teq; ad Thesaurariæ, & Collectoriæ officia huiusmodi, illorumque liberum exercitium ex nunc recipimus, & admittimus, ac in locum dicti Guidonis Cardinalis quoad officia huiusmodi substituimus, & subrogamus, ac nostrum, & Sedis ac Cameræ prædictæ Thesaurarium generalem constituimus, & deputamus, ac per dilectos filios eiusdem Romanæ Ecclesiæ Camerarium, præfataque Cameræ Præsidentes, Clericos, aliosque ad quos spectat, & spectabit, tam in eadem Camera quam alibi recipi, & admitti, tibique de iuribus, regalibus, iocalibus, taxis, prouentibus, obuentionibus, & emolumentis, quibuscumque, ad Thesaurariæ, & Collectoriæ officia huiusmodi quomodolibet spectantibus, (dictis quinque millibus

Digitized by Google

millibus ſcutis, vt præfertur, diſmembratis pro eadem Camera remanentibus) integre reſponderi mandamus.

Locus in Camera, in Capella, & actus actibus datur.

§. 3. Tibique quod in eadem Camera, aliiſque actibus Cameralibus ac quibuſcumque aliis locis in loco ſolito poſt Vicecamerarium immediate, ſed in Capella noſtra & quibuſcumque ſeſſionibus, proceſſionibus, equitationibus, aliiſque actibus tam publicis quam priuatis in noſtro & pro tempore exiſtentis Rom. Pont. conſpectu, & præſentia, vel etiam abſentia faciendis, ante omnes Epiſcopos, Primates & Patriarchas, immediate tamen poſt Auditorem cauſarum curiæ Cameræ huiuſmodi ſedere.

Et in Signatura Gratiæ.

§. 4. Ac in noſtra & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis ſignatura continuo interuenire, & aſſiſtere.

In Congregationibuſque de intereſſe Camera tractantibus.

§. 5. Ac in omnibus, & quibuſcumque cameris, & Congregationibus, intereſſe Cameræ præfatæ ſiue generaliter ſiue particulariter concernentibus, vocari, & adeſſe ac interuenire.

Facultas agēdi cum Papa de affictibus Camera conceditur.

§. 6. Necnon capitula, & conuentiones appaltuum, & iurium dictæ Cameræ, ac apochas ſuper illorum, & aliorum iurium conceſſione in dicta Camera conſignandas, ſeruato ſtylo in eadem Camera ſeruari ſolito, per te ipſum ad nos referre poſſis & debeas, auctoritate & tenore prædictis indulgemus.

Penſio domus & victus familia aſſignatur.

§. 7. Necnon ſcuta ducenta pro penſione domus, ac victum quotidianum Theſaurariis generalibus, pro ipſis & octo eorum familiaribus ac duobus equis præſtari ſolita.

Prouentuſque Spoliorum.

§. 8. Ac omnia, & ſingula iura, obuentiones, prouentus, ſalaria, regalia, ſpoliorum, etiam cum diuerſis Capitulis & Cleris ſæcularibus hactenus cum dicta Camera compoſitorum, & in poſterum componendorum.

Bonorū etiam vacantium, ac redditūm, non expeditis literis, aut alias male perceptorum.

§. 9. Ac bonorum vacantium, necnon reddituum & prouentuum, literis non expeditis, aut alias male & indebite, ac contra formam conſtitutionis fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui, & Iulij Secundi, Tertij, & aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum perceptorum.

Illicitaque negociationes.

§. 10. Ac etiam illicitæ negociationis per quaſuis perſonas quauis auctoritate fungentes, nunc & pro tempore factæ, & aliorum iurium & fructuum inferius declarandorum, decimas, taxas, & etiam emolumenta, ordinaria & extraordinaria, vndecumque, & quomodocumque prouenientia, quæ pro tempore exiſtentem dictæ Cameræ Theſaurarium & Collectorem ſpoliorum, ac fructuum & bonorum ad eamdem Cameram ſpectantium, exigi & leuari quomodocumque & quocumque titulo vel cauſa conſueuerunt, ſeu etiam potuerunt, & debuerunt.

De his Spoliis vide ſup. in Pij IV. conſtit. 19. Decens vbi notaui.

Excipiuntur prouentus per Nuncium Regni Neap. percipi conſueti, vel quatuor Cancellarijs Annatarum aſſignati, à Gregor. XIII.

§. 11. Demptis tamen his, quæ per nunc & pro tempore exiſtentem, noſtrum, & Sedis prædictæ in Regno Neapolitano tam citra quam vltra Pharum, Nuncium hactenus percipi, & colligi cõſueuerunt, niſi compoſitionem, aut cauſæ terminationem in Curia fieri contingat, quo caſu decima tibi debeatur, necnon prouentibus quatuor Cancellariis annatarum per piæ mem. Gregorium Papam XIII. etiam prædeceſſorem noſtrum conſtitutis & aſſignatis, ad quamcumque ſummam aſcendant, conſequi, exigere, & leuare, ac realiter & cum effectu percipere poſſis, & valeas.

Spolia in Italia cedē Theſaurario aſſignantur.

§. 12. Ac tam in Vrbe, eiuſque diſtrictu, dominioque temporali eiuſdem Romanæ Eccleſiæ, quam tota Italia, omnia & quæcumque bona, mobilia & immobilia, ac ſe mouentia, necnon ſpolia, aliaſque res & bona quomodolibet nuncupata.

Fructus beneficiorum male percepti.

§. 13. Necnon fructus, redditus, & prouentus menſarum Abbatialium, Epiſcopalium, Archiepiſcopalium Patriarchalium, & aliarum etiam Parochialium Eccleſiarum, & Monaſteriorum, ac quorumcumque beneficiorum quomodocumque & qualitercumque qualificatorum, ex quouis titulo, etiam infecto, aut alias male, & indebite perceptos.

Bona quæcumq. modo vacantia.

§. 14. Necnon bona ſine hæredibus decedentium, aut alias in Curia prædicta, vel extra eam vbique quomodolibet vacantia.

Illegitimi reticia contra bullam 11ⁿ. Pij V. quæ eſt ſup.

§. 15. Et de quibus contra conſtitutionem recolendæ memoriæ Pij Papæ Quinti ſimiliter prædeceſſoris noſtri contra illegitimos, etiam diſponi contigerit, aut iam diſpoſitum fuerit.

Male acquiſita.

§. 16. Aut ex cauſa illicitæ negociationis, vel alias male acquiſito.

Relicta per Religioſos extra clauſtra degentes contra bullam Greg. XIII. num. 42 ſup.

§. 17. Et quæ ab Apoſtatis, aut aliis extra clauſtra degentibus Religioſis, tempore eorum obitus detinentur, & poſſidentur, quæque per obitum ipſorum Apoſtatarum, & aliorum regularium extra clauſtra ſuorum Monaſteriorum exiſtentium, & alias contra formam literarum dicti Gregorij prædeceſſoris deſuper editarum.

Acquiſita de fructibus Eccl. ſtatim, de quibus legitime diſpoſitum non fuit.

§. 18. Ac etiam illa, necnon ædificia & loca quæ ex fructibus, redditibus, & prouentibus Eccleſiaſticis profecta, ædificata, refecta, & reſtaurata fuerint, ſeu alias ex eiſdem fructibus, redditibus, & prouentibus quomodolibet prouenerint per obitum quarumcumque perſonarum Eccleſiaſticarum beneficia Eccleſiaſtica etiam ſimplicia, de quorum tamen ſimplicium fructibus vel ex priuilegio Apoſtolico, vel ex conſuetudine legitime præſcripta, diſpoſitum non fuerit, tam in titulum quam adminiſtrationem obtinentium, ſæcularium, & quorumuis Ordinum regularium, quauis etiam Pontificali dignitate fulgentium in omni Italiæ parte pro tempore decedentium.

Ad hoc vide bullam Pauli V. cit. in rub.

Bona non reſidentium.

§. 19. Necnon quarumuis perſonarum beneficia perſonalem reſidentiam requirentia obtinentium, extra eamdem reſidentiam, ac vbilibet etiam in dicta Curia decedentium remanſura, etiamſi in auro, argento, gemmis, & aliis pretioſis rebus cuiuſcumque generis, qualitatis, & ſpeciei fuerint.

Hæc vide in Pij IV. conſtit. 91.

Fructus beneficiorum reſeruatorum, vel affectorū, pro tempore vacant, &c.

§. 20. Ac etiam fructus, redditus, & prouentus menſarum Eccleſiarum, & Monaſteriorum in ipſius Cameræ libris taxatorum, necnon beneficiorum etiam in dicec. quæ pactum cum dicta Camera iniuerunt ex quacumque cauſa Sedi prædictæ reſeruatorum ſeu affectorum ex die vacationis vſque ad diem præfectionis ſeu prouiſionis, & adeptæ poſſeſſionis illorum, ſeu commendæ de illis faciendæ, quos omnes fructus, redditus, & prouentus, ad nos & dictam Cameram ſpectare, & pertinere volumus, & decernimus, eidemque Cameræ applicamus, & appropriamus.

Ad hoc habes etiam ſup. Pij IV conſt 32. vbi notaui.

Fructuſque omnes male percepti.

§. 21. Necnon omnia, & quæcumque bona relicta, & quoſcumque huiuſmodi fructus, redditus, & prouentus male perceptos, cuiuſcumque qualitatis, & quantitatis fuerint, etiam percipere, exigere, & recuperare poſſis, & valeas.

Facultas Theſaurario datur procedēdi etiam ex officio in præmiſſis, & contra exemptos.

§. 22. Ac etiam tam ex officio curiæ tuæ, ſeu Cameræ prædictæ, illique adhærentium, quam etiam ad ſolam inſtantiam denunciantium, ſeu inſtigatorum inquirendi & inueſtigandi omnibus viis & modis, tam ſuper illis, quam aliis quibuſcumque ſpoliis, quæ hactenus ex bonis relictis, & fructibus huiuſmodi per ſimilium perſonarum obitum aut alias vt præfertur, ſeu quomodolibet remanſerunt, & indebite quocumque prætextu vſurpantur, & vſurpari contigerit, noſtro & dictæ Cameræ nomine colligere, percipere, & exigere, etiam cum facultate pro faciliori inquiſitione quaſcumque perſonas cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, & præeminentiæ fuerint etiam exemptas.

Officialeſque ad reddendā rationē togendi.

§. 23. Necnon præteritos & pro tempore exiſtentes collectores & ſubcollectores, vel officiales, coram te vel alio ſeu aliis à te deputando ſeu deputandis, ad reddendum computum & rationem de adminiſtratis, exactis & receptis ab eiſdem.

Teſtes ad ſe examinādum aſtrengendi.

§. 24. Illoſque quorum teſtimonio indigere cognoueris, ad ſe examini ſubiiciendum.

Occupatores ſpoliorum coercendi.

§. 25. Et ſpoliorum ac fructuum, reddituum, & prouentuum ac bonorum huiuſmodi occupatores & detentores ad ſpolia, fructus, redditus, & prouentus huiuſmodi reſtituendum, & relaxandum.

Illaque arbitrio ſuo vendendi.

§. 26. Ac tibi ad effectum vendendi, ſubhaſtandi, deliberandi, diſtrahendi, & alienandi, arbitrio tuo in vim huiuſmodi facultatum prout tibi viſum fuerit, & etiam abſque aliqua ſubhaſtatione, ſeu incantu, & abſque interuentu & inſtantia alterius officialis, etiam prædictæ Cameræ pro tempore exiſtentis commiſſarij,

Digitized by Google

in pecuniam conuertendi, illa consignandum,& soluendum.

Delinquentes in præmissis puniendi.

§. 27. Illosque qui in præmissis vel circa ea, quomolibet deliquerint, etiam ad personaliter, coram te, seu à te, deputando vel deputandis huiusmodi comparendum, sub confiscationis bonorum, & priuationis beneficiorum, inhabilitatisque ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac etiam pecuniariis, quæ tibi videbuntur, ac demum excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, tuo arbitrio infligendis, moderandis, & applicandis, monendi, citandi, & compellendi, ac etiam carceribus mancipandi, ac quoties tibi videbitur relaxandi, contradictores quoslibet & rebelles, ac contumaces, pœnas ac censuras prædictas incurrisse declarandi, illasque etiam sæpius aggrauandi, auxiliumque brachij sæcularis inuocandi.

Desuperque componendi.

§. 28. Ac super eisdem spoliis, fructibus, redditibus, & prouentibus, ac bonis, toties quoties tibi videbitur, cum quibusuis personis quacumque auctoritate fungentibus componendi, & concordandi, ac soluentes de compositis & solutis per eos, ac de receptis quietandi, liberandi, necnon ad cor reuersos, si id humiliter petierint à censuris & pœnis, præuia satisfactione simpliciter, & etiam alias cum reincidentia, seu ad cautelam, seu ad effectum agendi, absoluendi, & liberandi, ac à carceribus re[illegible]ndi.

Summarie procedendi.

§. 29. Et in præmissis omnibus & singulis, etiam summarie, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, etiam priuatiue quoad alios quoscumque quauis auctoritate fungentes, & functuros, procedendi, sententiandi, fineque debito terminandi.

Causas spoliorum, eisque annexas, ab omnibus Iudicibus reassumendi.

§. 30. Causasque huiusmodi etiam cum omnibus & singulis suis incidentibus, connexis & annexis à quibuscumque aliis iudicibus ordinariis, & delegatis, quacumque auctoritate fungentibus, & etiam causarum Palatij Apost. Auditoribus, seu Locatenentibus, vigore suæ ordinariæ iurisdictionis, ac facultatis reassumendi, ac illis, aliisque quibus opus fuerit, etiam sub censuris Ecclesiasticis, & pecuniariis pœnis tuo arbitrio imponendis, moderandis, & applicandis, inhibendi, ipsasque censuras, & pœnas, quoties opus fuerit incidisse declarandi, aggrauandi, & reaggrauandi.

Vicethesaurarium, Auditores, Collectores &c. deputandi & suo arbitrio remouendi.

§. 31. Necnon Vicethesaurarium, aut Locumtenentem generalem, ac vnum seu plures Auditores loco tui, cum simili aut limitata potestate, toties quoties tibi expedire videbitur, & ad omne tuum beneplacitum deputandi, constituendi, & faciendi ac reuocandi, necnon quoscumque collectores, subcollectores, commissarios, subcommissarios, ac depositarios & exactores pecuniarum, & iurium dictæ Cameræ, seu alios officiales hactenus deputatos seu deputandos, reuocandi seu confirmandi, & alios quoscumque illorum loco per tuas literas tuo sigillo munitas, in quibuscumque ciuitatibus, oppidis, terris, & locis, deputandi, & subdelegandi, quoties tibi videbitur expedire, ceteraque omnia faciendi, gerendi, & exequendi; quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint quomodolibet & opportuna; plenam tibi, & liberam per præsentes concedimus facultatem.

Causas Spoliorum & independentia, priuatiue quoad alios cognoscendi.

§. 32. Et insuper vt spoliorum, fructuum, reddituum, & prouentuum, ac bonorum, iuriumque huiusmodi exactio celerius, commodiusque fiat, statuimus quod omnes & quæcumque similes lites, causæ, & controuersiæ, super quibusuis fructibus, redditibus, & prouentibus, spoliis, bonis, & aliis prædictis, & illorum occasione, & aliæ quæ ab ipsis litibus, & causis quomodolibet dependent, seu cum illis connexitatem habuerint, nunc & pro tempore quocumque locorum pendentes & si super spoliis, seu fructibus male perceptis, & aliis prædictis fuerit facta compositio in Camera, & inter partes adhuc aliqua controuersia pendeat, nullo alio quam à te ac tuis, seu aliis super spoliis, & fructibus, rebusque, bonis ac aliis præmissis à te pro tempore deputandis, collectoribus, subcollectoribus, & aliis officialibus & ministris specialibus vel generalibus.

Appellationes à sententiis Nunciorum, Collectorum & aliorum desuper ferendas, ad Thesaurarium solummodo committuntur.

§. 33. Necnon causæ appellationum à sententiis latis per tuos commissarios, vel etiam pro tempore existentibus Sedis Apostolicæ Nunciis in Neapolitano, Hispaniarum, Portugalliæ, seu Algarbiorum Regnis, ac Ducatu Sabaudiæ, & Principatu Pedemontium, aliisque quibuscumque Regnis & Prouinciis, ac vbique locorum residentibus, necnon Visitatoribus, & aliis quibuscumque, quomodocumque & qualitercumque, & sub quouis nomine, titulo, aut munere, & aliis collectoribus generalibus deputatis, & pro tempore deputandis, ad te solum, & tuos deputatos prædictos in secunda instantia, seu alia pertineant; omnesque appellationes desuper interpositas & interponendas, à te tuisque prædictis, & non ab alio, iuxta formam dicti Gregorij prædecessoris cognosci, nec alteri nisi per commissionem manu nostra signatam, vel per nostras literas & citato dictæ Cameræ Commissario generali, & Notario spoliorum, & causarum huiusmodi pro tempore à te deputato, cognosci & terminari possint. Quodque monitoria, citationes, inhibitiones, processus, sententiæ, & mandata, quæ alias quam ex citatione, commissione, vel literis nostris emanauerint, quoad earumdem causarum introductionem, & litis pendentiam seu tuam tuorumque ministrorum ad id à te deputandorum iurisdictionis & processuum impedimentum, retardationem, vel perturbationem, nullius sint roboris vel momenti.

Appellatio à Thesaurario deuolutiue tantum conceditur non retardat executionem. Locorum Montium resignationes, iuxta solitum admittuntur, ab eodem & eidem vendentur.

§. 34. Sed nec nisi præstita cautione idonea in forma depositi, à sententiis per te seu Locumtenentem vel Auditorem, seu Ministros prædictos, super præmissis pro tempore latis, vllo modo appellari, nisi post factam executionem ad effectum deuolutiuum tantum, nec earum executio differri aut suspendi possit.

§. 35. Necnon quascumque resignationes & cessiones quorumuis locorum seu creditorum Montium Iulij, ac primi & secundi succursus Auinionen. aliorumve siquæ sint resignationes, seu cessiones quas Thesaurarius pro tempore existens admittere consueuerit admittendi; & ipsa loca seu credita tam per resignationem seu cessionē huiusmodi, quam per aliam quamcumque dimissionem vel amissionem pro tempore vacantia conferendi & assignandi, iuxta formam aliarum facultatum tuis antecessoribus concessarum, & quascumque patentes literas tuo sigillo munitas expediendi, ac Secretarium & Cappellanum, ac Computistam, seu Ratiocinatorem, aliosque officiales iuxta solitum quoties tibi videbitur deputandi & reuocandi.

Cura instituti & cōstructionis Ciuitatis Terracinen. eidem datur.

§. 36. Necnon curam & administrationem introituum Ciuitatis nostræ Terracinen. ac constituendi Ciuitatem nouam iam inceptam in loco salubriori, iuxta formam aliarum facultatum tuis prædecessoribus concessarum petendi licentiam, facultatem, potestatem, & auctoritatem tenore earumdem præsentium concedimus & impartimur.

Sortes & Lotos permittendi, & eidem Thesaurario facultas datur.

§. 37. Præterea cum nonnulli, tam Prælati quam Vrbis prædictæ ciues & incolæ, & curiales, quam aliæ diuersæ personæ totius ditionis nostræ Ecclesiasticæ, ære alieno quandoque grauati, & aliis necessitatibus oppressi pro eorum debitorum satisfactione, aut necessitatum huiusmodi subleuamine, ac alias ipsorum arbitrio propria iocalia, aurumque & argentum, & alia bona, tam mobilia quam immobilia, domos, vineas, & alia quæcumque vendere cupientes, vt plurimum illa nisi satis minori pretio eorum veri valoris cum maximo eorum detrimento vendere, neque emptores inuenire possint, tibi quibusuis personis cuiuscumque status, gradus, & conditionis existentibus, vt eorum iocalia, aurum, argentum, & alia, bona, tam mobilia quam immobilia, vt supra sub sortibus quas lottos vocant, etiam cum bussula & pallis, aut alias tui arbitrio exponere, ac sortes seu lottos huiusmodi facere, publicare & exercere, præuia extimatione peritorum à te deputandorum, priuatiue ad quoscūque alios possis & valeas, soluta tamen Cameræ prædictæ rata & portione tibi bene visa, ac decima tibi, & iis qui sortes seu lottos huiusmodi fecerint quascumque licentias concedendi, ipsisque vt dictam ratam eidem Cameræ, ac decimam prædictam soluendam, vna cum expensis realibus, & necessariis desuper faciendis, in & super eisdem lottis recuperare possint, quibus tibi bene visum fuerit indulgendi, ac peritos extimatores eligendi & deputandi, & desuper edicta, seu publicationes, necnon quascumque patentes literas tibi bene visas

Digitized by Google

viſas, tam in dicta Vrbe quam extra illam in quibuſcumque ciuitatibus, oppidis & locis Status Eccleſiaſtici mediate vel immediate Sedi prædictæ ſubiectis publicandi, ac locis publicis affigendi, & tuo ſub ſigillo expediendi, necnon omnes & ſingulos qui hactenus ſimiles licentias obtinuerunt, ad ſoluendum ratam & portionem huiuſmodi tibi bene viſam, etiamſi in eorum licentijs aliter expreſſum ſit cogendi, ac licentias huiuſmodi, quoad illos qui illas ſoluere recuſauerint, aut diſtulerint reuocandi.

Cauſa ſpoliorum, lectorū, & aliorum prædictorum à Theſaurario cognoſcuntur priuatiue quoad alios.

§. 38. Necnon omnes & ſingulas cauſas, lites, & controuerſias deſuper, tam occaſione ſpoliorum & bonorum vacantium, ac Montium, illorumque locorum ac fructuum, quam etiam Lectorum huiuſmodi, aliorumque omnium & ſingulorum præmiſſorum, tam ciuiles quam criminales & mixtas, quomodolibet ortas, & quas pro tempore oriri contigerit inter quaſcumque perſonas, quacumque auctoritate, dignitate, & præeminētia ſuffultas, vna cum omnibus & ſingulis ſuis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis & connexis, & ex officio tuæ Curiæ ſimpliciter, ſummarie, & de plano, ſola facti veritate inſpecta audiendi, cognoſcendi, decidendi, fineque debito, omni & quacumque appellatione ad effectum ſuſpenſiuum tantum, remota, terminandi & finiendi, ac quæcumque mandata executiua decernendi, relaxandi, & quacumque appellatione aut recurſu vel inhibitione illius prætextu, ſeu alias forſan emanatæ non obſtantibus, exequi faciendi priuatiue ad omnes & ſingulos alios; ita quod nullus etiam vigore commiſſionis, niſi manu noſtra, aut pro tempore exiſtentis Romani Pontificis ſignata fuerit, in cauſis huiuſmodi ſeſe intromittere poſſit & debeat.

Reaſſumuntur, ab omnibus alijs iudicibus.

§. 39. Ac etiam quaſcumque cauſas coram quibuſcumque alijs iudicibus ordinarijs vel delegatis, etiam noſtri Palatij Auditoribus, ſeu Locum tenentibus, vt ſupra, nunc & pro tempore introductas, tua ordinaria auctoritate, & in vim huiuſmodi facultatum reaſſumendi, illiſque quibus opus fuerit inhibendi.

Notarius vnus in eius cauſis deputetur.

§. 40. Ac tam in dictis lectis, quam etiam cauſis & litibus ab eis quomodocumque & qualitercumque dependentibus, etiam illorum extractionem & præmiorum conſignationem, vnum ex Cameræ prædictæ Notarijs tibi bene viſum ad tuum beneplacitum, toties quoties tibi videbitur & placuerit, eligendi & deputandi, ac omnes & ſingulos hactenus deputatos, & ſeu in futurum deputandos ad tuum libitum reuocandi, ac alium ſeu alios ſimiliter deputandi.

Inſtrumenta &c. habentes qua Theſaurarij iuriſdictionem concernunt, ei conſignare cogatur.

§. 41. Omneſque & ſingulas ſcripturas, inſtrumenta, & acta, tam lectos huiuſmodi quam omnia & ſingula alia iuriſdictionem generalis Theſaurarij, vel collectoris ſpoliorum concernentia, tibi conſignari faciendi, & quos opus fuerit cogendi & compellendi, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, plenam, liberam, & abſolutam facultatem, poteſtatem, & auctoritatem ſimiliter concedimus & impartimur.

Decima omnium dictorū prouentuum, ei aſſignatur.

§. 42. Necnō vt accuratius & diligentius præmiſſis inuigilare, aç perſonas, quæ præmiſſorum curam ſuſcipere valeant, retinere valeas, tibi decimam omnium & ſingulorū pecuniarum, ſeu aliarum rerum ex dictis ſortibus, ſeu lectis, ſub quibuſuis modo & forma hactenus factis & publicatis, quā de cetero faciendis & publicandis, ad Camerā & Sedem prædictam prouenientiū aſſignamus, tibique decimam huiuſmodi propria auctoritate retinendi, etiam abſque aliquo alio mandato & ordinatione à quibus opus fuerit recipiendi, exigendi, leuandi, ac in tuos vſus & vtilitatem conuertendi, facultatem pariter elargimur. Præterea tibi, vt de omnibus compoſitionibus & incamerationibus quomodolibet per te ſeu collectores, alioſque tuos officiales & miniſtros ex quacumque cauſa quomodolibet factis, & pro tempore faciendis, etiam pro fructibus, redditibus, & prouentibus male perceptis, ac alijs præmiſſis in quibuſcumque locis & tribunalibus, factis ſeu faciendis, ac etiam à Camerario, eiuſque Auditoribus ciuiliter vel criminaliter quacumque ex cauſa expediendis, integram decimam illarum partem vltra ratam eidem Camerario tangentem habere & exigere poſſis & debeas, & ex ijs incamerationibus & compoſitionibus, deducere & retinere pariter volumus & mandamus.

Bannimenta promulgandi ſuper præmiſſis Theſaurario facultas datur.

§. 43. Inſuper quod tu quæcumque edicta, bannimenta, literas ſeu ordinationes, ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, & illorum obſeruatione facere, edere, publicare & denunciare, ac ad illorum obſeruationem quoſcumque in eis comprehenſos.

Debitoreſque camere ad ſoluendum cogendi.

§. 44. Necnon quoſuis Cameræ præfatæ, ex quauis cauſa vel occaſione debitores, ad ſoluendum vel ſatisfaciendum omnibus vijs, ac iuris & facti remediis, cogere & compellere.

Sigillo proprio vtendi, & eius emolumenta percipiendi.

§. 45. Proprioque ſigillo vti, in omnibus actibus & ſcripturis, quæ hactenus ſub ſigillo Theſaurarij expediri conſueuerunt emolumentaque exinde prouenientia, tam occaſione literarum patentium commiſſariorum, depoſitariorum, & aliorum officialium, quam ex conceſſione, & aſſignatione quorumuis locorum Montium, & aliarum quarumcumque expeditionum, quibus ſigillum tuum quomodolibet apponendum fuerit percipere, ad inſtar Theſaurariorum aliorum anteceſſorum tuorum, & iuxta ſolitum, nec alias etiam libere & licite valeas, licentiam eadem tibi auctoritate impartimur.

Penſiones vſque ad ſummā quatuor mille transferendi &c.

§. 46. Necnon vt quicumque loci Ordinarius, ſeu vtriuſque ſeu alterius Signaturæ Referendarius, aut Metropolitan. vel alterius Cathedralis aut collegiatæ Eccleſiæ canonicus, ſeu perſona in dignitate Eccleſiaſtica conſtituta, ad id per te eligendus ſeu eligenda, quaſcumque penſiones annuas ſuper quarumuis menſarum Epiſcopalium ſeu Archiepiſcopalium, ſeu aliarum Eccleſiarum, necnon Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura & ſine cura, ſæcularium & quorumuis Ordinum regularium, fructibus, redditibus & prouentibus, iuribus, obuentionibus, & emolumentis vniuerſis, necnon diſtributionibus quotidianis, ſeu illorum loco, fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones & emolumenta, ac diſtributiones huiuſmodi, tibi auctoritate prædicta reſeruatas, & reſeruata, ac reſeruandas & reſeruanda, etiamſi penſionis ſeu fructuum huiuſmodi ſolutiones, exactiones, ſucceſſoribus beneficiorum, & Eccleſiarum aliorum prædictorum incipere habuerint, vſque ad ſummam mille ducatorum auri in auto de Camera nouorum, in dicta curia vel extra eam, vbique locorum, etiam in Eccleſijs quas te obtinere, aut perſonam tuam illis præeſſe contigerit non reſidente, etiam in mortis articulo de tuo etiam poſt dimiſſionem officii Theſaurariatus huiuſmodi expreſſo conſenſu caſſare, extinguere & annullare, & poſtquam caſſæ, extinctæ, & annullatæ fuerint, alias ſimiles penſiones annuas ſuper eiſdem fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, obuentionibus emolumentis & diſtributionibus huiuſmodi, ſeu fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones, emolumenta, & diſtributiones prædictas, vſque ad eamdem ſummam, vni ſeu pluribus perſonis ad id per te nominandis, & quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, eiſdem modo, forma, conditionibus, ac cum immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, donationibus, indultis, decretis, & aliis quibus tibi reſeruatæ, ſeu reſeruata fuerint, etiam abſque conſenſu ſoluere habentis, ſeu fructus, aut obtinentium Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, Præpoſituras, dignitates, & alia beneficia huiuſmodi, dicta auctoritate reſeruare, concedere, conſtituere, & aſſignare, ac etiam transferre libere & licite valeas, ac etiam reſeruationis ſeu tranſlationis penſionum, ſeu fructuum huiuſmodi vigore præſentium faciendæ valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, in omnibus & per omnia, perinde acſi per nos & pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem de conſenſu ſoluere habentis penſiones ſeu obtinentium Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, dignitates, & alia beneficia huiuſmodi factæ fuiſſent.

Teſtandique de bonis etiā in iuriſdictionalibus, & acquiſitis de rebus Eccleſiaſticis, &c.

§. 47. Tibique etiam, vt de ſingulis domibus, prædiis, poſſeſſionibus, oppidis, caſtris, terris, & aliis locis etiam iuriſdictionalibus, aliiſque bonis mobilibus & immobilibus, ac ſe mouentibus, cuiuſcumque qualitatis, valoris, ſpeciei, pretii, etiam notabilis & notabiliſſimi, ac conditionis exiſtentibus, necnon pecuniis, iuribus & actionibus ad te, tam ratione quarumuis etiam Patriarchalium & Cathedralium, Metropolitanarum Eccleſiarum, ac Monaſteriorum etiam conſiſtorialium, Prioratuum

Digitized by Google

tuum, Præpoſiturarum, dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura & ſine cura, ſæcularium, & quorumuis Ordinum regularium, etiam militiarum, quæ ex quibuſuis conceſſionibus & diſpenſationibus Apoſtolicis, in titulum, commendam, adminiſtrationem, aut alias quomodolibet obtines, & in poſterum obtinebis, ac ratione fructuum, reddituum, & prouẽtuum Eccleſiaſticorum quarumcumque menſarum Patriarchalium, Archiepiſcopalium, Epiſcopalium, & Monaſteriorum, Prioratuum, dignitatum, & aliorum beneficiorum, vt præfertur qualificatorum, ac penſionum annuarum, ſuper ſimilibus fructibus, redditibus, & prouentibus, nomine & forma præmiſſis reſeruatarum & aſſignatarum, ac reſeruandarum & aſſignandarum, quos & quas, percipis & percipies in futurum, necnon emolumenta Theſaurariatus, & aliorum quorumcumque eiuſdem Curiæ officiorum & Montium, necnon legationum ac alias quocumque modo, via, forma, & occaſione ad te ſpectantibus, & pertinentibus, ac etiam de dictis, fructibus, redditibus, & prouentibus, ac penſionibus, necnon quomodolibet & vndecumque licite acquiſitis & acquirendis, ac alias quomodolibet, etiam ex officijs quæ exercuiſti, aut te exercere contigerit, & alia quauis occaſione vel cauſa ſeu contemplatione ad te peruentis & peruenturis, etiamſi in pecunia numerata, iocalibus, gemmis, aliiſque pretioſioribus rebus, ac alias quomodolibet, nunc & pro tempore conſiſtunt, ac etiamſi eſſent de tua Capella, illiuſque ornamentis, vaſis, & denique tota illius ſacra ſuppellectili, tãm in dicta Curia quam extrà vbique locorum exiſtentibus, quorum omnium qualitates & veros annuos valores, etiamſi talia eſſent quæ generali appellatione bonorum, vel ſuppellectilium non venirent, ſed ſpecialibus indigerent vocabulis, præſentibus, acſi ſpecifice & ſigillatim exprimerentur & denotarentur, pro ſufficienter expreſſis & narratis habere volumus, ac etiam de ipſis prouentibus & penſionibus debitis & debendis, ac etiam nondum perceptis & exactis, etiamſi eorum ſolutionis terminus nondum aduenerit, pro illa rata quæ tibi debita erit vſque ad quamcumque & quantumuis maximam, ac notabilem & notabiliſſimam ac inexcogitatam ſummam, tam pro decentibus & honeſtis impenſis funeris tui, quam etiam remuneratione, illorum qui tibi viuenti inſeruierunt, etiam vltra ſeruitij meritum, & in tuorum conſanguineorum & affinium, ac etiam quarumuis aliarum perſonarum, etiam extranearum, necnon Conuentuum, Vniuerſitatum, Collegiorum & aliorum, etiam non piorum locorum, dummodo non illegitimorum, aut alias quomodolibet incapacium, & quoad Capellam tuam prædictam, dummodo in Eccleſiarum fauorem & vſum, & alias pro tuo arbitrio & voluntate abſolutis teſtari, ac teſtamento, codicillis, fideicommiſſis, ſubſtitutionibus, legatis, donationibus, tam inter viuos quam cauſa mortis & aliis quibuſcumque modis & vijs, etiam omiſſis quibuſuis ſolemnitatibus, etiam ſubſtantialibus, & formis, tam de iure quam per noſtras & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum conſtitutiones & ordinationes, necnon ſtatuta ac conſuetudines Vrbis, ciuitatis, loci, & prouinciæ, vbi id fieri, vel te in eadem voluntate permanente mori contigerit, tam verbo quam ſcriptura, etiam minus ſolemni, & ſine aliqua inſinuatione ſeu ſubſcriptione teſtium, aut etiam coram duobus vel tribus teſtibus tantum, aut etiam cedula ſola manu tua ſubſcripta, ac alias in omnibus & per omnia, prout tibi quomodolibet videbitur, & in ipſa Curia & extra eam, & vbique locorum, & in mortis articulo, & nulla facta mentione præſentis, vel aliarum tibi pro tempore concellarum ſimilium facultatum, quibus per præſentes nullatenus præiudicatum eſſe decernimus, aut quod in vim illarum teſtari, & diſponere velis & intendas, ſemel atque iterum, & pluries diſponere, ſtatuere, & ordinare, libere & licite valeas, prædicta auctoritate, tenore earumdem præſentium concedimus & indulgemus.

Literas Apoſtolicas quaſcumque tam gratiam quã

§. 48. Necnon, quod omnes & ſingulas literas Apoſtolicas, ſub plumbo, ac etiam in forma breuis, tam præſentes quam alias ſuper quibuſuis gratijs, indultis, conceſſionibus, facultatibus, tam gratiam quam iuſtitiam concernentibus per te ac Vicetheſaurarium, ſeu Locumtenentem, & duos familiares tuos per te nominandos, à nobis & ſucceſſoribus noſtris, aut Sede prædicta pro tempore impetratis, ſeu etiam motu ſimili conceſſis, in omnibus Cancellariæ, Cameræ, & Curiæ prædictarum officijs, necnon plũbo & regiſtro, ac Secretaria Apoſtolica, ac alias vbilibet gratis, & abſque vlla taxarum, annatarum, communium, minutorum, ſeruitiorum, iocalium aut aliorum quorumcumque iurium, aut regaliorum ſolutione expediri, & Reſcribendarius taxam literarum prædictarum, cum ſuſcriptione Gratis pro perſona Theſaurarij, & aliorum prædictorum ſubſcribere, ac tam ipſe, quam alij Scriptores, Abbreuiatores, Solicitatores literarum prædictarum, Archiuiſtæ, Cubicularij & Scutiferi Apoſtolici, Portionarij, & Præſidentes Ripæ, & Milites SS. Petri & Pauli, Cancellarij, Secretarij, Protonotarij Apoſtolici, & Summiſta, necnon Magiſtri & plumbi, Collectores, ac Plumbatores, Regiſtratores, & Vicecancellarios, & quicumque alii prædictæ Curiæ officiales, & expeditionum literarum huiuſmodi pro tempore Præſidentes, eorumque Miniſtri, etiam in annatis, communibus, iocalibus, minutis, ſeruitiis, regalibus, & aliis iuribus huiuſmodi participantes eaſdem literas, perſonam dicti Theſaurarii, eiuſque Vicetheſaurarii & Locumtenentis, ac duorum familiarium ſuorum prædictorum concernentes, etiam poſt dimiſſionem officii Theſaurarii, ita quod te ſemel fuiſſe Theſaurarium, ad effectum omnium & ſingulorum prædictorum, tibi ac dictis tuis ſufficiat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & ſuſpenſionis ac priuationis ſuorum officiorum, fructuumque & emolumentorum eorumdem amiſſionis pœnis, per eos ad quos pertinuerit, & qui eas gratis ſubſcribere, vel concedere & expedire, noluerint, eo ipſo incurrendis, abſque alio noſtro & ſucceſſorum noſtrorum, & Sedis præfatæ vlteriori mandato omnino gratis, & abſque alia taxarum, annatarum, communium, iocalium, minutorum, ſeruitiorum, & aliorum præfatorum ſolutione & exactione, in omnibus & per omnia vſque ad plumbum & regiſtrum, ipſarumque finalem expeditionem & relaxationem incluſiue, omni contradictione ceſſante expediri, ſubſcribi, ac relaxari facere & permittere debeant & teneantur, etiamſi in eorum officiis & conceſſionibus caueatur expreſſe vt ad id non teneantur, & quod eorum officia fuerint eis conceſſa titulo oneroſo, volumus & mandamus, &c.

iuſtitiam concernentes, etiã in Cancellaria, Camera, ſeu curiæ officiis, pro ſe & Vicetheſaurario, ſeu Locumtenente, ac duobus familiaribus gratis etiam poſt officij Theſaurariatus dimiſſionem expediendi.

Clauſula huius bullæ præſeruatiua.

§. 49. Præſenteſque ibi in omnibus & per omnia ſuffragari debere, illaſque & in eis contenta quæcumque nullo vmquam tempore, de ſubreptionis, vel nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ defectu notari, impugnari, inualidari, aut ad terminos iuris reduci, ſeu in ius vel controuerſiam reuocari, aut aduerſus eas, quodcumque iuris aut facti vel gratiæ remedium, impetrari, minuſque ſub quibuſuis ſimilium vel diſſimilium gratiarum, reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, & aliis contrarijs diſpoſitionibus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum in quo antequam illæ emanarent, erant ſtatum reſtituras, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac de nouo conceſſas, etiam ſub quacumque data per te eligenda, validaſque & efficaces ſemper fore & eſſe, vimque validi & efficacis contractus inter nos & Sedem, ac Cameram præfatas ex vna, & te ex altera partibus rite & recte facti initi, & ſtipulati, ac etiam hinc inde acceptati, habere & obtinere, ac inuiolabiliter obſeruari, ſemperque validas & efficaces exiſtere.

Clauſula ſublata. & Decretum irritans.

§. 50. Sicque per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, etiam S.R.E. Cardinales & Camerarium, dictæque Cameræ Præſidentes & Clericos, ac Palatij Apoſtolici Auditores præfatos, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quauis cauſa & inſtantia, ac vbique locorum iudicari ac definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate & tenore præmiſſis decernimus.

Executorum deputatio.

§. 51. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Amerin. & Tudertin. Epiſcopis, ac dilecto filio Curiæ cauſarum eiuſdem Cameræ generali Auditori, per Apoſtolica

Digitized by Google

lica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut vnus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte tua fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, tibique in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant te approbatione, confirmatione, conceſſione, aſſignatione, receptione, admiſſione, ſubrogatione, conſtitutione, mandato, ſingulis indultis, voluntate, decretis, ſtatuto, impartitione, remiſſione, condonatione, obligatione, hypothecatione, aliique præmiſſis pacifice frui, & gaudere. Non permittentes te per Camerarium, Præſidentes, ac Clericos prælatos, ſeu quoſcumque alios, quauis auctoritate fungentes quomodolibet contra tenorem præſentium moleſtari, perturbari, inquietari, impediri. Contradictores quoſlibet & rebelles, per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; legitimiſque ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis. Non obſtant. conſtitut. & ordinationibus Apoſt. necnon Eccleſiarum, Monaſteriorum, locorum & Ordinum quorumcumque iuramento, confirmatione, Apoſtolica, vel quauis firmate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, illorumque Superioribus & perſonis, dictæque Cameræ Clericis, & Collegio, ac quibuſuis aliis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam degatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis irritãtibuſque & aliis decretis, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis & innouatis; quibus omnibus & ſingulis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, indiuidua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, acſi de verbo ad verbum, ac forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtol. non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Tranſumptorum fides.

§. 52. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, ac Notarij publici manu ſubſcriptis, tuoque ſigillo obſignatis, eadem prorſus fides, vbique locorum in iudicio & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c.

Dat. P. An. 5. 23. Ianuar.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1590. decimo Kalend. Februarij, Pontificatus nſtri anno quinto.

CI.

De Aquæ Fœlicis mox ad Vrbem conductæ, ratione & cura demandata Congregationi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium inſtitutæ ad Aquas, Vias, Ponteſque curandos. De Officio & munere Ciuium Romanorum eiuſdem Aquæ Viſitatorum.

Huius Congregationis inſtitutionem fecit hic Pont. in conſt. 74. Immenſa, *in Congr.* 13. *Et ſimilem Aquæ Paulæ ad Vrbem adductionem, dotiſque pro eius conſeruatione aſſignationem ſtatuit Paul. V. inf. in eius conſt.* 75. In Sede.

Edita An. D. 1590.

SIXTVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. *Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

SVpremi cura regiminis, diuina nobis diſponente clementia commiſſi, nos admoner, vt quæcumque pro locorum vſu & incremento, necnon pro hominum vitæ neceſſitatibus ſubleuandis, aut commoditatibus ipſorum augendis, in dies peraguntur, à nobis, ea, quo ſecuriora diuturnioraque diuina fauente gratia permaneant, prouidis ſolidiſque legibus fulcienda ſtatuamus.

Hic Pont. Vrbis ornatus intentus.

§. 1. Cum igitur Vrbem Romam beatiſſimi Petri Apoſtoli Principis firmam Sedem ac honorabilem thronum, Chriſtianæ Religionis domicilium, communem fidelium omnium patriam ac parentem, immo & cunctarum Nationum ad eam vndique confluentium portum tutiſſimum, non ſolum ſacris & ſpiritualibus præſidiis munitam, ſed humanis etiam ac temporalibus commodis ornamentiſque decoratam eſſe deceat, idcirco ab ipſo Pontificatus initio, publicis priuatiſque Ciuium ac Incolarum Vrbis neceſſitatibus conſulere, eius regiones ſacrarum ædium priuatarumque domorum ædificiis augere, & demum vetera renouando, noua perficiendo, & ſingula ad omnipotentis Dei gloriam & ſanctæ Sedis huius honorem referendo, totius Vrbis amplitudinem atque ornatum, quantum in nobis eſt, diutiſſime tueri ac conſeruare decreuimus.

Aquam in eminentioribus eius locis reduci curauit, ad frequentiorem Vrbis habitationẽ vltra alia egregia opera hic enunciata.

§. 2. Quare, cum eiuſdem Vrbis colles præclariſſimis olim Quiritum ædibus & foris, ſublimibus inde (æſarum Palatiis ſuperbiſſimiſque theatris & thermis, longiſſimiſque & mirabilibus Aquæductibus, ſacrosãctis denique Chriſti D. N. fide ſuſcepta Chriſtianorum Imperatorum aliorumque piorum hominum Baſilicis & Templis extructis inſignes, frequentiſſime habitatos, deinde ob aquæductus, nonullos quidem fera audaciſſimorum Barbarorũ immanitate immanique crudeliſſimorũ hoſtiũ feritate demolitos, nonnullos vero vetuſtatis iniuria ſeu tempeſtatum vi collapſos, à pleriſque iam ſæculis quaſi deſertos & habitatoribus deſtituros eſſe animaduerterimus, inferiora autem Vrbis loca quamplurimis ædificijs refarta, ob ſitus aëriſque humiditatem minus ſalubria eſſe, quinimmo crebris ac plerumque ſubitis Tyberis Fluuij, qui aſſiduis Aquarum imbribus & maris refluxu augeſcit, inundationibus patere, obruique experti fuerimus, prout ſummo cum animi dolore oculis etiam noſtris aliquando proſpeximus. His moti rationibus de Aqua copioſa & ſalubri in ipſos colles & eminentiora Vrbis loca inducenda, nullis difficultatibus nullaque impenſæ magnitudine deterriti cogitare cœpimus, eo nimirum conſilio, vt fontibus reſtitutis, & Aquis, quæ publicas priuataſque vtilitates hominum ſocietati præbent, ſalubritatem que corporibus afferunt, reductis, iterum ijdem colles habitentur, ipſorumque regiones, quæ ſitus proſpectu, aeris ſalubritate, & loci amœnitate præſtant, frequentia populi, qui benedicente Domino in dies cumulatius augetur, priſtinæ iucunditati atque ſecuritati reſtituatur, Qua ſane deliberatione ſuſcepta, longas lataſque iam diu per eoſdem colles vias, magna noſtra impenſa aperuimus domos & officinas ibidem extruximus, extruique ab aliis fecimus, nundinas commercij hominumque conuentus cauſa ad communem vſum inſtituimus, fontes pnblico vſui ſeruientes extruximus, ædificantibus & habitantibus immunitates priuilegiaque dedimus, ſacroſanctas Baſilicas in eiſdem collibus à Religioſiſſimis quondam Imperatoribus, aliiſque piiſſimis viris extructas, frequentioris viſitationis eis debitæ cauſa inſtaurauimus, & obeliſcis, illuſtribus antiquorum monumentis, gentilitatis impuritate expiatis, Crucique inuictæ felicius conſecratis, ad earum limina operoſe magnificeque tranſlatis exornauimus.

Ab agro igitur Columnẽſium, ad Mentem Quirinalem Vrbis conduxit, eamq; Felicem de proprio eius nomine appellauit.

§. 3. Atque, vt Vrbs in ipſis collibus tandem incrementum acciperet, ab eodem Pontificatus noſtri initio, Aquæ illius, quæ in agro Columnæ via Prænestina ſiniſtrorſum concipitur, quæque omnium prima ab Appio Claudio Craſſo Cẽſore olim in Vrbis inferiora & depreſſiora loca, nempe ad ſalinas adducta eſt, ſuperiorem & puriorem portionem, compluribus Aquarum ſcaturigi-nibus auximus & potiſſimum Aquæ Martiæ, quæ quia gelida & ſalubris, ideo omnium Aquarum iucundiſſima & apud veteres celeberrima cenſebatur, ramo, quem ex proprio Aquæductu, magna tamen ex parte diruto deſumpſimus, vberioris Aquæ copiæ in vrbem adducendæ cauſa coniunximus (quæ ſimul iunctæ ſeptingentarum

Digitized by Google

& plurium vnciarum quantitatem faciunt, & admirabilem ſpecie pulchritudinem, immenſamque hauſtu iucunditatem oſtentant) ductu ſinuoſo à capite millium paſſuum duorum & viginti, à priori receptaculo viginti, curſu ſubterraneo antea tredecim, nunc vero extructis nuper à capite vſque ad idem receptaculũ ſubtus terram fornicibus quindecim, ſupra terram vero arcuato opere ſeptem commeare fecimus, eamque per duos arcus inſignes in eodem Aquæductu ad perpetuum rei monumentum erectos, alterum nimirum duobus ab Vrbe milliaribus, in loco qui vulgo ad Formas dicitur, alterum vero intra Vrbem ad portam S. Laurentij tranſire iuſſimus, & ſumma totius Vrbis lætitia atque hilaritate in Montem Quirinalem ad planteam S. Suſannæ tandem adduximus, & adductam de proprio noſtro nomine Felicem appellauimus.

Fontem propterea in platea S. Suſannæ, ornatum conſtruxit.

§. 4. In plantea autem S. Suſannæ Fontem primarium quatuor columnis & tribus arcubus ſplendide ornatum extruximus; in quem Aquæductus, tres perennes latices per totidem oſtia, larga Aquarum defluentium copia, ſonotoque ſtrepitu effundit. Super oſtiis vero in arcu medio ſtat marmorea ſtatua Moyſis, qui petram, vnde diuinitus olim fluxerunt Aquæ, virga percutit; in dextero item arcu Sacerdos Aaron marmorea tabula, quæ multorum capita refert, expreſſus, populum Iudaicum ſitientem ad Aquas duxit; à ſiniſtro vero figura Gedeonis Iſraelitarum Ducis cernitur, qui iuſſu Domini milites ex bibendi modo probat. In eiuſdem vero Fontis conſpectu quatuor Leones, quorum duo ex albo, duo item ex nigro marmore ſculpti, ore aquam ad commodiorem vſum & publicum oblectamentum emittunt. Quo vero fons ipſe in maiori ſeu oſtentaret proſpectu, & publico vſui commodior & iucundior redderetur, dictam S. Suſannæ plateam ruderibus vndequaque refertam, & macerijs plurimis inæqualem ac deformem, quantum opus fuit, depreſſimus, terram effodimus, atque vicina eiuſdem plateæ loca decliuiora, vt æquarentur, tranſportari fecimus.

Vias & plateas adiacentes æquauit, &c.

§. 5. Verum, ne adiacentes viæ, plateæ, fontique prominentes, & proſpectum & aditum offenderent, viam vtramque æquauimus, tam eam, quæ à conſpectu fontis ad Palatium Apoſtolicum, quod in eodem colle Quirinali ædificauimus, tendit, & quæ à tergo ad portam Piam ducit, quam eam, quæ à latere ad templum S. Mariæ Angelorum in Thermis Diocletianis vergit, ambaſque depreſſimus, terram effodientes, macerialque diruentes, & lateritijs hinc inde deambulatoriis, altitudinis duorum pedum, latitudinis ſeptem circiter, penes domicilia fulciuimus, vt eas viatoribus faciliores exhiberemus; immo pleriſque fontibus, locis magis idoneis eas decoraiuimus. In huius autem adducendæ Aquæ ratione, prouidos vigileſque Eccleſiæ Paſtores imitati ſumus, qui cum ex Domini præcepto populos ſibi ſubiectos paſcere teneantur, non ſolum ſpiritualia, ſed & corporis vſui neceſſaria alimenta, vt totum hominem vere paſcant, ſubminiſtrare conantur.

Pro d. Aqua conſeruatione eius curam & cuſtodiam remittit Congregationi Cardinalium pro Vijs, Pontib. & Aquis curandis inſtituta, vt ſup. in bull. 74. Immenſa in Cong. 13.

§. 6. Denique cum non ſatis ſit tantum opus ſummo labore, & tam largo ſumptu abſoluiſſe, niſi in eo conſeruando exacta quoque diligentia adhibeatur, præcipue cum nullum ædificium diligentioribus legibus cuſtodiri oporteat, quam quod Aquas ſubſtinere debet, vt Populus Romanus, ceterique qui Vrbem & loca præſertim editiora incolunt, hoc publico commodo quam diutiſſime perfruantur, ad noſtram Pontificalem prouidentiam pertinere arbitrati ſumus, vt, quæ ad illius conſeruationem neceſſaria ſunt, ſiue ad temporis ſiue ad hominum iniurias repellendas, quam primum prouide & exacte ſtatuamus. Habita igitur ſuper his cum venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Card. matura deliberatione, de eorumdem fratrum conſilio & aſſenſu, ex certa noſtra ſcientia deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuo valitura conſtitutione, vniuerſam ipſius Aquæductus fontiumque cuſtodiam & curam, Congregationi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Card. pro vijs, pontibus, & Aquis curãndis à nobis inſtitutæ, per præſentes committimus, & demandamus; eiſque in omnibus, quæ ad illorum conſeruationem & reparationem nunc ſpectant & in futurum quomodolibet ſpectabunt, plenariam & omnimodam poteſtatem atque auctoritatem tribuimus; necnon de & ſuper præmiſſis & eorum occaſione, inter & contra quaſcumque perſonas cuiuſuis ſtatus, ordinis, & conditionis, ac tam Eccleſiaſtica quam temporali dignitate titulo & honore fulgentes, ſummarie, ſimpliciter & de plano manuque regia, & ſola facti veritate inſpecta, cognoſcendi, in illiſque procedendi, iudicandi & definiendi, ac quoſcumque, qui aliquid aduerſus hanc noſtram Conſtitutionem commiſerint citandi, ipſiſque quatenus opus fuerit, inhibendi & pœna eorum arbitrio pecuniarias iniungendi, atque ad illarum incurſus declarationem & executionem, omni & quacumque appellatione penitus remota, procedendi procedique mandandi & faciendi, aliaque neceſſaria & opportuna, etiam priuatiue quoad quoſcumque Iudices & Officiales, gerendi & exequendi, plenam & liberam facultatem perpetuo concedimus & impartimur. Si vero ipſa Congregatio ob cauſas eidem bene viſas in aliquibus caſibus ad grauiorem pœnarum declarationem procedendum duxerit, tunc eidem Congregationi, auctoritatem concedimus, Gubernatori Vrbis nunc & pro tempore exiſtenti committendi & mandandi, vt in huiuſmodi caſibus, prout eidem Congregationi viſum fuerit, contra quoſcumque delinquentes ad alias pœnas etiam corporis afflictiuas, omni & quacumque appellatione remota, procedat.

Annuimque prouentu pro Aquæductus & Fontium conſeruatione aſſignat.

§. 7. Cum vero in huiuſmodi Aquæductu & Fontibus conſeruandis, & cum opus erit reparandis, quamplures impenſæ neceſſariæ futuræ ſint, Nos de aliquo certo & ad id deſtinato prouentu prouidere cupientes, hac eadem noſtra Conſtitutione ac de eorumdem fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, loca nonaginta & vnum Montis Religionis nuncupari per noſtras deſuper expeditas literas certis modo & forma nuper aucti, annuum redditum ſcutorum ſeptingentorum monetæ & bononenorum ſeptuaginta conſtituentia, eidem Aquæductus & Fontium operi, eorumque cuſtodiæ & reſtaurationi perpetuo concedimus & aſſignamus; ea nimirum lege, vt dictus annuus redditus illiuſque ſors numquam imminuatur, neque in alios vſus conuertatur. Quod ſi quandoque ipſum opus reſarcire non fuerit neceſſe, tunc præfatus annuus redditus forti accreſcat, & in emptionem aliorum locorum eiuſdem Montis in ſortis augmentum conuertatur. Adminiſtrationem autem præfati redditus & augmenti, necnon illius liberam diſpoſitionem nunc & perpetuo penes eamdem Congregationem eſſe volumus; prædictumque redditum in toto vel in parte, alias quam per dictæ Congragationis mandata. Depoſitario eiuſdem Monti, nunc & pro tempore exiſtenti dirigenda, exponi & per dictum Depoſitarium ſine eiuſdem Congregationis mandatis ſolui omnino Prohibemus.

Viſitatores tanis duos ciues Romanos eligi iubet

§. 8. Ceterum, præmiſſa, quæ debitæ executioni demandari cupimus, per aliquos diligentes ac ſolertes viros, qui huic operi ſæpius aſſiſtant, prout omnino neceſſarium eſt, accurate perficiantur, ex nunc duos Ciues Romanos ad munus viſitationis dictorum Aquæductus & Fontium obeundum, per nos & ſucceſſores noſtros annuatim in principio cuiuſlibet anni, tempore quo ceteri Pop. Rom. Officiales elegi ac deputari, & per eos fidelitatis iuramentum noſtrorum de more per alios Officiales præſtari ſolitum, præſtari volumus.

Viſitatorum munus præſcribit.

§. 9. Eorum autem præcipuum munus ſit, ſingulis tribus menſibus ſemel ſaltem ipſum Aquæ caput per ſe ipſos inuiſere, ſingula receptacula, omnes portas, quas ibidem ad purgandos alueos extruximus, quaſque, ne fac de irruptioni pateant, ferro muniuimus, puteoſque & foramina inſpicere, deinde ipſas Aquæductus partes quæ ſpecubus continentur, & quæ nec gelicidiis, nec caloribus expoſitæ, limo in cruſtam durelcente, iter Aquæ coarctare aut in alueum delapſæ aquam corrumpere videbuntur, ſæpius perluſtrare, & ſordibus egeſtis repugari facere, & ne Aqua, quæ alueo ſuo puriſſimo labitur, pluuiis Cœlo cadentibus, aut humo fluentibus Aquis inficiatur, prouide cauere, fornicesque ſupra terram, parieteſque vniuerſos vſque ad præfatum Fontem S. Suſannæ, & ipſos fontes diligenter integros tueri atque curare. Quæcumque vero ipſi Viſitatores in qualibet

Digitized by Google

libet visitatione, reparatione indigere repererint, ea quàprimum Congregationi prædictæ Cardinalium, in qua, quotiescumque opus fuerit, interueniant, referre debeant; ipsa vero Congregatio nos & successores nostros, in rebus grauioribus consulere teneatur. Quod si eorundem Visitatorum culpa & negligentia aliquid incommodi Aquæductus forma contraxerit, aut id quod contractum erit, confestim reparatum non fuerit, id totum ipsorum Visitatorum sumptibus reparetur. Ne autem ipsa reparatio diutius protrahatur, quocumque tempore aliquid reparari oportuerit; confestim reparetur, ne modica irruptio maiorem consequentem dissolutionem gignens, totum, vt solet, Aquæ alueum diruat. Quod vt opportuna semper celeritate fiat, cæmenta & alia necessaria antea præparentur. Artificibus vero operi destinatis, liceat ex agris priuatorum, terram, limum, lapides, testam, arenam, ligna, ceteraque quibus ad eam rem opus est, vndequaque earum proxime tollere & transportare, dominis prius pretio persoluto; talia vero exportantibus itinera & actus vbique libere pateant. Præterea spatia circa ductum eiusdem Aquæ, tam intra quam extra Vrbem existentia, ædificiis quibus vicinum opus obstruitur, & arboribus quarum radicibus concamerationes & latera soluuntur, viginti ad minus pedes, ne riui violentur, vtraque ex parte vacent; ipsique fontes, fornices & muri vacui totidem pedes similiter pateant. Siquæ item nunc arbores intra id spatium, aut siquæ salicta, arundineta, vepres, vites, caprifici aut sentes sunt, infra mensem à die publicationis præsentium computandum, statim excidantur & eradicentur. Si quæ autem in posterum, solis calore & humore Aquarum, aut alia causa accedēte, occultisque seminibus auctæ; aut consertæ adnascentur, statim in Visitatione recidantur: Putei etiam ad aëris exhalationem & faciliorem Aquæductus expurgationem alleruari, & ex polito lapide obducti, præter necessitatem publicam non aperiantur, nec formæ specus perforentur, nec Aqua siue clandestine, siue palam per vim propria auctoritate à quoquam alio deriuetur, nec amplius quam impetratum fuerit, & non aliunde quam ex supradicto Fonte primario, aut ex fontibus minoribus infrascriptis; videlicet primo in loco extra portam S. Ioann. in supranominato loco, qui dicitur ad formas, ad viatorum commodum, secundo ad portam S. Laurentij, tertio ad portam Maiorem ad vsum transeuntium à nobis extructis, nec ex his absque dictæ Congregationis Cardinalium consensu, & sine nostro vel successorum nostrorum concessu, nec latiore modulo aut fistula deducatur.

Contrauenientibus his quæ hic præcipiuntur, pœnas imponit.

§. 10. Et, vt vniuersa ista, quæ ad vnguem obseruari cupimus, pœna contrauenientibus irrogata ab omnibus diligentissime custodiantur, hac eadem nostra constitutione perpetuo sancimus, vt, qui sciens dolo malo riuum, quod absit, noxiis sordibus infecerit, aut Aquam ad corporum perniciem corruperit, bonorum omnium amissione & capitali sententia per dictæ Vrbis Gubernatorem nunc & pro tempore existentem ferenda plectatur. Si quis item contra ea quæ supra dicta sunt, aliquid commiserit, in primis damnum quod Aquæductui, culpa ipsius illatum fuerit, eius sumptibus quamprimum sarciatur. Qui vero, quacumque Aquæductus commeat, formas vtrimque præscripto, vt præfertur, spatio vacuas reddere & integras conseruare neglexerit, vltra ædificiorum demolitionem & arborum eradicationem, prædij adiacentis priuatione mulctetur. Qui denique Aquam propria auctoritate deriuare, aut aliunde quam ex præscriptis fontibus aut alio quam supra statutū est, modo elicere præsumpserit, si domicellus fuerit, mille, si inferioris ordinis, quingentorum aureorum pœna in singulis casibus huiusmodi sine vlla remissionis spe exigenda, & in supradicti operis reparationem conuertenda puniatur.

Aquam prædictam de cetero impetrātes ad congregationem Cardinalium significent.

§. 11. Volumus etiam & ita mandamus, quod siquis etiam pretio vel liberali largitione à nobis vel successoribus nostris Aquam obtinuerit, teneatur eidem Congregationi Cardinalium rescriptum exhibere, & infra mensem ibi registrari facere; quo non exhibito & non registrato, gratia omnino priuatus censeatur.

Veteres pœnas contra inobedientes innouat.

§. 12. Et in his omnibus ac aliis similibus casibus nulli super huiusmodi pœna veniam aut remissionem liceat impetrare. Si quid autem etiam iure communi Vrbisque statutis, de custodiendo Aquæ ductu sub quibuscumque pœnis constitutum est, id omne hac præsenti nostra constitutione perpetuo innouamus.

Visitatores de contrauentionibus curent.

§. 13. Et, vt in omnibus casibus supra expressis, ea, quæ statuta sunt, obseruentur, & contra inobedientes omnino procedatur, volumus, vt præfati duo Ciues Romani Visitores, præmissa diligenter custodiri curent; & quoties casus contrauentionis euenerit, coram dicta Congregatione Cardinalium comparere, & contra transgressores pro damni reparatione, & præfatarum pœnarum in eosdem inflictarum executione, ex officio instare teneantur.

Quibus præterea salarii constituit.

§. 14. Etsi autem præfatos Ciues sua & patriæ causa omnia semper, & hæc præsertim quæ ad Vrbis ornatum & ipsorum ac aliorum Ciuium Romanorum commoditatem maxime spectant, sponte sua curaturos, diligēterque & fideliter executuros plane confidamus, tamen vt in eo munere obeundo minus dispendij quam fieri possit, patiantur, loca sexdecim eiusdem Montis Religionis à nobis, vt præfertur, aucti annuum redditum scutorum centum viginti trium & bononenorum viginti constituentia, per Depositarium eiusdem Montis de ordine & mandato dictæ Congregationis persoluendum, & inter eos æquis portionibus diuidendum perpetuo concedimus & assignamus.

Clauſ. præſer. apponit.

§. 15. Decernentes præmissa omnia & singula, per eos ad quos spectat & in futurum spectabit, firmiter & inuiolate perpetuo obseruari debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulas derogatorias addit.

§. 16. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac ipsius Cameræ ordinationibus & priuilegijs, iuramento, confirmatione Apostolica vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, & longi temporis præscriptione, ceterisque contrarijs quibuscumque. Volumus insuper præsentes literas in valuis Lateranensis Principisque Apostolorum de Vrbe Basilicarum, vt moris est, affigi & publicari & in Camera Apostolica inter ceteras perpetuo valituras constitutiones describi & registrati, earumdemque præsentium transumptis, etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis plenam in iudicio & extra illud fidem adhiberi perinde ac ipsis originalibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

D.P.A. 5 Id. Febr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo nonagesimo, 11. Kalendas Martij Pontificatus nostri anno quinto.

PP. subscripſ.

Ego Sixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

De ventre matris meæ tu es Deus protector meus.

Cardd. subscr.

Ego Ioannes Episc. Ostien. Card. S. Georgij.
Ego Alph. Episc. Portuen. Card. Gesualdus.
Ego Inn. Episcopus Tusculan. Card. de Arag.
Ego Marcus Ant. Episc. Prædestin. Card. Columna.
Ego Ptolomæus Episcopus Sabinen. Card. Comensis.
Ego Gabr. Episc. Albanen. Card. Paleottus.
Ego Marcus Siticus tit. Sanctæ Mariæ Transtiberim Cardinalis ab Altaemps.
Ego F. Michael Bonellus tit. Sancti Laurentij in Lucina Cardinalis Alexandrinus.
Ego Ludouicus tt. S. Anastasiæ. Card. Madrutius.
Ego Nic. tt. S. Praxedis Card. Senonen.
Iul. Ant. tit. S. Barthol. in Insula Cardin. Sanctæ Seuerinæ.
Ego Hier. tit. S. Susannæ. Card. Rusticucius.
Ego Io. Hier. tit. S. Ioannis ante portam Latinam Card. Albanus.
Ego Hieronymus tit. Sanctæ Priscæ Cardinalis Simoncellus.
Ego P. tit. S. Hier. Illyricorum. Card. Deza.

Ego

Digitized by Google

Ego Ant. tit. SS. Ioannis & Pauli Card. Carafa.
Ego Io. Ant. Card. SS. Quatuor.
Ego Io. Baptiſta Card. S. Marcelli.
Ego Iul. tit. S. Euſebij Card. Cananus.
Ego Ant. Maria tit. S. Mariæ de Pace Card. Saluiatus.
Ego Vincentius tit. Sancti Clementis, Cardin. Montis Regalis.
Ego Philippus tit. S. Sabinæ, Card. Spinula.
Ego Scipio tit. Sancti Saluatoris in Lauro Card. Lancellottus.
Ego Vincentius tit. S. Alexij Card. Gonzaga.
Ego Ioan. Baptiſta tituli S. Mariæ in Aracœli Cardinalis Caſtruccius, Sign. Iuſt. Præfectus.
Ego Federicus tit. S. Stephani in Monte Cælio Cardin. Cornelius.
Ego Dominicus tit. S. Laurentij in Pane Perna, Card. Pinellus S. Mariæ Maioris Archipr.
Ego Hippolytus tit. S. Pancratij, Card. Aldobrandinus, Maior Pœnitẽtiarius.
Ego Hier. tit. S. Petri ad Vincula Card. de Ruuere.
Ego Fr. Conſtantius tit. S. Petri in Monte Aureo Card. Sarnanus.
Ego Guglielmus tituli S. Martini in Montibus Cardin. Alanus.
Ego Scipio tituli S. Mariæ de Populo Card. Gonzaga.
Ego Antonius tit. S. Vitalis Card. Saulius.
Ego Euangeliſta tit. Sancti Matthæi in Merulana Card. Cuſentinus, Archipreſb. S. Petri.
Ego Ioan. tit. S. Mariæ Tranſpontinæ, Cardinalis de Mendoza.
Ego Marianus Perbenedictus, tit. SS. Petri & Marcellini Card. de Camerino.
Ego F. S. Mariæ in Via Lata, diac. Card. Sfortia.
Ego Alexander, S. Laurentij in Damaſo, diaconus Card. Montaltus, Vicecancellarius.
Ego Hieronymus, S. Euſtachij diac. Card. Matthæius.
Ego Benedictus Sanctæ Mariæ in Coſmedin Cardin. Iuſtinianus.
Ego Aſcanius S. Nicolai in carcere, diaconus Cardinalis Columna.
Ego Federicus S. Agathæ, diac. Card. Borromæus.
Ego Auguſtin. S. Adriani diac. Card. Cuſanus.
Ego Franc. Maria, S. Mariæ in Dominica, diac. Card. à Mont
Ego Guido, SS. Coſmæ, & Damiani, diac. Cardinalis Pepulus.

CII. Iuriſdictio S. R. E. Cardinalis Archipresbyteri Eccleſiæ S. Petri de Vrbe, cognoſcendi cauſas, tam d. Eccleſiam eiuſque perſonas, quam eiuſdem Fabricam quomodolibet concernente.

Quoad primam inriſdictionem, habes conceſſionem Clem. VII. in eius conſt. 3. Admonet. *Et quoad ſecundam habes conceſſionem Paul. III. in ſua conſt.* 35. Cum dilectus.

Edita An. D. 1590.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruorum Seruorum Dei. Dilecto filio Euangeliſtæ tit. S. Matthæi in Merulana, Preſbytero Card. Cuſentino, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Exordium.

CVm ex debito Paſtoralis officij, omnium Eccleſiarum indemnitati, vtilitati & bono regimini ſalubriter conſulere teneamur, tum vero ad venerandam ſanctamque Principis Apoſtolorum in Alma Vrbe noſtra Baſilicam, condiligentiori ſtudio aciem dirigimus noſtræ mentis, quo & illa dignitate ac præſtantia ceteris antecellit, & noſter ſingularis quam gerimus erga eumdem Beatum Petrum, ad cuius Cathedram, licet imparibus meritis, à Domino vocati ſumus, ſinceræ deuotionis affectus id impenſius requirit.

Confirmatio inriſdictionis aliàs à Paul. 3. & Pio 4. conceſſæ, Cardinali Archipresbytero S. Petri.

§. 1. Quare eiuſdem Baſilicæ, ac dilectorum filiorum illius Capituli Canonicorum, & Miniſtrorũ commodis, ac iurium conſeruationi, ac ne ad diuerſa Trihunalia perſonæ prædictæ trahantur, earum quieti & litium diſpendio prouidere cupientes, deque tua integritate, prudentia & circumſpectione, cui nuper Archipreſbyteratũ eiuſdem Baſilicę tunc vacantem, ad vitam commendauimus, plurimum in Domino confidentes, Motu proprio non ad tuam, vel eorumdem Capituli, & Canonicorum, aut pro te, aut pro illis oblatæ nobis petitionis inſtantiam, ſed ex mera noſtra deliberatione, & ex certa ſcientia, omnes & ſingulas iuriſdictiones, poteſtates & priuilegia, exemptiones, libertates, prærogatiuas, antelationes, indulta, etiam ſuper collatione beneficiorum quorumcumque Eccleſiaſticorum auctoritates & facultates per fel. rec. Paulum III. Pium IV. & alios quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, bo. mem. Alexandro Epiſcopo Oſtien. Cardinali Farneſio nuncupato, alias dictæ Baſilicæ, & prius vti Eccleſiæ S. Mariæ Maioris etiam de Vrbe Archipreſbytero, quoad Baſilicam, & Eccleſiam prædictas reſpectiue, & illius perſonæ intuitu, & ad eius vitam dumtaxat, in genere vel in ſpecie conceſſa, ad te quamdiu Archipreſbyteratum prædictum obtinueris, tuumque & dictæ Baſilicæ Vicarium, per te nunc forſan deputatum, & pro tempore à te deputandum, tenore præſentium extendimus & ampliamus.

Confirmatio amplioris iuriſdictionis, in cauſis cognoſcendis, Canonicorum, Beneficiorũ Clericorum & aliorum.

§. 2. Et nihilominus motu & ſcientia ſimilibus omnes & ſingulas cauſas, & beneficiales, Eccleſiæ, ſpirituales, meras, prophanas & mixtas, etiam cõpromiſſas, tam ciuiles quam criminales (citra tamẽ pœnã ſanguinis & corporis afflictiuam) inter dictos Canonicos & Capitulũ, & Beneficiatos & Clericos, necnon Capellanos, Miniſtros, & Seruientes reſpectiue, ſeu quemcumque eorum ex vna & quaſcumque alias perſonas cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis & præeminentiæ exiſtentes, necnon hoſpitalia, pia loca, & Collegia, Communitates, vel Vniuerſitates, ex altera partibus ſiue inter dictos Capitulum, & Canonicos prædictos vel eorum quemlibet, ac beneficiatos, clericos, ſeu capellanos prædictos, vel quoſcumque eorum, coram quibuſcumque Iudicibus ordinariis, extraordinariis, Commiſſariis, & Exequutoribus, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac Rotæ, & cauſarum Curiæ Cameræ Apoſt. Auditoribus, & Locatenentibus, ſuper quibuſcumque rebus, bonis, & pecuniarum ſummis, etiam vigore obligationis in forma Cameræ Apoſtolicæ vertentes & pendentes reſpectiue, omniũ & ſingularum ſtatus, & merita, nominaque & cognomina & qualitates, tam partium & perſonarum prædictarum, quam etiam rerum ſuper quibus pendent, pro expreſſis habentes, ad nos per præſentes auocantes, illaſque in ſtatu & terminis in quibus ad præſens repetiuntur, & quas in futurum moueri de nouo contigerit, tam actiue quam paſſiue, etiam per prædictos Canonicos, Capitulum, beneficiatos, clericos, & Capellanos ſeu eorum quemlibet contra quaſcumque perſonas, Conuẽtus, Collegia Capitula, Vniuerſitates, Societates, Hoſpitalia & loca quæcumque, ſæcularia & quorumuis Ordinum, Militiarum, & Hoſpitalium Regularia, priuilegiata etiam per prædictos Canonicos, & Capitulum contra beneficiatos, Clericos; & Capellanos prædictos, ſuper quibuſcumque pecuniarum ſummis, beneficiis Eccleſiaſticis, cenſibus, canonibus tritici, grani, vini, pecuniarum, aut aliarum rerum reſponſionibus, prædiis, rebuſque & bonis ad quamcumque pecuniarum ſummam, numerum, quantitatem, & valorem aſcendentibus, ad dictam Baſilicam, aut illi vnitas vel annexas Eccleſias, & Parochiales, ſeu eius Capitulum, Canonicos, beneficiatos, clericos & Miniſtros, etiam priuatim, aç ratione ſingularum perſonarum quomodolibet ſpectantibus, aut eorum intereſſe, directe vel indirecte communiter vel diuiſim, ac eorum cuiuſlibet concernentibus, rebuſque aliis in actis cauſæ & cauſarum huiuſmodi latius deductis & deducendis, & illorum occaſione, cum omnibus & ſingulis ſuis incidentibus, dependen. emergen. annexis, & connexis, tibi tuoque prædicto Vicario nunc & pro tempore per te deputato.

Cum poteſtate ſummarie, &c. & appellatione poſtpoſita procedendi.

§. 3. Summarie, ſimpliciter & de plano ſine ſtrepitu & figura iudicij, ſola veritate facti inſpecta, & quatenus opus ſit, exequutiue, etiam manu regia, abſque terminorum ſubſtantialium, & alicuius telæ iudiciariæ obſeruatione, ſiue confectione regeſtri ſiue extractus, quacumque appellatione poſtpoſita, etiam non friuola, audiendas, cognoſcendas, decidendas, fineque debito terminandas,

Digitized by Google

nandas auctoritate Apostolica tenore earumdem præsentium committimus, & mandamus eisque præsentibus perpetuis temporibus duraturis.

In Curia & extra eam citandi.

§.4. Cum potestate dictas partes respectiue, & alios omnes quos opus fuerit, sua communiter vel diuisim interesse putantes, in exequutione citationis nominandos, in Romana Curia, & extra eam, etiam per edictum publicum, constito summarie & extraiudicialiter de non tuto accessu, citandi.

Iudicibus inhibendi, & causas auocandi, & reassumendi.

§.5. Ac omnibus Iudicibus supradictis, & quibus, & quoties opus fuerit, & sub censuris Ecclesiasticis, & pecuniariis pœnis, tuo arbitrio moderandis & applicandis, etiam per simile edictum inhibendi; causasque ipsas coram quibusuis eorum de facto forsan introductas, seu introducendas, ab eis auocandi, & reassumendi, & in euentum non paritionis, pœnas & censuras prædictas damnabiliter incurrisse, & incidisse declarandi, illasque etiam iteratis vicibus aggrauandi, & reaggrauandi; interdictum Ecclesiasticum apponendi, & brachij secularis auxilium inuocandi.

Mandata executiua decernendi & exequendi.

§.6. Loco vero sententiæ seu sententiarum prædictarum, & mandata executiua, in forma solita & consueta decernendi, illumque vel illa, & quicquid per te, & Vicarium prædictum, vel alterum vestrum iudicatum fuerit, exequendi.

Expensas taxandi.

§.7. Expensas quascumque taxandi, ac moderandi.

Singulis diebus in honorem Dei non feriatis procedendi.

§.8. Atque in causis omnibus, & singulis præmissis, vel eorum quolibet, seu quomodolibet præmissorum, etiam singulis diebus, & horis, præterquam in honorem Dei feriatis procedendi.

Canonicos & alios à iuramento absoluendi ad effectum agendi, &c.

§.9. Necnon Canonicos, & Capitulum, ac beneficiatos, Clericos, & Capellanos prædictos, siue eorum quemlibet, à vinculo iuramenti, ad effectum agendi, aliisque censuris Ecclesiasticis, & pœnis quatenus oportuerit, absoluendi.

Cæteraque in præmissis faciendi.

§.10. Omniaque & singula alia faciendi, gerendi, & exercendi in præmissis necessaria seu quomodolibet opportuna.

Commissiones cuiusvis nō signatas manu Papæ non attendendi.

§.11. Ac insuper, ne præiudicium auctoritatis, iurisdictionis, & facultatum prædictarum contingat causas sub diuersis prætextibus, à te, seu tuo Vicario auocari, ac aliis Iudicibus committi, omnes & quascumque commissiones tam gratiæ quam iustitiæ, interesse Basilicæ, Capituli, & personarum prædictarum quomodolibet concernentes, aliter quam manu nostra, & pro tempore existentis Romani Pontificis, teque ad id vocato signatas, & inhibitiones earum prætextu emanandas, processusque per easdem habendos, & inde pro tempore sequuta quæcumque, nullius roboris vel momenti esse, ac illis non obstantibus, te, tuumque Vicarium, ad vlteriora in causis huiusmodi procedere posse, atque ad parendum commissionibus prædictis, earumque prætextu emanatis inhibitionibus, minime teneri, ac ob non paritionem, censuras aut pœnas aliquas minime incurrere posse decernimus atque declaramus.

Pontificalia munia & iurisdictionē ordinariā super canonicos, &c. exercendi.

§.12. Dantes etiam tibi facultatem exercendi munia Pontificalia in Basilica prædicta, ac ordinariam etiam in spiritualibus iurisdictionem, super Canonicis, Beneficiatis, Clericis ac Ministris prædictis, ita vt à te vel de tua licentia tantum, nec alias à quocumque Catholico Antistite, gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habente, per te deputando, ad omnes etiam sacros & presbyteratus ordines promoueri. Tuque & Antistites huiusmodi eos promouere absque nostra, vel successorum nostrorum, aut Vicarij, vel cuiusuis alterius Ordinarij licentia, dimissoriis, aut examine, licite possitis, ac debeatis.

Collegij Fabricæ S. Petri superioritatē habendi, Officialesq; reformandi, &c.

§.13. Postremo attendentes quod licet alias piæ mem. Clemens Papa VII. prædecessor noster, vnum Collegium deputatorum Fabricæ prædictæ Basilicæ nuncupati erexerit, ac tam ipse, quam diuersi alij Rom. Pontifices nostri prædecessores, ipsi Collegio Officiales creandi, causas, priuatiue quoad omnes & quoscumque alios Iudices cognoscendi, & plures amplissimas facultates, iurisdictiones, exemptiones, immunitates, indulta & priuilegia concesserint, ac in specie Collegium, & Fabricam huiusmodi, illiusque personas, sub immediata sua, & pro tempore existentis Rom. Pontificis, & Sedis Apostolicæ protectione susceperint, sibique & Sedi prædictæ, ita vt nullum alium, quam Romanum Pontificem superiorem recognoscerent, immediate subiecerint, eximendo Fabricam & Collegium huiusmodi etiam ab ipsius Archipresbyteri dictæ Basilicæ pro tempore existentis, omnimoda superioritate, & iurisdictione; nihilominus valdè expedit, vt tu Fabricæ prædictæ tua auctoritate, consilio, & laudabili studio incumbas, te quamdiu vixeris, & Archipresbyteratum prædictum obtinueris, Fabricæ & eius Collegij prædicti Protectorem & superiorem, auctoritate Apostolica tenore præsentium committimus, & deputamus. Dantes, & concedentes tibi, & tuo Vicario, plenam & liberam, ac omnimodam facultatem Congregationis Collegij prædicti, vbi, quando & quoties tibi videbitur conuocandi, in eisdem præsidendi, Officiales, Deputatos, Ministros, ac personas dictæ Fabricæ reformandi, & corrigendi, & ab eis, administrationis, & muneris cuilibet contra commissi, ac tam accepti quam expensi, rationes exigendi, salaria cum consilio Collegij prædicti constituendi, minuendi, & si opus fuerit augendi, eosque qui in causis Fabricam prædictam concernentibus sententias tulerint, aut alias iudicauerint syndicandi, & in creationibus Officialium, & admissionibus personarum, seu deputatorum Collegij prædicti suffragium ferendi, ita vt tu si aderis suffragium duplex habeas; abusus quoscumque tollendi, statuta cum consilio eiusdem Collegij de nouo condendi, immutandi declarandi, & corrigendi.

Causæ dictæ Fabricæ interesse concernentes cognoscendi.

§.14. Causas quascumque interesse dictæ Fabricæ tribunali pendentes, tam motas quam mouendas, personæ, seu personis tibi bene visis, de eiusdem tamen Fabricæ Collegio existentibus, committendi, easque si videbitur etiam ab iis coram quibus introductæ & instructæ fuerint auocandi, & per te ipsum cognoscendi, audiendi, terminandi, seu alij vel aliis eiusdem Collegij Fabricæ personis committendi, omniaque in præmissis & circa ea necessaria, & quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, mandatum decernendi, & exequendi.

Tu vide bull. Clem. V. citatam in rubr.

Clausula ad concessionis præseruationē.

§.15. Decernentes quoque præsentes ad vitam tuam, seu quamdiu Archipresbyteratum huiusmodi obtinueris tam nostris quam etiam successorum nostrorum Romanorum Pontificum temporibus durare, suamque vim, & roboris firmitatem obtinere, nec easdem præsentes sub quibusuis similium vel dissimilium facultatum & gratiarum derogationibus, reuocationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per nos vel successores nostros Romanos Pontifices pro tempore, & motu simili ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine edendis comprehendi, nec per eas immutari, suspendi, limitari, moderari, aut ad terminos iuris reduci posse, sed easdem præsentes perpetuo validas, & efficaces fore; & quoties huiusmodi contraria emanabunt, toties illas in pristinum, & validissimum, & eum in quo antea erant statum restitutas, & sub posteriori data, per te seu Vicarium tuum eligenda, de nouo concessas censeri, & quicquid illarum vigore alias rite gestum, statutum, factum, mandatum, indultum, & exequutum fuerit, perpetuam vim, & roboris firmitatem obtinere.

Clausula, firmata, &c.

§.16. Sicque per quoscumque Iudices, & causarum Palatij Apostolici Auditores, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, in quauis causa & instantia, iudicari & definiri debere. Necnon irritum & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula contrariorum derogatoria.

§.17. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac in Conciliis etiam generalibus editis, stylo Palatij, regula Cancellariæ Apostolicæ prohibente mandata exequutiua alias quam sub plumbo expediri, facultatibus, & iurisdictionibus prædictæ Fabricæ illiusque Collegio, deputatis, Officialibus, necnon Vicario nostro in Alma Vrbe, ac Senatori, Auditori causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ, seu Cardinalibus, & quibusuis Vrbis Iudicibus supradictis, sub quauis verborum forma, & ex causis vrgentissimis per nos eisdem concessis & innouatis, quas etiam si in eis caueatur expresse, quod illis aut non nisi certis modo & forma in eis

Digitized by Google

expreſſis, derogari valeat, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum ſpecialis mentio facta foret, præſentibus pro expreſſis habentes, ſpecialiter & expreſſe derogamus; ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. An 5. die 4 Mart. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1590. 4. Nonas Martij, Pontificatus noſtri Anno 5.

CIII. Erectio Burgi Felicis, S. Bernardi in Regione Montium Almæ Vrbis, & priuilegia pro inibi Fabricantibus, & Ædificantibus.

Hac priuilegia vide ſup. in conſt. 66. Decet. vbi etiam notaui.

Edita An. D. 1590.

SIXTVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

Præmium. DVm ad vberes, ſalutiferoſque fructus, quos benedicente Domino præcipue circa pauperes puellas educandas, & Deo conſecrandas, venerabilis dilectorum filiorum Sacerdotum, & aliorum vtriuſque ſexus Chriſtifidelium S. Bernardi Confraternitas in hac Alma Vrbe noſtra in dies proferre non ceſſat attendimus, facere nullo modo poſſumus, quin eos ſpeciali quadam huius Sedis beneuolentia proſequentes, ea ſibi fauorabiliter concedamus, per quæ eorum, ac Monaſterij Monialium, & Collegij Puellarum per ipſam Confraternitatem apud Eccleſiam S. Suſannæ de dicta Vrbe inſtitutorum vtilitati, cum dictæ Vrbis ornatu valeat ſalubriter prouideri.

Cauſa huius conceſſionis. §. 1. Exponi ſiquidem nobis nuper fecerunt dilecti filij Officiales, & Confratres prædictæ Confraternitatis, quod ipſi pro eiuſdem Monaſterij commoditate, ac illius, & dicti Collegij cum officinis neceſſariis conſtructione quamdam partem vineæ exiſtentis in Regione Triuij in loco nuncupato Caput Domorum, à dilecto fratre noſtro Henrico S. R. E. Camerario Cardinali Caietano nuncupato, & venerabili fratre Camillo Patriarcha Alexandrino, ac dilecto filio nobili viro Honorato Duce Sermonetæ, fratribus germanis de Caietanis, pretio duorum millium & quingentorum; deinde reſiduum dictæ vineæ cum illius domo, viridario, & aliis quibuſcumque ſuis iuribus, & pertinentiis pretio duodecim millium, & quingentorum ſcutorum monetæ emerunt; pro quibus ſoluendis nonnulli ex dictæ Confraternitatis Confratres impoſuerunt ſuper eorum bonis ſtabilibus diuerſos cenſus, ſub acceſſionibus etiam propriis nominibus dilectorum filiorum Petri Fuluij V.I.D. Prioris, & Franciſci Contugij, ac Dominici Hattoni Cuſtodum, necnon Ludouici Riualdi Cameratij, ac Marcelli de Sancta Cruce & Andreæ Alberini Officialium, ac aliorum Confratrum dictæ Confraternitatis; quorum bonam fidem ipſa Confraternitas cum promiſſione releuationis indemnitatis recognouit; reſiduum vero dictorum quindecim millium ſcutorum interim ad cenſum accipere, pro quorum extinctione alios canones, & reſponſiones dictæ Confraternitatis extinguere, necnon reſiduum dictæ vineæ ſtratis viis publicis ad ornatum dictæ Vrbis, & fabricare volentium commoditatem diuerſis perſonis, aut liberum vendere, aut ad fabricandum in emphyteuſim ſub annuo canone concedere intendunt, & iam forſan vendiderunt, & ſeu conceſſerunt, provt in ſingulis inſtrumentis publicis, ac aliis ſcripturis forſan deſuper confectis plenius dicitur contineri. Cumque dicti Officiales, & Confratres cupiant, vt homines ad fabricandum in ſitu dictæ vineæ aliquibus priuilegiis, & gratiis alliciantur, ipſumque ſitum priuilegiis, & gratiis decoratum in Burgum Felicem S. Bernardi nuncupandum erigi. Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eorum deſiderio huiuſmodi annuere, aliaſque in præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Erectio Burgi Felicis. §. 2. Nos vt in Monte Quirinali, & apud etiam viam Felicem per nos annis præteritis apertam, quaſi noua Ciuitas conſtruatur, ac propterea homines inibi pro tempore habitantes ſeu ædificantes, ſpecialibus fauoribus, & gratiis inuitare volentes, ac dictæ vineæ qualitates, & veros annuos valores, ac ſingulorum inſtrumentorum, & ſcripturarum deſuper forſan confectarum, aliorumque de neceſſitate exprimendorum, & inde ſecutorum quorumcumque tenores etiam veriores, præſentibus pro expreſſis habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati. Emptionem dictæ vineæ, cenſuum impoſitiones, venditiones, fideiuſſiones, recognitiones bonæ fidei, necnon etiam dictæ vineæ diuiſiones, venditiones, liberas conceſſiones etiam in emphyteuſim factas & faciendas ſub pactis hinc inde conuentis & conueniendis, ac cum omnibus inde ſecutis Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, ac confirmamus; ac omnes, & ſingulos tam iuris quam facti, ac ſolemnitatum quarumcumque etiam de iure, aut ex forma ſtatutorum dictæ Vrbis, vel alias quomodolibet requiſitarum, & omiſſarum, aliaſque defectus ſi qui forſan interuenerint in eiſdem ſupplemus, dictaſque emptiones validas, & bene factas fuiſſe, & eſſe declaramus, dictamque vineam cum viis publicis apertam & diuiſam, in Burgum Felicem S. Bernardi nuncupandum, auctoritate & tenore prædictis perpetuo erigimus, & inſtituimus.

Priuilegia fabricantiũ vel habitantium in eo. §. 3. Illique ſic erecto & inſtituto, ac omnibus vtriuſque ſexus perſonis cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtentibus in eo, & tota via Pia nuncupata vſque ad portam Piam, ac etiam in aliis viis prope, & circa ſupradictas forſan aperiendas, nunc & pro tempore fabricantibus vel habitantibus, omnia & ſingula priuilegia, gratias, fauores, & prærogatiuas, ac indulta domibus, & ædificiis facta & fienda, ac fabricantibus, & habitantibus in Monte Quirinali, & in via Felici per alias noſtras literas ſub dat. videlicet Idibus Septembris Pontificatus noſtri anno tertio conceſſa, eiſdem auctoritate & tenore perpetuo concedimus, eaque omnia & ſingula, acſi præſentibus expreſſa, ac de verbo ad verbum inſerta fuiſſent ad dictum Burgum Felicem S. Bernardi, & in eo, ac tota via Pia, vſque ad portam Piam huiuſmodi fabricantes, & habitantes extendimus, illiſque omnibus & ſingulis vti, frui, potiri, & gaudere poſſe volumus & declaramus, atque decernimus.

Facultas Confraternitatis S. Bernardi locandi quæcumque bona, &c. §. 4. Præterea ipſius Confraternitatis, Priori, Cuſtodibus, & Officialibus nunc & pro tempore exiſtentibus, quæcumque alia bona ſtabilia, & immobilia, ſeu quaſi ſtabilia cuiuſcumque qualitatis, quantitatis, & valoris, & in quocumque loco exiſtentia, ad Confraternitatem Monaſterium, & Collegium huiuſmodi quomodolibet ſpectantia, pro pretio vel affictu, ac ſub pactis, & conditionibus hinc inde conueniendis, in emphyteuſim ſeu ad liuellum aut locationem ad longum, vel aliud tempus concedere, ac pecuniæ inde redigendæ in extinctionem cenſuum pro ſolutione dictorum quindecim millium ſcutorum impoſitorum, vel in emptionem aliorum bonorum ſtabilium in Confraternitatis Monaſterij, & Collegij prædictorum commodum vel vtilitatem conuertere, libere & licite poſſint & valeant, etiam concedimus & indulgemus.

Decretum irritans. §. 5. Decernentes omnia, & ſingula præmiſſa valida perpetuo, & efficacia fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, ac ſingulis quos illa concernunt, & pro tempore concernere poterunt ſuffragari, ſicque & non aliter per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, ordinarios & delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, necnon Camerarium, & Cam. Apoſt. Theſaurarium, Præſidentes, & Clericos, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere; irritum quoque & inane; quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio. §. 6. Quocirca dilectis filiis dictæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, Præſidentibus, & Clericis, nunc & pro tempore exiſtentibus, per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Officialium, & Confratrum prædictorum, aut alicuius eorum, quos illæ concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, ac domorum, ſeu ædificiorum in Burgo Felici S. Bernardi, & tota via Pia

Digitized by Google

Pia huiuſmodi hactenus factorum, & pro tempore conſtruendorum, illorumque conductoribus, habitatoribus, incolis, dominis, eorumque hæredibus & ſucceſſoribus, artificibus, & quibuſcumque aliis in Burgo Felici S. Bernardi, & via Pia huiuſmodi quomodolibet ædificantibus, vel habitantibus, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque, per eos ad quos ſpectat & ſpectabit in futurum, perpetuo firmiter & inuiolabiliter obſeruari, illaſque debitæ exequutioni demandari procurent. Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; inuocato ad hoc etiam ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis.

Derogatio cõtrariorum.

§. 7. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Vrbis iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis alia firmitate roboratis, ſtatutis, conſuetudinibus, & nouis reformationibus; priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis eidem Populo Romano, eiuſque Magiſtratibus; & Conſulatibus Artium, aut illarum Conſulibus, & quibuſlibet aliis perſonis quomodolibet conceſſis, confirmatis & innouatis; quibus omnibus etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua mentio habenda, ſeu quæuis alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, acſi de verbo ad verbum exprimerentur & inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. P. An. 5. 11. April.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 11. Aprilis, 1590. Pont. noſtri anno 5.

Publicatio.

Anno à natiuitate Domini 1590. *indict.* 3. *die vero* 13. *menſis Aprilis, tempore Pontificatus eiuſdem Sanctiſſ. in Chriſto patris & D.N.D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno eius* 5. *retroſcripta litera Apoſtolica, & omnia & ſingula in eis contenta, affixa, & publicata fuerunt ad valuas Eccleſiarum Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. S. Petri de Vrbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, & acie Campi Florę, vt moris eſt, per me Nicolaum Druyn, & Octauium Tagliettum S.D.N. Papæ Curſ.*

Pompeius Guerra Mag. Curſ.

CIV. Priuilegium Fratrum Militum S. Stephani, quod etiam bigami, & abſque habitu clericali incedentes, annuas penſiones Eccleſiaſticas, vſque ad ducatos ducentum retinere & transferre poſſint.

Inſtitutionem & alia de hac Militia vide ſup. in conſt. 60. *Pij IV.* His quæ. *vbi notaui. Et approbationem & extenſionem huius priuilegij mox edixit Paul. V. in eius conſt.* 46. Dum generoſa.

Edita An. D. 1590.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

CIrcumſpecta Romani Pontificis prouidentia, gratias, quæ ex benignitate Sedis Apoſtolicæ emanarunt, libenter corroborat, & in priſtinum ac validum ſtatum reponit; cum præſertim per eas, & Catholicorum, nobiliumque, & Magnorum Principum honori, ac iuſtis deſideriis, & fortium Chriſtianæ Religionis, & Catholicæ fidei propugnatorum, ſub approbati alicuius Ordinis Regula & inſtituto, pro Chriſto aduerſus infideles militantium, qui pro eiuſdem Religionis, & fidei defenſione, & propagatione, ſuam vitam, & opes prompte quibuſuis periculis exponunt, commodis & congrue ſuſtentationi opportune conſulitur.

Pius IV. Milites iſtos eximit à iuriſdictione Ordinariorum, ſolutione decimarũ, aliaque indulta conceſſit, vt in eius conſt. 60. His quæ ſup.

§. 1. Cum itaque alias fel. rec. Pius Papa IV. prædeceſſor poſt erectionem, & inſtitutionem Militiæ S. Stephani, ſub Regula S. Benedicti, per claræ mem. Coſmum, tunc Florentiæ, & Senarum Ducem, in Ducatu Florentiæ, de licentia Sedis Apoſtolicæ, ipſi Coſmo Duci per literas eiuſdem Pij prædeceſſoris attributa antea factam, ipſi Coſmo Duci Magno Magiſtro, necnon Conuentui, Militibus, Priori, ceteriſque Miniſtris Eccleſiæ dicti Conuentus, & aliis perſonis, etiam in ſacris, & Preſbyteratus ordinibus conſtitutis, etiam quæcumque, quoſcumque, & qualiacumque cum cura & ſine cura, beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, eorumque beneficiis, commendis, rebus, & bonis diuerſas exemptiones, etiam à iuriſdictione Ordinariorum libertates, immunitates; etiam à contributione decimarum, & onerum, indulta, priuilegia, facultates, indulgentias & gratias ſpirituales, & temporales benigne conceſſerit, atque elargitus fuerit.

Facultatem quoque dedit militibus etiã bigamis, penſiones obtinendi & tranſferendi, vſq; ad ſummã ſcut. 400. auri de Camera vt ibidem.

§. 2. Atque in ſpecie hoc quoque inter alia indulſerit omnibus & ſingulis dictæ Militiæ S. Stephani Militibus coniugatis, ac etiam bigamis, aliiſque Preſbyteris, vt ſingulas penſiones annuas, vſque ad ſummam ducentorum ducatorum auri de Camera, ſuper quarumuis Cathedralium; & Metropolitanarum, & aliarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Canonicatuum, & præbendarum, dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum, & officiorum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura & ſine cura, ſæcularium, & quorumuis Ordinum Regularium, fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, obuentionibus, & emolumentis, alias ſibi canonice reſeruandas, accumulatiue cum quibuſuis penſionibus annuis, quas illos ex quouis alio priuilegio Apoſtolico pro tempore percipere contigerit, & continget, ad vitam percipere, exigere, & leuare, ac in ſuos vſus & vtilitatem conuertere libere & licite valerent; prout in eiuſdem Pij IV. prædeceſſoris binis literis, prioribus nimirum ſub datis Kalendis Februarij, poſterioribus vero ſub dat. Nonis Iulij, Pontificatus ſui anno 3. confectis plenius continetur.

Pius verò V. eiuſmodi indulta generaliter reuocauit vt in eius conſt. 73. Sacroſanctum.

§. 3. Poſtmodum vero piæ mem. Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter, per ſuam quæ incipit Sacroſanctum; deſuper editam conſtitutionem inter cetera reuocauerit, & aboleuerit omnia & quæcumque priuilegia, facultates, diſpenſationes, & indulta obtinendi ſimiles penſiones, fructus, & alias res Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum, & officiorum Eccleſiaſticorum ſæcularium & regularium dictæ S. Stephani, ceteriſque Militiis, ac Hoſpitalibus, earumque Militibus; Fratribus, & perſonis, tam Clericis quam coniugatis, quibuſuis modo & forma, ac quibuſcumque de cauſis conceſſa, & approbata, ita quod ipſi, ſiue coniugati ſiue bigami, ſiue Clerici ſiue etiam preſbyteri, nullas de cetero reciperent, ſed eas ſolas quas tunc habebant, retinerent, & eæ quoque per futurum contractũ Matrimonij extinctæ cenſerentur, prout in eadem conſtitutione latius continetur.

Hic autem Põt. ob cauſas hic expreſſas, approbat ante dictas Pij IV. conſtitutiones, & Pij V. bullã reuocat. quoad iſtos Milites, & quoad dictas penſiones.

§. 4. Nos animaduertentes, noſtris potiſſimum temporibus huiuſmodi Milites, pro Dei, & Chriſtiani nominis gloria, ac fidei Catholicæ defenſione, non ſolum ſæpius, in diuerſis expeditionibus contra fideles fortiter, & magna cum laude dimicaſſe, ſed eorum triremes, & maritimas copias, ad Maris Mediterranei, & præ maritimæ totius fere Italiæ tuitionem, ad coercendas Turcarum, & aliorum Piratarum incurſiones, magnum iugites adiumentum afferre, ipſamque Militiam nunc maxime ſub felici regimine & gubernio dilecti filij nobilis viri Ferdinandi Magni Etruriæ ſibi ſubiectæ Ducis, ac moderni Magni Magiſtri in dies magis florere, & complurium Militum, qui regularem illius habitum ſuſceperunt nobilitate, opibus, & virtute præſtantium quaſi egregio, ac numeroſo fœtu multiplicato auctam eſſe, & quotidie augeri, ac præterea tam ipſum Ferdinandum Magnum Ducem, armis, opibus, potentia virtute, inclytarum Ciuitatum, & Populorum eius ditioni ſubiectorum amplitudine, ac Militum copiis inter Chriſtianæ Reipublicæ Principes valde inſignem, præcipua vero erga nos, & Sedem Apoſtolicam reuerentia & deuotione, ſummoque Catholicæ fidei tuendæ & propagandæ zelo accenſum, quam etiam eoſdem Milites, qui in tam egregio & laudabili exercitio non ſolum ingentes ſumptus aſſidue faciunt, ſed ſanguinem ipſum & vitam, cum ſe offert occaſio, prompte & libenter profundunt pro noſtra erga illos paterna charitate, Apoſtolica beneficentia & gratia dignos reputantes, aliiſque iuſtis, & rationabilibus de cauſis adducti, eoſdemque Ferdinandum Magnum Ducem, & ſingulos Milites, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis;

Mox Paul. V. ampliauit vt notaui hic ſup. in rubr.

Digitized by Google

ſententiis, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes & abſolutos fore cenſentes, ac tenores dictarum Pij IV. prædeceſſoris literarum, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, Motu proprio, non ad alicuius nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera noſtra liberalitate, & certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, facultatem & indultum, percipiendi & exigendi penſiones annuas præfatas, vſque ad ſummas huiuſmodi ducentorum auri de Camera, Militibus præfatis coniugatis etiam bigamis, aliiſque etiam preſbyteris, etiam accumulatiue cum quibuſuis aliis penſionibus annuis, quas illos ex quouis alio priuilegio Apoſtolico pro tempore contigerit, aut continget in futurum habere, vt præfertur, per Pium IV. prædeceſſorem conceſſa, & deinde per Pium V. etiam prædeceſſorem, vt diximus reuocatam, aduerſus ipſam reuocationem, abolitionem, prohibitionem, & conſtitutionem dicti Pij V. prædeceſſoris, cuius tenorem pariter præſentibus haberi volumus pro expreſſo, in integrum priſtinum, & validiſſimum, & eum, in quo antequam conſtitutio ipſa emanaret, quomodolibet erant, ſtatum, non ſolum iuxta formam, continentiam, & tenorem dictarum Pij IV. prædeceſſoris literarum, ſed omni meliori, validiori, atque ampliori modo, & forma plenarie Apoſtolica auctoritate tenore præſentium reſtituimus, reponimus, reintegramus, & reualidamus, ipſamque Pij V. prædeceſſoris conſtitutionem, quo ad dictos Milites S. Stephani, præſentes & futuros, locum non habere, eiſque minime obeſſe, ac nihil prorſus præiudicij afferre poſſe decernimus & declaramus, quinimmo dictæ conſtitutioni ad effectum præmiſſorum dumtaxat, latiſſime derogamus, eique plene & ſufficienter derogatum eſſe volumus.

Indultumque circa eas penſiones iterato concedit.

§. 5. Et nihilominus, eiſdem Militibus, omnibus & ſingulis, etiam coniugatis, & bigamis, aliiſque etiam preſbyteris, vt ſingulas penſiones, vſque ad ſummam prædictam ducentorum ducatorum auri de Camera ſuper huiuſmodi fructibus, redditibus, & prouentibus Eccleſiaſticis, aliiſque prædictis, alias ſibi canonice reſeruandas, accumulatiue cum quibuſuis aliis penſionibus annuis, quas eos ex quouis alio priuilegio, ſeu indulto, aut diſpenſatione Apoſtolica eis in genere & communiter, ſeu eorum cuilibet nominatim, & ſigillatim, etiam in vna non facta mentione de alia, vel aliis, ante vel poſt datam præſentium quandocumque conceſſa aut concedenda, vſque ad quamcumque ſummam, etiam dictis ducentis ducatis longe maiorem, pro tempore percipere contigerit, & continget ad vitam percipere, exigere, & leuare, inque ſuos vſus & vtilitatem conuertere libere & licite valeant, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi ipſa reuocatio, abolitio, & conſtitutio dicti Pij V. prædeceſſoris non emanaſſet, aut ipſi Milites S. Stephani ſub ea comprehenſi non eſſent, de nouo concedimus, & indulgemus.

Eximique ab onere deferendi habitū & cēſuræ clericalem. Necnon concedit, per contractum matrimonij, & exercitium Militiæ, penſiones non vacare.

§. 6. Decernentes nihilominus & declarantes, eoſdem Milites, tam laicos quam clericos, etiam coniugatos, & non coniugatos, penſiones ſuper quibuſuis præfatarum Cathedralium, & Metropolitanarum, aut aliarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Canonicatuum, præbendarum, dignitatum, perſonatuum, & adminiſtrationum, officiorum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura & ſine cura, ſæcularium & quorumuis Ordinum Regularium fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, obuentionibus, & emolumentis, ac diſtributionibus etiam quotidianis, alias eis canonice, & ex præfato, vel alio quocumque priuilegio, aut indulto Apoſtolico, ad quamcumque ſummam, ſe, ipſos fructus, redditus, & prouentus, eorumve partem aliquam loco penſionum earumdem ſibi reſeruatos aut aſſignatos, percipientes ad incedendum in habitu & tonſura clericali, deferendumque veſtes talares iuxta noſtram deſuper editam conſtitutionem, quæ incipit: Sacroſanctum, cuius pariter tenorem præſentibus haberi volumus pro expreſſo, minime teneri, neque ad id obligatos exiſtere, aut aliqua ratione cogi, aut compelli poſſe. Neque ipſas penſiones, aut illarum, vel fructuum, reddituum, & prouentuum huiuſmodi reſeruationes, per non delationem habitus, tonſuræ, aut veſtiū huiuſmodi, aut per contractum matrimonij vel per bigamiam quamcumque ſuperuenientem, aut per exercitium Militiæ, & quoſcumque actus bellicos, clericis, & Eccleſiaſticis perſonis, de iure & per ſacros Canones prohibitos, nimirum Militares, etiam ſanguinis effuſione, membrorum mutilatione, & morte infidelium ſubſequuta minime ceſſare, expirare, aut caſſatas, vel extinctas dici, aut cenſeri poſſe, ſed ipſos Milites nihilominus, vt prius illas percipere, & exigere poſſe & debere, & dummodo habitum Militarem, veſtes nimirum communes laicales, cum inſignibus Crucis eius Militiæ conſuetis, iuxta alias noſtras ſuper declaratione huiuſmodi habitus Militaris, ſub Dat. vltimo Prid. Kalend. Februarij, Pont. noſtri Anno 4. quæ etiam incipit: Paſtoralis, editas literas deferant, vtique conſtitutioni noſtræ plene ſatisfacere.

Clauſulæ huius cōceſſionis præſeruatiuæ apponit.

§. 7. Nec præmiſſa, aut præſentes literas, de ſubreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, intentionis noſtræ, vel quouis alio defectu notari, impugnari, inualidari, aut ad terminos iuris reduci poſſe, aut debere, nec ſub quibuſuis ſimilium vel diſſimilium gratiarum ſuſpenſionibus, reuocationibus, limitationibus, aliiſque contrariis diſpoſitionibus, à nobis & ſucceſſoribus noſtris, ac Sede præfata, quauis de cauſa, quantumcumque iuſta, pro tempore emanatis & emanandis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties eaſdem præſentes in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & de nouo conceſſas eſſe, & cenſeri. Sicque per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Card. ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari & definiri debere, necnon irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 8. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Florentino, & Piſano Archiepiſcopis, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut vnus eorum, vbi & quoties pro parte ipſorum Ferdinandi Magni Ducis, & Militum, ſeu alicuius eorum fuerint requiſiti, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos, & eorum quemlibet, eiſdem præſentibus, ac in eis contentis quibuſcumque pacifice frui, & gaudere. Non permittentes, eos deſuper à quoquam quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis.

Contrariis derogat.

§. 9. Non obſtantibus recol. mem. Bonifacij Papæ VIII. pariter prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita, de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis vigore præſentium, ad iudicium non trahatur, ac dicti Pij V. prædeceſſoris, qua inter alia voluit, gratias huiuſmodi ſuis explodi temporibus, & quod ſibi licere non eſt paſſus, id ſuis ſucceſſoribus indicauit, necnon præfatis, & quibuſuis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ac in Conciliis etiam generalibus editis, & quarumcumque Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Ordinum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, Eccleſiæ, & Monaſteriis, eorumque Capitulis, Conuentibus, Superioribus, Prælatis, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis conceſſis, etiam ſæpius approbatis & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiam ſi de illis eorūque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excom

Digitized by Google

excommunicati non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo, &c.

D. P. An. 6. die 23. Mart.

Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ 1590. Kalend. Iunij, Pontificatus nostri Anno 6.

CV. Institutio Præpositi, Sacristæ, Capellanorum, Clericorum, & Ostiarij, ad Scalas Sanctas, prope Basilicam S. Ioannis Lateranen. de Vrbe.

Edita An. D. 1590.

SIXTVS EPISCOPVS *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Hic Pont. ex causis hic expressis, Scalâ Sanctam decentiori & sanctiori loco, ante augustissimam Saluatoris nostri Capellam prope Basilicam sancti Ioānis Lateranen. reposuit, & ne Opificum pedibus dicta Scala gradus, calcarentur, modum hic enarratum obseruauit.

§. 1. CVm singularum rerum, quas Dominus noster Iesus Christus, pro nostra omniumque salute gessit, aut passus est, pia & assidua meditatio cunctis fidelibus mirifice fructuosa, ac propemodum salutaris existat atque ad miseros peccatores à recta via abertantes ad veram pœnitentiam reuocandos, iustos vero ad ardentioris deuotionis feruorem inflammandos, vehementem vim habeat, idcirco præcipuo enitendum est studio, quo sancta illarum memoria cunctorum mentibus piorum fortius amprimatur & tenacius retineatur. Hinc sancta mater Ecclesia non modo iugi Prædicatorum verbi Dei admonitione, aliisque multis & variis cohortationibus, verum etiam per sanctissimæ Passionis Dominicæ veneranda mysteria, salutifera monumenta, sacrasque Imagines, quæ nostris oculis deuote contemplanda proponit, intimis cordis nostri visceribus id ipsum perpetuo foueri & conseruari pia cogitatione procurat. Cum itaque ex sacris illis locis per quæ transiens ipse Christus Dominus humanæ salutis mysterium operabatur, inter cetera quam plurima monumenta, singulari Dei beneficio Almæ huic Vrbi iampridem concessa, sit etiam illud præclarum atque insigne quasi egregium diuinæ erga nos charitatis pignus, Scalæ nimirum Sanctæ, quæ eiusdem Saluatoris nostri, dum multa iam passus, morti appropinquaret, sacris, & pretiosissimo eius cruore respersis vestigiis calcatæ, & iuxta antiquissimam Patrum traditionem pietatis causa ab Hierosolymis è Prætorio vbi Pilatus præfuerat Romam aduectæ, apud venerabilem S. Ioannis Lateranensis Basilicam asseruantur, easque intuerentur propter superiorum temporum iniurias, Vrbis excidia, direptiones, & alias calamitates iacere quodammodo in loco abiecto, situ, squalore ac sordibus obsito, vetustate pene collapso, atque ad excurrentis ac transeuntis turbæ tumultum omnifarie patenti, atque palam exposito, vt ex hoc ipso vtriusque sexus personarum summo non populi modo Romani, sed exterarum quoque nationum ex remotissimis regionibus concursu, & celebritate ad eas confluentium, mentes à pia meditatione non mediocriter abducerentur, ac distraherentur, & earum deuotio maximam perturbationem, molestiam, atque impedimentum pateretur, illud potissimum nobis cordi fuit, vt nullis parcentes impensis, eas integre, diligenter, ac omni qua potuit, religione transferri curaremus. Id vero vt decenter, ac debita cum reuerentia perficeretur, ac ne Sanctos illos gradus non aliter quam supplicum genibus contrectari liceret, cum aliqua irreuerentia immūdis opificum pedibus profano quodam modo teri & conculcari contingeret, Deo illuminante excogitauimus nostroque solerti studio curauimus in ipsa translatione eā diligentem adhiberi cautionem, vt qui gradus Scalarum earundem Sāctarum infimo in loco veteris structuræ situs & collocatus erat, is nunc omnium primus suo loco motus, ac transferentium humeris impositus summo, ac supremo in loco constitutus fuerit, & similiter qui antea post ascensum infimi gradus secundus erat, is modo infra summum & supremum Scalæ Sanctæ gradum proximus eique immediate coniunctus habeatur, ac idem prorsus ordo præposterа huiusmodi commutatione hac de causa inuersus, eademque series & consideratio gradatim & sigillatim in tertio, quarto, ad deinceps reliquis singulis eiusdem Scalæ Sanctæ gradibus transferendis collocandis & adiungendis seruari extiterint, sicque ipsas Scalas Sanctas pedibus mortalium intactas, minimeque calcatas, iuxta insignem illam ac præcipuam sanctitate toto terrarum orbe inter omnia Vrbis & orbis sanctiora loca celeberrimam Capellam, quæ antiquissima & maximā maiorum nostrorum veneratione iam inde ab ipsa crescentis Ecclesiæ prisca ætate Sancta Sanctorum appellatur, & quam ob loci religionē prorsus intactam, suaque primæua Sede immota reliquimus, decentiori, ac sanctior, atque à multitudinis cursitantis strepitu magis remoto & ad excitandam deuotionē aptiore in loco reponeremus. Vbi & qui per ipsas flexis genibus prostrati, vt moris est, pie Deum precantes ascendunt, nihil prorsus ante oculos habeant, quod eorum animum à deuota cōtemplatione auocet, sed potius augustissimā Saluat. Imaginem, quæ in prædicta sanctiori Capella singulari & ex omni antiquitate longissima plurium sæculorum serie repetita memoria, summaque Patrum religione colitur, intuentes ipsa loci Sanctitate, ad exhibendum feruentiori studio, sinceroque cordis affectu Diuinæ Maiestati cultum, maiorem in modum accendantur, & eædem Scalæ, in eam qua par est, dignitatem ac splendorem restitutæ ad æternam posteritatis memoriam debito cum honore & reuerentia conseruentur. Etenim si præcipua veneratione dignissima sunt ea omnia, quæ per contactum sacratissimi Corporis D. N. Iesu Christi, in quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat, sanctificata iure optimo censentur; quanta demum reuerentia, animique demissione colendæ, quanta etiam honorificentia & decore ornandæ & asseruandæ erunt hæ sacrosactæ Scalæ, quas idem Dominus ac Redemptor noster iam antea flagellatus, & spinea corona caput circum vulneratus, non modo nudis sacrorum pedum plantis, sed eo ipso quem pro nobis effundebat, inæstimabili sanguine aspersit simulque glorioſis beatorum Pedum, & cruoris ex sanctis vulneribus copiose manantis vestigiis, quæ adhuc extant, impressas ac notatas reliquit? Adorabimus inquit Propheta, in loco, vbi steterūt pedes eius, & rursus Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Apud Isaiam quoque legimus; Locum pedū meorū glorificabo, & ad Sanctam Ciuitatē Hierusalem adorabunt vestigia pedū tuorū, & apud Ezechielē, Locus solij mei, & locus vestigiorū pedum meorū.

Porticum ante d. Scalam satis ornatam extruxit.

§. 2. Hoc igitur pro opere tandē, licet ingenti sumptu, feliciter Dei benignitate absoluto, porticum quoque ante eas satis amplam atque ornatam extruximus, eamque ingentibus, solidioribus, ac robustioribus ferreis cratibus ad singula illius intercolumnia positis, vndequaque septam, vt par erat, clausimus, & cōmuniuimus, clauesq; illis aptari, vt congruis horis, & temporibus ostia aperiri & obserari queant, opportune curauimus. Alteras præterea scalas, binas videlicet ad dexteram, ac totidem ad sinistram, ne quis per easdem Scalas Sanctas alia quam orandi causa, & genibus flexis congrua cum reuerentia transeat, neue ob confertam Populorum ex omnibus Mundi partibus eo concurrentium multitudinem, summamque frequentiam in ascensu & descensu Christifideles se inuicem impediant, latas, atque amplas.

Sacella duo apud d. Capellam Saluatoris adificauit.

§. 3. Superius autem Sacella duo à lateribus dictæ sanctioris Capellæ magna impensa ædificauimus, necnon Altare in vno ex dictis Sacellis sub S. Laurentij Martyris, in altero autem sub S. Siluestri inuocationibus ereximus. Illas vero omnes opere rectorio marmorato eoque etiam inaurato, piis & ad deuotionem Christifidelium excitandam accommodatis picturis exornauimus. Ea nimirum ratione habita, vt in gradibus hinc inde positis, eorumque fornice figuræ veteris Testamenti, futuræ nostræ redemptionis symbola sint depicta.

In parietibus iuxta d. Scalam, Passionis Domini Mysteria depingi fecit.

§. 4. In ipsis vero Scalis Sanctis eiusdem Sactatissimæ Passionis mysteria fuerint expressa, atque hoc modo qui eas, vt diximus genibus flexis deuote ascendunt, religiosissimam eodem tempore Saluatoris Imaginem adorent, & quoquo se vertant, vndequaque salutiferæ Crucis & Passionis Dominicæ monumenta, pia contemplatione meditentur.

Sacella prædicta eorumque Sacristiam ornamentis Ecclesiasticis ornauit:

§. 5. Quoniam vero maxime conuenit, vt in sacro huiusmodi loco, Dominicæ Crucis & Passionis memoria non solum in marmore, ac lapidibus, picturisque & Imaginibus, sed multo etiā magis in tremendo illo Missæ sacrificio, veraque & actuali Corporis & sanguinis D. N. Iesu

Digitized by Google

Iesu Christi oblatione perpetuo recolatur, diuinusque cultus non temporalibus modo, sed spiritualibus quoque ædificiis augeatur, primum quidem eadem Sacella, & Altaria, eorumque Sacristiam, paramentis atque ornamentis Ecclesiasticis, sacris nimirum vestibus, stolis, manipulis, amictibus, pluuialibus, casulis, ceterisque indumentis Sacerdotalibus, necnon calicibus, patenis, corporalibus, candelabris, lampadibus, vrceolis, vasculis, mantilibus, linteis, palliis, ac etiam Missalibus ceterisque sacris libris, atque Ecclesiastica supellectili, & vtensilibus omnibus necessariis, abunde instruximus atque ornauimus.

Modo vnam Præpositurã, vnius Sacristæ Officium, Quatuor Capellanias, Quatuor Clericatus vnũque Ostiariũ, ibidem instituit.

§. 6. Mox etiam decreuimus inibi vnam Præposituram ad Scalas Sanctas appellandam, vnum Sacristæ Officium, necnon quatuor capellanias, & quatuor Beneficia Ecclesiastica Clericatus nuncupata, & vnum Ostiariatum erigere. Ex redditibus vero nouorum locorum Montis Religionum, quæ vltra assignationem Aquæ Felicis perpetuæ conseruationi per nos factam, supersunt, numquam antea Cam. Apost. applicatis, neque incorporatis, sed nostra diligentia, industria & cura, sine vllo Cam. Apostolicæ, aut cuiusuis alterius grauamine, vel detrimento, de nouo inuentis, ac pensione annua perpetua quadringentorum scutorum monetæ super fructibus, redditibus, prouentibus, ac distributionibus, etiam quotidianis, Prioratus Ecclesiæ Æsinæ per nos ad hunc effectum reseruata, & assignata, Dotem præpositurę, Sacristiæ, Capellaniis, & Beneficiis prędictis assignari posse censuimus. Motu igitur proprio, non ad alicuius super hoc oblatæ petitionis instantiam sed ex mera nostra deliberatione, ac certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, ac in honorem & memoriam Passionis Domini Saluatoris Nostri Iesu Christi, diuinique cultus ad Scalas Sanctas; ac in nouis Sacellis prædictis incrementum, vnam præposituram, quæ inibi dignitas censeatur pro vno Præposito in presbyteratus ordine constituto, vel qui in ea ætate sit vt intra annum promoueri ad presbyteratum possit & debeat, qui capellanorum, & clericorum huiusmodi caput existat, ibidemque præsit, ac præterea perpetuum Sacristæ Officium pro vno Sacrista, qui curam Altarium Scalarum Sanctarum, ac ipsius Sacristæ gerere, illamque custodire, atque vt omnia nitida, sacta, tecta, vt par est, custodita sint, diligenter prouidere, necnon quatuor Capellanias, pro totidem perpetuis Capellanis Presbyteris, seu intra annum pariter ad presbyteratum promouendis, & quatuor Clericatus nuncupanda Beneficia Ecclesiastica, pro totidem Clericis in minoribus ordinibus constitutis ad Scalas Sanctas appellandis.

Munus eorum cuique præscribit.

§. 7. Qui quidem Præpositus, Sacrista, & Capellani Terni qualibet hebdomada, & sic vnusquisque eorum alternis hebdomadis Missam in nouis Sacellis prædictis per se ipsos, aut si quo die eiusdem Præpositi arbitrio legitime impediti fuerint, per alium presbyterum ab ipso Præposito ad hoc specialiter approbandum, celebrare, ac ministrare, Clerici autem illis inseruire; ac vnum Ostiariatum pro Ostiario ad nutum Sacristæ deputando & amouendo, qui ipsas Scalas, omniaque Sacella, & altaria, ac Porticum mundare, congruisque horis, & temporibus ostia, & fenestras claudere & aperire, aliaque iuxta prouidam ordinationem à Dilecto filio nostro in Alma Vrbe Vicario nunc & pro tempore existente eis designandam, facere & exequi, dictoque Præposito tamquam membra capiti obedire debeant, & teneantur, tenore præsentium perpetuo erigimus & instituimus.

Annúósque redditus eisdẽ assignat.

§. 8. Eisque sic erectis & institutis, pro illorum dote, ac illa obtinentium congrua substentatione, vltra pensionem superius expressam, etiam Centum noua loca Montis Religionum prædicta per nos erecta, siue annua emolumenta inde prouenientia, & insimul ad mille centum & septuaginta scuta monetæ Romanæ annuatim ascendentia, ex eis nimirum Præpositurę prædictæ Ducenta, Sacristæ vero pro tempore existenti centum quadraginta scuta monetæ (ex quibus tamen idem Sacrista triginta pro mercede seu salario Ostiarij quotannis erogare debeat) singulis vero Capellaniis centum decem, ac denique singulis Clericatibus prædictis, quinquaginta scuta etiam monetæ similia annua, motu, scientia, ac auctoritate similibus perpetuo applicamus & appropriamus. Quod vero ex illis reliquum erit, ad centum & nonaginta scuta singulis annis ascendens, id ipsis nouis Sacellis pro diuino cultu manutenendo & augendo, & in ea quæ pro tempore reficienda erunt, paramenta, ac ornamenta Ecclesiastica, siue in reparationem, & conseruationem Scalarum & Porticus, ac totius continentis ædificij erogandum pariter perpetuo concedimus & assignamus. Quibus quidem impensis deductis, totum id quod supererit in emptionem aliorum locorum Montium non vacabilium quotannis conuerti, & eorum fructus pro rata supradictæ portionis ratione habita, inter ipsos Præpositum, Sacristam, Capellanos, & Clericos distribui volumus. Necnon Præposito, Sacristæ, Capellanis, & Clericis emolumenta locorum Montium huiusmodi, ac pensionem eis assignatam, per se vel Procuratorem legitimum, & si eis videbitur, per Camerarium, qui de eorum gremio existat, & ad quem peculiaris cura recuperationis exactionis, distributionis, & repartitionis fructuum, reddituum, ac prouentuum huiusmodi ad communem massam pertinentium spectet, (ita tamen, vt de receptis & administratis, rationem & computa ipsi Collegio reddere teneatur) per eos, eorumve maiorem partem, pro tempore deputandum à priore Ecclesiæ Æsinæ, necnon Depositario prædictis nunc & pro tempore existentibus respectiue, qui sine vlla mora, aut contradictione, etiam absque aliquo Iudicis decreto aut ministerio, & sine alia nostra aut pro tempore existentis Romani Pontificis, aut Cameræ Apostolicæ, eiusve Ministrorum licentia, aut mandato, seu Patentium expeditione, vigore præsentium literarum persoluere debeant, exigendi, & percipiendi, ac inter se vt præfertur, distribuendi, plenam & liberam per præsentes facultatem concedimus & impartimur. Volentes ipsum Collegium, eiusque singulares personas, nimirum Præpositum, Sacristam, Capellanos, & clericos prædictos, quo ad centum loca dicti Montis, eis vt dictum est, assignata, & applicata, eorum fructus, seu emolumenta eisdem priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus necnon iuribus etiam anterioribus, & potioribus actionibus, hypothecis, obligationibus generalibus & specialibus, antelationibus, & facultatibus (non tamen illa alienandi) perpetuo vti, frui, potiri & gaudere, quibus ceteri eiusdem Montis locorum, seu portionum emptores, aut quouis titulo etiam oneroso creditores seu montistæ, quo ad loca & portiones ad eos pertinentia, vtuntur, potiuntur & gaudent, siue vti, frui potiri & gaudere quomodolibet poterunt in futurum, non solum ad eorum instar; sed pariformiter & æque principaliter, & sine vlla prorsus differentia, perinde ac si ipsi quoque Præpositus, Sacrista, Capellani, & Clerici, vere & realiter persoluto pretio, illa titulo oneroso acquisiuissent.

Eleemosynas ibi elargiendas certo modo distribuendas esse decernit.

§. 9. Ac insuper statuimus & ordinamus, vt de cetero perpetuis futuris temporibus, omnes & quæcumque piorum Christi fidelium oblationes, & eleemosynæ dictis Scalis Sanctis, & Sacellis, & Altaribus elargiendæ, per vnum vel duos ex dictis Sacrista, Capellanis, & Clericis pro tempore ad hoc deputandos, fideliter custodiantur, & asseruentur, & sexto quoque mense partim in Sacristiæ vsus & diuini cultus augmentum erogentur, partim vero inter ipsum Præpositum, Sacristam, Capellanos, & Clericos dictis Scalis Sanctis & Sacellis in diuinis personaliter inseruientes tantum, atque inibi assistentes, vltra portionem ordinariam prædictam eis applicatam, quasi distributionum quotidianarum loco, iuxta ordinationem dicti Vrbis Vicarij super hoc faciendam diuidantur.

Ius patronatus & præsentãdi ad dicta beneficia, Michaeli Peretto eius pronepoti, & descendentibus masculis aliisque hic nominatis cõcedit.

§. 10. Postremo, Ius patronatus, & præsentandi personas idoneas etiam alienigenas ad Præposituram, Officium Sacristæ, quatuor Capellanias, & alia beneficia Clericatus nuncupata huiusmodi dilecto filio nobili adolescenti Michaeli Peretto Marchioni de Enciſia, nunc autem Burgi S. Petri, Militumque Custodiæ nostræ Præfecto, nostro secundum carnẽ ex sorore Pronepoti eiusque masculis ex masculis descẽdentibus legitimis & naturalibus, ac ex legitimo

Digitized by Google

gitimo matrimonio natis, & procreatis. Ita tamen quod præsentatio fieri debeat solum à primogenito, & ipsius primogeniti primogenito, vsque in infinitum, eisque deficientibus, ad secundogeniti, & aliorũ successiue lineas, & denique in masculorum omnium defectum, ius huiusmodi ad fœminas, earumque descendentes transeat, eisdem modo & forma, quibus præsentario ad aliam Præposituram, Sacristiam, Capellanias, & Beneficia per nos in Capella ad Præsepe Domini in Ecclesia S. Mariæ Maioris erecta, eiusdem Michaëlis etiam illorum Patroni descendentibus reseruata fuit, prout in literis Apostolicis desuper expeditis, quarum tenorem haberi volumus pro expresso, ac ad verbum inserto, plenius continetur. Et postmodum si defecerint omnes à dicto Michaële descendentes, iuspatronatus & præsentandi huiusmodi transeat ad dilectam in Christo filiam Flauiam etiam Perettam dicti Michaëlis sororem germanam, si extabit, & post eam, vel si ipsa non extabit, ad filios masculos ipsis, & ab eis masculos descendentes, vsque in infinitum, & cessantibus masculis, ad fœminas à dictis masculis descendentes, & cessantibus omnibus tam masculis quam fœminis descendentibus, à dicta Flauia, succedat dilecta in Christo filia Vrsina similiter Peretta eiusdẽ Michaëlis etiam soror germana, & post eam, vel si ipsa tunc non extabit, eius filij masculi ex masculis descendentes. Deficientibus autem omnibus & singulis masculis & feminis descendẽtibus à dictis Michaële, Flauia, & Vrsina, tunc succedat in iure patronatus, qui nobis fuerit sanguine proximior, seruato semper in omnibus casibus supradicto ordine primogenituræ, transeundo scil. de primogenito in primogenitũ, & præferendo lineã primogeniti lineæ secundogeniti, & masculos ex masculis descendentes natis ex fœminis, ac masculo ex fœminis ipsis fœminis, ac alias in omnibus & per omnia prout in linea filiorum, & descendentium à dicto Michaële, vt præfertur, alias in literis prædictis ordinatum est. Ita quod ius præsentandi huiusmodi ad vnum solum successorem in solidum, & post illum ad alium semper deueniat, absque eo quod inter plures successores diuidi possit.

Collationem Præpositura, Vicario Vrbis, aliorum autẽ beneficiorum ipsi Præposito tribuit.

§. 11. Institutio vero ad præsentationem huiusmodi Vicario Vrbis prædicto quo ad Præpositurã tantum quo ad Sacristiam verò, Capellanias, & beneficia seu clericatus huiusmodi, ipsi Præposito pro tempore existenti concessa sit, & ad eos pertinere censeatur, ac in forma solita fieri debeat, idque tam hac prima vice, & ab eorum primæua erectione & institutione, quam quoties ex nunc in futurum, illa & illa, quibusuis modis & ex quorumcumque personis, etiam nostris aut Romani Pontificis pro tempore existentis, seu cuiusuis Cardinalis etiam tunc viuentis familiaribus, continuis commensalibus, seu Romanæ Curiæ Officialibus, aut alias quomodolibet reseruationem inducentibus, seu per liberas, vel ex causa permutationis resignationes, de illis in dicta Curia vel extra eam quomodolibet factas, & admissas, assecutionem alterius beneficij Ecclesiastici quauis auctoritate collati, seu illa pro tempore obtinentium decessum, seu quamuis aliam dimissionem, missionem, priuationem, matrimonij contractum, Religionis ingressum, aut alias quomodocumque, etiam apud Sedem prædictam simul vel successiue vacare contigerit, motu & scientia similibus, auctoritate & tenore prædictis, pariter, perpetuo reseruamus, concedimus, & assignamus. Decernentes ius patronatus & præsentandi huiusmodi, laicorum Nobilium & Illustrium existere, ac Michaëli, & aliis futuris Patronis prædictis, & eorum cuilibet perpetuo suffragari debere in omnibus & per omnia, absque vlla prorsus differentia, perinde ac si illis & eorumdem cuilibet, ratione veræ, realis, actualis, plenæ, & integræ fundationis, ac perpetuæ dotationis per eos de eorum propriis, & merè patrimonialibus & laicalibus bonis dumtaxat competeret, & concessum esset, ac vt tale sub quacumque derogatione, etiam cum quibusuis prægnantissimis efficacissimisque verbis, clausulis, & decretis, cum clausula, Quorum tenores in quacumque dispositione, etiam per viam Constitutionis, legis, regulæ Cancellariæ Apostolicæ, aut alias quomodocumque facta, nullatenus comprehendi, nec illi vmquam quouis tempore, etiam ratione cuiusuis litis pendentiæ, vel vacationis Præposituræ, Sacristiæ, Capellaniarum, & aliorum beneficiorum huiusmodi apud Sedem prædictam, etiam ex causa permutationis, vel deuolutionis, seu alio quocumque prætextu, ex quacumque causa quantumuis vrgenti & legitima, per nos seu quoscumque alios Romanos Pontifices pro tempore existentes, vel Sedem prædictam, aut illius Legatos etiam de latere, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, seu cuiusuis intuitu & contemplatione, per quascumque literas Apostolicas etiam in forma Breuis, & quasuis etiam derogatoriarum derogatorias, ac fortiores & insolitas clausulas, necnon irritantia, & alia contraria decreta quæcumque derogari, aut derogatum censeri posse, neque debere, nisi in illis de toto tenore, ac Data præsentium, necnon Patroni pro tempore existentis nomine, cognomine ac qualitate, specialis, specifica, & indiuidua mentio facta fuerit, ac eiusdem Patroni pro tempore existentis ad hoc expressus accesserit assensus; & aliter factas derogationes, necnon quascumque collationes, prouisiones, commendas, præsentationes, institutiones vel alias dispositiones, de Præpositura, Sacristia, Capellaniis, & aliis beneficiis prædictis vt præfertur, & alio quouis modo, etiam apud Sedem eamdem pro tempore vacantibus, quibusuis personis alias quam ad præsentationem Michaëlis, & aliorum Patronorum prædictorum, seu de eorum expresso consensu, etiam cum speciali & expressa derogatione Iuris patronatus huiusmodi pro tempore factas, processusque desuper habitos, ac inde pro tempore sequuta quæcumque, nulla & inualida, nulliusque roboris vel momenti fore & esse, ac pro nullis & infectis haberi & censeri, nec ius, aut coloratum titulum possidendi cuiquam tribuere, vel per illa acquiri posse: sed præsentationes per Michaëlem, & alios futuros patronos prædictos pro tempore factas, & subsequutas institutiones, validas & efficaces fore, suosque effectus sortiri, ipsisque præsentatis & institutis, tale ius in re & ad rem acquiri debere, quale acquiritur præsentatis & institutis ad beneficia de vero & reali iure patronatus laicorum nobilium & illustrium, ratione primæuæ & integræ fundationis, ac perpetuæ dotationis ex bonis merè laicalibus & patrimonialibus dumtaxat existentia.

Clauſ. præſ. appoſita

§. 12. Necnon Præpositurã, Sacristiam, Capellanias, aliaque beneficia Clericatus nuncupata huiusmodi per nos erecta, sub quibusuis specialibus vel generalibus reseruationibus, vnionibus, annexionibus, incorporationibus, suppressionibus etiam perpetuis vel temporalibus, expectatiuis, & aliis etiam præuentiuis gratiis, ac vniendi, annectendi & incorporandi, necnon conferendi, prouidendi, & aliis facultatibus, concessionibus, litteris mandatis etiam de prouidendo, & indultis quibuscumque, illorumque & illarum reualidationibus, quibusuis personis, etiam prædictæ Rom. Ecclesiæ Cardinalibus, etiam motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusuis suspensiuis, restitutis, ac etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, irritantibusque & aliis, etiam vim contractus inducentibus decretis, atque alias quomodolibet nunc pro tempore concessis, necnon quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Cancellariæ regulis, quomodolibet & cum quibusuis clausulis & decretis, quantumuis ampliſſimis ac prægnantibus, & cum clausula quorum tenores editis & edendis, nullatenus comprehensa esse, aut fore, minimeque comprehendi posse aut debere, sed semper ab illis excepta & exclusa esse, & censeri debere, ac omnia & singula præmissa, necnon præsentes literas, nullo vmquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quouis defectu, etiam ex eo quod causæ propter quas eadem præmissa facta sunt, coram locorum Ordinariis, vel alio Iudice examinatæ, verificatæ, & ab eo approbatæ, ac interesse forsan habentes ad id vocati non fuerint, nec desuper suum consensum præstiterint, seu ex quauis alia causa, vel quocumque prætextu quæsito colore vel ingenio notari, impugnari, inualidari, retractari, ad terminos iuris reduci, seu in ius, vel controuersiam reuocari, aut aduersus illa quodcumque iuris,

facti, vel gratiæ remedium impetrari, & attento quod nostra cura, vt præfertur, dos ipsa locorum Montium prædictorum inuenta est, in Cameræ prædictæ præiudicium nequaquam redundare dici aut censeri posse, nec sub vllis similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum in quo antea erant statum restituta, reposita & plenarie reintegrata, ac de nouo etiam sub Data per eos quorum interierit quandocumque eligenda concessa, valida & efficacia fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, ac perpetuo suffragari, perinde ac si in Consistorio nostro secreto de vnanimi fratrum nostrorum consilio emanassent.

Decretum irritans addit.

§. 13. Sicque in præmissis vniuersis per quoscumque, & singulos Iudices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apost. Auditores, ac S.R.E. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quauis causa & instantia iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executores huius const. deputat.

§. 14. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostien. Sabinen. & Tusculan. Episcopis, motu simili per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte protempore existentium Patroni necnon Præpositi, Sacristæ, Capellanorum & Beneficiatorum huiusmodi, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit inuiolabiliter obseruari, necnon Patronum, Præpositum, Sacristam, Capellanos, & Beneficiatos pro tempore existentes prædictos, eorumque singulos, illis pacifice frui, & gaudere, eisque de emolumentis locorum seu portionum Montis huiusmodi, & pensione prædicta, perpetuo & integre responderi & solutiones eis faciendas tam à Camera Apost. eiusque Ministris, quam ab aliis, ad quos spectat aut spectabit in futurum, ratas haberi, et am alio particulari, aut nouo mandato, licentia, aut decreto, minime expectato nec requisito. Non permittentes, ipsos vel quempiam ex eis per quoscumque desuper quomodolibet molestari, perturbari vel inquietari. Contradictores quoslibet & rebelles, per sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausulas derogatorias subdit.

§. 15. Non obstantibus præmissis, ac piæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. similiter prædecessoris nostri, qua cauetur, ne quis extra suam Ciuitatem, vel Diœcesim nisi in certis expressis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ Diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne Iudices à Sede prædicta deputati, extra Ciuitatem vel Diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alij vel aliis vices suas committere audeant, seu præsumant & in Concilio generali edita de duabus dietis, necnon quatenus opus sit Lateranensis Concilij nouissime celebrati super bonis Romanæ Ecclesiæ, & Sedis earumdem numquam, aut nisi ex certis tunc expressis causis alienandis, ac sanctæ memoriæ Symmachi, Non liceat Papæ, ac Innocentij Octaui, Volentes, incipien. & Pauli Secundi, necnon Pij Quarti, super gratiis interesse Cameræ prædictæ concernentibus in eadem Camera registrandis. Ita vt præsentes literæ etiamsi in dicta Camera intra certum in ea præfixum tempus, nec vmquam postea præsentatæ, insinuatæ, admissæ, aut registratæ fuerint, nihilominus perpetuo valeant, ac etiam lapso huiusmodi tempore, iis quos concernunt suffragentur non secus ac si insinuatæ, admissæ, & registratæ fuissent, ac nostra de Vnionibus committendis ad partes vocatis quorum interest, & dicti Lateranen. nouissimi, & aliorum generalium Conciliorum Vniones perpetuas nisi in casibus à iure permissis fieri, aut vnius Diœcesis beneficia alterius Diœcesis beneficiis vniri prohibētium, necnon aliorum Romanorum Pontificum nostrorum, prædecessorum, ceterisque nostris Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis & edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus, necnon Basilicæ Sancti Ioannis Lateranen. Ecclesiæque Æsinæ, ac Congregationum, & Ordinum, Montisque Religionum, & Cameræ prædictarum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, primæuisque fundationibus, erectionibus, & institutionibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis Archipresbitero & Capitulo Basilicæ prædictæ, ac Priori Æsino, Præsidentibusque, Clericis & quibusuis Ministris & Officialibus, Cameræ, seu Collegio Montis Religionum huiusmodi, ac dilectis filiis Senatui, Populoque Romano super dignitatibus, Capellaniis, & Beneficiis in ipsa Vrbe consistentibus, illa aliis quam Ciuibus Romanis originariis conferri prohibentibus, & quibusuis aliis concessis. Quibus omnibus & singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & indiuidua mentio, seu quæuis alia expressio habenda, vel forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice ad effectū præsentium dumtaxat derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Sanctio pœnalis.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ erectionis, institutionis, applicationis, & approbationis, impartitionis, statuti, ordinationis, reseruationis, concessionum, assignationum, voluntatum, decreti, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare, &c.

D. P. A. 1. die 2. Iunij.

Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ 1590. 4. Non. Iunij, Pont. nostri Anno 6.

CVI.

Alienationes Officiorum, seu iurium & emolumentorum, Officiis etiam maioribus S.R.E. annexorum, ab officialibus contra formam eorum primæuæ erectionis factæ rescinduntur, & in posterum fieri prohibentur.

Quo ad Officia à primæua erectione annexa Officio Vicecancellarij, attende const. 16. Sixti IV. in §. 25. libro 1. & declarationem huiusmet Pontificis sub ista constitutione locatam.

Facultates disponendi de Officiis vacabilibus Romanæ Curiæ, eorumque pretio reuocauit S.D.N. Vrban. VIII. Const. 20. *Sanctissimus.* inf. tom. 4. & etiam reuocauit concessiones diuersorum Officiorum, Priuilegiorum, & Indultorum in præiudicium Sedis, & Cameræ Apost. emanatas, in Const. 28. *Superni* d. tom. 4.

Edita An. D. 1589. & 1590.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CVm pro suprema iniunctæ nobis sollicitudinis cura, atque ea quæ Rom. Pont. peculiaris existit in tuendis S.R. Ecclesiæ rebus prouidentia eiusdem Ecclesiæ iura, & emolumenta integra conseruare, naturali, Diuinoque mandato moniti teneamur. Cumque ne ea contra antiquam Rom. Pont. vel aliorum, ad quos pro tempore spectat consuetudinem, aliter quam concedenda sunt concedantur, aut in alias personas contra concedentium voluntatem, attributamque ipsis facultatem transferantur, omni studio cauere debeamus. Nulli mirum videri debet, si pleraque iura, atque emolumenta S.R.E. officiis etiam maioribus annexa, ab obtinentibus dicta officia, qui tamquam fideles, & prudentes serui, talenta à Domino

Digitized by Google

mino accepta dando super lucrari, vel saltem vtendo communicare, non autem distrahenda consumere debent, hactenus indebite alienata recuperare, & ne in posterum alienentur prohibere optima ratione decernamus.

Causa huius constit.

§. 1. Cum igitur sint aliqua munera, aut officia, seu potius iura, regalia, & emolumenta maioribus officijs annexa, quæ aliquibus personis in laborum, & meritorum remunerationem ab ipsis Officialibus gratiose concedi ab initio consueuerunt, & omnino debuerunt, & nonnulla similiter officia per se existant, quæ personis inopia laborantibus ad honestam eorum dumtaxat vitæ aut familiæ sustentationem à Sede Apostolica liberaliter tributa sunt, Nos vt modus in huiusmodi concessionibus seruari debitus, hactenus immutatus restituatur, & ne in posterum aliquo pacto immutetur, atque vt beneficij accepti memoria pretij aut oneris impositione non lædatur, & ne officiorum concessorum emolumenta è personis aut familiis, quibus ad eorum sustentationem concessa sunt, egrediantur, aut ipsorum necessitatibus vllo tempore subtrahantur, & ne vlterius Camera Apostolica aliquam iacturam patiatur, quantum in nobis est, statuendum atque consulendum duximus. Summo itaque animi dolore nuper accepimus (id quod magna etiam cordis perturbatione, & iusta indignatione commoti vix cogitatione reuoluere, nedum verbis recensere possumus) quosdam ad Apostolicæ Sedis Officia, etiam præcipua à Romano Pontifice adscitos, quos Officiorum præfatorum iura & emolumenta conseruare, & vt ceteris inferioribus Officialibus fidei & industriæ exemplo essent, amplificare oportebat, propriæ salutis immemores, ea contra antiquam maiorum consuetudinem & attributam facultatem, & contra eius qui contulit, voluntatem, & in damnum Sedis & Cam. Apostol. suorumque in prædictis Officiis successorum alienare, pecuniasque inde collectas in proprios vsus conuertere non dubitasse. Nec sine maiori animi molestia comperimus, eos huiusmodi alienationes subreptitiis & obreptitijs confirmationibus Apostolicis approbari procurasse, & se eo pacto tueri, & quodam modo excusare voluisse. Qua quidem in re non possumus non summopere detestari huiusmodi hominum ingrati animi vitiũ, dum insignem Apostolicæ Sedis liberalitatem experti, res eorum fidei creditas, & ipsis in vsum; fructumue tantum concessas, in alios transferre ausi fuerunt; tum sacrilegium eorumdem, quod bona, ac iura Deo, eiusque Sponsæ Sacrosanctæ Ecclesiæ dedicata præripere veriti non fuerunt; demum impietatem, quod ea, quæ pauperibus educandis, quæ viris religione ac doctrina claris, sedulamque ipsi Ecclesiæ operam nauantibus fouendis destinata sunt, cupide exhaurire, & ad propria commoda conuertere non timuerunt. Inuenimus præterea nonnullos tum in variis Status nostri temporalis Ecclesiastici locis, tum præsertim in hac Alma Vrbe nostra, in qua Romani Pontifices prædecessores nostri erga eiusdem Vrbis Ciues & Incolas liberales & munificos se sæpius exhibuerunt, qui diuersa Officia, donec ipsi viuant vel eorum familiæ extent, in laborum & meritorum remunerationem, vel ad subleuandum eorum indigentiam ab ipsis prædecessoribus nostris acceperunt, Apostolica benignitate abutentes, attributaque alimenta negligentes, quasi per iniuriam benefactoris memoriam ingrati animi vitio delere, taliaque sibi elargita Officia in alios transferre veritos non fuisse. Nonnullos etiam diuersarum nostræ & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ temporali ditioni subiectarum Prouinciarum, Ciuitatum & locorum Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Magistratus, & Romanæ Curiæ Officialium Collegia, huiusmodi inferiora Officia, siue eorum iura, & emolumenta mediante pretio vel responsione concedere quandoque præsumpsisse.

Irritatio alienationum de quibus in rubrica.

§. 2. Vnde nos detestabiles huiusmodi abusus, ne latius serpant, prohibendos, iustissimaque &, seueriſſima sanctione coercendos, &. ex Romana Curia, Statuque temporali Ecclesiastico prorsus, eliminandos esse censentes, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus matura deliberatione, de eorumdem fratrum consilio & assensu, ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione rescindimus & irritamus, quinimmo maledicimus & execramur omnes quascumque venditiones, distractiones, pignorationes, hypothecas, necnon deputationes & concessiones ex titulo oneroso ab omnibus super nominatis quomodolibet factas, quorumcumque ab ipso initio siue à primæua erectione, ex indulto Apostolico non alienabilium iurium & emolumentorum quibuscumque Officiis cohærentium, etiam maioribus, nempe Maioris Pœnitentiarij, Vicecancellarij, Camerarij, Summatoris literarum Apostolicarum, Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditoris, nostri & pro tempore existentis Rom. Pont. in Vrbe Vicarij, & eiusdem Vrbis Gubernatoris, ac Senatoris, aut aliorum quorumcumque, sub sigilli Secretariatus, Vicariatus, exercitij, deputationis, custodiæ aut alio quouis nomine & vocabulo comprehensorũ, etiam sub prætextu compensationis aut remunerationis obsequiorum per dictos Officiales maiores Sedi Apost. impensorum aut expensarum, vel damnorum per eosdem ex quauis causa passorum, vel sui quouis necessitatis & indigentiæ quæsito colore, in fauorem quarumuis personarum, vt præfertur, factas, aç omnium etiam Officiorum, administrationum & iurium, quæ vel à prædecessoribus nostris aliquibus personis seu familiis gratiose concessa, vel à prædictis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Magistratibus, Officialibus aut Collegijs, pretio seu gratia vt præfertur, concessa fuerunt, etiam contractu vltro citroque obligatorio, publicoque instrumento ipsorum concedentium, & successorum suorum nominibus solemniter inito & stipulato, necnon prætenso iuramento aut quacumque confirmatione Apost. postea etiam iteratis aut multiplicatis vicibus subsecuto roborata, quarum omnium & singularum ac instrumentorum & confirmationum huiusmodi tenores præsentibus haberi volumus pro plene & sufficienter expressis.

Et omnium instrumentorũ desuper celebratorũ quascumque cautela munitorum.

§. 3. Declarantes nemini licuisse, nec licere huiusmodi conuentiones, contractus & pacta, vltra facultatum ipsis concessarum limites in detrimentum Sedis & Cameræ Apostolicæ, suorumque in Officiis per eos obtentis successorum, super præmissis inire & celebrare. Ideoque tam ipsos contractus, conuentiones, pacta & quæcumque instrumenta inita & celebrata, nulla, inualida, ac viribus omnino vacua existere, quam etiam iuramenta super contractibus huiusmodi præstita ex hoc ipso illicita, & nequaquam seruanda esse, ac super illis editas à prædecessoribus nostris confirmationes quibuscumque præseruatiuis, restitutiuis, mentis attestatiuis, derogatoriarum derogatoriis, aut aliis fortioribus, insolitis atque efficacissimis clausulis, irritantibusque & aliis decretis munitas, tamquam in fraudem decretorum & canonicarum sanctionum per subreptionem vel obreptionem seu vt dicitur per præoccupationem extortas verius, quam obtentas, ac pariter nullas & irritas esse & censeri. Cum nequaquam credendum sit, quempiam ex eisdem prædecessoribus nostris voluisse confirmare quod non licet, nec verisimile sit (prout alias à quibusdam in similium gratiarum confirmationibus expressum, ac narratum fuisse accepimus) pro soluenda vel restituenda dictis Officialibus alienantibus exigua pecuniarum summa, pro seruitiis Sedi Apostolicæ præstitis, aut sumptibus eiusdem Sedis causa susceptis erogata, ipsius Cameræ, Sedisque Apostolicæ Ærarium adeo vnquam exhaustũ fuisse, aut iis angustiis laborasse, vt necesse fuerit ad huiusmodi alienationes, earumque confirmationes tam pernicioſas deuenire. Cumque ex hoc ipso satis appareat, ipsos prædecessores subdola & fallaci impetrantium calliditate circumuentos fuisse, non autem vere id approbasse, quod vt diximus, non ipsius Cameræ, sed eorumdem alienantium lucro cessit, qui præsertim eodem tempore se plane ingratos & Apostolicæ Sedis beneficiis prorsus indignos demonstrarunt. Si enim Dominus eiiciendum censuit in tenebras exteriores seruum malum, pigrum & inutilem, quia traditum sibi talentum fodiens in terram abscondit, ac superlucrari omisit, sed tamen quod acceperat, integrum sine vlla diminutione seruauit & reddidit, quanto grauiori supplicio eum affecisset, qui illud ipsum defraudare, defraudatumque Apostolicæ confirmationis tegumento celare, fraudemque mendicato

Digitized by Google

to ab ea approbationis prætextu pertinaciter tueri ausus esset? Præterea, si Ananiam de pretio proprij agri fraudata parte mentitum, illico in fraudis pœnam, ad Apostolorum pedes procidentem expirasse legimus, eos qui sactæ Romanæ Ecclesiæ iura integra in suam vtilitatem conuertere, nedum de suis aliquid retinere student, iis & grauioribus pœnis afficiendos esse non censebimus?

Possessio cuicumque statim auferatur.

§. 4. Ac propterea illos, qui prædicta iura regalia, administrationes atque emolumenta alienata aut quomodolibet grauata detinent, vti intrusos & detentores ab illis, eorumque exercitio, prætensa etiam immemorabili possessione seu quasi per superiores Officiales à quibus dependent, vel alios ad quos spectat, propria auctoritate, manu regia, de facto, sine aliqua monitione, citatione, causæ cognitione, Iudicis decreto, declaratione aut ministerio, absque vlla pecuniarum aut pretij vel pignoris restitutione, & sine spolij vel attentatorum vitio eiici, expelli, amoueri & priuari, & ad tradendas & consignandas quascumque scripturas ad huiusmodi Officia spectantes, quas penes se habent, necnon ad restitutionem fructuum dictorum Officiorum à die obitus earum personarum, quæ illa, vt præfertur vel alias, eis vendiderunt aut concesserunt, decursorum, & ab iis forsan perceptorum, aut penes quoscumque existentium cogi & compelli, & alios in eorum locum, gratis tamen nec alias, subrogari libere & licite posse, ac omnino debere, eosque tantum actionem repetendi pretij aut pignoris, vel delendæ & extinguendæ obligationis contra eorum personas cum quibus ipsi ab initio contraxerint, eorumue hæredes & bona, siquæ extent, habere, ipsosque, qui pretia vel pecunias ipsas sic indebite receperint, eorumue hæredes ad restitutionem teneri, atque ad id iuris & facti remediis opportunis cogi & compelli posse. Officia vero & administrationes vltimo dicta gratuito vt dictum est, certis personis, eorumue familiis concessa, & deinde ab eis de facto alienata, eo ipso Cameræ Apostolicæ applicata, & ad eam deuoluta esse & censeri, nec solum emptores, verumetiam venditores omni iure sibi in eis vel ad ea quomodolibet competenti cecidisse.

Sic & non aliter iudicetur

§. 5. Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, Cameræ Apostolicæ Clericos, Præsidentes, ac S.R.E. Cardinales in quibusuis causis & instantiis motis & mouendis, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari & definiri debere, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in futurum attentari contigerit, irritum & inane decernimus & declaramus.

Prohibitio de cetero illa alienandi.

§. 6. In posterum vero, ne quis ex superius nominatis aut quacumque etiam Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali vel alia maiori etiam Cardinalatus dignitate præfulgens, tale crimen attentare, aut quicquam ex præmissis vendere, alienare, pignorare, obligare aut hypothecare, vel sub responsionis aut mercedis promissionis receptione ad dictorum Officiorum exercitia quempiam deputare audeat seu præsumat, sub interminatione diuini iudicij, ac maledictionis æternæ districtius interdicimus & prohibemus.

Officia integra Sedi & Cam. Apost. conseruentur.

§. 7. Volentes, quod omnino ipsa Officia, prout cuique ab initio per Sedem Apostolicam concessa sunt ita etiam integra & intacta, cum omnibus suis iuribus & emolumentis, pertinentiis, annexis & connexis retineantur, ac Sedi & Cameræ Apostolicæ perpetuo conseruentur.

Transgressores multis pœnis liganter.

§. 8. Siquis autem extiterit præsentis nostræ constitutionis in aliquo violator, non solum prædictas venditiones alienationes, hypothecas, pignorationes, concessiones, assignationes vel deputationes, aliasque similes vel dissimiles conuentiones post hac de cetero faciendas, ac quicquid illarum prætextu secutum fuerit, etiam Apostolica vel alia quauis auctoritate roboratum, pariter ex tunc & è contra annullamus, rescindimus & irritamus, declarationesque & decreta, ac facultates, & alia quæcũque superius expressa, ad illa in omnibus & per omnia extendimus & ampliamus, verumetiam qui eos, fuerint nostræ huius prohibitionis de facto transgressores, ipso iure omnibus & quibuscumque per eos obtentis seu obtinendis Ecclesiasticis officiis, beneficiis, muneribus, gradibus, honoribus, dignitatibus, attento quod illis sese tanto facinore perpetrato indignos reddiderunt, priuamus, necnon priuatos, ac de ea & alia postea obtinenda perpetuo inhabiles & incapaces, infames, ignominiosos, ac perpetuæ infamiæ & ignominiæ labe & macula eis insusta notatos atque intestabiles declaramus, ita vt illis portæ numquam pateant dignitatum, quinimmo in sempiternæ maledictionis & anathematis pœnam in æternum condemnari, & tradi censeantur.

Contraria omnia reuocantur.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac de iure quæsito non tollendo, Cancellariæ Apostolicæ regula, & quibusuis statutis, aut diuturnis & pacificis possessionibus, seu quasi, quæ vsurpationes censeri debent, necnon pro illorum confirmatione, etiam Motu proprio & ex certa scientia ac titulo oneroso præmissis, vel aliis grauioribus & vrgentioribus de causis sub quibuscumque tenoribus & formis, & cum prædictis vel aliis efficacioribus, validioribus, ac prorsus inexcogitatis clausulis, & verborum conceptionibus per quoscumque nostros prædecessores, aut nosmetipsos & Sedem prædictam concessis gratiis aut litteris Apostolicis, etiam sæpius approbatis & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi in eis caueatur expresse, quod illis non nisi eorum tenoribus ad verbum insertis, ac modis & formis inibi traditis ad vnguem seruatis, aut non nisi certarum, quarum interest personarum expresse ad id accedente consensu, vel eis saltem prius satisfacto, derogari vllo modo possit, aliter factæ derogationes nullius sint roboris vel momenti, tenores huiusmodi perinde acsi forma requisita plene adimpleta & obseruata, ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Status antiquus Officiorum, pro ipsis Officialibus maioribus præseruatur.

§. 10. Nostræ tamen mentis atque intentionis non est, per præsentes in aliquo immutare statum Officiorum quæmaioribus Officiis annexa ab ipso initio ex indulto Apostolico, pretio, vel recognitione aliqua interueniente conceduntur, & vacabilia sunt quorum cum pro tempore vacant, collatio siue titulo oneroso concessio, seu quæuis alia dispositio ad ipsos Officiales hactenus pertinere consueuit, in quibus, quo minus ipsi Officiales, vt prius illa concedere, pretiumque inde percipere, seu alias de eis disponere valeant, nullum in posterum præiudicium generari volumus.

Iussio hanc bullam publicè

§. 11. Vt autem præsentes literæ omnibus innotescant, mandamus illas ad valuas Basilicæ Lateranen. & Principis Apost. de Vrbe, necnon Cancell. Apostolicæ de more affigi & publicari, eorumque exemplis etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, eamdem prorsus fidem adhiberi quæ ipsis originalibus adhiberetur, exhibitis vel ostensis.

Sanctio pœnalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ rescissionis, irritationis, maledictionis, execrationis, declarationis, decreti, mandati, concessionis, interdicti, prohibitionis voluntatum, annullationis, extensionis & priuationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem, &c.

D. P. A 5 die 15. Iunij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo octuogesimo nono, 18. Kal. Februarij Pontificatus nostri anno quinto.

Papa subscr.

Ego Sixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

De ventre matris meæ tu es Deus protector meus.

Cardinalium subscript.

Ego Ioannes Episc. Ostien. Card. S. Georgij.
Ego Alph. Episc. Portuen. Card. Gesualdus.
Ego Inn. Episcopus Tusculan. Card. de Arag.
Ego Marcus Ant. Episc. Prædestin. Card. Columna.
Ego Ptolomæus Episcopus Sabinen. Card. Comensis.
Ego Gabr. Episc. Albanen. Card. Paleottus.
Ego Marcus Siticus tit. Sanctæ Mariæ Transtiberim Cardinalis ab Altaemps.
Ego F. Michael Bonellus tit. Sancti Laurentij in Lucina, Cardinalis

Digitized by Google

Cardinalis Alexandrinus.
Ego Ludouicus tt. S. Anastasiæ. Card. Madrutius.
Ego Nic. tt. S. Praxedis Card. Senonen.
Iul. Ant. tit. S. Barthol. in Insula Cardin. Sanctæ Seuerinæ.
Ego Hier. tit. S. Susannæ. Card. Rusticucius.
Ego Io. Hier. tit. S. Ioannis ante portam Latinam Card. Albanus.
Ego Hieronymus tit. Sanctæ Priscæ Cardinalis Simoncellus.
Ego P. tit. S. Hier. Illyricorum. Card. Deza.
Ego Ant. tit. SS. Ioannis & Pauli Card. Carafa.
Ego Io. Ant. Card. SS. Quatuor.
Ego Io. Baptista Card. S. Marcelli.
Ego Iul. tit. S. Eusebij Card. Cananus.
Ego Ant. Maria tit. S. Mariæ de Pace Card. Saluiatus.
Ego Vincentius tit. Sancti Clementis, Cardin. Montis Regalis.
Ego Philippus tit. S. Sabinæ, Card. Spinula.
Ego Scipio tit. Sancti Saluatoris in Lauro Card. Lancellottus.
Ego Vincentius tit. S. Alexij Card. Gonzaga.
Ego Ioan. Baptista tituli S. Mariæ in Aracœli Cardinalis Castruccius, Sign. Iust Præfectus.
Ego Federicus tit. S. Stephani in Monte Cælio Cardin. Cornelius.
Ego Dominicus tit. S. Laurentij in Pane Perna, Card. Pinellus S. Mariæ Maioris Archipr.
Ego Hippolytus tit. S. Pancratij, Card. Aldobrandinus, Maior Pœnitentiarius.
Ego Hier. tit. S. Petri ad Vincula Card. de Ruuere.
Ego Fr. Constantius tit. S. Petri in Monte Aureo Card. Sarnanus.
Ego Guglielmus tituli S. Martini in Montibus Cardin. Alanus.
Ego Scipio tituli S. Mariæ de Populo Card. Gonzaga.
Ego Antonius tit. S. Vitalis Card. Saulius.
Ego Euangelista tit. Sancti Matthæi in Merulana Card. Cusentinus, Archipresb. S. Petri.
Ego Ioan. tit. S. Mariæ Transpontinæ, Cardinalis de Mendoza.
Ego Marianus Perbenedictus, tit. SS. Petri & Marcellini. Card. de Camerino.
Ego F. S. Mariæ in Via Lata, diac. Card. Sfortia.
Ego Alexander, S. Laurentij in Damaso, diaconus Card. Montaltus, Vicecancellarius.
Ego Hieronymus, S. Eustachij diac. Card. Matthæius.
Ego Benedictus Sanctæ Mariæ in Cosmedin Cardin. Iustinianus.
Ego Ascanius S. Nicolai in carcere, diaconus Cardinalis Columna.
Ego Federicus S. Agathæ, diac. Card. Borromæus.
Ego Augustin. S. Adriani diac. Card. Cusanus.
Ego Franc. Maria, S. Mariæ in Dominica, diac. Card. à Mont
Ego Guido, SS. Cosmæ, & Damiani, diac. Cardinalis Pepulus.

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini* 1590. *Indictione* 4. *die vero* 28. *mensis Martij, Pontificatus Sanctiss. in Christo patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ V. anno* 5. *retroscripta litera Apostolica, affixa, & publicata fuerunt ad Valuas Basilicæ Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, per me Franciscum Baron eiusdem Sanctissimi D. N Papæ Curs.*

Pompeius Guerra Mag. Cursor.

Sequitur declaratio & confirmatio Officiorum Vicecancellarij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Edita An. D. 1590. Vicecancellarius habet, & ad sui commodum concedit, Officia hic designata.

SIXTVS PAPA V.
Motu proprio, &c.

§. 1. CVm Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius pro tempore existens, Regentis Cancellariæ Apostolicæ, ac sex maioris cum assignatione emolumentorum Officij minoris gratiæ, & quindecim minoris Præsidentiæ Abbreuiatorum, & vigintiquinque Sollicitatorum literarum Apostolicarum, ac duodecim Notariorum Auditorum causarum Palatij Apostolici, ac tria Cubiculariorum, & septem Scutiferorum de numero Participantium, ac vigintisex S. Petri, & tredecim S. Pauli necnon duo de Lilio, & viginti Florum Militum, ac Custodis Notariatusque & Ostiarij eiusdem Cancellariæ; atque vnum Notariorum Contradictarum, & aliud de Consuetis nuncupata, ac nonnulla alia ipsius Vicecancellarij seu Cancellariæ Officia tam, per obitum, resignationem & priuationem, quam forsan alias pro tempore vacantia, personis eidem Vicecancellario beneuisis ad vitam recipientium conferre & assignare, neque illis ad eiusdem Vicecancellarij libitum, simili modo quo Romanus Pontifex de aliis Romanæ Curiæ Officiis disponere solet, disponere consueuerit, & in possessione seu quasi disponendi de eisdem Officiis, vt præfertur expressione Rom. Pontificum, vel forsan concessione siue indulto Apostolico, per plures annos fuerit, prout est etiam de præsenti

Quo ad Officium Abbreuiatorum extat clara Sixti. V. assignatio in eius const. 16. §. 25

§. 2. Nos ad quorum notitiam deuenit, Vicecancellarium pro tempore existentem consuetisse, & solitum fuisse de dictis Officiis etiam pacto pretio ad libitum suum vt præfertur disponere, dignitati prædicti Officij Vicecancellariatus ad illud pro tempore obtinentis, necnon ab eo officia prædicta recipientium quieti, & securitati in præmissis prouidere volentes, Motu simili, non ad dilecti filij nostri Alexandri S. Laurentij in Damaso Diaconi Cardinalis Montalti eiusdem S. R. E. Vicecancellarij, ac etiam literarum Apostolicarum Summatoris; nostri secundum carnem ex Sorore proneporis, vel alterius pro eo nobis desuper oblatæ petitionis instantiam; sed ex mera liberalitate, certaque scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, concessionem, indulta, consuetudinem, permissionem & possessionem huiusmodi (etiamsi de applicatione dictorum Officiorum aut aliquorum ipsorum eidem Vicecancellariatus Officio; aut facultate, siue concessione vel indulto, illa aut aliqua ipsorum, vendendi aut ad libitum suum de eis disponendi non appareret, ac etiam quandoque constet, præfatum Vicecancellarium de prædictis Officiis aut eorum aliquo, semel tantum, aut bis vel pluries disposuisse, & in suppressione eorum vel aliquorum ex eis, nouaque erectione, nullam eidem Vicecancellario de illis disponendi facultatem fuisse concessam Apostolica auctoritate confirmamus & approbamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes & singulos; tam iuris quam facti, & aliarum solemnitatum omissarum defectus, siqui intercenerint in eisdem.

Hic Pontifex huiusmodi Vicecancellarij facultatem comprobat.

§. 3. Et nihilominus portiori pro cautela, ne quicquam præmissorum in dubium aliquo tempore reuocari contingat, Motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, statuimus & ordinamus, eidemque Alexandro Cardinali, & pro tempore existenti Vicecancellario concedimus & indulgemus, vt quotiescumque officia præfata; quorum omnium quantitates, qualitates, & iura, institutiones & erectiones, cum quibusuis qualitatibus, decretis, conditionibus, & formis, præsentibus haberi volumus pro expressis, per cessum vel decessum, aut promotionem, priuationem seu quamuis aliam dimissionem eorum qui Officia præfata pro tempore obtinebunt vacare contigerit, quæ omnia & singula Officia præfatis vacationibus quemadmodum Officia nostra subiecta sunt; etiam subiacere volumus, decernimus & declaramus, illa omnia ad liberam ipsius Alexandri Cardinalis, & pro tempore existentis Vicecancellarij voluntatem & dispositionem, etiam pacto pretio, pertinere. Possitque idem Alexander Cardinalis & pro tempore existens Vicecancellarius aut per eum ad hoc specialiter deputatus, illorum omnium & singulorum, capta solita impositione; resignationes recipere & admittere, ac per suas literas suo sigillo pendente munitas de illis dum pro tempore vacauerint, etiamsi illa eorumque emolumenta ab initio siue in eorum prima erectione ex indulto Apostolico alienabilia non sint, & quandocumque appareat de huiusmodi officiis aut aliquo eorum, Roman. Pont. disposuisse, per se ipsum aut eius Locumtenentem, aut ad

Ampliat & expendit.

Digitized by Google

hoc ſpeciale mandatum habentem, quibuſuis perſonis, cum quarumcumque conſtitutionum & litterarum Apoſtolicarum in contrarium facientium derogatione, in omnibus & per omnia ad inſtar Rom. Pontificis prouidere, ſeu illa vendere & alienare abſque pœnarum & cenſurarum etiam Eccleſiaſticarum incurſu, & exigentibus perſonarum meritis & ſufficientia, ſuper earumdem perſonarum quibus ipſe prouiderit de huiuſmodi officiis requiſitarum qualitatum defectu, cum ſibi placuerit diſpenſare, & eaſdem perſonas ad ipſa Officia, conſtitutionibus præfatis, quarum tenorem non obſtan. habilitare, & illi quibus de eiſdem Officiis dictus Alexander Cardinalis, & pro tempore exiſtens Vicecancellarius ſeu deputandus, ſuis literis duxerit prouidendum, ad Officia ipſa, abſque aliqua contradictione, aut aliarum litterarum expeditione recipiantur & admittantur, ita quod litteræ præfati Alexandri Cardinalis ſeu deputati, vel pro tempore exiſtentis Vicecancellarij valeant, & perpetuæ firmitatis robur obtineant, & his quibus conceſſæ ſunt pleniſſime ſuffragentur, acſi ſuper prædictis Officiis, litteræ Apoſtolicæ confectæ & expeditæ fuiſſent.

Clauſulas præſormatinas apponit.

§. 4. Decernentes dictum Alexandrum, & Cardinalem pro tempore exiſtentem Vicecancellarium, ſuper diſpoſitione dictorum Officiorum, vt præfertur facienda prouiſoſque ab eo, de illis per nos aut ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, eorumque Datarios, & eiuſdē Romanæ Eccleſiæ Camerarium, vel Cameræ Apoſtolicæ Præſidentes, Clericos, alioſue quoſcumque quauis auctoritate & poteſtate fungentes, vllo vmquam tempore quauis occaſione vel cauſa etiam iuſta vel iniuſta impediri, inquietari, vel moleſtari non poſſe neque debere. Minuſque præſentem gratiam, & ſi videbitur deſuper conficien. literas quouis prætextu, & ex quocumque capite, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ vel alio quouis defectu notari, impugnari, inualidari, in ius vel controuerſiam reuocari, ad terminos iuris reduci, aut aduerſus illas, quodcumque iuris, facti vel gratiæ remedium impetrari poſſe, neque ſub quibuſuis ſimilium vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus per nos vel ſucceſſores noſtros Roman. Pont. aut dictam Sedem ex quibuſuis cauſis, etiam motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter pro tempore factis & faciendis, comprehendi, & comprehenſas cenſeri, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validum ſtatum reſtitutas, repoſitas & plenarie reintegratas, ac de nouo etiam ſub data poſteriori, per dictum Alexandrum Cardinalem & pro tempore exiſtentem Vicecancellarium quandocumque eligenda, conceſſas, ac validas & efficaces aduerſus quaſcumque impugnationes & reuocationes exiſtere. Ipſumque Alexandrum Cardinalem & pro tempore exiſtentem Vicecancellarium, ad ſuperius expreſſa & prænarrata, in loco vel parte verificandum ſeu probandum, aut præſentem gratiam, & literas deſuper conficien. quandocumque purificandum minime teneri, ſed ſola præſentium narratiua, abſque alia probatione ſeu verificatione aut purificatione ſufficere, eique in iudicio & extra vbique ſtari, ſed nec aliquam probationem cuiuſcumque naturæ & ſpeciei illa ſit vel fuerit in Camerarium adduci vel admitti. Quinimmo etiam ſi ſuperius expreſſa & narrata huiuſmodi minus vera ſint, & contrarium quandocumque probari contingat, nihilominus præſentes & deſuper conficiendas literas ſuum plenarium effectum conſequi, prædictumque Alexandrum Cardinalem & pro tempore exiſtentem Vicecancellarium, illis & eorum effectu potiri & gaudere.

Clauſulam ſublata, &c. addit.

§. 5. Sicque in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Iudices, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac eiuſdem Sanctæ Romæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata &c. iudicari & definiri debere, irritumque & inane, quicquid ſecus in contrarium præmiſſorum, abſque dicti Alexandri Cardinalis & pro tempore exiſtentis Vicecancellarij, etiam in Conſiſtorio de fratrum conſilio contigerit attentari.

Clauſula derogatoria.

§. 6. Non obſtantibus de iure quæſito non tollendo, & gratiis ad inſtar non concedendis, aliiſque Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, editis, & etiam in craſtinam aſſumptionis cuiuſcumque Rom. Pontificis ad ſummi Apoſtolatus apicem edendis. Necnon Symmachi, Pauli II. Innocentij VIII. Pauli IV. & Pij V. ac quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ ſeu Cameræ & Sedis Apoſt. non alienandis, ac male alienatis recuperandis, necnon Pij etiam IV. de ſimilibus gratiis in Camera infra certum tempus à die illarum conceſſionis computandum; regiſtrandis & inſinuandis, ita quod ad præſentem gratiam regiſtrandum & inſinuandum idem Alexander Cardinalis, & pro tempore exiſtens Vicecancellarius, nullo vmquam tempore teneatur, nec propterea illa nulla ſit, aliiſque Apoſtolicis, ac in generalibus Conciliis ſpecialiter vel generaliter contra præmiſſa vel eorum aliqua quomodolibet, etiam per nos conſiſtorialiter, & de fratrum conſilio, & præſertim noſtra ſub Dat. videlicet 18. Kal. Februarij, Pont. noſtri Anno Quinto diſponente ne Officiales Officia, eorumue emolumenta eorum Officiis annexa alienare poſſint, ediris & edendis, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus, ac Officium huiuſmodi erection. & fundation. ac Cameræ præfatorum etiam iuramento, &c. roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, vſibus, naturis, ſtabilimentis & etiam nouis reſeruationibus, eorumque innouationibus, priuilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis per prefatos & quocumque alios Rom. Pontifices prædeceſſores, ac nos & dictam Sedem, etiam motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac conſiſtorialiter & per viam generalis legis & ſtatuti perpetui, ac ex quātumcumque grauibus & oneroſis cauſis, ac cū quibuſuis etiam derogatoriarū derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, etiam vim contractus inducentibus, ac etiam irritantibus, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis & innouatis, & quocumque tempore etiam longiſſimo obſeruatis, etiam præmiſſa fieri ſpecialiter & expreſſe prohibentibus. Quibus omnibus etiam ſi de illis, &c. eorum tenores, &c. latiſſime hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe, motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine partibus derogamus, eaque omnia in quantum præmiſſis obeſſe, aut illorum executionem & effectum retardare poſſent, omnino tollimus & abrogamus, ac pro ſublatis & abrogatis habare volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Ipſa conſt. ſunt à me indicata ſup. in Pij V. conſt. 35. Admonet.

Hæc bulla eſt quæ præcedit.

§. 7. Volumus autem, quod præſentis cedulæ ſola ſignatura ſufficiat, & vbique fidem faciat etiam abſque data & regiſtratura ac publicatione. Quodque ſi videbitur, huiuſmodi cedula in quinterno Cancellariæ deſcribatur, & etiam ſine publicatione, data & regiſtratura, eis fides omnino adhibeatur in iudicio & extra, perinde acſi literæ etiam ſub plumbo expeditæ eſſent, quæ nihilominus expediri poſſint per Breue noſtrum, ſub quacumque data, ſtylo Cancellariæ, & Cameræ præfatarum, ac regulis & conſtitutionibus, necnon priuilegiis, Regiſtratoribus ſupplicationum Apoſtolicarum, & aliis præfatæ Curiæ Officialibus conceſſis in contrarium diſponentibus, & aliis non obſtantibus quibuſcumque.

Seſamque ſignaturā ſufficere decernit.

Placet & ita Motu proprio mandamus.

Lecta & publ. fuit ſuprad. Conſt. Romæ in Cancell. Apoſt. Anno Incarnation. Dominicæ 1590. die vero 3. menſis Aprilis Pont. S.D.N.D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. Anno 5.

Papæ ſubſcr.

Publ. Pont. A. 5. die 3. Apr.

CVII.

Inſtitutio vniuerſitatis Studij generalis, diuerſarum ſcientiarum & bonarum artium, in Collegio Presbyterorum Societatis Ieſu, à Carolo Auſtriæ Archiduce in Oppido Græcen. Salzburgenſis Diœceſis fundato, & à Gregorio XIII. erecto, cum reddituum aſſignatione & priuilegiorum elargitione.

SIXTVS

Edita An. D. 1585.

SIXTVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium.

COeleſtis Patris prouidentia ad ſummi Apoſtolatus apicem euecti, tanquam de excelſo monte ad ima agri irrigui militantis Eccleſiæ noſtrum dirigentes intuitum ac conſiderantes quod per literarū ſtudia, ad bene beatæque viuendum via præbetur, veritas agnoſcitur, iuſtitia colitur, ceteræque virtutes illuſtrantur, ac humanæ proſperitatis conditio augetur, fides Catholica, & cultus diuinus prætenditur ad ea per quæ ſtudia huiuſmodi vbilibet, maxime in regionibus vbi maior neceſſitas vrget, propagentur, & humiles perſonæ ad excelſum felicitatis faſtigium eruenipre cupiētes in hoc pio eorum propoſito vtilius confoueri, ac laborum ſuorum honores & præmia conſequi valeant, præſertim dum Principum Chriſtianorum vota id expoſcunt libenter intendimus, & in his partes Apoſtolicæ prouidentiæ impendimus, provt in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Carolus Archidux Auſtriæ ad fidem Catholicam retinendam & augendā, in Oppido Græcen. Salzburgen. Diœceſis Collegiū Presbyterorū Societatis Ieſu fundauit, & Greg. XIII. illud erexit & inſtituit.

§. 1. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilecti filij, nobilis viri Caroli Archiducis Auſtriæ, qui etiam Styriæ, Carinthiæ & Carniolæ Dux exiſtit petitio continebat quod alias fel. rec. Gregorius Papa XIII. prædeceſſor noſter, in Oppido Græcen. Salzburgen. Diœc. dicti Caroli Archiducis dominio in temporalibus ſubiecto, Collegium Presbyterorum Societatis Ieſu propriis ſumptibus ipſius Caroli Archiducis fundatum & extructum, auctoritate Apoſtolica perpetuo erexit & inſtituit, ac inter alia eidem Collegio pro illius Magiſtrorum, Scholarium & aliorum d. Societatis Religioſorum ſuſtentatione, penſionem annuam duorum millium & ducentorum Florenorum Remenſium ſuper Monaſterij, ſeu Domus de Milſtade nuncupati eiuſdem Diœc. quod ſeu quæ olim Ciſtercien. ſeu alterius Ordinis, poſtea vero Ordine ipſo ac ſtatu & eſſentia regularibus, necnō Conuentualitate, ac forſan nomine Monaſterij in eo ſuppreſſis & extinctis, Militiæ ſeu Ordinis militaris S. Georgij etiam tunc forſan extinctæ ſeu extincti, licet aliquot Sacerdotes in Militia ſeu Ordine Militari huiuſmodi adhuc tunc remanerent, & quod ſeu quæ de iurepatronatus eiuſdem Caroli ac pro tempore exiſtentis Auſtriæ Archiducis, & ſeu prædictæ Carinthiæ Ducis ex fundatione, vel dotatione aut ex priuilegio Apoſtolico, cui nō eſt hactenus in aliquo derogatum, eſſe dignoſcitur, ac in quo ſeu qua à quadraginta annis & vltra ex quo Militia ſeu Ordo Militaris huiuſmodi defecit, vnus Adminiſtrator conſtitui, & per eumdem Adminiſtratorem illud ſeu illa gubernari, ac per ipſum de eiuſdem Domus fructibus, redditibus & prouentibus diſponi conſueuit, fructibus, redditibus & prouentibus huiuſmodi dicta auctoritate ſub certis modo & forma tunc expreſſis conſtituit & aſſignauit, volens, vt quandocumque & quotieſcumque dictus Carolus Archidux vel eius ſucceſſores aliqua alia bona etiam Monaſterij ſeu Domus huiuſmodi quorum annui redditus de dictis oneribus ad parem valorem aſcenderent, ipſi Collegio aſſignauiſſent, penſio præfata caſſata & nulla cenſeretur eo ipſo, aſſignatio vero cum applicatione eadem auctoritate facta obtineret, provt in eiſdem prædeceſſoris literis deſuper confectis plenius continetur

Et modo idem Carolus huic Pontifici pro erectione Studij generalis ind. Collegio ad maiorem eius profectū inſtat.

§. 2. Cum autem prædictus Carolus Archidux, auitam à maioribus ſuis acceptam Catholicam religionem ſartam tectam & inuiolatam in locis ſibi ſubiectis vbi viget conſeruare, ſicubi vero collapſa eſt hac potiſſimum ratione reſtituere, ſuoſque ſubiectos quamplurimos ad literarum ſtudia, nauandamque bonis artibus operam excitare cupiens, atque vtraque in re prædictæ Societatis operam, & induſtriam, laboreſque ea de cauſa ſuſceptos valde vtiles & fructuoſos in dies magis expertus, & ampliores manipuli, & diuerſarum Nationum aut linguarum agris, quarum Prouincias dictus Carolus Archidux poſſidet, opitulante Deo colligi poſſint, Studij generalis Vniuerſitatem in d. Collegio potiſſimum auctoritate prædicta erigi, eiuſque cura ac regimen prædictæ Societati committi & mandati deſiderat, ipſeque ad hunc effectum, etiam hortum ipſi Collegio contiguum pleno iure ad prædictum Carolum Archiducem ſpectantem, & certam etiam tunc expreſſam quantitatem Salis, ex Salinis ibidem ad eumdem Carolum Archiducem pertinentibus per eius Miniſtros eidem Collegio quotannis in certis terminis ſimiliter tunc expreſſis porrigendam partem, etiam tunc deſignatam Mure Fluuij Oppidi Græcen. præfati, cum omnibus ſuis emolumentis, commodis & iuribus, vt piſcium copia eis non deeſſet, eidemque Collegio pie ac liberaliter in perpetuum conceſſerit, & amplioribus etiam immunitatibus, exemptionibus, liberationibus, libertatibus, priuilegiis & gratiis ipſum Collegium & Studium generale ſic erigen. ornauerit & cumulauerit, ac ad ſuſtinenda onera, impenſaſque pro ipſius Studij generalis conſeruatione & amplitudine Collegij præfati redditus annuos augēdos eſſe neceſſario exiſtimet, ac quantum in eo eſt ſedulo prouidere intendat. Propterea nobis humiliter ſupplicari fecit, quatenus ſubditorum ſuorum ſaluti & commodo conſulentes, in præfato Oppido & Ædibus d. Collegij, Studij generalis Vniuerſitatem, in qua Societatis religioſi huiuſmodi Theologiam, Philoſophiam, ac ingenuas artes publice profiterentur, & iuuenes quoſcumque docerent, auctoritate prædicta perpetuo erigere, & inſtituer, aliaſque in præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſt. dignaremur.

Illud erigit ſub regimine Societatis Ieſu.

§. 3. Nos igitur qui dudū inter alia voluimus & ordinauimus, quod literę reſeruationis vel aſſignationis cuiuſuis penſionis annuæ, ſuper alicuius beneficij Apoſtolici fructib. expediri non poſſent, niſi de cōſenſu illius qui d. penſionē perſoluere tunc haberet, præfatum Carolum Archiducem à quibuſuis excommunicationis ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis cenſuris, ſententiis & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dnmtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, in Oppido prædicto & Ædibus dicti Collegij vbi nunc Scholæ ſunt, ſeu forſan in ampliorem conſtruentur, Vniuerſitatem Studij generalis, in qua Religioſi Societatis huiuſmodi Theologiam, Philoſophiam & ingenuas artes publice profiteantur, ac iuuenes quoſcumque doceant, ad inſtar aliarum Vniuerſitatum Studiorum generalium tam in tranſalpinis Prouinciis & Regnis, quam alias vbilibet erectorum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſine alicuius præiudicio perpetuo erigimus & inſtituimus, ipſamque Vniuerſitatem, ac Studium generale ſic erectam & inſtructam, curæ, regimini & adminiſtrationi Rectoris Collegij huiuſmodi pro tempore exiſtentis, qui totius Vniuerſitatis Rector exiſtat, prædicta auctoritate etiam perpetuo ſupponimus, & ſubmittimus.

Priuilegiaque aliorum Studiorum generalium ei tribuit.

§. 4. Ac eidem Vniuerſitati illiuſque Rectori, Magiſtris, Scholaſticis, aliiſque præfatis & ſingulis vt omnibus & quibuſcumque priuilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, fauoribus, gratiis prærogatiuis, honoribus & præeminentiis, huiuſmodi Vniuerſitatibus illarumque pro tempore exiſten. Rectoribus, Magiſtris, Doctoribus, Lectoribus, Præceptoribus, Scholaſticis, Procuratoribus, Bidellis, Nunciis; Officialibus Miniſtris & aliis perſonis in genere vel in ſpecie, tam præfata quam Imperiali, Regia, aut Ducali auctoritatibus, & alias quomodolibet pro tempore conceſſis, non ſolum ad eorum inſtar & pariformiter & æque principaliter in omnibus & per omnia, vti, potiri & gaudere. Inſuper Rectori eiuſdem Vniuerſitatis & Collegij pro tempore exiſten vt illos quos in ipſa erecta Vniuerſitate, vel etiam alibi in quauis alia per debitum tempus ſtuduiſſe, ac ſcientia & moribus idoneos eſſe repererint, in præfatis facultatib. artium & Theologiæ ad Baccalaureatus etiam formati, Licentiature, Laureæ, Doctoratuſque & Magiſterij gradus, ſeruata forma Viennen. Concilij, & alias iuxta Vniuerſitatum aliorum Studiorum generalium conſuetudines, & erectæ Vniuerſitatis ſtatuta promouere, & ipſorum graduum ſolita inſignia eis exhibere, vtque ad dictos gradus ſic per illum promoti poſtea publice & priuatim, etiam in omnibus aliis Vniuerſitatibus

Digitized by Google

Studiorum generalium facultates præfatas, interpretari & alios docere, & de eis disputare, gradui seu gradibus huiusmodi conuenientes actus exercere ac in omnib. priuilegiis, gratiis, fauoribus, prærogatiuis, & indultis quibus alij in prædictis, seu aliis vniuersitatibus & alibi iuxta illarum constitutiones & mores ad gradus præfatos promoti de iure vel de consuetudine vtuntur, potiuntur & gaudent, ac vti, potiri & gaudere poterunt, in futurum in omnibus & per omnia, perinde ac si gradus dus ipse in Vniuersitatibus huiusmodi iuxta illarū mores & consuetudines rite suscepissent, vti, potiri & gaudere.

Præposito generali d. Societatis dat facultatem tem statuta, pro illius felicire gimine edendi.

§. 5. Necnon moderno & pro tempore existenti dictæ Societatis Proposito generali, vt per se vel dd. Collegij & erectæ Vniuersitatis Rectorem aut alium seu alios pro salubri & felici directione dictæ Vniuersitatis erecta, ac Rectoris, Magistrorum, Procuratorum, Bidellorum, Nunciorum & aliorum Ministrorum & Officialium muneribus & functionibus modoque & forma docendi, & alias sua officia exercendi, ac scholasticorum manutentione, quæcūque statuta & ordinationes licita & honesta, ac sacris Canonibus & Concilij Tridentini decretis non contraria, edere & promulgare, eaque pro temporum, rerum & personarum qualitate mutare, corrigere & reformare, seu illa cassare & abrogare, ac alia de nouo edere, & sub illorum obseruatione pœnas eius arbitrio imponere.

Lectoresque & officiales omnes eligendi.

§. 6. Dictæque erectæ Vniuersitatis Doctores, Magistros, Lectores, Scholasticos, Procuratores, Bidellos alioque Ministros & Officiales eligere & amouere, seu electiones factas confirmare licite valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium huiusmodi etiam perpetuo concedimus & indulgemus.

Bona per Carolum Collegio donata hic confirmat perpetuo eidem applicat. Annuumque reddium assignat.

§. 7. Demum bona & iura à prædicto Carolo Archiduce, vt præfertur, Collegio & illius Vniuersitati per præsentes erectæ prædictis concessa & donata, auctoritate & tenore præfatis similiter perpetuo applicaticatis, & appropriamus.

§. 8. Præterea in augmentum dotis Collegij & erectæ Vniuersitatis huiusmodi, vtque d. Societatis Presbyteri, ac alij inibi pro tempore degentes commodius sustentari valeant, eis de alicuius subuentionis auxilio prouidentes, vltra prædictam iam vt præfertur assignatam aliam pensionem annuam aliorum duorum millium florenorum etiam Remensium, itaut vtraque pensio huiusmodi in vniuersum & insimul ad summam quatuor millium & ducentorum florenorum similium ascendant, super Monasterij seu Domus huiusmodi fructibus, redditibus & prouentibus, etsi super illis aliæ pensiones annuæ aliis personis assignatæ existant, ac omnes huiusmodi insimul eorundem fructuum & prouentuum medietatem excedat ac omnes illos absorbeat, pro tempore existenti Rectori vel alteri Superiori Collegij, & erectæ Vniuersitatis huiusmodi vel eius Procuratori ad hoc ab eo specibila mandatum habenti, pro tempore existen. Monasterij seu Domus huiusmodi Administratorem, & eius successores Monasterium seu Domus huiusmodi pro tempore quomodolibet obtinens, ac eorumdem fructuum, reddituum & prouentuum fictuarios, seu alios Monasterij seu Domus huiusmodi Officiales annis singulis in quatuor terminis singulo videlicet trimestri pro quarta parte pensionis quatuor millium & ducentorum florenorum huiusmodi prima solutione in principio mensis Ianuarij proxime præteriti incipien. & sic deinceps pro quarta parte pensionis quatuor millium & ducentorum florenorum huiusmodi de trimestri in trimestre, in fine cuiuslibet trimestris non obstante quacūque mutatione ipsorum fructuum, reddituum & prouentuum, aut aliorum quorumcumq; ad Monasterium seu Domum huiusmodi pertinen. quibuscumque tēporibus vel causis contingente, quam propterea quocumque modo aut titulo fieri contigerit, & quatenus eorundem Collegij & erectæ Vniuersitatis fundationi, ac eiusdem Caroli Archiducis ordinationi, ac pensionis huiusmodi reseruationibus, constitutionibus & assignationibus, præiudicet, subreptitiam, irritam & inanem nulliusque prorsus roboris vel momenti esse decernimus integre persoluendam auctoritate Apost. tenore præsentium huiusmodi pariter perpetuo reseruamus, constituimus & assignamus decernentesque priorem pensionem à d. prædecessore, vt præfertur reseruatam etiam, non obstante eiusdem prædecessoris decreto præfato per ipsum appositio, propter præmissa minime cessare, neque priorem pensionem huiusmodi cassatam vel extinctam esse aut fore, sed alias iuxta prioris reseruationis formam & tenorem in dictis terminis persolui debere, & in suo robore permanere, perinde acsi decretum prædecessoribus huiusmodi appositum ab initio non fuisset.

Confulat huius conscriptionis præsentatum

§. 9. Ac præsentes literas nullo tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ vel alio quouis defectu notari seu impugnari posse sicque in præmissis vniuersis & singulis per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane si secus super his à quocumque quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, necnon Administratorem præfatum, & Monasterij seu Domus huiusmodi pro tempore existentem ad integram solutionem pensionis quatuor millium & ducentorum florenorum huiusmodi prædicto Rectori & Superiori Collegij, & erectæ Vniuersitatis huiusmodi facien. iuxta posterioris reseruationis, constitutionis & assignationis prædictarum tenorem fore efficaciter obligatos, ac volentes & eadem auctoritate Apostolica statuentes quod ille ex Administratore & successoribus præfatis, qui in dictis terminis vel saltim intra triginta dies illorum singulos immediate sequen. pensionem quatuor millium & ducentorum florenorum huiusmodi per eum tunc debitam non persoluerit, lapsis diebus eisdem sententiam excommunicationis incurrat, à qua donec Rectori vel Superiori Collegij, & erectæ Vniuersitatis huiusmodi vel eorum Procuratori præfatis de pensione quatuor millium & ducentorum florenorum huiusmodi per eum tunc debita integre satisfactum, aut alias cum dictis Rectore seu Superiore vel eorum Procuratore præfato super hoc amicabiliter concordatum fuerit, præterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium nequeat obtinere. Si vero per sex menses dicti triginta dies immediate sequen. sententiam ipsam animo quod absit sustinuerit indurato, ex tunc effluxis mensibus prædictis ipsis regimine & administratione Monasterij seu Domus huiusmodi perpetuo priuatus existat, illudque seu illa vacare censeatur eo ipso.

Executores quoque deputat.

§. 10. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Salzburgensi & Amerinen. Episcopis, & dilectio filio causarum Curiæ Apostolicæ generali Auditori per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut vnus eorum per se vel alium seu alios, faciant pensionem quatuor millium & ducentorum florenorum huiusmodi Rectori vel Superiori seu eorum Procuratori præfatis iuxta posterioris reseruationis, constitutionis & assignationis, & decreti tenorem integre persolui, & nihilominus quemlibet ex administratore Monasterij seu Domus & successoribus suis præfatis, quem huiusmodi excommunicationis sententiam incurrisse eis constiterit, quoties super pro parte Rectoris vel Superioris prædictorum fuerint requisiti, easdem præsentes & in eis contenta quæcumque solemniter publicantes, tamdiu Dominicis & aliis festiuis diebus in Ecclesiis cum maior inibi populi multitudo ad diuina conuenerit, excommunicatum publice nuncient, ac faciant ab aliis nunciari, ac ab omibus arctius obseruari & euitari, donec Rectori vel Superiori aut Procuratori præfatis de pensione quatuor millium & ducentorum florenorum huiusmodi tunc debita fuerit integre satisfactum, ipseque excommunicatus ab huiusmodi excommunicationis sententia absolutionis beneficium meruerit obtinere. Contradictores per censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia appellatione postposita compescendo.

Contrariis quibuscumque derogat.

§. 11. Non obstantibus voluntate priori & ordinationibus nostris præfatis, necnon constitutionibus & ordinatio-

Digitized by Google

ordinationibus Apoſt.ac Monaſterij ſeu Domus & illius Ordinis, ac Vniuerſitate præfatorum,iuramento, confirmatione Apoſt. vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus , ceteriſque contrariis quibuſcumque.Aut ſi Adminiſtratori & ſucceſſoribus ſuis præfatis,vel quibuſuis aliis communiter vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum , quod ad præſtationem vel penſionem alicuius minime teneantur , & ad id compelli aut quod interdici , ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſt.non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali vel ſpeciali cuiuſque tenoris exiſtat,per quam præſentibus non expreſſam vel totaliter non inſertam , effectus huiuſmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet vel differri , & de qua cuiuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis.

§.12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis,erectionis, inſtitutionis, ſupoſitionis, ſubmiſſionis, indulti,applicationis,appropriationis, reſeruationis , conſtitutionis , aſſignationis, decreti, voluntatis , ſtatuti & mandati infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit,indignationem. Omnipotentis , Dei, ac BB. Petri, & Paul Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dom. 1585. Kal. Ianu. Pont. noſtri anno 1.

VRBANVS VII. PONT. CCXXXII. ANNO DOMINI MDXC.



VRbanus Septimus, ciuis Romanus, Ioannes Baptiſta Caſtanea antea dictus , Patre Coſmo Ianuenſi, Archiepiſcopus Roſanenſis , preſbyter Cardinalis tituli Sancti Marcelli, Creatus Romæ 17. Kalendas Octobris, Anno Domini 1590. Vixit dies duodecim. Nullos creauit Cardinales, obiit quinto Kalendas Octobris. Eius cadauer in Baſilica S. Petri ſepultum fuit. Vacauit Sedes menſes duos, dies octo.

GREGORIVS XIV. PONT. CCXXXIII. ANNO DOMINI MDXC.



GRegorius Decimusquartus, Mediolanenſis, Nicolaus, Sfondratus antea dictus, Patre Franciſco, preſbyter Cardinalis tituli S. Cæciliæ, creatus Romæ nonis Decembris, Coronatus ſexto Idus eiuſdem menſis,& anni 1590. Vixit menſes decem, dies totidem. Creauit Card. quinque. Obiit Romæ in Palatio S. Marci, Idibus Octobris,anno Domini 1591. eius Cadauer in Baſilica S. Petri ſepultum eſt in ſacello Gregoriano Vacauit Seſtes dies quatuordecim.

Confirmatio conſtitutionis Pij V. de non alienandis & infeudandis Terris & locis S.R.E. 1.

Hæc Pij V. conſtitutio eſt 55. ſup. vbi tibi indicaui eius declarationes, & extenſiones.

Eamdem conſtitutionem certo modo delarauit etiam iſte Gregorius in Conſiſtorio ſecreto , ſed eam declarationem reiecit Clemens VIII. vt inf. in ſua conſtitut. 1. Ad Romani.

Aduerte addita ſup. lib. 1. ad Leon. 1. Com. 1.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Edita An. D. 1590.

ROMANVS Pontifex, pro Paſtoralis ſibi diuinitus iniuncti muneris debito, inter ceteras quas pro communi bono Chriſtianæ Reipucæ ſuſcipit curas , etiam ad ea confirmanda quæ ad ſtatum Eccleſiaſticum, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ditionem, etiam temporalem in primis tuendam & conſeruandam , à prædeceſſoribus ſuis non minus prudenter ac ſapienter , quam rite & recte geſta & conſtituta fuerunt incumbere ſolet , & quo firmius illa ſubſiſtant , & ſanctius ab omnibus obſeruentur ſuæ comprobationis & muniminis partes libenter ac mature adhibet , prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. *Exordium.*

§. 1. Sane iam pridem fel. rec. Pius Papa V. prædeceſſor noſter tenoris ſubſequentis literas edidit. *Pij V. conſtitutio hic eſt indicata.*

Omittitur in ſertio huius bullæ, habes eam ſup. Admonet.

Digitized by Google

Confirmatio de qua in rubrica.

§. 2. Nos igitur recol. me. Gregorij XIII. ac Sixti V. Rom. Pontificum similiter prædecessorum nostrorum exempla, ac pium in tuendis S.R.E. iuribus zelum imitantes, easdem literas, & in eis contenta quæcumque, ex certa nostra scientia, ac de nobis à Deo attributæ potestatis plenitudine, tenore præsentium approbamus, confirmamus, atque etiam innouamus, easque, & ea omnia inconcussæ, ac validissimæ firmitatis robur perpetuis futuris temporibus obtinere, & à cunctis quos illa quomodolibet concernunt, inuiolabiliter obseruari debere decernimus atque mandamus.

Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Si quis autem hoc attentare, &c.

Dat. P. An. 1. die 19. Decem.

Datũ Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo nonagesimo, 14. Calend. Ianuarij, Pontificatus nostri Anno primo.

II

Quod Congregatio Clericorum Regularium Minorum, omnibus gratiis, prerogatiuis & priuilegiis Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum perfruatur.

Istam Congregationem primo approbauit Six. V. vt supra in sua const. 81. Sacra. *Et omnes eius gratias & priuilegia confirmauit Clemens VIII. die* 1. *Iunij* 1592. *sed hanc bullam tamquam simpliciter confirmatoriam consulto p ratermisi.*

Edita An. D. 1591.

GREGORIVS PAPA XIV.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex personarum Ecclesiasticarum quantumlibet, præsertim Regularium vota, Religionis propagationem & augmentum respicientium, ad exauditionis gratiam libenter admittit, provt conspicit in Domino salubriter expedire.

Petitio omnium priuilegiorum aliis concessorum Congregatioi Presbyterorum qui Theatini nuncupantur. Hæc vide sup. const 11. *Cle. VII.* Exponi *cum ibi not*

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Presbyterorum & Clericorum Congregationis Clericorum Regularium Minorum nuncuparorum, nobis exhibita petitio continebat, quod cum ipsi cupiant pro illorum Congregationis augumento, vt ipsi in via Domini sub suaui Religionis iugo Deo dante plurimum proficere possint, omnia priuilegia, gratias, facultates tam spirituales quam temporales, ac indulta Congregationi huiusmodi concedi, nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eorum desiderio huiusmodi annuere, aliasque in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concessio Pontificis, eorumdem priuilegiorum.

§. 2. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia & singula priuilegia, prærogatiuas, concessiones, facultates, exemptiones, immunitates, indulta, indulgentias, & peccatorum remissiones, cæteraque gratias spiritualas & temporales, ac tam coniunctim quam diuisim etiam per viam communicationis, vel extensionis aut alias quomodolibet dictæ Congregationi Presbyterorum Theatinorum nuncupatorum, illiusque Generali, aliisque Superioribus Officialibus, Ministris, & personis, eorumque domibus Regularibus quibuscumque concessa, ac quibus dicta Congregatio Theatinorum, eiusque domus Regulares, necnon Generales, Superiores, Officiales, Ministri, & aliæ quæcumque illius personæ, de iure, vsu, consuetudine, priuilegio aut concessione Apostolica, vel alias quemodolibet etiam per viam communicationis & extensionis vtuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, ac vti, frui, potiri & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, eidem Congregationi Clericorum Minorum, illiusque domibus Regularibus, necnon Præposito generali, aliisque Superioribus, Officialibus, Ministris, & aliis quibuscumque illius personis nunc & pro tempore existentibus, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo concedimus, illaque omnia & singula ad dictam Congregationem Clericorum Minorum, illiusque domos Regulares, necnon Præpositum generalem, Superiores, Officiales, Ministros, & personas prædictas, itaut dicta Congregatio Clericorum Minorum, eiusque Regulares domos, illorumque Generalis, Superiores, Officiales, Ministri, & personæ nunc & pro tempore existentes, præmissis omnibus & singulis, æque & pariformiter, & sine aliqua differentia, vti, frui, potiri & gaudere libere & licite possint, perinde ac si singula præmissa illis specialiter & expresse ac principaliter non autem ad instar concessa, & præsentibus, expressa, ac de verbo ad verbum nihil penitus omissa inserta fuissent, auctoritate & tenore prædictis extendimus illaque omnia & singula dictæ Congregationi Clericorum Minorum, illiusque domibus regularibus & personis prædictis communicamus.

Clausula pro seruatione.

§. 3. Decernentes præsentes literas de subreptionis aut obreptionis vitio, seu intentionis nostræ, vel quouis alio defectu, notari, impugnari, aut alias quomolibet infringi nullatenus vmquam posse, sed illas semper & perpetuo validas & efficaces existere, suosque plenarios & integros effectus sortiri.

Clausula sublata, &c.

§. 4. Sicque & non aliter per quoscumque Iudices quauis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, & causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§. 5. Non obstantibus nostra de non conceden. indulgentiis ad instar, ac quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Congregationis Theatinorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quauis firmitate alia roborariis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis dictæ Congregationi Theatinorum, eiusque Superioribus & personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innouatis, quibus omnibus, illorum omnium tenores acsi de verbo ad verbũ insererentur præsentibus pro sufficienter insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter & expresse deroganus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 6. Volumus autem quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Superioris dictæ Congregationis minorum subscriptis, & sigillo dictæ Congregationis munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis, &.

Dat. P. An. 1. die 18. Feb.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 18. Februarij, millesimo quingentesimo nonagesimo primo, Pontificatus nostri Anno primo.

Moderatio duarum Constitutionum Sixti V. super receptione Nouitiorum illegitimorum ad Ordines Regulares.

Quo ad Nouitiorum receptionem & educationem vide bullam Clem. VIII. infra num. 83. *In suprema.*

Edita An. D. 1591.

GREGORIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CIrcum specta Romani Pontificis prouidentia, ea quæ rationabilibus causis auctoritate Apost. sancita fuerunt ipsa rerum experientia suadente, ex aliis interdum non minus iustis causis moderatur & immutat, provt in Domino conspicit salubriter expedire.

Sixtus V. sub forma recipiendi Religiosos duas edidit const. 415 sum sup. Cum d. n. 71.

§. 1. Sane licet alias fel. rec. Sixtus Papa V. prædecessor noster, nonnulla circa qualitates, modum, & formam admittendi Religiosos ad quoscumque Ordines, salubriter statuerit, in duabus desuper, prima videlicet sub Datum sexto Calendas Decembris, Anno Tertio, & altera sub Datum duodecimo Kal. Nouemb. Anno

Anno Quarto ſui Pontificatus editis conſtitutionibus latius continetur. Quia tamen vſu comprobatum eſt, multa inuenta fuiſſe impedimenta, propter quæ ea quæ in præmiſſis ſtatuta fuerunt, executioni mandari minime potuerunt. Vnde quamplures literis, & pietate inſignes viri, à ſancto propoſito Regularem ducendi vitam abducti ac impediti, atque etiam alij diu cum maxima eorum laude in Religione verſati ab illius dignitatibus, honoribus, prælaturis, cum non modico Religionis & Ordinum huiuſmodi detrimento repulſi & inhabiles penitus redditi fuerint.

Quæ hic Pontif. ad terminos iuris reducit.

§. 2. Nos igitur ea quæ docuit experientia ſalubriter fuiſſe conſtituta confirmare, quæ vero moderatione aliqua indigere moderari volentes, ac dictarum conſtitutionum, & inde ſequutorum quorumcumque tenores etiam veriores, præſentibus pro expreſſis habentes, habita cum venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ſuper negociis & conſultationibus Regularium deputatis, matura deliberatione, de eorumdem conſilio prædictas conſtitutiones in ea parte qua cauetur, ne illegitimi ex certo inibi expreſſo damnato thoro vel complexu, ad quamcumque Religionem, neque ad habitum, aut profeſſionem regulares, ſed tantum ad habitum Conuerſorum, aut famulorum, in Monaſteriis aliiſque locis regularibus ſeruientium admittantur, & ſi poſt dictam Conſtitutionem profeſſionem emitterent, voluit illam nullius eſſe momenti. Et in altera parte, in qua illegitime genitos, etiam ante ipſas Conſtitutiones profeſſos vigore priuilegiorum, aut indultorum Apoſtolicorum, cuiuis Ordini, Religioni, Monaſterio aut Congregationi, eorumve Superioribus, ingenere vel in ſpecie conceſſorum, etiam ipſi per ingreſſum Religionis, vel per eoſdem Superiores legitimatos, ſeu ad gradus, honores, & dignitates habilitatos ſeu integratos, ab honoribus, gradibus, & dignitatibus quibuſcumque, tam antiquis, quam aliis priuilegiis, literis Apoſtolicis, indultis, aut declarationibus non obſtantibus, excludi, ac diſpenſationes quaſcumque aut legitimationes non ſuffragari, neque in futurum cum his niſi à Sede Apoſtolica, priuilegiis quibuſcumque non obſtantibus, diſpenſare poſſe voluit, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ad terminos iuris reducimus, & moderamur, ac omnes diſpenſationes & habilitationes, vigore priuilegiorum aut indultorum Apoſtolicorum, cuiuis Ordini, Religioni, Monaſterio, aut Congregationi, eorumve Superioribus, in genere vel in ſpecie, vt præfertur, conceſſorum, quæ tempore conſtitutionum huiuſmodi vſu recepta, & non ſub vllis aliis reuocationibus comprehenſa erunt per quoſcumque eorum Superiores factas, in priſtinum ſtatum, & validitatem, in quibus ante ipſas conſtitutiones exiſtebant, reſtituimus & reintegramus. Volentes, ijſdem conſtitutionibus non obſtantibus eos qui quouis modo illegitimi procreati fuerint ad habitum & profeſſionem regulares admitti poſſe quemadmodum admitti poterant ſi ſupradictæ conſtitutiones editæ non fuiſſent.

Quam reductionem hic declarat.

§. 3. Ita tamen, vt cum de recipiendis quomodocumque illegitime natis, ad habitum & profeſſionem Ordinum quorumcumque agatur, ij ad quos huiuſmodi receptio ſpectat, præter alia, dequibus ex dictarum conſtitutionum præcepto circa quoſcumque etiam legitimos diſquirere debent, diligenter eorum vitam & mores inquirant, & ita demum recipiant, ſi tamen bonam indolem, & virtutis ſpecimen præſeferant, ac tot eis merita ſuffragentur, vt natalium ſuppleant defectum, eorumque receptio Religionis commodo & vtilitati profutura videatur. Et ſuper hoc ipſo ij ad quos, vt dictum eſt, pertinet huiuſmodi receptio, matura deliberatione habita, ita cenſuerint & iudicauerint, dummodo tam filius illegitimus, in Religione in qua pater, ſiue ante ſiue poſt natiuitatem dicti filii profeſſus fuerit, ipſo patre viuente non admittatur, quod expreſſe prohibemus.

Generalibus vel Prouincialibus Ordinum, conceſſit auctoritatem diſpendi illegitimos ad dignitates iuxta eorum priuilegia vſu recepta.

§. 4. Volumus quoque ac ſtatuimus, licere Generali, aut Prouinciali ſingulorum Ordinum, aut Congregationum, aut Hoſpitalium, ad quos dicta diſpenſatio ſpectat iuxta tenorem priuilegiorum & indultorum Apoſtolicorum eis conceſſorum, quæ, dummodo vſu recepta nec alias ſub vllis reuocationibus comprehenſa ſint, vt præfertur, in hac parte reualidamus cum illegitimis, quos dictus Generalis, aut Prouincialis, cum Generali, Prouinciali ſeu intermedio Capitulo & non alias, ſuffragantibus meritis dignos iudicauerint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas diſpenſare, ac diſpenſationes huiuſmodi pro tempore ita factas, & inde ſequuta quæcumque vt ante valere & tenere, perinde ac ſi ſupradictæ conſtitutiones non emanaſſent.

Superioribus Ordinũ concedit, Nouitios præuia reformatione ad Religionẽ recipere poſſe.

Ad quod vide bullam Clem VIII. citatam hic in rubrica.

§. 5. Ceterum cum acceperimus, nonnullarum Religionum & Ordinum, præſertim Monacalium Monaſteria ita inſtituta eſſe, vt in eis perpetua quædam filiatio conſtituatur; ideoque receptio Nouitiorum in vnoquoque Monaſterio ad ſuperiorem Prælatum, & Capitulum eiuſdem Monaſterij tantum pertineat, quæ etiam Monaſteria, vt plurimum inter ſe longe diſtant, nec Generalia, Prouincialia, aut intermedia Capitula niſi raro celebrare ſolent. Ideo ſtatuimus, vt Superiores illorum Monaſteriorum de conſenſu ſui Capituli, præhai ita ſimul cum his de quibus in vnaquaque Religione aut Monaſterio, iuxta eius conſtitutiones recipiendus interrogari ſolet, aliqua informatione ſuper his quæ in dictis conſtitutionibus continentur ad receptionem huiuſmodi procedere valeant, dum tamen antequam ad profeſſionem admittatur, plenaria, & eo modo, provt in dictis conſtitutionibus habetur, inquiſitio fiat, quæ poſtea ab his, à quibus in prædictis Monaſteriis examinari ſolent, diligenter examinetur, & approbetur, & demum omnia in dicto Capitulo coram Superiore referantur. Volentes, quod Superiores prædicti cum eorum Capitulo, aut vbi conſuetudo non fuerit celebrandi Capitula, cum tribus aut quatuor ad id in Generali Congregatione per vota ſecreta deputatis, ſeruatis eorum regularibus inſtitutis ac ſupradictis omnibus, eandem in recipiendis Nouitiis habeant auctoritatem, quæ per dictas conſtitutiones Prouincialibus Capitulis eſt attributa.

Clauſula ſublata, &c.

§. 6. Decernentes, ſic & non aliter per quoſcumque Iudices & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam eiuſdem Romanæ Curiæ Cardinales, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari & definiri debere. Irritum quoque & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula derogatoria.

§. 7. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides, in iudicio & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. P. An. 1. die 13. Mart.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1591. Id. Martij, Pontificatus noſtri anno primo.

IV.

Damnatio ſponſionum, ſeu Excommiſſarij, ſuper vita, morte, & futura electione Summi Romani Pontificis, ac promotionibus S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium.

De materia Cardinalium late dixi ſup. ad conſt. 50. Sixti V. Poſtquam, *ibi videas.*

Edita An. D. 1591.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Excommiſſorum vſus, multa mala maximaque damna parit.

COgit nos deprauata miſeri huius ſæculi corruptela, vt vel in ipſo noſtri Pontificatus ingreſſu ſeuerioribus pœnis illorum coërceamus audaciam, qui cæca ducti cupiditate grauioribus peccatis diuinam Maieſtatem lædere, ac ſacroſanctæ Eccleſiæ Dei, mala & ſcandala

Digitized by Google

pernicioſa inferre non perhorreſcunt. Qualia multa cum ingenti animi noſtri dolore ſenſimus manare ex frequenti ſponſionum illarum vſu, quæ Excommiſſæ vulgo dictæ, ſuper futura electione, aut vita & morte Romani Pontificis, aut promotionibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium fieri conſueuerunt. Nam ſiue rem ipſam quæ nedum Eccleſiaſtica, ſed & ſacra & mere ſpiritualis eſt, ſpectemus, profanatio quædam rei ſacræ, & ſacrilegium quoddam inde propterea committi videtur, dum electionibus & promotionibus ſacris, ac plene ſpiritualibus, ſors pecuniarum immiſcetur, & turpiſſimæ nundinationis genus cohæret, ſiue grauiſſima peccata earum occaſione pepetrari ſolita, & detrimenta inde prouenientia, ſponſiones huiuſmodi, quæ ſuper prædictis fiunt omnino damnandas & prohibendas, atque à Chriſtifidelium commercio prorſus exterminandas arbitramur. Multi ſiquidem cupiditate, aut metu iacturæ pecuniarum illicitis modis, directe vel indirecte per ſe vel alium, electiones, ſeu promotiones impedire, aut retardare conantur. Alij eligendorum, aut promouendorum honorem, & famam, & exiſtimationem, impiis, falſis ac prorſus iniquis detractionibus aut diffamationibus lædere, ac dilacerare non erubeſcunt. Orationes vero, & vota, ac pias preces Chriſtiani populi, quas eo potiſſimum tempore, ſummo deuotionis feruore ex intimo cordis affectu, ab vniuerſo fidelium cœtu Deo Omnipotenti offerri par eſſet, vt huiuſmodi electionibus ac promotionibus Spiritus ſanctus aſſiſteret, non mediocriter hac de cauſa impediri, perturbari, ac refrigeſcere neceſſe eſt, dum multi temporalibus lucris intenti, aut obliuiſcuntur, quæ Dei ſunt, aut certe deſiderant ſæpenumero, & procurant vt eligantur non ij qui optimi ſunt, ſed ex quorum electione plurimum lucri ſe conſecuturos animaduertunt. Nec deſunt, qui innumerabiles fraudes, ac pernicioſa mendacia, dolos & fallacias comminiſcuntur, dum ſponſionum pretia augere aut imminuere, callide & verſute ſatagunt. Nonnulli quoque manifeſta iniuſtitia peccant, dum fere certi eorum qui eligendi, aut promouendi ſunt, conuentiones ſeu ſponſiones incundo, ab aliis id ignorantibus pecunias per fraudem extorquent. Multi præterea dum vana ſpe vniuerſum patrimonium ſuum in diſcrimen temere deducunt, repente & ex improuiſo ad inopiam rediguntur, ex quo & abominabiles contra Deum blaſphemiæ, & plurima ſcandala, & peccata atrocia conſequuntur, quod autem deterius eſt, miſeri quidam ad nefandas Dæmonum inuocationes, ad prohibita ſortilegia, damnataque diuinandi genera confugiunt, vt futura, ſi id fieri poſſet, prænoſcendo, minori cum periculo, aut quemadmodum ipſi vana ſpe decepti ſibi perſuadent, certiore euentu ſponſiones ineant. Illud denique omnibus notiſſimum eſt, magnum hoc eſſe auaritiæ fomentum, & ex eo vehementem quæſtus cupiditatem, quandoque etiam in Eccleſiaſticis ac Religioſis perſonis excitari.

Hic ideo Pōt. inhærendo, cōſtitutioni Pij IV. num. 63. In eligendis, omnes excommiſſas ſuper vita, morte aut creatione Summi Pont. vel promotione Card. vbique prohibet.

§. 1. Nos igitur, qui hoc præcipuum munus ad paſtoralem noſtram ſollicitudinem maxime pertinere exiſtimamus, vt gregem Dominicum fidei noſtræ creditum ab omni offenſione, atque æternæ vitæ periculo ſecurum, in viam ſalutis, diuina fauente gratia, dirigamus, peſtiferi huius morbi contagionem, priuſquam in communem fidelium perniciem latius ſerpat, quantum in nobis eſt, tollere, necnon delicti & ſcandali inde vt plurimum prouenientis occaſionem penitus & vbique ſubmouere cupientes, ac ſimul æquum cenſentes, vt in quo frequenter & grauiter peccatur, id ad tollendum ſcandali periculum generatim, & peræque omnibus interdicatur, fel. record. Pij Papæ Quarti prædeceſſoris noſtri, qui pariter hoc ipſum ſuper futura Pontificis electione fieri prohibuit, veſtigiis, inhærentes, de tributæ nobis à Domino poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine, hac noſtra in perpetuum valitura conſtitutione damnamus & reprobamus omnes & quaſcumque ſponſiones, promiſſiones, ſtipulationes, conuentiones, aut pacta, Excommiſſas vulgo dictas, quouis nomine, aut vocabulo appellatas. Quas ſiue per cedulas, vt aiunt, vel apochas, aut alio quocumque, publicæ aut priuatæ ſcripturæ, aut chirographi genere, vel per Menſariorum, aut Mercatorum libros, aut partitas, vt dicunt ſeu verbo tantum data fide, aut facto depoſito certæ pecuniarum ſummæ, vel cuiuſuis alterius rei pretio extimabili, aut alias quoquomodo, vel ſub quauis nominati aut innominati cōtractus forma aut conditione, in euentum vitæ aut mortis, vel futuræ creationis Romani Pontificis, tam eo viuente quam Apoſtolica Sede vacante, aut in euentum promotionum S.R.E. Cardinalium, poſthac in quibuſuis Chriſtiani Orbis Regnis, Dominiis, Prouinciis, Ciuitatibus, Terris & locis, vbilibet gentium aut locorum iniri quandocumque contigerit, ipſoſque contractus, ſponſiones, aut pacta, ſiquæ poſt hanc noſtram prohibitionem inita fuerint, vel etiam antea, quarum tamen vel quorum exitus adhuc expectantur, damnata prorſus, illicita & inualida decernimus, & declaramus illaque ex nunc prout ex tunc, & è contra, harum ſerie reſcindimus, & annullamus, ac ne de cetero fiant diſtrictè interdicimus, & prohibemus. Decernentes ex eis tamquam damnatis, & reprobatis, etiam ſi iuramento, quod pariter illicitum, & tamquam contra bonos mores præſtitum nihil operari, in hoc caſu declaramus, aut inſtrumento in forma Cam. Apoſt. vel alias quomodolibet roborata fuerint, nullam prorſus obligationem oriri, nullāque actionem, realem aut perſonalem, aut Iudicis officium in foro exteriori neque extra illud, nec etiam quo ad forum conſcientiæ, prouenire, neque exceptionem, aut aliud quodcumque ius cuiquam competere.

Et quicquid de excommiſſis deductum fuerit, piis locis applicat.

§. 2. Quinimmo ſtatuimus & declaramus, ex prædictis damnatis ſponſionibus nullum talium pecuniarum dominium, etiam ſi ſolutæ, aut datæ, ſeu remiſſæ, vel condonato hac de cauſa fuerint, cuiquam acquiri, ſed quicquid pecuniarum, aut cuiuſuis alterius rei, in contractus ſeu ſpōſiones huiuſmodi deductum fuerit, ſiue datum & acceptum, ſiue tantummodo promiſſum, vel vt præfertur condonatum, aut etiam vt ab aliis ſoluatur mandatum exiſtat, eo ipſo piis locis eius Ciuitatis aut Oppidi vbi ſponſiones ipſæ initæ, vel vbi primum detectæ fuerint, etiam ſi prius alibi initæ ſint, acquiſitum cenſeri, & ipſos contrahentes ad reſtitutionem, ſiue elargitionem, eiſdem piis locis in vtroque foro teneri, & in foro exteriori ad id per Epiſcopum (cuius conſcientiam ſuper hoc oneramus) opportunis iuris & facti remediis, etiam ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, cogi & compelli debere, & non ſolum Procuratoribus, ſeu adminiſtratoribus, ſed cuilibet perſonæ, actionem popularem nomine eorumdem piorum locorum pro ipſis pecuniis conſequendis competere. Ita tamen, vt ſi plura loca pia in Oppido ſeu Ciuitate huiuſmodi exiſtant, inter ipſa locatis præferatur, & pecunias integre lucretur, qui prior agere cœperit.

Quibus deſuper tranſigere aut ſe concordare poſſo vetat.

§. 3. Nec componere, tranſigere, aut concordare cum ipſis delinquentibus, aut illis partem aliquam pœnæ remittere, aut cōdonare quoquomodo liceat, ſed integre ab ipſis locis piis exigatur, quod ſi de facto concordatum fuerit, tunc eo ipſo concordia, compoſitio, aut tranſactio irrita ſit & nulla, & actio pro reliqua ſumma non exacta ad alia loca pia deuoluta cenſeatur, donecpœna prædicta integre ab ipſis tranſgreſſoribus fuerit perſoluta.

Eccleſiaſticiſque perſonis Excommiſſas facientibus, pœnam priuationis beneficiorū imponit.

§. 4. Perſonas vero Eccleſiaſticas, ſiquæ forſan, quod non credimus, tale aliquod pactum aut ſponſionem, contra hanc noſtrā prohibitionem inire præſumpſerint, tam ſæculares quam cuiuſuis Ordinis aut Militiæ regulares, cuiſcumque ſtatus, gradus, vel conditionis fuerint, etiam ſi Epiſcopali, Archiepiſcopali, Primatiali, Patriarchali, aut alia quacumque, etiam S.R.E. Cardinalatus præfulgeant dignitate (præter ſupradictam, & alias in præſenti Conſtitutione contentas pœnas) omnibus, & quibuſcumque per eas obtentis beneficiis, cum cura & ſine cura, ſæcularibus, & quorumuis Ordinum, aut Militiarum regularibus, ex tunc eo ipſo per præſentes in vtroque foro priuamus, & priuatas, ac ad illa & quæcumque in poſterum obtinenda, perpetuo inhabiles & incapaces declaramus, eaque omnia iuxta præſentem Conſtitutionem ipſo facto vacare, deque illis libere per Sedem Apoſt. vel per ordinarios Collatores aliis prouidere poſſe, ac etiam ſi alioquin noſtræ, Sedis Apoſt. ſeu Rom. Pontificis tantum, diſpoſitioni ex quauis reſeruatione

Digitized by Google

tione generali, etiam in corpore iuris clausa, seu alias quomodolibet reseruata seu affecta fuerint, nihilominus per ordinarios Collatores, ad quos eisdem reseruationibus, seu affectionibus Apostolicis cessantibus, pertineret, libere & licite conferri, & de eis perinde ac si reseruata aut affecta non essent, disponi posse volumus & declaramus.

Et tam eis quam alijs, huic prohibitioni contrauenientibus excommunicationis pœnam infligit.

§. 5. Vlterius etiam in eos, qui talia patrare, & huic nostræ Constitutioni contrauenire præsumpserint, tam si prædictis, quæ hic pro expressis habeantur, quam si quibusuis mundanis etiam Ducalibus, Regiis, Imperialibus dignitatibus fungantur, ac etiam in eosdem, vel alios, qui id in Terris, Locis, Ciuitatibus, ac Dominijs sibi subiectis, tacite vel expresse fieri permiserint, eorumque Consiliarios, Magistratus, Potestates, Gubernatores, Præfectos, aut Locatenentes, eorumque singulos qui pariter consensum, auxilium, consilium, vel fauorem in præmissis præstiterint ac in quoscumque proxenetas, vel mediatores, excommunicationis sententiam per easdem præsentes ferimus, & promulgamus, eosque ipso facto absque aliqua monitione, aut declaratione, seu Iudicis decreto aut ministerio, excommunicationis sententiam incurrere volumus, à qua eorum nullus ab alio quam à Romano Pontifice, pro tempore existente, nisi in mortis articulo, & quo ad eos qui pecunias, vel aliud quidpiam præmissorum occasione percepetint, etiam præuia restitutione integra pecuniarum eiusmodi occasione perceptarum, absolui possit aut debeat.

Clausula sublata, & decretum irritans.

§. 6. Sicque in omnibus & singulis superius expressis, per quoscumque Iudices, ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac eiusdem S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quauis causa & instantia, iudicari & definiri debere. Irritum quoque & inane decenimus, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca vniuersis locorum Ordinariis, vbilibet constitutis, per Apostol. scripta mandamus; vt præsentes literas in suis quisque Ecclesiis, Ciuitatibus, Diœcesibus, & locis ab omnibus inuiolate obseruari curent. Et contra quoscumque præsentis Constitutionis transgressores ad declarationem censurarum & pœnarum huiusmodi procedant, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

Clausula contrariorum derogatoria.

§. 7. Non obstantibus quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Cancellariæ Apostolicæ regulis, necnon Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Oppidorum & locorum, iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, etiam quantumuis longissimo tempore obseruatis, ac legibus etiam municipalibus, & pragmaticis, aliisque sanctionibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus earum impediri valeat vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis. Aut si aliquibus, communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Forma & effectus publicationis huius const.

§. 8. Ceterum, vt præmissa, ac eædem præsentes literæ ad eorum quorum interest, notitiam deducantur, nullusque possit aliquam illorum ignorantiam prætendere, vel excusationem allegare, volumus vt eædem præsentes in Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ valuis, & acie Campi Floræ, per aliquem ex Cursoribus nostris affixæ, copia illarum ibidem dimissa, ab eadem die, quo ad eos qui in Vrbe sunt, quo vero ad eos qui citra montes sunt, post viginti dies, quo ad eos qui vltra montes, post duos menses à die publicationis prædictæ numerandos, omnes & singulos perinde afficiant & arctent, acsi illis ipsis fuissent personaliter intimatæ. Quodque earum exemplis etiam impressis, manu Notarij publici & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio & extra, quæ ipsis præsentibus originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omninò, &c. Si quis, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1591. duodecimo Kal. Aprilis, Pontif. nostri anno primo. *Dat. P. An. 1. die 21. Mart.*

Publicatio. *Anno à Natiuitate Domini 1591. Indictione 4. die vero 28. mensis Martij, Pontificatus Sanctiss. in Christo patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIV. anno I. retroscripta litera Apostolica affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Ioannem Gauce, & Catherinum Menandi Curs.*

Pompeius Guerra Mag. Curs.

V.

Confirmatio exemptionis Fratrum Militum Sancti Ioannis Hierosolymitani, eorumque Familiarium, & cet. à solutione decimarum, & aliorum onerum, Et extensio facultatis M. Magistri & Conuentus, quo ad dispositionem beneficiorum. Ac præseruatio Ordinariorum, quo ad personas curam animarum habentes.

Hanc exemptionem, & præseruationem firmauit primo loco Pius V. in sua const. 77. Et si cuncta, *sup. vbi videas quæ notauimus.*

GREGORIVS PAPA XIV.
Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1591.

Proœmium.

QVanta Christianæ Reipublicæ commoda atque ornamenta, omni tempore attulerit Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani amplissimus Ordo, insignia quæ assidue præstitit pietatis & caritatis officia, iam late testantur summo ardentique studio, vel initio nascentis Ecclesiæ in Ciuitate Sancta Hierusalem, in qua Christi pedes steterunt, & vbi Deus Rex noster ante sæcula salutem in medio terræ dignatus est operari complexa, & vsque modo, prout tempora tulerunt, variis in locis continuata, quæ nunc potissimum elucent eo in Hospitali, quod Insula Meliteæ B. Pauli Apostoli, cuius in tutela est, multis celebrata miraculis ab eo Ordine constitutum fuit, in quo eiusdem Pauli auctoritate permoti eius Hospitalis curam gerentes re ipsa comprobant, iactis fidei & spei fundamentis, inter præcipuas virtutes quæ Theologicæ dicuntur, caritatem principem obtinere locum neque his piis actionibus, quas ijdem assiduis officiis, & hospitalitatis studiis in proximos exercent plane secundæ aut postremæ sunt res, ab eis ad diuini nominis gloriam & exaltationem præclare gestæ, quarum longe lateque fama peruagatur. Dum tamquam veri Christi athletæ Machabæorum æmulari morem, assumpta galea salutis aduersus Christiani nominis hostes, & præsertim impios Mahometis sectatores arma sumunt fortiterque dimicant. Nos igitur Religionem floridam paternis contemplantes affectibus, ea quæ eis pro eorum prospero statu commodo & quiete per Romanos Pontifices prudenter concessa reperimus, vt illibata firmaque perpetuo subsistant, libenter approbationis nostræ munimine roboramus.

Priuilegia multorũ concessa à Prædecessoribus, & præsertim à solutione decimarum, &c.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, licet alias fel. rec. Leo X. Clemens VII. Paulus III. & Pius V. Gregorius XIII. & Sixtus V. Romani Pontifices prædecessores nostri, inter alia priuilegia & indulta dilectis filiis Magistro & Conuentui Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani à Sede Apostolica concessa, eumdem & pro tempore existentem Magistrum, Baiuliuos, Castellanum Emposiæ, Priores, Præceptores, Milites, Familiares aliasque personas Hospitalis huiusmodi; necnon eorum Subditos, Vassallos, Colonos, & Seruitores, & alios in eorum obsequijs, & dicti Hospitalis beneficijs quomodolibet nuncupatis existentes etiam presbyteros curam animarum exercentes, quamdiu illam exercent, & in illorum obsequijs forent, illorumque ani-

Digitized by Google

malia, prædia, domos, molendina, & bona quæcumque, quæ obtinebant, ac in posterum obtinerent & possiderent, à solutione, & exactione decimarum, censuum, iurium, etiam Synodalium, & Canonicarum portionum, seu caritatiui subsidij, aut iucundi aduentus, seu quartæ, aut alias quomodolibet, aut aliorum quorumcumque onerum sub certis modo & forma, exemerint & liberauerint, prout in diuersis ipsorum prædecessorum desuper confectis literis plenius continetur.

Ordinariorũ molestia super præditis gratiis.

§. 2. Et licet ipsi Milites, & aliæ personæ præfatæ, non debuissent neque deberent, à quoquam contra dictorum priuilegiorum tenorem & formam molestari, perturbari, vel inquietari, cum ipsi non modo eorum facultatibus & fortunis, verum etiam sanguini & vitæ pro tuitione fidei Catholicæ non parcant; nihilominus diuersi locorum Ordinarij, & Parochialium Ecclesiarum Rectores, & multæ Capitulares personæ id sibi omnino iuxta sacri Concilij Tridentini decreta licere asserentes, eosdem Magistrum, Baiuliuos, Castellanum Empostæ, Priores, Præceptores, Milites, & personas, diuersis oneribus contra eorum priuilegia prægrauare, illosque ad decimas, census, subsidia, etiam caritatiua, congruas portiones, iucundum aduentum, pastor bonus, aut alias nuncupata onera, etiam iura synodalia cogere præsumant, in graue ipsius Hospitalis detrimentum & grauamen.

Huius Pontif. Confirmatio dictorum priuilegiorum.

§. 3. Nos igitur attendentes, Hospitalis præfati multa esse in fidem Catholicam, & Sedem Apostolicam merita, nobis & venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus non incognita, Cardinalem Magnum Magistrum, Baiuliuos, Castellanum Empostæ, Præceptores, Milites, Fratres, Familiares, & eorum singulos, ac singulares dicti Hospitalis personas, à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes necnon omnium & singulorum priuilegiorum, indultorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, libertatum & gratiarum per præfatos, & alios quoscumque Romanos Pontifices prædecessores, nostros, ac Sedem Apostolicam Hospitali, illiusque Magistro, Conuentui & Fratribus, Militibus, aliisque personis præfatis hactenus concessorum, ac literarum desuper confectarum tenores præsentibus pro expressis habentes. Motu proprio, non ad Cardinalis Magni Magistri & Conuetus Hospitalis huiusmodi, aut alicuius alterius super hoc pro eis nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & de mera nostra liberalitate, ac Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula priuilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates, & alias gratias eisdem Magistro & Conuentui quomodolibet concessa, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, approbamus, illisque perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes & singulos tam iuris quam facti defectus siqui forsan interuenerint in eisdem, supplemus.

Qua tamen, intellige vt dixi in fine.

Pij V. concessio vniendi & dismembrandi beneficia.

§. 4. Cum autem felicis recordationis Pius Papa IV. prædecessor noster, eidem Magistro & Conuentui inter cetera priuilegia, Prioratus, Baiuliuatus, Castellaniam, Empostæ, Commendas, ac alia eiusdem Hospitalis beneficia, libere vniendi & dismembrandi facultatem concesserit. Et nihilominus à quibusdam quandoque dubitatum fuerit, an ante vel post mortem possessorum vnio seu dismembratio ipsa fieri posset ac deberet.

Huius Pont. extensio de const. Pij V.

§. 5. Nos ad tollendum omne dubium & ambiguitatem, quæ in præmissis in futurum oriri posset, vt quandocumque eis videbitur, siue ante siue post mortem possessorum, Prioratus, Baiuliuatus, Castellaniam Empostæ, ac alia eiusdem Ordinis beneficia vnire, & dismembrare, libere & licite possint & valeant, Necnon omnia & singula priuilegia, & exemptiones præfatas, etiam ad Confratres & Donatos eiusdem Hospitalis extendi debere, auctoritate præfata decernimus & declaramus.

Clausula præseruatiua.

§. 6. Decernentes præsentes literas nullo vmquam tempore, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo, quod locorum Ordinarij vocati non fuerint, notari, impugnari, vel inualidari minime posse, minusque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, limitationibus, restrictionibus, & derogationibus comprehendi posse, semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, in pristinum, statum restitutas, repositas, & pleno gratas esse.

Exemplorum fides.

§. 7. Sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Iudices & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores huius const.

§. 8. Quocirca dilectis filiis in Regnis Hispaniarum, & Neapolitani, nostris & Sedis Apostolicæ pro tempore existentibus Nunciis, aut Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, per præsentes Motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Cardinalis Magni Magistri & Conuentus fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eosdem Magistrum & Conuentum, confirmatione, approbatione, adiectione, suppletione, decreto, & aliis præmissis pacifice vti, frui, & gaudere. Non permittentes eos per Ordinarios prædictos, aut quoscumque alios, contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari; contradictores quoslibet & rebelles, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo; ac legitimis super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras & pœnas huiusmodi incurrisse declaran. illasque etiam iteratis vicibus aggrauan. interdictumque Ecclesiasticum apponen. inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij secularis.

Clausula derogatoria.

§. 9. Non obstantibus piæ memoriæ Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non extrahatur, ac aliis quibusuis Apostolicis, necnon in Prouincialibus & Synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus, necnon iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibusuis personis, etiam præfatis locorum Ordinariis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam Motu & scientia similibus, etiam consistorialibus, & de fratrum nostrorum consilio in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores acsi de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab eadē sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Præseruatio const. Pij V. Greg. XIII. & Conc. Trid.

§. 10. Volumus autem quod felicis recordationis Pij Quinti xxij. Septembris. Anno sexto, ac Gregorij Decimitertij prædecessorũ nostrorum literis, sub Annulo Piscatoris 25. Nouembris, Anno nono Pontificatuum suorum expeditis, in suo robore & efficacia permanentibus,

Digitized by Google

nentibus præsentes literæ non comprehendant; Neque Ecclesias neque personas, in his quæ ad curam animarum pertinent, in quibus decreta Concilij Tridentini huiusmodi omnino seruari debeant.

Fides transsumptorum, &

§. 11. Declarantes insuper ac præcipientes, quod præsentium literarum transumptis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio & extra illud vbique locorum plena & indubitata, eademque prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 1. die 30. April.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die vltima Aprilis, millesimo quingentesimo nonagesimo primo, Pont. nostri Anno primo.

VI. Forma promouendi ex præscripto Concilij Tridentini, ad regimina Ecclesiarum Cathedralium, & aliarum dignitatum, de quibus consistorialiter prouidetur.

De his agitur in Concil. Tridentin. sess. 7. cap. 1. sess. 24. cap. 2. & sess. 25. cap. 1. & antea in Leonis X. const. 7. Supernæ. *& postremo in Sixti V. constit. 74.* Immensa. *in 3. Congreg.*

Edita An. D. 1592.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Salus gregis pendet à bono pastore.

ONus Apostolicæ seruitutis, ad quod nuper nos dignatio diuina prouexit, assidue admonet, in eam potissimum, curam nobis esse pastorali solicitudine incübendum, vt quæ à sacris œcumuneciſque Conciliis pro communi totius Christiani populi salute, pie prudenterque statuta sunt, nulla aut temeritate violentur, aut negligentia deserantur; ea præsertim quæ ad bonos, idoneosque Pastores Cathedralibus, ac Superioribus Ecclesiis gubernandis præficiendos pertinent; nam si in quibusuis Ecclesiæ gradibus & ministris, curandum est tales eligi, qui in Religione & sanctitate fideles ædificent, multo certe magis elaborandum est, ne in eius electione erretur, qui supra omnes gradus constituitur, cui tamquam seruo fideli & prudenti totius familiæ cura traditur, qui ad omnem virtutem, & mandatorum Dei obseruantiam aliorum forma esse debet, cum certum sit gregis salutem magnopere pendere ex boni Pastoris præstanti vita & doctrina.

Concilij itaque Trid. insignes viros ad Cathedrales Ecclesias eligi decreuit in locis citatis in rubrica.

§. 1. Sane venerabiles patres, qui ex toto Terrarum Orbe ad sacrum generale Tridentinum Concilium à Summis Pontificibus prædecessoribus nostris euocati magna frequentia conuenerunt, cũ in aliis rebus multis præclarum studium ad corrigendos deprauatos mores, & collapsam Ecclesiasticam disciplinam restituendam ostenderunt, tum in eo potissimum insigni zelo, magnaque cum laude laborauerunt, vt rationem inuenirent, qua viri doctrina, pietate prudentiaque excellentes, & in Ecclesiasticis functionibus diu multumque versati, Ecclesiis Cathedralibus præficerentur.

Hic Pont. vti Episc. Cremonen. d. Concilio interfuit, & illud exequi exoptat.

§. 2. Nos igitur, qui cũ in minoribus constituti, Cremonen. Ecclesiam regeremus, in eodem Concilio cum sanctis & egregiis illis Patribus interfuimus, & Concilio absoluto ad Ecclesiam nostram reuersi magno semper desiderio flagrauimus vt tam salubria generalis Concilij decreta executioni debitæ mandarentur, atque vt fieret pro virili parte curauimus. Multo nunc magis, cum disponente Domino omnium Ecclesiarum cura & solicitudo nos premit, summo desiderio tenemur vt Pastores ij præficiantur Ecclesiis, qui opus suum & ministerium impleant, & de ouium salute nos in Domino lætificent.

Concilium mandauit, vt in quibuscũq; locis per Metropolitanum in Synodo præscriberetur forma examinis & instructionis.

§. 3. Illud autem in hoc saluberrimo & perneccssario negocio, quod est de Episcopis elegendis & præficiendis videtur esse præcipuum, vt instructio, examen, & inquisitio, de fide, vita, moribus, doctrina, & prudentia promouendorum, tam accurate, fideliter ac serio instituatur, vt omnis fallaciæ fuco semoto, certo confidere, valeamus, tales à nobis Christi gregi pascendo esse præpositos, quales tantum onus, Angelicis videlicet humeris formidandum, exigit, & quales ille expetit, qui pro iisdem ouibus redimendis propriæ vitæ ac sanguini non pepercit. Et quidem in hac parte prouidentia dicti Concilij Tridentini minime defuit, cum statuerit ac mandauerit, vt in Prouinciali Synodo per Metropolitanũ habenda, præscriberetur quibusque locis & Prouinciis, propria examinis, seu inquisitionis, aut instructionis faciendæ forma, Romani Pontificis arbitrio approbanda, quæ magis eisdem locis vtilis atque opportuna esse videretur.

Sed in pauciſſimis locis id executum fuit.

§. 4. Verum neque id hactenus nisi à pauciſſimis factum est, neque spes est, nisi longissimo temporis, spatio, vt ab omnibus fiat; atque interim, dum certa examinis siue inquisitionis ratio à Prouincialibus Conciliis expectatur, perit vber ille fructus, qui ex tam vtilibus Concilij generalis decretis sperari posse videbatur, & experientia ipsa docuit per tot annos à publicatione Concilij prædicti elapsos, quid in vnaquaque Prouincia opus sit, quidue possit fieri.

Hic ideo Pont. designat personas, quibus committenda erit instructio, & examen extra Curiã

§. 5. Habita igitur cum Venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus matura deliberatione, ac de eorum vnanimi consilio & assensu, præsenti nostra perpetuo valitura constitutione decernimus, vt cum extra Romanam Curiam, examen instructio siue inquisitio facienda erit, nemo omnino cuiuscumque status, gradus, conditionisue fuerit inquisitionem prædictam sibi arrogare præsumat, sed integrum, hoc negotium iis qui à prædicto Tridentino Concilio designatur, Apostolicæ videlicet Sedis Legatis seu Nunciis Prouinciarum, aut eius de quo inquisitio fit, Ordinario, eoque deficiente, Ordinariis vicinioribus relinquatur; nisi iustis de causis, nobis aut pro tempore existenti Romano Pontifici per speciale mandatum alicui alteri hoc munus quandoque committendum esse visum fuerit. Quod si forte aliquis prædictorum, consanguinitate aut affinitate vsque ad tertium gradum inclusiue promouendũ contingeret, vt omnis suspicio carnalis affectus à tam sancto negocio repellatur, ille quidem eò casu censeatur exclusus, atque ad eum qui proxime sequitur hoc est, si Legatus excludendus erit, ad Nuncium, si Nuncius ad Ordinarium, si Ordinarius, ad vicinioremm Ordinarium inquisitionis officium deferatur.

Et in Curia.

§. 6. In Curia vero hæc functio spectet, vel ad eos Cardinales qui à nobis vel pro tempore existente Romano Pontifice deligẽtur, vel ad Cardinales earum Prouinciarum seu Regnorum, apud nos & Sedem Apostolicã Protectores, in quibus Ecclesiæ ipsæ consistunt, si tamen ad ipsos huiusmodi vacantium Ecclesiarum relatio pertinebit; quod si de Episcopo vel Metropolitano extra Romanam Curiam degente, ab vna Ecclesia ad aliam ex aliqua graui & iusta causa transferẽdo agetur, hoc munus deficientibus Legato vel Nuncio Apostolico eius Prouinciæ aut Regni, vbi Ecclesia ipsa à qua transfertur sita erit, ad Metropolitanum si Episcopus, ad Suffraganeum vero antiquiorem residentem, si Metropolitanus transferendus erit, pertinere declaramus.

Perinamque instructionis & examinis præscribit.

§. 7. Deinde, quia sacrum Tridentinum Concilium, non sine magna ratione eminentes personas, & quæ negotij magnitudinem probe intelligerẽt, ad hoc officium nominauit, Declaramus & statuimus, tam Legatos siue Nuncios, quam Ordinarios vel alios ab hac sancta Sede forte delegandos, non per Auditores aut Vicarios, aliosve ministros, sed per seipsos inquirendi munus exercere debere, quamuis ab huiusmodi personis, aliisque viris peritis adiuuari possint. Et si Prælatus inquirens, per se non posset ob locorum distantiam testes examinare circa articulum aliquem, vt legitimos natales, vel ætatem aut aliquid eiusmodi, licebit ei articulum illum alteri personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ subdelegare, non autem vniuersam inquisitionem. Quod si forte contingat, aliquem supradictorum legitime impediri, vt per se hoc munus præstare non possit, ad alios ea cura transferetur, qui sunt ab eadem Concilio Tridentino ad hoc officium designati, vt supradictum est, de iis quo ob sanguinitatem vel affinitatem ab hoc munere excluduntur. Adhæc, vt mens eiusdem sacri Concilij recte ac fideliter debitę executioni mãdetur, & tale sit

examen

Digitized by Google

examen quale requiritur in negocio tanti ponderis, declaramus ac ſtatuimus, non eſſe in vita ac doctrina promouendi inueſtiganda eam rationem adhibendam, vt ab ipſo promouendo articuli offerantur, ac teſtes producantur, ſed oportere vt Prælatus qui munus inquirendi ſuſcepit, articulos conſcribat, atque ipſe ex officio ſuo illos teſtes vocet atque examinet, quos de rebus inquirendis ſincerum ac fidele teſtimonium daturos eſſe exiſtimet. Verum, vt inquiſitio prædicta facilius ac plenius perfici atque expediri queat, vtile erit, ſi Prælatus qui inquiſitionem facturus eſt, vel à promouendo, vel ab alio aliquo confici curet ſchedulam, in qua ſint ordine deſcripta nomen promouendi, cognomen, patria, parentes, ordo, gradus, profeſſio, functio, ſiquam is forte exercuit, loca in quibus, aut Theologiæ, vel iuri canonico operam dederit, aut longo tempore verſatus fuerit, denique amici ac familiares, qui tam ipſum quam parentes eius intime norint. Quod ſi promouendus documentum aliquod exhibere voluerit, vnde ipſius ætas, gradus, dignitas, ſacri ordines, functio, officia, muneraque aut aliquid eiuſmodi comprobetur, admittendum, ac proceſſui inſerendum erit, modo documentum publicum ſeu authenticum fuerit.

Quinam teſtes deſuper recipi poſſint.

§. 8. Illud quoque prohibendum cenſuimus, ac expreſſe prohibemus, ne ad teſtimonium dicendum de fide Catholica, vita, moribus, doctrina, atque aptitudine, ad regendam Eccleſiam quilibet homines admittantur; ſed viri tantum graues, pij, prudentes, docti, qui de qualitatibus promouendorum rectum iudicium ferre valeãt, ac vt ſupra diximus, ſincerum, ac fidele teſtimonium dare velint. Proinde tam cognati, ac nimium familiares, quam inimici atque æmuli excludendi erunt. Porro teſtes eiuſmodi, Prælatus qui examen ſeu inquiſitionem habiturus erit, ſeorſum ac ſigillatim examinabit; & ſi quando iudicauerit expedire, eis ad memoriam reducet tum iuramenti vim, & periurij grauitatem; eoſdem etiam ſerio & graniter admonebit, ipſos reos futuros apud Omnipotentem Deum eorum omnium, quorum vel committendo vel omittendo rei erunt, qui promouebuntur, ſi vel falſa narrando, vel reticendo vera, in cauſa erunt vt homines indigni, vel minus idonei eiuſmodi Eccleſijs præficiantur. Diligenter etiam teſtium qualitates cognoſcere ſtudebit, ac potiſſimum quam ſint ad promouendos affecti, vt inde conijciat vtrum ex affectu, an ex veritate teſtimonium dicant. Denique cum teſtes de qualitatibus promouendi interrogabit, dabit operam, vt quoad eius fieri poterit, omnia & ſingula quæ ad prædictam inquiſitionem facere videbuntur; per ipſos exprimantur.

Qualitatesque promouẽdorum, quæ probari debeant. Non abre videre poſſet cõſtit. 50. Six. V. ſup.

§. 9. Quamuis autem qualitates omnes promouendorum, quæ in generalium Synodorum decretis, aliiſque canonicis ſanctionibus continentur, probe cognitæ eſſe debeant ijs, quibus inquiſitionis officium demandatum eſt, quales ſunt natum eſſe ex legitimo matrimonio, atque ex parentibus Catholicis, annum trigeſimum iam expleuiſſe, ſacris ordinibus, ſaltem ante ſex menſes initiatum eſſe, gradum Doctoratus, aut licentiæ in Theologia, vel iure canonico, aut certe publicum alicuius Academiæ teſtimonium obtinuiſſe, quo ad alios docendos idoneus eſſe declaretur, ad hæc in Eccleſiaſticis functionibus diu eſſe verſatum, item fidei puritate, innocentia vitæ, prudentia, vſu rerum, integra fama, doctrina denique præditum eſſe; tamen quia circa doctrinam plures fraudes committi ſolent, & ſæpe contingit, vt nonnulli ſcientia vacui, de ſolo Doctoris titulo, aut priuilegio glorientur, volumus, vt de eorum etiam doctrina diligenter inquiratur, qui vel Doctoratus, aut licentiæ titulis & priuilegiis gaudent, vel etiam à publicis Academijs teſtimonium habuerint quod idonei eſſent ad alios docendos, niſi forte aliquorum inſignis doctrina, ex publica ipſorum functione notoria eſſet. Ita vero inquiſitio facienda erit, vt quibus in locis, quanto tempore, & quo fructu Theologiæ, vel iuri canonico promouendus operam dederit cognoſcatur. Et quoniam in quibuſdam Prouincijs nulla ſunt Studia generalia, neque vllæ publicæ Scholæ, neque vſus habet vt qui ſtudijs operam nauant, vllis Doctoratus aut licentiæ inſignibus decorentur, declaramus in eiuſmodi locis ſufficere, ſi teſtimanio virorum grauium, & ſacræ Theologiæ, vel iuris canonici peritorum conſtet, promouendos ea ſcientia Theologiæ, vel Canonum vere pollere, vt idonei ſint ad ea docenda, quæ populum Chriſtianum ſcire oportet, ac muneris ſibi iniungendi neceſſitati valeant ſatisfacere. Teſtes præterea deponant ſe de ſcientia promouendorum certos redditos eſſe ex eo, quod prædictos promouendos, ſpecimen ſuæ doctrinæ, publice vel priuatim dediſſe cognouerint. Quod autem ad Regulares pertinet, cum ad Eccleſias Cathedrales promouendi fuerint, ne fraus vlla ſubrepere poſſit in eo quod idem Tridentinum Concilium ſtatuit, vt regulares à ſuis Superioribus ſufficientis doctrinæ teſtimonium habeant. Declaramus, nomine Superiorum eos dumtaxat intelligendos eſſe, qui nullum ſui Ordinis Superiorem agnoſcunt, ſiue ij cuiuſuis Ordinis Abbates, Magiſtri, aut Miniſtri, Præpoſiti generales, aut quarumlibet Congregationum Præſidentes, ſiue Definitores, aut Viſitatores Capitulum generale repræſentantes, ſiue alii quocumque vocabulo nominentur, & in eorum abſentia ipſorum Vicarij ſeu Commiſſarii generales, vel in Romana Curia Procuratores Ordinum, aut Congregationum generales in hac parte ſuccedant. Et nihilominus præter Superiorum teſtimonium, qui fidem facient eiuſmodi regulares ad alios docendos idoneos eſſe, volumus ea ſeruari, quæ de ijs diximus, qui publicum ſuæ doctrinæ ab aliqua Academia teſtimonium habent; vt videlicet ſerio inquiratur an regulares ad Cathedrales Eccleſias promouendi, eos progreſſus in ſtudijs fecerint, qui in futuro Antiſtite requiruntur.

Abſolutis prædictis, & etiam ſimili inquiſitione de Statu Eccleſiæ, profeſſionem fieri à promouendis iubet iuxta bullam Pij IV. nu. 89. quæ eſt ſup.

§. 10. Poſt inquiſitionem vero de fide, vita, moribus, doctrina, & prudentia promouendi, necnon informationem de ſtatu Eccleſiæ, aliiſque neceſſariis rebus, quæ pariter corã ſuperius expreſſis Prælatis, iuxta eiuſdẽ Concilij decreta fieri debet, profeſſio fidei fidei Catholicæ à promouẽdo facienda erit; quam quidem ab eo dumtaxat recipiendam eſſe declaramus, ad quem inquiſitio pertinebit niſi forte qui profeſſionem emiſſurus eſt, à Prælato inquirente longe diſtet, tunc enim is Prælatus ex ſubdelegatione inquirentis, profeſſionem admittere debebit, cui promouendus vicinior erit; quod idem intelligatur de informatione de ſtatu Eccleſiæ accipienda, ſiquando contingeret, vt in alia Prouincia ſiue Regno eſſet Eccleſia in alio promouendus. Recipiet autem Prælatus profeſſionem promouendi, præſente Notario publico, ac teſtibus, atque eam à ſe admiſſam, ac receptam propriæ manus ſuſcriptione teſtabitur. Is quoque qui profeſſionem eiuſmodi fecerit, in eo loco vbi proprium nomen profitentis exprimi ſolet, nomen ſuum manu propria adſcriber. Denique his peractis. Notarius publico inſtrumento fidem faciet de profeſſione prædicta adhibitis teſtibus vt præfertur. Vbi vero totum examen ſeu inquiſitio de perſona promouenda perfecta fuerit, ea in inſtrumentum publicum redacta, cum toto teſtimonio ac profeſſione fidei emiſſa, ad hanc ſanctam Sedem, vt Concilium ſtatuit, quam primum clauſa & obſignata in forma authentica tranſmittenda erit. In qua re obſeruari volumus, vt profeſſio fidei ijſdem omnino verbis deſcripta ſit, quæ in ea forma continentur, quam felicis recordationis Pius Papa quartus prædeceſſor noſter ſtatuit obſeruandam; & vt Prælatus, qui inſtructionem, examen & inquiſitionem fecit, vel per literas ſeparatas ſimul tamen cum proceſſu mittendas, vel per ſubſcriptionem dicti proceſſus ſignificet, quanta fides teſtibus examinatis, eorumque dictis & ſcripturis productis ſuo iudicio habenda ſit, ſimul etiam quid de promouendo ipſe ſentiat.

Inquiſitionis proceſſus, à Card. Prioribus Ordinum in Curia, poſtea examinari præcipit.

§. 11. Proceſſus autem ſic formati, & ad Curiam tranſmiſſi, à Cardinale cui proponendi munus incumbet & à tribus Prioribus Ordinum Cardinalibus, vt moris eſt, iuxta formam Concilii prædicti ſubſcribentur & expedientur. Volumus autem, vt Cardinalis relator, moneat promouendum ſi præſens in Curia fuerit, vt iuxta Concilium Lateranen. nouiſſime celebratum, omnes Cardinales, ſiue maiorem partem Collegii adeat antequam Eccleſiam proponat, vt quæ à referente Collega ſint audituri, oculata fide quantum ad perſonam promouendi attinet, cognoſcere poſſint.

§. 12. Hæc

Digitized by Google

Eandemque inquisitionem fieri mandat, de promouendis ad Ecclesias, de quibus consistorialiter prouidetur cum certis declarationibus.

§. 12. Hæc porro omnia, quæ de promouendis ad Ecclesias Cathedrales dicta sunt, ad eos etiam pertinere, atque in eorum promotione seruanda esse declaramus & decernimus, qui nominati, præsentati, aut electi fuerint ad dignitates, Abbatiales, ac Prioratus, seu Præpositatus, Monasteriorum regimina, aut alias regularium cuiusuis Ordinis, aut etiam sæcularium præfecturas, ac quibus consistorialiter prouideri contigerit; atque eos præsertim, quibus præter curam & regimen Monachorum aut canonicorum clericorumque, regularium vel sæcularium, annexa est in populum iurisdictio spiritualis, vei temporalis; excepta tamen ætate circa quam nihil innouamus.

§. 13. Quo vero ad doctrinam, cum generalia Concilia non statuant vt personæ promouendæ ad regulares dignitates, Doctoratus sint licentiæ gradum suscipere, vel publicum testimonium ab Academia aliqua habere tenentur, & tamen æquum sit, vt ea doctrina polleant qua onus sibi imponendum sustinere valeant, declaramus & statuimus, vt Prælati qui inquirendi munus susceperint, studiose ac diligenter inquirant, super doctrina eiusmodi personarum, iuxta modum & formam superius præscriptam, vt nos & pro tempore futuri Romani Pontifices, habita de illis vera informatione per processum qui ab inquirente transmitteretur, certo statuere, ac iudicare possimus an persona promouenda vera sit talis qualem dignitas illa ad quam prouehenda est, exigit & requirit.

Ius præsentãdi vel eligendi habentes, pie hortatur ad idoneos præsentãdum & eligẽdum.

§. 14. Hortamur vero in visceribus Domini nostri Iesu Christi, ac paterna caritate monemus eos omnes, qui ab hac sancta Sede nominandi, præsentandi, vel etiam eligendi futuros Episcopus vel Abbates ius habent, vt serio apud se cogitent quanti momenti sit hoc negotium, ex quo salus animarum, tranquillitas Reipublicæ, incolumitas Religionis, propagatio fidei, aliaque permulta & maxima bona dependent. Illud etiam sæpe & sæpius ad mentem reuocent, quod sancta Tridentina Synodus admonet, nihil se ad Dei gloriam, & populoram salutem vtilius posse facere, quam si bonos pastores & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoueri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, non quidem precibus vel humano affectu aut ambientium cupiditatibus, sed eorum exigentibus meritis præsici diligenter curauerint. De nominandis vero, præsentandis, vel eligendis ad regulares dignitates præter ea quæ superius obseruanda esse declarauimus, illud quoque paternis his nostris hortationibus & monitionibus adijciendum censuimus, vt nominationis, præsentationis vel electionis ius habentes, eos diligere studeant, atque omnino conentur, qui non modo eumdem Ordinem sint ante professi, sed in eodem etiam satis diu laudabiliter versati; neque enim decet, vt Magistri aliorum esse incipiant, qui non fuerint ante discipuli, & subditis imperare præsumant, qui prius non didicerint Superioribus obedire.

Inquisitores prædictorum, ad diligenter exequendum monet.

§. 15. Eos denique qui vel examinando, & inquirendo, vel testimonium ferendo, operam suam in hac re præstabunt serio admonemus, vt ea fide ac diligentia in negocio tanti momenti versentur, vt à Deo & à nobis laudem pro bono opere expectare valeant.

Sanctio pœnalis.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prohibitionis, voluntatis, declarationis, decreti, statuti, hortationis, & monitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 1. die 15. Maij.

Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimoprimo, Idibus Maij, Pontificatus nostri Anno primo.

Statuitur, & decernitur ne Capucini possint vel debeant Laicorum & Clericorum confessiones, audire.

GREGORIVS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1591.

Exordium.

DEcet Seraphicam Religionem Sancti Francisci Ordinis Fratrum Minorum liberum Domino famulatum exhibere, & à sæcularium, quantum fieri potest conuersatione seiungi, vt ab humili humanæ actionis quasi solo ad arcem contemplationis remotis impedimentis ascendat, vbi in spiritu, & veritate facilius Dominum adoret. Oratio enim per solitudinem, quietius concipitur, & per meditationem altius extollitur & ita quòd fides credit, spes, & charitas tutius orat: Spiritualis verò anima duabus quasi alis in Cœlum elata ita etiam Deo arctius coniungitur, & cœlestis beatitudinis specimen in hac carne quodammodo degustat. Nos igitur ne optimam partem, quam dilecti filij Fratres Congregationis Capuccinorum Ordinis Minorum nuncupatorum elegerunt importuna sæcularium rerum administratio impediat, aut mundanarum occupationum cura distrahat prouidere pro nostra Pastorali solicitudine satagentes ad dicti ordinis etiam Constitutionum confirmationem Motu proprio & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine Hac nostra perpetuò valitura Constitutione statuimus, & decernimus nullum post hac Ordinis præfati Religiosum posse, vel debere in Laicorum vtriusque sexus, & Clericorum sæcularium quacumque dignitate, & præeminentia, atque auctoritate, & facultate suffulti sint, confessionibus occupari, vel confessiones eorum audire, etiam si ad id faciendum à superioribus Ordinis, aut Protectore, aut etiam à nobis, & ab ipsa Apostolica Sede quomodolibet, & sub quacumque verborum forma licentias hactenus obtinuerint, quas auctoritate præsentium reuocamus, cassamus, & annullamus. Decernentes nihilominus irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Causa huius const.

Ne Capucini possint vel debeant laicorũ, & clericorum confessiones audire.

Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem vt præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem, quæ præsentibus adhiberetur, fides adhibeatur.

Dat. Romæ in Monte Quirinali sub Annulo Piscatoris, die prima Iunij. 1591. Pontificatus nostri Anno primo.

D. P. A 1. die 1. Iunij.

M. Vestrius Barbianus.

De Immunitate Ecclesiarum, quibusdam exceptis casibus, inuiolabiliter obseruanda. VII.

Ad quod habes etiam dispositionem Concilij Tridentini sess. 25. cap. 20. & bullam 1. Ioan: XXII. Ex parte, *sup. vbi notaui.*

GREGORIVS EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D 1591.

CVm alias, nonnulli prædecessores nostri, & præsertim fel. recordat. Sixtus Papa IV. necnon Pius etiam V. sancto zelo ducti, diuersas facultates & indulta extrahendi, etiam in casibus quibusdam à iure non permissis, ex Ecclesijs criminosos & delinquentes, complucribus sæcularibus Principibus, eorumque Curijs & Magistratil us sub variis modis & formis concesserint, provt in illis plenius continetur.

Pius V. & Six V. certis casibus permisit extrahi ex Ecclesiis homines criminosos.

§. 1. Experientia postmodum docuit, tum diuersitatem & differentiam huiusmodi indultorum, tum quia plerique eorumdem Principum Ministri; ex hoc ipso illa diuersimode, etiam latius quam par erat, & ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisque abuti cœperũt, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis, libertatis & immunitatis Ecclesiasticæ perturbationem & confusionem; alibi vero ne ipsos quidem laicos indultis huiusmodi vti voluisse, aut potuisse quod populis, inueterata erga Ecclesias reuerentia, deuotis, & assuetis, scandali potius quam quietis occasionem præberent

Sed secularium Principum Ministri hac facultate abusi sunt & mala hic enarrata commiserunt.

Digitized by Google

præberent. Illud etiam absurdum sæpenumero secutum est, vt infimæ interdum conditionis laici, non modo iuris, sed etiam literarum penitus ignari & imperiti, dum quasi potestates, aut Ministri Curiæ sæcularis in aliquo Castro, aut Oppidulo iurisdictionē exercebant, facultatū & indultorum huiusmodi limites longe excesserint, eaq; suo arbitratu in sensus minus rectos, & ab intentione concedentis omnino alienos, detorserint, & illorum prætextu quicquid sibi in mentē venit attentare præsumpserint, in graue iurisdictionis & immunitatis Ecclesiasticæ præiudicium, locorum, & personarum diuino cultui dicatarum contemptum, pius diuinæ maiestatis offensam, & scandalum plurimorum. Quare pro commisso nobis à Domino Pastoralis officij munere, prædictis absurdis & scandalis obuiare, ac differentias huiusmodi ad vniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occasionem dilucida declaratione submouere, abusus tollere, & ne Ecclesiastica iura plane conculcentur & negligantur, opportune prouidere decreuimus, prout etiam dictus Sixtus prædecessor noster iisdem de causis motus statuere decreuerat, licet morte præuentus hoc adimplere nequiuerit; ita tamen, vt quando præsens temporum calamitas, & nimia, quæ iam inualuit peruersorum hominum malitia id exposcit, aliquid, etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda illorum facinora, vltra id quod prisca illa maiorum nostrorum disciplina, & vetus sacrorum canonum norma præscripserat in quibusdam casibus congrua moderatione adhibita, permittamus.

Hic itaque Pont. huiusmodi facultates reuocat, & immunitatem Ecclesiarum obseruari præcipit.

§. 2. Hac itaque nostra perpetuo valitura constitutione, omnia & quæcumque priuilegia, indulta, & gratias, tam per prædictum Sixtum ac Pium Quintum, quam alios quoscumque nostros prædecessores, aut nosmetipsos, Sedem Apostolicamque eiusue Legatos, super abducendis, vel extrahendis ab Ecclesiis Monasteriis, Sacellis, domibus, regularibus & sæcularibus locisus sacris aut Religiosis, aliasque in casibus à iure permissis hominibus certorum tunc expressorum vel non expressorum criminum reis aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odiū certorum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex causis vrgentissimis ac necessariis & æquipollentibus casibus in iure expressis, atque ex paritate, identitate, aut maioritate rationis extensis, perpetuo vel ad certum nondum elapsum tempus, seu ad vitam alicuius Principis, aut beneplacitum seu alias quomodoliber concessa, etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus, approbata, & innouata, ac vsu recepta, literasque Apost. sub plumbo, aut in forma Breuis seu alias quomodocumque desuper confectas, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis, ac ad verbum insertis, sublata penitus omni differentia, ita ad vnam tantum formam reducimus, & moderamus.

Certos tamen casus hic expressos excipit. in quibus laici delinquentes Curiæ sæculari remitti debent.

Quoad hæreticos habet etiam sup. XXII. cit. in mar.

§. 3. Vt laicis, ad Ecclesias, locaque sacra, & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas strratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut de populatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earumve Cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditorie proximum suum occiderint, aut assassinij vel hæresis, aut læsæ Maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Sed vniuersis & singulis veneralibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, ceterisque Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælatis, tam sæcularibus quam cuiusuis Ordinis Regularibus, districte præcipiendo mandamus, & præcipimus, vt laicos in casibus prædictis delinquentes, ad eorum Ecclesias, Monasteria, domos, & alia loca supradicta sacra, seu Religiosa respectiue confugientes, & in eis se recipientes atque morantes, qui prædicta delicta, eorumue aliquod, iudicio suo commisisse videbuntur, quando à Curia sæculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus. Ministris, & Officialibus Curiæ sæcularis absque irregularitatis nota, aut alicuius censuræ Ecclesiasticæ incursu, tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet & faciat.

Et Curia sæcularis absq; licentia Iudicis Ecclesiastici nullo pacto capias.

§. 4. Ne autem Curia sæcularis prædicta Ministri facultate illos per se & propria auctoritate extrahendi, & abducendi sibi olim, vt præfertur, attributa, & per præsentes reuocata, abutantur, Volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, vt Curia sæcularis eiusque Iudices & Officiales, ab Ecclesijs, Monasterijs, locisque sacris prædictis, laicum aliquem vt præfertur, delinquentem in nullo ex casibus supradictis sine expressa licentia Episcopi, vel eius Officialis, & cum interuentu personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis,, ad quos solos, & non alios, Episcopis inferiores, etiamsi alii Ordinarii sint, aut nullius Diœcesis, aut Conseruatores ab hac Sede specialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi, facultas pertineat. Occurrente autem casu in loco exempto, & nullius diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem deuoluatur hæc cognitio, & non ad alios, capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis superius expressis culpabiles, tradere, aut capturæ & carcerationi interuenire, & assistere recusauerint, tuncque reuerentiæ Ecclesiæ, & locis sacris debitæ memores, prædictos delinquentes, minori quo id fieri poterit cum scandalis & tumultu, extrahere curent.

Sed Ecclesiasticus prius videat an carceratus aliquod ex criminibus exceptis commiserit.

§. 5. Quodque delinquentes laici prædicti, postquam, vt præfertur ab Ecclesiis, locisve sacris extracti & capti fuetint, ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto & firmo carcere ac opportuna custodia, data illis, si opus fuerit, per Curiam sæcularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curiæque sæculari prædictæ consignari nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi vere crimina superius expressa commiserint; tuncque demum de mandato Episcopi per Iudicem Ecclesiasticum Curiæ sæculari, quacumque appellatione postposita, consignentur.

Criminis hæresis cognitio totaliter fit fori Ecclesiast.

§. 6. De crimine vero hæresis, cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat, neque in ea Curia, sæcularis se quoquomodo intromittat.

Et omnium personarum Regularium in omnibus casibus.

§. 7. Sicuti etiam prohibemus, ne contra Ecclesiasticas personas, sæculares aut cuiusuis Ordinis, vel Militiæ etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani regulares quoquomodo etiam vigore prædictorum priuilegiorum indultorum, aut concessionum quæ omnia ad terminos iuris per præsentes reducimus, procedant, aut se intromittant, illasve ab Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, locisque sacris, aut religiosis, etiam in casibus in hac constitutione expressis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, alias quam de iure, & per priuilegia eisdem Ordinibus aut militiis concessa permittitur, quomodolibet præsumant.

Contrauenientes pœnas hic enarratas incidant.

§. 8. Quod si quis quacumque dignitate & auctoritate præditus, præmissorum, aut alio quouis prætextu, quicquam præter aut contra huius nostræ cōstitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus eum ipso facto, censuras & pœnas easdem incurrere, quæ, contra libertatis, iuris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores per sacros Canones, & Conciliorum generalium, nostrorumque prædecessorumque constitutiones sunt promulgatæ.

Clausula sublata, &c.

§. 9. Sicque per quoscumque Iudices, ordinarios & delegatos etiam causatum Palatij Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, in quauis causa & instantia, iudicari, & definiri debere, necnon irritum decernimus & inane si secus super his, per quoscumque quauis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§. 10. Non obstantibus præmissis, tam Sixti, & Pij V. quam aliorum quorumcumque prædecessorum nostrorum literis Apostolicis, priuilegiis, indultis, & facultatibus, quibusuis personis etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quauis dignitate & auctoritate fulgentibus, aut Rebuspublicis, Dominiis, Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, Terris, & locis, eorumve Curijs, Parlamentis, Senatibus, Consilijs, Communitatibus, Vniuersitatibus, Collegijs, aut Præsidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicarijs, Potestatibus, aliisque Magistratibus,

Digitized by Google

Magistratibus,Officialibus,Ministris, aut Consiliariis, ex prædictis, vel aliis etiam grauioribus, & vrgentioribus causis; tam illorum intuitu & contemplatione, siue ad eorum preces,& instantiam, quam etiam Motu proprio, & ex certa scientia deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac per modum statuti & legis perpetuæ, etiam in vim contractus,& fratrum nostrorum consilio, sub quibuscumque tenoribus & formis, & cum quibusuis præseruatiuis,restitutiuis, mentis attestatiuis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque validissimis, efficacissimis,& insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiamsi inibi caueatur expresse, quod illis, nisi sub certis modis & formis, & nisi de expresso eorum consensu ad quorum fauorem concessæ fuerint, derogari possit,& aliter factæ derogationes nullius sint roboris vel momenti, & alias quomodolibet concessis etiam sæpius approbatis, & innouatis. Quæ omnia, & singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo aduersentur, aut plures quam superius expressos casus contineant, auctoritate & tenore præmissis omnino,ac perpetuo tollimus, & abrogamus, ac ad terminos præsentis Constitutionis,quoad superius descripta dumtaxat,reducimus: & nolumus cuiquam de cetero suffragari, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta effectus earum quomodolibet valeat impediri.

Publicationē huius constitutionis demandat.

§. 11. Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius deducantur, mandamus illas in valuis S. Ioannis Lateranen.& Principis Apostolorum,Basilicarum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ de more affigi, & publicari; earum exemplis inibi affixis & dimissis, ac post publicationem huiusmodi volumus & decernimus, vt omnes & singulos quos concernunt,& concernent in futurum, perinde arctent, & afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent. Earumdem vero præsentium transumptis, etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, eamdem fidem in iudicio, & extra illud vbique gentium & locorum haberi volumus, quæ eisdem originalibus literis haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctionē panalem adiicit.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ moderationis, præcepti, mandatorum, decretorum, reductionum,declarationum, prohibitionis, sublationis,abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat.P. An.1. 24. Maij.

Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimoprimo nono, Kal.Iunij, Pontificatus nostri Anno 1.

Publicatio.

Anno à natiuitate Domini 1591. indict. 4. die vero 28. mensis Maij, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIV. anno eius 1. retroscripta litera Apostolica affixa, & publicata fuerunt in valuis Basilicarum Principis Apostolorum de Vrbe, & S. Ioannis Lateranen. & necnon Cancellaria Apostolica, & acie Campi Florę, vt moris est, per nos Caterinum Menandi, & Nicolaum Druyn Curs.

Pompeius Guerra Mag.Curs.

VIII. Moderatio Constitutionis à Sixto V. editæ, contra Abortum quouis modo procurantes, & eorum complices.

Edita An. D. 1591.

GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Causa huius moderationis.

SEdes Apostolica pia mater assidue sentiens ponderis sibi incumbentis in procuranda salute animarum,pretioso Christi Domini sanguine redemptarum, grauitatem, & magnitudinem, in re tanti momenti, vt par est, magis in dies solicita, eumdemque optimum finem semper ante oculos propositum habēs,nihil vnquam intentatum prætermittit eorum, quæ ad fidelium animas in viam salutis dirigendas iudicat pertinere. Quare nemini mirum videri debet, si interdum quidem contumacium fidelium audaciam pœnarum seueritate deterret. Rursus eisdem, si ad cor redire velint, & peccati veniam humiliter exposcere, maternum aperit sinum, viamque ad pœnitentiam eis sternit faciliorem, ac mansuetudine congrua rigorem temperat, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

§.1. Dudum si quidem fel.rec.Sixtus Papa V. prædecessor noster, iustitiæ zelo accensus, contra procurantes abortum fœtus tam animati, quam inanimis, eiusque grauissimi sceleris participes & adiutores,necnon contra eos qui mulierum fœcunditatem impedirent, & sterilitatis potiones seu venena præberent, constitutionem edidit,sub dat.4. Kal.Nouembris, Pontificatus sui anno tertio, per quam vltra diuersas, spirituales & temporales pœnas, etiam inter alia excommunicationis sententiam contra eos promulgauit, sibique & successoribus suis tantum absoluendi facultatem reseruauit, prout in eadem constitutione plenius continetur.

Sixt V. contrà abortum procurantes edidit bullam quæ 87. est sup. effrenatam.

§.2. Cum igitur postmodum experientia docuerit,ex remedio huiusmodi, non quæ sperabatur, vtilitatem & fructum prouenisse, verum potius multis Satanæ malitia ad peccandum inductis, difficiliori obsoli Sedi Apostolicæ reseruatam absoluendi facultatem, reddito ad pœnitentiam aditu, eos à nefariis huiusmodi flagitiis perpetrandis non solum non retraxisse, sed etiam plurimorum sacrilegiorum, grauissimorumque peccatorum, & scelerum occasionem dedisse. Nos propterea animaduertentes, gladium Ecclesiasticæ disciplinæ, præsertim quoad censuras & pœnas spirituales, ita exerendum esse, vt ad medicinam tendat, non ad perniciem animarum,æternumque Pastorem,cuius vices in terris gerimus, quantum (diuina eius gratia adiutrice) possumus, imitari volentes, qui venit animas hominum saluare non perdere, neminique quantumcumque grauiter, & enormiter deliquerit, viam salutis præclusit, quin potius ad eam assequendam copiosa remedia adhibuit, ac nobis reliquit, & simul vtilius censentes, vbi nec de homicidio, nec de animato fœtu agitur, pœnas non imponere duriores iis, quæ per sacros Canones, & leges prophanas sunt inflictæ,habita super hoc cum Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, super negociis & consultationibus Episcoporum deputatis, matura deliberatione, de eorum consilio, constitutionem prædictam sic duximus moderandam, vt à peccato, & excommunicatione contra personas ibi expressas lata,tā quoad eos qui hactenus deliquerunt, quam quoad illos qui post nostram constitutionem in eisdem casibus deliquerint, quilibet presbyter,tam sæcularis,quam cuiusuis Ordinis regularis ad Christifidelium confessiones audiendas, & ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputatus, plenam & liberam in foro conscientiæ tantum, absoluendi habeat facultatem, eamdem prorsus quam idem Sixtus prædecessor, sibi ac suis successoribus reseruauit.

Quam hic Pont.moderātur quoad reseruationem absolutionis ab excommunicatione.

§. 3. Quo vero ad pœnas procurantium abortum fœtus inanimis,aut exhibentium mulieribus,vel sumentium venena, sterilitatis, aut quocumque modo auxilium,vel consilium eis dantiū,in prædicta constitutione contentas constitutionem præfatam,in ea parte vbi de his agit, ad terminos iuris communis, ac sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini dispositionem, auctoritate Apostolica tenore præsentium, tam quo ad præterita, quam quoad futura, perpetuo reducimus, perinde ac si eadem constitutio in huiusmodi parte numquam emanasset.

Clausula derogatoria.

§. 4. Non obstantibus eadem prædecessoris nostri constitutione, quam quoad reliqua omnia, præter contenta in hac nostra constitutione in suo robore omnino permanere volumus, ceteriſque contrariis quibuscumque.

Exemplorum fides.

§. 5. Volumus autem, vt præsentium transumptis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo Prælati Ecclesiastici munitis eadem prorsus fides habeatur, in iudicio & extra illud, quæ eisdem originalibus haberetur exhibitis vel ostensis.

Sanctio panalis.

§.6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum moderationis, reductionis, & voluntatum

Digitized by Google

tum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 1. 11. Maij. Datum Romæ in Monte Quirinali, anno Incarnationis Dominicæ, 1591. prid. Kal. Iun. Pontific. nostri anno 1.

IX. Concessio vsus bireti rubri, S.R.E. Cardinalibus, ex Ordinibus Regularium assumptis.

Edita An. D. 1591. *De materia Cardinalium, satis dixi ad const. 50. Six. V. sup.* Postquam. *ibi videas.*

Hic Pont. vsu Cardinalitio auditis. SAnctissimus D.N.D. Gregorius Papa XIV. vocauit ad Sedem, Dominos Cardinales, eisque proposuit, de concedendo vsu rubri bireti, DD. Cardinalibus ex Ordinibus regularium assumptis, & sententias eorum audiuit, die 26. Aprilis 1591. Romæ apud S. Petrum in Consistorio secreto.

Vsum bireti rubri Cardinalibus ex Ordinibus Regularium assumptis concessit. §. 1. Postea die Dominico 9. Iunij festo Sanctissimæ Trinitatis, Sanctissimus D.N. Romæ in ædibus Hortorum Quirinalium, antequam descenderet ad SS. Apostolorum proximam Basilicam, ad Capellam celebrandam, dedit rubra bireta infrascriptis DD. Cardinalibus ex Ordinibus regularium, quæ perpetuo deferrent more aliorum, habitu in ceteris nihil immutato. Cardinales hi fuere.

Nomina Cardinalium qui d. biretum tunc receperunt.
Frater Michaël Alexandrinus.)Ambo ex Or-
Frater Hieronymus Asculanus.)dine Prædicat.
Frater Constantius Sarnanus, ex Ordine Minorum Conuentualium.
Frater Gregorius de Montelparo nuncupatus, ex Ordine Eremitarum S. Augustini.

Approbatio quarta instituti & Religionis Clericorum Regularium Societatis Iesu, cum aliquarum impugnationum reiectione.

Hanc Religionem primo approbauit Paul. III. vt sup. in eius constit. 25. Regimini. *vbi etiam cetera plene adnotaui, ibi videas.*

Edita An. D. 1591. GREGORIVS EPISCOPVS *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Præamium. ECclesiæ Catholicæ, cui Deo auctore præsumus, decoraque vtilitas postulat, vt cum in omnibus illius, membris fouendis atque ornandis, assidue nobis laborandum sit: in illa tamen præcipuam vigilantiæ nostræ partem impendere debeamus, quæ non modo ipsa per se, robur, ac pulchritudinem corpori huic mystico afferunt; sed ceteras etiam eiusdem partes vel disruptas consolidare, vel integras custodire, vel fœdatas eluere, atque etiam ornare valeant. Inter hæc autem quem locum obtineant Religiosi Ordines, præsertim vero qui proximorum vtilitati deseruiunt, non obscure perspicimus, cum & superiora tempora, & præsentia diligenter attendimus.

Societati commendatur. §. 1. In his vero Religio Societatis Iesu, quam nouissimis hisce diebus diuina prouidentia excitauit, adeo strenue laborauit, ac sine intermissione laborat, vt illius vel turbationem, & infirmitatem, ad commune Ecclesiæ damnum; vel pacem atque integritatem, ad eiusdem vtilitatem maxime pertinere putemus. Et quoniam neque tranquillitati, neque firmitati huiusmodi Ordinum prospectum esse poterit, nisi eorum instituta firmiter inconcussa seruentur, iisdemque modis feliciter progrediantur & crescant, quibus à Fundatoribus, Domino inspirante, atque hac sancta Sede approbante, primum fundati sunt, necessarium duximus, ea quæ ab Ignatio, huius Ordinis Fundatore, ordinata, & à prædecessoribus nostris Roman. Pontific. circa eiusdem Societatis Institutum sancita sunt, Apostolicæ firmitatis munimine denuo roborare.

Paul. 3 Iul. 3. & Gregor. 13. Societatis institutum approbarunt, vt notaui in d. const. Pauli cit. in rubr.

§. 2. Quamuis enim præfatæ Societatis Institutum iam inde ab eius primordiis fuerit per fel. re. Paulum III. & Iulium etiam III. Romanos Pontifices prædecessores nostros approbatum; & à fel. rec. Gregor. XIII. etiam prædecessore nostro primo per eius quasdam litteras sub Dat. Kal. Febr. Pont. eius anno vndecimo: Deinde copiosius per Constitutionem, quæ incipit, Ascendente Domino, confirmatum; Nihilominus tamen non idcirco defuerunt, qui adhuc sub zeli, & boni specie, aliqua ex iis quæ in dictis Pontificiis approbationibus & confirmationibus continentur, & alia etiam quæ ad institutum, & rationem gubernandi dictæ Societatis pertinent, variis modis impugnare.

Illud tamen nonnulli improbarũt multo modo hic relatis.

§. 3. Quin etiam apud piæ mem. Sixtum Papam V. prædecessorem item nostrum oblatis libellis, & variis excogitatis modis traducere & calumniari, atque vt ea quæ consultissime sancita erant infringerentur, conari veriti non fuerint. Instantes scilicet, vt res & negocia Societatis non per Superiores, vt hactenus iuxta illius Constitutiones, Apostolica diplomata factum est, sed per Capitula, seu Congregationes definiantur. Vt electiones tam Prouincialium quam Superiorum localium non à Præposito Generali iuxta huiusmodi Constitutiones ac diplomata, sed in Capitulis eisdem fiant. Vt nouitij in Societatem & ad vota Scholasticorum, peracto biennio Nouitiatus in Capitulis eisdem admittantur. Vt professioni certum ac præfixum tempus statuatur, quo exacto, per suffragia Congregationis Religiosi huiusmodi ad professionem admittantur. Vt qui iuxta Institutum ac formulam ipsam vororum, qua vouerunt, sanctæque huius Sedis approbationem à Societate dimittuntur nonnisi ordinarij iudicij forma seruata dimittantur. Illa etiam in controuersiam & examen eodem tempore adducta fuere, nempe, Nomen ipsum Societatis IESV quod non esset ita deinceps vocanda. Religiosos non professos non debere ad sacros ordines promoueri. Huiusmodi Religiosos non esse prohibendos, quin ad alios Regulares Ordines transire; similiter nec laicos, vt ad Sacerdotium, nec alios non professos, vt ad professionem, aut ad gradus mutationem aspirare possint. Facultatem præterea, eos qui professi non sunt, dimittendi non probari. Quibus & huiusmodi aliis nouis impugnantium inuentis si aditus pateret, vniuersa Societatis structura labefactaretur, atque conuelleretur.

Hic idem Pont. impugnationes reiicit multis rationibus hic exhibendis.

§. 4. Nos igitur huiusmodi impugnationibus diligenter consideratis, & perpenso circa reliqua, quæ in controuersiam & examen deducta fuerant nonnullorum Venerabilium fratrum nostrorum S.E.R. Cardinalium iudicio, qui ex mandato eiusdem Sixti prædecessoris, illa accurate discusserant, & examinauerant. Simul etiã perpendentes, primum quidem quod modus ille, res & negocia per Capitula definiendi, optimum Societatis Ordinem, ac vniuersam gubernandi rationem prorsus euerteret. Illam enim Ignatius Fundator quamuis Superiorum consilium, prudentiamque ac rerum experientiam adiuuare, & promouere curauerit, adhibitis scilicet tam Generali Præposito, quam singulis aliis Superioribus, tum Prouincialibus tum localibus suis, ex selectioribus, Consiliariis, atque Admonitoribus, monarchicam tamen & in definitionibus, vnius Superioris arbitrio contentam esse decreuit. Deinde quod ratio Capitularium electionum maxima ipsi Societati afferret incommoda. In qua licet electiones quædam primariæ, cuiusmodi sunt Generalis Præpositi, ac illius Assistentium & Admonitoris, in generalibus Congregationibus, in Prouincialibus vero tam eorum qui Generalem Præpositum eligere, vel generali ipsi Congregationi cum iure suffragij interesse, quam Procuratorum etiam, qui è singulis Prouinciis quolibet triennio in Vrbem ad Procuratorum Congregationem mittuntur, & eiusmodi quædam aliæ electiones per secreta scrutinia, & decisiua suffragia fiant. In reliquis nihilominus proprij cuiusque gradus iudicium, & officiorum discretio ac distributio, iuxta Constitutiones easdem & Apostolica diplomata ipsius instituti confirmatoria, prædictorum Pauli Tertij ac Iulij etiam Tertij prædecessorum nostrorum, tota est in ipsius Præpositi Generalis manu. Quam Præpositi Generalis, ac reliquorum illi subordinatorum Superiorum auctoritatem nonnulli impugnatores

Digitized by Google

tores multis modis contrahere, ac eneruare tentarunt. Denique quod in ipsorum dimissionibus, qui iuxta formulam Votorum simplicium in constitutionibus expressam vouerunt, quoſque in Societate retinere non expedit, nec contractus vitioſe claudicet, nec vlla alia interueniat iniustitia. Considerantes insuper, quod in regularis disciplinæ, ac spiritualis perfectionis non exiguum detrimentum, totiusque Ordinis perturbationem maximam, atque perniciem vergeret, si ea quæ à Fundatoribus sancte statuta sunt, atque ab vniuerso Ordine sæpius in illius generalibus Cõgregationibus recepta & approbata, & quod præcipuum est, ab hac sancta Sede sancita & confirmata sunt, non solum mutari, sed quocumque prætextu impugnari ac labefactari contingat. Omni nostro studio curandum esse duximus eiusmodi nouitatibus, ac temerariis impugnantium præsumptionibus omnem aditum præcludere, ac Societatis indemnitati prospicere, vt hac ratione Societas ipsa nostro & Apostolicæ Sedis præsidio munita, atque in sui instituti puritate, & Regularis disciplinæ integritate, quiete ac pace conseruata, vberiores in dies fructus in agro Domini pergat ipso Domino adiuuante, alacriter & absque impedimento proferre.

Dictumque Institutũ, & Societatis priuilegia omnia approbat.

§. 5. Motu igitur proprio, & ex certa scientia nostra deque Apostolicæ potestatis plenitudine, laudabile ipsius Societatis Institutum, Constitutionesque omnes ac statuta, & decreta, & quæ illud concernunt præmissa omnia & singula, prædictaque ac quæcumque alia eius priuilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias & indulta à prædictis seu etiam ab aliis prædecessoribus nostris etiam per communicationem concessa, qualiacumque illa, acsi ad verbum præsentibus inserentur, pro expressis habentes, tenore præsentium approbamus & confirmamus; supplentes omnes iuris ac facti defectus siqui interueneruntin eisdem.

Et de nouo statuit quod,

§. 6. Et nihilominus hac nostra perpetuo valitura constitutione, motu, scientia & potestatis plenitudine similibus statuimus & decernimus & ordinamus.

In Congregationibus procedatur, iuxta constitutiones, & decreta.

§. 7. Vt in Societatis prædictæ Congregationibus quibuscumque eo prorsus modo procedatur, atque ea tantum tractentur & definiantur, quæ in Constitutionibus ac Congregationum generalium decretis statutum iam est, vel in posterum statuetur, vt in eisdem Congregationibus tractentur & definiantur.

Superiorum electio tota sit penes Præpositum.

§. 8. Electio vero Superiorum, tam Prouincialium & Visitatorum, quam quorumcumque localium, tota sit penes Præpositum Generalem iuxta Constitutiones easdem, prout penes ipsum esse & conseruari districte præcipimus, cum potestate illorum facultatem reuocandi, restringendi, & etiam augendi, ac administrationis rationem ab illis exigendi, & eosdem ab officio remouendi, prout in Domino iudicauerit expedire.

Nouitii ad Societatem & ad Scholasticorũ vota per Superiores admittantur.

§. 9. Nouitios etiam tam in eorum admissione ad Societatem, quam ad Scholasticorum vota, post biennium Nouitiatus iuxta Societatis morem, per Superiores admittendos esse.

Graduum discretio, ac in Coadiutores formatos & professos promotio sit in manu Præpositi generalis

§. 10. Graduum etiam discretio & iudicium, ac Coadiutorum tam spiritualium quam temporalium simulque & Professorum promotio, iuxta huiusmodi Constitutiones similiter sit in manu Præpositi Generalis.

Tempus promotionis ad eiusmodi gradus quod sit.

§. 11. Tempus autem promotionis ad huiusmodi gradus, nullo modo volumus certum seu determinatum esse, sed Constitutiones ac diplomata prædicta hac etiam in parte omnino obseruari volumus & mandamus; quæ statuunt, selectos tantum spiritus, & doctrinæ viros, & multum diuque exercitatos, ac in variis probationibus virtutis, & abnegationis sui ipsorũ, cum omnium ædificatione & satisfactione satis cognitos, ad Professionem esse admittendos, & denique nonnisi cum Societati vel eius Præposito Generali fuerit ab eis plene in Domino satisfactum.

Omnis auctoritas omnesq. facultates Præposito concessæ, inuiolatæ conseruentur ex causis hic expressis.

§. 12. Omnis vero auctoritas, omnes denique facultates prædictæ Societatis, Constitutiones & Apostolica diplomata Præposito Generali concessæ, tam in iis quæ ipse per se exercere debet, quam in communicatione Prouincialibus & Visitatoribus, ac aliis quibuscumque Superioribus per ipsum facienda, integre & inuiolate conseruentur; quoniam vt ratio ipsa docet, & Ignatius Fundator prudenter animaduertit, ad hoc vt Societas bene gubernetur, valde expedit vt Præpositus Generalis omnem habeat in ea auctoritatem ad ædificationem, ea qua præter ceteraquamplurima, illud sequetur commodi, vt vniuersus Ordo ad monarchicam gubernationem compositus maxime seruetur vnitus, ipsiusque membra per vniuersum Orbem dispersa, per omnimodam hanc subordinationem suo capiti colligata, promptius atque facilius à summo capite Christi in Terris Vicario, ad varias functiones iuxta eorum peculiarem vocationem, ac speciale votum dirigi, atque moueri possit.

Forma iudiciaria in remissionibus non seruatur; sed forma constitutionum.

§. 13. Quod vero attinet ad dimissionem, Declaramus formam iudiciariam adhibendam non esse, sed modum in Constitutionibus præscriptum, & hactenus in ipsa Societate seruatum de cetero seruari volumus; nempe vt etiam sine aliquo processu, tela, aut ordine iudiciario, ac nullis terminis etiam substantialibus seruatis, sola facti veritate inspecta, culpæ vel rationabilis causæ tantum ratione habita, ac personarum aliarumque circumstantiarum, quarum consideratione sit cum charitate & prudentia coniuncta, procedi possit, auctoritate prædicta declaramus & decernimus.

Omnes facultates ad correctionem & punitionem alijs Ordinibus concessæ Societati eiusque Præposito concessæ sint.

§. 14. Quin etiam omnes facultates, omnemque iurisdictionem, quod ad subditorum correctionem & punitionem pertinet, quibuscumque Ordinibus eorumque Generalibus hactenus concessas, non ad instar, sed æque principaliter ipsi Societati, eiusque Præposito Generali concedimus & elargimur. Quo vero ad reliqua quæ in controuersiam vocata erant, sic statuimus.

Nomen Societatis Iesu retinendum.

§. 15. Nomen Societatis Iesv, quo laudabilis hic Ordo nascens à Sede Apostolica nominatus est, & hactenus insignitus, perpetuis futuris temporibus in ea retinendum esse.

Societatis Religiosi emissis votis simplicibus, ad sacros ordines promoueri possint. Et ad nullum Ordinem (Carthusiensiũ excepto) eis transire liceat.

§. 16. Ac Religiosos huiusmodi post emissa vota, etsi simplicia, ad sacros etiam presbyteratus ordines iuxta Summorum Pontificum concessiones promoueri posse.

§. 17. Eisdemque, emissis huiusmodi votis ad quemuis alium Ordinem Mendicantium vel non Mendicantium (Carthusiensium dumtaxat excepto) transire minime licere.

Ad Sacerdotium, vel ad Professionẽ aut cuiusuis gradus mutationẽ aspirare non debeant.

§. 18. Laicos vel alios non Sacerdotes, ad Sacerdotium, vel eosdem aut qui Sacerdotes sunt, ad professionem, aut cuiusuis alterius gradus mutationem aspirare non debere.

Potestas dimittendi tamquam res magni momenti ad Societatis conseruationem, omnino retineatur.

§. 19. Potestatem quoque à Societate dimittendi quosuis non professos, ab hac Sede Apostolica sæpius approbatam, eosque ab omni obligatione votorum iuxta Constitutiones & diplomata huiusmodi emissorum, per dimissionem ipsam, per quam vota prædicta cessant liberandi, tamquam rem magni momenti ad Societatis puritatem & conseruationem retinendam, omnino ratam, intactam & illibatam esse volumus.

Perturbatorũ audacia coerceatur.

§. 20. Et vt perturbatorum & contradicentium audacia coerceatur, ac nec ipsi vel pernicioso eorum exemplo alij in posterum quæ ab hac Apostolica Sede semel stabilita sunt, præcipue circa Regularium Ordinum institutionem & confirmationem, in quibus alioquin ad eamdem Sedem tantum manus apponere spectat, impugnare aut eneruare impune præsumant aut vllo modo valeant. Præcipimus in virtute sanctæ Obedientiæ vniuersis & singulis personis, tam sæcularibus quam quorumuis Ordinum regularibus, cuiuscumque status, gradus & præeminentiæ existant, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, aut alia maiori ecclesiastica dignitate seu Cardinalatus honore vel mundana quauis auctoritate, seu excellentia præfulgeant, ipsis vero Regularibus etiam dictæ Societatis Religiosis sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, necnon inhabilitatis ad quæuis officia & dignitates, vocisque tam actiuæ quam passiuæ priuationis, eo ipso atque alia declaratione incurrendis, quarum absolutionem Nobis ac Successoribus nostris dumtaxat reseruamus, ne dictæ Societatis Institutum.

Constitutiones Societatis non immutentur.

§. 21. Constitutiones aut decreta, vel ex eis quidpiam aut ex præmissis omnibus articulum quemlibet, vel aliud quid supradicta concernens maioris boni, aut zeli seu quouis alio quæsito colore aut prætextu directe vel indirecte impugnare, vel immutari, alterari aut formam aliam

Digitized by Google

seu rationem circa ea induci curare, aut contra vel præter ea seu quæuis alia ipsius instituti substantialia agere vel quidpiam vlli alij, præterquam Nobis aut Romano Pontifici pro tempore existenti, idque immediate vel per nostrum aut Sedis Apostolicæ Legatum seu Nuncium vel ipsius Societatis generali, Congregationi, aut præposito generali addendum minuendum aut immutandum siue alterâdũ proponere quoquomodo audeãt vel præsumãt.

Innouantur pœna const. sel. re. Greg 13 omniaque in ea contenta confirmantur.

§. 22. Pœnas denique omnes in Gregorij XIII. prædecessoris prædicti Constitutione, Ascendente Domino, contentas, ac Constitutionem eamdem cum omnibus & singulis in ea contentis, acsi ea omnia ad verbum præsentibus insererentur, per præsentes approbamus & innouamus.

Præsentes de subreptionis vitio notari non possint.

§. 23. Decernentes præmissa omnia & singula, necnon præsentes ac in eis contenta quæcumque, nullo vmquam tempore, etiam ex eo quod interesse forsan habentes ad id vocati non fuerint, vel alio quocumque prætextu, & ex quauis causa quantumuis vrgenti, legitima, & rationabili, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ vel alio quouis defectu notari, impugnari, inualidari, retractari, annullari, reuocari, ad viam iuris reduci, in dubium vel controuersiam reuocari, aut aduersus illa quocumque iuris, facti, vel gratiæ remedium impetrari posse vel debere.

Nec sub quibusuis reuocationibus comprehendantur.

§. 24. Nec sub quibusuis similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed ab illis semper excepta, & quoties emanabunt, toties in pristinum & eum in quo antea quomodolibet erant, statum restituta, reposita & plenarie reintegra, ac de nouo etiam sub Dat. per Societatem illisque Præpositum Generalem, & alios Superiores prædictos quandocumque eligendos, de nouo concessa, ac etiam confirmata, & approbata, validaque, efficacia, & illibata, etiam absque eo quod desuper à dicta Sede illorum vlterior restitutio, reualidatio, confirmatio seu noua concessio impetranda sit, fore & esse, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac easdem præsentes literas ad probandum plene omnia & singula præmissa sufficere, nec ad id alterius probationis adiminiculum requiri.

Et ita iudicari debeat.

§. 25. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices, & Commissarios, etiam causarum palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Card. etiam de latere Legatos, in quauis causa & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Necnon irritum & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Ordinarij curẽt obseruantiam hic mãdatorum.

§. 26. Mandantes vniuersis, & singulis Patriarchis Archiepiscopis, Episcopis, ac ceteris Ecclesiarum, & locorum etiam Regularium Prælatis per vniuersum Orbem constitutis, vt præsentes literas in suis quisque Ecclesijs Prouinciis, Ciuitatibus, Diœcesibus, & iurisdictionibus ab omnibus inuiolate obseruari curent. Quin etiam præpositum, ac personas Societatis huiusmodi defendant, eosque præmissis omnibus, & pacifice frui faciant, & gaudere, non permittentes ipsos per quoscumque quomodolibet molestari. Contradictores per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris, & facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, inuocato ad hoc etiam si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Quibuscumq. non obstantibus.

§. 27. Non obstantibus tam ipsius Sixti prædecessoris super modo, & forma admittendi Nouitios ad Religionem, quam aliis quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis aut decretis per eumdem, vel quoslibet alios prædecessores nostros, etiam viuæ vocis oraculo, aut alias quomodolibet editis, ac etiam aliorum Ordinum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibuscumque huiusmodi Ordinibus, Vniuersitatibus, locis aut personis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & cum quibusuis irritatoriis, annullatiuis, cessatiuis, reuocatiuis, modificatiuis, præseruatiuis, exceptiuis, declaratiuis, mentis attestatiuis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere vel in specie, ac alias quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, confirmatis, innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi in eis caueatur expresse, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo, & forma in illis expressis derogari possit, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa mentio habenda, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem Sede sit indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Præsens concessis aliis non communicatur.

§. 28. Præsentis autem constitutionis, & gratiæ communicationem, omnibus aliis qui sua priuilegia cum ipsa Societate copiose participant, participareque poterunt quomodolibet in futurũ, fieri omnino prohibemus.

Transumptis fides datur.

§. 29. Ceterum volumus, vt præsentium transumptis etiam impressis, manu Secretarij dictæ Societatis vel Notarij publici subscriptis, & sigillo præpositi Generalis eiusdem Societatis, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem omnino fides habeatur in iudicio & extra illud, quæ literis ipsis originalibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An. 3. 28. Iunij.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1591. quarto Kal. Iulij, Pontif. nostri anno 1.

XI. Quod nec Fratres Reformati Fratrum Minorum Conuentualium S. Francisci, neque alij Religiosi, Capucium & habitum Capucinorum, vel alium ei consimilem deferre possint.

Capucinorum institutionem, & alia eos concernentia, notaui supra ad const. 21. Clemen. VII. Religionis. *Et ibi etiam de toto Ordine Fratrum Minorum remissiue dixi.*

Hanc const. innouauit, & declaratiuit Greg. XV. Constitut. 15. *Ex iniuncto*, inf. tom. 4.

GREGORIVS PAPA XIV. *Ad perpetuam rei memoriam.*

Edita An. D. 1591.

Franciscana Religionis cõmendatio.

BEati Francisci Confessoris Sodalitas ab vno fundatore instituta, & ad eumdem Dei finem Ordinata, vtriusque Seraphicæ Religionis nomine nuncupata, in plures Sodalitates, & membra, Apostolica permissione diuiditur, & quasi circumamicta varietate, prout pietas diuersimode suadet, corde vno, & anima vna Deum colit, & instar agri Dominici varios atque vberes fructus quotidie profert, & distinctiores, & abundantiores, vt confidimus, in dies proferre non cessat.

Paulus III. habitum Capuccinorum, ceteris aliis vetuit sup. in eius const. 11. Exponi.

§. 1. Sane cum ad aures nostras peruenerit, alias fel. rec. Paulum Papam III. prædecessorem nostrum inter alia per suas in forma Breuis literas, quibuslibet personis, cuiuscumque conditionis existerent, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna eo ipso incurrenda, ne habitum per Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum gestari solitum nisi in eadem Congregatione essent, & sub moderni, & pro tempore existentis Generalis eiusdem Ordinis obedientia, & cura permanerent, gestare quoquomodo præsumerent, districtius inhibuisse.

Pius IV. consimilem habitũ pariter prohibuit, die 2. Aprilis 1560 in sua bulla quam prætermisi vt plene hic relatam.

§. 2. Et piæ memoriæ Pium Papam IV. etiam prædecessorem nostrum, litteras eiusdem Pauli prædecessoris confirmando, insuper non solum ne habitum prædictũ, iuxta literarum ipsius Pauli prædecessoris huiusmodi tenorem, verum etiam, nec ita consimilem, quod propter cum

Digitized by Google

eum possent uredi Fratres Congregationis Cappuccinorum gestare deberent, sub eadem excommunicationis pœna eo ipso incurrenda, prohibuisset.

Gregorius XIII. consimilem habitum Fratribus Tertij Ordinis prohibuit die 29. Octob. 1581. sed eius bullam ex ratione prædicta non posuit.

§. 3. Et similiter fel. rec. Gregorium Papam XIII. etiam prædecessorem nostrum, literas prædecessorum huiusmodi, & in eis contenta quæcumque pro expressis habendo, & innouando, Motu proprio, & ex certa eius scientia, eosdem Fratres, qui Tertiarij ex Ordine Conuentualium dicuntur, non solum Capucium rotundum, sed etiam habitum coloris Berettini, seu Subcinericij ad instar Fratrum eorumdem Conuentualium, deferre deberent, ita vt à Fratribus Capucinis facile discerneretentur, sub eisdem Pauli III. & Pij IV. pœnis post sex menses ipso facto incurrendis statuisse, & ordinasse.

Hic modo Pōt. Fratribus Cōuētualibus Reformatis d. prohibitionem innouat, & illorū habitum designat.

§. 4. Verum quia iidem Fratres, qui Reformati Conuentualium dicuntur, ita consimiles eisdem Fratribus Capuccinis incedere præsumunt, vt passim à populo pro Capuccinis habeantur acillis tamquam Capuccinis, eleemosynæ, & oblationes conferuntur, non sine graui plebis offensione & scandalo, dum reputantur Capuccini esse. Idcirco rationabile existimantes, vt qui ex instituto regulæ, atque in vitæ regularis obseruantia vniformes non sunt, etiam habitus distinctioue dignoscantur, vtque prædecessorum huiusmodi litetarum contemptus, & contumacia, seuerioris disciplinæ cerssuram inueniat ad euitandas etiam confusiones, & contentiones, quæ exinde oriri possent, hac nostra perpetuo valitura constitutione, singulas prædecessorum huiusmodi literas, & in eis contenta quæcumque pro expressis habentes, & harum serie approbantes, & confirmantes, atque etiam innouantes, Motu etiam simili, & ex certa scientia nostra statuimus, & ordinamus, quod ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus, huiusmodi Fratres Reformati non solum in Vrbe, sed etiam vbique locorum per vniuersum Orbem existentes, vt vere & realiter à Cappucinis distinguantur, & dignoscantur, præter Capucium penitus rotundum, & colorem Berettinū vel Subcinericium, vt præmissum est, etiam mantellum longius ad Conuentualium longitudinem deferre, & mozettam latam & longam non sub mantello, sed supra gestare teneantur.

Receptionemque Capuccinorum eisdem Reformatis interdicit.

§. 5. Insuper strictiori Capuccinorum prædictorum vitæ consulentes, nec ab eisdem Reformatis ipsi Capuccini admitti, vel recipi possint sub eadem excommunicationis sentētia ipso facto tā ab ipsis Capuccinis receptis, quam Reformatis recipientibus incurrenda, interdicimus & prohibemus. Et nihilominus actum ipsum receptionis, & transitus tamquam indebite factum ex nunc prout ex tunc irritum, & penitus nullum esse decernimus & declaramus.

Hoc idem interdixit Fratribus Minimis Pius V. in const 45. Sedis.

§. 6. Et quoniam similiter accepimus nonnullos alios, qui sub eremitarum vocabulo nominantur, vagos aut profugos, ac Acephalos sub nullius obedientia degentes, nec Episcoporum iurisdictioni se subiicientes, sine aliqua licentia, vel loci assignatione, non sine graui fidelium scandalo huc illucque vagari, eorumdem Fratrū Capuccinorum habitum vel adeo consimilem gestantes, vt facile pro Capuccinis reputentur, Motu pari, eosdem Eremitas sine litteris dimissorijs alicuius Superioris Ordinis approbati, de cuius gremio sint, vel Episcopi loci illius vbi degunt, vagari, aut ex propriis locis discedere nō posse, & inprimis ab habitu Capuccinorum eiusdem saltem, vel aliis notioribus differentiis distingui, & dignosci debere omnino præcipimus, & iubemus.

Habitum Capuccinorum ceteris omnibus iterato prohibet.

Inobedientes coerceri mādat.

§. 7. Mandantes propterea vniuersis, & singulis Fratribus Reformatis prædictis, eorumque Superioribus, ac ipsis Eremitis acephalis, & sine obedientia itinerantibus præter pœnas per prædecessores prædictos inflictas, in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque grauioribus pœnis arbitrio nostro imponendis, vt præmissa omnia & singula, omni excusatione & tergiuersatione postposita, infra sex mensium spatium à data præsentium computandum, statim adimpleant, & exequantur. Quod si facere distulerint vel neglexerint, eos per Almæ Vrbis Vicarium nostrum hic in Vrbe, eiusque districtu, ac per locorum Ordinarios, vbi Fratres prædicti reperiantur, per carcerationem, aliaque opportuna iuris & facti remedia prout contumacia cuiusque exegerit cogi, & compelli posse ac debere volumus, & iubemus. Et nihilominus irritum, & inane decernimus, quicquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumq. non obstan.

§. 8. Non obstantibus quatenus opus sit, regula nostra de iure quæsito non tollendo, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & vtrarumque regularum siue Ordinum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, regulis, & institutis, priuilegiis quoque indultis, & litteris Apost. Fratribus, & Eremitis prædictis, eorumque Superioribus, & personis, in genere vel in specie quomodolibet concessis, confirmatis & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceteriſque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 9. Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis, manu publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides vbique, in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ in Monte Quirinali sub Annulo Piscatoris die 6. Iulij, Pont. nostri anno 1. *D. P. A. 1. die 6. Iulij.*

XII.

Iurisdictio S. R. E. Cardinalis Protectoris, & Iudicis causarum, interesse monasterij Monialium S. Marthæ de Vrbe tangentium.

Hoc Monasterium seu potius domus erat probationis dudum & refrigerij, mulierum vitæ culpabilis, vt innuptæ Moniales fierent, vel matrimonio copularentur, nuptæ vero propriis viris restituerentur. Sed hoc pium opus, ad Monasterium Domus Pie uuncupatum, olim translatum fuit, vt videre est sup. in Gregorij XIII. constitut. 52. Cupientes. *Hoc autem Monasterium, Virgines tantum hodie recipit, & valde floret.*

GREGORIVS PAPA XIV. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D 1591.

Exordium.

SAlubrem Monasteriorum omnium præsertim Vrbis nostræ de quibus peculiarem curam habemus, statum desiderantes non modo quæ illis concessa sunt libenter confirmamus, & approbamus, verum etiam quæ expressiorem sensum postulare videntur, re diligenter perspecta, ita declaramus, vt omnis dubietas de piis Christifidelium mentibus euellatur.

Paulus III. Domum in Vrbe deputauit ad recipiendas mulieres vitæ culpabilis, & Confraternitatem desuper instituit.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Paulus Papa III. quandam in Vrbe domū pro mulieribus, tam coniugatis quam solutis vitæ culpabilis recipiendis, ibique retinendis, etiam sub clausura, donec vel Moniales fierent, vel matrimonio copularentur si innuptæ, vel si nuptæ essent, propriis viris restituerentur deputauit. Ac pro gubernio mulierum, & Domus huiusmodi, Confraternitatem de Gratia nuncupatam, cum Ecclesia, Dormitoriis, & aliis necessariis ad prædicta, ac facultate condendi quæcumque statuta licita, & honesta.

Et postea erectum ibidem fuit Monasterium pro recipiendis, quæ ex prædictis mulieribus Moniales esse volebant.

§. 2. Ac piæ memoriæ Rodulphus tituli Sanctæ Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis, de Carpo nuncupatus, necnon similis memor. Raynutius tituli S. Angeli Presbyter Cardinalis, Rauennaten. nuncupatus, & maior Pœnitentiarius, comperto quod multæ ex dictis muelieribus, locum in aliis Monasteriis commode non reperiebant vbi Moniales fieri voluissent, habita fideli informatione à Confratribus dictæ Confraternitatis, illorumque supplicationibus inclinatus, auctoritate Apostolica, & de mandato eiusdem prædecessoris, partem dictæ Domus in Monasterium Monialium, sub inuocatione Sanctæ Marthæ, per Protectorem, & Confratres prædictos electam cum Ecclesia, Clausto, Dormitorio, & aliis necessariis pro vna Abbatissa per eumdem Roduphum Cardinalem, & pro tempore existentem Protectorem ipsius Confraternitatis, perpetuo seu ad tempus, prout ipsi Protectori videretur eligenda,

Digitized by Google

ac per ceteras Moniales confirmanda,& aliis mulieribus ad dictam Domum acceſſuris, & Religionem ingreſſuris ſub certis modo, & forma tunc latius expreſſis perpetuo erexit, & inſtituit, & Abbatiſſam eligendi, & Monialibus habitum exhibendi, ac profeſſionem recipiendi, eidem Rodulpho Cardinali Protectori per eumdem prædeceſſorem plena facultas conceſſa fuit. Nec non Confraternitatem, Domum, & Monaſterium S. Marthæ huiuſmodi, eorumque bona ſub protectione Romani Pontificis, & pro tempore exiſtentis Protectoris recipit, ac obedientiæ, correctioni, & viſitationi illius Vicarij Generalis ſubiecta, fore, & eſſe decreuit, & declarauit.

Iulius III. iuriſdictionē cognoſcendi cauſas mulierum Monialium, & Monaſteria prædictorum, conceſſit cum.

§. 3. Et deinde piæ mem. Iulius Papa etiam III. pro maiori dictarum mulierum quiete, eidem Rodulpho Preſbytero Cardinali, & pro tempore exiſtenti Protectori, ac Viceprotectori Monaſterij, Domus, & Confraternitatis prædictæ, omnes, & ſingulas cauſas quæſtiones, & controuerſias, ciuiles & criminales, ac mixtas, ſuper dotibus, rebus, & bonis quibuſcumque mulierum, & Monaſterij huiuſmodi, ac illorum occaſione, coram quibuſuis Iudicibus, tam Eccleſiaſticis quam ſæcularibus dictæ Vrbis quomodolibet motas, & mouendas, tam actiue quam paſſiue, cum omnibus, & ſingulis earum inciden. dependen. emergen. annexis, & connexis, præuia opportuna auocatione per ſe vel alium ab eo, & pro tempore exiſten. Protectore deputandum, ſummarie, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſola facti veritate inſpecta, audiendi, cognoſcendi, decidendi, & fine debito terminandi, ac quicquid decreuiſſet debitæ executioni mandandi, ac demandari faciendi, ac indemnitati partium conſulendo in cauſis ipſis, ac omnibus negocijs, Domum, ac Moniales, & confraternitatem huiuſmodi pro tempore concernen. etiam nullo penitus Iuris ordine, ſeu Cameræ Apoſtolicæ ſtylo, vel conſuetudine ſeruatis, ſed ſola facti veritate inſpecta, de bono & æquo quandocumque ei viſum foret, de facto, manu regia, vel lenato, & alias pro eius arbitrio procedendi, iudicandi, necnon excommunicationis, & alias cenſuras, & pœnas deſuper promulgandi & relaxandi, & ab eis abſoluendi, & brachium ſæculare inuocandi, & etiam quaſcũque perſonas, quacũq; auctoritate & dignitate fulgentes, & Moniales, & mulieres ipſas contra voluntatē dicti Rodulphi Card. & pro tempore exiſten. Protectoris, ſeu Viceprotectoris alibi quam coram eo, ſeu eius deputato, quomodolibet moleſtari, & denique omnia & ſingula in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna, etiam vnica ſententia, ita quod ab ea, & aliis præmiſſis nullo vmquam tempore appellare liceret, etiã per viam mandati executiui, facien. geren. & exequen. in omnibus & per omnia, ac ſi tres ſententiæ conformes deſuper latæ eſſent, ſublata quacumque appellandi, & nullitate dicendi, plenam, liberam, & omnimodam, facultatem conceſſit, dictaſque cauſas, vt præfertur audien. cognoſcen. & deciden. eidem Rodulpho Cardinali, & pro tempore exiſtenti Protectori, & Viceprotectori ſeu ab eis deputando in omnibus, & per omnia commiſit. Decernens proceſſus, & ſententias ſic ferendas, nullatenus impugnari, ſeu reuocari, niſi motu proprio, & ipſo Protectore ſemper vocato & audito, ac eo conſentiente, impediri non poſſe. Et ſi per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, ſublata aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiri, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigeri attentari, decreuit.

Facultates illimitatæ, &c. procedendi.

Appellationes quæ remota.

Congregatio III. iuſſit in d. Monaſterio non amplius recipi mulieres corruptas, ſed Virgines tantum ex cauſa hic expreſſa.

§. 4. Demum recol. me. Gregorius PP. XIII. prædeceſſor noſter cum accepiſſet, quod huiuſmodi mulieres corruptæ, quæ in Moniales recipi ſolitæ erant admitti deſierant, & earum loco Virgines recipi conſueuerunt, quæ tamen aliquando remiſſius ibi Moniales fiebant, & ſubinde inſtitutum hoc Virgines recipiendi minuebatur, ne promiſcue cum corruptis reciperentur, deuotioni ac maiori augmento dicti Monaſterij conſulens, accedentibus maxime ſupplicationibus Abbatiſſæ dicti Monaſterij, ac illud gubernantium, ſtatuit & decreuit quod ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus, aliæ quam Virgines, & mulieres honeſtæ vitæ, & famæ in Monialem dicti Monaſterij à quoquam quauis auctoritate fungente, & quacumque etiam Cardinalatus honore fulgen. admitti, vel recipi non valerent, cum irritantis appoſitione decreti, prout in ſingulis dictorum Pauli III. Iulij etiam III. ac Gregorij XIII. prædeceſſorum, & Raynutij Cardinalis, literis deſuper confectis plenius continetur.

Sed dubitatũ fuit an Protector & Congregatio haberet omnimodã regimen d. Monaſterij, obmutationem de qua ſupra.

§. 5. Cum autem ſicut nuper accepimus, quantum Monaſterium huiuſmodi à primæuo illius ſtatu, in bonitate & obſeruantia creuerit ad honorem Omnipotentis Dei, & dictæ Vrbis vtilitatem, non ſine vigilanti cura pro tempore exiſtentis Protectoris, & Congregationis prædictæ, & quomodo in dies magis & magis hoc opus creſcat etiamſi à Rodulpho Cardinali, & aliis pro tempore exiſtentibus Protectoribus viſitatum ſciamus in vniuerſum per ſe, & dictam Congregationem huiuſmodi Monaſterium, in ſpiritualibus & temporalibus regi, & gubernari, ſtatuta ad id neceſſaria & opportuna conceden. mulieres ad monacan. virgines educan. recipien. moniales prædictas examinan. illiſque habitum exhiben. ad profeſſionem recipien. licentiaſque ingrediendi dictum Monaſterium, eiſdem virginibus, & quibus opus eſſet conceden. per ſe vel alium ab eo deputatum, confeſſarios eligen. & alia facien. geren. & exercen. quæ ſibi in præmiſſis omnibus, & ſingulis facultatibus conceſſa repetiuntur, vel quæ ſibi beneulſa forent, & quæ Ordinarij locorum ex forma Iuris, & Decretorum Concilij Tridentini facere ſoliti ſunt facultatem habere. Tamen nonnulli nimium ſcrupuloſi de prædictorum poteſtate, & aliquibus ab eis geſtis vel gerendis dubitarunt, & dubitant, quærentes cauſam ex ipſiſmet facultatibus non admodum explicitis, & alias.

Hic idem Põt. auctoritatem Protectoris & Congregationis confirmat.

§. 6. Nos omnem in præmiſſis dubitandi materiam remouere cupien. ad dictarum literarum tenores, acſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro expreſſis haben. Motu proprio, ac ex certa noſtra ſcientia ac de Apoſt. poteſtatis plenitudine conceſſiones ac literas prædictas Apoſt. auctoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus.

Innouatque iterum cõcedit & ampliat.

§. 7. Et quatenus opus ſit, illas innouamus, & ad tollen. omne dubium, & alias ad omnem alium meliorem finem, & effectum, decernimus, & declaramus integrum & plenarium gubernium dicti Monaſt. Monialium ſpectare & pertinere ad Protectorẽ pro tẽpore exiſtẽtẽ dicti Monaſt. illique ſeu Viceprotectori, vel ab eis deputando, licuiſſe & licere mulieres monacandas recipere, receptas probare probatas examinare, examinatas in moniales admittere, vel reiicere, admiſſis habitum exhibere, & ad profeſſiones admittere, puellas ad educationẽ recipere, receptas intromittere, & retinere, retentas ſuis loco, & tempore dimittere, ipſiſque & aliis perſonis dictum Monaſterium ingredi volentibus, pro rebus ac negociis neceſſarijs licentiam concedere, confeſſarios, & alios Miniſtros deputare, & demum omnia, & ſingula circa gubernium, & regimen dicti Moniſterij facere, gerere, & exercere, quæ in Monaſteriis Monialium ſuarum diœceſum, Ordinarij locorum, tam in vim iuris communis, quam dicti Concilij, & approbatæ conſuetudinis in dicta Vrbe reſpectiue facere ſoliti ſunt, conſueuerunt, & poſſunt. Reſeruata dilecto filio noſtro Hieronymo tit. S. Suſannæ Preſbytero Card. Ruſticuccio nuncupato, & pro tempore exiſtenti Vicario noſtro in dicta Vrbe, & eius diſtrictu generali d. Monaſterij viſitatione, & ita de cetero fieri, & obſeruari volumus, & mandamus. Necnon Protectorem & Congregationem prædictos, ad antiquum eorum ſtatum, & obſeruantiam, & facultatem, quatenus opus ſit, reſtituimus, & plenarie reintegramus, ac reſtitutos & reintegratos eſſe ſtatuimus, ordinamus.

Clauſ. præſeruatiua.

§. 8. Necnon præſentes literas, & in eis contenta quæcumque valida, & efficacia fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & inuiolabiliter obſeruari debere, nec de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio ſeu intentionis noſtræ defectu quouis quæſito colore, prætextu, vel ingenio notari vel impugnari, nec per nos & Sedem Apoſtolicam vllo vmquam tempore reuocari, aut alias illis derogari poſſe, & quoties illa reuocari, aut alias illis derogarit contigeri, toties in priſtinum

ſtatum

Digitized by Google

ſtatum reſtituti, & de nouo, etiam ſub poſteriori data per ipſos Protectorem, Congregationem, eligen. conceſſa, & ſtabilia eſſe.

Clauſula ſublata, &c.

§.9. Sicque per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatij Apoſt. Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio cõtrariorum.

§.10. Non obſtantibus præmiſſis, & conſtitutionibus & ordinationibus Apoſt. & ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Monaſterij, iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſuis Rom. Cur. Tribunalibus, Curiis, Magiſtratibus Iudicibus, præſertim dicto Vicario, & aliis quibuſuis perſonis, ſub quibuſuis tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, formulis, & decretis, etiam motu ſimili, & conſiſtorialiter conceſſis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro expreſſis haben. illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

D. P. An. 1. die 18. Iulij.

Datum Romæ in Monte Quirinali, ſub annulo Piſcatoris, die 18. Iulij, Pontificatus noſtri Anno 1.

XIII. Cõfirmatio priuilegiorum Ordinis Fratrum Cruciferorum, & communicatio gratiarum Ordinibus Religioſorum Mendicantium conceſſorum, & concedendorum.

De hoc Ordine, dixi ſup. in conſt. 1. Vrbani III. Cum anteceſſor.

Edita An. D. 1591.

GREGORIVS PAPA XIV.
Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex Religioſis Altiſſimo famulantibus conceſſa priuilegia, nedum confirmare, ſed & alia Congregationum Regularium perſonis conceſſa, ad eos quandoque extendere conſueuit, provt eorumdem Religioſorum vota expoſcunt, & ipſe conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Poſtitio Cõgregationis.

§.1. Sane dilecti filij Magiſter Generalis, & Fratres Congregationis Cruciferorum nobis nuper exponi fecerunt, quod cum eidem Congregationi, quæ per beatum Cletum inſtituta, & per ſel. recordationis Alexandrum Tertium Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, reformata fuit, & in qua ad præſens quamplures ſacræ Theologiæ magiſtri, & verbi Dei Concionatores reperiuntur, diuerſa priuilegia, gratias, & indulta conceſſa, & per eoſdem ac alios Romanos Pontifices etiam prædeceſſores noſtros, confirmata, & innouata fuerint, provt in diuerſis literis deſuper confectis plenius continetur, Cupiant Magiſter Generalis, & Fratres prædicti priuilegia, gratias, & indulta huiuſmodi, pro illorum ſubſiſtentia firmiori per nos confirmari, & approbari, necnon alia, tam Mendicantium quam non Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus, ac eorum Monaſteriis, domibus, & locis ac perſonis, per quoſcumque Romanos Pontifices, & præſertim piæ mem. Pium V. prædeceſſores noſtros quomodolibet conceſſa, priuilegia, facultates, & gratias, ad dictam Cruciferorum Congregationem, illiuſque Fratres, & perſonas extendi, illaque eis communicari. Quare pro parte Magiſtri Generalis, & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eorum deſiderio annuere, aliaſque in præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Pontificia cõfirmatio indultorũ & indulgentiarum Ordini, quatenus ſint in vſu & Concilio Tridentino non contrarientur.

§. 2. Nos igitur Congregationem Cruciferorum prædictam, eiuſque Fratres, & perſonas quaſcumque, ob eorum regularem diſciplinam ſpecialibus fauoribus, & gratiis proſequi volentes ac ſingulorum priuilegiorum, & gratiarum, ac literarum deſuper confectarum huiuſmodi tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula priuilegia, prærogatiuas, conceſſiones, facultates, exemptiones, libertates, immunitates, indulta, indulgentias, ceteraſque gratias ſpirituales, & temporales dictæ Congregationi Cruciferorum, omnibuſque & ſingulis illius tam virorum quam mulierum Monaſteriis, Hoſpitalibus, domibus, & Conuentibus, necnon illorum Prioribus, Superioribus, Officialibus, & perſonis, tam in genere quam in ſpecie, ac alias quomodolibet, & quandocumque, tam per prædictos quam alios quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Sedem Apoſtolicam quomodolibet conceſſa, necnon deſuper confectas literas, & ſcripturas, quaſcumque, quatenus in vſu ſint, & decretis Concilij Tridentini non aduerſentur, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & ſingulos iuris, & facti defectus, ſi qui forſan interuenerunt in eiſdem ſupplemus, & nihilominus pro potiori cautela, illa omnia dictæ Cruciferorum Congregationi ſingulique illius Monaſteriis, Hoſpitalibus, Domibus, Conuentibus, Prioribus, & Superioribus, & perſonis, eiſdem auctoritate, & tenore, de nouo concedimus.

Tu quoad indulgentias, vide renouationem, & nouã conceſſionem S. D. N. Pauli V. conſt. 16. Romanus.

Cõmunicatio priuilegiorum quibuſuis Ordinibus Mendicantiũ conceſſorum, & concedendorũ quatenus, &c.

§. 3. Et inſuper omnia & ſingula priuilegia, prærogatiuas, conceſſiones, facultates, exemptiones, immunitates, indulta indulgentias, ceteraſque gratias, ſpirituales & temporales, ac tam coniunctim quam diuiſim, & alias quomodolibet quibuſuis Mendicantium, & non Mendicantium Ordinum Congregationibus, ac tam virorum, quam mulierum Monaſteriis, domibus, & regularibus locis in quibuſcumque mundi partibus conſiſtentibus, illorumque Superioribus, Fratribus, Monachis, & perſonis per dictum Pium Quintum, & alios quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & Sedem eamdem, etiam per viam communicationis, vel extenſionis, aut alias conceſſa, decretis eiuſdem Concilij minime contraria, ac quibus ſingulæ Congregationes prædictæ eorumque monaſteria, domus, & loca, ac Superiores Fratres, Monachi, & perſonæ huiuſmodi, de iure, vſu, conſuetudine, vel priuilegio, aut conceſſione Apoſtolica, vel alia quacumque auctoritate, aut alias quomodolibet vtuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ad prædictam Cruciferorum Congregationem, ita vt illa eiuſque tam virorum quam mulierum Monaſteria, Hoſpitalia, Conuentus, ſeu regulares domus, illorumque Priores, Superiores, Officiales, Fratres, miniſtri, & aliæ perſonæ nunc, & pro tempore exiſtentes, præmiſſis omnibus, & ſingulis, æque ac pariformiter, & ſine vlla prorſus differentia, vti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, ac ſi illa dictæ Cruciferorum Congregationi, illiuſque Monaſteriis, Hoſpitalibus, Conuentibus, & domibus regularibus, ac Superioribus, Officialibus, Fratribus, miniſtris, & aliis perſonis prædictis, ſpecialiter, & expreſſe, ac principaliter, non autem ad inſtar, conceſſa, ac præſentibus de verbo ad verbum inſerta fuiſſent, auctoritate & tenore prædictis perpetuo extendimus, illaque omnia, & ſingula dictæ Cruciferorum Congregationi, illiuſque monaſteriis, Hoſpitalibus, Conuentibus, ac Regularibus, domibus, necnon Prioribus, Superioribus, Officialibus, Fratribus, miniſtris, & perſonis prædictis quibuſcumque communicamus.

Clauſula ſublata, &c.

§. 4. Decernentes, ſic, & non aliter per quoſcumque Iudices quauis auctoritate fungentes, eam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§. 5. Quocirca dilecto filio, moderno & pro tempore exiſtenti Cruciferorum Congregationis Protectori, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus, per ſe vel alium ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ſolemniter publicando, ac dictæ Cruciferorum Congregationis Fratribus,

Digitized by Google

tribus,in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtendo, faciant auctoritate noſtra, præſentes & in eis contenta huiuſmodi firmiter obſeruari, ac ſingulos quos ipſæ literæ concernunt, illis pacifice frui, & gaudere. Non permittentes, eos vel eorum aliquem deſuper contra præſentium tenorem per quoſcumque, etiam locorum Ordinarios, quomodolibet indebite moleſtari, perturbari vel impediri. Contradictores quoſlibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias,ac cenſuras Eccleſiaſticas,ac etiam pecuniarias pœnas,aliaque opportuna iuris,& facti remedia,quacumque appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Clauſula cõtrariorum derogatoria.

§. 6. Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, Synodalibus, & generalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon mendicantium & non mendicantium Ordinum, Congregationum, monaſteriorum, & Regularium domorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis eorumque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis in genere vel in ſpecie, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur & inſererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus,ceteriſque cõtrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides.

§.7. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo dictæ Cruciferorum Congregationis, vel illius Protectoris obſignatis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

D. P. An. 1. die 12. Iulij.

Dat. Romæ in Monte Quirinali, ſub annulo Piſcatoris, die 12. Iulij, Pont. noſtri Anno 1.

XIV. Confirmatio & declaratio iuriſdictionis, & priuilegiorum Rotæ Ciuitatis Maceraten. ſtatus Eccleſiaſtici.

Hanc Rotam inſtituit Sixtus V. vt ſupra in eius conſt. 94. Romanus.

Edita An. D. 1591.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Præmium.

ROmanum decet Pontificem, æqui bonique ſupremum Aſſertorem, ad ea quæ per eius prædeceſſores in ſubſidium, & vtilitatem pauperum, in quibuſuis locis, ſed præſertim in Prouinciis ſuæ, & Apoſtolicæ Sedis ditioni immediate ſubiectis degentium, necnon faciliorem iurium ſuorum conſequutionem prouide inſtituta fuerunt, ſollicite intendere, ac vt firma, & illibata perſiſtant, efficaciuſque obſeruentur, ſuæ confirmationis præſidio propenſius roborare. Si vero aliqua in alieni iuris præiudicium tendere, aut diſcordiam, ac litium diſſenſionem diſpendia afferre poſſe reperiuntur, ita declarationis ſuæ adminiculo elucidare ac moderari, vt vnicuique quod ſuum eſt remaneat, nec debita iuſtitiæ adminiſtratio impediatur, ac alias deſuper diſponere, provt in Domino conſpicit ſalubriter expedire.

Sixtus V. inſtituit Romã in Ciuitate Maceraten. Statum Eccleſiaſtici, aut ſupra in eius conſt. 94. Romanus.

§.1. Cum itaque felicis recordationis Sixtus Papa V. prædeceſſor noſter per ſuas ſub plumbo expeditas literas in ſubſidium & vtilitatem pauperum Prouinciæ noſtræ Marchiæ, ac ex certis aliis rationabilibus cauſis, in Ciuitate Maceratenſi, quæ alias ſatis celebris & inſignis, ac fere in medio dictæ Prouinciæ, ac in Territorio fœcundo & amæno ſita, ſolitaque Sedes Legatorum exiſtit, vnum Tribunal Audientiæ cauſarum Rotam nuncupandum, quinque Iudicum Iuris Vtriuſque Doctorum, qui omnes, & ſingulas totius prouinciæ prædictæ, ac Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, Caſtrorum, & aliorum locorum ſub eadem prouincia comprehenſorum, necnon incolarum in illis habitantium, cauſas, lites, & controuerſias ciuiles, tam profanas, quam Eccleſiaſticas, meraſque & mixtas, necnon etiam criminales, in quibus appellationi locus foret, tam in prima in Diœceſi, ac iuriſdictione Maceraten. quam in ſecunda, & vlterioribus inſtantiis in cauſis appellationis totius Prouinciæ huiuſmodi cognoſcere, decidere, fineque debito terminare, ac iudicare poſſent, & deberent, motu proprio perpetuo erexerit, & inſtituerit.

Ad quã etiã ab Epiſcopis Prouincia appellari permiſſio, vt ibid.

§. 2. Ac inter alia diſpoſuerit, quod Auditores Rotæ huiuſmodi, in cauſis appellationum, & grauaminum à ſententiis, & grauaminibus per Epiſcopos dictæ Prouinciæ illatis, procedere ac iuriſdictionem habere poſſent.

Epiſcopi conqueſt. ſunt, dari appellationem etiam in concernen. correctionem morum, &c.

§.3. Cumque vigore ſeu prætextu iſtius facultatis, Venerabiles fratres Epiſcopi dictæ Prouinciæ conqueſti fuerint, prædictos Auditores, etiam in cauſis ad Forum Eccleſiaſticum ſpectantibus, morumque correctionem concernentibus, ac in illis in quibus appellationi ſuſpenſiuæ locus non eſt, proceſſiſſe.

Congregatio ſuper negotiis Epiſcoporum Rotã inhibuit.

§.4. Ac proinde habito pro parte dictorum Epiſcoporum recurſu ad Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium ſuper negotiis Epiſcoporum deputatorum literas eorum nomine, etiam de mandato noſtro decretas obtinuerunt, per quas Auditoribus mandabatur, ne in prædictis, & aliis Epiſcoporum eorumdem cauſis procederent, provt in ſingulis literis prædictis plenius continetur.

Ciuitas Maceraten. ad Papã habuit recurſum.

§.5. Verum ſicut nobis poſteà innotuit, & dilecti filij homines Prouinciæ Marchiæ, necnon Communitas Ciuitatis Maceraten. prædictarum, per dilectos filios Phœbum Rotundum Prouinciæ, & Antonium Franciſcum Pellicanum, Nicolaum Hercolanum, & Volumnium Picutium, Ciuitatis Maceraten. huiuſmodi Oratores ad gratulandum nobis, ac præſtandam debitam obedientiam deſtinatos, quos libenter audiuimus, nobis exponi fecerunt, literas dictæ Congregationis, ipſis, & prædicto Tribunali, ac priuilegiis, & facultatibus illius Iudicibus conceſſis, graue damnum, & præiudiciũ inferre.

Qui modo Rota facultatem reſtringit, quoad dictas appellationes.

§.6. Idcirco Nos, quibus in primis ſemper cordi fuit iuſtitiam vnicuique æqua lance adminiſtrare, ac Epiſcoporum decori ſimul, & pauperum ſubditorum noſtrorum commodis & vtilitati conſulere, lites & differentias, quæ occaſione literarum prædictæ Congregationis exoriri poſſent præcidere eaſque moderari, & elucidare, ac alias in præmiſſis omnibus de opportuno remedio ſalubriter, & mature prouidere volentes, ac literarum earumdem tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes. Motu proprio, non ad hominum, aut Communitatis vel Oratorum prædictorum, ſeu alicuius ipſorum aut cuiuſuis, ſeu quorumuis aliorũ pro eis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiã, ſed de mera voluntate, & matura deliberatione, ac ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, decernimus, & declaramus, modernos & pro tempore exiſtentes Auditores Rotæ, ac Tribunalis totius Prouinciæ Marchiæ huiuſmodi, etiam vigore dictarum literarum Sixti prædeceſſoris cauſas appellationum, ſeu recurſus, & querelas, quæ ab Ordinariis locorum dictę Prouinciæ, circa ea quæ pertinent ad Viſitationẽ aut morum correctionem interponuntur, cognoſcere, ac etiam in iis caſibus, in quibus ab eorumdem Ordinariorum decretis, ſeu interlocutoriis, ſententiis, aut ordinationibus, ex forma Sacrorum Canonum, & decretorum Concilij Tridentini, necnon etiam Conſtitutionum Apoſtolicarum, appellationes, recurſus, & querelæ, quoad effectum ſuſpẽſiuum prohibentur, procedere non poſſe nec debere, ac Rotam & illius Auditores prædictos in iſtis caſibus nullam prorſus iuriſdictionem habere. Inhibitiones quoque in huiuſmodi cauſis per eoſdem Auditores conceſſas, & concedendas, cum proceſſibus, ac omnibus inde ſecutis, nullius roboris vel momenti fore, & eſſe.

In reliquis vero eius iuriſdictionẽ & indulta confirmat.

§.7. In reliquis vero, omnibus & ſingulis erectionem ac inſtitutionem prædictæ Rotæ, necnon priuilegia, facultates, & indulta quæcumque, eidem Rotæ eiuſque Auditoribus ſeu Iudicibus, necnon Notariis, Curſoribus ac aliis Officialibus & perſonis, per literas ipſius erectionis ac alias

Digitized by Google

alias quomodolibet concessa, easdemque literas, necnon omnia,& singula capitula,ordinationes,reformationes,& statuta,ceteraque in vim literarum erectionis huiusmodi, ac facultatis ad hoc in illis attributæ, etiam circa taxas, mercedes, ac salaria eorumdem officialium facta, & in eis contenta quæcumque Apostolica auctoritate prædicta perpetuo approbamus,& confirmamus,ac eis plenariæ,& inuiolabilis firmitatis Apostolicæ robur adiicimus,ac præsentis scripti patrocinio communimus,omnesque & singulos, tam iuris quam facti defectus, siqui in præmissis quomodolibet interuenerint, supplemus.

Clausulas præseruatiuas apponit.

§.8. Decernētes erectionem Rotæ huiusmodi,ac priuilegia,facultates,indulta, & alia præmissa valida & efficacia esse,& perpetuo fore,suosq; plenarios & integros effectus sortiri,& obtinere,ac omnibus quos concernunt & concernēt,quomodolibet in futurum inuiolabiliter perpetuo obseruari,sicque ab omnibus censeri,atque ita per prædictos,& quoscumque alios Iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum nostri Palatij Apostolici Auditores, eorumque Locatenentes,ac eiusdem S.R.E.Card.eriam de latere Legatos,& Vicelegatos,necnon Cameræ Apostolicæ Præsidentes & Clericos, aut quosuis alios, sublatis eis & ipsorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, vbique locorum iudicari, definiri, & interpretari debere, irritum quoque,& inane quicquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorē & Protectorem deputat.

§.9. Quocirca dilecto filio Henrico tituli Sanctæ Pudentianæ Presbytero Cardinali Caëtano nuncupato, Camerario nostro moderno, & pro tempore existenti Rotæ & Auditorum, Priuilegiorumque & indultorum prædictorum, Protectori, motu, scientia ac potestatis plenitudine similibus per præsentes committimus, & mandamus,quatenus ipse per se vel alium seu alios,easdem præsentes & in eis contenta quæcumque solemniter publicans, ac Rotæ ac eius Auditoribus, necnon officialibus prædictis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, ipsas præsentes literas, ac in eis contenta huiusmodi debitæ executioni demandet, ac demandari faciat, necnon ab illis omnibus quos illæ concernunt, inuiolabiliter perpetuo obseruari faciat,mandet, atque procuret, non permittens Auditores, Notarios, Curiores ac alios Officiales Rotæ, necnon Homines Prouinciæ huiusmodi desuper per quoscumque, contra præsentium tenorem quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel impediri. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per sententias, & censuras Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, & alias pœnas, ceteraque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando. Inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Clauſ. derog. ſubiicit.

§.10. Non obstantibus præmissis,ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon Cameræ,& Prouinciæ, Ciuitatum, & locorum, etiam iuramento; confirmatione Apostolica,vel quauis firmitate alia roboratis statutis,consuetudinibus,ac vsibus,& naturis,priuilegiis quoque,indultis,& literis Apostolicis, etiā illis,ac quibusuis superioribus, & personis, sub quibuscumque tenoribus ac formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam motu pari,ac alias in contrarium quomodolibet facientibus,ac concessis,confirmatis,& innouatis. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, expressa, & individua mentio habenda foret,eorum omnium,& singulorum tenores,ac si de verbo ad verbum exprimerentur,inserererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse harum serie Motu simili derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, seu si aliquibus, communiter vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Dat.P.An.8. die 12.Iulij.

Datum Romæ in Monte Quirinali, sub annulo Piscatoris, die 12. Iulij, 1591. Pontificatus nostri Anno 1.

Dispensatio Societatis Iesu, recipiendi Nouitios, etiam non seruata forma constitutionis à Sixto Quinto desuper editæ. XV.

Hæc Sixt.V.const.est 71.sup.Et de materia huius Societatis plene dixi sup. in const. 25. Pauli III.

Regimini.

GREGORIVS PAPA XIV. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1591.*

Propositio causarum ob quas Societas Iesu obseruare nequit const. Sixt. de Nouit. recep. quæ est sup.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Claudius Aquauiua,Societatis Iesu Prepositus Generalis,quod cum in ipsa Societate, iuxta illius institutum Apostolica auctoritate confirmatum, nec conuentus, seu Congregationes generales nisi ad Præpositum Generalem eligendū, & alias rarissime,& ex causis tantum magni momenti: neque Prouinciales in quibus iuxta fel. record. Sixti Papæ V. Prædecessoris nostri priorem de Nouitiis admittendis constitutionem, quæ incipit: Cum de omnibus.Nouitij ipsi admitti deberent,frequentius quam singulis triennijs cogantur. Et dum hæ cogantur,duodecim ad summū dies durare,in quibus non de Nouitiis admittēdis, sed grauiora alia,iuxta Societatis eiusdem cōstitutiones, tractari debent. Ratio vero deputandi eos, qui Nouitios extra congregationes ipsas,iuxta posteriorem eiusdem prædecessoris declarationem,admittere possint,primum quidem valde difficulter,& incōmode in praxim deduci possint,præsertim in regionibus Aquilonaribus,& Vltramarinis propter magnam Collegiorum inter se distantiam,& sæpissime etiam propter itinerum difficultates, bellaque, & alia pericula. Denique etiam in vniuersum modus ille minus exactus sit eo modo, quem Societas ipsa sequitur,cum in illo duo vel tres deputati sufficiant, in hoc plures communiter interueniant. Et postremo, cum ratio illa decernendi, valde differat à modo quem Societatis constitutiones, & Apostolica diplomata in deliberationibus faciendis,ac vniuersa illius gubernatione prælcribunt.iuxta quem modum, Superior (auditis in rebus alicuius momenti Consultoribus) decernit quod sibi ad maiorem Dei gloriam facere videtur.Admissio autem illa per deputatos, cum ad eorum suffragia non consultiua (vt sunt in Societate) sed decisiue fieri debeat, diuersitatem non paruam in Societatem inducit.

Supplicatio Præpositi pro habēda desuper prouisione.

§.1.Quare nobis humiliter supplicari fecit dictus Claudius quatenus statui, & indemnitati dictæ Socitatis consulentes, in præmissis opportune prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontificis dispensatio recipiendi nouitios & eā eis dispensan. &c. Quoad vltimam partem vide constit. Clem. VIII. n.115. Quæcumque.

§.2.Nos igitur,qui Societatem prædictam,propter eius in Ecclesia Dei vberes fructus synceris semper amplexi sumus affectibus, atque, vt vberiores in dies proferre valeat,integram,& intactam illi suos Nouitios admittendi, & tam cum illis,quam cum veteranis illegitimis dispensandi, facultatem seruari cupimus, prædictum Claudium specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes & à quibusuis excōmunicationis, suspensionis,& interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis,censuris, & pœnis à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit,ad effectum præsentium dumtaxat consequendum,harum serie absoluentes,& absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Societati prædictæ, vt ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, tam in Nouitiis, etiam cuiusuis generis illegitimis admittendis, quam in dispensationibus ad quælibet officia, gradus & dignitates in Societate obtinenda, ipsis cuiusuis generis illegitimis concedendis formam, & rationem omnimodam in illius Apostolicis diplomatis,ac priuilegiis quibusuis,necnon,& in constitutionibus, decretis,& regulis expressam, libere,& licite prosequi, & retinere valeat, Apostolica auctoritate decernimus,& quatenus opus sit, etiam de nouo concedimus, & indulgemus, eamque perpetuo obseruari volumus,& mandamus.

Derogatio illustrationum.

§.3. Prædictis,ac nostra nuper edita, quæ incipit: Circumspecta, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis non obstantibus quibuscumque.

Fides transumptorum.

§.4. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis manu dictæ Societatis Secretarij, aut Notarij

Digitized by Google

tarij publici ſubſcriptis, ac perſonæ alicuius in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, ſeu Præpoſiti Generalis pro tempore exiſtentis, eiuſdem Societatis ſigillo munitis, eadem prorſus fides, vbique locorum in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. P. An. 1. die 30. Aug. Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 30. Auguſti 1591. Pont. noſtri Anno 1.

XVI. Confirmatio gratiarum, & priuilegiorum Monachorum Ordinis Ciſtercienſis, Congregationis S. Bernardi in Italia regularis obſeruantiæ. Et communicatio omnium indultorum aliis Congregationibus d. Ordinis conceſſorum, & concedendorum.

Iſtam Congregationem inſtituit Alex. VI. ſup. in conſt. 7. Plantatus. *vbi plene notaui.*

Quæ autem ſint priuilegia Ordinis Ciſtercienſis, tibi indicaui ſup. in conſt. 1. Paſcal. 2. *Deſiderium.*

Edita An. D. 1591.

GREGORIVS PAPA XIV. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. ROmanus Pontifex Religioſorum Cõgregationibus' illarumque perſonis ſub Regulari reformatione Altiſſimo famulan. à Sede Apoſtolica conceſſa, priuilegia, nedum confirmare, & approbare, ſed & alia aliorum Ordinum Regularibus perſonis, & locis conceſſa, ad eos quandoque extendere conſueuit, provt eorumdem Religioſorum vota expoſcunt, & ipſe conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Petitio Cõgregationis Sãcti Bernardi, pro confirmatione gratiarum à Summis Pont. ei cõceſſarum, & pro cõmunicatione indultorũ aliarum Cõgregationũ Ordinis Ciſtercienſis. §. 1. Sane dilecti filij Præſidens, Definitores, Viſitatores, Abbates, & Priores Congregationis S. Bernardi in Italia, Ciſtercienſis Ordinis Prouinciarum Tuſciæ, & Lombardiæ, nobis nuper exponi fecerunt. Quod cum alias per ſel. record. Alexandrum VI. Iulium II. Gregorium XIII. Sixtum V. nonnulloſque alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & ſeu Sedem prædictam, diuerſa priuilegia, & indulta, dicto Ordini Ciſtercien. ac eidem Congregationi S. Bernardi, eiuſque Monaſteriis, Domibus, & locis, ac Præſidenti, Definitoribus, Viſitatoribus, Abbatibus, Prioribus, & perſonis, generaliter, & particulariter, conceſſa, & ſeu forſan confirmata, approbata, & innouata fuerint, provt in literis Apoſtolicis deſuper confectis plenius continetur. Cumque aliæ ſint eiuſdem Ordinis Ciſtercien. Congregationes, & Monaſteria in diuerſis Mundi partibus conſiſtentia, & omnia ſint vnius corporis membra, & inſtituti, cupiunt Præſidens, Definitores, Viſitatores, Abbates, & Priores prædicti, priuilegia, gratias, & indulta huiuſmodi pro illorum ſubſiſtentia firmiori, per nos confirmari, & approbari, necnon alia eidem Ciſtercien. Ordini, eiuſque ſingulis Congregationibus, Monaſteriis, domibus, & locis illorum, illarumque Generalibus, Abbatibus, Præſidentibus, Superioribus, Capitulis, Officialibus, & perſonis conceſſa, priuilegia, facultate, & indulta, ad dictam Congregationem S. Bernardi in Italia, illiuſque Monaſteria, Domos, & loca, ac Præſidentem, Definitores, Viſitatores, Abbates, Priores, & perſonas, & vtrumque eorum extendi, illaque eis communicari. Quare pro parte dictorum Præſidentis, Definitorum, Viſitatorum, Abbatum, & Priorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eorum deſiderio annuere, aliaſque in præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Confirmatio Pontificia omnium gratiarũ à quibuſcumque conceſſarũ d. congreg. S. Bernardi. §. 2. Nos ſingulorum priuilegiorum, gratiarum, & indultorum, ac deſuper confectarum literarum huiuſmodi tenores præſidentibus pro expreſſis habentes, necnõ Præſidentem, Definitores, Viſitatores, Abbates, & Priores, eorumque ſingulares perſonas, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodari exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula cuiuſuis generis, priuilegia, prærogatiuas, conceſſiones, facultates, exemptiones, libertates, conſeruatorias, immunitates, indulta, ac indulgentias, etiam plenarias, & peccatorum remiſſiones, ceteraſque gratias, ſpirituales, & temporales, etiam per modum communicationis, & extenſionis, Ordini Ciſtercien. & Congregationi S. Bernardi huiuſmodi, illorumque Monaſteriis, Domibus, locis, rebus, & bonis, ac Abbati Generali, & Præſidenti, Definitoribus, Viſitatoribus, Capitulis, Abbatibus, Prioribus, Officialibus, Miniſtris, Monachis, ac illius ſingularibus perſonis, & cuilibet eorum, tam in genere vel in ſpecie, & tam coniunctim quam diuiſim, aut alias quomodolibet tam per prædictos, & quoſcumque alios Rom. Pontifices prædeceſſores noſtros, & ſeu Sedem eamdem, quam etiam Imperatores, Reges, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios quoſcumque etiam ad quorumuis inſtantiam conceſſa, necnon deſuper confectas literas, & ſcripturas quaſcumque Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo approbamus & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & ſingulos tam iuris, & facti ſolemnitatum, quarumcumque quomodolibet omiſſarum, alioſque defectus, ſiqui forſan interuenerint in eiſdem, ſupplemus.

Iteratæque cõceſſio earũdem gratiarum. §. 3. Eaque omnia, & ſingula in eis contenta, ac comprehenſa, cum illorum extenſionibus, communicationibus, & ampliationibus dicto Ordini, & Congregationi S. Bernardi in Italia, ſinguliſque eius Monaſteriis, Domibus, locis, rebus, & bonis, Abbatique Generali, & Præſidenti, Definitoribus, Viſitatoribus, Abbatibus, Prioribus, Superioribus, Prælatis, Officialibus, Miniſtris, & perſonis eorumque Capitulis, etiam Generalibus, & cuilibet eorum, auctoritate, & tenore prædictis, etiam de nouo, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, perpetuo concedimus.

Cõmunicatio quorumcũque Indultorum Ord. Ciſtercienſi quomodolibet cõceſſorũ & concedendorum, in quantum d. Cõgreg. S. Bernardi expediat, & eius Ordinationibus non ſint contraria. §. 4. Et inſuper omnia, & ſingula priuilegia, prærogatiuas, conceſſiones, iuriſdictiones, antelationes, fauores, facultates, declarationes, diſpenſationes, conſeruatorias, immunitates, exẽptiones, libertates, præeminentias, & indulta, cuiuſuis generis exiſtentia, necnon indulgentias etiam plenarias, & peccatorum remiſſiones, ceteraſque gratias, ſpirituales, temporales tam eidem Ciſtercien. Ordini, eiuſque Capitulo, & Abbati etiam Generali, ac quibuſuis illius, etiã quatuor primis Abbatibus ſcilicet Clarævallis, Morimundi, Pontigniaci, & Firmitatis, quam etiã eiuſdem Ordinis Congregationibus in Regnis Hiſpaniæ, Portugalliæ, ac quibuſuis aliis, eorumque & aliorum, tam virorum quam mulierũ, Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, locis, rebus, & bonis, necnon Capitulis eorum, etiam Generalibus, Definitoribus, Abbatibus, & aliis quibuſuis eorum Superioribus, Prælatis, Officialibus, Miniſtris, Monachis, Nouitiis, Fratribus, & Cõuerſis, ac perſonis quibuſcumque tam in Vrbe quam quibuſcumq; mundi partibus conſiſtentibus, etiam illorum, & illarum intuitu, aut alias quomodolibet, & ſub quacumque formæ, & expreſſione verborum conceſſa, & concedenda, ac quibus de iure, vſu conſuetudine, vel priuilegio, aut conceſſione, Apoſtolica, Regia, Imperiali, Epiſcopali, in genere vel in ſpecie ac tã coniunctim, quam diuiſim, etiam per viam communicationis, & extenſionis, aut alias quomodolibet, vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere quomodolibet poſſunt, & poterunt in futurum, etiamſi talia ſint vel fuerint, quæ ſpecialem, & indiuiduam requirerent mentionem, ſeu in præſentibus de verbo ad verbum inſertionem, ſeu particularem conceſſionem, ad prædictam Congregationem S. Bernardi in Italia, illiuſque Monaſteria, Domos, loca res, & bona, necnon Præſidentem, Definitores, Viſitatores, & Capitula, Abbates, Priores, Officiales Miniſtros, Monacos, & ſingulares perſonas, ita quod dictæ Congregationis S. Bernardi Monaſteria Domos, loca, Conuentus, & Capitula, etiam generalia, Præſidens, Definitores, Viſitatores, Abbates, Priores, Officiales, Miniſtri, Monachi, Nouitij Fratres, Conuerſi, donati, oblati, & aliæ illius ſingulares perſonæ, ac eorum res, & bona, ſub eorum cura, & ſecundum eiuſdem Coagregationis inſtitura, nunc, & pro tempore viuentes, & exiſtentia, præmiſſis omnibus, & ſingulis æque pariformiter, & abſque vlla penitus differentia, perinde ac ſi illis, & eorum ſingulis principaliter, & ſpecialiter & expreſſe, ac nominatim, & non ad inſtar conceſſa fuiſſent (in quantum eidem Cõ-

gregationi

Digitized by Google

gregationi expediat, eiusque gubernio priuilegiis, constitutionibus,& definitionibus non aduersentur)vti, frui, potiri,& gaudere,libere,& licite possint,& valeant,auctoritate, & tenore prædictis, etiam perpetuo extendimus, illaque omnia, & singula præmissa,eis, & eorum cuilibet eisdem auctoritate, & tenore, similiter perpetuo communicamus, & concedimus.

Clausula sublata, &c. §.5.Decernentes,sic & non aliter, per quoscumque Iudices, quauis auctoritate fungen. etiam locorum ordinarios,ac S.R.E. Card. etiam de latere Legatos,Vicelegatos Sedis Apostolicæ Nuncios & Causarum Palatij Apostolici Auditores sublata eis,& eorum cuilibet,quauis aliter iudicandi,& interpretandi facultate,& auctoritate iudicari, & definiri debere, irritum quoque & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter,vel ignoranter contigerit attentari.

Defensorũ & executorũ huius bullæ deputatio. §.6.Et nihilominus dilecto filio nostro ipsius Congregationis S. Bernardi in Italia moderno, & pro tempore existen.S.R.E.Card. Protectori, ac Venerabili Fratri Episcopo Papien. necnon dilecto filio Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, per præsentes committimus,& mandamus, quatenus ipli, vel duo aut vnus eorum,per se vel alium,seu alios, præsentes literas vbi, & quando opus fuerit,ac quoties pro parte Præsidentis,Definitorum,Visitatorum,Abbatum, & Priorum prædictorũ, aut alicuius eorum fuerint requisiti,solemniter publicantes,eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra ealdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque inuiolabiliter obseruari, ac plenum effectum sortiri, necnon Præsidentem, Definitores, Visitatores, Abbates, Priores, aliosque prædictos, & eorum singulos, omnibus præmissis pacifice frui, & gaudere. Non permittentes eos, & eorum quemlibet desuper contra præsentium tenorem, sub quouis prætextu etiam subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, & etiam defectu intentionis nostræ per quoscumque quomodolibet molestari, perturbari, vel impediri. Contradictores quoslibet & rebelles, etiam per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis, seruatis processibus,sententias,censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.

Derogatio omnium contrariorum. §.7. Non obstant. nostra de non conceden. Indulgentiis ad instar,ac piæ me.Bonifacij Papæ Octaui,etiam præcessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dictis, aliisque Apostolicis, ac in Prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, ac dictis S.Bernardi in Italia aliorum, aliarumque Congregationum dicti Ordinis prædictarum,etiam iuramento confirmatione Apostolica,vel quauis firmitate alia roboratis,statutis; & consuetudinibus, declarationibus, inhibitionibus,& decretis, priuilegiis quoque, indultis,& literis Apostolicis,Legatis,Nunciis,& Ordinariis, ac Congregationibus; & Ordinibus prædictis,illorumque Abbatibus, etiam generalibus,aliisque Superioribus,& personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam in illarum fundationibus, & erectionibus obtentis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque,& aliis decretis in genere vel in specie, per quoscumque Rom. Pont. similiter prædecessores nostros, ac nos Sedemque Apostolicã prædictam etiã Motu simili,& Consistorialiter,aut alias quomodolibet concessis, & etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis.Quibus omnibus,& singulis,etiam si pro illorum sufficienti derogatione,de illis,eorumque totis tenoribus,specialis,specifica,& expressa,ac indiuidua, ac de verbo ad verbum,non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret,etiã si in eis caueretur expresse,quod illis nullatenus,aut nonnisi sub certis modo, & forma derogari possit,illorũ omnium &singulorum tenores,acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent præsentibus pro sufficiẽter expressis habentes,illis alias in suo robore permansuris,hac vice dumtaxat,harum serie ad effectum præmissorũ derogamus, illisque ad plenum derogatum esse volumus & derogamus, ceteris que contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter aut diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi,vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam,ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides danda transumpto huius bullæ. §.8. Volumus autem, quod earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius ex scribis prædictorum Abbatum, aut Prælatorum, aut Notarij publici subscriptis & sigillo alicuius Monasterij dictæ Congregationis S. Bernardi in Italia, aut alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud, ac vbique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. R. An. 1. die 6. Sept. Datum Romæ apud S.Marcum, sub Annulo Piscatoris die 6. Septembris, 1591. Pontificatus nostri anno 1.

XVII. Approbatio Regulæ Congregationis Clericorum regularium Ministrantium Infirmis, cum gratiarum, & priuilegiorum concessione.

Congregationem istam confirmauit Sixtus V. sup. in eius const. 25. Ex omnibus. *Et hanc regulam reformauit Clemens VIII. infra in constit. 78.* Superna.

Edita An. D. 1591. GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. ILlius,qui pro gregis dominici salute in ara Crucis immolari non abnuit,vices,quamuis iinmeriti gerentes in terris, curis vrgemur assiduis & cõtinua meditatione pulsamur circa ea quæ pro pauperum Christi infirmorum necessitatibus nedum corporalibus, sed etiam spiritualibus adiumandis, in hac Vrbe nostra pie instituta sunt, omni studio intendere,& quæ propterea prouide facta fuisse dicuntur vt firma perpetuo, & illibata persistant, Apostolico munimine roboramus, & vt ad præmissa peragenda Christi fideles libentius concurrant, fideles ipsos spiritualibus muneribus prosequimur, vt exinde reddantur diuinę gratię aptiores,ac charitatis,& misericordiæ feruor in dies amplius augeatur in eis,aliaque desuper concedimus,prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Sixtus V. Congregationem approbauit in const. cit. in rubr. §.1.Cum itaque dudum fel. rec. Sixtus Papa V. prædecessor noster, certis causis adductis ex certa sua scientia, Congregationem sub vocabulo,seu nomine Ministrantiũ Infirmis, in Vrbe tunc constitutam, per suas in forma Breuis desuper confectas literas perpetuo approbauerit, & confirmauerit prout in ipsis literis plenius continetur.

Congregatio postea Regulã constituit. §.2. Et sicut accepimus,dilecti filij Camillus de Lellis, modernus ipsius Congregationis Præfectus, & alij eius socij,cupientes in charitatis vinculo persistere, & maiori cum animi quiete Deo seruire,& ad perficiendam,& conseruandam eorum Congregationis in Christo vnionem quãdam viuendi formulam iuxta ea quæ ad propositum, sibi finem conducere vsu didicerunt, ediderint, factumque sit, vt eorumdem Camilli, & sociorum vitæ institutum,sub dicta formula comprehensum,fidelibus gratum, & acceptum, ac ad proximi subuentionem adeò vtile, & necessarium existat, & ipsa Congregatio numero sociorum admodum creuerit; & quamplures Christifideles summo desiderio, & affectu, in dictam Congregationem recipi; & admitti plurimum exoptent.

Formulæ autem prædictæ tenor sequitur,qui talis est

Cuius tenor hic inseritur. §.3. QVisquis decreuit se huic charitatis muneri in perpetuum addicere,statuat se mũdo,rebusque omnibus sæculi esse mortuũ,& Christo soli viuere,sequenobis aggreget,vt admissa peccata expiet,sub iugo suauissimo perpetuæ paupertatis,castitatis,& obedientiæ,& sub perenni ministerio ægrotantium,quos etiam pestis incesserit, non solum in Nosocomiis, sed etiam in Carcerum valetudinariis,vbi ægroti magna,tam corporalium quam spiritualiũ rerum angustia premuntur. Ac de his vniuersis (Deo adiuuante) præcepta dabuntur in Cõstitutionibus

De Quatuor vot. Ad hæc vide bullam Greg. XIII. cit. in rubr.

Digitized by Google

bus ſuo tempore edendis, quibus ſub vllius peccati pœna obſtringi non intendimus, iis tamen exceptis ad quæ obſeruanda votorum vinculis obligamur.

Paupertas.

§. 4. Paupertatem noſtram ita interpretamur, vt Religioſorum ſit paupertas mendicantium eorum, qui nec ſinguli nec vniuerſi fructus vllos ac redditus capiant, quæ vero neceſſaria erunt, ea ex humili exercitio oſtiatim emendicandi, vel ex eleemoſynis fidelium nobis ſponte oblatis comparabimus, nemo per ſe, & arbitratu ſuo quæritabit, ſed ij ſoli quibus ob communem vſum ab obedientia id oneris imponetur.

Generalis & Conſultorum officia.

§. 5. Totius Congregationis ſuperior, Præfectus Generalis appellatur, cuius officium perpetuum erit quoad viuet. Socios autem habebit quatuor, qui Conſultores dicentur. Creabuntur autem hi cum Congregatio maiorem numerum erit nacta idoneorum hominum, iique pariter officium perpetuum gerent, dum Generalis Præfectus erit ſuperſtes. Votum eorum æque ac Præfecti, deciſiuum erit, præterquam quod Præfectus duplex habebit, ſinguli illi ſimplex. Nihil eorum, de quibus ſecundum conſtitutiones factas, aut faciendas, cum Conſultoribus decernendum eſt, ſtatuetur, niſi de illorum conſilio, & ſententia, maior vero pars ſententiarum vincet. Ne autem ex ſententiarum æqualitate res in dubium veniat; ad id vir grauis de Congregatione deputetur, qui voto ſuo (provt neceſſitas poſtulauerit) alterius, quam meliorem cenſuerit, partis numerum augeat. Præfectus vna cum ſociis poteſtatem habebit, tum interpretandi, & ea explicandi, de quibus ſuper inſtituto noſtro (quod hic ſummatim comprehenditur) dubitatio fuerit orta, tum conſtitutionum ad optimam Congregationis diſciplinam faciendarum, Conſtitutiones autem, experiendo primum atque vtendo expendentur, deinde à Capitulo, ſiue Congregatione generali, provt expedire videbitur, admittentur. Præfectus Generalis ac ſocij, Præfectos aliorum locorum, vbi Congregatio ſedem habuerit, & Prouinciales, & Viſitatores, quos oportuerit, eligent.

Generalis electione & voti ab eo emittendi.

§. 6. Electio verò Generalis Præfecti, & Conſultorum, poſthac in Congregatione generali facienda eſt. In præſens quidem Generalis creabitur ſuffragiis maioris eorum partis, qui nunc Crucem gerunt, ac iuxta formam ſtatuendam. Idem ſtatim ac renunciatus Generalis fuerit, quatuor votorum profeſſione, obedientiæ ſcilicet, paupertatis, caſtitatis, & quod præcipuum huius inſtituti ſcopum continet, perennis (vt dictum eſt) miniſterij ægrotantium ſolemniter ſe obſtringet, tumque apud ipſum, aut eum cui is hoc negotij dederit, eodem modo profitebuntur omnes qui ſpecimen ſui dederint, & idonei, ac digni iudicati fuerint.

Officio miſſorū ad Hoſpitalia. Hoc latius eſt diſpoſitum in conſt. Clem. VIII. vt in rubr.

§. 7. Volumus autem noſtros in Noſocomiis, cum Superiorum ſuorum iuſſu, (conſentientibus eorumdem Noſocomiorum Præfectis) mittentur, iram operam nauare, vt nulla publica officia, magiſtratuſve, aut reddituum adminiſtrationem in iis ſuſcipiant, verum omnes curam ægrotorum, tum corporis tum animæ gerant; & aliquot ex ipſis nocturnas excubias diurnaſque ibi ducant, atque ægrotis agonizantibus, donec ex hac vita migrent, nuſquam deſint. Quod ſi nobis, vt ceteris pauperibus Noſocomiorum patroni, aut adminiſtratores, aliquid eleemoſynæ, ſiue quotidianæ, ſiue menſtruæ, ſiue annuæ, ſiue in plures annos largiri voluerint, Congregatio noſtra ius nullum habeat id exigendi, ſed quæ dabuntur liberaliter cum gratiarum actione accipiet. Nos enim curæ ægrotorum incumbimus nulla mercede vel ſpe temporali adducti; ſed ex inſtituti noſtri obligatione.

Munerum receptione prohibita.

§. 8. Itaque ab ægrotis Hoſpitalium nulla munera, nihil pecuniæ, nullam omnino rem noſtri capiant, ac ne per ſubmiſſas quidem perſonas. Legata ab iis, qui in Noſocomiis defuncti fuerint; in rem noſtram relicta, non admittantur.

Officiales in Hoſpit. quando recipiendi in Congreg.

§. 9. Qui in Hoſpitalibus ſunt Noſocomiorum Officiales, & famuli, in Congregationem noſtram non recipiantur, ſine aſſenſu eorum, qui illis in locis præfecti ſunt.

Infirmorum extra Hoſpit. viſitatione, & curatione.

§. 10. Experiendo didicimus, plurimis maximiſque difficultatibus, & incommodis, animæ præſertim, eos conflictari, qui extra Noſocomia, & Carceres in aliis locis ægrotant, ac potiſſimum tenues, & plebeios homines, exteroſque qui conducto degunt. Quare volumus (adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto) à noſtris eos inuiſi & iis, quoad fieri poterit, adhiberi conſolationem, exhortationem, & alia huiuſmodi iuxta Conſtitutiones edendas, priuſquam vero illi ſenſuum vſum amittant, adducantur, pro cuiuſque conditione, & natura, ad proteſtationes, ſecundum formam Eccleſiæ Sanctæ faciendas, cumque ingraueſcet morbus, diu noctuque apud eos excubent noſtri, animamque commendent, ac ſalutaribus monitis opitulentur, magnumque ponatur in eo ſtudium, vt hortationibus piis informentur, ne tentationibus ſuccumbant, & in illo formidoloſo vitæ exitu confortentur, vt bene, ac diligenter commendentur animæ.

Emolumento ab eis nō quærendo.

§. 11. Caueant autem maxime, ne quiſquam eorum, qui ad vſendos per eiuſmodi loca ægrotos, & ad charitatem iis præſtandam, opem que offerendam, mittentur, ob labores ſuos vllum munus; aut rem, pecuniamue accipiat, nec vllam vel exiguam ſtipem, atque eleemoſynam, ſed omnia ad ſolam Domini Dei gloriam, animarumque ſalutem fiant, atque adminiſtrentur. Quinimo vt noſtrarum vtilitatum ratio omnis prætermittatur, nec quiſquam proprio emolumento ſtudeat, neutiquam noſtri ægroris auctores ſint neque conſilium dent, aut hortentur, vt aliquid erogent eleemoſynæ, aut teſtamentum faciant, aut legata relinquant in rem atque vtilitatem noſtram.

Officij diuini recitatione.

§. 12. Propter multas inſtituti noſtri occupationes, qui noſtrum ſacris ordinibus initiati erunt, diuinum officiū quotidie recitabunt, non in Choro, ſed priuatim ac ſigillatim, ceteri tertiam Beatiſſimæ Virginis Roſarij partem, eius Officium paruum.

Exemptione à proceſſionibus.

§. 13. Proceſſiones etiam ſolemniſſimas, ceteraſque ſolemnitates (quibus pie alij Religioſi Ordines interſunt) ipſi non obibunt, vt liberius, magiſque aſſidue ægrotis operam nauent, quo in miniſterio perſeuerare cupimus, immediate ſubditi curæ, animaduerſioni, ſpeciali protectioni ac defenſioni Sanctiſſimi D. N. Papæ, Sanctæque Sedis Apoſtolicæ.

Orationis & Sacramentorū frequentia.

§. 14. Vt autem ſpiritum noſtri recreent, ac paſcant, poſſintque tantam diuinæ gratiæ vbertatem adipiſci, vt munera, & officia ſua cum charitate exequantur, exercebunt ſe in oratione mentali & vocali, tum in examine conſcientiæ, ſeque ſæpiſſime munient Sacramento confeſſionis, & communione corporis Chriſti, nonnullis item abſtinentiis, quæ omnia conſtitutionibus particulatim exponentur.

Nouitiis recipiendis. Tu vide bullā Clem VIII. cit. in rubr.

§. 15. Ac quoniam noſtris, vt alterius ſaluti conſulant, cum proximis aſſidue conſeruandum eſt, volumus Nouitios, ſecundum formam edendarum conſtitutionum iam admiſſos, præter accuratam examinationem per biennium ante probari quam ad profeſſionem admittantur, qui à Præfectis, iuxta modum in eiſdem conſtitutionibus ſtatuendum, idonei exiſtimati fuerint, exacto biennio, profitebuntur.

Sacerdotum Habitu. Hoc habes in Sixt. conſtit. cit. in rubr.

§. 16. Veſtis erit pauperum atque honeſtorum Sacerdotum nigri coloris, pallio autem, ac tunicæ dumtaxat, qui profeſſionem fecerint, aſſuetur ad dexteram Crux oblonga ad palmi menſuram, ex panno caſtanei coloris qui vulgo tanens dicitur.

Laicorum & Sacerdotum numero. Tu vide d. conſt. Clem. VIII.

§. 17. Noſtri inſtituti ratio poſtulat, vt longè maior eſſe debeat Laicorum quam Sacerdotum numerus. Idcirco ſtatuimus eos tantum eſſe ſacris ordinibus deſtinandos, quos Præfectus Generalis, atque vna Conſultores, vel de eorum licentia alij Superiores, non apros modo ad ipſos ſacros ordines, ſed etiam ad miniſterium noſtrum, ex conſtitutionum præſcripto, congruentes ac neceſſarios iudicarint.

Studentibus.

§. 18. Idemque ſeruandum decernimus erga Clericos qui ad ſtudium admittentur, ij vero in eo ſe ex ipſarum conſtitutionum regulis exercebunt, vt ita literis vacent, ne mortificationis, & ægrotorum iuuandorum (provt Præfectis viſum fuerit) ſtudia omittant.

Locis recreationis.

§. 19. Propterea quod hæc exercitia cum diſciplina ſpirituali coniuncta, ærumnas, & incommoda afferunt quodque grauia ſunt nobis, ac terra loca frequentanda, experti ſumus, eorum tuendæ valetudinis cauſa, qui his

Digitized by Google

his officiis in Domino functi fuerint, aliquo loco opus esse vbi puro, libero, ac salubri aëre, grauis odor, & putor conceptus purgetur, nostrique è multis laboribus ac vigiliis respirent, quem etiam locum destinari cupimus nostris ex inualetudine se reficientibus, quo citius afflictæ vires recuperentur. Quare eiusmodi locum habere Congregatio poterit, idque fore interpretamur, salua, & integra cui dediti sumus, paupertate, eius autem loci qualitas constitutionibus definietur.

Nouitiorum habitatione.

§. 20. Quibus præterea in Vrbibus, & Oppidis Congregatio Nouitios educabit, possit habitationem habere separatam à professorum domo.

Pōtificis confirmatio supra dictarum regularum.

§. 21. Cum autem, sicut accepimus, in præmissis nihil, quod pium non sit, aut salutare reperiatur, Nos vt Camillus, & Socij præfati in eorum pie viuendi proposito, eo promptiores reddantur, quo se maiori Sedis Apostolicæ gratia & fauore complecti animaduerterint; & præmissa dictæ Sedis patrocinio communiri, & corroborari viderint, prouidere volentes, ad Camillum, & Socios prædictos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis, sententiis censuris, & pœnis, à iure vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, siquibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes & absolutos fore censentes. Necnon dictarum literarum Datam ac præmissorum omnium, & singulorum veriores, etiam totos tenores, ac occasiones, & causas, ac circumstantias, etiam hic de necessitate exprimendas, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis & insertis habentes, Motu proprio, non ad dictorum Camilli, & Sociorum præfatorum, aut aliorum pro eis nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia nostrs, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, præmissa omnia, & singula, tamquam ad spiritualem profectum animarum pertinentia, & opportuna, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur, & patrocinium adijcimus, & apponimus, omnesque, & singulos, tam iuris quam facti, ac quarumcumque solemnitatum, etiam substantialium, hic forsan de necessitate exprimendarum, & inserendarum defectus, perpetuo supplemus.

Sub Sedis Apost. protectione receptio

§. 22. Dictosque Camillum, & socios, ac ipsam congregationem, illiusque membra omnia, nunc, & pro tempore in quibusuis locis consistentia sub nostra, & huius sanctæ Sedis Apostolicæ, ac Beati Petri speciali & immediata protectione suscipimus, & admittimus.

Licētia omittendi supradicta quatuor vota.

§. 23. Et nihilominus potiori pro cautela, Camillo, & sociis præfatis ac eorum cuilibet, vt quandocumque eis visum fuerit, possint prædicta substantialia religiosæ vitæ, paupertatis, videlicet, castitatis, & obedientiæ, & perennis ministerij ægrotantium vota, iuxta præfatæ formulæ tenorem emittere. Et præfectus hac prima vice eligendus, in manibus cuiuscumque personæ in dignitate seu administratione Ecclesiastica constitutæ sæcularis vel cuiusuis Ordinis Regularis solemniter profiteri, & tam ipse quam alij pro tempore existentes Præfecti, & Socij eiusdem Congregationis, sub nomine, & nuncupatione Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, in communi, & de communi viuentes, in locis sibi forsan iam concessis vel in futurum concedendis, sub dicta immediata & speciali protectione in vnum habitare, & ex eis inter se Superiorem, Præfectum nuncupandum, eligere, vt præfertur, iuxta eorum formulam huiusmodi.

Et alios in Religionem recipien.

§. 24. Et quoscumque alios sæculares Clericos, quauis dignitate fungentes, seu Laicos, qui, Deo inspirante, ad huiusmodi propositum, & communem viuendi modum sese conferre, & conformare voluerint, recipere, & post approbationem, iuxta prædictam eorum formulam, ad huiusmodi votorum professionem, in manibus eorum Superioris, seu Præfecti emittendam, & ad communem viuendi modum admittere.

Statutaque faciendi.

§. 25. Necnon inter eos quascumque constitutiones particulares, quas ad huiusmodi congregationis, seu Religionis finem & Omnipotentis Dei gloriam, proximique vtilitatem conformes esse, & conducere, iudicauerint, & condere, & tam hactenus factas quam in posterum faciendas constitutiones ipsas, iuxta temporum & locorum ac rerum qualitatem, & varietatem mutare alterare, seu in totum cassare, & alias de nouo condere, facere, & edere possint, & valeant, quæ postquam mutatæ seu de nouo conditæ, editæ, ac ab Vrbis Vicario examinatæ, & approbatæ fuerint, eo ipso, dicta Apostolica auctoritate confirmatæ, & approbatæ, ac etiam de nouo concessæ, etiam sub quacumque data, per Præfectum, & seu alios Superiores dictæ Congregationis eligenda, sint, & esse censeantur, dummodo tamen sacris Canonibus, & Concilij Tridentini decretis, ipsiusque Congregationis Regularibus institutis non contrarientur, quas, vt præfertur, sine noua approbatione Sedis Apostolicæ, vel primo conditas vel mutatas seruare in omnibus teneantur, secundum instituti rationem.

Priuilegiorum concessio.

§. 26. Necnon etiam eidem Camillo, & sociis, ac pro tempore existentibus Præfectis Generalibus, aliisque omnibus, & singulis personis dictæ Congregationis, vt omnibus & singulis quibuscumque etiam speciali nota dignis priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, indultis, fauoribus, prærogatiuis, concessionibus, & gratijs quorumuis, etiam Cistercien. Cluniacen. ac sancti Benedicti Monachis, Clericis regularibus, & presbyteris Collegialibus Societatis IESV, & Canonicis Congregationis Lateranen. ac quibuscumque alijs Clericis Regularibus & aliorum, tam Mendicantium quam non Mendicantium, Ordinum, & Congregationum fratribus & personis, tam in spiritualibus quam in temporalibus, in specie vel in genere, etiam communicatiue, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Sedem præfatam quomodolibet concessis, quæ tamen sunt in vsu, nec vllis reuocationibus comprehensa, neque decretis dicti Concilij, nec ipsius Congregationis Regularibus institutis contraria, & quibus illi, tam in vita quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones, & iniunctarum pœnitentiarum relaxationes, aut alias quomodolibet vti, potiri, frui & gaudere possunt aut poterunt quomodolibet in futurum perpetuis futuris temporibus vti, potiri frui, & gaudere, ac illorum omnium participes esse possint, & debeant pariformiter, & æque principaliter, absque vlla prorsus differentia, perinde ac si Congregationi, Præfectis, Socijs, ac personis, & eorum domibus & Ecclesijs vel Oratoriis huiusmodi nominatim & specialiter ac generaliter concessa fuissent.

Facultas Generalis omnes subditos absoluendi, &c. Tu vide confti Clem. VIII. Quæcūque n. 115.

§. 27. Ac pro tempore existenti Præfecto generali huiusmodi, vt per se vel alium seu alios, ad id per eum pro tempore deputatum seu deputatos, omnesque & singulos eiusdem Congregationis Socios, & personas sub eius obedientia, disciplina, & correctione pro tempore degentes, ab omnibus & singulis eorum peccatis, ante vel post ingressum in dictam Congregationem per eos commissis, necnon à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis, & sæcularibus sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, non tamen nominatim, quomodolibet latis & promulgatis, & huiusmodi sententiis innodatos aut in locis Ecclesiastico interdicto suppositis, diuina officia celebrantes & suscipientes, & censuris huiusmodi sic ligatos, & propterea, aut alias ex quocumque capite vel causa, præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, ac membrorum mutilationum irregularitatem incurrentes, Apostol. auctoritate in foro conscientiæ tantum absoluere, necnon cum eis, si opus fuerit, etiam cum rehabilitatione & absterſione inhabilitatis & infamiæ maculæ dispensare, ita tamen, quod sic absoluti & dispensati pro tempore, si ab huiusmodi Congregatione quandocumque egrediantur, eo ipso in pristinas sententias & censuras, à quibus eos absolui contigerit, relabantur & reincidant.

Facultas omnia professorū suscipien. Ordines à quocumque Antistite.

§. 28. Ipsisque Socijs, & Fratr. expresse professis Congregationis huiusmodi, & eorū singulis vt à quibuscumque maluerint Catholicis Antistitibus gratiam & communionem dictæ Sedis habentibus, ad sacros, etiā presbyteratus ordines, sub titulo paupertatis Congregationis huiusmodi

Digitized by Google

huiuſmodi promoueri, de licentia tamen Præfecti, ſeu alterius eorum Superioris, ſecundum eorum conſtitutiones, ipſique Antiſtites ordines ipſos huiuſmodi Socijs, abſque obedientiæ, & omni alia promiſſione vel obligatione conferre.

Facultas Generalis diſpẽſandi ſup. defectu natalium.

§. 29. Ac dicto Præfecto generali pro tempore exiſtẽti, ſeu de illius licentia Præfectis inferioribus aliorum locorum, ſeu Prouincialibus dictæ Congregationis pro tempore exiſtentibus, & illorum Vicariis, ac Locatenentibus vt cum eiuſdem Congregationis perſonis defectũ natalium, etiam ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, & quouis alio nefario & illicito, ac prohibito, & damnato coïtu prouenientem patientibus, poſtquam in dicta Congregatione vota emiſerint, vt defectu huiuſmodi non obſtante ad quoſcumque ſacros, etiam preſbyteratus ordines promoueri, & in illis, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, necnon ad quaſcumque adminiſtrationes, perſonatus, præeminentias, & officia dictæ Congregationis eligi, admitti, & aſſumi, illaque gerere, & exercere.

Aliaque loca recipiendi.

Tu vide bullam 99. Cl. 8. Quoniam.

§. 30. Ac Præfecto & Socijs Congregationis huiuſmodi, vt quæcumque loca, & domus ad inhabitandum eis donata, vel ab illis quomodolibet habita, in domos & Oratoria Ordinis, & Congregationis huiuſmodi erigere, facere ſeu erigi procurare, abſque noua dictæ Sedis deſuper obtinenda approbatione, libere, & licite poſſint & valeant. Necnon ſi contingat Præfectum, & Socios ipſos aliquam domum, Eccleſiam, Oratorium, ſeu quemuis alium locum dictæ Congregationis ædificare, & conſtruere, ſeu id per alicuius perſonæ teſtamentum mandari, vel quouis modo offerri domum, Eccleſias, ſeu Oratoria, vel loca huiuſmodi, cum omnibus ad id neceſſariis & opportunis conſtrui, & ædificari, ac locum pro huiuſmodi conſtructione oblatum recipi poſſe, ipſaſque domos, Eccleſias, Oratoria, & cellas vbilibet per dictos ſocios pro tempore conſtructa, vel eis donata, eo ipſo quo ædificata vel donata fuerint Apoſtolica auctoritate erecta, approbata, & confirmata, ac bona quæcumque pro domorum vel Oratoriorum huiuſmodi ver perſonarum inibi commorantium ſuſtentatione & manutentione, per quoſque Chriſti fideles pro tempore donata, relicta, & legata, eo ipſo, prædicta auctoritate, perpetuo applicata, & appropriata eſſe, & cenſeri, Eccleſiaſque, & Oratoria præfata cum cœmeterijs per quoſcumque Epiſcopos, benedici ſeu conſecrari, & quouis modo polluta reconciliari poſſint, & debeant perpetuo concedimus & indulgemus, ſtatuimus, & ordinamus.

Appellatio à correctione prohibetur.

§. 31. Et volumus quod à correctione regulæ Congregationis huiuſmodi, ſecundum ordinationes factas, vt vigor diſciplinæ melius conſeruetur, appellari, aut talis appellatio per vllum Iudicem admitti, nec ab officiis abſolutio, aut priuatio peti nullatenus poſſit.

Et impetratio Prælaturæ Tu ad hoc vide bullam Cl. VIII. cit. in rub.

§. 32. Nec Præfectus generalis dictæ Congregationis pro tempore exiſtens, aliquam dignitatem extra Religionem ſeu Congregationem ipſam, ſine eiuſdem, ſeu illius Congregationis expreſſa licentia, nec aliquis ex ſociis huiuſmodi, abſque conſenſu dicti Præfecti generalis, & expreſſa licentia, quæ dari non valeat, niſi ad id à Romano Pontifice per obedientiæ præceptum pro tempore fuerint coacti, prælaturæ, vel quamcumque aliam dignitatem acceptare, vel ad illam aſſumi queant.

Et alteri quã Præfecto confitendi.

§. 33. Necnon quod quilibet ex Socijs Congregationis huiuſmodi peccata ſua proprio Præfecto, vel ab eo deputato ſeu deputaris, & alias, ſecundum ordinationes Congregationis præfatæ deſignatis ſeu deſignandis, confiteri debeat, niſi ſuper hoc à dicto proprio Præfecto alium Confeſſorem eligendi facultatem habuerit.

Ad alioſque Ordines transeundi.

§. 34. Ac inhibemus, ne quis poſt emiſſa vota, ſecundum conſtitutiones ſeu ordinationes eiuſdem Congregationis, ad quemuis alium Ordinem, etiam per Sedem præfatam approbatum (Cartuſienſium Ordine dumtaxat excepto) transferri, egreſſi vero alias, quam, vt præfertur, de Ordine ſeu conſortio huiuſmodi, in nullo alio præterquam Cartuſienſium Ordine prædicto admitti, recipi vel retineri poſſint.

Apoſtata coerceantur.

§. 35. Ipſi Præfectus generalis, & alij inferiores Præfecti eiuſdem Congregationis, per ſe vel alios, illos ſic egreſſos, & alios quoſcumque dictæ Congregationis Apoſtatas, & etiam alios quoſuis inſolentes, & qui id mereri videbuntur, in quocumque habitu apoſtatas præfatos contigerit repetiri, excommunicare, capere, incarcerare, coërcere & alias ſuæ diſciplinæ ſubmittere, necnon ad id, ſi opus fuerit, auxilium brachij ſæcularis inuocare.

Congregationes laicorum recipi poſſint. Tu vide bullã 115. Cl. VIII. Quacumque.

§. 36. Inſuper Præfecto generali, vel de eius licentia alijs locorum Præfectis ſeu ſuperioribus dictæ Congregationis, etiam pro tempore exiſtentibus, vt in ſua Congregatione quoſcumque alios ſæculares, laïcos ſeu in preſbyteratus ordine conſtitutos aggregare, & adijcere, pro pijs miſericordiæ, & charitatis operibus huiuſmodi exercendis, qui ſic aggregati, omnibus, & ſingulis indulgentijs, & gratijs eiuſdem Congregationis gaudeant, & potiantur, & gaudere ac potiri debeant, & illas conſequantur, dummodo ea opera faciant, & exerceant, quæ pro eiſdem indulgentiis, & gratiis conſequendis fuerint præſcripta.

Diuina officia celebrentur.

§. 37. Necnon Præfecto generali, & aliis Superioribus, necnon de eorum etiam facultate, vniuerſis fratribus & ſocijs Congregationis Miniſtrantium Infimis huiuſmodi, in preſbyteratus ordine conſtitutis, vt in locis vbi degunt, & eos pro tempore morari contigerit, habere Oratoria, & in eis Miſſas & alia diuina officib celebrare, ac Eccleſiaſtica ſacramenta recipere, libere, & licite poſſint, & valeant reſpectiue etiam concedimus, & indulgemus.

Exemptis ab Ordinariorũ ſuperioritate iuxta Concil. Tridenc.

§. 38. Ipſãmque Congregationem Miniſtrantium Infirmis, & vniuerſos illius ſocios, & perſonas ſingulas, ac eorum bona, & res quaſcumque ab omni Superioritate, iuriſdictione, correctione, & viſitatione quorumcumque locorum Ordinariorum, & Epiſcoporum, ſalua tamen decretorum dicti Concilij diſpoſitione, eximimus, & penitus liberamus.

Priuilegia omnium Ordinum.

§. 39. Necnon priuilegia, indulgentias, prærogatiuas, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta, Monachis, & Fratribus, ac Societatis Ieſu, & Canonicis, alijſque perſonis ſupradictis, tam in ſpiritualibus quam in temporalibus, tam in ſpecie quam in genere, etiam communicatiue conceſſa, vt præfertur, ad Præfectum generalem etiam pro tempore exiſtentem, alioſque ſocios & etiam particulares Congregationis huiuſmodi Miniſtrantium Infirmis, perpetuo extendimus, & ampliamus, ac in eis locum habere, & ſuum plenarium effectum ſortiri debere decernimus, & declaramus.

Indulgentia.

§. 40. Et inſuper animarum profectui prouidere volentes, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui dictam Congregationem pro tempore ingredientur, die primi illorum ingreſſus, & receptionis ac emiſſionis profeſſionis, necnon qui ſimiliter pœnitentes, & confeſſi, ſi id commode fieri poterit, ac dicta communione refecti, in dicta Congregatione pro tempore deceſſerint, in eorum mortis articulo, præſertim in proximi ſubuentionem, ratione peſtis, ſeu cuiuſcumque alterius morbi contagioſi, in forma Iubilei Anni S. Romæ concedi ſoliti, Nechon etiam vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento refectis in piorum operum miſericordiæ, & caritatis exercitio perſeuerantibus, ſingulis primis diebus Dominicis cuiuſlibet menſis, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Ac eiſdem Sociis, & Religioſis dictæ Congregationis, & in ea aggregatis, vt etiam omnibus, vt præfertur, & ſingulis indulgentiis, quibus ipſimet Religioſi gaudent, & eos gaudere, ac potiri volumus, quotieſcumque Infirmis præſto fuerint, ac illos noctu viſitauerint, & curauerint, eorumque lectos faciendo, ac illis ad manducandum porrigendo, & auxiliando, ac diſponendo ad bene moriendum & viam ſalutis, ac Doctrinam Chriſtianam illos docendo, ac denique omnia officia charitatis, vel ſpiritualia vel corporalia, quæ ad animarum ædificationem pertinent, exercendo, & Sacramenta Eccleſiaſtica adminiſtrãdo, ceteraque ſimilia præſtiterint, pro quolibet præmiſſorum piorum operum, necnon omnibus & ſingulis officialibus, & miniſtris, ac aliis perſonis dictæ Congregationis ob infirmitatem, vel propter

Digitized by Google

propter obedientiam, seu alia de causa domi remanentibus, si quinquies Orationem Dominicam,& toties salutationem Angelicam deuote recitauerint, etiam viginti annos, & totidem quadragenas de eis iniunctis, & alias quomodolibet debitis pœnitentijs misericorditer in Domino relaxamus. Ac quod omnes, & singuli vtriusque sexus benefactores huius Congregationis, possint esse participes omnium operum meritoriorum quæ in Congregatione huiusmodi pro tempore fient, etiam concedimus, & indulgemus.

Clausula præseruatiua.

§. 41. Decernentes easdem præsentes literas, sub quibuscumque similium vel dissimilium indulgentiarum, vel aliarum gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogauimus, & aliis contrariis dispositionibus, etiam in fauorem Basilicæ Principis Apost. de dicta Vrbe, seu Cruciatæ S. aut etiam per nos seu per alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac dictam Sedem, etiam Motu,& potestatis plenitudine similibus,sed ad quorumuis Imperatorum, & Regum instantiam, pro tempore quomodolibet factis, minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de nouo concessas esse, & censeri debere.

Clausula sublata, &c.

§. 42. Sicque per quoscumque Iudices,& Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Card. & causarum Palatij Apost. Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate,& auctoritate vbique iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executores & defensores.

§. 43. Quocirca Venerabilibus fratribus nostris Ostien. & Tusculan. Episcopis, ac dilecto filio causarum curiæ Cameræ Apostol. generali Auditori, per Apost. scripta, Motu pari mandamus, quatenus ipsi vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas, ac omnia, & singula in eis contenta, vbi & quando expedierit,ac quoties pro parte Præfecti, & Sociorum prædictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præinsertis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præmissa omnia obseruari. Non permittentes Præfectum, ac socios præfatos desuper à quoquam quomodolibet molestari seu inquietari, contradictores dicta auctoritate nostra appellatione postposita compescendo.

Derogatio contrariorum.

§. 44. Non obstantibus piæ memoriæ Bonifacij Papæ Octaui etiam prædecessoris nostri qua cauetur, ne Mendicantes loca ad inhabitandum recipere, seu recepta mutare præsumant, absque dictæ Sedis licentia speciali, de prohibitione huiusmodi expressam mentionem faciente; Necnon dicti Sixti prædecessoris, ac Pictauien. Concilij, contra illegitimos, & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, ac nostra, de non concedendis indulgentiis ad instar constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,ac Cistercien. Cluniac. S. Benedicti,Mendicantium, & Societatis Iesu, & Canonicorum Lateran. Ordinum huiusmodi, iuramento, confirmatione Apostolica,vel quauis firmitate alia roboratis, & consuetudinibus priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, quibusuis personis per quoscumque Rom. Pontifices prædecessores nostros præfatos, ac nos & dictam Sedem, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus; ac quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus; & insolitis clausulis,irritantibusque & aliis decretis,in genere vel in specie ac alias quomodolibet etiam pluries concessis, approbati, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quæuis alia expressio habenda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse, Motu pari derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim,ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi,vel excommunicari non possint,per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§. 45. Volumus autem, quod earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Canonici Metropolitanæ vel alterius Cathedralis Ecclesiæ,seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus eisdem adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Fides transumptorum.

§. 46. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginã nostræ absolutionis,approbationis,confirmationis, adiectionis, concessionis, appositionis,susceptionis, admissionis, indulti, statuti, ordinationis, exemptionis, liberationis, extensionis, ampliationis, decreti, declarationis, relaxationis, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac B. Petri & Pauli Apost. eius se nouerit incursurum.

Sanctio pœnalis.

Datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1591. 11. Kal. Oct. Pont. nostri anno quarto.

D. P. A 1 die 21. Septemb.

Confirmatio gratiarum, & indultorum Eremi Camaldulensis, Congregationisque dicti Eremi, & S. Michaëlis de Murano Ordinis Camaldulensis sub Regula S. Benedicti. Cum priuilegiorum quibuscumque aliorum Religiosorum, etiam Mendicantium Ordinibus concessorum & concedendorum, communicatione. XVIII.

Alia de hoc Ordine Camaldulensi, indicaui sup. in constit. 1. Alexandri II. Nulli, *Priuilegia autem signanter vide sup. in Alexand. IV. const. 11.* Officij. *& in Leon. X. const. 2.* Etsi, *ac Pij V. const. 41.* Et si mendicantium, *in fin.*

GREGORIVS PAPA XIV.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1591.

EX iniuncto nobis desuper Apost. seruitutis officio ad ea, quæ à prædecessoribus nostris pro Ecclesiasticarum, præsertim Regularium personarũ, quæ sub suaui Religionis iugo Altissimo famulantur, directione, & tranquillitate, statuta, & concessa fuerunt, conseruanda, & augenda, libenter inducimur, vt Apost. gratijs & fauoribus circumsepti, & muniti cum maiori quiete, ac deuotionis feruore, sub regularis vitæ obseruantia, ac Monastica disciplina, viuere, ac Deo Optimo Maximo preces fundere liberius valeant.

Proœmium.

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Generalis & Visitatorum, ac Prioris Eremi, necnon Congregationis eiusdem Eremi, & S. Michaëlis de Murano Camaldulen. Ordinis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias felicis recordationis Leo X. Clemens VII. Paulus III. Iulius etiam tertius, Gregorius XIII. & Sixtus V. ac alij etiam Romani Pont. prædecessores nostri, tunc existen.Generali & Visitatoribus,ac Priori Eremi,necnon Congregationis eiusdem Eremi, & S. Michaëlis de Murano, diuersa priuilegia, facultates, & indulta, ac gratias spirituales & temporales concesserunt, omniaque & singula priuilegia, indulta, facultates, & gratias, ac concessiones ipsis, ac personis, domibus & bonis eorumdem eatenus, tam Apostolica quam Ordinaria, Imperiali vel Regia auctoritatibus quomodolibet concessa, & consuetudine legitima præscripta, acquisita, Apostolicæ auctoritate, certis modo & forma, confirmauerunt.

Plures Romani Pont. Congregationi indulta concessêrunt.

§. 2. Ac inter alia statuerunt & voluerunt, quod Monasteria, Prioratus, Ecclesiæ, Hospitalia, Capellæ, & loca dicti Ordinis & Congregationis, tunc & pro tempore existentia, ac eorum quodlibet, necnon Abbates, Priores, Abbatissæ,Fratres & Sorores,ac personæ in eis degentes, in ius & protectionem Beati Petri & Sedis Apostolicæ, ac sub eorum & sua protectione essent.

Et loca eiusdem sub Sedis Apost. protectione susceperunt.

§. 3. Eademque Monasteria,Ecclesiæ,Prioratus,& loca manualia, granciæ, possessiones, & bona,ac Prælati & personæ Congregationis prædictę,ab omni impositione exactione,

Exemerũtque ab omni collecta,decima, &c.

Digitized by Google

exactione, collecta, decima, caritatiuo ſubſidio, ac alio quocumque reali ab perſonali, mixto munere, vel grauamine, omnino immunes eſſent & exempti.

Loca omnia Congregationi iuncta, per eius Prælatos conferri mandauit.

§. 4. Statuto præterea, quod omnia & ſingula Monaſteria, Hoſpitalia, Prioratus, & beneficia Eccleſiaſtica, & loca eidem Congregationi vnita & aggregata, ſeu in poſterum aggregranda per quoſcumque, cuiuſuis dignitatis fuerint, in titulum vel commendam obtenta, cum primum per ceſſum vel deceſſum illa obtinentium vacarēt, ad eumdem Ordinem effectualiter reuerterentur, & Congregationi prædictæ huiuſmodi pleno iure, & cum effectu aggregarentur, poſſentque Prælati & alij, qui beneficia & loca aliqua dicti Ordinis, in titulum vel commendam haberent, titulo & adminiſtrationi dictorum locorū, in manibus Generalis, & Capituli cedere; qui poſſeſſiones huiuſmodi admittendi poteſtatem habere intelligerētur ad hoc, vt eidē Congregationi vnirentur, & effectualiter aggregarentur; ita tamen, vt loca, quæ ſic applicari contingeret, Monachis dictæ Religionis iuxta eorū inſtituta cōcedēda, debitis propterea non fraudarentur obſequijs, ſed per Prælatos Monaſteriorū vel locorū quibus applicata forent, & annexa, onera & officia cōſueta implerētur.

Prælatorum eiuſdem Monaſterij profeſſorum numerum taxarūt.

§. 5. Inſuper ſtatuerunt & ordinarunt, quod & eiuſdem & Ordinis Prælatorum numerus augeri non poſſet, nec plures eſſent quam ſeptem, qui eſſent eiuſdem Monaſterij profeſſi; excepto tamen Generali, qui in dicto numero non comprehenderetur.

Generali poſtatem abſoluendi Monachos &c. ampliſſimam dederunt.

§. 6. Ac propterea eidem Generali pro tempore exiſtenti vt Monachos ac Moniales de Cōgreg. à quibuſuis etiam maioris excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, & quibus pro tempore irretiti forent, etiam ſi illorum abſolutio dictæ Sedi ſpecialiter vel generaliter reſeruata foret, ſatisfacto tamen ijs ad quorum inſtantiam cenſuræ ipſę forſan emanauerant; ac à quibuſuis irregularitatibus tam de iure quam ex ipſius Eremi conſtitutionibus, & regularibus inſtituris, quomodolibet prouenientibus, & quibuſcumque alijs peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantumcumque grauibus & enormibus, etiam talibus, quod de illis eſſet Sedes prædicta merito conſulenda, & dictæ Sedi qualitercumque reſeruatis, exceptis contentis in Bulla in die Cœnæ Domini legi conſueta, quoties opportunum foret, eorum confeſſionibus diligenter auditis, abſoluere, ac eis pro cōmiſſis pœnitentiam ſalutarē iniungere, ac ſeipsū, etiā à quocūque alio Prelato vel Eremita Sacerdote vices ſuas illi cōmittendo; abſolui facere libere & licite poſſet, facultatem conceſſerunt.

Tu vide moderationem Clem. VIII. in ejus bulla 115

Priori & Eremitis Camaldulen. omnia indulta Eremi S. Romualdi communicarunt.

§. 7. Eiſdemque Priori & Eremitis Eremi huiuſmodi, quod omnibus & ſingulis priuilegijs, indultis, conceſſionibus, indulgentijs, & gratijs, Eremitis S. Romualdi, alias de Maſſalio in genere quomodolibet conceſſis, approbatis & innouatis, ac quibus Eremitæ Congregationis S. Romualdi huiuſmodi vtebantur, potiebantur, & gaudebant, ac vti, potiri, & gaudere poterant quomodolibet in futurum, vti, gaudere, & potiri, libere & licite poſſent.

Dubiaq. deſuper orienda, in ſuorum Congreg. interpretari decreuerunt.

§. 8. Et quod quicquid dubij in dictis priuilegijs, conceſſionibus, & gratijs emerſerit, id, data verborum ambiguitate, ac iuris peritorum interpretatione, in fauorem Congregationis, & locorum particulariem eiuſdem interpretari deberet, ſtatuerunt & ordinarunt, provt in diuerſis dictorum prædeceſſorum deſuper confectis literis & ordinationibus viuæ vocis oraculo factis, plenius continetur.

Hic modo Pont. præditta omnia confirmat.

§. 9. Quare pro parte Generalis, & Viſitatorum, ac Prioris Eremi, necnon Congregationis eiuſdem Eremi, ac S. Michaëlis de Murano huiuſmodi nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt ſingulis prædictis, ceteriſque in eiſdem literis contentis robur noſtræ approbationis adijcere, & alias in præmiſſis opportune prouidere, de benignitate Apoſt. dignaremur. Nos igitur eoſdem Generales & Viſitatores, ac Priorem Eremi, necnon Congregationem eiuſdem Eremi, & S. Michaëlis de Murano, ac ſingulares perſonas Monaſteriorum & locorum eorumdem, ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes, precibus etiam Venerabilis fratris noſtri Ptolomæi Epiſcopi Tuſculanenſis S. R. E. Card. Comenſis nuncupati, eiuſdem Ordinis & Religionis Camaldul. Protectoris inclinati, eoſdemque Generalem, Viſitatores prædictos à quibuſuis excommunicationis & cenſuris, ac ſingularum literarum prædictarū verieres tenores, acſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, ceſſiones, vniones, aggregationes, & incorporationes ſingulorum Monaſteriorum, Eccleſiarum, Hoſpitalium, Beneficiorū & locorum quorumcumque, in eiſdem prædeceſſorum literis, & præſertim Leonis X. expreſſorum, eidem veſtræ Congregationi vigore eorumdem indultorum Apoſtolic. & facultatum huiuſmodi hucuſque factas, & quæ effectū ſortitæ ſunt, ratas & validas, ac efficaces exiſtere, decernimus & declaramus. Necnon vniones & aggregationes huiuſmodi, ac omnia & ſingula priuilegia, facultates & indulta præmiſſa, provt expreſſa ſunt, necnon omnia & quæcumque alia priuilegia, indulta, conceſſiones, exemptiones, immunitates, facultates & gratias, tam ſpirituales quam temporales, Generali, Viſitatoribus, Priori, & Congregationi, ac Ordini prædicto, necnon Monaſteriis, Eccleſijs, domibus & locis, illorumque ſingularibus perſonis, tam per dictos prædeceſſores, quam alias quomodolibet dicta auctoritate Apoſtol. conceſſa, necnon ſingulas dictorum prædeceſſorum literas, ac omnia & ſingula in illis contenta, & inde ſecuta quæcumque quatenus ſint in vſu, & provt hactenus obſeruata fuerūt, Apoſtolica auctoritate prædicta, ex certa noſtra ſcientia tenore præſentium approbamus, confirmamus & innouamus, illiſque perpetuę ac inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, ac omnes & ſingulos, tam iuris quam facti, ac ſolemnitatum quarumcumque quomodolibet omiſſarū, alioſque defectus, ſiqui forsā interuenerint in eiſdem ſupplemus; vnioneſque & aggregationes, ac omnia alia & ſingula præmiſſa, & in eiſdem literis contenta, & comprehenſa, ac ſuperius expreſſa, eiſdem Generali, Viſitatoribus, Priori, & Congregationi, ac prædictis, eorumque perſonis & Miniſtris, & cuilibet eorum, auctoritate & tenore prædictis, etiam de nouo, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine perpetuo concedimus & indulgemus.

Ordinariis vt in prædictis Congregationi faueant iubet.

§. 10. Ac diſtinctius præcipiendo mandamus, quibuſuis Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac locorum Ordinariis quibuſcumque, vt ſuper priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, facultatibus, gratiis huiuſmodi, tam ſpiritualibus quam temporalibus, eoſdem Generalem & Abbates, etiam ratione Viſitationis, correctionis, aut alio quouis prætextu, etiam reſpectu Monaſteriorum Monialium eiuſdem Ordinis, ſub cura & gubernio Generalis & Abbatum prædictorum exiſtentium, vllatenus moleſtare, inquietare, vel perturbare audeant vel præſumant.

Indulta quæcumcumque Regularium Congregationi elargitur.

Quoad indulgentias vide immutationē in bull. 16. Paul. V. Romanus.

§. 11. Ac præterea volentes, eoſdem Generalem, Viſitatores, Priorem Eremi necnon Congregationis eiuſdem Eremi, ac S. Michaëlis de Murano, ac Ordinem prædictum Camaldulenſem ampliorib⁹ fauoribus & gratiis proſequi, eiuſdem Generali, Viſitatoribus, Priori, Monaſteriis, domibus, & locis, Ordinis & Congregationis prædictæ, omnia & ſingula priuilegia, prærogatiuas, conceſſiones, iuriſdictiones, cautelctiationes, fauores, facultates, declarationes, depoſitiones, immunitates, exemptiones, indnlta, cuiuſcumque generis exiſtentia, necnon indulgentias etiam plenarias, ac peccatorum remiſſiones, & ceteras gratias ſpirituales & tēporales, quibuſuis aliis Regularium Congregationum Ordinibus, eorumque Monaſteriis, tam virorum quam mulierum, eorumque Generalibus, Abbatibus, aliiſque Superioribus & perſonis eorumdem, in quibuſcumque Mundi partibus exiſtentibus, alias quomodolibet conceſſa & concedenda, ac quibus de iure, vſu, conſuetudine, vel priuilegio, aut conceſſione Apoſtolica, Regia, Imperiali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, in genere vel in ſpecie, tam coniunctim, quam diuiſim, etiam per viam communicationis & extenſionis alias quomodolibet vruntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri & gaudere quomodolibet poſſunt & poterunt in futurum, etiamſi talia ſint vel fuerint, quæ ſpecialem & indiuiduam requirerent mentionem, ſeu præſentibus de verbo ad verbum inſertionem, & ſeu particularem conceſſionem eiſdem auctoritate & tenore perpetuo communicamus, extendimus & concedimus. Ita quod iidem Generalis, Viſitatores, Monaſteria, & loca prædicta, vt præfertur, ac eorum Prælati, Fratres, & perſonæ prædictæ, ac eorum res & bona, ſub eorum

Digitized by Google

eorum cura, & secundum eiusdem Congregationis institutа, nunc & pro tempore viuentes & existentes, præmissis omnibus singulis æque pariformiter, & absque alia penitus differentia, perinde ac si illis, & eorum singulis personaliter & specialiter, & expresse ac nominatim, necnon ad instar concessa essent, in quantum eidem Congregationi expediat, (dummodo eiusdem Congregationis regularibus Ordinibus, eiusque gubernio, priuilegiis, constitutionibus & definitionibus non aduersentur) vti, frui, potiri, & gaudere, libere & licite possint & valeant.

Prælatorum, numerū eiusdem Monasterij professorum auget.

§. 12. Insuper cum eiusdem Ordinis & Congregationis Prælati, qui sint eiusdem Monasterij professi, plures quam septem, excepto Generali, qui in dicto numero non computatur, Ordinationibus Apostolicis minime esse valeant, tenore præsentium, eadem Apostolica auctoritate numerum Prælatorum dictæ Congregationis augemus; ita quod futuris temporibus octo Prælati eiusdem Monasterij professi (excepto Generali, quem in dicto numero volumus non comprehendi) esse possint & valeant; ac præsertim in his dictæ suæ Congregationis, Monasteriis, & Ecclesiis, videlicet, Sanctæ Mariæ à Puteo Straræ, Taurinensis, Sancti Viti in Carcubio Mediolanen. Sanctorum Catherinæ & Romualdi Cremonen. necnon S. Augustini de Bassiano de Abrutio, etiam S. Nicolai de Cornu eiusdē Prouinciæ Abrutij Pennen. suos Abbates & Prælatos eligere, deputare, ac instituere, vt & in aliis suis Monasteriis dictæ Congregationis possint & valeāt.

Clausula iublata, &c.

§. 13. Decernentes sic & non aliter per quoscumque Iudices, quauis auctoritate fungentes, etiam loeorum Ordinarios, ac S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, Vicelegaros, Sedis Apostolicæ Nuncios, & causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate vbique iudicari & definiri debere; irritū quoque & inane, quicquid secus super his à quoquā quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§. 14. Et nihilominus eidem Venerabili fratri nostro Ptolomæo Episcopo Tusculan. S.R.E. Cardin. Comensi eiusdem Congregationis & Ordinis Protectori nunc & pro tempore existen. ac dilecto filio Curiæ causarum Cā. Apostolicę generali Auditori, per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi vel duo aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdē Generalis, Visitatorum, Prioris Eremi, & Congregationis prædictæ, aut alicuius eorum fuerint requisiti solemniter publicātes, eisque in præmissis efficacis, defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eaidem præsentes literas, & in eis quæcumque inuiolabiliter obseruari, ac plenum effectum sortiri, necnon Generalem, Visitatores, Abbates, Priores, & Monachos prędictos, & eorum singulos omnibus præmissis pacifice frui & gaudere, non permittentes eos & eorum, quemlibet deluper contra præsentium tenorem, sub quouis prætextu, etiam subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, etiam defectu intentionis nostræ per quoscumque quomodolibet molestari, perturbari, vel impediri. Contradictores quomodolibet & rebelles, etiam per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia appellatione postposita compescendo; legitimisque super his habendis, seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Clausula derogatoria.

§. 15. Non obstan. nostra de non concedendis indulgētiis ad instar, ac fel. recordat. Bonifacij Papę Octaui prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, aliisque Apostolicis, & in Prouincialibus & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, etiā iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, cōsuetudinibus, declarationibus, inhibitionibus & decretis; priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, Legatis, Nunciis, & Ordinariis, ac Congregationibus & Ordinibus prædictis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, & decretis irritantibus, in genere vel in specie, per quoscumq; Rom. Pont. prædecessores nostros, ac nos & Sedem, Apostolicam, etiam Motu simili, & consistorialiter, aut alias quomodolibet concessis, & etiam iteratis vicibus approbatis & innouatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque tenoribus & formis specialis, specifica, expressa, & individua, ac si de verbo ad verbū, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, etiamsi in eis caueretur expresse, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo & formis derogari possit, illorum, omnium & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie ad effectū præmissorum derogamus, ceteriisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Clauſ. præſer. ualida.

§. 16. Volumus autem, vt præsentibus nostris literis per quascumque reuocationes, seu Apost. constitutiones, sub quibuscumque verborum formis, etiamsi Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apost. potestatis plenitudine emanauerint, derogari non possit, nisi eorumdem priuilegiorum, & præsentium totus tenor de verbo ad verbum inseratur, ac de omnibus & singulis dictę Congregationis Monasteriis nominatim specifica mentio fiat.

Fides transumptorum.

§. 17. Quōdque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Prælati dicti Ordinis, aut Protectoris, ac Notarij publici subscriptis & sigillo dictæ Congregationis, aut alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constituræ munitis, eadem fides adhibeatur, in iudicio & extra, quæ eisdem, præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An. 1 24. Septemb.

Datum Romæ apud S. Marcum, sub Annulo Piscatoris die 24. Septembris, millesimo quingentesimo primo, Pontificatus nostri anno primo.

XIX. Moderatio indultorum S.R.E. Cardinalium, super collatione beneficiorum.

Aliam moderationem edidit Pius V. sup. in eius constit. 17. Sanctissimus. *Et aliam quam videas edidit, postremo Paulus V. in const.* 58. Sanctissimus. *vbi notabo.*

Quod Capitula Ecclesiarum Cametralium quibus S.R.E. Cardinales præsunt, ex indultis conferendi Beneficia Ecclesiastica reseruata vel affecta eisdem Cardinalibus concessis, nullum ius prætendere possint; declarauit Sanctiss. D.N. Vrban. VIII. const. 59. *Accepto.* inf. tom. 4. Qui const. 60. *Licet.* declarauit, quod S.R.E. Cardinales Ecclesiarum Præsules, indulto conferendi Beneficia Ecclesiastica ratione Ecclesiarum, quibus præsunt, vel quarum regimine vltimo loco cesserunt, dumtaxat vti possint.

Edita An. D 1591.

SAnctissimus in Christo Pater & D.N.D. Gregorius diuina prouidentia Papa XIV. ex quibusdam contra dispositionem iuris communis Sanctæ R. E. Cardinalibus, super collatione beneficiorum Ecclesiasticorum apud Sedem Apstolicam vacantium concessis indultis & facultatibus, sæpenumero impeditus quo minus solitam Sedis huius benignitatem erga, pauperes, & benemeritos liberaliter exercere possit, ac simul volēs litibus obuiare, quę super illorum interpretatione oriuntur. fel. recordat. Pij Papæ V. sui prædecessoris vestigiis in hac parte inhærēdo:

Moderatio indultorum Sanctæ R.E. Card. super collatione beneficiorum.

§. 1. Omnia & quæcumque indulta, concessiones, facultates, & priuilegia, conferendi quæcumque apud Sedem Apostolicam vacantia, aut in posterum vacatura beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura, sæcularia & quorumuis Ordinum regularia, quomodocumque qualificata, ad collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, & quamcumque aliam dispositionem, tam dictorum Cardinalium ratione Patriarchalium, Metropolitan. & Cathedralium Ecclesiarum, non tamen earum quibus in titulum aut denominationem sui Cardinalatus præsunt, circa quæ aliquid de nouo disponere non intendit;

Digitized by Google

tendit,necnon Monasteriorum Prioratuum, dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ quomodolibet obtinent, & imposterum obtinebunt,ac etiam quorum collatio,prouisio,& quæuis alia dispositio illis ex causa factæ per eos cessionis,regiminis, & administrationis,seu commendæ,aut resignationis Ecclesiarum,Monasteriorum, & aliorum huiusmodi beneficiorum, Apostolica auctoritate reseruata, &c. existit, vel in posterum reseruabitur; quam etiam aliorum quorumcumque inferiorum collatorum, aut collatricum, coniunctim vel diuisim, de iure, priuilegio, consuetudine, aut alias quomodolibet pertinentia, ac etiam illa commendandi, ac alias de eis disponendi, vel de consensu ipsorũm Cardinalium requirendo in prouisione eorumdem beneficiorum apud Sedem prædictam, vt præfertur vacantium, per Sanctitatem suam facienda, & quod sine consensu huiusmodi factæ prouisiones, quæuis aliæ dispositiones nullæ & irritæ sint, omnibus & singulis Cardinalibus prædictis per quoscumque Romanos Pontifices, ac Sanctitatem suam,& dictam Sedem,etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine,& consistorialiter,ac etiam ex pactis inter dictos Pontifices & Cardinales diuersis temporibus factis, firmatis, & iuratis, ac quibusuis onerosis, & aliis causis concessa,etiam iteratis aut multiplicatis vicibus approbata, innouata ac extensa, quibuscumque concepta formulis,ac etiam restitutiuis,mentis attestatiuis,præseruatiuis, derogatoriarum derogatoriis,aliisque efficacissimis & insolitis clausulis,necnon vim contractus inducentibus,ac irritanti, & quod sine eorum consensu derogationes pro tempore factæ nemini suffragentur,aliisque decretis suffulta quorum omniũ tenores Sanctitas sua haberi voluit pro expressis,specialiter & expresse reuocauit, literasque Apostolicas desuper confectas, & quoad ea in quibus illa effectum nondum sortira erant, & inde secuta quæcumque cassauit, annullauit, viresque & effectum de cetero non habere decreuit.

Declaratio. §. 2. Salua tamen remanente facultate consensus per ipsos Cardinales in prouisionibus Apostolicis beneficiorum per obitum familiariũ continuorum commensalium eorumdem Cardinalium, etiam apud Sedem prædictam vacantium, præstandi, iuxta formam Regulæ Cancellariæ Apostolicæ super hoc editæ, & in casibus tantum in ipsa Regula expressis. Volens vlterius quod eadem beneficia per obitum familiariũ, continuorum commensalium eorumdem Cardinalium posthac, tam apud eamdem Sedem quam extra Romanam Curiam vacantia, etiamsi ad alicuius alterius Cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent,etiamsi tunc cessent aliæ Apostolicæ reseruationes hactenus editæ,nihilominus in posterum dispositioni Sanctitatis suæ reseruata censeantur; itaut in prouisionibus talium beneficiorum super expeditionibus literarum illius Cardinalis, cuius familiaris defunctus extitit, si ipse Cardinalis tunc præsens in eadem Curia, fuerit,consensus requiri omnino debeat,non autem beneficia huiusmodi ad collationem, seu quamuis aliam dispositionem Cardinalis ordinarij collatoris vllo modo pertineant, nec eiusdem Cardinalis ordinarij collatoris, etiamsi in Romana Curia præsens fuerit,consensus quoquomodo requiratur.Easdemque constitutiones, & Regulas Cancellariæ, etiam declaratorias super beneficiis familiarium prædictorum Cardinalium editas, tam quoad Cardinales indulta huiusmodi habentes, quam non habentes, atque adeo indulta ipsa ad terminos præsentis constitutionis reduxit & moderatus fuit.

Decretum irritans. §. 3. Decernens sic in iis, ceterisque nmnibus præmissis per quoscumque, &c. etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & eosdem Cardinales, sublata, &c. necnon irritum & inane quicquid secus super his, per quoscumque etiam prætextu facultatum, indultorum & concessionum huiusmodi, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum §. 4. Prædictis & quibusuis & aliis Regulis, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus.

Papa subscrip. Placet publicetur & describatur.

INNOCENTIVS IX. PONT. CCXXXIV. ANNO DOMINI MDXCI.



INnocentius Papa Nonus, Bononiensis, Ioannes Antonius Fachenettus antea dictus, Presbyter Cardinalis tituli Sanctorum Quatuor Coronatorũ, Creatus tertio Kalendas Nouembris. Coronatus tertio Nonas Nouembris Anno Domini 1591. Vixit menses duos. Creauit Cardinales duos. Obiit tertio Kalendas Ianuarij Anno Domini 1592. Sepultus fuit in Basilica Principis Apostolorum. Vacauit sedes dies triginta.

I.

Confirmatio & extensio constitutionis Pij V. à Gregorio XIII. Sixto V. Gregorio XIV. comprobatæ, de non alienandis & infeudandis Ciuitatibus & aliis locis Sedis Apostolicæ.

Hæc Pij V. prohibitio est in eius bulla 35. Admonet *vbi plene tibi indicaui eius declarationes & ampliationes. Et constitutio Gregorij XIII. est* 3. *sup. ac Sixti V. est* 26 *sup.& Gregorij XIV. est sup.*

Vide addita ad Leon. I. sup. lib. 1.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Edita An. D. 1591.*

Exordium. QVÆ ab hac Sancta Sede, cui licet indigni, auctore Domino præsidemus, pie & salubriter sancita & ordinata noscuntur, ea vt perpetuo firma,illibataque permaneant,non solum consensus,approbationis & innouationis nostræ munimine roboranda, sed etiam declarationis præsidio quatenus expedire visum sit fulcienda censemus.Et præcipue muneris nostri esse ducimus, ea quæ à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, ad patrimonij, dignitatis, & amplitudinis Sanctæ huius Sedis conseruationem & incrementum laudabiliter disposita, & constituta sunt, in nobismetipsis seruare & aliis seruanda tradere & demonstrare.

Pij V. constitutio est indicata in rub. §. 1. Sane fel. rec. Pius Papa V. prædecessor noster, de consilio & assensu venerabilium fratrum suorum tunc S. R. E. Card. optimam & saluberrimam Constitutionem edidit, & promulgauit tenoris sequentis.

Omittitur insertio huius bullæ cum ea sit posita in loco tibi in rubr. cit.

Confirmationes Gregorij. Sixti & aliorum Gregorij sunt citata in rub. §. 2. Quamquidem Constitutionem piæ mem. Gregor. XIII. Sixtus V. & Gregor. XIV. Romani Pontifices pariter prædecessores nostri,sicuti in ea cauetur, seruare iurarunt, ac per eorum literas approbarunt, & confirmarunt & innouarunt, prout in illis plenius continetur.

Approbatio huius Pont. §. 3. Nos itaque officij & conscientiæ nostræ debito satisfacere

Digitized by Google

tisfacere cupientes, Motu proprio, non ad alicuius supplicationem, vel super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia meraque deliberatione nostra in hoc primo secreto Consistorio, quod cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus habemus constitutionem prædictam, & omnia in ea contenta auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, approbamus & innouamus, eamque inuiolabilis firmitatis robur obtinere plenamque executionem & effectum perpetuis futuris temporibus habere decernimus. Ac præterea eidem, Motu proprio, scientia, deliberatione, & auctoritate assedtientibus, & approbantibus eisdem S.R.E. Cardinalibus.

Extensio eiusdem.

§.4. Declaramus eadem Constitutione prohibitam fuisse, ac prohiberi, omnem & quamcumque infeudationem, & alienationem Ciuitatum, Terratum, Oppidorum, & Locorum prædictorum, eidem Sedi tam immediate quam mediate subiectorum, non solum ne fiat, neue attentetur post eorum deuolutionem, sed etiam antequam deuoluantur, ac omnem & quamcumque in perpetuum vel ad tempus prorogationem, & extensionem infeudationum, inuestituarum, ac concessionum, de dictis Ciuitatibus, Terris, Oppidis, & Locis, non dum finitarum, ipsorumque incorporationem, quoad effectum impediendæ alienationis, prorogationis, & extensionis huiusmodi, non à die eorum deuolutionis, sed à die ipsius Constitutionis, & etiam antequam illa deuoluantur, ipso iure cum omnibus clausulis & decretis in prædicta Constitutione contentis, Cameræ & Sedi Apostolicæ factam censeri.

Promissio Cardinalium circa obseruantiam.

§. 5. Insuper volumus & declaramus, vt promissio, & iuramentum præstitum & præstandum, de seruanda eadem Pij prædecessoris præfati Constitutione per nos, & Romanos Pontifices successores nostros, ac S.R.E. Cardinales, intelligatur de ipsa Pij prædecessoris Constitutione, vt supra per nos declarata, & secundum hanc nostram declarationem eamdem Constitutionem ad vnguem & inuiolate obseruari oportere ac debere sicuti & nos seruaturos esse promittimus, ac sancte & solemni more iuramus.

Clausula sublata.

§.6. Et ita per quoscumque Iudices, ordinarios, & delegatos, quauis auctoritate fungentes, etiam Cameræ præfatæ Præsidentes, Clericos causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, in quauis causa & instantia, sublata eis, & eorū cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari, declarari & definiri debere; irritum & inane, si secus super his per quoscumque, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contingerit attentari.

Iussio describendi hanc bullam iuxta bullam Pij V. Clauf. derog.

§.7. At præsentes nostras literas, in libello in quo ipsa, Constitutio Pij prædecessoris continetur, ac in libro Quinterno appellato Cancellariæ Apostolicæ, describi mandamus.

§.8. Non obstantibus iis, quæ idem Pius prædecessor voluit non obstare, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§.9. Nulli ergo omino hominum liceat hanc paginam, nostræ approbationis, confirmationis, innouationis, declarationis, voluntatis, decreti, promissionis, iuramenti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum.

Dat. P. An. 2. die 4. Nou.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo, pridie Non. Nouembris, Pontificatus nostri anno 1.

Papæ subscrip. Ego Innocent. Catholicæ Ecclesiæ Episc.

Cardd. subscrip.

Ego Alph. Episc. Ostien. Card. Gesualdus.
Ego Inn. Episcopus Portuen. Card. de Arag.
Ego Marcus Ant. Episc. Prænestin. Card. Columna.
Ego Ptolemæus Episc. Tusculan. Cardinalis Comensis.
Ego Gabr. Episc. Sabinen. Card. Paleottus.
P. Michael Bonellus Episc. Albanen. Alexandrinus.
Marcus Siticus Cardin. ab Altaemps.
Ludouicus tituli S. Laurentij in Lucina, presbyter Cardinalis Madrutius.
Nic. de Pelleue Card presbyter, tit S. Praxedis, vulgo de Sen.
Iul. Antonius Sanctorius, tituli S. Bartholomæi in Insula, presb. Card S. Seuerinæ.
Hieronymus Card. Rusticucius tt. S. Susannæ.
Hieronymus Card. Simoncellus, tt. S. Priscæ.
Petrus Card. Deza, tt. S. Hier.
Alex. Card. Floren. tt. SS. Ioannis & Pauli.
Iulius Catd. Cananus, tt. S. Anastasiæ.
Ant. Maria Card. Saluiatus, tt. S. Mariæ de Pace.
Aug. Card. tt. S. Marci de Verona.
Ego Vincentius tt. S. Clementis, Card. Montis Regalis.
Ego Philippus Card. Spinula tt. S. Sabinæ.
Ego Georgius, tt. S. Sixti Card. Raziuil.
Ego Simeon Card. de Terranoua, tt. S. Mariæ Angelorum.
Ego Scipio tt. S. Saluatoris in Lauro Card. Lancellottus.
Ego Henricus tit. S. Pudentianæ Cardin. Caetanus S.R.E. Camerarius.
Ego Ioannes Baptista Cardinalis Castrucius
Ego Dominicus, tt. S. Chrysogoni Card. Pinellus.
Ego Hyppolytus tit. S. Pancratij, presb. Card. Aldobrandinus, Maior Pœnitentiarius.
Ego Hyeronymus tit. S. Petri ad Vincula, S.R.E. presbyter Card. de Ruuere.
Ego Frater Hieronymus, tt. S. Mariæ super Mineruam S.R.E. presb. Card. Ascul.
Ant. Maria, tt. S. Agnetis in Agone, Card. Perus.
F. Constantius Card. Sarnanus, tt. S. Petri in Monte Aureo.
Ego Gul. Card. Alanus, tt. S. Martini in Montibus.
Ego Scipio tt. S. Mariæ de Populo Cardinalis Gonzaga.
Ego Antonius tt. S. Stephani, Card. Saulius.
Ego Euangelista tituli Sancti Matthæi in Merulana, presbyter Card. Cusentinus.
Egg Ioan. Franciscus, tit. S. Mariæ in Via, presbyter Cardin. Maurocenus.
Marianus tituli SS. Marcellini & Petri, presbyter Cardin. de Camerino.
Ego Greg. Card. à Montelparo, tt. S. Augustini.
Ego P. Card. Sfondratus, tt. S. Cæcil.
Ego Benedictus Iustinianus, tt. S. Marcelli.
Ego Augustinus, tt. S. Laurentij in Pane & Perna, presbyter Card. Cusanus.
Ego Fr. Maria Card. SS. Quirici, & Iulitæ.
Ego Octauius Card. S. Ioan. ante portam Latinam.
Ego F. Card. S. Mariæ in Via Lata.
Ego Alexander S. Laurentij in Damaso, diac. Card. Montaltus S.R.E. Vicecancellarius.
Ego Ascanius, S. Mariæ in Cosmedin, S.R.E. diac. Card. Columna.
Ego Federic. S. Nicolai in carcere, diac. Card. Borromæus.
Ego Guido, SS. Cosmæ, & Damiani, diac. Card. Pepulus.
Ego Odoardus S. Adriani diac. Card. Farnesius.
Ego Octauius S. Georgij in Velabro, diaconus Cardinalis de Aquauiua.
Ego Flaminius S. Mariæ in Dominica.

Anno à natiuitate Domini Nostri IESV Christi 1592. indiction. 4. die vero 2. mensis Ianuary, tempore Sedis vacantis, per obitum bonæ memor. Innocentij Noni, suprascripta litera affixa & publicata fuerunt ad valuas Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellaria Apostolica, & in acie Campi Florę, per nos Laertium Cecchetum, & Marcum Antonium Sanctiss. D. Nostri Papæ Curs. *Publicatio.*

Hieronymus Lutius Mag. Curs.

Indulta Inclyti Senatus Populique Roman. de reis non condemnandis vigore alicuius rescripti contra formam iuris, & non confiscanda legitima filiorum viuentibus eorum genitoribus, & neque arbitraria compositione recipienda, in Dataria, pro licentia dandi dotem, supra summam à Statuto taxatam. 11.

Quoad d. legitimam, contrarium remanet decisum extra Vrbem, ex Bulla Pij IV. n. 2. Etsi cuncta. §. 8. & consonat constitutio Sixti IV. n. 24. Cura. sup. Summam vero Dotis à Statuto taxatam esse ad sc. 5500. liquet ex bulla Sixti V. n. 52. Cum in vna. in fine.

INNOCEN

Edita An. D. 1591.

INNOCENTIVS EPISCOPVS.

Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius concessionis.

AD Romanum spectat Pontificem, inter multas & graues, quas pro communi Christianæ Reipublicæ bono, suscipit curas, in eam quoque præcipuo studio incumbere, vt eius in temporalibus subditi, præsertim vero Dilecti filij S.P.Q.R. quorum propria & peculiaris cura ei specialiter commissa est, non solum à quocumque grauamine, quoad fieri potest, immunes reddantur, sed priuilegiis & gratiis in dies amplioribus ornentur. Quare nos, & muneris nostri debito satisfacere, & paternam caritatem, ac beneuolentiam quam iam pridem erga eos gerimus, insigni aliquo monumento testatam esse cupientes, quo & ipsi benignitatem nostram experti, & alij eorum exemplo in fide, obedientia, ac deuotione Sanctæ huius Sedis alacriori animo perseuerent, atque ad promerendam vberiorem nostram & illius gratiam in dies magis inuitentur.

Prohibitio reos condemnandi contra ius, vigore alicuius rescripti.

§. 1. Primum quidem hac nostra perpetuo valitura Constitutione, abolemus & ab hac inclyta Vrbe, nostris voluimus exulare temporibus, modum illum procedendi contra reos alicuius criminis aut delicti, qui licet iuxta dispositionem iuris communis & sacrarum Constitutionũ, ac eiusdem Vrbis statutorum, pœna capitis plecti non debeant, tamen vigore specialis mandati & rescripti per Roman. Pontif. Motu proprio, seu alias signati, pœna vltimi supplicij damnatur; & quod nobis licere non patimur, id etiam nostris successoribus indicamus, districtius prohibentes ne imposterum Iudices quicumque quauis auctoritate fungentes, reum aliquem contra Iuris communis, & Apostolicarum sanctionum & statutorum Vrbis tenorem, vigore seu prætextu rescriptorum huiusmodi, quæ contra intentionem concedentis per subreptionem extorta censeantur, capitaliter condemnare præsumant.

Prohibitio confiscari legitimam filio rum in vita parentum in Vrbe.

§. 2. Præterea volumus ac præsentium tenore decernimus, quod in eadem Vrbe nostra, si contingat filios viuentibus eorum genitoribus, delictum aliquod committere, ipsi parentes quoad vixerint, ad soluendam legitimam Portionem de propriis bonis, eisdem filiis de iure debitam, minime cogi aut compelli possint, nec contra ipsos delinquentium genitores ad legitimæ portionis prædictę confiscationem, per quosuis Iudices procedi debeat; sed in quibusuis criminalibus causis iuris communis dispositio, & statuta Vrbis omnino seruentur; necnon quascumque prædecessorum nostrorum Constitutiones in contrarium forsan desuper editas, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, ad terminos iuris, ac dictorum statutorum, harum serie reducimus, & moderamus, statutaque ipsa in hac parte approbantes, illa aduersus quemcumque contrarium vsum aut Constitutionem restituimus & reualidamus.

Prohibitio exigendi prohibitionẽ pro licentia Dotis supra summã ab Vrbis Statuto taxatã.

§. 3. Et insuper, quia etiam accepimus vsu receptum esse, vt pro obtinenda derogatione statuti, seu reformationum eiusdem Vrbis, super certa Dotium puellarum quæ pro tempore nubunt summa & quantitate editarũ compositio non certa, sed arbitraria, iis qui in Datatia, & materiis componendis pro tempore præsident soluatur. Nos ipsius Vrbis Ciues & Incolas specialibus fauoribus & gratiis prosequentes, illos à solutione compositionis huiusmodi perpetuo eximimus & liberamus, immunesque & exemptos esse volumus; districte interdicentes dilecto filio Datario, nunc & pro tempore existenti, ac Præfecto compositionum, ceteris que Ministris Officialibus, ne ab iis qui in dicta Vrbe cum aliqua ampliori dote matrimonia contrahentes, derogationem huiusmodi à nobis, vel successoribus nostris impetrabunt, etiam si Burones, Domicelli, & nobiles fuerint, dosque ipsa longe vltra taxam prædictam ad quamcumque summam excessiua extiterit, quidquam vel minimum pro simili compositione vllo modo exigant, neque ad eam quouis prætextu cuiquam soluendum compellant; statuto tamen ipso super taxa dictarum Dotium nihilominus in suo robore permansuro.

Clausula prasumtiua.

§. 4. Decernentes præsentes literas, &c. ex quauis causa ex quocumque capite de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut quopiam alio defectu notari, impugnari seu inualidari vel reuocari, aut alias quomodolibet infringi, seu aduersus illas quodcumque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas & efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri & obtinere, ac ab omnibus inuiolabiliter obseruari & adimpleri.

Clausula sublata.

§. 5. Sicque & non alias per quoscumque Iudices & Commissarios & causarum Palatij Apostolici Auditores & S.R.E. Card. sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate in quauis causa & instantia iudicari & definiri debere; ac irritum & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§. 6. Quocirca dilectis filiis modernis ac pro tempore existentibus S.R.E. Camerario, ac Vicecamerario, Thesaurario & Clericis Præsidentibus Cameræ Apostolicæ, necnon Gubernatori, & Senatori eiusdem Vrbis per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel quilibet eorum faciant præfatos S.P.Q.R. atque adeo singulares illorum personas, ceterosque omnes & singulos quos præmissa concernunt, & concernent in futurum, illis pacifice frui & gaudere; non permittentes illos desuper à quoquam quomodolibet indebite molestari; contradictores per opportuna iuris, & facti remedia compescẽdo.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra de non tollendo iure quæsito, quatenus præmissorum occasione cum publico detrimento ius alicui quæsitum dici aut censeri quoquomodo possit; & quibusuis aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, legibus & consuetudinibus; priuilegiis quoque, indultis, ac Sixti V. & Gregorij XIV. concessionibus super præmissis quomodolibet emanatis, aliisque literis Apostolicis tàm supradictis quam quibusuis, aliis personis sub quibuscumque tenoribus ac formis, ac cum quibusuis derogatoriarum derogatoriis, ac aliis efficacissimis clausulis & decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac consistorialiter, & alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis & innouatis. Quibus omnibus etiam si de illis eorumque totis tenoribus, specialis, expressa, ac specifica mentio seu expressio habenda, aut quæuis alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi pro expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice & ad effectum præmissorum dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio cõtrariorum.

§. 8. Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio & extra illud habeatur, quæ eisdem originalibus haberetur exhibitis vel ostensis.

Fides exemplorum.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, nostrorum abolitionum, decretorum, reductionis, moderationis, restitutionis, reualidationis, prohibitionis, interdicti, inhibitionis, reuocationis, cassationis, annullationis, extinctionis, ac derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Dat. P. An. 1. die 1. Dec.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo nonagesimo primo, Calen. Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

FINIS SECVNDI TOMI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

